


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35
400 40
Jafta
MADE IN SPAIN

R. P.

GEORGII GOBATI,

SOCIETATIS IESV

THEOLOGI,

OPERA

MORALIA

OMNIA.

R.1123



EXPERIENTIAE

THEOLOGICO-SACRAMENTALIS

EXPLICATAE

A R.P. GEORGIO GOBAT SOCIETATIS IESV THEOLOGO

MONACHII.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA IOANNIS IACKLINI, TYPOGRAPHI ELECT.
Et Episcopalis Frysingensis, ac Ratisbonensis. Anno 1683.

OPERUM MORALIVM TOMI I. PARS I.

HOC EST

EXPERIENTIARUM THEOLOGICARVM.

SIVE

EXPERIMENTALIS THEOLOGIÆ

DE

SEPTEM SACRAMENTIS

CASIBUS PLUS SEPTINGENTIS

FACTIS NON *FICTIS*

IN ORDINE AD PRAXIN EXPLICATIS

TRACTATVS SEPT PRIORES.

DE BAPTISMO, CONFIRMATI EUCHARISTIA ET POENITENTIA.

CUM QUADRUPLICI INDICE

UNO AXIOMATUM THEOLOGO-IURIDICORUM,

Quæ in hoc opere usurpantur.

ALTERO QUÆSTIONUM NOVARUM,

Quæ in eodem pertractantur.

TERTIO PRÆCIPUORUM CASUUM ET FACTORUM.

Hîc repræsentatorum.

QUARTO RERUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMO.

AUTORE

R.P. GEORGIO GOBATO, SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO Et Electorali Bavariæ.

MONACHII,

Typis & impensis JOANNIS JÆCKLINI, Typogr. Elect.

ANNO M. DC. LXXXI.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino,
Domino

JOANNI PAULO HOCHER

Libero Baroni de Hochenkraën,

Domino in Steinach, & Bludens, Sac: Cæſ:
Majeſt: Conſiliario, ac Supremo
Aulæ Concellario.
Domino ſuo plurimum gratioſo.

Silent equidem, quod vetus parœmia ait, inter arma leges, ſilent & Muſæ, tubarum clangore, tympanorum ſtrepitu, tormentorum fragore attonitæ. Verùm his omnibus Mens Sapientis ſublimior, & tanquam ſereno jugiter Olympi jugo inſiſtens ſecura deſpicit, quidquid infrà telorum cadit. Quòd ſi verò communi ipſum navigare cymbâ, & procellâ eàdem jactari contigerit; fluctuat quidem, at non mergitur, naufragatur, ſed enatat, velut Julius ille EX UTROQUE Cæſar, ſalvo ingenii ſui partu, Commentariorum libro, feliciter enatavit, ac volumen victrici efferens dexterâ: CUM HOC, inquiebat, RES SALVA EST.

Simile quid eveniſſe dixero Societatis noſtræ Collegio, quod Conſtantiæ habemus; Librum inter decumanos bellorum fluctus ſervavit incolumem; Librum, inquam, domi ſuæ editum, unius de Collegis ſuis calamo, cùm foris triſtia quæque monumenta belli ederentur ſtylo ferreo. Fuit is P. GEORGIUS GOBATUS, gente Alſata, juris Auſtriaci; Vir tam ſpectatæ virtutis, quàm inſignis doctrinæ, cúmque jam octuagenarius, meritorúm-

que plenus, ad beatæ æternitatis portum evocaretur, opus posthumum manibus Collegii concreditum eo cum voto reliquit, ut illud quoque tutum quendam in sinum cum tempore reciperetur. Destinaverat quidem studiosissimus senex ultimâ suâ, de Immunitate Ecclesiastica, lucubratione Illustrissimam Excellentiam Tuam deditissimè venerari; verùm invida mors manibus, & calamo scriptoris eripuit operam necdum perfectam. Attamen eripere non potuit Opus alterum, prælo jam tum subjectum, cúque Autor ipse universum mel doctrinæ suæ, velut apis argumentosa, alveari suo intulit. Placuit autem modestissimo Scriptori se, non nisi senem Alphabetarium, uti & fœtum ingenii sui, Alphabetarium nominare: nempe, ut veritates Theologicas simpliciori titulo redderet gratiores, miscerétque utile dulci.

Igitur, CUM HOC, velut naufragus olim Cæsar, enatat Collegium Constantiense, portúmque, ac sinum illum respicit, quem amantissimus Collega noster, operis parens, jam dudum, sed eminus, spectaverat. Te ille, Te, inquam, Illustrissime, ac Excellentissime Domine, Te literatorum Mecœnatem, MAsarum Asylum, almæ Palladis Domicilium, Autor præoptabat. Te e Domi ilium dico, rectiùs Palatium, præ cujus foribus tam nobile satellitum exc bat, ut Reginam sapientiam ibidem habitare nemini dubium esse possit: excubat enim in oculis futurorum solers Providentia: auribus æqua omnibus auscultatio invigilat: Facundia labiis præsidet: frontem prudentia explicat: Consilium, & executio manum utramque moderatur; domi ergo esse mentium Reginam Sapientiam quis ambigat? Probè id ipsum advertisse videtur Aquilinus Augustissimi Cæsaris nostri obtutus, cùm Te Sibi Coronæ, & Sceptri sui Oculum clementissimè adoptavit. Oculum, ajo, sic Philosophiæ princeps Aristoteles, sic Persæ, & Babylonii Regum suorum Consiliarios appellabant. Et *hac*, inquit Synesius, *ratione, omnium oculis cernit princeps, dum omnium consiliis in unum tendentibus Consultat.* Nec etiam mirum, quòd, qui principi à Consiliis sunt, regio in sceptro, gemmarum vice, collocentur: cùm etiam & Cæsarum, & Regum Hispaniæ coronis nomina illorum inseri jam dudum ex more, & merito fuerit.

Esb. 1. c. 12.

Synes. ad Calvit.

Quando igitur Cæsareæ Majestatis sceptrum intueor, videre mihi videor virgam illam vigilantem, tot radiantibus inoculatam pyropis, quot consultissimis Aulæ Imperialis proceribus. Hos inter, Te Illustrissime, & Excellentissime Domine Baro, video fidelissimè excubantem. Adverto aciem oculi Tui quàm longissimè in omnes Imperii partes se se protendere, futura cum præteritis, præterita cum præsentibus ad trutinam vocare. Oculum Te video, quem nulla alieni cupiditas obfuscat; nulla pupillam obliquat æmulatio, cujus nervi, quos Opticos vocamus, sunt æquitas, salúsque publica; cujus denique meta, ad quam totus collimat, Deus est, & Cæsar. Plus ultra, ne in meritissimas licèt laudes Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ me effun-

Hier. 1. v. 2.

effundam, frænum injicit, partim singularis animi Tui demissio, tantò profundior, quantò sublimius meritum: partim ipsus virtutum, ac decorum Tuorum splendor domesticus, de se jam spectatissimus: neque enim aliena indiget face, cui tam illustris meritorum Sol domi, splendet. Sua placet venustate adamas; peregrino cultu occulitur potiùs, quàm oculatur, ut scitè monuit Encomiastes Romanus.

In eo igitur potissimus Collegii nostri Tibi devotissimi labor versatur, ut, quod semper erga Illustrissimam Excellentiam Tuam professum est studium, id præsentis Operis dedicatione apertissimè contestetur. Liceat nunc Collegio, quod Collegæ suo in votis erat. Libeat Tibi posthumum Scriptoris laborem gratiosis excipere manibus, admittere pectore; fovere affectu. Est siquidem ea Tibi mentis instructissimæ amplitudo, ut scientiam utramque, Christianæ nimirum Politices, & Theologiæ practicæ accuratissimè complectaris; Hanc, Conscientiæ, illam, Reipublicæ arbitram: unam, ut quid liceat, alteram, quid expediat, dictantem. Et, quemadmodum Cælum ipsum à summo rerum omnium Conditore gemino *Luminari*. uno *minore, majore* altero inoculatum fuit; Isto, ut diei, illo, & nocti præesset, sic & animus legentium fidere duplici, moralis nimirum, & Civilis scientiæ, illustris sit, necesse est; Civili quidem, ut præsit utiliter; morali, ut sanctè, piè, & justè; eo tamen utrumque ordine, ut sicut inferiores cæli orbitæ motu alio non gyrantur, quàm *primi mobilis* sui, ita Civilis quoque prudentia non aliam *Statûs rationem* sibi propositam habeat, quàm quæ supremæ, hoc est, divinæ conformatur.

Iam olim sub nocte gentilitatis illud Regnum censebatur fortunatissimum, cujus Præsides moralis Philosophiæ notitia pollebant. Quantò verius hoc asseritur de hodiernis Rerumpub. moderatoribus, quibus alia regendi dictamina non probantur, quàm quæ ad Lydium lapidem scientiæ Theologicæ fuerint examinata. Hujus igitur Magistræ judicio ea demum Respubl. seu Imperium, omne felicitatis punctum feret, cujus consilio vera præsidet Religio; proponit Prudentia; veritas informat; persuadet recta Ratio; Pietas, bonique publici Zelus vota ferunt; Fidelitas suffragia colligit; sigillum denique apponit supremi Numinis Reverentia; atque hac omnino ratione, & Regibus, & Regnis quàm optimè consuli, testis omnium incorruptissimus, experientia comprobat.

Cicero de leg.

Ubi verò veritates Theologicæ perinde ac res jam obsoletæ habentur, vel antiquorum instar, numismatum seponuntur ob solam raritatem, non verò ut juris, usúsque publici fiant: ubi insuper repudiata Sacrorum Canonum authoritate, sola juris dicundi peritia clavum sibi vendicat; actutum apparebit Cyclopica quædam dominandi ratio: primas feret Ambitio, & Cupiditas, geminæ Regnorum pestes: his subservient ministri, quibus vitium pro medulla, virtus pro pelle est; homines Amphibii, Chamæleontes: *Filii Agar, qui*, ut digito Dei in Sacris paginis notantur, *prudentiam exquirunt*,

Baruch 3.

quæ

EPISTOLA DEDICATORIA.

quæ de terra est; viam autem scientiæ nesciverunt; imò dedignantur ut scrupulosam; infamant, ut simplicem; sua potiùs phantasmata rationibus divinis præferentes.

Verùm & odit, & arcet profanum vulgus hoc Christiana Politice, cui, ut salus publica suprema lex est, sic Numinis cultus prima est cura. Cujus Tribunal, Conscientiæ pariter, ac Scientiæ innititur, quódque nec spe, nec metu se concuti patitur. At hanc Regnorum Præsidem dum cominus contemplor, video simul animatum ejus prototypon; Te nimirum Illustrissime, ac Excellentissime Domine, veneror illud, tanquam ductili ceræ impressum Sigillum, aut lucidæ nubi infusum Solis parelion. Plura, ne dicam, vetat, quod dixi, Modestia tua. Tu modò Librum Illustrissimo Nomini Tuo dicatum, observantiæ nostræ perpetuum obsidem, & deditissimi affectûs tesseram, eâ, qua soles, humanitate, respice, ac suscipe. Nos verò interea à Deo Ter Opt. Max. infimis precibus, & votis exposcimus, ut Te, velut pupillam oculi sui ad Augustissimi Cæsaris obsequium, bonique publici incrementum quàm diutissimè servet incolumem. Vale, & fave.

Illustrissimæ Excellentiæ

Tuæ

Deditissimum Collegium
Soc. Jesu Constantiæ.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Ublato è vivis, quem legere paras Autore, qui te, Benevole Lector, in singulis hactenus Opusculorum suorum Præfationibus peramicè est allocutus, ab alio nunc calamo exaratam, pari benevolentia perlegere non dedigneris. Primò quidem Seriem ejus Librorum Chronologicam, sive Catalogum scriptum juxta ordinem Annorum, quo primò sunt editi. Secundò varias editiones Tomorum, ex his operibus confectorum. Tertiò Finem, Scopum, & Intentionem Auctoris. Quartò Autoris Stylum & Modum scribendi.

Series Librorum chronologica, Primæ Editionis.

Primum ejus Opus fuit *Sensus & consensus Doctorum de Jubileo duplici & suspensione Indulgentiarum.* Quo (ut modestia ejus loquitur,) periculum facere voluit an posset divina opitulante gratia proferre in publicum aliquid, quod saltem aliquibus aliquam ferret utilitatem. Appellavit autem *Sensum, & Consensum D. D.* quia non tantùm illos triginta, quorum nomina Alphabeti Ordine Præfationi subnectit, sed omnes omnino, quos de Jubilæo & indulgentiis tractantes nanciscipotuit, evolvit, & quidquid in ipsis ultra ea, quæ in Scholis docendo dicerat, suisque Auditoribus tradiderat, dignum Lectoris oculis reperit, in hoc Opus sed suis plerumque verbis, suóque Judicio de plerisque addito, conjunxit. Per *Jubileum Duplex* intelligit *Ordinarium* seu Universale, quo singulis seculis quater ex Sixti IV. constitutione Orbis in Urbem invitatur: *& Extraordinarium*, quod summi Pontifices incertis Annis pro rerum exigentia largiri consuêrunt. Editum autem est hoc opus Anno 1649. Oeniponti in forma 8.

Secundum fuit *Thesaurus Ecclesiasticus Indulgentiarum*, in quo omnia dubia Moralia, quæ alii plerique, permulta quæ pauci, non pauca quæ nemo de hac materia tractârunt, proposuit ac resolvit. In quem finem præter Autores triginta novem (quorum catalogum, ordine Alphabetico, Præfationi subdit,) legit, perpendit, & inter se contulit plures quàm centum Indulgentiarum diversarum distinctas *Bullas, Brevia & Formulas.* Edidit autem hoc Opus Monachii Anno Jubilæo insequente 1650.

Tertium Opus fuerunt *Vindiciæ Theologicæ*, quibus adversus nonnullos Jurisconsultos defenduntur, & in sua possessione conservantur Theologi Scribentes de Materiis alterutro jure comprehensis. Et quia ex his non alium habebat ad manum, quàm Doctorem Michaëlem Ferro Manrique, Jurisconsultum Hispanum, ideo hujus potissimùm verba formalia, querelis contra Theologos plena, refert, & refutat. Editum est hoc Opus Friburgi Nuitonum, Anno 1654. in forma 8.

Quartum fuit *Alphabetum Communicantium Casisticum*, hoc est Viginti tres Casus, à totidem literis Alphabeti Latini incipientes, & non confícti, sed experientia vel lectione cogniti, quibus Naturam & Accidentia SS. Communionis explicabat. Edidit autem hoc Opusculum Constantiæ, dum Casus doceret, Anno. 1658. Mense Augusto, in forma 12. per modum Thesium publicæ concertationi expositarum. Ipsum hoc opus Autor anno mox sequenti, revocavit sub incudem, nonnulla mutavit, complura addidit, & sic auctius, atque emendatius, jam non sub titulo Thesium, sed per modum libri edidit iterum constantiæ, in eadem forma. Sed quia & hujus Secundæ editionis exemplaria citra triennium coëmpta sunt omnia, Tertiò hoc ipsum Opus revidit Autor, iterúmque nonnulla mutavit, sed plura addidit, quædam verò omnino sublata transtulit in Alphabetum Sacrificantium (de quo paulò pòst) tanquam in commodiorem locum. Et sic multò auctius, ac emendatius, numerísque marginalibus, quibus antè carebat, instructum edidit tertiò Monachii Anno 1662. in eâdem forma 12.

Quintum fuit *Clypeus clementium Judicum utriusque fori*, divisus in duas Partes, quarum Prior defendit clementes Judices: altera ostendit praxin sequendi benigniores opiniones, quæ constat 7. Decadibus Documentorum & Corollariorum Theologicorum, & Juridicorum.

Hunc

Hunc *Clypeum* edidit Primò Constantiæ Anno 1659. in forma 12. Secundò verò auctiorem Monachii, An. 1662. in eadem forma 12.

Sextum fuit *Alphabetum Sacrificantium*, conscriptum eâdem Methodo, eâdémque de causa Alphabetum appellatum, ex qua priorem de Communione Tractatum Alphabetum appellavit. Antequam autem manum huic Operi admoveret, proposuerat uno Alphabeto comprehendere materiam Sacrificantium, & Sacrum audientium simul (uti semel iterúmque in Alphab. Communicantium promiserat,) & quidem in hac animi confirmata sententia non tantùm cœperat opus, sed jam ad umbilicum dèduxerat, cùm observavit id ita paulatim crescere, ut si in cæptis pergeret, evasurum esset Opus grandius, quàm certas ob causas vellet. Quare mutato Consilio omnem de Sacro audiendo materiam in aliam occasionem rejiciens, hîc de Sacrificantibus tantùm agere concluſit. Sed ecce! cùm totum opus absolutum, & ab Amanuensi pro typo descriptum jam esset, oblatum est P. Georgio nostro P. Thomæ Tamburini *Opusculum de Sacrificio Missæ expeditè celebrando*, quod lustratum ita placuit, ut forsan præsenti labore supersedisset, si citiùs nactus fuisset. Quia verò huc deventum jam erat, & perpauca exemplaria in nostram superiorem Germaniam ex illa Rheni inferioris impressione perferebantur, ac denique nonnulla continebantur in hoc, quæ non in illo, non obstante illo P. Tamburini Opusculo, emisit hoc Alphabetum à multis jam per literas ac nuntios expetitum, Constantiæ Anno 1660. in Forma 12. Et verò etiam hoc Secundum Alphabetum ita probatum est plurimis, ut non tantùm oportuerit illud tricennio pòst multis auctum secundo prelo subjicere, Monachii Anno 1663. in prædicta forma 12. sed insuper (ex voto sanè non paucorum,) consilium ceperit Autor, etiam cætera Sex Ecclesiæ Sacramenta eâdem ratione proponendi, qua Eucharisticum per duo præcedentia; addendíque peculiare Alphabetum Sacri audiendi, (ut promissis staret meliore modo, quàm promiserat) & simul Breviarii recitandi. Ad quæ præstanda mox strenuè se accinxit, scriptis ad Septem diversos Episcopatus literis, quibus amicè rogabat, ut ad se perscriberentur, quæ huc facere viderentur. Non mandarent autem literis nisi planè explorata. Interim verò

Septimum ejus Opus fuit *Theologia Juridico-Moralis*: seu *Accusatio Canonica Ebriosi* ad divortium compellendi ob ebrietatem continuam, indéque secuta varia mala. Edita Constantiæ Anno 1661. in forma 4.

Octavum fuit Alphabetum *Baptizantium & Confirmantium*, quòd impressum est Monachii Anno 1663. in forma 12.

Nonum fuit *Alphabetum Sacri audiendi, & Breviarii recitandi*. De priore materia agit Casibus viginti duobus: de posteriore, ultimo Casu tantùm, sed bene longo, cui insuper subjunxit *Trigam Horariam*, hoc est Disputationes Tres more Scholastico scriptas. Unam de Intentione: alteram de Attentione: tertiam de Mutatione unius Officii Divini in aliud. Volebat quidem Autor præmittere huic Alphabetum Ordinis & Extremæ Unctionis, sed quia tam multi hoc præ illo expetierunt, eorum voluntati cedendum ratus, mutato consilio hoc priùs edidit. Constantiæ Anno 1664. Mense Martio in forma 12.

Decimum fuit *Alphabetum Ordinis, & Extremæ Unctionis*, quod edidit Constantiæ eodem Anno 1664. Mense Augusto, in forma 12.

Undecimum fuit *Pars I. Alphabeti Matrimonialis*, hoc est Alphabetum integrum de Impedimentis Matrimonii. Editum Constantiæ Anno 1665. Mense Julio, in forma 12.

Duodecimum fuit *Pars II. Alphabeti Matrimonialis*, hoc est Alphabetum integrum de reliquis materiis Matrimonialibus. Editum Constantiæ eodem Anno 1665. Mense Augusto.

Decimum Tertium fuit *Alphabetum Confessariorum*, sive Pars I. Alphabeti Pœnitentialis, cujus in Præfatiuncula Alphabeti Sacri Audiendi &c. mentionem fecerat, à multis sanè, tum literis, tum coràm expetitum. Editum Constantiæ Anno 1666.

Decimum Quartum fuit *Alphabetum Confitentium*, sive Pars II. Alphabeti Pœnitentialis, (de quo ad finem prædictæ Præfatiunculæ mentionem facit.) Editum Constantiæ, Anno 1667. in forma 12.

Decimum Quintum fuit *Clavis Alphabetico-Sacramentalis*, idest Tractatus Moralis de Sacramentis in Communi, divisus in Septem Sectiones. Quamvis enim methodica docendi ratio exegisset, ut hic Tractatus præiret Sacramenta in specie: quia tamen, quando Primum conscripsit Alphabetum Communicantium, nullam cogitationem habuit, de omnibus Sacramentis, mentis Scribendi, (imò nec quando Secundum edidit,) nemo mirabitur seriùs scriptum; quod pridem oportuisset, si pridem constitutum fuisset de omnibus scribere. Protracta est autem hæc Clavis Constantiæ, eodem Anno 1667. Mense Junio, in forma 12.

Decimum Sextum, & inter edita hactenus ultimum fuit *Alphabetum Quadruplex*, hoc est Alphabetum unum, tractans de 4. diversis materiis: videl. de Voto, per Casus Cardinales 14. De Juramento, per 6. De Blasphemia, per duos, & de Superstitione per ultimos duos. Quamvis enim devexa jam ætas septuaginta duorum annorum Auctori suaderet calamum retrahere, & receptui canere, animatus tamen hortatu eorum, quorum nutibus parère oportet, perstitit in acie, edidítque hoc Alphabetum Constantiæ Anno 1672. in forma 8.

De variis Editionibus Tomorum Ex his Operibus confectorum.

Cùm prædicta Opera varias per Provincias dispersa plurimorum manibus tererentur, haud pauci extiterunt viri graves, ac eruditi, qui nostræ Superioris Germaniæ Præpositum Provincialem, P. Servilianum Veihelin, ejúsque Successorem P. Christophorum Schorrer, Visitatorem simul ac Vice-Provincialem exstimularent, ut Autorem hortarentur, ad omnia illa Opera revidenda, augenda, & uno alteróve Tomo Primæ Magnitudinis claudenda. Acquievit, ut par erat, repetitæ hortationi Autor, selegit Opera Decem; Clavem scilicet Alphabetico-Sacramentalem, Alphabeta omnia de Sacramentis, & de Sacro audiendo, horísque recitandis, in unum volumen compingenda. Quæ ut augeret, & exornaret quinque novos suscepit labores.

Primò excussit magnam Epistolarum farraginem ex diversis Regionibus & Episcopatibus, ad quos scripserat, acceptarum. Secundò relegit Adversaria sua, in quæ retulerat multa, de quibus coràm consultus fuerat, nec pauca, quæ propriâ experientiâ didicerat. Tertiò addidit singulis seu Casuum, seu Sectionum, seu Disputationum Titulis sua Summaria, sicut Juristæ, Theologíque permulti consueverunt. Quartò annexuit fini Operis, Viginti & unam selectas Appendices, velut messis peractæ Spicilegium. Quintò non contentus Indice Titulorum, singulis Operibus prævio, superaddidit alios quatuor. Videlicet Florilegium Axiomatum, Indicem Quæstionum novarum, Indicem Casuum Rariorum, & Indicem Rerum ac Verborum copiosum. Sic instructum Tomum Primum, novâ nomenclaturâ appellavit *Experientias Theologicas*, sive *Theologiam Experimentalem*: Singula vero Opuscula *Tractatus*, edidítque Monachii Anno 1669. typis & expensis Joannis Jæcklini, Typographi Electoralis, & Episcopalis.

Absoluto Tomo Primo, mox etiam collegit reliqua Quinque Opera (nam Decimum Sextum nondum extabat,) sicut in Præfatione prædicti Tomi I. §. *At verò* promiserat; Videlicet Clypeum elementium Judicum, Vindicias Theologicas, Sensum & Consensum Doctorum de Jubilæo Duplici, Thesaurum Ecclesiasticum Indulgentiarum, & Theologiam Juridico-moralem, seu Accusationem Canonicam ebriosi. Hæc Opera Quinque, ut Decem priora, multis similiter & variis accessionibus auxit, (ut vel inde liquet, quòd ex Jubilæo Duplici, factum sit Quadruplex.) Instruxit ea similiter Summariis, & tribus novis Indicibus, (Florilegio scilicet Axiomatum, Indice Novarum Quæstionum, & Indice Rerum ac Verborum copioso. Et sic instructum, novóque similiter Titulo *Quinarii Tractatuum Theologo-Juridicorum* donatum Tomum Secundum emisit in Lucem Constantiæ Anno mox insequente 1670.

Vix prodierant hi duo Tomi, cùm Veneta Typographia licentiam ab Autore obtinuit Primum Tomum recudendi. Prodiit Venetiis Anno 1672. sed tam inemendatè, & erroneè, ut Autor summo dolore affectus, omittere non potuerit, quin contrà publicè protestaretur in Alphabeto Quadruplici, hoc eodem Anno 1672. post Venetam, de qua loquimur, Editionem jam absolutam, Constantiæ edito, in Monitione ad Bibliopolas, Præfationi postpositâ.

Huic itaque malo ut mederetur, visa est ipsi necessaria alia emendatior ejusdem Tomi I. editio, quæ Venetæ substitueretur, & Italiæ potissimùm communicaretur. Misit ergo, non sine insigni iterum augmento, ad Principalem Typographiam Einsidlensem in Helvetia (Italiæ vicina,) operosè correctum Exemplar Venetum, ut ibidem, cum bona Reverendissimi & Illustrissimi Principis venia, quàm fieri posset proximè imprimeretur. Prodijt itaque hæc Tomi I. Quarta absolutè Editio in Sacra Eremo B. V. (vulgo: zu Einsidlen) Anno 1678.

Nondum absolverat Sacra Eremus hunc Tomum I. cùm distractis interea Monachii editionis Primæ exemplaribus, (uti Constantiæ Tomi II. nunquam recusi,) idem Joannes Jæcklinus, Ele-

Electoralis & Episcopalis Typographus & Bibliopola, cujus sumptibus Prima prodierat editio in Tomo, facultatem per literas ab Autore petijt, utrumque Tomum suis sumptibus recudendi. Veruntamen, cùm Tomus I. Experientiarum unà cum augmentis suis tantæ molis appareret, ut eapropter Lectorum commoditas divisionem Libri, (ac consequenter Indicum,) posceret, ac persuaderet, hoc unum nobis (Autore jam carentibus,) molestum erat, quòd membrum posterius non liceret Tomum II. appellare, ac consequenter Tertium, qui fuerat hactenus Secundus; hoc enim prohibebant illæ sat frequentes, & magnam partem jam impressæ Tomi I. citationes, in quibus Quinarius Tomus Secundus appellatur, qui tamen tunc fuisset Tertius. Prohibebant & illæ Tomi Secundi jam prope absoluti citationes, in quibus Tomo I. tribuuntur Decem Tractatus, cùm tamen post prædictam Nomenclaturam non nisi Septem: reliquos Tomus Secundus habiturus fuisset. Ne ergo Lectores confunderentur, malum necessarium fuit, ut retenta Tomi Primi & Secundi appellatione, Partes tantùm Duæ ex Primo fierent: quæ sectio, si ante omnem impressionem prævisa fuisset, potuisset utique, correctis citationibus, intentum obtineri. Hujus autem divisionis occasione, censuimus & Alphabetum Quadruplex, (quod solum ex editis Autoris hujus Operibus extra utrumque Tomum, velut ovis errans extra ovile vagabatur,) Secundæ Parti Tomi Primi, addere, & veluti membrum incorporare, suis tamen priùs, ut cætera Opera, Summariis instructum. Sic igitur aucta, sic divisa, prodeunt prædicta Opera omnia. Monachii, Anno 1681. Typis & Expensis prædicti Joannis Jæcklini, Electoralis, & Episcopalis Typographi, ac Bibliopolæ.

De fine, Scopo, & Intentione Autoris nostri.

Quamvis noster P. Georgius Gobat, (piæ mem.) pro ingenti suo zelo Animarum, per Opera sua Nationibus variis, & Provinciis etiam remotis prodesse desiderârit, & reipsa profuisse, non absque solatio, per literas frequenter cognoverit, nemo tamen ipsi vitio vertet, quod in Germania natus, & educatus, & germanis moribus totus imbutus, Nationis hujus paulò majorem, quàm aliarum habuerit rationem. Præcipua autem ejus Intentio meritò ferebatur in Diœcesin Constantiensem, in cujus Metropoli, ad lacum Acronianum sita, scripsit & vixit: cujus per viginti & unum ampliùs Annos, constitutus ab Episcopo Pœnitentiarius, ad mortem usque perstitit. Hinc Constitutiones Synodales Constantienses immiscuit, non illas, quæ in Generali Constantiensi Synodo seu Concilio Oecumenico Anno 1414. 16. Decembris inchoato, & Anno 1418. finito statutæ sunt, (ut exteri suspicari possent,) sed quæ in Diœcesana tantùm Synodo Anno 1609. sub Reverendiss. & Celsiss. S. R. I. Principe Jacobo Fugger, Domino Augiæ majoris & Oeningæ, præsentibus centum octoginta novem Patribus, inchoatâ, & senis Sessionibus finitâ, sunt statutæ, Annóque 1624. impressæ, tam amplè, solidè, dilucidè, ac sapienter statuentes, declarantésque longè plurima circa officia Cleri, & Plebis, ut *Aureum quoddam Theologiæ moralis, & Canonicæ compendium*, in Dedicatoria Operis Septimi, non dubitârit appellare.

De stylo Autoris, & modo scribendi.

Titulos Generales Tomorum perappositè posuit. Vocat Tomum Primum *Experientias Theologicas*, & rectè. Cùm enim Titulus, Libri, teste S. Augustino, *Epist. 9. ad Hieronymum, ante medium*, debeat esse Index rerum eo Libro, proponendarum: totus verò hic Tomus proponat Experientias Theologicas, hoc est (ut Jureconsulti æquè ac Grammatici definiunt, cognitiones, nullo docente, per usum repertas, in materiis Theologicis practicis, ac præsertim singularibus, quas experientia potissimùm respicit, clarum est, hunc Titulum sapienter impositum. Secundum Tomum vocat *Quinarium Tractatuum Theologo-juridicorum*, & optimè. Cùm enim in eo contineantur Tractatus nec plures, nec pauciores, quàm Quinque, & omnes sint referti Scientia non minùs Juridica, quàm Theologica, placuit Autori hunc titulum præfigere.

Stylus Autoris non est Scholasticus, non speculativus, per Regulas, & Præcepta nescio quot exceptionibus, & Limitationibus fulcienda, ne corruant, sed est familiaris, & practicus per Exempla, Casus, Narrationes, & Historiolas, etiam quandoque lepidas. Cujus Styli arripiendi complures habuit causas. 1. Quia longa via est per Præcepta: brevis per Exempla. 2. Quia omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci: historiarum autem narratio, non tantùm utiliter docet, sed dulciter etiam recreat. 3. Quia quamplurimi fastidiunt, aut non nisi nictante oculo dignantur Libros, quantumvis perutiles, nisi Orexis, appetentiáve in animis ipsorum excitetur quodam veluti sale & condimento jucundarum, aut rerum, aut sententiarum. 4. Quia mira

mira est Vis & Virtus exemplorum, ad docendum æquè, ac permovendum, ut Quintilianus agnovit, cùm dixit: *Facillimè homines ad consentiendum ducuntur exemplo.*

Casus quos passim refert, præcipuè in Primo Tomo, non sunt conficti, seu structi ex ingenio, sed tales, qui reipsa contigerunt, permittente divina Providentia. Maluit autem veris, quàm ingeniosis uti ob varias causas. 1. Quia Narratio, declaratio, & discussio verorum Casuum, gratâ admodum, salutarique luce perfundit materias morales illis inclusas, ut expertus est Autor. 2. Quia omnes Autores, qui Consilia, Responsa, aut Decisiones ediderunt (quales sunt Parisius, Alexander, Decius, Crauetta, Menochius, Cardinalis de Lugo, Laurentius Portel, Joannes Baptista Lezana, Oldradus, Guido Papa, Baldus, Antonius Faber, Navarrus, Riccius Paulus Comitolus &c.) eandem viam tenuerunt. 3. Quia longè libentiùs à viris & leguntur, & retinentur quæ gesta sunt, quàm quæ geri tantùm potuerunt. 4. Quia in rebus gestis reperitur veritas, (est enim teste M. Tullio Historia Lux Veritatis &c.) Ad hanc autem cognoscendam tantum nobis indidit Natura desiderium, ut Philosophus 1. Rhetoric. c. 2. dicat: Ad veritatem cognoscendam nos natos esse. Et S. Augustinus *Tract. 26. in Joan.* Animam nihil fortiùs desiderare quàm veritatem. 5. Quia in rebus gestis haud imprudenter sperari, timerique possunt eventus illis similes. Hinc Sapientes pronuntiant: *Diem posteriorem esse discipulum prioris, tempúsque, esse parentem veritatis.*

Titulis Particularibus interrumpit tractationem frequenter, quos miraturi fortasse sunt nonnulli. Sed meminerint illius ex magno Augustino gnomes: *Reficitur Lectoris animus de via novo Titulo, sicut corpus Viatoris hospitio.* Meminerint & alterius, desumptæ ex ejusdem Doctoris Sermone 20. de Verb. Apost. quem sic orditur: *Quomodo janua introducit in domum, sic Titulus Psalmi* (dicamus nos novæ Libri materiæ) *introducit in intellectum*, levátque fastidium.

Appendices immiscet sat multas, in hac præsertim Editione, quas fortè non pauci mirabuntur. Sed fecit hoc Autor bono consilio. Cùm enim, ad ipsum, velut ad Oraculum quoddam, novi identidem, recentésque Casus deferrentur (sudantibus interim labore prelis,) & materias tum perutiles, tum necessarias continerent, noluit Lectorem illas latere, sed locum dedit in eo Tractatu Titulo, & Marginali numero, quem materia postulabat: vel si Typographus jam ultra illum processerat, minùs commodum. Evenit autem non rarò, ut plures ejusmodi recenter allatæ materiæ, eodem peterent non tantùm Tractatu, & Titulo, sed Numero eodem marginali reponi; quas proinde, si absque Titulo, centonum tantùm more consutas adjunxisset, crevissent illi numeri in longitudinem enormem, non absque magno legentium tædio. Nam dilatari constrictiores numeros, ad cavendam aliorum laxitatem, non patiebatur fides citationum, quæ non ampliùs respondissent, si, quos allegant, numeri suo loco moti fuissent. Relictis ergo in sua statione numeris, per Titulos *Appendicis Primæ, Secundæ, Tertiæ, &c.* & literas in margine positas, Lectorum tædium prudenter sustulit.

Resolutiones Casuum initio cujusque Tituli propositorum in Tomo Primo, non statim subjungit Casui, sed ordinariè parumper differt, donec priùs Lectorem aliarum quarundam generalium doctrinarum tractatione imbuat, ex quibus, velut Principiis, propositi casus Resolutio, & Resolutionis approbatio, velut rivus ex fonte ultro fluat: aut quasi maturus ex arbore fructus, sponte decidat.

Probat ferè omnia, quæ dicit, Autoritate Doctorum, unius, vel plurium, sed præter aliorum morem verbis pauciss imis. Non enim dicit e. g. *Ita sentit Cajetanus: Ita scribit Covarruvias: Est hæc Sententia S. Thomæ &c.* Sed omissis hisce, quantumvis non planè superfluis phrasibus, brevissimè tantùm hoc modo: *Lugo, Layman, alii*, addito tamen loco. Probat & pleraque rationibus, sæpe tamen ex alio Numero, imò quandoque Tractatu petendis.

Citat tam frequenter Canones, Leges, & Jurisconsultorum Sanctiones, ac Placita, ut nimius videri possit, cùm vix alium sit reperire purum Theologum (hoc est, qui simul Jurista non sit,) qui Sacramentorum Doctrinas toties Juris autoritate firmet. Sed quia eventus ipse docuit, has jurium, & præsertim Axiomatum allegationes compluribus valde probatas fuisse, & Sacramenta ad Canonistarum quoque forum spectat, (ut Corpus Juris Canonici multis Titulis testatur,) erubescendum sibi duxisset sine Lege loqui. Præsertim cùm puri quoque Theologi, cùm Casus resolvunt, (quorum plurimi hic proponuntur,) Responsa sua Autoritatibus Jurium & Jurisperitorum confirment, ut suo nos exemplo docent Ludovic. Beja in Responsion. Baptista

Lezana in Conſultis, Paulus Comitolus in Reſpon. moral. Laurentius Portel in Reſponſion. aliique plures. Non eſt ergo vertendum vitio, quòd in eâdem paleſtra certans, iiſdem ſe armis tueatur.

Quando ex aliis quidpiam affert, non diſſimulat ingratus Autorum nomina, ſed memor illius ſapientis ſententiæ: *Si aquam hauris, putcum corona*: Omnes Autores, ex quibus aquam ſapientiæ ſalutaris hauſit, honorifica citatione coronat. Quæ ſi Te fallat, errorem, Lector, ne ipſi adſcribe, ſed potius Libro, ex quo deſumpſit. Quemadmodum enim Autores plerique non omnia hauriunt ex ipſis fontibus, ſed fidem ſequuntur poſterorum, priores citantium, ita & ipſe.

Sententias quaſdam, quas olim docuit, nunc verò docere vel non libet vel non licet, ita refert, ut prima fronte videri poſſet etiamnum docere. Sed ſi perrexeris legendo, videbis mutatam in aliud mentem, ſententiámque contrariam, aut Appendicem correctoriam. Hinc priùs non poteris de ejus mente ſecurè judicare, quàm totam quamlibet materiam, à capite ſuo, ad calcem uſque perlegeris accuratè.

Hæc ſunt, quæ breviter monere placuit. Nunc ipſum, Lector, aggredere Opus: tolle, lege, & ſi profectum ex eo ſentias, pijs Autoris manibus bene precari ne omittas.

Facultas R. P. Provincialis Soc. JESU, per Superiorem Germaniam.

CUm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Decreto, & Privilegio Societati noſtræ 15. Novemb. Anno 1653. Ratiſbonæ conceſſo, omnibus Typographis, Bibliopolis, aliiſque quibuſcunque artem librariam exercentibus, adimatur facultas, libros quoſcunque à Patribus Societatis noſtræ ſcriptos, aut impreſſos, imprimendi, recudendi, aut diſtrahendi intra fines Sacri Romani Imperii, Regnorúmque ac Dominiorum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum, ſine expreſſo conſenſu & facultate Superiorum dictæ Societatis, ſub pœnis ibidem expreſſis, Ego Fridericus Müllholzer Societatis Jesu per Germaniam ſuperiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate à Patre noſtro Joanne Paulo Oliva, Præpoſito Societatis Generali acceptâ, Joanni Jæcklino Electorali & Epiſcopali Typographo, ac Bibliopolæ poteſtatem & facultatem tribuo, ac concedo, ut omnia Opera Moralia P. Georgii Gobat, Societatis noſtræ Theologi, duobus Tomis comprehenſa, & Primo quidem recenter in duas Partes diviſo, cum omnibus & ſingulis hinc inde additis augmentis, quæ deputati Patres legerunt, & approbârunt, reſpectivè de novo imprimendi, recudendi, ac diſtrahendi, & Jus Privilegii Cæſarei uſurpandi. In cujus rei fidem ac Teſtimonium, has patentes literas Officii mei Sigillo, ac Nominis ſubſcriptione munivi. Monachii 28. Martii 1681.

PROTESTATIO AUTORIS.

LEctor, adverte in Caſibus, quos hoc Libro refero, noñulla à me obiter attingi, quæ Sanctitatis, Martyrii &c. titulum videantur nonnullis, nondum relatis in ſyllabum Sanctorum, adſcribere. Verùm hæc ita meis Lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi, tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam, quæ à ſola ſuorum Autorum, fide pondus obtineant, atque ideo non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. S. Rit. & univerſalis Inquiſitionis Decretum, Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum integre, atque inviolatè, juxta declarationem ejuſdem Decreti à Sanctiſſimo D. N. D. URBANO Papa VIII. Anno 1631. factam, ſervari à me omnes intelligant: nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare; vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrii inducere, ſeu augere; nec quicquam ejus exiſtimationi adjungere, nullúmque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione, obtinerent, non obſtante quocunq; longiſſimo temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua ſcriptione, & actione dirigi.

FLORI-

FLORILEGIVM THEOLOGO-JURIDICUM.

SEU

Elenchus Axiomatum Regularum, Acroamatúmque Theologicorum, & Juridicorum, quæ in hoc opere uſurpantur.

Primus numerus deſignat Tractatum: Secundus numerum marginalem ejuſdem Tract.

A.

Abſolvere non poteſt, qui ligare non poteſt. *Tract. VII. num. 134.*

Acceptum ob cauſam, cauſâ non ſecutâ, obnoxium eſt reſtitutioni. III. 480.

Conceſſo principali, etiam *Acceſſorium* conceſſum intelligitur. II. 640.

Actus, qui ad idem ordinantur, ſunt ejuſdem ſpeciei. III. 442.

Actus boni, & mali ſpecificantur ab objecto. VI. 342.

In dubio præſumitur pro valore *Actûs*. VI. 435.

Nil refert, quid de *Æquipollentibus* fiat. V. 144.

Æquitas eſt juſtitia dulcore miſericordiæ temperata. V. 888.

In omnibus quidem, maximè tamen in Jure *Æquitas* ſpectanda eſt. V. 888.

Non eſt dignus equo, cui charior eſt equus *Æquo*. VII. 573. *in App. duell. 1.*

Affirmans è duobus unum, altero tacito, cenſetur hoc alterum negare. VI. 376.

Afflictio non eſt addenda afflicto. II. 698.

Qui *Altari* deſerviunt, cum altari participant. III. 559.

Ubi *Auditus* non eſt, non effundas ſermonem. I. 102. *in App. lit.* q.

B.

Baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus Religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit. *Tract. II. num. 634.*

Beneficium Principis quàm latiſſimè interpretari debemus. III. 143.

Principis *Beneficium* decet eſſe manſurum. III. 166.

Bonum eſt ex integra cauſa. VI. 433.

Debet quiſque reputari *bonus*, donec probetur eſſe malus. IV. 197.

Quiſque naturaliter præſumitur *bonus*. IV. 151.

In *Brevi* reverſa uxor non divertiſſe videtur. V. 658. *in App. appendicis. lit.* p.

C.

QUi vult *Cauſam*, vult & effectum. VII. 520.

Cautela abundans non nocet. VII. 640.

In primis providere debemus, ne, dum ſpeciem quandam *Cautionis* tenemus, damnum regenerandarum incurramus animarum. II. 661.

Eum, qui *certus* eſt, certiorari ulteriùs non oportet. II. 186.

Charitas incipit à ſeipſo. I. 168.

Quod pro *Charitate* inſtitutum eſt, contra Charitatem militare non debet. V. 502.

Clauſula poſterior eſt juxta ſenſum prioris intelligenda. IV. 231.

Non eſt inutilis *Clauſula*, quæ ponitur ad oſtendendam enixam voluntatem. VII. 640.

Conceſſum intelligitur, quidquid prohibitum non reperitur. III. 65. *in App. lit.* b.

Conceſſio rei facta cenſetur ſecundùm ejus qualitatem. II. 475.

Æterni tribunal Judicis illum reum non habet, quem injuſtè Judex *condemnat*. V. 401.

Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quò minùs *Conditio* impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta eſſet. III. 649.

Qui poteſt facere, ut poſſit *Conditioni* parêre, jam poſſe videtur. V. 455.

Hæc eſt Regula, qua *Confeſſarius* uti debet circa pœnitentem in abſolvendo, vel remittendo, in magnis, vel parvis pœnitentiis, ut, ſpectatâ conditione pœnitentis, faciat id, quod judicat, ei foro magis ſalutare. VII. 323.

Cùm nullum ſit in Evangelica Lege tam grave præceptum, quàm *Confeſſionis*, tantò pœnitentium conſcientiis conſulitur magis, quantò illud levius redditur. VII. 322.

Confeſſio propria eſt omnium probationum efficaciſſima. IV. 227.

Conſenſui nihil tam contrarium eſt, quàm vis, & metus. II. 289.

Conſilii non fraudulenti nulla eſt obligatio. II. 710.

Conſtitutiones tempore poſteriores, potiores

ſunt iis, quæ ipſas præceſſerunt. VII. 636. *in Append. lit.* c.

Conſuetudinis, uſúſque longævi non eſt levis authoritas. III. 557.

Nemo ſanus intelligit, naturali juri qualicunque *Conſuetudine* poſſe aliquatenus derogari. III. 601.

Conſuetudo, quæ Canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti. IV. 90.

Conſuetudo juri contraria eſt reſtringenda. V. 5.

Conſuetudo, quantumvis vetuſta, veritati eſt poſtponenda. V. 511.

Conſuetudini ut matri debet adhiberi reverentia. V. 560.

Conſuetudo poteſt ampliare, & tribuere Juriſdictionem. VII. 374.

Contrarietas ubique eſt evitanda. V. 658. *in Append. lit.* c.

Correlativorum, & *Connexorum* eadem eſt ratio. V. 10.

In *Correlativis* idem eſt judicium, & eadem diſciplina. V. 10.

Quod de uno *Correlativo* dicitur, de altero quoque pronuntiandum videtur. VII. 215.

Imperitia *Culpæ* annumeratur. II. 167.

D.

EX alterius malignitate alteri *Damnum* emergere non debet. II. 304.

Omnis, quæ de re aliqua ſuſcipitur inſtitutio, à *Definitione* proficiſci debet. II. 480.

Quod ſemel ſtatuendum eſt, diu *deliberandum* eſt. II. 456.

Semel Deo *dicatum*, non eſt ad uſus humanos ulteriùs tranſferendum. III. 371.

Diſcretio noſcitur omnium virtutum eſſe mater. VII. 916.

Dubia ſunt in meliorem partem interpretanda. III. 419.

In *Dubiis*, ſeu obſcuris ad id, quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt. III. 477.

In *Dubio* præſumitur quiſque optimè ſibi conſulere velle. III. 495.

In *Dubiis* ſemitam debemus eligere tutiorem. IV. 186.

Semper in *Dubiis* benigniora præferenda ſunt. V. 870.

In *Dubiis* quoad reſtitutionem, & ſimilia onera imponenda, benigniorem partem eligat Confeſſarius. VII. 323.

In *Dubio* melior eſt conditio poſſidentis bona fide. II. 460.

In re *Dubia* melius eſt verbis edicti ſervire. IV. 231.

Minimum *Dubitationis* de ſalute æterna, debet homini eſſe pluris certiſſimo, ingentíque rerum temporalium lucro. VII. 133.

E.

EST Canis *Ebrio* præſtantior, Aſinus melior. IV. 195.

Imperatori mœnium, ſacerdoti *Eccleſiæ* cura demandata eſt. III. 171.

Qui vult cauſam, vult & *Effectum* ex ea neceſſariò conſequentem. VII. 520.

Epiſcopus debet ſpectare morem Romani Pontificis. III. 663.

Epiſcopus eſt Parochus Parochorum. IV. 66.

Error communis facit jus, & veritati præfertur. VII. 107.

Qui alios, cùm poſſit, ab *Errore* non revocat, ſe ipſum *errare* demonſtrat. VII. 326.

Exceptio firmat, non ampliat Regulam in contrarium contra ejus naturam. II. 750.

Non *Exemplis*, ſed Legibus judicandum. IV. 148.

Experientia eſt efficax rerum Magiſtra. IV. 97.

F.

FACta non præſumuntur, ſed probari debent. IV. 281.

Factum præſumitur ab eo, qui erat obligatus *facere*. III. 476.

Qui non poteſt *facere* totum eo modo, quo jubetur, tenetur *facere* partem, vel totum eo modo, quo poteſt. II. 504.

Qui *facit* per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum. II. 547.

Qui tenetur ad aliquid *faciendum*, tenetur etiam ad media ordinaria adhibenda. III. 433.

Attendendum eſt, non quid *fiat*, ſed quid *faciendum* ſit. III. 722.

Favorabile interpretationem non accipit, quæ eum, cui favetur, lædere poſſit. III. 165. *in App. 2. lit.* b.

Non agens graviter contra *Finem* Legis, non peccat graviter. VII. 885.

Ex eo non debet quis *fructum* conſequi, quod niſus extitit impugnare. III. 265. *in App. 2. lit.* d.

Ubi *Fundamentum* non eſt, ſuperædificari non poteſt. II. 432.

G.

Generaliter dicta generaliter intelligenda ſunt. II. 476.

Quod ob alicujus *Gratiam* conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. V. 349.

H.

OMnia *Honeſtè*, & ſecundùm ordinem fiant in vobis. II. 470.

I.

Ignorantes ſententiis per ſtatuta Ordinariorum prolatis non ligantur. III. 472.

Non præſtat *Impedimentum*, quod de jure non ſortitur effectum. V. 455.

Imperitia culpæ annumeratur. II. 167.

Impliciti, & expliciti eadem eſt ratio. VI. 106.

Sanctius eſt, impunitum relinqui ſacinus nocentis, quàm *Innocentem* damnare. II. 281.

Indignus eſt alienâ ope, qui ſibi non vult opitulari, cùm poſſit. II. 229.

Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant. III. 657.

Certè videtur à pietate Chriſtiana alienum, mittere aliquem in *Infernum* ſine evidenti ratione. V. 778.

Injuriis per judicium aditus patere non debet. III. 265. *in App. 2. lit.* c.

Cùm homo multum vult *intendere*, incipit alia cogitare. I. 82.

Non quæritur, cùm quo de ſupremis quis loquatur, ſed ad quem voluntatis *Intentio* dirigatur. I. 216.

Quiſque habet *intentionem* ſe ipſum per ſua opera juvándi, quantum poteſt. III. 163.

Non intelligitur *iteratum*, quod ambigitur eſſe factum. II. 362.

Integrum eſt *Judicium*, quod plurimorum ſententiis confirmatur. III. 457.

Judicialis poteſtas hoc poſtulat, ut, quod debet judicare, diſcernat. VII. 235.

Tanta eſt *Judicialis* poteſtas, ut ſemper pro *Judice* præſumi debeat, donec contra ipſum aliquid legitimè comprobetur. VII. 138.

Cui datur *Juriſdictio*, conceduntur omnia ad illam expediendam neceſſaria. VII. 653.

Quando *Jus* concedit aliquid, non limitando modum, cenſetur concedere ſecundùm communem ritum. II. 475.

Quæ conveniunt in identitate rationis, non debent ſeparari in ratione *Juris*. III. 668.

Unde *Jus* prodiit, inde & *Interpretatio* ſequi debet. IV. 56.

Juri ſuo quiſque renuntiare valet. I. 156.

Nullus videtur dolo agere, qui *Jure* ſuo utitur. IV. 75.

Ad ea aptari debet *Jus*, quæ frequentiùs eveniunt. IV. 87.

Non debet quis ſuo *Jure* ſine culpa privari. IV. 196.

Ex his, quæ fortè uno aliquo Caſu accidere poſſunt, *Jura* non conſtituuntur. IV. 443.

Extra territorium *Jus* dicenti non paretur impunè. VII. 134.

L.

Laici nulla eſt de ſpiritualibus tributa facultas. V. 75.

Laqueum nulli debemus injicere. I. 263.

Docuit nos Magiſter bonus quærere *Laudes* hominum propter homines. VII. 952. *in App. lit.* m.

Erubeſcendum eſt ſine *Lege* loqui. II. 322.

Qui bonos *Lepores* una ſectabitur hora, uno quandoque, & quandoque carebit utroque. V. 249.

Leges ſpectant communiter contingentia. II. 709.

Legis obligatio non eſt extendenda ultra finem *Legis*. III. 155.

Quod nulla *Lege* ſtatuitur, id nos aſſerere non debemus. III. 325.

Leges poſitivæ non obligant cum periculo mortis. III. 340.

Judicandum eſt potiùs *Legibus*, quàm exemplis. III. 477.

Lex nulla obligat ad actus otioſos. IV. 71.

Quod poteſt introduci *Lege*, poteſt & conſuetudine. V. 422.

Leges dantur de iis, quæ ſunt per ſe. V. 811.

Leges benigniùs interpretandæ ſunt, quo earum voluntas ſervetur. V. 870.

Quod *Lex* non dicit, non eſt ab homine præſumendum. V. 909.

Non poſſunt omnes articuli ſigillatim *Legibus* comprehendi. VII. 429.

Liberorum appellatione nepotes, & pronepotes, cæteríque, qui ex his deſcendunt, continentur. II. 493.

Libertas eſt rebus omnibus favorabilior. V. 389.

Libertas eſt res inæſtimabilis. *Ibid.*

Omnia ſunt *licita*, quæ nulla *Lege* ſunt vetita. V. 650.

Non quæritur, cum quo quis de ſupremis *Loquatur*, ſed in quem intentio loquentis dirigatur. I. 216.

Loquimur magis factis, quàm verbis. I. 47.

M.

OPtimus eſt, ſeſe qui novit cuncta *Magiſtro*. IV. 145. *in Append. lit.* h.

Mala non ſunt facienda, ut eveniant bona. VI. 451.

Semel *malus*, ſemper præſumitur eſſe *malus*. IV. 197.

Nemo de ſua *Malitia* (negligentia) commodum ferre debet. III. 480.

Malitiis hominum eſt obviandum. III. 585.

Fines *Mandati* ſunt diligenter cuſtodiendi. VII. 715. *In App. lit.* c.

Martyrem facit non pœna, ſed cauſa. II. 602.

Injuriam facit *Martyri*, qui orat pro *Martyre*. II. 618.

Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad *Media*. V. 41.

Satius eſt, in morbo deſperato uti *Medicina* dubia, quàm nulla. II. 37.

Judicium ſine *Miſericordia* illi, qui non facit Miſericordiam. III. 569.

Miſeriæ *miſerendum*. II. 163. *In App. lit.* a.

Si ſcirem tibi non prodeſſe, non te *monerem*. II. 220.

Mora ſua cuilibet eſt nociva. III. 636. *in Append. lit.* m.

Moralia accipiunt ſpeciem ab iis, quæ ſunt per ſe, non per accidens. V. 811.

Terræ, ad quam pergis, cape *Mores*, quos ibi cernis. V. 101.

N.

NAtura ſemper ad perfectiora nititur. II. 338.

Potiùs habenda eſt ratio *Neceſſitatis* fratris, quàm reverentiæ debitæ Sacramentis. II. 381.

Inculpabile judicandum eſt, quod *Neceſſitas* intulit. II. 581.

Nomen mutare minimè prohiberis. II. 349.

Plerumque diſcordias pariunt *Novitates*. V. 151.

In rebus *Novis* conſtituendis evidens eſſe utilitas debet. V. 658. *in Append. lit.* n.

O.

OBligatio nulla aſſerenda eſt ſine Lege. IV. 8.

Nullus *obligandus* eſt ſub culpa lethali, niſi ma-

manifestè constet de præcepto obligante. III. 325. & VI. 137.

De *Occultis* non potest Papa divinare. II. 530.

Hæc Regula in *Oneribus* imponendis servanda est: Si voluisset, expressisset. III. 501.

Communis *Opinio* facit jus, & veritati præfertur. VII. 107.

Opinioni veritas est præferenda. IV. 275.

Orationem illius DEUS non audit, cui ille, qui orat, non intendit. V. 420.

Ordo literæ servandus est. III. 696. *In Append. lit.* g.

Ad quem spectat refectio Ecclesiæ, ad illum & reparatio *Ornamentorum*. III. 265. *In App. lit.* q.

P.

ALterius *Parochis* termini non sunt invadendi. III. 135.

Passio ab assuetis non fit. III. 621.

Pastoris non potest esse excusatio, si lupus oves comedit, & *Pastor* nescit. IV. 404.

Sciat Abbas, culpæ *Pastoris* incumbere, quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus reperit. I. 138.

Quod *Pauperibus* testamento relinquitur, omnibus modis ratum habeatur. III. 636. *in App. lit.* l.

Peccatum, quod consensu contrahitur, sine consensu minimè relaxatur. I. 230.

Originale *Peccatum*, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti. II. 291.

Periculosè determinatur, aliquid esse *Peccatum* mortale, nisi expressa veritas habeatur. III. 325.

Theologi non debent esse faciles ad asserendum, aliquas actiones, vel omissiones esse *Peccata* mortalia. III. 325.

Ubi *Peccatorum* est venia postulanda, ibi *Peccatorum* occasio non est danda. V. 234.

Incautum est, & malum, affirmare, esse aliquid *Peccatum* mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, aut evidenti ratione. V. 240.

Pro mensura *Peccati*, erit & plagarum modus. V. 295.

Obligatio sub *Peccato* mortali asserenda non est, nisi ubi Ratio, aut Lex cogit. VI. 137.

Peccati venia non datur, nisi correcto. VII. 307.

Peccatum in confuso apprehensum non excedit limites venialis, præsertim si homo sit timoratæ conscientiæ. VII. 158.

Ubi *Periculum* majus intenditur, ibi pleniùs consulendum. II. 233.

Ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de *Periculo*. II. 235.

Qui *Persecutorem* provocat, facit. II. 622.

Non intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia *Pietatis*. II. 380.

Judex *Pœnam* metiatur ex culpa. V. 295.

Cui Sacramentum *Pœnitentiæ* conceditur, neque Sacramentum Eucharistiæ negari debet. IV. 93.

Pontificis mos spectandus est. V. 102.

Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. II. 515.

In pari causa vel delicto est melior conditio *Possidentis*. V. 479.

Ultra *Posse* meum non lex me justa coëgit.

Nec putat esse reum, qui totum *Posse* peregit. VI. 491.

Sine *Possessione* præscriptio non procedit. II. 515.

Ex *Præfatione* Statutorum intelligitur mens statuentium. V. 881.

Delictum non est *præsumendum*. III. 615.

Ex vita præterita *præsumitur* de præsenti. IV. 197.

Præsumere debet Confessarius posterior, priorem esse bene functum suo officio. VII. 323.

Præsumptio habetur pro veritate, quamdiu ea non eliditur. VII. 601.

Prima facie *præsumitur* quis idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur. I. 269.

Ubi non est lex, ibi nec est *Prævaricatio*. V. 419.

Princeps accommodat se precibus supplicantis. V. 650. *in App. 4. lit.* ee. *ad finem*.

Cum *Principalis* causa non subsistit, plerumque nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent. V. 120.

Privilegium *Personale* personam sequitur. III. 245.

Nemo tenetur uti suo *Privilegio*. V. 350.

Affirmanti incumbit *Probatio*. V. 776.

Ex verbis *Proœmii* intelligitur mens disponentis. V. 881.

Cùm quid *prohibetur*, omnia prohibentur; quæ sequuntur ex illo. V. 120.

Privilegia non sunt extendenda ultra proprietatem verborum. VII. 103. & 104.

Promissio liberalis est ita interpretanda, ut sit promittenti minimè onerosa. III. 158.

Studiosè agendum est, ut ea, quæ *promittuntur*, opere compleantur. III. 580.

R.

RAro & nunquam æquiparantur. IV. 170.

Quæ *raro* eveniunt, non temerè in agendis negotiis computanda sunt. II. 431.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. II. 550.

Rebaptizare Hæreticum hominem omnino peccatum est; rebaptizare verò Catholicum, immanissimum scelus est. II. 387.

Quidquid *recipitur*, per modum recipientis *recipitur*. IV. 454.

Qui multa dicit, non potest *recordari* omnium. VI. 437.

Nemo te post mortem *redimet*, quia tu te redimere noluisti. III. 170.

Referens est in suo relato cum omnibus suis qualitatibus. VII. 47.

Regulæ correlativorum est *Regula* parium. V. 10.

Regulæ juris sunt tenaces. V. 650.

Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. V. 658. *in Append. lit.* d.

Res non judicatur ex eo, quod erit, sed ex eo, quod est. III. 564. in Append. lit. z.

Regula standum est, donec de ejus fallentia constet. VII. 145. *in App. lit.* c.

Abjicienda sunt *Remedia*, quæ veris periculis sunt graviora. IV. 332.

Qui

Qui natus secundùm Adam non est, *renasci* secundùm Christum non potest. II. 56.

Renuntiare valet quilibet ei, quod pro se noscitur introductum. V. 180.

Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. III. 583.

Res quælibet facilè ad suam naturam revertitur. II. 338.

Rescriptum accipit interpretationem ab intentione supplicantis. V. 650. *in App. 5. lit.* p.

Bonum inferioris ordinis non est *restituendum* cum detrimento boni superioris Ordinis. VII. 564. *in App. lit.* t.

Semper favorabiliores *Rei*, quam actores habentur. V. 916. *ad finem*.

S.

QUanto digniores fuerint *Sacerdotes*, tantò faciliùs, pro quibus clamant, exaudiuntur. III. 114.

Justum est, ut *Sedes*, quæ unicuique Sacerdotalis dignitatis mater est, sit Ecclesiasticæ magistrationis. III. 665.

Sacrum trahit ad se non sacrum. III. 310.

Quod non est Sanctorum Patrum Decreto *sancitum*, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum. I. 257.

Ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si non vis cuipiam esse *Scandalo*, nec quemquam tibi. IV. 105.

In rebus moralibus oportet taliter loqui, ut non detur ingressus *Scrupulis*. V. 162.

Sententia Pastoris, seu justa, seu injusta sit, timenda est. V. 400.

Sigillum Confessionis emergit ex omni, & sola Confessione *Sacramentali*. VII. 10.

De *Similibus* idem est judicium habendum. II. 385.

Singula, quæ non prosunt, multa collecta juvant. VII. 463.

Quæ *speciali* nota digna sunt, *specialiter* exprimenda sunt. V. 904.

Statuens censetur id tacitè statuisse, quòd expressè statuisset, si in mentem venisset. V. 650. *in App. 5. lit.* i.

Omnis ordinaria potestate præditus, potest alteri *subdelegare*. II. 136.

Subrogatum sequitur qualitates illius, cui subrogatur. II. 573.

Cautè *supplendum*, quòd incautè fuerat prætermissum. II. 407.

T.

TAciti & expressi eadem est ratio. V. 658. *in Append. lit.* f.

Taciturnitas habetur pro assensu, quando intervenit actus positivus. *ibid.*

Non intervenit *Temeritas* præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. II. 36.

Judicandum est, prout *Tempora* postulare videntur. III. 719.

A *tempore* præsenti argumentamur ad præteritum. III. 636. *in Append. lit.* e.

Qui *Tenet*, beatus est. IV. 305. *in Append. lit.* d.

Extra *Territorium*, jus dicenti non paretur impunè. VII. 134.

Testi deponenti pro causa favorabili, magis creditur, quàm deponenti contra. II. 386.

Vani *Timoris* justa excusatio non est. VI. 432.

Ridiculum est, ut *Traditiones*, quas antiquitus à Patribus accepimus, infringi patiamur. V. 741.

V.

VEnia non datur, nisi correcto. III. 140.

Facilitas *Veniæ* incentivum præbet delinquendi. III. 264. *in Append. 2. lit.* f.

Accedit *Verbum* ad Elementum, & fit Sacramentum. I. 22.

Ex *verbis* proœmii intelligitur mens legis. V. 881.

Verba intelliguntur cum effectu. II. 475.

Verba intelligenda sunt secundùm communem sensum. II. 481.

Verba intelligenda sunt secundùm subjectam materiam. II. 488.

Homo non est *Vitæ* suæ Dominus. II. 624.

Calix *Vitæ* in mortem verti non debet. III. 425.

Quod *Vix* fit, fieri tamen dubium non existit. VII. 564. *in App. lit.* p.

Dictum *Unius* facilè sequitur multitudo. V. 876.

Ultima defuncti *Voluntas* omnibus modis servari debet. III. 573.

Non *Vox*, sed votum, non chordula musica, sed cor: Non clamans, sed amans, cantat in aure Dei. V. 793.

Ambigua *Vocis* significatio in benigniorem partem interpretanda est. IV. 252.

Usus longævi non est levis autoritas. III. 51.

Vile non debet per inutile viciari. III. 338.

SYLLABUS QUÆSTIONUM NOVARUM DECISARUM IN SEQUENTIBUS TRACTATIBUS.

Illas quæstiones appello NOVAS, quas vel nullus Theologus, quem legerim, legisséve meminerim, vel non nisi unus, altérve aut attigit, aut satis explicavit.

Tractatu I.

AN Stephanus à S. Paulo rectè refutet Authorem circa sectationem mitiorum sententiarum? 102. in App.

Utrum ex vocula Plerumque *possit inferri aliquod determinatum individuum? Ibidem. lit.* o.

An peste afflatus licitè confiteatur Sacramentaliter ignoranti, ipsum esse afflatum? 120.

Quid agat Parochus in grassatione militari? 165. & 169. & seqq.

An Religiosus teneatur, mutato habitu, penetrare per satellites, quando sperat se sic, & non aliter lucraturum Deo animam Turcæ, vel Hæretici ducti ad supplicium? 181.

Quid agat Parochus, intellecto, unum è suis parochianis detineri in carcere hæretico? 184.

Quid in ejusmodi eventu incumbat Episcopo? 185.

An valeat Consecratio, si quis falsò ratus, verbis Consecrationis significari vel panem, vel ipsiusmet Sacerdotis corpus, ea offerat illo sensu? 205. & 208.

Cur damnetur Sacrilegii is, qui est in causa, ut aliquod Sacramentum conferatur invalidè. 251.

Cur ad evadendam mortem licitè præbeat quis alia Sacramenta indigno, non tamen tunc licitè aliquem rebaptizet, aut absolvat? 273.

An Sacerdos licitè quandoque præbeat Sacram Hostiam volenti eâ uti ad finem pessimum? 276.

Tractatu II.

AN Natramentum sit idonea materia Baptismi? num. 32.

An Parochus parientis in aliena Parochia licitè baptizet in hac infantem ejus? 135.

An Diaconus jam Parochus licitè baptizet solenniter filios suorum parochianorum? 138.

An Minister Baptismi licitè adigat innuptam puerperam ad edendum nomen patris? 160.

An Sacerdos quandoque licitè fungatur officio obstetricis? 195.

An adultera interrogata à Magistratu quis sit Pater? licitè æquivocet? 163. in App. lit. p.

An infantes, qui absque Baptismo mortui deferuntur in Tirolim, Rauraciam, & Lotharingiam ad statuas Deiparæ pro revocatione ad vitam, in ordine ad obtinendum Baptismum, prudenter credantur quandoque revocari? 272. & 273. & in App. 1.

Quid denique sentiendum de illa quæstione, an liceat fecare puerperam? 255.

An maritus teneatur mercede conducere Chirurgum? 258.

Sitne credibile infantes mortuos absque Baptismo ad vitam redire, si deferantur ad unum è tribus locis in hoc Tractatu nominatis? 273. in Append. 1. lit. b.

An parentes talium infantium teneantur procurare talem Baptismum? Ibid. lit. c.

An parentes teneantur eos illuc deferre? Ibid. litera. c.

Sitne fas, bestiam, cum qua est à mare patratum nefandum crimen, mactare ante novem menses à coitu? 278.

An, & necare mulierem congressam cum bestia? Ibid.

An sit fas imponere in Baptismo nomen profanum? 333.

Quale nomen imponendum illi, de cujus sexu dubitatur? 337.

An Jureconsulti sint tolerandi, dum præsumptionem de moribus sumunt ex malo nomine? 343.

An tantùm probabiliter ratus, se esse baptizatum, licitè ineat cum ignara Matrimonium? 445.

Religiosus sciens, aut dubitans, an sit rite baptizatus, peténe licitè dimissionem? 459.

Virum cæremoniæ baptismales sint adhibendæ in Baptismo collato domi? 473.

Baptismus solennis, & privatus propriè quid sint? 480. & 487.

An graviter peccetur baptizando in Ecclesia, in qua non est Baptisterium? 502.

An solennitates baptismales sint supplendæ respectu illorum, qui reversi sunt ad gremium Ecclesiæ? 506. §. At quid.

Possitne esse idem baptista, & patrinus? 585. & 581.

Sitne præceptum declinare occasiones Martyrii? 626. & 627.

Cur gladius non pepercerit illis Martyribus, quibus pepercerunt alia tormenta? 633.

Quando parens infantis fuit sacra Persona, an hujus status exprimendus in libro baptismali? 592.

Cate-

Catechumeni an tumulandi loco sacro? 640.

An tingendi aqua lustrica omnes omnino, quos tinxit venefica? 683. & 688.

An exhumandi, qui, postquam fuere sacrâ sepulturâ donati, compertí sunt fuisse à venefica baptizati in nomine mali genii? 698.

Cur Episcopi Germani non accedant carceres, ut Sacramento Chrismatis muniant recens ad fidem conversos periclitantes capite? 759. & seq.

An, qui confirmat, possit esse simul patrinus? 780.

Tractatu III.

MIssa cur sit propriè Sacrificium? Nova explicatio ex Tamburino. 9.

Quid agendum Sacerdoti notanti, aliquam bestiolam esse permistam hostiæ, quam habet in altari? 38.

An, deficiente alio pane, possit adhiberi falsus? 42.

An illæ hostiæ rubræ, quæ adhibentur literis sigillandis? 43.

Sitne potiùs omittendum Sacrum, quàm ut sacrificetur cum hostia minore, qualis scilicet præbetur communicantibus? 46. & 47.

Quando cœperit usus rotundarum hostiarum? 47. in App.

Quantum peccet, qui, quando habet bonum vinum, affundit pro Sacrificio mulium, at parum, quando habet malum? 52.

Sitne satius infundere parum, quàm multum? 53.

Sitne fas calidum silicem imponere calici contrageln? 65. in App.

An graviter hac ætate delinquat Sacrificans, si ita altè pronuntiet verba Consecrationis, ut audiatur etiam à distantibus? 68.

An reprehendi pueri, qui domi altaria construunt, & in iis faciunt Missam siccam? 71.

Quid si quis Laicus sub Sacro legat omnia (exceptis verbis Consecrationis) illa, quæ Sacerdos sacrificans? 72.

An liceat statim post Consecrationem particularum eas accipere, ac præbere communicaturis? 86.

An validè consecret, qui verba Consecrationis effert solùm recitativè? 93.

An peccet, qui audit libentiùs boni, quàm mali Sacerdotis Missam? 115.

An faciens Sacrum pro defuncto, licitè applicet sibi, vel alteri fructum impetrationis? 154.

An qui ad certam intentionem vovit facere Sacrum, teneatur omnes fructus referre ad eam? 157.

An consultiùs agas, si pro defuncto audias multas Missas, quàm si unicam fieri pro illo cures? 181.

An Sacerdos præfectus duabus Parochiis faciat licitè sexies Sacrum in die Natalis Domini? 187. & 188.

An Parochus licitè post Consecrationem suæ hostiæ consecret alias pro suis ovibus? 191.

An Sacerdos Toletanus existens die secundo Novemb. in Regno Valentino, fruatur privilegio, vi cujus Sacerdotes Valentini faciunt eo die Missam duplicem pro defunctis? 194.

An Parochus, qui in feria V. Cœnæ Domini per oblivionem non consecravit hostiam imponendam Monumento Christi, licitè sequenti die sacrificet pro tali paranda? 214.

An, si in Parasceve non habeat majorem hostiam pro Officio illius diei, licitè clàm sacrificet pro una conficienda? 216.

Quinam compelli possint ad reparandam Ecclesiam Parochialem? 265. in App. 2. lit. p.

An aulæ nostrorum Gymnasiorum, & loca Sodalitatum sint sacra aut pia loca? 265. in App. 1. lit. t.

Utrum altare Ecclesiæ, in qua viget exercitium heterodoxum, profanetur illo exercitio? 265. in App. 1. lit. z.

An homicida voluntarius & hæretici gaudeant jure asyli? 265. in App. 2. lit. a, & e.

An Præses Ecclesiæ teneatur fores pandere confugienti ad eam? Ibid. lit. b.

An subditi licitè permittant se vivos exuri ad testandam fidem in principem? Ibid. lit. l.

Quis teneatur succurrere Ecclesiæ matrici egenti? Ibid. lit. p.

An præscriptio centenaria noceat Ecclesiæ? Ibid. lit. u.

An reus capitis rapiens ad se aram portatilem gaudeat privilegio asyli? 266.

Altare fixum an destrui queat sine facultate Episcopi? 272.

Utrum liceat illa ara portatili uti, quæ multis annis nulli fuit usui, asservatáque in loco profano? 281.

Sitne fas celebrare in illo altari fixo, quod est nimis humile, seu demissum, at habet superpositum pegma ligneum? 285.

Utrum pro sacrificio requiratur Crucifixus, an sufficiat Crux? 299.

Quo pacto sit supplendus defectus Missalis? 305.

Et defectus pallæ? 315. & seqq.

Sitne perinde celebrare sine veste non benedicta, ac sine ulla? 321.

Expediatne mittere Sacerdoti sine stola per incuriam celebranti, illam ut induat? 341. & seqq.

An liceat ex Albis detritis facere Superpellicea? 370.

Sitne fas theca vetustorum Missalium, & charta antiquorum Bibliorum uti ad profana? 371.

Eadem quæstio movetur de papyraceis imaginibus Sanctorum. 377. & 380.

Item an peccet, qui Codice Sacrorum Bibliorum absque contemptu utitur pro scabello? 379.

Sitne fas dare pecudi vorandam imaginem sacram ad pellendum morbum? 380.

An sacrificans teneatur corrigere suum Ministrum errantem? 399.

An, qui mane diei, quo est primam hostiam oblaturus solenniter, sumpsit per inadvertentiam cibum, possit nihilominus celebrare primitias? 409. & seqq.

Quandonam licitè absumantur simul ab uno Sacerdote multæ hostiæ consecratæ pro communicantibus? 421.

Intra quantum temporis, post celebratam Missam, sit permissus vomitus? 425.

Quid in posterum censendum de explicatione, quam nonnulli antea propugnabant circa Tridentinum præceptum de Confessione quamprimum *facienda à Sacer-*

cerdote, qui reus peccati mortalis non præmisit Confessionem celebrationi? 435. & 436.

An satelles comitans ad parœcialem illum, qui suspendendus est, ceriò fiat Irregularis? 455. & seqq.

An sit hodie probabilis opinio dicentium, excommunicato licere clam sacrificare ante absolutionem, modo sit verè contritus? 466. & seq.

Nomine Missæ Perpetuæ quid intelligatur in literis fundationum? 479.

An Sacerdos secularis licitè petat suscipi in Ordinem Religiosum, dissimulans, se esse Sacerdotem, & proindè volens vivere instar Fratris Laici? 483. & seqq.

Quomodo sint intelligendæ nonnullæ clausulæ fundationis, loquentes de obligatione Capellani? 504. & seqq.

An, ubi est penuria Sacerdotum, possit die Festo petimajus stipendium, quam alio die? 509.

An, quando accepisti stipem pro Sacro faciendo, ubi volueris, possis deinde plus exigere, si celebres in Altari privilegiato? 511.

Quid hodie sentiendum de opinione tradentium, posse à stipendiato fructum unum Sacrificii separari ab alio? 513.

An titulus præscriptionis quandoque excuset non facientes tot Sacra, quot exprimuntur in fundatione? 514.

Et vice versa, an idem titulus inducat quandoque obligationem faciendi plura, quàm exigat fundatio? 516.

An, crescente pretio rerum necessariarum ad victum, possit augeri stipendium pro Sacro? 565.

An hodie sit probabile, posse duo stipendia accipi pro uno Sacro? 566.

An, & quatenus sit hodie probabile, esse fas, servatâ sibi parte pinguis stipendii, constituere alium Sacerdotem pro minore stipendio? 570. & 572.

Consuetudo an patrocinetur Canonico accipienti duo stipendia pro uno Sacro? 600.

An sit necesse inserere Sacro de Festo Collectam pro defuncto, pro quo tunc deberes facere Sacrum funebre? 625.

An sit consultum, ut pro liberanda anima inseratur quotidie Sacro una Collecta pro defuncto? 626.

Nomine Commemorationis pro defunctis an intelligatur Collecta? 651.

Utrum omnia Sacra, quæ fiunt secundo Novembris, debeant applicari omnibus in communi animabus? 653.

An liberet animam, qui, Festo duplici cadente in feriam secundam, celebrat in altari privilegiato? 654.

An Episcopus possit permittere celebritatem annuam pro translatione alicujus Sacri capitis? 663.

An Prælatus præditus potestate Episcopali possit inserere suo Breviario Sanctum, olim incolam sui Monasterii? 670.

Sitne aliquibus præceptum celebrare de aliquo Beatificato? 677.

Sitne fas, aut necessarium, colere ritu Ecclesiastico annuo sacella sita intra Religiosorum claustra, vel extra? 696. in App. 2. lit. ee. & seqq.

An Prælatus Regularis teneatur per se, aut suos celebrare festa Capellarum ipsi subjectarum? Ibid. lit. kk & rr.

Et singulariter sitarum extra Monasterium. Ibid. lit. tt. & seq.

An quando transferendum est Festum SS. Petri & Pauli, debeat Commemoratio S. Pauli celebrari ante illud festum? Ibid. in Append. 3. lit. f. 2. & seq.

Quo die sit celebranda dedicatio Ecclesiæ eo anno, quo Dominica prima, post Epiphaniam ei assignata occurrit in Octava Epiphaniæ privilegiata? Ibidem. lit. k. 3.

Quando celebranda dedicatio Ecclesiæ eo anno, quo Dominica præcedens Festum S. Margaritæ, ejus celebrationi assignata incidit in Festum secundæ Classis? Ibid. lit. n. 3.

Dedicatio Ecclesiæ extenditúrne ad illam, quæ est solùm benedicta? Ibid. lit. o. 3

Quo cultu Ecclesiastico colenda reliquiæ non insignes? Ibid. in App. 4. lit. a.

Et nominatim quando ea spectant ad privatum Clericum? Ibid. lit. f.

An possit in Ecclesia habente Dentem S. Apollonia, celebrari Festum Semiduplex de illa? 684.

An Abbas assistens in patronum suæ Ecclesiæ Sanctum, de quo in Breviario sit Officium duntaxat Simplex, possit ei assignare Duplex? 685.

An Religiosi teneantur ad Festa Diœcesana? 691.

Quomodo juvandus est Sacerdos, qui die Palmarum nequit facere Sacrum diei occurrentis? 711.

An in Votiva de Beata Virgine sit semper dicendum: Gloria? 722.

An morituriens petat licitè fieri pro se Missam Resurrectionis? 724.

An in Missa solemni pro gratiarum actione fas sit primam Collectam claudere illis verbis? Per Dominum nostrum? 729.

Cur vetita Missa de Patre æterno? 731. in App.

Quando liceat facere de SS. Trinitate? Ibid. lit. c.

An inclinandum capite ad nominationem Trinitatis? lit. e & Sacramenti? Ibid.

An timens, ne inter celebrandum corripiantur deliquio, licitè celebret? 745.

An post dictum: Corpus Domini nostri &c. liceat exercere aliquos actus supernaturales, priusquam sumas Corpus Christi? 756.

Verè peccet mortaliter, qui in Sacro omittit Graduale, vel Offertorium? 763.

Quid faciendum Sacerdoti, primùm in sacristia animadvertenti, fuisse à se aquam consecratam pro vino? 773.

Quid agendum, quando Hostia Sacra lapsa est in viri barbam, aut mulieris vestem? 799.

An, si Sacrificans lapsus in deliquium, possit sumpto edulio perficere Sacrum inceptum, debeat ipse potiùs, quàm alius perficere? 806.

An Sacrificans licitè deponat vestes, dum alius interrumpit concionem ejus Missam? 810.

An mortaliter pecces, si sponte distrahatis sub Consecratione, aut Communione? 818. & 819.

Verè tenearis exercere sub Sacrificio omnes illos actus virtutum, quos indicant verba Missalis? 821.

Quid

Quid agendum animadvertenti, digitum esse atramento illitum? 828.

Verè ne sit reus peccati mortalis, qui non lavat etiam mundas manus ante Sacrum? Ibid.

Quid agendum Sacerdoti oblito consecrare Hostiam, exponendam pro comprecatione 40. horarum? 833.

An licitè affigatur majori Hostiæ non consecratæ minor consecrata, ut exhibeatur populo adoranda? 837.

Quando Sacerdos est bis uno die sacrificaturus, detergetne Calicem, cum quo primum fecit Sacrum, an permittet exsiccari? 850.

An sit fas accipere solam aquam pro purificatione? 852.

Quid aget Sacerdos videns, non adesse plus vini, quam pro sola Consecratione? Ibid.

An imitandus S. Conradus, qui sumpsit Sanguinem Christi, in quem erat lapsa aranea? 859. & seqq.

Tractatu IV.

An liceat communicantibus præbere pro ablutione calicem, quo sacrificat Sacerdos? 21. & seqq.

Sitne fas Sacerdoti Religioso, facturo Professionem solennem votorum, in Natali Christi facere priùs Sacrum? 50. & seqq.

Cur Sacerdotes Societatis IESU rarò permittant laicis Communionem quotidianam? 60.

An Communio Paschalis possit peragi in Ecclesia Cathedrali? 64. & seqq.

An Confessarii Societat. IESU delinquant, non monendo suos pœnitentes, ut Communionem Paschalem peragant in sua Parochia? 70.

An convictores nostri teneantur Viaticum accipere à Parocho loci? 81.

Sitne faciendum discrimen inter pueros, & puellas, quando dubitatur de ætate idonea ad Communionem? 94. & 114.

Quæ ætate sint in Germania capaces Communionis? 125. & 126.

Quomodo Doctores loquantur de Communione surdorum simul & mutorum? 145. in App.

Sacerdos, cui potio medica causat vomitum, quanto tempore post Sacrum possit sumere potionem? 165.

Quamdiu post sumptam Hostiam liceat spuere? 171.

An fides habenda referentibus P. Claudium Aquavivam communicâsse bis in die? 177.

An Parochus teneatur credere Confessario ægrotantis, dicenti, hunc esse satis compotem rationis? 193.

An extinctus in ebrietate sit sepeliendus in loco sacro? 199.

An liceat præbere Viaticum jamjam plectendo capite? 205. & seq.

An cognoscens peccatum, quod prius erat confessus ut dubium, esse certum, teneatur ante Communionem redire ad Confessarium? 214.

Quomodo explicanda Constitutio Synodalis severissimè præcipiens, præmitti Confessionem Communioni? 229. & seqq.

An sit fides habenda Cassensi, referenti è P. Præposito falsam de Confessione doctrinam? 247. in App.

Liciténe communicet, qui deglutiit humorem pustulæ ruptæ in ore? 268.

An communicaturus debeat ejicere ex ore id, quod ingessit immediate ante duodecimam noctis? 275.

Liciténe tamdiu retineas Hostiam in ore, donec possit deglutiri per modum salivæ? 325.

An, si in Festo solennissimo nullus adsit Sacerdos jejunus, licitè sacrificet non jejunus? 329.

Quid die profano agendum, quando in aliqua Ecclesia Cathedrali non habetur pro Missa Conventuali Sacerdos jejunus? 332.

An Parochus, qui Festo Natalis Domini sumpsit in prima Missa ablutionem, licite faciat nihilominus alias duas Missas? 333.

Sitne intrinsecè malum communicare illo die, quo quis peccato carnalisè contaminavit? 343.

An contritio elicienda sit peccatori, volenti sumere Eucharistiam, solum ut hanc præservet ab irreverentia imminente? 353.

Quid sentiendum de opinione cujusdam Jansenistæ, damnantis magnæ impietatis illum, qui confessus mortale accedit sacram Synaxin, non actâ per aliquot menses pœnitentiâ? 357.

Sitne licitum deferre ad locum extremi supplicii sacram Hostiam, hâncque tradere Reo, ut fruatur Privilegio immunitatis? 358.

An, quoties malus Sacerdos tangit Sacram Hostiam, peccet mortaliter? 379.

An liceat tempore pestilitatis resuere medicinas ea intentione, ut citius perveniatur ad regnum cœleste? 397.

Quid censendum de solitis serio dicere: Ut probem esse vera, quæ dico, sumam cras Sacram Hostiam? 448.

Cur hac ætate dicantur tam multa repugnare, reverentiæ Sacramenti, quæ olim non repugnabant? 450.

Tractatu V.

Verène teneatur Sacerdos festo die facere Sacrum, si non habeat copiam alterius? 44. Ubi plures aliæ quæstiones huc facientes.

Varia nova dubia resolvuntur occasione Festi Immaculatæ Conceptionis ornati Octava ab Alexandro VII. 80. & seqq.

Et ex iis dubiis unum singulare propter occurrentiam illius cum die infra Octavam S. Francisci Xaverii resolvitur? 83.

An, quando Festum transfertur etiam quoad forum ab Episcopo propriâ autoritate, sit necesse tunc audire Sacrum? 102.

An sit conveniens, ut Festum Annuntiationis cadens in Sanctam hebdomadam transferatur quoad forum? 105.

An, si non transferatur, oporteat facere publicè plura Sacra Feriâ V. & Sabbato? 109.

An, quando festum S. Mathiæ occurrit in die Cinerum, Vigilia sit anticipanda Sabbato præcedenti? 111.

An, sicut ipsum Festum transfertur tunc quoad forum

rum in feriam quintam, ita & Vigilia transferenda sit in feriam quartam? 112.

Assistens Sacro, ut discat cæremonias, an satisfaciat præcepto de audiendo Sacro? 193. & 194.

Nova quæstio de eâdem proponitur? 215.

An teneamur sub Sacro meminisse Beneficiorum Divinorum? 225.

An legens sub Sacro historiam profanam, aut piam, satisfaciat Legi Ecclesiasticæ? 253. & 254.

Confessarius excipiens Confessiones, an possit simul audire Sacrum? 269. & 271.

An tenearis excitare dormientem tempore Sacri? 278.

Musici Vocales, & Instrumentales an, & quatenus possint simul audire Sacrum? 298.

Quæ ætate sint pueri Germani mittendi ad Missam? 313.

Quarum doctrinarum oporteat esse memorem Confessarium Catholicorum, famulantium hæreticis cum violatione Festorum? 321. & seqq.

Quale damnum censeatur notabile, ut ob illud famulus non teneatur deserere famulatum, in quo nequit colere Festa? 324.

Sitne satius omittere Sacrum, quàm audire in loco profano? 351.

An hæretici aspirantes ad fidem Orthodoxam, licitè interim frequentent templa Catholica? 396.

An, qui nequit interesse integræ Missæ, nisi aliquid edat, teneatur edere? 421.

An se inebrians die Sabbati prævisо periculo incurrendi invaletudinem, quæ sit impeditura postridie auditionem Sacri, peccet dupliciter? 425.

Quomodo varii autores loquantur de qualitate impedimenti sufficientis, aut non sufficientis ad excusationem ab audienda Missa? 433.

An sint excusandi Constantienses non audientes Sacrum, quando laborant febri? 481.

Spes lucri acquirendi quomodo patrocinetur negligentibus Missam? 492.

An, quando in familia est solus vir, & uxor, teneatur vir quandoque negligere Sacrum, ut uxor possit adire templum? 494.

Et, an mater familias ideo, ut ancilla possit? 495.

An liceat ædificare sibi Eremitorium loco valde remoto ab Ecclesia? 519.

An licitè quis pecuniam accipiat, ut pro alio Sacrum audiat? 534.

Præstétne interesse Missæ, quam curare pro se absente sacrificari? 537.

An meritò reprehendantur Jesuitæ, non surgentes de nocte ad psallendum? 556.

An consuetudo obligans ad Breviarium Subdiaconos, sit sufficiens ad mortale peccatum? 561.

Quid censendum de Leandro, negante, Subdiaconos teneri ad quidquam primo die Subdiaconatûs? 563.

Quid agat Confessarius quando Monialis confitebitur, esse à se omissas Horas Canonicas? 571.

An ad Breviarium teneatur, qui solum quadraginta Ducatos annuos è suo Beneficio percipit? 579.

Quid hodie sentiendum de opinione docentium, Beneficiatum, qui omisit Breviarium, satisfacere per eleemosynas, quas priùs dederat? 592.

An Capellanus adhuc Acolythus, relinquens Capellaneomnes reditus teneatur ad horas? 596. in Append. lit. b.

An si Canonicus sponte resignet Canonicatum, possit nihilominus frui mortuario? Ibid. lit. d.

An parochus peccet contra legem de residentia, si hebdomadatim quater abnoctet extra Parochium? 602. in App. lit. d. & seq.

An titulus decentioris sustentationis sit causa sufficiens ad dispensandum quoad residentiam? Ibidem & seq.

An, qui nequit recitare ex proprio Breviario, teneatur ex alieno? 603.

An qui officium Semiduplex recitavit ritu Dupli ci, & vice versa, teneatur sub mortali repetere? 607. §. Quia.

An Sacerdotes Societat. JESU satisfaciant, si diebus Rogationum recitent in templo consuetas Litanias omnium Sanctorum? 615.

Quomodo satisfaciat recitationi Breviarii, qui nequit ob vitium linguæ persolvere, nisi impendendo multum temporis? 622.

An ubi SS. Trinitas est Titularis, oporteat etiam infra octavam recitare Symbolum SS. Athanasii? 623. in App.

An habentes apud nos Exercitia spiritualia, licitè recitent Officia, quæ nos? 636.

Sitne licitum recitare die non impedito Officium illius Sancti, quod omiseras in die proprio? 638.

Quid censendum de variis casibus localibus, in quibus partes unius Breviarii junguntur partibus alterius? 645. & seqq.

An, si Festum ad libitum nequeat celebrari die proprio, licitè transferatur in aliud? 650. in Append. lit. q.

An cum Festo S. Francisci Xaverii transferatur Indulgentia illi annexa, iaque Constantiæ? 655.

Quatenus de die infra Octavam fiat Commemoratio in festis secundæ Classis? 658. in Append. litera. c.

Quatenus nona Lectio de simplici infra Octavam? Ibid. lit. i.

Quis sensus duorum versuum: Hodie lætus meruit beatas scandere sedes? *Et*: Meruit supremos laudis honores? *Ibid. lit.* n.

An mendacium dixerint omnes Clerici ante reformationem Calendarii? lit. p.

An festo Assumptionis concurrente cum primis Vesperis Dedicationis, sit facienda commemoratio? litera. t.

Unde colligendum, quodnam festum sit dignius altero? lit. u.

An sit standum quadam Caramuelis mira, nova doctrina circa licitam omissionem totius Officii Canonici? 662.

An alia Patris Dicastillo, negantis, peccari etiam venialiter, recitando pro lubitu Vesperas ante prandium? 683.

An

An alia Leandri absolventis à peccato incipientem Matutinum currentis diei dicere paulò ante mediam noctem? 684.

An peccet mortaliter dicens hodie partem matutini, cras alteram? 673. in App.

An obligatus voto, aut Sacramentali pœnitentiâ recitare psalmos aliquos, satisfaciat recitando linguâ vulgari. 697.

Celebrans Pontificaliter sub Officio Canonico, an teneatur repetere, quæ solus chorus recitavit? 707. in App. lit. a.

An summè tristis, & non valens attendere, teneatur orare? 710.

An, & quatenus scrupuli suppeditent justam causam non recitandi? 714.

An laborans febri quartanâ, sit liber à Breviario? 716.

Quid agendum illi, qui, si recitet Breviarium, debebit carere vel cœna, vel Sacro sequentis diei? 720. & seqq.

Dubitans an hic & nunc excuseris, teneriseæ nihilominus recitare? 728.

An, & quatenus liceat ponere impedimentum Orationi Canonicæ? 732.

An Breviarium debeat necessariò recitari per modum Orationis? 740. & 748.

Quid per intentionem orandi intelligatur hîc? 756.

An teneamur exercere illos virtutum actus, quos designant verba Breviarii? 763.

An hæc sint recitanda significativè? 764.

An omnes Clerici teneantur Officium recitare nomine Ecclesiæ? 769. & seqq.

An licitè offerant illud pro se, vel amico? 770. & seqq.

Quale templum intelligat Clericus Constantiensis, quando recitat Officium de Dedicatione alicujus Ecclesiæ Romanæ? 787.

Quibus particularibus casibus sit in Secreta *Missæ Dedicationis omittenda Clausula*: Quicunque intra templi hujus? *Ibid.*

An recitatio Breviarii habeat aliquem fructum ex opere operato? 792.

An actiones exteriores, vitiæ graviter sub Oratione Canonica, debeant esse tales, ut suapte naturâ impediant attentionem interiorem, an verò sufficiat, si impediant respectu particularis subjecti? 807. & 815.

An ante Bullam Pii Quinti aliquod jus scriptum vetuerit mutationem unius Breviarii in aliud? 872.

An obligatio non mutandi pro lubitu, nitatur solâ consuetudine? 883.

An Pater Suarez sit solitus recitare solum Officium Paschale? 901.

Verbum Consulo *quid significet Scriptoribus Italis, & Hispanis? 902.*

Quid hodie judicandum de mutatione arbitraria longi Breviarii in Paschale? 908. & seqq.

Quid, quando Clericus habet ad manum solum Paschale? 912.

Tractatu VI.

An confitens nullum verum, sed falsò æstimatum peccatum, absolvatur validè? 14. in Append.

An actus contritionis indicetur illis verbis. Maledicta peccata, quibus Deum offendi? 99. *& sequentibus.*

Quis sit communis affectus Christianorum, dicentium ex animo? Summè doleo, quòd Deum meum tam graviter offenderim? 102.

Sitne facile, an difficile elicere actum Contritionis? 109.

An mors obita in ministerio pestiferorum faciat ex attrito contritum? 117.

Verè ne Magister Sententiarum, Gratianus, & Comestor fuerint fratres ex adulterio nati? 174. & sequentibus.

An Confessarius teneatur à suo pœnitente petere flexis genibus condonationem injuriæ ab alio illatæ, si nequeat pœnitentem aliter inducere ad ignoscendum? 199. & seqq.

Quid agendum, quando moribunda non vult confiteri, allegans, se ante bimestre confessum? 253.

An moriente una trutta teneantur omnes Religiosi Agaunenses parare se ad mortem? 252. in Append.

An Scholasticus vovens unam Confessionem, si promoveatur ad superiorem Classem, teneatur sub mortali eam peragere promotus? 300. & seqq.

Quid agendum pœnitenti moribundo, quando Confessarius eum non vult absolvere à certo peccato, nisi ipse coram aliis fateatur illud crimen, & simul complicem? 445. & seqq.

An peccet, qui sibedâ alienæ Confessionis utitur in damnum alterius ex se non injustum? 519.

An sacrilegè reticens unum è suis lethalibus teneatur in proxima Confessione rursum aperire omnia? 571.

Tractatu VII.

An debeat necessariò statui duplex definitio Confessionis Sacramentalis? 11.

Quid agendum Parocho, quem parochianus captus ab hæreticis evocat ad suam Confessionem audiendam? 29.

An sit hodie probabile, Religiosum, cui Episcopus iniquè negavit approbationem, nihilominus posse audire Confessiones? 49.

Quomodo PP. Capucini soleant petere approbationem? 55.

An, quando multæ Parochiæ peregrinantur cum vexillis ad locum celebrem pietate, possit quilibet Parochus excipere Confessiones alienorum? 61.

An longa consuetudo tollat obligationem approbationis? 65.

An Pœnitentiarius Diœcesanus possit subdelegare suam Jurisdictionem? 101.

Quo jure PP. Capucini ascisсant in suis festivitatibus Parochos ad absolvendum etiam à reservatis Papa? 103.

An mortuus in excommunicatione possit directè absolvi à peccatis? 134.

Quomodo sit intelligenda obligatio juvandi, se compariturum coram Sede Apostolica pro absolutione casus

ſus reſervati, à quo abſolvit in caſu neceſſitatis inferior Papâ? 145.
An beneficiatus non valens per ſe deſervire Miſſæ ordinariæ, poſſit ipſe ſubſtituere vicarium? 145. in App lit. c.
An valeat abſolutio data ab eo, qui, priuſquam proferret verbum: Abſolvo, non ſe determinavit, utrum vellet tunc abſolvere à peccatis, an à cenſuris? 151 & ſeqq
Quale ſit peccatum, præmittere abſolutionem à peccatis abſolutioni à cenſuris? 167.
Quando liceat repetere cum, aut ſine conditione formulam Abſolutionis? 171. 175. & 267.
Quantum peccetur pronuntiando illam cum voluntaria diſtractione? 177.
An Confeſſarius poſſit, aut teneatur credere pœnitenti dicenti, ſe peccâſſe quidem in hac, aut illa materia, ſed non graviter? 182.
An peccet graviter, petendo convitiis pœnitentem? 203.
Quatenus peccet graviter, aut non peccet, non interrogando ea, quæ non percepit? 235. & 238.
Aut abſolvendo illum, cujus nullum peccatum recordatur? 239.
Quomodo ſe geret Confeſſarius cum ſponſo negante, ſe commiſiſſe ullum peccatum carnale, cùm tamen ejus ſponſa immediatè antè faſſa ſit, ſe cum eo ter peccâſſe? 240.
An repetenda Confeſſio, quando Confeſſarius habuit pro ſolo veniali id, quod pœnitens ſcit eſſe mortale? 280.
Utrum ſit tibi fas abſolvere ſub ipſa Communione illum, cui eras ante tuum Sacrum oblitus dare abſolutionem? 291.
Qui ſe gèret Confeſſarius cum non potente formare ullum conceptum de SS. Trinitate? 311.
Et ſingulariter cum ignorante gravitatem peccati mollitiei? 315. & ſeqq.
Quo ſenſu intelligenda ſit S. Ignatii doctrina de ſola venialitate culpæ in reſiſtendo tentationi? 328. & ſeq.
An Confeſſarius licitè procedat ex ſolis præſumptionibus? 338.
Quo ſenſu Doctores negent, dubium peccatum eſſe reſervatum? 356.
Sine probabile, requiri ad reſervationem incurrendam, ut reus ſciat caſum eſſe reſervatum? 360.
Quid hodie liceat Epiſcopis circa Caſus Papales? 370.
Qui, & quomodo Epiſcopi Germaniæ abſolvant ab hæreſi? 371.
Quomodo hodie Religioſi abſolvant ab Epiſcopalibus? 373. & ſeq.
Quomodo à non deductis ad forum externum? 375.
Quatenus incurrat caſum Epiſcopalem, qui celebrat abſque facultate in Ara portatili? 409.
Et, an committat ſacrilegium, qui furatur imagines pertinentes ad Confraternitatem, aut mercatorem? 417.
An Regularis exemptus habens Parochiam, poſſit cadere in omnes caſus & cenſuras Epiſcopales? 424. in App. 3. lit. a. & ſeqq.
Unde orta inter Doctores diſcordia circa revocationem Privilegiorum Regularium? Ibid. lit. r.
An ſit difficile excipere Confeſſiones puerorum? 444.
Quomodo explorabitur, an puer confitens ſit capax abſolutionis? 455.
Quomodo itidem, an morio ſit capax? 460. & ſeqq.
Item, an ſurdaſter? 471.
Qui ſe expediet, qui non eſt ſatis gnarus idiomatis, quo utuntur ejus pœnitentes? 478. 484. & 486.
An teneatur Confeſſarius inhibere, ne pœnitens confiteatur imperfectiones? 510.
An poſſit abſolvi Religioſus, nihil aliud confitens, quàm tranſgreſſionem unius Regulæ? 513.
Quale damnum pecuniarium tribuat cauſam non deſerendi occaſionem peccandi? 530.
Quomodo ſit practicè tractandus concubinarius? 532.
An Confeſſarius prudenter ſuadeat reditum ad ſeculum illi Novitio, qui ſe non emendat circa relapſum in mollitiem? 536.
Confeſſarius ſcrupuloſus qui ſe geret circa examen obſcœnorum? 538. & 543.
Quomodo confitenda pollutio voluntaria? 553. in App. 1. lit. b. contra Caramuelem.
Quo ſupplicio afficiendi molles? Ibid. in App. lit. a.
Qui ſe geret Confeſſarius Principis oblivi ſcentis nonnulla peccata? 557. & 560.
Aut Nobilium non ſolventium cenſus, aut debita? 561. & 563.
An Bullæ de Confeſſariis ſolicitantibus receptæ ſint in Germania? 576.
An, quas ſententias vetat Societas Jeſu doceri, vetet etiam in praxin deduci? 604.
An ſaltem vetare poſſit? 607.
Et quomodo Sacerdos Societatis debeat ſe gerere reſpectu pœnitentis, adferentis parvam materiam in genere impudicitiæ, & habentis illam pro non mortali? 607.
An abſolvi queat Lutheranus morituriens, & proteſtans, ſe velle mori in vera Religione? 618.
Aut confitens Catholico Sacerdoti, ratus eſſe Lutheranum præconem? 619. & ſeqq.
An Religioſus Monachus obiens Exercitia Spiritualia domi, aut foris poſſit hoc ipſo abſolvi à reſervatis? 653.
Cui confiteantur Religioſi verſantes in Academiis? 659. & 662.
An PP. Capucini validè in Helvetia poſſint abſolvere alios Religioſos? 660.
Quomodo intelligendum quoddam Decretum Societatis circa abſolutum indirectè? 690.
Et facultas abſolvendi, exceptis Recidivis? 695.
Et non abſolvendi volentes ſe ſiſtere Superiori? 730.
An hodie liceat pœnitentiam Sacramentalem perficere per alium? 768.
An pœna frangentis ſigillum ſit arbitraria? 844.
An liceat inſtituere inquiſitionem in illum, qui dicitur fregiſſe ſigillum? 847.
An aliquo caſu revelare id, de quo dubitas, utrum audieris intra, an extra Confeſſionem? 848.
An ſigillum obliget illos, qui interfuêre concionis revelantis ſigillum? 860.
Quomodo excuſandi, qui pueros confitentes audiunt, aliis etiam pueris audientibus? 863.
An Con-

An Confeſſarius teneatur, audita una Confeſſione, rere ſe in omnibus, perinde, ac ſi nullam unquam xcepiſſet? 874.
Aut teneatur ob Confeſſiones auditas gerere ſe alier, quàm ſi nullam audiviſſet? 875.
Quatenus concionatores peccent, dicendo, ſe hæc, ut talia intellexiſſe in Confeſſione? 878.
An, & quatenus parvitas materiæ excuſet utentem titia Confeſſionis abſque revelatione peccatoris? 84.
An peccet, qui ſciens ex Confeſſione, Cajum eſſe dulterum e. g. intelligens autem extra Confeſſionem, liquem adulterum eſſe raptum in vincula, interrogat neratim, quis ille ſit? 922.
An, & quatenus ille, qui dicit, ſuum pœnitentem feciſſe ſibi Confeſſionem durantem decem horas? 923.
Et ille, qui revelat votum Caſtitatis editum à pœnitente? 929. & ſeq.
Et alii quidam, de quibus unius magni Theologi litera ad authorem? 934. & ſeqq.
An autor hujus libri violârit ſigillum Confeſſionis vulgando typis Alphabetum Confeſſariorum? 951. & 952. in App. lit. f. & g.
An nullus Doctor Lovanienſis ſtet pro uſu ſententiæ minus probabilis? Ibid. in App. lit. e.
Liceòne captare laudes humanas? Ibid. lit. m.



ELENCHVS
RARIORUM, AC RARISSIMORUM CASUUM.
In hac Parte II. Propositorum, & Resolutorum.

In Tractatu I.

Casus fallò habiti pro mortuo, antequam finiretur tota forma extremæ Unctionis. 31.

Absoluti ferè integra hora post narrationem peccatorum. 33

Tussientis ferè per dimidium quadrantem, postquam protulerat quatuor prima vocabula formulæ Consecrationis. 43.

Peste afflati, confitentis ignaro illius mali. 120.

Parochi dubitantis, quid sibi agendum in militari grassatione. 165.

Alterius accurrentis cum evidenti periculo mortis ad suos. 174.

Alterius penetrantis per satellites, ut baptizaret afficiendum extremo supplicio. 76.

Baptizati ab obstetrice sub conditione : *Si moriaris ante Adventum Parochi. 91.*

Et à Calvinista cum addito : *Secundùm autoritatem, quam mihi tribuit Calvinus. 191.*

Et à Catholico, per submersionem, ob difficultatem eliciendi Contritionem. 232.

Tractatu II.

Casus baptizati à juvenibus arenâ. 1.

Et saliva à simplicibus. 22.

Et aquæ aspersione, excussæ ex digitis. 46.

Item pueri projecti in puteum. 51.

Baptizati, & quidem, judice S. Bernardo, rectè, hac formula : *Baptizo te in Nomine Dei, & Sanctæ & Veræ Crucis. 64.*

Et : *Baptizo te in Nomine Patrum, & Filiorum. 88.*

Et : *Baptizo te in Nomine Pater, & Filius. 89.*

Et : *In Nomine Patris & Sanctæ Crucis, & Spiritûs Sancti. 90.*

Et : *Baptizo te cum Patre, cum Filio, cum Spiritu Sancto. 91.*

Et : *In Nomine SS. Trinitatis, B. Virginis, & omnium Angelorum. 179.*

Et baptizati per recitationem Salutationis Angelicæ, ac postera die Rosarii. 180.

Et : *Te Christianizo. 93.*

Interrumpentis objurgatione verba formæ legitimæ. 97.

Dicentis : *Te baptizo cum Nomine Patris, cum Nomine Filii, & cum Nomine Spiritûs Sancti. 98.*

Item : *Te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Gratiæ Spiritus sancti. 99.*

Sacerdotis baptizantis in aliena Parochia. 127.

Matris pronuntiantis formam Baptismalem, altera affundente aquam. 146.

Parochi adigentis innuptam matrem ad nominandum patrem prolis baptizandæ. 160.

Dicentis : Baptizatur N. *In nomine Patris. Amen. In nomine Filii. Amen. In nomine Spiritûs Sancti. Amen. 101. In Append. lit. f.*

Sacerdotis fungentis officio obstetricis. 195.

Alterius providè detrectantis hoc ministerium. 196.

Obstetricis per viginti Annos baptizantis in nomine Diaboli. 197.

Et Parochi invalidè Baptizantis per plures Annos. 211.

P. Caroli Spinolæ dissimulanter baptizantis moriturientem filium unius Pagani. 243.

Aliquot parturientium aliquoties sectarum ad fœtum educendum. 255. *& seqq.*

Confessarii feliciter mandantis incidi ventrem mortuæ matris. 260.

Duorum infantium mortuorum sine baptismo, & revocatorum ad vitam. 272. & 273. *in App.*

Judæi post Baptismum tractantis indignissimè Sacram Hostiam. 269.

Monstri constantis duobus pectoribus, & duobus capitibus. 274.

Alterius constantis uno pectore, at duobus capitibus. 276.

Pueri constantis capite, & collo prorsus anserinis. 278.

Impuberis captivi ob crimen Bestialitatis. *ibid.*

Alterius prorsus horrifici. 279.

Alterius carentis capite, at non sine oculis. 285.

Casus Judæi projecti à Catholico in fluvium statim, postquam metu compulsus dixit, se credere in Christum. 286.

Infantis horrificè reluctantis, dum baptizabatur à Ministro Hæretico. 303.

Muti simul, & surdi, de quo dubitabatur, an esset baptizandus. 309.

Puellæ Hebrææ baptizatæ, invitis parentibus. 312.

Puellæ mirifica Dei providentia baptizatæ. 330. *in Append.*

Tribuni Acatholici volentis à Sacerdote baptizari suum filium. 324.

Parentis volentis reluctante Parocho suum filiũ in Baptismo vocari Petrum Canisium. 331.

Alterius id facientis miro eventu. 329.

Sacerdotis imponentis nomen viri & fœminæ illi infanti, cujus sexus nequibat dignosci. 337

P. Theophili Raynaudi suum nomen adepti fortitione 348.

Et obstetricis apprehendentis forficem pro aqua, & post notatum errorem ad primam affusionem aquæ pronuntiantis : *Te baptizo*, at non ad secundam, & tertiam. 351.

Baptizatus in urbe, in qua adhibebatur quandoque aqua Rosacea. 394.

Infans aspersus in Baptismo solùm tribus, vel 4. guttis, & rursum dissimulanter baptizatus. 418.

Sacerdos dubitans, an pronuntiaverit omnia verba formulæ. 421.

Alius dubitans, an pronuntiaverit terriam Trinitatis Personam. 421.

Alius errans in cæremoniis, & nolens credere testanti, fuisse ab ipso omissa hæc verba : *Ego te baptizo.* 426.

Casus eorum, quorum sexus mutatus. 428.

Rebaptizati ex causa mirifica. 430.

Sacerdotis Regularis expetentis rebaptizari ob causam valdè ancipitem. 441.

Sacerdotis scrupulosè dubitantis de suo Baptismo. 446.

Et mulieris itidem scrupulosæ in hac re. 448.

Pueruli rebaptizati solùm ob spectra horrifica. 453.

Et viri etiam ob spectra, & anxietates rebaptizati. 457.

Monialis rebaptizatæ. 463.

Infantis deformis, & ideo non baptizati solenniter. 467.

Duorum Sacerdotum baptizantium extra Ecclesiam Baptismalem. 503. & 504.

Infantis sanati post adhibitos exorcismos 506.

Matricis Ecclesiæ frustra volentis usucapione præscribere jus baptizandi competens filiali 515.

Infantis edentis articulatâ voce suum in Baptismo nomen. 519.

Duorum Baptistarum dextrè impedientium vetitam pluralitatem patrinorum Baptismalium. 527. & 528.

Non habitæ pro matrina idcirco, quòd puerum susscepisset immediatè de manu compatris. 539.

Designati à parentibus in patrinum, ac postea deferentis alteri hunc honorem insciis parentibus. 551.

Ingeniosè impedientis Matrimonium per compaternitatem. 567.

Obstetricis ridiculè volentis impedire Cognationem Spiritualem. 586.

Punitæ divinitus, eo quod nollet esse matrina. 586. *in App.*

Parochi pernitiosè annotantis nomen Patris sacrilegi. 592.

S. Emerentianæ causantis sibi ipsi Martyrium. 597.

Martiani postea Imperatoris propemodum capite truncati ob bonum opus. 610.

Sacerdotis salvati Baptismo flaminis. 634.

S. Basilii honorati in suo Baptismo advolatu columbæ. 641.

Infantis Baptizati in umbilico. 653.

Parochi sepelientis in loco dubio tinctum dubio Baptismo. 654.

Sacerdotis rebaptizati ob Baptismum pluribus de causis dubium. 656.

Alterius Sacerdotis baptizantis infantem, prominentem ex utero materno. 680.

Infantis sepulti & propemodum rursus effossi. 665.

Matris visæ sibi videre Angelum horribilem specie, & inde motæ ad procurandum filii Baptismum aliquo modo dubium. 671.

Puellæ jam asserentis, jam negantis, se fuisse in Turcia baptizatam. 677.

Obstetricis fassæ in tortura, se baptizâsse omnes in nomine Cacodæmonis. 680.

Alterius, se id ipsum fecisse, & insuper mox occultè inflixisse vulnus lethale. 682.

Pueruli educati inter ursulos, inter eos capti, baptizatique. 701.

Adolescentis nati in militia, & ignorantis, an sit baptizatus. 703.

Obstetricis fassæ Confessario, se solere baptizare dicendo : *Ego te baptizo in Nomine Dei Patris, in Nomine Dei Filii, & in Nomine Dei Spiritûs Sancti*, & non correctæ ab illo. 712.

Adultorum, quos obstetrix infantes baptizârat in Diœcesi, in qua solent omnes infantes ab Obstetrice abluti iterum ablui. 722.

Viri, de quo dubitabat ejus baptista, an aqua, quam adhibuerat infanti, verè hunc tetigisset 733.

Sacerdotis ideo rebaptizati, quòd Obstetrix illum baptizâsset panno intincto quidem in aquam; at applicato sine motu locali. 732.

Puellæ dubitantis, an in Baptismo ante sexennium à se administrato dixerit : *Ego te baptizo.* 736.

Casus S. Maurilii, se gravissimè punientis ob infantem mortuum sine Confirmationis Sacramento. 740.

Confirmantis solo oleo infirmorum. 744.

Et confirmantis duos morti addictos. 756.

Pueruli Germani consanati beneficio Confirmationis. 794.

Tractatu III.

Mulliere volente ad magiam abuti Sacra Hostia, convertitur hæc in carnem. *num. 1.*

Hostia immunda resilit sponte ex altari. 24.

Sacerdos volens ex nequitia consecrare Hostiam confectam ex cinnabari. 43.

Sacrificans cum parva Hostia in defectu majoris. 46.

Malens omittere Sacrum, quàm imitari exemplum præcedentis. 47.

Sacerdos imponens calici silicem calefactum. 65. *in Append. lit.* a.
Alius imponens globum ferreum. *Ibid. lit.* d.
Pastores divinitus puniti eò quòd proferrent formulam Consecrationis. 66.
Vir nobilis legens sub Sacro sui Parochi è proprio Missali omnia, præter verba Consecrationis. 72.
Diaconus fingens se Sacerdotem, facit Sacrum, ac corrigitur ab imagine Crucifixi flentis. 96.
Bos indomitus domatur voto curandi fieri Missam ad honorem S. Francisci Xaverii. 113.
Sacerdos improbus excludit è participatione sui Sacri inimicum. 130.
Alius faciens ex fundatione pro defunctis reservabat sibi vim impetrandi. 154.
Cremati, quòd nollent exire Asylo. 265. *in App. 2 lit.* l.
Capellanus repetens prædium suæ Capellaniæ post longissimam possessionem. *Ibid. lit.* f.
Leo tertius Papa celebrare solitus novies de die Sacrum. 182.
Solenniter sepultus, qui se ipsum necaverat. 171.
Parochus duarum Parochiarum faciens sexies Sacrum in die Natali Domini. 187.
Sacrificans consecrans alieno tempore. 191.
Ædituus retardans horologium ad nutum sui Parochi. 195.
S. Wulfrano celebrante in mari, excidit patena in aquam, & rursum emergit. 235.
Homicida privatus jure Asyli. 265. *in Append. 2. lit.* a.
Reus capitis reperiens asylum in apprehensione aræ portatilis. 266.
Polluentes Ecclesiam duplici modo 246.
Ara portatilis diu neglecta in loco profano, & ideo vocata in dubium usum. 281.
Sacellum ampliatum, postquam data erat facultas in eo celebrandi, quamdiu non esset consecratum 283.
Altare fixum, at nimis humile, ideóque extructum super eo pegma ligneum. 285.
Crux Caravacensis defertur ab Angelis ad Sacrificantem destitutum Cruce. 286.
Perquam ingeniosè suppletus defectus Missalis. 305
Et defectus pallæ. 315.
Sacerdoti celebranti sine stola adfert eam alius sub Evangelium. 341.
Dans feliciter bestiæ pro pharmaco vorandam iconem S. Ignatii. 380.
Monialis respondet Sacerdoti sacrificanti. 390.
Neomysta, qui manè celebrandarum primitiarum sumpserat Hostiam non consecratam, & deinde dubitabat, an liceret sibi celebrare primitias. 409.
Sacerdos sæpe absumens multas simul particulas communicantium. 421.
Verulus Sacerdos solitus jentare ante Sacrum, quando erat sub illo concionaturus. 424.
Sacra hostia immobiliter inhæret patenæ ob occultam excommunicationem communicaturi. 446.
Capellanus ignorans, quid sit Missa perpetua. 473.
Sacerdos volens fieri Religiosus, sed dissimulato Sacerdotio. 483.
Iminutio præscriptarum Missarum facta ab Ordinario. 593. *& seq.*
Canonicus accipiens uno die duplex stipendium pro una Missa. 600.
S. Bertrandus à piis Manibus impulsus ad sacrificandum potius pro defunctis, quam pro vivis. 610.
Carolus V. curat pro se vivo celebrari exequias. 633. Et Petrus Vellius. *Ibid.*
Petens gratiam Altaris Privilegiati pro loco, in quo non fiebant sufficientes Missæ. 637.
Differens fundata Anniversaria. 636. *in Append. lit.* b.
Non solvens pium censum annuum. *Ibid. lit.* k.
Sacerdos quotidie faciens ex mandato Deiparæ Missam de Deipara. 697.
Joannes Avila curans pro se morituriente Missam de Resurrectione. 724.
Consecrans cum notabili interruptione postremi verbi essentialis. 745.
Celebrans per notabilem errorem sine vino. 765.
Bove feroce ingresso templum, in quo duo celebrabant, unus perstitit innoxius, alter abrupit, postea vulneratus. 807.
Celebrans sternit candelabro suum invasorem. *ibid.*
S. Norbertus sumit calicem, in quem erat lapsa aranea. 857.
Idem facit S. Conradus. 859.

Tractatu IV.

Mullier ob neglectam Sacram Communionem conversa in formam equi. *num.* 1.
Moribundus sumit Sacrum Sanguinem loco Hostiæ. 28.
Christus in Hostia visus instar infantis subire ora communicantium. 29.
Sacerdos volens die Nativitatis post duo prima Sacra communicare more laico. 50.
Sapientissimo infanti negatum Sacrum viaticum. 82.
Juvenis à nativitate surdus, & mutus, fungens tamen officio scribæ publici. 132.
Quatuor alii, de quorum Communione quæstio. 145. *in Append. lit.* b. c. e. h.
Energumena morituriens nolens profiteri fidem, nihilominus munitur Viatico. 146.
Furiosus dextre inductus ad Confessionem. 154.
Monstrum hominis Lotharingi habiti pro fœmina, deinde pro mare. 158. *& seq.*
P. Lessius abrumpit Sacrum, ob imminentem vomitum. 167.
P. Dicastillo subitaneâ sternutatione rejicit ex ore Sacram Hostiam, & mox reforbet. 169.
Ebrio datur absolutio; negatur Communio, & Extrema Unctio. 192.
Capite damnatus involat in Judices. 200.

Mulier sacrilegè communicans punitur divinitus. 208.
Sacerdos tempore sui Sacri confitetur alteri. 236.
Sacerdos solitus ante Sacrum sumere nucem muscatam ad faciendum bonum odorem Christo. 258.
Casus viri docti nolentis in praxi sequi doctrinam de Eucharistia sumenda à non jejuno in mortis periculo. 319.
Casus, quo in die Dedicationis aderant duodecim Sacerdotes, & tamen nullus inter eos jejunus. 328.
Pœnitens impudicus liberatur sua lascivia, communicando illo ipso die, quo peccârat per mollitiem. 340.
Damnatus capitis amplectitur pro asylo Sacerdotem portantem Sacram Eucharistiam. 358.
Incendium restinctum allata Sacra Hostia. 365.
Præbita ab altero Parocho Eucharistia infirmo contra ordinationem proprii Parochi. 370.
Religiosus volens ministrare peste correptis Eucharistiam, respuendo præservativas medicinas. 393.
Sæcularis morituriens cum valde dubiis signis pœnitentiæ. 416.
Episcopi Alani servientis pestiferis absque ullis antidotis. 402.
Exemplum imitandum Clericis tempore pestilitatis. 421.
Parochi insilientis cum Venerabili in cœnum, ad declinandum contactum mulierculæ petulantis. 432. *in App. lit.* c.
S. Tharsitius adhuc Acolythus defert Sacram Eucharistiam. 433.
Detulit & ad Serapionem infirmum puer. 444.
Gregorius Papa VII. Probat sumptione Sacræ Eucharistiæ suam innocentiam. 445.

Tractatu V.

Casus Sacerdotis rati, se diebus Festis non teneri audire sacrum. *num.* 39.
Fœminæ horribiliter punitæ ob neglectum Sacrum. 48.
Consulis jubentis laborari in novo Festo, indicto sine consensu populi. 70.
S. Cæsarii occludentis fores Ecclesiæ, quando subditi volebant exire ex concione. 126.
Sacerdotis soliti horam impendere contemplationi sub suo Sacrificio. 149.
S. Joannis Eleemosynarii quandoque cum sacris vestibus exeuntis ex templo ad garrientes ante fores. 153.
Senatoris Friburgensis audientis sacrum è suâ domo. 171.
Impii Lutherani obstrepentis Sacerdoti sacrificanti. 185.
Pueri legentis sub Sacro carmina Maronis. 243.
Ludovici Granatensis graviter vellicantis auriculam illius, qui dormitabat sub recitatione Horarum Canonicarum. 272.
Regis Congo jubentis morte puniri garrulitatem epheborum sub Sacro. 294.
Ancillæ famulantis Hæreticæ, à qua impiè impeditur interesse rei Divinæ. 319.
Dubitantis, an plura Sacra possint uno die fieri in Oratorio privilegiato. 342.
Increpitorum à S. Walerico ideo, quòd ante auditionem Missæ bibissent. 415.
Capellani relinquentis Vicario omnes redditus, & ideo non recitantis Breviarium. 596. *in App. lit.* a.
Canonici resignantis præbendam, sed reservato jure mortuarii. *ibid. lit.* d.
Juvenum euntium ad venationem, cum certo periculo non habendi copiam Missæ post biduum audiendæ. 449.
Comes Tyllius Missam audiens cernitur simul in duobus locis. 524.
Punitus à Deo, qui vendidit fructus Missæ, quam audierat. 536.
Et ille, qui, Sacro non audito, comitatus erat socium pergentem ad venationem. 538.
Casus continens plerosq; defectus solitos committi circa recitationem Breviarii. 547.
Scrupulosi circa Breviarium curati à S. Ignatio. 619.
Canonici omittentis toto biennio Horas Canonicas. 587.
Volentis duobus beneficiis satisfacere praxi inusitata. 602 *in App. lit.* a.
Festi S. Francisci Salesii inculpabiliter non celebrati proprio die, celebrati verò altero. 639.
Advenæ recitantis Laudes, & alia valde diversa à Matutino. 645.
Beneficiati in duabus contiguis Diœcesibus facientis id ipsum. 646.
Et Religiosi existentis manè foris, vesperi domi. 648.
Collegii Constantiensis occasione Festi S. Xaverii quandoque tanterendi in Festum S. Barbaræ celebratæ Officio Duplici. 654.
Rectoris Ecclesiæ nolentis celebrari die Dominica Duplex Festum perpetuò translatum. 658. *In App. lit.* k.
Navigaturi, quem Caramuel improbabiliter absolvit onere Breviarii. 661.
Angeli ficubus remunerantis Eremicolam, quando statis horis recitabat Breviarium. 681.
Clerici recitantis Horas cum Prælato balbutiente. 693.
S. Aichardi novo modo punientis neglectum Horæ Canonicæ. 697.
Archiducis Leopoldi Guilielmi in summa solicitudine pii. 710.
Duorum Beneficiatorum stultè gaudentium. 712.
Summè scrupulosi, liberati scrupulis circa pensum Horarium. 714.
Martini Navarri ne quidem in lethali morbo omittentis pensum Canonicum. 715.
Parochi innocenter redacti eò, ut cogeretur omittere vel Breviarium, vel cœnam, vel sequentis diei Missam. 720.
Clerici, cui Confessarius nequit consulere aliter, quàm suadendo longorum officiorum mutationem in brevia. 916.

Tractatu VI.

CAsus Beatissimæ Virginis Matris confitentis S. Joanni. *num. 1.*

Subitò conversorum ad fidem à S. Petro. 16.

Joannis Conradi à Bodman elicientis perfectissimum actum contritionis. 33.

Offerentis se heroicè ad obsequium peste infectorum. 112.

Matris, à qua geniti Petrus Lombardus, Gratianus, & Comestor. 171.

Morituri entis, nolentis ignoscere inimico. 181.

Negantis, se posse desistere à libidine. 190.

Congressuum Christianorum, probantium futuras uxores. 210.

S. Catharinæ Genuensis sensus de fœditate peccati venialis. 227.

Omittentis Confessionem Paschalem ex vindicta. 264.

Parochi cedentis Privilegiis Mendicantium circa Confessionem Paschalem. 292.

Voventis Confessionem, si promoveatur ad scholam superiorem. 300.

Difficulter facientis sub ingressum Religionis Confessionem generalem. 313.

Dexterrimè adducti ad integram Confessionem. 331.

Heterocliti Confessarii, cogentis pœnitentem ad publicam Confessionem. 445.

Juvenis miserandi ob examen conscientiæ, ante Confessionem. 484.

Interpretis Confessionis contrahentis morbum lethalem. 499.

Pœnitentis, dantis Confessario legendam suam Confessionem, & ab hoc absoluti, sine alia enumeratione peccatorum. 521.

Tractatu VII.

CAsus militum gregariorum invicem confitentium, & præbentium terram pro Sacra Hostia. *num. 1.*

Nobilium solitorum miro modo præmoneri de instante morte. 35.

Religiosi excipientis Confessiones sine approbatione Episcopi. 40.

Sæcularium Sacerdotum idem facientium cum dubia approbatione. 61.

Alterius ob prudentem cautelam irriti. 67.

Alterius carentis titulo colorato. 111.

Determinantis suam intentionem primùm, postquàm dixit: *Absolvo te. 146.*

Constituti in dubio, an licitè utatur notitia Confessionis alienæ. 241.

Expedientis brevi tempore pœnitentem, non confessum à quinquaginta Annis. 266.

Sua indiscretione præbentis occasionem sacrilegæ Confessionis. 302.

Raro modo incurrentium in pœnam Canonis. 347.

Docti simul & ignari. 359.

Percutientis Clericum, & absoluti à suo Parocho. 402. *In App. lit.* a.

Pueri pueriliter confitentis. 443.

Morionis confiteri volentis. 460.

Mulieris scrupulosè deliræ. 494.

Concubinarii curandi. 514.

Frustra dubitantis de obligatione dimittendi mulierem. 534.

Confessarii non rectè suadentis Novitio impudico regressum ad sæculum. 536.

Adolescentis miserè seducti. 537.

Mulieris publicè effutientis impura, quæ ex Confessario audierat. 547.

Juvenum lamentabiliter deditorum mollitiei. 553.

Alterius invincibiliter ignorantis mollitiem esse peccatum. *Ibid. in App. 3. lit.* d.

Confessarii generosè suo officio fungentis erga suum pœnitentem Principem. 554.

Confessarii stupendum in modum exacti. 560. *In Append. lit.* c.

Duorum Nobilium Christianorum recusantium duellum. 573. *in App. lit.* d.

Judæi absoluti in extremis, & tamen non sepulti in loco sacro. 594.

Religiosi, nemine præsente, tacti apoplexia, & non absoluti à supervenientibus Sacerdotibus. 613.

Moribundi reperti sub arbore cum Rosario, & Agno Dei. 614.

Gementis sub undis, ob neglectam vocationem ad Religionem. 615. *In App. lit.* a.

Tacti apoplexia statim post suum Sacrum. 616.

Et Lutherani morientis cum protestatione, quòd cupiat mori in vera Religione. 618.

Et alterius Lutherani, confitentis Sacerdoti, quem putabat esse Lutheranum prædicantem. 619.

Religiosi confitentis uni è domesticis, quem credebat esse adhuc præditum potestate absolvendi. 626.

Vicerectoris dubitantis de sua potestate. 716.

Rati, se non peregisse pœnitentiam Sacramentalem, cum tamen reipsa peregerit. 739.

Duorum Prædicantium revelantium sigillum. 778.

Trium indiscretorum Confessariorum. 817. *& seq.*

Et Indæ mulieris piè confitentis imagini S. Ignatii. 822.

Confessarii dubitantis, an illicitè sit usus notitia Confessionis. 865.

TRA-

TRACTATUS PRIMUS
SEU
CLAVIS ALPHABETICO-SACRAMENTALIS.
ID EST
TRACTATUS MORALIS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Præfatiuncula ad Lectorem, & series Sectionum.

SEquor institutum Magistri in 4. dist. 1. & 2. Sancti Thomæ 3. par. q. 60. & sequentibus, *cæterorúmque Scriptorum, qui grandibus, aut mediocribus voluminibus explanavêre singula Sacramenta; hi enim omnes præmiserunt, sicuti Methodica docendi ratio, seu, ut loquitur S. Thomas*, Prologo in 1. part. *ordo disciplinæ postulat, dissertationem de* Sacramentis in genere, *horúmque causis, effectis, & accidentibus. Nam veriores redduntur sermones nostri, cùm universalibus prius cognitis, ad particularia descendimus. Aristot. 1. Physic.*

Nomen Clavis Alphabetico-Sacramentalis *indidi huic Tractatui idcirco, quòd pandat aditum ad Sacramenta, secuturis Alphabeticis Libellis, seu Tractatibus explananda. Haud multum morabor, seu* ligneam, *seu* auream *appelles hanc clavem, dummodo rite fungatur suo munere*; Quid enim clavis lignea obest, si aperire, quod volumus, potest? *inquit perappositè alicubi. Divus Augustinus.*

Partiar autem hoc Opusculum, seu Tractatum, in septem Sectiones. 1. Dicam, quidnam, & quotuplex sit Sacramentum, & quæ generales differentiæ inter Sacramenta? 2. Agam de materia, formáque Sacramentorum, déque mutatione, conjunctioneque utriusque. 3. De Ministro, hujus qualitatibus, singulariter de intentione. 4. De obligatione ministrandi Sacramenta. 5. De errore ministrantis Sacramenta. 6. De subjecto recipientis Sacramenta. 7. De effectu Sacramenti.

SECTIO I.
Quid sit Sacramentum; quotuplex, & quæ differentia inter Sacramenta.

SUMMARIUM.

Quid sit Sacramentum? Num. 4.
Solus Christus est Author Sacramentorum. 5.
Quomodo Ecclesia possit mutare materiam Sacramenti? 6.
Christus non determinavit hanc in ultimâ specie. 7.
Quo pacto Sacramentum sit signum gratiæ? 8. & 9.
Quomodo dicatur Sacramentum causare moraliter gratiam? 10.
Quomodo ex opere operato? 12.
Cur exorcismi, & alia quædam non sint Sacramenta? 14.
Quæ dicantur Vivorum & Mortuorum *Sacramenta? 16.*
Sacramenta vivorum *an quandoque conferant primam gratiam? 18.*
Quænam & quomodo sint necessaria? 20.

4 QUæritur 1. *Quid sit Sacramentum?* Est autem nobis sermo de solis Sacramentis Novæ legis, & propriè dictis. De quibus dico: Sacramentum Christianorum propriè dictum *est signum visibile invisibilis gratiæ, ad hominem sanctificandum, divinitus institutum.* Ita breviter in parvo Catechismo ex communi sensu Catholicorum Doctorum describit is, quem laudatissimus Cardinalis Hosius *in Epist. ad Roscium* appellat *Novum Augustæ Apostolum.* Venerabilis scil. Pater Petrus Canisius. Dicitur in primis *Signum*, quia cognitum ducit nos in notitiam alterius rei. Dicitur deinde signum *Visibile*, id est sensu aliquo externo perceptibile, ut visu, auditu, tactu.

5 Dicitur tertiò: *Divinitus institutum*, atque adeò à solo Christo, ut Deo *principaliter*, ut homine *instrumentaliter* S. Thom. *3. p. q. 64. a. 2. & 3.* Ac proinde Christum Dominum agnoscimus unicum Authorem Sacramentorum, non enim sicuti dedit Apostolis potestatem sanciendi leges necessarias, utilesve ad obtinendam Christianam perfectionem, ita fecit eis jus instituendi vera Sacramenta, id quippe tametsi nonnulli Scholastici censuerint de quibusdam, graviter tamen hallucinati, atque meritò correcti sunt à Tridentina Synodo *sess. 7. canon. 1.* Vide Joannem Scotum *in 4. dist. 2. q. 1.* probantem hanc doctrinam, & breviter applicantem singulis Sacramentis.

6 Verum quidem est, quòd Ecclesia possit materiæ à Christo designatæ apponere aliquid, ob quod ea, quæ in primitiva Ecclesia censebatur idonea, jam non censeatur talis, ut patet exemplo matrimonij, cujus materia sunt corpora contrahentium, quæ si hac ætate sint alteri juncta quarto gradu affinitatis, desinunt, ob decretum Ecclesiæ, esse idonea materia matrimonii; cùm tamen hæc conjunctio nihil eis obstiterit tunc, cùm Salvator conjugium Christianorum retulit in censum Sacramentorum. Et nónne si quis etiam homo privatus misceat aquæ elementari plurimum aut luti, aut lactis, efficiet ex validâ invalidam materiam?

7 Verum quoque est, aut vero simillimum id, quod trado *in Alphabeto Ordin.* seu *Tract. 8. Cas. 3. & 4. n. 51. & 97.* quòd scilicet Christus Dominus non determinaverit in ultima specie *physica* materiam omnium omnino Sacramentorum; attamen neutra harum doctrinarum probat, Christum non instituisse *immediatè* omnia Sacramenta.

8 Postremò dicitur in definitione Sacramenti, esse signum *Gratiæ ad sanctificandum hominem*; qua clausulâ innuitur causa finalis Sacramentorum explicanda *Sect. 7.*

9 Porrò Sacramentum non est habendum pro inerte, mortuóque signo, seu symbolo gratiæ, sed pro efficaci, atque vivaci; est enim à sacro Concilio Trident. *cit. sess. 7. cap. 1.* editus hic octavus Canon: *Si quis dixerit, ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, anathema sit.* Ergo est de fide, quòd Sacramenta non solùm significent gratiam, sicuti e.g. promissa barba est signum ætatis virilis, circulus stramineus signum cervisiæ venalis in domo illâ, præ cujus foribus prostat suspensus, sed revera efficiant illam gratiam, adeóque sint hujus signa & *speculativa* simul, & *practica*, seu *effectiva*, vel *physicè*, simul & *moraliter*, ut multis placet, vel saltem *moraliter.*

10 Dicuntur autem eatenus *moraliter* efficere, seu causare gratiam, quatenus ipsa movent, & quasi inducunt Deum, ut ipse propriè *physicè* producat gratiam. Sicut enim generatim dicuntur nostræ preces, consilia, mandata, nutus, minæ, esse causæ morales illorum effectuum, quos nostri famuli, amici, Domini propriè producunt, inducti illis nostris precibus, minis, &c. ita etiam Sacramenta meritò censentur *moraliter* producere, aut inducere illam, de qua suprà, vestem nuptialem, quia suâ existentiâ, seu hoc ipso quòd existant, movent, hortantur, & quasi compellunt Deum, ut memor suorum verborum, & Christi passionis (nam *Christus patiens est causa meritoria Sacramentorum*, inquit Scotus *in 4. dist. 2. q. 1.* id est effectuum sacramentalium) conferat, seu donet homini, cui administrantur, illam ipsam vestem nuptialem.

11 Vtrùm verò præter hunc quasi impulsum, efficacémque hortationem, seu commonefactionem communem omnibus omnino Sacramentis, habeant præterea energiam, vimque talem, ut unà cum ipsomet Deo concurrant *physicè* ad producendam gratiam; sicuti e.g. nostra anima, vel *mediatè* vel *immediatè* cooperatur *physicè* Deo producenti in ipsa actum fidei supernaturalis? non est nostri fori disputare, plurimi negant, plurimi asserunt. Affirmativam sententiam valde plausibiliter, atque verosimiliter probat ex precibus, quibus Ecclesia benedicit in f. ria quinta hebdomadis sanctæ, & in Sabbato sancto oleum, atque aquam Baptismalem, Nicolaus Ysambertus *Tom. 1. in 3. part. q. 62. disp. 4. a. 3.*

12 Cæterùm dicuntur à Concilio Tridentino Sacramenta conferre gratiam *ex opere operato*, & non *opere operantis*, idcirco, quòd illam conferant ex vi *operis operati*, id est actionis consideratæ secundùm suammet dignitatem, non autem cum respectu ad merita, & dignitatem illius, qui eam exercet, nam cum hoc respectu dicuntur causare *ex opere operantis.* Vide, si lubet, fusiorem explicationem hujus locutionis traditam infrà *in Alphab. Sacrificant. Cas. 7. n. 164.*

13 Ex quibus apparet I. Esse non plura, non pauciora Sacramenta, quàm septem nota omnibus Orthodoxis. Non plura, nec enim ulli alteri rei competit definitio Sacramenti. Non pauciora, quia planè omnibus examussim congruit illa eadem definitio tota, quanta est, sicuti

cuti demonstrant partim Scholastici, partim Controversistæ.

41 Apparet deinde, cur exorcismi, aqua lustralis, formatio crucis, benedictio Abbatis, vel Abbatissæ, & alia ejusmodi, quæ à Scholasticis ideo vocantur Sacramentalia, quia partim æmulantur quasi indolem Sacramentorum, partim sunt eorundem circumstantiæ, non sint revera Sacramenta; nam neque sunt à Christo, sed solùm ab Ecclesia instituta, neque conferunt vi suâ *immediatè* sanctitatem, seu gratiam sanctificantem, ut fusè inter reliquos explicat P. Joannes de Dicastillo *Tom. 1. de Sacramentis Tr. 1. disp. 1. dub. 2. n. 12. & seqq.*

15 Quæritur II. *Quotuplicia sint Sacramenta, & quæ differentia inter ea?*

Resp. Inter septem Ecclesiæ Sacramenta nonnulla vocantur *Mortuorum*, alia *Vivorum*, nonnulla *Iterabilia*, alia *Initerabilia*, quædam omnibus, alia non omnibus necessaria.

16 Sacramenta *Vivorum* dicuntur illa, quæ per se loquendo administrari debent solis Vivis membris Christi, seu jam existentibus in statu gratiæ, adeóque non remittunt *primò & per se directè*, & ex prima sua institutione peccatum mortale, ut proinde per se loquendo peccet mortaliter, qui unum illorum suscipit conscius peccati lethalis, ut sunt omnia præter Baptismum, & Pœnitentiam, quæ duo etiam idcirco nuncupantur Sacramenta *Mortuorum*, quòd sint à Christo *directè, per se*, & *primariò* instituta in eum finem, ut homini per peccatum mortuo restituant vitam spiritualem, sicuti Baptismus restituit mortuo per peccatum Originale, & Actuale mortale, Pœnitentia mortuo per lethale; ita ut neque Judæus adultus petens Baptismum, teneatur elicere contritionem perfectam de sexcentis fraudibus, quibus circumvenit Christianos; neque Christianus latro, adulter, hæreticus, &c. præmittere perfectam contritionem sacramentali confessioni, sicuti de Baptismo tradam ex communi *in Alphab. Bapt. Cas. 10. num. 308.* contra Gabrielem, & Petrum Sotum; de Confessione autem *Tract. 6.* seu *in Alphab. Confitentium. n. 38.*

18 At verò ex omnium sententia necessarium est *necessitate præcepti divini*, ut conscii peccati mortalis eliciant perfectam contritionem, aut fiant ex attritis contriti, priusquam ullum ex quinque *Viventium* Sacramentis percipiant. Attamen si quis ignorans, se inquinatum lethali crimine, vel sciens quidem, se eo maculatum; ignorans tamen necessitatem præmittendi contritionem perfectam illis quinque Sacramentis *Vivorum*, recipiat cum sola attritione unum ex iis, evadent per accidens Sacramenta *Mortuorum*, quia conferent primam gratiam; ut de Extrema Unctione arbitrantur verosimiliùs illi, quos refero *in Alphab. Ordin. & Extrem. Unct. Cas. 33.* De Eucharistia plurimi cum Nicolao Ysamberto *Tom. 1. in 3. part. q. 79. disp. 1. a. 3.* pulchre probante hanc doctrinam ex S. Thoma, atque aliis rationibus; & de cæteris quoque tribus communiter Thomistæ; item ex nostris Patres Valentia, Suarez, Tannerus *de Sacram. disp. 3. q. 3. n. 141.* contra P. Hurtadum hîc *disp. 3. diffic. 4.* consentiente Thomistis R.mo Ill.mo Principe, Abbatéque Einsidlensi, D. Augustino Reding à Biberegg, suæ defecatissimæ Theologiæ Scholasticæ *Tom. 5. quæst. 4. art. 1. Controvers. 2. num. 14.*

Sacramenta *Iterabilia*, seu quæ semel valide collata nequeunt sine sacrilegio repeti, sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo: idcirco autem non iterabilia, quia imprimunt characterem, de quo plura *Sect. 7.* 19

Denique novimus ex Catechismo Baptismum esse omnibus omnino hominibus ad salutem necessarium, sicut explano *in Alphab. Baptiz. Cas. 3.* Pœnitentiam omnibus, & solis reis peccati mortalis post Baptismum contracti; Eucharistiam omnibus adultis, ut expono *in Alphab. Communic. Cas. 3. & 4.* Confirmationem & Extremam Unctionem non esse sub gravi præcepto, sicuti declaro *in Alphab. Baptiz. & Confirm. Cas. 22.* cum S. Tho. *3. p. q. 72. a. 8. ad 2.* Item *in Alphab. Ordin. & Extrem. Unct. Cas. 22. num. 8. 16.* contra Joannem Wigers. Nulli homini particulari esse impositam obligationem per se loquendo suscipiendi sacros Ordines, aut ducendi uxorem, nemo sanus dubitat; quamvis per accidens, scilicet ratione beneficii Ecclesiastici, singulariter Parochialis, suscipiendus sit Ordo sacer, sicuti & necessariò ineundum Matrimonium illi, qui voto castitatis liber nequit servare castitatem, ut tradam *in 2. p. Alphab. Matrim.* seu *Tr. 10. Cas. 2. num. 42. & Casu 10. n. 106.* 20

Claudo hanc Sectionem perapto simul & perquam pio Corollario, quod Scotus *cit. q. 1.* colligit his verbis: *Hinc sequitur, quomodo in collatione talium remediorum necessariorum generi humano concurrant & misericordiæ, & veritas. Maximè enim misericordiæ opus est, homini inimico tanta remedia concedere. Sed etiam maximæ justitiæ est, propter obsequium tam gratum personæ tam dilectæ* (Christi inquam Domini) *tantum remedium conferre illis, pro quibus illa persona obtulit obsequium.* Ita subtilis simul & pius Doctor, pluribus hoc declarans. 21

SECTIO II.

Sacramentorum materia, & forma, harúmque mutatio, & conjunctio, divisióve.

SVMMARIVM.

Sacramenta tribus perficiuntur. 22.
Generalia multa de Sacramentis indicantur remissivè. num. 23. & seqq.
An forma debeat coexistere materiæ proximæ? 25. & seqq.

Casu vero declaratur necessitas coëxistentiæ materiæ cum forma. 31.
Item adhuc alio 33.
Quando facienda repetitio formæ, ob separationem partium factam? 41.
Repetitio non facienda sine causa. 42.
Declaratur casu prodigiosè tussientis. 43.
Jurisperiti Theologos superant copiâ axiomatum. 47.
Repetitio quomodo facienda? 48.
Transpositio vocabulorum quando variet substantialiter formam? 49.

22 DEcantatum est illud ex S. Augustº. *Tr.* 8. *in Joan.* desumptum Axioma: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Recepta quoque est ab omnibus Catholicis doctrina Concilij Florentini, tradita his verbis: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, personâ Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi id, quod fa-*
23 *cit Ecclesia.* Sensum horum verborum, sicut & Axiomatis ex D. Augustº. do *in Alphab. Baptiz. n. 4. & seqq.* ubi etiam exprimo, Sacramenta omnia constare duplici materiâ, scilicet *proximâ & remotâ.* Materiam utramque Baptismi, & Confirmationis explico in eodem *Tr. 2. Cas.* 1. & 21. Evchariſtiæ *in Alphab. Sacrificant. Cas. 2. num 26.* Pœnitentiæ *in Alphab. Confitentium num.* 5. Ordinis & Extremæ Unctionis *in Alphab. de utroque hoc Sacramento Cas. 2. 3. 4. 5. & 21.* Matrimonii *in Part. 2. Alphab. Matrim.* seu *Tract.* 10. *Cas.* 10. quibus etiam locis exprimo, quæ sit singulorum forma.

24 Item *in Alphab. Baptiz. Cas.* 2. enumero modos, quibus seu cum mortali, seu cum duntaxat veniali peccato fieri solet mutatio formæ, & quandonam mutatio tollat valorem Sacramenti, quomodo nec tollat, nec impediat. Item *ibid.* & in *Cas.* 1. An, & quomodo liceat uti formâ, aut materiâ dubiis. Rursum *in eodem Alphab. Cas. 2. num.* 75. moneo ex S. Thoma 3. *part. q. 6. a.* 8. singulariter, tunc vitiari formam substantialiter, quando ci adduntur unum, aut plura verba cum intentione inducendi novum ritum; quæ intentio censetur tunc adesse, quando vel substantialis forma falsificatur per eam additionem, ut si Arianus baptizet dicens: *Ego te Baptizo in nomine Patris majoris Filio*, vel non falsificatur quidem, additur tamen aliquid tanquam substantiale, quod non spectat tamen ad substantiam. Dicitur autem tunc addi tanquam pars substantialis, quando Minister Sacramenti intendit non conferre Sacramentum, nisi dependenter ab illo addito, ut quando Calvinista baptizat in hunc modum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti secundùm authoritatem, quam mihi tribuit Calvinus.* De qua heteroclita baptizandi ratione proferam infrà *n.* 191. Casum non *Fictum*, sed *Factum.*

Præterea *in cit. Alphab. Baptizat. Cas. 2. n.* 21. 25 dico quidem, videri probabiliorem opinionem negantium, esse de necessitate Sacramenti, ut unà cum applicatione materiæ e. g. aquæ in Baptismo, olei in Extrema Unctione, proferatur vel tota forma, vel saltem una pars, sed verè confici Sacramentum, tametsi tota prorsus forma proferatur, vel antequam quidquam materiæ adhibeatur, vel postquam est tota materia applicata, dummodo observetur moralis coëxistentia, diversa pro diversitate Sacramentorum. At in primis hæc doctrina non habet integre locum in Sacramento Pœnitentiæ, cuius forma cùm sit absolutio, materia verò sint peccata, & ipsi actus pœnitentis, absolutio autem nequeat impertiri, nisi post illos actus pœnitentis, palam est, formam huius Sacramenti non solùm non posse *licitè*, aut *validè* adhiberi ante omnem materiam, sed debere communiter adhiberi post omnem materiam, id est post confessionem omnium peccatorum, quorum absolutio deposcitur, itémque post dolorem substantialiter requisitum, póstque propositum essentiale. Quam- 26 quam *in Alphab. Confitent um Cas. 6* indicabimus, si quis oblitus sit excitare dolorem ante narrationem peccatorum, sufficere probabiliter, modò illum excitet tunc, cùm proferetur forma. Eadem doctrina non habet locum in Matrimonio, cujus materia proxima cùm sit traditio corporis in usum Matrimonii, forma autem verba, quibus acceptatur ea traditio, necessariò debet etiam in hoc Sacramento materia præcedere formam. Vide tamen Casum propè Metaphysicum, quem *in 2. part. Alphabet. Matrim.* seu *Tr.* 10. *n.* 395. refero.

Habet nihilominus ea doctrina locum in 27 cæteris quinque Sacramentis, & ita quidem, ut mortaliter peccet, qui totam formam effert post, vel ante totam materiam applicatam, eò quòd probabiliter reddat irritum Sacramentum; probabiliter, inquam, ob auctoritatem gravissimorum Virorum credentium, scribentium, esse de necessitate Sacramenti, ut saltem aliqua pars formæ, jungatur *physicè* cum applicatione materiæ proximæ. Itaque licèt 28 Dominicus Sotus *in 4. dist. 3. q. un a.* 8. Cajetanum appellet *scrupulosum*, dum loco, quem in *cit. num.* 80. refero, contendit, esse necessariò inchoanda in Baptismo verba, priusquam finiatur tota ablutio, attamen adhuc sentio, quòd *ibid. num.* 81. scripsi, scilicet repetendum esse Baptismum, collatum aliter, quàm is sit, quem Sotus nominat scrupulosum; idem omnino sentio de Ordine Presbyteratûs, & Episcopatûs, utpote ex quorum irrita collatione oriri possunt innumera mala. De Confir- 29 matione, quia est Sacramentum minimè necessarium, & eius iteratio est per se illicita, parítque varios sermones, non censerem, esse eam repetendam, nisi immediatè postquam esset tota forma ita perperam prolata. Extremam

mam Unctionem repeterem ipse, si essem Parochus, & haberem moribundum, nullo munitum Sacramento, quàm Unctionis administratæ cum illa postpositione totius formulæ.

His omnibus, quæ *explicitè*, vel *implicitè* reperientur locis indicatis, & quoad sufficientiam moralis coëxistentiæ pulchre distinctis, declaratísque à paulò *superiùs* nominato Domino Reding *loco cit. q. 1. art. 2. Controvers. 4.* addo sequentia.

30 I. Certum est, postpositionem formæ posse esse talem, seu tantam, ut ex omnium sententia reddat irritum Sacramentum, at verò quandoque tam modicam, ut saltem sit ob authoritatem probabilissimum, non vitiari per eam Sacramenti valorem. Declaratur prima pars inde, quòd, si formam Baptismi, Confirmationis &c. proferas primùm dimidiâ horâ post affusam aquam, vel allitum Chrisma, omnes pronunciaturi sint, invalidè pronunciari; adeóque esse tunc repetendam ablutionem, & Unctionem. Imò vera est resolutio, quam P. Thom. Tamburinus *de Sacrament. lib. 1. cap. 1. §. 1. n. 5.* testatur, se dedisse ad hunc

Casum vivi habiti pro mortuo.

31 *QUidam sacerdos me olim convenit, & quæsivit, an ritè egerit in Extremâ Unctione conferendâ; nam dum primam unctionem adhibuisset, formáque partem illi unctioni respondentem, ut fit, sed non totam protulisset, visus est certò infirmus animam exhalâsse; unde omnino destitit ipse ab incepto ministerio, ut desistere certè debuit, sed quia post integram circiter horam infirmus oculos aperuit; vivúsque manifestè apparuit, idem sacerdos formam iterum adhibuit, quam integrè non protulerat, non repetitâ tamen unctione, quæsivit ergo, an ritè se gesserit,*

32 Respondit autem P. Tamburinus, ut ipse testatur, illi sacerdoti, eum debuisse iterare illam Unctionem, quia prior Unctio se habuit, ac si nunquam fuisset pro hoc Sacramento facta, cùm non potuerit propter illam distantiam facere unitatem moralem cum forma post horam.

Idem Doctor dat contrariam omnino responsionem ad sequentem.

Casum Judicialem.

33 A *Lio diverso tempore me convenit alius sacerdos, meque interrogavit, an ipse quemdam pœnitentem, qui sua peccata plenè confessus erat, injunctámque pœnitentiam acceptárat, licitè absolverit non statim, sed post integram ferè horam, in qua ipse confessor debuit in loco eodem Confessionis ex urgenti necessitate prolixum habere sermonem cum quodam magnæ autoritatis Principe? Respondi, licitè, & ritè se gessisse. Ratio est, quia pœnitentia, quæ est ad modum judicii, tolerat prædictam illam distantiam, quantum est ex hoc capite, præscindendo, an in eo interiecto tempore peccaverit, vel non peccaverit pœnitens &c.*

Ita P. Tamburinus: quæ ejus responsio con- 34 firmatur iis, quæ *in Alphab. Confessariorum Cas. 6. num. 298.* trado de Confessore oblito impertiri absolutionem, & defectum oblivionis supplente post aliquot horas. Ratio porrò generalis duarum oppositarum responsionum, quas dedit Tamburinus, hæc est pro praxi observanda, quòd, quamvis minister Sacramenti generatim loquendo, debeat operam dare, ut formam conjungat, quàm proximè, & intimè potest, cum materia, seu curare, ut quam magnam potest, servet simultatem formæ cum materia, attamen speciatim, & in rigore loquendo, illa omnis, & sola distantia formæ à materia invalidat Sacramentum, per quam secundùm naturam talis Sacramenti ita distat materia à forma, ut prudentis arbitrio unum completum morale ex utraque non fiat.

Cùm enim sacramenta sint composita quæ- 35 dam quasi artificialia, certè moralia, id est libere instituta ad hunc, aut illum finem, hoc illóve modo obtinendum, oportet de eorum proprietatibus, & accidentibus judicare non secundùm principia physica duntaxat, sed vel maximè secundùm moralia, adeóque sæpissime recurrendum est, dum volumus prudenter de iis pronuntiare, ad judicium prudentium, considerantium varias circumstantias; ergo rectè dicitur, illam distantiam, seu separationem formæ sacramentalis à materia officere valori alicujus Sacramenti, quæ prudentis judicio censetur impedire, ne efficiatur unum quoddam compositum artificiale, seu morale; prudentes autem omnes censent, parvam officere uni, non nisi magnam alteri. Vnde fieri potest, ut subsistat matrimonium, licèt post fluxum dimidij anni sequatur acceptatio traditionis præstitæ ante semestre spatium. Nemo autem sanus dixerit, valere baptismum, cujus materiam exhibuisti ante prandium, formam verò post prandium.

Fortè autem quæret non nemo, seu piè, seu 36 vitiosè curiosus, an Confessarius ille, qui absolutionem distulit per integram horam post injunctam pœnitentiam, non deliquerit, adeóq; quid faciendum esset, si quis princeps rursum interveniret ejusmodi sacramentali judicio?

Respondeo, mihi vix occurrere rationem 37 excusandi saltem à veniali; non enim satis video, cur, quando monitus fuit, adesse tantum

Principem, debuerit ſecundùm regulas Chriſtianæ vel Vrbanitatis, vel Obſervantiæ prorſus ſubitò abrumpere cœptum, & eò uſque perductum miniſterium. Certè nullus, puto, reperietur Princeps Catholicus, qui id exigat; ergo fuit ſuperflua Vrbanitas, adeóque peccaminoſa. Si verò ponamus, quòd ipſemet jam tunc Princeps ſteterit ante Confeſſionale, quando unus è famulis vellicavit veſtem ſacerdotis, vel altiore voce dixit: *Pater: meus Sereniſſimus adeſt hic, cupiens vobis loqui*; poterat, imò, me judice, debebat vel immotus, & cum ſacerdotali gravitate, vel certè factâ illi Principi reverentiâ, dicere pœnitenti: *Abſolvo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, Amen.* Placuiſſet huic, puto, magis iſta erga ſacramentum, quàm erga ipſum reverentia. Certè non ægre tuliſſet, ſi confeſſarius petiiſſet ab eo licentiam tantillæ moræ. Fortè tamen, ſi mihi ipſi contingeret tam repentinus caſus, facerem idipſum, quod ille, quem corrigo, quia res tam improviſa forſan feciſſet me immemorem mei officii.

38 II. Longè magis cavendum eſt, ne aliqua pars formulæ ſejungatur ab aliis, quàm ne tota forma à materia, quia ſcilicet prior illa ſejunctio facilè impedit, ne reddatur ille ſubſtantialis ſenſus, quem intendit Chriſtus, ergo ea omnis eſt *mortaliter* illicita, & emendanda per repetitionem omnium verborum, quæ impedit prædictum ſenſum. Nam *quando eſt tanta interruptio, quòd intercipiatur intentio pronunciantis, tollitur ſenſus Sacramenti* (ſeu ſacramentalis formæ) *& conſequenter veritas ejus*, inquit S. Thom. *3.p.q.61.a.8.ad 3.* Licèt
39 igitur *in Alphab. Baptiz. Caſ. 2. n. 97.* inficier, eſſe neceſſariam ullam repetitionem, quando baptiſta poſt prolata hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris*, corrigit garrientes, aut tumultuantes pueros dicens: *Tacete mali pueri*, ſed poſſe rectà pergi ad ſequentia verba; ſi tamen idem baptiſta illis pauculis verbis objurgatoriis adjungeret oratiunculam invectivam, durantem tamdiu, donec pſalmus quinquageſimus ſemel percurreretur, nemo dubitaret de neceſſitate iterationis; ſicut nec tunc, quando propter vel ſternutationem, vel tuſſim, vel inimpedibilem excreationem abrumpitur verbulum aliquod jam inchoatum, ſeiungitúrque una ſyllaba notabiliter ab altera. Quis enim adultus, aut Judæus, aut Turca, quem abluis lavacro Chriſtiano, non ferret ægerrimè, ſi, poſtquam protuliſti in verbo *Baptizo* primam ſyllabam, expuas ter, quatérve in terram, ac ſubjungas: *Tizo*; ſanè dicereris nugari, non autem fungi officioveri baptiſtæ.

40 Quia verò pleræque formulæ conſtant tot vocibus, *eſſentialiter*, ex multorum Doctorum ſententia, requiſitis, ut facilè poſſint ob ſupervenientem diſtillationem, præſertim apud ſenes, aut catarrhoſos, cauſare neceſſitatem ſeparandi unum verbum formæ ab altero, ideo opus eſt habere duas practicas Regulas in memoria.

Prima eſt. *Tunc ſolùm, & ſemper facienda eſt* 41 *repetitio verborum priùs prolatorum cum diviſione unius verbi ab altero, unius ſyllabæ ab altera, quando illa diviſio, ſeu ſejunctio eſt tam notabilis, ut prudenter dubitari queat, an per illam impediatur, nec ne ſenſus communis, quem ex Chriſti inſtitutione deberet reddere tota formula.* Deſumitur hæc Regula ex S. Thom. ſuprà.

Secunda Regula. *Licèt venialiter peccetur, ſi* 42 *unum verbum, unâve ſyllaba repetatur, ſeu bis pronuncietur, ſine rationabili cauſa, attamen in dubio eſt inclinandum potiùs in iterationem, quàm in omiſſionem.* Ratio eſt hæc generalis, quia in dubio eſt è duobus malis minus eligendum; longè autem minus malum eſt, facere repetitionem, cùm non eſſet facienda, quàm omittere, cùm eſſet non omittenda; quia in primo caſu fit ſolùm irreverentia Sacramento: in ſecundo præter irreverentiam Sacramenti, poteſt procreari damnum ſpirituale ſuſceptori Sacramenti. Hinc reſolvitur hic.

Caſus prodigioſè tuſſientis.

Quidam ſacerdos, dum partem verborum 43 *conſecrationis pronunciâſſet, ſcilicet*: Hoc eſt corpus, *antequam proferret*: meum, *ea diſtillatio ex capite fluens repente fauces impediit, ut ferè per ſemiquadrantem tuſſi occupatus, quod ſupererat de forma, nempe* meum *proferre non potuerit; protulit tamen deinde ipſum pronomen* meum *duntaxat, confecítne Euchariſtiam, ídque licitè?*

Ita refert, ita quærit P. Thom. Tamburinus 44 *in cit. Lib. 2. de Sacram. cap. 1. §. 1. n. 9.* reſpondens ipſe, illum *bonum* (ut appellat) ſacerdotem debuiſſe utique repetere de novo tria priora verba, eò quòd tanta temporis intercapedo inter illa, & pronomen *meum*, planè deſtruxerit ſenſum ſubſtantialem formulæ, nec enim vocula *meum* potuit dici eſſe tunc *moraliter* juncta prioribus verbis; ergo reliquit illa priora tria verba in eo ſenſu, quem effeciſſent, ſi poſſeſſivum: *meum* fuiſſet penitus omiſſum.

At, *quid ſi ſacerdos ille ſolummodo ſpuiſſet ſe-* 45 *mel in terram, ac ſtatim ſubjeciſſet*: meum?

Reſpondet rectè P. Tambur. non futurum fuiſſe opus repetitione ullâ. *Quid ſi autem non quidem ſpuiſſet, ſed commotus conſideratione ſupervenientis illius miſeriæ, dixiſſet articulatâ voce*: O bone Deus? *vel*: Fuge hinc? Reſpondet idem oppidò ſagax, & practicus Doctor, nè tunc quidem fuiſſe quidquam iterandum. Reſponderem & ego; verè enim tam paucula verba, & quidem prolata in ejuſmodi cir-

circumſtantia, non dividunt *moraliter* à ſe invicem voculas eſſentiales formulæ ſacramentalis; & circumſtantia illa ſupervenientis tuſſis efficit, ut, quiſquis ea verba audiret, facilè judicaturus eſſet, non proferri tanquam pertinentia ad formam, ſed nihilominus ex: *Hoc eſt Corpus*, &: *Meum*, confici unam unicam, & veram orationem. Secùs ſentirem, ſi ſacer Myſta liber omni exteriore moleſtiâ pronuntiaret uno tractu, eâdem vocis, ſeu ſoni conformatione hanc totam ſententiam: *Hoc eſt corpus O bone Deus meum*; & vel maximè, ſi dixiſſet: *Hoc eſt corpus fuge hinc meum.*

47 Ecce mi bone Lector, quàm ſapienter doceant Juriſperiti (quos ſummi facio propter innumera ſapientiſſima axiomata, quibus eorum & leges, & Commentarii pleniſſimi ſunt, atque utinam, quod ſæpe cogitavi, haberent hac in re Theologos ſtudioſiores imitatores) nos æquè, imò ſæpe magis loqui *factis*, quàm *verbis* Circumſtantia realis efficit hîc, ut cenſeatur ſacerdos loqui integre in perſona Chriſti. Quod etiam locum habet in mero ſilentio; poteſt enim eſſe tam diuturnum inter unam, alterámve vocem ſpectantem ad unam intentam orationem, ut impediat moralem conjunctionem, & conſequenter ſignificationem intentam à Chriſto.

48 III. Venialiter delinqui repetendo abſque rationabili cauſa unam ſyllabam, aut unum verbum ſacramentale, dixi ſuperiùs, additurus *Tract. ſeq.* ſeu *in Alphab. Baptizantium, n.* 378. & 379. illum graviter ex ſuo genere peccare, qui frivola ex cauſa etiam ſub conditione repetit totam formulam ſacramentalem. Qua de re vide etiam, quæ *Tract. 3. Caſ. 3. num. 94.* & 95. dicam de ſcrupuloſè repetentibus formam conſecrationis; & quæ in eodem *Tract. Caſ. ult. num.* 782. referam de modo obſervando in repetitione unius, vel plurium verborum ſacrificalium. Applica generatim repetitioni verborum ſacramentalium.

49 IV. Tranſpoſitio vocabulorum præſcriptorum, tunc variat formam ſubſtantialiter, quando mutat ſubſtantialem ſenſum. S. Thom. *loc. cit.* Yſambertus *a. 8. num. 3.* & alii paſſim. Hinc ſi dicas: *Meum eſt hoc corpus*, non facies Sacramentum, quia hæc enunciatio reddit hunc ſenſum: *Hoc corpus pertinet ad me.* Nicolaus Yſambertus *num. 7.* Secùs ſi dicas: *Baptizo te in nomine Spiritûs ſancti, & Filii, & Patris.* Tambur. *cit. §. 1.* quia nullo modo mutatur ſubſtantialiter ſenſus formulæ communis. Plura de mutatione formulæ invenies *in Alphab. Baptiz. Caſ. 2. n. 73. & ſeqq.* & ibid. *ſect. 2. n. 87.* loquor de caſu, quo quis ex malitia corrumpit errore Grammaticali formam. Ideo toties in hoc Tractatu Lectorem remitto ad ſequentem, quia ſequentem conſcripſi ante omnem cogitationem de componendo præſenti.

SECTIO. III.

De Miniſtro Sacramenti, eiúſque qualitatibus neceſſariis & ſingulariter Intentione.

SVMMARIVM.

An repetendum Sacramentum collatum ab Angelo? 50.
Quando Miniſter Sacramenti debeat eſſe in gratia? 53. & 54.
Confeſſarius, quo temporis articulo debeat eſſe in gratia? 55.
Horrifica punitio Diaconi, fungentis ſuo officio poſt exercitam turpitudinem. 56.
Intentio in Miniſtro eſt neceſſaria. 59.
Variè dividitur intentio. 62. & ſeqq.
Habitualis propriè quæ? 62. & 63.
An omnis Virtualis ſit reipſa etiam Actualis? 65.
Implicita propriè quæ? 66.
Duobus modis poſſumus expreſſè velle aliquod objectum. 68.
Directa intentio quæ? 70.
Faciendi quod facit Eccleſia quæ? 72.
Quænam ex enumeratis intentionibus ſit, vel non ſit ſufficiens ad Sacramentum? 74. & ſeqq.
Diſcrimen quoad rationem intentionis neceſſariæ inter Sacramentum, & applicationem ſacrificii. 78.
Cur habitualis intentio non ſufficiat? 79.
Scrupuloſis non eſt conſulenda intentio actualis. 82.
An validè conferatur Sacramentum ſub conditione? 87. & ſeqq.
Quid ſi dicat Miniſter: Te abſolvo, ſi Deus novit, te cras reſtituturum? 88.
Aut: Te abſolvo, ſi es prædeſtinatus? 89.
Caſus obſtetricis baptizantis additâ conditione de adventu parochi. 91.
Defectus ſeu Materiæ ſeu intentionis non ſuppletur à Deo. 96.
An delinquat Miniſter Sacramenti, ſi diſtrahatur? 97.
Vtram è probabilibus opinionibus ſequetur Miniſter? 98. & ſeqq.
Defenditur Clypeus Clement. Judicum contra criminationem Stephani à S. Paulo. 102. in Append.
Oſtenditur, illum fabricare arma contra ſe ipſum. Ibid. *lit. K. & P.*
Cur ſententiæ leniores ſint plerumque à Confeſſario præferendæ rigidioribus. Ibid. *lit. Q.*
Ex vocula: Plerumque *nequit quidquam determinatè inferri.* Ibid. *lit. O.*

50 QUæritur I. *Quis ſit Miniſter Sacramentorum, & cum quibus conditionibus, ſeu qualitatibus?*

R. Solus homo eſt idoneus Miniſter Sacra-

mentorum ex vi præſentis inſtitutionis. Omnes DD. cum S. Thom. *q.64. a. 7.* Nihilominus tamen non ſolùm ſæpe factum eſt, ut Angeli miniſtrârint hominibus Sacram Evchariſtiam, ſicuti nominatim de noſtro Beato Stanillao Koſtka refertur in ejus vita, ſed etiam ut confecerint aliqua Sacramenta. Etenim Nicephorus Calixtus *Lib. 11. hiſt. c. 20.* refert, S. Amphilochium fuiſſe ab Angelis conſecratum Epiſcopum, eámque conſecrationem habitam à cæteris Epiſcopis pro rata; pro qua illam etiam habet Cardin. de Lugo *Tom. 2. in 3. p. d. 8. ſect. 1.* & meritò, cùm S. Thom. *l. c.* expreſſè ſcribat: *Quia boni Angeli ſunt nuntii veritatis, ſi aliquod ſacramentale miniſterium ab Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum, quia debet conſtare* (id eſt certò credi) *hoc fieri voluntate divinâ.* Vide *Alphab. Baptiz. Caſ. 4. n. 158.* & obſerva ex Lugone *in Reſponſ. Moralib. Lib. 1. dub. 16. n. 3.* licèt quis eſſet à S. Petro abſolutus, nihilominus tamen remanſuram, quæ priùs aderat, confitendi *ſacramentaliter* neceſſitatem.

51 II. Non tamen quivis homo eſſe poteſt Miniſter cujuſvis Sacramenti, ut nôrunt omnes, & definitur in Trident. Concil *ſeſſ. 7. Can. 10. de Sacram. in genere*, nóſque in tractatione ſingulorum Sacramentorum declarabimus, quis ſingula conficere valeat.

52 III. Tametſi Miniſter laboret errore fidei, non tamen idcirco præciſè impeditur valor Sacramenti, ut videbimus *ſect. quintâ n. 193. & ſeqq.*

53 IV. Miniſter, qui ratione officii & Ordinis Sacramentum adminiſtrat, debet eſſe in ſtatu gratiæ, alioqui contaminat Sacramentum, ut loquar ex S. Thomâ *cit. q. 64. a. 6.* in C. & omnes fatentur hoc tempore, niſi quòd multi negent de Miniſtro Euchariſtiæ, ut videbimus *in Alphab. Communic. Caſ 21. n. 377.* ſicut & Cardinalis de Lugo *Tom. 2. d. 8. ſect. 9. n. 151.* negat de Miniſtro baptiſmi, & pœnitentiæ, caſu quo ob juſtum periculum mortis, vel infamiæ imminentis nequit ante abſolutionem elici contritio; rectè enim neceſſitas urgens excuſat irreverentiam erga Deum, ſicut ſæpe erga Principem. Quam doctrinam etiam Communioni applicitâ tametſi admittat Dom. Auguſtinus Reding. *Tom. 6. Theolog. Scholaſt. q. 6. a. 2. Controverſ. 2. num. 11.* addit tamen, illam impoſſibilitatem, vel ineptitudinem ad eliciendam contritionem, *moraliter* non tam per ſe, quàm ratione alicujus ex diſtractione, perturbatione, ſeu ignorantia impedimenti oriri.

54 Quòd ſi adminiſtret planè per accidens, & ad id non ordinatus, ſecundùm multos non admittit ſacrilegium, etſi conſcius peccati mortalis id faciat, ut de Baptiſmo per Laicum adminiſtrato, item de Euchariſtia per Laicum in neceſſitate alicui præbitâ fatentur DD. Dixi; *Miniſter Sacramenti*, qualis utique non eſt Epiſcopus calices, aut Eccleſias conſecrans, Sacerdos Matrimonio aſſiſtens, aut ſolenniter concionans, Diaconus, aut Subdiaconus ſolenniter miniſtrans, & ideo tales non patrant mortale ſacrilegium exercendo talia munia, licèt veniale tribuat ipſis Lugo *l. c. num. 153.* Imò etiam contra P. Vaſquez *diſp. 136. c 4.* damnat. *n. 156.* de mortali Epiſcopum, conſecrantem in mortali Chriſma, oleúmve infirmorum benedicentem, eò quòd hi duo liquores ſint propter benedictionem Epiſcopalem materiæ idoneæ pro his Sacramentis. Ego requiro pro 55 tam horribili culpa rationem urgentiorem, quia, ut repeto aliquoties in meis libellis, *incautum eſt, & malum, affirmare, aliquid eſſe peccatum mortale, quando non probatur ſufficienti authoritate, vel evidenti ratione*, inquit Gabriel *in 4. diſt. 15. a. 2. in fin.* Authoritas illius, etſi magni Doctoris, oppoſita authoritati Patris Vaſquez, non eſt mihi ſufficiens, ratio non evidens. Aſſentior verò eidem Cardinali, quatenus *n. 159. & 160.* adſtipulante Marchantio *in Reſol. paſtor. Tract. 1. cap. 4. n. 3.* abſolvit à mortali Confeſſarium, præciſè audientem in ſtatu mortalis peccati confeſſionem, & etiam imponentem pœnitentiam, modò contritionem eliciat ante abſolutionem; ſicut & aſſentior pronuntianti è diverſo *num. 161.* reum duplicis mortalis Preſbyterum, ſacrificantem in mortali, & communicantem; item *n. 51.* ineuntem in peccato mortali Matrimonium, hic enim ſecundus eſt & miniſter, & receptor Sacramenti, ſicut prior conficit, & recipit. Claudo hanc de ſanctis ſanctè tractandis materiam.

Caſu antiquo terrifico.

56 *ILlius videlicet impuriſſimi Diaconi, qui cùm de nocte exercuiſſet omnem laſciviam cum ſcorto, die autem inſequenti ſolenniter obiret officium Diaconale, aranea è laqueari ſeſe ter demittens tertiâ vice illum pupugit, atque enecavit.*

57 Cardin. de Lugo arbitratus, non dedecere gravitatem Theologicam, ſi hoc divinæ ultionis paradigmate declararet, quàm graviter Deus ulciſcatur peccata etiam venialia circa rerũ ſacrarum tractationem patrata, deſcripſit illud ex Speculo exemplorum. *Diſt. 9. Exempl. 110.* ego ex illo abbreviavi. Vide, ſi placet de omnibus in hoc §. breviter ſcriptis P. Dicaſtillo *Tract. 1. de Sacramentis diſp. 3. dub. 10.*

58 V. Qualis Juriſdictio quoad licitam, aut etiam validam confectionem Sacramentorum exigatur, aperiam, cùm de ſingulis diſſeram. Hoc certum, quòd defectus Juriſdictionis non irritet ullum Sacramentum, niſi Pœnitentiæ, & Matrimonii.

59 VI. Singulariter autem exigitur in Miniſtro

ſtro debita intentio, ita ut eâ deficiente Sacramenti confectio ſit invalida, etſi jam confecti collatio, ſeu præbitio non poſſit quoad valorem vitiari ob ullam intentionem miniſtri; validè enim communicas, etſi miniſter præbeat tibi Corpus Chriſti cum intentione Sathanica; imò conficitur Sacramentum Matrimonii validè, licèt Parochus aſſiſtat cum intentione planè hæretica; nec mirum, quia ipſe non eſt propriè miniſter huius Sacramenti, ſed ſponſus & ſponſa, ut dicemus ſuo loco.

60 Porrò non cenſeberis habere intentionem requiſitam, licèt verba ſacramentalia proferas aut in ſomno, aut in ebrietate, eſto fortè ideo te inebries, aut ſomno tradas, quòd ſcias, te in ſomno, vel ebrietate prolaturum verba ſacramentalia, ut oſtendo *in Theolog. Juridico. morali*, ſeu *Tract. 5.* mei Quinarii *cap. 15.* cum Dicaſtillo fuſè explicante *cit. diſp. 3. dub. 6. §. 3.*, cauſam, cur ſomnus tollat libertatem, non autem diſtractio. Etenim caſus dari poteſt, ut Sacramentum verè conferatur, ſeu exiſtere incipiat tunc, cùm miniſter aut revocavit intentionem, aut etiam mortuus jam eſt.

61 Cæterùm, quæ & qualis intentio exigatur in Miniſtro; indico breviter *in Alphab. Baptiſmali Caſ. 6.* hic autem ediſſeram diſtinctiùs, atque accuratiùs, ſingulariter explanando adjectiva intentionis, & conſequenter dicendo, quid ſit intentio *Actualis*, & *Habitualis*, atque *Virtualis*, quidq; *Directa*, & *Indirecta*, ſeu *Interpretativa*; de quibus quidem omnibus copioſè diſſerunt reliquos inter Cardin. de Lugo *diſp. 8. de Sacram. in genere*, atque P. Dicaſtillo *diſp. 3.* etiam *de Sacram. in genere. dubit. 6.* quorum etiam verbis quandoque utar.

62 VII. Itaque intentio *Actualis* eſt illa, qua quis facere aliquid vult elicito voluntatis actu, tendente in illud, quod facit; *Habitualis*, verò (prout à *Virtuali* diſtinguitur) intentio, eſt intentio merè (quoad entitatem) præterita, & non revocata, inquit Lugo *diſp. 8. num. 72.* ſeu eſt, habuiſſe priùs intentionem *Actualem*, nec eam ullo modo retractâſſe, etſi ab ea jam ceſſaveris, inquit Dicaſtillo. E.G. heri expreſſè, & ſeriò propoſuiſti facere hodie Sacrum pro matre defuncta, & ſacrificas quidem, ſed neque impulſus vi heſterni propoſiti, neque ampliùs memor illius; certè nemo negabit intentionem duplicem, quam heri formâſti, & nullatenus revocâſti, hodiéq; permanere in tenore *entitativè*, ſeu actu permanere nemo dicet, ergo permanet ſolo habitu, adeóque diceris habere, dum ſacris operaris, intentionem *Habitualem* Sacri faciendi pro matre, ſeu applicandi ipſi valorem tui Sacrificii.

63 Licèt autem Lugo, & Dicaſtillo ita ex communiori conſenſu deſcribant intentionem *Habitualem*, attamen non ſolùm Tannerus *Tom. 2. diſp. 3. q. 4. n. 26.* ſcribit, intentionem *Habitualem* eſſe, qua is, qui *Actualem* antea non habuit, ex cuius vi ſequatur operatio ſacramentalis, eſt tamen ita diſpoſitus, ut ſi ei in mentem veniret, paratus eſſet ad eliciendam ciuſmodi intentionem *Actualem*, ſed etiam S. Thom. *q. 46. a. 8. ad 3.* & quidam alii ſubinde *Habitualem* confundunt cum *Virtuali*, nos verò cum aliis communiſſimè diſtinguimus. Denique Dominicus Sotus *in 4. d. 1. q. 5. a. 8.* ſic ſcribit: *Habitualis intentio eſt habitus, qui eſt in dormiente, quando de re nihil cogitat.*

64 VIII. Igitur *Virtualis* intentio propriè, & prout contradiſtinguitur à merè *Habituali*, ea eſt, quæ licèt vel jam ampliùs non exiſtat actu, vel certè propter ſuam debilitatem videatur non ampliùs exiſtere, attamen ex eius *realiter* præhabitæ vi, & energia fit quidpiam, quod alioqui non fieret. Sicuti quando dicens: *Ego te baptizo in nomine, &c. Hoc eſt corpus meum: Per hanc ſanctam Vnctionem: Te Deum laudamus, &c. Deus in adjutorium meum intende*, non intendis quidem *actualiter* proferre iſta verba, aut proferre ad conficiendum Sacramentum. laudandum Deum, eúmve rogandum, diceris tamen ea promere ex, ſeu cum intentione *Virtuali* conficiendi Sacramenti, laudandi, orandíque Dei, quia quando te accinxiſti ad baptizandum, ſacrificandum, ungendum extremè, recitandum Breviarium, habuiſti *Actualem* (*implicitam* vel *explicitam*, ut patebit ex dicendis) intentionem proferendi omnia illa verba, & proferendi quidem ad ſines indicatos.

65 Porrò exiſtimat P. Dicaſtillo *num. 100.* poſt Gabrielem, omnem planè intentionem propriè *Virtualẽ*, eſſe reipſa *Actualem*, ſed ita remiſſam, ac debilem, ut non advertatur adeſſe ampliùs, ſed putetur jam evanuiſſe quoad ſuam entitatem; unde *num. 101.* ſcribit: *Probabiliſſimum mihi videtur, intentionem virtualem faciendi in Sacramentis id, quod facit Eccleſia, nihil aliud eſſe, quàm voluntatem quidem actualem, remiſſam tamen, & cum remiſſa advertentia faciendi illa, quæ ex habitu jam cognoſcuntur eſſe neceſſaria ad ſtatutum finem.* Alii autem plerique negant, tunc ampliùs ſuâmet entitate exiſtere, quando acquirit nomen *Virtualis*, ſed exiſtere ſolùm in effectu, quem cauſavit, & qui iterum cauſat alium effectum. Ego abſtineo ab hac lite.

66 IV. *Implicita* intentio eſt illa, qua aliquid intendis, elicis, proponis, cupis, aut vis non expreſſè cogitans de illo, ſed de alio, in quo eſt involutum, ſeu cum quo eſt vel naturaliter, vel per humanam legem connexum; quo pacto diceris *implicitè* intendere, ſeu velle ſervare caſtitatem, quando voluntariè ſuſcipis Subdiaconatum, cui ex inſtituto Eccleſiæ eſt adjuncta caſtitas; aut conſecrare magnam hoſtiam, quando intendis conſecrare omnes particulas contentas in Ciborio, ignorans exiſtere inter eas aliquam grandiorem.

67 At verò intentio *Expreſſa* dicitur à DD. illa, qua rem aliquam cogitatam, & cognitam vis, & intendis non in alio, ſed in ſeipſa, quia ſcilicet illam cognoſcis, de illa cogitas, & illam cog-

cognoſcens facis neceſſaria ad eam efficiendam, acquirendam; ſicuti diceris tunc *expreſſè* velle, te eſſe obligatum ad obſervandam caſtitatem, velle conſecrare majorem, aut venenatam hoſtiam, quando cognoſcens obligationem caſtitatis annexam eſſe Ordini Subdiaconatûs, ſuſcipis ſponte hypodiaconatum, non excludens caſtitatem: quando minimè ignarus inter minores particulas eſſe unam grandiorem, aut venenatam, profers verba conſecrationis ſuper illum totum cumulum, non reſtringendo tuam intentionem ad parvas, ad non venenatas.

68 Solet autem duobus modis fieri, ut nos aliquod ſubjectum ſcientes, volentes, adeóque *expreſſè* intendamus, velimus, eligamus. 1. Eliciendo actum voluntatis, qui *directè & expreſſè* feratur in illud objectum. 2. Eliciendo actum, qui non feratur *directè*, & *expreſſè* in illud objectum, ſed tamen voluntariè ſubeundo illum ſtatum, in quo videmus, & apertè cognoſcimus, contineri id objectum. Primum modum *expreſſè* intendendi vocat Dicaſtillo *num.* 84. modum intendendi *expreſſè formaliter*: alterum intendendi *expreſſe*, non tamen *abſolutè formaliter*. Hoc ſecundo modo cenſeberis *expreſſè*, non *formaliter* intendere ſacrificare, quando ſciens, Sacrificium conſiſtere in tranſmutatione ſubſtantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, deliberatè profers verba conſecrationis, ſciens, per illa fieri prædictam conſecrationem.

69 X. Intentio alia eſt *Directa*, alia *Indirecta*. *Directa* eſt, qua aliquid volumus *directè, formaliter, poſitivè*, & *explicitè*. P. Suarez *in* 1. 2. *Tr.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 4. Tannerus *Tom.* 2. *diſp.* 2. *q.* 1. *nn.* 27. P. Dicaſtillo *num.* 114. At intentio *Indirecta eſt*, qua volumus aliquam cauſam, unde videmus ſecuturum effectum quempiam. Ita Dicaſtillo *cit. num.* 114. intentionem hanc appellans etiam *Interpretativam*, ſicut & Cardinalis de Lugo vocat *cit. diſp.* 8. *num.* 71 *&* 72. cùm tamen S. Thom. 1. 2. *q.* 6. *a.* 3. *&* *q.* 77. *a.* 7. illud appellet *Indirectè voluntarium*, quod voluntas potuit, debuítque impedire, & tamen non impediit; è diverſo appellans *Voluntarium in cauſa* id, quod Dicaſtillo *Voluntarium Indirectè*.

70 XI. Intentio alia eſt *Abſoluta*, alia *Conditionata*. *Conditionata* propriè eſt illa ſola, quæ habet adjunctam conditionem propriè dictam, ſeu quæ non eſt efficax, niſi exiſtat conditio ſub qua, ſeu dependenter à qua elicitur. Conditio propriè dicta eſt accidens, qualitas, circumſtantia, quibus contractus, ſeu diſpoſitio ſuſpenditur, donec aliud in futurum eveniat. P. Ferdinandus Rebellus *de obligat. juſtitiæ lib.* 2. *part.* 2. *q.* 10. *ſect.* 4. Igitur intentio *Abſoluta*, dicitur illa, quæ eſt *abſoluta*, id eſt libera à conditione propriè dicta, ſive de præſenti, ſive de futuro ſit ea conditio.

71 XII. Intentio denique alia eſt faciendi id, quod facit Eccleſia, alia non faciendi id, quod facit Eccleſia. Intentio faciendi id, quod facit Eccleſia in adminiſtratione Sacramentorum, involvit non duntaxat voluntatem exercendi *phyſicè* illam actionem, aut locutionem, quàm Chriſtus Dominus per Eccleſiam declaravit eſſe exercendam id temporis, ſicuti malè docuit Catharinus apud Vaſquez *in* 3. *p. d.* 238. *c.* 3. ſed ut omnes communiter Recentiores poſt Sotum *cit. a.* 8. explicant cum Dicaſtillo *num.* 77. illa intentio faciendi id, quod facit, ſeu fieri jubet Eccleſia, eſt intentio utendi rebus, & verbis, ut Eccleſia, vel talis natio, & gens Chriſtiana utitur, ubi legitimus eſt uſus, & ſufficiens ad valorem Sacramenti. Hanc autem intentionem habes *implicitè*, dum vis aut facere id, quod inſtituit Chriſtus, aut conferre Sacramentum, aut impertiri fructum Sacramenti.

Unde quando Turca baptizans in extrema 72
neceſſitate infantem dicit: *Volo omnino nunc facere id, quod in tali caſu faciunt Chriſtiani*, dum ſuam intentionem non reſtringit expreſſè ad ablutionem, & prolationem verborum, habet *implicitè* intentionem abluendi eo modo, eo fine, & ſacro ritu infantem, quo conſuevêre Chriſticolæ. His ita poſitis.

Quæritur II. *Quænam ex intentionibus ex-* 73
plicatis neceſſaria ſit ad validam adminiſtrationem Sacramenti cuiuscunque, ac conſequenter, quænam ſit ad hoc inſufficiens, aut etiam non neceſſaria?

Rſp. I. Intentio *Habitualis* ſuperiùs deſcri- 74
pta, non ſufficit ad valorem Sacramenti ullius, ſaltem extra Matrimonium. Ita Sotus ſuprà relatus, & omnes Recentiores, teſte Lugone *cit. diſp.* 8. *ſect.* 6. *num.* 90. Etenim intentio *Habitualis* eo modo, quo illam deſcripſimus ex Tannero, nihil planè ponit in eſſe, ut liquet ex verbis, quibus eſt definita, ergo nihil poteſt operari; Concilium autem Florentinum definiens, Sacramenta conſtare rebus, & verbis, atque intentione Miniſtri, requirit intentionem tanquam operatricem effectûs, ad quem Sacramenta ſunt inſtituta.

Rurſus intentio *Habitualis* accepta præciſè 75
pro ea, quæ aliquando extitit, & revocata non eſt, ut deſcripſimus ex Lugone, & Dicaſtillo, minimè ſufficit; quia exhibitio formæ, & materiæ nequit oriri aut *proximè*, ſeu *immediatè*, ex intentione, quæ jam quoad entitatem ſuam non eſt ampliùs in rerum natura, aut *remotè*, ſeu *mediatè* ab alia virtute relicta ab ipſa, cùm ſupponatur non reliquere ullam; ergo non apparet, quomodo poſſit eſſe cauſa actionis ſacramentalis. Denique *Habitualis* deſcripta ſuprà à Soto, poteſt eſſe ſine ulla prorſus deliberatione. Sotus *ibid.*

Excipi poteſt hinc Matrimonium. Sicut e- 76
nim donatio, & generatim contractus gratuiti, & onerosi perfici poſſunt per *habitualem* voluntatem, atque intentionem deſcriptam ex Di-

Dicaſtillo, ita etiam matrimonium, utpote veriſſimus contractus; etenim ſicuti poſſum Cajo dicere: *Volo jam abſolutè, ut meus equus ſit eras in meridie tuus, proillis* 50. *aureis, quos debeo tibi*, ita & dicere poteſ alicui Berthæ: *Volo jam*,
77 *ut meum corpus ſit cras tui juris in meridie.* Et ſicuti poſitis illis prioribus meis verbis meus equus erit Caji ad craſtinum meridiem, modò non revocem hodiernam intentionem, ita & corpus tuum erit cras (ſi ſis habitator loci, in quo valent clandeſtina connubia) Berthæ, ſi neque tu, neque ipſa recedatis à veſtra intentione hodierna, ut poſt hæc ſcripta vidi tradi à P. Dicaſtillo *cit. dub.* 6. *num.* 137. & quidem eo etiam caſu, quo id dicis obnoxius impedimento, quo tamen eris cras liber. Confirmatur hæc doctrina iis, quæ de matrimonio conditionali tradam *in* 2. *part. Alphab. Matrim.* ſeu *Tract. ult. huius Voluminis Caſ.* 12. *num.* 454.

78 Vnde ulteriùs inferes diſcrimen (quoad rationem intentionis neceſſariæ) inter Sacramentum, & Sacrificii applicationem; cùm enim applicatio Sacrificii habeat rationem cujuſdam donationis, mirum non eſt, quòd, quando dico hodie: *Faciam cras pro te Sacrum*, craſtinum Sacrum ſit futurum tuum, ſeu profuturum tibi, eſto non faciam ex vi craſtini, ſed ſolius hodierni propoſiti Sacrum, eſto quoque nihil prorſus ſeu *implicitè*, ſeu *explicitè* de te cogitem cras, dummodo non revocem meam donationem, ſeu applicationem hodie factam, ſicuti contra P. Vaſquez *in* 3. *part. d* 138. *cap.* 6. & pauculos alios ſert communis ſenſus Doctorum, cum, & apud Dicaſtillo *cit. dub.* 6. *num.* 131. At verò, ſi dicas hodie: proferam cras horâ octavâ verba conſecrationis, volóque jam, ut ea prolatio ſit revera ſacramentalis, ſeu per eam conficiatur Sacramentum, ineſficaciſſima erit hæc tua hodierna voluntas, & intentio, licèt cras horâ octavâ proferas attentiſſimè formulam ſacramentalem, habens in manibus panem ſeu uſualem, ſeu azymum, ſi quidem hodie nec renoves heſternam intentionem, nec formes novam. Ratio eſt, quia, ut dixi, intentio *habitualis* non ſufficit ad confectionem Sacramenti Evchariſtiæ, Baptiſmi, &c.

79 Cuius hæc ulterior ratio dari poteſt, quia licèt leges, & conſuetudines humanæ valeant efficere, ut voluntas *habitualis* habeat in tranſlatione dominii per contractus, & pacta tantam vim, quantam, ſi exiſteret adhuc entitativè, cùm leges humanæ poſſint ratihabitionem retrotrahere ad præterita, próque præteritis tribuere ei vim expreſſi mandati *cap. Ratihabitionem. De Reg. jur. in* 6. attamen quia vis conficiendi Sacramenta non dimanat ab ulla poteſtate humana, ſed à ſolo Deo, hic autem noluit, ut nos docet communis Doctorum ſenſus, tribuere *habituali* intentioni vim perficiendi Sacramentum ullum extra matrimonium, cuius primigeniam naturam, quæ eſt contractus, evertere noluit, hinc non eſt mirum, quòd non liceat, loquendo de energia *habitualis* intentionis, argumentari ab applicatione Sacrificii ad eius confectionem, à contractibus ad ſacramenta.

Cæterùm ſpectatâ rei naturâ potuiſſet Chri- 80
ſtus Dominus *habitualem* intentionem habere pro æquè efficaci ad baptiſmum, & reliqua, ac reipſa habet actualiſſimam formaliſſimam. Hunc diſcurſum examinent docti, nec enim legi exprimentem.

II. Intentio *Virtualis* ſuperiùs deſcripta ſuf- 81
ficit omnino ad conficiendum qualecunque Sacramentum. Ita omnes. Ratio eſt, tum quia ſufficientiſſima eſt ad omnes humanos contractus, mandata, prohibitiones, permiſſiones, vota, &c. Atqui Salvator non fecit, quoad hanc vim, ullam diſtinctionem inter iſta humana, & ſacramenta: tum quia hoc ipſo, quòd *Virtualis* intentio, dum per eam incipit exiſtere ſacramentum, adhuc exiſtat *realiter* vel in ſe ipſa, licèt valde remiſſè juxta P. Dicaſtillum ſuprà relatum, vel in aliquo ſuo effectu phyſico, ſufficiente ad producendum Sacramentum, ut fert communior perſuaſio Doctorum, fit, ut non exigatur illa *actualis*, quam ſuprà deſcripſimus; tum denique, quia eſt *moraliter* impoſſibile fragilitati humanæ, obnoxiæ plurimis etiam prorſus involuntariis diſtractionibus, habere ſemper intentionem *actualem*, panderetúrque via infinitis ſcrupulis, anxietatibúſque tum adminiſtrantium, tum recipientium Sacramenta, ſi exigeretur illa actualitas; verè enim plerique dubitarent, an dum baptizabantur, an dum fiebat conſecratio hoſtiæ, fuerit in ſacerdote intentio *actualis*? Vide Dominicum Sotum *cit. diſt.* 1. *q.* 5. *art.* 8.

Licèt igitur ſit per ſe loquendo conſultiſ- 82
ſimum, ut dum quis reipſa profert verba ſacramentalia, excitet *actualem*, imò, & *formalem*, *expreſſámque* intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia, ſeu rite conficiendi Sacramentum, id tamen non modò non eſt neceſſarium, ſed neque eſt ſcrupuloſis, aut valde anguſto intellectu præditis conſultum, ut eliciant in ipſamet *actuali* prolatione verborum, aut applicatione materiæ proximæ illam *actualem* intentionem: nam priores mactarent & ſe, & circumſtantes ſuis ſtultis repetitionibus: poſteriores facillimè errarent in recta pronunciatione formæ; rectâ applicatione materiæ; in tales quippe convenit ſingulariter tum id, quod S. Thom. *cit. art.* 8. ſapienter notavit: *Cùm homo vult multum intendere, incipit alta cogitare, ſecundùm illud* Pſalm. 39. *Cor meum dereliquit me*; tum etiam illud vulgatum: *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.*

Vidè ſi placet, & hiſce junge ea, quæ de in- 83
tentione *actuali* tempore Sacrificii ſcribo infrà *Tract.* 3. ſeu *in Alphab. Sacrific. Caſ.* 23. *num.* 788. ubi refero mirificum judicium P. Leſſii de intentione *actuali*; ſed priùs nota, eſſe omnibus miniſtris Sacramentorum ſuadendum, ut;

antequam se accingant ad ea ministranda, forment expressam, actualémque intentionem, de qua paulò antè. Nota quoque, sicut intentio *Virtualis* sufficit ad efficiendum Sacramentum, ita & sufficere ad impetrandum, merendum, audiendum Sacrum, &c. P. Dicastillo *cit. disp. 3. num. 104.* Nota insuper, à Cardinale de Lugo, & D. Abbate Reding. *cit. Tom. 3. quæst. 3. art. 2. Controvers. 3. n. 12. & seqq.* solidè declarari, cur ebrietas & somnus obsint valori intentionis, non autem distractio animi.

84 III. *Virtualis* intentio, quam absolutè sufficere diximus, non est necessariò *explicita*, sed sufficit, modò sit *implicita*, adeóque modò *implicitè* intendas facere id, quod facit Ecclesia. Declaratur. Nam quando vocatus ad regenerandum in Christo infantem dicis: *Mox adero*: & reipsa vadis, quò vocatus es, nihil aliud animo versans, quam hæc verba, eorúmque expressum, formalémque sensum: *Volo baptizare hanc novam creaturam*, utique non intendis *expressè* facere id, quod facit Ecclesia, ut liquet ex explicatione huius, allatâ *superiùs num. 72.* cùm supponam, te non cogitare *expressè* de faciendo id, quod facit Ecclesia, & tamen nemo, qui novit, te esse parochum, dubitabit, an illa creatura baptizata sit secun-
85 dùm intentionem Ecclesiæ. Rursum licèt non cogites *expressè* conferre illi infanti Sacramentum, quia tamen intendis *expressè* facere id, quod est tui officij, in hoc autem officio involvitur collatio Sacramenti, conficies revera Sacramentum. Vnde facilè vides, non exigi, ut illa *virtualis* intentio sit *directa*, & *formalis* respectu effectûs sacramentalis, sed sufficit, modò sit *indirecta*; nam dum scienS, remitti peccatum originale per baptismum, atque per eundem imprimi Characterem, ac conferri gratiam sacramentalem, intendis *directè* facere id, quod vult Ecclesia, seu exercere actionem verè *sacramentalem*, & sic tingis infantem, revera confers illi effectus omnes regenerationis, licèt fortè nequiter repugnes.

86 Vtrùm verò Christianus intendens *formaliter*, & *directè* contrahere matrimonium cum Christiana, nolens autem suscipere Sacramentum, intendat nihilominus illud *indirectè*, atque adeò revera suscipiat Sacramentum? pendet ex illa celebri quæstione: An scilicet matrimonium inter baptizatos sit semper Sacramentum, ita ut unus nequeat separare rationem Sacramenti à ratione contractûs? Posse fieri hanc separationem, dicam cum communiore *Tract. 9. Cas. 11. sect. 2.* atque adeò potest *validè*, licèt *illicitè* intendi *directè* contractus matrimonialis, non intendendo etiam *indirectè* rationem Sacramenti.

87 IV. Licèt possint *validè*, & sæpe etiam *licitè* conferri Sacramenta cum intentione *conditionali* de præterito, & præsenti, nequit tamen ullum conferri, aut *licitè*, aut etiam *validè* sub conditione de futuro. P. Suarez *Tom. 3. in 3. part. dist. 13. sect. 3.* atque alij, nemine, quem sciam, repugnante, nisi quoad matrimonium, de quo mox. Ratio est, quia quando dico: *Te absolvo, si cras restitueris rem ablatam*, mea absolutio non est utique tunc valida, quando profero ea verba, pendet enim ejus valor à conditione exhibitæ *actualis* restitutionis, quæ exhibitio tunc nondum existit; sed neque incipiet absolutio esse valida in tempore, quo fiet restitutio, quia tunc nec ipsa, nec materia confessionis existet, quomodo ergo fiet Sacramentum tunc?

Dices: *Quid si verò ita loquatur Confessarius:* 88
Te absolvo à peccatis tuis, si Deus novit, te cras restituturum? *certè absolutio tunc debebit dici esse data sub conditione de præsenti, si restitutio est reipsa secutura.*

Resp. Cum Suarez *cit. Tom. 3. in 3. p. dist. 13. sect. 3.* Coninck *Tom. 1. in 3. p. q. 64. art. 8. dub. 2.* Dicast. *loc. cit. num. 146.* & aliis communiùs (tametsi probabiliter dissentit P. Georgius de Rhodes *de Sacramentis disp. 1. quæst. 4. sect. 3. §. 5.*) etiam hac ratione nil effectum iri, quia nullo modo decet, ut Christus ita instituerit Sacramenta, ut reliquerit in arbitrio hominis efficere, ut Sacramentum, quod reipsa fuit validum, evadat è valido invalidum; reliquisset autem in hominis libero arbitrio hanc potestatem, si permisisset ita ministrari Sacramenta; nam posito, quòd reipsa sit extitura restitutio, valuit absolutio tunc statim, cùm fuêre prolata illa verba, & tamen retinebat pœnitens liberrimam potestatem non restituendi.

Instabis: Saltem tunc non urgebit istud inconveniens, si confessarius dicat: *Ego te absolvo si es prædestinatus; siquidem prædestinatio jam ab æterno facta est.*

Resp. Imò etiam urget; quia quisque etiam 89
prædestinatus, potest efficere, ut non sit prædestinatus, potest enim peccare mortaliter, & mori impœnitens. Adde, quòd cùm Sacramenta instituta sint ad usum, ad solatium hominum; item aliqua cum obligatione, alia cum prohibitione iterationis, omnia confunderentur, atque incertissima redderentur, si Christus dedisset potestatem conferendi sub conditione notâ soli Deo, qualis est prædestinatio; ergo non est credibile, ita instituisse.

Dixi suprà: *Excepto matrimonio*, illud enim 90
posse validè celebrari cum, & sub conditione de futuro, dicemus *in Tract. 10.* seu *in secunda part. Alphab. Matrim. Cas. 12.* sed addemus, tunc primùm existere Sacramentum, quando impletur conditio, adhuc adest materia, & forma, scilicet traditio, & acceptatio, licèt non *actualiter*, sed *habitualiter*; quam tamen habitualem existentiam sufficere pro hoc Sacramento dixi suprà. Ex dictis de intentione conditionata petes resolutionem ad hunc.

Casum

Casum Baptismalem.

91 *Lælia obstetrix videns, infantem recens natum periclitari vitâ, lustrat illum aquâ baptismali dicens*: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen, *volo tamen, ut hic Baptismus non valeat, si Dominus Parochus veniat, priusquam moriare, valeat, si non supervenerit, te adhuc superstite; vix hæc effata erat, cùm adest Parochus monitus priùs de periculo, baptizat infantem non priùs scisciatus, an jam prævenisset obstetrix, primùm autem post intelligit, & facta, & verba obstetricis, quare dubitavit, an, & quàm graviter peccârit rebaptizando?*

92 Qui ex ore hujus parochi audivit hanc historiam, recensuit mihi die 11. Martij anno 1664. cupiens nôsse, quid sentirem de facto obstetricis, & Parochi. Resolutio quæstionis huc directè facientis pendet ex intellectu propositionis conditionatæ, quam fecit Lælia, postquam protulit totam formam; si enim illam ita intelligas, ut obstetrix, priusquam affunderet aquam, cogitârit (ut sanè fieri potuit) de proximo adventu parochi ocyus accersiti, voluerítque, suam intentionem pendere ab adventu, sanè dicendum est, ejus Baptismum fuisse propriè conditionatum; nam dum reipsa tingebat, vel *immediatè* antequam tingeret infantem, censendum est, dixisse in animo, id ipsum, quod expressit verbis post prolata verba substantialia formæ; eámque ob rem illa tinctio non effecit Sacramentum; si verò (quod mihi credibilius est) cogitavit quidem de adventu parochi, utpote quem noverat esse advocatum, non tamen tunc subintellexit ullam conditionem, sed eam primùm post formam, & materiam formavit ex simplicitate æquè in animo, atque in ore, tunc sanè nequit ea conditionalis propositio habere quidquam virium; nam factum infectum fieri nequit.

93 Mirandum non est, quòd ille bonus Pastor non quæsierit, an infanti non esset ullum dum Baptisma impertitum; nec enim occurrit ipsi ratio cogitandi de jam collato, utpote qui noverat, se accersitum, ad obeundum id officij; si tamen priùs cognovisset gesta, dicta ab obstetrice, atque post examen circa intellectum ineptissimæ appendicis, quam annexuit Lælia, cognovisset, prolationem baptismalis formulæ revera pependisse à conditione maturi, aut seri adventûs Parochi, debuisset rebaptizare infantem, & quidem non *conditionatè*, sed *absolutè*; si autem certò comperisset, clausulam illam fuisse etiam in animo obstetricis confictam primùm post absolutionem pronuntiationémque sententiæ sacramentalis, non fuisset ex hoc capite ullatenus repetendus Baptismus.

Quia tamen revera non tenebatur habere 94
integram fidem illi inficetæ baptizatrici, sed poterat prudenter ambigere, an ipsamet satis sese explicaret, ideo fuit illa creatura rursum admovenda sacro latici, sed sub conditione, propter rationes, quas deduco *in Alphab. Baptiz. Cas. 13.* Accedebat, quòd, ut etiam intellexi, eo loco vigeat mos iterumabluendi omnes, qui fuêre domi ob instans mortis discrimen baptizati à Laicis utriusvis sexûs.

V. Quia fieri potest, ut etiam is, qui jocando 95
administrat Sacramentum, habeat nihilominus debitam intentionem; ideo etiam fieri potest, ut Sacramentum etiam joco, seu cum joco potiùs collatum, sit verum Sacramentum, sicut declaro *in Alphab. Bapt. Cas. 6. n. 100.*

VI. Quamvis autem plures Thomistæ, & 96
ipse, (ut à pluribus intelligitur) S. Thom. *in 4. dist 6. art. 2. & dist. 24. & 3. part. quæst. 64. art. 8. ad 1.* item clarè Sylvester *verb. Baptismus*, atque apud ipsum Paludanus, & nonnulli alii, de quibus Amadæus Guimenius *in Tract. de Baptismo propos. 2.* scripserint, defectum partim intentionis, ut exprimit S. Thom. partim etiam applicationis debitæ materiæ, ut placuit Paludano, suppleri à summo sacerdote Christo quoad effectum gratiæ sanctificantis, quando ex parte subjecti non ponitur obex. Attamen plerique omnes Neoterici post Concilium Tridentinum meritissimò negant hanc doctrinam, & S. Thomas, ut mea fert opinio, suam sententiam retractâsset, si *Tertiæ* parti extremam manum imposuisset, inquit Melchior Canus, loquens de alia opinione S. Thomæ displicente ipsi Cano *Tract. de pœnit. p. 6.* Certè nunquam etiam obscurè tradidisset, si vixisset post Concilia Florentinum, & Tridentinum. Plura *in cit Cas. 6.*

Quæritur III. *An sicut peccat Minister de-* 97
stitutus intentione, ita etiam destitutus attentione?

Resp. P. Thom. Tambur. *hic cap. 2. §. 1.* asserit, peccare saltem venialiter, si deliberatè distrahatur, dum conficit sacramentum: negat autem, se audere astruere mortalem noxam, nisi in sola confectione Eucharistiæ, aut nisi intercedat in aliis Sacramentis contemptus *actualis*, vel *virtualis*, qualis, eo arbitro foret, si consuevisset hæc peragere oscitanter, & distractè. Sentio & ego cum illo generatim loquendo, speciatim tamen est in Confirmatione, & Extrema Vnctione periculum peccati mortalis ob periculum errandi graviter propter distractiones in eorum formis, utpote sat prolixis. Everti ob distractiones essentiam Sacramenti, ignoro quis doceat, nolim esse ego primus: certè Cardinalis de Lugo negat de forma Extremæ Vnctionis.

Quæritur IV. *Vtrùm Minister Sacramenti te-* 98
neatur è duabus propositionibus verè probabilibus sequi intiorem?

Resp. I. Quando illæ opiniones versantur

circa valorem Sacramenti, ſequenda eſt opinio tutior, ſeu cui inhærendo efficietur veroſimiliùs Sacramentum, quàm ſequendo alteram. Ita omnes, quia ſcilicet hoc exigit reverentia Sacramenti, & maximè charitas proximi. Excipe, niſi illa tutior repugnet moribus Diœceſis, in qua conficitur ſacramentum; aut juxta Vaſquez, Sanchez, Malderum, alios apud, & cum Diana *Part.* 2. *Tract.* 13. *Reſol.* 2. niſi illa opinio verſetur circa juriſdictionem miniſtri, tunc enim ex plurimorum ſententia tribuit Eccleſia actualem juriſdictionem: qua de re nos *alibi*; aut niſi aliqua neceſſitas, vel peculiaris ratio exigat, vel permittat uſum alterius minùs tutæ opinionis, ſicuti permittit tunc, quando petens Sacramentum non exigit, ut ſecum procedatur juxta tutiorem ſententiam, ut fatentur plerique in caſu, quo pœnitens petit, impendi ſibi quantumvis duntaxat attrito abſolutionem, quemadmodum & in aliis materiis permulti, intérque hos P. Vaſquez. 1. 2. *quæſt.* 19. *diſp.* 63. Pater Sanchez *in Summa Lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 33. Diana *P.* 2. *Tract* 13. *Reſol* 2. Malderus, Cornejus, P. Salas apud Stephanum à S. Paulo *in Theol. Moral. Diſp.* 1. *Tr.* 5. *dub.* 3. diſſentientem cum P. Laymanno in *Theol. Moral. Lib.* 1. *Tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 13. non ſanè improbabiliter, & meritò ſequendum, quoad poteſt, in praxi, etſi reipſa videatur probabilior illa doctrina Vaſquezii, utpote conformior generali principio de licita ſectatione, atque uſu cujuſvis ſententiæ certò practicè probabilis; è qua tamen excipio cum Patre Sanchez *loc. cit.* &
99 P. Ludovico Scildere *Tract.* 2. *de princip. conſcient. cap.* 9. *num.* 113. caſus, quibus ultra jacturam, ſeu non acquiſitionem gratiæ ſanctificantis probabiliter formidatam, imminentémque pœnitenti petenti ſectationem opinionis minùs tutæ, adeſt periculum alterius gravis mali, ut e. g. æternæ dannationis certò incurrendæ à tali pœnitente, ſi illa opinio ſit fortaſſis à parte rei falſa, item quando quis vult baptizari, in Sacerdotem, aut in Epiſcopum inaugurari juxta ſententiam minùs tutam; etenim non videtur eſſe fidelis diſpenſator myſteriorum Dei is, qui acquieſcit ea poſtulanti cum morali periculo tam ingentium incommodorum certò ſecuturorum, ſi veritas fortè non ſubſit illi ſententiæ. Quin exiſtimat Ferdinandus Hauckius *in Epinomia. Verb. Abſolutio num.* 16. etiam cum periculo mortis generatim à miniſtro eligendam opinionem, quæ certum, ac minimè dubium ſalutis remedium providet animæ, ne perditionis periculo exponatur. Cui rigori tametſi faveat P. Sanchez, quatenus *loc. cit. n.* 24. generatim ſcribit, peccare Miniſtrum contra charitatem, qua proximo remedium adhibere debet, *quoties* ex parte eorum, quæ ex ſe ab ipſo adhibenda ſunt, miniſtrat Sacramentum ſequens opinionem etiam probabilem minùs tamen tutam; ignoro tamen, an quis à parte rei ſententiat tam rigoroſè, quàm Hauckius.

II. Quando autem illæ diverſæ opiniones 100
verſantur ſolùm circa honeſtatem actûs miniſtrandi, quia ſcilicet una contendit, peccari adminiſtrando hoc aut illo modo: altera pernegat, in hoc caſu ſcribit Georg. de Rhodes *Tom.* 2. *Diſputat. Theolog. Tract.* 9. *diſput.* 1. *quæſt.* 3. *ſect.* 5. §. 4. eſſe certum, non peccari à miniſtro, ſi Sacramentum conficiat, adminiſtrétque ex probabili ſententia, relinquendo probabiliorem, & certam, id eſt, cui certò eſt annexus valor Sacramenti. Ego quidem non auſim pronunciare, hanc reſponſionem eſſe certam *abſolutè*, eò quòd eſſem peccaturus contra definitionem opinionis probabilis allatam, declaratam *in Quinario Tractat.* 1. ſeu *Clypeo Clement Judic ſect.* 1. *n.* 6. ſi negarem omnem omnino probabilitatem ſententiæ Cajetani, ac plurium aliorum indicatorum in eodem opuſculo, qui generatim ſcribunt, eſſe per ſe loquendo opiniones tutiores, ac probabiliores in praxi neceſſariò præferendas minùs tutis, ob rationes non planè ſpernendas, quas in eodem Tractatu produco *ſect.* 2. Attamen non errabo, ſi ſcripſero, eſſe ferè moraliter certam, propter & optimam rationem, & authoritatem plus centum octoginta Theologorum *in cit. Tract. n.* 5. ex P. Terillo generatim indicatorum, quibus addi poſſunt plurimi alii, qui partim viſi ab eo non ſunt, partim ne videri quidem potuerunt, utpote aut vix, aut etiam ne vix quidem, tunè facti juris communis, quos inter à me ipſo lecti, ſunt hi viginti tres, videlicet Boſcus, Stephanus à S. Paulo, Neuſſer, Hauckius, Alviſet, Buſſart, Burghaber, Kiene, Avendanno, Lemaire, Mathias Corona, Wangnereck, Pirhing, Sanctgallenſes, Rhodes, Teretius, Bonagratia, Haunoldus, Alloza, Montoja, Matthæus Stoz, horum omnium fundamentaliſſimè P. Jo. Bapt. Erhart noſter, & denique inſtar permultorum meritò habendi Reverendiſſimi DD. Abbates, atque olim Salisburgenſes Profeſſores, Dom. Chriſtophorus Raſſlerus, & Illuſtriſſimus Dom. Auguſtinus Reding à Biberegg S. R. I. Princeps, ille *in Tractatu de Pœnitent.* hîc *Tom.* 5. *Theolog. Scholaſt. q.* 5. *a.* 3. *Controverſ.* 1. *n.* 7. & 11. ac *Tom.* 6. generatim ſcribens, judicium practicum etiam ex minùs probabili *practicè* opinione, fundari poſſe ſuper aliquo altiore principio, declarátque *cit. n.* 11. exemplo Confeſſarii abſolventis pœnitentem, adhærentem opinioni minùs probabili, pro quo dogmate refero infrà *Tr.* 7. *n.* 352. in Apologia *lit. e.* decem ipſiuſmet Lovanienſis Academiæ Magiſtros. Ut proinde videantur Scriptores hac ætate conſpirâſſe in illam doctrinam cum pleriſque Thomiſtis. Certè cùm Caramuel, & Rhodes expreſſè, & ſine limitatione
101 ſcribant, eſſe omnium ſententiam, quòd liceat ſequi ſententiam quamlibet probabilem *practicè*, debent loqui, & intelligi de ſcriptoribus hujus ætatis. Quamquam & in *citato* opuſculo referemus aliquos recentiſſimos diſſentientes

ab illa communi perſuaſione, ſicut & refert Terillus.

102 Quæritur V. *An, & quatenus delinquat Miniſter, præbendo Sacramentum indigno?*

Reſp. Satisfactum iri huic quæſtioni *ſect.* 6.

APPENDIX APOLOGETICA

ad Num. 100. *&* 101.

a QUandoquidem facio citatis hîc *nu.* 101. & præcedente *nu.* 100. mentionem mei Clypei, loquórque de cujuſvis opinionis certò *practicè* probabilis uſu licito Miniſtris Sacramentorum, judico, non eſſe mihi negligendam, quæ fortè nunquam aliàs opportunius occurret, occaſionem defendendi illum meum Clypeum, adverſus petitiones R. P. Stephani à S. Paulo Carmelitæ, in tertia (nam in prima non factitat quid conſimile) editione ſuæ non ſanè ſpernendæ Theologiæ Moralis, *Tract.* 5. *dub.* 6. *num.* 211. illic enim graviter perſtringit ſextam, fundamentalémque concluſionem, quam ſtatui in ſecunda, tertiáque evulgatione illius opuſculi *num.* 58. cui concluſioni declarandæ, probandæ, defendendæ impenſus eſt totus ille Tractatus.

b Et verò jam retuliſſem in Quinario meorum Tractatuum *Theologo-Juridicorum* vim argumenti, quo conatur ille Theologus eandem ſextam Concluſionem reddere ſuſpectam, imò convictam de aperta, valde pernitioſa, ac Decretis Pontificiis contraria falſitate, jam, inquâ, purgâſſem me ab ea turpi labe in eo Quinario, utpote in quo primam ſedem occupat dictus Clypeus, ſi fuiſſem tempori nactus illam tertiam impreſſionem; at tunc primùm pervenit ea ad manus meas, cùm erat jam jam è prælo emerſurus totus ille Quinarius.

c Scito igitur, aut memor eſto, benigne Lector, ſtatui à me in dicto opuſculo *num.* 1. 2. *&* 3. duos Judices, fori interni, & externi, qui plerumque ſectentur, reſpectu ſuorum reorum, ex opinionibus indubitanter *practicè* probabilibus clementiores; ex oppoſito quoque induci duos alios, qui plerumque uſurpent rigidiores; ex itidem *practicè* probabilibus. Ubi hoſce quatuor Judices produxi, ſciſcitatus ſum: primùm ex iis ſint præferendi, an poſtponendi poſterioribus? & poſt varia in quæſtionis elucidationem adducta ſubjeci *num.* 30. totum illum libellum mancipatum iri deciſioni hujus quæſtionis, ſeu Controverſiæ de duplicato pari horum Judicum; atque ob hanc rem ſtatui *cit. num.* 58. hanc capitalem, ut ſic loquar, Concluſionem: *Omnibus conſideratis, adeóque à parte rei, ſeu plerumque, atque à toto genere rectiùs, & conſultiùs agunt Confeſſarii, & Judices Eccleſiaſtici, ac Politici, qui ex opinionibus, præſertim circà leges pœnitivas vigentibus, atque verè probabilibus, ac nullo modo repugnantibus receptæ conſuetudini, & ſtylo loci, in quo jus dicunt, benignas, & humanæ fragilitati favorabiles uſurpant hac ætate, quàm qui communiter rigidas.*

Cùm hæc mea verba recitâſſet fideliter P. Stephanus, apprimè gnarus ex iis, quæ paulò antè retuli *ex num.* 1. 2. 3. *&* 30. dicti libelli, eſſe in utroque membro ſtatutæ Concluſionis ſermonem de ſolis *plerumque* ſectantibus leniores è probabilibus *practicè* opinionibus, priùs quippe monueram, fore mihi diſſertationem de ſolis *practicè* talibus, gnarus, inquam, & utique memor hujus mei ſenſûs, ſubjunxit hanc cenſuram: *Hanc doctrinam tam generaliter poſitam, ſimul ut legi, reprobandam duxi; ſed quia in omnibus brevitati ſtudeo, neſcio quomodo breviter tam longam probationum congeriem deſtruere valerem, quibus ipſe ſuam doctrinam firmare conatur. Verùm opportunè id fecit S. D. N. Alexand. VII. per duo expreſſa Decreta, damnando varias propoſitiones, quarum praxin vetat Confeſſariis ſub pœna Excommunicationis, non definiendo, an ſint verè probabiles &c. Nec ne. Aliquas illarum (ſi non plures, nondum enim omnia illius opera ad manus devenerunt) non tantùm ut verè probabiles, quales revera eſſe poterant, ſed ut abſolutè veras ſupponebat ille auctor; ergo juxta ipſum rectiùs, & conſultiùs agebant Confeſſarii illas communiter uſurpantes. Abſit, ut dicamus, id conſultiùs fieri, quod ſummus in terris actionum noſtrarum Judex tanquam ſcandaloſum damnat, & ſub ſumma pœna vetat. Omnibus igitur conſideratis (quis namque dicat, illum ſupremum Judicem per ſe, & alios non meliùs conſiderâſſe omnia, quæ hac ætate rectè, & conſultò fiunt, quam unum Doctorem particularem?) non rectiùs, nec conſultiùs agunt Confeſſarii, &c. Qui ex opinionibus, &c. Verè probabilibus &c. Inter quas juxta ipſum P. Gobat erant aliquæ ex illis damnatis, benignas, & humanæ fragilitati favorabiles uſurpant hac ætate, quàm qui communiter rigidas, oneroſáſque, quod nobis breviter notâſſe ſufficiat.*

Hactenus cenſura P. Stephani, nullo verbo e
addito, aut dempto. Ex ea autem liquet, duo aſſeri ab eo: Primum, Concluſionem meam intellectam eo modo, quem expreſſi, eſſe damnatam ab Alex. VII. Alterum, conſequenter aliquas particulares ex propoſitionibus ab eodem Pontifice proſcriptis, quas habui pro probabilibus, aut etiam abſolutè veris, proponi à me confeſſariis tanquam meritò communiter, ſeu plerumque ſequendas. Innuit Tertiò, me videri velle plus ſapere, quàm ipſummet Chriſti Vicarium. Ego breviſſimè oſtendam, in primis nihil horum poſſe cum veritate dici de me: deinde, ſi quæ horum de me dici poſſint, eadem, aut etiam plura eſſe pronuntianda de hoc Doctore, adeóque in eum convenire illud Paulinum: *In quo judicas alterum, te ipſum condemnas.*

Dico igitur I. Illam meam concluſionem f
minimè eſſe damnatam ab Alex. VII. Etenim ratio, qua id probare molitur ille author, eſt frivola, nititur quippe hoc vitioſo Enthymemate: *Pontifex damnavit varias propoſitiones; non*

definiendo, an ſint probabiles nec ne, inter has autem propoſitiones ſunt aliquæ habitæ ab illo Authore pro probabilibus, aut etiam veris: ergo Pontifex damnavit concluſionem ſtatuentem, Confeſſarios plerumque ſectantes è verè probabilibus leniores, eſſe præferendos ſectantibus communiter ſeveriores. Ajo, argumentationem ipſius debere ita formari, quia & nullum aliud antecedens poteſt ex ejus verbis erui, & oppugnans Theſin aliquam, debet in conſequentia inferre contradictorium concluſionis, quam impugnat, ut olim docuit P. Stephanus. Ad hanc autem argumentationem.

g Reſpondeo. 1. Veriſſimum eſſe antecedens, conſequentiam informem, & nullam. In primis quia loquor ſolùm de ſententiis verè, & practicè probabilibus, nulla autem damnatarum à Papa fuit juxta doctrinam ipſiuſmet P. Stephani verè, & practicè probabilis, etenim paulò poſt illam invectivam in me, loquens de iiſdem ipſis propoſitionibus ſcribit: *Sententia S. D. N. ſupponit, & non facit omnes illas propoſitiones eſſe ſcandaloſas*: ſcandaloſas autem nemo rectè ponet in cenſu *practice* probabilium. Hoc ad hominem.

h Ad rem autem ipſam veniendo ajo, permultas ex illis propoſitionibus, quas damnavit Pontifex, non fuiſſe probabiles judicio plerorumque Doctorum, ut fatebitur, qui indicem illarum 45. legerit, infrà *Tr. 3. n.* 574. aut apud P. Bonagratiam Franciſcanum Capucinum in Summula *Edit. 2. fol. 93. & ſeqq.* Nunquam autem fuit mihi animus ſuadendi communem uſum talium, ut ſatis liquet ex dictis in eodem Opuſculo *num. 7.* Certè ex illis 45. deprehendo circiter vicenas, quas non memini, aut me unquam habuiſſe pro *practicè* probabilibus, aut habitas ab aliis, præterquam eorum Authoribus.

i Ad hæc idcirco potiſſimùm negò illam eandem conſequentiam P. Stephani, quòd minimè ſequatur, ſi Pontifex è bis aut ter mille opinionibus *practicè* apud Theologos, aut Jureconſultos probabilibus obelo confixit vicenas circiter, hoc ipſo notâſſe nigro Thetâ primum membrum meæ concluſionis, ſeu abſolutè, ſeu comparativè (ut ſum *comparativè* locutus) ſumptum. Quis enim Belga Mercator, aut Navarchus non explodat hanc ratiocinationem: è bis mille navibus ſecundo Rheno delapſis in Oceanum, merſæ ſunt 20. aut 30. ergo eſt falſum, quòd Rhenus *plerumque* navigetur abſque naufragio: negaretur hæc conſequentia, etſi ſolùm quingentæ deſcendiſſent, & ex his periiſſent triginta: quantò magis, ſi è mille, bis mille?

k *Reſp.* II. Si argumentatio P. Stephani eſt verè Logica, ſequitur, hanc quoque propoſitionem eſſe fulminatam à ſumma Sede; *Dico: quando ſunt reſolutiones opinativæ, ſive verè probabiles, licitum eſt probabiliori relictâ ſequi minùs probabilem, in iis, in quibus non eſt periculum injuriæ tertii. Ita P. Gobat in Alphab. Ordinant. num. 197. dicens, ſe id in Clypeo Alphabetico confirmâſſe authoritate ſexaginta authorum.* Atqui illam ſequelam haud concedet P. Stephanus, quia his omnino verbis aperuit ſuam de hac generali Controverſia mentem, eſſétque ipſe longè magis reus, quàm ego, ſi foret legitima ſequela, utpote qui hanc concluſionem, hæc verba chartæ mandavit, poſt edita illa duo Decreta Alexandrina, ego ante; quare contraxiſſet crimen contumaciæ, atque reatum anathematis, ſi ejus argumentatio eſſet probanda; ſervatâ enim ejus formâ ſic dicam: Alexander VII. damnavit varias propoſitiones, non definiendo an ſint probabiles, nec ne; inter has autem propoſitiones ſunt aliquæ à P. Stephano pro probabilibus habitæ, ergo Pontifex damnavit concluſionem illam hujus Doctoris. Primum membrum antecedentis clarum eſt, ſecundum clariſſimum; etenim, ut alias propoſitiones ab ipſo traditas, interdictas autem à Papa non memorem, produco ſolùm (nec enim legi omnia ejus ſcripta) duas. Prima eſt hæc: *Probabilis eſt opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* Altera eſt hæc: *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*, primam autem harum propoſitionum defendit abſolutè P. Stephanus *in ſua Theol. Moral. Tract. 1. diſp. 5. num. 25. edit. ann. 1664.* ſicut, & in eadem edit. *Tract. 5. diſp. 5. dub. 8. num 242.* alteram, ut probabilem, tametſi velut filius Religionis addictiſſimæ ſcitis Eccleſiæ, correctus ab hac correxerit ſe ipſum in *edit. 3.* Ergo eſt evidens, ſi Enthymema P. Stephani contra me, evertit me, everti eodem ipſummet P. Stephanum.

l Cæterùm diſſimulare non debeo, hunc meum (ſalvo per omnia Religioſæ charitatis vinculo) antagoniſtam fuiſſe errore humano lapſum, dum ſuprà *lit. K. ita audaciter*, (ut repetam adverbium, quo alibi contra me utitur,) meam pro ſua verè communi ſimul, & valde ſingulari, mihíque mirâ concluſione autoritatem adduxit, ut Lector vix prudenter dubitare poſſit, quin non modò totam illam concluſionem tradiderim, eo penitus ſenſu, quem reddunt ejus verba, ſed etiam iiſdem verbis. At revera neutrum ita ſe habet ego enim eo *num.* 197 circa quæſtionem illam: *licitúmne ſit, quamlibet opinionem probabilem ſequi?* plus non facio, quàm quòd in actu ſignato referam ex huc facientibus, è Cardinale de Lugo hæc verba: *Eſt doctrina generalis, & ſine exceptione, quòd poſſumus ſequi in praxi opiniones probabiles*; quæ verba non ſunt duntaxat multùm diverſa ab iis, quibus P. Stephanus aperit ſuam mentem circa illam Controverſiam, ſed apertiſſimè repugnant illi reſtrictioni, quam ipſe aſſuit de periculo injuriæ Tertii; quæ quidem reſtrictio nunquam ſubiit animo meo, cenſéóque, non poſſe ſuſtineri, niſi ſimul etiam excipiamus pericula agendi con-

contra qualeſcunque virtutes ſaltem ſuperiores juſtitiâ; at quis facit tantam exceptionem?

m Sed nec illud prætereundum mihi eſt, quòd idem Pater mihi videatur reipſa tradidiſſe illam meam, quam averſatur, concluſionem; ſiquidem in illo ipſo *num.* 211. in quo me arguit, increpátque, docere me volens, quid à me ſcribi debuerit, ſic ſtatuit: *Ad quæſtionem verò poſitam judico, (ſalvo meliori) non poſſe generaliter reſponderi; puto enim, Confeſſarios debere attendere ad conditiones pœnitentium, & juxta earum exigentiam illos modò conſultiùs, benigniores, modò rigidiores opiniones ſequi, ſemper tamen declinando à ſcandaloſis, & à ſancta Sede damnatis.* Ita ille: ſubſumo ego: atqui quando R. P. Stephanus revocat in mentem, quot myriades omnis conditionis Sæcularium (de Regularibus ſcriptum eſt: *Vos non eſtis de hoc mundo*, proindéque reguntur aliis ſcitis, quàm Sæculares, & conſequenter ad eos tanquam ſpeciali notâ dignos, non neceſſariò extenditur generalis mea concluſio) audierit ſuâ peccata, ſuas pravas conſuetudines humiliter confitentes, deprehendit, ſe multò ſæpius è penu benignarum, quàm rigidarum opinionum verè *practice* probabilium mutuatum eſſe practicas in individuo reſolutiones, quàm è penu, ſeu pharetra rigidarum opinionum; quidni igitur meritò judicem, ipſum ita ſe geſſiſſe cum Canonicis, Officialibus, mercatoribus, atque aliis plurimis, ut fateri cogatur, ſe *moraliter* loquendo (locutus ſum & ego *moraliter*) *plerumque* recurriſſe ad benigniores, quas ipſiuſmet, atque alii æternitati conſecrârunt, opiniones? ergo quod ſibi non vult fieri, debebat non facere alteri; eum inſimulando de doctrina pugnante cum Pontificiis Decretis.

n Atque hæc dicta ſunto ad palmariam incuſationem P. Stephani. Ad alteram ſuccinctiſſimè dico, non ſubſiſtere hanc ratiocinationem: ſcriptor, in quem calamum ſtringo, ſuppoſuit aliquas ex ſententiis vetitis à Pontifice, eſſe probabiles, aut etiam veras, ergo conformiter ſuæ concluſioni cenſuit; eas eſſe *plerumque* uſurpandas à Confeſſariis. R. enim I. reſorquendo: P. Stephanus non tantùm ſuppoſuit, ſed in terminis terminantibus docuit, aliquas è proſcriptis ſententias eſſe probabiles, aut etiam probabiliores contrariis; ergo exiſtimavit, poſſe, quidquid incontrarium ſtatuerit Alexander, in uſum redigi? Antecedens eſt indubitatum, conſequentia (ſi ſubſiſtit ejus argumentandi ratio) inde evidentiſſima, quòd ſententias, quas improbante poſtmodum Pontifice, expreſſè docuit eſſe probabiles, non vergunt in injuriam tertii, ipſe autem verbis repræſentatis ſuprà *lit. K.* univerſim ſcribit, fas eſſe ſequi opinionem etiam minùs probabilem, in qua non ſit periculum injuriæ tertii. Et verò exiſtimo, neminem repertum iri, qui non ſit agniturus; hunc meum diſcurſum eſſe in forma concludente; è diverſo tamen:

Reſp. II. Concluſionem, quam directè fecit in me, nihil concludere, quia non eſt petita ex Regulis Logicis, non enim procedit à diſtributo (ſicut procedit ea, quam jure retorſionis uſus formavi contra P. Stephanum) ad particulare, ſed à non diſtributo itidem ad particulare; ſiquidem particulæ: *Plerumque, Plerique: Communiter*, non ſunt capaces ſigni univerſalis: *Semper: Omnis*, ſed in ſuo ſenſu eſſentiali, ut ita loquar, excludunt ejuſmodi ſigna; etenim vox *plerumque* ſignificat grammaticis communiter (nam quandoque ſumitur pro *interdum*) idem, quod *feré ſemper*; feré autem, ut fertur Germanico diverbio, ſignificat duntaxat dimidium; at verò, ut fert uſus eruditorum, jam majorem, jam minorem numerum, in quantitate, ſeu continua, ſeu diſcreta, ſemper tamen talem, ut nihilominus *moraliter*, ad eóque modo loquendi vulgari, quem maximè attendi voluit Tubero relatus *in l. Labeo. ff. de ſupellect. leg.* poſſit clauſula *plerumque* verè etiam tunc uſurpari; ut proinde poſſit abſque omni dubitatione dici, illud *plerumque* fieri, quod fit trecenties, etſi vicies omittatur. Equidem veriſſimum eſt, *pleroſque* Ordines Religioſos eſſe fundatos à Sanctis novi Teſtamenti: *pleroſque*, qui reformati ſunt, referre id in acceptis non fœminis, ſed viris: *pleroſque* item veſci carnibus; ac denique Chriſtianos *pleroſque* carere promiſſione expreſſâ, quòd Beatiſſima Virgo ipſis latura ſit poſt obitum opem, ſaltem talem, qualem ego ex P. Theophilo Raynaudo indicavi in Quinario *Tr. 4. P. 2. c. 19. nu.* 458. & tamen non patietur P. Stephanus inferri ea conſequentia, quæ facilè videt, à me digito demonſtrari, atque jure poſſe, præſertim duo poſtrema à me deduci, ſi ipſius Logicæ me ſubmiſero; idcirco autem non patietur id, quia ex conceſſa clauſula *plerique*: *plerumque* nequit ulla determinata qualitas, quantitas, individuum *Logicè* inferri, cùm non ſit nomen univerſale ſicut *ſemper: omnis &c.* Sed particulare, aut indeterminatum. Igitur poteſt, omnino poteſt, ſtando præciſè uſu voculæ *plerumque*, eſſe verum, quòd ſit conſultius, *plerumque* procedere in Tribunali ſacro, profanóque juxta amuſſim dogmatum leniorum (probabilium practicè) quàm *plerumque* juxta duriorum, etiamſi adſint 20. 30. 40. ſententiæ, quarum uſus ſit interdictus. Igitur nullo, planè nullo modo eſt locus dandus conſequentiæ, quam adverſus me protulit in medium Pater Stephanus.

p Longè minùs habet ullam veri ſpeciem, quòd eo arbitro velim videri plus ſapere, quàm ſupremus actionum noſtrarum arbiter, atque Judex Papa cum ſuis conſiliariis, & quòd ex cenſura Pontificia ſequatur, non eſſe verum, *quòd omnibus conſideratis agant ii Confeſſarii conſultiùs, qui plerumque tractant ſuos pœnitentes, juxta ſententias benigniores, verè tamen, &* (ut

in tertia editione formaliter, reflexéque ingemino) *certò probabiles, quàm qui plerumque juxta severiores.*

E diverso autem vult P. Stephanus revera videri meliùs nosse, quidnam hac ætate possit licitè fieri, quàm Petri successor, & quos constituit, sapientissimi viri, si quidem est aliquo loco habendus argumentandi modus, quem primus, ni fallor, inter Theologos, & Philosophos (quidquid faciant Concionatores) est amplexus ille ab hac Sathanica superbia longè alienissimus vir; igitur fateatur necesse est, ie non legitimè probâsse id, quod intendebat.

Quòd si nôsse cupit particularem causam, cur scripserim, videri mihi (paratissimo palinodiam canere, ubi cognôro, aliter sentire *plerosque* sapientes, multò magis, si Superiores) esse hac ætate frequentiùs usurpandas sententias è certò, indubitantérque practicè probabilibus, clementiores, quàm inclementiores, promam hanc, præter practicam notitiam, qua me saltem mediocri præditum esse nôrunt, qui me nôrunt, est hæc, quòd hoc sæculo, maxima pars mortalium non admittat, nisi aut difficillimè, aut cum periculo aliorum malorum animæ, praxin rigidiorum sententiarum, partim quia maximè invaluit opinio de licito usu cujusvis sententiæ practicè probabilis: partim quia ipsius dogmatis praxis est nimis altè insita pectoribus plerorumque mortalium. Quapropter coguntur Confessarii esse practicè memores doctrinæ relatæ in cap. *Si quis. De pœnit. dist.* 1. ex sancto Augustino: *Si scirem, tibi non prodesse, non te monerem, non te terrerem*, consequenter, & illius divinæ: *Ubi auditus non est, non effundas sermonem. Eccles. ast.* 32. & denique cap. final. *De translatione Episc.* providè monentis, ut judex procedat, *prout tempora postulare videntur.*

r Hæc cum bona venia Patris doctissimi in necessariam mei defensionem scripta, claudo quatuor propositionibus examinandis ab hoc Doctore. *Prima*: Quotiescunque interdicitur sectatio aliquot propositionum probabilium, non adversantium Iustitiæ, toties damnatur & hæc propositio *Licet sectari quamlibet opinionem probabilem non repugnantem justitiæ.* Altera: Quoties damnantur aliquot propositiones favorabiles, toties damnatur & hæc: *Confessarius sectans plerumque opiniones favorabiles rectius facit sectante è diverso plerumque rigidas.* Tertia: *Quisquis docet, esse fas sequi quamlibet propositionem probabilem non repugnantem Iustitiæ, docet etiam, licere hanc in individuo probabilem, quamvis inhibuit Pontifex, sequi, modo ibi non adsit periculum injuriæ tertii.* Quarta: *Quisquis tenet, confessarium consultò plerumque sequi benigniores opiniones, consequenter etiam hanc, & hanc in individuo opinionem sustinet esse sequendam.* Quod me attinet, nego secundam, & quartam consequentias, judicium de prima, ac tertia relinquo P. Stephano.

SECTIO IV.

De obligatione, quæ Curatoribus animarum incumbit ad Sacramenta administranda.

PAstores animarum sunt *Parochi*, *Prælati* 103
Regulares, atque Episcopi; de his tribus generibus tradam aliqua copiosiùs, alia jejuniùs, remittendo meum Lectorem ad locos infrà indicandos, quibus uberiùs, & ex professo tractabo de nonnullis.

SUBSECTIO. I.

Speciatim de obligatione Parochi circa Sacramenta administranda.

SUMMARIUM.

Obligatio parochorum circa administrationem Sacramentorum. 104. *& seqq.*
Referuntur hac de re verba Tridentini Concilii. 104.
Parochus tenetur ex justitia ministrare Sacramentum quandoque non vocatus. 106.
Et quando parochini non tenentur suscipere. 107.
Doctrina practica pro novis parochis. 110.
Obligatio ministrandi sæpe cum periculo mortis. 113. *&* 114.
Nominatim tempore pestis. 116.
Documentum ex Barbosa. 117.

QUæritur, *An, quando, quanta cum obligatione teneatur Parochus administrare Sacramenta suis ovibus?*

Resp. I. *Præcepto divino mandatum est omni-* 104
bus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, bonorúmque omnium exemplo pascere, pauperum, aliorúmque miserabilium personarum curam paternam agere, & in cætera munia pastoralia incumbere. Ita loquitur, ac declarat sacra Synodus Tridentina *sess.* 23. *c.* 1. *De Reform.* cujus totam sententiam, etsi minor pars huc directè facit, volui huc transferre, quia optandum, ut extaret in omnibus libris, quos lectitant Curatores animarum, utpote continens brevissimum simul & plenissimum compendium vitæ, officiique pastoralis.

Porrò quod attinet illam ejusdem sententiæ 105
aureæ particulam: *Sacramentorum administrationepascere*, notant passim DD. réque certissima est, quemvis animarum pascendarum curam gerentem teneri titulo justitiæ proveniente

niente ex ejus Beneficio Ecclesiastico, vel per se, vel per alium, sub peccato mortali Sacramenta administrare suis ovibus, non quidem semper, sed aliquando, & cùm adsunt circu-
106 cumstantiæ, de quibus in decursu. Adeò autem est hæc obligatio gravis, in genere loquendo, ut impellat pastorem fungi hoc munere non tantùm, quando rogatur; sed etiam sæpe, quando non rogatur; nam parochus tenetur infirmos suæ parochiæ visitare, & scire, an Sacramentis indigeant, quando periculosus est morbus, & debet ministrare, ipsósque ad suscipiendum exhortari, inquit Toletus *in Summa Lib.* 5. *cap.* 5. limitante Possevino *De officio Curati cap.* 5. *num.* 2. hanc doctrinam ad casum, quo est probabile, si Curatus tunc Sacramenta offerat, ea receptum iri, aliter non, eò quòd ista obligatio obliget ad modum correctionis fraternæ. Certè nulla lex obligat ad actionem inutilem *cap.* 2. *dist.* 4.

107 II. Obligatio administrandi Sacramenta stringit non solùm tempore, quo oves tenentur ea suscipere ex præcepto vel Ecclesiastico, vel divino, sed etiam quandoque extra tempus præcepti; nam dicemus suis locis, neminem per se loquendo teneri sub mortali suscipere Sacramentum Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis, & Matrimonij, & tamen delinqueret utique mortaliter, qui absque legitima causa absolutè negaret hæc Sacramenta petentibus, ut paulò pòst videbimus. Vo-
108 lentibus ex sola devotione confiteri, aut communicare, debet etiam sub gravi culpa gratificari parochus, dummodo non nimis frequenter petantur, ut declarabo *Tr.* 4. *Cas.* 21. loquendo de Eucharistia, & *Tr.* 6. *Cas.* 1. agendo de Confessione.

109 Interim observa, damnari à Possevino *loc. cit.* de mortali eum parochum, qui postulantibus etiam ex sola devotione hæc Sacramenta non vult præbere, nec est alius, qui præbet, secus si alius facilè queat haberi.

110 III. Providè monet Author Manualis Parochorum *Part.* 2. *cap.* 1. novum alicujus loci Parochum, ut, ne ipse saltem desit suis partibus, sub principium susceptæ curæ parochialis edicat suis parochianis, se nóctu, diúque præsto futurum ad necessaria Sacramenta ipsis administranda, proinde ne vereantur etiam de nocte illa postulare, si videatur subesse aliqua necessitas. Scio ego, persæpe contingere in variis urbibus, in quibus degimus, ut nostri Patres Confessarii ad excipiendas Confessiones etiam illorum, qui notabili tempore decubuerunt, tunc primùm accersantur, cùm vel non nisi ægerrimè loqui, vel nutibus dolorem
111 de peccatis significare possunt. Præsertim autem calidæ febres consueverunt mentem ex improviso evertere. Quare est boni, & fidelis pastoris, non semel, sed sæpius pro suggestu, aut inter catechizandum valde seriò monere, ut vel correpti hoc morbo, vel curam talis infirmi corporalem gerentes, caveant etiam scrupulosè, ne nimis serò petant extrema salutis remedia, certi delinqui mortaliter, quando per unius, aut alterius negligentiam fit, ut Confessio non possit ab ægroto fieri nisi valde imperfectè. Cavebit autem quisque Parochus, 112
ne, cùm petuntur Sacramenta etiam à sanis, morosus sit, aut sine rationabili causa neget; nam tergiversatio ista, & morositas, multò etiam magis repulsa plurimùm ab usu rerum sacrarum avertit, damnum verò majus accidit, & irreparabile nonnunquam, quando pro infirmis petuntur. Ita prædictus Author Manualis, videlicet P. Carolus Mussart Soc. Iesu, non P. Ludovicus Engel Benedictinus; qui quidem scripsit quoque doctum *Manuale Parochorum*, at hoc primùm Anno 1674. mihi visum, sicut & primùm Anno superiore vidi insignitum nomine P. Mussart id; quod absque nomine priùs editum, citavi etiam sine nomine semper in prioribus editionibus, & aliquando in hac quoque.

IV Obligatio ministrandi Sacramenta fæ- 113
pe urget etiam cum periculo mortis. Ita omnes; nam bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis *Ioan.* 10. quem textum ita semper intellexerunt SS Patres, Augustinus, Chrysostomus, alii apud Ioann. Capeaville *de Sacrament. temp. pest administr. cap.* 1. *q.* 3. & quidem tunc certissimò, quando administratio hujus, aut illius Sacramenti est ita necessaria alicui, ut sine ea non possit æternam consequi salutem, quia scilicet ipse existit in extrema necessitate spirituali; cùm nimirum inquinatus labe mortali, vel ignorat, quid sit contritio perfecta, vel non ignorat, sed nescit, esse necessariam in tali statu.

V. Imò etiam tunc est aliquod Sacramen- 114
tum à proprio pastore cum propriæ mortis periculo ministrandum, quando parochianus versatur in gravi necessitate spirituali; id est in tali statu, ut nequeat nisi difficillimè contritionem elicere, & tamen habet conscientiam oneratam uno, aut pluribus mortalibus peccatis. Ita post S. Thom. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5. Caramuel *in Theol. Præterintent. n.* 2495. Ferdinandus Hauckius *in Epinom. verb. Sacram. in genere*, Barbosa *de parocho p.* 2. *cap.* 17. *n.* 12. cum communi illorum, quos citat. Ratio est, quia sine dubio parochus obligatur strictiùs, quàm extraneus, utpote ex officio, & cum stipendio ad Sacramenta administranda destinatus; atqui etiam extraneus, seu non parochus tenetur etiam cum periculo vitæ in extrema necessitate conferre Sacramenta necessaria, ut nominatim de Baptismo dicemus *in Alphab. Baptiz. Cas.* 7. ergo saltem in gravi incumbit eadem obligatio proprio pastori; nisi videlicet adsit alius, qui sit suppleturus ejus vices. Nomine Sacramentorum intelli- 115
git Caramuel *loc. cit.* tum Confessionem, de qua ignoro, an quisquam dubitet, tum Eu-

charistiam, tum Extremam Unctionem, addens tamen, ab aliis probabiliter id negari; qua de re nos suis locis. At extra gravem necessitatem nequit tantum onus imponi parocho.

116 VI. Ob doctrinam paulò antè allatam parochus gravissimè peccat, si tempore pestis fugiat, deserátque suum gregem, nisi fortè substituat cum expressa licentia Episcopi alium idoneum. Barbosa *loco cit. n.* 13. post Bannez, Benzonium, alios communissimè; & quidem licèt rationabilissimè timeat, se illâ lue afflatum iri. Barbosa *ibid.* post Benzonium, Piasecium, & alios; atque ità declaravit Gregor. XIII. apud Dian. *P. 5. Tr. 3. Res.* 53. Etsi verò substituat alium idoneum, ablitque corpore, debet tamen animo esse præsens, ac providere; ut substitutus rite fungatur officio. Barbosa *ibid.*

117 VII. Cavere autem debet parochus, ne, » dum pestis tempore invigilat saluti unius, non » graviter indigentis ejus operâ, se conjiciat in » discrimen, cum periculo, ne alii destituantur » auxilio spirituali. Quare, quandò solus est in » oppido, vel pago, non expedit, ut administret Sacramenta non admodum necessaria, » vel secundùm se, ut est Extrema Unctio, vel » respectu personarum, quarum bonum statum » parochus cognitum probabiliter habet, quia » e. g. nuper eorum confessiones exceperat. » Denique quotiescunque ab aliqua persona, » quam verosimilibus conjecturis sacerdos credit, non habere conscientiam peccati mortalis, vel per contritionem ad moriendum rectè » dispositam esse, probabilissimè timetur periculum contagionis, maius bonum publicæ ne» cessitatis præferendum est privatæ alicujus
118 personæ. Ita ad verbum Barbosa *num.* 15. post Joan. Chapeaville: quem scriptorem quia video frequenter citari à recentioribus scribentibus de Sacramentis administrandis tempore pestis, & merito suo magni fieri ab illis, utpote qui multo usu, quemadmodum liquet ex Epistola Dedicatoria sui libri, doctus accinxit se ad enucleandum præ omnibus anterioribus illud argumentum, quod sanè est summi momenti. Ego verò, qui omnes meas commentationes, unâ, alterâve exceptâ, dirigo ad usum, seu praxin; diffido autem, me quid aptius, vel exactius productúrum, quàm conscripserit Vir ille gravissimus, idcirco censui, me facturum operæ pretium, si hoc loco exhiberem (non sine meo auctario) synopsin præcipuorum ex iis, quæ de obligatione administrandi tempore pestis Sacramenta in genere conscripsit *Capite* 1. *illius Libri*, quem Librum confecit, cùm maligna lues corripuisset varia loca ad Rhenum, minaretúrque pluribus aliis.

SUBSECTIO II.

Compendium eorum, quæ de ministrandis tempore pestis Sacramentis scribit Chapeaville Cap. I.

SUMMARIUM.

Parochus quomodo se muniet contra contagionem? 119.
Casus peste infecti, & tamen confessi in templo cum aliis. 120.
Talis gravissimè peccavit. ibid.
An tempore pestilentiæ parochus licitè se conferat alio? 121.
Magistratus tenetur pastoribus prospicere de antidotis. 122.
Quatenus hic licitè ejiciat ex urbe afflatos peste? 123.
Quid aget Parochus, si primâ vice non admittatur in ædes infectas? 124.
Casus sine Sacramentis mortui post spreta monita parochi. 126.
Quid agent alii sacerdotes, si parochi desint suo officio? 128.
Quid singulariter Religiosi exempti, si Episcopus velit ädigere? 130.
Casus sacerdotis mirificè servati inter summa pericula. 132.
Enumerantur varii obligati certis personis tempore pestilentiæ. 134. *& 135.*
Duæ Regulæ de obligatione parochorum. 136.

ILla synopsis cum meis additionibus consistit in sequentibus §§.

I. Quia, ut dictum suprà, tenetur paro- 119
chus etiam cum periculo ministrare Sacramenta, obligat illum propria charitas, ut procuret, quoad potest, convenientia media ad vim illius periculi evadendam, ipsa proinde communitas tenetur providere pastoribus de antidotis, remediisque ad conservationem ministrantium pestiferis; ipsi quoque peste afflati tenentur se accommodare, & accedere ad Sacramenta minimò, quoad fieri potest, periculo pastorum. Chapeaville *cit. cap.* 1. *quæst.* 3. cui adde, quæ de remediis pestis tradam. *Tr.* 4. *Cas.* 21. item *Tractat.* 8. seu de Extrema Unct. *Cas.* 22. & occasione doctrinæ posterioris, quam exhibet Chapeaville, nota resolutionem hujus.

Casus repetiti: non repetendi.

CAllixtus peste jam afflatus, at nolens in- 120
famare suam domum, pergit ad Ecclesiam, ubique consitetur sacerdoti, nihil, nisi jam peracta confessione, indicans de suo carbunculo, quid censendum de illo?

Resp. Gravissimè peccare mortaliter, utpote qui confessarium meritò habitualiter invitissimum exponit vitæ periculo sine sufficiente

ciente causa; imò si ille Confessarius est Religiosus numerosi Monasterii, conjicit multos alios in vitæ discrimen. Ergo tenentur Concionatores id temporis non semel, sed sæpius graviter detonare in hosce homicidas. Scio, fuisse hunc casum crebriùs repetitum, cùm ne semel quidem debuisset contingere, nisi fortè constaret, consuêsse infectos apertè miscere se sanis; qua de re Raynaudus *de Martyrio per pestem part.* 3. *c.* 4.

121 II. Potest parochus cum licentia Episcopi (quam hic facilè negare non debet, potest autem, & debet negare, quando necesse est bono communi, ut ipsemet permaneat in loco) se transferre aliò, dummodo, & substituat æquè profuturum, atque ipse, & subsistat in loco, ex quo possit gerere providentiam sui gregis, si verò nanciscì non possit idoneum, nequibit uti privilegio bimestris absentiæ, concesso à Trident. *sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.* multò minùs resignare beneficium, est enim conductus pro tali necessitate, sicut miles pro prælio. Chapeaville *cit. c.* 1. *q.* 4. 5. 6.

122 III. Magistratus obligatur non solùm prospicere pastoribus de medicinis, ut suprà memoratum est, (P. Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 44. *sect.* 3. vult, ut pastores ipsimet sibi prospiciant de facilioribus antidotis) sed procurare remedia, quæ periti Medici judicant utilia ad aërem pestilentem purgandum, puta, ut auferantur sordes ex plateis; ut infecti deducantur ad hospitale paratum pro pestiferis; aut ignes publici per plateâ constituantur; ut habeantur Medici, & Apothecarii; operam dare, ne corpora peste emortuorum relinquantur inhumata &c. ad hoc enim sunt assumpti
123 in Magistros, Patres, & Dominos plebis. Sicuti & Episcopi, aliíque Superiores Ecclesiastici tenentur dare operam, ut ubique adsint idonei, sufficientésque Pastores. Porrò licèt Magistratus politicus (per se loquendo) possit, imò teneatur ejicere ex urbe omnes peste infectos, aut de illa suspectos tam divites, quàm pauperes, per accidens tamen fit tunc illicitè, quando per hoc tales certò exponuntur periculo salutis animæ, & corporis; hoc enim repugnat Christianæ pietati, ut pluribus contendit Chapeaville. *q.* 7.

IV. Pastor tenetur ingredi domum peste
124 infectorum, si nequeat aliter administrare ipsis Sacramenta necessaria, secus si posset aliter, ut e. g. quia infectus potest foras exire. Quòd si bis, térve accessit ædes peste infecti, & tamen ad suscipienda Sacramenta reperit imparatum, idque ex qualitate, & natura morbi, qui usum rationis eripuit e. g. obligatur ad redeundum, quando æger est paratus, & consequenter ad priùs monendos domesticos, aut alium, ut quando æger rediverit ad se, accurratur ad pastorem; si verò æger malitiosè pastorem repulit, non est ad eum redeundum
125 amplius cum Sacramentis *quæst.* 19. At fine dubio redeundum est, si intelligatur respuisse; imò quamdiu est magna spes, illum ad frugem reducendi, revisendus est meo judicio (nam hîc tacet Chapeaville) si sine speciali periculo mortis contrahendæ fieri queat; siquidem evidens periculum æternæ damnationis præferendùm est illi molestiæ Parochi. Etsi autem in umbone Ecclesiæ seriò præmonuerit suos, ut antequam peste corriperentur, Sacramenta peterent (sicuti tenentur omnes sani petere in urbe, in qua quotidie multi subitò moriuntur, sicut & illi, qui probabiliter timent, ne defuturus sit pastor, vel Confessarius, si peste inficiatur, ut ex Petro de Ledesma refert idem *q.* 2.) attamen si quis postulare neglexerit, tenetur nihilominùs respicienti ministrare, nam ille neglectus non privavit eum jure postea exigendi, éstque hoc certum, quamvis ex contemptu noluerit priùs se sistere; qui tamen contemptus, quàm seriò plectatur à Deo, demonstrat hic:

Casus terrificus.

REpertus fuit Leodii *Anno* 1579. *qui ob* 126
sævissimam pestem fuit luctuosissimus, qui pastorem suum plus justo, ut existimabat, sollicitum, velut pusillanimem rideret, & prænomitionem illius sanctam, atque animæ salutarem (cùm tamen periculum animæ subesse, ignorare non posset) contemneret; qui die sequenti correptus peste in pœnam fortè sui contemptûs decessit; verendum est, ne huius & similium culpa sit gravis, & mortalis. Idem Chapeaville *quæst.* 10. & 11.

V. Si fortè Pastor fugiat, vel latitet tem- 127
pore pestis, nec possit Episcopus invenire Vicarium, poterit uno edicto ad valvas Ecclesiæ parochialis affixo, & brevi die illi assignatâ citare; si contumax sit, & ad Ecclesiam non redeat, éstque periculum, ne omnino decedat sine Sacramentis, nec aliud remedium adsit, quia alii sacerdotes reperiri nequeunt, poterit Episcopus omnibus aliis solennitatibus omissis, immediatè ad sententiam privationis procedere; si autem offerat se alius, qui velit quidem subire illud onus, at non aliter, quàm si conferatur ipsi beneficium parochiale, oportebit ante privationem actualem procedere secundùm ordinem præscriptum à Trid. Concil. *Sess.* 6. *c.* 1. *& Sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.* Pastoribus 128
autem, & aliis Prælatis sive justè, sive injustè absentibus, vel peste laborantibus, aut præsentibus, sed servire nolentibus, tenentur quicunque sacerdotes, etiamsi nulla animarum cura ipsis incumbat, lege charitatis, & justitiæ legalis, Sacramenta ministrare, quia ille est casus, quo sacerdos obligatur ex talento potestatis sacerdotalis sibi credito operari. Et proinde poterit Episcopus cogere sacerdotes præsertim sibi subditos, ut id persolvant, ad

quod

quod obligantur. Si enim unquam, tum vel maximè ſacerdotes videntur tunc obligati ad exhibendam obedientiam, quam omnes tam regulares, quàm ſæculares in ſua Ordinatione, vel *expreſſè* promittunt, aut eo ipſo, quòd incolæ, & Diœceſani fiunt, *tacitè* profitentur. Atque ita tradunt Doctores, Cajetanus, Sotus,
129 & alii per eos citati. Quòd ſi ſacerdotes illi parentes habeant, qui præcipiant, ut cum ipſis à loco contagioſo recedant, tenentur nihilominus obedire Epiſcopo. Si autem unus ex illis ſacerdotibus ſubſit duobus Epiſcopis, quia e. g. habet beneficium in utroque Epiſcopatu, parebit utrique; ſi poſſit, adeóque illi, vel cui primò promiſit obedientiam, vel à quo pinguius poſſidet beneficium. Si quoque Prælati Ordinis exempti nolint permittere, ut ſui ſubditi pareant Epiſcopo, demandanti in tali neceſſitate extremâ curam Sacramentorum, debebunt potiùs Epiſcopo, quàm ſuo Prælato obedire; & in caſu occurrentis difficultatis, ſeu oppoſitionis, & tergiverſationis rectè imitabitur Epiſcopus exemplum S. Caroli Borromæi, qui eâdem occaſione petiit à ſummo Pontifice poteſtatem, cogendi Exemptos. Chapeaville *quæſt.* 13. 14. 15. 16. 17.
130 Cui aſſentior in primis loquenti de quibuſvis ſæcularibus ſacerdotibus, propter cauſam referendam *num.* 162. Deinde etiam de Religioſis non exemptis faciliùs, quàm de exemptis, quandoquidem ipſi ſunt per ſe, atque adeò magis ſubditi Epiſcopo, quàm exempti, ſicut vox ipſa exemptionis innuit; & videre eſt apud DD. diſputantes, an & quatenus Religioſi ſubſint legibus Epiſcopalibus. Generatim autem de exemptis, & non exemptis, judico, Epiſcopum peccaturum, vel adverſùs debitam poteſtatis moderationem, ſi ipſemet imperet huic, aut illi Religioſo miniſterium, quo deloquitur; etenim rationi, æquitati, & juſtitiæ ſaltem reſpectu exemptorum conformiùs aget, ſi moneat, vel denique mandet ſuperiori, ut is exponat, quos noverit maximè idoneos.

131 VI. Deficientibus ſacerdotibus indigenis, vel Epiſcopo parêre negligentibus vel ex quacunque juſta, injuſtáve cauſa ſeſe excuſantibus, fas utique eſt, aliunde pecuniâ conducere ſacerdotem, qui infectis peſte miniſtret; hîc enim non emuntur Sacramenta, ſed labor extraordinarius, obligatióque cum vitæ periculo. Et quamvis evadat omnino incolumis, oportebit tamen ipſi fideliter pendi totum ſtipendium promiſſum. Qua de re accipe

Caſum ſummæ admirationis.

132 *Anno Domini 1579. me Parocho in Eccleſia D. Michaëlis Leodii, cùm peſtilentia innumeram multitudinem hominum abſumeret Leodii, & vicinis locis, paſtoréſque in ſummo vitæ diſcrimine verſarentur, providè valde uterque Magiſtratus ſacerdotem foraneum conduxit non exiguâ pecuniæ ſummâ, qui ſeorſim à ſuis habitaret, & peſte infectis neceſſaria ad ſalutem miniſtraret, datâ ſacerdotibus libertate, ut quiſque pro ſuâ pietate, & prudentia vel per ſe, vel per illum ſacerdotem conferret Sacramenta ægrotantibus. Hinc conſecutum, ut ægris Sacramenta non deeſſent, ſanis per paſtores ſanos Sacramenta miniſtrarentur, ſacrum Miſſæ officium magno populi concurſu celebraretur, tandem paſtores ſingulari Dei benignitate conſervarentur, ſicuti & ille conductus ſacerdos non ſine ſumma totius civitatis Leodienſis admiratione; cùm tamen is incredibili labore, modo pedes, modo eques per ampliſſimam civitatem propter peſte infectorum undique diſperſorum multitudinem diſcurreret.*

Hunc caſum, & ejus fundamentum leges apud Chapeaville *quæſt.* 18.

133 VII. Bonis deficientibus, poteſt pecuniâ conduci ſacerdos vitæ improbæ; ebrioſus, ſemiebrius; concubinarius; præciſus ab Eccleſia; hæreticus quoque; nam petitur in his omnibus caſibus actio de ſe bona, quam poteſt talis ſacerdos obire ſine peccato, ſi velit, poteſt enim utique reſipiſcere. Idem Doctor *q.* 10. *& ſeqq. uſque ad* 25.

134 VIII. Tempore peſtis tenetur Sacramenta miniſtrare Papæ is, quem ipſe delegerit, ſicut & Prælato exempto delectus ab eo. Papa verò, Epiſcopus, Prælatus inferior debet per ſe, aut à ſe delectum præſtare id officii ſuis domeſticis, & Epiſcopus Prælato non exempto. Item de jure tenetur paſtor, in cujus parochia ipſa aula Imperatoris, vel Regis ſita eſt, his præbere Sacramenta; deficiente autem parocho Epiſcopus. Idem parochus debet hoc officio fungi erga Dynaſtas, Principes, Gubernatores, Præfectos, horúmque familiares, ſeu domeſticos, quia generatim *ex Cap. fin. De pactis* conſtat, omnes, qui intra fines alicujus parochiæ reſident, ſubjici per ſe quoad Sacramenta parocho illorum finium, adeóque etiam huc pertinent viatores, peregrini, mercatores ad nundinas proficiſcentes, ſi per itinera peſte corripiantur; ſpectant & vagi.

135 Quòd ſi habitet non vagus æquali tempore in duabus parochiis, priùs obligabitur ille parochus, in cujus parochia tunc decumbit. Scholares quod attinet, ſi proprium parochum habet Academia, ſeu Vniverſitas; ſubveniet hic illis; ſi non habeat, parochus, in cujus territorio degit is, niſi fortè ille ſcholaris ſit civis ejuſdem urbis, tunc enim videtur hæc res ſpectare ad parochum proprii domicilii. Si famulus, aut dominus ſimulægrotent, juvandus, qui magis eget, ſi uterque æqualiter, erit locus gratificationi. Et univerſim quando plures petunt ſimul Sacramenta, ſuccurrendum eſt magis egentibus, & inter magis egentes illis, qui opus habent magis neceſſario Sacramento. Inter pariter egentes ipſe habebit primam curam ſui ipſius, tum Magiſtratûs, parentum, civium, alienigenarum, &c. Poſtremò quando eſt periculum in mora, adhibenda ſunt primò omnium, ſi neceſſitas inſtet, ſubſtantialia, deinde ceremoniæ graviùs obligantes. Hæc, & plura ſapienter Joannes Chapeaville *cit. cap.* 1. *à quæſt.* 25. *ad* 55.

136 Dicta ab hoc ſcriptore de obligatione Parochorum confirmo duabus Regulis traditis ab Epiſcopo Caramuele in Theolog. Præterintent. quarum primam exhibet *n.* 2495. his verbis: *Parochus tenetur vitam corporalem exponere pro ſalute ſpirituali ſuarum ovium, quotieſcunque ſunt non ſolùm in extremâ, ſed etiam in gravi neceſſitate ſpirituali conſtituti*: alteram *num.* 2496. his: *Parochus non tenetur adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, quando eſt certus moraliter, infirmum non eſſe in mortali, aliàs tenetur*, citátque Nugnum Silvium, Molfeſium, Villalobos, Filliucium *Tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 99. Dianam *Part.* 5. *Tract.* 3. *Reſol.* 93.

SUBSECTIO III.

Obligatio Prælatorum circa miniſtranda Sacramenta.

SVMMARIVM.

Prælati Regulares ad quid obligentur tempore peſtis? 137.
Ad quid Epiſcopi? 140. *& ſeqq.*
Defenduntur contra Nugnum, obligantem eos ad viſitandos perſonaliter vicos peſte infectos, 144. 147. *& ſeqq.*
Defenditur, & contra eundem Suarez docens, Extremam Vnctionem vix poſſe contemni ſine errore in fide. 151.
Sicuti, & docens, parochum abſolutè *non teneri Sacramentum Extremæ Vnctionis miniſtrare cum morali periculo vitæ.* 152. *& ſeqq.*

QUæritur I. *Quæ obligatio ſit Prælatis Religionum impoſita ad Sacramenta, vel miniſtranda, vel procuranda ſuis ſubditis?*

137 *Reſp.* I. Licèt Prælatura Religioſa non ſit propriè beneficium parochiale. Congreg. Concil. Trident. apud Aſcan. Tambur. *de jur. Abb. Tom.* 2. *diſp.* 6. *q.* 16. litque inſuper à Clem. VIII. prohibitum, ne tales Prælati excipiant confeſſiones ſuorum Religioſorum, niſi hi ſe ſubjiciant ſponte ipſis, nihilominus tamen incumbit his graviſſima obligatio curandi, ut ſui Religioſi muniantur Sacramentis, quando vel Eccleſiaſtica Lex, vel Regula præcipit illa ſuſcipi. *Sciat Abbas, culpæ paſtoris incumbere,*
138 *quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minùs potuerit invenire,* inquit Glorioſus Patriarcha Benedictus *cap.* 2. ſuæ multò ſanctiſſimæ, & ex divina ſcriptura ſolertiſſimè ſelectæ Regulæ; atqui magnus ille Paterfamilias Chriſtus Jeſus longè minùs utilitatis invenit in ovibus ſuis deſtitutis pabulo Sacramentorum, quàm illo ſaginatis in tempore opportuno. Unde 139
P. Pellizarius *in Manual. Regul. Tr.* 3. *c.* 6. *n.* 1. *& 2.* non ſolùm aſſerit, peccare graviter Prælatum Religioſum, quando negat ſuſceptionem Euchariſtiæ petentibus rationabiliter, ſed etiam addit, favente apertè Nugno *in Addit. ad* 3. *p. q* 33. *a.* 2. *ſub princip. verſ. Idem dicendum*, quoties Parochus obligatur cum periculo mortis miniſtrare ſuo alicui parochiano quodpiam Sacramentum, toties eandem obligationem cadere ſuper Prælatum Religioſum reſpectu ſui ſubditi Religioſi; nec ullo modo excuſari, ſi cognoſcens, ſuum quempiam ſubditum patrâſſe aliquod crimen lethale, probabiliter ſperet, illum elicuiſſe, vel eliciturum eſſe contritionem.

Quæritur II. *Quid circa prædicta ſingulari-* 140
ter de Epiſcopis tradant ſcriptores?

Reſp. Sequentia. I. Epiſcopus non tenetur ſe exponere periculo, ut eum confirmet, qui poteſt ad ſe venire, aut expectare occaſionem meliorem. Sic reſolvit Epiſcopus Caramuel in Theol. Præterintent. *n.* 2502. *Quid ſi autem is, qui necdum confirmatus eſt, decumbat affixus lecto, nec valens differre perceptionem hujus Sacramenti?* Reſpondet rectè idem Doctor, ſi abſit contemptus, & ſcandalum, velítque infirmus cedere jure exigendi hoc Sacramentum, ſicuti poteſt utique ſaltem in tali periculo imminente Epiſcopo, non peccaturum non cundo ad ægrum, quod etiam affirmat de Extrema Unctione, cùm hæc duo Sacramenta non ſint in præcepto, ut videbimus, cùm de ſingulis agemus.

Subdit deinde idem hæc verba: Excepto 141
caſu, in quo æger nullum aliud poſſet Sacramentum recipere, & eſſet in mortali, & poſſet per Confirmationem juſtificari, & non aliter, Epiſcopus non tenetur ſe exponere mortis periculo, ut aliquem confirmet; quia nec in tali caſu tenetur Parochus Extremam Unctionem dare; ſed uterque caſus, inquit ille, rarus, aut etiam impoſſibilis eſt. Et fateor quidem, eſſe rarum, at impoſſibilem, etiam *moraliter*, ne dum *phyſicè*, nego, quia non eſt ullo modo impoſſibilis caſus, in quo ſuperiùs *num.* 113. dixi, reperiri extremam neceſſitatem ſpiritualem. Porrò an Epiſcopus teneatur munire hoc Sacramento detentum in carcere periclitantem, dicam *Tractat. ſeq.* ſeu *in Alphab. Baptiz. & Confirmant. Caſ.* 22.

II. Non tenetur Epiſcopus ſe exponere pe- 142
riculo, ut aliquem promoveat ad Ordines. Ita idem Caramuel *n.* 2505. Patet, quia eum convenire debent Ordinum candidati, ab illo examinari, judicari, non quæri.

III. Ad-

143 III. Addit Chapeaville *c.5. q.7.* Epiſcopum obligari ex juſtitia, ſi deſint alii, extremè ungere ægrotum, in eo ſcilicet caſu, in quo parochus; nam ipſe Epiſcopus eſt vel maximè paſtor. Vnde à fortiori dicendum, quòd in tali eventu obligetur etiam cum periculo mortis excipere confeſſionem, quia omnes DD. agnoſcunt non minorem, imò majorem obligationem reſpectu Confeſſionis excipiendæ, quàm Vnctionis faciendæ.

144 IV. Didacus Nugnus Caperudus *in Addit. ad 3.part. S.Thom. q.33. a.2. verſ. Hæc ſententia, ita ut jacet*, appellat *nimis falſam* doctrinam Suarezij *T.4. in 3.p. diſp.44. ſect.3. 10.& 11.* ſcribentis, Epiſcopum per ſe loquendo non delinquere, ſi à civitate, in qua peſtis ſerpit, diſcedat corporaliter, dummodò debitam ſui gregis providentiam non relinquat; eò quòd neque quando adeſt, teneatur per ſe ipſum miniſtrare Sacramenta, niſi ubi nullus alius ſacerdos adeſſet; nec teneatur ad reſidendum in uno, & eodem loco, ſed in ſuâ Diœceſi, poſſitque à loco peſtilenti diſcedere, & in alio ſuæ Diœceſis manere: ſi autem contingat, peſtem per totam Diœceſin ſerpere, aut non poſſit in tota illa tutò manere, non fore contra præceptum de reſidendo pro tunc, habitare in aliquo loco vicino Diœceſi, quoad fieri poſſit, & inde attendere ad bonum regimen Diœceſis, providendo ovibus in neceſſariis, quantum potuerit, quia præceptum illud non plus obligat, quàm ratio juſtitiæ, & charitatis naturâ obligat: hæ autem virtutes in illo caſu non obligant ampliùs, quia ſolùm obligant ad reſidendum propter ſpirituale remedium ovium: ad hunc autem finem expedit tunc, ut paſtor ſuperior, & architectonicus ſit in loco tuto, tum ut poſſit ovibus meliùs providere, tum etiam ut ſe ad ovium ſalutem, & commodum meliùs conſervare poſſit.

145 Totum hunc diſcurſum P. Suarezij deſcribit verbatim Nugnus, ſubditque ſuam gloſſam his verbis: *Hæc ſententia ita, ut jacet, mihi nimis falſa videtur, & nimiam licentiam paſtoribus concedens.* Subdit autem: *Credo, quòd Epiſcopus non teneatur tantùm manere in civitate, in qua peſtis graſſatur, ſed etiam quòd debet multoties exire per vicos, & plateas illius civitatis, ut multæ videat, & agenda cognoſcat per ſeipſum.*

146 In eadem *quæſt. 33. a.1.* appellaverat etiam *nimis falſam doctrinam* ejuſdem Suarezij ſcribentis: *Vix poſſe eſſe in infirmo contemptum Extremæ Vnctionis ſine errore, vel hæreſi circa hoc Sacramentum.* Eadem *q.33. cit. a.2. verſ. Iſta ſententia ſemper.* de opinione ejuſdem P. Suarez, quatenus negat *cit. ſect.4. in fin.* parochos *abſolutè* teneri hoc Sacramentum miniſtrare cum morali periculo vitæ, fert hoc judicium: *Iſta ſententia ſemper viſa mihi fuit falſa, & impia.*

147 Ignoro ſanè, quo felle amaritudinis irritatus illeverit chartæ haſce cenſuras Nugnus? Equidem prima ſententia Suarezij de Epiſcopis non permanentibus in urbe infecta, nec viſitantibus vicos, & plateas, ut vult Nugnus, probatur non ſolùm illâ tam ſapienti ratiocinatione Suarezij, ſed exemplo infinitorum quodammodo Epiſcoporum, Archiepiſcoporum Germaniæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, adde & Pontificum Romanorum, quos hæſiſſe in luto peccati mortalis, quamdiu aut illam platearum luſtrationem omiſerunt, aut etiam ſe receperunt ad loca ſuæ Diœceſis ſana, nemo ſanus dixerit. Summi Pontifices ſunt Epiſcopi Romani, ergo, judice Nugno, omnes illi addicendi Orco, qui peſte toties populante urbem, receperunt ſe in Caſtellum Gangolphi, aut non viſitârunt aliquoties vicos ſubjectos montibus Capitolino, Tarpeio &c.

Dum hæc commentabar pro altero typo, 148
lues maligna terrebat, ac divexabat varios Epiſcopatus noſtræ Germaniæ; nullus è talibus Præſulibus, eorúmve Theologis, aut ſciebat, aut credere quidquam volebat de illa Theologia Nugniana; atqui qui contra omnes loquitur, non bene loquitur, inquit Baldus *Lib. 2. Conſ. 112.* Fateor, Sanctos Gregorium Thaumaturgum, Cyprianum, Gregorium Magnum, Carolum Borromæum, plus etiam præſtitiſſe in hoc genere, quàm exigat M. Nugnus, at etiam compertum habeo, præſtantes religione, & eruditione Theologos Romanos, Mediolanenſéſque cenſuiſſe, nequaquam fuiſſe Parochum obſtrictum, ut ipſemet exhiberet afflatis illo veneno Sacramenta, ſicuti videre eſt apud P. Theoph. Raynaudum *Lib. de Martyrio per peſtem. p.3. c.4.*

Quod autem ſuperaddit Suarez de Epiſcopi 149
commoratione extra Diœceſin, attamen in loco vicino, difficilius, quàm reliqua, videri poteſt expendenti ſolùm partem illius doctrinæ; at ſatis plana res eſt, ſi totam. Etenim P. Suarez, ut fideliter deſcribit Nugnus, eam licentiam abſentiæ expreſſiſſimè reſtringit hac clauſulâ: *Dummodo debitam ſui gregis providentiam non relinquat*; ex quâ ſic arguo: Nemo niſi paſſionatus vocabit *nimis falſam* doctrinam ita ſonantem: Epiſcopus poteſt ſalvâ conſcientiâ tempore peſtis totum Epiſcopatum populantis, ſe recipere ad locum vicinum Epiſcopatui, *dummodo debitam* NB. (hanc conditionalem eſſe Chimericam malè ſcribit Nugnus) *ſui gregis providentiam non relinquat.* Hanc doctrinam damnavit ut *nimis falſam* Nugnus. Ergo. Et nunquid facilè fieri poteſt, 150
ut talis Epiſcopus relinquat in Epiſcopatu Vicarium Generalem, qui æquè, aut etiam magis proſpiciat bono publico, quàm ipſe Epiſcopus? Quis, amabo, tunc obligabit hunc, ut cum periculo morali perſiſtat in Diœceſi? An non ex ejus morte plus damni, quàm ex commoratione in aliquâ ſpecula viciniſſima Epiſcopatui conſequetur? Ubi difficultas occurrit,

rit, ſemper accipiendum eſt illud, quod minus habet de periculo, inquit S. Thomas *3.p.q.83. a.6. ad 2.* Atqui minus de periculo publici boni habet (relicto gnavo Vicario) commoratio Epiſcopi in loco viciniſſimo Diœceſi, ex quo, ut ſupponit apertè Suarez, poſſit, velitque meliùs, & conſtantiùs providere ovibus, quàm perſeverantia intra Epiſcopatum, igitur Nugnus non debuit nimiæ falſitatis appellare opinionem Suarezii negantis, Epiſcopum aſtrictum contra præceptum de Reſidendo, ſi in circumſtantiis, quas hîc & ſuperiùs *expreſſè* vel *implicitè* indicavit Suarez, aliquantiſper exeat extra Epiſcopatum. Certè Chapeaville relatus ſuprà *num. 121.* cum aliis permittit Parocho emigrationem è propria parochia; quidni ergo Epiſcopo ex Epiſcopatu? An non ipſe Doctor Angelicus *2.2. q.185. art.5.* ſic generatim ſcribit? *Si ſubditorum ſaluti ſufficienter in abſentia Paſtoris, per alium provideri poſſit, tunc licet paſtori, propter perſonæ periculum, gregem deſerere.* Quod etiam probat auctoritate S. Auguſtini, ſtatuens hypotheſin eventûs non utique impoſſibilis.

151 Jam verò quòd idem Doctor rurſum *nimis falſam* appellitet doctrinam ejuſdem Suarii ſcribentis *cit. diſp.43. ſect.1. n.6.* contemptum Extremæ Unctionis *Vix* poſſe eſſe ſine errore, planè fallit Lectorem. Suarez enim diſertè loquitur de illo contemptu, qui provenit ex parvipenſione Sacramenti, & fructuum ejus; atqui ſi vel ipſe Nugnus, vel alius quiſpiam diceret, ſcriberétve Hiſpali, aut Romæ, à ſe contemni Sacramentum Extremæ Unctionis, & ideo contemni, quòd parvi pendat illud; & fructus ejus, citaretur ad tribunal ſacræ Inquiſitionis tanquam graviter ſuſpectus de hæreſi; ergo rectiſſimè ſcripſit Suarez: *Hic modus contemptûs Vix* (id eſt difficulter valde) *poteſt in aliquo reperiri, niſi laboret aliquo errore, vel hæreſi circa hoc Sacramentum.* Quid unquam verius ſcripſit Nugnus? An non omnis, qui parvi pendit Sacramentum illud, & præſtantiſſimos ejus fructus, quos inter eſt ſæpiſſimè prima gratia, ſanitatiſque corporalis reſtitutio, laborat errore aliquo? Poteſne quis perſpectam habens præſtantiam, aut primæ, aut etiam ſecundæ gratiæ, hanc parvi pendere? Unde meritò Palaus *expreſſè* apud D. Reding *Tom.5. q.11. a.4. Controverſ.2.* tacitè ſubſcribentem, adhæret Suarezio.

152 Denique quo jure idem Cato Cenſorinus inurit turpiſſimam notam impietatis illi pronuntiato Suareziano: *Parochus abſolutè non tenetur Sacramentum Extremæ Vnctionis miniſtrare cum morali periculo vitæ.* Etenim in primis hæc doctrina eſt multorum graviſſimorum authorum, & ipſius Gregor. XIII. ut paulò pòſt videbimus. Deinde Suarius per voculam *abſolutè* intelligit communem morem adminiſtrandi hoc Sacramentum, qui eſt, ut detur paulò poſt jam recepta Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ut ſeipſum explicat hic Doctor eâ ratione, qua probat illud effatum, & diſertè præmiſerat *ſect. 1. n.8.* eſſe *ſeclusâ rationabili cauſâ, ſervandum iſtum ordinem, utpote quem obſervet conſuetudo Eccleſiæ.*

Quis verò damnet me impietatis, ſi apertè 153
ſcribam: *Parochus abſolutè*, id eſt, *quando jam paulò antè munivit juxta morem Eccleſiæ peſtiferum duobus Sacramentis Eccleſiæ, non obligatur cum morali periculo vitæ addere tertium?* Excipe, (hanc exceptionem ne *implicitè* quidem inficiatus eſt Suarez,) niſi adſit peculiaris ratio, ob quam meritò ſuſpicetur, aut credat Parochus, infirmum verè indigere hoc Sacramento; ut quando jam interceſſit octiduum à ſumpto Viatico, & æger valde impatientem ſe geſſit, ideóque in remedium animæ poſtulat inſtanter hoc Sacramento roborari. Equi- 154
dem Diana *P.5. Tr.13. Reſ.53.* deſcribit declarationem Gregor. XIII. ac literas ad S. Carolum Borromæum, ob quarum Authoritatem ipſe cum Majolo, Benzonio, Philiarcho, aliis contra Marchant. Filliuc. alios *abſolutè* negat, parochum teneri in articulo mortis tempore peſtis miniſtrare Euchariſtiam (minor eſt ratio, majus periculum Extremæ Unctionis) ſuis parochianis. Idem de ipſamet Extrema Vnctione inficiatur Caramuel ſuprà relatus, & Chapeaville *cap.5. q.2. fin.* ubi judicio Mediocrum eſt aliquod periculum. Idem ſapientiſſimus Princeps Abbas D. Auguſtin. Reding *loc. cit. art.5. Controverſ.2.* id optimè probans, & pro ea doctrina citans cum Suarez, Filliucium, Amicum, Caſtropalaum, Dianam, & recentiſſimum Gonetium. Quàm effrontem eſſe oportet calamum damnantem impietatis tot, ac tantos? Vide etiam Hauckium *in Epinomia verb. Extrema Vnctio. num.47. & 48.* Et verò illâ Epiſtolâ probatur fortiter, Parochum neque per ſe, neque per alium obligari ad ulla alia Sacramenta, quàm Pœnitentiæ, & Baptiſmi miniſtranda tempore peſtis, niſi videlicet 155
iis, qui peculiariter indigent; quod ego cenſeo omnino verum ſaltem de Extrema Vnctione, utpote in cujus miniſtratione eſt præſentius periculum, quàm in aliis, & quæ communiter eſt minùs neceſſaria, incertiùs conſecutura effectum, quàm illa duo Sacramenta; indéque probo ulteriùs irrefragabiliter; quia certum eſt, Parochum in caſu Suareziano non obligari niſi ut Parochum; nec enim aut Nugnus, aut alius ſapiens mihi, qui non ſum parochus, imponet ſub mortali onus miniſtrandi cum periculo mortis hoc Sacramentum illi, de quo loquitur Suarez, à nobis verè explicatus; atqui Parochus, ut Parochus non obligatur ſub mortali, aut etiam veniali, præſtare tunc id officii; quod ſic oſtendo. Nam obligatio Parochi, ut Parochi oritur ex juſtitia, ut notant omnes; atqui nullus Parochus communiter loquendo tenetur ex juſtitia ſeſe offerre morti pro illo ægro, de quo diſſerimus cum Suarez.

156 Hoc assumptum demonstratur; nam obligatio justitiæ erga aliquem cessat, ubi cessat voluntas alterum obligandi; quia quisque juri suo renuntiare potest *cap. Ad Apostolicam. De Regul.* atqui voluntas obligandi cessat, vel planè in omnibus, vel certè in plerisque (à quibus tanquam à potioribus denominatio fieri debet) similibus illi infirmo, quo de disserimus; si enim diceretur tali: Quandoquidem es Sacramentis Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ non solùm emaculatus, sed etiam viaticatus ad iter æternitatis, & quidem non sine periculo tui pastoris, nec habes jam, quod graviter tuam premat conscientiam, utique non cupis urgere eundem Dominum Parochum, urbi, aut communitati tam utilem, aut necessarium, ut cum discrimine morali vitæ propriæ, vel cum aliorum dispendio verosimili ad te ventitet. Si, inquam, ego ita alloquerer singulos è viginti decumbentibus ex peste, atque constitutis eo modo, quo esse supponimus illum, de quo Suarez, atque plurimi alii sapientes scribunt, fortè non esset ex illis vicenis reperire unum, qui non esset mox dicturus: *Absit à me tam indiscreta cogitatio: Vita Parochi debet reservari aliis, fortè magis opus habituris, quàm ego.* Hoc, puto, si expendisset Nugnus, non dedisset nonnullis novam occasionem jure post Dianam *P. 10. Tr. 12. Res. 58.* scribendi, esse *nimium in censurandis aliorum opinionibus.*

SUBSECTIO IV.

Quatenus Regulares & Canonici obligentur administrare Sacramenta.

SUMMARIUM.

Regulares quatenus teneantur in necessitate ministrare Sacramenta? 157. & 158.
Quatenus alii? 159. & seqq.
Et singulariter Carthusiani? 161.
Quid si nequeat sine periculo contagionis audiri tota confessio? Ibid.
An Canonici teneantur in urbe infecta peste remanere adjuvandos moribundos? 162. & seqq.
Casus, quo hæretici milites solebant obtruncare omnes sacerdotes repertos in pagis. 165.
An potuerint tunc deserere suas oves? 166.
Nemo constitutus in peccato mortali tenetur se exponere Martyrio pro spirituali salute proximi. 167.
Refellitur quoddam Baldi dictum 168.
Quid si major pars parochianorum remanet in pago tempore persecutionis militaris, an & remanebit parochus? 171.
Quid aget, quando urbs capitur vi, & obtruncantur obvii? 173.
Declaratur insigni facto cujusdam è Societate Jesu. 174.
Casus B. Pauli Michi perrumpentis per satellites, ut baptizaret ethnicum, qui ducebatur ad locum supplicii. 176.
Quatenus hoc exemplum sit imitandum parochis, scientibus, aliquem hæreticum, vel catholicum detineri in carcere hæretico cum periculo mortis? 179.
An B. Paulus Michi fuerit obligatus agere, quod egit? 180.
Resolutio ad hoc quæsitum data applicatur Germanis sacerdotibus, scientibus Judæos, Turcas, Hæreticos capite damnatos carere salutis remediis. 181.
An mutato habitu, & succincti gladio teneantur adire istos? 182.
Singulariter quid agendum, quando Catholicus detinetur in carcere hæretico? 184.
Quæ obligatio incumbat tunc Episcopo? 185.
Pœna parochi, cujus incuriâ moritur quis absque Sacramentis. 187.

ANsolis animarum Curatoribus sit præscripta lex de ministrandis in necessitate Sacramentis? 157

℟. I. Sacramentum Baptismi tenetur quilibet ministrare extremè periclitanti; sicut ex communiore sensu DD. ostendemus *in Alphab. Baptiz. Cas. 7. n. 224.*

II. Omnes Sacerdotes Regulares, & seculares tenentur in articulo mortis Eucharistiam ministrare, deficiente Parocho, illi, qui aliud Sacramentum non accepit, nec accipere potuit. Ita P. Escobar *in Theol. Moral. L. 29. problem. 104.* Ratio est, quia tunc videtur valde urgere necessitas spiritualis; consequenter dicendum erit, eandem illidem obligationem ungendi extremè incumbere absenti parocho, quando infirmus nullum aliud Sacramentum recipere potest; tunc enim tanta urget necessitas, quanta pro Eucharistia.

III. Tempore pestis Prælatus Religiosus 158
nequit fugere deserto Conventu; ejus autem subditi tenentur ipsi parere mandanti curam corporalem domesticorum, non verò externorum peste infectorum; sicut nec monachi ex ejus mandato ministrare externis Sacramenta (nisi in verè extrema necessitate) Ecclesiæ; at Mendicantes obligantur etiam cum periculo vitæ, si desint alii, nec haberi queant etiam pecuniâ conducti, potéstque & debet Prælatus Religiosus id ipsis præcipere; qui tamen imprudenter aget, si destinet meticulosiores, Ordini utiliores, præ minùs utilibus, minùs obnoxiis concipiendæ pesti. Hæc omnia tradit P. Sanch. *L. 6. mor. c. 2. n. 55. & seqq.* post Rodriq. Attamen nostræ historiæ, & Annales suppeditant nobis sexcenta exempla præstantissimorum eruditione, & talentis gubernandi Virorum, qui summis precibus extorserunt à Moderatoribus copiam sese totos impendendi, & superimpendendi huic ministerio, dignissimo palmæ propriè dicti, ut piè creditur, Martyrii.

IV. Non tantùm est certum ex iis, quæ *in* 159
Alphabeto Confessar. Cas. 3. dicemus, quemlibet, saltem non præcisum sacerdotem esse, idoneum ministrum Pœnitentiæ in articulo mortis, sed etiam vero simillimum, si non certum, quemlibet obligari ad excipiendam, deficiente omni alio sacerdote, Confessionem moribundi; omnes enim DD. meritò præferunt necessitatem Confessionis duorum priùs indicatorum Sacramentorum necessitati.

160 V. Unde Chapeaville *c. 3. q. 3.* pronuntiat, peccare mortaliter quemlibet sacerdotem, cujus tergiversatione fit, ut infirmus decedat sine Confessione, & loquitur *expressè* de tempore pestis, non tamen de jam correptis peste.

161 *Quidsi ergo nonnemo vitæ satis solutæ, datis pœnitentiæ signis, privetur subitò omni sensu? an tenebitur sacerdos Carthusianus, Stylites, inquam, Mysticus, ut sanctissimum Patriarcham Brunonem appositè nuncupat* in Trinitate Patriarcharum P. Theophilus Raynaudus, *seu prodire è dilecta sibi eremo, seu descendere è sua columna, ut tunc fungatur officio parochi?*

℟. Tenebitur, si nemo alius haberi queat, juxta relata paulò superiùs ex P. Sanch. Ratio est, quia status Religiosus neminem facit eximium à legibus naturalibus, qualis est de succurrendo versanti in tanta necessitate. Confirmantur ista iis, quæ suprà *n. 128.* retuli ex Chapeaville.

At *eritne tunc necessariò excipienda tota Confessio?* Nos *in Alphab. Confitent. n. 463.* cum P. Tannero negabimus, casu, quo adest singulare periculum contagionis; negat, & P. Vasquez *Tom. 4. in 3. p. q. 91. ar. 2. dub. 2.* casu, quo confessarius timeret multùm probabiliter infectionem. At verò Hauckius *in Epinomia. Verb. Absolutio n. 17.* referens mendosè (per typothetæ oscitantiam) locum Vasquezii, dissentit fusè ab illo, eò quòd confessarius teneatur ex charitate procurare etiam cum periculo vitæ integritatem Confessionis. Ast ego non recedo à Tannero, Vasqueziove.

162 VI. Nemo nisi adsit titulus voti, aut beneficii, tenetur cum vitæ periculo munire Sacramentis illos, qui se possunt cum divino (intellige ordinario) auxilio eripere ab interitu æterno; quia tales absolutè non egent alienâ operâ. Sic resolvit P. Hurtadus de Mendoza 2. 2. *disp. 14.* referente Dianâ *P. 5. Tr. 13. Res. 24.* & subscribentibus plurimis, qui in tractatibus, seu disputationibus de charitate inficiantur, quemquam præter parochos &c. obligari, vitam suam exponere periculo, propter proximum laborantem solâ gravi necessitate. Addit autem idem Hurtadus, non solùm Curiones, sed etiam omnes alios beneficiatos, & nominatim Canonicos teneri remanere in urbe infectâ peste, eò quòd beneficia sint instituta ob subsidia spiritualia populi, qui illis tunc maximè egent. Ita Hurtadus non dissentientibus, assentientibúsve, aut ipso Dianâ, aut Caramuele *in Theologia Præterintention. n.* 163 2506. Ego hanc doctrinam ita intelligo, ut Canonicis, & alia simplicia beneficia possidentibus tunc solùm incumbat obligatio subsistendi in tali loco, quando non adsunt sufficientes sacerdotes, aut Curati, aut Religiosi, offerentes se ad ista munia; nec dubito, quin Domini Canonici etiam Cathedrales habeant priorem, adeóque graviorem obligationem, quàm Religiosi, nam sæcularia beneficia respiciunt magis Sæculares, quàm Regulares.

At inquies: *Hæc de Canonicis doctrina est non* 164
modò inusitata, sed fortè etiam inaudita in Germania.

Resp. Fortè (ut alias causas premam silentio) ideo, quia usus docuit, eorum operam haud esse necessariam, si loquamur de Canonicis Cathedralibus, nam multarum Collegiatarum omnes sunt *curati*, ut loquuntur, adeóque singuli pro Confessionibus excipiendis approbati. Quæ hîc dixi, sunt omnia conformia iis, quæ retuli ex Chapeaville.

Quæres: *Quid censendum de hoc*

Consilio in persecutione militari.

Grassabantur Suecimilites, & totum Rhe- 165
num suis armis occupaverant; manserunt nostri sine parochis, omni solatio destituti, nam & isti ubi ubi reperirentur, crudelissimè trucidabantur. Mascarnius oppidi N. Parochus petiit, sibi dari Regulam, ut sciat, in quibus casibus teneatur favere proximo cum periculo.

Sic proponit hunc Casum D. Caramuel *in* 166
Theolog. Præterintention. n. 2507. præmittens ei Titulum *Consilii in persecutione militari*, ac subdens suum consilium, judiciúmque; consistit autem illud (omissis, quæ addit de obligatione conservandi bona temporalia) in his punctis. 1. Parochus tenetur satisfacere officio suo etiam cum periculo mortis. 2. Quicunque homo privatus est in peccato mortali, excusatur ab obligatione exponendi se mortis periculo, quia charitas incipit à seipsa. 3. Ne- 167
mo in peccato mortali constitutus tenetur se exponere martyrio pro salute spirituali proximi, tum quia multa requiruntur ad veram rationem Martyrii, quæ an hîc & nunc adsint, est sæpe incertum: tum quia dolores Martyrii sæpe sunt sævissimi, ideóque tametsi quis seriò proponat, omnia perpeti ad mortem usque; fieri tamen potest, ut succumbat; & quamvis ipsi probabile sit, se esse in statu gratiæ; etiam est probabile, quòd non sit in statu gratiæ; quia probabilitas afficit utramque contradictionis partem, ait *n. 2521.* hic Doctor. 4. Si præter mortis periculum etiam est periculum proximum peccandi mortaliter, nemo tenetur se exponere, ut si timeat, cruciatus fore majores, quàm ut ipse toleraturus sit, & probabiliter timeat, se desertum fidem, si in manus Tyrannorum incidat, non tenetur tali periculo se exponere.

168 Hactenus ſanum utique Caramuelis Conſilium, nitens, quoad tria poſteriora membra, illo principio generali, probato à S. Thoma 2.2.q.26.a.4. ejúſque commentatoribus, quòd ſcilicet homo teneatur in bonis ſpiritualibus, ad ſalutem neceſſariis diligere ſe magis, quàm alium, in horum quippe ordinata dilectione veritatem ſingulariter obtinet Axioma etiam receptum in ſcholis Jureconſultorum, quorum permultos Barboſa *Axiomate 42.* nominat: *Charitas bene ordinata incipit à ſeipſo*; quod adeò verum eſſe, pronuntiat Baldus *Conſil.424.* incip. *Factum ſuper quo. n.3.l.4.* ut quis (ejus judicio) *ex charitate bene ordinata magis amet ſeipſum in ungue pedis, quam adverſarium in vertice capitis.* Quod ego tamen judico, eſſe magis politicè, quàm Chriſtianè dictum; ordinata quippe charitas Chriſtianorum, nec minuitur ratione inimicitiæ, cùm ſcriptum ſit: *Diligite inimicos veſtros.* Matth. 5. nec impellit ad ſua minora bona præferenda majoribus adverſarii; cùm rurſum ſcriptum ſit: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Luc.10. Porrò quod nominatus ſuperiùs Doctor inſulatus ſcribit de tractu Rhenano, idipſum memoro de Alſatico, Suevico, Bavarico, in quorum plurimis pagis non erat id temporis reperire ullum ſacerdotem, partim quia vel gladio hoſtili, vel morbis erant ſublati, vel etiam profugerant veriti crudelitatem militarem. Memini, fuiſſe non ſemel diſceptatum, an excuſandi eſſent, qui ob ejuſmodi metum deſeruêre ſuas oviculas? Ego ſalvo cujuſcunque judicio.

169 Exiſtimo primò, quando, ut crebriùs factum, omnes parochiani profugiunt è pago, paſtorem non peccare ſequendo ſuas oves, ſed poſſe cum Sancto Joanne Eleemoſynario, quem aliâ occaſione refero *in Alphabeto Audientium ſacrum, n.153.* dicere: *Ubi oves, illic & paſtor*; licèt enim meritò timeat, ne Eccleſia ſua indigniſſimè profanetur, polluatúrque à militibus heterodoxis, haud tamen tenetur cum vitæ periculo ſubſiſtere in loco; eſt enim *plerumque* incertiſſimum, an poſſit impedire

170 id mali, etiamſi remaneat. Debebit tamen omnes conſecratas hoſtias abſumere ipſe, aut ſolus, aut cum aliis, etiam non jejunus, ſed elicito actu contritionis juxta dicta *in Alphab. Sacrificant.* ac ſecum accipere ſacra olea, calices, & corporalia, ſi poſſit; his quippe rebus indigniſſimè ſolent uti milites acatholici. Quòd ſi tamen ſperaret, ſe ſuâ apud ductorem illius cohortis, legionis &c. authoritate effecturum, ut parceret ſacris rebus, utique teneretur adhibere eam authoritatem, eſto non ſine aliquo ſuo incommodo, cùm revera ipſum concernat cura, cuſtodiáque ſacrorum vaſorũ. *Cap. Un. De offic. Sacriſt. & Cap. 1. De offic. Cuſt.*

171 Exiſtimo ſecundò, quando major pars incolarum remanet domi, debere & parochum vel remanere quoque, vel ſe recipere ad locum, è quo poſſit, velítque brevi redire. Ratio eſt, quia inter tot, qui remanent, ſunt probabiliſſimè complures, qui vel extremâ, vel certè gravi neceſſitate laborabunt. Ergo in primis non licebit aufugere ſine animo ſe brevi reddendi ſuis, propter ſolum metum contumeliarum, aliorúmque incommodorum morte minorum, aut morti comparari ſolitorum, ut comparatur mutilatio, gravis vulneratio, tortura illata per aquæ infuſionem violentam in ventrem, aut per funiculos circum caput contortos, donec ferè extrudantur oculi. Deinde oportebit etiam cum metu hujuſmodi malorum redire, ſi adſit moralis ſpes miniſtrandi aliquamdiu tectè Sacramenta neceſſaria. Imò etſi timeatur, ne reverſo mors infe- 172
ratur, attamen non niſi poſt navatam aliquot moriturientibus operam paſtoralem, obligabitur redire. Ita ſanè ſentire debent omnes, quos ſuprà retulimus, imponentes obligationem Sacramenta miniſtrandi tempore peſtis, apertéque ſequitur ex utraque Regula Caramuelis productâ *num.136.* & verè plerique omnes, qui ſcribunt de charitate debita proximo, exprimunt, parochum non poſſe fugere tempore peſtis, nec ullus eorum excipit ſæviſſimam. Foret mihi pronum nominare 20. aut 30. Doctores ita ſcribentes. Atqui eadem eſt ratio ſæviſſimæ peſtis, quæ hoſtilis incurſionis. Unde

Exiſtimo tertiò, quando aliquod oppidum, 173
aut urbs capitur armatâ manu, obtruncantúrque, ut fieri amat, omnes obvii, turpiſſimè impingere in debitum paſtoralis muneris parochum, qui ſtatim ſalutem quærit in pedibus, aut ad latebras confugit, ſi quidem ſperare queat, ſe, antequam obtruncetur, diſpoſiturum eſſe ad Chriſtianam mortem aliquot è ſuis parochianis. Ratio eſt, quia tunc, vel maximè bonus paſtor debet ponere animam pro ovibus præſervandis à morte non temporali, ſed æterna; ergo imitandus is, quem exhibet hic

Caſus Novæ Franciæ.

CUm Iraquani, gens aſſueta vorandis car- 174
nibus humanis, inexplorati, atque armati irrupiſſent in pagum Neophytis Chriſtianis refertum, P. Ant. Daniel Soc. Ieſu ſacerdos, qui eos genuerat in Chriſto, tameſi facilè poterat vitam ſervare fugâ, ad quam invitabatur à multis, attamen ſui negligens, atque recordatus nonnullorum ſenio, atque ægritudine confectorum, quos diuturnâ operâ Baptiſmo paraverat, accurrit ad mapalia, abluit eos, alióſque ſacris undis, deinde ad ædem ſacram refertam catechumenis, & Chriſtianis advolat, quos dum parat ad cruentam ſimul felicémque mortem, obruitur ſagittis ab ingruente hoſte atque medium pectus glande ferreâ trajectus occumbit.

Eſt hoc breviarium illorum, quæ ego de hoc
175 Chriſtiano Heroë olim ſcripſi in *Narratione Hiſtorica Novæ Franciæ*, ſeu Canadæ, ut nominant Galli. Ejuſmodi irruptiones in terras Catholicorum fiunt crebrò à Turcis, ac Tartaris, & prô dolor! experti fuêre proximo bello Turcico Moravi, multis ſuorum interfectis. Quid tunc egerint Parochi, Religioſive, me latet; certum mihi eſt, potuiſſe tunc facilè fieri, ut paſtores nonnulli obligarentur, confiteri volentibus aures præbere, etiam cum evidenti periculo incidendi in barbaras, cruentáſque manus Tartarorum. Qui inter illos habebant conſcientiam gravatam peccatis, nec valebant, ſicut aliquibus difficillimum eſt, diſponere ſe ad perfectam contritionem, poterant ſe confeſtim mandare fugæ, de aliis judicavit jam ſupremus arbiter. Caſus ille Novæ Franciæ dat occaſionem reſolvendi Caſum frequentem, ab aliis tamen præteritum, comprehenſum verò hoc

Caſu Japonico.

176 P*Aulus Michi Soc. Ieſu Concionator fervent-*
iſſimus, etſi necdum ſacris initiatus, natione Japon, decem circiter diebus, priuſquam pro fidei Catholicæ prædicatione comprehenderetur, ac poſtea cruci alligatus, ferro in cor adacto perimeretur, ideo in ſyllabum Sanctorum Martyrum relatus ab Vrbano VIII. incidit in turmam lictorum educentium foras quempiam, neſcio cujus ſceleris reum, ut capite truncaretur; penetravit per eoſdem ſatellites ad reum paganicis ſuperſtitionibus innutritum tantóque ſpiritûs ardore hortatus ad Chriſtianam Religionem amplectendam fuit, ut annuerit, publicè profeſſus fuerit fidem Orthodoxam, atque tinctus aquâ baptiſmali ſanguine crimina expiârit.

177 Quæri poteſt 1. *An tunc S. Paulus Michi obligatus fuerit rem tantam aggredi cum diſcrimine mortis. 2. Quid oneris incumbat noſtris in Europa ſacerdotibus Curatis, & non Curatis, quando occurrunt caſus utcunque ſimiles huic Japonico?*

178 Contingit enim omnino perſæpe, ut in oppidis heterodoxorum vicinis uni, pluribúſve locis Catholicis, ad fatalem arenam ſupplicii extremi deducantur rei variorum criminum, intérque hos alii heterodoxi, alii orthodoxi, viſitante in carcere, comitante ad feralem locum Miniſtro acatholico; an non obligantur ſub mortali peccato ſacerdotes vicini, & ſingulariter parochi illorum catholicorum operam cum vitæ periculo dare, ut poſſint illos reos accedere, & inducere ſaltem ad confeſſionem faciendam?

179 Si hæc quæſtio reſolvenda ſit ex ſola praxi noſtræ Germaniæ (credo eſſe eandem Galliæ, Poloniæ, Hungariæ) neganda erit ejuſmodi obligatio; neque enim ego, aut alii, quos interrogavi, teſtari queo, ſolere id operæ dari. At verò ſi reſpondendum ſit, ut certè debet, ex principiis Fidei, ac Theologiæ, aliter loquendum fortaſſis erit.

Dico igitur I. S. Paulus Michi obligabatur 180
ſub mortali agere, quod egit, & ſimiliter alii omnes in ſimilibus eventibus, circumſtantiiſque. Ratio eſt, quia quiſque tenetur proximo in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto ſuccurrere, ſaltem quando poteſt ſine periculo mortis, ut tradunt omnes DD. poſt S. Thomam *2.2.q.26.a.5.* potuit verò ille, quo de loquimur, verbi divini ferventiſſimus præco, ut non modò docuit eventus, ſed etiam quia in primis ferè certus erat, ſuum zelum non allaturum eſſe ſibi mortem, etenim tyrannus Japoniæ utebatur id temporis magnâ diſſimulatione erga homines Societatis. Deinde uſu didicerat, Dominum Deum ſolere ſuis hortationibus addere vim magnam: Ad hæc ille miſerrimus homo verſabatur in prorſus extremo diſcrimine mortis æternæ: igitur S. Paulus Michi reddidiſſet ſe in Japonia indignum & palmâ Martyrii, & coronâ gloriæ æternæ, ſi non egiſſet, quod egit. Ergo nos Europæi audie- 181
mus illam terrificam vocem: *Diſcedite à me maledicti*, ſi quando Turcæ, Judæi, Ariani, Lutherani, Calviniſtæ, quibus ſumus permiſti, deducendi ſunt, aut reipſa deducuntur ad patibulum, rogum, rotam &c. non conemur omni, qua poſſumus, ratione penetrare ad illos, atque ipſos imbuere fide catholicâ, ſi quidem conveniant hæ duæ circumſtantiæ. 1. Quòd ii habeant certò, ſicuti ſine dubio habent, opus noſtrâ operâ, cùm revera ignorent media neceſſaria ad ſalutem. 2. Quòd *moraliter* certi ſimus, operam noſtram reipſa illis profuturam ad vitam æternam, adeóque non fore inanem in Domino; ſi enim hæc duo *moraliter* certa ſint, tenebitur quiſque ſacerdos ſæcularis, aut Regularis, etiam cum diſcrimine vitæ accedere tales, evangelizare Chriſtum, prædicare verba ſalutis, & miniſtrare Sacramenta, tempori & loco convenientia, ſicuti ex communi ſcribentium *in citatam quæſt. 26.* S. Thomæ tradit Ferdinandus de Caſtro Palao *De Charit. diſp.1.p.5.* Juxta illam Apoſtoli Ioan. *Epiſt. 1. c. 3.* firmiſſimam conſequentiam: *In hoc cognovimus Charitatem Dei, quia ille animam ſuam poſuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Ergo, inquies, *debebit homo Religioſus depo-* 182
nere tunicam, appendere enſem ad latus, ſi aliâ ratione nequeat penetrare in carcerem, aut per turbam ſatellitum, eſto poſt, feliciter obitam legationem, qua fungebatur pro Chriſto, mox obtruncetur?

Reſp. Eſt tam conſequens, quàm ipſa conſequentia veriſſima; conſequens autem apud nos Germanos, & probabiliter etiam apud alios

lios Europæos ideo propè inauditum, quia alii ignoravêre, aut non conſideravêre hanc Theologiam, alii ejuſdem; non ignari, vel trepidaverunt timore, ubi non erat timor, vel neſcierunt, ut riſſimè ſciunt, adeſſe utramque ex duabus circumſtantiis indicatis.

183 Dico II. Quando eſt tantùm probabile, quòd talis Judæus, Turca, Hæreticus, ſit revera admiſſurus in animum verba Catholici ſacerdotis, non habet hic obligationem ſe conjiciendi in periculum mortis, mutilationis, aliorúmve malorum ſolitorum æquiparari morti. P Tannerus *Tom. 3. diſp. 2. q. 3. dub. 4. n. 62.* teſtans, id ſupponi ad omnibus. Et ratio eſt, quia ſi eſt tantùm probabilis ſpes juvandi in actu ſecundo, eſt etiam probabilis deſperatio, juxta veram *plerumque* argumentationem, quam *n. 167.* retulimus ex Caramuele; atqui talis obligatio foret nimis difficilis in probabili, ſeu prudenti deſperatione.

184 Dico III. Quando quis Catholicus, vel apoſtata à fide detinetur ob delicta in carcere hæretico, afficiendus extremo ſupplicio, tenetur ejus Parochus etiam cum periculo vitæ miniſtrare ipſi Sacramentum Pœnitentiæ, ſi poſſit. Ita ſanè in ſpecie reſpondit Caramuel ad Caſum Patecticum Catholici ſeu latronis, ſeu furis capti ab Hollandis, quem deſcribemus *Tract. 8. Caſ. 1. num. 29.* ſequiturque apertè ex ejus, aliorúmque doctrinâ relatâ ſuperiùs *n. 114.* atque approbatâ etiam à Gregorio de Valent. *Tom. 3. in 3. p. diſp. 3. q. 4. p. 3.* Tannero *loc. cit.* cæteriſque pronuntiantibus, parochum teneri etiam cum vitæ periculo ſuccurrere, adeóque miniſtrare Sacramenta ſuis parochianis conſtitutis in gravi neceſſitate ſpirituali; ſunt autem ſine dubio omnes tales in tali neceſſitate conſtituti, nam ut ſuprà diximus, & notant etiam hi duo poſtremi authores, gravis neceſſitas ſpiritualis eſt tunc, quando quis valde difficulter poteſt ſine alieno auxilio facere neceſſaria ad ſalutem; ſicuti difficillimè faciunt tales ſeu apoſtatæ à fide, ſeu etiam Catholici, præſertim quando hi à præconibus hæreticis incitantur ad deficiendum à vera Religione, ſpe aut veniæ, aut lenioris ſupplicii.

185 Dico IV. Hac ipſa obligatione devincti ſunt Epiſcopi in ſimili eventu. Ita omnes, quia ipſis principaliùs incumbit cura ſupremæ ſalutis Diœceſanorum, quàm parochis. Adeóque quando novit Epiſcopus, unum aliquem è ſuis Diœceſanis detineri ob crimina in aliquo carcere hæretico, non implebit doctrinam à S. Thoma, omnibuſque Theologis traditam, ſi non ſeverè mandet, inquiri diligenter valde, an non ſit modus, aut ratio perveniendi ad illum miſerabilem hominem, corruptis pecuniâ cuſtodibus, veſte mutata, vel aliâ ratione; comperto autem poſſe revera id fieri, cum intento emolumento ſpirituali, mandabit illius parocho etiam ſub pœna privationis beneficii, ut id in ſe ſuſcipiat; ſi nequeat quemquam reperire, qui id præſtare velit, ſubibit ipſe onus. Fateor, ea, quæ hîc ſcribo, eſſe planè nova (quoad tantam ſpecificationem) in libris Caſiſtarum, at ſunt antiquiſſima in Evangelio, & duabus tabulis Decalogi, ínque Summa S. Thomæ.

Dico V. Licèt hæc ſint *per ſe* vera, veriſſima, 186
per accidens tamen crebrò ceſſat hæc obligatio. In primis quia ſæpiſſime ignoratur ejuſmodi captivitas, præſertim ab Epiſcopis, quorum potior cura eſſe debet circa communem bonum alicujus urbis, aut provinciæ, quàm privatarum perſonarum. Deinde ſæpe deſperatur non ſine cauſa de poſſibilitate acceſſûs, aut effectûs. Adhæc ſi vel mea opera aliis ſit magis utilis, aut neceſſaria, vel alioqui majus damnum aliis, vel reipublicæ ex ſubventione orituruu ſit, majúſve aliud bonum impediendum, tum potiùs minus illud malum permitetur, ut evitetur majus. Ita loquitur P. Tannerus *cit. q. 5. de Charitate dub. 4. num. 63.*

Quæritur poſtremò, *Qua pœnâ puniendus pa-* 187
rochus, cujus culpâ ſit, ut parochianus decedat ſine Sacramentis?

Reſp. Arbitraria; etenim nulla certa pœna eſt in Jure ſtatuta pro tanto crimine; ergo illam augebit, vel moderabitur Ordinarius, habito reſpectu ad negligentiam parochi, neceſſitatem Sacramenti, ſalutémque animarum, Barboſa *De Parocho part. 2. cap. 17. n. 45.* poſt Ugolinum *De Offic. Epiſc. cap. 15. §. 12.* ſubdentem, hoc intelligi de ſolis Sacramentis neceſſitatis, ut Baptiſmo, & Pœnitentiâ.

Quidſi verò Parochus nolit fungi hoc officio, niſi acceptâ pecuniâ?

Reſp. Simoniæ reus erit, ſi eam petat ut 188
pretium Sacramenti, aut laboris eſſentialiter annexi miniſtrationi Sacramenti. *cap. Quidquid. 1. q. 1.* ſecùs ſi exigat propter laborem extraordinarium, aut ex vi legitimæ conſuetudinis, communiter in eo fundatæ, quòd reditus annui non ſufficiant ſuſtentando decenter parocho, adminiſtranti Sacramenta, juſtè petat aliquid in ſuſtentationis partem.

Hæc ſufficiunto de obligatione miniſtrandi 189
Sacramenta, erit forte qui nonnulla ex his pleniùs illuſtret. Interim vide *in Alphab. Baptiz. n. 237.* an parochus teneatur, cum periculo mortis ſpiritualis miniſtrare Baptiſmum?

SECTIO V.

An, & quatenus obſit valori Sacramentorum error Miniſtri?

SVMMARIVM.

Error Miniſtri quatenus obſit valori Sacramenti? 190.
Caſus Calviniſtæ baptizantis cum errore in fide. 191.

Quiſ-

Quiſque hæreticus præſumitur velle facere, quod vult vera Eccleſia. 194.
Adferuntur exceptiones. 195. & ſeqq.
Error circa ſenſum Grammaticalem an, & quantum obſit? 198.
Declaratur caſu ſacerdotis rati particulam: Hic *accipi adverbialiter in conſecratione calicis. 199.*
Aut arbitrantis, demonſtrativum: Hoc *in conſecratione panis demonſtrare ipſum panem. 201.*
Traditur pro his expediendis doctrina generalis. 203.
Examinatur vis intentionis habitualis, ſolita hoc loco allegari. Ibid. *& ſeqq.*
Item ille Baptiſmus: Baptizo te in nomine Patria, & Filia &c. *206.*
Quidſi pro: Filii *dicatur:* Fili? *207.*
Quid cenſendum de ſacerdotibus diſſentientibus quoad ſignificationem nominis Corpus: *& pronominis* Hoc? *208.*
Error circa perſonam quatenus officiat, vel non officiat valori? 209.
Declaratur caſu vero puellæ habitæ pro puero à Confeſſario. 210.
Examinatur hic caſus. 211.
Cur error perſonæ irritet matrimonium, & communiter non alia Sacramenta? 214.
Elegans hanc in rem ſententia Papiniani. 216.
Quid ſi is, cui miniſtratur Sacramentum, laboret defectu, quem ſi noſſet miniſter, non conferret Sacramentum? 217.
Expedit, ut confeſſarius norit ſexum ſui pœnitentis. 220.
Proponitur, & examinatur mos Biſuntinorum, alentium Pœnitentiarium, qui nullum pœnitentem unquam videre poteſt. 221.
An pœnitens teneatur confeſſario interroganti aperire ſuam conditionem? 223.

190 TRiplex potiſſimum error tenet quandoque Miniſtros Sacramentorum.

Primus circa fidem Orthodoxam de ipſis Sacramentis, eorúmve partibus; ut quando non credunt, Sacramenta eſſe verè Sacramenta, eſſe effectiva gratiæ, Spiritum Sanctum procedere non à ſolo Patre &c.

Secundus circa grammaticalem ſignificationem formæ ſacramentalis, ut quando imperitus linguæ latinæ exiſtimat verbum: *deliquiſti*, poſitum in forma Extremæ Unctionis, ſignificare idem, quod *dereliquiſti*, & ideo extremè aliquem ungens per verbum *deliquiſti* cogitat ſolùm de rebus illicitè derelictis per viſum, auditum &c. Qua ipſâ de re adferam *Tr. 8. n. 811.* Caſum Obſervandum.

Tertius eſt error circa perſonam, ut quando baptizas filium Caji, ratus eſſe filium Titii. De primo horum trium errorum ſit ſequens.

Caſus Calviniſticus.

191 *ANno ſuperiore acceſſit ad ſacros Inquiſitores quidam ex hæreticis Tranſalpinis, reconciliationem expoſcens cum Eccleſia Catholica, dubitatúmque fuit, an eſſet rebaptizandus. Ipſe narrabat, ſe audiviſſe, baptiſmum ſolere ab illis Miniſtris conferri ſic: Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti ſecundùm authoritatem, quam mihi tribuit Calvinus.* Ita refert P. Thom. Tambur. *De ſacram. L. 1. c. 1. §. 2. n. 7.*

Ratio dubitandi poterat eſſe multiplex. 1. 192
quòd viderentur illi miniſtri nolle aliter conferre Baptiſmum, quàm ex poteſtate conceſſa à Calvino, quæ quia nulla erat, conſequenter & Baptiſmus ille nullus erat 2. quòd viderentur velle conferre ſecundùm fidem, quam de Baptiſmo habuit Calvinus; qui quidem credidit, Baptiſmum eſſe nudum ſymbolum ſignificans duntaxat, nihil autem operans, ut teſtatur Card. Bellarm. *De Sacram. q. 1. c. 16.* & alii. *3.* quòd viderentur illi miniſtri baptizâſſe in; & cum ea fide, quam de Divinis Perſonis habuit impius Calvinus; qui quidem credidit de Deo, diabolum, & homines ab eò deſtinari, concitari, cogi efficaciter ad peccandum: Dei Filium eſſe à ſemetipſo, eſſe Patri ſubjectum etiam ſecundùm divinam naturam; eſſe non niſi impropriè Creatorem cœli, ut oſtendit ex ejus verbis Thomas Bozius *De ſignis Eccleſ. lib. 3. ſigno 2. cap. 5.*

Quæritur igitur in hac Sectione I. *An Mi-* 193
niſtri error circa Sacramenta ipſa, eorúmve effectus, & formam &c. Irritet Sacramenta?

Reſp. Cum S. Thoma *3. part. q. 64. a. 9.* Dominico Soto *in 4. diſt. 1. q. 5. a. 9.* & aliis omnibus, quandoquidem Miniſter Sacramenti eſt in Sacramentis conferendis ſolùm inſtrumentum Chriſti, ſi verè intendat facere, quod facit Eccleſia, confert validè Sacramentum, qualicunque errore in fide laboret. Et verò præſumi- 194
tur quiſque etiam hæreticus velle facere id, quod facit Eccleſia vera, ſeu quod Chriſtus inſtituit, quia nemo etiam inter hæreticos eſt tam inſanus, ut nolit facere actum validum, quem revera vult facere, inquit Lugo *diſp. 8. ſect. 3. n. 1.*

Excipe 1. Niſi aliunde, quàm præciſè ex ejus 195
hæretica profeſſione ſuppetat ratio dubitandi de illa intentione, ut quando conſtat, eſſe veneficum, qui multos baptizavit in nomine cacodæmonis, juxta dicenda *in Alphab. Bapt.*

Excipe 2. Niſi ſuam hæreſin ita exprimat verbis, ut per illam expreſſionem falſificet formam: S. Thomas *q. 60. a. 8.* ut ſi Calviniſta dicat: Te baptizo in nomine Patris, & Filii *ſubjecti Patri quoad utramque naturam.*

Excipe 3. Niſi formæ addat aliquid, eam qui- 196
dem non falſificans, ſed tamen tanquam eſſentiale, ratus ſpectare ad eſſentiam S. Thomas *ibid.* ut ſi Miniſtri illi Calviniani illam ineptiſſimam appendicem: *ſecundùm authoritatem, quam tribuit Calvinus*, addidiſſent, rati eſſe de eſſentia formæ; ita autem rati, ut nollent con-

ferre niſi dependenter ab hac appendice, juxta ea, quæ dicam, & dixi *in Alphab. Baptiz. Caſ. 2.*

197 Excipe 4. Niſi illa additio indicet animum perditiſſimè addictum multis infandis, blaſphemis &c. hæreſibus. Quis enim tunc non meritò timeat de defectu intentionis eſſentialis? Unde teſtatur *P.* Tambur *l. c.* illum, de quo noſter Caſus, fuiſſe denuo baptizatum, redditque hanc cauſam: *Quoniam qualis fuerit intentio Miniſtri, qui illum baptizavit, neſcimus, imò de inimicis Eccleſiæ nihil aliud expectandum, quàm ritum ab Eccleſia diverſum.* Ita ille, de qua cenſura tam generali quid ſentiendum, videbimus *in cit. Alphab. Baptiz. num. 205. & Caſ. 13. ſect. 2.* Ego arbitror, omnino habuiſſe locum in præſenti caſu juſtiſſimam cauſam, ob quam ſtatui quartam exceptionem, quia ſcilicet de malo homine ſemper malum præſumitur, inquit Farinacius *in praxi crimin. part. 3. q. 81. n. 37.* non tamen aptè citans duos Canones, ſeu duo Capitula.

198 Quæritur II. *An error circa ſenſum grammaticalem formæ obſit valori Sacramenti?*

Declaro ſenſum & veritatem hujus quæſtionis reſolutione ſequentis.

Caſus Ficti, an Facti?

199 *Iburtius ſacerdos imperitiſſimus linguæ latinæ, neſcio, cujus aut libri lectione, aut hominis inſtructione dicit voculam*: Hic *ſignificare abſolutè idem, quod*: hoc loco; *eam ob rem frequenter de hac ſignificatione cogitabat, dum proferebat formulam calicis, minimè gnarus, illo demonſtrativo ſigno*: Hic *denotari ſubſtantiam, non verò locum; quæritur, an rite conſecrârit?*

200 Novi ego non unum, ſed revera plures ſacerdotes diverſarum nationum, ita rudes linguæ latinæ, ut facillimè potuerit iis perſuaderi, voculam *Hic* ſumi non *adjectivè*, ſed *adverbialiter* in illo tremendo Myſterio, & reipſa fuiſſe uni, alterive perſuaſum, non eſt incredibile, *an ergo procedendo ſecundùm illam rudem perſuaſionem, tranſmutatio vini in Corpus Chriſti peracta fuit?*

201 Idem dubium formari poteſt, ſi quis in conſecratione panis expreſſè cogitet pronomine *Hoc* deſignari panem ipſum, ideóque eſſe hunc ſenſum formulæ: *Hic panis eſt corpus meum*, inductus forte ideo in hunc errorem, quòd percurrendo Breviarium inciderit in Lectionem primam ſecundi Nocturni, in octava Corporis Chriſti, deſumptam ex S. Cyrillo Jeroſolymitano, ſic concludente: *Cùm igitur ipſe* (Chriſtus) *de pane pronuntiaverit, ac dixerit*: Hoc eſt Corpus meum, *quis audebit deinceps ambigere?*

202 Et quid ſi ſacerdos *materialiter*, vel *formaliter* hæreticus credat, copulam *Eſt* accipi in utraque formulâ ſacrificativâ pro *Significat*, ut accipiendum ſomniavit Zwinglius, eamque effecerat illo ipſo ſenſu?

Quid ſi denique Preſbyter ille, de quo *in Alphab. Baptiz.* ſeu *Tr. ſeq. Caſ. 2.* quando tingendo infantes dicebat ex imperitia linguæ latinæ: *Ego te baptizo in Nomine Patria, & Filia &c.* intellexiſſet nomine Filiæ aliquam ſpiritualem Filiam Patris æterni?

Reſp. Tum generatim ad generalem quæ- 203
ſtionem *n.* 198. propoſitam, tum ad tres priores è quatuor expreſſis, illum errorem circa ſignificationem grammaticalem non obſtare validitati Sacramenti, aut Sacrificii, dummodo Miniſter, de quo ſermo, habeat, vel habuerit voluntatem non retractatam, quòd ſi fortè Chriſtus, aut Eccleſia aliter accipiendam eſſe doceat, velit in omnem eventum eo ſenſu proferre illam vocem; addítque P. Dicaſtillo, in eo caſu procul dubio per errorem Miniſtri non tolli valorem Sacramenti; at verò dubitandum, an tollatur, quando talis Sacerdos habet ſolùm non retractatam voluntatem generalem ſignificandi, quod Chriſtus, & Eccleſia vult ſignificari, quod quidem veriùs aſſerendum eſſe, ſcribit, probátque Lugo *De Sacram. in genere diſp. 2 ſect. 6. num. 123.* Egolecto, & relecto utroque hoc Doctore, & ponderatis, quas contra Lugonem adfert Dicaſtillo, rationibus, nullum conſiderabile diſcrimen inter utriuſque ſententiam video, ſeu *ſpeculativo*, ſeu *practico* examini ſubjiciamus.

Quid ſi autem talis elicuerit, nunquámque revocârit hanc ſolam intentionem: Volo facere, quod vult Eccleſia?

Reſp. Fore quidem apparenter aliquod diſ- 204
crimen, non tamen *realiter*; quia tamen Dicaſtillo certò negâſſet huic valorem, ideo mandarem ego, rurſum conſecrari particulas, quæ ab illo idiota fuiſſent conſecratæ. Et verò quia ſi, poſtquam ſeriò dixiſti: quoties dixero: *Iuro per Iovem lapidem*, volo id joco, non ſeriò dictum, inmemor tui propoſiti dicas: *Iuro per Iovem lapidem*, & quidem ſeriò, cenſeberis revera jurâſſe, tametſi non fuiſſes ſeriò prolaturus hæc verba, ſi recurriſſet memoria prioris propoſiti. 205
Similiter quia meo judicio nullus Theologus judicabit, veram tranſubſtantiationem fieri illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*; ſi per *hoc corpus meum* ſimpliciſſimus, ſeu, ſi mavis, ſtolidiſſimus ſacerdos intelligat reipſa corpus ſuum, ratus eſſe planè intelligendum, eſto remaneret in ipſo *habitualiter* voluntas ſignificandi id, quod vult Eccleſia; eam ob rem nollem ego ſaltem pro viatico ſumere hoſtiam, quam conſecrâſſet unus ex tribus, de quibus ſuprà.

Ad quartum Caſum quod attinet, tametſi 206
loco ibi indicato approbaturi ſumus tam barbarum Baptiſmum, ſi nihil aliud deſit, quàm latinitas vera. Si tamen mutationi Filii in Filia jungatur etiam mutatio ſenſûs, denotando ſcilicet Filiam, non Filium, negat P. Vaſq. *Tom. 2. in 3. Part. diſp. 129. c. 7.* valiturum Baptiſmum, quia

quia prava intentio miniſtri eſt contra ſubſtantiam formæ, hoc ipſo quòd illam vult per eas voces denotare, & hanc intentionem non ſolùm retinet, ſed etiam vocibus ipſe aliquo modo exprimere contendit, & ita ejus intentio cum intentione veræ Eccleſiæ ſtare nequit.

207 Hactenus Vaſq. cum quo ſentit Dicaſtillo *num. 193.* addens, ſi baptizando dicas: *Te Baptizo in Nomine Patria, & Fili, &c.* Subſiſtere Baptiſmum, modò abſit prava intentio. Si autem intendas per Genitivum *fili*, deſignare id, quod deſignat ille genitivus, derivatus à nominativo *filum*, revera eſſe repetendum Baptiſmum. Quæ omnia cùm ego credam eſſe vera, ideo confirmor in aliquali dubio de valore Sacramenti confecti à laborante errore circa ſub-
208 ſtantialem ſenſum verborum. Quamvis, quia video ab ipſis Theologis ferventer, & minimè concorditer diſputari de propria ſignificatione vocularum: *Hoc & Corpus* in conſecratione Chriſti corporis, adeóque haud dubiè fieri, ut multi, dum volunt conficere hoc Sacramentum, habeant in particulari, ſeu privatim intentionem diverſam ab intentione Eccleſiæ, & tamen nullus habet ullum ſcrupulum de valore communionis ſuæ, ſi nil aliud obſit, quàm tanta diverſitas opinionum, quantam referunt Dicaſtillo *Tr. 4. diſp. 3. dub. 10.* & Tannerus *diſp. 5. dub. 2.* ideo non reor, eſſe, ſaltem extra caſum extremæ neceſſitatis, habendum ullum ſcrupulum circa ſumptionem hoſtiæ conſecratæ ab uno è tribus idiotis, quos produximus ſuprà; & quorum ſecundus, ſi exiſtimavit, illo pronomine: *Hoc* deſignari panem, ſenſit quidem cum nonnullis etiam Catholicis apud Vaſquez *Tom. 3. diſp. 191. cap. 1.* Sed rectè ab ipſo refutatis propter authoritatem Concilii Trident. *ſeſſ. 13. cap. 4.* Et ad authoritatem S. Cyrilli reſpondeo; fuiſſe ab illo per voculam *panis* intellectum id, quod erat ſub ſpecieb⁹ panis futurum prolatâ ultimâ ſyllabâ.

209 Quæritur III. *An & quatenus error, quo miniſter Sacramenti laborat reſpectu perſonæ, cui id adminiſtrat, reddat irritam collationem ejuſdem Sacramenti?*

Senſum quæſtionis elucidat hic.

Caſus minimè fictus.

210 *Nemeſia puella Annorum circiter 14. prædita voce maſculâ aperit ſuo ſacerdoti ſua peccata, interque hæc unum, alterúmve familiarius multò maſculis, quàm fœminis; quam proinde Confeſſor arbitratus eſſe maſculum, compellat ſemel, iterúmve eo appellativo, quo ſolent maſculi. Diſſimulat Nemeſia, animadverti à ſe errorem ſacerdotis, at poſtmodum ſubdit delictum ſolitum id loci committi à ſolis puellis. Eam ob rem dubitans Preſbyter, agerétne cum adoleſcentula, nolens autem etiam indirectè fateri ſuum dubium, ſciſcitatur nomen pœnitentis, quo audito, cognoſcit, eſſe ſibi negotium cum Nemeſia, ſeu, ſi mavis, non cum Cajo, ſed cum Caja.*

Dubitari jam poteſt, an ille, à quo narratio- 211
nem hanc habeo, Confeſſarius debuerit vel abſolutè, vel ſaltem in his circumſtantiis nôſſe ſexum confitentis, & conſequenter an individuam perſonam, & ſingulariter ſimul generalitérque, an ſi Miniſter credens, ſe conferre Sacramentum aliquod uni certo individuo, fallatur à parte rei, repetendum ſit illud Sacramentum? Ratio dubitandi generalis eſt hæc, quia intentio Miniſtri, à qua pendet valor Sacramenti, fertur non in perſonam aliam ab ea, quam tunc apprehendit; ignoti enim, adeóque incogitati nulla cupido eſt, nulla cura, ergo non confertur Sacramentum niſi perſonæ cogitatæ, ſeu apprehenſæ. Huic generali rationi accedit hæc ſpe- 212
cialis, quòd pœnitens teneatur confiteri peccata etiam ſecundùm numerum, adeò, ut ſi, qui commiſit heri adulterium, diceret in tribunali ſacro, ſe illud patrâſſe nudius tertius, eſſet obligatus ſubjicere illud rurſum clavibus, utpote non illud, ſed aliud numero confeſſus. Lugo *de Pœnit. diſp. 16. ſect. 3. n. 123.* peccatum verò mortale admiſſum à puella eſt numero diverſiſſimum ab eo, quod fecit puer. Rurſum ſponſus eſt Miniſter Sacramenti matrimonialis, & ita, ut ſi interveniat error perſonæ, contractus ſit nullus, ut explicabimus *Tract. 9. Caſ. 4. num. 100. & ſeqq.* diſtinctè. Et denique ſit ſæpe, ut Epiſcopus juſtiſſima de cauſa neget, ſe huic aut illi collaturum Ordines Sacros; an ſi talis aliquis immiſceat ſe furtim aliis, habendus erit pro vero Preſbytero, pro vero Diacono &c?

Pro reſolutione tam generalis, quàm ho- 213
rum ſpecialium dubiorum ſtatuo ſequentia.

I. Error perſonæ in Matrimonio vitiat per ſe contractum, & conſequenter Sacramentum. Rationem, & modum exponam *Cit. Caſ. 4.*

II. At verò in cæteris Sacramentis error per- 214
ſonæ communiter nihil officit valori Sacramenti. Ratio diverſitatis eſt, quia Matrimonium *eſſentialiter* continet individuam vitæ ſocietatem, ſeu conſuetudinem. *Cap. Illud. De præſumpt.* quæ individua vitæ conſuetudo quoad amorem, pacem, atque etiam prolis generationem, educationémque, & alias graves circumſtantias Matrimonii plurimùm pendet à certo aliquo individuo, ac proinde ſæpe plurimùm mariti intereſt, quàm numero uxorem, quem numero virum deligat ſibi hic, & illa; ideo contrahentes reſtringunt ſemper *explicitè*, vel *implicitè* ſuam intentionem ad hoc, non aliud individuum perſonæ; ultra quam intentionem actus eorum non operatur. *Leg. Cùm pater. §. dominationis. ff. De Legat. 2.* At verò plerumque

que aut nihil planè, aut perparum certè interest Ministri, hócne, an illud individuum initiet
215 hoc, aut illo Sacramento. Plerumque etiam Minister est ita dispositus, ut licèt nósset, confectà se Sacramentum alii, quàm putet, nihilominus collaturus foret; ergo Ministri habent communissimè intentionem minimè restrictam ad certum individuum, sed *habitualiter* (quòd sufficit) exporrectam ad illud individuum, quod habent ante se, & respectu cujus efferunt formulam. Imò rectè dixeris, illos habere *implicitè* ejusmodi intentionem *virtualem*; præditi quippe sunt generali voluntate administrandi juxta communem morem Ecclesiæ; est autem mos, & voluntas justissima Ecclesiæ, ut Minister velit, intendátque actu impertiri Sacramentum illi ipsi, cui hic & nunc applicat materiam, & formam; aut solam formam; quanta enim confusio emergeret, si non esset semper (extra casum, quo constaret de con-
216 trario) hæc Ministri voluntas? Proinde habet in eo locum elegans sententia Papiniani *Cit. lege. Cùm pater*, pronuntiantis: *Non quæritur, cum quo de supremis quis loquatur, sed in quem voluntatis intentio dirigatur.* Si tamen quis restringeret prædicto modo voluntatem in cæteris, peccaret ille quidem gravissimè, nisi excusaret causa gravis, nihilominus valeret restrictio, non valeret Sacramentum propter allatam rationem, petitam ex energia, virtute & vi intentionis.

217 III. Intentio illa, quam diximus habere debere ministrum, extenditur etiam ad casum, quo recepturus Sacramentum laborat aliquo defectu, quem si perspectum haberet Minister, esset certò, & quidem justè, aut etiam necessariò, seu ex obligatione Legis alicujus negaturus Sacramentum. Ratio est, quia nisi hoc admittamus, exorientur longè plura, & majora damna, quàm si negemus; ut si Episcopus e. g. ordinaturus restringeret suam intentionem ad existentes in statu gratiæ divinæ.

218 At *quid si Dominus Ordinator mandet, publicè edici Candidatis Ordinum*: Nemo irregularis, nemo alienigena accedat sine dimissoriis; nec enim intendimus talem initiare?

Resp. Ne tunc quidem censendus est Episcopus, tales excludere à validâ susceptione Ordinis; ut pluribus dicam *Tr. 8. seu in Alphab. Ordinis Cas.* 18. *n.* 704. Interim consuli poterunt Lugo *De Sacram. in gen. disp. 8. sect. 7. & 8.* Dicastillo *d. 3. dub. 9.* exequentes materiam hujus totius quæsiti. Certè Lugo *n. 119.* scribit, se non probare tale edictum.

219 Apparet autem ex dictis, Nemesiam nostram fuisse absolutam futuram, etsi confessarius perseverâsset in errore circa sexum, & consequenter necessum non fuisse, ut is illam *directè*, vel *indirectè* interrogaret de sexu. Numerus mortalium est ita confitendus, ut in primis dicatur, quoties sit commissum mortale, deinde non dicatur unum pro altero; Nemesia non dixit unum pro altero.

Quia verò incidimus in materiam de sexûs 202
diversitate in ordine ad Confessionem, observo, nonnunquam, vel necessarium, vel admodum utile esse, nósse, máne, an fœmina confiteatur; tum generatim quando Confessarius suscepit in se onus interrogandi, seu examinandi pœnitentem, multæ enim quæstiones rectè proponuntur masculis, quæ non fœminis, & vice versâ; tum speciatim quando pœnitens confitetur impudicos tactus aut sui, aut alterius; nam fœminæ & longè rariùs exercent has spurcitias, quàm mares, & his longè infrequentiùs, quàm mares, adjungunt pollutionem. Sed audi

Casum curiosum, & utilem.

Est prope alteram, adeóque altiorem è duo- 221
bus Archi-Cathedralibus Ecclesiis Bisuntinis domuncula cum hortulo, quam vocant domum Recluſi. *Illic enim velut in carcere ita arctè reclusus habitare solet quidam Pœnitentiarius Diœcesanus, ut toto vitæ tempore neminem videat nisi suum ministrum, & fortè corporalem medicum. Accedunt autem illum confessionis gratia non pauci, utpote Pœnitentiarium, sicut dixi.*

Quæri potest occasione præsentis materiæ de errore circa personam: *An, si qua mulier fingeret se virum, aperiens tamen sua peccata quoad speciem, & multitudinem numericam foret nihilominus absoluta?* Idem potest quæri de confitentibus cæco sacerdoti. Respondeo, fore omnino absolutam.

Quid si verò sacerdos sæcularis, aut etiam Re- 222
gularis coopertus, inquinatus carnalibus spurcitiis simularet improbè se laicum hominem, voto simplici castitatis adstrictum?

Resp. Quia peccata impuritatis sunt probabilissimè ejusdem speciei in indicatis tribus generibus personarum, ideo nec hanc confessionem haberem pro sacrilega.

Sed *Confessarius diserte quærit ex tali: Verè-* 223
ne sit Laicus, an Clericus, aut etiam Religiosus?

Resp. Quandoquidem habet is verum jus hoc quærendi, & graviter obligandi pœnitentem ad exprimendam hîc veritatem, tum quia absque dubio circumstantia sacerdotii, & Professionis Religiosæ aggravat vel intrà, vel, ut multis placet, extra eandem speciem turpitudinem illarum impuritatum; tum quia aliam medicinam adhiberet fortè Confessarius, si nósset statum, & conditionem pœnitentis; eam ob rem non ausim à sacrilegio excusare tale mendacium, ut deduces ex dicendis *in Alph. Confit. n. 379. Cas. 15.* Certè non excusaret Lugo *De Pœnit. disp. 16. nu.* 123.

SE-

SECTIO. VI.

De Subjecto Sacramentorum, seu de recipiente Sacramentum.

SUMMARIUM.

Conditiones ex parte volentis suscipere Sacramentum. 224. & seqq.
Quis censeatur esse hîc invitus? 226.
An adultus debeat esse positivè volens? 228. & seqq.
Casus circa invitum submersum pro salute conseruanda. 232.
Voluntas indirecta suscipiendi Sacramenti an sufficiat? 235.
Judæus attritus licitè baptizatur in extremis, etsi non petierit Baptismum. 236. & 238.
An si constitutus extra omnem necessitatem baptizetur in somno? 237.
An quivis baptizatus, validè confirmetur ignorans? 239.
Voluntas habitualis cur sufficiat ad recipiendum, non autem ad conferendum Sacramentum? 240. & 241.
An validè initietur sacro Ordine, qui non habuit aliquando expressam intentionem suscipiendi illum? 244. & seqq.
Intentionis discrimen inter recepturum Eucharistiam, & alia Sacramenta. 447.
Hæc phrasis: Suscipitur istud, aut illud Sacramentum invalidè, *est impropria. 249.*
Cur peccet mortaliter suscipiens Sacramentum invalidè, cùm tamen re ipsa non suscipiat? 251. & seqq.
Proprium fundamentum, cur nunquam liceat fictè suscipere Sacramentum? 256.
Cur non peccet contrahens ex injusto metu fictè Matrimonium? Ibid.
An in recipiente Sacramentum requiratur attentio? 257.
An pius motus? 259.
An, & quatenus peccet recipiens Sacramentum à Ministro indigno? 260. & seqq.
Adeóque ab excommunicato? Ibid.
Et constituto in statu peccati mortalis? 263.
Qui peccet ministrans Sacramentum indigno? 267.
Describitur sententia S. Chrysostomi. 268.
Suspicio levis de indignitate petentis Sacramentum non sufficit ad negandum illi. 269.
Discrimen in hoc negotio inter peccatorem publicum, & privatum. 270.
Nova quæstio discutitur, cur scilicet licitè ministretur ad mortem evadendam Sacramentum notorio peccatori, & tamen non liceat ob metum hujus mali aliquem rebaptizare, nec indispositum absolvere? 273.
Quid de aliis Sacramentis? 274.
An intentato mortis metu, licitè præbeatur Eucharistia, vel chrisma volenti abuti ad maleficia? 276.
Casus dextre declinantis cooperationem ad malum. 278.

ALiquæ conditiones necessariæ sunt, ut aliqua Sacramenta recipiantur validè, seu reipsa, & non solùm apparenter conferantur quoad suam essentiam totam, aliæ ut licitè, adeóque cum fructu, ad quem sunt ea instituta. Conditiones proprias singulorum Sacramentorum explicabo, cùm de singulis instituam tractationem, hoc loco proponam eas duntaxat ferè, quæ omnibus divinis hisce mysteriis communes sunt. 224

I. Itaque solus homo, & quidem vivus ca- 225
pax est Sacramenti. Ita Theologi omnes, quia pro solis vivis hominibus sunt instituta.

II. Non tamen quivis homo est jure divino capax cujusvis Sacramenti; ut patet in Sacramento Ordinis, cujus incapax est mulier, & in illis tribus Sacramentis, quæ imprimunt Characterem, nec enim possunt cuiquam validè conferri bis.

III. Nulli penitus invito confertur validè 226
ullum Sacramentum. Ita omnes cum S. Thoma *Q. 68. a. 7.* Ratio est, quia, si consideremus singulorum naturam, cernemus, non decuisse, ut Christus Dominus tribueret iis valorem respectu omnino invitorum. Vide Suarez *Tom. 3. in 3. part. disp. 14. sect. 2.* Non censetur autem esse invitus infans, quia necdum potest velle, aut nolle. Nec penitus est invitus ille adultus phreneticus, qui pedibus ac manibus repugnat volenti extremè ungere; etenim remanet nihilominus in eo *habitualiter* voluntas *implicita* suscipiendi in tali articulo hoc confortativum animæ symbolum, quam habuit ante ægritudinem. Sicut nec eum penitus invitum 227
dixeris, qui ex solo metu levi, aut gravi recipit aliquod Sacramentum, modò dicat in animo: *Quia non possum aliter evadere hoc malum, quàm permittendo exerceri circa me actionem externam sacramentalem, volo permittere eâ intentione, quam instituit Christus.* At verò erit penitus invitus in ordine ad valorem, si habeat intentionem solummodo permittendi, ut circa se fiant omnes ritus sacramentales, in animo autem neget, se velle esse participem Sacramenti; seu se velle recipere eo animo, quo cæteri Christiani. Vnde omnes Theologi rejiciunt Glossam *in C. Majores De Bapt.* quatenus scripsit, Baptismum esse validum, licèt qui baptizatur, corde dissentiat, dum tamen ore dicat, se consentire.

IV. Imò nulli adulto impertitur validè ul- 228
lum Sacramentum, nisi sit *positivè* volens. Dixi 1. *Nulli adulto*; est enim de fide, quòd in infantibus validè conferatur Baptismus, sicut & validè conferri iisdem confirmationem, docet antiquissima simul, & hodierna praxis Episcoporum.

porum. Imò infantes esse capaces etiam Presbyteratûs, Episcopatûsque, sentiunt, quos referam
229 *in Alphab. Ordinis Cas.* 13. *n.* 505. Dixi 2. *Adulto compoti rationis.* Si enim fuit perpetuò amens, computabitur instar infantis. Si post adeptum usum rationis incidit in amentiam, erit capax Sacramentorum, si nihil aliud obsit, quàm repugnantia; cùm enim hæc proveniat à destituto ratione, non est voluntatia, adeóque nihil potest in re *morali* impedire. Porrò inter cætera, quæ obesse possunt tali, est generatim defectus omnis voluntatis, seu intentionis præhabitæ. Si enim nulla prorsus voluntas præcessit amentiam, lavabis laterem, dum tali voles administrare qualecunque Sacramen-
230 tum. Est enim unicè vera communis contra Cajetanum sententia, quòd ad validam susceptionem cujuscunque Sacramenti non sufficiat non esse, aut non fuisse nolentem, seu repugnantem, sed requiratur in adultis, ut quis *positivè* sit, aut fuerit volens, seu revera habuerit voluntatem, atque intentionem recipiendi Sacramenti, nec eam seu *expressè*, seu *implicitè* revocaverit. Ita plerique omnes cum S. Thoma *q.* 68. *a.* 7. contra eundem Cajetanum ita scribentem: *Per se loquendo non exigitur intentio seu voluntas ex parte baptizandi, sed sufficit in ipso non inveniri obicem voluntatis, contrariæ.* Sed ille, & Stephanus à S. Paulo *Tr.* 5. *disp.* 1. *dub.* 4. refutandi vel inde, quòd *in Cap. Majores. De Bapt.* dicatur: *Actuale verò* (peccatum) *quod consensu contrahitur, sine consensu*
231 *minimè relaxatur.* Consentit ratio S. Thomæ. Voluntas autem illa satis est, si sit *implicita*, sicut *implicitè* habet intentionem suscipiendi in mortis articulo Baptismum, qui curat se instrui in fide Christiana, cum animo eam amplectendi, ubi fuerit, bene instructus, & quivis Catholicus cupiens mori, ut Catholicus, percipiendi in agone Sacramenta Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, imò & Pœnitentiæ, ac proinde tali redacto ad spoliationem rationis, & ad extremum vitæ periculum, licitè, validéque impertiuntur illa duo priora Sacramenta, si aliud nihil obsit, & etiam impertiretur validè Sacramentum Pœnitentiæ, si dolor signo externo expressus non esset necessaria illius materia. Ita docent communiter Theologi, nósque propriis locis singula confirmabimus, interim potest observari resolutio, quam Caramuel *in Theolog. Præterintentionali n.* 2096. Dat ad hunc

Casum solerter excogitatum.

232 *Quidam Catechumenus revera baptizari vult, non verò per submersionem, & tamen instat mortis periculum, & de actu contritionis eliciendo desperatur. Quæritur, an possit invitus in fluvium præcipitari, & si præcipitetur, ac legitima forma proferatur maneat baptizatus? & si maneat, an licitè baptizari sic possit.*

Respondet Caramuel, posse sic baptizari va- 233
lidè, non tamen licitè; aitque, hanc resolutionem esse securissimam. Ideo autem validè baptizari, quia revera non est invitus quoad submersionem, adeóque lotionem, cùm supponatur in Casu velle baptizari. Illicitum autem esse talem Baptismum, eò quòd peccet dictus Catechumenus desperando, se posse elicere actum contritionis; poterit enim, si conetur sincerè, quandoquidem facienti (ex motione divinæ gratiæ) quod in se est, Deus non denegat gratiam; ergo peccat, & desperando, & suscipiendo Baptismum in crimine desperationis. Porrò quid de infante morituro sine Baptismo, si non projiciatur in flumen, vel puteum, censendum sit, dicam *Tr.* 2. seu *in Alphab. Baptiz. n.* 202.

Etsi vero, ut dixi, cupiens mori ut Catholi- 234
cus, habeat intentionem *implicitam* suscipiendi Eucharistiam in articulo mortis, esto tunc ob defectum rationis non cogitet de ea re, hæc tamen intentio generalis non efficit, ut *sacramentaliter* communicet, qui hostiam consecratam comederet, unà cum non consecratis, ignorans esse consecratam. Lugo *Disp.* 9. *num.* 127. Ea enim intentio nullo modo extenditur ad talem Casum.

Voluntatem *indirectam* Sacramenti suscipi- 235
endi sufficere ad veram & realem susceptionem, rectè negant P. Gregorius de Valentia *Tom.* 4. *disp.* 4. *q.* 3. *p.* 2. Coninck *in* 3. *part. q.* 64. *a.* 8. *dub.* 5. *n.* 106. & alii apud ipsos, ut e. g. quando prævides futurum, ut si te ad somnum compónas, aut vino oppleas, baptizaturus sit te aliquis; etenim, ut dixi superiùs cum S. Thoma, ad validam susceptionem non sufficit, non habere voluntatem contrariam, sed postulatur, ut præcedat, vel adsit aliqua vera voluntas, qualis certè non est *indirecta*, seu *in causa*; quandoquidem optimè fieri potest, ut cum tali *indirecta* reperiatur omnino contraria, ut infinitis instantiis humanarum actionum demonstrari potest.

Ex his omnibus deduci possunt breviter sequentia.

I. Judæus, qui habet attritionem de peccatis, 236
quatenus iis meremur pœnas inferni, aut excludimur gaudiis cœlestibus, licitè baptizatur in extremo agone destitutus sensibus, quia in tali attritione includitur propositum servandi omnia præcepta necessaria ad consequenda gaudia cœlestia. P. Coninck *loc. cit. num.* 103. quem etsi impugnet Lugo *loc. cit. n.* 129. Ei tamen opportunè suppetias venit P. Dicastillo *Disp.* 3. *De Sacram. in gen. dub.* 14. *n.* 323. *& seqq.* Non tamen putarem, valere Baptismum, si ex- 237
tra omnem necessitatem constitutus baptizaretur dormiens; attritio enim, aut voluntas observandi omnia præcepta divina non obligat pro

pro semper. Sicut nec est de Judæo, aut Turca vicino morti tam facilè præsumendum, illum habere *implicitam* voluntatem Baptismi, quàm de Christiano piè vivente habere voluntatem *implicitam* recipiendi Viaticum, vel Extremam Unctionem; sed ministro volenti abluere Judæum, vel Turcam moriturientem debet *positivè* constare, cum exercuisse aliquem actum supernaturalem fidei, & doloris de peccatis, ut rectè notat Dicastillo *n.* 326. quod si constet, debebit impertiri Baptismus. Quod quidem est pro praxi bene notandum.

238 *Sed ille Judæus protestatus fuit priùs, se potiùs vitam positurum, quam fore Christianum.*

Resp. Si exercuit verum actum attritionis, illa pessima protestatio vel cessavit, vel provenit ex ignorantia invincibili, ergo non est ejus ratio habenda. Hoc rursum notandum pro praxi; & confirmatur tum ex resolutione Caramuelis, ad Casum ex ipso superiùs descriptum, tum ex iis, quæ de ministro habente duas contra as intentiones indicavimus in decursu, tradúntque omnes.

239 II. Tametsi idem Dicastillo *loc. cit. n.* 328. absolutè scribit, validè conferri confirmationem baptizato necdum confirmato, existenti in gratia, etiam nescienti, ut cùm in amentiam incidit, dummodo nunquam habuerit voluntatem nunquam suscipiendi hoc Sacramentum, non tamen credo, id esse absolutè verum, sed in solo periculo mortis, & cósequenter in illa sola amentia, quæ videtur esse vel perpetua, vel valde diu duratura. Nec enim hoc ipso, quòd quis piè, & catholicè vivit, habet ullam *implicitam* voluntatem recipiendi ignoranter hoc Sacramentum extra mortis periculum cùm potiùs omnes cupiant illud suscipere cum vero usu rationis, & debita reverentia, si fieri queat.

240 III. Sicut ad conferendum Sacramentum non sufficit intentio *conditionata de futuro*, ut vidimus suprà *n.* 87. ita neque percipiendi; nec enim est ratio faciendi hic discrimen inter conferentem & suscipientem. Est autem ratio asserendi, sufficere *habitualem*, ut suprà diximus, intentionem ad recipiendum, non autem ad dandum, seu ministrandum; nam ex unâ parte plus requiritur ad agendum, quàm ad patiendum: ex altera autem parte non appareret, cur illud *plus* non reperiatur in præsenti casu. Equidem voluntas quærendi, quæ sua sunt,
241 ut loquar cum Apostolo, adeóque admittendi, & rata habendi ea, quæ circa nos in nostrum bonum fiunt, est tantarum virium, ut etiam extendatur in foro externo ad præterita, adeóque ad tempus, quo quis nostro ignorantium nomine gessit aliquod negotium gratum nobis. *L. Donationis* 1. *Codic. De donat. inter Vir. & Vx.* meritò igitur voluntas *habitualis* habet in foro interno energiam sufficientem ad acceptandas, fruendas, appropriandas nobis res facientes ad nostrum lubitum, adeóque ad voluntatem *habitualem*, intelligendo singulariter per *habitualem* illam, quam revera habuimus ali- 242
quando *explicitè*, vel *implicitè*, nec unquam revocavimus, juxta descriptionem allatam *sect.* 3 *num.* 62. quod quidem reor à nemine vocatum iri in controversiam. Certè concedit apertè P. Georg. de Rodes hîc *Disp.* 1. *q.* 4. *sect.* 6. rectè tamen notans, non inde sequi, quòd validè confirmetur in somnis ille, qui habuit ante mensem, aut annum voluntatem *expressam* suscipiendi hoc Sacramentum, illa enim non extendebat se ad tempus somni. *At somnus ille est le-* 243
thargus, & lethifer? Ergo, me judice, validè munietur ille armaturâ fidei, quia prior illa bona voluntas, sicut & generalis moriendi Christiano more, comprehendebat etiam hunc Casum. Vide illum Doctorem, eruditissimi Raynaudi olim auditorem, particulariter applicantem singulis sacramentis doctrinam de sufficientia intentionis.

IV. Suadetur tamen negativa pars illius dis- 244
cursûs inde, quòd Coninck *cit. dub.* 5. *num.* 105. cúmque secutus Dicastillo *num.* 328. negent, validè initiatum iri Ordine sacro illum, qui non habuerit aliquando *expressam* voluntatem suscipiendi talem Ordinem; atqui multi, & plurimi sunt, qui ignorantes, delatum sibi iri aliquod beneficium Ecclesiasticum, nisi obesset defectus Ordinis requisiti, essent suscepturi illum Ordinem, si nàssent, se ejus susceptionem comparaturos id beneficii. Cæterùm non af- 245
sentiur illis duobus Doctoribus postulantibus *expressam*, ut loquitur uterque, voluntatem pro hoc Sacramento; quid ni enim sufficiat *implicita*? qualis est in eo, qui liberè suscipit beneficium parochiale, e. g. sciens se intra Annum debere insigniri charactere sacerdotali; etsi enim talis non dicat *expressè*, velle se intra illud tempus creari sacerdotem, si tamen ultimo die illius anni exercerentur circa eum ignorantem & esse ultimum diem, & cæremonias Presbyterales circa se exerceri, haberem illum pro tam vero sacerdote (posito, quòd conservâsset illam voluntatem servandi legitimè suum beneficium parochiale) quàm si ipso die suscepti beneficii parochialis disertè dixisset: *Volo ante finem hujus Anni promoveri ad Presbyteratum.*

Est autem hîc sermo de solis adultis. Etenim, ut jam monui superiùs, suo loco dicemus, an infanti in cunis vagienti validè possit conferri Ordo Presbyteralis, aut etiam Episcopalis.

V. Deducitur ex dictis, recipi invalidè Sa- 246
cramentum ab illo adulto, tum qui 1. habuit voluntatem non recipiendi Sacramentum, & eam non retractavit; tum qui 2. nullâ ratione illud unquam petivit; tum qui 3. se tantùm neutraliter habet, & negativè; tum qui 4 sumit Eucharistiam, ignorans penitus esse Eucharistiam, aut sciens esse, attamen edens, aut bibens species sacramentales solùm ad famem, aut sitim sedandam: licèt enim sumat Eucharistiæ Sacramentum *materialiter*, non tamen sumit

ut Sacramentum, ideóque caret effectu Sacramenti. Dicastillo *n. 332.*

247 Undè est quoad Eucharistiam,& reliqua Sacramenta hoc discrimen, in ordine ad præsentem materiam,quòd qui cæteraSacramenta recipit planè ignorans, & sine prævia omni voluntate recipiendi illa, propriè loquendo ne *materialiter* quidem recipiat;essentia enim cæterorum Sacramentorum præter Eucharistiam æquè pendet ab intentione,adeóque scientiâ aliquâ recipientis adulti,atque pendet ab intentione,ministri; quandoquidem ea consistunt in actione transeunte, quæ *essentialiter* expostulat & aliquod subjectum, & subjectum per voluntatem aliquam,adeóque per aliquam cognitionem præparatum; at verò Eucharistia cùm non consistat in actione transeunte, sed sit aliquid permanens, adeóque existens ante omnem usum, non exigit *essentialiter* ullum subjectum, consequenter ejus essentia tota reperiri potest in homine & nolente,& ignorante;consequenter& ab utroque recipi *materialiter*,non tamen *formaliter* ut Sacramentum, cùm desit
248 primo voluntas,alteri cognitio. Quia tamen vetuit Salvator,ne in ullo casu sumatur in os, & stomachum Eucharistia tanquam res profana,sed ut sacratissima,ideo mortalissimè delinqueret,qui vellet sumere pro sola fame, aut siti sedandâ.An autem,&quatenus absumatur licitè,ne deveniat in manus hæreticorum,aut comburatur?dicam *Tract. 4. num.* 353.

249 Rursum deduces ex dictis, esse impropriam, etsi usitatissimam, & proinde servandam locutionem Theologorum, qua dicunt, hoc aut illudSacramentum e.g.Baptismum invalidè suscipi sine hac, aut illa intentione *essentiali*, verè enim nullum tunc suscipitur Sacramentum propriè dictum, ergo nullum invalidè, sed solùm exteriores ceremoniæ suscipiuntur,dicunturque suscipi invalidè idcirco,quòd non valeant,non possint,ut sic,assequi proximum finem, in quem sunt institutæ à Christo, scilicet efficientiam,seu existentiam compositi artificialis, nimirum veri Sacramenti. Ideo autem non valent, seu non possunt consequi hunc intrinsecum finem, quia deest ipsis aliquid *essentialiter* requisitum ad eum finem,e. g. intentio, seu ministri,seu ministrati, ut sic loquar, id est recipi-
250 entis. At verò latis propria est ea locutio, qua dicitur aliquod Sacramentum conferri tunc invalidè, quando per illud non acquiritur ulla gratia Sanctificans; nam tunc existit quidem tota essentia Sacramenti, adeóque ipsum integrum Sacramentum,sed sine effectu, qui est generatim gratia sanctificans *prima*, vel *secunda*.

251 Dices: *Theologi generatim damnant sacrilegii illum, qui est in causa, ut aliquod Sacramentum conferatur invalidè, nec distinguunt inter collationem propriè, aut impropriè dicti, id est integri, vel mutilati Sacramenti,quo jure sunt ita severi?*

Resp. Clarum est,illum gravissimè contra honorem debitum,aut Sacramento,aut Instituto-
ri Sacramenti Christo Domino delinquere, cujus vitio fit, ut verum Sacramentum frustretur fine illo præstantissimo, in quem est ab ejus authore clementissimè designatum.Habem9quippe perspicuam authoritatem Pauli Apostoli 1. *Cor.* 11. pronuntiantis,illum manducare, & bibere sibi judicium, adeóque mortem æternam, qui indignè manducat corpus, & sanguinem Domini. Unde liquidò infertur, illos omnes ascisсere sibi judicium,qui verè quidem, attamen suâ culpâ baptizantur; confirmantur &c. indignè. At verò non est tam pronum ostende- 252
re,cur delinquam mortaliter,si impediam,quò minùs fiat aliquod Sacramentum. Certè non peccо, saltem graviter, si volenti ex sola devotione confiteri, aut confessiones excipere, suadeam,ut omittat. Si non mereor nisi purgatorium fortè impediendo, ne quidquam existat de Sacramento,curreus sum gehennæ,impediendo, ne existente unâ parte Sacramenti,ponatur altera?aut ne positis duabusponatur tertia?

Resp.Reatum gehennæ non esse desumendum 253
propriè ex ulla injuria,aut irreverentia, quæ fiatSacramento,nam&injuria est alieni juris violatio. Lessius *Lib.*2. *De justit.& jure cap.*2 *nu.*3. Sacramentum autem, utpote res inanima, est incapax omnis juris,&non-entis nulla sunt accidentia,ergo nec injuria,aut irreverentia; atqui non existit Sacramentum eo casu, de quo nos loquimur,igitur Sacramentum est tunc non ens. Ergo gravitas culpæ sacrilegæ,quæ ex omnium sententia tunc contrahitur, desumenda est ex gravitate irreverentiæ, quæ tunc irrogatur authori Sacramentorum Deo. Committitur enim gravis,adeóque mortalis irreverentia in illum, quando minister exercens ceremoniam sacramentalem in iis circumstantiis, in quibus ex institutione divina deberet sanctificare hominem, ita exercet illam, ut nequeat in iis circumstantiis adferre sanctificationem. Etenim hoc pacto illudit *interpretativè* Christo. Atqui quoties minister dicitur à Theologis administrare invalidèSacramentum,toties exercet ceremoniamsacramentalem in iis circumstantiis, in quibus ex institutioneChristi ea deberet sanctificare hominem:& ita quidem exercet,ut revera nequeat sanctificare.

Dixi: *In iis circumstantiis, in quibus deberet* 254
sanctificare hominem: Si enim in aliis,haud peccatur, ut si sacerdos tunc vel abluat infantem, vel proferat formam baptismalem, cùm ex circumstantiis liquet,non agi de Baptismo.

Ex quibus inferes, nunquam fas esse *fictè* vel 255
conferre,vel recipere Sacramentum; quia nequidem intentato mortis metu fas est, quemquam ritè baptizatum rebaptizare.Suarez.*Tom.* 3.*in* 3.*p.d.*31.*sect.* 6. Sicut nec ob ullum metum fas est absolvere illum,idest formam absolutionis seriò proferre supra illum,quem confessarius novit,esse indispositum,P.Martin. Perez *De Matrim. disp.*17.*sect.*12.*n.*13. scribens,hoc esse certum.

Nec

256 Nec obest, quòd contrahens *fictè* Matrimonium inductus injusto metu, cadente in constantem virum, non sit reus ullius sacrilegii,sicut ostendemus *Tr* 9.*Cas.*12,*n.* 256. illic enim adferemus palpabilem disparitatem;quia scilicet tunc nec vera materia, nec forma vera, nec vera intentio Sacramenti ponitur,ergo nec sacramentalis actio. Unde ulteriùs inferes, si quis metu adactus baptizaret antiquum Christianum vino affuso, & prolatis verbis hisce: *Pax tecum*,haud fore reum sacrilegii,si quidem abesset intentio verè baptizandi; tunc enim abesset usurpatio actionis sacramentalis,adeóque omnis materia, & omnis forma. Vide, quæ *in Tr.*9.*Cas.* 1. *n.* 60. de contrahente Matrimonium cum impedimento dirimente dicam.

257 VI. Præter intentionem recipiendi *Sacramenti*,de qua suprà, expostulatur respectu aliquorum *Sacramentorum* confessio, vel contritio, respectu aliorum sufficit attritio, sicuti suis locis dicetur.

At,*estne necessaria attentio?* Ad validam receptionem nullo modo requiri, dicendum est; quod enim non est sanctorum Patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum. *Text.cap. 2. De Transl. Episc.* nullus autem Sanctorum Patrum scribit, *explicitè*, vel *implicitè*,attentionem ex parte aut conferentis, aut recipientis *Sacramentum* spectare ad valorem. Imò à mortali excusabis re-
258 ctè,ut reor,recipientem cum voluntaria distractione; sicut suprà *sect. 3. num.* 67 dixi de conferente cum defectu debitæ attentionis; certè sacræ Eucharistiæ, quam S. Dionysius *in Eccles. hierarch. cap.* 3. nuncupat *Sacramentorum consummationem*, sumptionem cum voluntaria etiam distractione factam pronuntiat immunem etiam à veniali irreverentia, Joann. Sanch. referendus *in Alph. Communic. Cas.* 20. *n.* 352. er-
259 go etiam excusabit in aliis Sacramentis. Ego assentiorGeorgio de Rhodes *Disp. scholast.* To.2. *Tr.* 9. *disp.* 1. *q.* 4. *sect.* 6. §. 2. requirenti bonum aliquem motum voluntatis, ad recipiendum qualecunque Sacramentum sine omni culpa irreverentiæ; quia verò vix potest cum illo pio motu consistere deliberata distractio, ideo hæc sub veniali excludenda est. Verè sancta sunt sanctè tractanda. Tractatores mysticæ Theologiæ,atque Asceseos,quibus tanquam in arte Magistris credendum est, absque omni hæsitatione pronuntiarent, intercedere irreverentiam venialem fovendo ejusmodi mentis aberrationes; ergo & nos pronuntiemus.

Præter hactenus dicta de dispositione subjecti.

260 Quæritur ulteriùs I. *An, & quatenus peccet, qui Sacramentum aliquod recipit à Ministro indigno?*

Intelligitur verò nomine indigni is, qui est impertiturus cum peccato mortali, vel quia deest ipsi jurisdictio, vel quia aliquâ censurâ Ecclesiasticâ irretitus, vel quia non existit in statu gratiæ. Et

Resp. I. Peccas mortaliter,si petas, aut accipias aliquod Sacramentum ab eo, qui caret potestate conferendi illud tibi. Ratio est, quia si caret potestate, peccabit mortaliter, utpote invadens alienam jurisdictionem in puncto gravi; ergo & tu eris affinis ejusdem criminis,utpote vel incitans illum in actionem graviter ipsi vetitam, vel propriè cooperans alieno peccato. Observa tamen, casum ne- 261
cessitatis sæpe efficere, ut qui cæteroqui caret jurisdictione, acquirat *actualem* pro illo casu necessitatis, sicut nominatim de Sacramentis Eucharistiæ,Pœnitentiæ,& Extremæ Unctionis dicetur suis locis.

II. Quando censura est talis, ut non spoliet 262
ministrum jurisdictione, sicuti spoliat excommunicatio, licitè accipies,vel etiam petes à tali Sacramentum in eo casu, in quo peteres ab existente in statu peccati mortalis, nec enim suppetit ratio faciendi hîc aliquod discrimen. Proinde quo casu fas tibi est, uti ministerio inquinati peccato turpitudinis,ebrietatis &c. Eo casu,permittitur tibi ministerium excommunicati tolerati, seu non vitandi; at graviter peccabis, si extra casum extremæ necessitatis recipias Sacramenta ab excommunicato vitando. Nughus *in* 3. *part. q.* 68. *a.* 6. concilians se cum S. Thoma,& loquens de Sacramentis necessariis Vide Patrem Dicastillum *Disp.*3. *d.* 13. *num.* 305.

III. Quando vides seu proprium Parochum, 263
seu alium sacerdotem non esse sine sacrilegio ministraturum aliquod Sacramentum, illicitè petes ab eo, esto sit & paratus ex se illud conferre,& ex sola malitia sit peccaturus,modò te non excuset aliqua necessitas, vel rationabilis causa. Navarrus *in Man. c.* 14. *nu.* 28. post Majorem,Dicastillo *num.* 299. malè citans Sotum. Ratio est, quia nulli debemus injicere laqueum *Cap. Viduas.*2.27. *quæst.* 1. & *væ homini,per quem scandalum venit, Matth.* 18. At 264
verò,si subsit causa rationabilis, nec possis sine tuo aliquo incommodo nanciscі immunem scelere,licitè accipies, petésque à non immuni. Bonacina *Disp.* 1.9.6.*p.*5. cum aliis,notantibus, minorem causam sufficere, ut licitè accipias à peccatore jam ex se parato; quàm ut incites ad præbendum; item minorem, ut à proprio parocho,quàm ut ab alio. Nec dicerishic propriè cooperari alieno peccato, nam talis minister peccat ex mera malitia,cùm possit,si velit, emaculare animam suam. Aliud est de eo, qui caret jurisdictione,ut vidimus superiùs, talis enim, etsi velit, nequit esse dignus Minister.

At *subestne obligatio inquirendi,sitne hic,an ille in statu bono?*

Resp. In dubio præsumitur quisque bonus, ergo non est opus ullâ investigatione. *Sed vidi paulò antè turpiter jocantem cum aliquâ,*

& audivi vomentem horrendas blasphemias, an nihilominus erit mihi fas petere, ut meam excipiat confessionem, tingat aquâ lustrica meum infantem?

Resp. Omnino licebit. Cùm enim non sit hisce Sacramentis necessariò præmittenda confessio, meritò sperabis, illum esse eliciturum actum contritionis, priusquam obeat hæc sacrosancta munia. Ita *P. Suarez Tom. 3. in 3. p. disp. 28. sect. 1.* P. Reginald. *L. 1. n. 67.* atque alii. *Si* tamen facilè habere queas, qui æquè (atque ille indignus) prosit animæ tuæ, illo uteres, si vis omne peccati vitare periculum.

266 Quæritur è diverso II. *An, & quam graviter Deum offendat, qui ministrat indigno aliquod Sacramentum?*

Resp. Tametsi *S.* Thomas proponat hanc quæstionem non in *abstracto*, sed in *concreto*, scilicet de volente recipere indignè Eucharistiam, ut videre est *3. par. q. 80. a. 6.* nos tamen secuti exemplum plurium aliorum, ac singulariter Bonacinæ, atque Dicastilli, proponimus eam in istis generalibus, rejecturi nihilominus nonnulla ad tractationem de Eucharistia, adeóque *ad Casum XXI. Alphabeti Communicantium*, hîc autem alia facientia ad Sacramenta in genere trademus sequentibus §§.

267 I. Per se loquendo peccat ministrans Sacramentum indigno, quia talis cooperatur alieno peccato. Quare quando quis est suspectus de indignitate, debet aliquod examen præmitti, imò etiam quando abest causa suspicandi, præmittenda sunt illa examina, quæ ex usu vel universalis Ecclesiæ, vel particularis, in qua fit ministratio, solent præmitti; ut v. g. pro Ordinibus, Matrimonio, Extrema Unctione. Pro Confirmatione non solet institui ullum examen, quando fit solenniter, secus, quando privatim unus, aut alter id petit. Facere autem

268 nequeo, quin ad majorem cautelam, & circumspectionem excitandam in Venerabilibus Dominis sacerdotibus, huc transcribam partem eorum, quæ de ministrantibus divinum epulum legere est apud D. Chrysost. *Hom. 60. ad pop. ant.* atque in ipso Breviario Rom. *Fer. 2. infra Octavam Corporis Christi* hisce verbis: *Advos* (sacerdotes) *sermonem converrere necessarium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quemquam illius culpæ conscii hujus mensæ* (qualiscunque Sacramenti) *participem esse concedatis; sanguis ejus de manibus vestris exquiretur; sive quis dux militia sit, sive præfectus, sive princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, majorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis. Hoc vestra dignitas est, hoc securitas, hoc omnis corona; non ut albam, & splendentem tunicam circumeatis indusi.* Hactenus os aureum.

269 II. Ut licitè neges Sacramentum indigno, non sufficit suspicio levis, imò nec probabilis de indignitate, sed exigitur violenta. Expressè Suar. *Tom. 3. in 3. p. disp. 67. sect. 6.* nam suspicio probabilis duntaxat, non gignit certitudinem *moralem* de indignitate, sed relinquit dubium: in dubio autem est quisque habendus probus. Unde habet hîc locum illa sententia *Cap. fin. De præsumption. Primâ facie præsumitur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.* At verò suspicio violenta est illa, quæ nequit probabili ratione deponi, ergo gignit *moralem* certitudinem de dignitate.

III. Publico peccatori publicè petenti aliquod Sacramentum, negari illud debet, sicut & occulto peccatori occultè petenti. *S.* Thomas *cit. q. 80. a. 6. in C.* intelligendo nomine *peccatoris* illum, qui scitur peccâsse mortaliter, & tamen nulla verosimilis præsumptio est, esse emendatum, e. g. confessum sacramentaliter. Ratio petitur tum ex desumptâ authoritate S. Joann. Chrysostomi, tum quia millies revocanda est in mentem doctrina Pauli *1. Cor. 4. Hic jam quæritur, inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*; loquitur autem expressè de Ministris Christi, & Dispensatoribus Mysteriorum Dei; magnæ autem infidelitatis est, margaritas, fidei nostræ commissas, projicere ante porcos, & sancta dare canibus.

Excipe casum, quo illa indignitas cognita est 271
ex sola confessione sacramentali, conformiter iis, quæ *Tract. 7. Cas. ult.* ex verissima sententia dicam contra nonnullos. Sicuti & peccatori occulto, sed petenti publicè negari non debet, si nequeat absque scandalo, aut infamatione. S. Thomas *cit. a. 6. ad 2.* ubi loquitur quidem de sola administratione Sacramenti Eucharistiæ, sed ratio, quam adfert *S. D.* æquè militat pro aliis Sacramentis: quòd scilicet non oporteat committere peccatum, ut eâ ratione impediatur alterius peccatum; infamare autem aliquem, adeóque occultum, id est coram paucis notum ejus crimen prodere, & publicare, est peccatum, ergo non est admittendum eo fine, ut impediatur sacrilega usurpatio alicujus Sacramenti.

Licèt verò sint varii casus, quibus est fas ma- 272
nifestare crimen alterius occultum, usus tamen constans Ecclesiæ demonstrat, periculum indignæ participationis non fuisse à Christo Domino accensum illis casibus. Quare multi cum Nugno *in cit. a.* S. Thomæ, contra alios asserunt, quando quis infamatus, in uno loco, petit Sacramentum publicè in alio loco, in quo nec est infamatus, nec *moraliter* creditur infamatum iri, doctrinam S. Thomæ habere locum. Sed hæc extensio pender, ut rectè observat idem Nugnus, ab illa generali quæstione: An & quatenus fas, vel nefas sit, infamatum in uno loco facere infamem in alio, seu *juris*, seu *facti* infamia præcesserit? Subdit autem idem Nugnus *vers. Difficultas quarta.* tametsi probabiliter quidam moderni existiment, obligationem negandi publico peccatori petenti publicè Sacramentum esse tantam, ut ne qui-

quidem ob periculum vel infamiæ, vel etiam vitæ propriæ fas sit, contra eam agere, probabiliùs tamen oppositum teneri ab aliis; eò quòd nullo solido argumento probeturtantus rigor. Assentior huic Doctori, quem præivit *Suar. disp. 67. in fin.* ac secutus est Bonacina *hic disp. 1. q. 6. punct. 4.* atque Dicastillo.

273 Dices; *Nos tamen superiùs in hac ipsa Sectione negâsse permissionem rebaptizandi rite baptizatum, aut absolvendi indignum; esto, illa baptizatio, aut absolutio posteà leretur cum interminatione mortis.*

Resp. Ad hanc ab aliis, ut reor, præteritam objectionem, esse hoc discrimen inter hæc duo Sacramenta, & alia, quòd alia reipsa, seu verè recipiantur ab indigno; at neque Baptismus reiterâ percipitur à rite baptizato, neque Sacramentum Pœnitentiæ à malè dispositò; conscio suæ indispositionis; consequenter falsum loquitur Sacerdos dicens nunc: *Te baptizo. Te absolvo*; atqui falsum scienter loqui, est ita *intrinsecè* malum, ut in nullo casu sit licitum, sicuti totis in Genii summi viribus demonstrat S. Augustinus, tum *Lib. De Mendacio c. 5. 6. 7. & seqq.* tum *Lib. contra Mendacium cap.* 18. & 19. & nos contra Grotium, Zahnnium, & alios Calvinistas, ex professo tradimus *in Alphabeto Quadruplici Part. 2. n. 589.* ergo præceptade non rebaptizandis legitimè baptizatis, & non absolvendis indispositis; est unum ex illis, quæ Nugnus *l. c* vocat *omnino necessaria.* Administratio autem Eucharistiæ facta indigno nullam falsitatem continet, neque aliunde probari potest, esse planè *intrinsecè*, & *essentialiter* malam, ergo potest esse licita in aliquo certo casu; adeóque præceptum de non administranda Eucharistia indigno, est unum ex illis, quæ Nugnus *l. c.* appellat præcepta *necessaria*, & *naturalia* quidem, quia regulariter loquendo sunt necessaria, at deficiunt in aliquo casu. Certè porrectio sacræ hostiæ non est ex sua natura mala, imò est vel indifferens, vel potiùs ex Christi institutione actio sacratissima; ergo non fiet peccaminosa, nisi planè per accidens; at falsa pronuntiatio formulæ sacramentalis non est indifferens, multò minùs sacra, aut sacrata, sed sceleratâ.

274 *Igitur*, inquies, *ob metum mortis, vel extremæ infamiæ licebit impertiri nescio cui nebuloni Sacramenta Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis, & Matrimonii?*

Resp. De Matrimonio est in dubitatum, quin puella licitè nubat hæretico, si adsint causæ, quas promemus *Tr. 9. Cas. 11. n. 219.* & consequenter quin licitè ministret Sacramentum indigno, indignissimo. Unde infero, licèt ii, quos ego legi, nihil in specie scribant de Confirmatione, & Extrema Unctione, posse absque læsione Numinis Episcopum Sacramenta Confirmationis, & Ordinis: Parochum Sacramentum Extremæ Unctionis impertiri indigno, sicuti

275 potest Eucharistiam. Nec enim potest ullum solidum (apparens me non latet) fundamentum disparitatis quoad præsens punctum adferri; quamquam absque dubio exigitur major ratio pro his tribus Sacramentis conferendis sacrilego, quàm pro Matrimonio. Illas causas non adfero, contentus dedisse occasionem eruditioribus discutiendi hanc particularem controversiam. Quod autem dico de Confirmatione, Ordine, & Unctione, intelligo de subjecto capaci horum Sacramentorum; nullo enim prorsus casu fas est, formulas horum Sacramentorum seriò proferre supra jam Confirmatos, Ordinatos, aut Unctionis penitus incapaces, ut sunt infantes, adulti nullâ prorsus ægritudine laborantes &c. Tunc enim etiam falsificarentur formulæ. Rursum objicies: 276
Ergo si quis petat à sacerdote sacram Eucharistiam, aut Chrisma ad finem Sathanicum e. g. ad magias, vel conculcationem, oportebit exemplo S. Tarsitii referendo *Tr. 5. Cas. 22.* potiùs quidlibet perpeti, quàm tradere; & præferenda est occisio ministrationi sacrilegæ.

Resp. I. Licèt sit utique mors subeunda potiùs, quàm tradatur hostia ad talem finem intentum à tradente, tunc enim traditio collimaret *directè* in finem sacrilegum; licèt quoque sit illud ipsum malum subeundum, priusquam tradatur tunc, quando ipsamet traditio cederet *immediatè* in odium Religionis, quia scilicet catholica religio sperneretur idcirco, quòd ejus præcipui professores & conservatores (ut sunt animarum Curatores) tam parvo loco habeant res ipsis sacratissimas; ut vereantur sanguinem fundere pro non promòvenda eorum profanatione, attamen abstrahendo ab hoc peccato, poterit in primis parochus dicere (ad mortem evadendam) illi nefario flagitatori: *Hostiam non tradam tibi; at si velis eripere è manibus, permittam.* Quòd si ille sacrilegus nolit esse contentus illâ permissione, sed velit, ut *positivè* tradatur, cùm non videatur, ut sic aliâ ratione postulare, quàm in probrum Religioni, erit potiùs præbendum caput, aut jugulum, quàm Christi Corpus, quia certi juris est, delinqui mortaliter ab eo, qui paret alteri mandanti quidpiam in contemptum Religionis. P. Azor *Tom. 1. l. 7 cap. 7. q. 1. Arg. Cap. Sacris. De his, quæ vi.* Equidem P. Lessius post hæc jam quater excusa lectus à me *lib. 2. de justit. & jure c. 9. dub. 7. n. 40. & 41.* Negat esse fas præbere sacros Codices Tyranno, petenti ad comburendum, vel Sacramenta ad ea temeranda.

At *petit hæreticus clavem ad Tabernaculum*, 277
ut inde eximat particulas consecratas, prorsturus eas pedibus.

Resp. Fore quidem generosum Christi athletam, si in tam gloriosa causa vellet potiùs occumbere, quàm claves tradere, non video tamen malitiam inseparabilem ab illa traditione, quandoquidem est ex se actio merè indifferens; clariùs tamen excusaretur, si æmularetur hoc

Factum singulare.

278 *DUm post Germanicam pacem Anno 1648. decretam multi Religiosi, prout sancitum erat in Instrumento pacis, ut vocât, ædibus, atque templis summo iure possessis spoliandi, juberentur à Commissariis Catholico-hæreticis claves ædium, Ecclesiarum, hospitalium tradere, plerique omnes, tametsi perquam inviti, porrexerunt illas. Repertus tamen Augustæ Vindelicorum unus, altérve, qui nulla ratione, aut minis impelli potuit, ut traderet. Denique tamen cernens, non posse sine maiore incommodo negari id totum, quod exigebatur, dixit: claves pendent, seu jacent, tali loco, si vultis capere, capite, non resistam, quia non possum.*

Certè hæc agendi ratio est remotior ab *indirectâ* quoque cooperatione in malo, quàm *positiva* exhibitio, atque traditio calicis, aut alterius rei sacræ; ergo usurpanda in eventibus suprà indicatis potiùs, quàm altera.

SECTIO VII.

De Effectu Sacramentorum.

SVMMARIVM.

Quis, & quotuplex effectus Sacramentorum? 279.
Qui effectus præter gratiam sanctificantem? 280.
An Sacramenta suum effectum operentur, fictione remotâ? 282.
Cur Theologi obicem appellent fictionem? 283.
An omnia Sacramenta operentur, recedente fictione? 284.
An pro ratione majoris dispositionis tribuatur major effectus Sacramenti? 286.
Quænam observanda de charactere? 289. *& seqq.*
An habeat aliquam vim operativam? 290.
An aliquod Sacramentum possit esse validum, & simul informe? 294.

QUæritur I. *Quis & quotuplex sit Effectus Sacramentorum?*

279 Rſ. I. Generalis effectus omnium, singulorúmque Sacramentorum est gratia sanctificans, seu gratum faciens. S. Thomas 3. p. q. 62. per totam; éstque de fide. Rationem adfert S. Thomas *a.* 1. quia per omnia Sacramenta incorporamur Christo, nequimus autem ei incorporari, nisi per gratiam sanctificantem. Igitur certum est de fide, omni illi, qui dignè recipit aliquod Sacramentum novæ legis infundi seu *primam* gratiam, seu *secundam*. Porrò per aliqua infundi *directè*, seu *per se*, adeóque ex primaria sua institutione gratiam *primam*, per alia *directè*, & *per se secundam*, *per accidens* verò *primam*, constat ex iis, quæ suprà *nu.* 18. dixi de Sacramentis *Vivorum* & *Mortuorum*.

Rſ. II. Præter gratiam sanctificantem, supernaturalésque habitus virtutum inseparabiles ab ea, utpote ejus quasdam proprietates; de quibus S. Thomas *loc. cit. a.* 2. communicantur homini alia peculiaria dona, propria singulis sacramentis. Nam ut suavis spiritus Christi dulcedinem suam in filios demonstraret, ordinavit singula Sacramenta ad singulos fines, adeóque peculiares fructus, effectúsque concedendos, vel eo ipso tempore, quo percipiuntur Sacramenta, vel alio opportuno. Etenim per Baptismum remittitur *per se* peccatum originale, & actuale, totáque pœna peccatis debita, & insuper imprimitur Character, ut videbimus suo loco, assignaturi quoque aliis Sacramentis suos speciales effectus, quos inter unus est quasi obligatio Domini Dei ad præstanda in tempore opportuno auxilia vel efficacia, vel certè sufficientia ad aliquem effectum producendum, e. g. robur actuale ad superandas tentationes adversantes Catholicæ fidei, quod auxilium præstat Confirmatio, sicut Extrema Unctio subsidium adfert pervincendis, seu tolerandis æquo animo molestiis morbi.

280 281

Quæritur II. *An quando quis indispositus accipit aliquod Sacramentum infructuosè, videlicet sine vel infusione* primæ *gratiæ, vel superfusione, ut ita loquar, seu superadditione* secundæ, *si postmodum ponat conditiones, quæ si initiò præstò fuissent, fuisset quoque impertita gratia* prima, *vel* secunda, *& consequenter cæteri effectus, reddatur compos illius ejusdem gratiæ?*

282

Doctores secuti phrasin S. Thomæ *Quæst. 69. artic. 10.* imò ipsius S. Augustini *Lib. 1. De Bapt. cap. 12.* contra Donatistas sic proponunt hanc quæstionem: *Vtrùm fictione recedente Sacramenta suum effectum consequantur?* Per fictionem non intelligunt simulationem propriè dictam, quâ scilicet simulas, te habere animum accipiendi *realiter* ipsum Sacramentum, cùm tamen tua tota intentio feratur in solas nudas ceremonias exteriores, sicuti explicavi suprà *n.* 227. certum quippe est, etiamsi sexcenties deponatur magnâ cum pœnitudine hæc simulatio, ejúsque loco suscipiatur serium desiderium, ac propositum recipiendi *realiter* Sacramentum, quod priùs fuerat solùm apparenter, & in oculis hominum, non autem in oculis Dei susceptum, attamen nihil planè operaturum esse illud ludicrum, fictitiúmque Sacramentũ, quia non-entis nulla vis

283

vis, nulla energia; ergo nomine Fictionis intelligit S. Thomas id, quod alii vocant obicẽ, scíscitantes: An remoto obice, seu impedimento, ob quod Sacramentum etsi reipsa validum, attamen reipsa infructuosum, quia carens effectu gratiæ sanctificantis, extitit, incipiat, dum non ampliùs existit, producere illum fructum, illam gratiam sanctificantem, quam debuerat ab initio causare?

284 Circa resolutionem hujus quæstionis conveniunt omnes cum sanctis Augustino, & Thoma *l. c.* in hoc, quòd saltem baptismus habeat eam vim, ut recedente fictione, seu remoto obice, restauretur gratia sanctificans, quæ fuerat priùs per sacrilegium neglecta. Plerique etiam idipsum docent de Confirmatione, & Ordine, utpote imprimentibus characterem, æque ac imprimit Baptismus, in cujus quidem characteris impressione factâ etiam tum, cùm infructuosè recipitur Baptismus, ponit S. Thomas vim probandi, quòd consequatur Baptis-
285 mus suum effectum, recedente fictione. At verò cætera Sacramenta quod attinet, multi negant, multi asserunt, inesse ipsis eandem vim compensandi, post emendatam fictionem, illud donum divinæ gratiæ, quod nequiter initio fuit repudiatum; authores videbis apud Card. de Lugo *disp. 16. sect. 6.* P. Hurtadum *hic disp. 3. diff. 8.* P. Ferdinandum de Castro Palao *Tr. 18. punct. 9.* qui Palaus dissentit à Lugone in hoc, quòd ipse Palaus omnibus omnino Sacramentis tribuat hanc indolem, at Lugo excipiat sacram Eucharistiam; utra sententia sit verior, non est mei instituti disputare, quia nihil refert ad usum, hæcne, an illa sententia sit vera, tibíque placita; volui tamen pro complemento doctrinæ facere mentionem hujus controversiæ.

286 Quæritur III. *Utrùm pro ratione majoris, aut minoris dispositionis, quacum accedit quispiam ad recipiendum aliquod Sacramentum, tribuatur major, aut minor gratia?*

Rſ. Affirmativè cum communissima sententia S. Thomæ *q. 69. a. 8.* P. Laymanni *Lib. 5. Tr. 1. cap. 6. in fine.* P. Palai *l. c. p. 8. n. 8.* Ratio hoc asserendi est, quia valde conveniebat, ut Christus Dominus ita institueret Sacramenta, ut per illa ipsa tribueret uberiorem gratiam iis, qui digniùs ea reciperent; sic enim alliciuntur homines ad se tantò accuratiùs præparandos, ac disponendos.

287 Adde, quòd considerando suavissimam Dei, sapientissimámque providentiam, videatur esse quoddam inconveniens, si Judæus unus e. g. accedens ad Baptismum cum infimo gradu imperfectissimæ attritionis; percipiat tot gradus gratiæ sanctificantis; quot accepit S. Augustinus, dum fuit à S. Ambrosio regeneratus, præmissis, concomitantibúsque ardentissimis illis actibus contritionis, & charitatis, quos spirant ejus Confessionum Libelli.

Sicut autem melior, seu major dispositio 288
propria potest esse causa, ut plus gratiæ sanctificantis infundatur, sic vice versâ nihil *per se loquendo* ad augmentum, vel detrimentum confert improbitas, sanctitásve ministri, ut notant omnes cum S. Thoma *cit. q. 69. a. 4. Per accidens* tamen potest conducere illius probitas, si videlicet impetret suis precibus suscepturo Sacramentum gratiam efficaçem ad ferventiorem dispositionem.

Quæritur IV. *Quænam sint observanda de* 289
Charactere?

Rſ. Breviter *seqq.* I. Character est qualitas quædam spiritualis instar sigilli impressa animæ vel *immediatè*, vel *mediante* intellectu, quæ qualitas adfert mirificum ornamentum animæ, éstque prorsus indelebilis, & proinde permansura etiam in animabus separatis, idque in æternum decorem Beatorum, in sempiternum proborum reprobórum.

II. Hæc qualitas ita sequitur tria Sacra- 290
menta, scilicet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, ut quoties ea suscipiuntur validè, adeóque *voluntariè*, tametsi *sacrilegè* ob malam conscientiam, vel sceleratam intentionem, toties eam susceptionem *immediatè*, infallibilitérque sequatur impressio, seu infusio illius qualitatis, ac proinde illa tria Sacramenta nunquam recipiantur penitus infructuosè, & sine effectu omnis gratiæ, Character enim est quoddam donum cœleste prorsus gratis concessum, ac proinde magna gratia, non tamen sanctificans, utpote cum qua toties, prô dolor! consistunt multæ myriades peccatorum mortalium. Habentur hactenus dicta partim *in Cap. Majores. §. fin. De Bapt.* partim in Concil. Florent. atque in Trident. *Sess. 7. Can. 9.* tradúntque omnes Scholastici post S. Thomam *q. 63.* nisi quòd litigent DD. utrùm Character sit vera qualitas, an relatio, an modalis entitas?

III. Licèt unum è præcipuis prædicatis, 291
seu una è proprietatibus Characteris sit, esse sigillum & signum spirituale, designans subjectum, & segregans ab aliis non insignitis eo signo, sicut fimbriæ rubræ, ceruleæ, flavæ sunt signa quædam distinguentia famulum unius Baronis, Comitis, à famulis alterius, quemadmodùm ex Patribus præclarè probat Cardinalis de Lugo *disp. 6. sect. 3. num. 35.* post P. Vasquez *Tom. 2. in 3. part. disp. 134. cap. 1.* ubi congerit multos locos sanctorum Patrum; nihilominus tamen habet idem character non solùm vim distinguendi e. g. baptizatos à non baptizatis, confirmatos à non confirmatis, sed etiam energiam aliquid aliud efficiendi, adeóque permovendi Angelum Custodem, ut aspiciens characterem, solicitiùs obeat munus regendi, illuminandi, protegendi suum Clientem; permovendi quoque Deum ad conferenda auxilia, & gratias in ordine ad actio-

nes illas, ad quas per tale Sacramentum destinatur specialiter homo, ut explicat Lugo *cit. sect.* 3.

292 Idem Character est insigne potestatis spiritualis, teste S. Thomâ *l. c. a. 2.* quia baptizato confert jus ad alia Sacramenta recipienda, Ordinibus initiato ad obeunda munera Ordini annexa, Confirmato ad recipiendam gratiam Sacramentalem propriam huic Sacramento, ut explicat Nugnus *in cit. a. 2. S. Thomæ in Resp. ad sextum argumentum.*

293 Denique Character est ita insigne potestatis, ut simul sit quasi scriptura, & instrumentum potestatis traditæ; quasi Bulla aurea, qua Deus testificatur jus, quod homo acquisivit per Sacramentum. Lugo *l. c. n. 46.*

294 Quæritur V. *An aliquod Sacramentum possit esse validum, & tamen informe?*

Est perinde, ac si quæratur, fierine queat, ut tota essentia alicujus Sacramenti reperiatur in una, pluribúsve actionibus simul sumptis, attamen hanc essentiæ positionem non sequatur gratia sanctificans; quæ per antonomasiam vocatur forma, species, decus animæ, & qua proinde deficiente, manet anima informis, & deformis in conspectu Dei.

Nec dubitat quisquam etiam de sex Sacra- 295
mentis, adeóque omnibus præter Pœnitentiam. Est quippe articulus fidei, posse Baptismum integerrimè, propriissimè dictum recipi à gravissimo peccatore, permanente, ac indurato in sua nequitia. Idem dic de cæteris quinque Sacramentis. At de Pœnitentia est magna disceptatio inter Theologos, è qua cùm dependeat una singulariter resolutio haud parùm faciens ad mores, non debuit ea à nobis integrè prætériri; ergo tractabimus de ea in loco proprio, scilicet *in Alphab. Confient. Cas* 7. nam plurimi disserunt de ea, dum exequuntur conditiones Sacramenti Pœnitentiæ.

His omnibus adde, aliquòs effectus Sacra- 296
mentorum provenire *ex opere operato*, alios *ex opere operantis*, cujus Theologicæ phrasis sensum dabo infrà *Tr.* 3. *Cas.* 5. *n.* 146. *& seqq.*

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS
SEU
ALPHABETUM BAPTIZANTIVM, ET CONFIRMANTIUM,

Quo

XXIII. Cardinalibus Casibus,
FACTIS, non *FICTIS*,
Itémque aliis plus centum declaratur
universa materia
BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS.

Præfatiuncula ad Lectorem.

CUr hoc opusculum indigitem Alphabetum, *dedit causam generalem in præfatione Generali, sicuti & explicavi, cur hac insolita methodo pertractem materiam horum duorum, cæterorúmque Sacramentorum. Casus, seu eventus, quibus edissero hoc idem argumentum, meritò dici* Factos, *non* Fictos, *tutè fateberis, Lector, ubi, quam par est feceris reflexionem. Horum* 1. *proponitur Baptismi Materia.* 2. *Forma.* 3. *Necessitas.* 4. *Minister.* 5. *Obstetrix ministra.* 6. *Intentio ministri.* 7. *Baptizans cum periculo mortis propriæ.* 8. *Baptizans in periculo mortis alienæ.* 9. *Baptizans monstrum.* 10. *Baptizans invitum.* 11. *Baptizans invitis parentibus.* 12. *Baptizans cum, & sine nomine.* 13. *Rebaptizans varios.* 14. *Rebaptizans Sacerdotem.* 15. *Rebaptizans coniugatum & Religiosum.* 16. *Baptizans cum, & sine cæremoniis.* 17. *Baptizans cum, & sine Patrinis.* 18. *Baptismus Sanguinis, & Flaminis.* 19. *Baptismi Effectus.* 20. *Baptismorum dubiorum farrago.* 21. *Confirmationis essentialia.* 22. *Ejusdem accidentalia.* 23. *Ejusdem Effectus:*

Hisce vigiuti tribus Alphabeticis (ut fert numerus, & ordo Alphabeti Latini,) Casibus, quasi primatũ tenentibus, immiscebo alios facilè 100. *ac præterea permultas novas quæstiones. Quod utrumque proportionaliter præstabo in octo Alphabetis secuturis. Sit igitur*

DE
MATERIA BAPTISMI.
CASUS I.
Piæ simplicitatis.
SVMMARIVM.

Judæus baptizatus arenâ. num. 1.
Verba hujus casûs sunt S. Sophronii. 2.
Divisio hujus casus in duas sectionis. 3.

ANdreas Abbas Octavi Decimi narravit nobis dicens: Cùm essem juvenis indisciplinatus valde, & inquietus, ego, aliíque novem, inter quos erat quidam Hebræus, venimus in eremum, ubi infirmatus est Hebræus usque ad mortem, qui cœpit nos adjurare, & dicere: *Per Deum, qui judicaturus est vivos & mor-*

mortuos, baptizate me. Nos verò dicebamus ei: *Verè, frater, non licet nobis hoc facere, seculares enim sumus, hoc autem Episcoporum, & Presbyterorum est opus, sed neque aqua hîc est.* Ille verò persistebat adjurans nos. Ergo ereximus illum, erectúmque tenuimus. Unus autem ex novem implens ambas manus arenâ, tertiò effudit super caput ejus dicens: *Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Nobis verò per singula respondentibus: *Amen*, ita subitò sanavit illum Christus Dominus, ut cum omni alacritate, & florido aspectu nos omnes præcederet. Cùm verò adduxissemus eum Ascalonem ad S. Dionysium, urbis Episcopum, ille stupens ob tam inauditum miraculum, convocato Clero, exposuit ei totum negotium, ut decernerent, utrùm effusio illa arenæ reputanda esset fratri in Baptismũ, an non? Et alii quidem dicebant, debere ei reputari in Baptismum propter inauditam miraculi magnitudinem: alii verò dicebant, non. Et cùm plurima dicta essent, visum est beato Dionysio mittere fratrem illum ad Sanctum Jordanem, illícque baptizari.

2 Est ad verbum (omissis tamen multis brevitatis causâ) expresso etiam nomine Andreæ, narratio Sancti Sophronii *in Prato spirituali c. 106.* quam etiam refert Nicephorus Callistus *L. 3. c. 37.* In qua præter mentionem Ministri, & Formæ, de quibus sermonem instituemus Casu II. & IV. exprimitur materia Baptismi *apta*, & *inepta*, itémque materia *remota*, & *proxima*.

3 De his quatuor speciebus quà *Essentialibus*, quà *Accidentalibus* proposituri ea, quæ praxin baptismalem concernunt, dividimus hunc Casum in duas Sectiones, in quarum primâ tractabimus de Materia Baptismi *remota, apta,* & *inepta*; in secunda de ejusdem Baptismi Materia *proxima apta*, vel *inepta*.

SECTIO I.

Baptismi Materia remota, apta, & inepta.

SUMMARIUM.

Omnia sacramenta tribus perficiuntur. 4.
Quomodo verum sit illud S. Augustini: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum? 5.
Sacramenta constant duplici materiâ. 6.
Nullum conficitur, nisi adhibeatur illa ipsa materia, quam Christus mediatè, vel immediatè determinavit. 7.
Quæ mutatio materiæ à Christo determinatæ obstet valori Sacramenti, quæ non? 8.
Baptismi materia est aqua vera & naturalis. 9.
Non licet in extrema etiam necessitate alium ab aqua liquorem adhibere. 10.
Per aquam veram, seu naturalem intelligitur elementaris. 14.
An aqua sulphureorum balneorum, lixivii? 18.
An vinum, lac, urina, lachryme, saliva, pituita, aqua supernatans cruori? 21.
Casus Baptizati salivâ. 22.
An aqua rosacea valeat? 23.
An liquores, qui per alchimiam, aut distillationem? educuntur ex herbis, plantis, floribus? 24.
An sudor, & liquores naturaliter ex arboribus emanantes? 25.
Et aqua ex sale resoluta, aut cerevisia non crassa? 27.
Et jusculum, in quo carnes, vel pisces decocti? 29.
An pro valida materia habendus liquor, cui inest plus aquæ, quàm alienæ materiæ? 30.
An offa hordeacea, pulmentum, & colores attemperati ad pingendum? 31.
Et atramentum habens plus aquæ, quàm alterius materiæ? 32.
Nix, glacies, pruina repudiantur, dum talia sunt. 33.
Peccat mortaliter, qui, cùm possit adhibere aquam elementarem, adhibet aliam. 35.
Qui nequit habere elementarem, tenetur sub mortali (si sit periculum in mora) adhibere aliquam ex iis, quas admittunt duo, tréfve DD. 36.
Idem dic de materia omnino dubia. 37.
Ubique tamen conferendus est Baptismus conditionaliter: Baptizo te, si hæc materia est apta. 38.
Qui moritur tinctus lavacro dubio, vel æqualiter probabili, sepeliendus est loco sacro. 40.
Sacrilegium mortale committit, utens aquâ impurâ, vel turbidâ absque gravi necessitate. 41.

4 SUppono I. Ab omnibus Orthodoxis admitti doctrinam illam, quam Eugenius IV. in Concilio Florentino, finito Anno 1439. *post ultim. sess. in decreto* tradidit his verbis: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet Rebus, tanquam materiâ, Verbis tanquam formâ, Personâ Ministri conferentis Sacramentum cum Intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Per *Res* intelligitur vel aliqua substantia, ut in quinque Sacramentis, vel aliquis actus determinabilis per *formam* verborum, ut in Pœnitentia, vel Matrimonio. P. Ægidius Coninck *in 3. part. q. 60. art. 5. n. 28.* At per *Verba* designantur vel propriè dictæ voces, ut in sex prioribus Sacramentis; vel aliquod aliud

aliud signum externum faciens id, quod faceret vox, ut in Matrimonio; cùm enim Matrimonium ex sua primæva origine sit contractus Civilis, habet etiam in illa locum jus Civile *Leg. Si tamen 48. ff. De ædilit. edict. §. Et qui*, supponens animum magis factis, quàm verbis prodi.

5 Quare quod S. Augustinus *Tract. 80. in Joan.* scribit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, est in rigore verum de solo Baptismo, in aliis autem Sacramentis quinque etiam in rigore verum de verbo, at de elemento non in rigorosa, sed larga, latáque significatione; sicuti & in ultimo, seu Matrimonio tam materia impropriè dicitur elementum, quàm nutus, quibus surdi, mutíque contrahunt, impropriè appellantur verba.

6 Suppono II. Omnia, vel saltem pleraque Sacramenta constare duplici materiâ, *remotâ* scilicet, & *proximâ*. *Remota* est aliqua res, quæ assumitur ad actionem Sacramentalem, ut aqua, chrisma, oleum &c. *Proxima* est applicatio materiæ *remotæ*, ut ablutio, unctio &c. Adeóque potest ut sic dici, omnia Sacramenta constare etiam *remotâ* materiâ, nam & peccata confitentis possunt affici hoc nomine, & corpora contrahentium Matrimonium. Coninck *loc. cit.* Et denique panis rectè vocatur materia *remota* Eucharistiæ, ut ex multorum sensu dicemus *Tract. 3.* seu *in Alphab. Sacrific. Casu 2. n. 18.* & videri potest idem Coninck *cit. n. 28. & 41.*

7 Suppono III. Tametsi Christus Dominus non determinârit in specie infima materias, & formas omnium Sacramentorum, sed aliquorum in subalterna duntaxat. Bellarminus *De Sacram. Ordin. cap. 9. in fin.* applicans hanc doctrinam materiis, formísque Diaconatûs, ac Subdiaconatûs: Suarez *Tom. 3. in 3. par. disp. 2. q. 1. sect. 3.* variè declarans: Tannerus *in 3. part. disp. 3. quæst. 1. n. 84.* applicans materiæ Eucharistiæ, attamen Sacramentum nullum confici, nisi adhibeatur illa ipsa materia, quam vel per se *immediatè*, vel per Apostolos determinavit idem Salvator. Suarez. *loc. cit. sect. 4.*

8 Unde ulteriùs conficitur, si materia à Christo instituta mutetur adeò notabiliter per admixtionem alterius, aut per aliam quamcunque rationem ita altereturr, ut nomine, ac ratione desinat esse eadem specie cum illa, quam Christus præscripsit, habendam esse pro omnino *inepta*; pro *apta* autem quoad valorem, si etiam post alterationem servet nomen, ac rationem illius, quam usurpari Salvator mandavit. Suarez. *cit. sect. 4.* His suppositis

9 Quæres I. *Quanam sit remota materia Baptismi?*

Resp. *Materia hujus Sacramenti est Aqua vera, & naturalis, nec refert, frigida sit, an calida.* Sic loquitur definiendo Eugenius IV. *in cit. decret. post sess. ult. Concilii Florentini.* Per quam definitionem explicatur illa decretoria supremi Nomothetæ apud Joannem *cap. 3.* sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde meritò fratres illi, de quibus noster Casus, renuebant baptizare Hebræum ob defectum aquæ.

Quæres II. *Virum in extrema necessitate non liceat deficiente aquâ adhibere alium liquorem?* 10

Resp. *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, anathema sit.* Concil. Trident. *Sess. 7. Can. 2. De Baptis.* Non itaque licet alium liquorem unquam adhibere.

Ergo, inquies, *lethaliter deliquit ille Andreas juvenis, postea Abbas, qui Hebræum baptizavit arenâ, seu qui fuit cooperatus Baptismo arenario?* Resp. concedendo consequens per se loquendo; etenim & consensit in illum Baptismum, & cooperatus fuit tenendo Hebræũ; atqui per se loquendo peccat mortaliter, qui consentit in peccatum mortale alterius S. Thomas *2. 2. quæst. 62. art. 7.* vel ei cooperatur *positivè* S. Thomas *ibid. in C. & ad 1.* Porrò illum, qui Hebræum perfudit arenâ, admisisse per se loquendo crimen lethale sacrilegii, seu seriò, seu fictè egerit, probatur ex generali doctrina tum de baptizante in materia *inepta*, adferenda *num. 35.* tum de fictè baptizante *Casu VI.* 11

At luculenter miraculo approbavit DEUS hunc Baptismum? ℟. Non ipsum Baptismum, sed optimam voluntatem, qua inculpabiliter rati, hîc & nunc obligare præceptum quali-qualis Baptismi, fecerunt id, quod commemorat noster Casus, idcirco à nobis vocatus: PIÆ SIMPLICITATIS. 12

Ergo potest huc applicari responsio S. Augustini *Libro contra Mendacium c. 15.* loquentis de obstetricibus, quæ, ut refertur *Exod. c. 1.* usæ mendacio conservabant infantes jussos occidi, & Deus illarum bonam voluntatem est remuneratus ædificando ipsis *domos*; id est eis largiendo vel vitam æternam. S. Thomas *2. 2. q. 110. art. ult. ad quartum*, indicans, posse quempiam mendacio bonâ mente prolato mereri remunerationem temporalem; vel opes & divitias eis largiendo. S. Augustinus *loc. cit. cap. 16.* cujus responsio est *cit. cap. 15.* talis: *Non est eis remunerata fallacia, sed benevolentia, bonitas mentis, non iniquitas mentientis.* 13

Quæres III. *Quid per Aquam veram, & naturalem intelligant Christus Dominus, & Concilia ex sensu omnium Theologorum, quid ex aliquorum?* 14

Resp. Ferè omnes Catholici intelligunt solam aquam elementarem, id est illam, quæ est corpus simplex, seu non *essentialiter* compositum ex quatuor elementis.

Dico in primis: *Catholici*: nec enim sermo mihi est de hæreticis, de quibus vide Bellarminum *De Baptismo Lib. 1. cap. 2.* ubi inter cæteros refert Lutherum, qui *Colloq. Symposiac. cap. 17.* interrogatus, num deficiente aquâ liceat baptiza- 15

ptizare vino, & cerevisiâ? primò respondit, judicio divino esse id committendum; deinde addidit, quidquid nomine balnei appellari potest, illud esse aptum ad baptizandum. Atqui Constantinus Magnus, ejúsque aruspices existimârunt, posse fieri balneum ex sanguine Innocentium. Baronius *Tom. 4. Annal. ad Ann. Christi 324. num. 33.* ex actis S. Silvestri, ut etiam refertur *in Breviar. Roman. in Festo hujus Pontificis*; ergo judice Luthero, potuisset Constantinus baptizari sanguine humano, consequenter porcino.

16 Dico deinde: *Ferè omnes Catholici*; siquidem Diana *Part. 5. Tract. 3. Resol. 2.* describit verba Joannis Puteani Professoris Tolosani *in 3. part. S. Thomæ quæst. 66. art. 4. num. 5.* sic loquentis *Hactenus Ecclesia non desinivit, in nullo planè casu ullam aliam aquam à naturali sufficere ad validitatem Baptismi.* Unde infert ipse, aquam rosaceam posse adhiberi in necessitate extrema. Testatur etiam Tannerus *Tom. 4. disp. 4. quæst. 1. num. 41.* à nonnullis Recentioribus doceri, ubi *vera* aqua deest, posse adhiberi succum expressum ex herbis, & hanc sententiam esse *practicè* probabilem ob auctoritatem illorum RR. tradit expressè idem Tannerus.

17 Cum Puteano jungit ibidem Diana Joannem Præpositum, & Chamerotam, quatenus tradunt, aquam rosaceam posse adhiberi aliâ omni deficiente. Sed ego nec jungo, nec accenseo, quandoquidem hi duo Doctores, sicuti & apud eundem Dianam *Part. 6. Tractat. 7. Miscell. Resol. 18.* noster Stephanus Baunus, & apud Ægidium Coninck *in 3. part. quæst. 66. art. 4. num. 22.* alii quidam, solùm idcirco aquam rosaceam, & succos expressos ex plantis, & herbis, censent esse validam materiam, quòd putent, non differre, specie ab elementari, aut dubitent, an differant; ergo non docent, cum Puteano, aliam à naturali, seu elementari posse habere locum in aliquo casu.

18 Quæritur IV. *Quænam aquæ in specie admittantur ad validum Baptismum, vel rejiciantur ab omnibus, quænam solùm à plerisque, aut aliquibus?*

Resp. I. Ab omnibus post S. Thomam *quæst. 66. art. 4.* admittitur aqua Fluminis, marina, pluvialis, sulphureorum balneorum, lixivii, (sed cum distinctione, ut statim dicam) jusculum, in quo sunt coctæ carnes, aut aliæ res; *dummodo*, inquit S. Thomas *ad 3. non sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, quòd liquor plus habeat de aliena substantia, quàm de aquâ, quod ex spissitudine percipi potest. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri Baptismus, sicut & aquâ, quæ exprimitur ex luto, licèt in luto fieri non possit.* Ita Sanctus Thomas, cui omnes facilè subscribunt quoad expressionem illam aquæ ex jusculo, & luto, at quoad quantitatem alienæ substantiæ permixtæ non omnes, ut referam *n. 29.*

His à S. Thoma expressis particularibus aquis annumerant à fortiori, vel à pari omnes, quà *explicitè*, quà *implicitè* fontanam, & putealem, item teste Tannero *cit. q. 1. n. 37. & 39.* aquam paludis, & resolutam ex nive, grandine, gelu, ac transfusam per venas metallicas, acetosas, salsas. Excipit Gregorius de Valentia *Tom. 4. disp. 4. q. 1. punct. 2.* lixivium nimis decoctum. 19

Aqua collecta ex vaporibus densatis, cùm ex ollæ ore evaporantur, & reperiuntur in operculo testaceo, nemine, ut puto, reclamaturo habetur pro sufficiente ab Antonio Fernandez, ac Dianâ *Part. 3. Tr. 4. Resol. 5.* sicut, & illa, quæ tempore hiberno fluit ex lapidibus, parietibúsque; nam est liquor ex aêre, versus in veram aquam naturalem. 20

Resp. II. Ab omnibus, quantum quidem post diligentem excussionem librorum possum meminisse, rejiciuntur *explicitè*, vel *implicitè* etiam in extremâ necessitate vinum, lac, urina, lachrymæ, saliva, pituita, aqua supernatans cruori. Silvester *Verb. Baptismus. 2. §. 4.* Henriquez *in Summa Lib. 2. c. 6. n. 2.* Dicastillo *Tom. 1. in 3. part. Tr. 2. disp. 3. n. 36.* Bonacina *De Sacram. quæst. 2. punct. 3. num. 2.* Marchantius *in Resol. Pastoral. seorsim impressis 'De Sacram. c. 1. n. 6.* & alii. Qui locum det succo ex pyris, pomis, cerasis, expresso manu, ore, torculari, non scio; negat expressè Tannerus *n. 41.* Hinc verè rescripsit Innocentius III. *cap. Non ut. De Bapt. & ejus Effect.* ad hunc. 21

Casum simplicium.

Postulâsti, utrùm parvuli sint pro Christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos propter aquæ penuriam, & absentiam sacerdotis aliquorum simplicitas in caput, & pectus, ac inter scapulas pro Baptismo salivæ conspersione linivit? Respondemus, quòd, cùm in Baptismo duo semper, videlicet verbum & elementum, necessariò requirantur, dubitare non debes, illos veram non habere Baptismum, in quibus non solùm utrumque prædictorum, sed etiam alterum est omissum. 22

Hactenus responsio Pontificis roborantis eam illâ sententiâ Salvatoris. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ &c.* Quâ etiam responsione sufficienter confirmantur ea, quæ superiùs diximus de invaliditate Baptismi administrati affusione sudoris, pituitæ, urinæ, lactis. Quibus nescio qui addat aquam à corpore hydropici manantem, adderem autem ego.

Resp. III. Revocantur in dubium I. aqua rosacea; licèt enim eam absolutè validam pronuntiet Puteanus relatus *num. 16.* attamen absolutè invalidam censent post Sanctum Thomam *cit. a. 4. & 5.* authores quinquaginta octo nominati à Diana *Part. 4. Tr. 3. Resol. 2.* quibus adhuc alios possem succenturiare. 23

24 II. Universim liquores, qui per Alchimiam, aut distillationem educuntur ex herbis, plantis, floribus; hos enim quamvis integrè rejiciat Scotus *in 4. Dist. 3. quæst. 3.* & S. Thomas *cit. art. 4. ad 5.* comparans hos cum vino, itémque illi, qui repellunt succum rosarum, ut videre est apud citatos, non tamen rejiciunt in suprema necessitate illi, qui aquam rosaceam censent usurpandam.

25 III. Sudorem eliminant prorsus Henriquez, Palaus, Bonacina, Tannerus *locis citatis*; Coninck *loc. cit. num. 24.* Admittunt autem in extrema necessitate nonnulli, quos tacito nomine refert Baunus apud Dianam *Part. 6. Tr. 7. Resol. 8.* vocans eam sententiam non improbabilem, eò quòd sudor probabiliter non differat specie ab aqua naturali; quæ ratio, & rationis consequentia si valent, tum non satis video cur non etiam dicamus idipsum de lachrymis, ac saliva, cùm tamen *Cap. Non ut. De Bapt.* dicatur, non debere dubitari, illos non habere verum Baptismum, quos propter aquæ penuriam aliqui liniverant salivâ in articulo mortis.

26 IV. Negant etiam locum liquoribus emanantibus naturaliter ex arboribus illi ipsi, qui elicitis arte Alchimiæ. At verò Dicastillo *loc. cit. num. 39.* censet, hos liquores non differre specie ab aqua elementari, cùm non differant odore, sapore, colore; & certum sit, arbores crescere in India, è quibus aquæ copiosæ fluant pro pecoribus æquè, ac hominibus, & propterea judicat utendum in suprema necessitate. Posse etiam extra necessitatem usurpari, satis insinuat Joannes Crucius apud Dianam *P. 3. Tr. 4. Resol. 5.* De pluvia cadente ex foliis arborum nemini venit in mentem dubitare, quin sit sufficiens.

27 Aquam ex sale solutam pro omnino *inepta* habent Silvester *verb. Baptismus 2. §. 4.* Angelus *verb. Baptismus n. 3.* Coninck *cit. quæst. 66. n. 22.* negans, contrarium videri probabile, eò quòd talis aqua sit verè corpus mixtum. Tannerus *cit. quæst. 1. num. 38.* habet pro, ut minimum, dubiâ, at pro absolutè *apta* Henriquezius *cit. cap. 6. num. 1.* testans de communi. Item Bonacina *cit. punct. 3. n. 4.* ac Dicastillo *n. 29.* cum pluribus.

28 VI. Cerevisiam sine distinctione reprobant Henriquez *cit. cap. 6. num. 2.* Bonacina *loc. cit. n. 2.* atque alii. Admittunt cum distinctione, Scotus *in 4. Dist. 3. art. 4.* Coninck *loc. cit.* Tannerus *num. 42.* Laymannus *Lib. 5. Tr. 2. c. 2. n. 1.* si videlicet sit valde tenuis, secùs si sit crassa, & decocta; tunc enim videtur amittere speciem aquæ, sicut de aquâ jurulenta valde pingui docet S. Thomas *cit. art 4. in Corp.* Id ipsum de mulso eximunt Sotus, ac Tannerus favente Scoto *cit. quæst. 3.* ubi admittit methonem.

VII. Brodium, ut loquuntur Scotus *loc. cit.* Silvester, Bonacina, & plures alii, id est jusculum, in quo sunt decocti pisces, vel carnes; tunc admittit Sanctus Thomas *cit. art. 4.* Scotus *cit. quæst. 3.* ac multi alii, quando non est tale, ut species aquæ sit soluta, seu destructa *essentialiter*, (modò remaneat apta ad abluendum) tunc autem solùm censeri solutam, quando in tali jusculo est plus de alia substantia, quàm de aqua, pronuntiat S. Thomas, ac Silvester. Quod idem Sanctus Doctor universim intelligit de aliis ita mixtis ex aqua elementari, alióque humore; hánceque doctrinam testatur quidem Vasquez hîc *Disp. 141. n. 9.* esse extra controversiam; sed certè nec illi, quoad ultimam partem subscribit Scotus, *loc. cit. vers. De aliis autem*, nec video satis, quomodo cohæreat cum doctrina ejusdem sancti Doctoris *3. part. quæst. 74. art 3. ad 3.* cum communi excludentis à materia Eucharistiæ panem factum ex tritico cum permixtione alterius frumenti *ex æquo, vel quasi.* Adde insuper, quòd illa non sit *apta* materia Baptismi, quæ, & quatenus non est apta ad abluendum. Scotus *loc. cit.* atque alii communi calculo. 29

Itaque licèt fatear, excludendam omnem materiam, in qua est vel tantum, vel plus alienæ materiæ, quàm aquæ, talis enim non est apta ad lavandum, vel non habet denominationem aquæ, non tamen censeo; esse semper pro valida habendam illam, cui inest plus aquæ, quàm alienæ materiæ, sed attendendum esse, an illa mixtio faciat, ut juxta communem usum, & conceptionem hominum non conveniat ratione, ac nomine cum materia usitata ab Ecclesia tunc enim mixtio inducit mutationem *substantialem*, aliàs *accidentalem*. Suarez *hic Disp. 2. sect. 4.* Laymannus *Lib. 5. Tract. 1. cap. 4. num. 4.* Tannerus *Tom. 4. disp. 3. q. 1. num. 97.* 30

Idcóque offam hordeaceam (nisi, ut addit Tannerus *num. 40.* hordeum sit tenuiter decoctum, & ipsa offa, seu jusculum valdè tenue) pulmentum, colores jam attemperatos ad pingendum, non admitterem, licèt enim his minus insit ex materiali, ut loquuntur, quàm ex aqua, attamen à nemine uno nuncupantur aqua. 31

VIII. Atramentum absque omni dubio constat notabiliter majore copiâ aquæ, quàm aloës, aliorúmque Ingredientium, non scio tamen, qui vel admittat, vel rejiciat expressè; nec enim ex meis omnibus doctoribus est, qui, dum de hoc argumento scriptitabat, videatur fuisse memor ipsius atramenti, quo scribebat: *An, dum illo denigrat minister corpusculum, dealbet simul animam?* Puto equidem, multos affirmaturos; sanè atramentum est aqua nigra, æquè ac illa turbida, quæ ex luto exprimitur actu apta ad sordes abluendas; & fortè eâ abluerent illi Æthiopes, qui colorem tigrum longè præferunt candido, sicuti & 32

aquam modico vino mixtam, non autem vinum lymphatum, sed dilutum admittit S. Thomas *cit. art. 4.*

Appendicula.

33 Hæc cùm legisset in prima editione hujus Tractatûs P. Stephanus à S. Paulo, retulissétque *in tertia edit. suæ Theolog. Moral. Tract. 1. Disp. 2. dub. 1, n. 4.* improbavit meam pro parte affirmativa, opinionem, quam tamen dum impugnat, propugnat, scribit enim: *Judico, de atramento dicendum esse conformiter ad ea, quæ Doctores resolvunt de cerevisia*: Subsumo ego: Atqui Doctores à me nominati *nu. 28.* admittunt cerevisiam valde tenuem; ergo non rejiciunt absolutè atramentum. Ut ergo clariùs me explicem, fateor atramentum crassum non esse idoneam materiam, secus de tenui: quale est ferè illud, quod non est valde nigrum, quódque supernatat ingredientibus seu materialibus diu non motis. Quia tamen primus movi illud dubium, si mea resolutio æquè aliis, atque huic Doctori improbetur, libenter stabo eorum judicio, sum enim ita conscius fragilitatis meæ, ut minimè sim pertinax in defendendis, adversùs plures alios, meis privatis judiciis.

34 Nix, grando, glacies, dum talia sunt, iis nequit fieri lotio, & ob hanc causam repudiantur à Scoto, atque aliis communiter unà cum pruina. Silvester, Suarez, Tannerus, *n. 45.* contra Puteanum, Præpositum, Granadum, apud Dianam *Part. 5. Tract. 3. Resp. 3.* admittentes unà cum Lessio hîc *quæst. 66. num. 14.* in supremo articulo. *At quid si resolvantur statim, postquam sunt applicata corpori?* Respond. Neque tunc minister dicetur abluisse corpus, ergo nec baptizâsse. Tannerus *loc. cit.* contra Dianam *ibid. in fin.* Secùs, si hæc liquefierent tunc, cùm ex manu ministri labuntur. Idem *ibid.*

Hisce *speculativis* litibus subjungo Regulas *morales* admissas ab omnibus, aut plerisque.

35 Regula I. Peccat mortaliter, qui, cùm possit habere aquam elementarem, adhibet aliam. Ita omnes; quia scilicet absque urgente causa exponit salutem infantis supremo discrimini. Sicuti nullo casu licet in Sacramentis conficiendis uti materiâ, vel formâ certò *ineptis.*

36 Regula II. Qui verò nequit habere aquam elementarem, non modò licitè adhibet (si sit periculum in mora) aliquam ex iis, quas in decursu indicavi, admitti à duobus, tribúsve Doctoribus, sed etiam tenetur adhibere sub mortali, ut nominatim de rosacea docet Lessius *loc. cit n. 13.* Prima pars patet, quia si est fas, aliquando sequi sententiam quamcunque *practicè* probabilem, erit vel hîc maximè, nam periculum animæ tollit metum omnis temeritatis, atque imprudentiæ, *quia non intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia pietatis, Text. cap. Si nulla. De consecr. Dist. 4.* Altera pars traditur à Dicastillo *Tom. 1, in 3. part. Tr. 2. Disp. 1. n. 34.* ex communi; quisque enim jure divino, tenetur æternam alterius perniciem impedire, saltem quando potest sine suo gravi damno, & peccato, ut pluribus declarabimus *Casu XIII.* ubi agemus de obligatione rebaptizandi.

Regula III. Id ipsum dic de materia omnino dubia, sicut potest fieri in tenebris, ut quis nesciat, utrùm capiat aquam, an acetum. Diana *P. 5. Tr. 3. Res. 1.* citans multos; etenim in dubio adhibenda est ægro periclitanti potiùs medicina dubia (saltem si non sit obfutura) quàm nulla. Sanchez *L. 1. Moral. cap 9. n. 39.* ex communi. 37

Regula IV. In utroque autem casu conferendus est Baptismus non *absolutè*, sed *conditionaliter*, voce, vel mente solâ, sicuti explicabimus *Casu XIII.* generatim, hîc autem speciatim dicendum est: *Te baptizo, in quantum possum*; vel: *Si hæc materia est apta, te baptizo, in nomine &c.* 38

Regula V. Quando possibilitas adest, via tutissima eligenda est; si non adest possibilitas, via tutissimæ proxima tenenda est; cessante impossibilitate cautè est supplendum id, quod impossibilitas prohibebat. Ita sapienter, & breviter loquitur Scotus *in 4. Dist. 3. q. 2.* 39

Regula VI. Qui moritur tinctus lavacro dubio, vel æqualiter probabili, sepeliendus est loco sacro. Marchantius in simili *Resol. Pastor. De Sacrament. Tr 2 cap. 1. num. 2.* nam jure sacræ glebæ non est quis privandus in dubio, ut ostendimus *in Theologia Judicio-morali cap. 50. num. 7.* & confirmavimus *Casu 19.* 40

Regula VII. Mortale peccatum sacrilegii committit utens aquâ impurâ, & turbida absque gravi necessitate. Palaus *Par. 4. Tract. 19. punct. 3.* Bonacina *De Baptismo punct. 3. nu. 7.* & alii. Factum stolidum obstetricis hac de re referam, & reprobabo *Casu XX. nu. 669.* Ille quoque graviter delinquit, qui in solemni Baptismo absque necessitate abluit aquâ aliâ, quàm è sacro fonte. Bonacina *punct. 7. n. 19.* Palaus *ibidem.* Imò mortaliter peccat juxta Nugnum *in 3. Par. quæst. 79. art. 4.* Silvestrum *verb. Baptismus 2. quæst. 3.* tum ob Clementinam *unic. De Bapt.* tum ob morem universalem Ecclesiæ. At verò Antonius de Quintanadvennas *Singular. Tr. 1. singul. 37.* latè defendit, intervenire culpam solùm venialem; quam etiam evadunt illi, qui secuti morem suæ diœcesis, quando est acerrimum frigus, adhibent aquam communem tepefactam. 41

Dixi: *In solemni Baptismo*; nam in privato omittitur libere benedicta. Pasqualigus *in Decis. Moral. decis. 75.* Quintanad. *loc. cit.* Et quidem Obsequiale Constantiense *fol. 61.* satis indicat, non esse necessariam benedictam licèt in *Constitutionibus Synodal. Part. 1. Tit. 6. n. 5.* statuatur, ut obstetrices singulis Annis aquam bene-

benedictam, antequàm sacrum oleum, & chrisma fuerit infusum in Sabbatis Paschæ, & Pentecostes, accipiant, per annum in vase mundo conservent, & eâ in baptizando utantur tempore necessitatis. Observat autem Tannerus *cit. quæst. 1. n. 46.* post Henriquez *Lib. 2. cap. 6. num. 4.* si fortè laicus in necessitate baptizaret aquâ benedictâ, male facturum tangendo illam, quandoquidem *Cap. Sabbato sancto. De Consecr. Dist. 4.* vetantur laici eam tangere. Verùm constitutiones Synodales Constantienses *Part. 1. tit. 6. num. 14.* permittunt, ut laici utantur hac aquâ ad aspersionem corporum, & domorum, duntaxat ad depellendas diabolicas nequitias.

SECTIO II.

Baptismi Materia Proxima.

SUMMARIUM.

Materia proxima Baptismi quæ? 42.
Et quando applicanda aqua? 43.
An sufficiant duæ, vel tres guttæ? 45.
Casus baptizati aspersione digitorum. 46.
Et efformatione Crucis supra frontem. 48.
Quid de sola impressione madidi digiti? Ibid.
De ejectione in puteum? 51.
Quæ pars corporis abluenda? 52.
Quid si tingantur soli capilli, vel digiti pedis; aut manus? 53.
Quid si caput adhuc integre existentis in utero? An puniri possit parochus, non baptizans talem? 56.
Valet Baptismus involuti secundinis, & in umbilico. 58.
Et qui tenetur sub stillicidio. 60.
Graviter delinquit Parochus non servans Diœcesanum modum baptizandi. 63.

42 Dixi *num. 6.* materiam *proximam* cujusque Sacramenti esse applicationem legitimam materiæ *remotæ*. Unde fit, ut materia *proxima* Baptismi sit debita applicatio aquæ ad corpus baptizandi.

43 Quæritur jam 1. *Quomodo debeat fieri illa applicatio aquæ, ut sit legitima?*

Resp. 1. Ita, ut possit dici, corpus esse verè lotum seu ablutum; etenim vera hominis ablutio est de essentia Baptismi. S. Thomas *quæst. 66. art. 1. & 4.* Scotus *in 4. Dist. 3. q. 3.* omnésque alii; sive aliquæ sordes per eam auferantur, sive nullæ, nam sufficit, modò possint aliquæ etiam minimæ auferri per eam applicationem; si adessent; nec Baptismus est institutus ad abluendas sordes corporis. Bonacina *hic Disp. 2. quæst. 2. punct. 3. num. 14.* Ac proinde sit, ut & ipsa ablutio sit materia *proxima* Baptismi, & applicatio aquæ necessariò fiat per successivum contactum; quo vel aquâ baptizandum, vel hic illam contingat, seu ipsi applicetur. Suarez *hîc Disp. 20. sect. 2.* Bonacina *loc. cit. n. 13.* Dicastillo *hic Tr. 2. disp. . . n. 38.* nec enim aliter dicetur corpus, seu homo lavari.

II. Fit deinde, ut sacrum lavacrum conferri valeat per immersionem, affusionem, aspersionem. S. Thomas & Scotus *loc. cit.* aliique omnes, suffragante usu diversarum diœceseon, atque illorum Sanctorum, qui non potuerunt nisi per aspersionem tam multos tam brevi tempore regenerare per aquam, & nominatim Indorum Apostolus Sanctus Franciscus Xaverius, qui propriâ manu tinxit duodecies centena millia hominum, ut refertur in compendiolo ejus vitæ, edito Lucernæ Anno 1661. ex Parmensi exemplari. 44

III. Fit quoque, ut ad valorem Baptismi sufficiat aspersio duarum, triúmve guttarum, Dicastillo *loc. cit. num. 46.* contra Bonacinam *suprà n. 21.* vel etiam unius guttæ juxta Vasquez *hîc Disp. 145, num. 32.* & Paulum Comitolum *Respons. Moral. Lib. 1. quæst. 12.* post Innocent. Abbat. & alios contra Dominic. Sotum, Granadum, Bonacinam, *loc. cit.* aliósque apud Dianam *Part 5. Tract. 3. Res. 5.* nam unâ etiam guttâ potest lavari minima pars hominis, quod sufficit, ut homo dicatur ablutus. Escobar *in Theol. Moral. Lib. 11. sect. 2. Probl. 15.* volens tamen post Vasquez, & Henriquez, ut illæ, vel illa gutta successivo motu fluant per corpus. 45

Verùm sine ulla dubitatione sequenda etiam hîc sunt tutiora, atque insuper considerandum, quid fuerit respondendum ad recentem recèns mihi per literas propositum his verbis

Casum.

INfans domi baptizatus tantùm aspersione aquæ ex digitis, sicut quilibet aspergit se aquâ benedictâ, an verè baptizatus, an rebaptizandus, sub conditione est? 46

Respondi consequenter, videri mihi baptizatum, nec rebaptizandum, si, ut sæpe fit, digitus fuerit probè immersus in aquam, ac proinde insperſæ quinque, vel sex guttæ. Si verò tantùm duæ, trésve, rebaptizandum ob auctoritatem eruditi Bonacinæ. Quòd si non constet, utrùm duæ, trésve, an verò plures fuerint excussæ è digitis, esse rebaptizandum sub conditione, propter rationem fundamentalem adferendam, probandam *Casu XIII. n. 356.* interim minimè dubitandum, quin per se loquendo peccârit graviter, qui ita heteroclito modo baptizavit, siquidem potuit comodiùs, & certiùs; nam minister Sacramentorum tenetur sequi tutiorem opinionem, ut declarabimus *Casu IV.*

IV. Ne credas, Germanos fuisse ab hinc Annos ducentos ita vel imperitos, vel incurios, 47

& socordes, ut (quod indicat Victoria apud Comitolum *cit. quæst.* 10.) soliti sint adhibere guttulam aquæ; etenim Victoriæ scriptori Hispano impositum, qui hoc illi de Theutonibus narravit.

48 V. Prudentiùs assentieris eidem Comitolo *eâdem quæst.* resolventi, valuisse Baptismum, quem mulier Itala contulit infanti moribundo, imprimendo in fronte signum crucis digito aquâ madefacto. Quòd si solummodo impressisset illum madidum digitum fronti, non trahendo in ullam partem, fuisset judicibus Possevino, Reginaldo, & Angelo apud Escobar *cit. sect. 2. problemate* 5. irritus Baptismus; hi enim requirunt, ut aqua effluat è digito, vel panno, quam quidem P. Escobar non putat, posse dici effluere, nisi illa res madida saltem trahatur motu successivo per corpus; probátque ex modo communi loquendi.

49 VI. At Baptismus valeret, si puerum immergeres in fontem, aut lacum, esto, non rursùm extraheres, sed vel ipse ultro emergeret, vel alius extraheret eum, vel ipse submergeretur per tuam malitiam, incuriámve. Suarez fusè *cit. Disp.* 20. *sect.* 3. Dicastillo *num. 63.* & alii contra Scotum, Sotum, alios: etenim nulla harum circumstantiarum tollit rationem lotionis, ac proinde immeritò exigunt partim hi, partim alii, ut emersio sequatur necessariò immersionem. Sanè in Baptismo requiritur sola ablutio. Suprà *num. 43.* adeóque purgátio per aquam; potest autem fieri vera purgatio, sine emersione; utique enim potest pavimentum stagni, sicut & canales Veneti, purgari, licèt succedentibus undis semper subjaceant aquæ; ergo eodem modo de Baptismo est philosophandum, quia, ut rectè observat Caramuel *in Theologia Præterintentionali, num. 2091.* Sacramentalia sunt instituta ad normam naturalium, & artificialium.

50 XIII. Ex quo ulteriùs infero, illum pro scelerate quidem, attamen verè, propriéque baptizato habendum, quem pede correptum projiceres in puteum, & fluvium prolatâ modo præscripto formulâ. Suarez, ac Dicastillo *loc. cit.* Reginaldus *Lib. 27. num. 21.* alii contra Silvestrum *Verb. Baptis. num. 8.* atque alios apud hos; dicereris quippe propriè submersisse, ergo & propriè lavisse, & quidem nimis liberaliter. Unde inferes, quid fuerit respondendum ad hunc

Casum disputatum.

51 *Quidam deferens puerum ad baptizandum ad Ecclesiam valde remotam, videns in puero signum mortis, nec habens secum aquam, projecit puerum in puteum dicendo verba instituta; nunquid iste puer est baptizatus, & sic potest sepeliri in cœmeterio Ecclesiastico?*

Ad hunc casum, quem Abbas Panormitanus *in cap. Non ut. De Bapt. & ejus Effect.* descriptis verbis refert, contigisséque testatur, respondet ipse rectè cum aliis Canonistis de hoc eventu interrogatis contra quosdam Thomistas, fuisse verè baptizatum, si quidem attigit aquam ante mortem; fuisse autem illicitum talem Baptismum, ostendemus *Casu VIII.*

VIII. Universim verò sufficit, & opus est 52
abluere illam partem, aut particulam corporis, qua ablutâ seu per aquam *immediatè*, successivè que tactâ possit idem homo verè dici lotus. Vasquez *loc. cit. num. 41.* Vivald. *in candelab. De Bapt. cap. 2.* Bonacina *Disp. 2. q. 2. punct. 3. num. 18.* si quidem frustra plus requireres, malè minus concederes. Et quia ejusmodi denominatio potest tribui homini, cujus minimam particulam aqua tinxit, idcirco in rigore sufficit, tingere undâ particulam. Vasquez *cit. disp. 145. num. 27.* & alii contra Dominicum Sotum, & alios. Certè tota anima est in quavis parte corporis, ergo potest tota sanctificari in quavis parte, inquit Lessius *in 3. Part. quæst. 66. num. 28.*

IX. Est itaque pro verè baptizato habendus is, cujus capillos sacer latex tetigit. Toletus *Lib. 2.* Vasquez *cit. num. 31.* alii multi, quos contra Lessium *loc. cit.* Rodriquez, Sylvium, Bonacinam *cit. punct. 3. num. 21.* refert Dicastillo *cit. Disp. 1. De Bapt. n. 52.* atque Cardinalis de Lugo *in Resp. Moral. Lib. 1. dub. 1.* ex instituto, ac proinde eruditè discutiens hanc litem, restringénsque suam responsionem ad capillos tegentes caput, non extendens ad defluentes per humeros, nec enim his, sed illis tactis, caput dicitur tactum, & consequenter homo dicitur tactus, utpote cujus vera pars, & non duntaxat superfluitas sunt illi capilli. Vasquez, & Lugo *loc. cit.* éstque hæc à priori ratio hujus sententiæ, quæ etiam admittit Baptismum illius, cujus ungues tetigit aqua Baptismalis. Octagavia apud Dianam *Part. 5. Tr. 3. Resol. 4.* approbantem in extrema necessitate.

X. Potiori jure dicetur ille Christianus cu- 54
jus digitus pedis, aut manûs est lotus. Vasquez *loc. cit. n. 28.* Dicastillo *num. 56.* Tannerus *hic quæst. 1. n. 60.* contra Coninck *quæst. 66. art. 7. n. 80.* aut cujus brachium, pes, vel humeri, vel scapulæ, vel pectus solùm abluta sunt. Dominicus Sotus, Valentia, Suarez, Vasquez, alii cum & apud Tannerum *n. 58.* ac Dicastillum *n. 54.* contra Petrum Sotum, Durandum, Paludanum, arbitratos, ablutionem capitis exigi ad valorem Baptismi. Sed revera id asserunt sine jure, sine lege. Unde negat Tannerus, & Escobar *in Theolog. Moral. Lib. 11. problem. 24.* iterandum talem Baptismum, cùm non sit *moraliter* dubius, de quo videbimus *Casu XIII.*

XI. At verò non legi, qui dubitet de va- 55
lore Baptismi, quo solum caput est lotum, utpote in quo solo inter partes exteriores consistit integritas vitæ. S. Thomas *quæst. 68. art. 11. ad 4.* Ut proinde & Obsequiale Constantiense *Fol. 35.* non præscribat nisi ternam aquæ affusionem in caput, & saltem venialis peccati damnet post Sotum, ac Valentiam Tannerus *nu. 58.* illum, qui, cùm non habet tantum aquæ, quantum sufficit lavando pectori, & capiti simul, lavat solum pectus; rebaptizandúsque non sit infans, cujus intra matrem adhuc partialiter hærentis caput est ablutum S. Thomas *loc. proximè cit.* expressè.

56 XII. Quòd si autem totaliter hæreat adhuc in utero, ejúsque caput aspergatur aquâ, erit rebaptizandus sub conditione, quandoquidem maximi, & plurimi Doctores, ut Sanctus Bonaventura, Alensis, Durandus, alii, quos accumulat, sectatúrque Comitolus *Respons. Moral. lib. 1. quæst. 13.* negant, posse validè baptizari infantem, qui nullâ sui parte extat extra uterum, eò quòd non possit renasci, qui nec dum est natus. Cui opinioni contrariam cùm teneant permulti recentiores cum Lessio *in 3. part. quæst. 68. num. 31.* idcirco quòd consulendum sit extremè laboranti, & talis infans sit verus homo, hinc fit, ut teneatur obstetrix, aut alia fœmina perita formæ baptismalis inspergere aquam in uterum maternum, si prudenter credat, eâ tactum iri infantem. Sic expressè Chapeaville *De mod. Ministrand. Sacram. Temp. pest. cap. 2. quæst. 10.* consentientibus Bonacinâ *cit. quæst. 2. punct. 3. num. 24.* Dicastillo *cit. disp. 1. n. 29.* Tannero *cit. quæst. 1. n. 56.* post Victoriam, Gabrielem, Valentiam, Toletum, & alios, quos nominant. Equidem si infans vivus eximeretur ex utero matris sectæ, non diceretur natus; tamen deberet ei conferri Sacramentum regenerationis. Episcopus tamen nequiret punire parochum, cujus supinâ negligentiâ fuisset omissus talis Baptismus. Etenim *in cap. Qui in maternis. 115. De consecrat. Dist. 4.* refertur ex Isidorio hic elegans Canon: *Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia, qui natus secundùm Adam non est, renasci secundùm Christum non potest; neque enim dici regeneratio in eo poterit, quam generatio non præcessit.* Ita Gratianus ex Isidoro, imò ex Augustino, utpote qui in Epistola ad Dardanum scribit: *Nemo renascitur, nisi priùs nascatur.* Quæ utraque auctoritas parit utique magnam probabilitatem opinioni Comitoli suprà relatæ; tametsi in recentissimo officio de S. Raymundo Nonnato *Lect. 4.* legimus, eum idcirco fuisse cognominatum Nonnatum, quòd præter communem naturæ legem è mortuæ matris latere in lucem eductus fuerit.

57 Insistendo autem sententiæ Lessii describo hîc praxin, quam noster P. Ludovicus Scildere in erudito libro de *Principiis conscientiæ formandæ Tract. 6. c. 2. n. 9.* proponit his verbis: „Notandum est pro praxi, qua fœtus nondum „editus baptizari in utero matris potest, quòd ordinariè in puerperio matrix, cui infans in- „clusus est, soleat sufficienter aperiri, egressúm- „que infanti dare, sic ut illius defectu vix un- „quam proles in utero moriatur; causa autem „cur edi non possit, ordinariè est arctitudo alia- „rum partium. Unde fit, ut ordinariè ipsa ca- „ro infantis, aut saltem membranæ infantem „circumdantes, si eæ nondum fractæ sint, digi- „to per obstetricem tangi possit. Quare ordi- „nariè facile est, aquam aliquam usque ad in- „fantem, aut secundinas digito madefacto im- „mittere, aut potiùs per infusionem factam tu- „bo aliquo, aut instrumento, quo Chirurgi so- „lent ad sanandam matricem affectam, aquas „medicas expurgationi inservientes, eam infun- „dere. Quo instrumento etiam, quando infans „digito attingi non potest, immiti possunt a- „quæ baptizando fœtui deservientes, nam etiam „tunc spes est, quòd ad infantem, vel ad secundi- „nas eum circumdantes perventuræ sint, adeó- „que si forma simul pronuntietur, Baptismus „perficiendus sit. Semper autem cavendum „est, ne aqua adhibeatur alia, quàm calida, eò „quòd immissio frigidæ sit mors matri; adhi- „bendus etiam tum ratione honestatis, tum ob „peritiam, chirurgus, aut obstetrix; si fieri pos- „sit. Atque hæc judicio medicorum tanquam „rectè practicabilia probata sunt. Ita ille, qui- „bus junge, quæ addam *n. 269. & 499.* „

XIII. Ex quibus inferes, illos probabiliter 58
sentire, qui ajunt, Baptismum collatum adhuc involuto secundinis, proficere illi ad salutem æternam; cùm præsertim secundinæ involventes fœtum sint aliquo modo pars illius. Vasquez *Disp. 125. num. 31.* Dicastillo *nu. 53.* Aureolus, Angelus, Silvester, apud & contra Tannerum *n. 56.* aliósque plures. Quod etiam consequenter dicetur de Baptismo administrato in umbilico, de quo infrà *n. 656.*

XIV. At putare, prodesse, vel fœtui aquam, 59
qua sola mater tangitur *physicè*, vel illi seu infanti, seu adulto, qua attingitur ejus sola vestis, caret omni probabilitate. Dicastillo *num. 49.* nisi fortè vestis sit adeò tenuis, ut aqua per illam penetret usque ad cutem. Dicastillo *num. 50.* Suarez, Henriquez & alii.

XV. Illud non prætereo, quòd Bonacina 60
cit. punct. 3. n. 20. rectè censeat, illum habendum pro Christianè loto, quem ego teneo sub stillicidio, & dum aqua illum tangit, profero formulam; nam tunc sufficienter dicor illum ipse abluere.

XVI. Quando minister trinâ aspersione, 61
aut immersione profert totam formam ante tertiam immersionem, perficit Sacramentum ante illam; nisi intentionem restringat ad perfectionem tertiæ; rectè enim S. Thomas *q. 66. art. 8. ad 3.* docet; hanc rem pendere ex intentione ministri. Vide Suarez *Disp. 20. sect. 2.* dissentientem quoad restrictionem; Dicastillum *Disp. 1. De Baptis. n. 68.* Bonacinam, & alios consentientes nobis.

62 Quæres II. *Quomodo sententia recitata, aut defensa in hac sectione debeant rediri ad praxim?*

Resp. Sunt iis applicandæ sex priores Regulæ traditæ *n.*36. & sequentibus, mutando mutanda; etenim rationes allatæ pro iis faciunt huc quoque. Itaque in usu sententiarum controversarum dicendum: *Si tu es capax, ego te baptizo in nomine Patris &c.* Marchantius *loc. cit. n.*4. Utrùm verò verbis, an solâ mente sit exprimenda conditio, intelliges ex dicendis *Casu 13, n.411.*

63 Quæres III. *An, & quantum peccet baptizans per affusionem, cùm in ejus diœcesi præscribatur immersio, & vice versâ?*

Resp. S. Thomas *quæst. 66. a.8. in Corp.* generatim dicit, peccare graviter, qui non immergit ter, cùm cæteroquin deberet: Nugnus *in eundem articulum*, delinquere mortaliter, qui utitur aspersione, cùm deberet ex ritu diœcesano uti immersione, vel affusione; Sotus *in 4. distinct. 3. art. 7.* Gregorius de Valentia *Tom. 4. disp. 4. q. 1. punct. 2.* Dicastillo *cit. Disp. 1. n.42.* ac plures alii generatim non agnoscunt noxam nisi venialem, sicuti nec ego, quia non existimo, extare in Obsequialibus, seu Ritualibus diœcesanis verba, quibus exprimatur obligatio ad mortale; sanè non extat in Constantiensi. Itaque gravitas peccati desumenda est solùm ex metu scandali.

DE FORMA BAPTISMI.

CASUS II.

Mirandus, non demirandus.

SUMMARIUM.

S. Bernardus approbat istum Baptismum: Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ, & veræ Crucis. 64.

Excusatur S. Bernardus. 65.

64 *BErnardus Clarevallensis vocatus Abbas dilecto suo Henrico Archidiacono salutem, & orationes. Breviter vobis de proposita quæstione respondemus, sine præjudicio tamen sanioris sapientis. Raptum ex utero puerum ob periculum mortis laicus quidam, ut dicitis, baptizavit, communem verborum formam non tenens, sed dicens*; Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ, & veræ Crucis. *Quæritis, an baptizatus sit puer; an magis, si vivat, baptizandus. Ego verè hunc baptizatum puto; nec sonum vocis veritati fidei, & pietati intentionis præjudicare potuisse. Ut enim taceam, quòd in nomine Dei expressit substantiam Trinitatis, in eo ipso, quòd addidit*; Sanctæ, & veræ crucis, *manifestè commendavit Dominicam passionem.* Et paucis interjectis: *Verò autem confessio sacræ crucis non nisi crucifixi confessio est. Legimus sanè in actibus Apostolicis, non modò in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, verùm & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos.* Et rursum paucis versibus interjectis: *Quòd si quis ipsum baptizatorem peccâsse contendit, ego non crediderim, tantum fuisse peccatum, ut vel baptizantis, vel ipsius, qui baptizatus est, potuerit præjudicare saluti; neque enim Ecclesiasticam contempsisse formam, sed ex devotione quadam festinantis fidei in hanc vocem erupisse videtur.*

Mirandum ajo hunc Casum ob exoticam 65
devotionem fidei, rationémque baptizandi, & ob responsionem mirandam, si consideres, quis dederit, non demirandam, seu obstupescendam, si, quando, & cum quibus dederit. Dedit quippe sanctitate, doctrináque clarissimus Bernardus Abbas tunc, cùm nec dum in ullo Concilio Generali definita esset gravissima lis de substantialibus verbis formæ baptismalis, & cùm non liqueret, sicuti nec hodie liquet, quo sensu referantur Apostoli *Actorum* 8. baptizâsse in nomine Christi, ipso T. Thomâ *quæst. 66. art. 8. ad 1.* cum multis subscribente explicationi, quam indicat S. Bernardus, aliis eam negantibus, asserentibúsque, Apostolos idcirco referri baptizâsse in nomine Christi, quòd baptizarent, vel auctoritate, vel potestate traditâ sibi à Christo, vel Baptismo institúto à Christo, vel quòd formulam ita exprimerent: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii* ejus Jesu Christi, *& Spiritûs sancti.* Vide Lessium *in 3. P. q. 66. art. 6.* referentem has expositiones ex S. Basilio *Cap. 12. De Baptismo.*

Dedit autem idem sanctissimus Pater hanc 66
responsionem cum Nicolao Papa I. Ambrosio, Beda, ac suis coævis; non tamen omnino æqualibus, Hugone de S. Victore, & ipso Magistro sententiarum; nam quà certum, quà probabile est, hos omnes existimâsse, valere Baptismum collatum cum invocatione solâ Dei, aut Christi, ut de Beda, Hugone, Magistro, & Adriano fatentur passim Theologi in decursu nominandi, ac nominatim Castro Palaus *Tr. 19. punct. 5. n.1.* De Ambrosio autem, & Nicolao I. post Vegam, Sotum, & alios Vasquezius *hîc Disp. 147. c. 4.* Palaus *loc. cit. n. 13.* tametsi Suarez *Disp. 21. sect. 3.* Bonacina *hîc punct. 4.* Dicastillo *hîc n.105.* atque alii multi mitiùs explicant eos probabili quidem, non tamen irrefragibili expositione. Vide rursum Lessium *loc. cit. n.25.*

Ergo demirari non oportet, quòd Melli- 67
fluus Doctor non rescripserit, puerum illum fuisse saltem sub conditione rebaptizandum.

Minimè autem mirandum, quòd à gravi culpa excusârit baptizatorem hujus, scribítque consentaneè suæ, id est Bernardinæ, ac melleæ benignitati in omnes.

Cæterùm tota, ut repræsentavi, epistola, est centesima quadragesima memorati S. Abbatis ad verbum; omissis studio brevitatis aliquot versibus huc non necessariis; omisso quoque ob Alphabeticum ordinem; glorioso simul & humili nomine Fratris, quo seipsum in ea epistola, non tamen in omnibus insignit.

His præmissis in justissimam purgationem tam præclari Patris, inque aliquam elucidationem aliquorum ex dicendis, sit.

SECTIO. I.

Traduntur generalia de forma Baptismi.

SUMMARIUM.

Nequit tolerari sententia, affirmans, valere Baptismum sine expressione trium divinarum personarum. 68.

Quæ verba Formulæ baptismalis non sint essentialia? 69.

In uno idiomate particulæ Ego, Et, In, *sunt essentiales, in alio non.* Ibid.

Quæ ubique essentiales? 72.

Quæ mutatio formæ reddat baptismum illicitum, aut etiam invalidum? 73. & 75.

Et quæ additio? 75.

Peccat sacerdos utens in terris latinorum formâ Græcorum 74.

Et qui dicit: baptizo te in nomine Genitoris, *Auti in* virtute *Patris.* Ibid.

Octo modi mutationum formæ cujuslibet Sacramenti. 76.

Quæ mutatio formæ excuset, aut non excuset à gravi peccato? 77. 78.

Quando liceat adhibere formam dubiam? 79.

Peccat mortaliter, qui totam formam profert ante, vel post ablutionem. 80.

Et talis Baptismus est repetendus. 81.

Parochus Constantiensis, si absolvit formam ante tertiam ablutionem, perfecit Sacramentum. 82.

Nisi suspendat intentionem. Ibid.

Quantum hujus suspensio possit in hoc, & aliis Sacramentis? 84.

Infanti ante finitam formam mortuo non prodest ablutio. 85.

68 QUæres I. *An hac ætate tolerari possit opinio tam multorum, quos, & indicavimus paulò antè, & exprimunt Suarez, Vasquez, Dicastillo, Tannerus, alii, ratos, ratum esse Baptismum sine expressione trium personarum divinarum?*

Resp. Cùm omnibus modernis Theologis, non 69
posse tolerari, ob definitiones Conciliorum Lateranensis sub Innocentio III. cujus pars refertur *Cap. Firmiter. De summ. Trinit.* & Florentini *in decreto Eugenii IV.* sic pronuntiantis: *Forma Baptismi est hæc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Equidem Pelagius Papa, ut refertur *Cap. Si revera. De consecr. dist. 4.* interrogatus, rescripsit, illos, qui ab hæreticis baptizati erant solummodo in nomine Domini, esse sine cujusquam dubio baptizandos in sanctæ Trinitatis nomine. Si Nicolaus I. scripsit fortè contrarium, nihil definivit; utpote non interrogatus de hoc dubio. Lessius. *cit. quæst. 66. n.25.*

Quæres II. *Quanam ex his vocabulis sint essentialia?*

Resp. I. Licèt Bonacina *hîc quæst. 2. p. 4.* Dicastillo *hîc n.130.* non solùm negent has duas voculas: *Ego*, et *In*, esse de essentia, sed etiam pronuntient, earum omissionem esse ex se solùm venialiter malam, ac pro se citent plures authores, attamen neque omnes, quos referunt, loquuntur de utraque particula, neque potest eorum responsio esse vera, nisi in lingua Latina. Nam si in Germanica, Gallicáve omittàs pronomen: *Ego*, nullus efficietur sensus. Si in his; itémque in Italica, Hispanica, Græca, desit præpositio *In*, rursum orietur confusio, ut norunt periti horum idiomatum.

II. Adhæc Scotus *in 4. dist. 3. q. 2.* Toletus *L. 7* 70
2. cap. 19. Reginaldus *Lib 23. cap. 1. num. 30.* aliique plures asserunt, præpositionem *In*, esse de essentia, quare absque dubio reus esset vel gravis, ut loquitur Toletus, vel etiam mortalis culpæ, qui in Latina etiam lingua omitteret *In.*

III. Idem sentio de omittente *Et*, quia Vi- 71
valdus, Barholomæus ab Angelo, Conradus apud Dianam *P. 2. Tract. 15. seu 1. miscell. resol. 47.* etiam ajunt, de essentia esse, negante breviter, ac meritò Toleto, prolixè, & fortiter Comitolo *L. 1. respons. moral. q. 9.* in casu, quem referam paulò pòst *num. 92.* Equidem infinitis locutionibus Grammaticorum, Oratorum, Juristarum, Theologorum demonstrari potest, omissione hujus particulæ copulativæ nullo modo mutari sensum.

IV. Reliquorum aliquo deficiente non fiet 72
Baptismus, nisi substituatur Synonymon; Sic omnes recentiores, quia saltem quoad hæc verba est intelligenda definitio Concilii Florentini relata superiùs. Et utique debent talia verba usurpari, quibus significetur, & unitas essentiæ divinæ, trinitásque personarum; & baptizantis, baptizatique persona, & ipsa actio baptizantis. S. Thomas *quæst. 66. art. 5. & 6.* ejúsque commentatores, ultra illos, quos hactenus nominavi. Quamvis Lessius *hîc quæst. 66. n. 16.* expressè neget, necessariam esse seu *implicitam*, seu *explicitam* expressionem Ministri. Dicastillo autem *hîc disp. 1. num. 80. & 81.* latè ex-

plicat, & probat, saltem *indirectè*, & *implicitè* debere exprimi, seu indicari personam baptizantis.

73 Quæres III. *Quænam mutatio formulæ præscriptæ reddat administrationem Baptismi illicitam, aut etiam invalidam?*

Respond. I. Constat ex dictis, quid respondendum sit, quando mutatio fit per subtractionem unius ex verbis formulæ, non substituendo æquivalens. Quòd si substituatur integre æquivalens, ut: *Te abluo* pro: *Te baptizo, in nomine Gnati* pro: *In nomine Filii*, est quidem administratio valida, non tamen licita ob manifestum periculum scandali, & quia nefas, recedere ab institutione Christi, Ecclesiæque.

74 Unde non leviter delinqueret Latinus sacerdos, qui uteretur in terris Latinorum formâ Græcorum, aut qui diceret. *Ego te Baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati, aut Spiritûs sancti*; cùm etiam sint graves auctores, qui negant, hâc formulâ confici Sacramentum; sicut & negat Dicastillo *l. c. num.* 123. casu, quo pro *Filii* diceres *Verbi*; nam Verbum non significat consubstantialitatem, inquit ille, admittens *n.* 126. speculativè loquendo. Peccaret, & ille, qui diceret: *Te Baptizo in virtute Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*; licèt enim S. Thomas *q. 66. art.* 5. *ad* 1. itémque Cardinalis Bellarminus *De Bapt. lib.* 1. *c.* 3. *vers. Septimus error.* satis indicent, exprimátque Lessius *hic quæst. 66. nu.* 20. voculam *nomine* idem esse, quod *virtute, & potestate*; Suarez tamen *Disp.* 21 *sect.* 2. *concl.* 4. id negat, asserens, esse hunc sensum communis formulæ, verbis ipsis invocando, & profitendo Patrem, & Filium. Unde Tannerus *cit. q.* 1. *nn.* 111. pro dubia forma habet hanc: *Te baptizo in virtute*, eò quòd hoc vocabulum minus significet, quàm *nomen*. Hoc certum est ex SS. PP. & Concilio Florentino *in decreto Eugenii*, quòd eâ formulâ indicetur invocatio S. Trinitatis; unde S. Augustinus formulam baptizandi ter in eodem loco vocat *preces*, videlicet *cap.* 25. *lib.* 6. *De bapt. contra Donatistas*, & Lessius *loc. cit.* tradit illud: *In nomine* indicare triplicem virtutem seu auctoritatem, Invocationem, & Professionem Trinitatis.

75 II. Generatim quando mutatio quomodocunque facta impedit, quò minùs spectatis circumstantiis reddatur idem substantialis sensus, quem Christus voluit exprimi per verba formulæ, tunc redditur Sacramentum irritum. S. Thomas *q.* 60. *ar.* 8. *in Corp.* Secus si remaneat idem sensus substantialis etiam positâ illâ mutatione. Idem *ibid.* & passim, quos hactenus nominavi.

III. Si tamen addatur integræ formulæ quidpiam cum intentione inducendi novum ritum, adeóque tanquam substantiale, quod minimè est tale; tum juxta S. Thomam *ibid.* irritatur Baptismus.

76 Pro harum regularum meliori intellectu observo, à Scoto *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 2. *vers. Tertiò de forma* Philosophicè, & Theologicè, à Suarez *cit. disp.* 2 *sect.* 4. diligenter, & perspicuè explicari octo modos mutationum, quæ in formâ hujus, aliorúmque Sacramentorum fieri possunt partim solùm illicitè, partim illicitè simul, & invalidè.

Videlicet 1. additione. 2. detractione. 3. depravatione per balbutiem, syncopen &c. 4. transpositione. 5. interpolatione, seu interruptione. 6. substituatur nominum æquipollentium. 7. substitutione æquivocorum. 8. substitutione signorum, aut nutuum in locum verborum.

Ad substitutionem æquipollentium refertur, quando forma latina mutatur in linguam vulgarem, de qua Scotus *loco citato* sic pronuntiat: *Fortè non licet baptizanti ex officio, & solenniter uti verbis cujuslibet linguæ; quia ordinavit Ecclesia Romana, quòd officia Ecclesiastica dicantur, & Sacramenta ministrentur in Latino Grammatico.* Sic ille, cui junge Bonacinam *hic q.* 2. *punct.* 4. *n.* 17. Dicastillum *Tract.* 2. *De Sacram. disp.* 1. *n.* 131. & alios meritò absolventes absolutè à mortali illum, qui baptizat in vulgari idiomate. 7

Porrò tum hi, tum alii Doctores monent meritò, mutationem formæ esse ex suo genere crimen mortale sacrilegii, eò quòd mutatio soleat cedere in irreverentiam; & quidem sæpe gravissimam Sagramenti, quamvis ex parvitate materiæ possit quandoque Te duntaxat veniale peccatum, ut suprà vidimus, addente Lessio *in* 3. *part q.* 60 *num* 29. generatim non delinqui per se loquendo mortaliter, quando mutatio non reddit sensum ambiguum. At peccatur mortaliter, quando per variationem redditur Sacramentum dubium, nisi necessitas excuset. Coninck *Quæst.* 60. *a.* 8. *num.* 80. quia infans exponitur maximo periculo.

Quæres IV. *An non liceat quandoque uti formâ dubiâ?* 7

Resp. Tunc solùm & semper, quando instat necessitas baptizandi, & rusticus, exempli gratiâ, qui baptizare deberet, dubitat, qualia verba sint adhibenda, nam poterit, & debebit adhibere dubia. Lessius *loc. cit.* Diana *Part.* 5. *Tr.* 2. *Resol.* 4. *in fin.* non enim est ratio, cur secundùm dicta *n.* 37. sit usurpanda in extremo discrimine materia potiùs dubia, quàm nulla, & non etiam forma dubia, quàm nulla.

Quæres V. *An verba formæ baptismalis sint necessariò proferenda tunc, seu illo ipso articulo temporis, cùm reipsa affunditur aqua?* 8

Resp. Obsequiale Constantiense *fol.* 35. sic statuit: *Diligenter advertat* (Minister Baptismi) *ne ante, vel post ablutionem verba Sacramenti, quæ formam continent, proferat, sed eodem tempore, quo baptizat, ter fundendo aquam super caput infantis, hæc verba formalia simul dicat: N. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.* Et censeo, peccaturum mortaliter, qui integre discederet ab hoc præscripto, id est, qui non saltem aliquam partem formæ recitaret post inchoatam, & nondum finitam ablutionem totalem, idcirco videlicet, quòd peccet mortaliter, qui absque necessitate ministrat dubium Sacramentum, ut est in confesso apud omnes; & singulariter, qui Baptismum, utpote cujus invaliditas est semper magni, potest esse frequentissimè multorum maximorum malorum causa. Atqui Baptismus integre non collatus juxtà hoc præscriptum est revera dubium Sacramentum, quandoquidem gravissimi doctores, ut Scotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 3. *vers. Tunc ergo*, Cajetanus *Tom.* 1. *opusc. Tr.* 26. ex instituto, Navarrus *in Summa, Cap.* 22. *n.* 12. & 17. applicans hoc ipsum Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Unctionis, item plerique Summistarum cum, & apud Henriquez *Lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. *lit. L.* negant, valere Baptismum, si tota forma pronuntietur ante cœptam, vel post finitam ablutionem; & idem Navarrus expressè dicit, peccare mortaliter, qui ita facit.

81 Licèt verò mihi præplaceat longè communior opinio recentiorum post Emm. Sa, V. *Extrema Unctio. n.* 4. inficiantium, quidquam obesse valori hujus, aut aliorum Sacramentorum, etiamsi tota omnino forma *immediatè* ante, vel post ablutionem proferatur, eò quòd possit nihilominus conservari *moralis* coëxistentia formæ, ac materiæ, veritásque verborum, non possum tamen assentiri Henriquezio *loc. cit.* ac Tannero *disp.* 3. *q.* 1. *num.* 41. negantibus, repetendum esse baptismum non collatum juxta sententiam Scoti. Rationem generalem dabo, probabo, declarabo *Casu XIII. Regula X.* Et Deus novit, utrùm non multi ex iis, de quorum Baptismo dubitatum fuit, solùm ob terrores, perturbationes, infestationes dæmonis, vitam sceleratam &c. vt videbimus *Casu XIII. & XX.* non fuerint baptizati, sequendo illam communem doctrinam Recentiorum.

82 Quæres VI. *An, quando parochus Constantiensis obsecutus aliqualiter suo Obsequiali, seu Rituali absolvit formulam totam, priusquam tertiâ vice affundat aquam, censeatur perfectum esse sacramentum, ante illam tertiam affusionem; ita, ut si eâ nondum peractâ, moreretur infans, foret nihilominus salvandus?*

Respondeo affirmativè cum Cajetano, Nugno, Suarez, Coninck, quos citant, sequuntúrque Diana *P.* 5. *Tr.* 3. *Resol.* 15. Dicastillo *Tr.* 2. *disp.* 1. *n.* 62. & 68. contra Paludanum, non enim habemus rationem dicendi, esse intentionem Ecclesiæ instituentis trinam mersionem, aut affusionem, obligare ministrum, ut hic suam intentionem suspendat usque ad peractam tertiam affusionem, posito, quòd ante illam pronuntiârit totam formulam.

83 At inquies: *Quid si minister ita suspendat?* Respondet Diana, hanc suspensionem fore frustra, eò quòd non sit in ejus potestate impedire, quò minùs positâ formâ integrâ, ac necessariâ materiâ, statim perficiatur Sacramentum. Ego ex contrario fundamento sentio cum Dicastillo *num.* 66. contrarium, & dico cum S. Thoma *q.* 66. *a.* 8. *ad* 3. *Ex intentione ministri Ecclesiæ, qui intendit dare unum Baptismum trinâ immersione, efficitur unum baptisma.*

Vnde obiter deduces, quando Confessarius 84
dicens: *Ego te absolvo*, non suspendit intentionem usque ad illa verba: *A peccatis tuis*, ante horum trium verborum prolationem, tribui effectum sacramentalem. Dicastillo *Loc. cit. n.* 63. non tamen frustra addit; *A vinculo excommunicationis: A peccatis tuis*, sicuti non frustra additur post formam prolatam tertia immersio, aut tertia affusio, quia & certiora sunt hîc sectanda, & usus communis observandus, & quæ sunt superflua necessitati, faciunt sæpe ad majorem pietatem, decorem, majestatem quandam, astantiúmque motum pium.

Illud certius, quod plerique tradunt, si mi- 85
nister, aut infans moreretur inchoatâ, sed nondum finitâ *substantialiter* formâ, nihil planè profuturam ablutionem, qua de re plura *num.* 208.

Quærunt hoc loco multi: *Virùm valeat Baptismus, quo unus formam, alter materiam ministrat, aut quo unum plures baptizant?* Sed commodiùs hæc dubia expediemus *Casu IV.* in quo de ipso ministro differetur.

Cæterùm ut Regulæ suprà allatæ, & hæc tota materia meliùs intelligatur, subjiciam resolutionem Casuum sequentium.

SECTIO II.

Septendecim Casibus *factis*, non *fictis* declarantur dicta præcedenti sectione.

SUMMARIUM.

Casus baptizantis in nomine Patria, & Filia. 87.
Quid si baptizans ex malitia ita loquereturr? Ibid.
Regula dignoscendi, quæ corruptio formæ obstet valori? Ibid.
Casus formam proferentis Gallicè, sed corruptè. 88.
Consultius est, ut obstetrices doceantur, & usurpent formam vernaculam. Ibid.
Casus Germanicam formam corrumpentis. 89.
Et baptizantis in nomine Patris, & veræ Crucis, & Spiritûs Sancti. 90.
Et ejus, qui dicit: Baptizo te cum Patre, cum Filio. 91. & 98.
Omittentis conjunctiones. 92.
Dicentis: Ego te Christianum facio. 93.
Addentis in nomine Patris, &c. & Virginis Mariæ. 94.
Ejus, qui vitio linguæ syllabam repetit, vel omittit,

tit, vel literam non pronuntiat. 95.
Solatium pro syncopantibus. 96.
Responsio ad casum similem sacerdotis. Ibid.
Quid si forma interpoletur verbis interjectis? 97.
An valeat: Baptizo te in nomine Patris. Baptizo te in nomine Filii. Baptizo te in nomine Spiritûs Sancti. 98. & 101.
Sic baptizatus videtur denuo baptizandus. Ibid.
Non valet forma: Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & gratiæ Spiritûs Sancti. 99.
Neque hæc: In nomine S. Trinitatis, B. Virginis, & Spiritûs Sancti. 100.
Valet autem ter repetita tota formula cum triplici ablutione. 101. *in App.*
Casus novus hanc in rem. Ibid.

86 VOco Casus *Factos*, non *Fictos*, quia, ut patebit, omnes ferè contigerunt reapse. Merè possibiles qui volet, legat Bonacinam, *punct.* 4. Laymannum *De Bapt. cap.* 4. Palaum *Tr.* 19. *punct.* 5. & maximè Dicastillum *Tr.* 2. *disp.* 1. *dubit.* 6. ac Dom. Reding *De Sacram. q.* 7. *a.* 2. *controvers.* 2. singulariter *n.* 16.

87 I. Casus igitur est sacerdotis, qui, ut refertur *Cap. Retulerunt. De Bapt.* baptizabat dicendo: *Baptizo te in nomine Patria, & Filiâ, & Spiritu sancta*; habuit enim Zacharias Papa illum pro rato, quia videlicet ignorantia Latinitatis; ac viri probitas palàm nota efficiebat, ut; qui illum norant, facilè intelligerent, tres Personas divinas designari verbis illis.

At quid si non ex ignorantia, sed ex malitia quis ita loqueretur?

Resp. S. Thomas *q.* 60. *a.* 7. *ad* 3. dubitaret de intentione, & consequenter de valore; fortè Coninck negaret valorem; nam eâdem *q.* 60. *n.* 7. exprimit in eo Baptismo admittendo circumstantiam *palàm notæ* probitatis, & imperitiæ; concederet Dicastillo, utpote qui *Tr.* 1. *disp.* 1. *num.* 142. expressè dicit, valere Sacramentum, etiamsi ex industria committatur error *accidentalis* in forma, & *n.* 182. dicit: formam, quæ valet in uno loco, valere ubique. Assentior quoad primum huic auctori, modò non desit debita intentio in illo ex industria himis industrio solœcopœo. Nam etiam hîc locum habet illa generalis Regula Suarezii *Disp.* 2. *sect.* 4. *vers. Septima mutatio*, sic loquentis: *Necessarium non est, ut verba per ministrum corrupta habeant per se sumpta in rigore significationem à Christo intentam, sed satis est, ut ex modo, quo hîc & nunc proferuntur juxta communem concipiendi modum talem sensum ingerant audientibus.* Et declarat hanc Regulam exemplo sacerdotis, de quo Zacharias Papa; videturque idem auctor, clarè & in terminis hanc resolutionem nostram tradere *eâdem disp. sect.* 5. *vers. Secundò fieri.*

88 II. Mulieris Belgicæ, quæ valdè corruptè; ut solent plebeji in terra Leodiensi, loquens Gallicè, ac tingens infantem sic dicit: *E fan', & batise a no des pere, & des fils, & des saint esprit.* In qua forma articulus *des* est apud Gallos pluralis numeri, adeóque illa carbonaria, ut ei persimilem nominat Marchantius *in Resol. Pastoral. De Sacram. Tr.* 1. *c.* 2. *num.* 1. referens hunc Casum, baptizabat in nomine Patrum, & Filiorum, & Spirituum Sanctorum. Rectè tamen resolvit idem doctor, nil obfuisse valori, ut deduces ex paulò antè dictis.

Hujus autem occasione moneo cum prædicto Marchantio, esse consultum, ut parochi doceant obstetrices formulam vernaculam, non verò latinam, quia etiamsi possint hanc perfectè discere, attamen facillimè possunt ob perturbationem errare *substantialiter*. Occasione ejusdem Casûs sit partim verus, partim fictus hic.

III. Casus illius Sabaudo-germani, qui ita 89
baptizavit Germanicè: Ich tauff dich im Namen GOtt der Vatter/ vnd der Sohn/ vnd der Heiligen Geist. Id est: *Baptizo te in nomine Patri, & Filii, & Sanctus Spiritus.* An verè fecit Christianum? Ego quidem non scio, quemquam sic baptizâsse, audivi autem perfæpe Italos, & Sabaudos, qui plures Annos commorati in Germania didicerunt Germanicè orare, & quidem crucem formare in, extráque confessionale dicendo: Im Namen GOtt der Vatter/ &c. *In nomine Patri &c.* Resp. Verò ad quæstionem affirmativè ob paritatem rationis cum II. & I. *Casibus.*

IV. Illius, qui exemplo ejus, de quo nostet 90
Mirandus Casus, dixit, aut diceret: *Te baptizo in nomine Patris, & sanctæ, & veræ Crucis, & Spiritûs sancti.* Censeo non penitus rejectum iri à Suarez *cit. disput.* 2 *sect.* 4. *vers. Secunda mutatio*, ubi agit de verbi baptismalis mutatione in aliud æquivocum. Auctoritas quoque S. Bernardi facit, ut putem, per Crucem sanctam, & veram sufficienter, Christianis præsertim, in Baptismo designari ipsummet Christum; atqui non periclitaretur Baptismus, in quo pro *& Filii* diceretur: *& Christi.* Verùm, est utique hic Baptismus annumerandus dubiis.

V. Illius, qui, ut retuli in Casu I. dixit; *Baptizatur Theodoris in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Etenim ex usu Græcorum constat, sub verbo *Baptizatur* intelligi *à me*, estque hæc usitata forma Græcorum tolerata à Concilio Florentino *in Decreto Eugenii.*

VI. Illius mulieris Italæ, quæ domi sic baptiza- 91
bat: *Io te battezo co'l Patre, co'l Figlio, & co lo Spiritu sancto.* Ita refert Paulus Comitolus *Lib.* 1. *Resp. moral. q.* 10. In qua forma est sensus peregrinus Germanis, hic videlicet: *Ego te Baptizo cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu Sancto.* Consultus de hoc Baptismo Comitolus, respondit, non tamen eâ perspicuitate, quam optarem, videri legitimum, idcirco, quòd Patres, & Concilia non plus indicent, quàm ut in Baptismo invocentur tres Personæ divinæ. Ego non dubito, quin fuerit reiterandus; etenim hæc formula est valde anceps, ut probant rationes à Comitolo propositæ in utramque partem, & eam negant Coninck *q.* 66. *n.* 6. Bonacina *hic q.* 1. *punct.* 4. *n.* 5. ac maximè Palaus *Tr.* 19. *punct.* 5. *n.* 17, eò quòd sic non exprimatur unitas essentiæ.

92 VII. Illius sacerdotis, qui teste eodem Comitolo *loc. cit. q.* 9. ingenuè fassus est, à se baptizatos multos seu per insciticm, seu per incuriam hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritûs Sancti.* Etenim liquet ex dictis *n.* 71. immeritò dubitari ab aliquibus de valore talis baptismi.

93 VIII. Illorum, qui ita baptizant Dalmaticè: *Ia tebe Karstim &c.* Ut refert Cardinalis de Lugo *in Resp. moral. Lib.* 1. *dub.* 2. Etenim hæc formula videtur æquipollere huic; *Ego te Christizo, seu Christianizo*, id est, *Christianum facio.* Respondet autem Cardinalis, si illa prior formula significat nihil aliud, quàm posterior, revera per eam non confici Sacramentum, eò quòd per eam non exprimatur actio abluendi. Si verò illa eadem formula juxta usum Dalmaticum significet; *Baptizo*, tunc fuisse habendam pro apta, esto constaret, illud verbum: *Karstim* derivari à nomine *Karesi* significante Christum, certum quippe est, derivata perfæpe non servare significationem vocis, à qua derivantur.

94 IX. Illius mulieris, quæ referente Marchantio *loc. cit. Tr.* 1. *cap.* 2. sic baptizabat: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti &c. Et benedictæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum.* Dicendum enim est cum S. Thoma *q.* 60. *a.* 8. (ubi ponit hanc invocationem B. Virginis) subsistere Sacramentum, si (de quo meritò non dubitat Marchantius) illâ appendice *substantialis* formulæ solùm petatur intercessio B. Virginis, & omnium Sanctorum ad conservandam gratiam sacramentalem. Addit quidem, vel potiùs præmittit idem S. D. aliud sentiendum, si intelligatur (à ministro) in nomine B. Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis; quod etiam tradit Vasquez *disp.* 139. *n.* 107. At Dicastillo *Tr.* 1. *De Sacram. disp.* 1. *n.* 138. *& seqq.* post Coninck *in cit. art. Octavum* S. Thomæ rectè limitat ad casum, quo talis minister caret intentione faciendi id, quod facit Ecclesia.

95 X. Illius, qui dicit: *Ego tè babaptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*; sunt enim multi, qui ob vitium linguæ solent aut unam syllabam repetere, aut unam omittere, aut literam caninam non pronuntiare. Marchantius *cit. cap.* 2. *n.* 2. de quibus sic ipse loquitur.

» Novi ego aliquos sacerdotes ita linguâ impe-
» ditos, ut si pronuntiando velint festinare, sin-
» gula verba syncopent; si morosè, & modestè
» velint syllabas edicere, non possint sine multi-
» plicatione dicendo: e. g. *Babaptizo Papapatus,*
» & non infrequenter admiratus sum, quomodo
» se in Canone gerant, & in forma consecratio-
» nis: scio enim, quòd non nisi corruptè enuntient; & quidem si exigua sit balbuties, parum
» est: si magna, certè tales ad sacerdotium non
» deberent admitti ob multa incongrua, tum in
» celebratione Missæ, tum in Officiis, & ministe-
» riis divinis. Existimo tamen, eos ordinariè
» loquendo validè consecrare, quia hîc & nunc
» exsurgit sensus idem ex verbis sacramentalibus
» ab iis corruptè prolatis, eadémque significatio
» generatur in mente audientium, quod *moraliter* judicari potest ab iis, qui soliti sunt eos au-
» dire, & cum eis conversari, ideóque eos facili-
» ùs intelligere, & quid dicant, percipere pos-
» sunt. Similiter dicendum de iis, qui ob lin-
» guæ impedimentum nequeunt pronuntiare li-
» teram *R.* & sic consecrantes videntur dicere:
» *Hoc est colpus*, vel *copus meum*, quia ex tali pro-
» nuntiatione hîc, & nunc ab illa persona prod-
» eunte natus est in nobis idem sensus generari.
» Idem die, si quis dicat: *Hic est calis*: pro *calix.*
» Hactenus in theoria, & practica præstans Marchantius, & ego cum eo.

Quibus pro solatio syncopantium, id est, 96
syllabas truncantium addo ipsa verba non sapientis minùs, quàm subtilis Scoti *in* 4. *dist.* 3. *q.* 2. *vers. De secunda variatione* sic proloquentis: *Si subtrahatur aliqua syllaba* (secus si integrum verbum essentiale, ut immediatè antè præmittit) *per syncopen, non propter hoc destruitur forma; non enim voluit Deus hominem omnino determinare ad verba in Sacramentis ultra illum modum, quo verba sufficiunt ad exprimendum conceptum, sed cum syncopa bene intelligit audiens conceptum loquentis, nec auderem dicere, quòd non vitans eam* (in verbis etiam Sacramentalibus) *peccet mortaliter, si non vitat non ex contemptu, sed ex quadam infirmitate, vel inconsideratione humana, quæ non præcavet omnibus, quantum posset.* Hactenus Scotus. Undè ego die 8 Februarii Anni 1664. conventus à quodam sacerdote valde perplexo idcirco, quòd administrando hoc Sacramentum dixisset prorsus indeliberatè: *Bartizo* pro: *Baptizo*, & licèt mox adverteret errorem, attamen præperturbatione, & anxietate non repetiisset, eámque ob rem sciscitaretur, quantum peccâsset, & an Baptismus repetendus foret, respondi inprimis, non peccâsse malâ illâ pronuntiatione, utpote prorsus indeliberatâ, sicut nec peccâsse, saltem graviter, non repetendo; illa quippe tanta perturbatio, & anxietas videtur sustulisse ipsi facultatem faciendi perfectam deliberationem ad mortale requisitam; attamen debebat utique *per se loquendo* emendare mox errorem, quia poterat sine inconcinnitate, quandoquidem advertit eum statim, postquam elocutus fuit illud verbum. Respondi deinde, haudquaquam iterandum esse lavacrum illius novæ creaturæ, verè enim mutatio unius literæ in alteram non poterat in audientibus gignere sensum diversum ab eo, quem gignit verbum: *Baptizo*: Unde licèt prædictus error venisset in mentem statim post totam formulam pronuntiatam, non ideo tamen oportuisset, licuisséve facere ullam emendationem.

97 XI. Illius, qui dicto: *Ego te baptizo in nomine Patris*, audiens pueros tumultuantes ait: *Tacete mali pueri*, vel patrinis dicit: *Admovete propiùs infantem*, his, inquam, verbis interjectis pergit in prolatione formæ, non repetens jam dicta. Etenim non esse repetenda, docet Sanctus Thomas *quæst. 60 art. 8. ad 3.* exprimit clarè Scotus *loc. cit.* atque in terminis Marchantius *cit. nu. 2. ad 3.* referens hunc Casum. Et meritò; etenim interruptio facta tunc non inducit obligationem repetendi, *quando non tollit intentionem proferentis, & intellectum verborum.* S. Thomas *ibid.* seu quando ex communi loquela ex interpositione impertinentis non indicatur, quin possit prior sermo continuari.

98 XII. Illius, qui ita baptizavit: *Ego te baptizo in nomine Patris: Ego te baptizo in nomine Filii: Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti*; siquidem Comitolus per literas de longinquo interrogatus, ut testatur ipse *Resp. moral. Lib 1. q. 7.* respondit, puerum ita baptizatum esse rebaptizandum, cùm fuisse videantur tres ablutiones cum tribus formis omnibus imperfecti, & in unam coire non valentibus. Consentit à fortiori Bonacina *De Sacramentis disp. 1. q. 2 p. 4. num. 5.* & post illum Antonius Cotonius *celebr. Controversiarum l. 2. controvers 2. cap. 1.* asserens, invalidum esse hunc Baptismum: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti.* Sed imprimis dissentiunt à Bonacina Henriquez *Lib. 1. c. 8. num. 2.* Suarez *Tom. 3. in 3. p. disp. 21. sect. 3* Coninck *loc. cit. n. 58.* nolentes dubitari de valore talis Baptismi, sicut & Diana *P. 1. Tr. 17.* seu *Miscell. 3.* qui ad hunc

Casum fœminæ Italæ.

Mulier quædam domi puerum baptizavit Italicè, hæc verba pronuntians: Io ti battezo co'l nome del Padre, co'l nome del Filiuolo, & co'l nome dello Spirito Santo, *statim interrogatus, an Sacramentum sub tali formâ administratum fuerit validum?* Respondit, esse sententiam contrariam traditæ à Bonacina prorsus amplectendam, illúmque infantem esse, & fuisse verè baptizatum.

Deinde P. Laymannus *Lib. 5. Tr. 2. c. 4. n. 5.* dissentit etiam disertè à Comitolo, sicut & ego dissentio; verè enim sufficienter etiam hanc significari per formulam consuetam, seu communem, fatentur omnes cum S. Thoma *hic a. 6.* atqui in formula consueta subauditur illud totum, quod exprimitur in forma, tum quam Bonacina, tum quam etiam P. Comitolus rejicit velut ineptam. Quia tamen idem Laymannus subdit, se non repugnaturum in praxi, quò minùs rursus baptizeturis, de quo Comitolus loquitur: & P. Dicastillo *De Baptismo disp. 1. dub. 5. n. 96.* solùm scribit: Si repetitio nominis fiat numero singulari, *non videri* invalidum Baptismum: quia denique plures alii apud Bonacinam, & Dicastillum stant pro Bonacinæ, & Cotonii sententia, & inter hos P. Filliucius *Tr. 2. n. 62.* idcirco existimo, esse rursus admovendos sacro lavacro, quibus id fuit adhibitum cum formula rejecta, seu à P. Comitolo, seu à Bonacina. Casu *vero*, & non *ficto* declarabo hanc resolutionem *Cas. 20. nu. 712.* sicut & *n. 719.* breviter discutiam illam formulam: *Te baptizo in nomine Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritus Sancti*, pronuntiatam à muliere hæretica.

XIII. Illius obstetricis approbatæ, quæ 99
multis Annis ita baptizavit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & gratiæ Spiritus Sancti.* Rectè enim mandavit Archiepiscopus inhæretica, ad quem res delata fuit, ut omnes ita baptizati rursum baptizarentur. Sic testatur Quintanadvennas *Singular. Tract. 1. singul. 5. n. 5.*

XIV. Illius, quæ ita baptizavit: *Ego te bap-* 100
tizo in nomine Sanctæ Trinitatis. Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum; ut refert S. Vincentius *Concion. 2. Domin. 3. Quadragesi.* clarum enim est, ideò non valuisse Baptismum, quòd expressæ non essent tres divinæ Personæ, ut nihil dicam de adjuncta appendice.

XV. Illius, qui primùm nunc ita bapti- 10
zavit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et in tertia affusione rursum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hunc enim Baptismum pro nullo, aut dubio haberet Comitolus, ut apparet ex relatis ex ipso *n. 98.* & alia etiam de causa fuisse repetendum, dicam *Casu V.*

APPENDIX.

a PRoposui hoc *Casu* 2. quindecim, atque adeò omnes formulas baptizandi, quas fuisse reipsa bene, seu malè usurpatas, cognoveram, vel lectione, vel propriâ experientiâ; iis jungo decimam sextam, de qua ut meam mentem aperirem, rogatus fui die 23. Maji Anno 1670. à quodam Vicario Foraneo, seu Episcopali Commissario in Diœcesi Comensi; rem proponente

Sequentibus verbis.

b *NVperrimè in casu necessitatis fœmina alias honesta, & minimè suspecta infantem jam agonizantem baptizare volens (at ab obstetrice, quæ puerperæ periclitanti assistebat, non bene instructa) ter aquam naturalem super infantem fudit, simul & formam Baptismi totam pronuntiavit, existimans, quòd requiratur trina superinfusio, & trina quoque pronuntiatio formæ, cujus rei testes tres, vel plures fuerint fœminæ, à parocho auditæ: unde infantem (qui, ut audio, adhuc vivit) non baptizavit; sed tantùm supplevit cæremonias præscriptas. Utrùm bene, vel malè fecerit disputatur. Quid autem ultrà faciendum sit, consilium ab &c. Petitur &c.*

BAPTISMI NECESSITAS.

CASUS III.

Augustinianus.

SVMMARIVM.

Curina per visum admonitus, ut Baptismum reciperet, si in loco Beatorum esse vellet. 102.
Baptismus necessarius necessitate præcepti. 103.
Quo tempore obliget hoc præceptum? 104.
Differri quandoque potest Baptismus in adultis maximè Judæis. Ibid.
Infantes nullâ lege obligantur ad Baptismum. 105.
Quem si procrastinent ii, quorum curæ subsunt parvuli, graviter peccant. 106.
Quid si tamen adsit causa aliqualis? 107.
Antiqua consuetudo hoc suadet? Ibid.
Baptismus est necessarius necessitate medii in re, vel voto. 108.
Quale votum sufficiat? Ibid.
Divisio necessarii in necessitatem medii, & præcepti. 110.
Necessarium respectu subjecti, & objecti. 111.
Quid intelligatur per medium? Ibid.
Quod est necessarium necessitate medii, etiam est necessarium necessitate præcepti. 113.
Divisio necessarii necessitate medii. 114.
Descriptio ejusdem, & necessarii necessitate præcepti. 115.
Baptismus infantibus strictè necessarius necessitate medii. Ibid.
An, & quæ pœna infantium sine Baptismo decedentium? 117.
Quot, & quæ Sacramenta necessaria necessitate medii? 119.
An Eucharistia? Ibid.

c Partim respondi, partim respondeo; in primis, certò valuisse, adeóque repetendum non esse Baptismum illum, si habeatur ratio solius, aut formulæ adhibitæ, aut falsæ opinionis. Etenim certum est ex una parte, eâ formulâ perspicuè exprimi omnia essentialia, nec *per se loquendo*, obstare importunam repetitionem, sicuti nec officit, si imperitus, aut scrupulosus Confessarius ter dicat: *Absolvo te à peccatis tuis.* Ex altera autem parte falsa opinio de necessitate ternæ pronuntiationis nil præjudicavit valori, ut liquet ex iis, quæ de errore Ministri retuli *Tr. 1. sect. 5. n. 193. & seqq.* ex S. Thoma.

d Deinde respondi, nisi in eo districtu mos vigeat baptizandi omnes tinctos ab obstetricibus, aliisve mulieribus, non esse cogitandum de iterando Baptismo. Ratio est, quia Baptismus non est iterandus, quando abest omne rationabile dubium de valore. Infrà *Casu 13. num. 353.* atqui testimonium trium honestarum fœminarum de materia, & forma essentialibus adhibitis tollit omne prudens dubium de valore, cùm gignat certitudinem *moralem.*

e Addidi, vel addere potui: Si tamen esset eo loco usu longo, & notorio receptum, ut omnes tincti à mulieribus, rursum tingerentur; posse illum infantem sub conditione rebaptizari. Ratio est, quia *in cit. Tr. 2. Cas. 5. n. 172. & 173.* defendi illos; qui secuti constantem; generalémque usum suæ Diœcesis iterant Baptismum omnium ablutorum ab obstetrice; ut alia muliere. Quia verò videtur non vigere uspiam, nisi ubi vel summa malitia, vel singularis simplicitas; ne dicam stupiditas, regnat; usus repetendi Baptismi talis, qualem hîc descripsimus; & roborati testimonio tot probatarum mulierem, idcirco non est in concreto cogitandum de adhibendo alio lavacro ob humanum hunc errorem.

f Sed ecce; his scriptis, incido in Petri Marchantii Resolutiones Notabiles, ubi pro Casu 1. ponit formulam, quâ utuntur Nestoriani dicentes: *Baptizatur N. in nomine Patris: Amen: in nomine Filii: Amen: in nomine Spiritus Sancti: Amen*, fusèque defendit idem Doctor valorem talis Baptismi.

Lege illum; & non pœnitebit.

BAPTISMI NECESSITAS.

CASUS III.

Augustinianus.

SVMMARIVM.

Curina homo quidam de turma municipii Tullienſis, curialis pauper vix illius loci duum vitalitius, & simpliciter rusticanus, cùm ægrotaret; ablatis sensibus pene mortuus jacuit aliquot diebus, tenuissimus flatus in naribus, qui manu admota utcunque sentiebatur. Videbat tamen multa in somnis, quæ tamen aliquando post dies plurimos quasi evigilans visa narravit. Post quæ se postremò in paradisum introductum asseruit, & dictum sibi esse, cùm inde dimitteretur rediturus ad suos. Vade baptizare, si vis esse in illo loco Beatorum; *deinde ut à me baptizaretur admonitus, jam factum esse, respondit. Cui rursus ille*: Vade *inquit*, verè baptizare; nam illud in visione vidisti: *post ista convaluit, perrexit Hipponem, Pascha jam appropinquabat, dedit*

nomen inter alios competentes pariter cum plurimis incognitus nobis, nec mihi illam visionem, nec cuiquam nostrorum indicare curavit; baptizatus est. Peractis diebus sanctis remeavit ad propria, biennio vel amplius transacto, hæc mihi præsens ipse narravit.

Phrasis hæc tota, ipsúmque adeò nomen *Curina*, sunt hîc (omissis haud paucis) exarata ex libro S. Augustini *De cura pro mortuis gerenda, c.* 12. & quia insuper jussus fuit hic Curina curare se ablui sacris undis ab ipsomet Augustino, idcirco non incongruè hunc Casum nominamus *Augustinianum*, qui quidem tangit necessitatem Baptismi.

103 Quæres igitur I. *Vtrùm Baptismus sit necessarius necessitate præcepti?*

Respondetur cum omnibus Catholicis affirmativè. Nam illud dicitur necessarium *necessitate præcepti*, quod oblatâ occasione, & opportunitate necessariò præstari debet ad obtinendam salutem, nisi non præstare contingat ex oblivione, ignorantia, aut impotentia. Dicastillo *Tr.* 1. *De Sacram. disp.* 1, *num.* 203. ex communi sensu Doctorum. Atqui Baptismus est talis; quandoquidem ad illud homines tenentur; sine quo homines salutem consequi non possunt. S. Thomas 3. *part. quæst.* 68. *art.* 1. Atqui sine Baptismo salus obtineri non potest. Infrà *n.* 108.

At quo tempore obligat hoc præceptum?

104 Resp. I. Adulti non quidem tenentur suscipere Baptismum statim, postquam crediderunt in Christum. S. Thomas *loc. cit. a.* 3. sed possunt aliquam *diu* differre, tum ut ipsi magis instituantur; tum ut ab ipsa Ecclesia magis probentur. S. Thomas *loc. cit.* Et præsertim probandi sunt Judæi, utpote gens fallacissima, & cujus germentam multis fucum fecit hac in re; attamen temporum, quibus nunc vivimus, usus non fert, ut differatur ad multos annos, sicut olim factitatum fuisse, constat ex Historia Ecclesiastica, colligiturque ex facto nostri Curinæ; qui usus, licèt quatenus est Ecclesiasticus, seu Ecclesiastica consuetudo, non obliget catechumenos ipsos æquè parùm, atque lex Ecclesiastica illigare potest non baptizatos. Sanchez *Lib.* 1. *summæ c.* 12. *num.* 14. Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 31. *sect.* 2. latè contra Sotum; juxta illud Pauli 1. *ad Corinth.* 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* etenim *fundamentum subjectionis erga Ecclesiam est character baptismalis. Text. express.* in Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 2. obligat tamen, quatenus est conformis juri divino; quod quidem ad receptionem hujus Sacramenti astringit quemvis, quàm primùm commodè potest. Vasquez *in* 3. *part. disp.* 149. *cap.* 4. prolixè cum Suarez *cit. sect.* 2. atque alii. Exempla Sanctorum Sebastiani, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Theodosii, Valentiniani Imperatorum, qui ad plures annos distulêre Baptismum, excusat vel justa causa à nobis ignorata, vel bona fides, teste Dicastillo *Tr.* 2. *De Sacram. disp.* 1. *n.* 254. atque Illustrissimo Domino Reding *q.* 8. *De Sacram. a.* 1. *Controvers.* 2. *n.* 3. Constat quidem ex *Cap.* 15. 16. 17. 18. *De consecr. dist.* 4. fuisse olim nefas, nisi urgente periculo mortis, baptizare extra Pascha, & Pentecosten, verùm usus integrè, ac meritò derogavit illis Capitulis, seu Canonibus.

Resp. II. Infantes ipsos nulla quidem lex 105
obligat ad recipiendum Baptismum, quandoquidem ne quidem naturalibus legibus obligantur, qui per ætatem necdum peccare possunt venialiter. Azor *Part.* 1. *Lib.* 1. *cap.* 11. *quæst.* 2. testans omnes ita sentire, & proindè minimè delinquunt, qui trimulis, quadrimulis pueris præbent carnes diebus vetitis, cùm & tales non magis obligentur aliquibus legibus; quàm bruta. Paludanus *in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 1. *ar.* 1. *n.* 7. & ne quidem peccent iij, qui præbent nondum egressis primum septennium, si dubium sit, an jam ratione polleant. Sanchez *cit. Cap.* 12. *n.* 9. *junct. n.* 13. Aut etiam licèt sciantur esse præditi perfecto usu rationis. Joannes Sanchez *in select. disp.* 51. *num.* 31. atque Tannerus *Tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 3. *num.* 99 favente aperte Henriquez *Lib.* 8 *c.* 42. *num.* 4. *& lib.* 13. *cap.* 49. *num.* 2. *in marg. lit. N.* & meritò; Leges quippe respiciunt solùm ea, quæ frequenter fiunt. *L. Nam ad ea. ff. De leg.* non autem sit frequenter saltem in regionibus septentrionalibus, ut nondum septennes distinguant inter bonum, & malum *moraliter*. Qua de re copiosè *in Alphabeto Communicant. Cas.* 6.

Attamen parentes, & universim ij, quorum 106
curæ subsunt parvuli, graviter delinquunt, si absque rationabili causa diu procrastinent Baptismum illorum, delinquunt enim contra universalem consuetudinem Ecclesiæ, teste Vasquez *hic disp.* 151. *num.* 15, quam satis indicant tum Statuta Synodalia, tum Obsequialia, Pastoralia, seu Ritualia plerarumque diœceseon. Et quidem constitutiones hujus diœcesis Constantiensis *Par.* 1. *tit.* 6. *num.* 1. sic statuunt: *Infantes recenter nati sine aliqua mora, & quàm citissimè fieri potest, baptizentur.* Ac *num.* 3. addunt: *Illustrium, & Nobilium virorum infantium Baptismus ultra paucos aliquot dies minimè differatur.*

Videtur quidem viguisse olim in quibusdam 107
Ecclesiis consuetudo, ut nemo tingeretur sacris undis in infantia extra mortis periculum. Barbos. *De parœch. part.* 2. *c.* 18. *num.* 14 Attamen & contrarius usus fuit multò communior, teste Bellarmino *De Bapt. Lib.* 1. *cap.* 8. & his sæculis receptus; adeò ut in Leodiensi Pastorali apud Marchantium *De Bapt. Tract.* 2. *c.* 4. *n.* 6. sic statuatur: *Viderint Pastores, ne Nobiles, aut cujusvis tandem sortis subditi quovis excluso prætextu, vel colore, prolium suarum Baptismum ultra diei unius naturalis spatium, nisi obtentâ ab Ordinario licentiâ, differant.*

Exi-

Existimat nihilominus Marchantius, (spectato solo jure communi haud delinqui mortaliter protelando ad octo, vel septem dies Baptismum, modò diligens cura adhibeatur infanti. Quod ego etiam arbitror dicendum, consideratâ quoque consuetudine variorum locorum, saltem si adsit causa aliqualis, ut esse potest apud Comites, aliósque dynastas, dilationem ultra mensem absque gravi causa factam non excusat à mortali Palaus *Tract.* 19. *punct.* 8. *num.* 4.

108 Quæres II. *An Baptismus sit necessarius necessitate medii?*

Respondetur affirmativè cum universis Theologis. Illud quippe est necessarium necessitate *medii*, sine quo vel in re, vel in voto susceptо non potest acquiri salus. Suarez *De fide disp.* 12. *ante sect.* 1. fusè; Lugo *De Eucharistia Disp.* 3. *sect.* 1. prolixè. Atqui ita se habet Baptismus juxta illud *Joannis* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quibus verbis indicatur, non posse à mortalibus obtineri vitam æternam, ac proinde nec *primam* gratiam, nisi sacro latice abluantur, vel reipsa, si possint, sicut satis indicat ipse tenor verborum, vel saltem in voto, atque desiderio, si absit possibilitas, sicuti declaravit hactenus persuasio fidelium.

109 Interrogabis I. *Quale sit illud votum, ac desiderium, de quo hic fermo?*

Resp. Non intelligitur *expressum* desiderium Baptismi, sed sufficit *implicitum*, ut explicabimus *Casu XVIII.*

Interrogabis II. *Quale igitur sit discrimen inter hoc, & illa, quæ dicuntur esse necessaria necessitate solius præcepti*, ut e. g. restitutio injustè ablatorum, obedientia erga parentes, observatio Sabbati in antiqua lege, explicita fides & omnium articulorum contentorum in symbolo Apostolico juxta multos Theologos, auditio sacri die Festo, Confessio, & Communio annua ex præcepto Ecclesiæ; quandoquidem omissio voluntaria omnium horum offendit graviter Deum, & proinde non potest obtineri salus, nisi concipiatur illorum propositum vel *expressum*, vel *implicitum*, & consequenter sint necessaria vel *in re*, vel *in voto*.

Resp. Hoc discrimen petendum esse ex vera, & bene intellecta descriptione necessarii necessitate *medii*, & solius *præcepti*.

110 Pro quo notandum est I. Non fuisse tempore S. Thomæ usitatam divisionem necessarii in necessitatem *medii*, & *præcepti*, sed inductam à posterioribus Theologis sub nominibus necessarii necessitate *finis*, seu *remedii*, & necessitate *præcepti*, quam locutionem Dominicus Sotus *in* 4. explicat clariùs, & distinctiùs antecessoribus. At verò nemo, quantum quidem scio, tam diserte, & copiosè explicavit, quàm hi duo verè Magistri (licèt eos novissimus Thomista non erubescat iteratò appellare Noctu-

as) Theologorum, P. Suarez quidem *Disp.* 12. *De fide ante sect.* 1. P. Vasquez verò *Tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 84. *ar.* 5. *dub. un.* quorum ubertatem sectati sunt Cardinalis de Lugo *Tom.* 2. *in* 3. *p. seu de Eucharistia disp.* 3. & Dicastillo *Tom.* 2. *in* 3. *p. Tr.* 2. *Disp.* 1. *dubit* 12. Qui tamen quatuor authores, sicuti & Coninck *in* 3. *p. q.* 68. *ar.* 8. ubi & ipse ex instituto differit de hac divisione, inter se non conveniunt, circa vel descriptionem, vel certè realem sensum descriptionis, ut patet legenti, eorúmque dissidia examinanti. Ego prætermissâ refutatione sententiarum mihi non placentium, pro intelligentia meæ.

Noto II. Necessarium dici respectu tam *subjecti*, quàm *objecti*, seu *finis*. Nam omne necessarium est alicui ad aliquid necessarium, ac proinde illa Sacramenta, sine quibus aliqui possunt consequi salutem, alii non possunt, dicenda esse necessaria non absolutè, & sine expressa limitatione, sed cum restrictione ad hos, & illos homines. 111

Noto III. Quando dicitur aliquid esse necessarium necessitate *medii*, per voculam: *medium* intelligi rem aliquam præditam duabus conditionibus, ut videlicet sine ea nequeat saltem juxta ordinariam Dei legem obtineri salus, & ea influat in justificationem hominis. Primam conditionem exprimunt Coninck *loc. cit. n.* 12. Tannerus *Tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 1. *q.* 7. *n.* 10. Dicastillo *l. c. n.* 226. *& Tr.* 1. *disp.* 1. *n.* 206. Alteram Vasquez *loc. cit.* non semel, & priùs *Tom.* 2. *in* 3. *p. Disp.* 145. *c.* 3. *n.* 32. Dicastillo *cit. Tract.* 2. *Disp.* 1. *n.* 227. *& 234.* 112

Noto IV. Illud, quod dicitur necessarium necessitate *medii*, esse sine dubio etiam necessarium (si quidem existat in potestate hominis, sicut non existit gratia prævenions) necessitate *præcepti*, eò quòd Deus utique præcipiat, adhiberi à nobis necessaria consequendæ saluti. S. Thomas *q.* 68. *ar.* 1. præstituens enim finem præstituit etiam media. Illa autem, quæ sunt necessaria necessitate solius *præcepti*, sunt ejus naturæ, ut eorum præsentia non influat universim *positivè* in *primam* gratiam, seu justificationem, sed tantùm *negativè*, prohibendo nimirum novum peccatum. Vasquez *cit. ar.* 5. *n.* 42. 43. 44. 113

Noto V. Non malè à Coninck *cit. num.* 12. 114
& à Dicastillo *cit. Tr.* 1. *Disp.* 1. *n.* 202. asseri, necessarium necessitate *medii* posse dividi in necessarium *strictè*, ut ait Coninck, seu, ut loquitur Dicastillo, *absolutum*, & in necessarium *latè*, seu, ut ait Dicastillo, *ex suppositione*. Primum illud est, sine quo *realiter* habito non potest ullo modo secundùm ordinariam Dei legem obtineri salus, sicut sine Baptismo nequeunt infantes salvari secundùm ordinariam, sed solùm extraordinariam Dei legem, id est per Martyrium. At posterius necessarium rectè vocaveris illud, sine quo vel *in re*, vel saltem *in voto* susceptо nequit comparari salus, *primáque* gratia.

115 Inferes hinc I. Necessarium necessitate *medii* etiam rectè sic describi: *Est illud medium, quo seu ex ignorantia, seu impotentia prætermisso nequit salus obtineri*, sicut vice versâ necessarium necessitate solius *præcepti* est, quod etsi præstari *per se loquendo* debet, ejus tamen prætermissio orta ex inculpabili oblivione, ignorantia, impotentiâve non impedit consecutionem salutis. Vide Dicastillo *cit. Tr. 1. Disp. 1. nu.* 202. *&* 203. Tannerum suprà.

116 Inferes II. Baptismum esse infantibus *strictè* necessarium necessitate *medii*, ut proinde nullus infans potiatur gloriâ æternâ, nisi ablutus sit aquâ, vel sanguine suo. Quod quidem certum est de fide, si loquamur de cursu ordinario, nam id significat Christus illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Omnes quoque Scholastici hujus sæculi dissentiunt à Cajetano, atque aliis apud Suarez *Tom. 3. in 3. p. disp. 27. sect. 3.* fingentibus partim privilegium respectu nonnullorum, partim remedium aliud proveniens ex precibus parentum.

117 At inquies: *An igitur addicentur æternis pœnis gehennæ illi, qui sine Baptismo decedunt?* Ita omnino ex sententia S. Fulgentii, S. Gregorii Magni, & ipsius etiam S. Augustini, ut videre est apud Vasquez *Tom. 1. in 1. 2. disp. 134. cap. 2.* describentem eorum verba. Id tamen post SS. Ambrosium, Thomam, Bonaventuram, Antoninum negant rectiùs ferè omnes Scholastici, teste eodem Vasquez, eósque nominante, & plures addente Tannero *Tom. 2. disp. 4. q. 10. dub. 5.* Adeò, ut haud pauci ex iis insuper addant, eosdem parvulos non modò nullâ tristitiâ affici ob privationem beatitudinis, quod etiam censet Vasquez, sed insuper vivere, seu intra, seu supra terram, vitam multò lætiorem, quàm ullus mortalium vivat. Authores recitat Bellarm. *Lib. 7. De peccatis c. 1.* ac Tannerus *loc. cit.* adjungens iis alios, intérque hos sapientissimum Patrem Lessium.

118 Inferes III. Meritò esse à nobis dictum sub disjunctione, quòd Baptismus sit adultis necessarius vel *in re*, vel *in voto*; concors enim est, certáque, ut testatur Suarez *Tom. 3. in 3. p. disp. 27. sect. 2.* Theologorum opinio, homines posse salvari per Baptismum *in voto*, ut ex professo explanabimus *Casu XVIII. sect. 2.*

119 Inferes IV. Necessaria necessitate *salutis*, non esse ordinariè nisi duo Sacramenta, scilicet Baptismum, ac Pœnitentiam. Vasquez *Tom. 4. in 3. p. q. 84. a. 5. n. 40. & 41.* Eucharistiam autem non esse necessariam necessitate *medii*, idcirco quòd non sit (saltem per se) instituta ad justificationem, sed ad augmentum gratiæ. Vasquez ibid *n. 45.*

120 Inferes V. Assensum illorum articulorum Fidei, quos alii atque alii Theologi tractantes de Fide asserunt, esse necessariò credendos necessitate *medii*, influere in ipsam justificationem, alioquin eis non conveniret hæc appellatio, seu denominatio.

121 Inferes VI. Licèt, quando quis obit annuam confessionem, accipiat *primam* gratiam justificantem, attamen neque hanc confessionem, neque ejus votum censeri necessaria necessitate *medii* potest à solo Deo induci, ut patet etiam ex definitione allata *num. 112.* ubi expressimus illam restrictivam clausulam: *secundùm ordinariam Dei legem.* De præcepto annuæ communionis dices partim id ipsum, partim, quod ex Vasquez attuli antè. Ad instantiam de cæteris præceptis expressis *num. 109.* patet responsio ex dictis *num. 112.*

122 Quæres III. *An præceptum Baptismi obliget cum periculo vitæ?*

Resp. Illud periculum imminet vel *ab intrinseco*, ut ita loquar, id est ab ipsamet aspersione, immersione, aut affusione, vel *ab extrinseco*, scilicet à Tyranno minitante mortem, si permittas te baptizari? In utroque casu differendum est lavacrum, si spes affulgeat illo potiendi postea. Suarez *cit. disp. 31. sect. 3.* nec enim suppetit ratio ob quam acceleratio censeatur esse tunc in præcepto; at verò si spes illa absit, tunc adultus potest quidem, si velit, objicere se periculo mortis ob suscipiendum Baptismum. Diana *Part. 5. Tract. 3. resol. 9* cum Granado; potest tamen etiam penitus omittere Baptismum. Suarez *loc. cit.* testans, omnes ferè ita docere, quia scilicet jugum Christi est suave; non igitur obligat cum evidenti discrimine vitæ.

123 Utrùm verò Catechumenus non valens eliacere contritionem ante mortem, petat licitè, aut etiam necessariò, se dejici in mare, aut puteum, cùm desit alius modus potiendi gratiâ baptismali, dicam *n. 262.*

124 Infantes quod attinet, Dominicus Sotus *in 4. dist. 3. ar. 8.* enucleans hanc materiam particularem, & ex eo Suarez *cit. sect. 3.* ac postea Chapeaville *De mod. administr. Sacram temp. pest. c. 2. q. 12.* docent, & pro certo habent Vasquez, Coninck, Castropalaus apud D. Reding. *cit. q. 7. a. 1. Controvers. 3. n. 30.* non dissentientem, si infans jam sit morti proximus, nec possit ullâ ratione baptizari, nisi aliquantulum accelerando mortem, hoc *aliquantulum* reputari pro nihilo, secus, inquit Sotus, si per multum temporis esset acceleranda, quia tunc committeretur homicidium.

125 At quid dicent hi DD. ad casum, quem ex Abbate retuli *Casu I. n. 51. An excusabunt illum hominem, qui projecit puerum moribundum in puteum?* Profectò parùm interest inter eum, qui mortem accelerat submergendo, & interillum, qui affundendo; interillum, qui affundendo parùm, & qui affundendo multùm. Ancum Soto dicemus: *Materia hæc, cùm sit moralis, non est nimiâ subtilitate tractanda?* An verò dicam meis lectoribus, quod Abbas scripsit *loc. cit.* suis. *Ergo per vos expediatis?* Sanè Sotus *loc. cit. §. ult.* loquens de projiciente in puteum damnat illum duntaxat, qui est causa *multæ accelerationis* mortis; Suarez verò absolutè negat, fas esse, immittere in puteum ad baptizandum, si inde sit moriturus. Sed plura de hoc dicam *Casu VIII n. 262.*

126 His scriptis incidi in Dianæ *Partem 5. Tractatum 3. Resolutionem 8.* rotundè pronuntiantis, esse multò probabilius, quòd possit baptizari quis, *licèt propterea mortis acceleratio magna futura esset*, ac testantis, ita doceri etiam à Zambrano, Granado, ac Moscoso; quæ doctrina mihi consideranti & necessitatem Baptismi & summum jus, quod instituto Baptismi obtinet in vitam hominis; & denique summum malum, quod manet infantes mortuo absque regeneratione, non displicet; nollem tamen esse author dejiciendi in puteum.

Quòd si quæras, an cum periculo vitæ tenearis aliquem regenerare in extrema necessitate? Respondebo diserte *Casu VII.*

BAPTISMI MINISTER.

CASVS. IV.

Non imitandus.

SVMMARIVM.

Sacerdos ruri baptizat infantem, nullâ sibi à parocho factâ potestate. 127.
Quilibet homo valide baptizat alterum. 128.
Non verò seipsum. 129.
Quisnam sit ordinarius Minister Baptismi. 130.
Quis in Turcia licitè baptizet? 131.
An peccent graviter tum ii, qui è Parochia suâ deferunt filios suos ad aliam, ibi baptizandos; tum ii, qui baptizant? 132.
Quid si mater iter faciens per alienam parochiam illic pariat, & curet infantem baptizari? 133.
Eum parochus viatricis, casu illuc delatus non baptizat licitè sine facultate parochi loci. 135.
Quam potest dare etiam Diacono. 136.
An parochus nondùm sacerdos licitè baptizet absque alia commissione? 138.
Quid si tantùm esset subdiaconus? 139.
Diaconus sine commissione parochi baptizans solemniter incurrit irregularitatem. 140.
Quivis in extrema necessitate tenetur conferre Baptismum. 141.
Non tamen licet cuivis prævertere alium præsentem, & volentem baptizare. 142.
An possint esse plures Ministri ejusdem Baptismi? 143.
Non valet, si unus formam proferat, altero aquam adhibente. 144.
Neque si unus teneat infantem sub stillicidio, & alter proferat formam. 145.
An in casu necessitatis possit Minister forma esse diversus à ministro materiæ. 146. *&* 147.
Baptizans ex officio peccat mortaliter, si sit in statu peccati mortalis. 149.
Idem de ministro alterius Sacramenti. Ibid.
Gratis requiritur, ut baptizans adultior sit baptizando. 151.
Defectus commissi emendandi. 152.
Fictè baptizare nefas est. 153.
Quam Minister teneatur è duabus probabilibus opinionibus circa materiam, & formam Sacramenti sequi in praxi? 154.
An Baptismus ab Angelo, vel Christo collatus repeti debeat? 158.
Casus de parocho negante Baptismum proli, cujus Patrem Mater manifestare non volebat. 160.
An jure quærat parochus, & an teneatur Mater manifestare Patrem? Ibid. *& seqq.*
Quid si immineat mors? 163. *in App.*
An liceat æquivocando nominare alium patrem? Ibid. *lit. G.*
An similiter seipsum falsò nominare patrem? lit L.

127 DIdacus sacerdos alienus prolem à matris alvo recentem solenni ritu baptizat ruri, *ad eam rem nullâ sibi à ruris parocho factâ potestate, neque rei illius gerendæ ulla tunc ostendebatur necessitas. Hic dum in illius sacri muneris functione versatur, incipit dubitare, num partes parochi sibi usurpans centuriam aliquam, seu irregularitatem contraheret? Antipiti cogitatione distractus verba proferens formæ dicit*: Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis: *& cùm nomen Filii non occurreret, ex iis, qui aderant, suggerente uno, illud etiam pronuntiavit. Re perfectâ æstudt animo; veretur, ne Spiritus sancti nomen non expresserit; itaque ad me adiit, hæc duo scire avens: primum fuit, an irregularitatem, censuramve ullam incidisset; secundum, an Baptismus cum conditione iterandus esset?*

Hoc factum, quod descriptis verbis recenset P. Paulus Comitolus, dat nobis ansam ptoponendi hoc loco non unam, sed plures quæstiones de necessario, itémque apto Ministro Baptismi: illam de iterando hoc Baptismo attingemus *Casu XIII. n. 423.*

128 Quæres igitur I. *Quisnam valide baptizare queat alterum?*

Resp. Quilibet omnino homo præditus usu rationis, dummodo adhibeat debitam materiam, formam, & intentionem. Ita habetur, ac definitur in decreto Eugenii post *Florentinum Concilium.* Ratio est, quia summa necessitas Baptismi, deplorandáque ejus jactura exigebant, ut Salvator illum instituens, ac præcipiens faceret cuivis mortalium potestatem eum conferendi.

Quare fuerunt nimis simplices illi, quos *in primo Casu hujus Alphabeti* exhibuimus, si, ut indicabant, putabant, nefas esse sibi laicis, etiam in extrema necessitate lustrare illum Hebræum. Fortè autem utebantur aliquâ æquivocatione, aut restrictione mentali ad declinandum ministerium, quòd malè rogabantur.

Dixi verò: *Alterum*, ut declarat authentica Resolutio hujus.

Casus Judaici.

129 *Quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cùm inter Judæos tantùm exsisteret, in aquam immersit se ipsum dicendo*: Ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Respondemus, quòd cùm inter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio, memoratus Judæus est denuo ab alio baptizandus.*

His verbis refert, ac decidit hunc eventum Innocentius III. *Cap. Debitum. De Bapt. & ejus effect.* quibus absit, ut aliquid addamus.

130 Quæres II. *Quisnam sit ordinarius Minister Baptismi, & cuinam delegare queat suam potestatem?*

Resp. Papa per totum mundum: Episcopus quisque per totam diœcesin: parochus per totam parochiam, sunt ordinarii Ministri Baptismi. Ita omnes, partim quia ejusdem est, disponere ad Eucharistiam, cujus est, præbere ipsam Eucharistiam. Sanctus Thomas *q. 67. ar. 2. in Corp.* Baptismus autem est dispositio ad Eucharistiam. Partim quia per Baptismum recipitur aliquis in Collegium Ecclesiæ militantis, receptio autem in Collegium pertinet ad præsidentem, ut argumentatur, & loquitur Scotus *in 4. dist. 6. q. 2.*

131 Hinc si quis existat in Turcia, India, aliis locis, in quibus nulli Episcopi, nulli curatores animarum præpositi sunt, nemo licitè assumet jus, officiúmque baptizandi, nisi habeat *mediatè*, vel *immediatè* potestatem à supremo orbis universi Pastore Christi Vicario. Suarez *hic disp. 31. sect. 4.* Quod enim scripsit Paulus ad *Rom.* 10. *Quomodo prædicabunt, si non mittantur?* applico, & dico: Quomodo baptizabunt (ex officio) si non mittantur?

132 Ex qua ratione ulteriùs infertur, graviter delinquere eos, qui è parochia sua deferunt suos Filios ad aliam ibi baptizandos. Laymannus *Lib. 5. Tr. 2. cap. 7. n. 2.* quandoquidem tales liberi fiunt per Baptismum alibi susceptum membra spiritualia Collegii, seu parochiæ, in qua parentes habent domicilium, vel quasi, ergo erant recipiendi per parochum hujus Collegii, non alterius.

Quòd si tamen alienæ parochiæ parvulos sciente, nec contradicente parocho, baptizare soleas ob loci distantiam, ac simul patrinum præsentiam, instantésque preces, non damno te, quia talis dissimulatio, támque frequens potest haberi pro *tacito* consensu. Atque ita judicavi in contingentia facti, addente P. Hurtado *De Bapt. Disp. 2. diff. 2.* sufficere ratihabitionem de futuro.

At inquies: *Quid si mater faciens iter in alteram parochiam illic effundat fœtum, curétque deferri vel ad proximam parochiam, licèt alienam quoque, vel ad propriam?* Resp. Si ad propriam, melius aget *per se loquendo*, quia conformiter rationibus allatis ex S. Thoma & Scoto. Imò si illa parochia distaret tantùm duabus, vel tribus horis, abestétque omne periculum, fortè obligaretur curare eò deferri; certè id impedire nequiret parochus loci, in quo peperit. Puto tamen, non vigere talem consuetudinem tanquam obligatoriam, sicut nec censeo, peccatum iri, si deportetur ad alienam omninò; nam neque pro parocho loci, in quo viatrix peperit, militant rationes suprà allatæ; neque ille parochus habet jurisdictionem aut in infantem, cùm nondum sit Christianus, aut in parentes utpote viatores; non habet, inquam, jurisdictionem *coactivam*, etsi *voluntariam*, possunt enim utique parentes, saltem si sint dissiti à proprio domicilio, submittere se huic in re parocho, sicut & alteri vicino. Unde Barbosa de *parocho Part. 3. cap. 18 num. 7.* absolutè scribit, peregrinum posse sibi eligere locum Baptismi, ubi vult; & Gl. *in Cap. Numerus. 10. q. 3.* expressè dicit, transeuntes, & qui non habent domicilium, posse, ubi voluerint, eligere locum Baptismi, quod etiam docet de Judæis, & Paganis. Vide plura hanc in rem *in cursu Theolog. Monast. S. Galli Tom. 9. Tr. 2. q. 2. dub. 1.* ex P. Coninck.

Superiùs allatæ rationes probant, peccâsse 134
utique graviter nostrum Dominum Didacum, qui irrequisito parocho loci, tingebat non unum, sed plures, idque sine ulla necessitate. Rectè tamen etiam resolvit Comitolus, illum non incurrisse ullam vel censuram, vel irregularitatem, quia in toto jure Canonico non reperiuntur ulla decreta contra presbyterum invadentem in hac materia jus alienum.

At si parochus viatricis; de qua paulò antè fuit sermo, casu delatus fuisset in talem pagum, an non licitè baptizâsset? Nam ratio tam S. Thomæ, quàm Scoti fuisset ipsi suffragata.

Resp. I. Non fuisset suffragata, quia utra- 135
que est intelligenda cum clausula: *Per se*; nam sicut leges intelliguntur secundùm ea, quæ *per se*, non autem *per accidens* eveniunt, ita & doctrinæ *morales*. Impedit usum duarum illarum rationum hæc *accidentalis* circumstantia, quòd existat in aliena parochia. Et quamvis actus jurisdictionis *voluntariæ* possint plerumque in alieno territorio licitè exerceri irrequisito Ordinario loci. Laymannus *in Theologia Morali Lib. 1. Tract. 4. Cap. 5. num. 4.* quamvis etiam Vasquez *Disp. 143. cap. 4.* rectè observet, Baptismum revera non esse

esse actum jurisdictionis in baptizando, attamen est actus & solennis, & requirens materiam, in quam accipiendam jus non competit alieno parocho. Huc proinde facit aliud ex Dionysio Papa monitum, quod refertur 13. *q. 1. Can. 1. Nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat.*

136 Resp. II. Quandoquidem omnis ordinariâ potestate præditus potest eam alteri delegare. *L. More. ff. De Jurisdict.* ideo potest parochus dare alteri sacerdoti copiam baptizandi etiam extra casum omnis necessitatis. Ita omnes, adeóque etiam Religioso. Barbosa *De parocho Part. 2. cap. 18. n. 9.* nam nullum jus id vetat. Adde, quòd in absentiâ parochi, si is neminem sibi substituit, possit quivis sacerdos in necessitate, quamvis non extrema fungi ejus officio etiam solenniter. Vasquez *loc. cit.* & alii. Imò potest idem parochus demandare suas vices diacono. S. Thomas *quæst. 76. art. 1.* patétque *ex cap. Diaconos Dist. 93.*

137 *At an pro libitu?* Non legi; qui hoc asserat, *An in solo casu extremæ necessitatis?* Ita sanè putant Bonaventura, Richardus, alii, teste Vasquez *Disp. 147. cap. 4. n. 28.* at dissentiunt Vasquez *ibidem*, Coninck *quæst. 76. n. 26.* Laymannus *Lib. 5. Tr. 2. c. 7. n. 3.* Paulus *Tract. 19. punct. 9. num. 5.* Barbosa *loc. cit. nu. 10.* requirentes causam rationabilem; eâ tamen meritò contenti cum Dicastillo *Tract. 2. Disp. 2. dub. 3.* fusè. Ratio est, quia quando quis ordinatur in diaconum, recitantur ex Pontificali Romano hæc verba: *Diaconum oportet administrare, baptizare, & prædicare.* Hæc sanè verba non loquuntur de sola extrema necessitate; quando scilicet parvulus esset moriturus absque Baptismo; nisi eum Christianum efficeret Diaconus. Ergo poterit diacono impertiri potestas solenniter quoque baptizandi, quando parochus nequit vel ob infirmitatem, vel ob excommunicationem, vel ob baptizandorum multitudinem, vel ob aliud justum impedimentum per se, aut alium sacerdotem fungi illo officio. Quæ exempla exprimunt prædicti auctores, & quidem sine limitatione ad impotentiam habendi alium sacerdotem. Laymannus, Dicastillo, Coninckius. At ego cum cæteris puto addendam hac ætate, qua, ut jam olim observavit Scotus *in 4. Dist. 4. art. 1.* exolevit consuetudo committendi hoc officium diaconis, scilicet ob multitudinem sacerdotum, licèt Dicastillo *loc. cit. n. 45. junct. nu. 88.* censeat, diaconum proprio jure baptizare solenniter, si videlicet parochus sit absens, & urgeat necessitas etiam non extrema, ut patet ex doctrina, quam tradit *n. 7.* Ita etiam Suarez *hic Disp 23. sect. 3.* & ego.

Sed percunctaberis, *An si parochus nondum sit insignitus sacerdotali charactere, licitè baptizet, absque alia commissione?*

138 Pro *affirmativa* parte faciunt rationes suprà ex S. Thoma & Scoto allatæ, & quòd Sotus, Vasquez, & alii tribuentes parocho jus ordinarium baptizandi, non addant hanc restrictivam: *si sit sacerdos*; ac denique, quòd sicut jam suprà monui, tempore ordinationis diaconorum dicatur ipsis: *Diaconum oportet ministrare, baptizare, & prædicare.* Atqui potest talis parochus sine ulteriori commissione prædicare, ergo & baptizare. Pro *negativa* facit, quòd omnes exprimant, potestatem hanc jure ordinario competere soli sacerdoti.

Miror sanè, hanc practicam difficultatem 139
à nemine, quem viderim, proponi (proponit quidem, sed solùm ex me Stephanus *Tract. 5. Disp. 2. dub. 3.* nihil determinans) aut in terminis decidi. Donec itaque auctoritas aliqua me convincat, tuebor *affirmativam* partem, ac dicam; hoc ipso, quòd Episcopus tali diacono conferat canonicè beneficium parochiale, conferre quoque, ut sanè potest, jus tam liberè in sua parochia augendi numerum Christianorum, quàm si esset jam Sacerdos; secus si ejusmodi parochus foret solummodò subdiaconus, huic enim, sicut & Minoribus nequit, nisi in extrema necessitate id committi, & quidem solùm in casu, quo non adest dignior.

Quòd si diaconus (non parochus) sine 140
commissione parochi baptizet solenniter, incurrit irregularitatem decretam *cap. 1. De clerico non ordin. minist.* in illos, qui non ordinati baptizant. Suarez *hic Disp. 31. sect. 4.* Vasquez *hic Disp. 147. cap. 4.* & alii passim, nisi excuset ignorantia. Dicastillo *hic Disp. 2. nu. 49.* Idem, si in extrema necessitate baptizet solenniter; censet Suarez *cit. sect. 4.* non satis consentiens doctrinæ ex ipso relatæ *n. 137.* Multò clariùs contrahunt hanc inhabilitatem inferiores clerici adhibentes Baptismum solennem ex quocunque prætextu. Suarez *ibid.* ex communi; ratus cum communiore aliorum contra Angelum, Armillam, & alios quosdam, idem pronuntiandum de laico baptizante solenniter.

Quæres III. *Cùm suprà n. 128. dixerimus,* 141
quemvis omnino hominem ratione præditum posse validè baptizare; an quisque in extrema necessitate obligetur uti hac potestate?

Resp. Omnino *per se loquendo*; tenetur enim quivis succurrere proximo constituto in summa necessitate spirituali, ut explicabimus fusiùs *Casu VIII.*

At *licet ne hac in necessitate cuivis præverte-* 142
re alterum præsentem?

Resp. Minimè; peccat enim diaconus, si presbyterum, subdiaconus, si diaconum, minorista, si subdiaconum, infidelis, si fidelem excommunicatus, si non excommunicatum, mulier, si virum præveniant; casu, quo ii, qui prævertuntur, velint, ut sanè tenentur, id munus obire. Ita hactenus nominati, nam perversio hujus ordinis continet indecentiam, si cætera sint paria, secus si imperitiâ quadam

laborent, qui cæteroquin forent aliis præferendi. Inversio tamen hujus ordinis etiam voluntaria non continet noxam lethalem respectu omnium. Dicastillo *cit. Disp. 2. dub. 2. n. 2.* continet autem, si diaconus seu repugnantem, ut limitat Gregorius de Valentia *hîc q. 2. punct. 1.* seu absque rationabili causa cedentem jure suo sacerdotem diaconus, diaconum subdiaconus, excommunicatus non excommunicatum, infidelis fidelem excludat. Dicastillo *ibid.* Constitutiones tamen hujus Constantiensis diœcesis *Part. 1. Tit. 6.* plus non dicunt, quàm magis decere, ut in hoc eventu præferatur sacerdos laico, vir mulieri. His adde, Lessium *in Auctario ad 1. 2. verb. Baptismus. Casu 1.* absolutè negare, fas esse, deferre infantem ad ministrum hæreticum, ut ab eo baptizetur; & *Cas. 2.* addere, si uxor videat, quòd maritus hæreticus velit post aliquot menses deferre communem prolem ad ejusmodi ministrum, rectè facere procurando, ut priùs baptizetur ritu sacro, esto prævideat rebaptizandum à Prædicante. Denique pro praxi observa, tametsi dixerim, virum esse *per se loquendo* præferendum mulieri in hoc ministerio, *per accidens* tamen omittendam hanc prælationem, quando ille vir est parens baptizandi; qua de re duplicem eventum singularem refero *in Alphab. Confessar. Casu 8. nn. 413.* & infra *nam. 582.*

143 Quæres V. *Utrum possint esse plures ministri unius Baptismi?*

Resp. Posse, negat S. Thomas *3. Part. q. 67. art. 6.* Aut enim singuli dicerent: *Nos te baptizamus*, & tunc nihil efficerent, quia, cùm baptizans sit minister Christi, debet, sicut est unus Christus, ita etiam unius Baptismi unus minister esse, & significari per formam; aut dicerent singuli: *Ego te baptizo*, tum qui prior finiret formam, absolveret Baptismum, ergo alter nihil faceret. Ita ferè sanctus Thomas; cui multi adstipulantur quoad primam partem, multi adversantur, nec sine ratione. Lege, si vis, obvios commentatores; & Casistas tractantes de ministro, atque adde, tam crebrò evenire, ut plures mulieres pro majore securitate baptizent domi languentem infantem, ut quidam hujus diœcesis Clarissimus vir mihi scripserit, se *ordinariè* taliter baptizatos rebaptizâsse, ob errores commissos, quos deprehenderit. Censeo & ego purgandos altero lavacro.

144 *Quid si verò unus formam proferat, altero adhibente materiam?*

Respondetur cum communi, nihil effectum iri, qui enim formam proferret duntaxat, mentiretur dicendo: *Ego te baptizo* (ac proinde meritò tradunt DD. apud, & cum Diana *Part. 5. Tr. 5. Res. 26.* irritum fore Baptismum, quo mutus ablueret corpus parvuli altero, qui manibus caret, pronuntiante verba.

145 Sic etiam rejicerent Baptismum, quo dum, tustenes infantem sub stillicidio, alius profert formulam, cùm tu potiùs deberes proferre; aut quo illam quidem profers tenendo puerum, at aqua non labitur sponte ex tecto, sed alius affundit, vel effundit. Vide dicta *Casu I. num. 10.*

Quia tamen Cajetanus, Marsilius, Heredia, 146
Hurtadus, & Chapeaville apud eundem Dianam Censent, talem Baptismum (muti & manibus capti) valere in extrema necessitate, patet, quid respondendum sit ad hunc

Casum.

Puerpera verità, ne proles, quæ jam incipit egredi ex utero, moriatur priùs, quàm totà edatur in lucem, dicit astanti mulieri: Asperge aquâ partem, quam vides egressam, ego interim proferam præscripta verba; *an agit piè?*

Resp. Piè, & impiè. Piè, si & fuit præsentissimum periculum mortis; & altera mulier erat imperita formulæ, támque hebes, ut non potuerit voce sequi præeuntem verba; nam, in ejusmodi discrimine non modò licitum, sed etiam præceptum est, sequi sententias auctoritate probabiles, ut pluribus paulò post dicemus. Impiè autem, si altera mulier aut erat perita formæ, aut capax illius tunc discendæ, eo modo, quo dixi.

Paulus quidem Comitolus *Lib. 1. Resp. Moral. q. 11.* 147
testatus, se de hoc facto consultum, videtur penitus rejicere nostram primam responsionem; sed certè rejicienda non est, cùm habeat tales patronos; & proinde locum habere potest tempore pestis. Si enim in domum pestè infectam, obseratámque nemò permittatur ingredi; & mulier, quæ sola in domo est penitus ignara, & indocilis formæ, poterit parochus e. g. in casu extremæ necessitatis per fenestram apertam dicere: *Ego te baptizo in nomine &c.* matre interim affundente aquam, ut observat pestiferorum patronus eximius Chapeaville *q. 20. De Bapt.* Quòd si posset aspersione pervenire ad corpusculum parvuli, teneretur uti hoc medio, quod etiam approbat idem Chapeaville *loc. cit.* Vide Dianam *Part. 5. Tr. 3. Resol. 19. & 26.* Adde, hæc omnia describi ex me, approbatíque à P. Stephano à S. Paulo *in Theol. Moral. Tract. 5. Disp. 2. n. 12. edit. 3.*

At verò quin unus valeat baptizare plures 148
simul, est tam extra dubium, ut etiam in Obsequiali Constantiensi *Fol. 28.* observetur, sæpius in amplioribus parochiis contingere, ut plures simul baptizentur; & *Fol 38. ac seqq.* præscribatur modus servandus, quando plures unius vel diversi sexûs debent una ablui. Ut proinde in hac diœcesi non sit movendus scrupulus parocho præsertim Brigantinæ silvæ, cui sæviente hyeme adferuntur è duobus locis

locis aliquantum dissitis duo infantes referendi in album fidelium, ipséque utrumque simul refert, simul regenerando.

149 Quæres VI. *Quænam scienda sint brevitèr de ministro hujus Sacramenti?*

Resp. Sequentia esse superioribus addenda.

I. Necessitatem intentionis, de qua *Casu VI.*

II. Baptizantem ex officio, adeóque solenniter, delinquere mortaliter, si sit in statu peccati mortalis secundùm omnes, eò quòd fiat insignis injuria Redemptori, si ejus minister in tam pravo statu conficiat ex officio, ad quod ordinatus est, hoc, aut qualecunque aliud Sacramentum. Etenim indignitas tam detestabilis instrumenti gratiæ sanctificantis non potest non redundare in probrum causæ principalis, id est Christi Domini. At verò qui baptizat solùm in extrema necessitate, non contrahit specialem malitiam ex circumstantia sui mali status, ut post S. Thomam *3. Part. q. 64. ad 3.* notant passim DD. adeò ut Silvester dicat (at non ego) esse stultum de hoc dubitare. Lege omnino P. Joannem de Dicastillo *De Sacram. Tr. 1. disp. 3. dub. 10.*

150 Adde, quòd etiam in primo casu sufficiat, si conscius peccati mortalis eliciat contritionem, antequam proferat ultima verba formulæ, siquidem generatim loquendo dispositio animi ad dignè conferendum, vel conficiendum Sacramentum sufficit, modò adsit ante consummatum actum *essentialem* sacri ministerii. Marchantius *in Resol. pastoral. De Sacram. Tr. 1. cap. 4. num. 3.* adeóque licèt vel proferas totam formam Baptismi usque ad literam I. in vocula *Sancti* juxta doctrinam Tanneri *hîc Disp. 4. q. 2. n. 10.* non sequendam extra necessitatem urgentem, vel totam confessionem audias in peccato mortali; evades sacrilegium, si conteraris, antequam dicas: *Absolvo te.* Sicuti & evades, si necessitas extrema proximi non permittat tibi tantum spatij, quantum sufficit ad eliciendam contritionem. Dicastillo *loc. cit. n. 199.*

151 III. Ne assentiaris Abbati *in cap. Debitum. De Bapt. n. 3.* contendenti, baptizantem debere esse baptizato adultiorem annis 18. nam immeritò habet hic Canonista pro absurdo, quòd quis sit pater spiritualis illius, cujus nequiret per ætatem esse pater carnalis. Ego non annumerarem absonis, si parochus trecennis Judæum sexagenarium perfunderet salutari latice.

152 IV. Qui invalidè baptizavit, tenetur *per se loquendo* emendare defectum, sive cum magna sua culpa contigerit defectus, sive cum nulla, aut parva, ut edisseremus *Casu VI.*

153 V. Fictè baptizare quempiam, est nefas. Ita omnes, tum quia, cùm Sacramentum sit cæremonia sacra, pertinet in primis ad ejus reverentiam, ut non fiat ex joco, & simulatione, sed ex animo. Suarez *De Sacram. Disp. 13. sect. 2.* tum quia omnis propriè dicta simulatio est peccatum, sicut ratione, & auctoritate probo, ac declaro *in Quinario Tract. 5.* seu *Theologia Juridico-moral. cap. 51. n. 39. & seqq.* est quippe mendacium reale, omne autem mendacium esse peccatum, ita constanter, & unanimiter cum cæteris Theologis docent Theologi Societatis nostræ, ut non levi injuriâ nos conspurcare (utor verbo scriptoris) conatus sit Valerianus Magnus, dum in suo famoso libello contra omnem veritatem scripsit, Jesuitas novissimè docere, licere cum moderamine inculpatæ tutelæ mendacio infamare, imò & mactare eum, quem scias ire conspurcatum tuam bonam famam.

VI. Minister hujus Sacramenti tenetur è 154
duabus opinionibus *speculativis* probabilibus, id est probabiliter pronuntiantibus, ad valorem hujus Sacramenti requiri hanc, aut illam materiam, formam, intentionem &c. adhærere in praxi illi, quæ est tutior, seu quam redigendo in usum minus incurritur periculum nullitatis, nisi fortè contrariam observet mos diœcesanus. Ita communiter DD. ut videre est apud Sanchez *Lib. 1. Summæ cap. 10.* Bardi *De conscient. disceptat. 4. cap. 31. n. 3* atque alios. Ratio est, quia charitas debita proximo hoc requirit, præsertim in hoc Sacramento tantæ necessitatis. Vide varietatem opinionum multiplicem, quam retuli Casibus seu Capitibus tribus præcedentibus, & huc applica. Si tamen respiciamus non charitatem debitam proximo, sed præcisè reverentiam Sacramenti, necdum improbatur mihi, quam probavi *in Clypeo clement. Judic.* sententia Patris Vasquez *in 1. 2. Disp. 63. cap. 3.* ac plurium aliorum contra eundem Bardi, atque aliorum negantium, hîc intervenire prædictam obligationem, quia nec Christo, & consequenter nec Baptismo irrogatur ulla reverentia, si administretur eo modo, ac ritu, quo prudens ratio dictat, esse valiturum.

VII. At verò sine distinctione inter prædi- 155
ctos duos respectus fas est, sequi utramlibet ex duabus probabilibus *practicè*, seu asserentibus probabiliter, esse, aut non esse licitum, adhibere talem materiam, talem formam &c. id quippe esse *moraliter* certum, asserit Bresserus *De conscientia cap. 6. n. 75.* Vide dicta *Tractatu præced. n. 98. & seqq.*

Cave tamen, existimes, esse tibi ad praxin 156
redigendas omnes illas sententias, quæ negant, esse necessariò iterandum Baptismum in omnibus illis casibus, in quibus alii ajunt iterandum, ut singulariter declarabimus *Casu XIII.*

VIII. Si lubeat scire, utrùm valeret Bapti- 157
smus collatus ab Angelo, aut ab anima separata, consule Summistas, aliósque DD. differentes de ministro Sacramenti cum S. Thoma *quæst. 64. art. 7.* resolvent hanc ferè inutilem ad praxin quæstionem, quam tamen illustro resolutione hujus

Casûs.

Casus.

158 *Sanctum Philemonem Martyrem jam constitutum in arena carnificinæ, baptizavit omnibus spectantibus Christianis ipse Christus, ut pluribus referam Casu VII. an si evasisset martyrium, fuisset iterum lustrandus undâ salutari?*

Resp. Sicut augustissimum sacellum Beatæ Virginis Eremitanæ fuit S. Conradus Episcopus consecrare prohibitus illis Angelicis verbis: *Cessa, cessa, frater, Capella Divinitus jam consecrata est*, videlicet ab ipsomet Salvatore, ut cognoscere est ex Annalibus Illustrissimi, & Religiosissimi monasterii conscriptis à Reverendo Patre Christophoro Hartmanno *Fol. 50. & 51.* atque ex eruditis hac de re Thesibus Admod. Reverendi, & Clarissimi Patris Augustini Reding ejusdem Monasterii tunc Decani, nunc Abbatis, & Illustrissimi Principis, ita etiam videri potest, minimè fuisse rebaptizandum sanctum Philemonem. Nam non solùm assentiendum est Angelo dicenti: *Quod Deus purificavit, tu commune ne diveris. Actor. 10.* sed etiam cum Scoto *in 4. dist. 6. q. 1.* videtur asserendum, si constaret, aliquem esse baptizatum à bono Angelo, præsumendum esse, illum Baptismum collatum esse jussu Dei, & idcirco pro rato habendum; ergo & pro rato habendus est, quem Christus Dominus ipse contulit. Confirmatur authoritate S. Thomæ, quam secutus sum *Tract. præced. nu. 50.* Item judicio Episcoporum, qui, ut *ibidem* refero, negârunt, fuisse iterandam consecrationem Episcopalem D. Amphilochii, peractam priùs ab Angelis.

159 IX. In eodem *Tr. præced. n. 191.* declaravi Casu Calvinistæ baptizati à ministro addente: *Secundùm auctoritatem, quam mihi tribuit Calvinus*, utrùm error Ministri irritet Sacramentum? Sicuti & *Cas. 2.* hujus ipsius *Tr. 2. nu. 76.* retuli ex S. Thoma, quid sentiendum sit, quando formulæ sacramentali additur aliquid cum intentione inducendi novum ritum.

Plura de ministro Baptismi, præsertim in articulo mortis, vide *Casu VIII.* sed priùs lege Resolutionem hujus ad me, dum hæc exaro, perscripti

Casus infamatorii.

160 D*Alila quædam ex illicito concubitu prolem pepererat. Dum offertur baptizanda, quærit Parochus, quis sit pater illius prolis? Interrogata mater tergiversatur. Et quia parochus negat Baptismum, nisi edatur nomen genitoris, edit, edicitque mater. An jure egit parochus?*

Resp. Quæsivit vel jussu Magistratûs Ecclesiastici, vel injussu? Si injussu, tum non satis video, quomodo excusem factum, quandoquidem induxit matrem ad grande peccatum, scilicet ad infamationem stupratoris occulti. Et quid si illa misera Dalila concepisset ex incestu? Quid si ob confessionem eâ ratione extortam fuisset tam ipsa, quàm incestuosus rapta in carcerem, affectáque extremo supplicio?

Si verò jubente magistratu Ecclesiastico ursit responsum ad illam interrogationem, præsumo, haud malè feciſſe; quia existimo, posse alicubi concurrere tales circumstantias ratione alendæ prolis illegitimæ, fornicatorum, fornicatricúmque, ut Episcopis suggerant justam causam vetandi parochis, ne quemquam progenitum è muliere soluta referant in censum Christianorum, nisi mater manifestet nomen patris. 161

Scio, alicubi obstetrices, mandante seculari magistratu, exigere à parturientibus matrimonio non copulatis juramentum, quo roborent manifestationem impuri lenonis; quod sicut non absolutè, & universim improbo, ita nolim facilè cuiquam esse auctor ejusmodi, ut vocat alicubi Lessius, spiritualis torturæ, propter grande periculum perjurii. Vide, quod ex Constitutionibus nostratibus referam infrà *num. 587.* 162

At, inquies: *Estne in foro seu seculari, seu Ecclesiastico integre standum tali nominatione seu juratâ, seu injuratâ?* 163

Resp. Nequaquam, sicut adversùs nonnullos Judices demonstro *in Quinario Tract. 5.* seu *Theologiâ Juridico-morali cap. 32. n. 19.* Quare nec puto, agere jure Parochos, qui ob solam nominationem factam à puerpera referunt in librum absolutè nomen maris pernegantis, se quidquam commercii carnalis habuisse cum matre ipsum nominante; etenim propter hujus negationem deberet illa inscriptio fieri cum modificatione e. g. tali. *Negus est patre N. N. ut ait mater.* Vide plura *Tr. 10. Cas. 5. n. 186.* Totum hunc discursum meum à *n. 160.* describit meis verbis, & firmat suâ auctoritate Stephanus *cit. Disp. 2. num. 30.*

APPENDIX.

ET verò triduo, priusquam scriberem hanc Appendicem, intellexi, non ita pridem fuisse in nostra Curia agitatam litem filiationis, ea de causa, quòd mater nominâsset confictum patrem suæ illegitimæ prolis, qui postquam constanter negavit, hanc esse suam, fuit alius repertus verus genitor. Porrò non est in hac nostra Diœcesi moris, ut vel Parochus, vel magistratus secularis instituant ante puerperium, aut ipsummet Baptismum, quæstionem de patre, & meritò differtur hæc interrogatio, quia non debet addi flagellatis afflictio. *Text. Cap. Cùm percussio 7. q. 1.* sed potiùs miseriæ miserendum. *Cap. Ex parte.* a

te. De cler. ægrot. puerperium autem vel imminens, vel vix præteritum flagellat, acriterque cruciat plerasque; ergo differenda communiter, etsi non semper quæstio de parente, donec sint peractæ cæremoniæ Baptismales, nec ea est à Parocho proponenda *immediatè* ipsi puerperæ, id quippe foret indecens, sed vel patrino, aut matrinæ, vel obstetrici; his enim solent ejusmodi miseræ creaturæ manifestare seu verum seu confictum parentem, creditque meritò Parochus, etsi nullum accedat juramentum.

At verò Magistratus Secularis exigit pluribus in locis juramentum, nec universim improbo, ut jam paulò antè dixi; hunc morem. Cùm enim illa puerpera supponatur commisisse crimen verum, scilicet fornicationem, nec potuerit hanc patrare sine complice, fert autem communis consuetudo, ut in criminibus, quæ regulariter (multò magis, quæ nunquam) non solent committi sine sociis, delinquens interrogetur de sociis. Antonius Gomesius apud Jul. Clarum *in Pract. crimin. q. 21. n. 3. Lit. K.* declarátque P. Haunoldus *De Justit. Tom. 6. Tr. 3. Controvers. 3. nu. 281.* exemplis; ea verò consuetudo non repugnet apertè juri naturali, tametsi perquam probabiliter adversetur Canonico. *cap. Veniens. 1. De Testib.* imò & Civili *L. Ultima. C. De accusat.* appareat, eam consuetudinem non posse damnari; tanquam apertè iniquam, cùm possit ea alicubi derogâsse juri *positivo.* Et potest etiam inde confirmari (non obstantibus iis, quæ de confessione socii criminis scribo *in Quinario Tr. 5. c. 42. sect. 2. n. 48.* ex Peckio) dicta consuetudo, tùm quia, quando constat, aliquod crimen esse commissum, potest institui generalis de autore inquisitio. Clarus *l. c. q. 5. n. 2.* ex communi; constat autem, esse ab aliquo mare patratam ut minimùm simplicem fornicationem, quando aliqua soluta concepit, peperítque: tum quia si non constet publicè de vero patre, potest facilè evenire, ut eam ob rem celebrentur aliquándo incestæ nuptiæ, ut si nothus, vel notha nubat post utriúsque parentis mortem legitimo filio; aut fratri sui patris naturalis, prorsùs ignara planè ignaris consanguinitatis veræ. Item facilè fiet, ut illegitimus promoveatur ad Sacros Ordines. e. g. quando falsò nominatur pater ducit illam; à qua nominatur, per subsequens enim matrimonium patris cum matre tolli maculam illegitimi ortûs nôrunt etiam plebeji. Denique proles non habebit, qui à Magistratu Ecclesiastico, aut Civili efficaciter adigatur ad ipsam alendam, & Christianè educandam. b

At, quid si proles illa est suscepta ex concubitu adulterino, sacrilego, incestuoso? & proinde immineat tam matri, quàm vero patri, non laboranti ullâ infamiâ, periculum gravis mulctæ, gravis infamiæ, aut etiam mortis? *An licebit æquivocatione, aut restrictione mentali utendo nomina realium patrem? An etiam pretio conducere, qui profiteatur se patrem?* c

Audivi non semel id factitatum, &, quid de hoc facto censerem, interrogatus ego fui hoc ipso mense Octobri Anni 1668. quo adornabam alteram editionem hujus Alphabeti, & rursùm de alio simili Anno 1674. sicut & hoc Anno 1675. ac suppositâ communissimâ sententiâ, pro qua rationes, & auctoritates vide apud Theophilum Raynaudum, quem refero, sequórque *in Alphab. Quadrupl. Part. 2. Cas. 18. n. 601. & seqq.* quòd scilicet ratio naturalis usum non tantùm æquivocationum, sed etiam restrictionum mentalium permittat tunc, quando & abest obligatio aperiendi apertè veritatem, & simul imminet aliquod incommodum ex manifestatione veritatis: suppositâ, inquam, hac sententiâ.

Respondeo ad *primam* quæstionem, si incommodum aliquod immineat illi, qui falsò nominabitur pater, nefas esse, eum invitum nominare; nullus enim Theologus, teste Raynaudo *in cit. Opuscul. De æquivocatione. n. 10.* hactenus docuit, fas id esse cum damno innocentis inviti. Similiter est tunc illicita æquivocatio facta in ordine ad Parochi interrogationem, si ex veritatis manifestatione non sit secutura, nisi levis infamia veri patris; leve damnum utriusque. Ratio est, tum quia, quando criminosus interrogatur à Superiore in ordine non ad punitionem, sed ad evitandum malum, tenetur inferior, etiam non servatâ formâ juris, de qua paulò pòst, aperire etiam occultum peccatum: Lessius *De justit. cap. 31. n. 9.* tum quia, cùm Parochus debeat ex officio suo publico referre in album Baptizatorum nomina parentum, è quibus est progenita proles, quam tinxit sacro lavacro. Infrà *Cas. 17. nu. 591. & 592.* habet verum jus sciscitandi; quisnam si parens: quod jus se extendit saltem ad casum à nobis indicatum; ergo tenetur mater, saltem in tali circumstantia, edicere planè veritatem; Superiori enim legitimè interroganti tenetur inferior sine ullo mantelo eam detegere, etiam cum aliquo suo incommodo. Doctores omnes, & vel maximè illi, qui hanc obligationem urgere ajunt, etiam quando agitur de gravissimo damno. d

Quod quidem gravissimũ damnum seu fortunarum, seu honoris, seu vitæ, quando impendet matri, vel patri, ex candida responsione data Parocho, non ausim obligare matrem ad abstinendum amphibologiâ, aut etiam restrictione mentali; non enim existimo, esse Ecclesiæ Præsulum hanc intentionem, ut dent Parochis potestatem inquirendi cum tanto gravamine, partim quia frustrà esset ea potestas; nec enim facilè reperietur, quæ cum tanto suo discrimine fateatur; absque metu torturæ, id, quod res est: partim quia non expedit, ut Ecclesia præbeat Seculari Magistratui e

tui occasionem fundendi sanguinis; ut fieret, si mater confiteretur incestum; sanè sicuti calix vitæ nondebet verti in mortem. S. Thomas *3. P. q. 83. a. 6. ad 3.* ita nec fons vitæ, id est, Baptismus: verteretur autem hic in mortem, si adesset obligatio nominandi hîc genitorem; quandoquidem illæ quæstiones proponuntur solùm occasione Baptismi collati à Parocho, ejúsve Vicario. Confirmatur ex mox dicendis.

f Si quippe loquamur de Magistratu Sæculari, cùm hic Magistratus nec possit, nec debeat in alterius præjudicium fidem habere matri, nisi juratæ; *Text. in Cap. Nuper. 51. de Testib.* juramenti autem Religio videatur excludere omnes æquivocationes, & restrictiones, saltem respectu Magistratûs legitimè interrogantis, idcirco videri possit habere hîc locum communissima contra nonnullos doctrina eorum, qui apud Raynaudum *loc. cit. cap. 4. n. 6.* post S. Thomam docent, teneri reum legitimè examinatum respondere categoricè, & apertè, tametsi ex ejus confessione derivandum sit in ipsum (aut complicem) ingens malum, adeóque ipsa mors.

g Verùm existimo, illam doctrinam Sancti Doctoris non rectè applicari huic casui; etenim ipsemet *2. 2. q. 69. art. 4.* tradit, tunc solùm servari ordinem juris in interrogando, quando vel præcessit infamia, vel suppetunt indicia expressa, vel adest semiplena probatio; atqui, quando aliqua soluta parit, non adest hoc ipso infamia criminis commeriti unum ex enumeratis illis gravibus malis; non etiam suppetunt hoc ipso expressa signa illius ejusdem criminis, sicut nec semiplena probatio (qua de re vide detestabile factum alicujus Superioris Religiosi apud Portel. *in Respons. Moral. part. 1. Cas. 16.*) Sed, quando nihil horum adfertur, licitum est reo uti amphibologiâ. Expressè Laymannus *Lib. 3. Theolog. Moralis Tr. 6. cap. 5. n. 4.* cum communi. Igitur non peccabit tunc mater, si per æquivocationem nominet (citra cujusquam gravamen) vel alium patrem, vel verum quidem, at alio nomine, quàm soleat communiter appellari; ut si ejus vulgare nomen sit Joannes Jacobus à Quercu; dicat autem puella, se concepisse ex Jacobo *Philippi*, subaudi: *filio*; cùm ille Jacobus sit revera filius Philippi: qua seu amphibologiâ, seu restrictione usum fuisse nonneminem abhinc quadriennium habeo compertum.

h Nec obest, quòd Magistratus exigat juramentum; cùm enim non possit, deficientibus illis tribus conditionibus, exigere cum tanto damno reæ puellæ juramentum, habet se Magistratus tunc, sicut privata persona. Equidem nequit à reo exigi juramentum in causâ criminali, nisi adsint indicia, seu probationes sufficientes ad torturam. Lessius *cit. cap. 31. n. 15.* post Covarruviam, juramentum quippe est quædam spiritualis tortura respectu mentis non pessimæ. Lessius *ibid.*

Et est tunc singulariter vera hæc, de licito usu æquivocationis, coram Magistratu, doctrina, quando pater & mater prolis, extra Matrimonium natæ, commiserunt incestum; utroque (erit fortè, qui addat: alterutro) ignorante fundamentum incestûs, quemadmodum hîsce jam impressis, respondi interrogatus; tunc enim locum obtinet recepta doctrina de permissa æquivocatione, quando subest verum periculum, ne judex, auditâ verâ, & perspicuâ confessione, procedat longè severiùs, ac meretur vel factum innocens, ut est occisio cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel criminosum, ut est in proposito fornicatio simplex. Vide scripta *in Alphabet Quadrupl. part. 2. Cas. 19. n. 653.* & singulariter *n. 654.*

i At, *Quid si mater nominet verum patrem, cum hujus gravi infamia, aut alio damno? An tenebitur nominatus fateri judici interroganti, se patrem?* Resp. Non tenebitur, saltem si non præcessit infamia, nec adsint indicia expressa; etenim testimonium mulieris dicentis, se ab hoc, aut illo impræg natam, non facit semiplenam probationem, cùm non sufficiat ad torturam: Farinacius *in Praxi crimin. lib. 1. tit. 3. q. 43. num. 94.*

k Nec obest, quòd, si neget ipse, mulier illa fortè sit à judice subjicienda torturæ; nullus enim dolo facere videtur, qui suo jure utitur: Layman. *cit. n. 4.* applicans hanc Regulam materiæ simili hujus.

l Ad *alteram* quæstionem, utrùm videlicet sit expers peccati, qui pretio conductus, coram Magistratu legitimo, sequente depositionem puerperæ, jurat cum æquivocatione, aut restrictione mentali, se esse patrem prolis, de qua ipse interrogatur? Videri potest, respondendum esse *affirmativè*; tum quia ipse S. Emmeramus Episcopus Ratisbonensis, ac Martyr mandavit Utæ, filiæ Ducis Theodonis, impræg natæ ab alio, ut in se, etsi innocentissimum, conferret crimen stupri sacrilegi; etiam cum mendacio, ut testatur ejus vitæ Scriptor Cyrinus apud Laurentium Surium *ad diem 22. Septemb.* tum quia, si licet principali personæ uti æquivocatione, cur non minus principali, qualis est testis? tum denique, quia fas est, ex honesta causa uti æquivocatione, quando ratio naturalis nos non adigit ad pandendam nudè veritatem. Suprà ex sensu verò plurimorum Doctorum.

m Ego tamen, salvo cujusque meliore judicio, existimo, minimè, (saltem extra periculum gravissimi mali impendentis rei) licitum esse tale juramentum. Ratio mea fundamentalis est hæc, quòd judicium fori interni debeat con-

cordare cum judicio fori externi, nisi externum fundetur in præsumptione, fallente in hoc aut illo actu fori interni. Thomas Sanchez *Lib. 7. de Matrimonio Disput. 37.* ex communi. Atqui, nisi plurimùm fallor, Judices tam Ecclesiastici, quàm seculares pro tribunali sedentes gravissimè punirent illum, qui pretio conductus, & utens amphibologiâ qualicunque, jurejurando coram legitimo judice assereret, se esse patrem illius, de quo interrogatur ab ipsis inductis testificatione, aut, si mavis, confessione fœminæ deponentis in circumstantiis, saltem non involventibus discrimen mortis, mutilationis, &c.

n Quapropter huc singularissimè facit id, quod aliquoties repeto in his Tractatibus, effatũ Cœlestini *Cap. Prudentiam. De offic. jud. deleg.* Integrum est judicium, quod plurimorum (omnium tribunalium) sententiâ confirmatur. Unde non dubito, quin essent gravia scandala, graves exacerbationes, obmurmurationes orituræ, si quis aut pro concione, aut typo assereret permissionem ejusmodi juramenti. Consequenter infertur ex Arauxo, ejusmodi assertionem non esse *practicè* probabilem; etenim hic autor *in Decisionibus Moralibus Disp. 9. de Statu Civili. n. 7.* opinionem *practicè* probabilem describit reflexè his verbis: *Est ea, quæ est de his, quæ ad mores spectant, & nedum in Cathedra edoceri, sed etiam in suggestu, & Concionibus ad populum prædicari, & in humanis negotiis redigi potest.* Et sanè Theologi, præsertim Germani, debent, quoad possunt, fovere maximam æstimationem, quam nulli nationi secundam habent Teuthones, de juramento præstito, coram legitimo Magistratu fideliter, sincerèque procedente, nec enim perjurium est tantùm modus loquendi apud Germanos, sicut fuit olim apud Gallos, teste S. Salviano Episcopo Massilienſi, sed crimen valde probrosum.

o Exemplum S. Emmerami me non movet, quia ego alibi, & postea Joannes Adlzreiter *Histor. Bavaricæ. Tom. 1. lib. 6. n. 38.* clarè demonstrat, errâsse Cyrinum, vel contra veritatem, vel contra proprium loquendi modum, quando scripsit, illud mandatum (permissionem ego cum Alegambe *in Præfatione Mortium Illustrium* admitterem) S. Emmerami, quem ego non colerem ut Martyrem Christi, si crederem, id mandâsse, & tamen, imminente crudeli carnificinâ, negâsse se patrem illius prolis, sicut reipsa negavit, teste eodem Cyrino *c. 7.*

Ad alteram rationem respondetur, non esse eandem rationem lucrum captantis, quæ est famam, aut grandem pecuniam conservare volentis Rolandus à Valle *consil. 21. n. 18. vol. 2.*

Ad tertiam rationem patet responsio petita ex fundamento meæ resolutionis. Quia tamen ego primus, ni fallor, inter Scriptores discutio hanc controversiam, non ambigens, quin nonnulli & in agendo, & in respondendo factitent contrarium, transfero huc judicium cujusdam Theoriâ, atque usu perquam periti Theologi, quod ipse, post hanc Appendicem jam luci datam, conscripsit occasione eventûs, qui contigit octo abhinc Annis, loco dissito hinc facilè sexaginta leucis. Sic ergo breviter aperit suam mentem de hoc

Casu non imaginario.

p *Daria ex adulterio concepit, & peperit Filium, Judex (cui ab effectu solo cognita erat illicita copula, nullo extante indicio commissi adulterii) quærit ex Daria pro locè consuetudine, etiam sub juramento, quis sit Pater illius illegitimi Filii?*

Quæritur: *An Daria teneatur indicare adulterum, an verò (secluso scandalo & cujusquam injuriâ) uti possit æquivocatione, occultando adulterium?*

Respondeo, Dariam posse uti æquivocatione, non tantùm in proposito casu, sed etiam extantibus indiciis sufficientibus ad semiplenam probationem commissi adulterii. Probatur, quia verus quidem testis à legitimo judice legitimè interrogatus tenetur, ob bonum publicum, parere suo Superiori, atque adeò nequit æquivocare; reo tamen, ad evitandum vitæ periculum, vel gravem infamiam, vel quodcunque grave malum, ex certò probabili, & probabilissima RR. opinione licitum est, uti æquivocatione, etiam extante semiplenâ probatione, quia ad rem valde difficilem, quæ pro *moraliter* impossibili reputatur, (qualis est, concurrere ad grave malum sibimet inferendum) præcipiendam non extendit se potestas humana: atqui Daria non est merus Testis, sed est complex criminis, & adulterii rea; ergo licitum ipsi est, æquivocatione uti, ad se ipsam non infamandam, quòd sit adultera. Confirmatur à pari, quia, qui furem sacrilegum in flagrante deprehendit, interrogatus deinde à judice (nullum habente indicium sacrilegii) non tenetur manifestare circumstantiam sacrilegii: ergo etiam Daria, esto esset merus Testis, non tenebitur fateri (secluso scandalo, & cujusquam injuriâ) circumstantiam adulterii, saltem si nullum apud Judicem adulterii indicium extet. Poterit ergo, tacito adultero, uti æquivocatione, fatendo solam simplicem fornicationem, & sic alium innocentem nominare, si quidem ita citra illius injuriam fieri potest.

q Sed quæritur insuper: *An etiam ille alius innocens (contentus, quòd à Daria ita deferatur) interrogatus dein à Judice, possit cum æquivocatione jurare, se Patrem esse illius illegitimi Filii?*

Resp. Imprimis, esse inauditum in tribunalibus, & videri nullâ legitimâ consuetudi-

»ne introduci posse, ut Judex accusatum, & ul-
»tro (verè, an falsò, nihil ad judicem) faten-
»tem rei culpam sub juramento prudenter interro-
»get, an fatendo culpam non mentiatur, vel
»æquivocet, nemo enim debet præsumi malus,
»aut mentiens, aut quomodocunque se ipsum
»falsò accusare, aut fateri reum. Si tamen ta-
»lis à judice aliquo interrogetur, existimo (spe-
»ctando præcisè judicem, ejusve potestatem)
»posse talem uti æquivocatione, & sic jurare,
»se Patrem esse, &c. non tantùm, quia judex
»imprudenter, atque adeò illegitimè interro-
»gat, sed maximè, quia, ubi licitum est æqui-
»vocare sine juramento, licitum etiam id est,
»(cæteris paribus) cum juramento; nam jura-
»mentum imitatur naturam actûs, supra quem
»cadit, & tanquam accessorium sequitur suum
»principale; sed licitum est tali, æquivocare si-
»ne juramento, potest enim habere honestum
»motivum se ipsum infamandi, e. g. in pro-
»posito Casu, in bonum ipsius adulteri, ad ejus
»grave malum impediendum (quale est infa-
»mia adulterii) aliaque mala publicarum adul-
»terium sequi solita, &c. Nec sanè sic jurando
»quidquam agitur contra bonum publicum
»(quod solum illicitam reddere posset talem
»æquivocationem; & propter quod solum judex
»potest legitimè interrogare) quid enim obest
»bono publico, si adulterium occultum, quod
»perinde se habet, ac si commissum non esset,
»non puniatur à judice? nec obest bono publi-
»co imò ad finem intentum prodest, innocentem
»puniri, si publicè pro nocente reputetur, sicut
»reputatur, qui seipsum æquivocando reum fa-
»tetur: nihil igitur obstare videtur, quò minus
»aliquis seipsum æquivocando reum sistere
»possit, ad impedienda mala graviora. Hacte-
nus ille Theologus, cujus ingeniosum discur-
sum examinet Lector, atque mihi credat, nosse
me nonnemînem, qui ex sola Christiana cha-
ritate, cum sua summa molestia, absque ulla
prorsus ullius compensationis spe, se falsò no-
minavit patrem sobolis, quam & alendam sus-
cepit, idcirco ut verum patrem & matrem eri-
peret evidenti periculo supplicii capitalis, in-
ferendi à Magistratu, si mater edidisset nomen
veri genitoris.

BAPTISMI MINISTRA OBSTETRIX.

CASVS. V.

Ingenii muliebris.

SVMMARIVM.

Casus obstetricis pronuntiantis formam, alterâ affundente aquam. 164.
Periculum errorum in Baptismo ab obstetricibus collato. 164. *& seqq.*
An obstetrices sub mortali teneantur discere formam, & modum baptizandi? 167.
An peccet Parochus non examinans obstetrices, num sciant, & adhibuerint requisita? 169.
Num ab his baptizati sint rebaptizandi sub conditione? 170. *& seqq.*
Quid si obstetrix sit haretica? 172.
Quid si baptizet matrona pia, & prudens? 174.
Vi consuetudinis præcisè non acquiritur jus rebaptizandi. 175.
An abstrahendo à statutis, & consuetudinibus, baptizati à mulieribus, & viris laicis, sint rebaptizandi? 177. *& seqq.*
Casus varii mulierum imperitè baptizantium. 179.
Causæ variæ errorum. 180.
Quando credendum mulieri dicenti, se veram rationem tenuisse? 182. *& seqq.*
An obstetrix teneatur cum periculo vitæ aperire errorem à se in baptizando commissum? 188.
Licitum est pro parte facilitando piè invocare Verbum incarnatum. 189.
Non tamen Chrismate Baptismali ungere puerperam. 190.
An liceat dare guttas aliquot bibendas de oleo infirmorum? 191.
Casus Baptizati ab obstetrice, at non rebaptizati. 193.
Quæstio rara: An vir teneatur sub mortali fungi officio obstetricis, quando nequit aliter salvari mater, & fœtus? 195.
Resolvitur affirmative. 196.
Praxis alterius in simili casu. 196.

164 *Eutropia obstetrix nacta parturientem, quæ difficulter, ac periculosè enitebatur fœtum, ut primùm vidit partem fœtûs egressam ex utero, utrâque manu eam apprehendit, mandavitque alteri mulieri prope astanti, ut aquam affunderet, hac affundente, pronuntiavit formulam ipsa obstetrix, rata se perbellè rem agere, quid pronuntiandum de hac obstetrice, & de cæteris communiter baptizantibus?*

165 Respondeo, illam *per se loquendo* gravissimè deliquisse, ut liquet ex dictis *num.* 146. cæteras communiter obstetrices adeò esse obnoxias magnis, perniciosisque erroribus, ac defectibus circa spectantia ad integritatem hujus tam necessarii Sacramenti; ut meritò quisque Parochus imitetur Jacobum Marchantium, qui *in Resol. Pastoral. Tr. 2. c. 5.* (testatus, se scire, & quidem ubi commissus esset ille error,) subdit, se consuevisse diligenter examinare non solùm obstetrices ipsas, sed etiam mulieres præsentes.

Constitutiones Synodales hujus diœcesis Constantiensis *Part. 1. tit. 6. n. 4.* sic statuunt: *Examinent diligentissimè Parochi, aut eorum socii obstetrices, vel alios, qui infantem aliquem baptizâ-*

ptizârunt, an, & quomodo, quibus verbis, & formâ, quâ materiâ, & aquâ, & cum qua intentione baptizaverint.

166 Cæterùm quia circa talem Baptismum toties conferri solitum occurrunt complures difficultates practicæ, illas proponam, ac dissolvam in præsentiarum.

167 Quæres igitur I. *Virùm obstetrices sub mortali teneantur discere formulam, modumque baptizandi?*

Resp. Imperitia culpæ annumeratur, *Text. Leg. Imperitia. ff. De Reg. jur.* Tenentur itaque ad utrumque sub mortali, si ex officio obstetricentur. Navarrus *in manual. cap. 22. n. 6.* citans Paludanum, ac S. Antoninum. Sequuntur Henriquez *lib. 2. c. 29. n. ult.* ac Reginaldus *lib. 27. n. 45.* contra Suarez, Dianam *par. 2. tr. 15. Resol.* 46. ac Dicastillo *Tr. 2. disp. 2. num.* 18. Ratio responsionis est, quia ex *tacito* pacto ad id obligantur; non enim admitterentur ad hoc officium obeundum, nisi *tacite* se obligarent ad Baptismum ministrandum in tam frequentibus casibus necessitatis. Et verò testatur Chapeaville *de modo administr. Sacram. temp. pest. cap. 2. q. 2.* obstetrices Diœcesis Leodiensis, & Trevirensis, quando suscipiuntur ad hoc munus, facere juramentum procurandi salutem spiritualem puerperæ, & sobolis. In Obsequiali verò Constantiensi *fol. 62.* traditur, obstetrices debere esse in primis ab ipsis parochis, & potestate seculari approbatas.

168 Quæ autem obstetricantur non ex officio, non videntur subesse tam rigidæ obligationi; nam neque justitia, neque charitas imperat, ut prospiciamus de remediis alicui opus habituro fortasse post sex, aut decè annos, aut etiâ citiùs.

169 Quæres II. *An parochus graviter delinquat, si non diligenter examinet obstetrices, utrùm & noverint necessaria conferendo Baptismati, & omnia necessaria adhibuerint tunc, cùm fortè aliquem baptizârunt?*

Resp. Si non sciat, esse jam examinatas, probatásque ab aliquo bene perito, peccat gravitèr non examinando. Cùm enim obstetrices ejusmodi sint in tali casu vicariæ parochi, quisque autem obligetur scire, utrùm suus locumtenens sit peritus officii sui, nec ne, apparet, responsionem esse veram. Atque ita sentit Laymannus *Lib. 5. Tr. 2. cap. 5. n. 3.* cum aliis, quos refert. Certè P. Quintanadvennas *singul. Tr. 1. sing. 6.* expressè constituit peccatum mortale. Hanc tamen gravem obligationem negarent Diana, & Dicastillo suprà citati; at ego difficulter, nisi aliunde liquidò constaret, obstetricem esse usu peritissimam, intergerrimámque.

170 Quæres III. *An omnes baptizati ab obstetricibus sint baptizandi sub conditione?*

Negant plerique omnes, adeò ut Sotus *in 4. dist. 3. art. 9. § Quartum argumentum* vocet id *immane sacrilegium*; asserit consequenter Sylvius, dum apud Quintanadvennam *loc. cit. singul. 5. n. 2.* post Sylvium Stephanus à S. Paulo *in Theol. Morali Tr. 5. disp. 2.* atque apud hunc Urbanus pronuntiant, Baptismum collatum ab obstetrice semper esse, nisi aliud probetur per testes, dubium. Consentit Alloza *in Floribus verb. Baptismus. n. 31.* extendens ad omnes baptizatos à laicis. Posse omnes tales rebaptizari, ait doctissimus Molanus verbis descriptis ab eodem Quintanadvenna *ibid.* cui assentitur Adamus Opatonius apud Dianam *Par. 9. Tr. 6. Resol. 35.* Et Laymannus *cit. cap. 5. n. 3.* negat, se audere damnare talem consuetudinem, si alicubi invaluit, idcirco quòd eo loco compertum sit, mulieres non rarò baptizâsse in nomine dæmonis; firmátque suum judicium auctoritate Pastoralis Romani editi Antuerpiæ Anno 1607. Sed hoc Pastorale est ipsummet Mechliniense reformatum ad usum Romanum.

Resp. I. Irreprehensibilis est parochus, qui 171
hac in re stat Statutis suæ diœcesis. Marchantius *in Resol. Pastoral Tr. 2. de Sacram. cap. 5. n. 2.* Porrò in Mechliniensi, & Iprensi Ritualibus statuitur, ut omnes tales rebaptizentur, sicuti videre est apud Quintanadvennam *loc. cit.* referentem eorum verba, quæ & ego legi. Statuitur quoque in Passavienſi, teste erudito auctore libri, cui titulus: *Manuale Pastorum.* Fit id ipsum in diœcesibus Augustana, & Curiensi, ut inde mihi scribitur. At verò in Leodiensi, teste Marchantio *loc. cit.* id non permittitur tam universaliter, sicuti neque in nostris Constitutionibus Synodalibus, quæ verbis suprà *num.* 165. descriptis subdunt sequentia: *Quòd si debitam materiam, formam, & Ecclesiæ intentionem adfuisse cognoverint* (parochi) *Baptismum* (ab obstetricibus collatum) *minimè repetant, si probabiliter dubitent, Baptismum cum conditione conferant.* Possunt autem juxta P. Scildere *De princ. form. consc. tr. 6. cap. 2.* prudenter dubitare, quoties non constat specialiter, rectè baptizâsse.

Resp. II. Si tamen alicubi vigeat diutur- 172
na consuetudo contraria ordinationi Ritualium, seu Obsequialium, aut Constitutionum Synodalium, poteris sine scrupulo te illi accommodare in praxi. Probo *primò*, quia utrumlibet agas, habebis patronos multos viros sapientes, ac pios, scilicet illos, qui condiderunt, & re ipsa observârunt tam contraria Statuta, ut nihil dicam de D[illegible]. utramque partem defendentibus. Probo *secundò*, quia non est credibile, talem consuetudinem non compertam Episcopis, vel eorum Vicariis, ergo cùm sit certum, quòd facilè possent abrogare, si vellent, non abrogando censentur approbare, juxta doctrinam *cap. Sit rector. dist. 43.*

Quòd si obstetrix sit hæretica, ut solent esse in nostra vicina Turgoja, tum foret nova causa, & legitima rebaptizandi, propter illa, quæ de Baptismo ab hæreticis collato, & reperendò dicam *Casu XIII. n* 393

Et universim, quidquid Sotus *a. 9.* refra- 173

getur, generaliter excuso Dominos parochos hujusce Constantiensis diœcesis, jam à longo tempore solitos rebaptizare sub conditione omnes planè, qui fuerunt domi lustrati à mulieribus, adeóque excuso etiam illum, de quo sequens.

Casus.

174 *Nobilis matrona conspicuæ virtutis, & prudentiæ, cùm ex charitate Christiana adesset puerperæ, tinxit more Christiano prolem ejus periclitantem, ac parocho fideliter reddidit rationem sui ministerii, in quo etsi ipse non deprehenderit errorem, attamen sub conditione illam ipsam prolem denuo tinxit, an licitè?*

Resp. Licitè; tum quia paulò pòst dicam, Baptismum ab aliis, quàm ab obstetricibus, collatum debere faciliùs repeti, quàm collatum ab obstetricibus, tum quia illi patrocinabatur consuetudo latissimè vigens in hoc latissimo Episcopatu, sicuti ex multis fide dignissimis viris comperi, adeò ut in nonnullis ruralibus capitulis hujus ipsius diœcesis fuerit resolutum, omnes omninò infantes, quos obstetrices abluissent, esse sub conditione rebaptizandos, eò quòd in illis districtibus fuissent deprehensi plures *substantiales* errores, ab obstetricibus commissi, partim ex imperitia, partim ex perturbatione, partim etiam ex malitia, ut mihi studiosè scisciranti testati sunt, qui id temporis erant membra illorum capitulorum. Ut proinde multi parochi non ampliùs examinent, fuerintne domi omnia rite peracta; & in hac urbe Constantia viget etiam mos rebaptizandi omnes sub conditione.

175 Est autem probè notandum, erraturum liberaliter, ne dicam, turpiter illum, qui existimaret, vi consuetudinis præcisè spectatæ acquiri aliquid juris circa rebaptizationem; etenim permissio, prohibitio, jussio reiterandi Baptismi tota prorsus pendet à jure divino, seu institutione Christi, sive loquamur de *absoluto*, sive de *hypothetico* Baptismo. Atqui nulla consuetudo valet quidquam immutare circa jus divinum. *Arg. cap. final. De consuetud.* omnésque Theologi. Ergo consuetudo plus non facit hìc, quàm quòd sit quasi testis tot *substantialium* defectuum partim certò, partim probabilissimè admissorum ab obstetricibus; ut prudenter possit dubitari de omnibus (ubi viget consuetudo rebaptizandi omnes) vel de plerisque (ubi plerique solent rebaptizari) vel paucissimis (ubi non sine singulari causâ permittitur rebaptizatio) Baptismis, quos eæ administrârunt. Igitur non sunt æqualium virium hæ duæ consequentiæ: *Consuetudo diœcesana habet, ut, quando domi baptizantur parvuli, semper omittantur omnes Caremoniæ, ergo habeo verum jus omittendi illas domi: Consuetudo diœcesana fert, ut rebaptizentur omnes baptizati domi ab obstetricibus, ergo habeo verum jus rebaptizandi omnes.* Ideo autem non sunt æqualium virium hæ duæ argumentationes, quia cæremoniarum usus est solo humano jure introductus, cui potest propriè derogare consuetudo, at prohibitio rebaptizandi fluit ex jure divino, contra quod inanis est consuetudo, & nullius debet esse momenti, *Text. cap. Admostram. De conf.*

Unde etiam in iis locis, in quibus viget 176
usus rebaptizandi omnes omnino domi baptizatos, sacrilegium admitteret Sacerdos rebaptizando illum, de cujus Baptismi validitate nullum haberet prudens dubium, spectatis omnibus principiis *intrinsecis*, & *extrinsecis*.

Resp. III. Abstrahendo à Statutis particula- 177
ribus, locorúmque consuetudinibus, non quidem omnes omnino, attamen plerique ab obstetricibus, aliísve mulieribus, aut viris laicis Baptizati debent sub conditione rebaptizari. Probo hoc unico argumento: Omnes illi, & soli sunt rebaptizandi, de quibus prudenter dubitari potest, utrùm sint rite baptizati. Atqui non quidem de omnibus, attamen de plerisque Baptizatis à laicis alterutrius sexûs, id potest prudenter dubitari; ergo. Majorem probabo, & declarabo accuratè *Casu XIII.* Minoris propositionis *prima* pars inde suadetur, & persuadetur, quòd quandoque reperire sit aliquos laicos utriusque sexûs tam gnaros omnium necessariorum ad essentiam hujus Sacramenti, tam cautos, & circumspectos, ac sibi præsentes in suis actionibus omnibus gravioris momenti, tam memores suorum dictorum, factorum, tam denique perspectæ fidei, ac probitatis, ut, qui eos novit, non possit sine temeritate dubitare, utrùm sit credendum ipsis asseverantibus, se hac materia, hac forma, hac formæ, & materiæ applicatione, & cum hac intentione, fuisse usos; atqui illi non sunt rebaptizandi, de quibus sine temeritate non potest dubitari, utrùm rectè, ritéque baptizati sint, ut ostendemus *Casu XIII.*

Prædictæ Minoris propositionis *altera* pars 178
mihi probatur ob fundamentum contrarium priori parti; siquidem prudenter, seu sine temeritate dubitari potest, an illi sint rite baptizati; de quorum Baptizatoribus prudenter dubitari; & timeri potest, an sint prædíti illis qualitatibus, quas suprà enumeravimus; potest autem de plerisque laicis utriusque sexûs dubitari, aut timeri, ac nominatim de obstetricibus; tum quia compertum est, multas illarum fuisse veneficas, permultas ex imperitia errâsse in formâ, cùm tamen putarentur optimè illam callere; nam multæ reperiuntur baptizâsse his solis verbis. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Marchantius *cit. cap. num.* 5. Nonnulla multis annis functa officio obste-

obstetricis, quoties baptizabat, toties ad singulas è tribus affusionibus totam formulam proferebat, teste eodem Marchantio, & addente, aliam singulos infantes baptizâsse quinquies, ut tantò certior esset de Baptismo.

Harum prima invalidè baptizabat juxta opinionem Comitoli *Casu II. n.* 98. relatam; altera validè, sed ita insulsè, ut vel hinc pateat, quàm absonis erroribus obnoxiæ sint mulieres. Stolidam simplicitatem permultarum probat satis hìc

Casus repetitus.

179 *Cùm quidam Theologus eximiam concionem habuisset, vetula cum accedens, ejúsque manus osculata dixit:* Benedicta sit dies, in qua vos baptizavi in nomine sanctæ Trinitatis, sanctæ Mariæ Virginis, & omnium Angelorum.

Ita de quodam nostræ Societatis Sacerdote testatur Quintanadvennas *singul. tr. sing.* 5. sicuti consimile exemplum retuli ex S. Vincentio *Casu 2. n.* 100. Alios inconditos errores in forma, aut materia Baptismi disces partim ex superioribus, partim ex seqq. ac homi iatim ex hoc prope

Incredibili facto.

180 *Canonico N senior quædam obstetrix dixit:* Te majoris, quàm reliquos cognatos facio, nam tibi jungor cognatione etiam spirituali à Baptismo exortâ, te enim periclitantem baptizavi. *Turbatus ille,* sed, mater, *ait*, quid dixisti; dum me baptizares? Respondit illa: *Salutationem Angelicam, & integrum die sequenti Rosarium.*

Sic testatur Caramuel *in Theolog. præterintentionali fol. 21. num.* 2109. præmittens, vix esse obstetricem, quæ probè calleat formam baptismalem, & subdens, illum Canonicum potuisse ducere uxorem; illos, quos junxit matrimonio, fuisse relinquendos in bona fide, nihil etiam dicendum iis, quos Sacramentis Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ munivit, &c.

Huic imperitiæ accedit terror, ac trepidatio; cùm enim nec soleant, nec debeant à laicis baptizari parvuli, nisi imminente periculo mortis, illud autem periculum versans ob oculos, lamenta quoque matris verberantia aures, labor, & vigilia, quibus crebrò defatigantur obstetrices, vinum, quo volunt quandoque sibi facere animos, & alia ejusmodi efficiunt, ut facilè turbentur, & illam unciam judicii, seu prudentiæ, qua plebejæ mulieres pollent, propè amittant.

Unde duo, aut tres curatores animarum à me circa hoc argumentum interrogati dixerunt, obstetrices à se examinatas, quomodo baptizârint; communiter respondisse, se quidem existimare, quòd omnia peregerint probè, timére tamen, ne propter trepidationem, solicitudinem, &c. omiserint aliquod verbum *substantiale.*

Addè, quòd nimis pronum sit, errare circa 181
illam simultatem, seu conjunctionem materiæ, & formæ, quam à magnis Theologis exigi, dixi *Casu II. num.* 80.

Hæ sanè rationes efficiunt, ut, quod de Baptismo obstetricum pronunciavi, asseram cum Quintanadvenna *cit. singul.* 5. de Baptismo plerorumque aliorum, & aliarum è laicis, idque etiam potiore jure, quòd & non habeant tantam peritiam *practicam*, quantam obstetrices, & cognatio, vel affinitas cum matre faciat nonnullas tristiores.

Sed inquies: *Interrogata obstetrix dixit pa-* 182
rocho, se hanc, aut illam rationem tenuisse, nec hic videt in eâ ullum defectum, an non hoc ipso tutò credet?

Resp. Non mox tutò, quia fieri potest, ut ipsa putet, se tenuisse rationem, quam non tenuit. Et quid si, ut sunt verecundæ simul, & superbæ mulieres. Tiraquellus *Leg. Connubialium Leg.* 1. *n.* 1. *&* 2. nolit fateri erratum? Illud certum, quod Laymannus *hic cap.* 5. *n.* 3. tradit: Mihi videtur rebaptizandum esse infantem, *quando obstetrix variat in relatione sui baptismi.*

Resp. Tamen IV. Quando obstetrix est in- 183
tegræ famæ, animosior, & circumspectior, quàm vulgus mulierum, versata jam in pluribus periculis ejusmodi, & probata semper omnia egisse rectè, tum ne quidem sub conditione rebaptizanda est proles, quam hæc asseverat, esse à se legitimè baptizatam. Ita ferè Quintanadvennas *loc. citat.* Ratio est, quia in his circumstantiis non potest esse prudens dubium de vero baptismo.

Quare probo praxin cujusdam Domini pa- 184
rochi, non longè hinc dissiti, qui, ut ipse mihi scripsit, inquirit diligenter, utrùm, quando obstetrix (jam longo usu perita, & probata) baptizavit, fuerit sobria, sibi præsens, non distracta, non anxia, unde, & quam aquam hauserit, quam partem corporis, & quâ verborum formulâ abluerit. Si in his punctis non deprehendat quidquam defectûs, omittit rebaptizationem, non omittit, si reperiat.

Quòd si testem suorum verborum habeat 185
obstetrix unam, alteramve mulierem honestam, & prudentem, tum multò magis tollitur omne dubium, ut ex communi DD. tradam *Casu XIII. Reg.* 6 *n.* 369. Undè apparet, quid respondendum fuerit ad sequentem quæstionem, scriptam mihi à viro gravi, harúmque rerum eximiè perito, propositámque his verbis.

Quæritur, si obstetrix propter periculum bapti- 186
zavit infantem, & nullâ ratione dubitat, quin

verè baptizârit, imò etiam de rectè baptizato infante una, vel altera honesta matrona attestatur ipsi, sed nihilominus parentibus ut satisfiat, & ut certiores, ac securiores de hoc esse possint, petunt, saltem sub conditione rebaptizari infantem, utrùm hoc ordinariè sit faciendum? Potuit autem ille Theologiæ Doctor idcirco, ut reor, voculam: *ordinariè*, quia in illo loco, quo degit, rebaptizantur ex consuetudine omnes baptizati ab obstetricibus.

Respondendum quippe sentio, nequaquam esse tales rebaptizandos, saltem si illâ obstetrix sit bonæ & integræ famæ, nam attestatio unius, duarúmve matronarum honestarum, oculatarum, & rei bene intelligentium parit hac in re certitudinem *moralem*, ut dicam *cit. Reg. 5.* Nec oportet hac in re ullam habere rationem parentum, quandoquidem ne quidem ob metum mortis intentatæ licet rebaptizare, quem *moraliter* certum est, rite esse baptizatum. Suarez *hic disp. 31. sect. 6.* Nec etiam movet argumentum majoris securitatis, cùm scriptum sit: Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet. *Reg. 13. n. 8.*

Nec etiam video, cur positis his circumstantiis, possit extraordinariè repeti Baptismus.

187 At objicies contra nonnulla ex hactenus responsis: Omnes illi sunt admovendi alteri lavacro, quorum Baptismus est dubius rationabiliter, ut probabimus *Casu XIII.* ex omnium sententia; atqui omnis Baptismus ab obstetricibus collatus est rationabiliter dubius, seu rationabiliter revocatur in dubium. Nam illud Baptisma rationabiliter revocatur in dubium, de cujus validitate rationabiliter dubitari, censent viri sapientes; & docti; atqui tales viri id sentiunt de quovis Baptismo collato ab obstetricibus; fuêre enim utique viri prudentissimi Sylvius, itémque Episcopi Mechlinienses, & Iprenses, eorúmque consiliarii Ecclesiastici, qui omnes unà cum Molano, ut vidimus superiùs, habuerunt talem Baptismum pro dubio, sicuti & tot millia Sacerdotum in diœcesibus Constantiensi, Augustana, Passaviens.

Resp. In primis, non videri habuisse pro dubio illum, de quo agit quæstio paulò antè mota, mihíque proposita ab illo viro Clarissimo. Deinde illi viri prudentes è Belgio, sicuti de hæreticis suorum locorum, seu suæ viciniæ loquebantur, quando censebant rebaptizandos, ut videbimus *Casu XIII* ita etiam intelligendi sunt de solis obstetricibus Belgicis, in quibus possunt aliæ esse circumstantiæ, quàm in aliis aliorum locorum. Plura circa vim hujus argumentationis intelliges *cit. Cas. 13. num. 376.*

188 Quæres IV *An, quando obstetrix malè baptizavit, teneatur cum periculo vitæ aperire suum errorem?*

Responsio ad hanc quæstionem dabitur *Casu VI.*

Quia verò est nobis hîc sermo de obstetricibus, haud planè importunus erit (de facto, & more, quem proponit) sequens

Casus.

189 *Obstetrix examinata à suo parocho fatetur, se pro partu facilitando solere piè proferre hæc verba:* Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis, *& expertam, profuisse hanc piam pronuntiationem.* An is prohibebit, ne usurpet inposterum?

190 Resp. Non prohibuit Marchantius, ut retatur de se ipso *cit. Tr. 2. cap. 4. n. 3.* eò quòd nihil mali reperiret in hac re, haberétque rationem adhibendi fidem verbis illius obstetricis, ac pia invocatio verbi incarnati multùm haud dubiè hîc singulariter profit.

At quid idem Marchantius dixisset ad hunc similis objecti

Casum?

Alia obstetrix petit à suo parocho Chrisma baptismale, ut illo ungens puerperam, reddat parturitionem expeditiorem. Negat parochus, etsi attestantè, esse id consilii sibi suggestum à quibusdam, (quorum Ordinem nominat,) Religiosis, asserentibus profuisse sæpius. An rectè negat parochus?

Resp. Puto, etiam Marchantium fuisse negaturum, si qua obstetrix petiisset ab ipso, eò quòd in Concilio Moguntino sub Carolo M. *cap. 37.* sic statuatur: *Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii donare præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.* Accedit judicium illius Domini parochi Theologiæ Doctoris, qui ipse mihi de se hoc narravit, ac etiam scripto tradidit. Id ipsum puto esse judicium commune. Certè noster Quintanadvennas *singul. Tr 2. sing. 9. n. 4* asserit, esse contra Ecclesiæ consuetudinem chrismate Confirmationis (idem esto judicium de chrismate baptismali) uti ad ejusmodi actiones. Et quis probet profanum illum tactum, tractationémque rei sacræ?

191 Quanquam idem Quintanad. non nisi venialis noxæ damnat hanc praxin. Est autem discrimen hujus, & superioris obstetricis, quòd juxta commune judicium hominum (quod singulariter considerandum est, quando agitur de irreverentia rerum sacrarum, ut alibi ostendo) verbis sacris non tam facilè irrogetur irreverentia, quando adhibentur ad res, ad quas non sunt instituta à Deo, quàm quando rebus sacris, quando eæ similiter usurpantur ad res, ad quas non sunt destinatæ; idque idcirco, quòd verba non habeant tam determinatum usum, quàm res ipsæ sacræ. Unde non probo *per se loquendo* factum illius Coopera-

operatoris parochialis, de quo ad me 2. Martii Anno 1665. quidam spectabilis D. Decanus scripsit in hæc verba: *Cùm legerem nuper Alphab. Baptizant. pervenì ad Casum quintum* num. 190. *ubi incidit mihi hic Casus. R. D. N. N. Camerarius Capituli N. retulit, se, cùm esset Cooperator in urbe N. didicisse aliquod singulare secretum pro juvandis puerperis periculosè parientibus. Cùm enim desperaretur de vita infantis, aut puerperæ, aut utriusque, tres guttas olei infirmorum in vino sumendas fecit puerperæ dari. Iis haustis, ajebat, protinus fieri finem hujus miseriæ, & angustiæ, ita ut puerpera vivum, aut non vivum fœtum pariat, aut certè ipsa desinat vivere, & pariat libera suis doloribus.* Ita vir ille ab integritate notissimus, nominatis illo Cooperatore, Capitulo, in quo Camerarium agit, & urbe præcipuâ hujus Diœcesis, in qua fuit usus illo secreto. Dico verò, ejusmodi actionem fuisse *per se* illaudabilem, ob rationem suprà allatam, singulariter si fuit scrupulosè habita ratio numeri ternarij in illis guttis affundendis. Si tamen longus usus docuit, secutos fuisse illos effectus, quos exprimunt literæ, nolim damnare continuationem illius, ut sic loquar, pharmaci planè extraordinarii, sed potiùs supponere, tribui cœlitus eos effectus ob piam fiduciam, præcéssque usurpantium. Porrò habeo compertum, desiisse in ea urbe illam usurpationem. Vide, quæ *in Alphab. Ord. & Extrem. Unct. Cas. ult. n. 933.* adfero similia productis hoc loco.

192 Cæterùm hi, & similes casus demonstrant, esse magnopere invigilandum parochis, ne obstetrices utantur variis superstitionibus circa puerperas, infantes, patrinos, ut quando tempore Baptismi colloceant se inter patrinum, & matrinam, ne hi contrahant cognationem spiritualem. Marchantius *cit. cap. 4.* aut quando infanti álbulam (Obsequiale Constantiense *fol. 75.* vocat das Westerhembdlein) auferunt, aut abluunt, quod Galli vocant *desaubler*, dantes infanti in manus ovum, salem, panem, &c. inde nescio quid ominantes. Marchantius *ibid.* Aut quando puerperam nolunt in templum inducere diebus Lunæ, Mercurij, Veneris, perinde ac si hi dies forent nefasti.

Hanc materiam de Baptismo obstetricum claudo resolutione duplicis Casûs, & in primis:

Casus Forensis.

193 *Vidi inter quendam civem, & suum plebanum hanc contestatam litem, qui, quamvis constantissimum esset, filium suum baptizatum, nihilominus exposulabat, ut iterum in Ecclesia baptizaretur, quia sic erat consuetum. Quare renuentem sacerdotem coram Episcopo in judicium evocavit, parumque abfuit, ut causam vinceret.*

Sic loquitur Dominicus Sotus *in 4. dist. 3.* 194 *art. 9. §. Quartum argumentum*, qui quamvis non dubitet, debuisse ab Episcopo absolvi, ut factum est, plebanum; & debuerit utique absolvi, si *constantissimum*, (ut verbo Soti utar,) fuisset, illum fuisse rite baptizatum; quia tamen hoc fortè non poterat ullis testimoniis planè idoneis probari, idcirco poterat adigi parochus non certissimus, ut non negaret illi civi, quod omnibus aliis permittebat consuetudo, fundata utique in experientia multiplici Baptismi malè administrati ab obstetricibus.

Casum alterum comprehendit resolutio 195 mirabilis quæstionis propositæ mihi non ita pridem: *An scilicet vir teneatur sub mortali fungi obstetricis officio tunc, quando nequit aliter salvari mater, & fœtus?* Rationem quærendi dedit sacerdos hujus diœceseos, defunctus ante plures Annos, qui persæpe coram multis narravit, & inter cæteros sacerdoti alteri, ex cujus non bilingui ore habeo, se ruri iter agentem fuisse à puerpera jacente non procùl semita conspectum, ac lamentabili voce rogatum, ut sibi actutum ferret opem, cùm accurrisset, dixisse illam: Mi Domine, sævissimi dolores partûs me obruerunt hîc ex improviso; nisi mihi obstetriceris, peribo ego, prolésque in utero meo: te igitur per Deum rogo, & per extremum judicium, ut extremam necessitatem præsertim prolis præponas meo, tuóque pudori. Paruit ille precibus, atque utrumque servavit invitus in vita. *An licite? An necessariò paritum? Et quid si ejusmodi eventus repeteretur, repetendúmne foret hoc heteroclitum exemplum charitatis?*

Respondi, factum illud necessariò imitan- 196 dum, si ferat occasio. *Primò* ratione prolis alioquin perituræ animo, & corpusculo: probabimus quippe *Casu VI.* vitam ipsam quoque esse discrimini exponendam pro illa. *Secundò* ratione matris; etenim pro conservatione vitæ alienæ subeundam esse ejusmodi molestiam, animo casto, etiam consideranti illud Apostoli: *Omnia munda mundis*, gravissimam, haud difficulter conficies ex iis, quæ commentatores S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 4. & 5. edisserunt de obligatione succurrendi proximo versanti in extrema necessitate corporali. Suppono autem, sacerdotem illum prudenter credidisse, imminere tale periculum. Vide doctrinam adferendam *num. 237* Et si fortè obtingat tibi similis Casui hîc descripto, cogitâ, an non possis sine periculo parturientis, aut fœtûs imitari quendam eximiâ doctrinâ, prudentiâque parochum, *qui prope pagum Wolmedingam, urbi huic Constantiæ vicinum, cùm incidisset in ejusmodi parturientem, rogaretúrque opem, respondit, se fortasse potiùs obfuturum, quàm profuturum, si tentet; at verò celeri cursu perrecturum ad pagum, missurúmque peritiores.* Novi ego illum Theologiæ Doctorem postea Canonicum nostræ Ecclesiæ Cathedralis, de

quo scripsit fide dignissimus Decanus, & idcirco quidem, ut hunc, duósque alios casus inserem iterandæ recusioni *hujus Alphabeti*.

Quòd si quæras ulteriùs de obstetricibus, utrùm, quando una istarum veneficiis addicta baptizavit infantem, sit necessariò rebaptizandus? dicam, me responsurum *Cap. XX.*

Appendicula.

REsolutionem, quam dedi hîc circa illam mirabilem quæstionem, an scilicet Sacerdos solicitatus precibus ad obstetricandũ parturienti, teneatur acquiescere huic solicitationi in casu extremæ necessitatis, dedi quidem sine autoritate, at non sine ea, quam *cit. n. 196.* legis, ratione, ita probatâ Stephano à S. Paulo, ut *in edit. 3. Theolog. Moral. tr. 3. disp. 3. n. 5.* describens ex me illum rarissimum casum, approbet suo calculo meam illam assertionem de obligatione obstetricandi, tunc incumbente eidem sacræ personæ; sicuti & ibidem assentitur mihi arbitrato, quando Parochus accersitur uno, eodémque tempore ad infantem vitâ periclitantem baptizandum, atque ad personam adultam, inque agone similiter constitutam absolvendam, teneri ipsum accurrere priùs ad infantem, si nequeat personam adultam, absolvere sine infantis, nondum aquâ salutiferâ abluti, certâ morte.

Adstipulatur & idem scriptor mihi *num. 149.* tradenti, posse in eo casu, quem illic pono, ita administrari Baptismum, ut mutus aquam affundat, Parochus autem è fenestra conclavis, in quo decumbit infectus peste perquam contagiosâ, formulam sacramentalem pronuntiet.

Denique, ut alia omittam etiam concernentia hanc necessitatem extremam, idem Doctor unà mecum censet, posse utique dari casus, in quibus licitè bis, térve pronuntietur saltem sub conditione super unum, eundémque hominem forma Baptismatis. Verba mea refert ipse *in illa edit. Tr. 5. disp. 2. dub. 4. n. 27.*

BAPTIZANTIS INTENTIO.

CASUS VI.

Lamentabilis.

SUMMARIUM.

Casus obstetricis, quæ per 20. Annos quàmplurimos baptizavit sine intentione baptizandi, imò cum intentione è baptismo oppositâ. 197.
Unde augetur rationabile dubium de valore Baptismi, ab obstetricibus collati. 198.
An, & qualis intentio requiratur? 199.
Quid per intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, intelligatur? Ibid.
Non valet Baptismus joco collatus, sine intentione seriâ faciendi, quod facit Ecclesia. 200.
Non requiritur explicita, vel actualis, sed sufficit virtualis. 201.
Quid sit intentio virtualis? 201.
Quantum peccet minister voluntariè distractus? 202.
Quæ habitualis intentio non sufficiat? 203. *& seq.*
An prædicans hæreticus, habens expressam intentionem non baptizandi juxta ritum Ecclesiæ Romanæ, valide baptizet? 205.
Intentio baptizantis debet esse aliquo modo determinata ad personam. 206.
Quæ pravitas intentionis obstet valori? 206.
Intentio cujusdam obstetricis cum additamento conditionis. 206.
Defectum intentionis in ministro Dei bonitas non supplet. 207.
Unde non salvatur infans, qui moritur nondum absolutâ formâ Baptismi. 208.
Néq; acquirit effectũ primariũ Sacramenti. 206.
Quid si retractes intentionem, antequam aqua à te effusa attingat baptizandum? 209.
An, qui baptizavit invalidè, teneatur etiam cum periculo vitæ defectum resarcire? 110.
Casus parochi pluribus Annis invalidè baptizantis. 211.
An, & cur teneatur manifestare suum scelus? 213.
An teneatur ad hoc respectu singulorum malè baptizatorum? 213.
An etiam eo casu, quo inculpabiliter errâsset? 215.
Quando censeatur proximus esse in extrema necessitate spirituali? 216.
Respectu quorum teneatur se prodere minister inculpabilis? Ibid.
Quid si ne quidem respectu horum velit caput exponere periculo? 217.
Casus obstetricis confitentis, se 40. infantes in nomine Zabûli baptizâsse. 218.
Si non sit medium errorem detegendi, nisi mulier Magistratui se prodat, num, & quomodo ei obligationem hanc insinuet, vel dissimulet confessarius? 219.
Simile quid de Conjugatis, ignorantibus impedimentum dirimens. 220.
Aliud consilium, quod suggeri à Confessario posset obstetrici. 221.

FRancisca vetula morti proxima confessario suo propalavit, se, dum per viginti Annos officium obstetricis exerceret in quodam hujus Hispalensis Archiepiscopatûs oppido, circa nullum infantem ex pluribus, quos ob necessitatis causam baptizaverat, baptizandi intentionem habuisse, imò Baptismò oppositam semper conservâsse. Inter oppidi illius incolas divulgata est hæc obstetrix

stetricis jam emortuæ confessio; ad hoc enim confessarius illam astrinxit, ipsique licentiam propalandi ipsa dedit, rebaptizatique sunt illi, qui aut ex memoria parentum, aut cognatorum, nec non ex Baptismi libris domi baptizati ab hac obstetrice reperti sunt. Ex quibus egò aliquos baptizari feci, & hodie plures extant: aliqui sacerdotes, conjugati, aut Religiosi, qui sicut Baptismi iterationem procurârunt, debuerunt iterum Ordines recipere, inire matrimonium, professionem facere.

198 Hactenus narratio nostri Patris Antonii de Quintana divinas *singularium Tract. 1. sing. 4.* quæ & auget rationabile dubium de valore Baptismi collati ab obstetricibus, de quo *in Casu præcedente*, & subministrat occasionem decidendi complures gravissimas quæstiones I. An, & qualis intentio baptizantis necessaria sit ad Baptismum? II. An, quando deficit intentio, Deus suppleat defectum illius? III. An, qui malè baptizavit, teneatur cum periculo mortis manifestare suum errorem? IV. An, & quomodo reiterandi sint Ordines sacri, Professio, matrimonia malè baptizatorum? V. Quid agendum ratione illorum, quos malè baptizati audiêre confitentes? Tres priores quæstiones expediemus hoc loco, duas posteriores *Casu XIV. & XV.*

199 Quæres igitur I. *An & qualis intentio baptizantis requiratur ad valorem Baptismi?*

Resp. I. Certum est, exigi in eo intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia; id quippe definitur à Concilio Florentino verbis, quæ descripsi *Casu I. n. 4.* Per intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, non intelligitur duntaxat propositum adhibendi materiam, & formam usitatam ab Ecclesia; nam hæc non sufficit, Vasquez *hic Disp. 138. c. 3.* cum communi recentiorum, testans contrariam, quam docet Catharinus, adversari Concilio Trident. *Sess. 9. De Sacram.* loquenti ut Florentinum. Sed nec etiam per illam locutionem intelligitur expressum, & formale propositum, ac voluntas impertiendi effectum Sacramenti, nec enim vel sacer codex, vel ullum decretum Ecclesiæ, ullâve consuetudo id postulat; ergo illâ locutione designatur intentio, *qua Minister Baptismi intendat tum abluere cum debita formula, tum abluendo, verbáque perferendo conficere Sacramentum, adeòque facere id, quod Christus præcepit, & Ecclesia observat, non modò materialiter, sed etiam aliquo modo formaliter, seu sub eadem ratione.* Sic loquitur Tannerus *Disp. 3. de Sacram. in Genere, quæst. 4. dub. 2. n. 19.* proindéque intentio conficiendi Sacramentum est voluntas, qua quis vult facere, sicut Christus instituit: tunc autem hoc vult, quando vult facere, quod facit Ecclesia, utendo verbis, & rebus, ut talis Ecclesia, aut talis natio & gens utitur, ubi legitimus est usus, & sufficiens ad valorem. Ita post Suarez *hic Disp. 13. sect. 2. ad fin.* & Vasquez *hic Disp. 138. c. 3. n. 31. 32. 33.* tradit, (refutato operosè Lugone,) Dicastillo *Tract. 1. de Sacram. Disp. 3. n. 77.* Adeóque censeris velle baptizare, ut baptizat Ecclesia, si velis baptizare eo ritu religioso, quo vidisti utentem sacerdotem, dum baptizabat.

Ex quo inferes, non valere Baptismum joco peractum, si videlicet quis non seriò intendat facere, quod facit Ecclesia, sed solùm simulet, se hoc intendere, suáque simulatione jocum, ac risum movere velit; valere autem, si intendas quidem facere, quod facit Ecclesia, tuum autem factum dirigas ad jocum, aut vanam gloriam captandam; adeóque jocum, qui refertur ad Sacramentum, obesse valori, non autem jocum, qui refertur ad finem Sacramenti præfixum à ministro. Et hoc posteriori modo fuisse à S. Athanasio baptizatos pueros, non autem illo priori, ostendit Vasquez *cit. Disp. 138. num. 56.* Vide omnino de hoc, & S. Genesii Baptismo Lugonem *Tom. 2. in 3. p. d. 8. sect. 3.* vel Dom. Augustinum Reding *Theolog. Scholast. Tom. 6. quæst. 5. art. 2. controvers. 2.* ubi perbene, & fundamentaliter de utroque illo facto loquitur. 200

Resp. II. Intentio faciendi, quod facit Ecclesia, non solùm non debet esse necessariò *explicita*, sed nec est opus, ut sit *actualis*, sufficit, ut sit *virtualis*. S. Thomas *q. 64. a. 8. ad 3.* illam vocans *Habitualem*, quam nos dicimus *Virtualem*, & quæ tunc adest, quando quis habuit actuale propositum baptizandi, seu faciendi id, ad quod erat vocatus à dicente, stare ante templum aliquos, qui petant baptizare infantem, sed non ampliùs cogitans de hoc actuali proposito, vi tamen illius induit in Sacristia superpelliceum, cogitatione totus immersus in concionem habendam sequenti die Dedicationis, & in ea identidem recurrente immorans usque ad finem ultimæ cæremoniæ, qua finitur totus ritus baptismalis; nam intentio *virtualis* est, quando quis ex virtute, seu vi *actualis* præhabitæ adhibet formulam, materiámque Sacramenti. Tannerus *Disp. 4. quæst. 4. n. 27.* Licèt verò bonum esset, si *immediatè* ante Baptismum diceret: *Volo baptizare*, atque adeò si haberet baptizandi intentionem *in actu signato*, ut vocat Marchantius *de Sacram. Tr. 1. c. 5. n. 2.* id tamen nec ullo modo est necesse, nec etiam consultum scrupulosis; sed sufficit abunde intentio *actualis in actu exercito*, quæ tunc adest, dum tibi *actualiter* es præsens, & animo attendis ad id, quod peragis. Marchantius *loc. cit.* Imò etsi non attendas, nihilominus valebit Sacramentum, modò præcesserit illa intentio *actualis*, de qua paulò superiùs dixi, atque ex vi illius adhibeas formam, materiámque debitam humano modo, id est compositionis.

Quin,

202 Quin, si distractio sit *involuntaria*, carebis omni culpâ; si *voluntaria*, non carebis omni, mortalem qui exprimat, non scio. Ergo donec auctoritas suadeat, persuadeátque aliud, dico conformiter iis, quæ tradidi *Tract præced. sect.* 3. *num.* 97. non committi culpam nisi gravem venialem, quia sequor judicium S. Thomæ, Gersonis, & Gabrielis, quorum verba refero *in Clypeo Clement. Judic. sect.* 8. *ac seqq.* pronuntiantium, Theologos non debere esse faciles in asserendo, aliquas actiones, aut omissiones esse peccata mortalia. Idem dic de pronuntiante formam absolutionis. Qui tamen expertus esset, se ob distractiones commisisse gravem errorem, teneretur sub lethali culpa cavere distractionem.

203 Resp. III. *Habitualis* intentio dicitur à recentioribus Theologis communiter non sufficere ad confectionem Sacramenti, quia per hanc intelligunt illam solam, qua is, qui *actualem* antea non habuit, ex cujus vi sequatur operatio sacramentalis, est ita *habitualiter* constitutus, ut, si ei in mentem veniret, paratus esset ad ejusmodi *actualem* intentionem eliciendam. Tannerus *disp. 3. de Sacram. q. 4. n. 26.* Ejusmodi autem *habitualis* intentio potest reperiri etiam in ebrio, à quo tamen non posse confici Sacramentum ullum, etiamsi se inebriaret eâ intentione, ut verba tantò animosiùs proferret, probavi *in Theolog. Jùridico-moral. cap.* 15.

204 Dicastillo *Tr.* 1. *de Sacram. disp.* 3. *n.* 82. per *habitualem* intelligit illam, quam habuisti quidem, & nondum retractâsti, attamen jam nec in se, nec in aliquo effectu, aut virtute perseverat. Lege, si placet, eundem *à n.* 79. *ad* 130. explicantem, quid sit intentio *actualis*, & *habitualis*, *expressa*, *& virtualis*, *directa*, *& indirecta*; atque explicantem, utrùm intentioni *virtuali* semper adjungatur saltem imperceptibiliter aliqua *actualis*, seu etiam an non ipsa *virtualis* intentio sit verè *actualis*; sed admodum remissa, adeóque digna, ut comparata ad magis intensam, vel expressam nuncupetur solùm *virtualis*, ut dixerit *ibid. n.* 108 Vide etiam *Tract. præced. n.* 64.

205 Sed contra dicta superiùs objicies: Hæreticus Prædicans habet sæpe expressam intentionem non baptizandi secundùm ritum Romanæ Ecclesiæ, *quomodo ergo valide baptizat?*

Resp. Vel ille Prædicans est ita conscelleratus, ut nolit baptizare secundùm ritum Romanæ Ecclesiæ, seu facere id, quod facit Romana Ecclesia, etiamsi sciret, eam esse veram Christi Ecclesiam; vel tantùm ideo protestatur, se nolle secundùm ritum, atque intentionem Romanæ Ecclesiæ baptizare, quòd per ignorantiam *affectatam*, vel *non affectatam* existimet, Romanam Ecclesiam esse Antichristianam. Si baptizat ex *prima* illa, ac Sathanica dispositione animi, tum sanè lavat laterem, dum lavat infantem. Si ex *secunda*, tunc ex lapide suscitat filium Abrahæ. Quia verò nulla convincens ratio adferri potest, ob quam credamus, Prædicantes esse ita protritæ conscientiæ, idcirco illorum baptismum non rejicimus universim, defectu intentionis, an verò ob alias causas insuper sit generatim rejiciendus, aperiemus *Casu XIII. n.* 393. Interim consuli poterunt Suarez *hic disp.* 13. *sect.* 2. & Tannerus *cit. disp.* 3. *quæst.* 4. *n.* 4. *ac seqq.* valde distinctè loquentes, videri etiam potest Stephanus à S. Paulo *Theolog. Moral. Tract.* 5. *disp.* 2. *dub.* 4. *n.* 21. hisce ex me non *citato* descriptis addens alia.

Resp. IV. Intentio baptizantis debet esse 206
aliquo modo determinata ad personam, quia actus agentium non extenduntur ultra intentionem eorum; non tamen vitiatur Baptismus, licèt baptizes puellam, ratus esse puellum, aut tingas filium Trebonii, ratus esse Ulpiani; nec enim præsumendum est, quemquam ita esse vecordem, ut suam intentionem restringat ad hoc individuum, excludendo omne aliud. Silvester *verb. Baptismus. 4. q.* 10. post S. Thomam, rectè præmittens ex eodem S. Thoma, pravitatem intentionis nihil obesse valori Baptismi, quando scilicet Baptismus dirigitur ad malum finem: adeò ut valeat Baptismus, quo venefica baptizat infantem, ut det Judæo, aut alteri usuro sanguine, aut membris baptizati ad superstitiones, vel magias; secùs, quando baptizat in nomine, seu virtute, & potestate cacodæmonis. Quibus junges ea, quæ de intentionibus variis circa administrationem Sacramentorum tradidimus *Tr. præced. sect.* 3. & singulariter *n.* 91. *&* 92. Vide, quid censendum de Baptismo collato ab obstetrice cum additamento: *Volo, ut non valeat hic Baptismus, si parochus advenerit, priusquam extinguatur hic infans: valeat, si non advenerit.*

Quæres II. *An, quando defuit intentio in bap-* 207
tizante, benignitas Dei suppleat defectum illum?

Resp. Etsi negari non potest, quin magni viri ita censuerint, ut videre est apud Gregorium de Valentia *Tom.* 4. *disp.* 3. *q.* 5. *punct.* 3. Dianam *Par.* 3. *Tr.* 4. *Resol.* 17. Dicastillo *Tr.* 1. *de Sacram. disp.* 3. *n.* 46. qui illorum nomina edunt, adhærendum tamen est contrariæ doctrinæ, utpote non solùm communissimæ hac ætate, verùm etiam fundatæ in apertissimis verbis Christi Domini apud Joann. *cap.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non potest introire in regnum Dei.* Unde S. Augustinus non solùm *Lib.* 3. *de anima contra Vincentium c.* 9. scribit: *Noli credere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum;* sed etiam *Epist.* 28. *ad Hieronymum* asseverat: *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra apostolicam*

licam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiã. Vide alia hanc in rem *Tr. præced. n.* 96.

Dissentimus proinde consequenter à ma- 208
gnis, & orthodoxis ingeniis, quæ censuerunt, si infans moriatur inchoatâ formâ Baptismi, at nondum finitâ, salvari nihilominus; nam illa ipsa verba Salvatoris, junctâ Florentini Concilii definitione de forma Baptismi, refutant hanc nimis piam existimationem.

Porrò illi auctores non ajunt, in horum al- 209
terutro casu imprimi characterem, sed conferri solùm effectum primarium Baptismi, id est remissionem peccati originalis, infusionémque gratiæ sanctificantis, extendentes suam doctrinam ad casum, quo quis bonâ intentione confitetur, seque à confessario absolutum putat, cùm tamen confessarius non absolverit. Sed hæc, & similia sunt ita improbabilia, ut nullo modo debeant haberi pro verosimilibus, nedum pro veris. Illud autem verosimile, & curiosum, quod tradit Dicastillo *Tom.* 1. *in* 3. *Part. Disp.* 3. *dub.* 6. *n.* 126. *&* 127. si tu effunderes è summitate turris aquam ad baptizandum jacentem ad pedem turris, valori hujus Baptismi nil obfuturum, licèt tu, antequam aqua à te effusa attingeret illum, retractares tuam intentionem baptizandi, vel etiam discederes è vita; quia videlicet ablutio *actualis*, jam non pendet à tuo arbitrio, sicut nec *actualis* mors illius, cui præbuisti venenum, exitialissimum.

210 Quæres III. *An, qui invalidè aliquem baptizavit, teneatur etiam cum periculo vitæ resanicire defectum?*

Hanc prò dolor, non otiosam quæstionem elucidat non modò Casus noster de Francisca obstetrice, sed etiam hic

Casus lugubris.

211 *Parochus quidam invalidè administravit pluribus annis Baptismum. Interrogatus ego sum, an cum gravi temporalium bonorum, famæ, & vitæ detrimento teneretur hoc ita propalare, ut Baptismi omnes iterari possent. Respondeo nunc affirmativè, sicut olim respondi consultus.*

212 Ita loquitur, testatur, resolvit Quintanadvenas *singul. Tr.* 1. *sing.* 19. probatque illo fundamento, quo *Casum VII.* elucidabimus, quòd scilicet charitas imperet, vitam exponi periculo propter necessitatem spiritualem proximi extremam; atqui omnium istorum salus versatur in extremo periculo, seu necessitas extrema spiritualis horum satis apparet. Nam aut sunt infantes, & tunc est clarum periculum; aut sunt adulti, atque adeò obnoxii peccatis mortalibus, quorum remissionem non accipient nisi per contritionem perfectam; cùm nullum Sacramentum ipsis quidquam profuerit; at verò quanto discrimini exponitur is, cujus salus non nisi per contritionem multis difficillimam servari potest: Et quid si nonnulli ex ita baptizatis aut jam sint, aut probabiliter futuri sint sacerdotes? Quid si Episcopi? Quanta catena malorum hinc cudetur?

Sanè hæc ratio convincit, illum sacerdo- 213
tem, fuisse obligatum manifestare suum scelus, quia non apparet, qua aliâ ratione potuerit occurri extremo periculo multorum in confuso. Haud tamen censeo, fuisse cum discrimine vitæ obligatum ad hanc manifestationem respectu singulorum ex perversè baptizatis à se. Nam in primis potuit utique fieri, ut citra suæ vitæ periculum procuraret aliquorum Baptismum animadvertentium, vel non animadvertentium (omnes quippe censeri poterant habere intentionem *habitualem* recipiendi Baptismum) se rebaptizari.

Deinde potuit fieri, ut ipse sciret, unum, 214
aut plures ex infantibus non versari in ullo *morali* periculo moriendi ante annos discretionis, nos enim quotidie videmus tales non paucos. Adhæc potuit etiam esse de nonnullis utcunque certus, quòd per omnem vitam elicuerint, atque eliciturí essent, non unum, sed plures actus contritionis, & dilectionis Dei super omnia. Ergo horum respectu non tenebatur vitam prodigere cum tanta simul infamia, tótque hominum in se odio, sed respectu illorum solorum è laicis, quos ob peculiares circumstantias prudenter suspicabatur vel Sacris initiandos Ordinibus, vel perituros æternùm, nisi rebaptizarentur. Vide infrà *n.* 230.

Addit etiam idem scriptor *loc. cit. n.* 4. suam 215
tam rigidam doctrinam esse veram etiam casu, quo parochus ille inculpabiliter errâsset in parte *substantiali* Baptismi, eò quòd Lessius *Lib.* 2. *de just. c.* 7. *dub.* 7. *Bonacina Disp.* 1. *de restitut. q.* 2. *punct.* 7. aliique plures censeant, illum teneri ad restitutionem; qui ex officio aliquod munus e.g. confessarii, consiliarii, &c. obiens, est per suum consilium inculpabiliter quoque datum causa alicujus damni. Sed neque hæc doctrina est vera, neque traditur ab his DD. imò negat illam *ibidem expressè* Lessius, *implicitè* Bonacina *ibid. n.* 23. Rectiùs ergo probatur illa additio generali doctrinâ S. Thomæ suprà allatâ, ac potissimùm sententiâ S. Joannis *Epist.* 1. *cap.* 3. dicentis generatim: *Et nos debemus animas pro fratribus ponere.*

Porrò tunc solùm censetur proximus esse in 216
extrema necessitate spirituali, quando versatur in tanto discrimine æternæ damnationis, ut nisi illum juvem, ejus salvatio sit saltem secundùm *moralem* æstimationem impossibilis. Ægidius Coninck *de act. supernatural. Disp.* 25. *n.* 87. ex communi; ut fatetur; ergo parochus inculpabilis tenetur cum periculo vitæ se prodere solùm respectu illorum, qui nequibunt elicere actum contritionis.

Quid si autem ne quidem respectu horum vel- 217
let etiam culpabilis minister objicere suum caput discrimini?

Resp.

Resp. Cum Laymanno *Lib. 2. Tr. 3. cap. 3. n. 3.* qui videtur inter scriptores primus movisse difficultatem circa eventus similes illi.

Casui facto, non ficto.

218 QVem recitat hisce verbis: *Obstetrix quædam pauper mulier confitetur sacerdoti, se quadragintæ circiter infantes baptizâsse in nomine Zabuli, quibus postea à parocho sine alio baptismate cæremoniæ tantùm adhibitæ fuerint; personæ autem illæ non rectè baptizatæ partim jam mortuæ sunt, partim adhuc vivunt, sed ferme per varia oppida, aut etiam regiones dispersæ, ut consideratis omnibus, nullus modus excogitari possit, quo illis Baptismi defectus significetur, nisi mulier magistratui se prodat, & extremum supplicium subire debeat. Quæritur, quid confessario hîc agendum?*

219 Respondet autem, esse in primis ab illo explicandam obstetrici gravitatem tot scelerum, & absolvendam ab eo, si suâ adhortatione excitârit in ipsa firmum propositum desistendi à maleficiis, ac faciendi ea, quæ confessarius judicârit necessaria ejus saluti; deinde nominatim inducendam, si queat, ad libenter subeundam mortem pro suâ, aliorúmque ab ipsa deceptorum salute. Tertiò verò, si non sit spes, impetrandi ab illa tam heroicam resignationem, esse dissimulandam obligationem se sistendi judici, quandoquidem hanc obligationem ipsa probabiliter ignorat, ejus autem manifestatio paritura sit plus mali, quàm boni.

220 Hæc tota responsio mihi placet, ac tertia etiam idcirco, quòd S. Augustinus relatus *cap. Si quis. 4. De pœnitent. dist. 7.* rectè pronuntiet: *Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem.*

Huic materiæ de sperato, aut desperato fructu ex manifestatione veritatis applicari possunt, quæ de conjugatis, aut sponsis ignorantibus impedimentum dirimens enucleavi *in Theologia Juridico-moral. c. 37. à n. 55. ad 85.*

221 Et quid si in casu Laymanni Confessarius diceret tali mulieri: Si per te liceat, accedam Judicem, seu Principem, dicámque, me aliquod secretum, ex quo pendeat salus multarum animarum, ipsi aperturum, si sanctè promittat impunitatem? Fortè denique ipsa consentiret in revelationem Sigilli, & sine dubio teneretur Princeps stare promissis propter ea, quæ differo *in Alphab. Quadruplici part. 2. n. 535. & seqq.* Hoc ipsum judicium est etiam Caramuelis *in Theologia Præterintentionali n. 2139.* lecti à me postea, & addentis, talem ministrum, aut ministram posse fugere ad locum remotum; si autem rursus contingeret hic Laymanni casus, esse consulendos viros prudentes, qui utique dicturi essent, ejusmodi mulierem obligari etiam cum periculo mortis prodere se ipsam, si nequiret aliter procurari rebaptizatio etiam multorum; quamvis idem Caramuel dicat, hoc non esse certum, sed solùm multò probabilius.

BAPTIZANS CUM PERICULO PROPRIÆ MORTIS.

CASUS VII.

Baptismi cœlestis.

SVMMARIVM.

S. Philemon frustrà implorată ope Christianorum in loco Martyrii præsentium, nube cœlesti baptizatur. 222.

An quis cum periculo vitæ teneatur non baptizatos baptizare? 223.

Infantes Christianorum non baptizatos, & in periculo vitæ constitutos tenetur quivis etiam cum periculo propriæ vitæ baptizare. 224.

An idem dicendum de Filiis Ethnicorum, si parentes se opponant? 227.

Et de adulto, ita rudi, ut nequeat edoceri rationem eliciendi contritionem? 228.

Et de quovis jam jam morituro, existente in peccato mortali? 229.

Tempore pestis tenentur parochi parvulis, & adultis conferre hoc Sacramentum. 231.

Quid si autem periclitetur salus plurimorum, si parochus cum probabilissimo pestis contrahendæ periculo baptizet? 232.

An resignare possit tunc parochiale officium, & resignatio acceptari debeat? 234.

Quid si vocetur eodem tempore ad baptizandum infantem, & absolvendum adultum, in æquali periculo mortis proximè constitutos? 235.

Quid si dubitet, num puerum adhuc vivum sit reperturus? 236.

Quid si baptizare nequeat, nisi cum periculo certo labendi in peccatum mortale? 237.

An Christiani à Philemone rogati peccârint graviter contra Charitatem non baptizando? 238.

Vel contra Legem de professione fidei? 239.

GLorioso Christi pugili Philemoni pro Religione inter carnifices decertanti objecit Præses, ei nihil profuturam tormentorum perpessionem pro Christo, quandoquidem non esset baptizatus; tum Philemon magnâ voce ad turbam exclamans, rogo vos, inquit, si quis inter vos præest Christianis, & contemnit tormenta propter pietatem, adsit citò, & me divino impertiat Baptismate. *Postquam autem vidit, omnes victos timore, & qui, ut tempus postula-* 223

bat, nihil poterant facere juveniliter, dolore animi cruciatus, & continuò in vocem erumpens cum validis lachrymis: Deus meus, *inquit*, qui benignè aspiciens à profundo errore revocâsti, ne sic me despicias, divinum Baptismum minimè assecutum; sed quovis modo ostende mihi sacerdotem, & aquam, à quo & in qua similiter ac alij Christiani baptizabor. *Cùm hæc dixisset, nubes continuò desuper descendens, cùm eum stantem medium in orbem comprehendisset, baptizavit. Deinde nubes quidem sursum ascendit, ille autem omnibus videntibus, fluento cœlesti baptizatus*, vobis, *inquit*, omnibus videre licuit, qui Christiani estis, nondum autem vultis, manifestam esse fidem, & pietatem, quemadmodum cùm nullus utique ad me ausus esset accedere, ipse veniens apertè Dominus me maximo dono impertiit Baptismatis. Videte ergo, ut turpi, ac illiberali timore liberemini.

223 His verbis hanc historiam ex Metaphraste describunt Aloysius Lipomanus, Laurentius quoque Surius *in vita S. Thyrsi, & sociorum ad 14. Decembr.* cujus partem attigimus *Casu IV. n. 158.* Nunc quæruntur duo. Primum: *Utrùm quis etiam cum periculo mortis teneatur non baptizatum baptizare?* Alterum: *Utrùm singulariter in circumstantiis expressis hâc historiâ non adsit, seu adfuerit talis obligatio?*

224 Ad *primam* quæstionem respondeo I. Infantes Christianorum non baptizatos tenetur quisque in periculo mortis naturalis constitutos regenerare, etiam cum periculo propriæ vitæ. Sic docent expressè Sylvester *verb. Bellum. 2. q. 4.* Navarrus utiliter legendus *in Manual. cap. 24. n. 9.* Coninck *de act. supernatural. disp. 25. num. 88.* Bonacina *De Leg. disp. 3. q. 4. punct. 4.* Ferdinandus de Castro Palao *Tract. 6. Disp. 1. punct. 9. n. 5.* contra Emmanuelem Sa, *verb. Charitas. n. 4.* Sotum *De secret. memb. 2. q. 2.* Arivalum, & Joannem Sanchez *in select. Disp. 10. n. 9.* hos ipsos citantem, & referentem ex Arivalo, plerosque alios sic sentire; & quidem probabiliter, teste Lopez.

225 Verùm probatur nostra responsio ratione, quam expressi *Casu VI.* quòd videlicet quisque teneatur vitam propriam prodigere pro salute proximi constituti in extrema necessitate, sicut cum S. Thoma *2. 2. q. 26. a. 5. ad 5.* tanquam doctrinam certissimam, & ab omnibus Catholicis, teste Palao *n. 2.* admissam traduntur ejus commentatores, atque ii, qui scribunt de charitate proximi, interque hos tum illi, quos jam primùm nominavi, tum apud ipsummet Joannem Sanchez, Joannes Major, Lorca, Azor, Valentia, Suarez, Maldonatus, Lopez, Armilla, Zambranus, Toletus: tum quos in decursu nominabo; qui etiam cum Bonacina *loc. cit.* hanc generalem doctrinam declarant variis casibus, quidquid Joannes Sanchez, cujus utique non erat memor Palaus, repugnet; ac planè dissentiat adferendo novam explicationem S. Thomæ, & addendo (quod sanè non debuisset addere) à suis adversariis doceri id, quod ipsi non exequerentur.

Sed refutatur vel inde, quòd præco charitatis Dei S. Joannes *Epist. 1. cap. 3.* sic argumentetur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* 226

Dixi: *Christianorum.* Nam de filiis Ethnicorum, si parentes se opponant, negat expressè Navarrus, ratus ne quidem licere eos in Christo regenerare, invitis parentibus. Sed meritò dissentit à Navarro idem Coninck post Vasquez *hic Disp. 155. cap. 4. n. 30.* & alii, casu, quo nulla vis, aut injusta turbatio adferatur, vel inferatur parentibus; illorum quippe sola contradictio non est præferenda extremæ necessitati, sicut de infantulo Judæi, nuper in vicina nostra Suevia jussu Illustrissimæ & piissimæ cujusdam Dominæ Comitissæ ita baptizato, atque in sinum Abrahæ feliciter transmisso respondi. 227

II. Idem dic de Adulto ita rudi, ut nequeat ante mortem edoceri rationem eliciendi contritionem; nam hic est propriissimè in extrema necessitate secundùm doctrinam allatam *n. 216.* 228

III. Idipsum de quovis existente in peccato mortali, & jam jam morituro pronuntiant Suarez *De fide Disp. 9. sect. 7.* Valentia *Tom. 3. Disp. 3. q. 4.* Sylvius apud Dianam *Part. 3. Tr. 3. Resol. 50.* eò quòd cuivis tali sit perdifficile, elicere contritionem. Verùm assentior Navarro *cit. cap. 24. n. 9.* Ægidio Coninck *cit. Disp. 20. n. 89.* atque Palao *num. 6.* id ita generatim negantibus. Huc enim facit illud pronuntiatum jurisperitorum: *Indignus est alienâ ope, qui sibi non vult opitulari, cùm possit. L. Bona fides. ff. De depositi.* 229

Assentirer autem prioribus Doctoribus casu, quo quis ex nequitia aliquem malè baptizâsset; utique enim hic talis rigidiùs teneretur suum erratum corrigere, quàm qui est extra omnem culpam. Suprà *num. 213. & 214.* sicuti & in casu, quo solùm probabiliter putaret talis, suum conatum, & operam re ipsâ profuturam tali homini; cùm tamen innocens non obligetur pro salute alterius exponere vitam periculo certo, nisi certus sit, auxilium suum profuturum. Palaus *l. c. n. 1.* 230

IV. Singulariter autem tempore pestis tenentur parochi tam adultis, quàm parvulis administrare hoc Sacramentum. Chapeaville *de modo administr. Sacram. temp. pest. cap. 2. q. 1.* testans, hoc esse certum, eò quòd titulo officii, & justitiæ teneantur procurare salutem suarum ovium. Id ipsum de parocho tradit Joan- 231

nes Sanchez *cit. Disp.* 10. *n.* 9. limitans suam à nobis suprà confutatam doctrinam ad illos, qui non habent obligationem justitiæ. Sed contrà: Non baptizati nondum sunt oves parochorum. Suprà *Casu IV.* Ergo hæc obligatio justitiæ est potiùs erga parochianos parentes horum nondum baptizatorum, quàm erga ipsos nondum baptizatos. Vide dicta *Tr. præcedente n.* 157. *& seqq.*

232 At inquies: *Quid si pater, mater, aut alius in domo infecta peste velit parvulo ministrare hoc Sacramentum, an tenebitur nihilominus parochus?* Resp. Non tenebitur, quia non videtur se ad hoc in tali statu obligâsse. Certè, si parochi, dum investiuntur, interrogarentur, an velint se obligare etiam in tali circumstantia, plerique, puto, negarent.

233 Rursum inquies: *Nemo quidem est, qui hunc puerum baptizet, si autem baptizâro, probabilissimè contraham pestem, càm interim sim solus in pago, per quem vulgati sunt, alii morbi. non ita contagiosi quidem, sed lethales.*

Resp. Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est pleniùs consulendum, inquit Gregorius Papa relatus *cap. 3. de elect. in 6.* Ubi autem sunt plures laborantes extremâ necessitate, ibi utique intenditur majus periculum. Atque ita sentit Tannerus *Tom. 3. Disp. 2. q. 3. n.* 62.

234 *Quid si autem tunc resignarem meum parochiale officium?*

Resp. Non esses pastor, sed mercenarius ille, quem Princeps pastorum reprehendit *Joann.* 10. Quare nequaquam tenerentur aut Episcopus, aut parochiani admittere hanc resignationem. Valentia *Tom. 3. disp. 3. q 4. p. 3. Sed substituam aquè commodè?* Resp. Ergo excusaberis à peccato. Valentia *ibid.* ac Palaus *Tr. 6. Disp.* 1. *p. 9. n.* 15. Vide *Tract. præced. sect. 4. n.* 116.

235 *Quid si verò eodem planè tempore vocetur ad baptizandum infantem, & absolvendum hominem è tecto lapsum, quorum alteruter certò morietur sine Sacramento, si postponatur alteri?* Resp. Cura infantem baptizari per laicum, & advola ad lapsum. *Sed nemo est, qui videatur rectè baptizaturus?* Ergo infantem præfer viro, quia ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo, ait Angelicus Doctor *3. Part. quæst.* 83. *art. 6. ad* 2.

236 *Quid si præterea dubitem, utrùm sim vivum adhuc reperturus illum puerum? tenebórne nihilominus me dare in discrimen vitæ?*

Resp. Non, quia præceptum istud charitatis ad id periculum non adstringit parochum, nisi sit probabilis spes juvandi efficaciter. Palaus *loc. cit, n.* 12. contra Sylvestr. *verb. Bellum. 2. q. 4.* loquentem etiam de non parocho. Quòd si non sis ex officio curator animarum, requiritur ad te ita obligandum non solùm probabilis, sed *moraliter* certa spes auxilii efficacis. Palaus *ibid. n.* 1.

Quid si denique nequaquam baptizare, nisi 237
conjiciendo me in certum periculum labendi in aliquod peccatum mortale ob superventuram tentationem? Respond. Joan. Sanch. *in select. disp. 10. num.* 9. te non obligans cum periculo vitæ corporalis, obligat te cum pari periculo vitæ spiritualis, quia scilicet etiam in hoc periculo constitutus potes, si velis, evitare mortem animæ: non potes, ut supponimus, mortem corporis, etsi velis. Hæc ratiocinatio mihi non displicet, licèt displiceat suppositum de corporis periculo non adeundo.

His de obligatione etiam cum periculo 238
mortis generatim expositis.

Quæres II. Speciatim de Christianis, quorum opem Christianam efflagitabat S. Philemon, *an scilicet hi peccârint mortaliter non prosiliendo in theatrum, ut, si quam habebant aquam? eâ abluerent purissimam animam hujus Athletæ?*

Resp. I. Non peccaverunt mortaliter contra præceptum charitatis. Quandoquidem enim erat hic præclarus Confessor paulò pòst suo sanguine super nivem dealbandus, ac proinde non existebat in extrema necessitate, non habebat locum illa tam periculosa obligatio. Unde Chapeaville *de modo administr. Sacram. temp. pest. c. 2. q.* 7 generatim negat, pastores obligari cum periculo mortis impertiri lavacrum liberis suorum parochianorum, quando Turcarum, vel hæreticorum persecutio fervet in ipsos.

Nec obest, quòd ita efflictim rogarentur à 239
Philemone, nusquam enim scriptum est, vitam nostram esse prodigendam propter obtestationes non indigentis nostro auxilio.

Resp. II. Videri tamen possunt peccâsse contra legem de professione fidei; quia S. Martyr eos fuit hortatus, ut se emendarent *à turpi timore*; ergo judicio hujus Martyris fuerunt rei capitalis sententiæ, fulminatæ à Salvatore *Lucæ 9. Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ.* Aut si fortè hoc non dixit Martyr, sed sanctus (ut vocant Græci) Simeon Metaphrastes, ei (ut sæpe solet, teste Bellarmino *de script. Eccles. ast. ad Ann. Christi* 850. quo vivebat Metaphrastes) attribuit hæc verba, tum ipse Metaphrastes judicavit, eos peccâsse non leviter.

Ego abstrahendo à judicio, seu Martyris, 240
seu Martyriographi, Historici inquam, dico breviter: Aut illa dissimulatio cessit in magnam imminutionem honoris divini, aut non cessit? Si cessit, tunc *per se loquendo* peccârunt graviter dissimulatores illi. Si non cessit, non peccârunt *per se loquendo.* Ratio utriusque resolutionis est, *quia confiteri fidem non semper, nec quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximo impendenda.*

Est hæc negativa, & affirmativa respon- 241
sio

sio S. Thomæ 2. 2. *q. 3. art.* 2. ubi licèt exprimat, nos etiam tunc obligari profiteri fidem, quando id exigit utilitas impendenda proximo; jam tamen superiùs ostendi, præceptum charitatis non videri habuisse tunc locum; ergo divisio à me facta in probatione mei dicti sufficiens est.

242 Utrùm verò illa dissimulatio re ipsâ cesserit in contemptum divini honoris, seu imminutionem, nec ne, novit Deus. Potuit sanè fieri, ut illi Christiani cognoverint, fore, ut si unus, aut plures accurrissent ad baptizandum Philemonem, fuissent ipsi inhibiti, & frustra magis in Christianos exacerbati animi Tyranni, ac plerorumque paganorum; potuit vice versâ fieri, ut aliqui ex iis Christianis satis præviderint, fore, ut honor Christi sumpturus fuisset magna incrementa, magna illius imminutio, atque ignominia vitanda, si unus, aut alter spreto tormentorum metu profiliisset ad Martyrem. In primo casu vel non tenebantur accurrere, vel etiam tenebantur se non prodere. In secundo debebant se prodere, ut disces ex iis, quæ in hanc rem disserunt P. Coninck *De act. supernatural. disp. 15. dub. 5 à n. 92.* atque alii scribentes de externa professione fidei, quorum tamen aliqui sunt rigidiores, quàm Coninck. Vide præterea, quæ dissero infrà *Cas. XVIII. n. 624. & seqq.*

BAPTIZANS IN PERICULO MORTIS ALIENÆ.

CASUS VIII.

Imitandus. Mirandus.

SUMMARIUM.

P. Carolus Spinola infantulum Barbari, animam agentem, baptizat. 243.
Quid intelligatur per periculum mortis? Ibid.
Cuivis licet alium in quovis mortis periculo constitutum baptizare. 146.
Doctrinæ parocho scitu necessariæ in extremæ necessitate baptizandorum. 243.
Sacerdos incurrit sententiam suspensionis, si ejus cunctatione fiat, ut quis absque Baptismo decedat. 249.
Interrumpendum est Sacrificium Missæ, & periclitanti Baptisma conferendum, si nemo alius possit. 250.
Qua ratione id præstandum? Ibid.
Vocatus ad talem baptizandum excitet actum contritionis. 251.
Modus eam excitandi. Ibid.
Habeat in memoria probabiles sententias de valore Baptismi ratione materiæ, intentionis, &c. 252.
Quid facere oporteat, quando mater prolem nondum, vel non integre enixa est? Ibid.
Quid suaderi possit Obstetrici? Ibid.
Si periculum sit acceleranda mortis per immersionem in Diœcesi fortè præscriptam, utatur solâ aspersione &c. 253.
An foret irregularis, si adverteret, se mortem accelerâsse? Ibid.
Consilium de incidendo utero, ut infans extractus recipere possit Baptismum, improbet, etiamsi mater consentiat. 254.
Nisi fortè extremum sit meritæ supplicium. Ibid.
Autor recantat, quæ scripsit de vetita hîc sectione. 255.
Nominantur puerperæ feliciter sectæ. Ib. *&* 257.
Casus perplexus: An secanda mater mortua cum dubio vitæ prolis, & defectu pecuniæ? 258.
Praxis felix matronarum Hispanarum in hoc periculo. 260.
Et valde notabilis, felixq; casus Vallesianus. Ibid.
Licet matri periclitanti de vita sumere pharmacum fœtui mortiferum, si spes non sit, eum perventurum ad Baptisma. 261.
Non imitandum exemplum ejus, qui puerum jam jam moriturum projecit in undas, & formam Baptismi pronuntiavit. 262.
Nec licet Catechumenum, cui difficilis accidit actus contritionis, etsi volentem submergendo baptizare. 262.
Eum, cui mors acceleraretur, si deferretur ad templum, domi baptizet parochus. 264.
Adulto cuicunque sensibus capto, si per testem constat, eum sensibus integris Baptismum petiisse, conferat Sacramentum. 265.
Conspicatus Ethnicum ad supplicium rapi, quæ ratione dextre Baptismum persuadeat, & conferat? 266.
Exemplum S. Pauli Michi è Societate Jesu. 267.
Casus de Judæo baptizato. 269.
An expediat, eos baptizare diu ante mortem? 269. *&* 270.
Non sit multùm solicitus de patrinis, aut sexu baptizandi. 271.
Non sit lentus in pronuntianda forma, & aliis substantialibus peragendis, & quare? Ibid.
Exempla infantium ad statuam Divæ Virginis in Lotharingia ad vitam redeuntium, & accepto Baptismo denuo decedentium. 272.
Nominatim de filiolo Comitis de Montfort. Ibid.
Similia ad statuam Divæ Virginis in Tyroli. Ibid.
Et in Ædicula Lauretana ad Bruntrutum. 273.
Nominantur duo ita resuscitati. 272. *&* 273. *in App. lit. a.*
Parentes an teneantur tales filios deferre ad unum ex his locis? Ibid. *lit. c.*
Interveniátne fraus Dæmonis? Ibid. *lit. d.*

HErmannus Hugo interpres vitæ 243
Caroli Spinolæ, ab Ambrosio Spinola conscriptæ Italicè, describit verbis, quæ hîc repræsento, rem apprime facientem ad præsentem titulum: *Fortè ampla in planitie* (Japoniæ) *obambulabat*

Carolus, cùm eminus turbam hominum unum ad locum concurrentium animadvertit. Quæ, quantùm ex longinquo noscitari poterat, rem aliquam in circulo circumstantium positam attentè intuebantur. Ut ergo in animarum piscatum semper illi expeditius pendebat hamus, obvium quempiam interrogat, ecquid in illo hominum se prementium cœtu novæ rei gereretur? Intellecto, infantulum esse alicujus barbari, quem agentem animam plebs admirabunda circumstabat; ille strophiolo quàm celerrimè vicinis aquis madefacto accurrit, dimovétque turbam, & perinde atque si medicinam aliquam moribundo facere tentasset, expressam è piis jacentis aquam aspersit pronunciatâ sacrorum verborum formulâ. Paucas post horas lustratus infans animam exhalavit. Tantum gaudiorum attulit Patri lucrum illius animæ, alioqui fortè perituræ, ut literis ad Socios Lusitanos scriptis disertè affirmârit, etiamsi Deus non aliud illi reddidisset laborum præmium, quos vel in illum usque diem exhauserat, vel deinceps toleraturus erat, existimaturum tamen se, plus satis recepisse mercedis vel unicâ illius animæ salute abs se tanquam instrumento procuratâ.

244 Hactenus Ambrosius Spinola per calamum Hugonis de suo propinquo Carolo. Occasione autem hujus Casûs *imitandi* ob factum: *Mirandi* ob dictum, seu scriptum hujus Herois, tradam, quæ circa Baptismum constitutorum in articulo mortis reperi apud classicos auctores, non sine aliquo auctario de meo.

245 Quæres igitur I. *Quid hic intelligatur per periculum mortis?*

Resp. Licèt periculum mortis ab articulo mortis in rigore differat: sicuti ex Dicastillo *disp. 10. de Eucharist. num. 36.* declarò *in Alphab. Communicant. Casu XII.* scriptores tamen loquentes de Baptismo conferendo tempore instantis mortis, utuntur promiscuè his duobus vocabulis, utar, & ego ac proinde accipiam illa pro statu, quo mors imminet certò, probabiliter, aut dubiè, proximè, aut remotè.

246 Quæres ergo II. *An omni generi personarum liceat aliquem Baptismo impertiri in quovis periculo mortis?*

Resp. Non solùm id licet in articulo propriè dicto, seu proximo periculo, quando videlicet putatur jam jam moriturus quispiam, & nemo haberi potest magis idoneus minister, sed etiam in quovis periculo, in quo sit dubium, utrùm sit ante mortem adfuturus minister quispiam magis idoneus, e.g. sacerdos, vir, non excommunicatus &c. Ratio est, quia neq; jura, neq; DD. restringunt illud ministerium usq; ad ultimum, eúmque certum articulum mortis; aliòqui nimis sæpe contingeret, ut propter scrupulos, & cunctationem periret infirmus, propter quem mortuus est Christus. 1. *Corinth.* 8.

Adde, quòd privilegium tanti Principis, 247
quantus est Christus, quàm amplissimè interpretari debeamus *Leg. Beneficiũ. De const. princip.* Quare quotiescunque obstetrix bonâ fide existimat moriturum, vel verè dubitat, utrùm non sit exspiraturus infans sine Baptismo, si expectetur, donec adducatur sacerdos, vel diaconus (rarissimè expectandus est aliquis alius, quia rarissimè poterit præsumi, aliquem subdiaconum, aut virum laicum in subitanea necessitate æquè bene functurum officio sacerdotis; atque usu perita obstetrix) poterit bonâ conscientiâ abluere infantulum, nec erit, cur postea angatur, licèt puerulus paulò post constituatur extra omnem jactum aleæ.

Quæres III. *Quænam sint practicæ doctrinæ, quas* 248
parochi, eorúmq; cooperatores debeant sæpe animo repetere, ut in extrema necessitate baptizandorum memores illarum peragant sine anxietate, quæ charitas Christiana exigit; vel permittit in eo puncto temporis?

Resp. Sunt eæ, quas sequentibus Aphorismis partim explicabo, partim solùm indicabo, laturus longè maximum parvæ opellæ pretium, si intra centum Annos fiat, ut lectio, repetitióque earum sit causa, occasióve transmittendi unicâ animulam in sedes empyreas. Ergò hîc in manipulum colligam, quæ huc facientia tradidi hactenus, tradámque in sequentibus Casibus.

Aphorif. I. Meminerit parochus, sententiam 249
suspensionis ferri *in Can. Quicunque dist. 4. De consecr.* in sacerdotẽ, cujus cunctatione factum est, ut quis absque Baptismo mortuus sit. Hinc constitutiones Synodales hujus Constantiensis Diœcesis *p. 1. tit. 6. n. 2.* sic statuunt: *Injungimus parochis, & curatis omnib⁹ seriò, ut ad baptizandũ aliquem infantẽ vocati sine mora in Ecclesia compareant, & officio suo pastorali satisfaciant; quòd si eorum culpâ infans aliquis sine Baptismo mortuus fuerit, nos eos quam severissimè puniemus.*

Aphorism. II. Proinde si in pago sit unicus 250
sacerdos, qui tempore sacrificii moneatur, aliquam prolem recens effusam è visceribus maternis agere animam, nec esse, qui sciatur nôsse modum baptizandi, depositâ casulâ, & servatis reliquis vestibus, si locus sit vicinus: si remotus, exutis, accurrat, etsi jam fortè consecrârit, peractóque illo tam urgente negotio redeat ad perficiendum Sacrificium; hoc enim faciendum discet ex iis, quæ de causis interrumpendi Sacrificii trado *in Alphab. sacrific. Cas. 23.* itémque ex valde notabili Casu S. Maurilii, quem referam in hoc ipso Tractatu *Casu XXI.* Atque ita respondi, quoad substantiam viro perdocto ex Ord. S. Benedicti interrogatus per literas.

Aphorism. III. Si existens in deplorando sta- 251
tu peccati mortalis voceris ad periclitantem vitâ,

vitâ, excita in via actum contritionis; ad quem te disponet hæc precatiuncula: *Misericordissime Deus: vides, me ad hunc infantem omnibus neglectis properare, tantùm idcirco, ut per meum indignissimi, inquam, peccatoris ministerium transferatur in numerum tuorum filiorum, sempiternorúmq; amicorum. Da benignissimè Deus, da quæso gratiam, ut ego per verum, & perfectum dolorem de peccatis redeam ad beatissimum statum tuorum amicorum, è quo per tale, & tale peccatum mortale stultissimè, impiissimè excidi.*

252 Aphorif. IV. Generatim habeat in memoria probabiles sententias, quas de valore Baptismi ratione materiæ, intentionis, ministri retuli *præcedentibus Casibus*, ut iis sine anxietate utatur tunc, quando non suppetet modus aptior; adeóque deficiente aquâ naturali, & sincerâ, seu non mixtâ aliis rebus, adhibeat distillatam è rosis, herbis, fluentem ex arboribus, resolutam ex sale, lixivium, jusculum, cerevisiam, glaciem non resolutam, ac sudorem, quo ipse madet ex festinatione. Hæc quippe omnia materiis validis annumerant Theologi nominati *Casu I. sect. 1.*

Item accitus ad parturientem nondum enixam, & de qua dubitetur, an sit editura prolem vivam, dicat obstetrici: Siqua ratione (perbonam proposui suprà *num.* 57.) potes attingere fœtum, insperge aquam in uterum, pronuntiando verba formulæ; vel ut primùm prodierit seu pes, seu manus, asperge, nec enim absurdum est, eundem infantem bis, térve intra breviculum tempus, mutatis circumstantijs, quæ valorem concernunt, baptizare sub conditione; ac proinde si bis ita baptizatus ab obstetrice, demum præter spem prodeat totus vivus, at summè debilis, parochus ipse repetat Baptismum conditionatum, non enim intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, *Cap. final. De presbyt. non baptiz.* Hæc, & alia ex me descripta approbat P. Stephanus *in Theol. Moral. Tr. 5. Disp. 2. dub. 4. edit 3.*

Adhæc si obstetrix dicat, infantem moriturum intra matrem, potest ei suadere parochus, ut ipsa conetur extrahere aliquam ejus partem, etiamsi fortè mors aliquantùm sit acceleranda, juxta dicta *Casu III.* & dicenda paulò *inferiùs.* Sicut & *n.* 281. dico, esse baptizandum, de quo dubitatur, an vivat.

253 Aphor. V. Quando periculum est, ne ipse parochus baptizando promoveat mortem debilissimæ creaturæ, utatur solâ aspersione, etsi in ejus diœcesi præscribatur immersio, vel utatur placidâ immissione permodicæ aquæ, & quidem tepefactæ, si non sit periculum in mora, vel digito intincto in aquam, aut spongiâ madefaciat frontem. Sanè hac ratione non accelerabitur mors.

At quid si adverteret parochus, se accelerâsse, an foret irregularis? Affirmat Chapeaville, modò admiserit culpam aliquam etiam solùm venialem per inadvertentiam, & defectum cautelæ. Ego cum Dominico Soto *in 4. d. 1 q. 3.* id nego propter varias rationes, & auctoritates, quas adfero *in Theol. Juridico-moral. c. 20. sect. 2. & in Alphab. Ordinis Cas. 17. n. 668. & seqq.*

Aphor. VI. Interrogatus idem parochus, 254
utrùm in puerpera, quam suis oculis intuetur, sit imitandum factum, & consilium repræsentatum hoc duplici

Casu Moriturientium.

Vivente florente Francisco de Victoria, quidam medicus suasit, incidendum esse ventrem mulieris, ut infans extractus Baptismum reciperet; & alius medicus capularis senex id ipsum sæpius factitaverat, suúmque factum contumaciter defendebat coram Patre Paulo Comitolo.

Respondebit cum primo *in Summ. de Sacram.* & cum secundo *in Resp. moral. lib. 1. quæst. 14.* fuisse facinus, consiliúmque pessimum utriusque medici, eò quòd nihil sit aliud, quàm occidere innocentem matrem, neque excusari posse hoc facinus, etiamsi mater consentiat; nam corporis sui nemo dominus est. *Text. Leg. Liberff. Ad leg. Aquil.* atque ita sentire omnes, testatur expressè idem Comitolus, & Coninck *in 3. p. q. 66. ar. 7. n. 75.* assentiente D. Reding *cit. q. 7. a. 1. Controv. 2. n. 29.*

Quam doctrinam extendit idem Comitolus ad casum, quo prægnans mulier est merita extremum supplicium, sed ex ejus dilatione mors imminet proli in utero, negat enim cum Soto *in 4. dist. 5. q. 7. ar. 11.* fas esse idcirco aperire ventrem matris, eò quòd illa apertio sit allatura mortem infanti. Verùm hanc rationem non admittent, qui docent, ut retuli *suprà n. 126.* posse accelerari etiam notabiliter per Baptismum mortem baptizandi; ideòque ego cum Suarez, Coninck, Diana *Part. 2. Tr. 15. Resol. 44.* Dicastillo, *hic Tr. 2. Disp. 2. n. 62.* habeo contrarium pro verè probabili, imò P. Escobar. *in Summa Moral. Theol. Tr. 7. exam. 2. c. 4.* habet pro absolutè vero.

Ita quidem sentiebam, & in prima excusio- 255
ne hujus Alphabeti scribebam de vetita incisione matris vivæ, cùm nactus, ac lustrans decimum quartum Tomum P. Theophili Raynaudi incido in Tractatum, cui titulus. *De ortu infantium per sectionem Cæsaream*, in cujus *Cap. 5. n. 2.* statuit, atque optimè probat hanc conclusionem: *Quòd sectio matris viventis* (ejúsque etiam innocentis, ut postea exprimit) *in desperatione partûs naturalis licita sit, & honesta, si spes probabilis boni eventûs* (incolumi matre) *affulgeat, habeo persuasissimum.* At verò posse sæpe affulgere ejusmodi spem, probat ipse tum *cap. 4. num. 5. & 6.* judicio, ac testimonio multorum Recentiorum Medicorum Gallorum,

Hiſpanorum, Italorum, Germanorum, tum *cit. cap. 5. num. 4. & 5.* certiſſimis exemplis, interque illa ſingulariſſimo *Patris Jacobi Robini Ordinis Minorum Biturienſis, qui eidem Patri Raynaudo coràm confirmavit, quintum ſe è fratribus, caſo ſemper (NB.) matris utero, editum, operam matri præſtante Brunetho Chirurgo, qui adhibito remedio ſoporifero dolores ſectionis ſolerter præcluſit.* Confirmo & ego duobus exemplis; *Altero Viennæ Auſtriæ, altero Salinis in Comitatu Burgundiæ editis circa puerperas, quæ ſaniſſimæ vixerunt, poſtquam ex earum uteris in umbilico ſectis extractæ fuerunt proles, jam ante ſectionem mortuæ, tetrúmque odorem halantes.* Ea duo experimenta ego hodie in Germanico exemplari Guilielmi Fabricii Medici Bernenſis *fol. mihi 1178. edit. Hanovienſ.* Huc facit, quod proximis Annis *judicârint Bononienſes Medici, poſſe, imò debere ſecari Illuſtriſſimam quandam Matronam, quæ & conſenſerat in illam lanienam, at conſpectis inſtrumentis carnificinæ ita cohorruit, ac ſibimet tantam intulit vim, ut feliciſſimè viâ ordinariâ fœtum ediderit.* Teſtem hujus conſilii, eventuſque, omni exceptione majorem producere poſſum.

256 Vtrùm verò hîc, & nunc prudenter ſperandum, ſectionē non fore fatalem matri, pronuntiabit Medicus non quilibet, ſed circumſpectus, ac minimè præceps, ut rectè Raynaudus *cit. c. 5. num. 19.* poſtmodum *c. 6.* latè probans, ac defendens, matrem ex charitate obligari ſubire in propoſito caſu ſectionem, peritos quoque artifices, ut addit *num. 22. & 23.* teneri, etſi non rogatos, præſtare ſuam operam, & *cap. 9. n. 21.* docens è contrario, ſi poſitâ ſectione, eſſet conſervanda matris incolumitas, at proles extinguenda ſine Baptiſmo, matrem ex charitate obligari ad abſtinendum ſectione, quod ego exiſtimo, eſſe conforme iis, quæ *Caſu 7.* tradidi de obligatione exponendi vitam periculo propter extremam neceſſitatem ſpiritualem alterius, ſicuti & omnino mihi unà cum Raynaudo perſuadeo, Theologos, quos ego, nondùm lecto hoc autore, ſecutus *n. 254.* negavi licitum uſum ſectionis Cæſareæ, fuiſſe tradituros iſtam ipſam doctrinam Raynaudi, ſi æquè, atque hic literatiſſimus Scriptor, perſpecta habuiſſent judicia Medicorum, eventúſque ſectionis feliciſſimæ.

257 Cæterùm ſtudium ferendi omnem licitam opem infantulis manifeſtè periclitantibus æternâ morte, quo cujuſque animus meritò flagrare debet, impellit me, ut in confirmationem eorum, quæ retuli de felici, imitandâque ſectione matrum ad fœtum educendum, tingendúmque aquâ vitæ, adeóque Baptiſmatis, referam id, quod die 28. Septembris Anno 1670. (ſcribo hæc die 14. Novembr. ejuſdem Anni) mihi occaſione aliunde datâ narravit perilluſtris Matrona notiſſima mihi à multis annis, ſcilicet *uſam ſe fuiſſe in aliquot difficilibus puerperiis operâ veræ obſtetricis, accerſitæ è loco diſtante aliquot leucis; hanc autem ipſammet obſtetricem ſecuiſſe bis, adeóque in duplici parturitione unam, eandémque matrem, ac feliciſſimè eduxiſſe duas proles, fuiſſe præforibus; tunc cùm hoc recenſebat obſtetrix, neceſſitatem repetendæ illius carnificinæ, eò quòd & illa ipſa bis ſecta mulier gereret uterum, & nequiret, ob corporis conſtitutionem, eniti modo naturali ullum fœtum;* ſubdidit autem illa il uſtris Matrona, eam obſtetricem mortuam fuiſſe, priuſquam adventâſſet tempus, quo tempore omnino deſtinaverat tertiâ uti ſectione. Ego tantam fidem adhibui verbis dictæ Matronæ, quantam adhiberem, ſi hæc audiviſſem immediatè ex illa obſtetrice curioſè, ſeu potiùs ſtudioſè examinata à me, eſt quippe mihi, & omnibus perſpecta virtus illius Dominæ, & longè ſupra ſexum ſapientis, ac valentis optimè judicare, fuerítne illa obſtetrix digna fide, nec ne.

Sed & alius, iſque perplexus Caſus evenit in noſtra vicinia, pauculis hebdomadis, priuſquam hæc adderem præmiſſis. Etenim, mortuâ è partûs doloribus quadam muliere, nonnulli ſuaſêre marito, ut mox juberet ſecari uterum mortuæ, quò aperiretur via ad tingendum infantem, hærentem adhuc in cadavere. At renuit ille, partim quòd obſtetrix aſſereret, ſectionem fore fruſtraneam, fœtum enim eſſe etiam extinctum, partim quòd oporteret chirurgo pendere ſummam octo Ducatorum, ſeu ſigginorum, propè impoſſibilem ipſi patri, utpote, qui non niſi labore pedum, ac manuum ſuſtentaret ſe, ac familiam. Quæritur meritò 1. *An credendum fuerit obſtetrici? 2. An ſeu metus, ſeu difficultas faciendi illos ſumtus, excuſarit à gravi culpa parentem, ac chirurgum?* Propono autem utramque hanc quæſtionem, quia reſolutiones poterunt transferri ad alios non multùm abſimiles eventus.

Reſpondeo autem 1. Si obſtetrix, aliíque adſtantes ſolùm idcirco pronuntiaverunt, fœtum eſſe jam ſpoliatum vitâ, quòd cenſerent, eum non poſſe ſervari, matre extinctâ; pater nequaquâ debuit ei fidem habere; quandoquidem liquet ex judicio Hiſpanorum Theologorum, ac Matronarum, itemque inſtantiâ infantis Valleſiani, de quibus ſuprà, & infrà, & inſuper communi aliorum, quà Theologorum, quà Medicorum, ac multiplici experientiâ, fœtui haùdquaquam ſemper, aut plerumque tolli vitam, mox ut ſublata eſt matri. Doctores, atque experimenta hujus rei contra nonnullos Recentiores Medicos memorat Pater Raynaudus *cit. Tr. De ſect. Cæſarea c. 2.* memorat quoque nonnulla uſu peritiſſimus Medicus Guilielmus Fabricius, in ſuo libro Germanico *fol. 1174.* præmittens, perſæpe fieri, ut proles ſit in utero ſuperſtes matri, ac ſubdens *fol. 1176.* præſtare, ut potiùs centies ſecentur, etſi irrito eventu, matres mortuæ, quàm ut eis parcendo negligatur vita unici infantis. Ita Medicus Calvinicola; quid Catholicus? Re-

Reſp. 2. Nec etiam merebatur illa obſtetrix fidem integram, ſi nitebatur ſuo ſolius judicio, formato ex matris tactu, palpatione, aliáve corporali, ſeu ſenſuali exploratione. Ducor, quia nominatus Fabricius *loc. cit. Fol. 1175.* non ſolùm generatim dicit, ſe aliquoties expertum eſſe, quòd infantes in utero ita immoti quieſcant, ut habeantur ab omnibus pro mortuis, ſed etiam nominatim recenſet, *ſe Anno 1603. Morati, oppido ſubjecto dominationi Rerum-publicarum Friburgenſis in Helvetia, atque Berneñſis, poſt valde exquiſitam exploration*em (multiplicem proponit ipſe) *puerperæ viventis adhuc, omnino exiſtimaſſe unà cum aliis viris, ac mulieribus adſtantibus, infantem exhalâſſe animam jam à viginti quinque horis, denique tamen ſemet extraxiſſe vivum ex vulva viventis, vixiſſéque illum puerulum adhuc triduo.*

Reſpond. 3. Si quis Chirurgus, aut Medicus peritus ſecandi aderat, advocaríve mox poterat, tenebatur ſub mortali etiam gratis, ſi mercedem ſperare non poterat; aperire ventrem defunctæ. Eſt hoc judicium Raynaudi *cit. c. 2. n. 12.* probantis rectè inde, quòd Charitas debita proximo, conſtituto in extrema neceſſitate, obliget quemcunique ad ſuccurrendum, ut jam monueram in hoc ipſo Tractatu. Quæ ratio tametſi eſt certa, quando conſtat, proximum verſari in eo ſtatu; non conſtabat autem, infantem, quo de loquimur, verſari in eo ſtatu, ſiquidem ſolùm dubitabatur, eſſétne habenda fides obſtetrici, aſſerenti vixiſſe jam illum fœtum; quia tamen quivis obligatur, etiam in dubio de extrema neceſſitate, conferre ſuam operam, ſaltem ſi queat ſine gravi incommodo, ſicuti poteſt quivis ſecandi peritus in prædicto eventu; idcirco Confeſſarius, aut Parochus, ſi quis fortè tunc aderat, debebat præſentes monere de hac obligatione.

Reſpond. 4. Si Pater non potuit inducere quempiam, ut minore pretio, quàm octo Ducatorum locaret ſuam operam, videtur non fuiſſe obligatus, quempiam conducere tanto pretio. Nec enim videtur quis cum maximo ſuo incommodo, quale eſt in operario diurno, teneri facere tantas impenſas cum probabili periculo fruſtranei eventûs. Aliud fortè pronuntiandum eſſet de propinquis divitibus, ſi qui adfuiſſent.

259 Addit verò Pater Raynaudus duo ad praxin faciendam: primum, infantem vix ultra horam eſſe ſuperſtitem matri; de Medicorum valde peritorum judicio, quin imò ex obſtetricum jam octogenariarum valde peritarum ſententia, non niſi ad modicum tempus abditam utero ſobolem vivere: alterum, explorari poſſe, an mater verè mortua ſit, tum admovendo ori ipſius aut tenue lumen, aut pauxillum bombycis, vel lanæ carptæ, vel ſupra os ventris ponendo cyathum aquâ plenum uſque ad ſuprema labia; ſi quippe nec cyathus, nec bombycis, aut lanæ fila moveantur, argumento eſt, exceſſiſſe animam. Ita Raynaudus.

Probo quoque id, quod ſingulariter obſervat loco, quem retuli ſuprà *num. 259.* idem Eſcobar, & quod feliciter non ſemel fuiſſe ab Hiſpanis matronis practicatum, teſtatur, ut videlicet, quando parturiens agit animam, ejus ori aliquid imponatur, ne videlicet infanti obturetur via reſpirationis, & mox, ut mortua eſt mater, ſecetur, eximatúrque ſoboles. Vide de hoc *Manuale Paſtorum* P. Muſſart. Vide quoque, quod refero infrà *nu. 499. & 500.* Et ſingulariter relege praxin, quam ex Scildere deſcripſi *ſuprà n. 57.* ac memor eſto hujus ex eventu

260

Lætiſſimi Caſûs Valleſiani.

Lucæ nobili pago Valleſiæ Anno 1662. vocatus ad puerperam P. Joannes Mos Societatis noſtræ Sacerdos zeloſiſſimus, advolavit quidem, ſed reperit fœminam vitâ jam ante aliquantulum temporis functam, prole hærente in utero. Quare mandat confeſtim aperiri uterum, fortè enim fœtum adhuc vivere. Et verò repertus eſt vivus, atque mox vitali aquâ ablutus migravit ad vitam æternam.

Hoc exemplum imitentur, oro, DD. Parochi incitati etiam præclaro facto, & noſtri P. Caroli Spinolæ; quod retuli *nu. 243.* memores quoque, P. Carolum Muſſart, Autorem *Manualis Parochorum*, (ut teſtatur noviſſima Editio) *part. 2. c. 2. num. 2.* ſic ſcribere: *Cura & procuratio ſectionis, cùm, matre mortuâ, putatur fœtum adhuc eſſe ſuperſtitem, judicio eorum, qui id norunt explorare, propriè pertinet ad Patrem, domeſticos, conſanguineos, aut ad alios ex charitatis officio, ſi adſint. Si tamen nemo alius id curat, tibi Parocho ex ſingulari cauſa incumbet. Quare ſi opus eſt autoritate magiſtratûs, aut comminatione delationis ad Epiſcopum, quoquo modo rem urge; hujuſque diligentiæ teſtes adhibe, ut de præſtito tuo officio conſtet. Multa, inquies, mandas: verum eſt, ſed tanti eſt, infanti periclitanti Parochum non defuiſſe.* Ita ille ſapiens ſcriptor; quæ hîc memoro propter luctuoſum caſum, qui alicubi ob neglectam hanc doctrinam contigit poſt jam impreſſum, ſed nondùm lectum hocce meum Alphabetum.

Illud verò ſatis notum, atque receptum 261
eſt, fas eſſe matri, ſumere pharmacum neceſſarium conſervandæ vitæ, illaturum tamen mortem proli in utero, ſiquidem morbus ſit talis, ut, niſi ſumatur medicina, tam mater, quàm proles extinguenda ſit ante partum. Coninck *loc. cit. n. 72.* poſt Leſſium *de juſtit. cap.*

9. *dubit.* 9. Secùs, si neglecto pharmaco speraretur, fœtum perventurum ad baptismum. Sicuti circa hanc ipsam materiam dicunt magni Theologi, si fugiens hostem non possis evadere mortem iniquam, nisi per iter angustum, in quo protriturus sis infantem, posse te salvâ conscientiâ arripere illud iter cum evidenti periculo protritionis, si ille infans sit baptizatus, non autem licere, si non sit baptizatus; sic enim ab omnibus doceri, testatur Tannerus *Tom. 3. Disp. 4. q. 7. n.* 57.

262 Sicut, & negant communiter Theologi, teste eodem Coninck *nu.* 71. ullo modo imitandum exemplum illius, qui, ut ex Abbate retulimus *Casu I. n.* 51. puerum jam jam moriturum projecit in flumen, pronuntiavitque formulam baptismalem; etenim idem Coninck probat, hanc projectionem *secundùm se*, ac sepositis accidentalibus circumstantiis confideratam directiùs tendere in occisionem illius pueri, quàm tendant aliæ actiones admissæ à magnis Theologis, ut e. g. quando tormento bellico evertitur murus hostilis, supra quem stant aliqui innocentes certò opprimendi ruinâ. Quare videtur esse consequenter neganda doctrina Caramuelis *in Theologia Præterintentionali n.* 2096. post Ochagaviam tradentis: *Si quis Catechumenus se siccum sentiat, & non eliciturum actum contritionis prævideat, volens potest per submersionem baptizari, quia, cùm submergi velit, vult directè baptizari, quæ intentio sancta, & laudabilis est; & si petit ità, ut enim eò modò baptizès, quo in talibus angustiis consuluti possunt, rem justissimam petit; in submersionem* (id est, ut interpretor, immersionem) *quæ est res indifferens, sanctè consentit, emersionem desiderat, sed quòd eam habere nequeat, præter ejus intentionem est.* Ita Caramuel; ex cujus discursu sequitur, talem catechumenum non modò posse, sed etiam teneri petere talem projectionem; quandoquidem tenemur pro salute animæ jam jam perituræ adhibere illud licitum medium, quod hîc, & nunc solum superest, aut superesse credimus. Confirmari potest illud judicium Caramuelis doctrinâ illorum, quo tradunt, fas esse, se projicere in mare cum certo mortis periculo, ad evadendum cruciatum ignis navem depascentis; item excusantium illas sanctas virgines, quæ pro tuenda pudicitia jactaverunt se in mare. Verùm, quia, ut retuli ex Coninck, & videre est apud Dianam *P. 5. Tr. 3. Resol. 14.* communis sensus Doctorum improbat illud factum, quod retulimus ex Abbate, est autem periculosum recedere in re tanti momenti à sententia communi, ideo non assentior Caramueli, tametsi Ochagavia apud Dianam *loc. cit.* scribat, suam doctrinam esse etiam communem, quod non credo.

263 Aphorismus VII. Tametsi nonnulli libri Rituales, sicuti Constantiense Obsequiale *fol.* 61. loquentes de baptismo constituti in articulo mortis dicant: *Omnibus omissis baptismum præcedentibus, tribus vicibus aquam naturalem fundat super caput infantis; vel aliud membrum notabile, & dicat; Ego te baptizo in nomine, &c. hùncque modum baptizandi doceat obstetrices*, attamen observandus non est, si minimum sit periculum, ne ante pronuntiatam formulam extinguatur infans, sed sufficiet unica, eáque modica affusio, sicuti singulariter resolvit Chapeaville *de Baptismo q.* 18. esto consuetudo Leodiensis diœcesis, cui præerat ipse tanquam Vicarius generalis, observaret illam trinam aspersionem. Etenim credi non debet, vel consuetudinem, vel Ritualia extendi ad casum, in quo est minima causa timendi illum infelicissimum eventum, cùm præsertim trina seu aspersio, seu affusio sit noxia ejusmodi debili creaturæ.

Aphorismus VIII. Fit sæpè, ut Parochus 264
privatim baptizet infantem, cui mors propinqua immineat, si deferatur ad templum, non autem immineat tam propinqua, si non efferatur domo. Caveat igitur *in primis* Parochus, ne curet deferri ad Ecclesiam, alioquin incurret irregularitatem, si illa delatio causaverit mortem; ergo domi referat illum in classem beatissimam Christi fidelium. Caveat deinde, ne in observandis, vel omittendis cæremoniis discedat à more suæ Ecclesiæ pro tali eventu, sicuti declarabo *Casu XVI.*

Aphorismus IX. Si quis adultum homi- 265
nem Hebræum, Turcam, &c. ac sensibus captum reperiat, memor sit Canonis *Parvuli. 74. De consecrat. distinct. 4.* ita statuentis: *Ægrotantes, qui loqui nequeunt, baptizentur, si pro iis quispiam respondeat.* Adeóque si vel unicus, vel unica testatur, illum, cùm esset sensibus integris, petiisse Baptismum, impertiatur illum ipsi. Impertiatur & filiolo Judæi constituto in extremis, quamvis reluctante patre, & matre. Infrà *Casu XI.* Sed de Judæo vide mirificum Casum apud Caramuelem *in Theol. Fundament. num.* 1041. quem describo *in Alphab. Confessar, num.* 594.

Aphorismus X. Sacerdos conspicatus Tur- 266
cam à Turcis Transilvaniam tenentibus, vel Tartarum à Tartaris pro Polonia militantibus duci ad suspendium, habénsque spem efficiendi cum ipso aliquid boni, imitetur hunc

Casum Japonicum.

267 *Beatus Paulus Michi Societatis Jesu Religiosus relatus ab Vrbano VIII. in censum SS. Martyrum, necdum Sacerdos cernens in sua patria Japonia hominem facinorosum èduci ad locum supplicii, penetravit per medios Satellites ad miserum hominem, támque fervenˉter, & aptè disseruit de fide Christiana, ut hic professus, se velle Christianum mori, fuerit ab eodem Paulo dissimulanter aquâ ex-*

pressâ è strophiolo baptizatus, translatúsque in sedes æthereas. Discursum de hoc casu lege *Tract. præcedente n.* 177.

268 Aphorismus XI. Sed & contingit non rarissima occasio practicandi alterutram è resolutionibus, quas Doctores duo dant circà similes

Casui Viennensi.

269 *Iudæus quidam in carcerem propter scelera raptus, séque postmodum Christianum velle fieri fingens, suscepit Baptismum in carcere, atque sacram hostiam, quam ore impiissimè retentam exemerat ex ore, digresso Sacerdote projecit in latrinam. Nónne satius fuisset, differre Baptismum ad ipsummet locum, & pedem patibuli?*

Fuisset sanè judice nostro Quintana advenâ, qui *Singul. Tr. 1. sing.* 23. testatur, se semper ita suasisse, semper ita suasurum, & reipsa semel id fecisse cum aliquo Saraceno. Adfert hanc causam, tum quòd tales homines in infidelitate, crassâ ignorantiâ, peccatis enutriti facilè relabantur in unum, aut plura peccata mortalia, quibus expiandis non prodest Baptismus ante susceptus; tum quòd Baptismus omni culpâ, & pœnâ liberet, ac proinde, si statim post Baptismum vita eripiatur tali homini, securiùs; citiúsque perveniat ad cœlestem patriam.

270 At verò Joannes Sanchez *in Selectis Disp. 40.* contendit multis, magis expedire, ut vel pridie, vel ipso die mortis, aliquot tamen horis antè, fiant oves Christi per lavacrum, ut possint carnibus agni immaculati pasci, & roborari ad mortem, augerique meritum. Id ego etiam judico faciendum, quia puto, esse conforme moribus nostræ Germaniæ; addo etiam cum eodem Quintana advenâ, si fortè contingeret, ut aliquis Judæus, aut Turca abjurâret errores ad pedem patibuli; adhibendas esse Cæremonias omnes, omnes exorcismos, &, si quo casu supplicium differretur ad duas horas, talem muniendum sacro viatico, imò etiam si solùm unâ, ut alibi probavi auctoritate.

271 Aphorismus XII. Parochus ne sit multùm sollicitus de patrinis, aut sexu baptizandi in articulo mortis; nam neque patrinos esse id temporis necessarios, ostendemus *Casu XVII.* & errorem in sexu esse exigui momenti, intelliges ex *Casu XII.*

Aphorismus XIII. Caveat, ne idcirco sit lentior in peragendis substantialibus, quòd fortè censeat, esse probabilem opinionem nonnullorum gravium Theologorum ex antiquis; & ipsius adeò S. Thomæ *in 4. d. 3. q. 2. ad 4.* qui existimârunt, modò minister bonâ fide cœperit suum ministerium essentiale, seu ablutionem, & pronuntiationem formulæ, nihil obesse saluti baptizandi, licèt moriatur iste nondum nominatâ secundâ, aut tertiâ personâ Trinitatis. Nec enim suppetit sufficiens ratio dicendi, suppleri à Deo defectum Baptismi, multò minùs cogitandi, talem Baptismum haberi à Deo pro integro: nam Florentinum Concilium in Decreto Eugenii verbis relatis *Casu I.* nimis clarè definivit, non confici Sacramentum sine forma, quam deinde variam pro variis Sacramentis expressit. Vide Sorum *in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8.* Henriquez *L. 2. cap. 11.* Bellarminum *Lib. 2. De bapt. cap.* 3. ac Dicastillo *disp. 1. dub. 6. num.* 192. ubi exprimit, talem non esse sacrâ glebâ donandum. Si tamen nequiret negari sepultura sine gravi offensa, murmuratióneque parentum; parochus posset condescendere ipsis nixus auctoritate S. Thomæ, aliorúmque, quos citat, sequiturque Silvester *verb. Baptismus 2. q. 5.* Vide dicenda *n.* 654. & huc applica.

Denique quia in hoc toto Casu, seu capite 272
fuit mihi sermo de Baptismo moriturientium, singulariter infantium, placet memorare hic, quod certissimis testibus, atque exemplis compertum est, infantes, qui mortui eduntur in lucem, consuêsse deferri itinere quatuor, sex, octo dierum in Lotharingiam, ad urbem, cui nomen *Mirecourt*, atque ad imaginem Virginis Deiparæ, quæ maghâ veneratione in Ecclesia Reverendorum Patrum Franciscanorum colitur, & ad quam, post missæ Sacrificium, aliáque consuetas preces, parvuli illi edunt non rarò talia vitæ indicia, ut sæpe nemo dubitet, quin verè sint animâ prædíti, eámque ob rem tinguntur aquâ baptismali, ac paulò post fiunt omnis sensûs, motûs, alterationis expertes, evolántque ad superos. Vidi ego duo authentica instrumenta, testantia ejusmodi (inter cætera plurima) mirificum reditum ad vitam, emigrationémque ex illa. Unum illorum instrumentorum habui in manibus circa Annum 1659. de infante Rheinfeldensi. Alterius, signati manu G. Geuuier Notarii Apostolici, copiam habui die 3. Decembris, Anno 1666. quo hæc pro altera editione scribebam; de Filiolo Excellentissimi Domini Joannis Comitis de Montfort, accolæ nostri Lacûs Acroniani, *qui infantulus expers sensûs; & vitæ editus in lucem, delatus fuit* (*perurgente Illustrissima Domina Matre*) *in Mirecourt, spatio dierum octo, atque die 5. Septembris Anni; ut dixi, Millesimi, sexcentesimi, sexagesimi sexti; sub horam septimam matutinam, deportatus ad imaginem Magnæ Dei Matris, post Liturgiam, atque aliàs preces consuetas ab iisdem Patribus Chordigeris peractas in eum finem, ut intercessione Gloriosæ Virginis infans restitueretur vitæ tantisper, quoad posset per aquam baptismalem*

malem regenerari cœlo, cœpit sanguine manare in umbilico, & cruribus, roseo colore tingi in vultu priùs pallido, atque insuper perfundi guttis aqueis instar sudoris. Quibus curiosè conspectis tum ab aliis, tum à chirurgo, judicatum fuit, infantem illum verè vivere, ideóque adhibitis etiam patrinis, & quidem duobus viris; duabusque fœminis, tinctus fuit ab ordinaria, probéque probata obstetrice undis salutiferis, atque destinatus, ut inhumaretur in Monasterio Patrum Franciscanorum Hæc ex illo Gallico instrumento huc transtuli. Addens, fuisse etiam sub Annum 1650. similia circa mortuos sine Baptismo infantes patrata ad statuam Beatissimæ Virginis in Brauneck, celebri oppido Tiroleos, in qua tunc degebam.

273 Supparia his ipsis hodiéque peragi in ædicula Lauretana ad Bruntrutum, urbem illustrem ordinariâ residentiâ Reverendissimorum, & Celsissimorum Principum, Episcoporũ Basilcensium didici abhinc tres hebdomadas à duobus fide dignissimis viris, altero Sacerdote, altero laico. Non me fugit, fuisse à multis sapientibus viris dubitatum, an ejusmodi infantuli essent ritu Christiano abluendi, eò quòd indicia vitæ (inter quæ nonnunquam in Brauneck est excrementorum ejectio per alvum) incurrentia in oculos spectantium, viderentur esse potiùs præstigiæ, fascinatióque oculorum, quàm verus, vitalis, miraculosúsque motus, vera vitalis actio, alteratióque. Denique tamen sæpissime repetita prodigia sustulerunt omnem ferè dubitationem, præsertim in Mirecourt; idcirco judico omnino, posse hîc, & debere tingi sacro latice saltem sub conditione.

Porrò quia fui in priùs nominato oppido Bruntruto novennium commoratus, & Anno 1625. quo inde ad hoc ipsum Collegium Constantiense missus sum à superioribus, ne vestigium quidem illius Sacelli Lauretani extabat, incessit me singularis, hisce jam scriptis, cupido comperiendi rationem, indubitatámque certitudinem rei, quam memoravi de infantibus illius loci. Quare dedi die 15 Januarii Anno 1667. literas ad R. P. Jacobum Reiff Collegii Bruntrutani Rectorem, ad quas ipse respondit die 7. Februarii hisce formalibus: *Inquisivi fundamentaliter de Infantibus mortuis sine Baptismo, qui exponuntur in sacello nostro Lauretano, etiam me ad aram faciente, & semel, iterúmque inspiciente, quique quandoque ad vitam redire creduntur. Admodum R. D. Decanus Iobelot Parochus noster, & Sacelli illius supremus Inspector, sicut & adituus (sive, ut Bruntrutani loquuntur,* lo brouder de Lorette) *homo senex, & maturus concorditer asseruerunt, nullum unquam infantem mortuum in sacello positum edidisse vel vocem, sive ploratum humanum, atque infantilem, vel manus, aut pedes movisse, attraxisséque ita, ut evidenter revixisse censeretur, sed tantùm fuisse animadversum, quòd tales parvuli aliquantulum moverint pupillam oculi, aut labiola, aut ex naribus aliquid halitûs emiserint, quæ signa quando deprehenduntur, ipsis potestas conceditur, ejusmodi infantulos sub conditione baptizare. Hæc, nec plura comperire potui.*

Ita ille R. P. Rector, testis utique major omni exceptione.

APPENDIX. I.

a QVia concors Theologorum sententia fert, posse, imò debere animæ in extrema necessitate spirituali constitutæ adhiberi omnia probabiliter profutura media, saltem si hæc gravia non sint, in ejusmodi autem necessitate constitutæ sunt vel maximè animæ corporis vinculis exsolutæ ante susceptionem Baptismi fluminis, flaminis, sanguinis, ostendimus verò in postrema parte hujus *Casûs Octavi*, Baptismum fluminis probabiliter iis prodesse, si subministretur in Ecclesia Lauretana juxta Bruntrutum, quò major fides habeatur dictis, exhibeo in hac quoque quinta recusione hujus Tractatûs, testimonium particularis eventûs, qui in ea contigit mense Octobri Anni 1659. aliorúmque plurium indeterminatè.

Datum his verbis.

DE circumstantiis, quæ circa infantis Baptismum acciderunt, per testes oculatos in præsentia aliquorum etiam Sacerdotum, Domini Henrici Guesnin, Domini Melchioris Li Peure certiores facti affirmamus, testamur servatam esse legitimam Baptismi formam, signáque satis apparentia vitæ fuisse: manásse sanguine: sudâsse: colorem mutâsse, &c. Præstito juramento affirmârunt circumstantes: Sanguinis vestigia etiamnum in linteis apparent. Quapropter volui hæc pauca scribere, ut latori harum Casparo Schuarz purior fides habeatur. Non labitur mensis, quin aliqui in hoc nostro Sacello Lauretano mortui nati infantes baptizentur, datis priùs variis signis. Datum Bruntruti 20. *Octobris, Anni* 1659.

Ioannes Erhardus Mathiat, Presbyter.

Henricus Guesnin, Presbyter.

b CIrca hoc testimonium notanda sunt sequentia, I. Esse descriptum ex ipsomet chirographo Reverendi D. Mathiat, quod ego habui in manibus die 13. Oct. Anni 1670. II. Illum infantem fuisse filium Clarissimi D. Ioannis Leonardi Kleinbrot, Administratoris Oeningani pro Reverendiss. & Illustriss. Principe, & Episcopo Constantiensi, qui dictum Casparum Schuarz ablegârat cum suo exanimi infante, in oppidum Mirecourt, de quo hoc ipso *Cas.* 8. *num.* 272. sed ex itinere fuit ab aliqua nobili Matrona deductus Buntrutum. III. Reverendiss. D. Vicarium Generalem Constantiensem, viso illo testimonio, quod suprà descripsi, expressè permisisse, ut ille puerulus humaretur loco sacro; fuisse autem tumulatum vigesimo tertio die à nativitate, & tamen non modò permansisse usque ad sepulturam prorsus incorruptum, omníque ingrato odore liberum, sed etiam ejus labiola fuisse rosea, sicuti mihi audientibus aliis, plusquam duodecim Religiosis ac sæcularibus, asseverantissimè, & perægre lachrymas continens dixit parens infantuli, omni fide dignissimus.

c Ex quibus omnibus junctis toti relationi, quam legere est à *cit. n. 272. & seqq.* deduco, parentes ejusmodi infantium mortuorum sine Baptismo, obligari in conscientia, ut confugiant ad tale salutis remedium, saltem si non distent nisi itinere bidui, aut tridui ab uno trium locorum suprà nominatorum. Ratio est, quam tetigi superiùs, quòd videlicet quilibet, & maximè genitores, teneantur procurare salutis remedia constitutis in extrema necessitate, si ea remedia sint, & non valde difficilia & probabiliter profutura, certò autem non obfutura; nec faciunt Theologi hac in re discrimen inter remedia naturalia, aut supernaturalia, cùm non suppetat sufficiens ratio statuendi tale discrimen. Ad iter octo, vel decem dierum, nollem quemquam obligare, cùm non videatur esse tanta difficultas subeunda propter remedium valde incertum, sicut est istud, & ideo quidem, quòd fortè neque omnes, qui deferuntur ad ea loca, edant ulla etiam dubia signa vitæ, neque sit omnino exploratum, ea, quæ superiùs expressi, provenire ex aliqua vitali actione animæ. Omnia proficisci, vel ab aliqua sympathia, antipathiâve inter loca, in quibus hæc patrantur, & tenella corpuscula, cum quibus patrantur, non credo, cùm à se invicem distent duo ex his tribus locis spatio facilè duodecim dierum, sicuti, & differunt materiæ, quibus constant. Esse meram impostúram malorum hominum, nemo prudens credet. Ergo est opus vel Diabolicum, vel Divinum; atqui in dubio, utrùm aliquid procedat à Diabolo, an à Deo, præsumendum est provenire à Deo, si videlicet ille eventus accidat sine ministerio hominis, si autem cum ministerio, censet Sanch. *in Summa L. 2. c. 5. n. 48.* esse adscribendum Cacodæmoni. Equidem perdifficile mihi videtur, damnare sumæ inscientiæ, oscitantiæ, aut philadoxiæ omnes Dominos Ordinarios eorúm trium locorum, tolerantes hanc tam diuturnam consuetudinem; tot Parochos, Capellanósque studiosè cooperantes huic negotio, ac Baptismo, si is superstitiosus, atque ab avernali genio introductus est, & introductus, continuatúsque post tot preces, tot missæ Sacrificia ab optimæ notæ Sacerdotibus, (atque ordinariè in Mirecourt ab ipsismet Patribus Chordigeris, ut retuli *in hoc Cas.* 8. *nu.* 272.) oblata Deo, ad exorandam divinam Majestatem, ut intercessione suæ Matris reducat in corpuscula sua illas animas, eásque tantisper saltem in eis detineat, quoad animula edat signum suæ præsentiæ, restauratéque divinitus unionis cum innocentissimo socio.

APPENDIX II.

CRedibilitatem de revocatis ad vitam, brevem quidem, sufficientem tamen recipiendo Baptismo infantulis, de quibus in præcedente Appendice, augebit sequens

Multiplex prodigium Brasilum.

e *ABacui Christianæ gentis odio innatam veritatem acuente, antequam inirent prælium* (cum Brasilis catechumenis, ducem certaminis, & Victoriæ vatem habentibus Patrem Almeidam) *multos, in quos fortè incurrerant, pueros sagittis confoderant, & illorum cadavera per agros strata feris, avibúsque vorandareliquerant. Affecit ea miserorum cædes gravi dolore Joannem, illâ potissimùm ratione, quòd sacri Baptismi expertes decesserant certæ damnationi obnoxii. Ergo, cœlesti haud dubiè instinctu motus, se dedit in preces: nec priùs ab illis destitit, quàm intellexerit, fore, ut omnes ad vitam salutis æternæ obtinendæ causâ revocarentur. Hac concepta fiducia, singulorum in brachia defunctorum corpora accipit, & ad se colligit arctiùs; mox pectori appressa infuso fovet spiritu. Mirum visu, dictúque: omnes ad vitam mortui continuò redierunt, eatenus tamen, quoad sacro abluti fonte, & candida innocentiæ veste induti ad beatam vitam, ex ipso penè lustralis undæ regenerantis utero pervolârunt. Hæc à pluribus, & idoneis testibus Sacramento adactis, literis prodiderunt Brasilicæ Provinciæ Socii, de quorum fide dubitare nefas esset. Non alia res magis Joannem apud fideles, Ethnicósque reddidit famâ illustrem, effecítque, ut Carigii illius moti consiliis patrias desererent sedes, & in proximam Lusitanorum coloniam confestim iter arriperent.*

Re-

f Repræsentavi verba nostri P. Antonii de Macedo, quibus *Lib. 1. cap. 7.* Vitæ nostri P. Joannis de Almeida, editæ Romæ Anno 1671. cum Approbatione Vicesgerentis & Magistri sacri Palatii, atque illustrissimæ magnitudine multitudinéque omne genus miraculorum patratorum ab eodem Patre in Americæ notissima, barbarissimáque Provincia Brasila.

BAPTIZANS MONSTRUM.

CASUS IX.

Verè monstrosus.

SUMMARIUM.

Monstrum pueri ab umbilico, & sursum divisi. 274.
Quomodo baptizandum? 275.
Casus de monstro simili in Francia, & resolutio Scoti. 276.
Quid faciendum, si duo vorda ex indicio quodam deprehendi possint? 277.
Regia proles nata anserino capite. 278.
Casus impuberis incarcerati ob crimen bestialitatis. Ibid.
Quo supplicio afficiendus? Ibid.
An cremandum brutum, cum quo peccavit? Ibid.
Num pro vero homine habendum monstrum à viro, & fœmina natum, capite ferino, membris tamen reliquis humanis? Ibid.
An liceat occidere bestiam, cum qua congressus est homo? Ibid.
An liceat extremo supplicio afficere mulierem ex bestia gravidam? Ibid.
Horrificum monstrum ex nobilibus parentibus natum. 279.
An fuerit habendum pro homine, vel bestia? 280.
Si dubium sit, an fœtus ejusmodi informetur animâ humanâ, & utrùm vivat, nec ne, baptizandus est sub conditione 281.
Dubium non est, si constet, esse satyrum, natum scilicet ex muliere, & fera. Ibid.
Si non sit periculum in mora, consulendi medici, vel alii homines prudentes. 282.
Puer quadrimanus &c. natus olim ex ancilla Romæ. 283.
An, si talis nostrâ ætate nasceretur, baptizandus esset instar unius? Ibid.
Quid de monstris, in quibus non apparet sexus? 284.
Infans natus sine capite, & baptizatus. 285.
Alius natus sine superiore parte cranii. Ibid.

274 *Judææ castello nomine Emmaus temporibus Theodosii senioris natus est puer perfectus, ab umbilico, & sursum divisus, ita ut haberet duo pectora, duo capita, & unumquodque propriè sensus, altero quidem edente, altero dormiente, altero vigilante; quanquam etiam simul dormirent, luderent ad alterutrum, & flerent invicem etiam rixando. Vixerunt annis ferè duobus, capite uno extincto, alterum vix supervixit diebus quatuor.*

Ita ex Sigeberto *in Chron.* atque Vincentio *in Speculo* testatur Majolus *in diebus caniculæribus colloquio* 2 non malè conjiciens, hoc monstrum fuisse illud ipsum, quod suâ memoriâ vixisse, asserit omni fide dignissimus Augustinus *Lib. 16. De Civit. Dei cap.* 18. nam, & ferè omnia exprimit, quæ Sigebertus, & ætate Theodosii vixisse Augustinum, nôrunt omnes, qui Augustinum ab Ambrosio ad Baptismum, Theodosium ab eodem Ambrosio ad pœnitentiam adductum fuisse, non ignorant.

Quæres *igitur de hoc monstro hominis, quomodo fuerit baptizandum?* 275

Resp. Quandoquidem tanta distinctio, multiplicatióque partium principalium, diversitásque operationum demonstrabat, fuisse duas animas rationales in eo monstro, debuerunt singula capita seorsim baptizari, adeóque iterari tota forma, ut deduces ex responso ad sequentem.

Casum etiam monstrosum.

Ponitur, *in Francia fuisse monstrum habens duo capita, quorum unum expressit nolle de eo, de quo aliud expressit velle. Unum enim noluit continere, & sobriè vivere, & aliud (noluit) lascivire, & epulari, & cum unum per os suum excederet, reliquum clamabat, se gravari.* 276

Credemus Scoto *in 4. dist. 6. q. 2. memb. 4.* utenti verbis, quæ retuli, inferentique ex his solis circumstantiis, illud monstrum instructum fuisse duabus animabus, ac proinde utrumque caput abluendum fuisse geminando formam baptismalem.

At quid agendum erat primis diebus ortus, cùm non appareret illa contrarietas voluntatum, cui innititur responsio Scoti? 277

Resp. Si aliquo signo potuit deprehendi vel à medico, vel ab alio sagace viro, illud monstrum habuisse duplex cor, potuit censeri fuisse duplex suppositum, seu duos homines. Comitolus *Lib. 1. Resp. moral. q. 8. nu. 2.* At verò fuit habendum pro uno homine, si non apparuit nisi unum cor. Comitolus *ibid.* Laymannus tamen *Lib. 5. Tract. 2. cap. 6. in fin.* censet meritò, fuisse differendum Baptismum, donec crescente ætate apparerent majora indicia unitatis, vel pluralitatis, si tamen esset in mora periculum, debuisse unum caput absolutè, alterum sub conditione baptizari; quod etiam vi-

video placuisse Cardinali Toleto *in Summa L. 2. cap. 21.* mihique magis probatur, cùm non sit sine conditione ministrandus Baptismus in dubio, est autem hìc dubium, utrùm sit duplex homo.

278 Quæres rursum; *An, & quomodo tingendum fuerit illud monstrum. quod exhibet hic*

Casus Tragicus?

Robertus Gallorum Rex propinquam sibi copulavit uxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collum, & caput habentem, quos (virum, & uxorem) omnes ferè Galliarum Episcopi communi simul excommunicavêre sententiâ.

Testis hujus tragici, (quia in ultionem parentum,) partûs est S. Petrus Damiani *Libello de miracul.* Opinor autem cum Comitolo *cit. lib. 1.* ubi disserit de monstro sui temporis habente omnia prorsus humana membra, præter caput, quod erat ferinum, tale monstrum fuisse habendum pro vero homine, cùm vir ex muliere non generet bestiam; & reliqua corporis constitutio satis indicet, illud corpus fuisse vegetatum corde humano, quod principatum tenet inter partes hominis, sicut adversùs medicos docent Aristotelici. Consentit Bonacina *Disp. 2. de Sacram. q. 2. punct. 6. n. 3.* absolutè pronuntians, quod nascitur ex semine virili, habendum pro homine. Et quia incidi in hanc doctrinam Bonacinæ, resolvo breviter quæstionem propositam mihi nuper (occasione lamentabili) à viro docto; an scilicet sit fas, mactare bestiam, cum qua nefandum crimen patravit quispiam? Ac respondeo *affirmativè*, non solùm quando nondum advenit tempus, quo posset animari fœtus, aut jam est evolutum illud, quo jam peperisse debuisset bestia, si verè concepisset ex nefando illo congressu, sed etiam quando non nisi quatuor, sex, octo menses à congressu transierunt. Ratio est 1. Quia judices seculares consueverunt tales bestias cremare unà cum reo bestialitatis, idque sine cura, ut reor, multúmne, an parum temporis fluxerit à turpi commercio; nec Magistratus Ecclesiasticus, quantum scio, corripit, ut certò deberet, si illicitus est, hunc morem. 2. Multò rarissimè fit, ut ejusmodi pecudes concipiant ex semine virili; cùm enim compertum sit, esse à non omnino paucissimis patratum hoc crimen, est tamen vel omnino, vel ferè inauditum, quòd sit inde progenitus homo. Quòd si loquamur de Satyris, illis, inquam, quos parit mulier ex coitu cum bestia, clarum est, posse hujusmodi mulierem affici extremo supplicio, etiam dum uterum gerit, quia quod ex muliere, & bestia nascitur, non descendit ex Adamo. Bonacina referendus *n. 281.* seu non est homo.

Dictis hìc de nefando congressu hominis cum bestia, déque bestiæ etsi forsan imprægnatæ consueta combustione, jungo, propter connexionem materiæ, responsum ad

Hunc miserabilem Casum.

Est in vinculis puer, natus annos undecim, & sex menses, qui uti accusatus, ita fassus est, se (S. H.) congressum esse cum aliquo bruto, & quidem tali modo, ut sine dubio bestialitatis reus foret, si pubertatis annos haberet. Interrogatus ego fui ab ipso Judice, quid de casu isto sentiam?

Respondi primò, brutum pollutum non esse, nec debere cremari propter rationem, quam Vestra Paternitas in Experientiis Tr. 9. Cas. 16. *de impedimento affinitatis à n. 398. attulit. Respondi deinde, puerum illum consequenter non esse reum supplicii quo aliàs condemnantur, qui rei sunt bestialitatis; posse tamen ad futurum terrorem virgis semel, atque iterum cædi. Hærente adhuc Judice, dixi, si placeret, me V. P. consilium petiturum: ambabus quasi manibus, amplexus est is ultimum hoc verbum. Ego adhuc sentio, quod respondi; solùm aliquo modo dubito, an peccaret Judex, si mortis condemnaret talem puerum, existimo enim probabilius, peccaturum, tum quia sunt odiare stringenda, tum quia prænobilis D. N. mihi dixit, illum puerum aliqualiter esse fatuum &c.*

Hactenus literæ celebris à doctrina, pietate, zelo Parochi. Ad quas respondi, me assentiri duobus responsis, & opinioni de majore probabilitate. Et quidem quod attinet ad pœnam ordinariam, quæ in Germania nostra, & in pluribus aliis Provinciis, ut refert Farinacius *in Praxi Crimin. p. 5. q. 148. tit. 16. n. 46.* est, ut reus hujus criminis comburatur, prorsus existimo, non posse plecti hunc puerum. Ratio est, quia *c. 1. De delict. puerorum* expressè, & generatim dicitur, *delicta in pueris ætate non videri ita punienda, ut in majoribus.* Unde Tiraquellus *Tr. de pœn. tempor. c. 7. n. 1.* cum plurimis, quos more suo addensat, tum ipse, tum Menoch. *de arbitr. judic. Casu 29. n. 1.* & Barbosa *in c. 1. de delict. puer. n. 5.* sic loquitur: *Ob ætatem tenellam, & florescentem mitiùs quis punitur.*

Accedit, quòd Judex debeat pœnam metiri ex delicto; ita ut secundùm quod excessus exegerit, vindicta procedat. *text. cap. Felicis, De pœn. in 6.* delictum autem hujus pueri non est utique tam grande, seu coram Deo, seu co-

ram hominibus, quàm quod patratum à jam constituto in virili ætate.

Accedit, & regula de odiis restringendis, quam innuit ille D. Parochus, & quæ singulariter applicatur legibus pœnalibus, siquidem istas esse benigniùs interpretandas, notum est *ex Leg. Interpretatione, ff. De pœn.*

Accedit præterea confirmatio opinionis, quam idem D. Parochus de supplicio mortis non irrogando tenet; est enim multò probabilius, non posse, aut potuisse irrogari, quàm posse, potuisséve, quia Farinacius *loc. cit. n.* 171. testatur, se *in Urbe* (Romæ inquit) *quæ omnium aliarum civitatum magistra reputatur, nunquam vidisse à bonis, & practicis judicibus impuberes non proximos pubertati morte puniri*, & loquitur hic Doctor in specie de crimine Sodomiæ, ferè æquè detestabili, atque est bestialitas. Atqui puer, de quo Casus noster, nondum erat proximus pubertati, siquidem in causa saltem criminali is solus dicitur proximus pubertati, qui non plus quàm sex mensibus distat à pubertate. Expressè Baldus *in L. Excipiuntur, ff. De S. C. Silan.* atque alii apud Joann. Kahl. *in verb. Pupill.* 172. Quin Julius Clarus laudatissimus in Theorica, & praxi scriptor, *L. 5 pract. crim. §. fin. q. 60. n. 3.* non solùm scribit: *Nunquam debet pupillus* (id est non proximus pubertati) *pœnâ capitali affici*, pro quocunque delicto, sed ejus pœna debet esse *citra mortem, vel membri mutilationem*, verùm etiam præmiserat *n.* 7. hæc verba testificantia de praxi sapientum, piorúmque judicum: *Nunquam punitur* (pœna capitali) *impubes, nisi sit proximus pubertati.* Memini quidem, fuisse in urbe, in qua tunc morabar, *strangulatos tres fraterculos, quorum major natu nondum attigerat annum decimum ætatis, strangulatos autem propterea, quòd & à matre fuissent cacodæmoni consecrati. artémque magicam edocti, & nonnulla edidissent specimina illius stygiæ artis.* Verùm non reperio ullum Doctorum, qui quidquam scripserit in favorem hujus rigoris, tametsi intelligo, quid simile factum etiam alibi.

Lege omnino P. Christophorum Haunoldum nostrum, his pridem typo vulgatis, editum, *Tom. 6. de Justitia*, seu *2. de Jurisprudentia Judiciaria. Tr. 2. cap. 2. n. 424.* referentem Casum ex parte similem præsenti, & exprimentem, esse certum, quòd tales infantes nequeant ullo gravi supplicio affici ante adeptum usum rationis, ubi etiam addit, ejusmodi maleficos, etsi doli capaces, si tamen nondum pubertatem assecuti sint, non posse ultimo supplicio affici, nisi ex gravissima (qualis revera non apparebat in tribus illis fraterculis) causa, & Principe (si judex superiorem habeat, non habebat autem is Magistratus, de quo nobis sermo) consulto. Docet quoque ex D. Waizeneger, quo loco detinendi videantur id genus pueri. Fortè poterit Parochus, qui hæc leget, suaviter impedire præmaturam necem.

Confirmatur nostra superior responsio auctoritate *C. 1. De delict. puer.* desumpti ex S. Gregorio Papa, ubi clarè indicat Pontifex, peccata carnalia commissa à pueris, non esse (in foro externo, & in ordine ad pœnam capitalem) habenda pro peccatis. Confirmatur & inde, quòd in literis illius præsignis D. Parochi exprimatur illum puerum judicio Domini N. aliqualiter esse fatuum, ego autem novi illum Dominum N. scióque, esse perspicacis judicii, longóque usu rerum capitalium peritum, quare prudentissimè creditur ipsi ferenti tale judicium de eo puero *argum. cap. Fraternitatis, De frig. & malef.*

Quamvis autem Clarus *verb. Sodomia n.* 8. Andre. Gaill. *de pace publ. c.* 14. Farinac. *cit. q.* 148. *n.* 56. velint, ordinariam pœnam infligi, licèt hoc detestabile scelus comissum sit absque seminis immissione, non loquuntur tamen de impuberibus. Ergo dubitandum non est, quin à communi sensu sapientissimorum, eruditissimorum, usúque peritissimorum virorum esset recessurus, qui existimaret, puerum similem illi, de quo est præsens Casus, plecti debere capitali supplicio, aut mutilatione alicujus membri, ut exprimit Clarus *cit. quæst. 6. num. 3.* testans, se vidisse ita pluries servari, ut videlicet abstineretur etiam à mutilatione. Igitur videtur puer ille castigandus esse eo modo, quo Romæ, teste Farinacio *cit. quæst. 172. n. n. 171.* videlicet ferulâ (aut virgis) non publicè, vel à publico justitiæ ministro, sed in carcere à patre, aut consanguineo, vel ab uno è earceris custodibus. Sanè si in pueris rusticanis nondum duodennibus jungatur cum tali ætate aliqua fatuitas, facilè evenire potest, ut hoc scelus committatur ab iis absque culpa, coram Deo mortali, cur ergo mulctentur graviore supplicio?

Brutum, cum quo peccavit, quod attinet, sentio, non esse exurendum. Etsi enim talis combustio decernitur *cap. Mulier. 15. q. 1.* non tamen decernatur nisi in casu, quo causa principalis meretur exustionem. Unde Clarus *Lib. 5. §. final. q. 99. num. 8.* scribit: *Ubi non esset etiam de homine supplicium sumendum, ego fortè illud non facerem.* Dico ego sine illo *fortè*, non esse faciendam illam exustionem bestiæ; cùm enim ea pecora sint jussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam reficiant facti memoriam, ut loquitur S. Augustinus relatus *cit. cap. Mulier.* hujus autem reficationis periculum nullum, aut perexiguum sit, casu, quo puer fuit castigatus, eo modo, quo, censemus castigandum, videtur cadere ratio legis, adeóque ipsa lex.

Cùm ego brevissimè indicâssem hoc meum de tribus, aut quatuor illis punctis, seu articulis judicium, stetit eo Judex ille, ut post-

mo-

modum comperi, præterquam quòd mandârit, puerum illum cædi à carnifice in carcere, sed idcirco, quòd facinus repetivisset correptus à patre, quam circumstantiam ignoraveram ego.

Dictis in hoc *Casu Nono de Monstris* addes utiliter plura ex P. Raynaudo *Lib. de Ecclesia Bicipiti punct. 2.* Nam, & ibi dat, explicátque descriptionem Monstri, & refert varia genera, seu potiùs individua Monstrorum in specie humana. Censet insuper, esse absolutè tunc geminandum Baptismum, quando aliquod corpus est præditum duplici capite humano.

279 Quæres verò III. *Utrùm humanæ speciei, & capeæ Baptismi fuisse putandum sit, quod exhibet sequens*

Casus horrificus.

Anno salutis 1544. in Belgio (licèt non desint, qui scribant: Cracoviæ) in die Conversionis S. Pauli, natus est ex honestis nobilibus parentibus infans tetro admodum, & horribili aspectu, flammeis oculis, & radiantibus, ore, naribúsque bovinis, & vehementer in cornu figuram exsertis, ac prominentibus; dorso pilis caninis hispido, simiarum faciebus in pectore extantibus, quà mammarum locus; oculis felium subtus umbilicum affixis, horrendis, ac minacibus canum capitibus ad utrumque cubitum; figura pedum cygni, cauda sursum reflexa, & recurva longitudine ulnæ dimidiæ erat. Hic talis partus in lucem editus dicitur quatuor horas vixisse, ac tandem expirâsse, his emissis vocibus: Vigilate: Dominus Deus vester adventat.

Verba P. Georgii Stengelii *Lib. de Monstris cap. 8. §. 10.* sum admensus, fidem eis facientibus Wolfio, Pecero, Minstero, quos nominat.

Ad quæstionem circa hoc monstrum pro-
280 positam respondeo, non suppetere sufficientes rationes, ob quas pronuntiemus, fuisse hominem: nec ob quas nobis planè persuadeamus, fuisse bestiam; quandoquidem non videtur posse bestia gigni ex semine merè humano; & è diverso non videtur anima rationalis informare posse membra tam diversorum (inspeciem) brutorum. Itaque puto, non fuisse baptizandum sine conditione, si priusquam extingueretur, edidit signum mortis proximæ.

281 Et generatim observet parochus, quando minimum dubium occurrit, utrùm fœtus monstrosus vivat animâ humanâ, nec ne? Baptismum esse impertiendum ipsi sub conditione; & quidem impertiendum, etiamsi dubium sit, utrùm vivat, an mortuus sit: etenim *Casu XIII.* ostendemus, generatim in dubio esse dandum Baptismum, nam & timere debemus, *ne, dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum*, inquit *S. Leo Epist. 37. c. 1* & Trajanus Imperator *in Leg. Absentem. ff. De pœnis: Satius esse*, inquit, *impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare*; proportionaliter dico, esse sanctius, sub conditione baptizare decem incapaces Baptismi, quàm unum capacem negligi. Porrò dubium de incapacitate non erit, si constet, esse satyrum, seu natum ex muliere, & fera, quia talis non descendit ex Adamo, inquit Bonacina *de Sacram. Disp. 2. q. 2. punct. 6. n. 3.*

Quòd si non sit in mora periculum, con- 282
sulat parochus prudentiores, & doctiores, præsertim medicos, quorum est, judicare de hac re potiùs, quàm Theologi. Navarrus *L. 3. Consil. de Bap. Consil. 3.* Legat quoque Laymannum *in cit. cap. 6.* fortè etiam ex hoc Alphabeto plus in hanc rem discet, quàm nêrint Alphabetarii, & inter reliqua responsionem ad eventum similem huic

Casui antiquo.

Servio Fulvio, & Pisone Coss. Romæ puer 283
ex ancilla natus est quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, naturâ virili duplex.

Ita memoriæ prodidit Orosius *Lib. 5.* qui si interrogatus fuisset, an id genus monstri, si quod in hac ultima mundi ætate gigneretur, baptizandum esset instar unius, an duorum, sine hæsitatione respondisset, nec hominem sine corde, & capite vivere, nec unum cor, unum caput duabus animabus informari posse, ac proinde non nisi unum unicum hominem fuisse in, aut cum tot membris.

De alio monstro mirabili fiet mentio se- 284
quenti *n. 303.*

Sed, & *Casu XII.* solvam dubium de monstris, in quibus non apparet sexus. Ne tamen putes, tam multa exempla monstrorum hîc recenseri solùm ad chartam implendam, proponam substantiam, & resolutionem.

Casus recentis.

Annis abhinc 23. natus est in hac Con- 285
stantiensi diœcesi infans sine ullo planè capite, at non sine oculis insitis hinc inde humeris, ac post consultationem ablutus est undâ lustricâ, an rectè?

Resp. Rectissimè, quia reliqua membra corporis sufficienter ostendebant, illud monstrum fuisse præditum animâ rationali. Unde etiam Comitolus, ut refert ipse *Lib. 1. Resp. moral.*

q. 8. consultus, an baptizandus esset, qui id temporis natus erat sine capite, respondit, baptizandum. Cæterùm cùm Joannes Jacobus WeperusSchaffhusianæ ReipublicæPhysicus, laude theoriæ simul, & praxeos clarus, incidisset in Casum illum Constantiensem, dedit ad me literas humanitatis plenas, quibus avebat cognoscere, cùm puer ille fuerit acephalus, ubi locorum extiterit os, per quod necessariò vitali aurâ vescentes spiritum ducunt? An ergo penitus defuerit caput? An verò aliquid capiti, vel cerebro analogum alibi in trunco comparuerit? Ubi instrumenta ad vitales, & animatas actiones requisita parari potuerint? Acceptis hisce literis proposui has quæstiones ipsi Domino Capellano Cathedrali, ex quo cognoveram ea, quæ recensui initio hujus numeri. At nequiit quidquam respondere, utpote qui non viderat ipse infantem illum, sed eam, quam attuli descriptionem, audierat solùm ex viro honesto, & fide digno, qui fuerat missus ad loci Decanum, interrogatum, an ille acephalus infans esset regenerandus in Christo.

BAPTIZANS INVITUM.

CASUS X.

Crudeliter pius.

SUMMARIUM.

Judæus post Baptismum à Nobili quodam acceptum, ab eodem in Mœno submergitur. 286.
Gravissimè peccavit Nobilis ob multas causas. 287.
An Judæus verè fuerit baptizatus? 288.
Quid si solùm finxit, se velle fieri Christianum? Ibid.
Quid si ex solo metu, & quidem injustè incusso consensit? 289. *& seq.*
An requiratur voluntas, seu intentio in baptizando? 291.
Non requiritur in infantibus, & perpetuò amentibus voluntas propria Baptismi. Ibid
Necessaria tamen ad valorem Baptismi est intentio propria in iis, qui rationis sunt compotes. 292.
Neque sufficit in his voluntas neutra, seu non contraria. 294.
Nec sola intentio ministri, & externa simulatio recipientis. Ibid.
Voluntas requisita non est necessariò actualis, sed sufficit habitualis. 295.
Et quidem in somno, nisi habuerit propositum recipiendi Baptismum in vigilia. 296.
Quænam intentio habitualis sufficiat? 298.
Quid si Baptismum suscipiat, qui nec habet, nec habuit positivam voluntatem suscipiendi, sed solùm interpretativam? 299.
Licitum est, invalidè baptizatos, dormientes rebaptizare. 300.
Amenti, si petiit Baptismum usus lucido intervallo impertiendus est. 301.
An Baptismus conferendus reluctanti, de quo tamen dubitatur, an sit compos rationis? 302.
Infans monstrosus Stetini natus baptizatur: miris modis reluctatur. 305.
Quid si dubium sit, an baptizandus resistat liberè, & adsit, qui testetur, petiisse Baptismum? 306.
Ad licitè, & fructuosè suscipiendum, requiritur in iisdem fides, spes, &c. 308.
In articulo mortis non negandus est Baptismus adulto, licèt tenuissimè instructo in fide. Ibid.
Sufficit attritio ad pœnitentiam requisitam. Ibidem.
Indus natus parentibus Ethnicis, mutus, & surdus nutibus petit Baptismum. 309.
Qui ei rectè negatur, si deprehenditur, carere notitiâ rerum supernaturalium. Ibid.
Surdi, & muti possunt doceri res supernaturales. Ibid.
An in casu proposito exquirendum erat judicium Episcopi, vel in hujus defectu judicium aliorum? 310.
Quid in ejusmodi casibus agendum? Ibid.
Quid si sint muti, surdi, & cæcissimi? 311.
An tales admittendi ad Sacram communionem? Ibid.

286 KImmi *Judæum secum inter Francofurtum, & Moguntiam navigantem nobilis quidam aggressus in flumen præcipitat, brachio suspensum tenens in aquis, dixitque ei*: Agnosce Christum pro DEO, aut in profundum te mergo. *Judæus necem sibi imminere videns petit Baptismum, & implorat misericordiam, dicens, se cognoscere Christum pro Messia. Interrogat nobilis: An ex veritate cordis petat Baptismum, affirmat ipse. Accipiens ergo nobilis ille aquam, ejúsque capiti superfundens pronuntiat formam*: Ego te, &c. *postea in profundum impetu eum submergit dicens, se animam mittere Deo, ne fortè, si prolonget ei vitam, Baptismi pœniteat, & diabolus eam possideat. Vtique hic actus crudelissimus fuit, & detestandus?*

287 Crudelissimus, utique fuit hic actus, ut loquitur Jacobus Marchantius *in Resol. pastoral. Tr. 1. de Sacram. c. 1.* illum describens verbis à me descriptis, asserénsque, revera contigisse inter illas duas urbes, adeóque in Mœno, vel Rheno; sed fuit etiam ille ipse actus pius, si consideremus intentionem illius nobilis; hinc meritò à nobis nuncupatur: *Crudeliter pius*, seu si mavis: *Piè crudelis*. Certè nobilis ille admisit crimen homicidii, conjecítque illum Hebræum in præsentissimum discrimen æter-

næ damnationis, partim ob tentationes cacodæmonis, quibus haud dubiè fuerit impetitus furiosè sub aquis, partim ob defectum doloris supernaturalis de peccatis, ad quem non fuit excitatus ab illo nobili, & sine quo Baptismus nequibat lavare animam, infrà *n. 308.* partim ob rationem mox adferendam.

288 Quæres enim I. *Utrùm ille Kimmi fuerit verè baptizatus, nec ne?*

Resp, Si tantùm fictè suscepit illum Baptismum, seu solùm finxit, se velle fieri Christianum, tum sanè non fuit baptizatus; etenim ad validam susceptionem Baptismatis requiri verum consensum non præcisè in externam illam ablutionem, sed in illam veluti in cæremoniam sacram, ostendam paulò pòst. Sin autem verè consensit in susceptionem Baptismi, tanquam in rem sacram, seu eo modo, quo Christiani volunt consentiri, dubitandum non est de valore.

289 Nec obest, quòd ex solo metu, & quidem extorto per vim injustissimam consenserit in illam ablutionem; dicat autem *Reg. juris 116. in ff. Nihil consensui tam contrarium est, quàm vis, & metus, quem comprobare contra bonos mores est.* Siquidem Regula illa intelligenda est de contractibus humanis, pactis, & votis, quæ inita ex metu iniquo, vel rescindi (si velit passus metum) permittunt leges, vel etiam fuisse nulla à principio declarant, statuúntve; sicuti matrimonia, & professionem ejusmodi reprobant Canones.

290 At verò si loquamur de actibus distinctis à pactis, ii neque ex rei natura, neque ex ullius legis dispositione sunt nulli, quia scilicet possunt adhuc esse *simpliciter* voluntarii, etsi *secundùm quid* sint involuntarii, S. Thomas 1. 2. *quæst. 77. art. 6. & 7.*

291 Quæres II. *Generatim, an, & qualis voluntas, seu intentio requiratur in baptizando?*

Respond. I. In infantibus, & perpetuò amentibus non requiritur ulla propria voluntas, aut intentio, cupiditásve Baptismi. Ita omnes Catholici, meritò ridentes Lutheranos, qui fingunt; parvulos, dum baptizantur cognoscere, se baptizari, & exercere verum actum fidei. Sed hoc omnium refutatur manifestis argumentis à Bellarmino, Valentia, Tannero, & aliis Theologis hujus sæculi, & superioris. Pulchrè Innocentius III. *c. Majores. De Baptismo & ejus effect.* dicit: *Originale peccatum, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti.*

292 Respond. II. Iisdem parvulis non est necessarius consensus ullorum mortalium, adeóque validè baptizaretur parvulus, licèt in toto orbe esset ipse solus cum ministro, & patre invito. Tannerus *Tom. 4. Disp. 4. q. 2. dub. 2. num. 68.* cum communi DD. contra Navarrum suprà *n. 227.*

293 Respond. III. At verò compotes rationis baptizantur invalidè, si careant omni voluntate, intentionéque propria Baptismi. S. Thomas *q. 68. art. 7.* atque omnes Scholastici adversùs Cajetanum, ut videre est in Suarez *hic Disp. 14. Sect. 2.* Vasquez *hic Disp. 151.* alliisque; tum quia per Baptismum acquiritur novitas vitæ, est autem valde congruum, ut hæc acquisitio fiat per voluntatem illius, qui eam adipiscitur. S. Thomas *loc. cit.* tum quia Matthæi *ult.* dicitur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Ubi circo præmittitur doctrina fidei, ut homines libere acceptent Baptismum; tum denique, quia in *cit. cap. Majores* expressè dicitur: *Ille verò* (adultus) *qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.*

Quare rejiciendus est Cajetanus, dum *in cit.* 294
a. 7. S. Thomæ docuit; ad Baptismum adulti sufficere voluntatem neutram, seu ut non habeat quis voluntatem contrariam, sicuti non habet Judæus, qui, cùm nihil unquam audierit de Baptismo, baptizatur dormiens. Rejicienda quoque Glossa *in cap. Solet. De consecr. dist. 4. & in cit. cap. Majores*, dum primo loco tradit, sufficere intentionem ministri, in secundo sufficere, modò is, qui suscipit, exteriùs ostendat, se eum velle suscipere, etiamsi animo repugnet.

Respond. IV. Illa voluntas non est necessa- 295
riò *actualis*, sed sufficit *habitualis*, adeóque minor, & imperfectior, quàm in ministro. Ita DD. passim. Probatur tum ex eo, quòd nullum habeamus fundamentum requirendi aliam intentionem; tum quia id satis clarè docetur *cit. cap. Majores. §. ult.* tum denique, quia minister est causa efficiens, homo baptizandus est causa materialis recipiens actionem causæ efficientis, videmus autem, ad id, ut existat aliquis effectus, seu naturalis, & physicus, seu moralis, & supernaturalis, requiri perfectionem majorem in causa efficiente, quàm in recipiente.

Itaque quicunque habuit aliquando propositum suscipiendi Baptismum, si in amentia perpetua baptizetur, validè baptizabitur, modò non retractaverit, seu revocaverit hoc propositum.

At, *quid si ille, de quo paulò antè, baptizetur* 296
in somno? Absolutè dicit Innocentius *loc. cit.* & communiter Theologi, perfectum, iri Baptismum. Sed hanc doctrinam censeo ab his DD. restringi ad casum, quo non constat, fuisse voluntatem *implicitam*, vel *explicitam* recipiendi Baptismum in sola vigilia; siquidem Innocentius illud suum responsum, & totum capitulum claudit his verbis. *Tunc ergo characterem imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenerit obsistentem.*

Ergo qui Judæum, vel Turcam, præparan- 297
tem se ad recipiendum Baptismum solenniter die Paschatis baptizaret dormientem sabbato sancto, nihil efficeret? Respond. Nihil; quia inve-

niret obicem voluntatis contrariæ. Excipe, nisi ide somnus esset lethargus, & omnino lethalis.

298 Respond. V. Illa quoque *habitualis*, seu *interpretativa* intentio hîc sufficit, qua quis generatim desiderat, sibi adhibere, vel adhiberi media necessaria salutis. Coninck *in 3. p. q. 64 art. 8. n. 103.* contra Suarez *hic Disp. 14. Sect. 2.* concedentem de Extrema Unctione, negantem de Baptismo. Sed quia ex una parte certum est, Christum Dominum potuisse ita instituere hoc Sacramentum tam necessarium, ut hæc voluntas sufficeret ad valorem illius, ex altera autem parte nulla ratio, vel auctoritas cogit nos negare, ita instituisse reipsa, idcirco sto datâ responsione.

299 *Quid si autem permittat se baptizari is, qui nec tunc habet, nec habuit unquam positivam voluntatem suscipiendi Baptismum?*

Respond. Hanc *interpretativam* voluntatem haberi à Valentia. & Led sma apud Tannerum *n. 38.* pro sufficiente; à Vasquez & Suarez apud eundem pro insufficiente; ab ipsomet Tannero pro dubia, & inducente obligationem repetendi Sacramentum sub conditione; quod ultimum ego credo, sicut & secundum propter generalem doctrinam traditam *Tract. præced. sect. 6. n 231.*

300 Inferes autem ex dictis paulò antè, verum esse, quòd sine expressa auctoritate resolvi *Casu VI.* videlicet posse à sacerdote, qui baptizavit aliquos invalidè, eosdem rebaptizari dormientes, aut aliàs ignorantes, quid circa se fiat; etenim *interpretativa* intentio, de qua nos cum Coninck, absque dubitatione locum obtinet in talibus, quamdiu permanent Catholici.

Inferes deinde, quid censendum sit de resolutione, quam Nicolaus Ysambert. *Tom. 2 in 3. part. quæst. 68. disp. 6. a. 2.* dat ad hanc quæstionem: *Quid si adultus, qui nullam prædictarum intentionum* (id est nec actualem, nec virtualem, nec absolutam, nec conditionalem) *habuit, dum esset sanus, si, ubi incidit in grave periculum vitæ, licèt de Baptismo nihil cogitet, nec cogitaverit, nunc existimetur talis, ut, si statum suum, & Baptismum ut hic, & nunc sibi necessarium cognosceret, postularet illum; sit ei sic constituto sufficiens, ut baptizetur, hoc ipso solo sensu interpretativa voluntas?* Arbitror enim hujus auctoris resolutionem *negativam* esse veram, quia revera potest ejusmodi homo esse ita constitutus, ut nunquam habuerit *virtualem & implicitam* voluntatem Baptismi, secùs si *expressè & implicitè* dixisset serio aliquando in vita: si non possum salvari sine Baptismo, nolo decedere sine illo. Fieri tamen facilè potest, ut illa existimatio fundetur in signis sufficientibus, saltem ad conditionatum Baptismum.

301 Inferes quoque, illos amentes, qui habent lucida intervalla, si petierunt aliquo modo Baptismum, dum fruebantur his intervallis, esse donandos eo, etsi facti sint perpetuò amentes. Escobar *in Summa*, ut ipse alicubi vocat *Moral. Theolog. Tr. 7. exam. 2. cap. 4.* Sicuti est utique impertiendus adultis perpetuò amentibus.

Quæres III. *An sit baptizandus, qui reluctatur, attamen de eo dubitatur, utrùm sit compos rationis: necne?* 302

Respondeo. Vel est periculum in mora, & utique baptizandus est. Laymannus *Lib. 1. Tr. 1. cap. 5.* Maximè, si parentes infideles, aut fideles consentiant. Tannerus *cit. q. 2. num. 80.* Vel non subest periculum, & differendus est Baptismus, donec ille mitescat; quia videlicet Baptismus non est conferendus sine necessitate, quando dubium est, utrùm non subsit defectus *substantialis*, Tamburinus *in Decal. L. 1. c. 3. §. 7. verb. Baptismus.* Unde patet, quid agendum fuerit in hoc

Casu terrifico.

303 *Anno 1554. Stetini natus est infans, cujus vertici capitis insedit massa carnis, imaginem testudinis rufa præ se ferens. In vertice muris instar caudam tulit carnosam, sed albescentem sine pilis. Capite erat Thersitico, extantibus terribiliter oculis. Hic tam notatus infans, cùm portaretur ad Baptismum, mirabili corporis gyratione, horrendis vociferationibus, gestibúsque in hac ætate inauditis, denique dirissimis modis adversatus est baptizaturo, ut ingens omnibus astantibus terror incuteretur. Quid aliud voluit hoc monstrum, quàm cælum, & orcum inter se pugnare?*

304 Est hic alter Casus, quem propono fide, & phrasi Georgii Stengelii *de monstris cap. 11.* qui ansam præbet, magis declarandi ea; quæ scripsi *num. 302.* ac proinde dictis addo; quando baptizatus repugnat more extraordinario, dispiciendum, utrùm ea repugnantia proficiscatur ab ipso libere, an verò à malo genio, inferente vim linguæ, manibus, pedibus ipsius, sicuti factum fuisse cum infante Stetinensi, judicavit Stengelius, tunc enim nihili facienda est hæc obluctatio, quandoquidem *ex alterius malignitate alteri damnum emergere non debet, Text. Leg. Ex libris, Cod. de acquiren. & retinen. possess.*

305 Fortè autem non malus, sed bonus genius civit hosce gestus, motus, clamores; idcirco quòd nollet, puerulum illum baptizari ab eo Prædicante, utpote fortassis commissuro errorem *substantialem*, qui non rarissimus admittitur ab hoc genus hominibus.

Sanè minima causa particularis suspicandi quidpiam mali de tali ministro, juncta his motivis suppeditâsset rationem sufficientem differendi Baptismi in aliud tempus.

306 Porrò Joannes Sanchez *in select. disp. 40. n. 42.* observat post Silvestrum *verb. Baptismus 4. n. 3.* ligandum esse, qui resistit baptizanti, si dubium sit, utrùm resistat libere, & adsit qualiscunque festis, qui dicat, eum petiisse Baptismum, ut præmiserat Sanchez *ibidem n. 29.*

307 Quæres IV. *An, & quæ aliæ dispositiones præter voluntatem requirantur ab adultis, ad recipiendum Baptismum validè, & licitè?*

Respond. Ad validè, adeóque cum charactere suscipiendum non exigitur ulla alia dispositio, quandoquidem ne quidem fides est necessaria, cùm etiam hæretici baptizentur validè. Trid. Concil. *sess. 7. can. 4. De Bapt.*

308 At verò ad licitam, fructuosámque susceptionem postulatur in iisdem adultis fides, spes, & aliqua pœnitentia de peccatis mortalibus, si quæ commiserunt. Fides quidem, quia *sine fide impossibile est placere Deo. Hebr. 11.* Non tamen est in articulo mortis negandus Baptismus adulto, licèt sit solùm tenuissimè instructus in fide, & fortè non credat *explicitè* in sanctam Trinitatem. Joannes Sanchez *cit. disp. 40. n. 41.* Spes verò exigitur, *nam salvabit eos, quia speraverunt in eo. Psalm. 36.* Denique pœnitentia, quæ licèt utique non sit necessaria ad obtinendam remissionem peccati Originalis. Vasquez *hic disp. 158. cap. 1. n. 1.* exigitur tamen ad expiationem peccati mortalis. Tridentin. Concil. *sess. 5. cap. 6.* eáque diversa à voluntate suscipiendi Baptismum. Vasquez cum DD. hujus sæculi communiter, adversùs Cajetanum *hic q. 88. art. 2.* etenim ait S. Petrus *Actor. 2. Pœnitemini igitur, & baptizetur unusquisque vestrùm.* Tridentina quoque Synodus *cit. cap. 6.* ita expressè loquitur: *Moventur* (justificandi) *adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Quod quidem odium, & detestatio debet esse actus supernaturalis, adeóque ex motivo supernaturali. Vasquez *loc. cit. cap. 3.* cum communissima opinione adversùs Sotum, & Canum; non tamen necesse est, ut sit, aut bonâ fide existimetur esse contritio, sed sufficit attritio etiam cognita. Vasquez *ibid. cap. 4.* atque alii communiter contra alios apud Tannerum *Disp. 4. q. 2. nu. 52.* Ratio est, quia nec ex rei natura, nec ex Christi institutione adest obligatio eliciendi tunc perfectam contritionem, ergo asseri non debet. Ex quibus inferes, quomodo fuerit resolvendus hic

Casus Indicus.

309 *Quidam Indus natus parentibus Ethnicis, mutus autem, & surdus à nativitate, videns; à quodam Patre Prædicatorum permultos expiari, accessit Patrem, atque nutibus petiit ab eo baptizari; negavit hic ei Baptismum, etiam postquam unum, alterúmve sui Ordinis consuluit, an rectè, & adimitationem?*

Respond. Rectè, & non rectè. Rectè, si post diligens examen deprehendit, illum Indum non habere ullam notitiam rerum supernaturalium, interim compotem mentis. Non rectè, si comperit, illum fuisse jam ab aliquo ita instructum, ut & Deum agnosceret, & de peccatis doleret, baptismúmque veluti rem quandam sacram, cœlestem, seu divinam recipere vellet. Etenim talia posse edoceri surdum, & mutum, liquet ex disputandis à me *in Alphab. Communic.* seu *Tr. 4. Casu VII.* ubi etiam refero duo testatissima exempla, quibus, ac nominatim illi; quem ibidem nomine Gebhardum, simillima duo producit P. Stengelius *De monstris. Cap. 16. §. 6.* atque addit: (quod ego subjicio in gratiam eorum, qui lectitant Theologiam Moralem Pauli Laymanni; à me alibi meritò singulariter commendatam:) *R. P. Laymannus*, inquit, *vir, in quo pietas cum eruditione conspiraverat*, (parcat Deus manibus illorum, qui tam indignè, ac probrosè In ipsum scripserunt) *fistulæ aneæ incautâ explosione propè aures illius factâ in solemni supplicatione vim audiendi prope omnem amisit. Assiduâ postea oris loquentium observatione didicit, visu percipere, quod non poterat auditu.* Ita R. P. Stengelius, meus in Theologia Magister.

Ut verò ad nostrum Indum redeamus, Casum illum refert Ludovicus Lopez *Instructor. conscient. Part. 1. cap. 12.* subditque, talem non fuisse, nec esse baptizandum sine judicio Episcopi. Et non dubito quidem, quin Reverendi Patres illi judicaverint, egerintque id, quod spectatis tunc præsentibus circumstantiis, agendum erat. Existimo tamen in primis cum Diana, & Moscolo, quem citat *Part. 5. Tr. 6. Resol. 1.* si Episcopus, vel ejus Vicarius procul absit, non esse necesse, in dubio exquirere eorum judicium, sed sufficere, si aliorum. Deinde minimè dubito, quin permulti possint ita dextere instrui, ut satis manifestum sit, eos credere, quæ hîc credenda; facere, quæ hîc facienda sunt; etenim in nostra Germania permulti reperiuntur muti, & surdi à nativitate, qui etiam idonei sunt ad confessionem, & communionem. Vide Coninck *in 3. part. quæst. 68. num. 94.* ubi absolutè tanquam satis probabilem admittit opinionem censentium, tales posse baptizari.

310

At si simul sunt cæci? Respondet Coninck, 311
tales habendos pro perpetuò amentibus, eò quòd non videantur posse exercere ullum actum liberum, seu bonum, seu malum; consentit Cotonius *celebr. controvers. L. 2. controv. 2. cap. 2.* Qua de causa ego *in Alphab. Communic. cit. Casu VII.* scribam, ejusmodi homines

non esse admittendos ad sacram Communionem, & *in Alphab. Audientium sacrum n. 30.* negabo, obligari ad Sacrum die festo.

BAPTIZANS INVITIS PARENTIBUS.

CASUS XI.

Judaicus.

SUMMARIUM.

Puella Hebræa, de qua dubitabatur, num esset compos rationis, volens fieri Christiana, ducta est ad domum Catechumenorum, quam tamen parentes petierunt sibi restitui 312.
Adultus etiam invitis parentibus, licitè petit Baptismum, qui & licitè ei confertur 314.
Infantes infidelium non baptizantur licitè, invito utroque parente. 315.
Excipe mortis periculum, 316.
Filii parentum infidelium, & invitorum, non possunt licitè baptizari. 317.
Nisi parentes sint servi, aut mancipia Domini Christiani. 318.
Possunt etiam baptizari Filii nunquam rediturі ad parentes. Ibid.
Et quorum alteruter parens est Christianus, aut vult desicere à fide. 319.
Praxis hujus rei apud Germanos. Ibid.
In hac particulari materia potest Princeps derogare potestati Tutorum, si forent inviti 321.
An sacerdos bapizet licitè filios parentum Acatholicorum invitorum, si sint restituendi? 323.
Casus de Colonello Suecico, petente, ut parochus recens editam sibi prolem baptizet. 324.
An, & quale periculum sit apostasiæ in his? 324.
Et quid in Germania sit in praxin deductum? Ibid.
Excusantur PP. Franciscani impertientes Baptismum filiis Turcarum, id cum minis expetentium. 325.
Quid liceat in dubio, an filius hominis infidelis petens Baptismum sit compos rationis, nec ne? 326.
Responsio ad Casum de puella Hebræa. 328.
Quomodo hîc intelligendum Axioma: In dubio melior est conditio possidentis? 329.
Refertur Baptismus prodigiosus puellulæ Mahometanæ. Ibid. *in App.*
An fuerit obligatio ministrandi illum Baptismum. Ibid. *Lit. B.*

312 *Longè ab Hebræorum domibus inventa quædam puella, & interrogata de suis parentibus respondit, se parentes habere Hebræos, & velle fieri Christianam. Conductam ergo ad catechumenorum domum, parentes petiit, sibi filiam restitui, quæ adhuc sui juris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de Religione. Consultus ego tunc fui, & examinavi puellam, nec perfectum rationis usum affirmare potui, nec etiam sufficientem negare. Quoniam verò septennium non compleverat, & de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certò constare posset de sufficiente ejus voluntate, interim tamen non debere, nec posse restitui, sed custodiæ causâ retinendam in eadem domo.*

Et verba, & judicium Eminentissimi Cardi- 313
nalis de Lugo *Responsa moral. Lib. 1. dub. 4. n. 1. & 2.* repræsento, rationes postea indicaturus. Sed priùs generatim

Quæres I. *An, & quatenus fas, aut nefas* 314
sit, adultos petentes Baptismum admittere ad illum invitis parentibus?

Resp. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Matth. 10.* Ergo licitè etiam invitis parentibus, petit filius adultus Baptismum; ergo licitè impertitur petenti. Et ratio alia est, quia in iis, quæ salutè æternâ concernunt, est quisque sui juris. S. Thomas 3. *p. q. 68. a. 10.* per adultos autem intelliguntur omnes, qui possunt peccare mortaliter. Tannerus *Tom. 4. disp. 4. q. 2. n. 79.* testans, ita sentire omnes.

Quæres II. *Quid de infantibus infidelium sen-* 315
tiendum hac in re?

Resp. Non possunt ii baptizari, invito utroque parente. S. Thomas *cit. a. 10.* & fusiùs *2. 2. quæst. 10. a. 12.* cum omnibus. Ratio à priori est, quia qui se ipsos regere non possunt, jure naturali regendi sunt ab iis, quorum potestati subsunt. Ratio à posteriori est, quia talis Baptismus communiter cederet in probrum Religionis. Cùm enim tales infantes non possint auferri parentibus sine injuria, educabuntur in infidelitate.

Dices: *Quomodo potest fieri, ut potestas pare-* 316
tum extendat se ad impediendam executionem divini præcepti de Baptismo, & salutem animæ alienæ? Respond. Non impeditur hîc illa executio, quia nec Deus præcipit, infantes baptizari *per se loquendo*. Suprà *Casu 3.* nec impeditur salus cujusquam. Ergo, *si infans periclitetur vitâ, licebit baptizare?* Respond. Non solùm licebit, sed oportebit. Licebit, quia potestas parentum non expergitur ad talem eventum. Oportebit, quia quisque tenetur succurrere periclitanti extremè. Suprà *n. 225. & 227.* Consentit D. Reding. *q. 8. a. 1. Controvers. 4. n. 24.* in qua Controversia distinctè declarat totam materiam hujus *Casus XI.*

Etsi parentes infideles sint subditi Principi 317
Chri-

Christiano, eorum tamen filii non possunt baptizari ipsis invitis. S. Thomas 2. 2. *q. 10. a. 12.* probans, & declarans ex usu antiquissimo Ecclesiæ. Tannerus *disp. 4. quæst. 2. n. 81.* Nugnus *hic q. 88. art. 10.* & cæteri Thomistæ, contra Scotum *in 4. disp. 4. q. 9.* prolixè dissentientem, cui Tannerus addit Gabrielem, & Eckium. Sed quia ratio Scoti supponit, parentem *Divino* jure obligari ad curandum, baptizari filium adhuc infantem, hoc autem negavimus *implicitè n. 106.* ideo standum sententiâ Thomisticâ.

318 III. Si tamen illi parentes sint servi, seu propriè dicta mancipia Principis, aut Domini Christiani, vera est doctrina Scoti. Ita Suarez *Disp. 25. sect. 6.* Vasquez *Disp. 2. num. 91.* quia Dominus habet jus à suo mancipio abstrahendi filium; cùm sit etiam Dominus filii. Eadem est ratio, quando parvuli sunt filii Turcarum, contra quos gerimus justum bellum. Laymannus *hic Tr. 2. c. 6.* Eadem quoque ratio, quando filii infidelium non sunt ampliùs redituri ad parentes. Iidem DD.

319 IV. Idem dic de filiis, quorum aut alteruter parens est Christianus. Dicastillo *nu. 86.* aut vult deficere à fide, atque à loco Catholico. Etenim filii talium possunt retineri à parocho, ac ritu Catholico baptizari. Laymannus *ibid.* quandoquidem huic incumbit cura talium filiorum, juxta dicta supetiùs. Addit Dicastillo *cit. disp. 2. n. 104.* posse etiam retineri illos filios, etiamsi sint baptizati, etenim hi sunt *directè* subditi Ecclesiæ. Verùm verissimæ hujus Theologiæ praxim apud Germanos haud permittit Instrumentum Pacis, aliaque pacta inita, ob pacem publicam, de filiis Lutheranorum, & Calvinistarum, non verè (ob defectum materiæ, intentionis &c.) baptizatorum.

320 V. Sufficit, modò seu pater, seu mater consentiat in Baptismum filii, esto repugnet alter. Emmanuel Sa *verb. Baptismus* & alii, etenim *in Theolog. Iuridico-moral. c. 23. n. 21.* sufficienter, & quidem ad praxim quotidianam probavi, matri quoque incumbere obligationem educandi Catholicè puerum, nec posse per ullum pactum matrimoniale huic juri renuntiare.

321 VI. Tametsi tutores soleant succedere in officia, juráque parentum juxta Leges variis in Pandectis, & Codice, attamen potest in hac particulari materia Baptismi Princeps derogare eorum potestati, adeóque permittere, aut jubere, ut ipsis etiam invitis pupillus baptizetur Catholicè. Dicastillo *loc. cit. n. 90.* contra Azorium *Part. 1. lib. 8. c. 25. q. 9.* & Vasquezium loquentes de tutoribus, sicut de parentibus. Certè omnis potestas tutorum pendet à lege humana, & Princeps quisque est supremus tutor omnium Orphanorum in suo principatu.

322 VII. Meritò refutantur ab omnibus neotericis nobiles illi Theologi, qui judicârunt olim, filios infidelium non solùm *illicitè*, ut concessimus, sed etiam *invalidè* baptizari invitis parentibus. Nullo enim jure seu Evangelico, seu Pontificio probari potest necessitas paterni, vel materni consensûs in validum Baptismum filii, aut filiæ. Sanè erubescendum est hîc sine Lege loqui. §. *Consideremus. Auth. De sem. & trient. collat. 6.*

VIII. Dicastillo *cit. disp. 2. dub. 10.* refutat 323
ex Instituto Laymannum *Lib. 5. Tr. 2. cap. 6. n. 12.* docentem, filios acatholicorum invitorum posse licitè baptizari à sacerdotibus, licèt sint restituendi parentibus. Ratio illius hæc est, quòd tales exponantur evidenti periculo apostasiæ, ob quam rationem Jura, & Doctores hactenus indicati negant generatim, tunc singulariter fas esse, baptizare parvulos Judæorum, Turcarum &c. Quando post Baptismum restituentur ipsis. Ex qua refutatione inferes, deliquisse illum, quem exhibet hic

Casus militaris.

Iamech Colonellus Suecicus habens stativa 324
in oppido Catholico, petit à Parocho loci, ut hic lustricis aquis perfundat suam prolem recèns editam; nec enim esse in vicinia præconem verbi, qui obeat id officii. Acquiescit petitioni parochus, & judice Dicastillo delinquit mortaliter, judice Laymanno nec veniàliter.

Accedo cum Escobar *Moral. Theolog. Tr. 7. exam. 2. cap. 4.* huic ultimo judicio à viris piis, & doctis, ut testatur Laymannus, in praxim deducto, ea potissimùm de causa, quòd, cùm ex una parte Baptismus filii patre hæretico nati sit *per se loquendo* maximè licitus sacerdoti Catholico, ex altera verò parte reperiantur in nostra Germania longè plurimi hæretici merè materiales, & vix tertia pars infantium perveniat ad Annos discretionis, sicuti se ex Medicis intellexisse, testatur alicubi P. Jeremias Drexelius, séque etiam intellexisse, ait idem P. Laymannus, propterea censeo, periculum apostasiæ esse tam incertum & indirectum, ut propter hanc incertitudinem non teneatur parochus cedere jure certo, quod habet in talem infantem oblatum sibi à parentibus. Ac proinde tempore Suecici Belli grassantis per Sueviam fuisse non semel factitatum, testatus est mihi scripto quidam Theologiæ Doctor, id temporis fungens officio parochi, approbánsque hanc practicam.

IX. Excuso quoque illos Reverendos Patres 325
Franciscanos, qui teste Navarro *in Consiliis Lib. 3. De Bapt. consil. 5.* impertiuntur Baptismum filiis Turcarum, id etiam cum minis expetentium tunc, quando illi filii infestantur à malo genio, aut quibusdam morbis, quos ii Turcæ au-

audierunt, curari Baptismo. At extra periculum ejusmodi, negant Laymannus *cit. nu.* 12. atque alii plures contra Navarrum, fas esse, dare locum tali petitioni. Qui utique dandus non est, quando ille filius Turcæ est jam compos rationis, nec vult desistere à Turcica religione; constat enim, non licere administrare Sacramentum nolenti deserere peccata.

326 Quæres III. *Quid verò liceat, quando dubitatur, utrùm filius hominis infidelis petens Baptismum sit compos rationis, nec ne?*

Respond. Si egressus est primum septennium ætatis, baptiza animosè, quia secundùm multorum DD. persuasionem præsumitur in dubio, adesse jam tunc usum rationis sufficientem. Bonacina *De Sacram. Disp. 2. q. 2. punct. 6. n.* 11. loquens nominatim de hoc casu cum Emmanuele Sa *verb. Baptismus n.* 12. & Dicastillo *cit. disp. 2. n.* 77. contra Henriquez *Lib. 2. c. 5. n.* 3. si attentè legatur. Si verò nondum sit septennis, non est baptizandus invitis parentibus, & extra periculum mortis, quia tunc præsumitur non scire, quid petat. Dicastillo *loc. cit.* & Sa, etiam *loc. cit.* Non tamen displicet judicium existimantium, esse quandoque etiam hîc aliquid audendum pro favore religionis, fidei, atque animæ.

327 Sicut etiam probatur mihi discursus Castropalai *Tr. 29. punct. 7. n.* 20. post Suarez, & alios contra Vasquez *Disp.* 155. *c.* 7. fusè à Suarezio dissentientem, ostendentis, dari varios casus, quibus possit quidem, non tamen teneatur quis filios infidelium invitorum baptizare.

328 Quæres denique, *Quid respondendum sit ad primum nostrum Casum de filiola Hebræi propositum n.* 312.

Respond. Id ipsum, quod respondit idem Cardinalis de Lugo, approbante tribunali Pontificio, videlicet illam puellam non fuisse restituendam patri invitam, sed detinendam in libera custodia, donec maturior annis tolleret omne dubium, sicuti sustulit ipsa, evaditque bona Christiana.

329 Ratio generalis est, quia spoliatus non est ante omnia restituendus, quando ex restitutione imminet periculum illi, qui restituendus est. *Cap. Literas. De Restitut. spoliat.* imminebat autem illi puellæ mors aut corporis, aut animæ saltem.

330 Ad illud Axioma juris: *In dubio melior est conditio possidentis*: rectè respondet Lugo, intelligendum esse cum addito: *In pari causa.* Nam *Regula 65. in Sexto* ita sonat: *In pari causa, vel delicto melior est conditio possidentis*; non est autem par ratio parentis volentis abstrahere ab æterna salute, & filiæ aspirantis ad illam. Adderet litigiosus Advocatus, Judæum illum non fuisse tunc ampliùs in possessione suæ filiæ, sed hanc vindicâsse sein libertatem per fugam. Quin Tamburinus *in Decal. L. 1. c. 3. §. 7. verb. Baptismus. n.* 3. censet, illam puellam fuisse mox baptizandam, eò quòd in dubio prævalere debeat tam ingens bonum infantis.

Appendicula.

DOctrinam de baptizandis in extremo agone liberis infidelium, quantumvis seu *actualiter*, seu *habitualiter* duntaxat invitorum, probo facto, in quo inter alia elucescit mirifica, suavissima Dei providentia

Erga puellam trimulam.

Cum enim P. Henricus Roth Soc. Jesu Sacerdos, Augustâ Vindelicorum oriundus, ex hac nostra Provincia Superioris Germaniæ, repeteret Indias, unde ad nos publicorum negotiorum causâ redierat, sub Annum Christi M. DC. LXVI. atque per unum diem subsisteret in quodam Persidis pago, cum comitibus mercatoribus, à quibus etiam habebatur pro Medico, vocatur à quodam Mahometano, pagi illius incolino, ut, si posset, filiolam suam triennem morti vicinam sanaret. Ille, etsi non ignarus, consuevisse id loci pro homicida haberi, punirique medicum, si infirmus ejus curæ commissus extingueatur, Deo tamen fisus acquiescit petitioni, subit domum, & præter alia adhibet aquam, qua & ritu Christiano tingit moriturientem, atque ita feliciter, ut mox puella cœperit melius habere, ut gaudio exultantes parentes miserint ad Patris Henrici hospitium varia esculentorum, fructuúmque genera, cum summa gratiarum actione. Verùm nolens divina bonitas, puellam sacro fonte ablutam inquinari, si adolesceret, spurcitiis Mahometanis, eam ad se vocavit prorsus insperatò, nocte, quæ proxima excepit Baptismum.

Ita lego in præclaris elogiis illius Patris, b conscriptis à teste oculato, atque addo in primis, Patrem illum fuisse obligatum facere id, quod fecit, esto, sciverit, se capitis supplicio luiturum id pietatis officium, si vel puella inter ejus manus moreretur, vel resciretur, adhibuisse aquam lustricam. Rationem attuli in hoc 2. *Tr. num. 225. & 227.* Addo deinde, nullis verbis explicari posse singularissimam Providentiam, quâ infinita, & inscrutabilis bonitas Dei fuit usa in hoc fortuito, ut loquar humano more, seu potiùs fortunatissimo eventu, ob quem sit, & verò erit omnipotenti Deo immortalis laus, & gloria.

BA-

BAPTIZANS CUM NOMINE.

CASVS. XII.

Canisianus.

SVMMARIVM.

Parens filiolo sibi nato nomen Petri Canisii volebat imponi in Baptismo, quod facere recusavit Minister Baptismi. 331.

An liceat in Baptismo imponere nomen viri, aut fœminæ in Sanctorum numerum non relatæ? 332. & 333.

An malè egerit Minister, nolens puero dare nomen Petri Canisii? 335.

An expediat, imponere nomina Sanctorum ex antiquo testamento? 336.

Quale nomen dandum infanti, cujus sexus ignoratur? 337. & seqq.

Casus singularis de hac re. Ibid.

Nomen suum quisque per se loquendo *mutare potest.* 340.

Leganti prædium Ecclesiæ, si sine liberis decesserit, si nascatur filius posthumus, sed solùm semestris, aut octomestris, qui statim moriatur, cedit prædium Ecclesiæ. 341.

An probandum factum sacerdotis, qui patrinis S. Vincentii Ferrariensis de nomine disceptantibus litem diremit, & Vincentium nuncupavit? 342.

Si obstetrix privatim baptizans oblita est nominis, an jure sciplebit parochus? Ibid.

Superstitiosum est, ex nomine pronuntiare de moribus. 343.

Non est ex nomine pronuntiandum de moribus. Ibid.

Licet etiam sortitione imponere nomen. 347.

Fuit olim alius dies pro Baptismo, alius pro nominatione. 350.

331 *Monicâ Annos abhinc circiter 40. triduum laborante ex partu, jam jámque exhalaturâ, ut ajebat obstetrix, animam, maritus ejus Jacobus civis Friburgensis apud Nuithones, in vestibulo hypocausti, in quo uxor cum partu, & morte luctabatur, procidit in genua, invocat opem Venerabilis Patris Petri Canisii è Societate Jesu, vovétque, si ejus precibus exoratum Numen præstet sospitem uxorem, ac fœtum, hícque sit masculus, se curaturum, ei in Baptismo imponi nomen, & cognomen Petri Canisii. Vix ediderat votum, cùm uxor edit fœtum masculum, quem cùm patrinus volente patre vellet nuncupari à ministro Baptismi Petrum Canisium, renuit hic, causatus esse contra morem diœcesanum, ut cognomen hominis non relati in catalogum Sanctorum imponatur abluendo unda salutari. Quare insignivit illum nomine solo Petri. Parens tamen uterque, ac deinde tota vicinia illum non nisi Petrum Canisium vocitabat. An imitandum exemplum illius Reverendi Domini? An standum ejus rationi?*

Narro rem meis verbis, auditam persæpe meis auribus, visam quodammodo meis oculis, nam & mater, patérque pridem vitâ functi mihi haud semel recensuerunt hasce circumstantias, illúmque Petrum Canisium non semel vidi, & affatus fui.

Quæres jam I. generatim: *Utrùm sit fas, imponere in sacro lavacro nomen viri, aut mulieris nondum relatæ in numerum Sanctorum?* 332

Respond. I. Licèt multis sæculis fuerit more receptum, ut tam adultis, quàm infantibus abluendis divino afflatice aut relinquerentur, aut inderentur nomina Sanctorum, & non Sanctorum, ut patet ex nominibus, quibus vel alii scriptores Ecclesiastici notaverunt suos libros, vel Episcopi confirmârunt Synodos Generales & Provinciales, ac nominatim septimam Generalem celebratam Anno 787. Licèt etiam nullâ Lege universali præceptum sit, ut imponantur nomina Sanctorum, attamen B. Pius. V. in suo Catechismo 1. *Part. Cap. 2. n.* 75. & Paulus V. *in suo Rituali tit. De sacril.* meritò petunt, observari morem multis abhinc sæculis retentum à plerisque omnibus Christianis, ut non nisi sacra nomina darentur recèns baptizatis. Causas, & congruentias Concionatori utiles scitu proponit, quem meritò omnium scriptorum *Vivam, vivacémque Bibliothecam* indigitaveris, P. Theophilus Raynaudus in libello, cui titulus: *Pietas Specialis erga aliquem particularem Sanctum Cap.* 11. 333

II. Non tamen ubique ab omnibus hodiè 334
statur illo monito: Hinc hodiéque reperire est in Germania Ferdinandos, & Egones; in Hispania Garzias, Gomesios, Hurtados; in Italia Eleonoras, Sfortiam Pallavicinum Cardinalem Eminentissimum.

III. Proindè absolutè nefas non est, nomen 335
hominis nondum ab Ecclesia adscripti syllabo Divorum imponere puerulo baptizando. Ac potuisset ille seu parochus, seu Vicarius, de quo noster Casus, absque omni piaculo condescendere voluntati parentum, præsertim post tam illustre miraculum. Haud tamen dicendus est ullo modo malè egisse, quia obsecutus fuit mori diœcesano, ac doctrinæ apertæ Barbosæ *De Parocho Part. 2. cap.* 28. atque insuper monito Pontificio. Adhuc magis fuisset excusandus, si parentes voluissent indere nomen alicujus Ethnici; nam non est facilè acquiescendum ejus-

jusmodi voluntati. Possevinus *De Bapt. q.* 25.

336 Quæres II. *An expediat imponere nomina Sanctorum è veteri Testamento?*

Respond. Si ii spectent etiam ad novum, ut Anna, Elisabetha, Joachim, Joseph, Joannes Baptista, nemo non probat. Si solùm ad vetus, haud probat P. Vasquez *Disp. 166. n. 7.* eò quòd jam suppetant tot nomina ex novo Testamento. Quin videtur P. Quintanadvennas *sing. Tr. 1. sing. 24. n. 6.* improbare, ne detur ansa suspicandi, prolem, aut patrem infectos esse sanguine Hebræo. Verùm hæc ratio etsi locum habet forsan in Hispania, non tamen in nostra Germania, ideóque numeramus plurimos Adamos, Abrahamos, Danieles, ac Tobias, nonnullos Davides, atque P. Jeremiam Drexelium.

337 Quæres III. *Quale nomen imponendum sit infanti, cujus sexus ignoratur, & proinde quid fuerit agendum in hoc*

Casu novissimo?

Martinianus cooperator parochi N. vocatus ad baptizandum domi infantem mox adest; quia verò partus erat duntaxat semestris, non potuit dignosci sexus, quare imposuit ipsi nomen unius Sancti, & unius Sanctæ. An sanctè?

Respond. Si non sanctè, saltem sanè. Licèt enim potuerit omittere omne nomen, dicendo: *Creatura Dei ego te baptizo in nomine &c.* ut generatim de infantibus in necessitate baptizatis notat Possevinus *De Bapt. quæst. 20.* attamen indendo tale duplex nomen, in primis nil egit contra morem universalem Ecclesiæ, scimus quippe, longè plurimos præsertim Religiosos ad suum nomen proprium adscíscere nomen Mariæ, éstque mihi notus nobilis Capitaneus, cui in Baptismo obtigit nomen Antonii Mariæ. Deinde fuit ductus hac ratione, quòd scilicet certus esset, se hoc modo impositurum nomen aptum, ita ut si proles illa viveret diutius, non esset futurum opus mutare nomen, sed solùm demere unum.

338 Ad hæc viri prudentes non conveniunt hac in re. Etenim Vivaldus *in candelabr. De Bapt. num. 62.* atque illum secutus Chapeaville *de modo administr. Sacram. temp. pest. cap. 2. quæst. 11.* censent, quandonequit, dignosci sexus, dandum esse nomen viri, eò quòd in dubio præsumatur sexus masculinus. E diverso ego *in Alphab. Communic, Casu X.* describam virum probè barbatum, omni signo alterutrius sexûs in sua quoque barbata ætate carentem, & in infantia ob carentiam sexûs vocatum Annam, vel Joannam. Ratio verò esse potest, quia plures puellæ nascuntur, quàm pueri, súntque illæ imperfectiores, quàm hi, ergo cùm natura humana sit valde corrupta, videtur in dubio esse potiùs præsumendus sexus fœmineus, quàm virilis. Quia tamen fœmina est mas occasionatus. Aristotel. *L. 2. De generat.* est enim præter intentionem naturæ particularis. S. Thomas *1. Part. q. 99. a. 1. ad 2.* & rerum naturalium indagatores sollertissimi asserunt, naturam semper ad perfectiora niti. Tiraquellus *L. 1. connubiali. n. 99.* longéque plures fœminæ convertuntur in mares, quàm mares in fœminas. Tiraquellus *l. c. n. 100.* demonstrans exemplis, quia videlicet *res quælibet de facili revertitur ad naturam suam.* Barbos. *axiom. 199. n. 13.* ideo non imprudenter in dubio præsumetur potiùs pro virili, quàm pro fœmineo sexu.

339 Propter has in utramque partem rationes, præséque autumo, non posse reprehendi, qui tali infanti inderet vel solùm nomen viri, vel solùm fœminæ, vel viri, & fœminæ, eámque ob rem illi Martiniano, qui me convenit post peractum illum Baptismum, dixi, mihi non videri errâsse; mallem tamen dare viri solius, quia haberem expressam auctoritatem duorum classicorum auctorum, haberem quoque exempla illorum, qui fuerunt in infantia habiti puellæ, & postmodum deprehensi esse viri; haberem & rationem ex Aristotele productam. Exempla quod attinet, plura recensetTiraquellus *loc. cit.* ego solùm duo. Exemplum primum est, quod de Anna, vel Joanna paulò antè indicavi: alterum, quod ex Dominico Soto describam *Casu XIII. n. 428.* Denique natura semper conatur, quod perfectum. Delrio *Disquis. magic. L. 2. q. 22.* Inderem tamen nomen viri, quod variatione unius, alteriúsve literæ posset, deprehenso errore, mutari in fœmineum, sicuti ex Antonio, Claudio, Joanne facilè formatur Antonia, Claudia, Joanna.

340 *At quis mutabit nomen?* Sotus *in 4. dist. 1. q. 5. a. 8.* censet, recurrendum ad Episcopum; Emmanuel Sa *verb. Nomen.* adSuperiorem. Ego utrique oppono Rescriptum, quod habetur *L. unic. Codice. De mutat. nom.* his verbis: *Mutare itaq. nomen &c. minimè prohiberis.* Si Sotus, & Sa exhiberent legem, aut consuetudinem, assentirer. Si non ostendãt contrariũ, patrocinatur mihi apertè Abbas *in Proœm. Decretal. verb. Gregorius. n. 9.* cum suis Glossatoribus, ac Bonac. *De Bapt. q. 2. punct. 4. n. 29.* absolutè docentes, fas cuivis esse *per se loquendo* mutare nomen acceptum in Baptismo; putarem tamen, monendos patrinos, & parochum ob confusionem vitandam.

341 Cæterùm occasione illius semestris partûs observo Menochium *De præsumpt. Lib. 4. præsumptione 89. n. 111.* cum multis contra multos docere, quando in testamento ponitur hæc clausula: *Si sine liberis decessero, volo, ut hoc prædium cedat meæ parochiali Ecclesiæ,* illud prædium revera cessurum Ecclesiæ, si testatori nascatur quidem filius posthumus, sed solùm semestris, aut octomestris, qui statim moriatur. Notent Rectores Ecclesiarum hanc doctrinam ignotam vulgo, quia fortasse aliquando illius meminisse juvabit.

Ratione ejusdem Casûs discussi refero hunc

Casum geminum.

342 *Cum patrini S. Vincentii Ferrarienſis Ord. Prædicatorum disceptarent de nomine imponendo, & in Baptismo unusquisque suum nomen imponere vellet. Sacerdos, ut sedaret discordiam,* Vincentius, *inquit, vocetur, illíque statim approbárunt.*

Ita Surius *ad 9. April.* & ex eo Marchantius *in Candelabr. Tr. 2. Lect. 6. propos. 2.* Qui scriptores licèt nec probent, nec improbent factum hujus sacerdotis, probo tamen ego. Etsi enim parentes soleant hodiéque esse auctores nominis imponendi, patrini autem sint quasi solùm interpretes voluntatis paternæ, aut certè non consueverint indere nomen, nisi probatum patri; attamen videtur Minister Sacramenti esse admodum idoneus diribitor litigii de nomine. *At obstetrix baptizans privatim oblita fuit insignire nomine infantulum, supplevit postea parochus, dum cæremonias adhibuit, an jure?* Respondeo, fuisse quidem illum parochum consultiùs acturum, si consuluisset parentes, attamen videri, non fuisse obligatumullâ Lege scriptâ, aut non scriptâ; etenim consuetudo patrocinans parentibus viget solùm in collatione Baptismi, non autem in suppletione cæremoniarum.

Quæres IV. *Quid censendum de illa observatione Iureconsultorum, quòd scilicet ex pulchro, vel turpi nomine sumatur præsumptio de moribus affecti illo nomine?*

343 Respond. Multi quidem præstantes Juristæ ita observant, præsumúntque, ut videre est apud Menochium *De præsumpt Lib. 1. præsumpt. 89. n. 131.* Mascard. *De probat. conclus. 831. n. 22.* Farinac. *in praxi crimin. Part. 6. q. 176. n. 91.* atque alios, quos refert, sequitúrque Barbosa *De paroch. Part. 2. c. 18. n. 18. ac 19.* quibus fidem aliqualem habeo, si loquantur de nomine acquisito in decursu vitæ; si autem vel de hæreditario, vel de obtento in Baptismo, arbitror, hanc præsumptionem, & observationem vanis, & superstitiosis esse annumerandam juxta doctrinam S. Thomæ *2. 2. q. 96. a. 3.* & ea, quæ adduco *in Alphab. Quadrupl. n. 998. & seqq.* reúmque temerariæ, atque clavibus subjiciendæ suspicionis ex doctrina ejusdem S. Doctoris *2. 2. q. 60. a. 3.* qui ex nominibus Petri, Silvestri, Leonis, Wolffgangi, suspicaretur, aliquem esse indomiti, ferini, ferocis, rabidi, seu lupini ingenii, ut sunt petræ, silvani, leones, lupi. Et quis ferat judicem, qui motus auctoritate Carerii, &

aliorum apud Menochium *cit. n. 31.* itémque Chassanei *De Gloria Mundi p. 11. Consider. 23.* cognomina sanguine avito tracta à vulpibus, canibus, dæmonibus (vivunt enim in Germania nonnulli ita antiquitus cognominati) ipsis accipiat etiam pro levissimo, tenuissimo indicio fraudulentiæ, nequitiæ? Ratio à priori est, quia nomina neque suapte vi inclinant ad malum, neque ex impositione Dei, qui solus novit futura contingentia, significant hos, aut illos mores. Et quamvis conveniant rebus nomina sæpe suis, quia tamen millecuplo sæpius non conveniunt, ideo contra omnes Leges, & Regulas de præsumptionibus peccant, qui ex nomine indicante vitium præsumunt de vitio.

344 Itaque cum Bartolo *super rubricam Infortiati* apud Abbatem *loc. cit. n. 7.* & P. Theophilo Raynaudo *in libello: Specialis Pietas Cap. 11. post. med.* nego, prudenter sumi à nomine ullam præsumptionem, concedens tamen cum Panormit. *loc. cit.* homines sæpe ideo argumentari à nomine, quia credunt, illud fuisse impositum ab eventu, eámque ob rem Salicetus *Lib. 1. in princip. Cod. De sum. Trinit.* hortatur parentes, ut suis filiis imponant pulchra nomina. Hortor, & ego, ut, si degant inter illos, qui ex phantastica persuasione credunt, nescio, quid mali ominis latere sub hoc, aut illo nomine accepto in Baptismate, abstineant tali nemenclatura. His junge ea, quæ *in Alphab. Quadruplici Part. 4. Cas. 23. n. 1018.* dissero de præsumptione ex sola forma corporis.

345 Sed, & parentes perbene consulunt suis, quando imponunt hisce nomina Sanctorum, quorum aut intercessione concepti, vel in utero materno conservati sunt, aut patrocinio comprobato variis historiis cupiunt suis liberis in vitæ decursu obvenire hoc, illúdve bonum, hujus aut illius mali averruncationem. Qua de re legi potest idem Raynaudus *loc. cit.* itémque Marchantius etiam *loc. cit.* ubi refert exempla tum illorum, quibus nomina fuerunt indita ex spiritu vatidico, tum illorum, quibus ad sanctitatem multùm profuit, fuisse insignitos nominibus Sanctorum Stephani, Nicolai, Francisci.

346 Judæ nomen nescio, an quisquam hactenus ferre voluerit, quantumvis sciamus, è duodecim Apostolis unum sanctitate, martyrióque clarissimum fuisse ita appellatum. Sed timor cavillationis potiùs, quàm sinistrioris suspicionis facit, ut propter impiissimum proditorem piissimus Judas nullos reperiat clientes, aut certè paucissimos, nisi fortè in occulto, aut sub nomine Thaddæi.

347 Quæres V. *An liceat sortitione imponere nomen in Baptismo?*

Respond. Licet. Probo auctoritate (ut alia omittam) aliquoties hîc nominati P. Theophili Raynaudi, qui *in cit. eruditissimo Tr. c. 11. edit. 3. fol. 272.* hisce verbis describit de se ipso hunc

Casum casualem.

348 *ALiquando cum sortitione nomen Sancti puero obtingit, ut cùm libri sacri fortuita apertione, quod primum occurrit, Sancti nomen imponitur. Quod mihi ipsi contigisse docuêre, qui aderant. Nam cùm susceptor Antonius de Bartholomæis, cui nominalia deferebantur, vir optimus, sed morosi ingenii, nescio, quo impetu animi à proprio sui ipsiusmet nomine abhorreret, omnino renuisset, me nuncupari suo nomine, dicique Antonium, accepto, qui ad manum erat, novi Testamenti codice, obtigit aperienti pagina continens initium Actorum Apostolicorum, ubi nomen Theophili est exaratum. Inde (prò usu antiquo ad librorum apertionem expiscandi, quid statuendum in ambiguis, (de quo multa scripsi in heteroclitis spiritualibus) nominis mihi impositio accidit.*

Hactenus testimonium, & verba Raynaudi, quem uti iter leget parochus, aut catechista paraturus concionem, vel sacram lectionem de causis, ob quas rectè, piéque imponuntur hæc, aut illa nomina in Baptismo; & quantum incentivum imitationis, fiduciæ, cultûs peculiaris sit participatio nominis alicujus Sancti.

349 Porrò Raynaudus per illam phrasim: *Nominalia deferebantur*, intelligit jus imponendi nomen, sicut Tertullianus *Libr. De Idololatria Cap. 21.* per solemnitatem *Nominalium* intelligit illam, qua nomen indebatur alicui, ut liquet ex ipso textu, & disertè exprimit Pamelius *in Commentario.*

250 Dices: *An ergo fuit olim alius dies prò impositione nominis?* Resp. Fuit teste eodem Raynaudo *cit. Cap.* 12. unde hodiéque Moschi indunt liberis nomina primùm quadragesimo die post lavacrum, & quidem imponunt sacerdote advocato. Raynaudus *ibidem.*

REBAPTIZANS VARIOS.

CASUS XIII.

Ridiculus.

SECTIO I.

Traduntur Regulæ septemdecim.

SUMMARIUM.

Casus perturbatæ obstetricis. 351.
Sacrilegii, & irregularitatis reus est, qui sciens esse legitimè baptizatum, rebaptizat. 353.
Quando quis scire teneatur? Ibid.
Gravis impietatis in parochianum reus est parochus non rebaptizans eum, quem scit, non esse ritè baptizatum. 354.
Et in se ipsum, qui hoc scit de se, nec laborat, ut ritè abluatur. 355.
Aut saltem rationabiliter dubitat. 356.
In dubio rationabili obligatio procurandi mox reiterationem est sub mortali. 357.
Eâdem obligatione tenentur omnes, sub quorum curâ est is, cujus Baptismus vocatur in dubium. 358.
Verba Juris Pontificii de hoc argumento. 360.
Omnes rebaptizandi sunt, de quorum Baptismo prudenter dubitatur. 363.
Regula dignoscendi, quando adsit prudens dubium. 364.
Quando adsint indicia sufficientia ad certitudinem moralem? 365.
Mandatum Pauli V. 366.
Undecunque oriatur dubitatio, repetendus Baptismus. 368.
Quales debeant esse testes in dubio dissolvendo per testes? 367. & 369.
Manet dubium, si testis non sufficiat ad gignendam certitudinem moralem. 370.
Et quando probabilis est utraque pars contradictionis. 371. & seqq.
Quod sit dubium facti, & quod Juris? 373.
Repetendus sub conditione Baptismus collatus cum ea materia, forma, vel intentione, vel in ea parte, cum quibus, vel in qua unus, vel plures DD. probabiliter negant, subsistere Baptismum. 374.
Limitatio notanda. 376. & 377.
Vti grande crimen est, temerè rebaptizare sine conditione, ita & temerè sub conditione. 378.
Idem pronuntiandum de iis, qui ex levi dubiolo repetunt verba consecrationis, absolutionis, Ibid.
Et iis, qui petunt, se, vel suos rebaptizari. 379.
Providendum tamen, nec sub specie cautionis damnum animæ faciamus. 380.
Unde si dubium rationabile occurrat, magis est inclinandum in favorem animæ, quàm Sacramenti, & cur? 381.
Ortâ quæstione controversâ, aut eventu particulari, non facilè ferat Parochus sententiam inconsulto superiore, aut viro sapiente. 383.
De illo, qui natus est ex fidelibus parentibus, & inter Christianos fideliter educatus, præsumitur, quòd fuerit baptizatus. Ibid.
Aut nisi natus sit parentibus veneficis, aut à Diabolo valde infestetur, nec sciri possit, ubi, vel à quo baptizatus fuerit. Ibid.
Diuturnæ, & graves Dæmonis infestationes movent prudentem suspicionem Baptismi aut omnino, aut non ritè peracti. 384.
Si à viris piis suasum est, ut hoc casu repetatur Baptismus, potest quivis in simili eventu suadere idem, & facere. 385.
Si lis de repetendo Baptismo est terminanda per testes, præferri debeat, qui testantur, errorem interceptisse. 386.

331 *NIcostrata obstetrix baptizatura infantem ita terrebatur, ut præ turbatione arripuerit forsicem pro aqua. Notato autem planè crasso errore, accepit aquam, affudit infanti ter, dicendo, ut ipsa quidem retulit, ad primam affusionem:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. *Ad secundam:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. *Ad tertiam:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. *Quæsitum ex me fuit, an ille infans ita lavatus, qui adhuc est superstes, sit rursum admovendus fonti salutifero?*

352 Hic Casus mihi, ut dixi, propositus, & plures alii satis perplexi, quos in decursu referam, atque superiùs sparsim insinuavi, quósque haud sanè rarissimos contingere in variis locis, minimè dubitandum est, dat ansam, & causam explicandi accuratiùs, quàm soleant alii, hanc materiam, atque proponendi generales Regulas præ oculis habendas, dum aut dubitatur, utrum, vel quo ritu hic, an ille sit rebaptizandus; ubi illas proposuero cum aliis quæstionibus huc facientibus, resolvam *Sectione Tertia* & hunc, & alios individuos Casus. Interim esto

353 Regula I. Gravis sacrilegii, atque irregularitatis reus est, qui sciens, aliquem esse legitimè baptizatum, eundem rursum admovet sacro fonti. Ita omnes 3 patétque prima pars de sacrilegio *ex Cap. Cùm itaque. De consecr. dist.* 4. ubi reiterationem Baptismi vocat S. Leo Papa *inexpiabile facinus.* Et ratio est, quia & character, qui imprimitur, excludit omnem efficaciam posterioris Baptismi, & peccatum originale, ob quod præcipuè est institutus Baptismus, non reiteratur, & denique in Symbolo Nicæno dicitur: *Unum Baptisma.* Tunc autem censetur quis scire, quando ita certum est, aliquem esse baptizatum, & validè, ut pro parte negativa, seu in oppositum nulla sit prudens conjectura, aut suspicio, quamvis adsint aliqui leves scrupuli. Sic loquitur P. Casparus Hurtadus *de Bapt. disp.* 1. *diff.* 12.

354 Regula II. Gravis impietatis in parochianum reus est parochus, qui non rebaptizat illum, sciens, eum non esse verè baptizatum. Ita rursum omnes, atque inter hos nominatim Vasquez *hîc disp. 146. n.* 27. Ratio est, quia ratione officii est gravissimè obligatus, promovere necessaria saluti æternæ suorum parochianorum, qui, in quam, sunt ejus parochiani vel re ipsa, ut soli verè baptizati, vel si non re, saltem per professionem, atque errorem publicum probabilem.

355 Regula III. Illè quoque impius est in seipsum, qui sciens, se non esse ritè ablutum, non allaborat, ut ritè abluatur. Sic denuo omnes 3 quia scilicet cuique incumbit gravissima obligatio procurandi sibi necessaria *necessitate medii*, inter quæ est Baptismus re ipsa susceptus, si possit suscipi. Suprà *Casu 3.*

Regula IV. Quod dixi de sciente in secunda, 356
ac tertia regula, dicendum quoque est de rationabiliter dubitante, utrùm Baptismus fuerit validus, nec ne. De parocho dubitante, utrùm Baptismus fuerit validus, nec ne. De parocho dubitante exprimunt Zambranus *de Bapt. dubit.* 11. *num.* 7. Vasquez *Tom. 2. in 3. Part. disp. 146. cap. 4. num. 9.* Caspar. Hurtadus *Disp.* 1. *De Bapt. num.* 12. Quintanadvennas *singul. Tr.* 1. *sing.* 1. *num.* 1. Ratio est, tum quia tenetur inquirere de valore Baptismi illorum, qui domi baptizati fuerunt. *Cap. Placuit. & Cap. Parvulos. De consecr. dist. 4.* Quintanad. *loc. cit. sing. 6.* post Zambranum, Graffiis, Rodriquez; tum quia idem parochus tenetur uti materia, formáque certis, cùm potest, atque sequi tutiora, ut jam dixi *Casu IV.* Imò quicunque alius, qui ob necessitatem potest baptizatum dubio Baptismo sub conditione baptizare, tenetur ex misericordia id facere in necessitate, & acquiescere voluntati adulti petentis rebaptizationem ob rationabile dubium. Caspar. Hurtad. *loc. cit.*

De parochiano, seu homine dubitante ratio- 357
nabiliter de suo Baptismo affirmat idem Quintanadvennas *sing.* 13. ex sensu omnium sapientum, quia quilibet tenetur in re tanti momenti deponere conscientiam dubiam (saltem in casu, quo dubium non oritur ex diversitate opinionum, ut restringit Vasquez *Disp. 146. cap. 4. num. 29.* & Caspar. Hurtadus *de baptis. disp.* 1. *difficult.* 12. refutatus à Dicastillo *hîc Disp.* 1. *n.* 211.) atque ea facere, quæ necessaria sunt ad evadendum discrimen æternæ damnationis. Quia autem vix occurrit rationabilis causa differendi diu repetitionem Baptismi post ortum rationabile dubium, debitámque pervestigationem veritatis, idcirco obligatio procurandi mox reiterationem Baptismi est sub mortali. Quintanadvennas *loc. cit. num.* 3. post Suarez *Disp. 31. sect.* 2. Vasquez *Disp. 149. cap. 4.* patétque ex dictis *Casu III.*

Addit verò, & rectè Quintanadvennas *cit.* 358
sing. 4. omnes illos, sub quorum cura est is, cujus Baptismus vocatur in dubium, sub mortali obligari ad procurandam maturè suppletionem; & meritò hoc addit, hîc enim maximè locum habet gravissima censura, quam Paulus Apostolus *ad Timotheum* fulminat his verbis: *Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Cæterùm, quia hæc quarta regula est funda- 359
mentum plurium resolutionum particularium, quas de licita, vel præcepta repetitione

Baptismi conditionalis adferam hoc, & duobus sequentibus Casibus, seu capitibus, itémque *Casu XX.* placet in medium adferre verba Juris Pontificii differentia de præsenti argumento.

360 Et in primis quidem *Cap. Placuit. De consecr. dist. 4.* ex Concilio V. Carthaginensi describitur hæc sententia: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo baptizandos esse, ne ista privatio faciat eos Sacramentorum purgatione privari.*

361 Deinde *in eadem dist. 4. can. Cùm itaque.* proponitur rescriptum S. Leonis Papæ ad Leonem Episcopum Ravennatensem (conceptum juxta suppletionem à Glossa authenticè additam verbis à Gratiano mutilè descriptis, hâc ipsâ Leoninâ phrasi:) *Cùm itaque Baptismi sui nihil recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari possit de eo, qui sciat, esse consecratum, nihil est, in quo peccatum possit obrepere, cùm in hac parte conscientiæ suæ nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille, qui consecrat. Scimus quidem, inexpiabile esse facinus, quoties cogitur aliquis lavacrum, quod generandis semel tributũ est, bis subire, sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur; atque ideo, quoties talis persona inciderit, solicitâ primùm examinatione discutite, & longo tempore (nisi fortè supremus finis immineat) indagate, utrùm nemo penitus sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis, & cùm constiterit, hunc, qui Baptismatis indiget Sacramento, solà inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium, nec vereamur hujus salutis januam aperire, quam nunquam antè docetur ingressus.*

362 Hactenus, audivimus oraculum Pontificium, circa quod notanda sunt hæc.

Primum, quòd Pontifex hîc admittat illum solùm testem, qui *sciat*, alterum esse consecratum, id est baptizatum. *Secundum*, quòd neget crimen reiterationis intervenire, quando *nescitur*, fuisse collatum Baptismum. *Tertium*, quòd definiat, illi esse ad consequendam gratiam Baptismatis intrepidè accedendum, qui *nesciens* se baptizatum, nequit reperire testem sui Baptismi. *Quartum*, quòd addat, licèt quis suspicetur, se baptizatum, non tamen debere abstinere reiteratione Baptismi. Concordat Capitulum: *Si nulla*, immediatè subjectum *cit. Cap. Cùm itaque*, ubi idem Pontifex de eadem materia differens ita loquitur. *Conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur.* *Quintum*, quòd duas rationes, quibus nititur ipse *in cit. Cap. Cùm itaque* firmet sequenti *Cap. Si nulla* hoc eleganti Axiomate: *Quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.*

Quod axioma postea Innocentius III. *in Cap. Veniens. §. final De presb. non bapt.* expressit his verbis, *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.* Et ante Innocentium Felix Papa relatus *can. Solemnitates. 1. dist. 1.* ait: *Non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum.*

Unde Alexander III. *in Cap. 2. De bapt. & ejus effect.* sic rescribit: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis*: Si baptizatus es, &c. 363

Ex quibus quatuor summorum Pontificum verbis palam est, illos omnes esse rebaptizandos, de quibus *nescitur*, de quibus *non ostenditur*, esse baptizatos, atque uno verbo, de quibus undecunque tandem dubium est, an baptizati fuerint, dubium, inquam, rationabile: nam sicut vani timoris non est habenda ratio. *L. 146. ff. De reg. jur.* ita nec curandum leve dubium, seu levis scrupulus. Bonacina *hic Disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 36.*

Regula V. Tunc adest rationabile dubium, 364
quando adsunt quidem indicia ad suspicandum, puerum esse baptizatum, non tamen sufficientia ad ferendum absolutum, aut definitum judicium. Suarez *hic Disp. 21. sect. 6.* adeóque non sufficientia ad gignendam certitudinem *moralem*. Cardinalis de Lugo *Lib. 1. Resp. moral. dub. 1. & 2.* & Quintana advennas *singul. Tr. 1. sing. 1. n. 7.* ex communi, ut testatur, consensu; Dicastillo *hic Disp. 1. num. 164.* addens, tunc non adesse hanc certitudinem, quoties est probabilis opinio pro negativa, aut saltem prudens, & probabilis conjectura, seu suspicio. Hanc Regulam puto firmiter roborari verbis: *scire: nescire: non ostendi: non monstrari*, quæ suprà retuli ex Canonibus, licèt putem, non admitti ab iis, qui cum Soto *in 4. dist. 3. a. 9.* Vasquez *hic disp. 146. num. 22.* profitente, se sequi Sotum, Comitolo *Resp. moral. Lib. 1. dub. 1. n. 2.* fideliter describente verba Soti censent, per *dubium* hîc, & alibi intelligi illum statum hominis, quo ob occurrentes rationes in utramque partem nequit ferri ullum judicium.

Verùm nostra descriptio dubii satis probatur 365
textibus, quos descripsi, & declaratur dicendo, *moralem* certitudinem esse, quando vir prudens attentis circumstantiis, redditur certus. Sanchez *de Matrimon. Lib. 2. disp. 45. n. 4.* seu quando aliquid prudenter ita creditur, ut contrarium videatur nullo modo probabile. Lessius *Lib. 2. De Iustit. cap. 10. num. 39.* Nostræ sententiæ est etiam Didacus Nugnus. 3. *Part. q. 66. a. 9. conclus. 1.* sicuti P. Caspar Hurtadus *Disp. 1. De Bapt. diff. 12.* exprimit, dubium in præsentiarum dici, quoties pro parte negativa sive *facti*, sive *juris* est probabilis conjectura, aut suspicio, quamvis pro parte affirmativa sit prudens, & probabilis opinio, seu judicium.

Con-

366 Confirmatur inde, quòd Paulus V. *in suo Ritual. §. De Bapt. parvul.* mandet rebaptizari illos, de quorum Baptismo *non constat*, atqui non constat de Baptismo illo, de quo non habetur certitudo *moralis* descripta à nobis, siquidem verbum *constat*, seu *constiterit* hanc habet vim, ut constet per instrumenta, vel per testes; sive etiam per sententiam, vel per aliam *claram* probationem. Mascardus *de probat. conclus. 75. num. 21.* citans etiam Alexandrum, & Redoanum.

367 Fateor itaque cum Soto, omne illud vocari hîc dubium, de quo ob rationes occurrentes in utramque partem nequit ferri ullum judicium, at nego, illud solùm nuncupari dubium, sed omne illud, & solum, quod tollit omnem certitudinem *moralem* de Baptismo vel re ipsa, vel validè suscepto, seu quod habet adjunctam formidinem, quæ cum assensu certo stare non possit. Lugo *cit. dub. 2. num. 4.* quam descriptionem, & doctrinam rursum firmabo *Regula VII.* Interim adfero hanc rationem, quòd scilicet, quando dubium de Baptismo est dissolvendum per testes, debeant testes deponentes pro Baptismo esse & firmi. *can. 84. sexta Synodi*, & certissimi, *can. Placuit. De consecr. dist. 4.* nulla autem est ratio, cur, quando dubium definiendum est per testes, exigantur certissimi, id est, tales, qui gignant certitudinem *moralem* à nobis descriptam, & non etiam postulentur tunc rationes, seu argumenta certissima, id est gignentia illam eandem certitudinem *moralem*, quando non agitur testimoniis, sed præsumptionibus, ac rationibus desumptis 368
aliunde.

Adeóque assentior Joanni Sanchez *in select. disp. 44. n. 40.* expressè scribenti, rebaptizandum esse infantem, de cujus Baptismo dubitatur *ex quocunque capite, & undecunque oriatur dubitatio, & ambiguitas.* Consequenter dissentio à Quintana advenna *singul 8. num. 14.* sic loquente: *Ego, nisi dubium, aut suspicionem prudentem ex defectu vel materiæ, vel formæ, vel utriusque, applicationis, intentionis, vel Ministri ortam deprehenderem, iterationem hanc consulere non auderem.* Ideo autem dissentio, quia *Casu XV.* referam, aliter fuisse non semel judicatum à prudentibus viris. Interim sit pro majore declaratione, & applicatione nostræ regu- 369
læ *quintæ* & *quartæ* hæc.

Regula VI. Rationabile dubium de valore Baptismi abest, quando unus oculatus, ac fide dignus testis, in quo nulla suspicio esse possit erroris, vel pernicioſi mendacii, asserit, aliquem esse baptizatum. Desumitur apertè *ex Cap. Cùm itaque. De consecr. dist. 4.* & *ex Cap. Parvulos. eod.* Atque ita communiter sentire omnes DD. testatur Quintana d. *singul. Tr. 1. sing. 1. n. 5.* citans nominatim Paludanum *in 4. dist. 6. q. 4.* Sotum *in 4. dist. 3. a. 9.* Silvestrum *verb. Testis. quæst. 5.* Suarez *hic Disp. 27. sect. 2.* Vasquez *hic Disp. 146. cap. 2.* Laymannum *hic Cap. 5. n. 3.* & alios. Vide plures apud Bonacinam *De Sacram. Disp. 1. q. 1. punct 1. n. 40.*

Regula VII. At verò remanebit (quoad valorem testimonii) rationabile dubium, quando ille testis est ejus conditionis, ut non sufficiat ad gignendam certitudinem *moralem*. Suarez *cit. sect. 2. in fin.* Quintana d. vennas *loc. cit.* allegans etiam Granadum. Probatur manifestè *ex Cap. Placuit. De consecr. dist. 4.* ubi expressè exiguntur testes *certissimi*, ut jam paulò superiùs indicavi, quando scilicet non sunt aliæ conjecturæ, quæ vel per se solæ, vel cum unius testimonio conjunctæ ad *moralem* certitudinem sufficiant. Suarez *loc. cit.* 370

Regula VIII. Remanet, estque etiam dubium non solùm tunc, quando nullæ rationes occurrunt pro, aut contra impertitionem, valorémve Baptismi. (Dicastillo *hic Disp. 1. n. 173.* ex communi, vocans hoc dubium *negativum*,) sed etiam quando probabile quidem est, Baptismum fuisse collatum, attamen est quoque ob rationem probabile, non fuisse collatum. Sic docet Cardinal. de Lugo *in Resp. moral. lib. 1. dub. 1. & 2.* assentientibus Vasquez *hic Disp. 146. cap. 4.* Dicastillo *loc. cit.* aliisque communiter. Ratio est, tum quia in hoc casu non habetur certitudo *moralis* à nobis probata *Regula V.* tum quia à Baptismo, sacerdotio, Episcopali Ordine tam multa, támque gravia dependent, ut in eorum receptione oporteat, quoad i 371
potest, amplecti viam certam, & securam. Idem Cardinal. *cit. dub. 1. n. 11.* & nos paulò inferiùs.

Unde ipse infert *cit. Dub. 1. & 2.* ad iteran- 372
dum Baptismum sufficere, quòd sit collatus juxta sententiam negantem valuisse, esto neget nunc improbabiliter, modò possit probabiliter timeri, ne ea sententia evadat aliquando probabilis.

Regula IX. Etsi, quæ dixi, videntur *directè* 373
& *expressè* tangere solùm dubium *facti*, debent tamen omnia applicari dubio etiam *juris* Suarez *Disp. 22. sect. 2.* Laymannus *hic Cap. 5.* ac Dicastillo *loc. cit.* cum aliis passim. Dicitur dubium *facti*, quando dubium est, utrùm re ipsa præcesserit aliquis Baptismus sive validus, sive invalidus, adeoque etiam, utrùm omnia, quæ certum est, esse essentialia, fuerint observata, dubitatur, in quam, vel propter aliquam peculiarem circumstantiam, ut quia scitur, obstetricem, quæ baptizavit, fuisse pessimam, veneficam, sacerdotem, qui exstitit Minister Baptismi, præ temulentia erâsse aliquoties graviter circa cæremonias. At dubium *juris* est, quando ob diversitatem opinionum probabilium ambigitur, utrùm materia, forma, intentio & alia, quæ constat esse adhibita, vitient, an non vitient substantiam Baptismi, ut quando e. g. scitur, aliquem fuisse baptizatum aquâ rosaceâ, vel in solo brachio; de his, inquam, dubiis *juris* debent etiam intelligi om-

nes Regulæ, quas hactenus dictavi. Suarez *cit. sect.* 2. Quintanad. *cit. singul.* 1. *n.* 11. referens Scotum, S. Antoninum, Silvestrum, Armillam, Valentiam, & alios, sed non omnes rectè.

374 Regula X. Itaque repetendus est sub conditione Baptismus, quando est collatus cum ea *remota*, aut *proxima* materia, forma, intentione, aut in ea corporis parte, cum quibus, vel in qua unus, aut plures DD. probabiliter negant, subsistere Baptismum. Tabiena *verb. Baptismus. q.* 10. Vasquez *hic Disp. 146. cap. 4. nu. 26.* testans, hanc Regulam non esse quidem expressam à Scholasticis, eam tamen sequi ex doctrina non paucorum. Eandem admittunt Sotus *in 4. dist. 3. art. 7. Ad tertium argumentum* loquens de baptizato in solo digito, aut sola manu; Suarez *Disp. 22. sect. 2.* Nugnus *in 3. Part. quæst. 66 art. 9. conclus.* 1. Coninck *ibid. n.* 91. Palaus *Tr. 19. punct. 13. n. 4.* tradens, omnes ita ferè DD. sentire. Dicastillo *hic Disp. 1. n. 186.* testans, esse communem DD. sententiam, & omnino servandam. Quintanad. *cit. sing.* 1. *nu.* 7. & 11. etiam dicens ita sentire DD. communiter; Laymannus *hic Cap. 5. n. 3.* Diana *Part. 5. Tr.* 3. *Resol. 4.* loquens cum Præposito de baptizato in pede, aut manu, aut digito, aut capillis, & *ibid. Resol.* 11. loquens generatim de baptizato secundùm sententiam solùm probabilem, atque in objectione, quam contra se facit, manifestè supponens, neminem dissentire ab hac regula probabiliter, tametsi decipiatur ipse in hoc. Nobis consentit etiam Cardinalis de Lugo *Resp. moral. libr.* 1. *dub.* 1. *n.* 10. referens etiam pro nostra Regulâ Conradum Chammerotam, Molfesium, Cabreram, Valentiam *hic Disp. 4. quæst.* 1. *punct. 2. vers. 6. sequitur*, & Henriquezium *Lib. 2. De Sacram. cap* 7. Sed Valentia tantùm refert Sotum, & quidem non integrè; Henriquez *in commentar. Litera B.* solùm dicit, esse tutius. Putat verò idem Cardinalis *n.* 11. hanc Regulam esse tam solidam, ut censeat, licèt sententia negans valorem Baptismi in hac aut illa parte corporis, cum hac aut illa forma collati non sit adhuc probabilis, esse nihilominus ob eam repetendum Baptismum, modò ea nitatur talibus argumentis, ut videatur evasura aliquando probabilis. Denique Tannerus *hic quæst.* 2. *dub. 4. num.* 114. assentitur nobis universim, quoad licitam rebaptizationem, at quoad præceptam (de qua etiam omnes à me ipso *citati* loquuntur) dissentit in eo solo casu, quo opinio negans valorem adversatur communi sensui DD. habentium affirmativam confideratam secundùm intrinseca principia pro certa, ut est opinio de Baptismo collato in solo pectore, de quo *Casu I. num. 54.* Ratio hujus X. Regulæ est, quia diversitas opinionum probabilium tollit certitudinem *moralem* Baptismi, qua sublatâ, esse repetendum, probavi *Regula IV. & V.*

375 Quæ etiam ratio, & auctoritas DD. pro nostra hac Regula nominatorum facit, ut Dicastillo *cit. Disp.* 1. *n.* 211. meritò refutet Vasquezium *Disp. 146. cap. 4.* negantem, (sicut & contra Ochogaviam negat Caspar Hurtadus *difficult.* 12.) illum, qui suscepit Baptismum dubium ob solam diversitatem opinionum Theologicarum, obligari ad petendam iterationem Baptismi. Sanè si talis subitò privaretur omnibus sensibus, quisque seu laicus, seu clericus teneretur ex vera sententia ipsiusmet Vasquez eum rebaptizare, cur ergo ipse non teneatur repetere Baptismum? Quis privatus obligatur tibi circa spiritualia prospicere magis, quàm tumet tibi?

Excipio autem ex nostra Regula cum Lugone *Tom. 3. in 3. Part. disp. 7. sect. 3. n.* 275. ac 376
Tannero *cit. n.* 114. illos Baptismos, quos tametsi collatos in materia, forma, à plerisque admissis, nonnulli tamen graves authores ita rejiciunt, ut tamen alii negent, esse repetendos. Ratio exceptionis est aperta, quia fas est, sequi utramlibet ex duabus opinionibus *practicè* probabilibus, seu probabiliter pronuntiantibus, aliquid esse sub reatu peccati faciendum, probabiliter id ipsum negantibus, sicuti suppono ex communissima, & ferè *moraliter* certa sententia, pro qua refert Terillus relatus suprà *Tr.* 1. *n.* 120. plus 180. Est, inquam, aperta ratio exceptionis, si loquamur de obligatione rebaptizationis considerata secundùm hoc generale, & *extrinsecum* principium exceptionis; at verò si hæc materia consideretur præcisè secundùm sua principia *intrinseca*, tum sanè non admittitur ab auctoribus laudatis pro hac X. regula. Sicuti etiam *Casu II.* dixi, me dissentire ab Henriquez, ac Tannero negantibus, esse repetendum Baptismum ita impertitũ, ut tota forma fuerit antè, vel tota post immersionem, seu affusionem totalem prolata.

Itaque nostra X. Regula generaliter vim 377
suam spectatis omnibus *intrinsecis*, & *extrinsecis* simul principiis, *inque actu secundo* obtinet solùm in iis Baptismis, qui ita collati sunt in materia, forma, modo &c. controversis inter DD. ut nemo tamen probabiliter neget, esse iterandos, sive interim nemo, sive non nisi pauculi, aut omnes asserant, repetendos; at verò spectato illo *extrinseco*, universalique principio, de jure sequendi utramlibet è duabus oppositis sententiis *practicè* probabilibus, atque *in actu secundo* non habet ea Regula locum in Baptismis controversis quidem quoad valorem, ita tamen ut unus, vel plures probabiliter negent, esse repetendos; sicuti paulò antè dixi de Baptismo collato sine simultate formæ cum materia, & de Baptismo, collato in solo pectore, tradit Tannerus. Nota autem pro praxi aliquid ab aliis præteritum, quòd scilicet nequaquam omnes negantes, Baptismum esse repetendum in hoc, aut illo casu,

casu, in hac aut illa circumstantia, sint ita intelligendi, quasi id negent etiam posito, quòd alii asserant iterandum; cùm vel omnes, vel plerique ex iis necessitatem repetitionis negent, spectatis solis principiis propriis, & *intrinsecis*, abstrahendo nimirum ab illo generali principio, quòd, quando aliqua sententia, etiam minùs probabilis pugnat pro repetitione, sit eâ standum in praxi.

378 Regula XI. Non solùm est grande crimen, temere rebaptizare sine conditione, sed etiam rebaptizare itidem temere sub conditione. Sotus *in 4. Disp. 3. a. 9. §. circa hanc.* Vasquez *hic Disp. 146. cap. 4. num. 30.* Suarez *hic Disp. 31. Sect. 6.* & plerique omnes differentes de iteratione; nam & iteratio etiam sub conditione permittitur à sacris Canonibus solùm in dubio rationabili, & quando non dubitatur rationabiliter, tunc addita conditio habetur pro non addita, quia deficiente ratione probabili dubitandi, vix potest feriò dici: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Sed potiùs videtur dici: *Si es baptizatus, sive non es baptizatus, ego te baptizo*, & denique iteratio Sacramenti facta ex inani dubio, levíque scrupulo, est quædam irrisio Sacramenti, ideóque peccatum grave. Bonacina *Disp.* 1. *de Sacram. quæst. 2. punct. 2. num. 36.* post Valentiam, Coninck, atque alios.

379 Ex quo, quasi per parenthesin, infero, id ipsum pronuntiandum de iis, qui ex levi dubiolo, atque inani scrupulo repetunt verba consecrationis, aut etiam absolutionis, esto subintelligant conditionem: *Si non rectè pronuntiavi, si forte non absolvi*, ut pluribus declaro *infrà Tract. 7.* seu *in Alphab. Confessariorum. Casu IV. n.* 171.

380 Infero autem magis ad rhombum, illos graviter delinquere, qui ob levia, ridiculáque dubia petunt, se, vel suos rursum ablui sub conditione, postulant enim, quod alius nequit concedere sine peccato mortali; quod quidem est propriè peccatum scandali.

Regula XII. Debet nihilominus præ oculis semper haberi aurea sanè sententia S. Leonis Papæ *Epist. 37. cap.* 1. de hac ipsa materia ita monentis: *In primis providere debemus, ne, dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum.* Præsertim quia *non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis*, ut addit idem Pontifex relatus *cap. Si nulla. De consecr. dist. 4. Tene certum, dimitte incertum*, dixit Magnus Augustinus relatus *cap. Si autem. De pœnit. dist.* 7. Certum est, alterum Baptismum non fore noxium animæ parvuli, incertum, an prior sit profuturus.

381 Hanc ob rem permulti ex Doctoribus in hac sectione nominatis reflexè monent, quando occurrit dubium circa licitam, aut præceptam iterationem Baptismi, esse semper magis inclinandum in favorem Sacramenti. Rationem à priori, quam postea complures amplexi sunt, adfert P. Vasquez *Disp. 155. cap. 3. n.* 40. hanc: *Cùm Sacramentum institutum sit in hominum utilitatem, potiùs habenda est ratio necessitatis fratris, quam reverentiæ debitæ Sacramento.* Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ &c. est res inanima, ergo non sentiet, licèt illud repetas, cùm esset à parte rei non repetendum; at sentit, & horrendè sentit anima, sentiétque fortè in omnem secuturam æternitatem, si non mundetur Baptismo, quando esset emaculanda per iterationem. Fit quidem Christo Salvatori injuria, quam sentit (loquor more sacræ Scripturæ) & ulciscetur, si temere fiat repetitio; at quando fit bonâ mente ob dubium utcunque rationabile, seu non apertè vanum, futile, explodendum, exsufflandum, non sentit ipse quidquam, nisi bonam fidem, pietatem Christianam, magnam æstimationem de sua suavitate plusquam paterna, remunerandam æternâ beatitate.

Regula XIII. Quando occurrit eventus 382
aliquis particularis, exoritúrque quæstio controversa propter additam, omissam hanc, aut illam circumstantiam, ne ferat parochus sententiam, nisi consulto aut Superiore, si conveniri queat, aut uno, alteróve viro docto, sapientéque, quem si viderit vel hæsitantem, vel inclinantem in iterationem lavacri, habeat ejusmodi hæsitationem pro novo aliquo argumento verè dubii Baptismi, & consequenter corrigendi. Caveat autem, ne absque consilio, ut dixi, unius, alteriúsve beneintelligentis rerum quidquam determinet, quandoquidem utramvis in partem inclinet, emergere potest *per se*, vel per *accidens* incommodum non spernendum.

Regula XIV. *De illo, qui natus est ex fideli-* 383
bus parentibus, & inter Christianos fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsan argumentis contrarium probetur. Ita Innocentius III. *cap. fin. De presb. non baptiz.* intelligendus solùm de illo, qui Sacramenta sæpe usurpavit, & ab omnibus pro baptizato (validè, aut invalidè, nec enim loquitur de valore) fuerit constanter habitus. Addit tamen optimus Canonista (cujus commentarii posthumi in Decretales, dum hæc postremò revideo, excusi sunt Dilingæ) Laymannus *hic cap. 5. n. 4.* nihilominus interdum etiam adulto inter fideles educato conferendum esse Baptismum sub conditione, *si tales conjecturæ* adsint (Puta, quia à veneficis parentibus natus est, à diabolo valdè infestatur, nec sciri potest ullo indicio, ubi, vel à quo baptizatus fuerit) *quæ præsumptionem accepti Baptismi tollant, & contrarium verosimile efficiant.* Ita ille.

Regula XV. Proinde diuturnæ, & graves 384
infestationes dæmonis possunt quandoque injicere prudentem suspicionem, aut metum,

ne quis non sit baptizatus, aut validè baptizatus. Probari id potest variis exemplis illorum, qui, postquam fuerunt rebaptizati, obtinuerunt quietem animi & corporis. Casus tres referam *n. 446. & 457.* Confirmatur judicio longè plurimorum, qui, quando vident, quempiam diu, multúmque infestari modis exoticis, solent dicere: Der Mensch ist gewiß nicht recht getaufft. Iste homo certò non est rectè baptizatus.

Adde, quòd videatur Deus nonnullis immittere tam potentes instigationes ad vel petendum, vel impertiendum Baptismum, ut vix possint iis resistere. Duos Casus notabiles referam infrà *n. 430 & 457.*

385 Regula XVI. Quando constat, fuisse à viris piis, ac doctis suasum, ut in tali aut tali casu repeteretur Baptismus, poterit quisque in omni simili eventu suadere, & conferre. Ratio est, quia de similibus idem judicium est habendum *Text. cap. 2. De Transl. Episcop.* Unde *L. 12. & 23. ff. De Leg.* statuitur, ut, quod in uno articulo pronuntiatum est, extendatur ad similem.

386 Regula XVII. Quando lis de repetendo Baptismo est terminanda per testes, præferri debent, qui testantur, errorem intercessisse. Videbitur hæc Regula quibusdam fortè absurda, sed tollit absurditatem hæc ratio, quòd scilicet magis credatur testibus deponentibus pro causa favorabili, pro qua aliàs sententia ferri debet in dubio, quàm aliis deponentibus contra talem causam. Sic loquitur Antonius Gabrielius *Lib. 1. de Test. conclus. 4. num.* 79. post Felinum, & Ruin. addente Tiraquello *de privil. piæ causæ privil. 165.* delictum quandoque præsumi in favorem piæ causæ. Atqui debet in dubio sententia ferri pro errore, seu quòd intercesserit error, aut defectus, ut patet *ex Regula IV. superiùs* proposita, probatáque. Hinc breviter infero, à Joanne Sanchez *in Select. Disp. 44. n. 40.* rectè dici, baptizandum esse illum sensu privatum paganum, vel Judæum, quem aliquis testis etiam peregrinus testatur, petisse Baptismum, etiamsi dubitetur de veritate testis, aut si audientes non recordentur satis, an testis asseruerit petitum, nec compareat testis, à quo sciatur.

SECTIO II.

Regulæ præcedentis Sectionis declarantur elucidatione variarum Quæstionum de Baptismo controversio.

SUMMARIUM.

An rebaptizandi omnes baptizati ab Hæreticis? 387.

Non potest rationabiliter dubitari, quin multi à talibus sint baptizati cum debitis requisitis. 389.

Adeóque non omnes planè rebaptizandi. Ibid.

Rationes, & auctoritates in contrarium Ibid.

Aliud tamen suadet usus in Germania. 390.

Respondetur ad rationes oppositas. 391.

Et ad auctoritatem. 392.

Quid de Anglo, vel Hollando censendum, si transiret ad nostram Religionem? 393.

Nisi positivè *constet, nullum circa materiam, & formam errorem irrepsisse, Baptismus ab hæretico collatus sub conditione repetendus videtur.* Ibid.

Casus de Helveto apud Acatholicos baptizato in Ecclesia, in qua crebrò adhibetur aqua rosacea. 394.

Resolutio casûs pro iteratione. 395.

Errores præsertim Calvinianorum, & Zwvinglianorum circa necessaria ad valorem Baptismi. Ibid.

Mediâ viâ incedendum videtur. 396.

Infantes expositi cum scheda attestante, esse ritè baptizatos, rebaptizandi sunt sub conditione. 397.

Qualis fides habenda scripturæ, non notatæ sigillo, vel manu scriptoris. 399.

Quid de infante sine scheda exposito, majoris tamen ætatis? 401.

Rebaptizandi omnes, quos constat, baptizatos ab obstetrice venefica. 402.

Circumstantiæ in rebaptizatione observandæ. 403.

Si rebaptizandus jam sit adultus, debet elicere actum doloris de peccato mortali, si commisit. 404.

Baptismus iste licitè potest peragi quocunque loco, & à quocunque Laico. 405.

Non est opus hîc adhibere ullos patrinos. 406.

Quando in primo Baptismo fuerunt usurpatæ cæremoniæ consuetæ, non est opus eas iterare in altero. 407.

Verba præmittenda in tali Baptismo. 410.

Rebaptizans aliquem cum dubio etiam irrationabili, non incurrit irregularitatem. 412.

Dubius de suo Baptismo potest suscipere alia Sacramenta, quando est dubium Juris. *414.*

Non tamen Sacramentum Ordinis sacerdotalis. 415.

Peccat mortaliter suscipiendo qualecunque Sacramentum, si nequeat formare probabilem opinionem de Baptismo valido. 416.

QUæres I. *An rebaptizandi sint omnes, qui* 387
fuerunt baptizati ab hæreticis?

Resp. I. Certum est ex definitione Concilii Tridentini *Sess. 7. Can. 4. de Bapt.* non esse rebaptizandos, si constet, fuisse à ministro, vel ministra adhibitam legitimam materiam, formámque cum intentione faciendi id, quod Salvator instituit. Elegans est pro hac responsione, & confirmatione Regulæ I. sectione præcedenti allatæ sententia. S. Augustini *Epist.*

Epist. 203. ad Maximum sub initium: *Rebaptizare hæreticum hominem, omnino peccatum est, rebaptizare verò Catholicum, immanissimum scelus est.*

388 Resp. II. Videtur, non posse satis rationabiliter dubitari, quin multi ex talibus sint cum debita forma, materia, intentione baptizati. Rationem hujus responsionis prorsus nullam habeo, si præsertim loquamur de Zwinglianis, & Calvinianis, quàm hanc duplicem. Primam, quòd Congregatio Concilii Tridentini Anno 1570. apud Cardinalem de Lugo *Resp. moral. Lib. 1. dub. 2.* loquens in specie de Baptismo Calvinistarum, negaverit, omnes esse rebaptizandos. Alteram, quòd scilicet videam in nostra Germania, neminem è talibus facilè rursum admoveri salutifero fonti, nisi occurrat aliunde dubium. Credere nequeo, Illustrissimos Dominos Nuntios Apostolicos, & Ordinarios, totúmque Clerum secularem, ac Regularem, itémque Doctores Germanos Tannerum, Laymannum, Becanum, Busenbaum, alios tam constanter fuisse dissimulaturos, si existimâssent, posse prudenter dubitari de omnibus, nec enim ignorârunt tot Canones sancientes iterationem dubii Baptismi. Hinc

389 Resp. III. Non sunt rebaptizandi omnes planè, quos constat, fuisse baptizatos ab hæreticis. Est hæc responsio adversùs P. Quintanadvenn. *singul. Tract. 1. sing. 3. n. 3.* sic resolventem: *Tenendum omnino existimo, infantes, & adultos ab hæreticis baptizatos, licèt ex alio capite non dubitetur de valore sui Baptismi, iterum baptizari posse, & debere ex hoc præcise capite, quòd sint hæretici, qui illis Baptismum administrârunt.* Probat, tum quia omnes sectæ hæreticæ hujus, & superioris sæculi laborant aliquo errore circa, vel materiam, vel formam, necessitatem, vel intentionem, vel ministri unitatem: tum quia Sotus in *4. dist. 3. art. 9.* Navarrus *in Enchiridio Cap. 27. n. 246.* aliique plures negant, testimonium hominis suspecti de religione esse sufficiens ad formandum prudens judicium de alieno Baptismo. Atqui baptizati ab hæreticis non habent communiter nisi testimonia hæreticorum, tum quia ita sentit Laurentius Beyerlinck, atque ita pro Belgio sancitum est in Provinciali Synodo Mechlinienſi; quam sanctionem probat non solùm idem Beyerlinck apud Quintanadvenn. *loc. cit. n. 10.* sed etiam apud Cardinalem de Lugo suprà Silvius *in 3. part. q. 66. art. 9. & in eundem art.* Joannes Præpositus *num. 90.* Urbanus, & Franc. B. Spei apud Stephan. à S. Paulo *Tract. 5. Disp. 2. dub. 4.* quibus succentúrio illum sapientem Theologum Superioris Germaniæ, qui conscripsit ante aliquot Annos *Manuale parochorum part. 2. c. 2. n. 6.* ubi etiam addit, fuisse Prædicantem, qui habitâ concione affunderet aquam nullâ prolatâ verborum formulâ; alium, qui à Baptismo repelleret omnes spurios. Cum his, Præposito, inquam, & aliis apertè sentit Adamus Opatonius apud Dianam *Part. 9. Tract. 6. Resol. 35.* & recentissimus Pater Alloza *in Alphab. Moral.* seu *in Floribus verb. Baptismus n. 31.* meritò extendens ad baptizatos à Judæis, Turcis &c.

Verùm etsi libenter assentirer his Theologis propter rationes insinuatas, non audeo tamen ire contra torrentem consuetudinis Germanicæ tam notoriæ in nostra superiore Germania, ut hujus lumina P. Adamus Tannerus, & Pater Paulus Laymannus ne quidem instituant ullam hac de re quæstionem, sed uterque tanquam de lite, quæ jam transierit in rem judicatam, loquantur. Tannerus quidem *hic q. 2. dub. 4. n. 11* Laymannus autem etiam *hic c. 8. n. 10.* Ergo à Quintana dvenna dissentit cum Coninck *q. 66. art. 9. n. 96.* atque Lugone *cit. dubio secundo*, quod ex professo scripsit de hac materia, eúmque sequitur Busenbaum *hic dub. 4.* 390

Ad *primam* rationem respondeo, illam habitum iri pro valde efficaci, nisi mos Germanicus faceret, ut crederem, non omnes Prædicantes esse in hoc particulari negotio tam expertes conscientiæ, & pudoris, quàm esse in permultis aliis, demonstrant eorum verba, & facta. 391

Auctoritas citatorum DD. & maximè Mechlinienſis Synodi, cujus Pastorale recusum, Anno 1649. valde emphaticè loquitur apud P. Scildere *de Principiis conscientiæ Tract. 6. c. 2. n. 12.* facit, ut sim excusaturus omnes, qui seu Calvinicolam; seu Calvinicolarum fratrem Zwinglianum rebaptizaret. Etenim illi Synodo Provinciali interfuêre viri longè doctissimi, rerúmque peritissimi, ut solent esse Episcopi Belgii. 392

Hoc videtur mihi propè certum, si quis Anglus, aut Hollandus aspiret ad nostram religionem, esse denuo baptizandum, priusquam admittatur ad illam; quia nimirum constat, nullam ferè religionem fuisse jam multis annis in Anglia, sed quemque (exceptis Catholicis) stetisse suo arbitrio. In ipsa quoque Hollandia numeratas sectas ad octoginta. Quis, amabo, prudenter credet, illum ministrum, à quo Anglus, vel Batavus tinctus fuit, non commisisse errorem *substantialem?* Et de Batavis, universímque Belgis Acatholicis præcipuè loquebatur Synodus Mechlinienſis.

Et universim assentior Joanni de Dicastillo viro hercle sagaci, atque diuturno incolæ Germaniæ, dum differit de hoc argumento *cit. Disp. 1. de Bapt. n. 8.* hunc in modum: *Verùm enim verò in re tanti momenti non admodum tuta videtur sententia Coninck* (judicantis, nisi peculiaris ratio obstet, præsumendum, quòd minister hæreticus ritè baptizârit) *sed multò magis cautè agendum inter prædictos hæreticos, quisnam* (ut in primo argumento pro sententia 393

Quin-

Quintanadvennæ retulimus ex meditullio almæ veritatis) *solent in Baptismo errare; ideo nisi constet satis prudenter, nullum circa materiam, & formam errorem irrepsisse, non video, cur sub conditione rebaptizari non debeant. Tamen hæc omnia judicio prudentis committenda sunt, & semper inclinandum in tutiorem partem conferendi sub conditione Baptismum.* Ita Dicastillo, cujus judicium stabilit hic

Casus Tigurinus.

394 *Nicanor Helvetus Tigurinus aspirans ad fidem orthodoxam dixit inter cætera suo instructori: Sunt in urbe nostra duæ Ecclesiæ; in quarum una est semper pro Baptismo usus solius aquæ elementaris; in altera satis crebrò rosaceæ, in hac sum ego baptizatus, an aquâ rosaceâ, ignoro.*

395 Juvenem novi, & cùm res esset adhuc in mera deliberatione, consultus respondi, minimè dubitandum de repetendo Baptismo. Casus de aqua rosacea (ut rursum expertus sum hoc Anno 1673.) duplicitate ministri, falsa opinione, quòd Baptismus non sit necessarius prædestinatis, sit inutilis reprobatis, & consequenter summè incuriâ administratione, prolatione formæ non per modum invocationis S. Trinitatis, quæ tamen necessaria est, ut vidimus *Casu I.* sed per modum meræ concionis, seu recitationis &c. sunt apud heterodoxos quotidiani, continui, innumeri. Quid ni ergo rebaptizemus illum ab hæretico ministro, præsertim Calviniano, & Zwingliano baptizatum, qui nescit, quo pacto sit lustratus, nec asserere potest, in loco, in quo est baptizatus, fuisse semper religiosè observatam formulam Romanam *substantialem?* Notat verò auctor *Manualis parochorum*, seu P. Carolus Mussart. *cit. part. 2. cap. 2.* esse moris, ut quando rebaptizandi sunt hæretici adulti, Baptismus deferatus Episcopo, de quo more nihil testari possum.

396 Fateor, me hactenus fuisse tam consulendo, quàm practicando alieniorem à sententia Quintanadvennæ, quàm sum modò. At verò pensiculatiùs consideratis, quæ in medium attuli & ex jure Canonico, & de certitudine *morali*, & de tot erroribus hæreticorum, insisto mediam viam inter sententias relatas ex Quintanadvenna, & Coninck, illam scilicet, quam digito demonstrat Dicastillo, verbis paulò antè descriptis. Praxis accidet minùs difficilis, ubi intellecta fuerint, quæ tradam inferiùs *n. 403.* de modo, & circumstantiis rebaptizandi sub conditione.

Sed audi, quid Petrus Marchantius *in Resolut. Notabil. Fol. 2.* responderit ad hunc

Casum Hollandicum.

Franciscus in Hollandia parentibus hæreticis honesto loco natus, &, ut verisimile est, ab hæreticis baptizatus, in fide autem Catholica à pueritia educatus, & insignitus denique sacerdotio, in mentis anxietates, & dubia incidit, an ejus Baptismus validus fuisset, & an non esset rebaptizandus? Ratio ambiguitatis erat, quòd pseudoministri interdum baptizent in aqua rosacea, aliquando è suggestu pronuntient formam Baptismi, altero inferius aquam affundente, & ob hanc causam Synodus Mechlinien sis approbata à Paulo V. ordinârit, ut ab hæreticis baptizati, sub conditione rebaptizentur. Quæritur 1. *An talis ad cautelam rebaptizari sub conditione.* 2. *An rursum confirmari, & ordinari debeat?*

Ad *primum* (de *secundo* videbimus *Casu XIV. n. 241.*) respondet, non fuisse rebaptizandum, eò quòd & facto diligenti examine, utrùm in loco, ubi tinctus fuerat, errores circa Baptismum irrepsissent, & frequentarentur, repererit, nullam esse, vel fuisse memoriam de erroribus eo loco unquam commissis, & interrogatus Franciscus, an præter generalem illum timorem, & anxietatem, haberet aliquod fundamentum, quod probabiliter timorem illum practicum fundare potuisset, responderit, nullum aliud sibi suppetere fundamentum, nec reperiri quemquam, qui suo interfuisset Baptismo.

Has ob causas negavit Marchantius, fas esse illi Francisco, petere iterationem ullius Sacramenti, eò quòd nec adesset rationabile dubium de validitate prioris Baptismi, nec anxietatibus, & timoribus, in nullo rationabili dubio fundatis, quidquam in re tanta tribuendum sit; & Synodus Mechlin. non imperet repetitionem Baptismi generatim collati à Ministris Hollandis, sed tantùm collati, in loco, in quo sæpe unus eorum pronuntiat formulam, alius applicat materiam. Quam resolutionem nequeo improbare. Vide tamen id, quod ex Sanchez notat Portel referendus infrà *Cas. XIV. n. 441.*

Quæres II. *An illi infantes sint rebaptizandi* 397 *saltem sub conditione, qui reperiuntur alicubi expositi cum schedula attestante, eos esse ritè baptizatos?*

Quidquid in contrarium pugnacissimè resolvat Comitolus *Lib. 1. Resp. moral. q. 1.* mihi maximè probatur resolutio Synodalium constitutionum Constantiensium *Part. 1. Tit. 6. n. 6.* sic sancientium: *Infans expositus, licèt in collo habeat appensum testimonium, quòd baptizatus fuerit, si tamen aliunde non constet, baptizetur sub conditione. Quodsi in testimonii schedula*

dula sit inscriptum nomen, quod illi in Baptismo inditum esse asseratur, idem nomen ipsi imponatur, & in libro baptizatorum diligenter omnia scribantur. Consonant Concilium Mediolanense tertium sub S. Carolo Borromæo *Tit. de Bapt. infant.* item Synodus Cameracensis apud Jacobum Marchantium *in Resol. pastoral. de Sacram. Tr. 2. c. 2. n. 4.* sicuti & pro Archiepiscopatu Hispalensi, Episcopatúque Cordubensi statutum esse, testatur Quintanadvenna *singul. Lib. 1. Tr. 1. sing. 9.* Habemus ergo 398 judicium Synodorum Germanicæ, Belgicæ, Italicæ, Hispanicarum. Consentiunt Marchantius Belga, Quintanadvennas Hispanus, Autor *Manualis parochorum* Lotharingo-Germanus *Part. 2. cap. 2. n. 5.* Opatonius Polonus verbis descriptis à Diana *Part. 9. Tr. 6. Res. 35. fin.* & Alloza Novi Orbis incola *in Floribus, verb. Baptismus.* Probatúrque efficaciter inde, quòd ejusmodi schedæ non pariat ullo modo certitudinem *moralem* à nobis requisitam suprà *num. 364.* cùm tales infantes baptizentur sæpissime ab ipsismet matribus tegendi sceleris ergo; matribus, inquam, persæpe juvenculis, & quæ nullum infantem antea abluerunt, fortè nullum ablui exactè viderunt; communissimè autem baptizentur in magna trepidatione, in tenebris, & in metu, ne deprehendatur partus. Si Baptismus obstetricum habetur meritò pro dubio, donec ex illarũ ore constet, quam materiam adhibuerint, quantò magis ille furtivus?

Adde, quòd scripturæ privatæ non notatæ 399 sigillo, vel manu scriptoris nulla fides adhibenda sit, nisi in præjudicium scribentis, ut videre est apud Tuschum *verb. Scriptura.* atque authores ab ipso citatos.

Quare licet fatear, oppositam sententiam 400 placere plerisque Theologis, hæc tamen mihi longè præplacet, sequendáque in praxi, nam & rationes præponderant, & adest sufficiens auctoritas tot Prælatorum, itémque Richardi apud Sylvestr, *verb. Baptismus. 4. q. 5.* Marchantii, Opatonii, Mussarti, & Quintanadvennæ testantis, P. Didacum Ruiz, atque alios duodecim præstantes Theologos, quos nominat, sic sensisse, suóque chirographo muniviſſe, hunc suum animi sensum.

Hinc etiam dissentio à Soto *in 4. d. 3. a. 9.* 401 Palao *Tract. 19. p. 13. num. 6.* atque aliis pronuntiantibus, non rebaptizandum illum, qui inter Catholicos natus reperitur expositus ad fores Ecclesiæ, aut domûs privatæ sine schedâ quidem, sed tamen apparenter ejus ætatis (Henriquez *Lib. 2. c. 13. n. 1.* ponit 20. dies) intra quod spatium solent omnes esse baptizati; etsi quippe satis prudenter præsumatur esse baptizatus, satis tamen prudenter timetur, ne non sit rite baptizatus.

Quæres III. *An rebaptizandi, quos constat,* 402 *fuisse baptizatos ab obstetrice venefica?*

Resp. Affirmativè de plerisque, quia meritò revocatur in dubium Baptismus collatus fere à quavis illarum, sicuti pluribus declarabo *Casu XX.* Sed & *Casu V.* generatim resolvi, an rebaptizandi omnes ab aliqua muliere baptizati.

Quæres IV. *Quænam circumstantiæ sint observandæ in rebaptizatione?* 403

Resp. Sequentes. I. Si omnibus probè examinatis, & quoad res ipsa patitur, seu requirit, consulto uno alteróve docto, peritóque viro, sine hæsitatione judicas, Baptismum revera fuisse nullum, debes repetere sine conditione: aut sub conditione, si rationabiliter times, ne fuerit nullus.

II. Si ille, cujus Baptismus est alterutro modo repetendus, sit jam adultus, debet eli- 404 cere actum doloris, non quidem de peccato Originali, utpote non personali, & proinde non obnoxio ulli pœnitentiæ, neque etiam necessariò de veniali, utpote quod, sepositâ *actuali* complacentiâ, sufficienter expiatur proposito suscipiendi Baptismi, sed solùm de mortali, si quod commisit in vita sua. Uno verbo talis tenetur se disponere ad Baptismum conditionatum, sicut absolutum is, qui scit, se nunquam fuisse regeneratum, de cujus quidem dispositione tradidi necessaria *Casu X.* Quòd si talis incidisset in perpetuam amentiam, aut lethargum lethiferum, deberet conscius invaliditatis certæ, vel dubiæ illi ipsemet impertiri Sacramentum Baptismatis, nec enim dubitandum est de *habituali*, & huc sufficiente illius amentis intentione.

III. Baptismus iste potest licitè peragi quo- 405 cunque loco. Quintanadvenn. *sing. Tract. 1. sing. 17.* & à quocunque etiam laico, licèt ponamus, posse facilè haberi sacerdotem aut etiam parochum Quintanadvenn. *ibid.* Etenim Canones indicantes, vel etiam exprimentes contrarium, non loquuntur, nisi de Baptismo absoluto; ergo conditionatus manet sub dispositione meri juris *Divini*, quod quidem nihil statuit de loco, aut ministro hujusmodi Baptismi; si tamen foret notoria invaliditas prioris Baptismi, foret publicè, & à sacerdote repetendus, ut satis innuit Laymannus *Lib. 5. Tr. 2. Cap. 5. n. 4.* Et universim expedit, ut, quoad commodè fieri potest, etiam in hoc Baptismo habeatur ratio communis modi. Hæc ex me descripta approbat P. Stephanus Carmelita *in Theolog. Moral Disp. 2. Tr. 5. n. 30.*

IV. Non opus est hîc adhibere ullos patri- 406 nos. Quintanadven. *loc. cit. sing. 18.* tum quia non sunt necessariò adhibendi in privato Baptismo. Infra *Casu XVII.* tum quia certum onus, & incommodum, seu impedimentum, quod secum trahit officium patrini, ut videbimus *cit. Casu XVII.* non debet nasci, ex causa prorsus incerta, & fortassis non subsistente, sicuti sæpe utique conditionatus Baptismus non est verus Baptismus. Et quàm lepidus foret, qui diceret suo tali filio spirituali: *Te docebo necessaria ad salutem, si valet Baptismus in quo te tenui?* Aut diceret ejus matri: *Te duco in*

uxo-

uxorem, si non valet Baptismus, in quo levavit è fonte tuum filium, non duco, si valet. Ex quo apparet, non contractum iri ullam cognationem spiritualem, etiamsi in ejusmodi Baptismo interveniret patrinus. Navarrus *Consil. Lib. 3. de Bapt. Consil. 2.* loquens de rebaptizato, qui existens adhuc in utero, fuerat solùm in pede baptizatus. Quintanadvenn. *loc. cit.* loquens absolutè, & sequitur ex priore doctrina.

407 V. Quando in primo Baptismo fuerunt usurpatæ cæremoniæ consuetæ, nequaquam opus est, eas iterare in altero Baptismo. Henriquez *Lib. 3. Cap. 2. Num. 1. lit. N.* expressè: Suarez *Disp. 31. Sect. 6. Vers. Septimò inquiri potest.* Coninck. *quæst. 66. a. 9. num. 99.* Bonacina *hic punct. ult. a. ult.* Quintanad. *singul. 18. n. 3.* contra Sylvestr. *verb. Baptis. 4. q. 9.* Reginaldum *L. 27. num. 34.* Palaum *hic punct. 12. num. 23.* Ratio est, quia in talibus nihil est iterandum, *sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Text. cap. 1. de Sacram. non reiterand.*

408 Ne tamen hinc inferas, rectè sentire Juristas, qui apud Silvestrum *loc. cit.* putant, quando prior Baptismus fuit irritus ob omissionem unius vocalæ *substantialis*, sufficere, si in altero Baptismo ea sola exprimatur; rectè enim dicit Silvester, hoc esse frivolum; nam verba, aut materia prioris Baptismi non concurrunt ad secundum Baptismum, cùm non existant ampliùs nec *physicè*, nec *moraliter*. Vide, quæ de supplendo defectu verbi omissi tradam *Tr. seq. n. 782.*

409 VI. Si verò etiam in priore Baptismo fuissent omissæ illæ cæremoniæ, ut fieri potest tempore pestis, aut incursionis militaris, tum repetendæ sunt in altero Baptismo. Quintanad. *cit sing. 18. num. 4.* & patebit ex dicendis *Casu XVI.*

410 VII. *In cap. De quibus. De Bapt. & ejus effect.* exprimuntur hæc verba: De quibus dubium est, num baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine &c.*

411 Et quidem in Obsequiali Constantiensi *fol. 59.* absolutè dicitur: *Si infans sit sub conditione baptizandus, utatur* (Minister) *hâc formâ.* Nec dubito, quin sit expressè utendum illâ, quando solenniter rebaptizatur is, cujus Baptismus est dubius. At etiam in primis certum est, non esse utendum hac conditionali, quando liquet, *substantialem* defectum interveniisse in priore Baptismo. Deinde etiam satis probabile est, sufficere in privata suppletione dubii Baptismi, si hæc *conditionalis* exprimatur solâ mente, non autem verbis. Suarez *Disp. 22. Sect. 2.* absolutè asserens hoc sufficere; quamvis Quintanad. *singul. 18. num. 5.* meritò consulat, ut semper, nisi inconveniens aliquod obstet, exprimatur, consentitque Busenbaum *de Bap. dub. 4. in fin.* Quam generalem doctrinam idem Quintanadvennas jure extendit ad casum, quo unum ex aliis Sacramentis iteratur ob commissum priùs errorem, tametsi fortè plerique unà mecum omittant expressionem primi membri allatæ formulæ *conditionalis: Si es absolutus &c.*

VIII. Licèt rebaptizes aliquem irrationabiliter dubitans, non tamen idcirco incurris irregularitatem, cùm hæc sit lata solùm in rebaptizantes *scienter.* 412

IX. Tam rebaptizans, quàm permittens se rebaptizari plectuntur capite, juxta *Leg. 1. & 2. Cod. ne sanct. Baptis. iteretur.* Si videlicet uterque sit certus de validitate prioris Baptismi. 413

X. Dubius de suo Baptismo potest, & non potest suscipere alia Sacramenta. Potest, quando illud dubium est *juris*, quia scilicet baptizatus fuit in materia, parte corporis &c. in quibus aliqui DD. probabiliter negant, alii probabiliter asserunt, valere Baptismum. Coninck *q. 66. art. 9. n. 103.* permittens, quando adest causa gravis; Dicastillo *hic Disp. 1. dub. 9. n. 216.* absolutè permittens, & meritò; cùm enim talis absque peccato cœperit possidere nomen boni Christiani, non apparet, cur non liceat ipsi frui juribus hujus *realis* denominationis, quamdiu probabile est, eam convenire ipsi *propriè* ac *realiter*, nec cedit in damnum tertii. 414

Est tamen etiam verum, quòd non possit suscipere omnia Sacramenta. Non enim potest suscipere Sacramenta Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis cum animo obeundi functiones ipsi annexas, antequam rursum lavetur aquâ vitæ; sicut etiam *mortaliter* delinquit, si dubitans prudenter de valore sacrificet, absolvat, ordinet, ut videbimus *Casu sequenti*, & *Casu XV.* dicemus, an liceat dubio inire conjugium? 415

Imò quamdiu nequit formare opinionem probabilem, quòd sit baptizatus validè, peccat mortaliter percipiendo qualecunque Sacramentum. Coninck suprà à fortiori, & expressè Dicastillo *cit. n. 216.* Ratio est, quia hoc ipso, quòd nequeat ex ullo principio *intrinsecò* vel *extrinseco* verisimiliter opinari, se esse verè, atque ordine ablutum, tenetur vel procurare certum Baptismum, vel abstinere usu rerum supponente verum Baptismum; sicuti maritus dubius de legitimitate sui matrimonii, vel debet non petere debitum conjugale, vel dare operam, ut solvat se hoc dubio. 416

XI. Ex hactenus dictis in hac, & præcedente Sectione resolvuntur complures Casus alii, tum nominatim quos exhibet sequens 417

SE-

SECTIO III.

Casus *facti* non *ficti*, quibus quà confirmantur, quà declarantur doctrinæ præcedentium Sectionum.

SVMMARIVM.

Casus Patrini rebaptizantis filiastrum, in cujus Baptismo judicabat, errorem commissum. 418.
An rectè rebaptizaverit sub conditione. 420.
Casus sacerdotis teneræ conscientiæ sub Baptismi collatione distracti, ac dein dubitantis, num verbum essentiale omisisset. 421.
An repetendus erat hic Baptismus. 422.
Casus sacerdotis dubitantis, num tertiam personam pronuntiaverit, & resolutio P. Comitoli. 423.
Quid in simili casu agendum? 424.
Casus Baptismi Nicostratæ, qui repetendus est sub conditione. 425.
Presbyteri nolentis credere, se omisisse quædam verba formulæ, quod tamen asseverabat vir peritus. 426.
Eo casu repetendus erat Baptismus sub conditione. 427.
Lusitani ob id, quòd sexum mutâsse credebatur, sacrilegè rebaptizati. 428.
Militis baptizati à Religioso arbitrante, eum ideo mori non posse, quòd non esset ritè ablutus. 430.

Casus I.

418 *QVidam sacerdos, jam abhinc plures Annos mortuus, cùm fungeretur officio patrini, animadvertit, baptistam præ trepidatione non satis benè sibi præsentem vix tres, quatuórve guttas affudisse corpusculo sui filioli: dissimulavit tamen monitionem, ob causam nescio quam. At conscientiâ non permittente ullam quietem, accessit domum sui Domini compatris, petiit sibi suum filiastrum* (ut vocantur *cap. De his, 30. q. 1.*) *ostendi, atque aquâ lustrali sufficienter, & cum debita forma aspersit vagientem, nemine intelligente, quid sibi vellet ejusmodi liberalis affusio. An rectè egit?*

419 Resp. In primis potuisse intervenire causam justam, ob quam non moneret illum ministrum, aut quia non satis clarè vidit defectum, aut quia putabat, sufficere tres guttas secundùm dicta *Casu I. num. 45.* nec veniebat in mentem contraria opinio, aut obligatio hîc & nunc monendi.

Deinde rectissimè fecit rebaptizando conditione, eò quòd prior Baptismus fuerit dubius dubietate *juris*, juxta dicta superiùs. Sicut etiam rectè, & cautè egit, quòd non distulerit distulerit rebaptizationem, eámque peregerit cum nulla prorsus solemnitate, aut notitia aliorum, si prudenter timuit aliquam aliorum indignationem, &c.

Casus II.

ALius sacerdos tenerrimæ conscientiæ exercendo primum actum solennis, & veri Baptismi fuit involuntariè distractus: absoluto ministerio, cæpit dubitare, an nullum essentiale verbum omisisset, non habens ullam aliam prorsus causam dubitationis, quàm quòd fuisset distractus. Duravit anxia dubitatio circiter sesquiannum, quo elapso, me convenit, addens, se, antequam primum illum infantem ablueret, sæpissime privatim, & cum magna reflexione, pluribúsque hebdomadis recitâsse formulam baptismalem, aquam quoque excipiendo manu, & effundendo sensim, ut solet in vero Baptismo. Quæsiit verò, an esset ille infans subjiciendus novo Baptismo *conditionali?* 420 421 422

Respondi: minimè, eò quòd distractio in tali viro, & taliter exercitato non possit fundare ullum rationabile dubium ullius omissionis; & huc facit sapiens monitum S. Thomæ *3. Part. q. 3. art. 6. ad 5.* ita loquentis: *Nihil debet* (sacerdos sacrificans) *repetere propter eam solam causam, quòd non recordetur, an hoc, aut illud fecerit, aut dixerit.*

Casus III.

EST ille ipse, quem sub nomine Didaci descripsi ex Comitolo suprà *n. 127.* at non dixi, an putarem, fuisse repetendum tunc Baptismum. Respondit quidem P. Comitolus, debuisse illum sacerdotem diligenter considerare, essétne tertia persona divina ab ipso præterita? Quòd si in ejus rei certam memoriam venire non posset, & verosimilis dubitatio ejus animum percelleret, veniendum esse ad Baptismum *conditionatum.* Verùm ipsa nuda narratio facti satis indicat, illum Didacum & fecisse diligentem reflexionem, & eâ factâ hæsisse prorsus ancipiti animo, an pronuntiâsset tertiam personam, nullámque fuisse dubitationis causam aliam, quàm quòd ob perturbationem ortam ex infidelitate memoriæ non suggerentis alteram personam, ipse nullo modo recordaretur, utrùm pronuntiaverit tertiam. 423

Si mihi proponeretur ejusmodi eventus, juberem examinari, qui astiterant. Si unus assereret (nemine contradicente) illum nomi- 424

nâsse hanc, juberem esse sine metu. Si discordarent testes, dicerem: *Repete*. Si nullus testaretur, dicerem hoc ipsum *Repete*. Nam in primo eventu non possem prudenter dubitare ob Regulam *sextam* positam *n. 369*. In secundo dubitarem sanè rationabiliter, starémque Regulâ 17. In tertio vix dubitarem, sed verè præsumerem, factam omissionem: tum quia est valde pronum, omittere aliquid in tali perturbatione; tum quia non est satis credibile, quòd nullus astantium audîsset illam nominationem, si facta fuisset. Si hæc utraque ratio simul sumpta non gignit aliqualem præsumptionem, gignit saltem rationabilem dubitationem.

Casus IV.

425 ESt Nicostratæ, de qua *n. 351*. Respondi autem, illum infantem tingendum lavacro *conditionali*. Si enim est probabile, ut esse satis ostendimus *Casu V.* vel omnes, vel ferè omnes baptizatos ab obstetricibus esse secundò Baptismo mundandos, tum sanè mundandi sunt illi, quos constat, fuisse tinctos à magnopere perturbatis, sicuti se fuisse testata fuit ipsa Nicostrata, ridiculúmque illud factum demonstrat. Rursum, quia bis dixit: *In nomine Patris &c.* non præmittendo: *Te baptizo*, quis non meritò formidet, ne etiam primâ vice? Si quippe duo actus faciunt consuetudinem *cap. fin. 25. q. 2.* hæ duæ truncatæ formulæ satis innuunt, illam Nicostratam habuisse morem omittendi propositionem: *Ego te baptizo.*

Casus V.

426 *PResbyter N. dum baptizat infantem, valde mutilat verba exorcismorum; nonnulla etiam alia spectantia ad cæremonias penitus omittit, seu ex inadvertentia, seu alia de causa. Denique ipsa verba formulæ ita profert, ut qui proximè astabat, vir satis peritus harum rerum observet, omitti ab ipso hæc tria verba:* Ego te baptizo; *dissimulat tamen tunc, sed postea monet. Presbyter non vult credere, se omisisse, alter asseverat omisisse. Quid agendum?*

427 Resp. Id, quod actum fuisse, intelligo ex litteris ad me datis, videlicet infantem illum fuisse rebaptizandum sub conditione. Rebaptizandum quidem, quia illius viri seu patrinus ipse, seu quis astantium fuerit, testimonium gignit dubium *morale*, tum propter *Regulam VII. primæ* sectionis, tum quia licèt plus tredendum sit duobus affirmantibus, quàm mille negantibus. *Gloss. in Lex. Diem proferre. ff. De arbitr.* id tamen non intelligitur casu, quo negans poterat videre, vel audire, si res illa gesta fuisset; nam in hoc casu tantùm creditur neganti, quantum affirmanti. Curtius *Tr. de Test. n. 9.* Gabrielius *Lib. 1. de Test. q. 4.* Rebaptizandum verò sub conditione solùm, quia affirmatio ministri impedit, ne alterius negatio producat *moralem* certitudinem de illa omissione. Quòd si duo testes dixissent, illa verba fuisse præterita, atque insuper attestati, illum non fuisse id temporis satis compotem sui, tum valuisset sine conditione repetiBaptismus, quia nequîsset prudenter dubitari de nullitate prioris.

Casus VI.

428 *FErtur accidisse in Lusitania, quòd cuidam jam provectâ ætate, qui semper fuerat fœmina existimatus, prominuerint foras viri membra, quæ illuc usque habuerat venter (sæpe enim contingere solet) inclusa; qui ideo iterum fuit baptizatus. Quod quidem fuit error sacrilegus rebaptizationis, sed tantùm fuerat illi commutandum per Episcopum nomen fœmininum in masculinum. Fuit ergo consilium illorum, qui Theologiam non ex propriis rationibus, sed merâ extraneorum auctoritate tractant.*

429 Omnia prorsus hæc verba leget, qui volet, in gravissimo Theologo Dominico Soto *in 4. Sent. dist. 1. q. 5. a. 8. vers. Postremum denique.* Cujus quidem approbo judicium de sacrilegio rebaptizationis, at non de necessitate adeundi Episcopum propter rationem allatam *Casu XII. n. 340.* Probo quoque necessariò factum illius, qui in hac urbe non ita pridem rejecit petitionem cujusdam flagitantis ab ipso, ut suum filium rebaptizaret, ea sola de causa, quòd obstetrix fuisset oblita imponere ipsi nomen. Porrò Delrius *Disquis. magic. L. 2. q. 22.* refert plures mutationes sexûs, similes relatis à Soto: plures quoque eruditissimus Tiraquellus *Legum connub. L. 1. num. 100, & 101.* Vide suprà *n. 339.*

Casus VII.

430 *MArtianus miles ejicitur in pelagus è navi incensa pulvere tormentario incensus ipse, atque miserabiliter, idque diu lamentans inter ignem, & aquam; Viro Religioso vecto in altera navi, ac demiranti sortem hominis, qui nec mergi, nec exuri posset, venit in mentem, militem illum idcirco tam diu luctari in confiniis vitæ, & mortis, cumque tantis cruciatibus, quòd non esset ritè baptizatus. Quare consilio habito cum socio suo, viro etiam Religioso, invocatâque ope Numinis, se ipsum projicit in altum, adnatat ad militem,*

litem, & locutus ea, quæ tempus, locúsque permittebant, satis superq. lavatum à Neptuno, lavat ipse more Christiano. Vix defunctus erat hoc officio summæ charitatis, cùm miles defungitur vitâ placidissimè. Quid de hoc facto pronuntiandum?

De hoc, inquam, facto, cujus jam à plus 24. Annis gesti in Oceano Germanico testem habeo fide multò dignissimum.

431 Resp. Zelum illius Religiosi videri mihi non solùm commendandum, sed etiam fuisse secundùm scientiam, non tamen imitandum. Fuit laudandus, *quia majorem charitatem nemo habet, ut ponat quis animam suam pro amicis suis. Joann. 15.* Fuit secundùm scientiam probabiliter, non communem quidem, sed specialem, ut videtur satis innuere tota species facti. Hinc suprà *Regulæ XV.* dixi, videri nonnullos instigari à Spiritu sancto, ut hic & nunc petant, vel dent Baptismum. *Casu XV.* exhibebo in hanc rem duo exempla. Haud tamen imitandum est hoc factum, quia ex his, quæ fortè uno aliquo casu acciderunt, jura non constituuntur. *Text. Reg. 4. ff. de Leg.* Et ea, quæ rarò eveniunt, non temere in agendis negotiis computanda sunt, *Text. L. 64. ff. de Reg. jur.* Et denique *Spiritus ubivult, spirat. Joann. 3.* Plures speciales Casus dubios dabit *Casus XX.*

REBAPTIZANS SACERDOTEM.

CASVS. XIV.

Paradigmaticus.

SVMMARIVM.

Sacerdos, comperto, quòd non esset ritè baptizatus, est jussu Pontificis rursus Ordinibus initiatus. 432.

Sacerdos dubitans de suo Baptismo, tenetur illum procurare ex triplici capite. 435.

Episcopus verò adhuc gravius obligatur. 437.

Nec tantùm curare debet, ut ordinetur Ordine sacerdotii, sed omnibus etiam inferioribus. 438.

Quid teneatur facere Sacerdos, qui non baptizatus excepit confessiones? 439.

An certus, vel dubius de nullitate Baptismi prioris, obligetur sigillo confessionis sacramentalis? 440.

Pœnitens resciens, Baptismum Confessarii fuisse nullum, tenetur repetere confessionem mortalium. 441.

Si repetat apud eundem, sed rebaptizatum, sufficit, si fiat in confuso. Ibid.

Idem licet in repetitione confessionum sacrilegarum, Ibid.

Episcopus, qui sciens, se non baptizatum, contulit Ordines, tenetur cum periculo vitæ, & honoris defectum deregere. 442.

Utrùm ex titulo justitiæ, an charitatis? Ibid. & *443.*

Matrimonia tamen valent, etiamsi, qui junxit contrahentes, & habetur pro parocho, non sit baptizatus. 444.

Dissolvi possunt, si deprehendatur, unum ex contrahentibus non esse rite baptizatum. 445.

432 *OLympiodorus lator præsentium veniens ad Apostolicam sedem nobis exposuit, quòd, cùm ad gradum sacerdotii ascendisset, comperit tandem, quòd non fuerit secundùm formam Evangelii baptizatus, unde nos eum rite fecimus baptizari. Cúmque super Ordinibus fuisset diutius disputatum, quidam in eam declinaverunt sententiam, ut cùm Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante susceptionem Baptismi non suscipitur aliud Sacramentum, quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest. Quia verò in Concilio apud Compedium legitur constitutum, quòd si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit, se non baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Nos circa latorem præsentem in hoc dubitabili casu, quod tutius est, sequentes mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad sacerdotium promovere procures, & permittas in sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.*

433 Verba hæc omnia, excepto nomine proprio, reperiet lector in *Cap. Veniens. De presbyt. non Bapt.* prolata ab Innocentio III. Circa quæ, eorúmque objectum

434 Quæres I. *Cur Pontifex dicat*: Quidam declinaverunt, *& non potiùs*: omnes?

Respond. Quia non erat omnio certum, sed aliquo modo dubium, utrùm ille Olympiodorus esset rite baptizatus, ut patet ex vocúla: *dubitabili*, & ratione, quam adfert in fine.

435 Quæres II. *Quid agere teneatur sacerdos, dubitans an sit baptizatus?*

Resp. I. Tenetur duplici titulo, vel triplici procurare Baptismum. I. Quatenus homo. II. Quatenus cogitat ex pietate; vel charitate obire, ministrare, aut conficere Sacramentum dependens *essentialiter* à charactere sacerdotali. III. Quatenus tenetur ex justitia administrare aliquod Sacramentum ejusmodi, vel conficere.

Et quidem ratione *primi* tituli obligatur eo modo, quem exposui *Casu præcedenti. num. 416.*

436 Ratione *secundi* adest idcirco gravis obligatio, quia exponet periculo consecrationem, absolutionem, Extremam Unctionem, si non rebaptizatus tentet conficere hæc Sacramenta; ergo contra charitatem delinquet graviter, si non curet, se protinus rebaptizari; sive non adsit probabilis ratio opinandi, esse baptizatum, ut videtur per se clarum; sive adsit. Dicastillo *hic Tr. 2. Disp. 1. num. 218.* & Quintanadvennas *singul. Tr. 1. sing. 10. num. 3.* Consequentia probatur: quia charitas nos obligat, ut administremus proximo Sacramenta non dubia. Suprà *num. 154.* Et sine dubio quisque renueret recipere à tali absolutionem, Extremámque Unctionem, si sciret, subesse rationabile dubium de valore horum Sacramentorum, sicut & consecrationis. Eucharistiam, Baptismúmque posset administrare sine scrupulo, quando ejus dubium nasceretur ex diversitate opinionum probabilium, nam & horum duorum administratio non requirit *essentialiter* characterem, & patrocinatur tali doctrina allata *Casu præced. sect. 2. n. 414.*

437 Ratione *tertii* tituli etiam obligatur, quia & ita sentit Dicastillo *loc. cit. num. 219.* & planè videtur esse *tacitum* pactum inter parochum, parochianósque, à quibus alitur parochus, ut in confectione Sacramentorum sequatur opiniones de valore tutiores, non molestas suscipienti.

Et hæ rationes à fortiori persuadent, Episcopum gravissimè peccare, si in similibus non procuret certum Baptismum, quandoquidem omnes Ordinationes, quas peraget, erunt irritæ, si ejus Baptismus fuit irritus.

438 Quæres III. *An sacerdos dubius de suo Baptismo debeat curare, se ordinari non solùm Ordine sacerdotii, sed etiam inferioribus?*

Resp. Debet, sicuti clarum est ex rescripto ipsiusmet Pontificis Innocentii. Quare non video, cur Granadus *Tract. 1. de Sacram. Controvers. 9. de Ordine* apud Quintanadvennam *cit. sing. 10.* negârit peccari omittendo iterationem Ordinum inferiorum sacerdotio; licèt enim omnes contineantur *virtualiter* in sacerdotali. S. Thomas *3. Part. q. 33. a. 5.* attamen Pontifex non vult esse contentus inclusione *virtuali.*

439 Quæres IV. *Quid teneatur facere sacerdos, qui non baptizatus excepit confessiones?*

Resp. *Per se loquendo* tenetur procurare, ut, quos audiit confitentes mortalia, ii eadem vel sibi, vel alteri confiteantur, juxta ea, quæ DD. solent scribere generatim de correctione defectuum commissorum à confessario culpabiliter: vel inculpabiliter, quos inter perbene Lugo *Tom. 3. in 3. Part. Disp. 22. Sect. 3.* nósque *in Alphab. Confessar. Cas. 6.* Quòd si talis confessarius non sciat, se non fuisse baptizatum, sed solùm dubitet, tunc non incumbit ipsi obligatio procurandi cum suo gravi incommodo emendationem talium defectuum; cùm præsertim homines facilè scandalizentur, & communiter perægre, ferant quando refricatur memoria peccatorum, quæ ipsi confessi sunt fide quàm optimâ; & talis confessarius putatitius de nemine, ut suppono, suorum pœnitentium dubitat, quin hic alteri confessario sit confessurus, vel confessus alia peccata, cum quibus proinde *indirectè* remissa sint, quæ ipse audiit.

Quòd si quæras, *utrùm rebaptizatus ob certitudinem, vel dubietatem de invaliditate prioris Baptismi obligetur sigillo sacramentali?* 440

Resp. Si est certus de nullitate, tum est de illo sentiendum, quod DD. sentiunt de eo, qui fingens se sacerdotem, excipit confessiones, quorum quidem aliqui, ut Sotus relatus à Dicastillo *Tom. 2. in 3. Part. Tract. 8. Disp. 14. n. 28.* Onuphrius relatus à Diana *Part. 5. Tract. 11. Resol. 15.* inficiantur, obligari sigillo sacramentali; alii autem, ut idem Diana cum communi cæterorum, quos ipse citat, itémque Lugo *loc. cit. Disp. 23. Sect. 2.* ac Dicastillo *loc. cit.* asserunt. Longè magis & meritò quidem hoc affirmabis de dubitante, utrùm sit revera sacerdos, nec ne? Nec puto, hoc quenquam negaturum, quandoquidem pœnitentes sunt in possessione juris exigendi, ut servetur ipsis sanctissimè secretum, quâ possessione non possunt privari ob superveniens dubium. Vide dicenda *in Alphab. Confessar. Cas. 22. n. 783. & seqq.*

Quæres verò V. *Quid obligentur facere pœ-* 441
nitentes, qui resciunt, suum confessarium fuisse rebaptizatum?

Respond. Si sciunt, priorem Baptismum fuisse planè nullum, dubitari nequit, quin debeant peccata mortalia detecta ejusmodi confessario aperire vel distinctè alteri sacerdoti, vel si magis placet, eidem jam rebaptizato confusè, dicendo: *Me rursum accuso coram R. V. de omnibus peccatis, quæ fui ipsi unquam confessus.* Hanc autem confessionem sufficere, docet in hoc speciali casu rebaptizati Pat. Quintanadvenn. *sing. Tract. 1. sing. 11. num. 8.* deducitúrque ex communi doctrina DD. loquentium de repetitione confessionum sacrilegarum, ac dicentium, si deinceps decem Annos es communiter uni confessus, at semper sacrilegè, satisfacere te dicendo: *Me accuso de omnibus peccatis hoc decennio confessis R. V. præterea de istis, quæ partim nunquam cuiquam, partim alteri, sed etiam sacrilegè aperui.* Et verò videtur confessarius talis obligari, ut quando se ipsi post suam rebaptizationem rursum sistit pristinus pœnitens, ipsi dicat: *Nónne, mi bone vir &c. doles magnopere de peccatis tuis totius vitæ, eorúmque omnium, in quantum opus est, te coram Deo, & ejus nunc vicario rem agis?* Respondenti:

Ago me rem impertiatur absolutionem sine ulteriori interrogatione circa præteritas confessiones.

His omnibus jam tertiùm impressis nanciscor responsiones Laurentii de Portel, in quarum *Tomo 1. Part. 1. pro Casu XXVIII.* statuitur hic

Casus Judaicus.

Quidam Religiosus, hodie Sacerdos, fuit baptizatus à Clerico, descendente de Judæis, cujus Clerici fratres, horúmque filii, cùm essent à tribunali Inquisitionis incarcerati, ob suspicionem hæresis (quam & postea confessi sunt; & soror, ob contumaciam, exusta) aufugit & Fiscus regius res ejus immobiles confiscavit. Stante hac gravi præsumptione contra Clericum, quòd esset hæreticus, & proinde Sacramenta Ecclesiæ cum debita intentione non ministraverit, Religiosus ab eo baptizatus, scrupulo cæpit agitari circa valorem sui Baptismi. Consuluit viros doctos, quorum alii dixerunt, non teneri ad rebaptizationem sub cautela, alii dixerunt, posse rebaptizari, & ille ad securitatem elegit Rebaptismum sub cautela. Et declaratur, quòd Clericus ille erat Theologus, & protulit veram formam Baptismi, qua utitur Ecclesia. Quæritum fuit, an de necessitate talis Religiosus fuerit rebaptizandus, an verò potuerit acquiescere consulentibus, ne rebaptizaretur. Et ex istius quæstionis resolutione pendent sequentia dubia. 1. An dato, quòd rebaptizaretur, esset iterum recepturus omnes Ordines sacros? 2. An illius professio in Religione fuerit valida, an verò ratificanda? 3. An Religio teneatur supplere missas dictas ab illo non vero Sacerdote, pro quibus Monasterium accepit stipendium? 4. Quid dicendum de confessionibus sacramentalibus, quas audivit jam factus confessor?

Ita hunc Casum, hásque quæstiones exhibet Portel. Et quidem ad primum dubium sic „*n. 4.* respondet: Non peccaret Religiosus, qui „stante tali dubio, & urgente magno scrupulo „se faceret rebaptizari ad cautelam, eò quòd „sit vehemens præsumptio ad credendum, cle„ricum de hæresi suspectum ob fugam, & con„fiscationem bonorum, præcedentiáque exem„pla plurium, qui ex illa gente complexi fi„dem Catholicam defecerunt postea ad hære„ticos, non habuisse veram intentionem bapti„zandi, factâ autem rebaptizatione repeten„dos esse Ordines Sacros, supplendas Missas, „curandum, ut pœnitentes, quos absolvit, re„petant confessiones, & denique habendam „professionem pro nulla, ut exprimit *n. 16.* Nihilominus tamen concludit *n. 8.* & fusè probat, illum Religiosum non teneri rebaptizari, tum ob alias rationes, tum quia fuga non reddit adeò suspectum, ut propterea debeat in dubium revocari Baptismus jam ante triginta Annos collatus, quo tempore meritò præsumitur ille Clericus fuisse adhuc sincerus Catholicus, esto, fuga gignat aliquam suspicionem de hæresi contracta pauculis Annis ante fugam; tum quia Sanchez *Lib. 2. de Matrim. Disp 76. Conclus. 4.* post Sotum, & Navarrum scribit: *Licèt habeat quis opinionem alterius partis, & formidinem alterius, non tenetur sequi opinionem, si inde magnum immineat alicui periculum, & formido habeat alterius apparentem probabilitatem, quia periculum grave facit, ut in moralibus formido præponderet opinioni.* Atqui si ille Religiosus rebaptizetur, adibit magnas difficultates, & ferè periculum repetendi, reparandíque enumerata superiùs. Addit *n. 25.* si ille Religiosus receptoBaptismo non petiit iterationem Ordinum, rectiùs quidem facturum fuisse, si petivisset post rebaptizationem, attamen *post factum non auderem*, inquit ille, *eum condemnare de peccato, vel de pœnis.*

Postremò ita finit suam resolutionem: *Sex graves Doctores in ista Ulyssipone de eodem Casu consulti dixerunt, istum Religiosum non indiguisse novo Baptismo, & ex illis duo expresserunt, quòd, licèt Baptismum iteraverit sub conditione, non indigebat iteratione sacrorum Ordinum.*

Censeo, & ego non indiguisse, tum propter auctoritatem illorum sex Doctorum, tum quia Clericus ille habuit rationabilem causam fugiendi, meritò enim timebat, ne quantumvis innocentissimus manciparetur carceri, subjiceretúrque severo examini Inquisitorum; non igitur præbuit hæc fuga indicium ullum hæresis. Mascardus à me relatus, probatúsque *in Alphab. Quadrupl. Part. 4. num. 974.* Sanè cum jura tam Canonica, quàm Civilia velint, & quemlibet haberi pro bono, donec contrarium ostendatur, & non facilè dari præsumptionem delicti integritas vitæ sacerdotalis per triginta Annos manifestata omnibus, vetat, suscipi gravem suspicionem de tot tantísque sceleribus, nisi intervenerint causæ graviores, quam exhibeat species facti.

Quod spectat satisfactionem pro Missis celebratis ab eo Sacerdote, videtur mihi omnino improbabile, debuisse, aut potuisse injungi; restitutio quippe non est necessariò facienda, seu imperanda in dubio, quandoquidem vel maxime hîc locum habet Regula, & Axioma de meliore conditione possidentis sua bona, suámque libertatem. Quòd si omnibus spectatis fuit licitè rebaptizatus ille Religiosus, debebat repetere ordinationem, quan-

doquidem hæc est repetenda, quando rationabiliter dubitatur de ejus valore, dubitatur autem rationabiliter de illo, quando rationabiliter de valore Baptismi. Denique an iteranda fuerit professio, liquebit ex dicendis Casu sequenti.

442 Quæres VI. *Quid agendum sit Episcopo, qui non baptizatus aliquos initiavit Ordinibus minoribus Episcopali?*

Resp. Ochagavia apud eundem Dianam *Part. 5. Tr. 13. Resol. 55.* itémque tacitè Quintanadven. *cit. singul. 16. n. 7.* non distinguentes inter *culpabiliter*, & *non culpabiliter* ordinantem, docent, teneri cum periculo honoris, & vitæ detegere suum defectum comissi in ordinatione presbyteri & Episcopi, propter tam ingentia mala, quæ manant ex ejusmodi invalida Ordinatione. Quæ mala sanè mihi persuadent, non esse de hac responsione dubitandum casu, quo sciens, se non baptizatum, contulit hos duos Ordines; at verò si ignarus id fecit, censeo, posse probabiliter negari hanc tantam ex hoc solo titulo (nam de titulo charitatis dixi aliud *num. 436.*) obligationem; nam & rem, quæ culpâ caret, in damnum (præsertim extremum) vocari non convenit. *Text. Cap. 2. De Constit.* & qui gravissimum damnum temporale *directè*, & *immediatè* intulit alteri sine culpa Theologica, non tenetur illud reparare, ut ratione, & auctoritate probavi *in Clyp. Clement. Judic. Part. 2.* ergo non teneris titulo justitiæ cum periculo mortis impedire damnum spirituale, cujus fuisti causa innocentissima, & prorsus *per accidens*.

443 Regina tamen virtutum charitas videtur inducere obligationem. Quintanadvennas *loc. cit.* cùm *moraliter* certum sit, fore, ut propter illas Ordinationes invalidas futuræ sint irritæ multæ myriades consecrationum, communionum, confessionum, Extremarum Unctionum, Confirmationum.

444 Dices: *Cur non addis: Matrimoniorum?* Respond. Idcircò, quia Matrimonia valebunt, etiamsi non sit baptizatus, & consequenter non legitimus parochus is, qui junget, modò per communem errorem habeatur pro vero parocho, aut sacerdote. Bonacina *de Matrim. q. 2. punct. 8. n. 30.* atque Quintanadven. *loc. cit. singul. 11. num. 6.* lapsus (ut ego sæpe) in vitiosum, vel exemplar Bonacinæ, vel typothetam sui libri. Ratio generalis est, quia quæ sunt jure *Divino* vel *naturali* statuta, requisitáque ad valorem actûs cujuscunque, eorum defectus quamvis inculpabilis non potest suppleri ab Ecclesia, nec enim hactenus ostensum est, Salvatorem impertiisse suis Vicariis hanc potestatem. At potest, ac solet à Principe Ecclesiastico, & civili suppleri defectus solennitatis inductæ solo jure *humano*, & in hoc, vel illo eventu præteritæ cum errore communi, sicuti ex non minùs clara, quàm decantata *Leg. Barbarius. ff. De offic. Prætor.* tradunt in variis materiis, ac nominatim in materia de jurisdictione requisita in Confessario obvii Theologi morales, atque inter hos P. Paulus Laymann. *Lib. 1. Tr. 4. Cap. 27. n. 9.* nósque *Tr. 7. Casu III.*

Porrò quòd P. Dicastillo *hic Tract. 2. n. 217.* 445
Disp. 1. Matrimonium annumerat iis Sacramentis, quorum receptio non cedit in detrimentum tertii, & proinde suscipi possunt à solùm probabiliter opinante, se esse baptizatum, non caret difficultate, quandoquidem tale Matrimonium, si error Baptismi deprehendatur, poterit dissolvi, quæ dissolvendi facultas potest creare grandia damna uxori. Quare existimo, illum, qui rationabiliter dubitat de suo Baptismo, teneri procurare ante Matrimonium iterationem lavacri Christiani. Adde, quòd Matrimonii ministri sint sponsi, ergo, sicut *superiùs* diximus, ministrum Sacramenti obligari ad practicandas sententias tutiores, ita etiam pronuntiandum videtur de sponso, & sponsa in ordine ad Matrimonium. Verùm judicium definitivum hujus non tritæ quæstionis esto penes sapientiores, quos, & quibus libenter auscultabo.

REBAPTIZANS RELIGIOSUM ET CONIUGATUM.

CASUS XV.

Scrupulosi Religiosi.

SUMMARIUM.

Prothasius Religiosus scrupulis de suo Baptismo agitatus rebaptizatur, & quietem recipit. 446.
Probatur consilium ex duplici ratione. 450.
Stimulus indesinenter impellens hominem pium, & prudentem ad petendam repetitionem Baptismi probabiliter provenit à spiritu bono. 451.
Ut testantur exempla varia. 452.
Et Casus parvuli spectris territi. 453.
Cujus tamen non est semper, & ubique habenda ratio, uti docet Casus alterius parvuli similiter territi. 455.
Casus sexagenarii variis infestationes, & phantasias, &c. passi per multos annos. 457.
Suasa occultissima Baptismi repetitio sub conditione quieti eundem restituit. 458.
Religiosus certò deprehensâ nullitate sui Baptismi potest petere dimissionem ex Ordine. 459.
Non potest, si dubium sit de Baptismo. 460.
An tunc autem teneatur votis? ambiguum est. 461.
Valent tamen contractus, si quos fecit. 462.
An cognitâ nullitate Baptismi, si velit manere in Religione, debeat rursus inchoare novitiatum &c? 463.
Resolutio similis Casus de Moniali. Ibid.

Quod

Quod de Religiosi obligatione persistendi, aut non persistendi in Religione, idem dicitur de obligatione Conjugis. 464.
Aliud est, si non sit moraliter *certum, Baptismum fuisse nullum. 465.*
Conjux per se loquendo *debet alteram partem monere de impedimento suo essentiali. 466.*

446 *Prothasius Societatis nostræ Frater, agitatus scrupulis de suo Baptismo valde diuturnis, & molestis, ex consilio virorum sapientum Baptismum sub conditione recepit, licèt nullum appareret fundamentum, unde suspicari posset, se non esse baptizatum. Accepto tamen secundo Baptismo pacem, tranquillitatémque adeptus est. Sic ipse, qui adhuc vivit, mihi narravit.*

447 Ita loquitur P. Quintanadvennas *singul. Tr. 1. sing. 8. n. 2. junct. n. 1.* quo numero describit consimilem Casum de fœmina, idque cum talibus circumstantiis, quæ sunt pro praxi omnes observandæ. Esto ergo hic

Casus scrupulosæ conjugis.

448 *Cum quædam nobilis fœmina crebris, vehementibúsque scrupulis de sui Baptismi valore hæsitaret, licèt levissimo dubii, aut suspicionis fundamento, quæsitum est, an baptizari iterum posset sub conditione? Hic casus ad me olim pervenit Hispali, & diligenter inquisitionem de Baptismi tempore, loco, ac Ministro institui, nullum inveni fundamentum, unde suspicari, ne dum dubitari posse videretur de ipsius valore, cùm à parentibus Christianis inter Christianos hæc fœmina orta à parocho in Ecclesia fuerit baptizata, ut ex Baptismi libro constabat. Nihilominus tamen crebri, vehementésque scrupuli longissimo temporis intervallo, quinque scilicet, vel sex Annis fœminam pupugerunt, quæ licèt timoratæ conscientiæ minimè in aliis rebus se scrupulosè gerebat, in hac pene mœrore conficiebatur, anxietatibus cruciabatur, nec oratione, aut frequenti pœnitentia, Eucharistiáque perceptione, nec consilio, & dictis sapientum sæpius repetitis, quod est præcipuum remedium contra scrupulos, quiescere poterat, imò semper existimabat, ac audacter asserebat, se ritè baptizatam non esse.*

449 *Viros doctos hac de re consului, omnes ferè Baptismi iterationem conditionatam in hoc casu denegandam docebant; unus concedendam cum formidine consulnit. Hujus consilio, qui apud me doctissimus semper & merito existimatus, Baptismus sub conditione iteratus, & statim pacatus est fœminæ animus, factáque est tranquillitas magna.*

Si hæc legeret P. Quintanadvennas, testaretur, me functum munere fidelis amanuensis, aut descriptoris, agam etiam partes assentientis, & dissentientis.

Quærenti enim I. *An ille vir doctus, illique sapientes rectè judicârint?* 450

Respondeo I. Cum Quintanadven. *loc. cit. n. 14.* non esse damnandos. Ratio est saltem hæc, quia potuêre moveri aliquâ seu circumstantiâ, seu ratione, quæ nos latet.

Respondeo II. Videri posse non nemini, sequendum etiam in his solis circumstantiis consilium affirmativum. I. Quia illud consilium est probabile ob authoritatem; illi enim consultores absque dubio censuerunt, posse rebaptizari quemvis, in quo reperirentur ea, quæ in his duobus. Et quia non unus, sed plures id judicârunt, meritò censendum est, eorum judicium facere opinionem probabilem juxta ea, quæ de numero, & qualitate virorum facientium aliquam sententiam probabilem scribunt obvii quique in materia de conscientia probabili, & inter hos videri possunt Laymannus *Lib. 1. Tr. 1. c. 5. n. 6.* ac Diana *P. 7. Tr. 1. Resol. 213.* Vide etiam nostrum *Clypeum. Clem. Judic. sect. 1.*

Quia rebaptizandus est omnis, de cujus Baptismo prudenter dubitatur, undecunque tandem oriatur dubitatio, & ambiguitas. Suprà *Cas. XIII. Reg. 4.* Atqui in circumstantiis expressis utroque Casu, quem descripsi ex Quintanadvenna prudenter dubitatur de Baptismo, tum quia viri sapientes dubitârunt, tum quia stimulus indesinenter impellens hominem pium simul, & pro sua conditione prudentem ad petendam repetitionem Baptismi, potest viro etiam cordato movere dubium, an instinctus ille petendi rebaptizationem non veniat à spiritu illius, qui vult omnes salvos fieri. 1. *ad Tim. 2.* 451

Pleni sunt libri Historici exemplis hominum petentium, destinantium, facientium varia, & exotica, quorum rationem reddere nequibant, & tamen egerunt cum summa ratione, quia ex instinctu divino, ut demonstrat ipse eventus, ut nihil dicam de præsumptione desumpta præcisè ex virtute, ac sanctitate illorum, quos agitant illæ perpetes cogitationes ac stimuli. Et verò ejusmodi impulsus non provenire à malo genio, suadetur inde, quòd hic tantopere execretur res sacras. Non etiam proficisci ex conscientia nimis apprehensiva (Hypocondriacam vocat Caramuel *in Theolog. fundamental. num. 1322.*) fieri potest verosimile ex cæteris actionibus, nullum prorsus specimen phantasiæ ullo modo corruptæ præseferentibus. 452

Confirmo hunc discursum narratione hujus

Casûs theutonici.

453 P*Aulillus puerulus primis Annis infantiæ valde infestatur à spectris, ita ut in cunis adhuc vagiens det suis clamoribus, motu capitis, & oculorum non obscura indicia spectaculorum molestissimorum. Jam potens fandi ferè continuò clamat, videri à se nigrum, tetrúmque hominem, qui etiam de nocte ipsum territet. Re delatâ ad Dominum Ordinarium, mandat hic, vel certè permittit rebaptizari sexennem, licèt minimè ignarus, fuisse baptizatum à parocho viro probo, perito, & non planè impoto quidem, at tamen minimè ebrio. Peracto secundo Baptismo desîre videri spectra, cæpit, inque hodiernum diem durat quies, ac serenitas.*

454 Sic ego reperio in meis adversariis notatum, exceptúmque à me alicubi ex ore fide dignissimi viri Nobilis, ac sacerdotis testantis, rem totam cum suis circumstantiis esse sibi notissimam. Non potuit, ut puto, ille Ordinarius rationabiliter dubitare de valore prioris Baptismi, consideratâ præcisè relatione patrinorum astantium, ipsiusmétque parochi, at verò scrupulum non planè inanem, metum non omninò vanum de aliquo, undecunque tandem profecto errore injecit illa circumstantia, cujus tamen rationem non esse semper habendam, docet hic

Casus Constantiensis.

455 P*Arens Josephuli infantis à sacerdote quidem baptizati, at tamen per duos Annos, ejulantis, trepidantis, aversantis, ut Paulillus, de quo suprà, convenit Curatum, narrat miseriam, petit repetitionem Baptismi. Renuit hic, addens tamen, esse adhuc patientiam habendam. Cùm ipse Curatus suum abnutum mihi eum merito approbanti recensuisset, fugeresse, profuturum in futurum, si quæreret, qui se jam habeat puer: Quæsîit, acceptóque responso mihi retulit, esse quietum, & pacatum, ut solent alii.*

456 Ergo in ejusmodi eventu cavenda est omnis præcipitantia; & revera hoc loco usurpandum illud aureum monitum: *Quod semel statuendum est, diu deliberandum est.* Annorum quinque, vel sex experientiam puto esse sufficientem, si certum sit, illas prorsus extraordinarias, pergravésque infestationes fuisse tanto tempore continuatas, nec apparere indicium ullum, ex quo concipi queat prudens suspicio de interventu alicujus lamiæ, ac strigis. Equidem Leopoldus Mancinus noster in erudito Volumine de Novo-Antiqua Passione Domini *Lib. 8. pag. 533.* variâ authoritate probat, Cacodæmonis vires in non baptizatos esse majores, & infestiores, quàm in alios.

Confirmo rursum Casu, qui ad me ex Brixinensi Episcopatu perscriptus est consilii causa, dum totus eram in prima lucubratione hujus Alphabeti, est autem hic

Casus Tirolensis.

457 G*Etulius baptizatus domi ab obstetrice bibula cæpit ipse in infantia infestari à spectris, in terrorem prope lethalem conjici; semel verberari à manu occulta; semel audire ambulantem in cubiculo, nil tamen videndo: conspicere non semel fœminam subito evanescentem, semel eripi vitæ periculo imminente ex præcipitio in saxum, depulsoque per vim planè occultam, subitóque illum absque ulla læsione erigentem in pedes; turbari horrendis phantasiis tempore sacræ Communionis, aliàs autem, ac frequentissimè nefandis de Deo, ac Beatissima Virgine, cùm tamen sit vir optimæ vitæ, & conscientiæ, interim in percipiendis Sacramentis rarò admodum, ac parcè quietem animi, solatiúmque expertus. Et cùm jam sit sexagenarius, nondum tamen liber est terriculamentis, spectris, phantasiis illis inexplicabilibus, & metu perpeti, ne periclitetur de salute animæ suæ, persuasum habens, se in aliquot præsentissimis periculis incolumem modo prorsus admirabili servatum idcirco, ut rite baptizatus vitam consequatur æternam.*

458 Est hæc summa quatuordecim punctorum, seu circumstantiarum, quas pro pleniore informatione perscripsit is, de quo suprà, vir magno usu rerum peritus, atque olim Theologiam publicè professus cum laude.

Quæ sanè circumstantiæ me impulerunt, ut suaserim repetitionem occultissimam Baptismi sub conditione, motus quidem præcipuè allegatione, & obstetricis, & bibulæ, feréque quotidie temulentæ obstetricis, non parum tamen concurrentibus ad illum motum cæteris considerationibus, quæ quidem si solæ fuissent, contulissem eas cum uno, alteróve viro docto, ac prudente; fuissémque probabilissimè suasurus id ipsum. Et verò suasionem probavit eventus; siquidem bimestri, postquam Getulio impertitus fuit secundus Baptismus, accepi literas ab illo ipso, qui expetierat meum consilium, testes optati eventûs, quem nuntiant hisce verbis:

Tandem

Tandem aliquando rediit ad me ille, quem consilio R. V. ad Jordanis scilicet undas reduxi. Incedit homo plenus gaudiis, asserit, gravem illam, & semper deteriora, majoráque pericula comminantem tempestatem desæviisse prorsus, jam amandè, ut nimirum solent boni Numinis Filii, aurâ se cum magno animi solatio frui. Agit vir optimus R. V. ingentes gratias pro saluberrimo prorsus consilio, & offert, quia alia media non suppetunt, preces suas, æternùm tanti beneficii futurus memor; rogat præterea demisse, ut totam rei seriem, siquidem tempus etiam nunc permittit, libro suo de hoc argumento in lucem edendo inserere ad honorem Dei ne gravetur.

Hæc ille, me quidem etiam hoc eventu confirmans in judicio, quod tunc tuli, nolo tamen cuiquam esse autor ullum reducendi ad Undas Jordanis, ut phrasi illius Patris utar, si soli etiam perpetes scrupuli nullâ peculiari ratione nixi pro causa adferantur; nec permitteret P. Marchantius loco, quem retuli suprà *num. 396.* Quare non suasissem rebaptizari illos duos, de quibus *num. 448. & 449.* suasisset autem Alloza *verb. Baptismus. §. 2. n* 1. De Casu relato *n. 453.* nil aliud pronuncio, quàm quòd meritò supponam, illum D. Ordinarium non errâsse *practicè.*

459 Quæres II. *An Religiosus rebaptizatus possit petere dimissionem ex Ordine?*

Respond. Si certò deprehendatur fuisse vel penitus non baptizatus, vel baptizatus cum defectu extra controversiam *substantiali*, potest petere missionem. Non potest, si solùm dubium sit de Baptismo. *Prima* pars patet inde, quòd professio talis hominis sit invalida; nam nulla Religio intendit suscipere quemquam, nisi Christianum; nulla potest jurisdictionem suam (quæ spiritualis est) exercere nisi in Christianum; nullus nisi Christianus subest Summo Pontifici ut tali; est autem Pontifex verus Generalis omnium Ordinum Religiosorum. Cùm ergo in isto homine locum non habeat votum obedientiæ religiosæ, hoc autem sit unum è tribus essentialibus, & corruente uno essentiali, corruat totum, non valebit ejus professio. Et generatim ignorantia circa substantialia professionis reddit eam irritam. Suarez *Tom. 3. De Rel. Lib. 6. cap. 5. num.* 4. ex communi.

460 *Altera* pars inde mihi persuadetur, quòd possessor bonæ fidei non possit re suâ acquisitâ optimâ fide spoliari propter dubium superveniens; Religio autem optimâ, ut suppono, fide nacta est possessionē talis Religiosi dubitantis. Antecedens inde probatur, quòd possessione rei saltem indivisibilis inchoatâ bonâ fide nemo privari queat, nisi *moraliter* certum sit illam rem esse alterius: hoc enim & habet praxis omnium tribunalium, teste Lessio, *De justit. & jur. Lib. 2. cap. 14 num. 25.* & probat Regula communis, quòd in dubio sit melior conditio possidentis bonâ fide.

An verò talis teneatur propriè suis votis, non immeritò dubitatur idcirco, quòd, qui dubitat, an votum ediderit, stante hoc dubio non obligetur voto, ut trado ex communi *in Alphab. Quadrupl. Part. 1. num. 300.* talis autē Religiosus dubitat, an voverit obedientiam, hoc ipso, quòd dubitet, utrùm adsit conditio *essentialis*, nec ne? Et qui anceps est, utrùm votum suum sit de re licita, non tenetur voto. Ego ibidem *num. 384.* Sanchez *Lib. 4. De vot. cap. 6. n. 6.* Suarez *Lib. 4. De voto. cap. 6. n. 12.* Est autem anceps, utrùm votum suæ obedientiæ fuerit licitum, nec ne, quandoquidem fuit illicitum, si ipse non erat Christianus. Ego nihil hîc pronuncio, sicuti nec Tamburinus *in Decalogum Lib. 1. cap. 3. §. 7. verb. Professio*, post hæc scripta lectus à me. Attamen observo ex Suarez *Tom. 3. De Relig. lib. 7. c. 3. n. 8.* & communi apud Tamburinum contra Caramuelem, in dubio præsumi pro valore Professionis, sicut & Matrimonii. Certè talis Religiosus tenetur recepto Baptismo ratificare suam professionem. Quintanadven. *loc. cit. num. 5.* Religio quippe, in qua vivit, potest jure hoc exigere ab illo,

462 De valore contractuum, suffragiorum, licentiarum, & similium, quæ fecit, aut dedit, non est dubitandi locus propter doctrinam allatam superiùs *num. 444.* in quantum scilicet valor talium pendet à voluntate, potestatéque humana.

463 Utrùm autem cognito, Baptismum fuisse nullum, debeat, si velit manere in religione, rursum inchoare Novitiatum, eúmque continuare tempore consueto, & utrùm serv et jus præcedentiæ, quod antea præsumtivè habebat, discès ex iis, quæ Suarez *Tom. 3. De Relig. Lib. 7. cap. 1. & 2.* tradit de professione invalida ob occultum impedimentum, sed magis specialiter ex resolutione hujus

Casus decisi.

F*Uit dubitatum, an Monialis, quæ emiserat professionem, & deinde probabiliter dubitans, se non fuisse baptizatam, de novo ad cautelam baptizata fuit, debeat de novo emittere professionem; & dato quòd sic, an debeat expectare per Annum? Fuit resolutum sub die 10. Decemb. Anno 1588. professionem ligare; verùm debere eam ad majorem cautelam iterum emittere professionem, exspectato alio Anno, & fuit allegatus Abbas in Cap. 1. & 2. De presb. non bapt.* Hanc resolutionem Congregationis Cardinalium hisce verbis refert Joan. Gallmart. *ad Cap. 19. De Regul. sess. 25. Concil. Trident.* quibus nil addo.

Quod

464 Quod dixi de Religioſi obligatione perſiſtendi, aut non perſiſtendi in religione, idem de obligatione conjugis; nam ſi comperiatur, defuiſſe verum Baptiſma, cadit in eam illud Apoſtoli 1. *Corinth. 7. liberata eſt* (à lege viri) *cui vult, nubat, tantùm in Domino*; etenim defectum Baptiſmi eſſe impedimentum *eſſentiale* Matrimonii cum baptizato, conſtat *ex Cap. Cave. 28. quæſt. 1.*

465 Si verò non ſit *moraliter* certum, Baptiſmum fuiſſe nullum, tenetur permanere in conjugio, ac præſtare officia conjugalia omnia. Quintanadven. *ſingul. Tract. 1. ſing. 9. n. 2.* Probatur ex generali doctrina de dubiis ſupervenientibus Matrimonio inito bonâ fide, quam exequuntur Sanchez *Lib. 2. De Matrim. diſp. 41. & ſeqq.* itémque tractatores diſſerentes de Matrimonio.

Quæres verò, *ſi, comperto; Baptiſmum fuiſſe planè nullum, velit putativus conjux permanere cum altero, an debeat eum monere de impedimento ſuo eſſentiali ob Baptiſmi defectum?*

466 Reſp. Non video ſingularem difficultatem in hoc impedimento; quare quemadmodum *per ſe loquendo* debet altera pars moneri de cæteris impedimentis ſaltem in genere, *per accidens* autem poteſt quandoque ſupерſederi hac monitione, ſicuti poſt Henriquez *in Summ. Lib. 11. cap. 3.* atque alios non perfunctoriè declaro *in Theolog. Iuridic. moral. Cap. 37. num. 131.* ita etiam ſentiendum eſt in priore caſu.

BAPTIZANS CUM, ET SINE CÆREMONIIS.

CASUS XVI.

Multùm controverſus.

SUMMARIUM.

Quadratus prolem ſibi natam, ob deformitatem mandat domi baptizari, prætermiſſis exorciſmis, & aliis cæremoniis. 467.
Eſt per ſe loquendo *obligatio ſubmortali, ſervandi cæremonias. 469.*
Debet quiſque ſub gravi peccato veniali obſervare ritus in Diœceſi receptos. 470.
An, cùm quis domi baptizatur, licitè adhibendæ ſint cæremoniæ. 471.
In periculo mortis etiam minimo non ſunt adhibendæ. 472.
Probabilibus videtur, licitum eſſe, in Baptiſmo privato adhibere ſolennitates. 463.
Imò eſt præceptum. 466.
In praxi tamen ſtandum receptâ conſuetudine cujuſque Diœceſis. 476.
Quid ſi diverſa ſit conſuetudo? 477.
Caſus Parochi hiemе rigente cæremonias quaſdam puero domi adhibentis, reliqua in Eccleſia perficientis. 478.
Quid propriè ſit Baptiſmus ſolennis, & quid privatus? 480. & ſeq.
Reſolutio pendet à definitione Baptiſmi ſolennis neceſſariò ad 4. quæſtiones reſolvendas. Ibid.
In domo privata coram tribus, aut quatuor perſonis collatus, non poteſt dici ſolennis. 482.
Secùs ſi coram multis. 484.
Irregularis ſit ſubdiaconus, baptizans infantem domi cum omnibus ritibus. 486.
Baptiſmus ſolennis eſt, qui confertur quocunque loco cum ritibus præſcriptis ab Eccleſia. 487.
Baptiſmus dividendus eſt in ſolennem, & non ſolennem potiùs, quàm in ſolennem, & privatum. Ibid.
Cenſetur ſoleniter baptizaſſe, qui pleraſque, & præcipuas adhibuit cæremonias, etſi non omnes. 489.
Mortale peccatum eſt, baptizare extra Eccleſiam abſque neceſſitate, aut privilegio. 491.
Quo gaudent Principes. Ibid.
Quinam nomine Principum intelligantur? 492.
An quicunque nobiles, & Domicelli? 494.
Conſultum foret, ſi Epiſcopus determinaret, quibuſnam oporteat uſum Privilegii impertiri. Ibid.
Debent hi curare, ut id fiat cum cæremoniis conſuetis. 495.
Sufficit quodcunque probabile dubium, ne infans moriatur ſine Baptiſmo. 498.
Ex quibus indiciis parochi colligant, infantem periclitari de vita? 499.
Adquos caſus extendi poſſit Clementina? 500. & ſeq.
An peccet mortaliter, vel venialiter, qui baptizat in Eccleſia, in qua non eſt baptiſterium? 502.
Caſus Parochi celebrantis in ſacello conſecrato, ad quem defertur infans baptizandus, qui commodè deferri non poterat ad Eccleſiam parochialem. 503.
Si defuit chriſma, debuit ſuppleri, ut oſtenditur caſu ſequenti. Ibid. *& ſeq.*
Debent enim per ſe loquendo *ſolennitates* omiſſæ *in Baptiſmo privato poſtea ſuppleri. 505.*
An excuſandus is, de quo num. 467. dictum? Ibid.
Non eſt moris apud Germanos, exerceri ritus Baptiſmales circa eos, qui è Lutheraniſmo tranſeunt ad Papatum. 506.
Compertum eſt, magis infeſtari à Dæmone baptizatos ſine exorciſmis. Ibid.
Probatur luculento exemplo. Ibid.
Adhiberi etiam exorciſmi poſſunt, quando ſupplentur cæremoniæ in verò Baptiſmo omiſſæ. 507.
An, cùm quis rebaptizatur, iterandi ritus uſurpati in priore Baptiſmo invalido? 508.
Graviter peccat, qui Chriſmate veteri utitur extra caſum neceſſitatis ad baptizandum. 509.
Hinc non licet die Cœnæ Domini poſt prandium adhibere chriſma, & oleum conſecratum die Cœnæ Anni præcedentis. 510.
Quid faciendum, ſi tunc baptizandus infans, & novum Chriſma nondum ad manum ſit? Ibid.
Quid ſi abſente etiam periculo, vigeat in tua Diœceſi uſus antiquus utendi antiquo Chriſmate? 511.
Quid faciendum parocho, ſi prævideat chriſma, & oleum non ſufficere in totum Annum? 512.
Chriſmatio non facilè omittenda, etiam peſtis tempore, ob gratiæ baptiſmalis conſervationem. 513.
Parocho non licet præter inunctionem verticis frontem, usque inungere. 514.
Caſus, quo quæritur, num Eccleſia matrix, ad quam ex filiali habente jus baptizandi, tempore belli per multos annos delati ſunt infantes pro Baptiſmo, poſſit vindicare ſibi jus exigendi, ut parvuli impoſterum è filiali deferantur ad matricem? 515.
Reſpondetur negativè ob triplicem cauſam. Ibid. *& ſeqq.*
Significatio, & effectus Cæremoniarum baptiſmalium indicatur per verba poſita in Rituali. 518.

467 *Quadrato naſcitur proles deformis; propter deformitatem non ad ſacrum, & publicum fontem deferri, ſed eam domi baptizari mandat, exorciſmis, multiſque aliis prætermiſſis in ea re Eccleſiæ cæremoniis. Cùm proles propè decimum Annum ageret, cruciari cœpit animis patris, mittendáne ad templum eſſet, quo cæremoniæ, & ritus, qui in Baptiſmo omiſſus fuit procurarentur? Reſpondi, non fuiſſe ad templum ducendam ad explenda ſolennia, quibus caruit domi impertitus Baptiſmus; novitas enim, & inſolentia facti in nobiliſſima civitate non ſolùm admirabilitatem feciſſet, ſed etiam multorum animos graviter offendiſſet &c.*

468 Hæc phraſis P. Pauli Comitoli *Lib. 1. Reſp. moral. q. 12.* ſatis oſtendit; Caſum hunc non eſſe fictum; ſed factum; tangit quoque quæſtionem à nullo, quantùm ſcio, ventilatam, utrùm ſcilicet ſint in privato Baptiſmo adhibendæ cæremoniæ ſolennes? & quid ſit Baptiſmus ſolennis? Quam utramque quæſtionem priuſquam pertractem.

469 Quæres I. *Quanta ſit* per ſe loquendo *obligatio ſervandi cæremonias, & ritus præſcriptos circa Baptiſmum?*

Reſp. Eſt *per ſe loquendo* ſub mortali. Ita DD. citandi in decurſu; inter quos Nugnus *in 3. part. q. 67. a. 5.* pronuntiat; eſſe ſuſpectum de hæreſi; qui omittit ſine cauſa. Ratio reſponſionis eſt; quia toties repetitum, & antiquiſſimum præceptum de iis obſervandis eſt utique de re pergravi; adeò, ut mortale ſit, quandoque etiam unam, alteramve omittere; ut de chriſmate exprimit Nugnus. *Per accidens* tamen fieri poteſt, ut omiſſio cæremoniæ, aut cæremoniarum contineat vel nullam, vel ſolùm venialem culpam. Nullam, quando ex juſta cauſa omittuntur, ut ſit in articulo mortis jam jam imminentis. Venialem, quando omiſſio eſt unius ſolùm, alteriúſve cæremoniæ non notabilis.

Debet autem quiſque ſub gravi veniali peccato obſervare cæremonias, ſeu ritus receptos in diœceſi; in qua adminiſtrat hoc Sacramentum. Chapeaville *de modo adminiſtr. Sacram. temp. peſt. cap. 1. q. 52.* quia alioquin inveheretur in Eccleſiam confuſio contra providum monitum Apoſtoli 1. *Corinth. 4.* ſcribentis: *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Attamen Tannerus *Tom. 4 diſp. 4. q. 3. n. 124.* meritò excipit loca exempta; hæc quippe poſſunt ſequi rituale Romanum. 470

Quæres II. *Virùm, quando quis domi baptizatur licitè, ſint adhibendæ cæremoniæ?* 471

Hanc quæſtionem, etſi quotidiani, diverſique uſus, & à jure non definitam, nemo; quem legerim, diſcutit, duo duntaxat ſuam de illa opinionem firmant ratione; pauciſſimi ſuam de illa mentem exprimunt verbis omnino perſpicuis; plerique, ut S. Thomas, Scotus, Silveſter, Tabiena, Armilla, Navarrus, Valentia, Vaſquez, Henriquez, Emmanuel Sa, Nughus, Filliucius, Bonacina, Barboſa, Laymannus, Tannerus, Reginaldus, Eſcobar, Diana, Coninck, Manuale parochorum, Dicaſtillo, Stephanus à S. Paulo, quos conſului; vel non tangunt hanc difficultatem, vel ſolùm dicunt, cæremonias, quæ in caſu neceſſitatis omiſſæ ſunt, eſſe ſuppendas.

Dico igitur I. Certum eſt, illos ritus non eſſe adhibendos, quando eſt minimum periculum, ne infans extinguatur ſine Baptiſmo propter ejuſmodi miniſterium, nec enim eſt, vel eſſe poteſt mens Eccleſiæ, ut adhibeantur in tali diſcrimine. Omnis mora mors hîc eſt. 472

Dico II. Tametſi aliquando inclinaverim in eam partem, quæ *in actu exercito*, vel *ſignato* negat fas, aut opus eſſe, ſolennitates adhibere in ejuſmodi Baptiſmo communiter loquendo, nunc autem probabilius mihi videtur, poſſe uſurpari. Probo *primò* auctoritate. Nam ita in terminis docet ſapientiſſimus Pax Jordanus *in elucubrat. Tom. 1. Lib. 3. tit. 1. num. 16.* ſic concludens. Quando conceditur hujuſmodi (in privatis ædibus) licentia baptizandi ob neceſſitatem, vel privilegium, ſacerdos poterit Baptiſmum cum omnibus ſacris ritibus miniſtrare. Conſentit P. Hurtadus *de Bapt. diſp. 5. diſſic. 2.* Sotus *in 4. diſt. 6. q. 2. a. 3. ſub. fin.* pronuntians, eſſe mortale, omittere cæremonias *extrà extremam neceſſitatem.* Toletus *in ſumm. Lib. 2. cap. 23. num. 1.* ait: Quòd ſi neceſſitas Baptiſmi non urgeat, nullus baptizare debet abſque ſolennitatibus. Suarez *Tom. 5. in 3. part. diſp. 33. ſect. 1. num. 2* conformiter iis, quæ tradit 473

dit *hîc diſp. 30. ſect. 2.* ſic loquitur: *Quoties Baptiſmus conceditur extra articulum neceſſitatis* (extremæ, ut certum eſt ex toto diſcurſu) *ſolennitas ejus conceſſa intelligitur, imò hæc nunquam licite dimittitur, niſi ob accidentariam* (*id eſt extremam*) *neceſſitatem.* Cotonius *Cap. 4. n. 17.* ſcribit: Extra neceſſitatem peccaret parochus, non ſolùm ſi privatim baptizaret, ſed etiam, ſi aliquam ſolennitatem omitteret, niſi levis materia excuſaret. Denique Palaus *Tr. 19. punct. 8. num. 4.* dicit, non licere extra periculum mortis baptizare ſine ſolennitatibus.

474 Qui clariùs loquatur pro mea ſententia, fateor, me ignorare. Sicut & ignoro; an quis clariùs ſcripſerit pro oppoſita, quàm in primis idem Suarez *Tom. 3. in 3. part. quæſt. 67. a. 4.* inde probans, non eſſe neceſſariò adhibendum patrinum in privato Baptiſmo, quòd in eo poſſint omitti cæteræ cæremoniæ; quo etiam argumento ad id ipſum probandum utitur Coninck *q. 67. a. 5. num. 27. in fin.* & alii nonnulli. Deinde Hermanus Buſenbaum *in Medulla Theologiæ moral. lib. 6. Tr. 2. De Bapt. cap. 1. dub. 5. a. 1. num. 2.* ubi ſic loquitur: *Baptiſmus ſolennis non eſt conferendus niſi in templo, & loco ad id deputato, niſi filiis Regum & Principum, quibus adde filios Catholicorum in locis hæreticis, interim quoad hoc cum Magnatibus, & Nobilibus conniventer in multis locis.* Denique Bernardinus Poſſevinus *de Bapt. q. 22.* quærens, an baptizans domi in neceſſitate debeat baptizare cum omnibus ſolennitatibus? Reſpondet, ſufficere, ſi utatur materiâ aptâ, & formâ neceſſariâ.

Sed ſententia, quàm nunc defendo, probatur 475 *ſecundò* rationibus. Et in primis illâ, qua utitur Toletus *l. c.* quòd ſcilicet non debeat eſſe aridus, & nudus acceſſus ad tantum Sacramentum. Deinde illâ, qua movetur Pax Jordanus, quòd ſcilicet Canones concedentes Baptiſmum in domo privata loquantur de Baptiſmo ſimpliciter, quod verbum integre capi debet cum ſuis ritibus, & ſolennitatibus, nam verba intelliguntur cum effectu *Text. cap. Relatum. De Cler. non reſid.* Et quando jus concedit aliquid non limitando modum, cenſetur concedere ſecundùm communem ritum. Suarez *cit. ſect. 1. n. 2.* Adhæc acceſſorium naturam convenit ſequi principalis. *Cap. Acceſſorium. De Reg. juris in 6.* Præterea cui datur juriſdictio, conceduntur omnia neceſſaria ad illam expediendam. *Text. Leg. 2. ff. De juriſd.* & cui datur facultas audiendi ſacrum Feſto die in Oratorio privato, cenſetur eſſe data famulis, ſine quib⁹ non poſſet convenienter ſuo ſtatui intereſſe Sacro, ut pluribus declaro *in Alphab. Sacrific. Caſu VIII.* Inſuper ubi conceditur chriſmatio baptiſmalis, ibi & cæteræ cæremoniæ, cùm non ſit ratio, cur potiùs una, quàm altera permittatur. Suarez *cit. n. 2.* Atqui talis chriſmatio permittitur in Baptiſmo ſummè privato, ínque articulo mortis. Infrà *n. 513.* ex Chapeville. Denique conceſſio rei factæ cenſetur juxta illius qualitatem. *Gloſſ. margin. in Clement. unic. De ſupplend. verbo: Monaſteriorum,* P. Suarez *Tom 4. De Relig. lib. 3. cap. ult. n. 23.* & alii paſſim.

Dico III. Non ſolùm fas eſt, illa privata Ba- 476
ptiſmata miniſtrare cum ſacramentalibus, ſeu ritibus ſolitis, ſed etiam probabiliter oportet. Abſolutè oportere, docent Sotus, Toletus, Cotonius, Palaus *locis ſuprà cit.* & Suarez *n. 2.* contra ipſummet Suarez *hîc ad quæſt. 67. art. 8.* itémque Coninck paulò antè relatus. Ratio eſt, quia cùm *per ſe loquendo* ſit mortale, baptizare ſine conſuetis ritibus. Suprà *n. 469.* & jura hinc non excipiant Baptiſmata privatim juſtis de cauſis celebrata, locum ſanè hîc habet illud Axioma juridicum: *Generaliter dicta generaliter intelligenda ſunt.* Quia tamen opinio Suarezii hîc indicata eſt probabilis in pluribus caſibus, idcirco ſemel atque iterum ſuperiùs fuimus ex ejus ſuppoſitione locuti. Plura autem circa hanc, & præcedentem concluſionem vide paulò inferiùs, & adde, *practicè loquendo* ſtandum eſſe receptâ conſuetudine cujuſque diœceſis juxta dicta ſuprà, & celebrem illam ſententiam, quæ ex Ambroſio refertur, *in can. Illa. diſt. 12. Cùm Romam venio, ſabbatum jejuno: cùm ſum Mediolani, non jejuno. Sic & tu, ad quamcunque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.*

Sed eſt in mea diœceſi diverſa conſuetudo, nec 477
uniformis. Ergo ſequere conformem doctrinæ hîc propugnatæ. Et verò Conſtitutiones Synodales hujus diœceſis Conſtantienſ. *p. 1. tit. 6. n. 4.* & Obſequiale *fol. 63.* ita loquuntur, ut non poſſit certò ſciri, quid velint hîc fieri; quapropter ſcio, non obſervari ab omnibus parochis unam eandémque rationem, ſed nonnulli, ſi uon ſit periculum in mora, adhibent omnes ritus, alii nullos, alii ob frigus magnum, ſimul cum aliqua debilitate parvuli junctum, eos, quos exhibet hic

Caſus hujus urbis.

R*Igente hieme quidam præſignis parochus,* 478
(ut mihi ab ipſo coràm relatum reperio in meis Adverſariis) vocatus ad infantem domi baptizandum perfecit illic omnia præcedentia unctionem ſcapularum, quia verò puerulus judicabatur poſſe deferri in templum ſine magno periculo, id mandavit, in eóque mox perfecit reliqua. An exemplo probando? Reſp. Non improbando in prædictis circumſtantiis.

Me verò latet; cur in baptizando puero 479
Quadrati, de quo noſter principalis Caſus, fuerint; (ſicut ſatis indicat Comitolus verbis

ex

ex ipſo relatis,) adhibiti aliqui ritus, alii omiſſi, cùm potiùs debuerint omnes adhiberi juxta hanc noſtram *tertiam* concluſionem.

480 Quæres III. *Quid propriè ſit Baptiſmus ſolennis, & privatus?*

Reſp. Licèt omnis, quæ de re aliqua ſuſcipitur inſtitutio, à definitione proficiſci debeat. Cicero *Lib. 1. de offic. conformiter Leg. 1. ff. de Juſt. & Jur.* neſcio tamen, qui factum ſit, quòd nullus, quem legerim, Theologus præter Poſſevinum, tradat ullam definitionem Baptiſmi ſolemnis, & privati, cùm tamen non ſolùm ſit perfrequens uſus horum vocabulorum, ſed ex vera, claráque definitione, ſeu deſcriptione illorum dependeat reſolutio *practica* multarum quæſtionum, ac ſingulariter quaternarum. *Prima* eſt de ſacerdote peccante mortaliter, quando baptizat in peccato mortali ſolenniter, ſecùs ſi non ſolenniter. Suprà *num. 145. Secunda* de Subdiacono incurrente irregularitatem, quando baptizat ſolenniter, non, quando non ſolenniter. Suprà *num. 140. Tertia* de patrino non neceſſario ad privatum, neceſſario ad ſolennem. Infrà *num. 523. Quarta* de patrino contrahente cognationem ſpiritualem in Baptiſmo ſolenni, non contrahente in non ſolenni, ſeu, ut loquuntur, privato. Infrà *n. 577.*

481 Has certè quæſtiones, ſeu earum reſolutionem nemo aptè rediget ad praxin, niſi nôrit, quid ſit, & non ſit Baptiſmus ſolennis, ac privatus.

Porrò difficultatem circa conſtructionem bonæ definitionis in hac materia facit, quòd ex una parte auctores paſſim Baptiſmum ſolennem, & ſolenniter miniſtratum expreſſè opponant Baptiſmo privato, & privatim impertito, non ſecùs, ac ſi *Solenniter & Privatim*, eſſent membra contradictoriè oppoſita. Ita inter reliquos loquuntur Vaſquez *hîc Diſp. 147. num. 33.* Suarez *hîc Diſp. 33. Sect. 3.* Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 7. dub. 3.* Sanchez *de Matrim. Diſp. 62. num. 13.* Filliucius *Tract. 2. Cap. 4. num. 31.* Bonacina *de Matrim. quæſt. 3. punct. 5. §. 2. num. 11.* Palaus *Tract. 19. punct. 9. n. 4.* Perez *de Matrim. Diſp. 29. Sect. 3.* atque alii plures. Ex altera autem parte dicatur omne illud fieri privatim, quod non fit publicè, ut nos docent Lexica Grammaticorum, communiſque modus loquendi, qui maximè ſpectandus eſt. *Leg. Labeo. ff. De ſupell. leg.*

482 Videtur igitur apertè ſequi ex illa phraſi Theologorum, Baptiſmum, quem quiſpiam ſeu Laicus, ſeu Clericus miniſtraret in domo privata coram tribus, aut quatuor perſonis, ſervatis omnibus cæteris ritibus, non poſſe vocari ſolennem, adeóque per talem non contrahi irregularitatem, peccatum, compaternitatem.

483 Hanc autem conſequentiam, ſeu conſequens non admittit ipſe Suarez, utpote qui *Tom. 3. in 3. Part. Diſp. 2. Sect. 7. n. 26.* pronuntiat, ſolennitatem Baptiſmi in hoc differre à privata adminiſtratione *ſecundùm ſubſtantiam*, quòd ille ſit actus Ordinis, non autem iſta. Ergo ſi ſacerdos etiam in domo privata, & coram paucis adhibeat omnes reliquas cæremonias in Baptiſmo, dicetur baptizare ſolenniter ſecundùm Suarez, qui eodem *Tom. 3. Diſp. 33. Sect. 1. n. 1.* rotundè ſcribit, chriſmationem baptiſmalem non adhiberi niſi in plena ſolennitate; atqui quando filii Principum, & aliorum, de quibus infrà, luſtrantur undâ ſalvificâ in cameris, vel oratoriis privatis, poſſunt, ſi parentes velint, imò debent juxta dicta ſuprà, adhiberi chriſma, & reliquæ cæremoniæ; ergo plena ſolennitas poteſt eſſe in camera, & loco privato. Nec ullus dubitat, quin verè ſolennis Baptiſmus poſſit conferri in cameris, & hypocauſtis filiis Regum, & Principum, de quibus loquitur Clementina *de Baptiſm.* nóſque declarabimus *num. 491. & ſeqq.*

Itaque pro extricanda hac intricata quæſtione.

Dico I. Poteſt Baptiſmus dici propriè, & ve- 484
rè ſolennis, etiamſi celebretur in domo privata. Probatur I. rationibus, quas primùm attuli contra illam diviſionem Baptiſmi in ſolennem, & privatum, tanquam in membra contraria, ſeu contradictoriè oppoſita.

II. Quòd Baptiſmus dicatur ſolennis à ſo- 485
lennitatibus, ſolennitates autem ſunt ipſi ritus & cæremoniæ, ut videre eſt, apud ſanctum Thom. *q. 66. art. 10.* atque obvios Theologos. Licèt autem locus ſacer etiam annumeretur ſolennitatibus, ut ſingulariter exprimit Palaus *cit. punct. 8. n. 7.* reliquæ tamen cæremoniæ ſunt potiores, & proinde denominatio facienda ab iis.

III. Quòd nemo, reor, negaturus ſit, ir- 486
regularem fieri illum Subdiaconum, qui indutus ſuperpelliceo adminiſtrat in cubiculo puerperæ deſignatis patrinis, cum exorciſmis, abrenunciationibus, unctionibus, & univerſim cum omnibus ritibus præſcriptis in Rituali Baptiſmum infanti in nullo periculo verſanti, atqui ſubdiaconus non incurrit irregularitatem ratione Baptiſmi adminiſtrati, niſi is ſit vel ſolennis, vel illicitè iteratus. Denique Hermannus Buſenbaum apertiſſimè docet, poſſe ſolennem Baptiſmum privatim conferri aliis, quàm filiis Principum & etiam concedunt Suarez, Coninck, Filliucius, poſſe per diſpenſationem Pontificis fieri, ut inferior ſacerdote baptizet privatim *ſolenniter*.

Dico itaque II. Baptiſmus ſolennis eſt om- 487
nis Baptiſmus, qui à quocunque in quocunque loco, & coram paucis, aut multis confertur cum ſolennitatibus, ſeu cæremoniis veſtis ſacræ, exorciſmorum, unctionum, patrinorum, & aliis, quæ de jure, vel conſuetudine adhiberi ſolent. Vel brevius, eodem tamen ſenſu: Baptiſmus ſolennis eſt, qui confertur quocunque loco cum ritibus præſcriptis ab Ec-

eleſia. Ratio definitionis eſt, quia explicat naturam omnis, & ſolius Baptiſmi ſolennis. Unde nimis reſtrictè definit Poſſevinus *de Baptiſm. quæſt. 27.* Baptiſmum ſolennem eſſe, qui confertur in Eccleſia per ſacerdotem, nam ſolennis poteſt, & quidem à Diacono licitè, & illicitè conferri in Oratorio. Nec in rigore admitto diviſionem in Baptiſmum ſolennem, & privatum, ſed in ſolennem, & non ſolennem.

488 Quia tamen nolo diſſentire etiam à modo loquendi (ſine dubio mecum ſentiunt re ipsâ) nominatorum Theologorum, & aliorum, dico, omnia verba eſſe intelligenda ſecundùm ſubjectam materiam *Cap. Intelligentia. De verb. ſignificat.* Ergo voces *privatum*, & *privatim* ſunt etiam hîc intelligendæ ſecundùm ſubjectam materiam, ſcilicet Baptiſmum, qui quando privatim, ſeu non publicè adminiſtratur comuniter non adminiſtratur ſolenniter, id eſt cum cæremoniis, & ſecundùm jus expreſſum non eſſet opus, ut conferretur cum cæremoniis.

489 Porrò quia illa ſolennitas conſtat pluribus partibus integrantibus, ſicuti Miſſa, ac plurima alia entia moralia, & artificialia, quorum proinde denominationis fundamentum non conſiſtit in indiviſibili, ideo, ſicuti non negamus, aliquem audîſſe Sacrum, qui audiit notabiliter majorem nobiliorémque partem, eſto, venerit ſolùm ad Kyrie, vel Epiſtolam, ita etiam poterit Subdiaconus dici baptizâſſe domi ſolenniter, factúſque irregularis, ſi pleraſque cæremonias adhibuerit, ac præcipuas quidem, eſto non omnes. De Baptiſmo ſolenni ſecundùm hanc deſcriptionem, atque explicationem ſumpto intelligo omnia, quæ de quatuor quæſtionibus indicatis ſuprà dixi, & dicam ſuis locis.

490 Hinc patet, quàm meritò Palaus *cit. p. 9. n. 23.* ſcripſerit: *Baptiſmus ſolennis, & privatus formaliter in ſeipſis non differunt, ſed in cæremoniis extrinſecis, & accidentalibus.*

491 Quæres IV. *Quantum ſit crimen, baptizare extra Eccleſiam, non urgente neceſſitate?*

Reſp Eſt mortale, baptizare extra Eccleſiam abſque neceſſitate, aut privilegio. Quintanadvenn. *Singul. Tr. 1. ſingul. 20.* cum communi Bonacinæ, Reginaldi, aliorum propter varia Concilia, & capitula juris, inter quæ eſt illud unicum, quod habetur in Clementina *de Bapt.* his verbis: *Præſenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, ſed duntaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt fontes ad hoc ſpecialiter deputati, aliquos, niſi Regum, vel Principum, quibus valeat hoc in caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſq; periculo propter hoc acceſſus haberi, audeat baptizare. Qui autem ſecùs præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per ſuum Epiſcopum caſtigetur, quòd alii ſimilia attentare non præſumant.*

Sunt autem circa hanc ſanctionem Pontificiam pro praxi obſervanda ſequentia. 492

I. Nomine Principum intelliguntur hîc in primis omnes, qui abſolutè vocantur Principes, Germanicè Fürſten. Gallicè Princes. Italicè Principi. Cùm enim Clementina contineat privilegium, quid ni ita latè extendamus? *Argum. Leg. Beneficium ff. De conſtitut. Princip.* Et quia etiam nomine Principis intelligit Riccius *deciſ. 427.* itémque Quintanadvenn. *loc. cit. ſing. 21.* omnes Grandes Hiſpaniæ, Comites, Barones, Legatos Regum, & univerſim omnes obtinentes juriſdictionem temporalem. Jordan. *Tom. 1. elucubrat. Lib. 3. tit. 1. n. 15.* idcirco permittitur petentibus in hac diœceſi Conſtantienſi Nobilibus, præſertim Sueviæ, Hegoiæ, & Briſgoiæ, quorum plerique vel habent juriſdictionem, vel progeniti ſunt ex majoribus verâ juriſdictione præditis, ut eorum filii baptizentur extra Eccleſiam, ſed non niſi in ſacello, vel oratorio, ut loquuntur Conſtitutiones *P. 1. tit. 6. num. 4.* extra caſum neceſſitatis.

Per filios Principum intelligi etiam nepotes, 493
& pronepotes, patet *ex Leg. Liberorum. ff. De verb. ſignif.* ita deſcribente: *Liberorum appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique, qui ex his deſcendunt, continentur.*

Meritò tamen ægre fert Marchantius *in Reſ.* 494
Paſtor. Tract. 2. de Sacram. c. 3. paſſim Nobiles, & quoſvis Domicellos ſuo quaſi jure petere, ut ſui filii baptizentur domi, quem morem omnino corrigendũ rectè obſervat Palaus *hîc punct. 8. n. 4.* & Jordan. ac Quintanadvenn. cum Marchant. *locis citatis* monent, eſſe conſultum, ut Epiſcopus aliquo modo determinet, quibuſnam oporteat uſum Clementinæ impertiri, determinet autem ex vera ratione, non enim poteſt pro lubitu largiri eam facultatem, quandoquidem Clementina jam fecit reſtrictionem. Jordanus *loc. cit. n. 1.* & ne ipſi quidem Epiſcopo permittit Clementina, ut baptizet extra Eccleſiam. Jordanus *loc. cit. n. 17.*

II. Quibus ex generali, vel ſpeciali privi- 495
legio permittitur, ut eorum parvuli baptizentur domi, intelligitur, ut curent baptizari cum cæremoniis conſuetis. Jordan. *loc. cit.* Quintanad. *cit. ſing. 21. n. 5.* Marchant. *loc. cit.* poſt Suarez *Diſp. 30. Sect. 2.* Vaſquez, alios, nam cum iis diſpenſatur ſolùm quoad locum, non quoad ſeparationem rituum à Baptiſmo. Suar. *loc. cit.* Accedit ratio ſuprà *n. 476.*

III. Hinc Armilla *verb. Baptiſmus n. 25.* 496
Laymannus, Marchantius, alii communiter jure damnant Magnates, quòd tam liberè velint cæremonias differri ad aliquot dies. Quanquam nonnunquam eſt id faciendum propter patrinos viros illuſtres, qui expectantur; ſi tamen nullum ſit in mora periculum, deberet potiùs Baptiſmus differri in illorum adventum, quàm baptizari ſine ſolennitatibus; & putat Laymannus *hîc c. 6. n. 3.* non fore nimium,

um, etſi Baptiſmus differatur ad ſeptem hebdomadas.

497 IV. Neceſſitatem, ob quam Clementina permittit Baptiſmum privatum, quod attinet, non utique eſt intelligenda inſuperabilis, ſed ſufficit probabile periculum, fore ut, niſi jam baptizetur infans, ſit vel moriturus ſine Baptiſmo, vel diu ſine Baptiſmo victurus; vel ſi deferatur ad Eccleſiam, augenda, vel creanda ſit infirmitas.

498 Imò ad hujuſmodi privatum Baptiſmi modum domi abſque peccato miniſtrandum, ſatis eſt non ſolùm quodcunque probabile periculum, aut dubium, ſed etiam quicunque prudens timor, præſumptio, conjectura periculi, ne infans è vivis excedat ſine Baptiſmo in eo ſenſu, quo hæc ad iterationem Baptiſmi *conditionalis* ſufficiunt, cùm non minùs dedeceat, aut leviùs prohibeatur ejus iteratio, quàm hæc adminiſtratio privata. Ita ſingulariter obſervat P. Quintanadvenn. *ſingul. Tr. 1. ſingul. 20. n. 3.* Quod velim notari ſingulariter à ſcrupuloſis, ita ut ſi vel obſtetrix, vel alia perſona dicat: *Domine paroche, omnino timeo, ne, ſi differatur Baptiſmus, obeat parvulus ſine lavacro*; parochus poſſit, ac debeat illum domi conſecrare, (ut phraſi S. Leonis utar, *in can. Cùm itaque, De conſecr. diſt. 4.*) Dummodo non ſit manifeſtum, obſtetricem, aut aliam perſonam loqui ex ſuggeſtione aliorum contra conſcientiam. Idem dico, quando eſt periculum, ne, ſi parvulus deferatur ad Eccleſiam, contrahat morbum. Licèt enim Quintanadvenn. *loc. cit.* de hoc ſubdubitet, ego tamen tam parùm dubito, quàm quòd ille innoxiè frangat jejunium, omittat Sacrum die feſto, cui probabiliter imminet morbus ex impletione horum duorum præceptorum. Et miror, quòd hic idem ſcriptor etiam dubitet, ſi ipſa mors probabiliter timeatur in eo caſu.

499 V. Illud potiùs obſervent parochi, quod idem ſcriptor *n. 5.* perquam appoſitè, & proficuè refert ex doctrina Medicorum his verbis: *Infans, qui ſine lachrymis, aut ſingultibus naſceretur (hæc enim ſunt indicia ſenſuum vivaciſſimorum, quibus aëris frigiditatem, & intemperiem ſentimus ex calore uteri materni egreſſi) ſatis indicaret, ſe vividos ſenſus non habere, & ſic aliquo modo de vita periclitari, præſumendum eſt. Sicut etiamſi magnum temporis intervallum in egreſſione ab utero materno conſumpſit, vel nimiam in hoc paſſus eſt moleſtiam, aut ſuffocationis inchoatæ ſigna profert.*

Item in proximo vitæ periculo eſt, qui intempeſtivè ad quintum, ſextúmve, aut ante ſeptimum menſem proſilit, ſufficienter enim nutritus, aut roboratus à natura non eſt, & qui in octavo naſcitur, egreditur in menſe, experientiâ, & doctrinâ Medicorum, periculoſiſſimo. Ita hic auctor, cujus doctrinam meritò junges Aphoriſmis præſcriptis *Caſu VIII. n. 260.*

500 VI. Quamvis Clementina ſe reſtringat ad duos privatos caſus, crederem tamen obidentitatem rationis, extendi poſſe ad alios. v. g. »ſi infans ad Eccleſiam ſine periculo infamiæ, »aut vitæ parentum deferri nequeat, vel aliud »timeatur damnum, ſeu periculum, nam & hæc »æquiparari poſſunt periculo, de quo Clemen»tina loquitur, veluti ſi Nobilis puella oc»cultè peperit, & ex ejus Baptiſmo in Eccleſia »veriſimiliter timeretur manifeſtatio erroris, »& conſequenter infamatio, & vitæ pericu»lum, & ſic de ſimilibus.

Totus hic diſcurſus eſt Pacis Jordani *Tom. 1.* 502
elucubr. Lib. 3. Tit. 1. n. 17. quibus confirmantur, quæ paulò antè ſuperiùs reſolutè dixi contra dubitationem Quintanadvennæ, quæ ſanè procul abeſt ab illis parochis hujus diœceſis, qui extraordinariè ſæviente hieme baptizant domi cum ſolennitate, ſicuti mihi ſcripſit, quĩ ſcit; nec meritò damnabunt Itali, vel Hiſpani, qui Rhiphæum frigus Allemanniæ non ſunt experti.

VII. Authores non exprimunt, utrùm, ſic- 503
ut peccat mortaliter baptizans extra Eccleſiam, ita etiam mortaliter delinquat baptizans in Eccleſia, in qua non eſt baptiſterium; quod à S. Dionyſio *Hier. Eccleſ. c. 2.* honorificè appellatur: *Mater adoptionis.* Facit quidem etiam mentionem hujus Clementinæ, ſed tamen non cogit dicere, intervenire hîc peccatum mortale. Excuſarem ergo à mortali tranſgreſſionem hujus circumſtantiæ, ſi omne aliud incommodum abeſſet, imò etiam à veniali, ſi gravis aliqua cauſa impelleret; nam revera non debemus ſtatuere peccatum mortale, quando nos non cogit vel autoritas, vel ratio. Elucidabunt hanc doctrinam duo Caſus ad me perſcripti, dum hæc ſcribo, alter à viro Religioſo, alter à ſæculari, utroque parocho.

Caſus I.

DUm Parochus caſu celebrat in ſacello pri- 503
vato, conſecrato tamen, adfertur infans baptizandus, idque tempore brumali, ita ut non poſſit commodè portari ad templum parochiale, utpote ab ædibus infantis medio milliari (Germanico) abſitum, & non niſi per nives profundiſſimas, & montes præaltos adeundum, an licuit, illum infantem ibi tingere aquâ ſalutari?

Reſpond. Si nihil aliud defuit, quàm locus baptiſterii, adfuit autem bona fides deferentium puerum, cenſeo, potuiſſe admitti ad primum ſacrati ſalis pabulum, (ut loquar cum Clemente III. *Cap. Contracto. De cognat. ſpirit.*) atque adeò ad Baptiſmum; nam & non erat læſurus jus parochi, utpote iple parochus, & potuit prudenter præſumere de tacita licentia Ordinarii in caſu veſtito his circumſtantiis,

& minimè trahendo in studiosam consequentiam. Si defuit chrisma, debuit suppleri, ut proponit hic

Casus II.

504 *Acerdos quidam ivit ex mea parochia in filialem illic sacrificaturus, cui affertur infans baptizandus, quem & baptizavit, & quia secum non habuit oleum, & chrisma, jussit illum commodo tempore ferri ad matricem, ubi cæremonias supplevit, an sine peccato?*

Respond. Si prudenter existimabat, parochum nullo modo ægre laturum ejusmodi actum; si deinde accessit distantia satis magna à matrice; si cælum pluvium, vel nimbosum; si bona fides in patrinis jam præsentibus; si nullum periculum inducendi morem contrarium Clementinæ, arbitror, fore nimis rigidum Theologum, qui hoc opus charitatis damnaret noxæ lethalis; si quis ne venialis quidem, haberet me adstipulatorem. Epikia celebrata ab Aristotele *5. Ethic. c. 10.* à S. Thoma *2. 2. q. 120. a. 1.* potest in hoc & superiore casu vim aliquam exercere; sicuti & in separatione chrismationis à cæteris cæremoniis doctrina, quam *ex Capit. Cùm dilecti. De dol. & contum.* tradit, illustrátque exemplis Navarrus *cap. 11. n. 10. de oration. Qui non potest facere totum eo modo, quo jubetur, tenetur facere partem, vel totum eo modo, quo potest.* Quia verò inter præcipuas cæremonias Baptismi est chrismatio, & unctio, existimo, utramque fuisse meritò postea suppletam.

Hinc dilatio chrismationis, & unctionis dat occasionem solvendi generalem quæstionem.

505 Quæres enim V. *Utrùm solennitates omissæ in Baptismo privato debeant postea suppleri?*

Resp. Debent *per se loquendo.* Richardus, Vivaldus, Bonacina, Coninck, alii communiter cum & apud Palaum *Tr. 19. punct. 11. n. 12.* & Dianam *Part. 5. Tract. 3. Resol. 6.* nam & ita fert mos Ecclesiæ, & desumitur *ex cap. Hanc Regulam. 1. q. 1. & cap. 1. De Sacram. non iterandis.* Habetúrque ex Ritúali Romano.

506 At: *An sub mortali?* Asserit Cotonius *de Baptismo cap. 4. n. 59.* Negat Possevinus *q. 23.* non dissentiente Diana *p. 5. Tr. 3. Resol. 6.* Et meritò, quia nec consuetudo, nec jus scriptum satis indicat obligationem mortalem. Unde etiam excuso nostrum Quadratum, si suum deformem filium non curavit post tot Annos lustrari omissis (& immeritò quidem) in privato Baptismo ritibus; nam ad effugiendum peccatum veniale, proveniens ex neglectu legis humanæ, perfacilè juvat causa rationabilis, qualis serat murmur, quod exoriturum erat in urbe, si circa decennem puerum in urbe Catholica è parentibus Catholicis natum, educatúmque, fuissent post tot Annos obitæ solennitates.

Sed debuissentne suppleri in aliquo sacello privato? Omnino; nec scio, cur P. Comitolus non hoc suaserit, suasissem ego.

At quid agendum iis, qui è Lutheranismo, Calvinismo &c. transeunt ad Papatum? Resp. Rectè scribit Tannerus *hìc q. 2. n. 117.* non solere apud nos fieri, ut ritus baptismalis exerceantur circa illos. Rectè idem scribit Laymannus *hic cap. 8. n. 10.* Rectè etiam id sentit Author *Man. Paroch. Part. 2. cap. 3. n. 6.* Rectissimè hi tres addunt, consentiente Cotonio *l. c. n. 62.* post Franc. de Lugo, esse consultum, ut contra hunc morem agatur, quando id potest fieri sine incommodo, ut sanè potest cum octennibus, & decennibus pueris, difficiliùs sanè cum adultioribus, ob metum, ne Baptismum Lutheranorum videamur universim habere pro invalido. Equidem si inposterum mihi obtingeret, quod aliàs, non omitterem, sed bene instructum circa rationem horum rituum curarem à parocho loci ungi chrismate, & oleo, exorcismis quoque muniri, &c. Et quid nì liceret mihi hoc ipsum præstare in nostra sacristia; vel in templo occluso, præsentibus tamen aliquibus, ut monet Author *Manualis*, id est P. Carolus Mussart, sicuti exprimit postrema Editio, cum facultate Superiorum? Opponi non posset ullus Canon, ulla adversans consuetudo; sed præstat, fieri per parochos.

Fidem habeo Laymanno *loc. cit.* testanti, compertum esse, eos, qui sine exorcismis baptizati sunt, magis infestari à cacodæmone, quàm alios, Sicuti etiam Chapeaville *De Bapt. q. 24.* pronuntiat, non omnino carere fundamento, quod nonnulli existimant, videlicet aliquos ideo fieri maleficos & sagas, & manere sub potestate diaboli, quia omnino non fuerint, vel non sufficienter, ac decenter uncti chrismate. Quid nì ergo sæpius, quàm hactenus factitatum, suppleamus, quod ex contemptu, & execratione omittunt ministri è schola Lutheri, Calvini, & hujus parentis Zwinglii?

In confirmationem hujusce doctrinæ transfero ad hunc, utpote proprium locum, illam Appendicem, quam in Anni superioris seu Einsidlensi Editione hujus Operis, attexui ad Casus Sexti *n. 181.* Tractatus octavi; & idcirco tunc vocavi *Extravagantem*, quòd ad illum locum non nisi valde, indirectè spectaret, sed ad hunc directissimè. Ideo tamen attexueram illi, non huic loco, quòd, cùm excuderentur priores Tractatus hujus libri, nullam dum notitiam haberem materiæ illam conficientis Appendicem, sed tunc primùm adeptus sum, cùm in meas manus venit vita nostri Patris Petri Cotoni, per totam Galliam celebratissimi, ob excellentem vim dicendi pro suggestu, zelum

lum animarum ardentissimum, & vitæ integritatem omnino raram, summisque virtutibus conspicuam; cujus quidem vitæ scriptor P. Petrus Roverius Cotono coævus, ac familiaris *Lib. 1. Cap. 14.* recenset hunc Parochis probissimè notandum

Casum innocentissimo nocentissimum.

F*Amiliæ non ignobilis quinquennis puer raptore occulto, minimeque aspectabili, repente de familiarium conspectu abreptus, nunc in vinariam cellam, nunc in obscurum domûs barathrum deportabatur. Mœsti parentes, ac trepidi, consilii, opisque causâ puerum ad Cotonum adducunt, quem ille cùm deprehendisset innocentissimum, ad parentes versus investigare institit, num quæ familiarium, aliorúmve maleficia suspicarentur? Quodcùm illi negâssent, intulit, vereri se, ne in Sacramentis, quæ susceperat, quidpiam resideret vitii, quo ista Dæmonis adversus eum potestas fulciretur. Hìc parentes quasi expergefacti narrare incipiunt, nondum ipsum Baptismo lustratum, quòd, nescio, cujus optimatis adventum adhuc præstolarentur, qui celebriori Baptismo susceptor esset. Exhorruit Cotonus negligentiam, quòd privato saltem ritu puerum non lustrâssent, & magnopere ursit, ne vanæ fortasse celebritati tantum tribuerent, ut pueri incolumitati totam in vitam obessent. Illi, etsi Baptismum privatum illi accurârunt, tamen humanis pleni cogitationibus ad celebritatem illam suam respicere, dilatis eò Baptismi cæremoniis, non destiterunt. Sed cùm paucis post diebus multò, quàm unquam antè inclementius, ac periculosiùs abreptus esset puer de medio, regustârunt parentes Cotoni verba, acceleratisque illicò Baptismi cæremoniis, filium deinceps extra incommodum, periculúmque omne posuêre. Quod exemplum in urbe, ubi plurimi, spretis, hæreticâ negligentiâ, Ecclesiæ vetustis ritibus, lustrati Baptismo fuerant, & memorabile fuit, & perquam utile.*

Ita Roverius, meritò hoc exemplum appellans *perquam utile*, eámque ob rem hìc à me descriptum.

507 Sed: *fuerúntne cum cæremoniis, quas Roverius acceleratas fuisse memorat, etiam adhibiti, vel adhibendi exorcismi?* Resp. Non exprimit Historicus. Ratio autem dubitandi, an fuerint adhibendi, est; quòd illi exorcismi sint *directè* instituti ad expellendum Dæmonem ex anima baptizandi, quando autem præcessit verus Baptismus, jam expulsus est Dæmon. Hæc, puto; ratio movit bonum P. Comitolum, ut *cit. q. 12.* responderit; *non sine maximâ injuriâ Sacramenti, sacrilegióque* posse exorcismos adhiberi in tali casu. Verùm omnes DD. quorum loca hìc citavi; cùm ipso S. Thoma *q. 71. a. 3. ad 4.* pronuntiant de exorcismis idem, quod de cæteris ritibus: tum ob communissimam praxin, ut testantur, quam tamen non servat Obsequiale Constantiense, ut videre est in *fol. 67.* ubi pro talibus Baptismis omittitur adjuratio diaboli expressa: tum quia, sicut orabat David *Psal. 50. Amplius lava me ab iniquitate mea* Ita etiam potest rite baptizatus dicere: *Amplius à spiritu iniquo, & doloso erue me, Domine. Psal. 42.*

Quòd si interroges, utrùm, quando quis 508
vel *absolutè*, vel *conditionatè* rebaptizatur, sint iterandi ritus, qui fuerunt usurpati in priore Baptismo invalido. Respondebo, ab aliis asseri, ab aliis negari. Mihi probabile est, non delinquire petendo, quandoquidem adest prudens ratio, ne scilicet talis Baptismus sit ita nudus, & contra naturam suam siccus. Qui tamen supersedebit iteratione, aget conformiùs doctrinæ *C. 1 De Sacram. non iterand.* itémque Rubricis Missalis, quatenus disserunt de corrigendis defectibus Missæ, cámque ob rem dixi *Casu VIII. conditionatum* Baptismum esse repetendum sine solennitate.

Quæres VI. *Circa chrisma, oleúmque cate-* 509
chumenorum, quæ observanda pro praxi?

Resp. Sequentia I. *Si quis de alio chrismate, quàm de illo novo, quod proprii Episcopi largitione, vel concessione accepit, baptizare, nisi præoccupante morte tentaverit, pro temeritatis ausu ipse suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.* Ita sanxit Concil. Lugdunen. relatum *Can. Si quis de alio. dist. 4. de consecr.* Cujus transgressio, ut patet satis, continet culpam gravem. Suarez *in q. 71. art. 3.* Adeóque *vetus chrisma, & vetera olea in novo igne Sabbati sancti, vel alio honesto loco, & igne comburantur, & cineres in sacrarium deponantur.* Ita Constitutiones Constantienses *Part. 1. tit. 5. n.* 11. conformiter *cap. Literis. De consecr. dist. 3.* quod mandat, sanctum chrisma vetus cremari in Ecclesiis. Et quid ni in lampade accensa ante Venerabile Sacramentum?

II. Hinc non licet in die cœnæ Domini post 510
prandium, longè minùs sequentibus diebus, adhibere chrisma consecratum in die cœnæ Domini Anno priore. *Quid si verò tunc sit baptizandus infans, & nondum acceperim novum chrisma, novum oleum, utpote qui à metropoli Constantia disto tridui?*

Marchantius *in Ref. pastoral. Tr. 2. de Sacram. c. 2. num. 3.* suadet, ut infantem baptizes præmissis exorcismis, & aliis, quæ præcedunt Baptismum; ubi verò acceperis has unctiones recentes, suppleas cæteras cæremonias. Placet consilium.

At si periculum sit in mora, permittit Con- 511
cilium Lugdunense, ut adhibeas vetus. Si non subsit periculum, poteris me judice totum Baptismum differre. Imò si in tua diœcesi vigeat fortè usus antiquus antiquis utendi, utere; po-

test enim utique consuetudo rationabilis derogare illi legi Ecclesiasticæ etsi pervetustæ. Atque ita fit in plurimis locis hujus diœcesis Constantiensis. In qua etiam(ut propter connexionem materiæ dicam) benedictio fontis baptismalis, & consecratio peragitur Sabbato sancto chrismate veteri, si novum necdum habeatur tunc, sicuti non habetur in permultis locis, dissitis nimirum ab Ecclesia Cathedrali spatio trium dierum.

512 III. Si prævideas, chrisma, & oleum, quod tu à tuo Reverendo Decano rurali accepisti, non sufficturа in totum annum, obsequere tutò Constitutionibus Synodalibus hujus diœcesis, quæ *p. 1. tit. 5. n. 11 & 12.* sic statuit; Si Anno nondum exacto sacra olea sibi »deficere adverterit parochus, hanc à Canone »*Cap. Quod in dubiis. extra. De Consecrat. Eccles. vel Altaris.* approbatam ratione ineat. »ut cum oleo sacro non sacrum, de olivis tamen expressum misceat. Id verò guttatim ita »affundat, ut semper id, quod infunditur, sit
513 »minus oleo consecrato.

IV. Chapeaville *de Bapt. q. 24.* tanti facit chrismationem, ut velit eâdem muniri baptizandos etiam peste infectos, si fieri queat sine periculo mortis incurrendæ à baptista. Certè S. Thomas *q. 72. art. 3. ad 4.* pronuntiat: *Inunctio, quæ fit in vertice, operatur conservationem gratiæ baptismalis.* Operatur autem teste Suarez *in comment.* per modum impetrationis.

514 V. Ne novus parochus velit per saltum fieri Episcopus ungendo frontem parvuli chrismate, observet censuram Dominici Soti *in 4. d. 3. a. 10.* circa hunc

Casum.

Me audisse memini, aliquos presbyteros post crucem verticis aliquam adhibere in fronte, qui manifestarius abusus, & contra Canonem Presbyteri. De consecrat. dist. 4. *nec ullo modo permittitur Presbyteris in fronte baptizatos chrismare.* Ita ille, ita ego, quidni & tu?

Hanc de cæremoniis materiam finio resolutione nuper mihi scripto proposti

Casus.

515 *Filialis Ecclesia B. ante bellum Suecicum potita est jure Baptismi, at flagrante bello fuerunt parvuli per Annos multos pro Baptismo delati ex filiali B. ad matricem A. Quæritur, an matrix A. posset jam titulo præscriptionis vindicare sibi jus exigendi, ut parvuli è filiali B. deferantur ad matricem?*

Respondeo breviter, non posse. I. Quia sine possessione præscriptio non procedit. *Reg. 3. de reg. jur. in 6.* sine possessione, inquam, quæ cœpta, continuatáque sit opinione dominii. *Leg. 1 ff. Pro suo.* Peckius *in cit. reg. n. 9.* Matrix autem Ecclesia non possedit jus nomine dominii, seu tanquam suum, alioquin ipsa adversaretur Regula quarta *eod. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Possedisset autem malâ fide illud jus matrix, si voluisset possidere tanquam suum; etenim rectores illius non ignorabant, filialem gaudere eo jure.

II. Quia tempore belli, seu hostilitatis 516
dormit præscriptio. *Cap. Ex transmissa. De præscript.* ubi respondetur ad casum præsenti consimilem. Ergo non potest incipere tempore belli. Molin. *De Just. Tr. 2. Disp. 78.*

III. Quia ne quidem Romana Ecclesia, quæ 517
omnium matrix, & mater est, potest adversùs alias præscribere minore spatio, quàm Annorum 40. Abbas *in c. Cùm nobis. De præscript. n.* 11. Molin. *loc. cit. Disp. 72.* Ergo videndum est, utrùm fluxerint Anni 40. ex quo illa matrix cœpit illud jus baptizandi usurpare tanquam suum, idque bonâ fide & fluxerint tempore pacis, & fluxerint nullo *juridicè* contradicente.

Ita tunc censui breviter respondendum, ita & nunc.

Quæres ultimò. *Quanta antiquitas, quæ sig-* 518
nificatio, quisque effectus sit cæremoniarum baptismalium?

Resp. Plerarumque omnium significationem, & effectum indicari verbis, quæ ponuntur in ipsismet Ritualibus, seu Sacerdotalibus, aut Obsequialibus; qui plura volet, ac nominatim de antiquitate, consulat Vasquezium *Disp. 66. per totam.* Suarez *Disp. 30.* Laymannum *hic Tr. 2. c. 9.* Marchantium *in Candelabr. Tr. 2. Lect 7.* Palaum *Tract. 19. punct. 12.* ipsum S. Thomam *q. 71.*

BAPTIZANS CUM, ET SINE PATRINIS.

CASUS XVII.

Marianus.

SECTIO I.

Explicantur necessitas, & aliquæ qualitates patrinorum.

SUMMARIUM.

Puellæ baptizandæ, ac miraculo inclamanti Maria est nomen meum, *nec patrini adhibiti sunt, nec nomen impositum.* 519.
Quis intelligatur nomine patrini? 521.
Peccat graviter parochus baptizans solenniter non habentem patrinum. 522.

Non peccat, si administret Baptismum sine ullo patrino in periculo mortis, vel extra periculum sine aliis solennitatibus 523.
Unus, vel una tantùm, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant, qui & contrahunt cognationem spiritualem. 524.
Usus Diœcesis Constantiensis. 525.
Peccat graviter duos admittens unius sexûs pro patrinis, uti & volens esse supernumerarius. 526.
Qua cautione utatur parochus, si plures viri nobiles adsint pro suscipiendo infante, & offensionem metuat, si quem repellat? 527.
Declaratur duplici Casu. 527. & 528.
Designatio patrinorum primariorum à parentibus facta exprimi debet signo externo. 530.
Licitè solus masculus fœmellam, fœmella masculum levat è sacro fonte. 531.
Casus, in quo filius naturalis matris suæ Pater in Baptismo factus est. 532.
Sufficit unus, scilicet vel patrinus, vel matrina, nec opus est utroque. 533.
Mos accipiendi duos obligátne ad culpam? 534.
Patrinus, vel Matrina non efficitur, qui levat quempiam è sacro fonte, nisi fuerit designatus à parentibus, vel à parocho. 535.
Quid si plures sint designati? 536.
Quid si omnes simul tangant? Ibid.
Quid si aliquos è designatis non admittat parochus vel admittat ultra designatos? Vel non admittat unum è designatis sine legitima causa? Ibid.
Si parentes non designârunt, veri patrini erunt, quos parochus nominaverit. Ibid.
Si nemo nominetur, vel designatus recuset suscipere, an is, qui suscipit, contrahat cognationem spiritualem? 536.

519 *Relatione certâ didici, in Britannia inferiore, in diœcesi Leonensi inter Landernacum, & Montem Relatum vulgò Marlycka, 1622. in Februario contigisse, quod sequitur. Cùm puellæ baptizandæ patrinus hæreticus adhibitus foret, illéque vellet dare nomen, miraculosâ loquelâ infans omnibus stupentibus inclamavit:* Maria est nomen meum. *Unde nec patrinus admissus fuit, nec nomen, quod optabat imponi, quandoquidem divinitus repudiari censerentur.*

520 Qui legerit *Tr. 2. Lection. 16. Candelabri Mystici* Jacobi Marchantii editionis Colonienſis Annorum 1643. & 1648. fatebitur, hanc historiolam esse fideliter inde descriptam, licèt *in Resol. pastoral. Tr. 2. De Sacram. cap. 5. n. 5. edit. etiam Colon. Anno 1647.* infans referatur (& ut reor vitiosè) dixisse: *Maria non est nomen meum.* Hoc prodigiosum factum cur vocem Marianũ, facile est conjicere, sicuti, & quisque hinc rectè inferet, non placere cælitibus, ut sua nomina cuipiam indantur à Sanctorum hostibus hæreticis, ergo nec, ut hi usurpent munus patrinorum, ut liquebit ex dicendis.

Quæres enim I. *An, quot, quales patrini debe-* 521
ant, vel possint esse in Baptismo?

Suppono, illum, quem vulgò nominamus Patrinum, idcirco ita indigitari, quòd sit veluti pater spiritualis, Vocari quoque Fide-jussorem *Cap. Vos ante. De consecr. dist. 4.* Sponsorem à Tertulliano *De Baptismo cap.* 18. Fidei Doctorem à S. Augustino *Epist. 23.* Patronũ à Concil. Parisiensi *Lib. 1. c. 54.* & denique passim Susceptorem. Hoc supposito

Resp. I. *Dicendum, quòd spiritualis regene-* 522
ratio, quæ fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo. Unde & in spirituali generatione Baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis & pædagogi, informando, & instruendo eum quasi Novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam. Hactenus locutio S. Thomæ *in 3. p. quæst. 67. art. 7. in Corp.* Quibus verbis explicatur necessitas, officiúmque patrini; necessitas autem tanta, ut peccet mortaliter parochus baptizans solenniter non habentem patrinum. Tannerus *hic q. 2. n. 23.* quia videlicet adhibitio patrini est una è præcipuis cæremoniis, & celeberrimis in jure, ut videre est *in cap. 1. 2. 3. 4. 5.* & *Cap. Omnes. 30. q 1.* & *cap. 1. 2. 3.* & *cap Post susceptum. 30. q. 3.* aliisque plurimis, ac nominatim Trident. Concil. *sess. 24. De reformat. Matrim. c. 2.* Possevinus tamen *de Baptismo q. 26.* non agnoscit hîc nisi venialem culpam, quando parentes volunt ipsimet edocere prolem. An hoc probabiliter dicatur, judicent alii.

At verò non peccatur, si Baptismus sine ullo 523
patrino administratur in periculo mortis. Diana *Part. 8. Tract. 3. res. 2.* vel extra hoc periculum, sed privatim; id est sine aliis solennitatibus. Suarez *q. 67. art. 8. dub. ultim.* Sanchez *De Matrim. Lib. 7. disp. 67. num. 14.* Tannerus *loc. cit.* atque alii plures. Ratio est, quia si possunt omitti aliæ cæremoniæ, potest etiam hæc omitti. Idem dic de Baptismo *Conditionali*, etiam solenniter fortè celebrato. Quintana devenn. *singul. Tract. 1. sing. 18.* eò quòd officium patrini sit ab Ecclesia institutum pro solo vero, certo, & absoluto Baptismo. Bonacina *De Matrim. q. 3. punct 5. §. 2. n. 10.*

II. Unus tantùm sive vir, sive mulier juxta 524
sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, & baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, scisciteur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantùm ad illũ suscipiendũ admittat, & in libro eorum nomina describat docéatque eos, quam cognationem contraxerint.

ne ignorantia excusari valeant. Quòd si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si parochi culpâ, vel negligentiâ secùs factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur.

525 Totidem verba volui huc transferre ex Concil. Trident. *cit. cap. 2.* ex quibus resolventur cùm aliæ dubitationes, tum proximè mota de numero patrinorum, quem numerum hactenus in hac Constantiensi diœcesi observatum testantur Synodales Constitutiones *Part. 1. tit. 6. n. 7.* mandantes, ut & inposterum observetur, atque addentes *n. 8. Viri nobiles, si quando plures, quàm ad summum unum, & unam patrinos, fortè pro majori solennitate, & familiæ suæ splendore adhibeant, volumus, ut parochi duos ex illis designent, qui susceptores sint, & cognationem spiritualem contrahant, atque in librum baptizandorum à parochis inscribantur. Reliqui non item; quos tamen loco testium solennitatibus Baptismi interesse non vetamus.* Ita Constitutiones.

526 III. Itaque non permittunt, vel Tridentina, vel Constantiensis Synodi, assumi duos, seu proprio, seu procuratorio nomine unius sexûs pro patrinis, adeò ut ne quidem Episcopus dispensare queat in hac re. Sanchez *Lib. 7. De Matrim. disp. 55. num. 7.* Barbosa *De paroch. part. 2. cap. 18. num. 29.* & alii; peccétque mortaliter admittens tales, aut volens esse supernumerarius. Bonacina *De Matrim. q. 1. punct. 5. §. 2. n. 32.* Barcosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 30. n. 44.* cum aliis, contra Sanchez *cit. disp. 57. num. 6.* probabiliter dissentientem.

527 At inquies: *Fulminabunt illi Nobiles, si repellam.*

Respondeo: Non fulminabunt, si utar is alterutrâ cautione, quam exhibent duo Casus sequentes

Casus I.

Parochus A. cernens adesse duos Nobiles viros, totidémque Matronas pro suscipiendo puerulo, ac prospiciens, si apertè repelleret aliquem, oriturum jurgium, nil dixit, antequam perveniretur ad manûs impositionem supra catechumenum fieri solitam, quando hic renuntiat Sathanæ, tunc enim viro, ac fœminæ, quos noverat esse primariò designatos à patre, imponentibus manum, placidè dixit aliis duobus: Sufficit, quòd duo priores admoverint manus. *Quo dicto hi duo sine commotione animi abstinuerunt ab impositione, ac deinde à tactu, de quo infrà, interim respondentes, ac facientes reliqua, quæ veri patrini.*

Casus II.

Parochus B. expertus uno Anno exacerbationem, murmurationémque non levem, quòd è pluribus Nobilibus, qui aderant, selegisset solùm duos non illustriores, præteritis duobus, Anno proximè sequenti (solet enim dies posterior esse discipulus prioris) factus cautior, omnia dissimulavit exteriùs; animo tamen designavit duos, quos etiam sciebat esse cæteris prælatos à parentibus. Quid dicendum ad utrumque hunc casum? Qui savè in hac diœcesi satis frequens est, quoad pluralitatem designatorum patrinorum. 528

Respond. Neutram praxim improbo, dummodo parochi illi, quorum alter voce, alter scripto narravit mihi factum suum, caverint, ne repulsi susciperent *immediatè* è manibus baptizantis baptizatum, nam si susceperunt, evaserunt veri compatres, & commatres, nec enim intentio, ac designatio parochi prævalere potest designationi parentum, adeò ut censeat Dicastillo *De Matrim. disp. 7. dubit. 38.* contrà alios, licèt hi repulsi à parocho non susceperint puerum ante alios duos, sed cum illis, fieri nihilominus patrinos

Dices: *Utraque illa praxis decipit bonos Nobiles*: Resp. Volenti non fit injuria; cur se præsentant, cùm sciant, repugnare Superiores Ecclesiasticos? adeò ut moris Germanici gnarissimus D. Reding *de Bap. q. 8. a. 2. Controvers. 6. num. 20.* disertè inficietur, ullum esse casum, quo Episcopus adversùs illud Decretum Tridentinum dispensare valeat. Notent hoc parochi. 529

Mentalis designationis nonexpressæ ullo signo externo valorem revocabunt in dubium, non pauci, eò quòd Ecclesia nullo modo esset approbatura designationem patrinorum factam solâ mente à parentibus ipsis; vult quippe Ecclesia, ut constet, qui sint designati; quia & de occultis non potest Papa divinare. *Text. cap. un. Ut Eccles. benef. sine.* cùm tamen ad Papam, ejúsve subordinatos Prælatos maximè spectet nósse, quis verè sit patrinus; & ipsa Ecclesia non agit cum Christianis per cogitationes, sed per verba; adeò ut ne Pontifex quidem possit *validè* impertiri indulgentias per destinationem animi non indicatam signo externo. Lugo *Tom. 3. in 3. p. disp. 27. n. 137.* Itaque dum approbo praxin secundi Casûs; suppono, designationem non constitisse integre intra mentem; sed foras erupisse aliquo actu. 530

IV. Nec Tridentinæ, nec Constantienses sanctiones vetant, quò minùs unus solus masculus fœmellam, fœmella masculum levet è sacro fonte, licèt id vetuerit Concilium Nicænum 531

num IV. apud Suarez *hic q. 67. a. 7.* addentem, id jam non observari, quando baptizantur infantes. Id etiam sentit Filliucius *Tract. 2. num. 160.* innuit sufficienter utraque Synodus, dum dicit: *Sive vir, sive mulier.* At verò Laymannus *hic cap. 9. num. 3.* absolutè dicit, patrinum debere esse marem, si mas: fœminam, si fœmina sit baptizanda. Sta, mi Domine paroche, consuetudine tui Episcopatûs, quæ quidem in hoc Constantiensi est conformis Nicæno Concilio, do tamen considerandum hunc

III. Casum Sanctorum.

532 *Cum Beatus Antonius Presbyter baptizaret* (in carcere) *Marionillam, Venerabilis filius ejus Celsus eam suscipiens, pater ejus in Baptismi gratia factus est.*

Sic refert Laurentius Surius in vita S. Juliani Martyris *9. Januarii.* Considerandum verò dico hunc Casum, utpote ex quo elucet, quàm fuerit antiquus (passi enim sunt hi Sancti sub Diocletiano) quámque Religiosè observatus mos adhibendi patrinos. Dicerem imitandum in circumstantiis hîc expressis, quamvis non necessariò.

533 V. Hoc ipso, quòd Concilium dicat: *Sive vir, sive mulier*, apparet, quid pronuntiandum de hoc

Casu IV.

Ante 20. Annos Cooperator N. noluit baptizare infantem naturalem, cùm adesset sola matrina ad baptisterium. Cujus scrupulo ut consulerem, adii, & me ipsum patrinum stiti.

Sic mihi scripsit, qui se stitit tunc, nunc verò parochus præcipui oppidi, ac Decanus Ruralis. Fuit quidem ille scrupulus, cùm neque Concilium Tridentinum, neque Synodus diœcesana præcipiat adhiberi duos in Baptismo legitimorum, vel illegitimorum, non tamen carebat ille scrupulus omni ratione, si aut infans erat masculus, aut ille Cooperator nunquam viderat quid ejusmodi (nam consuevêre in hac diœcesi esse duo) sciebátque, esse cavendum, ne in administratione cujusquam Sacramenti agatur quidquam contra morem diœcesanum.

534 *At iste mos accipiendi duos obligátne ad culpam?* Non ausim affirmare, quia constitutiones expressè loquuntur ut Tridentinum sub disjunctione de uno, vel una.

535 VI. Patrinus, vel Matrina non efficitur, nisi fuerit designatus à parentibus, vel parocho, esto fortè levet quempiam è sacro fonte. Sanchez *hîc q. 67. a. 8.* & alii contra Navarrum *cap. 22. num. 39.* Henriquez, & alios; estque hæc doctrina vera, etiamsi talis non designatus intendat esse verus patrinus. Sanchez *ibid.* & *disp. 59. n. 12.* contra Palaum *Tr. 19. punct. 1. §. 2. num. 9.* nam videtur Tridentinum Concilium satis hoc indicare verbis suprà descriptis, maximè si attendatur scopus ejusdem Concilii, quod voluit impedire multiplicationem contrahentium cognationem spiritualem, quæ non impediretur, si omnes, qui pro libitu tenerent, vel tangerent infantem, fierent Sponsores.

VII. Quando plures duobus patrini designantur, aut duo viri, duæve fœminæ, admittuntúrque omnes à parocho, soli illi evadunt fide jussores, qui primi intra numerum permissum à Tridentino Concilio tangunt puerum baptizatum. Suarez *hic q. 67. a. 8.* Sanchez *cit. disp. 57. n. 14.* Dicastillo *De Matrim. disp. 7. n. 286.* Si verò omnes simul tangant, tum nullus contrahit cognationem spiritualem juxta Sanchez, Dicastillum, & alios, quia Concilium videtur solùm prohibere talem concursum, non irritare actum. At verò non contrahunt, in hoc casu, nisi quos admisit parochus. Sanchez *n. 15.* Sicut nec illi, quos ultra numerum designatum à Parentibus admisit ipse. Sanchez *n. 17.* Et quando neutrum ex designatis, aut unum solum ipse admisit sine legitima causa, uterque tangens infantem evadit verus patrinus. Sanchez *n. 18.* Vice versâ, quando parentes, aut habentes curam infantis nullum patrinum designaverunt, veri patrini erunt, quos parochus nominaverit. Sanchez *n. 19.* utpote cui incumbit providere, ut omnia circa patrinos rite peragantur, sicuti patet ex verbis Tridentini descriptis superiùs, etsi non nisi venialiter, teste Possevino delinquat omittens electionem, quando plures offerunt se. 536

Quòd si denique vel nullus sit designatus, vel designatus quidem, non tamen velit suscipere, putat Dicastillo *loc. cit. n. 280. & 281.* nullum ex iis, qui suscipiunt, contrahere cognationem. Dissentiunt alii apud ipsum. Vide eundem, & Sanchez *n. 20.* philosophantes de significatione præpositionis. *Ultra.*

SECTIO II.

Aliæ conditiones Patrinorum edisseruntur.

SVMMARIVM.

Præter designationem faciendam ab iis, quorum interest, exigitur in levante intentio volendi fieri patrinum. 537.

Si quis tamen exerceat actum illum levationis tanquam cæremoniam præscriptam ab Ecclesia, contrahit cognationem spiritualem, esto hanc non intendat. Ibid.

Non tamen contrahis, si levas filium Caji, putans esse filium Stichi. Ibid.

Ad

Ad hanc contrahendam non ſufficit aſſiſtentia, ſed requiritur, ut vel actu teneas infantem, dum abluitur, vel immediatè *eum accipias è manu baptizantis. 538.*
Commater non contrahit cognationem, quando ſuſcipit infantem de manibus Compatris. Ibid.
Quod declaratur caſu ſimili, & reſolutione, à Concilio datâ. 539.
Per hoc tamen non damnatur ordinatio Obſequialis Conſtantienſis. 540.
Poſſunt enim per conſuetudinem induci, & abrogari impedimenta Matrimonii, quod declaratur caſu Papali. 541. & ſeq.
Sufficit ad compaternitatem juxta quoſdam, ſi commater tradat infantem ſacerdoti jam baptizaturo. 543.
Quid ſi obſtetrix infantem è manu baptizantis accipiat, tradátque patrino? 544.
Nec ſufficit tactus moralis. 546.
Regula juris in 6. Qui facit per alium &c. *non habet locum reſpectu conſtituentis Vicarium baptiſtam. 547.*
Qui rogatus, ut ſuſcipiat infantem è fonte, rogat vicinum, ut velit eſſe patrinus, non evadit patrinus. 548.
Caſus, quo abſente, & neſciente ordinario patrino Vicarius aſſumitur. 549.
Caſus Titii invitati, & acceptantis, ut eſſet patrinus Petronillæ, & alteri deinde honoris cauſâ vedentis. 551.
Reſolvitur, non contraxiſſe cognationem ſpiritualem. Ibid.
Quid ſi plures levent è fonte, an omnes contrahunt cognationem? Ibid.
Mos in Bohemia, Ibid.
Mittens procuratorem non ſit patrinus, ſi procurator tantùm aſſiſtat exorciſmis, & reſpondeat loco infantis. 552.
Aut cum teneat tunc tantùm, cùm adhibentur cæremoniæ. 553.
Aut teneat rebaptizatum ſub conditione. 554.

VIII. PRæter deſignationem faciendam *per ſe* quidem à curatoribus baptizandi, *per accidens*, & in defe-
537 ctum à parocho ſupplendam, exigitur in primis intentio ſuſcipiendi aliquem inſtar patrini, ſeu volendi fieri patrinum. Dicaſtillo *cit. Diſp. 7. De Matrim. n. 205.* poſt Sanchez *Libr. 7. De Matrim. Diſp. 58.* Coninck *de Matr. diſp. 32.* & alios. Nam tenere præciſè idcirco, ut non cadat infans, vel ut fiat res grata alteri, eſt quid nimis materiale, etiamſi ſingat in gratiam patris, ſe velle eſſe verum patrinum. Bonacina *de Matrim. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 16.* Poſito autem, quòd quis velit verè tenere, ſeu exercere illum actum tanquam cæremoniam præſcriptam ab Eccleſia, contrahit cognationem ſpiritualem, eſto, eam non intendat, aut ignoret naſciturам; reſultat enim ex illo *actu exercito* inſtar cæremoniæ ſacræ. *Quid ſi verò levem è fonte filium Caji, putans eſſe filium Stichi?* Bonacina *loc. cit.* & Alloza *verbo, Baptiſmus. num. 22.* cum aliis contra Coninck, & alios rectè pronuntiat, te non contracturum cognationem, niſi fortè habeas intentionem tenendi, quiſquis offeratur; quam quidem ego cenſeo in dubio præſumendam de omnibus, ſuppoſitâ doctrinâ, quam tradit Dom. Reding. *cit. Controverſ. 6. num. 14.* quòd ſcilicet patrinus æquè ac baptiſta, teneatur habere intentionem præſtandi ſuum officium præſenti, *quicunque ille ſit*, ne adeatur periculum omittendi tam antiquam cæremoniam.

IX. Requiritur deinde tactus *phyſicus* bapti- 538
zati, ita ut teſte Martino Perez *de Matrimon. diſput. 29 ſectione 4. num. 1.* certum ſit (contra Sotum, Lopez, & Sà apud Sanchez *Lib. 7. De Matrim. d. 56. num. 5.* ratos ſufficere aſſiſtentiam) ad contrahendam cognationem hanc, adeóque ad veram denominationem patrini poſtulari, ut quis vel actu teneat infantem, dum aqua ſuper illum affunditur à baptiſta, vel certè *immediatè* accipiat è manu ipſius baptiſtæ, ac proinde non eſſe patrinum, vel matrinam illum, vel illam, cui tradit infantem is, qui accepit *mediatè*, vel *immediatè* à baptizante. Sic etiam ſentit Eſcobar *in Theolog. moral. lib. 11. ſect. 1. cap. 16.* citans Pontium, & Sanchez. Sic quoque Dicaſtillo *loc. cit. num. 23.* exprimens poſt Perez, & Bonacinam *loc. cit. num. 13.* commatrem non contrahere cognationem, quando ſuſcipit infantem de manibus compatris, quia non cenſetur ſuſcipere ex Baptiſmo, aut confirmatione. Hanc communem doctrinam declaro reſolutione hujus

Caſus multis mirabilis.

IN Epiſcopatu Abulenſi eſt conſuetudo communiter, quòd vulgariter dicta commater non tangat infantem, donec compater, poſtquam infans eſt baptizatus, & infuſa ſuper eum aqua Baptiſmi, ponat infantem in manibus commatris; itaque mater non tangit baptizatum, donec (ut præfertur) baptizatus levatus eſt ex fonte baptiſmali. Dubitabatur ergo, an attentis præmiſſis dicta commater contraheret cognationem ſpiritualem cum ipſo infante, & illius parentibus ex ſuprà geſtis, & aſſiſtentia in dicto actu, ut commater nominata ad ipſum effectum. Et ne deſuper dubitari contingat, ſupplicabatur ſacræ Congregationi pro declaratione difficultatis hujuſmodi. Ipſa verò Congregatio Concilii cenſuit, mulierem, quæ aſſiſtit infanti, & jam non tetigit infantem, non contrahere cognationem ſpiritualem. 539

Hanc declarationem ratione reſolutionis mirabilem reperiet ad verbum lector apud Joann.

Joann. Galemart, *in Trident. ſeſſ. 24. c. 2. De Reform. Matrim.*

540 At inquis: Damnabiſne Obſequiale Conſtantienſe, quod *fol. 59.* diſertè ordinat, ut patrinus infantem recipiat de manu baptizantis, tenendo eum, quoadſacerdos chriſma requirat? &c. Nomen verò patrini accipiendum eſſe in ſingulari numero, ut ſonat, certum eſt ex antecedentibus, & ipſa praxi; nam matrina non tangit in hac urbe Conſtantia baptizatum infantem, niſi acceptum è manibus patrini, & quidem communiter non juxta baptiſterium, ſed juxta altare. Auguſtæ ſolus vir maſculum, ſola fœmina fœmellam accipit è manibus baptizantis. In Rhetia ſuperiore Curienſis diœceſis ſervatur mos Conſtantienſis.

Reſp. Abſit, ut damnem; quin imò in defenſionem adſcribo, & deſcribo duplici titulo hunc

Caſum Papalem.

541 *SUper eo, quòd à nobis tua fraternitas requiſivit de duorum compatrum filiis, reſpondemus, quòd ſi tales ſint filii, per quorum alterum, vel utrumque parentes ad compaternitatem venerunt, eos conjungi nullâ ratione ſuſtineas. Cæterùm ſi per neutrum eorum ad compaternitatem ventum fuerit, de his te volumus de conſuetudine tuæ metropolitanæ Eccleſiæ, vel aliarum circumpoſitarum inquirere, & diligentiùs imitari &c.*

542 Duplici, ut præmiſi, titulo deſcripſi hunc Caſum *ex Cap. tertio, De cognat. ſpirit.* tum quia inſerviet doctrinæ *num. 575.* adferendæ circa perſonas, cum quibus initur cognatio ſpiritualis, tum quia ſignificat, poſſe per conſuetudinem induci, abrogaríque impedimenta Matrimonii, quod & oſtendemus *Tr. 9. Caſ. 1.* & etiam fuſè cum multis contra alios defendit Sanchez *Lib. 7. De Matrim. Diſp. 4.* eò quòd conſuetudo non habeat minores vires, quàm lex humana. Ergo poteſt ordinatio illa Conſtantienſis defendi titulo longævæ (70. Anni ſunt, ex quo prodiit in lucem editio, quamſequot) conſuetudinis, quam adducta declaratio Congregationis non videtur reprobâſſe. Sanè fieri poſſe, ut conſuetudine inducatur impedimentum Matrimonii in ſpecie ob cognationem ſpiritualem, patet *ex cit. Cap. Super eo*, traditque Sanchez *Lib. 7. De Matrim. Diſp. 29. n. 60.* ac ſcio, fore, ut Magiſtratus Eccleſiaſticus hujus loci eſſet improbaturus, & fortè etiam diſſoluturus Matrimonium, ſiquod vel attentaretur, vel contractum eſſet cum ejuſmodi matrina à patre baptizati, licèt Tannerus *Tom. 4. diſp. 8. quæſt. 4. num. 70.* dicat, non eſſe hîc facilè cuiquam movendum ſcrupulum ob probabilitatem ſententiæ contrariæ.

Adde, quòd Barboſa in Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 2. De Reformat. Matrim. num. 26.* ex Al- 543
dan. teſtatur, fuiſſe à Congregatione Concilii An. 1601. declaratum, ſufficere ad compaternitatem, ſi commater tradat infantem ſacerdoti jam baptizaturo; quod quidem facit in hac diœceſi matrina, ut indicat Obſequiale, & teſtantur, quos interrogavi.

Quid ſi verò obſtetrix accipiat è manibus bapti- 544
zantis, ut tradat patrino, impeditúrne omnis cognatio? Reſp. Spectato jure communi impedietur. Nam obſtetrix eam non contrahet, quia deeſt intentio, de qua ſuprà; nec contrahet, deſignatus patrinus ob auctoritatem, cauſámque ſuperiùs expreſſam. Et ita in terminis docet Tannerus *hîc Diſp. 4. q. 2. n. 28.* ſequitúrque apertè ex generali de ſuſceptionis praxi, ſeu modo, doctrinâ, quam tradit Illuſtriſſimus D. Reding *hîc q. 8. art. 2. controverſ. 6. num. 1.* ſcribens in hac Diœceſi, & ideo à Diœceſanis pluris faciendus. Verùm quia cœpi eſſe patronus diverſarum diœceſeon, pergo eſſe, videlicet ob conſuetudinem inveteratam plurium diœceſeon, in quibus obſtetrix accipit *immediatè* è manibus baptiſtæ infantem, tegítque pannis, ac porrigit matrinæ, vel patrino pro diverſitate locorum. In qua practica, ſicut certum eſt, cognationem non contrahi ab obſtetrice ob defectum intentionis, ita non dubitatur, quin eam contrahat, qui è manibus obſtetricis accipit; & conſentit apertè Poſſevinus *nu. 34. De Bapt.*

X. Tactus ille, de quo loquimur, debet eſſe 545
talis, ut poſſit vocari *tentio*. Perez *De Matrim. Diſp. 26. ſect. 4.* ex communi. Etenim Canones, qui habentur partim in Decreto ſub Titulo Cognationis ſpiritualis, partim in Trident. Concilio ſuprà relato, utuntur verbo *levandi*, *ſuſcipiendi*, *accipiendi*, *tenendi*, quæ verba non ſignificant tactum factum uno, aut duobus digitis, ſed tentionem, apprehenſionem.

XI. Itaque non ſufficit tactus *moralis*, ſed 546
poſtulatur *phyſicus*, factus per ſe, vel per ſubſtitutum. Etenim ſufficere ad officium veri patrini, ſi quis illud obeat per procuratorem, fert longè communior opinio, imò nunc, ut reor, certa, adverſùs Sanchez *Lib. 7. diſp. 5.* & plurimos, quos ipſe, aliíque referunt, certa, inquam, ſaltem quando non tota Reſpublica, ut limitat Poſſevinus *De Baptiſm. q. 27.* ſed ſingularis perſona mittit procuratorem. Etenim Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 30. n. 10.* & *in cit. Cap. 2. Trid. Concil. n. 26.* ex aliis refert, fuiſſe ita ſæpius reſolutum à Congreg. Concil. & quidem ſemel Anno 1630. Accedit revera generalis conſuetudo, de qua teſtatur Barboſa; ac nominatim hujus diœceſis Conſtantienſis, in qua certum eſt, non permiſſum iri mittenti procuratorem, ut contrahat cum matre prolis, quam ſuus procurator ſuſcepit ejus nomine.

Quæ

547 Quæ proinde consuetudo cùm habeat vim interpretandi legem, declarat Regulam illam *in 6. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*, habere, & non habere in hac materia cognationis locum; habet enim locum respectu constituentis susceptorem suo loco, non habet respectu constituentis baptistam suo loco. Licèt quipperogatus parochus, ut velit esse compater baptizando infantem, condicat, si tamen impeditus mandet suo cooperatori, ut ipse suum vicarium agat in actu baptizandi, & hic recipiat, se obiturum partes vicarias, fiet hic Vicarius æque cognatus, seu pater spiritualis baptizati, quàm si suomet nomine, & quidem ad instantiam parentum admisisset illum infantem ad vivificum lavacrum. Atque ita docent Perez *de Matrim. Disp. 29. sect. 7.* Dicastillo *de Matrim. Disp. 7. n. 296.* atque alii.

548 Ergo, inquies, si rogatus, ut suscipiam è fonte baptismali, dicam me suscepturum, sed pœnitens dicti rogem meum vicinum, ut velit esse patrinus, me libenter facturum sumptus, qui solent fieri ratione talis actûs, evadam etiam patrinus? Resp. Non evades, quia is, quem rogâsti, non levat procuratorio nomine, sed proprio.

549 Cæterùm, quia paulò antequam hunc XVII. Casum conscriberem, quidam Religiosus ex Helvetia à me nunquam visus, per sacerdotem mihi notum inter duodecim quæstiones, quarum resolutionem à me petebat, proposuit Casum huc facientem apprimè, illum exhibebo.

Casus Helveticus.

ORdinarius patrinus domi non est; ideo à parentibus infantis postulatur vicarius pro ipso ordinario susceptore alius vicibus adhibito, sed nesciente, alium esse sui vice, seu nomine suo postulatum patrinum. Uter hîc contrahit cognationem spiritualem?

Speciem facti exprimit ille Religiosus ex Gloriosissimo Ordine sanctissimi Patriarchæ Benedicti, verbis huc translatis. Pro quorum intellectu notandum est, in pluribus locis esse moris, ut novi conjuges deligant primo fructui Matrimonii patrem spiritualem, eâ intentione, expressâque rogatione, ut velit etiam aliàs, si Deus benedixerit Matrimonium pluribus prolibus, esse fidei doctor, ut vocat S. Augustinus *Epist. 23.*

550 Rescripsi autem tribus verbis, quid sentirem, indicans fore, ut plena resolutio secutura esset in hoc Alphabeto; eam nunc do; & sic statuo. I. Vicarius ille non est verè patrinus, quia defuit ipsi intentio tenendi suo nomine; & generatim loquendo rectè negat Castropalaus *Tract. 19. punct. 11. num. 1.* cum Sanchez *cit. Disp. 18.* ex declaratione Congregationis Cardinal. & alii adversùs Toletum, Vivaldum, Sotum, Lopez, alios, contrahi cognationem abillo, qui vicario nomine aliquem tenet.

II. Sed neque hîc ordinarius sponsor absolutè dicendus est fuisse hîc patrinus, quandoquidem species facti supponit, non fuisse ab illo expressè quemquam substitutum pro tali actu; *tacitam* substitutionem non possum conjicere ex verbis consulentis, nec ex praxi aliorum. Et sanè cùm quisque censeatur in dubio imponere sibi quàm minimam obligationem. Menoch. *De præsumption. præsumpt 9.* Sanchez *Lib. 6. Moral. Cap. 18. num. 48.* atque alii, sit autem onus, esse patrinum non est præsumendain hoc negotio *tacita* commissio. Imò, quamvis ratificaret postea illam susceptionem factam, non tamen exurgeret cognatio spiritualis, quia Regula illa *in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*, habet locum in illis casibus, in quibus ipsa jura probant illam retrotractionem. Suarez *Tom. 3. in 3. part. disp. 44. sect. 3, n. 26.* Illustro nonnulla ex hactenus dictis

Hoc Casu Caramuelico.

551 *TItius advocatus à parentibus, ut esset Petronillæ patrinus, dignitatem acceptat; & ad Ecclesiam cum cæteris vadit. Ibi Fridericus legionarius, & Titii superior comparet, cui Titius urbanitatis causâ cedit, permittitque, ut puellam teneat; & è fonte levet. Post Annos 16. Titius Petronillam vult ducere, & quærit, an impedimento laboret? Fuit negativa resolutio. Non enim per invitationem, aut acceptationem contrahitur cognatio spiritualis, sed per levationem ex fonte. In hoc ergo casu non Titius, sed Fridericus contraxit. Hic casus fuit ita resolutus in nostro* (Pragensi) *consistorio, me Eminentissimi Cardinalis ab Harrach vices gerente.*

Descripsi hæc *ex Theologia Præterintentionali, num. 553.* D. Joannis Caramuelis, mox subdentis: Si sint multi, & omnes infantem levent è fonte, omnes contrahere cognationem; porrò fieri in Bohemia, ut pauperes advocent multos patrinos, ut horum liberalitate juventur; si tamen jussisse, ut unicus adhiberetur; concessisse autem se, ut honoris gratiâ advocarentur plures, at unicus infantem levaret, & illius solius nomen inscriberetur. Approbo totum hunc discursum, & singulariter nego, Titium fuisse patrinum, quia nec levavit ipse è fonte, nec Fridericus egit ejus Procuratorem; quia tamen Fridericus verè tenuit, idque approbante parocho, nihil obest, quò minùs dicatur evasisse verus patrinus.

XII. Etsi

552 XII. Etsi autem, ut dixi, mittens procuratorem fiat verè patrinus, & patronus, ut loquitur Concilium Parisiense, non tamen fiet, si procurator assistat solùm exorcismis, & abrenuntiationibus, respondeátve loco infantis, atque ejus nomen indicet. Nam neque universi, neque singuli hi actus sufficiunt ad rationem patrini. Perez *Disp. 29.* Dicastillo *cit. Disp. 7.* Sanchez *cit. Libr. 7. Disp. 5. n. 6.* atque alii plures, neque sunt necessarii. Bonacina, Sanchez, Perez, alii, sed ille omnis & solus, quo quis tenet infantem vel dando eum *immediatè* baptizaturo, vel accipiendo *immediatè* (juxta jus commune, à quo recedit Diœcesanum nostrum) è manibus ejus, qui baptizavit juxta dicta suprà contra Sotum, Lopez, & Sà *ibi* citatos.

553 XIII. Atque nullo modò est patrinus, qui infantem baptizatum domi sine cæremoniis tenet tunc, cùm eæ adhibentur ipsi antè, & in templo. Ita *citati.*

554 Sicut nec ille, qui tenet rebaptizatum sub conditione, ut jam monui suprà. Aliud est sentiendum de absolutè baptizante, seu solenniter, seu privatim; nam DD. negant, esse hîc faciendum discrimen; & quidem etiamsi quis ante matrimonium suam, aut alienam: in matrimonio alienam prolem baptizet in extrema necessitate. Bonacina *de Matrim. q. 3. p. 5. §. 2. num. 11.* & declarabo paulò pòst aliquot Casibus.

SECTIO III.

Adhuc aliæ qualitates patrinorum explicantur.

SVMMARIVM.

Quivis baptizatus, & compos rationis validè potest esse patrinus.

Non tamen licitè exercent hoc munus Excommunicati, facinorosi, muti, Monachi. Ibidem.

An lex prohibens etiam se extendat ad cujuscunque Ordinis Regulares, & Moniales? Ib. & 556.

Quæ sit vera causa illius antiquæ prohibitionis? 557.

Est illis æquè nunc, ac olim interdictum, nisi per consuetudinem sit derogatum Legi. 558.

Ubi tamen provida D. Francisci Regula omnibus commendatur Religiosis. Ibid.

Hæretici per se loquendo *non sunt admittendi pro patrinis.* 559.

Casus baptizantis infantem, cui sponsor à parentibus designatus; erat Calvinista; quem sacerdos astu bono eluserit. 560.

Quid si verò non solùm patrinus, sed etiam parentes sint hæretici? 563.

Non licet rogare hæreticum, ut velit esse patrinus. 564.

Facilius permittendum, ut Catholicus rogatus sit patrinus filii hominis hæretici. 565.

Potest quis esse patrinus sui filii per se loquendo, per accidens *quandoque non potest.* 566.

Casus, quo Sejus strasit Titio, ut hic filii proprii illegitimè ex Berta susceptipatrinus esset. 567.

Quod quidem suadere potuit Sejus sine peccato. 568.

Quando matres moriuntur in partu, possunt veri Genitores fieri patrini suorum filiorum. 569.

Maritus, & uxor simul suscipientes infantem de Baptismo, non contrahunt inter se cognationem spiritualem. 570.

An, & quando peccet quis recusando officium patrini? 571.

554 XIV. SIcuti non baptizatus nequit esse *validè* hîc fidejussor. *Can. In Baptismate. De Consecr. dist. 4.* & omnes DD. ita è diverso quivis baptizatus compos rationis, adeóque puer septennis potest esse pater spiritualis. Ita *citati.* Nam jura non excludunt talem; sicut nec vetant, quò minùs patrinus sit junior suo filiastro. Barbosa *De offic. & potest. Episc. allegat. 30. n. 39.* Habendâ tamen ratio moris diœcesani, & decentiæ. Sicuti & *validè*, non tamen *licitè* hoc munus exercent excommunicati, interdicti. Laymann. *de Bapt. c. 9. num. 2.* excludens facinorosos, & criminosos; quemadmodum mutû excludunt propter *Cap. Parvuli. De Consecr. dist. 4.* Anchar. & Fernandez apud Barbos. *in Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2. num. 11.* Abbatem verò, & consequenter Monachos repellit *Capit. Non licet Abbati. De consecr. dist. 4.* cujus decisionem extendunt Constitutiones Constantienses *ad cujuscunque Ordinis Regulares, & Moniales*: sicuti etiam extendunt multi DD. à quibus dissentit Quintanadvenn. *sing. Tract. 1. sing. 25.* ubi licèt fateatur, olim id non licuisse monachis; cohtendit tamen, licere nunc ipsis, omnibúsque aliis Religiosis, nisi quibus sit peculiariter prohibitum. Rationem hanc adfert; quòd olim fuerit solùm idcirco vetitum, quia tunc erat moris, ut compatres oscularentur suas commatres, sicuti colligitur *ex Cap. Monachi. De consecr. dist. 4. & Gloss. ibid. verb. osculentur.* Jam verò cessavit ille mos, cessante autem causâ legis totali, cessat & ipsa lex. *Cap. Cùm cessante, De appellat.*

Ego in primis judico, solos propriè dictos 556
monachos comprehendi hac prohibitione, quia Lex correctoria, & restrictiva juris naturalis, utpote odiosa, non debet extendi ultra proprietatem verborum. Ergo non obstante utroque illo Canone possunt Religiosi ex Ordine Canonicorum, Clericorum, Mendicantium obire illud munus, tametsi repugnet Laymannus *hic cap. 9.*

Judico deinde, illius antiquæ prohibitio- 557
nis causam adæquatam non fuisse morem osculandi commatres, quæ sanè actio quemvis

Regularem summopere dedecet, sed alias rationes: videlicet curam spiritualem, quam debet suo filiastro patrinus, ut dicimus infrà, & maximè periculum dissolvendi disciplinam per crebra colloquia, negotiáque cum compatribus, & per ingressus in domus istorum. Unde Jacobus Marchantius *in Resol. pastor. de Sacram. Tract. 2. c. 5. num. 5.* cupiens, ut ne quidem sacerdotes seculares, & præsertim ne parochi ipsi suscipiant munus susceptoris, refert hoc proverbium Gallicum:

De compere, & commere les noms,
Font toutes entrees de maisons.

Quem Rhythmum Gallicum sic exprimo Latino:

Compatris, Commatris nomen
Domorum recludit limen.

558 Judico proinde tertiò, (uti & D. Reding. *cit. controv. 6. n. 12.* ipse Monachorum Principale decus,) esse æquè nunc, atque olim interdictum monachis propriè dictis, accipere aliquem de lavacro sacri fontis, ut loquitur Concilium Triburiense relatum. *Cap. Qui spiritualem. 30. q. 4.* Consuetudinem contrariam, negat Marchantius, esse piorum, & Doctorum Monachorum, vocans eam corruptelam. Ego autem abstineo hâc censurâ, quia nec Canones, contra quos militat hæc consuetudo, sunt ullius Pontificis, aut Generalis Concilii, neque video in hoc actu quidquam per se malì, ergo etiam possunt hîc reperiri conditiones omnes consuetudinis derogantis Legi. Nihilominus tamen consulendum est, ut Regulares omnes facto ipso exprimant providam omnino Regulam, quæ est penultima inter illas duodecim, quas divino spiritu plenus scripsit pro suo sanctissimo, déque republica Christiana inæstimabiliter bene merito Ordine Seraphicus Franciscus, sanciens illam his verbis: *Fratres non fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur.*

559 XV. Tametsi hæreticus possit *valide* esse patrinus, cùm nusquam declaretur talis actus esse nullus. Sanchez *de Matrim. Lib. 7. Disp. 60. n. 2.* rejiciuntur tamen omnes hujus farinæ homines tum per Constitutiones Synodales hujus diœcesis *Part. 1. Cap. 6.* & Basileensis *Part. 1. art. 8.* tum per ipsam rationem naturalem, supposito fine hujus muneris, de quo paulò post. Quare non sunt ii *per se loquendo* admittendi. Sanchez *loc. cit.* Suarez *quæst. 67. art. 7.* dicens (assentiente Marchantio *in Candelabr. Tract. 2. Lect. 6.* in fine.) esse omnino ineptos ad hoc officium. Tannerus *Tom. 3. Disp. 1. q. 7. num. 125.* scribens, nunquam videri licitum, eò quòd videatur esse *intrinsecè* malum, ut addit *Tom. 4. Disp. 4. quæst. 2. num. 28.*

Ergo imitandum est in necessitate exemplum, quod exhibet hic

Casus Germanicus.

560 *Expulsis è Palatinatu superiore prædicantibus Evangelii Lutherani, & Calviniani, unus è Nobilibus novâ prole beatus jubet illam deferri ad templum baptizandam à Catholico sacerdote, sed sponsore Calvinista. Videns parochus, non posse sine grandi incommodo repelli hunc patrinum, dissimulat suam justam displicentiam, non interrogat, num hic credat, sed omnia similia pertinentia ad patrinum omittit, baptizat infantem, cúmque tradit immediatè obstetrici involvendum suis pannis, quem involutum dat hæc putatitio patrino, dico:* Putatitio, *quia spectato jure communi, non est patrinus proper causam allatam num.* 544.

561 Sæpius hunc Casum fuisse practicatum, testatur Tannerus *cit. num. 28.* probans hanc practicam, quam & ego probo; non ignarus tamen, Laymannum *Lib. 5. suæ Theolog. Cap. 5. num. 7.* fortiter propugnare consuetudinem illorum, qui, cùm in provinciis, è quibus emigrare jussi sunt ministri heterodoxi, non possint haberi patrini Catholici, & à parentibus infantium designantur hæretici, hos admittunt, eò quòd Germani potiùs delaturi sint infantem ad locum hæreticum pro Baptismo, quàm ut permittant baptizari sine patrino

562 Laymanno subscribit Palaus *Tr. 15. punct. 11. §. 1. num. 9.* casu, quo vel graviter offenderentur parentes infantis, si repelleretur patrinus, vel essent delaturi illum ad ministrum hæreticum: putátque ipse, ac D. Reding. *l. c. n. 14.* rectè cum Tannero contra Laymannum, esse potiùs (extra hos duos Casus) sine patrino omni baptizandum, quàm cum hæretico. Ejusdem Laymanni sententiam vocat absolutè probabilem Busenbaum *de Bapt. dub. 5. a. 2.* sicuti & ego, addito, quod addit Laymannus, ut scilicet patrinus non faciat sponsionem; addito quoque cum Palao, satiùs omitti omnem patrinum, quàm adhiberi hæreticum, si non timeatur extrinsecum aliquod malum. Quòd si fortè contingat, ut talis patrinus spondeat pro clientulo, meritò dicit Laymannus, esse monendum populum, quòd ille infans fuerit baptizatus in fide Catholica.

563 *At quid si non solùm patrinus, sed etiam parentes alieni sint à fide Orthodoxa, sciantúrque non cogitare de illa amplectenda.* Resp. Quid liceat præcisè, quatenus parens hæreticus petit baptizari à Catholico suam sobolem, dixi *Casu XI.* Licèt autem difficultatem illic indicatam augeat circumstantia patrini hæretici, non dubito tamen, quin Laymannus esset etiam cum hac circumstantia (nec improbabiliter, si nequirent aliter evitari grandia incommoda) propugnaturus suam illic; & hîc expressam sententiam,

tiam; quandoquid amhîc, id est *cit. num. 7.* expressè loquitur etiam de Patre, qui non spondet, se amplexurum veram Religionem.

564 Illud autem singulariter, & rectè notat Hermannus Busenbaum, *loc. cit.* nefas esse, rogare hæreticum, ut velit esse patrinus; rogatur quippe ad faciendum id, quod facturus non est sine peccato; nam & hæreticis interdicta est communicatio cum aliis in rebus sacris, & baptismales ritus risum facturus est talis patrinus. Confirmatur Casu infantis Mariæ relato. *n. 519.*

565 XVI. Faciliùs tolerandum est, ut Catholicus rogatus obeat partes patris spiritualis, quando filius hominis heterodoxi est regenerandus à ministro magistro heterodoxorum; Tannerus *cit. Tom. 3. Disp. 1. quæst. 7. n. 125.* Laymann. *hic cit. c. 9. n. 6.* fusè. Palaus *loc. cit. n. 10.* contra Navarrum *Libr. 1. consil. conf. 1. de constit. n. 66.* Azor *part. 1. libr. 8. c. 10. q. 9.* ac Lessium *in Auctario ad primam secundæ verb. Baptismus Cas. 1.* Ratio est, quia Catholicis non est jure Ecclesiastico prohibitum communicare cum hæreticis toleratis, & quando protestatur patrinus (quod quidem facere debet juxta Palaum, facere decet juxta Tannerum) se infantem suscipere juxta morem Ecclesiæ Romanæ, nihil incommodi oritur *moraliter loquendo*; quare censeo, posse admitti hoc officium, non solùm ob grave damnum imminens tibi, aut tuæ familiæ, ut restringit Palaus, sed etiam ob piam (notabilémque) utilitatem, ut rectè Tannerus non repugnante Laymanno, qui in ventilanda præcedente paternitate accuratior est cæteris scriptoribus; quanquam & Lessius *loc. cit.* tangit hîc aliqua practica ab aliis prætermissa.

566 XVII. Potest quis esse patrinus sui filii *per se loquendo*, at *per accidens* quandoque non potest. Utraque pars declaratur hoc

Casu ingenioso.

567 *Titius habuit filium ex Berta, quam volebat postea in uxorem ducere; sed tamen Sejus, qui hoc matrimonium impedire volebat, suasit Titio, ut patrinus esset, & è sacro fonte susciperet filium illum illegitimum; hâc quippe viâ obtinebat Sejus contractâ cognatione, ut matrimonium omnino impediretur. Quæsitum fuit à me, an Sejus peccaverit consulens Titio fieri patrinum sui filii, contrà juris prohibitionem.*

568 Testimonium hujus quæsiti dat Cardinalis de Lugo *Lib. 1. Resp. moral. dub. 6* ac respondet, Sejum *per se loquendo* non peccâsse, quandoquidem nihil mali suasit; nullæ enim leges verant, quò minùs quis fiat patrinus sui filii illegitimi; siquidem ratio fundamentalis, cur Canones interdicant susceptionem proprii filii, est, ne per hanc contrahatur cognatio cum matre filii, hæc quippe est causa, ob quam dixi, esse quandoque *per accidens* nefas, fieri patrinum proprii filii, contrahere autem cognationem cum matre, prohibetur solùm, ne impediatur petitio debiti conjugalis. Sanchez *de matrim. l. 9. Disp. 26.* ex communi, neutrum autem impeditur per susceptionem filii illegitimi, quia nullum debitum conjugale intercedit inter parentes illegitimæ prolis, cùm non sint conjuncti matrimonio. Adde, quòd ipse Sanchez *l. c. n. 7.* fateatur, esse probabile, quòd ne quidem petere debitum prohibeatur patrinus communis filii.

569 *Ergo*, inquies *quando matres moriuntur in partu, adeóque antequam regeneretur fœtus, possunt verigenitores fieri horum patres spirituales?* Resp. Possunt; uti & matres evadent matrinæ *validè* & *licitè*, si levent è fonte Lustrico suas proles posthumas. S. Celsus, ut vidimus *n. 532.* fuit suæ matris pater spiritualis, quid ni; & mater sui filii? Sicuti fuit S. Monica Augustini, quamvis in aliquantum diverso genere.

570 Utrùm autem ille Sejus peccârit procurando cognationem spiritualem & consequenter impediendo, ne Titius iniret matrimonium cum fornicariâ, non est hujus loci dijudicare. Certum est hujusmodi procurationem non esse ex naturâ suâ peccaminosam, ut rectè idem Cardinalis.

571 XVIII. Tametsi *c. fin. 30. q. 4.* Papa Urbanus vetat, ne uxor, & maritus ad hoc aspirare præsumant, ut de Baptismate simul suscipiant puerum, id tamen usu receptum non esse, testatur Suarez *q. 67. art. 7.* Marchantius, atque alii passim, licèt Laymannus *hîc c. 5. n. 3.* scribat; id esse hodiéque minùs decens. Certum est, ex tali actu non oriri ullam cognationem inter ipsosmet susceptores.

XIX. Tametsi non delinquat *per se loquendo*, qui rogatus, ut esse velit patrinus, recusat; *per accidens* tamen continet hæc recusatio sæpissimè culpam, & accersit pœnam, quemadmodum declaro tristi unius energumenæ Casu *n. 586.* in Appendicula.

SECTIO IV.

Officium, & cognatio Patrinorum.

SUMMARIUM.

Incumbit patrinis, suos filiastros docere veram Religionem. 572.
Satis sit obligationi, si semel instruantur, & capiant. 573.
Pluries opus est in filiastro parentum Acatholicorum. Ibid.

Ejusmodi filium spiritualem non tenetur alere patrinus, si negligatur à parentibus. 574.
Potest esse testis in causa filii. Ibid.
Inter quas personas oriatur impedimentum cognationis spiritualis? 575.
Casus de Teberga, quam negabat Clemens III. matrimonium contrahere posse cum Martino, eò quòd Martinus compater esset mariti Tebergæ defuncti. 576.
Statuit tamen Synodus Trid. compaternitatem contractam à marito non extendi ad uxorem. 577.
Nec patrinus Baptismi privati fit cognatus spiritualis. Ibid.
Baptizans in vera necessitate contrahit cognationem. 578.
Casus de obstetrice impedita à matrimonio cum patre viduo infantis, cui in necessitate Baptismum contulerat 579.
Etiamsi baptizans non habeat intentionem contrahendi cognationem, nec sciat, ita contrahi, nihilominus contrahit. 580.
Idem dic de susceptore, sed extra casum necessitatis. 579.
Baptizatio dissolvit Matrimonium post illam initum, non autem antè. 580.
Casus de Stephano, qui filium suum in necessitate baptizavit, quem propterea ab uxore non separandum judicavit Pontifex. 581.
An parens levans è Baptismo, vel baptizans propriam prolem, privetur jure petendi debitum? 582.
Casus ea de re, & resolutio. Ibid.
Examen obstetricum, num sciant formam Baptismi, non spectat ad Magistratum secularem. Ib.
Stephanus suprà dictus non factus est duplici titulo cognatus suæ uxori. 583.
Non enim potest idem esse & Patrinus, & baptizans. 585.
Usu perpetuo comprobatum est, in Baptismo præter baptizantem, debere esse aliquem, qui baptizatum è sacro fonte suscipiat. Ibid.
Potest quidem baptista substituere alium, qui suo baptizantis nomine teneat infantem, at sine omni substituto nunquam sit idem baptista & Patrinus. Ibid.
Nisi antiqua consuetudo Diœcesis id permittat. Ibid.
Casus obstetricis volentis superstitiosè impedire cognationem spiritualem. 586.
Casus puniti, quòd ex fastu renuerit esse patrinus. Ibid. *in* App.

572 Quæres I. *Quidnam oneris incumbat veris patrinis?* Resp. I. Tenentur in primis suos filiastros docere veram religionem. S. Thomas *q. 67. a. 7.* sunt quippe primitus ob hanc præcipuè causam instituti, ut patet ex S. Thoma & ex *Cap. Vos ante. dist. 4. de Consecr.* & Concilio Moguntino *c. 47.* vocantúrque ab Augustino Doctores fidei.

573 II. Et quidem hæc obligatio est *per se loquendo* gravis. Palaus *punct. 11. §. 1, num. 3.* etenim subrogatum sequitur qualitates illius, cui subrogatur. *L. Si eum, ff. Si quis caut.* Bart. & alii *ibid.* patrini verò subrogantur parentibus. Quòd si tamen tuum clientulum semel docueris necessaria ad salutem, isque comprehenderit, quæ docuisti, ac postea obliviscatur, non teneberis denuo inculcare, hoc enim onus perpetuum non est injungendum sine claro jure. Laymannus *hic cap. ult. n. 1.* rectè addens, jam esse rarum usum seu effectum memoratæ obligationis, quandoquidem solent infantes erudiri à parentibus, pædagogis, ludimagistris. Quamquam illi Catholici, qui rogatu parentum Acatholicorum levant è lavacro Christiano ipsorum pignora, obligantur *in actu secundo* sæpius, quàm patrini aliorum, quandoquidem tales proles sugunt cum lacte materno venenum, quod ex inferno halant Lutherus, Calvinus, Zwinglius &c. contra hoc venenum debent patrini antidotum, vel alexipharmacum porrigere.

III. Alibi, scilicet *in Quinario Tract. 5. Cap. 25. n. 39.* observavi, & scripsi, neque leges, neque consuetudinem suffragari Fabro, Franco, atque aliis apud Tiraquellum *comment. in Leg. Si unquam. C. De revoc. donat.* contra Guiliel. Benedictum, ratis, patrem spiritualem teneri alere suum filiolum, ut vocatur *Capit. In Baptismate. De consec dist. 4.* si negligatur à parentibus, sicuti etiam in eodem *Tr. 5.* scripsi, patrem spiritualem esse idoneum testem in causa filii, nisi constet de singulari amore in illum. 574

Quæres II. *Inter quas personas oriatur impedimentum cognationis spiritualis ratione susceptionis è sacro fonte?* 575

Resp. I. Quamvis id satis clarè exprimant verba Tridentinæ Synodi relata suprà *n. 524.* aliquid tamen amplioris luminis adferent resolutiones sequentium Casuum.

Casus I. Canonicus.

576 *Martinus Bertham duxit uxorem, Tebergam sibi copulavit Lotharius, qui Berthæ, & Martini filium de sacro fonte suscepit. Lothario verò & Berthâ sublatis de medio, Martinus cum Teberga præfata contraxit. Nos autem consultationi tuæ duximus respondendum, Tebergam non posse matrimonialiter copulari Martino, qui compater ejus fuerat, cum quo una caro Teberga noscitur extitisse.*

577 Nominatissimæ in scholis Casistarum, seu, ut Galli loquuntur, Casuistarum, Berthæ, ac trium cæterorum nomina cum reliquo contextu expressit Clemens III. *in Cap. Martinus. De cognat. spirit.* resolutione jam non sequendâ, quia hoc tempore, ob decretum Concilii Tridentini, compaternitas contracta à marito non extenditur ad uxorem ipsius, ex-

expressè enim statuit illa Synodus, ut in posterum non enascatur cognatio spiritualis, nisi inter personas, quas ipsa nominat. Undè notant omnes, jam non amplius enasci confraternitatem, quæ olim multis in locis vigebat, ut scilicet non solùm susceptor, & susceptrix contraherent cognationem, sed etiam filius susceptoris cum filia susceptricis eandem contraheret. Vide Casum *num. 541.* descriptum, & nota, patrinum Baptismi privati non fieri cognatum spiritualem. Sanchez *Lib. 7. De Matrim. Disp. 26. n. 14.* contra Navarrum.

578 II. Baptizantem etiam in vera necessitate contrahere cognationem, & impedimentum matrimonii facilius meminerit, qui suæ memoriæ impresserit Casum, quem novissimè accidisse, testis est Marchantius *in Resol. moral. de Bapt. cap. 3. num. 3.* his verbis.

Casus II. Belgicus.

579 *Quædam mulier abortum passa est ob fœtum, ob quam etiam mortua est. Cùm autem fœtus haberet aliquid vitæ, vicina mulier illum baptizavit, quia sciebat formam Baptismi, & inter assistentes nulla erat hac in re magis perita. Interim vir prædefunctæ mulieris jam viduus huic etiam viduæ cupit jungi matrimonio. Quæritur, an possit?*

Respondet autem Marchantius, non posse, etiamsi nec habuerit intentionem contrahendi cognationem, nec sciverit, ita contrahi. Quæ responsio habet etiam locum in susceptoribus, quamvis id officium præstitum in extrema necessitate non officiat Matrimonio, sicut officium baptizantis, quemadmodum jam monui suprà.

580 Dices: *Si baptizatio impedit, ne Matrimonium ineatur validè, sequitur, quòd dissolvat jam initum?*

Resp. Dissolvit illud, quòd initum est post baptizationem, non autem quòd antè. Est mihi prope religio non repræsentare Casum, quem ad Sedem Apostolicam delatum hac super re ad Episcopum Anselmum Lemovicensem resolvit ipse Joannes VIII. Pontifex, ut videre est *Cap. Ad limina, 30. q. 1.* Verba sunt, quæ sequuntur.

Casus III. Gallicus.

581 *Ad limina Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum Principum hic homo nomine Stephanus, nostro Præsulatui intimando innotuit, quòd filium suum in extremo vitæ positum nec dum Baptismatis undâ lotum, absentiâ scilicet sacerdotum, cogente necessitate baptizâsset, eumque propriis manibus retinendo suscepisset, atque pro hujus rei negotio Reverentia tua, quasi rectitudinis zelo flagrans, præfatum hominem à conjuge sua judicaverit separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente Scripturâ: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Quapropter dicimus, omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Unde si suprà dictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetuâ morte morientem dimitteret, sacri undâ Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis eriperet, benefecisse laudatur, & idcirco suæ uxori sibi legitimè sociatæ impunè, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctum.*

Hactenus Pontifex omissis quibusdam, quæ nullo modo mutant sensum.

Dices I. *Quid si baptizâsset hic Stephanus sine necessitate?* 582

Resp. Non fuisset quidem facienda separatio, ut patet ex ratione Pontificis, fuisset tamen orta cognatio spiritualis. Sanchez *Lib. 3. De Matrim. Disp. 26. num. 2.* & probabilissimè privatio juris petendi debitū conjugale. Sanchez *ibid. num. 6.* cum plurimis contra permultos apud eundem cum Diana *Part. 5. Tract. 3. Resol. 25.* quorum opinio obtinet majorem probabilitatem tunc, cùm adest ignorantia *juris*, aut *facti*. Marchantius enim *in Candel. Mystic. Tr. 2. prorsus in fine* resolvit, mulierem, quæ exteriorat in Sacramento Confirmationis matrinā puellæ, quam ejus maritus ante matrimonium furto genuerat, non incurrisse privationem debiti conjugalis, ignorantia enim *juris & facti* excusat in similibus, inquit Marchantius. Porrò eam puellam tenuerat jam contracto matrimonio, si enim tenuisset antè, ortum fuisset impedimentum dirimens, cujus, sicuti hoc aliorum impedimentorum vim impedit ignorantia, quemadmodum ex instituto, communique sententia DD. ostendam *Tract. 9. num. 57.* Interim quæ dixi de privatione debiti conjugalis, orti ex levatione propriæ prolis, explico solutione.

Casus Turgoici.

Rosa Obstetrix Catholica à Magistratu sæculari Catholico approbata, & examinata, noluit baptizare filium Livii periculosè laborantem, hanc solam adferens causam, dictum sibi esse à Magistratu, ne baptizaret infantes præsentibus viris peritis baptizandi, sed dixit Livio parenti, ut ipse, utpote vir bene peritus baptizandi, filiū baptizaret. Livius hoc audiens, accurrit, baptizat præsente illâ obstetrice, non ignorans, Baptistam con-

trahere cognationem spiritualem cum parentibus baptizati. Quæritur, an habeat adhuc jus petendi debiti?

Ex me quæsiit quidam è Diœcesanis parochis, cui respondi, non esse movendum Livio quantumvis effecto, patrino scrupulum circa petitionem debiti, cùm fuerit illo officio functus in vera necessitate, nec enim conveniebat, ut multùm altercaretur cum Obstetrice, patrocinabatúrque ipsi benignum rescriptum Alexandri III. de quo paulò antè. Addo, licèt spectet ad bonam politiam, ut Obstetrix admittatur à Magistratu sæculari, attamen me non videre, quo jure magistratus ipsemet examinet, sitne perita, an imperita formulæ, & aliorum necessariorum. Cùm enim judicium, ac sententia de peritia, imperitiâve spectet ad judicem Ecclesiasticum, adeóque parochum, utpote res purè spiritualis, consequenter examen pertinebit ad solum forum parochi, qui proindè meritò inhibebit, ne laici mittant falcem in messem tam alienam. Porrò quia casibus Episcopo reservatis accensetur in hac diœcesi Constantiensi baptizatio propriæ prolis, idcirco resolvo *in Alphab. Confessariorum num. 413.* an quidam Hermannus incurrerit ejusmodi casum, dum renuente Obstetrice tingere ejus prolem in necessitate, ipse eam tinxit.

583 Dices II. *Videtur Pontifex indicare, illum Stephanum functum fuisse munere baptistæ, & susceptoris, adeóque duplicem cognationem iniisse cum uxore.*

Resp. Videtur omnino, si inspiciatur solus cortex verborum, quia tamen tum alii Canones, tum DD. differentes de patrinis, semper supponunt, esse *realiter* distinctum à baptista, idcirco licèt Stephanus ille baptizando tenuisset sinistrâ manu filium, ac baptizatum recepisset in dexteram, non fuisset factus duplici titulo cognatus suæ uxori.

584 Dices III. *Hæc speculatio est inutilis.* Respond. Non est, quia si quis potest esse simul patrinus & baptizans, tum qui fuit talis, non poterit inire matrimonium cum matre baptizati, nisi per dispensationem talem, in cujus petitione sit facta mentio utriusque cognationis, & tituli, cùm sint satis diversi.

Hæc prorsus omnia jam scripseram, cùm
585 quidam spectabilis D. Decanus hujus diœcesis me convenit, atque inter cætera ex me quæsiit, utrùm possit idem esse patrinus, & baptizans, etenim non rarò fieri in quibusdam locis hujus Episcopatûs, ut parochus rogetur à parentibus baptizandi, velit esse simul patrinus, & baptizare; proindéque solam commatrem præter parochum baptizantem comparere haud rarò. Respondi autem, illum morem adversari juri Canonico, atque communi sensui DD. Sanè neque sacri Canones prohiberent, ne monachi sint patrini, neque DD. dicerent, omissionem patrini in Baptismo solenni continere culpam lethalem, si idem esset quandoque patrinus, & baptista. Et cùm principaliùs ad patrinum, quàm ad matrinam spectet respondere baptizanti, quærenti de nomine, fide, abrenuntiatione infantis, fungetúrne, talis parochus munere interrogantis, & respondentis? Interrogatio quidem, & responsio casu conveniunt, at non subjecto. Hæc jam exarata dedi pro responso petito legenda alteri sacerdoti interroganti, an rectè feciisset, quòd nuper, etsi rogatus, noluerit esse baptista, & susceptor simul. Equidem P. Valentia *Tom. 4. quæst. 2. punct. 3.* pronuntiat, esse certissimam, usúque perpetuo comprobatam doctrinam S. Thomæ *hic quæst. 67. art. 7.* in Baptismo præter baptizantem debere esse aliquem, qui baptizatum ex sacro fonte suscipiat. Consentit tum Suarez *in cit. locum S. Thomæ*, tum Stephanus à sancto Paulo *in Theolog. morali, Tract. 5. Disp. 2. dub. 4. num. 25. Quid si autem ipse baptista substituat alium, qui suo, id est baptizantis nomine teneat infantem?* Respond. Noster Pater Adamus Burghaber in concinna *sua Centuria 2. num. 64.* docet ex instituto, saltem cum hujusmodi moderamine, posse quem baptizantem esse & patrinum, quod etiam judico esse non improbabile, saltem in sententia docentium, cognationem, adeóque onus instruendi contrahi à procuratore. At non assentior huic Doctori, quatenus tenet, posse hoc rectè fieri sine omni substituto. Rationem & authoritatem attuli, ut reor, sufficientem, cui addo hanc, quòd scilicet patrini sint primitus idcirco designati, ut modò geniti in Christo haberent, à quo ultra Episcopum, parochúmque: qui sunt ordinarii Ministri hujus Sacramenti, instruerentur in fide, sicuti patet ex sancto Dionysio, quem describit, sequitúrque sanctus Thomas *quæst. 67. a. 8.* Quare stante jure antiquo non licebat curatoribus animarum suscipere è sacro fonte illos, quos ipsi abluerunt, hunc morem observat in hodiernum diem Ecclesia; ut proinde repugnent institutioni patrinorum, & mori Ecclesiæ, qui contrarium factitant, non tamen rei peccati, si nitantur antiquâ consuetudine vigente in Diœcesi, toleratáque ab Episcopis. Vide infrà plura de patrino Confirmationis.

Dices IV. *Quid respondendum sit ad sequentem* 586

Casum anilem.

Ruffina obstetrix videns adolescentem obiré velle unà cum adolescentulâ munus patrini, statuit se mediam inter utrumque tunc, cùm ea peragerentur, quæ sunt patrini; fecit autem ideo, ut suo interpositu impediret ortum cognationis inter utrumque.

Resp.

Respondeo, esse utique anilis aut simplicitatis, aut superstitionis, contigisse tamen, auctor est Marchantius *in Resol. pastoral. De Bapt. cap. 4. n. 3.* testans, se remedium attulisse acri reprehensione, quandoquidem illa interpositio nihil prorsus virium habeat in hac materia. Adde, quòd suprà dixerimus, nullam cognationem oriri inter illos duos, qui tenent in Baptismo unum aliquem.

Appendicula.

a Cum tam multa sint hoc Casu dicta de patrinis, quæres fortè, quid respondendum ad hunc

Nuperum casum.

Adegundis nobili genere nata rogatur adhuc constituta in Annis adolescentiæ, ab homine plebeio, eòque agricola, velit è sacro fonte suscipere suam prolem. Renuit illa persona ex quodam fastu, atque aliquot Annis pòst invaditur, insidetur à malo, pessimo genio, qui compulsus à sacerdote, eum soleniter urgente ad emigrationem, prodere, quibus de causis occupâsset illud hospitium, reliquas inter hanc prompsit, quòd videlicet ea persona repudiâsset preces rustici deposcentis illam ad officium, seu patrini, seu matrinæ. An ergo per se loquendo *deliquit ea persona, seu Cajum, seu Cajam voces, renuendo inire cognationem spiritualem cum personis multò inferioris conditionis?*

Narro rem testatissimam, atque typis diversarum linguarum editam, ac

b Resp. I. Negare officium susceptoris, vel susceptricis non continet *per se*, seu *ratione objecti* ullam culpam. Ratio est; quia ubi non est lex, ibi nec prævaricatio *Rom. 4.* & quod lex non dicit, non est ab homine præsumendum. DD. ex *Cap. Illa. Ne sede vacant.* Atqui nulla lex divina, humanáve præcipit, ut quis rogatus in patrinum acquiescat petitioni, cùm præsertim functio illius officii habeat appendices suprà explicatas, atque nonnullis molestas.

Respond. tamen II. Peccari utique, si ex fastu, & superbia, alióve pravo motivo repellantur eæ preces, ut per se clarum est, confirmátque notatu dignus, quem retuli, eventus. Idem dic Casu, quo nulla rationabilis causa subest detrectandi hoc Christianæ pietatis officium, & si detrectetur, adferetur notabilis mœror parentibus regenerandi in Christo, aut gignetur scandalum, quale facilè oritur, quando Titius offensus à Cajo postea rogatus ab hoc, ut levet, prout jam semel, iterúmque promptè fecerat ante offensam, è fonte novam prolem recusat levare; recusatio enim in talibus circumstantiis est indicium animi vindicativi, consequenter actio habens speciem mali, proindéque minùs recta, & consequenter scandalosa. S. Thomas 2. 2. *quæst. 43. art. 8.* Longè abfuit ab hoc genio

Ferdinandus II. Imperator.

Siquidem in Aureo Libello de ejus Virtutibus *Cap. 4.* memorat conscientiæ arcanus arbiter P. Guilielmus Lamormaini id, quod exscribo. E sacro fonte toties libens infantes suscepit, quoties vel è proceribus, vel etiam è famulis domesticis aliquis id expetiit. Si quando Regnorum curis præpeditus adesse non potuit, elegit ex optimatibus, quem suo nomine juberet pio munere defungi.

SECTIO V.

Munus parochi circa Librum baptizatorum.

SUMMARIUM.

Observanda parocho circa Librum baptizatorum. 587.
Peccat mortaliter, si non diligenter annotet annotanda. 588.
Parochus est notarius publicus. 590.
Constantiensis mos in testimonio pro ætate. 592.
Quando proles est illegitima, quid scribendum? Ibid.
Quando plures patrini se offerunt, quorum nomina sint scribenda? 593.
Et quando quis levat per procuratorem? 594.
Peccatum qualificatum admittit provocans ad libidinem commatrem. 596.

Quæres: *Quænam observanda circa Regi-* 587
strum, seu Librum baptizatorum?

Resp. I. Conformiter menti Concilii Tridentini *sess. 24. De Reform. Matrim. Cap. 2.* statuunt Constitutiones Episcopatûs Constantiensis *P. 1. tit. 6. num. 11.* hunc in modum: *Omnium baptizandorum, eorundem parentum, ac patrinorum nomina & cognomina cum annotatione Anni, mensis, & diei in librum specialiter ad id deputatum inscribant, illúmque singulis Annis Decano suo ostendant, ut in hoc negligentes nobis, vel Vicario nostro dignâ pœnâ plectendos denuntiare possint.*

II. Quintanadven. *Singul. Tract. 2. sing. 2.* 588
damnat peccati mortalis parochum, qui scienter, & ex negligentia frequenter, seu plures baptizatos non scribit, quia videlicet Concilium Tridentinum *loc. cit.* vult, arbitrio Ordinarii

puniri negligentes, & multa incommoda oriuntur ex hac negligentia. Poſſevinus *q. 44.* fert æquè rigidam ſententiam ſine limitatione ad frequentiam, quia ſcilicet vergit in magnum præjudicium. Equidem fuerunt his bellis non pauci, ut liquidò ſcio, & rurſus expertus ſum Anno 1673. cum aliquo Religioſo, magnas difficultates, incommoditatéſque perpeſſi, idcirco, quòd Libri baptiſmales fuerint amiſſi, vel flammis exuſti, nam ex iis petitur teſtimonium ætatis pro Ordinibus, Profeſſione, Matrimonio, jejunii inchoatione neceſſariâ, liberatione à tutela, minorennitate &c. Item teſtimonium de cognatione ſpirituali, deque parentibus.

589 Quapropter vehementer hortor Dominos parochos, ut notent diligentiſſimè non ſolùm diem Baptiſmi ipſius, ſed nativitatis, imò etiam horam, qua quis natus eſt. Nam primùm hoc Anno quidam ex Ordine Seraphico, excelſi ingenii Religioſus debuit abſtinere ex jure communi ab Ordine ſacro, quòd deeſſet illi unica hora: alius, quòd non eſſet ſcriptum, utrùm ante, an poſt prandium prodiiſſet in lucem; qua de re plura volente Deo trademus *in Alphab. Ordinantium & Extremè ungentium*, ſeu *Tract 8.*

590 III. Inducentur iidem Domini parochi ad tantò ſeduliùs, fideliùſque condeſcendendum huic cohortationi, ſi meminerint, talem Librum ſeu Regiſtrum facere plenam fidem coram quovis tribunali, quando eſt quæſtio, vel de Baptiſmo revera collato, vel de ætate. Menoch. *De præſumpt. præſumpt. 31 n. 33.* Maſcardus *De probat. concluſ. 1147. num. 2. & 673. n. 1. & 2.* Barboſa *De paroch. p. 1. c. 2. n. 4.* & Quintana ad venn. *loc. cit. ſing. 3 num. 2.* cum multis aliis apud ipſos. Nam parochus eſt in tali, & pro tali actu Notarius publicus; & ſic primùm nuper reſpondi in caſu contentioſo; nihilominus tamen oſtendam *in Tract. 8. Caſ. XIII. ſect. 1.* eſſe hac in re multum deferendum teſtimonio patris.

591 IV. Probatur quoque auctoritate ejuſmodi Libri plenè, qui fuerint patrini, & quis baptizârit. Quintana ad venn. *loc. cit. n. 6.* Quin Maſcardus *cit. concluſ. 1147. num. 21.* itémque Barboſa *num. 6.* poſt Gonſalez, Rebuffum, & alios opinatur, eo Libro probari originem; modò fraus non probetur intervenìſſe, ut addit Piaſecius *in Prax. Epiſcop. p. 1. c. 1. num. 9.* Verùm quia non poteſt parocho tam certò conſtare de patre baptizati, quàm cæteris, ideirco notat Quintana ad venn. illum librum non habere tantam auctoritatem in hoc puncto, quantam in prioribus; quamvis utique habeat magnam.

592 Eam ob rem Conſtitutiones Synodales Conſtantienſes *p. 1. tit. 14. n. 4.* ſtatuunt, ut Legitimitas pro Ordinibus probetur teſtimonio magiſtratûs civilis, aut publico inſtrumento; quod quidem teſtimonium magiſtratûs volunt *n. 3.* etiam pro ætate addi teſtimonio parochi, ſed id non obſervatur cum tanto rigore. Quòd ſi proles ſit illegitima; ſuadeo, ne abſolutè ſcribatur nomen nominati patris, niſi ipſe fateatur ſe patrem, ſed ſcribatur: *Pater ejus Titius N. N. ut dicit mater*; communiter autem obſervatur modus, quem Poſſevinus uſu peririſſimus parochus tenuit, teſtans *q. 43. De Baptiſmo*, ſe ſolitum ita ſcribere: *Die N. menſis N. Anno N. Paulus filius Petri de N. & Bertha de N. ejus uxoris baptizatus eſt à me N. compatre N. commatre N.* Suadeo tamen rurſum, ut etiam notetur hora nativitatis, adeóque ſaltem poſt patrinos addatur: *Natus autem die N. horâ N. antemeridianâ &c.*

At quid cenſendum de ſequenti Caſu, & facto

Parochorum Cadurcenſium?

Qui abſque ulla verecundia in libris baptizatorum, nomini illegitimæ prolis, patris etiam, expreſſo preſbyterali ſtatu, ſubjungebant. Quaſi verò poſteritati relinquenda fuiſſet probroſa eorum incontinentiæ nota, & ſcandalum, tunc viventibus datum, in poſteros quoque derivandum eſſet.

Ita loquitur P. Dominicus Biſſelius Canonicus Regularis ad S. Crucem Auguſtæ Vindelicorum, interpres *Ideæ Boni Prælati*, id eſt *Lib. 2. cap. 6.* Vitæ Illuſtriſſimi dignitate, moribus, miraculis Domini Alani de Solmini hac, ex Abbate ſimul & Reformatore per Galliam Canonic. Regul. S. Auguſt. aſſumpti ad Epiſcopalem Sedem Cadurcenſem. Improbationem hujuſmodi inſcriptionis probo & ego, tùm ob rationem productam à P. Leonardo Chaſtenet etiam Canon. Regulari, Gallico ſcriptore illius Vitæ, eóque ſapientiſſimo, ut teſtatur opus ipſum; tùm quia non cenſeo, eſſe hac ætate Epiſcopum, qui non graviter reprehenderet baptiſtam, tale probrum tranſmittentem ad poſteros, quandoquidem ſacerdotum incontinentia (utpote nunc incomparabiliter; per Dei gratiam; rarior, quàm fuerit ſub Annum Chriſti 1581. quo in toto Ducatu Clivienſi, tametſi Orthodoxo, ne quidem quinque ſacerdotes numerabantur, qui publicas concubinas non haberent, ut refert Card. Pallavicinus *in Hiſtoria Concil. Trident. Part 2. lib. 15. cap. 5. num 9.*) eſt nunc multò ſcandalóſior, quàm fuerit illâ carnêâ ætate.

At inquies: Conſtitutiones Synodales, ut vidimus ſuprà *num. 587.* imperant, referri in album etiam nomina parentum. Reſpondeo: non idcirco imperant, referri ſtatum, conditionémve illorum. Scribat ſanè parochus, ſi lubeat: *Natus patre Ludolpho Naſone Sutore*, at abſtineat à nominatione redundante in irriſionem, vilipenſionem alicujus familiæ, ſtatûs ſacerdotalis, Religioſi &c.

Minùs imitandus ille alius parochus, qui literis interrogatus à Prælato Religioſo de ætate Caji Novitii, ab ipſo olim baptizati, reſcripſit

puìt abſolutè, jam compleviſſe Annum ætatis decimum ſextum, ob quod reſcriptum, teſtimoniúmque admiſſus ad profeſſionem Cajus, poſtmodum audivit ſuum patrinum, virum conſularem dicentem: *Secundùm meum computum erravit D. Parochus, dum dixit, te tunc jam fuiſſe Annorum ſedecim completorum.* Audivit & parochum ad hæc verba conſulis reſpondentem: *Hoc facilè poteſt eſſe, quia liber baptiſmalis erat jam tunc amiſſus, quando te baptizavi.* Ex quo reſponſo parochi ortum, nec immeritò, grave dubium, utrùm non eſſet repetenda illa Profeſſio, præſertim quòd iſtam Cajus aliquot Annis poſt expreſſè ratificârit. At quid ad hoc dubium reſponderim, non eſt hujus loci aperire, videri tamen poterit, quoad vim illius privatæ, ſeu à Prælato non admiſſæ ratificationis Pellizarius *in Man. Regul. Tr. 3. cap. 1. quæſt. 20. n. 44.*

593 V. Quando offerunt ſeſe plures patrini, quàm permittat Tridentina Synodus, inſcribenda ſunt duntaxat nomina duorum ſelectorum à parocho, ut providè ſtatuitur in conſtitutionibus hujus diœceſis *Part. 1. tit. 6. num. 8.* Quòd ſi parochus nota verit plures, quàm duos, tunc omnes præſumuntur contraxiſſe cognationem ſpiritualem, ut cenſet Stephanus Gratianus apud Barboſ. *in Trident. Seſſ. 24. cap. 2. De Reform. Matrim. n. 21.* Verùm mihi videtur id ſatis durum, ſaltem ſi loquamur de hac reſolutione in ordine ad dirimendum Matrimonium; non enim video, cur Judex non poſſit prudenter præſumere, illos duos, qui primo loco ſunt ſcripti, fuiſſe ſolos admiſſos à parocho ut veros patrinos.

594 VI. Quando quis per procuratorem levat aliquem de fonte, providè aget parochus, ſi ſcribat nomen utriuſque, primi tamen expreſſè ut mittentis, alterius ut miſſi. Sanè ſi alterùter ſolùm ſcribatur, debet ſecundùm ſententiam à nobis defenſam *n. 546.* exprimi nomen mittentis; ſicut etiam accuratè ſpecificandum, quando quis fuit patrinus in Baptiſmo non *ſolenni*, & in *conditionato*, quandoquidem ex neutro horum oritur impedimentum Matrimonii. Suprà *n. 523.*

595 Prolixam equidem, non tamen inutilem, ut ſpero, diſſertationem de patrino finio reſponſione ad mihi propoſitam diebus proximis à non nemine

Quæſtiunculam.

Utrùm ſcilicet admittat peccatum qualificatum is, qui laceſſit ſed fruſtrà, ſuam commatrem ad turpitudinem?

596 Reſp. Quandoquidem fornicatio *realis* inter ejuſmodi perſonas eſt abſque dubio ſpecie diſtincta ab illa, quæ committitur ab alio genere hominum, deſideria autem, & tentamenta ſortiuntur omnem ſpecificam malitiam ſui objecti, eſſe tam parùm dubitandum de diverſa malitia refuſa in hanc ſollicitationem, quàm parùm ambigitur, an, qui alienam conjugem, aut propriam ſororem pellicit ad turpe facinus, teneatur in confeſſione exprimere has circumſtantias objectorum. Atque hiſce jam deſcriptis reperio hanc ipſam reſolutionem apud Marchantium *in Candelabro Tract. 2. Cap. 4. in fin.* Sicuti & video, ab eodem ſingulariter probari variis hiſtoriis, ſanctos Angelos fuiſſe ſæpius functos officio patrinorum, ut diſces ex *eodem 2. Tractatu Lect. 5. propoſit. 2. & ex* Anton. Daroultio *in Catechiſm. Hiſtoriali Cap. 1. Tit. 2. §. 2.*

DE BAPTISMO SANGUINIS, ET FLAMINIS.

CASUS XVIII.

Zeli ſancti, an imitandi?

SECTIO I.

De Baptiſmo Sanguinis.

SUMMARIUM.

S. Emerentiana mactatur ob Ethnicorum objurgationem. 597.
Quid ſit Martyrium propriè? 600.
Ad id requiritur perpeſſio mortis. 601.
Et ut toleretur ex ſtudio fidei. 602.
Quid ſit occidi in odium fidei? 603.
An, ſi quis perimatur ob exercitium alicujus virtutis? 605.
Et quidem virtutis non veræ, ſed falſò apprehenſæ? 607.
An, ſi malit mori, quàm inebriari? 608.
An, ſi occidatur à perſona privata? 609.
Caſus Martiani ad mortem damnati ob bonum opus ignoratum à Judice. 610.
An fuiſſet Martyr, ſi non fuiſſet caſu impedita ſententia mortis? 611.
Voluntaria acceptatio mortis quomodo requiratur ad Martyrium? 612. & 613.
An ea ſit in dormiente? 616.
Status gratiæ quomodo requiratur in Martyre? 617.
Effectus Martyrii. 618.
Aureola, ſeu Laureola quid? 619.
Quænam ſpecialiter obſervabit legens acta SS. Martyrum? 620.
Non eſt ubique fides habenda Simeoni Metaphraſtæ. 621.
Nefas eſt per ſe loquendo *præciſè ex deſiderio Martyrii provocare Tyrannum. 622.*

Ita

Ita tamen quandoque est fas per accidens. 623.
Nec licet per se loquendo *ingerere se in Martyrium.* 624.
At sapissime per accidens *licet.* Ibid.
Declaratur Exemplis. 625.
An sit per se loquendo *præceptum, declinare Martyrium?* 626. & 627.
An factum S. Emerentianæ sit imitandum? 628.
An & factum S. Theodori incendentis fanum Ethnicorum? 629.
Peccat mortaliter abstinens à carnibus inter hæreticos, si ob abstinentiam sit occidendus. 630.
Quomodo excusandæ, quæ se occiderunt ad servandum pudorem? 631.
Quomodo multitudo Martyrum habeatur pro nota Ecclesiæ? 632.
Cur Martyres tam multi non potuerint occidi nisi gladio? 633.

597 *S. Emerentiana Virgo Romana Collactanea B. Agnetis adhuc catechumena fide, & charitate flagrans, furentes in Christianos idolorum cultores cùm vehementius accusaret, à concitata multitudine obruta lapidibus est. Quæ in cruciatibus orans ad sepulchrum S. Agnetis proprio sanguine, quem pro Christo constanter effudit, baptizata animam Deo reddidit.*

598 Ita Breviarium Romanum ad 23. Januarii, addente S. Ambrosio apud Joannem Bollandum die 21. Januarii *in vita S. Agnetis*, Christianos perspecto furore plebis profugisse, Emerentianam persticisse immobilem, atque arguisse hunc impium furorem; ut proinde clarum sit, illam quoque potuisse evadere mortem, si voluisset. *At nonne tenebatur* per se loquendo *fugere? An licitè objurgavit furiosos, prævidens se ab iis mactatum iri? An in his imitanda?*

599 Hæc & alia dubia pulsant animum legentis vitas, ac gesta Martyrum, quorum occisio est in non baptizatis ipsissimus Baptismus sanguinis, habens proinde eosdem effectus, & conditiones cum hoc, idcirco in gratiam sæpe cogitantium, dissentium de SS. Martyribus, referam hoc loco complura de Martyrio scitu digna, alia quidem satis obvia in Theologis moralibus, alia non item. Et verò de causis, conditionibúsque martyrii disserunt in ipsamet materia de Baptismo ex instituto Henriquez *Lib. 2. cap. 36.* Bonacina *Disp. 2. q. 1.* Coninck *in 3. p. d. 66. art. 12.* Palaus *Tract. 19. p. 14.* & alii plures.

600 Quæritur ergo I. *Quid propriè Martyrium, & quæ generatim ejus conditiones?*

Resp. Martyrium *strictè*, & ut solet à multis usurpari hoc nomen, est passio, seu susceptio cruciatûs lethalis pro Christi fide. Bonacina *loc. cit.* Ejus conditiones sunt quinque. 1. Perpessio mortis. 2. Perpessio ejus ob fidem Christi. 3. Illatio in odium fidei Christi. 4. Perpessio voluntaria. 5. Perpessio in statu gratiæ. Ita *citati* cum aliis referendis in decursu: at intelligendi sequentibus modis.

601 Dico enim I. Ad martyrium requiritur perpessio mortis, seu cruciatûs ex se lethalis. Ita omnes cum S. Thoma *in supplem. q. 96. art. 6.* Unde Ecclesia colit ut Martyrem S. Joannem Evangelistam, qui è ferventis olei dolio (seu solio, id est, sedili balneantium, ut apud Theoph. Raynaudum in S. Georgio Megalomartyre *num. 9.* contendit legendum Stellertius) illæsus exivit, adeóque sufficit, si mors inferatur *in actu primo*, esto divinitus impediatur *actus secundus.*

602 Dico II. *Secunda*, & *tertia* conditio martyrii ita intelligenda est, ut verus martyr patiatur non studio vanæ gloriæ, sed studio, seu ob studium veræ fidei, aliius verò necem inferat non *principaliter* studio vindictæ, pecuniæ &c. Sed stimulatus odio fidei, seu in odium fidei; hanc enim utramque conditionem exigit Scriptura, dum loquens de martyre vult, ut perdat animam suam propter Christum *Luc. 12.* confiteatur Christum coram hominibus *Matth. 10.* patiatur non ut fur, & homicida, sed ut Christianus 1. *Petri 4.* Denique *martyres dicuntur tanquam testes, quia suis corporalibus passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicunque, sed veritati, quæ secundùm pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit*, inquit S. Thomas 2. 2. *quæst. 124. art. 5.* Unde vulgatissimum illud ex S. Cypriano, & aliis Patribus *Martyrem facit non pœna, sed causa*, videlicet aliqua virtus cognita lumine supernaturali.

603 Etenim per *odium Christi*, quo vocabulo Theologi consueverunt uti in hac materia, intelligitur insectatio, & persecutio Christi, vel *directa*, & *immediata*, ut cùm Turca dicit Christiano: *Nega, Christum esse Deum, aut te Mahometi victimam dabo*, vel *indirecta*, & *mediata*, quæ est, quando vita alicui eripitur ob exercitium operis boni, & aliquo tandem modo ad fidem propugnandam, tuendam, illustrandámve tendentis, ab homine tamen iniquè prohibiti. Raynaudus *De Martyr. part. 2. cap. 1. num. 11.*

604 Hanc distinctionem supponunt cùm Theologi communiter, tum nominatim Henriquez *loc. cit. Cap. 37. num. 2.* Item Valentia *Tom. 3. disp. 4. q. 2. p. 1.* ita scribens: [*Quarta* Conditio (martyrii) est, ut mors obeatur propter justam causam, id est, ob fidei defensionem vel in se, vel ut relucet in opere pio virtutis in quo videlicet ad mortem usque propugnando, vel eo ipso ostendat quis, placere Deo pia opera virtutis, quod est nimirum quædam fidei veritas.] Ita Valentia restans paulò inferiùs, hanc esse receptam, communémque doctrinam D. Thomæ.

605 Ac proinde annumerandus est cruentis testibus Christi, quisquis (si cæteræ conditiones adsint) occumbit propter exercitium alicujus virtutis cognitæ lumine fidei. S. Thomas *cit. q. 124. art. 5. & in Supplement. quæst. 96. art. 6. ad 9.* Henriquez *loc. cit.* Lessius *De virtutibus lib. 3. c. 1. num. 27.* Coninck *in 3. part. q. 66. art. 12. n. 125.* Tannerus *Tom. 2 disp. 1. q. 4. num. 33. & Tom. 3. disp. 3. quæst. 2. num. 31.* Bonacina *l. c. n. 11.*

606 Patet exemplo tum S. Emerentianæ lapidibus obrutæ idcirco, quòd reprehenderet impios, crudeléque idololatras, tum Sanctorum Joannis Baptistæ, Thomæ Cantuariensis, Stanislai Cracoviensis Antistitum, de quibus in Breviario, quia hi, & alii similes rectè dicuntur necati pro Christi fide, juxta communem explicationem hujus locutionis paulò antè allatam.

607 At quid si quis ex errore invincibili credat, illud opus, ob quod obtruncatur, esse præceptum à Deo, cùm sit vetitum. *An erit appellandus martyr?* Respondet Raynaudus *cit. p. 2. c. 3. n. 16. & 17.* affirmativè, eò quòd talis mortem adeat idcirco, quòd nolit agere contra conscientiam invincibiliter errantem. Sed ut sit hoc verum, inde tamen haud rectè inferes, hæreticos *formales* combustos, suspensos &c. Pro veris, aut falsis articulis fidei potiri laureâ martyrii; etenim sine fide impossibile est placere Deo. *Heb. 11.* in hæreticis autem *formalibus* non est fides.

608 E diverso fulgent coronâ purpuratorum pugilum Christi, qui vitam profundunt ob exercitium veræ virtutis quidem, at non præceptæ, modò non desinat ob instans mortis discrimen esse virtus. Raynaud. *loc. cit.* ex communi. Equidem poterat S. Emerentiana supersedere objurgatione Gentilium.

Idem dic de obtruncato idcirco, quòd detrectaverit exhaurire craterem propinatum sibi ab alio, ideo autem recusârit, quòd cognosceret, illo evacuato rationem penitus exturbatum iri. Sic docui *in Theolog. Iuridico-morali*, seu *Tract. 5. Quinarii cap. 18. sect. 6.* probans, hoc esse verum, etiam in sententia meritò sustinente, ejusmodi evacuationem esse permissam in tali discrimine.

609 Idem pronuntia de quocunque vitâ spoliato à quocunque homine etiam privato, dummodo hic illum neci dederit ex odio unius virtutis coruscantis in animo occisi; Theologi quippe hactenus nominati loquuntur generatim de quocunque perempto in odium fidei, non excludendo necatum ob hominem privato. Adde quoque paulò ante dictis resolutionem hujus

Casus Comico-tragici.

610 *Martianus militiæ tyrocinium positurus (postea laudatissimus Imperator) Philippolin proficiscens conspicatur secus viam cadaver hominis recèns occisi. Cui dum parat justa persolvere, visus à quibusdam, atque in suspicionem patrati homicidii vocatus, rapitur in vincula, dúmque tribuitur conjecturis plus, quàm inficiationi innocentis, damnatur capitis. Sed Deo tempori succurrente priusquam sententia executioni mandaretur, capitur verus homicida, liberatúrque periculo Marcianus. Quæritur, utrùm si ipse fuisset plexus capite, gaudens hac ratione conservari vitam illius homicidæ, habendus esset pro martyre?*

Respondeo. Non ideo potitus fuisset palmâ martyrii, quia non fuisset illata mors in odium alicujus virtutis. Unde errant rudes, dum ajunt, esse martyres, qui Christiano animo excipiunt necem insontibus illatam. 611

Dico III. *Quarta* conditio martyrii est voluntaria acceptatio illius. S. Thomas 2. 2 *q. 124. a. 1. & 2.* receptus communi calculo, tam quatenus includit hac propositione omnes adultos, quàm quatenus excludit eâdem parvulos, quos quidem, si perimantur in odium fidei, triumphare inter fortissimos Christi testes, testatur ipsa Ecclesia in Oratione de SS. Innocentibus. Vide Vasquez *Tom. 2. in 3. part. disp. 153. cap. 7.* & Bonacinem *hic d. 2. q. 1. punct. 1.* extendentes hanc doctrinam ad fœtus occisos in uteris maternis cum matre, tunc enim reputantur unum quid cum illa. Vide etiam de hoc argumento nervosè disserentem D. Reding *q. 9. a. 2. Controv. 2.* 612

Adultos autem quod attinet, debent ipsi aliquo modo voluntariè acceptare mortem cùm ne quidem Baptismus aquæ prosit iis destitutis omni voluntate suscipiendi. 613

Quare milites Catholici interempti proximis, ac superioribus Annis ab hæreticis, atque Turcis ex odio religionis orthodoxæ; sunt extra censum verorum martyrum; si animam exhalârunt, dum se armis defendebant. P. Lessius *Lib. 3. De virtut. cap. 1. n. 36.* P. Tannerus *Tom. 2. d. 1. q. 4. dub. 3. n. 31.* secùs si videntes se victos arma deposuerunt, & libenter mortem illatam sibi ut Christianis subjerunt. P. Lessius *ibidem.* 614

Porrò voluntaria acceptatio mortis, de quâ suprà, non est necessariò *actualis*, sed sufficit *habitualis.* S. Thomas 2. 2. *q. 124. a. 1. ad 1.* & alii passim, nec enim ostenditur; Christum supremum Agonothetam plus exigere, quàm *habitualem*, si per hanc intelligatur vel *virtualis*, id est, aliquando verè elicita, & in effectu aliquo suo perseverans saltem *moraliter*, vel consistens in habitu charitatis, talem enim sufficere; tradunt adversùs P. Raynaudum, atque alios P. Coninck *loc. cit.* atque Bonacina *num. 4.* 615

Consequenter exprimunt hi DD. si vir justus, qui nunquam cogitavit de martyrio, interficiatur in odium fidei dormiens, dormientem meriturum laureolam martyrii; secùs, si quis sit in statu peccati mortalis; hic enim debuit 616

priùs habuisse, & non revocâsse voluntatem *actualem*, saltem *implicitam*, potiùs occumbendi, quàm deserendi Deum, seu peccandi mortaliter.

617 Dico IV. Martyr consecuturus gloriam cælestem debet *per se loquendo* esse in statu gratiæ acquisitæ aliter, quàm per ipsum præcisè martyrium. Ita omnes. Nam præcepta de Baptismo vero, confessione & contritione urgent etiam *per se loquendo* proximum martyrio. At *per accidens* sufficiet peccatori attritio, si hanc eliciat vel ignarus, vel oblitus præcepti de contritione. Suarez *Tom. 3. in 3. part. disp. 29. sect. 3. concl. 2.* D. Reding *loc. cit.* & alii contra alios. Siquidem valde emphaticæ sententiæ SS. PP. æquiparantium Baptismum sanguinis Baptismo aquæ, conciliant magnam probabilitatem huic doctrinæ, eam extendentibus eodem Suarez, atque aliquantum trepidè Tannero *Tom. 4. d. 4. q. 3 n. 186.* ad casum, quo quis itidem immemor contritionis, & attritionis, reus tamen criminis mortiferi elicit solum propositum fundendi sanguinem pro Deo, obtruncatúrque durante hoc proposito. Vim efficiendi ex attrito contritum nolim tribuere martyrio per pestem, seu ponentibus vitam in obsequio peste infectorum: id enim nemo, ut puto, dixerit, destitutus scilicet authoritate Scripturæ, & Patrum. Unde ab aliquo acuto Theologo consultus literis hac de re: Respondi, ex hoc etiam capite difficiliorem evadere sententiam Patris Theophili Raynaudi, pererudité, ut solet, contendentis, extinctos in servitio peste infectorum, esse propriè, etsi non pressè, martyres. *Passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi, & purgat ab omni culpa veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem*, inquit S. Thomas *3. p. q. 87. a. 1. ad 2.* quod nolim scribere de morbo, & morte susceptis, seu incursis in illo quantumvis laudabilissimo servitio. Sed de hoc plura *Tract. 6. Cas. 5. num. 117. & 118.*

618 Quæritur II. *Quinam sint effectus martyrii?*

Resp. Effectus *per accidens* est deletio peccati Originalis, & actualis mortalis in duntaxat attrito, juxta paulò antè dicta; at effectus *per se* est tum in infantibus, ac perpetuò amentibus expiatio peccati originalis, tum in adultis augmentum gratiæ sanctificantis, expiatióque omnium pœnarum luendarum in purgatorio, juxta illam notissimam, atque ex S. Augustino ipsum jus Canonicum *Cap. Cùm Marthæ. §. fin. De celebr. miss.* infertam gnomen: *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* tum consecutio vitæ æternæ. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam &c.* tum denique Laureola, seu, ut cum S. Thoma loquuntur communiùs Theologi, & Canonistæ, Aureola.

619 Est autem Aureola, seu Laureola ex sententia S. Thomæ *in Supplem. q. 96.* in genere nihil aliud, quàm gaudium peculiare proveniens ex operibus præstitis, habentibúsque rationem excellentis victoriæ, redundans etiam in corpus. Tannerus *Tom. 2. disp. 1. q. 4. dub. 3.* atque alii plures. At juxta Raynaudum *De martyrio Part 2. cap. 6. num. 32. & 33.* aliósque, aureola præsertim martyrum consistit partim probabiliter in aliqua spirituali qualitate impressa animæ, sicut imprimi solet in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, partim probabilissimè in aliquo corporali decore, & insigni collustrante præ omnibus pyropis illas præsertim partes, in quibus fuêre cruciati martyres, ut satis indicat S. Augustinus *Lib. 22. De Civit. Dei. Cap. 20.* & clarius *Serm. 103. & 115. De divers.* quæ sententia mihi multùm arridet, utpote valde congrua & rationi, & plusquam regiæ liberalitati Christi.

Quæritur III. *Quænam specialia de martyrio videantur observanda legentibus acta SS. Martyrum?* 620

Resp. Sequentia.

I. Ea acta, atque actorum circumstantias, quæ & quas Ecclesia approbavit in Breviario, aut Martyrologio Romanis, approbabit utique & ipse, etsi fortè abludant à communibus placitis, regulísque Theologorum moralium; nam Spiritus sanctus, quo SS. Martyres pleni erant, non tenetur Regulis Theologorum; & à sensu Romanæ Ecclesiæ non est etiam in his rebus recedendum.

II. Quæ verò leget in, vel ex Metaphraste valde aliena à persuasione sapientum, habentium taliapro incredibilibus, vel etiam ridiculis, non necessariò approbabit, memor, sapientissimum Cardinalem Bellarminum *in Lib. De script. Eccles. ad Annum Christi 650.* scribere, Simeonem Metaphrastem addidisse historias ex proprio ingenio, non ut gestæ fuerunt, sed ut geri poterant, ut e. g. multa colloquia Martyrum cum persecutoribus; item aliquas conversiones astantium paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur, deinde miracula plurima, & maxima in eversione templorum, & idolorum, quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Ita Bellarminus. Sicuti igitur non sunt temere rejicienda omnia, quorum rationem nullam assequimur, esto non constet, esse comprobata judicio Ecclesiæ, ita etiam non sunt facilè, & sine delectu narranda pro suggestu illa, quæ & non habent nisi authoritatem Metaphrastis, aliorúmque similium, & tamen superant fidem prudentium, vel sunt contra communes Regulas, exceptionésque Theologorum. 621

III. Itaque licèt *per se loquendo* non liceat tibi præcisè ex desiderio martyrii provocare Tyrannum ad te occidendum. S. Thomas 2. 2. *q. 124. a. 1. ad 3.* qui enim *persecutorem provocat, facit.* S. Petrus Chrysologus *Serm. 151.* facere autem persecutorem, est nefas, cùm nemini liceat alterum provocare ad faciendum id, quod nequit facere sine peccato præsertim mortali, ejusmodi quippe provocatio est propriissimè scandalum *activum* (nisi fortè fiat ad impediendum majus peccatum, quam tamen limitationem ne quidem admittunt plurimi Theologi (adeóque illud ipsissimum, de quo præcipuè Salvator loquitur *Matth. 18. Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Et *lex Martyrii sanxit, ut urgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, quamdiu autem licet, pericula ipsa non provocemus, sive animarum nostrarum metu, sive ut iis consulatur* (id est, non scandalizentur) *qui periculum nobis inferunt.* Inquit S. Gregor. Nazian. *Orat. 10. de S. Cæsario.* 622

623 Licèt, inquam, sit *per se loquendo* nefas; provocare tyrannum ad inferendam necem, fatendum tamen est, esse *per accidens* licitum; hoc enim, non plus, probant argumenta Cardinalis de Lugo *Tom. 1. de Just. Disp. 10. Sect. 1. n. 44.* atque exempla Sanctorum, ut in primis S. Gordii, quem S. Basilius pulcherrimâ oratione de illo effert magnis laudibus, quòd ultro provocârit ipsum tyrannum. Deinde S. Laurentii, cujus ipsa Ecclesia nobis proponit magnanimitatem dicentis tyranno: *Assatum est jam, versa, & manduca.* Adhæc SS. Francisci Assisii, Antonii Paduani, Teresiæ Abulensis profectorum ad terras infidelium, animo potiendi palmâ martyrii; qua, videbant se non posse potiri, nisi cum ingenti scelere inferentis necem. Dum ergo petebant martyrium, petebant peccatum alienum, at petebant sine peccato; nec enim intendebant martyrium *absolutè, præcisè,* & *solitariè*, alioquin intendissent *directè* interfectionem sui ipsorum, sed sub disjunctione hoc modo: *Sistam me ultro tyranno: provocabo tyrannum, ut vel meâ constantiâ, meisve admonitionibus motus mitigetur, vel non mitigatus aperiat mihi viam ad cœlum per necem.* Ita Cardinalis de Lugo *cit. n. 44.*

624 IV. Non est *per se loquendo* fas, ingerere se in martyrium, etsi sæpissime liceat *per accidens.* Nefas esse *per se loquendo*, docui *in Theolog. Jurid. moral.* seu *in Quinario Tract. 5. Cap. 18. nu. 66.* post S. Thom. Cajet. Sylvest. Navarr. Lopez. Sanchez. Laymann. *ibidem* fideliter relatos, quibus nunc addo Henriquez *Lib. 1. Cap. 39. n. 4.* Bonacinam *Disp. de Sacram. P. 3. num. 6.* Raynaudum *loc. cit. n. 8.* &, (quem hisce jam excusis nactus sum,) Verricellum *de Apostolicis Missionibus Tit. 1. de fide qu. 9. Sect. 1.* fusè, & erudité id ostendens. Probo ego breviter: tum quia homo non est vitæ suæ dominus. *L. Liber. ff. Ad l. Aquil.* tum quia non licet *per se loquendo* dare alteri gravissimam peccati occasionem. Tum denique quia ita se ingerere sine necessitate, est quædam tentatio Dei. Has duas postremas causas exprimunt S. Clem. Alexand. *Strom. 4. cap. 5.* Origenes ejus discipulus *Tract. 31. in Joan. fol. 471 edit. Basil.* S. Athanas. *pro sua fuga.* S. Greg. Nazianz. *l. c.* & *Orat. 20. in S. Basil.* ac S. Chrysol. *serm. 151.*

625 Quia tamen S. Sebastianus 20. Januarii; S. Secunda 10. Julii, SS. Gorgonius, & Dorotheus 9. Septembr. S. Mennas 11. Novembr. S. Thomas Cantuarien. 29. Decembr. ipsa nostra S. Emerentiana, atque alii permulti partim in Martyrologio, partim in ipso Breviario celebrantur, etiam idcirco, quòd se ultro stiterint tyrannis, eos etiam graviter objurgando, imò provocaverint, & eosdem, & ipsas bestias ad se cruciandos, devorandos, ut refero *in Alphab. Communic. Cas. XXI. num. 400.* dicendum est hîc in primis cum S. Athanasio *loc. cit. sub fin. Quòd si quidam ex iis se persecutoribus dedidêre, non temeritate eò rapiebantur, sed passim apud omnes profitebantur, à Spiritu sancto hanc sui oblationem profectam esse.* Adeóque tribuendum id est peculiari instinctui Spiritûs sancti. Deinde permulti id fecerunt. Quia prudenter, etsi fortè decepti, existimabant, id cessurum in defensionem, amplificationémq; gloriæ Christi, inque roborationem timidiorum, ut insinuant Sanchez, Laymann, alii; quod etiam insinuat Origenes *loc. cit.* subdens, tales esse ob promptitudinem, fortitudinémque dignos honore apud Servatorem, quem confessi fuerint. Et sic probata est altera pars superioris doctrinæ; quam etiam plurium causarum aliarum enumeratione, factísque permultorum Sanctorum stabilit Verric. *Sect. 2. & 3.*

V. Quin imò vel præceptum, vel certè honestum est, *per se loquendo* declinare pericula mortis imminente persecutione. Esse honestum, tradit in terminis Origenes *l. c.* Esse præceptum, tradit apertissimè S. Athanasius *loc. cit. sub finem.* illius Apologiæ. Adstipulatur S. Chrysologus *serm. 151.* hac aurea sententia: *Persecutorem, qui provocat, facit, corrigit, qui declinat, fugere debemus, provocare non debemus.* 626

VI. Nihilominus tamen potest faciliè, sæpissimè occurrere causa, quæ permittat; & etiam aliquando imperet persistere. Unde libri antiqui de priscis, novi de Japonibus pleni sunt exemplis horum Christianorum, qui nec pedem moverunt instante periculo mortis etiam acerbissimæ. *Spiritus ubi vult, spirat. Joan. 3.* Scandala pusillorum oriuntur sæpe ex fuga, vel occultatione. Pagani crebrò inducuntur in contemptum religionis, dum fugam & occultationem imputant ignaviæ, quæ est veræ prudentiæ *per se.* Adest in nostro casu solùm indirectissima provocatio ad homicidium, adest è diverso occasio evolandi gloriosissimè in cœlum, obversantur ob oculos exempla plurimorum fortissimorum Christi pugilum. Hæc & similia faciunt aliis non fugientibus conscientiam bonam *formaliter* & *materialiter* simul. 627

Equibus inferes, utrum nostræ S. Emerentianæ zelus fuerit & sanctus, & imitandus. Fuisse sanctum, saltem *formaliter*, seu spectatâ intentione, & relatione ad conscientiam, certum est testimonio Ecclesiæ; fuisse sanctum etiam *materialiter* malo dicere, quàm negare; 628

quia debemus, quoad possumus, removere à nimis honoratis amicis Dei omnem nævum. Potuit sine dubio Deus facere potestatem & persistendi in loco, & objurgandi improbos. Et verò re ipsâ feciſſe, libentissimè credo inductus etiam Regulis prudentiæ naturalis, quòd scilicet non sit præsumendum delictum etiam *materiale* de aliquo, sed quisque sit præsumendus bonus, atque innocens etiam *materialiter*, donec probetur esse vitiosus. Non tamen forem facilè privato homini author imitandi, propter rationes allatas superiùs, si tamen constaret de jussione, aut permissione divina, mandarem pareri imperio, suaderem acquiescì missioni.

629 VII. Meritò graviter puniretur à magistratu competente Catholicus, qui legens in Breviario Romano ad 6. Novembr. S. Theodorum Martyrem incendisse fanum idolorum, subderet flammas alicui templo Lutherano, aut Synagogæ Judaicæ. Imprimis enim factum illud S. Theodori non laudatur in Breviario, sed tantùm refertur, nec colitur ipse tanquam occisus propter id factum, sed quia maluit interfici, quàm in signum pœnitentiæ execrari Christianam fidem. 2. Nefas est homini privato, per vim impedire peccata aliena, nec licet alterum, à quo non læditur, afficere gravi damno reali. 3. Ergo vel bona fides, vel peculiaris inspiratio divina excusat S. Theodorum.

630 VIII. Peccas mortaliter, si in quadragesima abstineas carnibus inter hæreticos, sciens, te ob tuam abstinentiam habitum iri pro Catholico, atque ideo afficiendum extremo supplicio. Laymannus *L. 3. Tr. 3. Part. 3. Cap. 1. n. 6.* Nam ex una parte lex Ecclesiastica te non obligat in hac circumstantia. Ex altera parte adest obligatio non exponendi vitam periculo, *non tentandi Deum*, non dandi alteri occasionem peccandi. Si tamen speretur major gloria Dei ex illa professione fidei, aut timeatur grave malum ex dissimulatione, meritò dicit Laymannus, esse aliud pronuntiandum.

631 IX. S. Ambrosius *Lib. 2. de Virgin.* pulcherrimis verbis, ac sententiis deprædicat S. Pelagiam Virginem, ac Martyrem, quòd ex alto in præceps; ejus matrem, ac duas sorores etiam virgines, quòd in profluentem se projecerint, quò evaderent manus insidiantium ipsarum pudicitiæ. Eusebius quoque apud Baronium Anno Christi 309. *nu. 10.* extollit Sophroniam Urbis præfecti uxorem Christianam, quòd eâdem de causa se ipsam transfixerit ense. Sed & Pelagiam, ac sorores fuisse cultu martyribus debito honoratas in Græcia, testatur idem Baronius. At cur? Quia scilicet id fecerunt vel ex peculiari instinctu divino. S. Thom. *2. 2. q. 64. art. 5. ad 4.* post S. Augustinum, quem ipse citat: vel per errorem invincibilem putârunt, id esse sibi in iisdem circumstantiis licitum, honestissimúmque, ut satis indicat sanctus Ambrosius *loc. cit.* & exprimit Lessius *Lib. 2. de Just. c. 9. num. 33.* subdens, eas *moraliter loquendo* fuisse potiùs à tyrannis, quàm à se ipsis interfectas, etenim tyranni impulerunt eas ad tale facinus. Et verò potuerunt eæ facilè in re tam abstrusa putare, se rectè agere. Lugo *de Justit. d. 10. Sect. 1. n. 16.* bene etiam præmittens, sententiam S. Thomæ esse veram respectu S. Apolloniæ, quæ se ipsam injecit in rogum.

X. Licèt multa millia novorum, ac præcipuè antiquorum hæreticorum fuerint necidata propter contumaciam in suis erroribus, rectissimè tamen Theologi annumerant Notis veræ Ecclesiæ tantam multitudinem Martyrum in Ecclesia Romana, si videlicet expendatur tam ingens & quasi innumerus numerus omnis ætatis, sexûs, conditionis, omniúmque sæculorum, & locorum pro fide Romana cæsorum longè crudelissimis, exquisitissimis, longissimis suppliciis, toleratis tantâ excelsitate, & jucunditate animi, nullo alio (quantum humanitus cognosci potuit) proposito fine, quàm honoris Dei. Si denique considerentur summa etiam extra martyrium innocentia & sanctitas, eruditióque plurimorum, ac multitudo miraculorum patratorum tempore suppliciorum, aut statim pòst. 632

XI. Inter ea miracula fuit frequentissimè illud, quòd non potuerit ullis modis ipsis eripi vita, quàm gladio. Quæret ergo fortè curiosus parochus: *Cur, quibus pepercerunt feræ, ignis, rotæ, aquæ, non pepercerit gladius?* Respond. I. Judiciorum Dei abyssus multa. 2. Quia gladius est præcipuum, & maximè legitimum, ordinariúmque justitiæ ultricis instrumentum. Ita Martinus Delrius *Magicar. disquisition. L. 1. q. 27. subinitium. 3.* Quia Sectio gladii impedita potuisset dolo carnificis adscribi. 4. Quia Deus ea quoque in parte voluit jura libertatis humanæ esse integra, ut quia gladius, etiamsi ex se contiguus non ageret, nisi ab homine vibratus (contrà quàm contingeret contiguo igne & ferâ) censeatur gladii actio eademmet, quæ liberæ voluntatis, quam Deus cum reverentia disponens, ne cùm suorum quidem vita periclitatur, vult præpedire. Ita ex S. Bonaventura *in 3. dist. 4. q. 3.* loquitur P. Raynaudus *p. 2. c. 1. n. 6. Lib. de Martyrio.* Denique voluit Deus ostendere, Martyres esse verè Nobiles, soli enim Nobiles olim plectebantur gladio. Philippus Berlaymont *in Parad. Puer. par, 3. cap. 4.* 633

SE-

SECTIO II.

De Baptismo Flaminis.

Casus Sacerdotalis.

SVMMARIVM.

Casus Presbyteri salvati per Baptismum flaminis. 634.
In quo consistat hic Baptismus? 637.
De peccato originali nequit haberi contritio. 638.
An presbyter, de quo suprà, potuerit tumulari loco sacro? 640.
Non extat textus juris, privans sacrâ sepulturâ omnes non baptizatos. Ibid.

634 *INquisitioni tuæ taliter respondemus; Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significâsti, quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium assecutum asserimus incunctanter. Lege Libro octavo Augustinum* De civitate Dei, *ubi inter cætera legitur*: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit. *Igitur in Ecclesia tua juges preces, hostiásque DEO offerri jubeas pro presbytero memorato.*

635 Sic respondit Innocentius III. Episcopo Cremonensi *in Cap. Apostolicam. De presbyt. non Bapt.* Circa quam resolutionem, ejúsque objectum noto breviter sequentia.

I. De fide est, posse quem salvari Baptismo
636 Flaminis sine Baptismo vel fluminis, vel sanguinis. Patet ex traditione Ecclesiæ, & expressa decisione Innocentii.

637 II. Baptismus Flaminis tunc adest, quando quis elicit actum perfectæ contritionis, dilectionisve Dei super omnia. S. Thom. *hic quæst. 68. a. 2.* Gregorius de Valentia *hic q. 3. punct. 4.* Vasquez *hic Disp. 152. Cap. 1.* Suarez *hic Disp. 27. Sect. 2.* Etiamsi huic actui non addatur expressum votum Baptismi. Ita *citati* cum plerisque contra Didacum Nugnum *in 3. Part. art. 60. n. 2.* clarè dissentientem non minùs à communi recentiorum Theologorum, quàm ab Innocentio III. qui pronuntiavit, presbyterum illum censendum, habuisse sufficienter Baptismum in voto, quòd perseveraverit in Ecclesiæ fide, non quòd putârit, solam *formaliter* fidem sufficere, sed quòd vixerit, ut solent communiter boni Christiani, qui sanè non eliciunt *formale* propositum Baptismi. Quin P. Didacus de Avendanno *in thesauro Indico Tom. 1. tit. 16. n. 67.* tenet esse non penitus improbabile, quòd attritio cum voto Baptismi justificet.

Porrò contritio sufficiens ad delendum pec- 638
catum Originale, concipienda est de peccato actuali, nam de originali non debemus, aut propriè possumus atteri, vel conteri. Quòd si habeas animam inquinatam peccato mortali, clarum est, attritionem de illo, sicut non sufficit extra Sacramentum ad delendum peccatum mortale, ita neque sufficere ad originale; nam originale non dimittitur nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ infusio non peragitur cum sola attritione extra Sacramentum, aut Martyrium; secùs est, si ei adjungatur Sacramentum Baptismi, aut Martyrium. Hanc rationem applica habenti solùm veniale cum originali.

Quæres fortè: *An presbyter ille, de quo noster* 639
Casus, fuerit canonizatus à Papa, asserente incunctanter, illum assecutum esse patriam gloriæ cœlestis? Et utrùm sit fas, orare pro cœlitibus, quandoquidem idem Papa mandat, ut pro presbytero offerantur preces, & hostiæ?

Resp. Minimè. Nam rescripta sunt intelligenda secundùm mentem supplicantis, utpotè cui se solet accommodare rescribens. Rodriq. *Quæst. Reg. quæst. 11. art. 6.* Episcopus autem Cremonensis non petiit à Papa, ut canonizaret illum presbyterum, sed quæsiit, utrùm videretur desperata ejus salus ob defectum Baptismi, & utrùm ob hunc defectum Baptismi esset nefas fundere pro illo preces publicas. Respondit ad *primum* Innocentius, non esse illius salutem pro deposita habendam ex defectu præcisè Baptismi, sed potiùs credendum, illum jam potiri gloriâ cœlesti, si nihil aliud obesset, quàm ille defectus; quia tamen consecutioni *in actu secundo* possunt officere alia, e. g. non sufficiens pœnitentia pro peccatis actualibus, idcirco esse juvandum publicis suffragiis.

Sed poterátne ille presbyter tumulari loco sa- 640
cro?

Resp. Negâsset ipsi sacram glebam Joannes Sanchez, si fuisset ipse parochus, ut patet ex iis, quæ ipse disserit *in Select. Disp. 44. num. 48.* Ego benignior Sanchezio concessissem, quia fallitur in ratione fundamentali pro sua resolutione, sicuti & Suarez *Tom. 4 in 3. Part. Disp. 48. Sect. 6. in fin.* quem ipse allegat nitens, & nitentem decisione Concilii Bracharensis, vetantis fieri pro talibus oblationis sanctæ commemorationem, hanc enim decisionem manifestè reprobat Innocentius hoc loco, sicuti & Abbas, & Hostiensis, atque Barbosa *in cit. cap. Apostolicam.* Quare cùm Ecclesia non neget sacram sepulturam illi, cui concedit publica Missarum suffragia, concessóque & principali & majore soleat concedi accessorium & minus. Peckius *in Reg. 42. in 6.* idcirco sicut publicis precibus fidelium talem catechumenum inferam, ita & eorundem sepulchris in-

feram. Quare non assentor Laymanno *Lib. 3. Tr. 6. Cap. 13. num. 2.* asserenti cum Paludano, &, ut addit, communi, omnem catechumenum esse incapacem sacræ sepulturæ, licèt Ecclesia oret pro illo. Nam in primis Laymannus nullum jus pro se allegat, nec ego reperire possum, atqui non est in re tanta loquendum sine jure, quandoquidem omnia concessa intelliguntur, quæ expressè non prohibentur. *L. Nec non. §. Quod ejus. ff. Ex quibus causis majores.* Deinde diligentissimus Sylvester *verb. Sepultura. quæst 9.* enumerans illos, de quibus non est dubium, quin sint privandi sepulturâ sacrâ, & *q. 10.* illos, de quibus est dubium, nec verbulo tangit catechumenos, esto Emman. Rodriq. *qq. Regul. Tom. 3. qu. 61. a. 1.* excludat omnes non baptizatos. Item acuratissimus Barbosa *De offic. & potest. parochi par. 3. cap. 27. num. 40. & seqq.* volens *practicè* & fideliter docere parochum, quibus debeat negare sepulturam, & enumerans quatuordecim, quæ ego ex ipso refero *in Quinario Tr. 5. Cap 50. n. 82.* genera taliũ hominũ, non modò non exprimit catechumenos, sed *num. 56.* finitâ suâ enumeratione ponit hæc verba: *Supra dictis igitur tantummodo exceptis, aliis sepultura negari non debet, & quia eâ concessâ conceditur quoque delatio mortui processionaliter, ideo videndum, quæ sint partes parochi, in sepeliendis defunctis, & eorundem funeribus ducendis.* Vide, si placet, quæ de sepultura mortui in ebrietate, itémque occisi certò, vel præsumptivè à se ipso, differo *in Theologia Juridico-morali cap. 50.* & factum, quo claudam Casum sequentem; cui facto præmitto *n. 652.* improbabile pronuntiatum Hostiensis de effectu Sacramentorum, quæ presbyter non baptizatus administravit. Vide quoque prorsus notabilem eventum, quem maximè facientem ad totam materiam hujus sectionis referam *in Alphab. Confess. nu. 594.* ideo autem ibi, quia illuc quoque facit.

Baptizatus dubio Baptismo tumulandus est loco sacro. Ibid.

Casus baptizati dubio Baptismo, & ideo sepulti loco litigioso. 654.

BAPTISMI EFFECTUS.

CASUS XIX.

Symbolicus.

SUMMARIUM.

S. Basilii Baptismum honorat columba. 641.
Effectus Baptismi varii. 643. & seqq.
Infantibus infunditur æqualis gratia. 646.
Quis Baptismus dicatur fictus? 647.
Fictione recedente, Baptismus consequitur suum effectum. 648.
Character imprimitur etiam scelerate suscipienti Baptismum. 649.
Refellitur error Hostiensis. 652.
Casus baptizati in secundinis, & sepeliendi loco sacro. 653.

TRinitatis cœlestis demonstrator Basilius, atque Eubulus catechumeni, cùm pervenissent Hierosolymam, Maximo ejus urbis Episcopo innotescunt, ad cujus pedes se abjicientes rogabant, divinum sibi conferri baptisma in Jordanis flumine. Ut ille S. Episcopus vidit, illorum annuit precibus, venitque cum fidelibus viris ad Jordanem. Ibi tum Basilius in ripa consistens se prostravit humi, & cum clamore valido, ac lachrymis petebat à Deo aliquod fidei suæ signum ostendi, surgénsque cum tremore suis se vestibus spoliat, unáque cum illis veterem exuit hominem, descendénsque in aquas orabat. Unà autem sacerdos descendit & baptizavit. Et ecce coruscus ignis incidit super eos, atque ex eodem fulgore columba exiit in Jordanem, turbánsque aquam revolavit in cœlum. Eo viso, qui astabant, timore correpti glorificaverunt Deum. 641

Trinitatis cœlestis demonstratorem vocavit Basilium Eubulus, à quo catechumeno adhuc erat doctus hoc sacrosanctum mysterium, ut testatur Metaphrastes apud Surium *Tom. 1. ad 1. Januarii fol. 6.* describentem *fol. 7.* ex eodem, quæ hîc ego ex utroque, meritò vocans hunc Casum Symbolicum, quia columba typus, signum, ac symbolum est præcipui effectûs Baptismatis, scilicet gratiæ sanctificantis, quam indicat columba teste S. Ambrosio *Lib. 1. in hexam. c. 19.* atque fœcunditatis, quæ maximè apparet in columbis. Sunt autem de effectibus Baptismi notanda sequentia ex S. Thoma *hîc q. 69.* per totam, quem sequuntur passim interpretes. 642

I. Per Baptismum tolluntur omnia peccata actualia cum originali. Nam Paulus *ad Rom. c. 6.* scribit, nos ideo mortuos peccato, quòd simus baptizati in Christo *cit. q. 69. art. 1.* Hanc autem remissionem non fieri sine dolore aliquo de peccatis ostendi *Casu X. n. 308.* 643

II. *Per Baptismum liberatur homo ab omni reatu peccati, quia omni baptizato communicatur Passio Christi ad remedium, ac si ipse passus, ac mortuus esset, secundùm illud* ad Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia & simul vivemus cum eo. *Passio autem Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum, & ideo ille, qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro peccatis suis.* Ita ad verbum S. D. *ibid. a. 2.* 644

III. Baptismus habet virtutem auferendi 645 pœnalitates hujus vitæ, non tamen eas aufert in

in præsenti vita, sed ejus virtute auferentur à justis in resurrectione, quando mortale hoc induet mortalitatem.

646 IV. *Dicendum, quòd sicut Augustinus dicit* in libr. de Bapt. parvul. *ad hoc Baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur, ut membra ejus. A capite autem Christo in omnia membra ejus gratiæ, & virtutis plenitudo derivatur secundùm illud Joannis:* De plenitudine ejus omnes accepimus. *Unde manifestum est, quòd per Baptismum aliquis consequatur gratiam & virtutes.* Ita idem S. D. loquitur *art. 4.* subdens *a. 6.* easdem virtutes & gratias, adeóque habitus fidei, spei, & charitatis &c. absque omni dubio etiam infantibus infundi cum Baptismo, eò quòd & hi fiant per Baptismum membra Christi, licèt ob impedimentum corporale non possint exercere actus illarum virtutum. Infundi autem omnibus infantibus æqualem gratiam, tradit idem *a. 8.* inæqualem autem adultis se se inæqualiter præparantibus ad illam.

647 V. *Fictio impedit effectum Baptismi; nam aliquis dicitur fictus per hoc, quòd aliquis contradicat Baptismo, vel ejus effectui; contradicit autem is, cujus voluntas non amplectitur Baptismum, & Baptismi effectum, quandoquidem is amplexus est necessarius, ut quis justificetur per Baptismum a 9.* Unde omnes DD. gravis sacrilegii reum agunt, qui suscipit Baptismum non præmissâ dispositione, quam explicavimus *Casu X.* Dicitur quoque vel maximè is fictus, qui simulat, à se seriò, seu ex animo peti Baptismum tanquam cæremoniam sacram, cùm tamen velit solam externam ablutionem, juxta ea, quæ Doctores tradunt hoc loco. Vide dicta *n. 200.* & huc applica.

648 VI. Recedente fictione impeditivâ solius effectûs, Baptismus consequitur suum finem; ita ut, qui ad Baptismum se non disposuit, ut par erat, sed propter suam indispositionem peccavit mortaliter recipiendo Baptismum, si recepto eo sincerè, perfectéque doleat de suis peccatis, recipiat illam gratiam, & virtutes, quas recepturus erat in ipso Baptismo, si non posuisset obicem. Probat S. Doctor *a. 10.* hanc doctrinam inde, quòd, qui ita fictè baptizatur, *validè* baptizetur, proindéque recipiat characterem; qui character est instar formæ *substantialis*, quæ in proprio subjecto producit effectum proprium, si non impediatur, sicut forma lapidis producit motum deorsum, quàm primùm est sublatum impedimentum motûs, ita etiam fit, quando per pœnitentiam removetur impedimentum gratiæ sanctificantis, mox producitur illa gratia, quæ unà cum characterе fuisset indita animæ, si non reperisset obicem.

649 VII. Proinde character est effectus Baptismi inseparabilis à Baptismo seriò (non autem simulatè) licèt scelerate suscepto, perpetuò inhærens animæ, ut definitur *in Concil. Trident. Sess. 7. de Sacram. in genere Can. 9.* his verbis: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Utrùm verò illud signum inhæreat *immediatè* 650 ipsi substantiæ animæ, an ejus alicui potentiæ? Item utrùm sit qualitas, an relatio? Utrùm aliquid operetur nec ne? Non est hujus loci disputare. Omnes, qui scribunt in S. Thomæ *q. 63.* resolvunt cum S. Doctore has & similes quæstiones de charactere; nam S. Thomas instituit sex articulos de hac sola materia.

VIII. His addi potest effectus, quem ipsos- 651
met Turcas expertos esse, retuli suprà *n. 325.* videlicet liberatio ab infestationibus extraordinariis cacodæmonis, quæ infestationes etiam dant causam, ut quandoque iteretur Baptismus. Suprà *n. 453.*

IX. Utrùm autem suprà nominati effectus 652
re ipsâ communicentur homini, in cujus Baptismo intervenit *essentialis* defectus, indicavi *n. 208. & 209.* quid ego sentiam cum Theologia hujus sæculi. Negari non potest, quin excesserit Hostiensis, quando in Summa *Lib. 2. De presbyt. non bapt. n. 2.* scripsit. *Certum est, quòd quantum ad populum, & Deum, & homines, & se ipsum quoad ea, quæ facit, antequam deprehenderat, se non baptizatum, perinde est, ac si baptizatus esset propter fidem Sacramenti.* Re enim verâ hoc non fuit unquam à quoquam habitum pro certo, nunquam defuêre gravissimi auctores, qui id negârint, quamvis tanquam probabile docuerint, quos citat, & sequi videtur Barbosa *in c. Apostolicam. De presbyt. non bapt.* sed nullus Theologus id jam docet.

X. Est etiam Baptismi effectus, ut quis ha- 653
beat indubitatum jus sacræ sepulturæ, qua de re nota hunc

Casum singularem.

QUædam obstetrix retulit mihi, se, cùm non posset extra uterum habere aliam partem, quàm umbilicum, per quem infans sugit alimentum à matre, & illi jungitur, baptizâsse in umbilico. Quærebatur, an sit validus Baptismus, & an talis infans deberet privari Ecclesiasticâ sepulturâ.

Refero fideliter Casum ex referente Marchantio *de Bapt. c. 1.* Sed illi non assentior, prorsus neganti valorem ejusmodi Baptismi, & dubitanti, utrùm talis puerulus fuerit tegendus sacrâ gleba. Nam in primis *n. 58.* jam admisi probabiliter valorem talis Baptismi; deinde non esse privandum sacrâ sepulturâ, qui baptizatus est dubio Baptismo, docet in terminis Diana *Part. 4. Tract. 3. Resol. 69.* post Homobonum exemplificans casu, quo quis est baptizatus in secundinis, de quo Casu nos suprà *Ca-*

su I. n. 56. Ego ex Caramuele *in Theolog. Præterintentionali. n. 1400.* describo hunc

Casum lepidi ingenii.

654 *IN civitate N. D. N. Pastor de uno loco cum quodam cive jure agebat, volebat Pastor, illum ad cœmeterium Ecclesiæ, civis ad hortum suum à multis annis pertinere; interim cùm morereturinfans Baptismo dubio intinctus, Pastor censuit, eum, qui dubio Baptismo fuerat ablutus, debere in loco sacro dubio sepeliri. Resolutionem secutæ sunt variæ hominum censuræ. Censeo, errasse, tametsi lepidè, Pastorem; non enim unius privati authoritas debet privare parentes pueri solamine, & puerum ipsum favore, quem Ecclesia tacitè, vel expressè concedit.* Ita Caramuel sentiens nobiscum, tinctum Baptismo dubio esse humandum in loco sacro.

655 Quid de sepultura catechumeni sentiendum, aperui *Casu præced. n. 640.* Porrò quinam ex baptizatis sint loco sacro indigni, explicant illicitati, ac refutatus à nobis P. Laymannus.

BAPTISMORUM DUBIORUM FARRAGO.

CASUS XX.

Continens viginti quatuor.

SUMMARIUM.

Casus sacerdotis baptizati dubiè ob varias circumstantias Baptismi 656.
Et postea rebaptizati, rursumque initiati Ordinibus. 658. & 659.
Casus sacerdotis baptizantis infantem adhuc hærentem in utero materno. 660.
Qui quidem debuisset postea rursum baptizari. 662.
Casus adolescentis baptizantis in tumultu bellico aliquem. 663.
Casus baptizati, & sepulti, cùm tamen dubitaretur, an, cùm baptizabatur, fuerit vivus. 665.
Casus sacerdotis meticulosi, scrupulosè timentis, ne in baptizando errârit in nominatione unius personæ divinæ. 667.
Frustra timuit. 669.
Casus baptizati ab obstetrice cum ridiculis cæremoniis. 669.
Et puellæ, de cujus jam multùm adultæ Baptismo dubitabatur. 671. & seqq.
Et alterius captæ in infantili ætate à Turcis, dubiéque loquentis de suo Baptismo. 677.
Et obstetricis baptizantis multos in nomine cacodæmonis. 680.
Et alterius præterea acu perimentis, quos recens extraxerat ex utero. 682.
Ferè omnes sunt rebaptizandi, quos baptizavit venefica. 683.
Nec obstat, quòd ipsa in carcere dicat, se rectè baptizâsse 684. & seqq.
In raro tamen casu potest omitti rebaptizatio taliu m. 688.
Multæ graves quæstiones morales fuerunt hactenus intactæ à scriptoribus. 691.
Practicè quid agendum cum persona adulta, quam constat fuisse baptizatam a Venefica? 692. & 693.
P. Tanneri Tractatus morales commendantur. 694.
Quid agendum, quando dubitatur, an, quæ baptizavit, sit venefica? 697.
Non sunt exhumandi, etiam quos venefica fatetur fuisse à se baptizatos in nomine diaboli. 698.
Adfertur singularis doctrina practica Lugonis de prudenti, & imprudenti dubio. 699.
Declaratur illa doctrina. 700.
Casus infantis nutriti inter ursos, & deinde baptizati. 701.
Nati in bello Christianorum, & dubitantis idcirco de Baptismo, quòd nullum testem habeat. 703.
Nomine Christianorum intelliguntur soli Catholici in c. Veniens. De Presb. non baptiz. 708.
Quid agendum Confessario, qui non monuit quendam, ut curaret se rebaptizari. 710.
Casus Confessarii non corrigentis obstetricem, confessam se solere baptizare in nomine Dei Patris, & in nomine Dei Filii, & in nomine Dei Spiritûs Sancti? 712.
Taliter baptizati an sint rebaptizandi? 717.
Casus obstetricis baptizantis in nomine Dei Patris, & Dei Filii, & Dei Spiritûs Sancti. 719.
Quidsi plures baptizati ab obstetrice in loco, in quo tales solent rebaptizari, non rebaptizentur? & jam sint adulti? 723.
Videtur requirendum tunc Episcopi arbitrium. 726.
Alii baptizati ab obstetrice, quam compertum est sæpe errâsse circa actionem baptismalem. 728.
Alius baptizatus sine expressione horum verborum: Te baptizo. 730.
Casus baptizatorum salivâ, lacte, & abillo, qui trecentos baptizaverat in nomine diaboli. 732.
Et sacerdotis, qui fuerat baptizatus panno in aquam intincto, & applicato ipsi sine motu locali. Ibid.
Casus baptizantis digitis intinctis in urceolum, & dubitantis multis annis pòst: An aqua tunc tetigerit infantem? 733.
Proponitur praxis, qua fuit examinatus ille sacerdos. 734.
Casus puellæ dubitantis: An, dum ante sexennium aliquam baptizavit, pronuntiaverit verba. Te baptizo. 736.

Obste-

Obstetricis dicentis: Te baptizo, si moriaris, priusquam adveniat parochus. 738.
Adolescentis seipsum rursum baptizantis. 739.

Casus I.

Rursum sacerdotalis.

656 *VRsus sacerdos de valore sui Baptismi dubitat.* Primò, *quia baptizatus ab obstetrice mortuo similior, quàm vivo; unde ipsa obstetrix facilè turbari potuerit, ut erraret in necessariis, vel corrumpendo formam, vel affusionem, aquæ omittendo.* Secundò, *quia tunc illi obstetrici nemo alius adstitit præter unam venificam. Sed nec ipsa obstetrix apud omnes optimè audiebat.* Tertiò, *quia Ursus tales in anima pati solet miserias, ut eares non immeritò gravioris alicuius defectûs indicium præbere videatur.* Quartò, *quia rogatus ab Urso parochus, audaciter eum baptizatum asserere non est ausus. Denique* quintò, *quia iste Ursus semper ad petendum Baptismum impelli se sentit.*

657 Quæritur ergo: *Vtrùm in Urso iterandus sub conditione Baptismus?* Respondetur, videri iterandum. Ratio est, quia Baptismus iterandus est, quoties est probabilis ratio dubitandi, utrùm aliquis verè sit baptizatus nec ne. *Cap. 1. De Baptis.* atque, ut refert Ægidius Coninck, Scholastici communiter omnes. Et ratio est, quia aliàs talis relinquitur in periculo gravissimi damni, eò quòd *valide* nullum aliud Sacramentum susciperet, si fortè baptizatus non esset, & consequenter non haberet talis aliud justificationis remedium, nisi actum contritionis perfectæ. Quod periculum, si probabile sit, utique tolerari non debet, præsertim in eo, qui creditur sacerdos, in quo non susceptio tantùm, sed & administratio Sacramentorum *invalida* ne sit, timeri debet. Certum igitur, reiterandum Baptismum, quoties de ejus valore probabilis dubitandi ratio se offert. Imò sufficit dubium *negativum*, ut tradunt Suarez *Tom. 3 in 3. p. disp. 22. sect. 2.* Lugo *in Resp. Moral. Lib. 1. dub. 1.* Videntur autem mihi superiùs dicta, si omnia simul attendatur, continere satis probabilem rationem dubitandi de veritate Baptismi ipsius Ursi. Unde necessariò reiterandum judico. Movet me ad hanc conclusionem non leviter consuetudo plurium Episcopatuum, Antuerpiensis apud P. Palaum *hic p. 13. n. 7.* Passaviensis *in Manuali paroch. p. 2. num. 4.* Mechliniensis apud P. Antonium Quintanadvennam *Tr. 1. singular. 2.* qui omnes statuerunt, sub conditione rebaptizandos omnes infantes, qui ab obstetricibus baptizati referuntur, quod faciendum censet etiam P. Antonius *loc. cit.* sallem cum plerisque infantibus, qui domi in necessitate à viris, vel fœminis laicis baptizati. Ratio hujus rei est, quia obstetrices rationem baptizandi sæpe non satis tenent, & licèt, dum examinantur, bene respondeant, ut callere videantur, tamen dum urget magnum prolis periculum, quo solo casu ipsis baptizare licet, facilè turbantur; ita ut postea vix ipsæ sciant, an legitimè baptizârint; atque ita semper subest aliquod periculum, quod in tanta re maximi faciendum, & sufficiens causa esse debet denuo prolem sub conditione baptizandi. Quæ omnia à fortiori locum habent in Urso, si ejus attendatur nativitas.

Hunc Casum cum suo Theologico judicio 658
ad me his ipsis verbis perscripsit Theologiæ in celebri Academia tunc professor, cathedram egregiè ornans, atque in literis ad me datis testans, D. Vicarium Generalem hujus Constantiensis Episcopatûs, in quo hoc gestum, viso hoc suo judicio jussisse illum Ursum denuo baptizari sub conditione. Quem justum non possum non vehementer approbare ob rationes optimas, quibus nititur hæc resolutio. Sanè qui perpendit, quæ dixi de regulis cognoscendi rationem dubii *moralis*, attendi soliti in hac materia *Casu XIII. num 356 & seqq.* fatebitur, has omnes circumstantias simul sumptas genuisse *morale* ac prudens dubium de valore prioris Baptismi. Quin imò censeo, potuisse repeti Baptismum, etiamsi adfuissent solùm *prima, tertia & quinta* rationes, propter causam, quam attuli *num. 177. & 451.* Unde quia hic sapiens Theologus habuit tantam rationem *tertii & quinti* argumenti; cúmque illo ipse D. Vicarius Generalis, ideo utriusque auctoritate, judicióque roboratur resolutio, quam *nu. 450. & 452.* indicavimus.

Porrò licèt ille Doctor mihi non scribat, u- 659
trùm Ursus fuerit denuo sub conditione initiatus Sacris Ordinibus, attamen aliunde mihi constat, id factum esse, fortè propter causa allatam *n. 438.* Sicuti etiam ex dictis *Casu XIV. n. 444.* & *Casu præcedente n. 652.* liquet, utrùm actus Ordinis, quos exercuit sacerdos non baptizatus, habuerint ex benignitate Dei effectum.

Huic sat longo Casui subnecto deinceps 23. 660
alios, & primo loco tres breviores, de quibus parochus quidam egregiè strenuus, probus & discretus scribit ad me hisce verbis: *Sequentes Casus, quos R. V. perscribo, contigerunt, ut mihi personæ fide dignæ, quæ interfuerunt, & ipsæ baptizaverunt, retulêre.* Sit igitur

Casus II.

VIncentius parochus in Suevia refert, se ante viginti circiter Annos vocatum ad mulierem partui & morti vicinam, ut ei consueta in tanta necessitate Sacramenta administraret, quod & fecit. Vbi hæc peracta, eò res devenit, ut infantis adhuc in utero materno existentis crines apparerent cum aliqua, ut refert, capitis parte; indicatur parocho, jubet is, ut præsentium mulierum una (ob pudorem sibi non licere arbitratus) baptizet, sed territæ mulieres noluerunt: tandem is persuasus, & quasi adactus consuetam formam, ac materiam adhibuit super capillos, & aliquam partem capitis, post hoc mater Deo pro-

pitio infantem enixa est; cæremoniæ quidem consuetæ adhibitæ; sed Baptismus sub conditione non fuit repetitus. Infans creditur hodiéque vivere. Sic literæ.

661 Circa hunc rarum utique, sed utique non iterabilem Casum statuo sequentia. I. Rectè fecit parochus, quòd voluerit à mulierum aliqua baptizari infantem; debuisset tamen oculis aliorsum aversis attendere, utrùm mulier formulam rectè proferret si hac ratione astitisset, fortè una aliqua tentâsset; quæ si forsan errâsset, correctáque non se correxisset, tum debuisset ipse obire officium, quod postea obivit; quia ipsi non tantùm licebat, sed etiam oportebat in tali casu necessitatis, invocato *tacitè* Deo, regenerare in Christo nondum integre genitum mundo, quia ubi majus periculum intenditur, ibi plenius est consulendum. Text. *Cap. Ubi. De elect. in 6.* Et *in primis providere debemus, ne, dum speciem quandam cautionis* (verecundiæ) *tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum,* inquit S. Leo relatus *Cap. Si nulla. De consecr. dist. 4.*

662 II. Tametsi bonus ille parochus dignus est excusatione, quòd non repetierit illum Baptismum, & sine dubio multi pronuntiaturi essent, non fuisse repetendum, cùm ipse aquâ tetigerit non solùm capillos, sed & caput, cujus quidem solius ablutio est sufficiens ad Baptismum ex omnium sententia. Suprà *n. 55.* & probabiliter ego ipse repetendum esse negâssem, si interrogatus fuissem, priusquam legissem, & perpendissem ea, quæ de necessitate hujus repetitionis scripsi *Casu XIII.* Quia tamen *num. 56.* retuli tam multos Doctores, qui negant, subsistere Baptismum infantis, qui nullâ sui parte extat extra uterum maternum, idcirco existimo, illum puerum fuisse tunc rebaptizandum saltem sub conditione, & esse, si vivat, hodiéque iterandum Baptismum propter fundamenta in *Casu XIII.* proposita, & tot resolutiones ex iis deductas.

Casus III.

663 *Dum præteritis bellis exercitus Bavaricus castra moveret, Florimundus tum adhuc juvenis secutus seriùs exercitum offendit mulierem parturientem, nemine alio præsente. Dictus juvenis arripit infantem, & ad proximam aquam deportatum baptizat, & ubi exercitum consecutus est, sacerdoti indicavit. Nomen quidem infantis baptizati annotatum est, ut solet, sed infanti allato consuetæ cæremoniæ adhibitæ non sunt.* Ita rursum ille.

664 Ego verò judico, fuisse juvenem illum à sacerdote diligenter examinandum, quo ritu, ac modo baptizârit, & si fortè oblitus fuit instituere tale examen, nec affulgebat spes interrogandi, debuisse denuo illum *conditionato* Baptismo abluere propter doctrinam cum Quintadecimo, quam nadvenna allatam *Casu V. num. 177.* Cæremonias fortè tunc idcirco omisit sacerdos, quòd non haberet Rituale, seu Sacerdotale. Quia reperit in libro, fuisse illas omissas, debuisset supplere ob causam allatam *n. 505.* hodiéque oporteret, si absque notabili incommodo fieri posset.

Casus IV.

665 *Victorinus sacerdos refert, mulierem in suapa-rochia peperisse infantem, de quo dubitabat, an viveret, cùm tamen quidam motus circa infantis cor adverteretur, ideo à præsentium quopiam infans baptizatus est, sed mox nulla ulterior vita apparuit. Requisitus parochus, ut sepulturam concederet, concessit, eâ concessâ fuerunt, qui referrent, tum non vixisse infantem, tum monstro non absimilem fuisse, ideo corpus effodiendum, & aliò transferendum. Hoc audito sacer Mysta inquirit, & scisciatur ex iis, qui infantem viderant, & baptizârant, num res sic se habeat, nec ne? Sed cùm negarent illi, & certi nil constaret, corpus rursum effodi voluit.* Sic tertiò ille Reverendus Dominus.

666 Ad quæ ego breviter dico, illum utique plebejum hominem, qui in tali dubio de præsenti vita baptizavit, fecisse, quod Theologiæ Doctor fecisset, obtenturúmque in cœlo laureolam, si non Doctoralem, certè pretiosam, quia pretiosum, imò necessarium actum exercuit secundùm doctrinam traditam *Casu IX. n. 281.* Nec debuit absterreri, etiamsi dubitârit, utrùm esset homo, an bestia propter causam allatam *Casu IX. ibid.* Parochus quoque egit, quod bonus pastor, declinando in mitiorem partem *juxta Cap. fin. De transact.* pióque cespite tegendo illud corpusculum; ut deduces facilè ex doctrina allata in calce Casûs XIX. *n. 654.* Egit verò, quod vir constans, non refodiendo corpus; erat quippe *moraliter* certus, non certò deprehensum iri, si refodisset, creaturam illam non fuisse præditam humanâ animâ; nam tantam certitudinem priùs ii deprehendissent, qui baptizârant *formaliter*, & *auxiliariter*, ut sic loquar. Et quia prudenter credidit prioribus dicentibus, illum fœtum fuisse vitalem, dum abluebatur, non debuit fidem habere negantibus; plus enim creditur asserenti in favorem piæ causæ, qualis est sepultura, quàm neganti. Vide dicta *num. 386.*

Casus V.

667 *Baldus, dum omnino primum infantem baptizat, sentit ingentem solicitudinem, anxietatem, turbationem, & metum, ne erret* substantialiter *& accidentaliter in actu, quem nunquam exercuerat; & qui tamen constat tot ritibus tam seriò præscriptis; facit tamen, quod conscientia suggerit. Peracto integro actu magnopere timet,*

met, ne aliquod substantiale *verbum omiserit, quia non liquidò meminit, utrùm hanc, vel illam divinam personam nominârit. Cùm autem illa anxietas tenuisset aliquot menses, sentirétque perpetes instinctus ad repetendum Baptismum, convenit virum non ineruditum, eique rem ita proponit, ut hic judicârit, posse rebaptizari sub conditione. Quod dum incipit nemine præsente facere bonus ille vir, ita extraordinarium clamorem edit infans, ut desiterit ipse à cœpto. Postmodum me convenit, quæ refero, recensuit, addens, Baptismo illi interfuisse aliquot viros insigniter peritos rituum essentialium, & qui bene attenderint ad ea, quæ faciebat ipse, ac certò monuissent, si errorem notâssent. Quare dixi, esse debere sine omni solicitudine; peccaturum, si rursum tentaret iterationem, eò quòd adesset moralis certitudo Baptismi juxta ea, quæ tradidi n. 365. & sic quietum, pacatúmque dimisi.*

668 Dimisi, inquam, me enim ita convenit. Si non produxisset tacitum testimonium illorum astantium, fortè respondissem id, quod qui priùs fuerat consultus; re enim vera in tali perplexitate, & anxietate, quam obnoxium esse optimum illum virum satis conjicio ex duobus, tribúsve colloquiis cum eo habitis, facilè aliquid essentiale omittitur, ut patet ex Casu allato *n. 351.* & ex ratione una è præcipuis, & ex generalibus, ob quas judicant multi prudentes, esse omnes, quos obstetrices baptizârunt, rursum admovendos baptismatis lavacro.

Casus VI.

669 *Ante septem Annos natus est infans ex nota familia, qui videbatur periclitari. Quare obstetrix petiit matrinam, inquiens se velle adornare* (*Germanicè* Zurichten) *quam ego ibi parochus interrogavi, quomodo adornârit. Respondit, se aquam sumpsisse, salem miscuisse, candelam circumtulisse,* (habs befunden,) *& guttam unam, aut alteram ex candela misisse, ut sic esset aqua baptismalis, & tunc baptizâsse sub forma consueta; quia verò mihi res videbatur suspecta, ego sub conditione rebaptizavi.*

670 Credo spectatissimo viro, qui hæc de se ipso ad me scripsit, non ignarus, insertum iri huic tractatui, sicuti & alios plures Casus, quos in decursu descripsi. Et utique fecit, quod ego in talibus circumstantiis facerem; licèt enim per prædictam mixtionem salis, & ceræ non fuerit nisi *accidentaliter*, & valde *modicè* mutata aqua, quia tamen instans periculum mortis trepitationem, & solicitudo illius insulsissimæ (quamvis cum sale) mixtionis distractionè pariebant, quia insuper mulierum superstitionibus anilibus addictarum actus ejusmodi vel metum, vel suspicionem movere queunt, & probabiliter matrina illa non fuit ausa pro certo asserere, fuisse omnia ritè peracta, & quia denique est vulgatissimus mos hujus diœcesis, ut omnes ab obstetricibus baptizati rursum baptizentur, ideo imitandum est illud factum.

Casus VII.

671 *Fœmina primaria è viro primo filiam suscipit in certo matrimonio, ut ipsa rebatur, locat, cum secundo marito in convivio accumbens, atque cum filia, de qua loquimur, visa est sibi Angelum videre, adspectu terribilè. Perterrefacta mater illam Angeli horribilem speciem eo pertinere arbitrata est, quòd in Baptismo filiæ negligentior fuisset, eáque suâ socordia ipsos viginti quinque, aut etiam triginta Annos Sacramenti Baptismi expertem esse sivisset. Itaque cœpit de Baptismo filiæ acriùs cogitare, invenítque ratiocinando, perquam probabile esse, cùm ejus infantis Baptismum urgeret, rémque viro illi suo commendaret, ad salutarem fontem delatam non esse. Primùm, quia vir ille prior de Christiana religione minùs rectè sentiebat. Deinde, quia quo tempore de natæ Baptismo inter virum, & conjugem agebatur* (*ruri enim uterque erant*) *ac de sacerdote advocando è loco paulò longinquiore, maritus alò, nescio quò, uxorem abduxit, ut tam brevi tempore, quod discessum præcurrit, non potuerint omnia administrari, quæ ad filiæ Baptismum pertinebant. Viráque conjectura satis gravis mulieris animum perculit vehementer, in tantáque mentis perturbatione, atque cogitatione, quid de filia nupta deliberandum ei esset, à viro religioso, & concionandi laude insigni consultus sum, sed serò, id est re gestâ, jam enim ille nuptam juvenem baptizaverat.*

672 *Respondi, quatuor in re tanta facienda fuisse.* Primùm *parochi codicem, in quem baptizatorum nomina referri solent, consulendum fuisse; illícque puellæ nomen inquirendum: quòd si nullus codex incuriâ parochi extabat, à domesticis, si qui erant superstites, indicia inquirenda esse. Si vel mortua codicis, vel viva domesticorum memoria præterito Baptismo suffragata fuisset, filiam nullo pacto baptizandam fuisse. Sinon esset suffragata, sine conditione ulla, meo quidem animo, fore baptizandam. Nam conjecturæ adeò perspicuæ erant, ut vix dubitationi locum relinquerent.*

673 *Illud* Secundo *loco agi oportuit, ut Baptismus non palam, sed clàm domi ageretur. Si enim secùs actum esset, multorum animi essent videlicet non mediocriter offensi. Atque hanc cautionem in baptizanda fœmina prætermissam non fuisse, mihi ille ipse concionator affirmabat.*

674 Tertium *erat de renovando Matrimonio, quod nullum erat, sive ante, sive post Tridentini Concilii confirmationem initum esset. Cùm enim Baptismi Sacramentum cæterorum omnium sit janua, & absque illo nequeant reliqua suscipi, nec inter baptizatum, & non baptizatum velit Ecclesia rata esse Matrimonia, nimirum nuptiarum fœdera iterum fieri oportebat, perinde quasi nunquam inter conjuges icta fuissent.*

Postre-

676 Postremò, *si post Concilii Tridentini confirmationem novo, veróque Matrimonio conjuges copulandi erant, id quod clandestinè, id est sine testium, & parochi præsentia agi par erat, jus sic contrahendi à Romano Pontifice impetrandum erat, neque sine ejus auctoritate solennitas à Tridentino Concilio præcepta* sess. 24. cap. 1. De Reform. Matrim. *omitti ullo modo potuisset. Ac demum de Matrimonii vitio, incolumi famâ mulieris vir admonendus erat, ut tam ipse, quàm fœmina novum Matrimonio, legitimumque consensum præberent.*

677 Stylum, ac phrasin Comitoli facilè recognoscet is, cui ejus lectio fuit aliquando aliquantulùm familiaris. Existimavi, placiturum lectori, si etiam ejus responsionem impressam *Libr. 1. Resp. Moral. q. 2.* producerem ejus verbis. Quod in fine addit de modo revalidandi Matrimonium, jam tetigimus suprà *Casu XV. num. 466.* Quia verò idem P. Comitolus *ibid. quæst. 3.* exhibet alium Casum, cui similis facilè contingere potest per Poloniam, Styriam, Ungariam &c. Idcirco placuit hîc illum repræsentare.

Casus VIII.

Captivam puellam quatuordecim Annos natam donat Turca quidam homini Christiano Constantinopoli, quam in nobilissimam Italiæ urbem seducit. Hæc hero suo sæpius dixit, se Christianam esse, sæpe item Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ suscepit. Denique eidem suo hero aperuit, Turcam se esse, atque in Mahometi impurissimi latronis perfidiâ educatam. In tanta inconstantia puellæ quid Dominus agere debeat, non est illi constitutum: præsertim quòd ejus contrariis confessionibus credi nec debeat, nec possit: esséne Sacramento fidei regenerandæ ambigebat, & quibusdam videbatur, Baptismo, qui adjunctam haberet conditionem, initiandam esse.

Rogatus ipse sententiam meam de statu puellæ,
678 *atque heri officiis, hæc sensi: Non esse illi Baptismi Sacramentum priùs impertiendum, quàm Constantinopolim ad Consulem, Legatúmve Venetum literæ scriberentur, ut is omnibus vestigiis puellæ Baptismum, si quem fortè accepisset, odoraretur, & pervestigaret, ante literas Constantinopoli allatas nihil de Baptismo decerneretur. Si allatæ literæ nuntient de ministrato puellæ Baptismo, esse prorsus abstinendum. Si eam non baptizatam esse testarentur, absolutè baptizandam esse. Si rem tanquam dubiam significárent, cum conditione baptizandam. Ac si Domino fieret verisimilius, Mahometanâ superstitione illam inquinatam, nec aquâ Christiani Baptismatis perpurgatam esse, quod mihi verius videbatur, veluti catechumenam tractandam. Quanquam si suus puellæ Baptismus exploratus foret, ei cuncta Ecclesiæ jura & leges, quæ cunctum populum Christianum devinciunt, servanda essent omnino, ne suæ illi fraus & dolus, quo herum fallere cogitásset, ulli essent emolumento.*

Nec verbum adderem, si omnes tales pueri, 679
ac puellæ Constantinopoli adducerentur, & de omnibus inde adductis esset *moralis* spes comperiendi veritatem, sed quia fortè nunquam hæc circumstantia utraque conveniet, idcirco noto generatim, nec esse talibus variantibus in suis dictis fidem habendam, nisi in necessitate, nec tamen opus esse, ut expectent *moralem* certitudinem, donec tales baptizentur, aut rebaptizentur, non enim, sicut *moralis* certitudo de collato jam semel Baptismo requiritur ad non rebaptizandum, ita *moralis* certitudo de non collato Baptismo exigitur ad baptizandum.

Casus IX.

Valeria obstetrix venefica gente N. quoties pa- 680
rochus, vel cooperator accingebat se ad rebaptizandos, quos ipsa domi abluerat, opponebat se quoad poterat, contestans, se sanctè, integre omnia peregisse, tandemque capta ob venefica, atque in quæstione interrogata: An nullum infantem baptizâsset in nomine cacodæmonis? fassa est, se non unum, sed plures, non tamen omnes hoc conscelerato modo baptizâsse. Quid faciendum de iis, de quibus fatebatur suum scelus? Quid de iis, de quibus negabat? An omnes rursum tingendi? Et quid agendum corporibus ita sepultorum?

Nimis vera est, prò dolor, hæc tragica histo- 681
riola, cujus quæstioni ut respondeam cum tanto majore approbatione *reali* (*verbalem* non moror; quippe per *Realem* intelligo praxin conformem resolutioni principali adferendæ *n. 683.*) idcirco adjicio alium multò lugubriorem Casum, qui erit

Casus X.

Walburga obstetrix venefica sanguine N. 682
non modò omnes, quos privatim baptizabat, dæmoni offerebat, verùm, ut tantò certiùs perirent animo, & corpore, plerosque, dum edebantur in lucem, aciculâ configebat in occipite, dissimulantissimèque necabat, priusquam possent in templum deferri. Quid, amabò, sentiendum generatim de iis, quos constat, non fuisse ab alio, quàm à venefica baptizatos?

Jam quidem *Casu XIII. n. 402.* breviter respondi, esse meâ quidem sententiâ ferè omnes rursum baptizandos, sed id non probavi, volo autem nunc, &

Dico I. Omnes ferè sunt rebaptizandi, quos 683
constat, non ab alio, quàm à venefica fuisse ablutos. Fateor quidem, P. Tannerum *hic quæst. 2. num. 221.* videri adversari huic conclusioni, sed illam probo hoc fundamentali argumento; quia omnes sunt rebaptizandi, de quibus prudenter dubitari potest, an sint rectè baptizati. Suprà *Casu XIII. num. 356.* atqui potest id dubitari prudenter ferè de omnibus, quos

con-

constat, fuisse à talibus baptizatos. Ergo. Minorem propositionem, quæ sola patitur difficultatem, probo in primis auctoritate tam multorum præstantium virorum, quos Casu V. *num. 170. & 171.* adduximus pro repetendo omni Baptismo collato à quacunque obstetrice, bona, aut mala. Hæc tanta authoritas certò reddit coram Deo, & Ecclesia inculpabilem illum, qui sequitur præsentem conclusionem, cùm etiam Jacobus Reis *in Privileg. Morientium Privileg. 48.* velit omnes tales rebaptizari.

684 Probo deinde hanc Minorem argumento ad hominem. Etenim ipse Tannerus *Tom. 3. disp. 4. quæst. 3. dub. 2. num. 37.* inde probat, denuntiationes etiam plurium strigum, seu veneficarum non sufficere ad torturam alicujus denuntiatæ constitutæ in possessione bonæ famæ, *quòd sagæ, ex vi, & natura sint tales personæ, quæ cùm omnibus, tum præcipuè innocentibus quovis modo nocere, adeóque vel maximè falsa denuntiatione supplicium parere cupiunt.* Dicit quidem ipse, suam hanc rationem valere saltem antequam pœnitentiam denuntiantis, attamen tum *ibid.* tum *n. 44.* addit, non posse satis ferè constare de vera pœnitentia.

685 Probo III. Eandem Minorem. Quia diabolus ita pertinaciter, ac malitiosè insidiatur saluti recèns natorum, ut minimè dubitandum sit, quin potentissimè instiget sua jurata mancipia (sagas dico) ad flagitiosissimè fungendum officio obstetricum. Unde in Apocalypsi *Cap. 12.* legimus: *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut, cùm peperisset, filium ejus devoraret.* His tantis instigationibus munitis comminatione gravium verberum, promissione nescio cujus compensationis, quàm ægre resistant tam miserabilia simul, & detestabilia ingenia, facilè quivis assequi potest.

686 Confirmatur I. Perpendendo summum prorsus, & inexplicabile odium, quo totus Orcus flagrat in Deum, & cujus luculentum prorsus ac lugendum specimen dedit in illo genere sagarum, quod in Silesia recèns ortum, descripsi *in Theologia Juridico-moral. cap. 42. num. 62.* quem §. si jungas §. seu *num. 58.* ejusdem capitis, faciliùs subscribes huic conclusioni.

687 Confirmatur II. inde, quòd cacodæmon absque dubio fortissimè repræsentet talibus mulieribus examinandis, de hoc sacrilegio, repertum quidem iri, qui habeant cum iis commiserationem respectu aliorum scelerum, at neminem fore, qui non libenter vivas discerperet, quòd scelere digno mille rogis perdiderint æternùm innocentissimas animas, quantùm in ipsis fuit. Non dubito, inquam, quin immittat ipsis, seu suscitet (*mediatè*) in iis ejusmodi imaginationes vehementissimas, quas *naturaliter* sequitur ingens timor, & horror, ex timore, & horrore *moraliter* pervicacissima negatio veritatis.

Dico tamen II. Potest quandoque omitti 688
rebaptizatio illius, quem certum est, esse baptizatum à saga. Ratio est, quia quandoque possunt occurrere tales circumstantiæ, ut non permittant oriri *morale*, prudénsque dubium de valore talis Baptismi. Ut e. g. quando illa obstetrix ducta pœnitentiâ suorum maleficiorum ultrò se sistit judici, petens, se tolli è medio, exhibens prorsus eximia signa animi pœnitentis, & interrogata de hoc crimine malè administrati Baptismi pernegat, se ei affinem, aut confitetur de uno, negat de aliis omnibus. Faciliùs adhuc illi creditur, quandoultrò fatetur de uno, negat de aliis omnibus. Equidem puto, si permaneat constans in suis dictis, inque valde excellentibus actibus pœnitentiæ, & doloris, non posse ex eo præcisè, quòd se dederit in mancipatû dæmonis, prudenter in his circumstantiis vocari in dubium reliquos Baptismos.

Hoc fateor, quòd & remorsus pravissimæ 689
conscientiæ, & tentationes Spiritûs Avernalis perpetuæ, & perpetes, fortissimæque imaginationes objectorum turpissimorum, curiosissimorum, cæteris hominibus insolitorum faciliùs efficiant in sagis partim terrores, partim distractiones, ob quos, & quas faciliùs etiam invitæ errant in *substantialibus*, quàm quæ sunt pacatæ conscientiæ, & serenioris phantasiæ; quæ sanè consideratio reddit respectu obstetricum veneficarum probabiliorem quàm non veneficarum, sententiam illam generalem de rebaptizandis omnibus omnino, quos obstetrix tinxit. Quapropter concludo, omnes planè esse rursum aquâ lustricâ expiandos, quibus obstetrix venefica contulit Baptismum, nisi & constet, fuisse à Judice ferìò, & aliquali torturâ interrogatam de hoc scelere, negasséque, & sciatur exhibuisse constanter extraordinaria indicia pœnitentiæ, & dixerit, se fuisse sibi semper valde præsentem, quando obibat illud ministerium. Si horum trium punctorum unicum ignoretur, oportebit iterare lavacrum salutis, meâ quidem sententia.

Dices: *Cur pro tua prima conclusione, & hac* 690
explicatione illius non refers unum, alterúmve classicum auctorem, cùm soleas tam studiosè, medicam scrupulosè, pro aliis tuis effatis decuplo levioris momenti, quàm sit hæc utraque tua resolutio?

Resp. Ita est, propè scrupulosè firmo mea dicta sensu unius, pluriúmve DD. quia non mihi id tribuo, ut velim de me dici illud: αὐτὸς ἔφα. Cupio prodesse meis lectoribus, quoad possum, ergo consequenter cupio illis subministrare argumenta extrinseca, quibus firmentur in opinionibus, quas cupio ab ipsis imbibi.

Porrò idcirco nullum auctorem laudo pro 691
præsenti mea doctrina, quia (quod dicerem esse propemodum pro miraculo Casistico habendum, nisi deprehenderem, permultas, eásque

que graves de moribus quæstiones esse hactenus præteritas, ab omnibus, quos ad manus, latera, & in oculis habeo) non reperio, qui ferat suum judicium de hac re præter P. Busenbaum *hic*, & P. Reiss *loc. cit.* volentes omnes à talibus baptizatos rebaptizari, nullum, qui de hoc argumento disserat, præter P. Tannerum à me dissentientem; cui quia meritò quisque generatim plus tribuere debet, quàm mihi, si cui placeat ejus hac de re particulari judicium intelligere, describo hîc illud fideliter. Itaque *cit. Tom. 4. disp. 4. quæst. 2. n. 123. & 122.* sic disserit.

692 Ex quibus etiam colligi potest, quid facto opus sit, quando de aliqua persona præsertim adulta successu temporis manifestum fit, eam à parocho, vel obstetrice venefica, aut de veneficio suspecta fuisse baptizatam. Respondetur enim I. Non ideo talem personam continuò etiam sub conditione rebaptizandam, juxta ea, quæ ex communi universim tradunt Suarez *Tom. 3. disp. 31. sect. 6.* & Henriquez *Lib. 2. cap. 31.* sed priùs diligenter inquisitionem instituendam de punctis sequentibus. 1. An tales personæ de tali crimine fuerint in publico judicio damnatæ, vel convictæ, aut aliàs meritò suspectæ. 2. An Baptismus ille fuerit ab iis administratus, postquam hoc crimine essent infectæ. 3. An ex actis judicialibus, an aliis indiciis seu publicâ famâ constet, aut meritò præsumi possit, eas malè Baptismum administrâsse, vel an saltem ex aliquibus cautis de hoc ipso jure dubitari possit. 4. An non potiùs communi sensu populi baptizati ab iisdem pro verè baptizatis habeantur; ipsæque fortè etiam in judicio interrogatæ suam hac in parte innocentiam probârint, videlicet nullum se in baptizando *essentialem* defectum admisisse. 5. An nihilominus ex parte ipsius personæ, de cujus Baptismo agitur, alia quædam particularia, & gravia adsint indicia de nullitate Baptismi.

693 Respondetur II. Quòd si factâ inquisitione non solùm *positivè* constet, in judicio deprehensum fuisse, nihil defectûs *essentialis* quoad Baptismi administrationem intervenisse, sed etiam in contrarium nihil uspiam sit auditum, vel animadversum, non videtur prudenter dubitari posse de Baptismi valore, nec proinde Baptismus iterandus erit. Quia tametsi striges utriusque sexûs subinde *invalidè* baptizant, id tamen cùm accidit, solet in judicio deprehendi, quando de talibus criminibus examinantur. Aliàs *moraliter* certum esse videtur, ejusmodi personas, si quando aliàs suum scelus confitentur in judicio, multòque magis, si de eodem scelere pœnitentes decesserint, nulla ejusmodi sacrilegia circa Baptismum commisisse, cùm nullus sit judex tam vecors in suo officio, qui non hac de re vel maximè sit sollicitus, & debitas pro more quæstiones instituat, nec ulla etiam causa esse possit, cur talis persona à judice interrogata, & alioqui jam suum crimen confessa peccatum illud sacrilegii supprimere velit. Ut proinde etiam hac in re meritò valere debeat illa Regula juris: Innocentem esse præsumendum, qui non probatur nocens.

Hactenus, atque ad praxin P. Tannerus, qui 694
sanè sicuti est in materiis *speculativis* clarus inprimis, ac solidus, valdéque circumspectus, ita etiam in *practicis* judiciosus, ac sapiens, ut putem, illum perbene meriturum de studiosis Theologiæ Moralis, & de omnibus curatoribus animarum, qui in unum volumen colligeret omnia, quæ de moribus pertractat in tribus posterioribus Tomis Theologiæ Scholasticæ, illique inscriberet hunc titulum: *Theologia Moralis Adami Tanneri extracta &c.* Quòd si quis Theologiæ Professor adderet aliquas appendices iis materiis, quas jejuniùs (nullam ferè integre omisit, longè plurimas accuratissimè, plurimas mediocriter, aliquas succinctiùs, ac optarem, differuit) tractavit, haberet pro exemplis plures Jureconsultos, illos etiam Theologos, qui scripserunt in Summulam Cajetani, Toleti, Sa. Fuissem fortè ante complures Annos aliquid ejusmodi molitus, si venisset in mentem hæc cogitatio, quæ primùm me incessit, dum efformo hoc Alphabetum. Habui hunc virum Præfectum superiorum studiorum, dum abhinc Annos 52. navarem operam Philosophiæ, quem meritò venerabantur omnes propter excellentiam doctrinæ, moresque ad disciplinam, religiosámque gravitatem castigatissimos.

Sed ut ab hac digressiuncula revertamur in semitam.

Dico III. Illi seu adulti, seu infantes, quos 695
Valeria, & Walburga fassæ fuerunt, fuisse à se pravè baptizatos, erant absque omni dubitatione rebaptizandi. Licèt enim hæc illarum confessio tormentis præsertim expressa non peperit certitudinem *moralem* de veritate, peperit tamen probabilitatem, quæ sufficit ad rebaptizationem sub conditione, quam tamen conditionem si non exprimeres verbis, non graviter peccares. Alii quoque, de quibus negârunt suam malitiam, erant sub conditione omnes regenerandi, quia in illis duabus miseris fœminis non apparuerunt circumstantiæ, quas exigo in præcedente conclusione.

Quamvis autem P. Laymannus *hîc Cap. 5. n.* 696
3. notet, rebaptizationem posse (in eadem paritate argumentorum, conjecturarúmve) faciliùs, & sæpius omitti in adultis, quàm parvulis, eò quòd adulti possint se juvare per contritionem perfectam, atque ex eorum repetito Baptismo faciliùs exoriantur scandala, quàm ex parvulorum, in præsente tamen materia non uterer eâ distinctione. Censeo sanè, vel omnes, qui hæc legent, vel saltem pleroique esse ejusmentis, cujus sum, quòd videlicet essem seriò hodiéque petiturus, me salutaribus undis ablui, si mihi constaret, me fuisse baptizatum à venefica vulgaris generis.

Dico

697 Dico IV. Quando solùm est dubium, utrùm fuerit fama illa, quæ te baptizavit, esto, illud dubium sit rationabile, non puto tamen, alios Theologos permissuros, ut ex hoc præcisè capite, & abstrahendo à generali doctrina de Baptismo obstetricum, rebaptizeris, eò quòd in dubio forum externum præsumat immunitatem à tam immani scelere. Certè Tannerus se fortiter opponeret. Huic oppositioni non resisterem propter allatam rationem, & universale, ut puto, judicium Doctorum, atque Indoctorum, nisi forsan experientia doceret, te exoticis planè modis exagitari, similémque esse iis, de quibus mentionem *num. 453. 457. &c.* feci. Vide tamen Reiss *loc. cit.*

698 Dico V. Sepulturam quod attinet, tametsi jam sint in loco sacro, ipsóque templo tumulati, quos Valeria, vel Walburga cum fletu, cum gemitu confitentur, esse à se devotos erebo, non cœlo, haud tamen sunt idcirco exhumandi. Rationem attuli *Casu XVIII. num. 640.* quam fulcit hæc, quòd scilicet afflictio non sit addenda afflicto *Text. c. Ex Parte. De Cler. ægrot.* sunt autem jam satis afflicti consanguinei talium, quòd tam diabolica nequitia fuerit exercita in suos, quæ afflictio capiet incrementa, si exhumentur cadavera suorum in fide Ecclesiæ verè, aut præsumptivè mortuorum. Sequenda tamen ubique consuetudo diœcesana, ut his scriptis respondi ad Casum recentissimum.

699 Hanc Baptismorum dubiorum materiam, atque alia, quæ superiùs de his tradidi, tradámque; non possum non illustrare singulari doctrinâ, quam exhibet hanc ipsam in rem Cardinalis de Lugo *Tom. 3. in 3. P. seu de Pœnit. Disp. 16 Sect. 15. n. 607.* ubi obligationem repetendi confessionem peccati, de quo ob dormitationem confessarii tui dubitas, an hic illud intellexerit, adeóque tenearis iterum confiteri, declarat ipse exemplo Baptismi dubii ita differens *num. 608. & 609.* Exemplo rem declaro: Si ego ex revelatione scirem, esse unum hominem Romæ, qui existimat, se baptizatum, & tamen non est verè baptizatus, non ideo deberem, aut possem *licitè* baptizari sub conditione, quia hîc & nunc non habeo sufficiens fundamentum ad dubitandum prudenter de meo Baptismo, alioquin deberemus omnes iterum baptizari, & ordinari, quia *moraliter* certum est, inter Christianos aliquem, vel aliquos reperiri, qui ex defectu intentionis, vel materiæ, vel alia de causa verè baptizati non sint, vel ordinati. Cæterùm in tanta multitudine, id non generat dubium *morale* respectu hujus hominis in particulari. Sicut ex eo, quòd aliquis soleat repente mori, non generatur dubium de morte hujus hodierna, qui nunc bene valet. Alioquin teneretur sub peccato mortali statim confiteri, ne exponeret dubio *morali* suam æternam salutem. Quando autem certum esset, unum ex decem, vel viginti hominibus non esse baptizatum, possent, & deberent omnes & singuli baptizari sub conditione, quia tunc de singulis possemus aliquo modo prudenter dubitare, an essent baptizati. At si scires, eum parochum, à quo baptizatus eras semel casu ebrium baptizâsse, non ideo prudenter posses de tuo Baptismo dubitare, quia in tanta multitudine non videtur sufficiens motivum scire, quòd unus socius fuit baptizatus *invalidè*.

Hactenus de Lugo ad nostrum propositum, 700
addente P. Dicastillo *de Pœnit. Tract. 8. Disp. 8. Dub. 4. Num. 100.* si sis unus è centum, vel ducentis, inter quos constat *moraliter*, duos, vel tres non esse rite baptizatos, aut unus ex iis, quorum unum in primo, vel secundo casu aliquem baptizavit ebrius parochus, velísque creari sacerdos, incumbere tibi onus repetendi cum conditione Baptismi. Judicet æquus lector de veritate hujus, ac superioris doctrinæ, sufficit mihi retulisse illam.

Casus XI. Curiosus.

IN Lithuaniæ silvis repertus est puer ab ursa 701
educatus. Hanc cùm nuper nobilis quidam in venatione vulneratam insecutus est usque ad ejus speleum, prodierunt duo ursuli, & puer ille, manibus instar ursuli reptans, quem nobilis cum utroque ursulo apprehendit, & Vilnam deductos præsentavit Episcopo, hic verò Reginæ. Puer est septem circiter Annorum, albissimo, & integro corpore, facie tamen aliquantulum cicatricibus notatâ, & concisâ ex lusu, luctaque cum ursulis. Loquitur nihil, sed instar ursuli murmurat. Vescitur herbis, quas sibi ipse decerpit, optimis. Priùs crudâ carne vescebatur, quam nunc respuit. Putatur relictus in ea silva a parentibus, vel amissus, quem nunc Regina educari curat, ubi loqui didicerit, fortè aliqua pandet.

Hunc sanè curiosum Casum ex literis Var- 702
savia datis die 10. Decembr. Anno 1665. ad me transmisit hisce verbis Viennâ Austriæ Doctor quidam Academicus; & fuit utique disputatum, seu Vilnæ, seu Varsaviæ, essétne hic puer Ursinus salutari lavacro abluendus, quid autem fuerit conclusum, me latet, minimè dubitantem de necessitate adhibendi saltem, ubi perveniisset ad Annos discretionis, Baptismum *conditionatum*; siquidem valde prudenter dubitari potuit, utrùm aqua lustrica fuerit unquam, aut rite adhibita. Ut enim alia præteream, notum est, Lithuaniam fuisse sub Annum 1660. plenam omnis generis civium, militúmque hæreticorum, Moscovitarum, Tartarorum, Judæorum, Arianorum, vel contemnentium, vel parum omnino curantium Baptismum, hujúsve essentialia. An non meri-

tò potuit formidari, an non esset progenitus ex patre, matre impiis? Et verò hisce jam descriptis ab Amanuensi, accipio literas Varsaviâ scriptas 12. & 26. April. superioris Anni 1667. & 5. Januarii præsentis 1668. quibus ad meam requisitionem mihi rescribitur, puerum illum fuisse baptizatum sub conditione, induere mores humanos, quandoque tamen relabi ad ferinos, intelligere tum Gallicè, tum Polonicè, *quia si quid ei dicatur* (inquiunt postremæ literæ) *respondet per nutus, & accipit, aut deponit, quæ jubentur. Signat se signo Crucis, flectit junctis ante pectus manibus, & aliquid admurmurando videtur orare. Quod ex singulari (feri alioqui juvenis) compositione intelligitur. Ni fallor, nomen Nicolai impositum est in Baptismo conditionato. Neque aliud omnino. Nam dum has scribo, P. Stanislaus N. Ordinarius hic Principis Ecclesiæ Concionator redux immediatè ab alloquio prædicti pueri, qui Annos ætatis vix decem superat, ita me certioravit.*

XII. Casus Militaris.

703 D*Esidero Reverentiæ Vestræ judicium circa sequentem Casum. Sed rogo, non tantùm suam ipsius mentem explicet, sed etiam indicet,*
704 *quid ex meliorum Doctorum sententia rectè fieri possit, ac debeat. Sacerdos quidam ante septennium circiter suasit omittendum Baptismum in eo, qui natus à parentibus fidelibus, atque inter fideles (etiam belli tempore, ut apparet in exercitu) ad pubertatem usque vixerat, licèt non sciret, esse se baptizatum, sed in tenera ætate, nempe circiter sexennis fuerat à parentibus abstractus, seu potiùs derelictus (non tamen propriè expositus) ut adeò etiam proprium nomen ignoret, & solùm vocetur nomine ab iis impositio, qui eum derelictum susceperunt. Itaque sacerdos ille jam dubitat, an rectè senserit, atque interrogat, ad quid omnino teneatur, præsertim cùm adolescens non facilè reperiendus videatur. Quanquam ille non ignoret de dubio sui Baptismi moto. Videtur tutus in conscientia, posséque in tali casu omitti Baptismum ob* cap. Veniens. De Presb. non Baptiz. Item ob ea, quæ habet Coninck de Baptismo quæst. 66. dub. 9. n. 94. *usque* ad 98. Tamburinus de Baptis. cap. 1. §. 6. & 7. *& Reverentia Vestra* de Baptis. Cas. XIII. *præsertim* n. 377. & 401. *&c. Monachii. 4. Decembr. 1663.*

705 Repræsento verba emeriti Theologiæ Doctoris scripta post primam (est hæc quinta) evulgationem hujus Alphabeti. Cui Doctori respondi in hunc modum. Duo proponuntur hîc: primum, an ille adolescens fuerit rebaptizandus. Alterum, ad quid obligetur ille sacerdos. Ad *primum* respondeo, videri mihi rebaptizandum, propter ea, quæ *in cit. Alph.* adfero *à num. 360.* ad *368.* Moveor singulariter, quia supponitur in specie facti, juvenem esse natum in exercitu, proinde ignoratur, an parentibus Catholicis, cùm certùm sit, exercitus Bavaricos, & Cæsarianos fuisse magnam partem acatholicos. Item, utrùm tempore imminentis prælii, an in itinere valde properato. Utrùm in oppido, pagóve, an in castris, ac campo aperto? Hæc circumstantiæ sunt fre- 706
quentissimæ, simul & incertissimæ in exercitibus, & consequenter efficiunt, ut meritò dubitetur, an sit collatus Baptismus, certè ut non habeatur illa certitudo *moralis*, de qua dissero *cit. num. 368.* Si fuit natus matre hæretica (& quis immeritò timeat?) probabile est, non permisisse tingi à Sacerdote Catholico. Item distulisse Baptismum in plures, ut solent, dies; quàm facilè igitur potuit omnino omitti? Quid si (ut sunt castra militaria plena spurci- 707
tiis) juvenis ille est illegitimus? An non negant hæretici, talibus prodesse Baptismum? Accedit, quòd, esto fuerit verè ablutus aquâ, ignoretur tamen, utrùm ab hæretico, utrùm à fœmina, & quidem in magna perturbatione &c. Hæc enim sunt non infrequentia in exercitu conflato è tot heterodoxis, & propè pluribus imperitissimis, audacissimis fœminis, quàm viris. Esto igitur, prudenter credamus, fuisse exteriùs lotum, meritò tamen dubitamus de validitate.

Unde si juvenis ille ad me veniret, suade- 708
rem omnino Baptismum *conditionatum*. Capitulum *Veniens* loquitur de illis, quos constat, natos esse parentibus Christianis, id est Catholicis, etenim tempore, quo Innocentius III. reddidit ad Episcopum Ravennatensem id rescriptum; quod recitatur in allegato Capitulo *Veniens*, Italia, Galliáque scatebat Arianis, Albigensibúsque, absit autem ut credamus, Pontificem voluisse haberi pro indubitanter baptizatis illos, quos Ariani, Albigensésque genuerant. Atqui non constat, juvenem illum esse progenitum à Catholicis parentibus.

Adde, quòd Innocentius loquatur de na- 709
tis, educatis, more communi, atque ordinario, leges enim spectant communiter, & ordinariè contingentia. *l. Nam ad ea ff. De legib.* non est autem ordinarium, aut communiter contingens, ut quis nascatur in exercitu, & quidem constante tam diversis sectis. Unde neque Conincki, neque Tamburini doctrina est extendenda ad hunc Casum. Nec reor, extare quenquam inter scriptores, qui adversetur huic meæ resolutioni.

Ad *alterum* dubium respondeo, confessa- 710
rium illum debere esse sine anxia cura. Quia consilii non fraudulenti nulla est obligatio *l. 47. ff. De reg. jur. 2.* & maximè, quia dimisit illum juvenem cum dubio de suo Baptismo, ergo cum conscientia, esse adhuc alios consulendos. Ergo propriè non tantùm non extrema, sed ne quidem in gravi necessitate spirituali. 3. Tamen, si posset facilè nanciscì dictum adolescentem, charitas Christiana im- 711
peraret commonitionem. Quandoquidem juvenis

venis ille versatur in vero periculo moriendi sine fructu illius Sacramenti; & licèt possit salvari per contritionem, est tamen hæc plurimis valde difficilis, quandoque etiam impossibilis, ut quando non occurrit motivum *formale* contritionis. Jungo huic casui *duodecimo* ob materiæ singularem cognationem hunc

XIII. Casum Obstetricis, & Confessarii.

712 A*Pprobat etiam Reverentia Vestra sententiam illorum, qui docent, validam esse formulam illam baptizandi.* Ego te baptizo in nomine Dei Patris, in nomine Dei Filii, & in nomine Dei Spiritûs sancti, *quidquid contra illam nominis repetitionem moveant alii, cùm nullam inducat pluralitatem. Ideo etiam Diana super ea rogatus noluit rebaptizari, super quem illa formula pronuntiata fuit. Quia tamen in usu Sacramentorum, seu administratione illorum, tutior pars eligenda est, cujusmodi est communis ratio baptizandi, prætermissâ illâ iteratione nominis, quæritur, an Obstetrix utens illâ formulâ admonenda sit, ut abstineat, & consuetâ Ecclesiæ formâ utatur, quæ admonitio sine gravi incommodo fieri non potest.*

713 *Inprimis enim habitat illa hinc in pago aliquot milliaribus dissito, & nescitur in quonam: duo enim sunt ejusdem nominis, ut adeò utriusque parochus per literas sit conveniendus. Deinde indicavit ea illam formulam in confessione sacramentali confessario, qui eam non correxit, postea tamen scrupulum habuit de neglectu correctionis. Quòd si jam illa per suum parochum moneatur, ut emendet, conscia, hoc ex confessione manare, malè erit cum confessario contenta, ut qui sigillū non servârit, non distinguens, quid sub sigillum cadat, vel non cadat. Hactenus fuit illa in bona fide relicta, quòd saltem validè baptizârit, sed lubet etiam Reverentiæ Vestræ judicium quærere, &c.*

714 Hucusque dedi exemplar literarum die 14. Febr. 1664. ad me exaratarum à viro gravi, cui tertio Martii respondi: dictum confessarium debuisse utique non dimittere illam obstetricem, nisi edoctam consuetam formulam, & inductam ad eam imposterum usurpandam, cùm nequeat sine mortali peccato usurpari altera propter indicatas, indicandásque rationes; jam verò non videri posse corrigi ab illo confessario, nisi ea redeat ad confessionem; si quippe corrigere velit extra confessionem, violaturum esse sigillum sacramentale; cùm enim exprimatur in specie facti, obstetricem aperuisse in sacramentali confessione illum suum errorem, hoc ipso supponitur aperuisse peccatum, ille quippe mos est verè peccami-
715 nosus, tum quia contra universalem morem Ecclesiæ, tum quia exponit Baptismum periculo nullitatis, juxta opinionem Comitoli, Bonacinæ, aliorum relatorum suprà *Cas. II. num. 98.* & consequenter imponit obligationem repetendi. Atqui omnia peccata in confessione sacramentali cadunt sub sigillum; nisi enim de contrario constet, præsumuntur esse dicta ex hypothesi sigilli, juxta ea, quæ tradam *in Alph. Confessar. Casu XXII. num. 788.* Si tamen ille confessarius incideret extra con- 716
fessionem in eam mulierem, deberet applicare sibi doctrinas, quas de corrigendis defectibus admissis à confessario tradidi *in eodem Alph. Cas. VI. num. 296.* Ut ille confessarius pergat ad alterutrum, vel utrumque pagum, quæsiturus quænam sit obstetrix, non est aut licitum, aut necessarium. Non licitum, quia uteretur notitiâ confessionis cum magna molestia pœnitentis contra doctrinam, & Regulam *in dicto Alph.* traditam *Cas. XXIII. num. 881.* Non necessarium, quia illud silentium confessarii, seu omissio correctionis fuit probabilissimè inculpabilis. Ipse enim videtur habuisse in memoria doctrinam Laymanni suprà relati, ac tradentis, subsistere talem Baptismum, nec obligantis ad correctionem, seu emendationem, iterationémve illius. Cùm ergo ex una parte 717
sit probabilissimum, nulli infanti obesse praxin prædictæ obstetricis: ex altera parte inadvertentia naturalis excusaverit à formali peccato confessarium silentiarium, & Laymannus, ac Diana relati *num. 98.* satis clarè negent necessitatem rebaptizandi, & denique nequierit sine suo notabili incommodo, sine magna molestia obstetricis, sine suorum Superiorum (si fuit Religiosus) admiratione, suspicione, accedere duos illos pagos, fortè instructos non unâ, sed pluribus obstetricibus, est vero simile, quòd lex divina non obligârit illum ad eam pervestigationem. Vide cenda- 718
cit. Alphab. Confessar. Cas. VI. num. 299. & seqq. Porrò hic Casus de repetito nomine Deitatis, subministrat occasionem proponendi, resolvendi hunc

XIV. Casum Prædicanticum.

R*D. Joannes N. narravit mihi; se venisse in pagum Neuhausen Lutheranum, proxi-* 719
mum suæ patriæ, ibi habere adhuc consanguineos, licèt Lutheranos, offendisse obstetricem Lutheranam, & per discursum eò deveniisse, quomodo baptizaret? Illam respondisse, se affundendo aquam dicere; Ego te baptizo in nomine Dei Patris, & Dei Filii, & Dei Spiritûs sancti. *Cùm præfatus Dominus vellet eam corrigere, ne tertiâ vice proferret nomen Dei, ne videretur velle indicare plures Deos. Respondit se ita doctam à suo Prædicante, & sic baptizâsse, baptizare, & baptizaturam esse.*

Sic ad me spectabilis olim Dominus Deca- 723
nus Marisburgensis, utique judicans, illam obstetricem fuisse meritò correptam. Etsi enim non dubitem, quin valorem talis Baptismi sint tuituri illi omnes, quos *Cas. XI. num. 98.* retulimus contra P. Comitolum, ac Bonacinam,

& meritò quidem, quandoquidem unitas Essentiæ sufficienter indicatur per voculam *nomine*. S. Thomas, atque Patres apud Patrem Suar. *loc. cit.* attamen Bonacina, Cotonius ibidem relati, atque Filliucius negarent fortè valorem. Ego non juberem rursum tingi, qui esset sic ablutus, quia nec authoritas, nec ratio permittit vocare in dubium. Nullus authorum, quos hactenus citavi, facit mentionem hujus formulæ, ergo videntur omnes approbare, cùm sit valde obvia, plurimi enim cùm se signant sanctâ cruce, præsertim in linguâ vulgari, consueverunt dicere ter *Dei*, ita ut, ex usu communi loquendi, & intelligendi, qui etiam in formulis sacramentalibus maximè attendendus est, ut vidimus *Cas* 11. *num.* 87. 95. & 96. etiam triplex repetitio voculæ *Dei* designet essentiæ unitatem, attamen abstinendum est eâ formulâ, utendúmque communi.

721

Casus XV.

722 *ALlatus est ad me his diebus triplex Casus, scripto aliunde transmissus ex loco remotiore, ad quos postquam respondi, quod mihi videbatur, quia nihilominus adverti, pergratum fore Domino parocho, si ad Reverentiam Vestram, cujus Alphabeta legit, versâ que diligenter, & inde ipsi perpes scrupulus fuit injectus, communicarem, quod quantocyus facturum recepi, est autem iste primus. Fuerunt ante plures Annos in*

723 *periculo baptizati aliquot infantes ab Obstetrice alienæ parochiæ, sed in loco subjecto jurisdictioni hujus parochi, à quo fui consultus, illa deinde domesticis ejusdem (nam ipse fortè domo aberat) retulit factum, jussitque sine metu illos esse, omnia rite fuisse administrata, quæ id temporis necessaria fuissent, ita ipse supersedit tunc aliud, nisi cæremonias solemnes adhibere, quamvis in ea parochia, atque Diœcesi usus obtineat, omnes omnino à mulieribus baptizatos denuo rebaptizare, idque faciat parochus alter, de cujus jurisdictione est illa Obstetrix. Nunc interlapsi Anni complures, ipsique infantes ad eam ætatem pervenerunt, ut pridem peccare potuerint, aliorum proinde Sacramentorum usum possint fortè neces-*

724 *sarium habere. Quærit igitur prædictus Dominus, an, cùm Reverentia Vestra* n. 171. 173. & 177. *Alphabeti de* Baptismo *doceat, saltem approbativè, reiterandum esse Baptismum à mulieribus non peritissima collatum, numero autem* 175. *idimprobet, quando non est prudens dubium (quale circa istam habet) debeat nunc adultiores hos infantes denuo ad Baptismum revocare; & si hoc faciendum, qua ratione, ne vel defunctæ mulieris fama fugilletur, vel aliter, si res publica fieret, homines scandalizentur, an fortè domi per modum catechismi disponere eos oporteat ad voluntatem generalem observandi omnia Dei præcepta, aut necesse sit ad explicitam illam, ut contenti sint Baptismum recipere, si minùs valide essent baptizati, & quasi inadvertenter aspergendi aquâ benedictâ. An quando ad confessionem accesserint, ita disponere suffecerit, & in loco aspergere, ac deinde etiam absolvere, an verò omnino supersedere reiteratione Baptismi, quod ego quidem ad dicta* n. 176 *suaseram.*

Est hæc prima pars Epistolæ ad me 2 Sept. 725
Anno 1665. datæ à quodam perspicaci Theologiæ Moralis Professore, qui urgebat responsum, idque festinatum. Respondi mox, & breviter, utpote valdè tunc implicitus aliis negotiis. Repeto hîc mea verba. Quandoquidem 726
mos rebaptizandi omnes baptizatos à mulieribus vigens in utraque illa parochia, totáque Diœcesi nititur experientiâ multorum Baptismorum, priùs vitiosè administratorum ab Obstetricibus, illius autem Obstetricis assertio de omnibus rite à se peractis non tollit rationabile dubium, ortum ex prædicta experientia, ideo non ageret malè *per se loquendo* parochus, si uteretur anabaptismo. Quia tamen videtur id fieri non posse sine scandalo, offensione, obmurmuratione multorum, idcirco arbitror, esse interrogandum (nisi sit peculiare **periculum** in mora) os Domini, adeóque **consulendum** Dominum Ordinarium, cui absit, ut **quidquam** præscribam. Si tamen censuerit, rursum tingendos, tingantur sub conditione priùs moniti de **judicio D. Ordinarii, ac proinde se disponant ad dolorem de peccatis, & voluntatem hypotheticam,**

Ita ego tunc, addo autem nunc, quandoqui- 727
dem ex una parte permulti Theologi inficiantur, esse fas rebaptizare baptizatos ab obstetricibus, nisi ob peculiarem rationem dubitetur de hoc, aut illo particulari Baptismo rite administrato, ex altera autem parte difficile mihi accidit, damnare antiquum usum unius integræ Diœcesis, solitæ rebaptizare omnes baptizatos à talibus, nisi certo quodam argumento probetur, fuisse hîc, & nunc omnia rectè facta. Ut e.g. quando duæ matronæ, perquàm gnaræ necessariorum interfuerunt tali Baptismo, attendentes curiosè ad omnia, & concorditer testantur, scire se, & hanc materiam, formámque esse necessariam, & utramque certò adhibitam ab obstetrice muliere integerrimæ famæ, idcirco existimo, *practicam*, prudentémque resolutionem propositi Casûs pendidisse à circumstantiis *extrinsecorum* incommodorum, oriturorum, aut non oriturorum ex rebaptizatione hujus, aut illius, itémque ex constanti fama de valde singulari, aut non singulari, sed tantùm communi, aut fortè nec communi peritia, probitatéque illius obstetricis. Ego absolutè magis propendissem in repetitionem, cum cautelis suprà indicatis Baptismi, sicuti, & postmodum intellexi ex illo Patre Theologo factum esse, non quidem præmonito Ordinario, ad quem deferre hanc causam accidebat grave parocho, sed ex consilio ejusdem Patris, nitentis usu tam constante illius Diœcesis.

Casus

Casus XVI.

728 *ALter Casus: An rebaptizare oporteat eos, qui in mortis periculo ab alia Obstetrice baptizati, quæ deprehensa est, cùm examinaretur, pluries variâsse circa exercitam a se operationem baptismalem, ita ut parocho metum incusserit, soleáque diligenter nunc in omnibus iterare hoc mysterium, quos illa pro occasione baptizat. Interim aliquot sunt ante Annos circiter 5. aut 6. ab ea baptizati, quos ad sacrum fontem non revocavit parochus, quærit nunc, quid facto sit opus? An in iis parvulis oporteat expressum consensum exposcere, an verò præsumptio valeat, eos non esse contrarios voluntati parochi, & velle omnia salutis media necessaria adhibere, adeóque sic liberaliter possint domi sine ulterioribus solemnitatibus aquâ benedicta, aut baptismali aspergi?*

729 Est hic *alter* Casus, quem continent literæ, de quibus suprà, ad quem ego ita: Si variatio illa fuit frequenter circa *substantialia*, repetendus est Baptismus, sed priùs informandus Ordinarius propter rationem allatam ad Casum præcedentem. Si semper certò solùm circa *accidentalia*, non est ex hoc capite in his, aut aliis repetendus Baptismus. At cum consensu Ordinarii iterabitur, si mos in Diœcesi vigeat, ut iterum baptizentur omnes tincti ab obstetricibus. Quòd si in hoc, & priore Casu mos rebaptizationis esset notorius non solùm circa infantulos, sed etiam circa illos, qui ante 5. & 6. Annos essent ablati ab obstetricibus, tunc non esset necessarium, ut interrogaretur Episcopus, sicut nec consensus illorum parvulorum exquirendus, cùm supponatur, esse solùm sexennes, adeóque carere discretione judicii necessariâ ad consensum humanum, potiùs essent interrogandi ii, quibus ipsi subsunt; sed neque est id opus, quia parochus acquisivit jus in parvulos tunc, cùm fuêre exhibiti in prima infantia.

Casus XVII.

730 *DEnique de Casu à Marchantio allato, & citato a R. V n. 178. quòd omiserit partem aliquam consuetæ formulæ, nempe*: Ego te baptizo, *an censeat R. V. istum, quandoquidem actu ipso præstitit, quod debebat verbis significare (præsertim cùm Dominus plus non jusserit exprimi verbis, quam confessionem Sacrosanctæ Trinitatis, & actionem adhibere baptizantes eos in nomine Patris, &c.) an censeat, inquam, istum valide baptizâsse. De his requirit admodum solicitè opinionem Reverentiæ Vestræ, &c.*

731 Ad hunc *tertium* Casum præfati Domini parochi respondi, absque dubio fuisse, essèque irritos Baptismos ita collatos; constat enim ex S. Thoma *3. p. q. 66. a. 5.* & omnibus Theologis, ipsarúmque fidei controversiarum scriptoribus, esse traditionem Apostolicam, quòd Salvator præceperit exprimi verbis personam, actionémque baptizantis, hánceque expressionem voluerit esse de essentia. Legatur Laymannus, & alii obvii explanatores Sacramentorum. Equidem Alexander III. *Cap. 1. De Bapt.* ita disertè ex cathedra rescripsit: *Si quis puerum ter aquâ merserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. & non dixerit*: Ego te baptizo, *non est puer baptizatus.*

XVIII. XIX. XX. & XXI. Casus.

732 HUnc numerum efficiunt illi quatuor, quorum notitiam nactus sum post *primam* editionem ujus Alphabeti, sed ante impressionem Alphabeti Ordinantium, ubi illos *Casus sexto num. 173. & seqq.* expressi idcirco, quòd Sacer Ordo sæpe reddatur dubius ob dubium Baptismum. *Primus* illorum Casuum, & *Secundus* recentissimi sunt mulierum, quarum una saliva: altera lacte baptizârat infantem. *Tertius* religiosi jam canescentis, qui sub idem tempus cognoverat, se fuisse baptizatum in pago, in quo Capellanus tunc commorans in eo pago, tinxerat aquâ baptismali trecentos infantes in nomine Stygii prædonis. *Quartus* Sacerdotis Religiosi, quem obstetrix involvit panno in aquam intincto, involutúmque extraxit ex utero matris, interim pronuntians legitimam formam, sed nullam aliam adhibens materiam *proximam*. De his vide illic scripta.

Casus XXII.

733 *VEnantius Capellanus oppidi N primo Anno sacerdotii subitò ad puerperam vocatus Anno 1637. baptizavit in magna trepidatione primum infantem graviter periclitantem, baptizavit autem intinctis in vitrum aquâ plenum digitis usque ad medietatem, efformando crucem supra puerum, & dicendo*: Ego te baptizo, *&c. Nec tunc occurrit dubium de veritate Baptismi. At duobus Aũis pòst cœpit ambigere, an aquâ verè tetigisset infantem? Nam (ut mihi reflexè quærenti respondit) non excusserat aquam in ipsum, sed præcisè fecerat manu dextrâ in aëre magnam crucem super caput pueri, nec viderat, puerum esse ullo modo madefactum. Eodem Anno proposuit suo parocho Doctori Theologiæ suam anxietatem. Respondit hic*: Esto sine cura, etenim Ecclesia supplet in hujusmodi eventis defectum aquæ. *Quia verò puer ille excrevit interea in virum, convenit me ille D. Venantius 17. Sept. Anno 1665. excitatus tot Casibus, quot de baptizandis in hoc Tractatu profero: lectâ quoque refutatione illorum, qui, ut refero n. 207. improbabiliter tenuêre, defectum Baptismi suppleri à benignitate divina. Quid dixerim, aut fecerim accipe.*

In primis igitur per contatus sum. An probè 734
meminisset, se non excussisse aquam: nec deditâ operâ ita fortiter movisse, seu agitâsse manum, ut decideret aqua? Respondit, se planè

neutrum feciſſe. Inſtiti: Utrùm crucem ſupra puerum efformâſſet ſolis digitis, quos intinxerat in aquam, an verò manu totâ exporrectâ? Subdit, ſe prorſus non meminiſſe. Tum ut à verbis ad facta fieret progreſſus, & caperetur experimentum hujus lotionis, mandavi, ut ſuam manum, qua planè eſt virili præditus, exporrigeret, eâ exporrectâ, intinxi ego meum indicem, medium digitum, & ni fallor, annularem in vaſculum aquâ luſtrali plenum, pendénſque ad januam mei muſæi, atque iis effinxi crucem ſupra manum Venantii, ſed nec
735 guttula delapſa fuit in manum. Tunc ego: En mi Domine, manus tua eſt latior capite infantis recèns nati, feci crucem ſolis digitis madentibus; & tamen nec guttula tetigit manum tuam. Quid ſi tu non ſolis digitis immiſſis in vitrum, ſed totâ manu fuiſti uſus, dum ſignabas puerum? certè aqua non defluxit tunc in puerum. Atqui ex una parte prorſus ignoras, utrùm uſurpâris ſolos i os digitos duos, ſeu tres, auriculari incurvato; inque volam retracto, an verò extenſis omnibus digitis; ex altera autem parte eſt naturalius, conſuetiúſque, ut quando crucem effingimus ſupra, aut verſùs rem quampiam e. g calicem, aut hoſtiam in Sacro, exporrigamus totam manum, omnéſque digitos, non ſolùm duos, tréſve, ergo eſt vero ſimilius, te etiam id feciſſe, ergo veriſimillimum, nihil planè aquæ, vel non niſi unam, alterámve guttam (tantillum non ſufficere tradunt, quos nominavi ſuprà *num. 45.*) perveniſſe ad corpuſculum infantuli; igitur cogitandum de modo, aut ratione rebaptizandi Carpophorum, jam Annos natum 28. junctúmque Matrimonio; ipſéque libenter promovebo, quoad potero, ſuppletionem. Acquievit conſilio Venantius, ſed priuſquam moveretur Charpophoro ſcrupulus, re diligentiùs exploratâ, compertum fuit, eundem illum fuiſſe jam (ignaro, vel oblito D. Venantio) rurſum admotum ſacro lavacro. Mi Lector, te, occaſione hujus, & aliorum eventuum moneo, ut huc applices doctrinam, quam circa inſpectionem conjugum prætendentium impotentiam conſortis, providè exhibet Gloſſa *in Cap. Literæ. De frig & malef. Omnis*, inquit, *cautela, quæ adhiberi poteſt in talibus, eſt adhibenda propter periculum animæ.*

Caſus XXIII.

736 *URſula puella 16. Annorum baptizat puellulam in vera, & ſubitanea neceſſitate. Sex Annis pòſt audit parochum è pulpito explicantem formam baptiſmalem, atque ex illa concipit vehemens dubium, utrùm dixerit*: baptizo te, *optimè memor, ſe reliqua, & quidem ter effatam fuiſſe*: *An eſt ad Baptiſmum revocanda illa jam ſexennis puella, & repetendæ cæremoniæ, quas preſbyter adhibuit poſt illum privatum Baptiſmum?*

Die 15 Junii Anno 1665, Urſulæ Paſtor vir præſignis, lecto hoc Alphabeto, propoſuit 737
hanc utramque mihi quæſtionem. & facti narrationem, facilè videns primò, iterandum eſſe ſub conditione lavacrum Chriſtianum: tum quia faſſa fuit puella, ſe ad ſingulas Sacræ Triados perſonas dixiſſe: *In nomine*; auctores autem relati *num. 68.* pronuntiant irritum talem Baptiſmum: tum quia tam firma memoria poſteriorum, nu la prorſus primorum verborum eſt quoddam argumentum, etſi utique non convincens, omiſſa fuiſſe priora. Cui argumento accedit non parvum robur ex eo, quòd puella fuerit in tam infirma ætate, nunquam functa hoc officio, & ſine dubio verecundo, turbatóque animo, quòd deberet inopinatò facere id, de quo faciendo nunquam cogitârat, cujus exercitio fortè non niſi ſemel iterúmve interfuerat. Sanè hæ circumſtantiæ efficiunt, ut nullo modo ſit *moraliter* certum, fuiſſe pronuntiata illa duo priora verba ſubſtantialia, ſed propriè dubium. Ergo hìc locum habet Regula *num. 616.* tradita de neceſſitate rebaptizationis. Vidit ſecundò idem venerandus D. Parochus, cæremonias jam antè adhibitas, nequaquam fuiſſe rurſum uſurpandas, ut liquet ex Auctoribus, quos retuli *Caſu XIII. n. 407.*

Caſus XXIV.

ESt *obſtetricis baptizantis, & ſubdentis*: No- 738
lo, ut hic Baptiſmus valeat, ſi Dominus parochus adveniat, priuſquam animam egerit hic infans. *Evolutionem hujus Caſûs tradidi Tract. præced. Sect. 3. num. 41.*

Claudo hanc farraginem, & univerſam ma- 739
teriam de primo Chriſtianorum Sacramento, facto hominis mihi olim noti, qui cùm navaret operam Rhetoricæ, atque feriâ ſextâ, qua ſolent ex Regula noſtri Præceptores explicare doctrinam catecheticam, intelleXiſſet ſummam neceſſitatem tum ſuſcipiendi, tum, ſi *invalidè* ſuſceptus ſit, emendandi Baptiſmi, aſperſit ſe liberaliter undâ luſtrali, dicens: *Si fortè non ſum rectè baptizatus, baptizo jam me in nomine Patris, & Filii &c.* Ignorabat nimirum id temporis doctrinam Decretalis Innocentii III. exhibitæ à nobis *Caſ. IV. num. 129.*

CON-

CONFIRMATIONIS MATERIA, FORMA, MINISTER, SUBIECTUM.

CASUS XXI.

Memorandus, Rememorandus.

SUMMARIUM.

Caſus S. Mauritii ſe ipſum caſtigantis ob non adminiſtratum ægro Sacramentum Confirmationis. 740.
Reperit ſuas claves in piſce exenterato. 741.
Confirmationis materia, & forma. 742.
Cujus Epiſcopi per errorem confirmantis oleo infirmorum. 744.
Quali chriſmate utantur Græci? 745
Tactus frontis debet eſſe immediatus 747.
Miniſter hujus Sacramenti quis? 749.
Peccat, ſi longo tempore non confirmet. 752.
Quo ritu conferendum hoc Sacramentum? 754.

740 XAntippe matrona Maurilio Epiſcopo Andegavenſi in B. Petri Baſilica ſanctam ſolennitatem celebrante, advenit cum moriente puero, poſtulans, ut filio ſuo manuum ſuarum impoſitione Spiritum ſanctum daret, antequam obiret. Sed remorante in ſancta corporis, & ſanguinis Chriſti conſecratione paululum præſule, puer obiit. Expleto autem ſanctæ ſolennitatis myſterio, & obitu pueri, qui abſque chriſmatis dono exceſſerat, percognito, totum id ſuæ deſtitutioni deputavit, lachrimis multo tempore irremediabilibus ſuæ culpam lugens inobedientiæ. Cui cùm nec iſta ſufficerent, diu, multúmque quid ageret, animo colluctante, tandem reperit, quòd inter concives tantæ negligentiæ piaculum plenè expiari nequiret, niſi ſingularis elapſus, cives patriámque relinqueret.

Caſum hunc voco non *Memorandum* dun-
741 taxat, ſed *Rememorandum*, repetendúmque ſæpiſſime memoriâ DD. Epiſcoporum, atque parochorum. Quantis enim ſuppliciis in ſe animadvertiſſet hic Sanctus, ſi puer ille ne quidem baptizatus fuiſſet? Quantis, ſi tractationem profani negotii prætuliſſet huic actui ſpirituali?

Fortunatus, Monachus ſcriptor antiquus & gravis, mandans monumentis hanc hiſtoriam apud Laurentium Surium *Tom. 5. ad diem 13. Sept.* meretur omnem fidem, etiam dum ſubdit, Sanctum præſulem è patria clam excedentem projeciſſe in mare claves ſacrarii Andegavenſis exclamantem: *Niſi has iterum claves videre meruero, patriam, urbémque nunquam repetam, quam fugio.* Septem ipſos Annos egiſſe hortulanum viri Principis, eis exactis repertum à ſuis, paulò pòſt in piſce exenterato inventas claves, atq; Andegavum rediiſſe, puerũ illum ad vitam revocâſſe, quem idcirco *Renatum* nominârit.

Quæres I. *Quid ſit Confirmatio, qua materia, qua forma?*

Reſp. I. Confirmatio *eſt Sacramentum, quod baptizatis confertur cum impoſitione manuum Epiſcopi, & ſacri chriſmatis inunctione.* Sic de- 742
ſcribit Venerabilis Pater Petrus Caniſius in ſuo Catechiſmo majore, uberiùs Laymannus *Libr. 5. tract. 3. cap. 1.* his verbis: *Confirmatio eſt novæ legis Sacramentum, quo baptizatus ex Chriſti inſtitutione ſpiritualis gratiæ augmentum ac robur accipit per chriſmatis in fronte unctionem ſub certa verborum forma ab Epiſcopo datam.* Porrò hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum in ultima cœna, fert communior opinio Doctorum.

I. Materia *remota* hujus Sacramenti eſt Chriſma, id eſt, *Unguentum confectum ex oleo, & balſamo, atque ab Epiſcopo benedictum.* Ita definit 743
Concilium Florentinum *in Decreto Eugenii.* Patrum teſtimonia ſuggerit Caniſius, atque alii. Et ita quidem, ut balſami admixtio ſit non ſolùm *de præcepto*, ſed etiam *de eſſentia.* Pax Jordanus *Elucubr. Tom. 1. Libr. 3. tit. 2. n. 33.* cum communiore contra multos relatos à Tannero *hic quæſt 4. dub. 1.* Bonacina *hic punct. 3.* Laym. *loc. cit. c. 1.* Pa ao *hicp. 2.* hanc enim *eſſentialem* neceſſitatem ſatis indicat Concilium Florentinum. Hinc reſolves hunc

Caſum.

744 *XIſtus Epiſcopus deficiente chriſmate adhibuit pro confirmandis ſolum oleum infirmorum. Quid de illo ſentiendum?*

Reſp. Hi erunt rurſum confirmandi. Quintanad. *ſingul. Tr. 3. ſing. 3.* referens hunc Caſum; quia omnis dubius de legitima Confirmatione debet rurſum confirmari. Infrà *num. 763.* Atverò Epiſcopus ille peccavit *per ſe loquendo* mortaliter, adhibendo ſcilicet materiam ſummè dubiam. Si tamen id feciſſet circa conſtitutos in articulo mortis, excuſarem; quia talis neceſſitas reddit inculpabilem praxin contrariæ opinionis probabilis. Si autem potuit Confirmatio differri in aliud tempus, puto, quòd nec Quintanad ven. nec contrariæ opinionis 745
auctores Cajetanus, Sotus, Valentia, Navarrus, Covarruvias apud Tannerum *loc. cit. n. 16* eſſent propter ſolam difficultatem dimittendi illos, qui jam ſunt in templo præſentes, & aliquot horis jam expectârunt, permiſſuri uſum ſolius olei infirmorum.

III. Sufficit tamen, qualiſcunque regionis 745
balſamum ſit. Jordan. *n. 31.* & dummodo ſit in ea quantitate, ut ſuo odore ſufficienter ſe prodat; quamvis in ſingulis partibus olei non ſit aliquid balſami *formalis.* Idem *num. 22.* poſt Bonacin. & Coninck *in 3. p. q. 72. a. 11. num. 6.* Adeò ut probabile ſit, valere illud chriſma Græcorum, in quo ultra oleum, & balſamum continentur triginta tres aliæ ſpecies, quæ ſimul in vino, & oleo conſecrantur, & quidem in magna quantitate, ex quibus ita coctis ſit maſſa non liquida, ſed tamen mollis, qua frontes Confirmandorum unguntur. Sic teſtatur, & conſultus reſpondit Cardin. de Lugo *Reſp.*

moral. lib. 1. dub. 8. meritò addens, corrigendum illum morem Græcorum, si introductus est primùm post Concil. Florentin. Americanum Chrisma tametsi nigrum meritò admittit Dom. Reding. *Tom. 5. Theolog. Scholast. q. 10. art. 2. controvers.* 1. Debere autem illud chrisma esse ejus Anni, quo quis illud adhibet, constat *ex Cap. Si quis de alio, De consecr. dist. 4.* Ita ut Jordanus *loc. cit. num. 39.* damnet peccati mortalis utentem veteri. Sicut autem potest Papa impertiri simplici sacerdoti potestatem confirmandi. Infrà *num. 109.* ita & consecrandi chrisma. Cajetan. *3. p. q. 72 art. 4.* Suar. *hîc disp. 33. sect. 2* Barbos. *De offic. & potest. Episc. alleg. 31. num. 14.* contra Jordanum *loc. cit. num. 7.*

746 IV. Materia *proxima* est unctio per modum Crucis facta in fronte, cum impositione manuum, ut patet ex definitione, & etiam ex formula: ita ut si unum horum desit, non subsistat Sacramentum. Suarez *Disp. 23. sect. 3.*

Quanquam per manûs impositionem non intelligitur alius tactus, quàm qui fit ungendo; ut docet praxis Ecclesiastica.

747 V. Tactus ille debet esse *immediatus*, non autem *mediante instrumento*. Suarez *ibid.* Jordan. *loc. cit. num. 31.* non improbabiliter contrarium defendente Tannero *cit. q. 4. num. 19.* & Antonio Quintanad. *sing. Tr. 2. sing. 3.* cum Leandro, Hurtado, & Heredia, suadentéque ita fieri tempore pestis. Fieri quidem debet pollice dextro, valeret tamen, si sinistro, aut torâ manu. Jordan. *loc. cit. num. 40.* Non autem per prædictam impositionem manûs intelligitur alapa, quam Episcopus infligit, quandoquidem ejus omissio non continet culpam nisi venialem. Jordan. *loc. cit. num. 43.* post Bonac. *cit. d. 3 punct. 4.* Barbosa *de offic & potest. Episc. alleg. 30. n. 16.*

748 VI. Forma est hæc: *Signote signo crucis, & confirmo chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Omnia hæc verba (exceptâ particulâ *Et*, & fortè *In*) esse de essentia, tradunt ex Flor. Concil. cit. DD. atque alii passim, ut proinde invocatio Trinitatis, sit æquè necessaria in hoc Sacramento, atque est in Baptismo. Vide tamen omnino Dominum Reding *loc. cit. controvers. 3.* ostendentem, illam formam non fuisse *taxativè* determinatam à Concilio, seu cum reprobatione aliarum, quandoquidem olim valuerunt aliquæ aliæ *essentialiter inadæquatè* diversæ.

Quæres II. *Quis sit Minister hujus Sacramenti?*

749 Resp. Minister hujus Sacramenti Ordinarius est Episcopus, ut fatentur omnes, patétque tum ex traditione universali Ecclesiæ, tum ex pluribus Canonibus. Non debet tamen dubitari, quin Papa possit alicui simplici sacerdoti impertiri potestatem illud administrandi, quandoquidem certum est, quòd Leo X. eam contulerit FF. Minoribus in terris infidelium; quod etiam fecit Adrianus VI. ut videre est apud Lugonem *loc. cit. dub. 6.* Suarez *Disp. 36. sect. 2.* Quintanadven. *Sing. 5.* & alios; qui rectè observant, non hinc sequi, quòd simplex sacerdos possit *valide*, esto non *licitè* id facere, propriâ auctoritate; etenim usus antiquissimus docet, Christum Dominum ita conjunxisse hanc potestatem *in actu primo* cum charactere sacerdotali, utnon dederit vim exeundi *in actum secundum* sine commissione sui Vicarii.

Tametsi verò nonnullis Abbatibus fuerit 750
concessa potestas exercendi omnia Pontificalia, exceptis duntaxat collatione Ordinum & consecratione altarium, & Ecclesiæ, declaravit tamen Gregor. XIII. apud Cardinal. de Lugo *loc. cit. dub. 7.* eo privilegio non comprehendi facultatem Confirmandi; nam hæc facultas non intelligebatur in clausula: *Omnia*, quandoquidem in generali concessione non veniunt ea, quæ singulari notâ digna sunt. Nec innuebatur *indirectè* per illam exceptionem, quia exceptio firmat regulam quidem, non tamen amplat illam contra ejus naturam. Tiraquel. *De Retract. linguag. gloss. 14. n. 93.*

Valide autem confirmat Episcopus, etsi non 751
sit ipse confirmatus: non enim à charactere Confirmationis, sed Episcopalis Ordinis proficiscitur hæc potestas ut proinde debeat ipse Episcopus esse consecratus, nec sufficiat, esse præditum jurisdictione Episcopali.

Tenetur autem Episcopus sedulò adminis- 752
trare hoc Sacramentum; ita ut graviter peccet, si multo tempore negligenter omittat confirmare. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 30. n. 9.* Adeóque mortaliter. Palaus *cit. Tr. 20. p. 9.* quia scilicet magno fructu spirituali privat oves sibi commissas. Unde tenetur chrismatis tantùm conferendi gratiâ ad loca suæ diœcesis accedere, & tunc laici, vel rectores Ecclesiarum non tenentur ad illius expensas. Barbosa *num. 10.* Excipe: nisi longæva consuetudo fecerit jus exigendi. Sic ego aliis tacentibus. Sed cùm hæc res sit juris *humani*, videtur planè rationabilis, longáque consuetudo posse locum habere in contrarium, ac nominatim, quando redditus Episcopales sunt parvi, & subditi negant Episcopo, quæ de jure communi tenerentur præstare.

De dilatione autem Pax Jordanus Episcopus 753
Tragurienſis in Dalmatia *Tom. 1. Elucubr. lib. 3. tit. 2. n. 14.* sic scribit: Non definiunt DD tempus ipsum moræ peccaminosæ ad hunc effectum, sed arbitrarium esse dicunt pro amplitudine diœcesis, populorum numerositate, curarum multitudine, aliisque circumstantiis definiendum, inclinando semper ad frequentiam magis, quàm ad tarditatem. *Generaliter tamen loquendo* non putarem, esse damnabilem usum nostrarum partium, & multorum Episcoporum alternis Annis ministrandi, quia non videtur dilatio culpabilis, & negligentia peccaminosa. Neque tamen propterea intelligo, præcisè damnare longiorem moram trium, vel plurium annorum intercedente rationabili causâ. Ita hic præsignis Episcopus, meritò non damnans absolutè dilationem illam, utpotè sæpe vacantem culpâ omni.

At sine omni dubio incuteret idem Episcopus metum noxæ lethalis, si differret ad octo, vel decem Annos ministrationem ejusmodi Sacramenti, nisi moralis impossibilitas patrocinaretur. Utinam, Ecclesiarum Antistites forent crebriùs memores exempli editi à S. Maurilio ac, repræsentati à nobis suprà *n-740*, haud multi illorum contremiscerent in die universalis discussionis, instituendæ sine acceptione personarum.

754 Porrò hoc Sacramentum esse conferendum cum stola, mitra, baculo pastorali, respondit Sacra Congregatio apud Barbos. *n. 12* & Jordan. Cùm essem in comitatu Reverendissimi, & Illustrissimi Domini Jodoci Episcopi Lausanensis, S. R. I. Principis visitantis totam, quà Catholica est, diœcesin, Confirmationis causâ, vidi non semel illum, se se rursum omnibus vestibus Sacris, & quidem bis, térve in horæ dimidium induentem proprer unum, alterúmve rusticellum, qui allatus erat jam peracto solenni actu, finitísque precibus. Alia spectantia ad Episcopum dicam *Casu sequenti.*

755 Quæres III. *Quod sit subjectum hujus Sacramenti?*

Resp. Omnis, & solus homo baptizatus, & nondum confirmatus, ut declarabo *Casu sequenti.* Sit igitur.

CONFIRMATIONIS ACCIDENTIA.

CASVS. XXII.

Hispanicus.

SVMMARIVM.

Casus Episcopi confirmantis duos capite damnatos. 756.
Cur Germani Episcopi non soleant hoc Sacramento munire damnatos capitis? 760.
Accidentia Confirmationis generatim. 761.
Qualis requiratur dispositio? 762.
Quid, si quis dubitet, sitne confirmatus? 763.
Intentio in suscipiente quæ sufficiat? 764.
Quæ ætas? 765.
Non est necessariò præmittenda confessio. 767.
Non extat lex obligans ad hoc Sacramentum. 771.
Leodii non confirmatus nequit inire Matrimonium. 772.
An ad ordines sacros promovendus? 773.
An sit mortale conferre extra Ecclesiam? 774.
Episcopus confirmans in aliena Diœcesi punitur. 777.
Quavis horâ licitè administratur. 778.
Non est necessaria fascia. 779.
Confirmatis sine patrinis. 780.
Patrinus Confirmationis debet tangere. 781.
Constantiæ confirmantur persæpe sine patrino. 782.
Obligatio patrini. Ibid.
Monachus nequit esse patrinus secularis. 783.
Nisi in Casu necessitatis. 784.
Non permittitur hic nisi unus, & una. 785.
Reprehenditur, qui plurium est in uno die patrinus. 785.
An patrinus hujus Sacramenti debeat esse diversus à patrino Baptismi? 787.
Quis designet hos patrinos? 788.
Possitne confirmans esse hic patrinus? 789.

ILlustris admodum, Reverendissimúsque 756
Episcopus quidam me præsente, duobus suspendendis confessis, & communicatis Sacramentum Confirmationis Vigiliâ Apostolorum Philippi & Jacobi Anno 1589. contulit.

Voco hunc Casum Hispanicum, quia in Hi- 757
spania contigit, non ille solus, sed plures alii similes, uti colligo ex nostro P. Antonio Quintanadvenn s, qui, cùm *sing. Tr. 2. sing. 2. nu. 2.* retulisset hanc narratiunculam ex Vivaldo scriptore Hispano *in Candelabr De Extrem. Unct. n. 41.* subdit similem his verbis.

In Regio hujus urbis Hispalensis carcere Cen- 758
turiensis Episcopus DD. Ludovicus Camargo, me vocante (an potiùs vocato?) *duobus aliis suspendendis pridie ante supplicium Anno 1641. & 1642. Confirmationem ministravit.*

Evenit satis frequenter in nostra Germania, 759
ut educati in erroribus Lutheri, vel Calvini patrato uno, vel pluribus criminibus in ditione aliqua Catholica rapiantur in vincula; aliquot autem diebus, priusquam educantur in ferale theatrum, suavissimâ Dei providentiâ adspirante, industriâ, zelóque sacerdotum quà sæcularium, quà regularium, agnoscant suos errores, detestentur illos, homologesi expient, viatico muniantur ad supremam luctam; nunquam tamen auditione percepi, quemquam illorum vel in carcere, vel loco ei vicino signatum sacro chrismate; éstque mihi verisimile, multis confessariis ne quidem venisse in mentem, facere ullam uspiam mentionem hujus Sacramenti.

Causam unicam non observavi in his parti- 760
bus moris illius Hispanici reor, hanc esse, quòd Episcopatus Allemanniæ sint amplissimi; ac proinde longè plurima loca distent itinere bidui, aut tridui à sede Episcopali, proinde aut omnino nequeant, aut non sine gravi difficultate tempori advocari Domini Suffraganei ad ungendum in supremam luctam Neophytum capite damnatum. Quia verò propter hanc difficultatem omittitur illud ministerium circa tales personas in tot locis longè dissi-

dissitis, idcirco propagatur exemplum ad loca libera illâ difficultate, adeóque vicina; tamet-
si non desit iis, quorum interest, zelus; sicut
nec deberent negare suum ministerium mori-
bundis etiam pueris, si rogarentur. Sanct-gal-
lenses *in Curs. Theolog. Tom. 9. Tr 3. q. 5.* Hisce
quasi extra ordinem dictis methodicè loquen-
do.

761 Quæres I. *Quænam sint accidentia Confirma-
tionis, quæ Theologo morali, confessario, confirman-
do. confirmatóque, & aliis quibusdam videantur
singulariter observanda?*

Resp. Sequentia. I. Dispositio, & qualita-
tes confirmandi. II Obligatio Confirmatio-
nis suscipiendæ. III. Locus. IV. Tempus. De
horum singulis singillatim sciscitando.

762 Quæres II. *Quænam igitur dispositiones, &
qualitates, seu conditiones exigantur in Confir-
mando?*

Resp. Sequentes. I. Ut sit baptizatus; nam
Baptismus est janua, & fundamentum Sacra-
mentorum. *Cap. Veniens, de presb. non Bapt.* II.
Ut nondum sit confirmatus; etenim non tan-
tùm *illicitè*, & *invalidè* iteratur hoc Sacramen-
tum. Trident. *sess. 7. De Sacrament. in genere.
Can 6.* sed etiam secundùm Bonacinam *De Cen-
suris q. 3. punct. 3.* atque alios, tam permittens
se bis confirmari, quàm bis confirmans eundem
fit irregularis, quod tamen meritò negat Bar-
bosa *De offic. & potest. Episcop. alleg. 30. num. 30.*
post Greg. de Valent. *Tom 4. disp. 5. q. 1. punct.
5.* Suarez *De censur. d. 42. sect. 4.* & alios, quia
talis irregularitas nusquam exprimitur in toto
jure, ergo neganda, per clarissimè *negativum*
textum *Cap. 15. De sentent. excom. in 6.*

763 *At dubito, utrùm sim confirmatus, necne?* Er-
go pete Confirmationem, si nequeaste exsolve-
re dubio. Nugnus *in 3. p. q. 72. a. 5.* At majus
dubium hîc requiritur, quàm pro Baptismo,
quia Confirmatio non est tam necessaria, quàm
Baptismus. Nugnus *ibid.* & Franciscus Bardi
De conscientia fol. 17. qui Bardi *fol. 718.* prio-
rem doctrinam meritò extendit ad Casum, quo
dubitas, an fueris confirmatus cum debita ma-
teria.

764 III. Ut habeat intentionem suscipiendi hoc
Sacramentum; intentionem, inquam, seu
Christi, & Ecclesiæ, (qualem pro infantibus,
sicuti & in Baptismo, ita etiam hîc sufficere,
tenent omnes, ita docente usu;) seu propriam,
qualis pro adultis sufficit, si sit *habitualis*, de-
scripta à nobis *Casu X.* adeóque *interpretativa.*
Palaus *cit. Tract. 20. punct. 7. num. 8.* qualis
præsumenda est de illo adulto amente, qui ali-
quamdiu ante amentiam fuit usus ratione, nec
scitur tempore mali statûs incidisse in amen-
tiam. Palaus *loc. cit.*. Si verò nunquam fuit
compos rationis, nec putatur futurus, confir-
mandus est, habendúsque loco infantis. S. Tho.
q. 72. art. 8. ad 2. Coninck *ibid. num. 83.* Sua-
rez *Disp 35. sect. 2.* quia tales sunt utique capa-
ces effectûs principalis, qui est augmentum
gratiæ sanctificantis. Non tamen sunt repre-
hendendi parentes, qui secuti morem diœce-
num tales non præsentant Episcopo. Laymann.
cit. Tr. 3. cap. 5. n. 3.

IV. Ætatem quod attinet, nulla est nimis 765
matura, nulla nimis sera. Possunt itaque *va-
lidè*, ut omnes consentiunt, & etiam *licitè*, sal-
tem si adsit causa aliquantùm rationabilis, chri-
smate inungi infantes adhuc à matre rubentes,
ut olim fiebat; nam statim post Baptismum
liniebatur eorum frons chrismate, ut videre
est apud Suarez *cit. Disp. 35. sect. 1.* Rationabi-
lis autem causa est tum mors imminens infanti,
cui utique æternùm erit melius, si moriatur
unctus in fronte, qui priùs unctus erat in vertice; nam augmento gratiæ succedit incremen-
tum gloriæ; tum quando Episcopus rariùs con-
firmat in tali loco. Tannerus *cit. quæst. 4.
num. 37.*

Si tamen abstrahamus à periculo mortis, & 766
aliis incommodis, magis expedit, ut differa-
tur collatio hujus mysterii usque ad primum
septennium ætatis, tum ut se etiam per actus
pios disponant ad fructuosiorem susceptionem, tum ut sint ipsimet memores recepti Sa-
cramenti. Sic sentiunt omnes recentiores
Theologi hactenus citati cum Canonista Bar-
bosa *De offic. & potest. Episcop. allegat. 30. num.
17.* & Catechismo Romano *Part. 2. cap. 3.*
quibus junge D. Reding. *loc. cit. controvers. 2.*
perbene declarantem hæc omnia.

V. Licèt verò, quando adulti confirmandi 767
sunt, non sit absolutè opus præmittere confes-
sionem, sed sufficiat contritio conscii peccati
mortalis, vetant tamen Constitutiones Con-
stantienses *loc. cit. Ne ullus, qui ad Annos dis-
cretionis pervenit, accedat ad Confirmationem,
nisi priùs de peccatis confessus.* Sed hæc consti-
tutio non utique obligat sub mortali, sicuti
demonstrat ipsa praxis. Dolet autem meritò
Marchantius, sæpe fieri, ut rusticani homines
derepente, & sine instructione ulla præmissa à
parochis convolent in templum, & pauculis
precibus fusis concurrant ad altare, ad quod
peragitur hoc Sacramentum. Sufficere, si Epi-
scopus reus fortè gravis peccati eliciat contri-
tionem, est in confesso apud omnes.

VI. Dubitari non debet, quin impertien- 768
dum sit hoc Sacramentum moriturientibus, si
petant. Palaus ex instituto *cit. Tr. 20. punct. 7.
num. 10.* post Laymann. *hic cap. 5. n. 3.* Coninck
in 3. p. q. 72. a. 8. n. 83. Patet exemplo & Casu
nostro Hispanico; pro cujus confirmatione,
sicuti & doctrinæ allatæ *num. 765.* describo
textum ipsius S. Thomæ *q. 72. a. 8. ad 4.* sic re-
spondentis: *Ad quartum dicendum est, quòd
anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, immor-
talis est. Et ideo etiam morituris Sacramentum
hoc dandum est, ut in resurrectione perfecti appa-
reant, secundùm illud Ephes. 4.* Donec occurra-
mus omnes in virum perfectum, in mensuram
ætatis, plenitudinis Christi. *Et ideo* Hugo de
S. Vi-

S. Victore *dicit*, Omnino periculosum esse, si
ab hac vita sine Confirmatione migrare con-
tingeret, *non quia damnaretur, nisi fortè pro-
pter contemptum, sed quia detrimentum perfe-
ctionis pateretur. Unde etiam pueri Confirmati
decedentes majorem gloriam consequuntur, si-
cut & hic majorem obtinent gratiam.*

769 VII. Jejunium non requiri in confirmante,
vel confirmando, declarat praxis universalis
Germaniæ, sicuti & Romana teste Jordano *Tom.
2. lib. 3. tit. 3 num. 13.* ut proinde doctrina *Cap.
Vt jejuni, De consecrat. dist. 4.* fuerit vel solùm
consilii, vel abrogata. Consentit S. Thomas
q. 72 a. 12. ad 2.

770 VIII. Debet esse subditus illius, à quo con-
firmatur, ut dicetur paulò pòst.

Quæres III. *Quæ obligatio, locus, & tempus
Confirmationis?*

771 Resp. I. Nullum grave præceptum de hoc
Sacramento extat. S. Tho. *q. 72. a. 8. ad 4.* ex,
& cum Hugone de S. Victore. Imò absolutè
nullum extare, docent Henriquez *Lib. 3. cap.
1. n. 6.* Suarez *Disp. 36. sect. 1* Coninck *q. 72.
art. 8. n. 88.* Dian. *Part. 5. Resol. 30.* Palaus *Tr.
20. dub. 8.* fusè. Sed certè Urbanus Papa rela-
tus *Cap. 1. De consecrat. dist. 5.* sic statuit: *Om-
nes fideles per manûs impositionem Episcoporum
Spiritum sanctum post Baptismum accipere de-
bent, ut pleni Christiani inveniantur.* Unde
venia eum noxam in ejus neglectu arguit Quin-
tanad. *sing. Tr. 2. sing. 4. n. 2.* Qui *sing. 4. n. 5.* præ-
miserat, si quis moribundus, aut suspenden-
dus petat hoc Sacramentum, Episcopum teneri
sub mortali administrare; citátque pro se Vi-
valdum, Suarium, Filliucium, Laymannum,
Bonacinam, alios, & confirmatur dictis *Tract.
præced. sect. 4. n 140.* Notat tamen, mortaliter
te peccare, si negligas aut ex contemptu tan-
quam rem puerilem, aut tunc, cùm conscientia
tibi dictat, te lapsurum in grave peccatum con-
tra fidem, si non munias te chrismate. Nec puto,
quemquam hîc dissentire.

772 Quin testatur Marchant. *in Resol. Pastoral.
De Sacram. Tr. 3. cap. 1.* in Leodiensi synodo
prohiberi, ne quis non confirmatus admittatur
ad Sacramentum Matrimonii. Sed & in Con-
cil. Trident *sess. 24. c. 4. De Reform.* statuitur: *Pri-
mâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum
Confirmationis non susceperint.* In quem locum
Barbosa ad quindecim DD. nominat negantes,
his verbis contineri obligationem lethalem,
eorúmque opinionem nominat probabilem.
Jordanus *Elucubr. Tom. 1 lib 3. tit. 2 n. 21.* At
Palaus *loc. cit. n. 6.* post Nugnum *in addit. ad 3.
p. q. 64. art. 4.* Tolet. *Lib. 1. cap. 71.* Bonac.
De Sacram. Disp 8. punct. 5. aliósque existimat,
contineri mortalem.

773 Puto ego, nullum Episcopum esse, qui agat
contra Tridentinam hanc dispositionem, nul-
lum ordinandum, qui fingat se confirmatum,
cùm non sit. Certè in hac urbe Constantia
ipsemet Illustrissimus, & Reverendissimus Prin-
ceps (quod facit, quoties præsens est) sive
Reverendissimus Dominus Episcopus Helio-
polit. ejus in Pontificalibus Vicarius Ordines
conferant, impertiuntur nondum confirmatis
Sacramentum Confirmationis ipso die Ordina-
tionis, quod etiam se, atque alios doctissimos
Episcopos fecisse, testatur religiosissimus Epi-
scopus Jordanus *loc. cit. n. 71.* Illud Leodiense
statutum, sicut & si aliquod conderetur de
non omittenda professione ante Confirmatio-
nem, obligaturum sub mortali, non deesse,
qui negaret, & probabiliter teste Quintanad.
singul. Tr. 2. sing. 4.

Nugnus quidem *in 3. p. q. 72. art. 12.* pro- 774
nuntiat, sibi certum videri, quòd sit mortale
peccatum, conferre hoc Sacramentum extra
Ecclesiam sine magna necessitate; sed hic scri-
ptor sæpenimis multum tribuit suis opinioni-
bus, ac rationibus, nec enim hæc certitudo
probatur, vel ex eo, quòd sit mortale conferre
Baptismum extra Ecclesiam, vel ex universali
consuetudine, nam negatur hæc consuetudo,
constat quippe, sæpissime fieri contrarium sine necessitate, attamen ex rationabili causa, ut
mox dicam. De Baptismo dicitur, extare cla-
ros Canones de loco illius, nullum pror-
sus de loco Confirmationis, ut testatur
versatissimus in jure Silvester *verb. Confir-
matio n. 5.* ex Paludano, cum quo etiam pro-
nuntiat. *Potest dari in omni honesto loco etiam
extra Ecclesiam, quia, quod non est prohibitum,
est concessum.* Hæc ratio, & duplex authoritas
tollit illam certitudinem, quam non ridiculè,
sed meritò negat. Suarez *hîc Disp. 38. sect. 2.*
quantumvis ab eodem Nugno *in eodem artic. 2.*
pronuntietur, dare ridiculam distinctionem
unius Canonis, cùm det fultam optimâ ratio-
ne, & authoritate.

Dico itaque cum Suarez, esse decens, ut con- 775
feratur in Ecclesia, nego cum eodem, iréque
cum Paludano, Silvestro, Henriquez *Lib. 3.
De Confirm. Cap. 6. §. 7* Bonacina *hîc punct. 2.
num. 14.* Barbosa *De offic. & potest. Episcop. p. 2.
alleg. 30. num. 13.* intervenire hîc peccatum
mortale, ob causam allatam, quod etiam pro-
babiliter negari, fatetur Palaus *cit. Tract. 20.
punct. 10. num. 6.* Addóque cum his DD. & cum
Emmanuele Sa *verb. Confirmatio. num. 1.* ac
Jordano sapientissimo Episcopo *elucubrat. To.
1. lib. 3. tit. 2. num. 16.* posse sine peccato (sal-
tem gravi, addit Jordanus, quod non addo)
administrari in loco honesto ex rationabili
causa, quales sunt juxta Jordanum collatio pri-
mæ Tonsuræ, vel impedimentum infirmitatis,
aut consimile; vel quando duo, aut tres, vel
parvus numerus consignatur. Sic loquitur Jor-
danus; & sic practicatum non semel, méque
consulente factum alicubi.

Nec, puto, quisquam est, qui non judicet, 776
esse laude, atque imitatione dignos illos duos
Episcopos Hispanos, qui vel in ipso carcere,
vel loco proximo carceri (quod rationabiliter
præsumo factum) inunxerunt illos tres reos
ca-

capitis pridie ſupplicii, aut ipſo die. Quòd ſi confirmanda eſſet multitudo, nullaque ſubeſſet rationabilis cauſa; tunc vix crederem, poſſe excuſari à mortali attentâ generali conſuetudine, inquit idem Jordanus. Sed hic caſus non evenit. Poſſe etiam in loco interdicto, ſicut & Baptiſmum, miniſtrari hoc Sacramentum, notant citati.

777 III. Ad circumſtantiam loci refertur, quòd Epiſcopus confirmans in aliena diœceſi etiam proprium ſubditum, incidat in ſuſpenſionem à Pontificalibus. Jordanus *loc. cit. num. 51.* propter auctoritatem Tridentini Concilii *ſeſſ. 6. c. 5. De Reform.* illimitatè loquentis. Si verò in propria diœceſi una cum aliis in communi turbâ confirmet alienum, non peccat. Si autem ſeorſim, adeóque ſciens eſſe extraneum, incurrit ſuſpenſionem juxta Bonacin. *hic punct. 2. num. 11.* & alios apud Jordanum, nullam culpam juxta Barboſam *cit. allegat. 30. num. 14.* Jordanum *num. 43.* Laymannum *hic. Cap. 6.* eò quòd videatur eſſe tunc præſumpta voluntas alieni Epiſcopi, inquit Jordanus, cui aſſentior, quando hic aliquem mittit cum dimiſſoriis. Laymann. *ibid. num. 2.* bene hoc probans.

778 IV. Fas quoque eſt, quovis die, aut horâ diei illud ſuſcipere. Barboſ. *cit. allegat. 20. nu. 12.* Palaus *cit. Tract. 20. p. 10. n 5.* atque alii, probátque conſuetudo, licèt olim conferretur ſolùm valentibus Sabbato Paſchæ, & Pentecoſtes, utpote quo celebratur ſolennis Baptiſmus.

779 V. Solent in pleriſque locis confirmandi adferre vitam, ſeu faſciam lineam, qua cingitur caput ob reverentiam Sacri chriſmatis. Hanc alicubi, ut in hac diœceſi, deponunt ſoli ſacerdotes, alibi expectatur, donec ſit exſiccatum chriſma, ut etiam obſervat Suarez *Diſp. 38 ſect. 2.* Alibi denique non eſt uſus vitæ, ſed ſtatim, (quod ipſe vidi ſæpius) poſtquam quis eſt unctus, unus ex aſſignatis ſacerdotibus ſpongiâ, vel alio linteo detergit frontem chriſmati, ac dimittit. Ita fit in Sabienſi, Ravennat. Triguriensi Epiſcopatibus, teſte Jordano *loc. cit. num. 81. & 82.* & in hoc Conſtantienſi perſæpe.

780 Et verò cùm jam totus hic XXII. Caſus à me conſcriptus eſſet, intelligo ex eo, qui interfuit, Reverendiſſimum & Celſiſſimum Principem, Epiſcopúmque noſtrum octo ferè ultimis diebus labentis Auguſti Anni 1661. cùm in diverſis urbibus, ac monaſteriis conſecraret quatuor Eccleſias, pluráque altaria, eâ occaſione impertiiſſe propè ter mille capitibus Sacramentum Confirmationis, obſervato inter cætera hoc more, ut qui patrinos non habebant (& quis tot reperiat tam brevi tempore?) confirmarentur ſine patrinis; confirmati cingerentur frontem vitâ, cincti ſecederent rectà ad locum vicinum, in quo complures ſacerdotes ſtabant, ut vitas mox ſolverent, frontes decenter abſtergerent, eas faſcias in corbem projicerent, móxque eaſdem adhiberent pro aliis confirmandis, qui carebant. Hunc morem meritò quis imitabitur, præſertim dum multitudo urgebit, & quidem etiam quoad patrinos, ſi uſus longævus, vel difficultas nanciſcendi patrocinetur. At

Quæres IV. *De his patrinis Confirmationis quid jura ſtatuant?*

Reſpondeo. De iis ſunt dicenda omnia, quæ de patrinis Baptiſmi dixi *Caſu XVII* præter ea, quæ hîc indicabo. I. Itaque decipiuntur, qui putant, non eſſe opus tangere, manúmve imponere illi, cujus ſe patrinos ſiſtunt, ſine hoc enim tactu non fit quis patrinus. II. Ridiculum eſt, quod nonnulli credunt, illos ſacerdotes eſſe ſuos patrinos, qui ſolvunt, ſeu deponunt vitam, qua fuerunt cincti ſtatim poſt chriſmationem. Nihil de hac paternitate ſciunt Theologi, nil Canoniſtæ, ut obſervant omnes relati *Caſu 17. num. 535. & ſeqq.* In hac autem diœceſi plerique omnes unguntur chriſmate ſalutis ſine ullo patrino, ut eſt notorium, idcirco quæri poteſt, utrùm cognationem hi contrahant, qui confirmandum tenent? Occurrunt mihi utrinque rationes, at ſuſpendo ſententiam, inclinans tamen in affirmativam, propter verba Conſtit. Synod. referenda infrà *num. 793.* Vide etiam dicta *num. 542. Caſu XVII.*

III. Non incumbit huic patrino tanta obligatio confirmandi in fide (quod ejus officium proprium eſt) ſuum filiaſtrum, ut nominat *Cap. Si quis filiaſtrum. 30. quæſt. 1.* quanta Baptiſmi patrino ſuum. Laymann. *hîc Cap. 2.* Bonacina *hîc punct. 4.* Henriquez *Cap. 7. num. 3.* atque alii; certè hac ætate vix eſt, qui ſeriò cogitet de hac obligatione. 782

IV. Sicut non baptizatus nequit eſſe patrinus Baptiſmi, ita neque chriſmationis non chriſmatus. *Cap. In baptiſmate. Diſt. 4. De conſecr. ibid.* Sanchez. *De Matrim. Libr. 7. diſp. 60. nu. 20.* Contrariam tamen ſententiam vocat probabilem loquendo de valore, & de immunitate à peccato mortali. Quintanad. *loc. cit. ſing. 7.* cum aliis.

V. Etſi Monachus nequit eſſe patrinus hominis ſæcularis, ob prohibitionem *Cap. Non licet. De conſecr. diſt. 4.* & alia, de quibus diſſeruimus *Caſu XVII. num. 556.* attamen poteſt eſſe monachi. Barboſa *De offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 30. num. 36.* Palaus *cit. Tract. 20. punct. 10.* atque Jordanus *cit. Tit. 2. num. 64.* quia reſpectu horum ceſſat integre ratio Legis, quæ ſicuti in Baptiſmo probabiliter non eſt *irritativa*, ſed ſolùm, & ſub mortali quidem, *prohibitiva* paternitatis inter Religioſum, & ſæcularem ſecundùm Barboſ. & Jordan. ita neque hîc ſecundùm eoſdem, pluréſque alios, maximè Quintanad vennam mordicus *loc. cit. ſing. 8.* negantem, intervenire hîc aliquam culpam; certè compatres hujus Sacramenti non exponuntur tot incommodis, quot compatres Baptiſmi, quia minùs curantur. Vide dicta *num. 557.* 783

Imò

784 Imò ſi Epiſcopo annuente propter neceſſitatem teneat Religioſus confirmandum, rectè facit teſte Jordano *n. 65.* qui *n. 66.* teſtatur, ſe in ſua diœceſi non admiſiſſe Clericos ad hoc officium. At habeo ego mille conteſtes de contraria conſuetudine in Germania, nemini, quantum ſcio, ſcandaloſa.

785 VI. Non permittitur hîc unus & una ſimul, ſed ſolùm unus, vel una, juxta Conſtitut. Synodal. Conſtantienſ. itémque Palaum *Punct. 10.* ac Jordanum *loc. cit. num. 74.* teſtantem, ſe ita vidiſſe practicari in plurimis civitatibus Italiæ. Verùm quia verba Concilii Trident. *Seſſ. 24. Cap. 2. De reform. Matrim.* videntur tam *ampliativè*, quàm *reſtrictivè* ſtatuere de patrinis hujus Sacramenti, idcirco contraria opinio placet Navarro *in ſumma cap. 22. n. 40.* Toleto *libr. 2. cap. 24. n. 11.* Sanchezio *de Matrim. Libr. 7. Diſp. 57. n. 12* & aliis, quos utrò ſequêris, ubi non repugnaverit conſuetudo.

786 VII. *Non rectè ſe gerit Epiſcopus permittens paſſim, & abſque delectu unum ſuſcipere uno die quatuor, vel plures, nullâ ſubſiſtente rationabili cauſâ.* Sic loquitur Jordanus *loc. cit. num. 8.* propter expreſſam Rubricam Pontificalis. Verùm tam ipſe, quàm Palaus *cit, p. 10.* ante ipſum, & ante utrumque Barboſa *cit. allegat. 30. num. 52.* meritò excuſant, quando conſtat, illum, qui vult tenere plures, eſſe virum probum, ſenem, carentem omni ſuſpicione malæ intentionis, aut quando deeſt copia carentium impedimentis. Vidi ego ſæpius ita factitari, quando alii non habebantur in promptu, aut etiam præciſè, quando rogabantur. Quintanadven *loc. cit. ſing. ult.* contendit, hoc poſſe liberrimè practicari, quia Pontificale continet ſolùm inſtructionem, non verò præceptum.

787 VIII. Barboſa *loc. cit. num. 51.* ait, eſſe maximè animadvertendum, ut patrinus Confirmationis ſit alius à patrino Baptiſmi, eò quòd *in cap. In catechiſmo. diſt. 4. de conſecr.* id non permittatur extra neceſſitatem. Sed non ſcio, utrùm hoc capitulum ſit in Germania receptum. Certè Sylveſter *verb. Confirmatio. in fin.* negat, eſſe uſu receptum, ſicut Quintanad. *loc. cit. ſing. ult*

788 IX. Sicut *Caſu XVII.* diximus, eſſe parochi deſignare patrinos Baptiſmi, quando non deſignant parentes, ita patrinos Confirmationis deſignat in defectum parentum Epiſcopus confirmans. Jordanus *loc. cit. n. 78.* Alia de qualitatibus patrinorum, & effectibus paternitatis, aut compaternitatis pete *ex cit. Caſu. XVII.* & conſidera ipſe, quid fuerit à me reſpondendum ad ſequens novum dubium de patrino Confirmationis, perſcriptum ad me Anno 1664. à quodam tunc moralis, nunc Scholaſticæ Theologiæ peraccurato profeſſore hiſce verbis:

789 *Dubium occurrit circa miniſtrum, & patrinum Confirmationis. An nempe idem ſimul eſſe licitè poſſit confirmans, & patrinus. Nam poſſe validè, non videtur difficultas. Fuit hic Caſus hic loci à quodam parocho propoſitus mihi, quem cùm in nullo authore reperirem, reſpondi ex generalibus principiis, quod mihi tunc occurrebat, & dixi, videri mihi licere. Cùm nullum præceptum, vel textus juris Canonici ſtet in contrarium, quis enim ille? Reſpondet ille, non licere in Baptiſmo, eò quòd communis Doctorum, & Canoniſtarum contrarium doceat, nullum autem juris textum (quem ſcire avebam) in medium adduxit, ſed ex Reverentiæ Veſtræ Alphabeto Baptiz. legit mihi Caſum illum, qui à quodam Decano Reverentiæ Veſtræ propoſitus eſt, & quem ibi ita reſolvit, ergo nec in Confirmatione. Jam contra eſt meum dubium. Videtur enim eſſe aliqua diſparitas inter patrinum Baptiſmi, & Confirmationis. Nam ille debet loco baptizandi reſpondere miniſtro interroganti, non item iſte. Deinde non videtur eſſe illicitum, ſi miniſter ſit patrinus principalis, & conſtituat alium Vicarium ſuo loco tenentem infantem, & reſpondentem, ergo nec videtur eſſe illicitum, ut idem ſit patrinus, & miniſter principalis Confirmationis.* Ita ille, quid reſponderim, haud memini.

Dico autem nunc, in primis ſicuti ſuprà *num. 585.* retuli noſtrum P. Adamum Burghaber exiſtimantem, officium patrini *licitè* obiri ab ipſo baptiſta, tam *immediatè*, quàm per procuratorem, ita etiam conſequenter eſſe id ipſum pronuntiaturum de Epiſcopo, cui quia non multum repugnavimus quoad conſtitutionem procuratoris, ita nec multum contradicimus etiam reſpectu Epiſcopi confirmantis, ſi conſtituat procuratorem, non autem ſi non conſtituat procuratorem; licèt etiam tunc non adſit illud abſurdum, quod *cit. num. 585.* adduximus de eodem ſcilicet interrogante, & reſpondente, attamen S. Thom. *hîc q. 72. art. 10. ad 2.* ex communi ſenſu Eccleſiæ ſcribit, *confirmandum exhiberi Epiſcopo ab alio jam militiæ chriſtianæ adſcripto.* Unde licèt non reperiam canonem, qui diſertè vetet, ne Epiſcopus confirmans obeat etiam officium patrini, (de hoc extant canones *cauſ. 30. q. 1. & 2.* item *in cap. 200. 201. 202. De conſecrat. diſt. 4.*) ſicut nec Doctorem, ſufficit mihi tamen authoritas S. Thom. & Eccleſiæ, ex cujus more loquitur S. Thomas approbatus ab omnibus, certè à nullo rejectus. Fateor, Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat. 30.* itémque Pacem Jordanum *Elucubration. Volum. 2. lib. 3. tit. 2.* etſi perquam diſtinctè diſſerant de qualitatibus ſuſceptorum tam in Confirmatione: quàm Baptiſmo, ſicut & P. Suarez *in citat. articulum decimum* S. Thomæ, & P. Tamburinus de *Sacramentis lib. 3, cap. 4. de Confirmatione*, non excludere tamen ab hoc officio baptizantem, aut confirmantem, at ſicut non excludunt, ita nec includunt. Imò, quia penitus ſilent, indicio eſt, eos nihil ſciviſſe de ulla conſuetudine, aut facto ejuſmodi, alioquin tuliſſent ſu- 790 791

um de eo judicium, ergo absque omni dubio repugnaret consuetudini Ecclesiæ, quæ in sacramentalibus pro lege habenda est, qui confirmaret, & teneret simul. At non peccaret juxta Tamburinum *loc. cit. num. 16.* contra Emmanuelem Sà, & Bonacinam, qui etiam extra necessitatem teneret in Confirmatione proprium fratrem, peccaret autem conjugatus, qui propriam prolem legitimam, aut uxorem, valeret tamen probabiliter juxta eundem Tamburinum hic actus.

792 X. Prohiberi quidam solet ex Rubricis Pontificalis, ne quis ex confirmatis discedat è loco Confirmationis, antequam Episcopus confirmans dederit benedictionem. Verùm Laymannus *hic cap. 2.* dicit, hanc prohibitionem seu monitionem omittendam esse, quando tantus populus confluit, ut alii debeant succedere aliis. *Profectò necessarium esse videtur, si Episcopus ad confirmandos fideles longo tempore non accesserit, ut modus aliquis ineatur succurrendi, ne ob tantum concursum homines deliquia patiantur, infantes comprimantur, &c.*

793 Hâc monitione claudit Laymannus ultimum caput sui Tractatûs de Confirmatione. Ego hunc penultimum Casum hujus Alphabeti, si priùs adscripsero, ad refricandam aliquorum memoriam, verba Constitut Synod. Constant. *cit. Tit. 7. n. 7.* sic conformiter juri Tridentino, & communi sensui loquentium: *Quod* (ne videlicet susceptores Confirmationis, quos susceperunt, vel eorum parentibus aliquid tale donent, ex quo occasio hoc Sacramentū iterandi, quod sæpiùs commissū est, præbeatur) *ut præcaveri, & meliùs etiam de cognatione spirituali judicari queat, mandamus parochis, ut confirmatos, & eorum compatres, annum, mensem, diem collatæ Confirmationis servatis cæteris omnibus, quæ de libro baptizatorum præscripsimus, in speciali libro, quantum fieri potest, inscribant.*

Appendicula.

COnstantiensem Synodalem Constitutionem hoc loco relatam describit & me Stephanus *in Theol. moral. Tr. 5. Disp. 3. Dub. unic.* subditque hæc verba: *Verè multi abusus committuntur ex eo, quòd hoc* (ut videlicet parochi diligenter in librum referant nomina tum confirmatorum, tum horum Patrinorum) *non ubique observetur. Scio ego, aliquos notabiles commissos esse, propter quos solos optandum foret, ut illud mandatum* (Constantiense) *ubique obligaret, & ab omnibus Parochis observaretur.* Ita ille, cujus experientia recèns juncta antiquis à Constitutione ipsa insinuatis, meritò exstimulet diligentiam Dominorum Decanorum Ruralium, ut videlicet accuratè lustrent libros suorum Capitularium, atque explorent, sintne hac in re studiosi observatores suarum constitutionum, sicuti monentur in simili de libro baptizatorum, retulíque suprà *n.* 587. Idem Stephanus approbat, quòd suprà dixi de perpetuò amentibus Chrismate ungendis, sicut nec ei displicet, quod dixi de hoc Chrismatis Sacramento impertiendo damnatis ad suspendium.

CONFIRMATIONIS EFFECTUS.

CASUS XXIII.

Rursum Constantiensis ac Miraculosus.

SUMMARIUM.

Casus pueruli sanati Sacramento Confirmationis 794.
Sanitas corporis quandoque obtinetur per hoc Sacramentum. 797.
Probatur Exemplis. Ibid.
Et testimonio Prudentii. 798.
Ampulla chrismate plena non frangitur. 799.
Proprii effectus hujus Sacramenti. 800.
Per Confirmationem efficimur perfecti Christiani. 801.
Robur animi ad fidem profitendam, quomodo tribuat hoc Sacramentum? 802.
Gratia sanctificans quanta conferatur? 803.

794 *ZOsimus puerulus quadrimus è silva Brigantina diœcesis Constantiensis, paucis post nativitatem mensibus ita fuit quâ febri, quâ aliis ægritudinibus debilitatus, ut ad illam usque ætatem pedibus consistere non posset. Ad hujus parvuli parentem cauponem divertit Reverendissimus, ac Amplissimus Dominus Joannes Jacobus Mörgel Episcopus Sebastiensis, Suffraganeus Constantiensis Canonicus, Custósque Cathedralis Ecclesiæ Constantiensis, præclarè de hac, liberalissimè de Collegio hoc nostro meritus. Divertit verò, quia ad eas partes excurrerat sacri chrismatis conferendi gratiâ. Vbi conspexit Zosimum jam grandiusculum, residentem in sinu patris, ac vultu exanguem, pallidúmque, quæsiit ex patre, cur ita palleret filiolus? Cui ille:* Gratiose Domine, febris frigida, aliique morbi ita illum afflixerunt pene ab ortu, ut semper gestari debuerit instar semestris infantuli, ingredi planè nunquam potuerit. *Tum Proëpiscopus bene precatus puerulo, sermonem, cogitationésque divertit ad alia. Die insequenti linit sacro unguento ingentem turbam hominum, intérque hos Zosimum,*

simum, sed quem nescieb.t esse Zosimum: delibutum chrismate reportat pater ad locum, in quo priùs genua flexerat. Vix cœperat precari Deum, cùm puer dicit: Pater, sine me ambulare, puto, posse me ambulare: *Ait pater:* Tace, estóque modestus. *Sed repetit puerulus, quæ dixerat, acquiescit verbis pater, & mox stupentibus vicinis stupens ipse videt suum Zosimum saltitantem. Reduci ad hospitium Domino Proëpiscopo recensetur miraculum, aguntur Deo gratiæ, priùs tamen accuratè inquiritur in rei veritatem, atque ad prandium dulcissimo hoc saccaro conditum discumbitur.*

795 Hunc sanè prodigiosum eventum, effectúmque Confirmationis narravit me præsente, animúmque probè advertente ipsemet Reverendissimus D. Joannes Jacobus in domo sua Canonicali decumbens è podagra Anno 1626. atque ut tantò certiùs posset illud hisce Annis referre aliis, de eo serió interrogavi Reverendum Dominum Mauritium Hiller, Sacellanum ad S. Pauli hujus urbis mense Martio 1657. pauculis diebus, antequam ex ægritudine lethali, qua tunc laborabat, diem extremum obiret. Qui quidem plus quàm viginti Annis egerat capellanum illius Reverendissimi Domini Suffraganei. Is verò respondit, se quidem id temporis, quo illud prodigiosum miraculum contigerat, nondum fuisse illi Domino à sacris officiis, attamen non semel audivisse ex ejus ore, quæ hîc scripta legis mi Lector; legis, inquam, & credis, omnes enim, qui illum insignem Prælatum nôrunt, sciunt, alienissimum fuisse à fucis, & figmentis. Dat igitur hic eventus ansam.

796 Quærendi. *An igitur Confirmationis effectus sit sanitas corporū?*

Respond. *Per se loquendo* non est, quia nec divina Scriptura, nec traditio ulla Ecclesiastica nos docet, Salvatorem promisisse robur corporis, sicuti pollicitus est robur animi munitis hoc Sacramento.

797 *Per accidens* tamen, adeóque propter preces Ecclesiæ non semel effectum est, ut suas vires exerceret etiam in corpus. Preces autem illæ sunt, quæ funduntur ab Episcopo benedicente sacrum oleum, & chrisma, nam in benedictione olei postulatur *plenissima benedictio animorum, & corporum.* Benedictione chrismatis petitur, *ut effugetur omnis incursus diaboli*, ut videre est in Pontificali. Hinc in Suecia à S. Remberto inunctus chrismate cæcus recepit visum. Bollandus 4. *Februar. fol. 565.* Sicut & puer confirmatus à S. Foro Episcopo Meldensi. Surius 28. *Octobris.* Lunaticum quoque puerum hoc eodem chrismate sanitati reddidit S. Malchus Episcopus Lesmor, teste S. Bernardo in vita S. Malachiæ. Plura referre possem, si luberet; multorum instar est nostri Zosimi, sicuti effugatorum, aut coërcitorum dæmonum per hoc Sacramentum redditur luculentum testimonium à Prudentio in Apotheosi, ubi differens de impio Imperatore Juliano sic canit:

Ipse quoque exanimis posito diademate Princeps 798
Pallet, & astantes circumspicit, ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo,
Quo Zoroastræos turbaret fronte susurros.

Cæterùm utrùm sit fas uti sacro chrismate 799
ad puerperium facilitandum, aliâque corporalia mala curanda, dixi *Casu V.*

Venerationem erga hoc sacratissimum, antiquis Patribus valde pretiosum unguentum meritò augeat, quod Bredembachius *Lib. 1. Collat. Sacr. Cap. 235.* scribit, ampullam illam chrismate plenam, quam Episcopi Donatistæ per fenestram in saxa dejecerunt, Angelicas manus suscepisse, illæsámque inter saxa resedisse.

Quæres II. *Qui sint proprii effectus Confirma-* 800
tionis?

Resp. Primus, & clarissimus est character, de quo suprà *Casu XIX. num. 649.* Qui quidem character omnibus baptizatis & nondum confirmatis imprimitur eo modo, seu eâ dispositione, cum qua imprimi baptismalem, dixi *n. 307.*

Secundus est robur animi ad profitendam fi- 801
dem S. Tho. *q. 72. a. 5. ad 1.* ex communi sensu Ecclesiæ. Nam in hunc sensum scribit S. Clemens Papa *Epist. ad Julium: Nisi confirmatus, perfectus esse Christianus nequaquam poterit.* Et S. Melchiades Papa relatus *c. 1. De Consecr. dist. 5 Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum sanctum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Dicimur autem fieri per Confirmationem perfecti, seu pleni Christiani, quia per illam fimus quasi viri, sicut per Baptismum fimus quasi modò geniti infantes, ut videre est partim *Canone 2. De Consecr. dist. 5.* qui est ex S. Melchiade Papa, partim apud Sanctum Thom. *loc. cit. & seqq. articulis.*

Quod quidem robur animi consistit *funda-* 802
mentaliter, atque *essentialiter* in gratia sanctificante, quæ per Confirmationem infunditur. S. Thom. *cit. q. 72. a. 7.* Et ita quidem, ut *si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequatur remissionem peccatorum.* Sic loquitur Sanctus Thom. *cit. art. 7. ad 3.* adeóque Confirmatio facit ex attrito contritum, tribuítque gratiam sanctificantem, quando reus peccati mortalis nondum deleti per pœnitentiam bonâ fi-

de suscipit hoc Sacramentum cum sola attritione.

803 Hæc tamen infusio *primæ* gratiæ non est effectus *per se* Confirmationis, sed augmentum illius est effectus *per se*, quod augmentum datur tam abundanter, ut Magister *in 4. d. 7.* Suarez *Disp. 34. Sect. 2.* atque alii plures moti aliquibus sententiis SS. PP. existiment, illam copiam gratiæ sanctificantis, quæ per Confirmationem infunditur puerulo baptizato, esse seorsim majorem eâ, quam ille idem infans accepit per Baptismum, ac proinde si per Baptismum; accepit gratiam ut tria, accedente gratiâ propriâ Confirmationis infantulum possidere gratiam ut septem.

804 Tertius effectus Confirmationis est speciale auxilium, quod DEUS intuitu characteris, gratiæque sanctificantis impertitæ per Confirmationem, seu Chrismationem, largitur homini consignato, ad superandas tentationes adversantes habitui fidei divinæ, vel hujus animosæ professioni. Quod auxilium tametsi non est semper efficax, (nam, prô dolor, multos videmus impiissimè discedere à vera religione, pro qua uncti fuerunt,) tribuitur tamen certò aliquando, non autem quovis tempore, sicuti explicant interpretes S. Thomæ *in cit. a. 7.*

Horum effectuum consideratio, ipsaque singularis præstantia Sacramenti induxit novos Christianos, ut eo renovati totis septem diebus lætos, festósque dies singulari precandi studio celebrârint, sicut ex Josepho Vice Comite *De antiq. Confirmat. ritibus Lib. 2. c. 16.* loquitur P. Joannes Nadasi in curioso simul & perquam pio Libro, cui titulus, *Annus hebdomadarum cœlestium hebdom. 39. n. 4.* Eadem hujus sacratissimi signaculi excellentia impellit, ut explanationem qualem qualem illius claudam.

More, & facto verè Augusto.

Sacro chrismati solenni ritu Confirmandos etiam cum voluptate obtulit Augustiti, eâ ipsâ manu, qua sceptrum tulit, fasciâ eorum frontem obstrinxit. Id effecti Christiano Gulielmo Marchioni Brandenburgico, paulò antè Catholicis adscripto cùm præstaret in Oratorio Collegii Viennensis Soc. Jesu, tanta in utroque pietas exarsit, ut neuter lachrymas cohibere potuerit. 806

Ita scribit, ita testatur de religiosissimo, Augustissimo Imperatore Ferdinando II. P. Gulielmus Lamormaini in ejusdem piissimi Cæsaris vita, omnium radiis virtutum illustrissima *cap. 4.*



TRA-

TRACTATUS TERTIUS SEU ALPHABETUM SACRIFICANTIVM,

Quo

XXIII. Casibus Cardinalibus,

ET PERMULTIS ALIIS FACTIS, non *FICTIS*

Explicatur universa Materia Practica celebratæ.

MISSÆ.

Series hujus Tractatus.



Explicabo in hac quinta Editione hujus Alphabeti 1. *An, & quomodo Missa sit verum sacrificium.* 2. *Quæ materia hujus sacrificii.* 3. *Quæ forma.* 4. *Quis Minister.* 5. *Quis fructus; cui, & quomodo applicari debeat.* 6. *Quoties in die sacrificandum.* 7. *Quo tempore.* 8. *Quo loco.* 9. *An in altari.* 10. *Cum quibus paramentis.* 11. *Cum quibus vestibus.* 12. *An sine Ministro.* 13. *An non jejuno.* 14. *An non confessus.* 15. *An censurâ irretito sacrificandum.* 16. *Quinam, & quomodo obligati ad sacrificandum.* 17. *Quo stipendio.* 18. *Quomodo pro defunctis.* 19. *Quomodo in altari privilegiato.* 20. *De quo sacrum legendum, & nominatim de Beatis, itémque contentis in Martyrologio.* 21. *Quale sacrum legendum; ubi fusè de sacris votivis.* 22. *Quibus cæremoniis sacrificandum.* 23. *Quomodo corrigendi errores inter sacrificandum admissi.*

AN, & QUOMODO MISSA SIT VERUM SACRIFICIUM.

CASUS I.

Execrandus.

SUMMARIUM.

Mulier zelotypa ad vindicandum proprio toro suspectum maritum, abutitur sacrâ hostiâ, quæ ex miraculo, secundùm dimidiam partem convertitur in carnem. 1.

Definitur, & explicatur, quid sit sacrificium? 5.

Cur Missa sit propriè sacrificium? 8. *& seqq.*

Ingeniosa explicatio Thomæ Tamburini. 9.

Sacrificium de institutione Christi, & Ecclesiæ peragitur intentione profitendi supremum Dei dominium in omnes creaturas. 12.

Ejus essentia in quo consistat? 14.

Officium, quod fit in Parasceve, non est sacrificium. 15.

Unde excusantur, qui Anno 1666. festo S. Georgii, quod incidit in diem Parasceves, sacrum non audierunt. 16.

Eucharistia, quatenus est sacrificium, differt à se, quatenus Sacramentum. 17.

Sacrificium Missæ est idem specie cum eo, quod Christus obtulit in ultima Cœna, & in ipsa Cruce 18.

Missa sicca quid? 20.

An licitè celebretur? Ibid.

Hostiæ hujus sacrificii quæ? 21.

Missa unde dicta? 22.

1 *Aphrodisia zelotypa mulier, habens virum ex adulterii fraude suspectum, qualiter sibi vendicare posset proprio toro contentum, à vicina muliere petiit consilium. Quæ nimirum perversa hoc eam sacrilegium perdocuit, ut Corpus Dominicum quasi communicatura perciperet, quod cautè reservans, viro suo postmodum nova sine quibusdam maleficiis propinaret. Quod videlicet à Sacerdote perceptum, usque dum occasio præberetur, palliolo reservatum, non sine magno dedit stupore miraculum. Hæc enim particula Dominici corporis inventa est usque ad medietatem in carnem conversa. Altera autem medietas panis speciem non mutavit.*

2 Est hæc non narratio duntaxat, sed oratio, & verba ipsissima non sanctitate minùs, quàm eruditione præcellentis Cardinalis Damiani *in Epist. ad Desid. Abb. Cassin.* quam, aliud insuper hac ipsa de re miraculum continentem refert Cardinalis Baron. *Ad Annum Christi 1059, n. 20. & 21.*

3 Occasione hujus prodigiosæ metamorphosis, à tam gravi, antiquóque scriptore literis mandatæ, fundamenti loco ponimus hîc, & confirmamus veritatem Catholicæ Religionis traditam à Concilio Tridentino *Sess. 13. Cap. 1. & Sess. 22. Can. 1.* dum primo loco docet, per consecrationem fieri conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, ac proinde hanc conversionem propriè appellari *transubstantiationem.* Secundò verò definitur, in Missa offerri verum, & proprium sacrificium, si quidem illa prodigiosa conversio in carnem, quam conspexit improba Aphrodisia, non tunc primùm contigit, sed jam ante peracta erat, sicuti observat idem sanctus Cardinalis, videlicet in Missa.

Porrò quia ex una parte Sacerdotes ideo
4 constituuntur, ut offerant Deo sacrificia, teste Apost. ad *Hebr 5.* ex altera autem parte admodum turpe est, ignorare; quid facias, nam ejusmodi ignorantia culpæ annumeratur. *L. Imperitia. ff. De Reg. Jur.* idcirco, ut sacri Mystæ, quibus ego unicè hîc laboro, tantò & meliùs intelligant, quid agant, dum omnium Christianarum actionum sacratissimam exercent, & quod agunt, religiosiùs, fructuosiúsque peragant, breviter, ac dilucidè hîc aperiam: Cur Missa vocetur Sacrificium: Quid sit Sacrificium: Cur vocetur Missa?

5 Quæres itaque I. *Quid sit Sacrificium?* Resp. *Sacrificium est oblatio, qua res sensibilis, & permanens* (cujus scilicet partes possunt simul, seu uno eodémque tempore existere) *cum sui immutatione à legitimo communicatis ministro per ritum mysticum consecratur, ad immediatè significandam ejus supremam in omnia potestatem.* Ita conformiter doctrinæ S. Thomæ *2. 2. quæst. 85. art. 1. 2. 3.* describunt accuratiores Theologi.

Offerre hoc loco non significat donare, quid 6
enim nos Codri donabimus rerum omnium Domino? Sed est alicujus rei usu, quantum in nobis quidem est, conciliare Deo existimationem, ipsius Majestate dignam; quod tunc facimus, quando rei usum, officiúmque aliquod deliberatè eò referimus, ut servitutis vinculum, quo Deo tanquam summo Domino obstricti sumus, adeóque ejus immensam dignitatem protestemur, sicuti loquitur P. Gregorius de Valent. *Tom. 3. Disp. 6. q. 4. p. 1.* Ut proinde hæc oblatio sit instar tributi, quod damus Deo in recognitionem supremi in nos Dominii, sicut indicat S. Tho *cit. a. 1. in Corp.*

Reliquæ partes definitionis non indigent 7
explicatione, sed hac reflexione, quòd scilicet sacrificium sit actus omnium, quos ulla *moralis* virtus elicit, præstantissimus. Quandoquidem consistit *formaliter* in eo, quòd, dum sacrificamus, intendamus *immediate* per alicujus rei destructionem, seu immutationem protestari, Deum esse supremum rerum Dominum, eique idcirco immensam gloriam, cultum, subjectionem infimam deberi. Quo fit, ut sacrificium non modò sit omnium planè operum, ad quæ nos virtutes *morales* per se excitant, gratissimum Deo, sed etiam ejusmodi, ut erga nullum, nisi erga Deum exerceri debeat. Unde Romani, Græci, alii Gentiles nemini sacrificabant, quem non putarent, esse inter Deos relatum. Et dum ultimam spongiam, manúmque hisce adhibeo, mittitur ad me Calvinianus nuper Minister, jamjam ea de causa ejuraturus Calvinismum, quòd credere nequiret, veram Ecclesiam carere posse vero sacrificio.

Quæres II. *An, & cur Missa sit sacrificium* 8
propriè dictum? Resp. Est haud dubiè propriè sacrificium, sicuti & definit expressè sacra Synodus Trident. *Sess. 22. Can. 1. ac Cap. 1.* & docent apertissimè antiquissimi, sanctissimi Patres, probátque, & declarat tum utcunque breviter, fundamentaliter tamen inter cæteros contra *Spiritum Calvinistarum* novus in vicina Helvetia Calvinistarum, & Zwinglianorum Malleus Illustrissimus Princeps Dom. Reding *Theol. Scholast. Tom. 6 q. 8 art. 1. Controvers. 2.* prolixiùs autem, atque etiam solidè zelosissimus, sed cum scientia, Dom. Casparus Lang Fravenfeldensis Parochus & Camerarius Capitularis, proprio libro Typis germanicis edito, & postmodum futiliter refutato ab Heideggero Præcone Tigurino, tum planus hic discursus. Etenim quando consecramus panem, ac vinum, utimur pane, & vino in eum finem, ut per eorum destructionem conciliemus Deo gloriam, adeóque propriè tunc offerimus, & ita quidem, ut per illam nostram oblationem panis, & vini utrumque hoc immutetur,

con-

convertatur, transubstantietur in corpus, sanguinémque Salvatoris; quod corpus, quíque sanguis etiam tunc *mysticè* immutantur; siquidem vi verborum, (id est, si solùm consideretur propria, expressáque significatio illorum duorum vocabulorum: *Corpus*; & *Sanguis*, quæ ex institutione Christi proferimus, dum consecramus,) revera sub speciebus panis non ponitur nisi corpus, & sub speciebus vini non plus, quàm sanguis, ita ut tunc Christus *mysticè* occidatur, quandoquidem ponitur sub speciebus panis non includendo sanguinem; sine quo tamen nequit vita consistere, & consequenter *mysticè* immutetur, sicuti doctè, & pie edisserit P. Lessius *Lib. 12. De perfect. divin. n.* 13. Vide plura hanc in rem infrà *n. 60.*

9 Et adde, P. Thomam Tamburinum *De sacrific. Lib 2. cap. 1. §. 1. n* 1. excogitâsse novam, & captu facilem rationem declarandi, cur missa sit verè sacrificium, quia scilicet Christus Dominus vera hostia ponitur per consecrationem in via ad *realem* destructionem. Nam per consecrationem reproducitur, & ita quidem, ut tunc ponatur in via ad destructionem, reproducitur enim, ut manducetur à consecrante; hæc manducatio efficit, ut species corrumpantur; his corruptis Christus non solùm *mysticè*, sed *realiter* destruitur quoadesse reproductum, adeò ut si esset in sola hostia, corruptis speciebus, desiturus foret esse in orbe terrarum. Sicut igitur tunc propriè sacrificabat sacerdos antiquæ legis, quando lethaliter vulnerabat pecudem destinatam sacrificio, & illa vulneratio erat idcirco propriè sacrificium, quòd fieret in ordine ad mortem animalis; & vinum dicebatur tunc sacrificari, quando in terram à sacerdote effundebatur in ordine ad corruptionem, ita etiam rectè, ac propriè dicetur sacerdos novi testamenti exercere actionem sacrificativam, quando suam victimam, Christum scilicet, ponet in statu proximo ad corruptionem, seu destructionem; ponit autem, quando actu consecrat, quia dat ipsi quidem novum esse, sed cum modo, atque intentione *realis* destructionis brevi secuturæ.

11 Hic discursus meis verbis expressus est ingeniosus, ac dignus, qui & examinetur à Professoribus Theologiæ, & inveniat sectatores.

12 Nec dubitari debet, quin illa *Realis* mutatio panis, ac vini, *Mystica* verò corporis, ac sanguinis peragatur ex institutione tum Christi, tum Ecclesiæ ejus Sponsæ, eâ directâ intentione, ut per eam contestemur, profiteamúrque supremum Dei Dominium in res creatas omnes; sicuti quando sacerdotes antiquæ legis mactabant Deo boves, atque oves, dicebant *implicitè*, vel *explicitè*, *formaliter* vel *virtualiter*: Jehova, vel Adonai, Domine, sicuti ego jam possum pro lubitu mactare hanc bestiam, ita & tu omnes creaturas unò nutu perdere; útque hanc tuam in me, omnésque res conditas potestatem manifestem rudi exemplo, symbolo, ac similitudine,

en jugulo, cremo hanc pecudem. Prædictam intentionem habet *in actu exercito* omnis sacrificans, esto, non solùm non cogitet de illa, sed solùm celebret ob malum finem peccaturus mortaliter, si vellet excludere prædictam intentionem. Tambur. *loc. cit. num. 2.*

Porrò, quia sacerdotes sunt à communitati- 13
bus Christianorum, seu Superioribus præcipuè in hanc rem constituti, ut declarat quotidianus usus, docétque Apostolus *ad Hebr. 5.* & Trid. Concil. *cit. Sess. 22. cap. 1.* fit, ut nemo dubitare possit, quin omnes particulæ definitionis sacrificii allatæ *num. 5.* competant Missæ Catholicæ, & proinde sit ea verissimum sacrificium.

Unde sequitur ulteriùs 1. Sacrificium *essenti-* 14
aliter consistere in sola consecratione utriusque speciei, quamvis ad integritatem ejusdem spectet consumptio etiam utriusque speciei; ac proinde quando post consecrationem, ante tamen communionem extinguitur celebrans, licèt seu vivis, seu defunctis, pro quibus hostiam Deo obtulit, nihil fructûs decedat, attamen est alius substituendus, qui è mutilo, seu nondum perfecto sacrificio faciat perfectum, atque integrum, sicuti enucleatiùs differemus. *Cas. XXIII.*

Sequitur deinde 2. Sacrum, quod fit in Para- 15
sceve, nullo modo esse sacrificium, siquidem in eo, ne unius quidem speciei consecratio peragitur.

Unde ostendemus *in Alphabeto Sacri audien-* 16
di Cas. III. nullius peccati fuisse reos illos, qui Anno 1666. non interfuêre illi officio, quod de more celebratum fuit in Parasceve, quo die occurrebat in plerisque Germaniæ Diœcesibus lux natalis Megalomartyris Georgii, solita etiam celebrari in foro.

Sequitur 3. Quomodo Eucharistia, quate- 17
nus est sacrificium, differat à se, quatenus Sacramentum. Tametsi enim sacrificii nomen accipitur non rarò pro ipsa hostia, quæ sacrificatur, propriè tamen sumitur pro ipsamet actione sacrificativa, immolativa, adeóque consecratione destruente panem, ac vinum, horúmque loco substituente corpus, ac sanguinem Salvatoris. At verò Eucharistia quatenus Sacramentum, non est actio, sed terminus, seu effectus actionis, scilicet corpus, & sanguis Christi collocata sub speciebus panis, ac vini, vi, ac virtute consecrationis, seu sacrificii.

Sequitur 4. Sacrificium Missæ esse idem 18
specie sacrificium, quod Christus Dominus obtulit in ultima cœna, quando verbis calamo Evangelistarum, ac Pauli *1. ad Corinth. 11.* descriptis panem, vinúmque transmutavit in suum corpus, ac sanguinem, esse quoque alio excellenti modo idem, quod in ara crucis æterno Patri immolavit. *Una enim, eadémque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ*, ut disertè loquitur Trid *Sess. 22. cap. 2.* Sicuti quippe Christus in cruce suum sangui-

nem à corpore separari, ac proindemori voluit, ut hac ratione Deo Patri tanquam supremo principi supremum cultum exhiberet, pérque hujus cultûs exhibitionem impetraret nobis propitiationem, omniáque dona cælestia, ita etiam eodem volente, cooperante separatur *mysticè* in Missa corpus, & sanguis, tum primariò in eum finem, ut supremus cultus Deo exhibeatur, tanquam summo rerum conditarum Domino, tum ut merita Christi, & cum his omnia adminicula salutis nobis applicentur.

19 At inquies: *Quo jure dicitur sacrificium Missæ esse idem cum sacrificio Crucis, cùm tamen hoc fuerit cruentissimum, illud sit incruentum? Nam est facta realis separatio sanguinis à corpore, in illo autem sit solùm* Mystica, *&* per repræsentationem. Resp. Ob hanc causam asserunt P. Suarez *Tom. 3. in 3. part. disp. 76. sect. 1.* P. Dicastillo *De Euch. Tr. 5. n. 280.* & alii, contra Sotum, ac Valentiam, hæc duo sacrificia differre specie; tu adstipulare, quibus malueris, modò credas, utrumque hoc sacrificium esse idem, si præcisè referatur ad rem oblatam.

20 Sumus autem hactenus locuti de Missa propriè dicta, non autem de illa, quam vocant *siccam*, id est illam, qua sacerdos sacris vestibus indutus accedit ad altare, & legit missam omnem, non tamen consecrat. Sic eam describit Antonius Cotonius *celebr. Controversiarum Lib. 2. controv. 5. c. 3. n. 60.* addens cum Diana *Part. 11. Tr. 6. Resol. 23.* contra Mercerum, esse licitam in iis locis, ubi est usus illius, eò quòd tunc absit & scandalum, & falsitas significationis, nôrunt enim tunc circumstantes nec verba, nec actiones accipi eo sensu, quo quando vera missa legitur. Vide etiam infrà *Tr. 5. n. 11.* ex Azorio *Part. 1. lib. 7. cap. 7. q 6.* aliter descriptam missam *siccam*.

21 Sequitur 5. Hujus sacrificii hostiam esse ipsum Dei filium secundùm suam humanitatem; ejus quippe tota humanitas Patri cœlesti offertur, atque immolatur, dum in hoc sacrificio occiditur ipse *mysticè*, sicut *realiter* fuit necatus in cruce. Quòd si dixeris, panem, & vinum habere etiam rationem hostiæ, quandoquidem in honorem Dei *realiter* utrumque destruitur, dices non sine authoritate sapientium.

22 Quæres III. *Cur hoc sacrificium nuncupetur Missa?* Resp. Quia derivatur ab Hebræo *Missac*, quod significat obligationem spontaneam: vel à verbo Latino *Mitto*, & sic indicatur, quòd Deus ad nos mittat summum donum, scilicet suum filium, & nos ipsi vicissim ei remittamus: vel etiam indicatur, Missam esse illam actionem, in cujus progressu, & fine olim dici solitum est: *Ite: Missa est*: id est, Redite domum: congregatio missa, id est, dimissa est, seu dimit-
23 titur. Nam olim immediatè ante Offertorium Diaconus altâ voce dicebat: *Ite: Missa est*, quo mandabat catechumenis, & infidelibus, ut discederent; rursum in fine dicebatur idem. Itaque hæc locutio: *Missa est*, habet hunc duplicem sensum: I. Ite: dimissa est congregatio, seu concio. II. Ite: jam est ad Deum missa oblatio, completáque tota sacra actio. Vide Bellarm. *Lib. 1. De Missa Cap. 1.*; Suarez *Disp. 14. sect. 3.* & alios apud ipsos, ac nominatim Cardin. Bonam *Liturgiæ Lib. 1. cap. 3.* eruditè differentem de hoc & aliis nominibus *Missæ*, insuper *Cap. 6.* ostendentem, quàm diversimodè fuerint celebratæ Missæ.

QUÆ MATERIA SACRIFICII.

CASVS. II.

Commonefactorius.

SECTIO I.

De Pane Eucharistico.

SUMMARIUM.

Hostia infecta vermiculo, ante consecrationem resilit ex Patena, & Altari. 24.
Admonet hic Casus Sacerdotes, ut in conficiendis hostiis adhibeant materiam mundam, & puram. 25
Materia proxima *sacrificii? 26.*
Eucharistiæ quæ? 26. & 27.
An panis triticeus? 28.
Quid nomine tritici *intelligatur?* Ibid.
In casu urgentis necessitatis licet uti hostiâ confectâ ex spelta, siligine, non verò ex avena, aut hordeo. 32.
Quid dicendum in Casu necessitatis præbendi pluribus sacrum viaticum? 33.
Ex genere suo mortale est, adhibere ad sacrificium panem, aut vinum, quibus immixta sit materia aliena. 35.
Vermiculus, de quo in nostro Casu dicitur, tantùm illicitam *reddidisset consecrationem. 38.*
Sacerdoti Latino extra Græciam non licet consecrare in pane fermentato, licet sacerdoti Græco. 40.
Non licet etiam ad dandum viaticum consecrare in fermentato. 41.
Pani azymo an licitè *admisceatur sal? 42.*
Casus sacerdotis sacrificantis cum hostia ex cinnabari. 43.
Panis triticeus debet confici ex aqua naturali. 44.
Si desit grandior hostia pro sacrificio, an adhibenda minor? 45.
Casus primus in hanc rem. 46.
Casus alter in eandem. 47.

24 *Bertholdo sacerdoti in villa Belle dicta juxta Coloniam circa hoc biennium contigit, quod dico. Die quodam, cùm is Missam celebraret, & dicto Evangelio hostiam patenæ superpositam super corporale collocâsset, illa mox resiliit. Putans hoc sacerdos casu accidisse, neque hostiam bene collocatam, denuo superposuit, quæ remotiùs eo intuente resilivit, quàm priùs, cúmque tertio id tentâsset, quasi turbine impulsa dejecta est ex altari. Quo viso territus est valde, & præcipit scholari, ut eâ hostiâ reservatâ aliam supponeret, quam & consecravit. Dictâ verò missâ tollens secum hostiam prædictam, Coloniam properavit, hostiam ostendit; quid de ea actum sit, recitavit. Cunctis causam mirantibus, unus clericorum hostiam contra lucem levans maculam in ea contemplatus est, quam cùm in conspectu multorum fregisset, cimex, qui vulgò vermis parietinus dicitur, apparuit in ea decoctus. Et glorificârunt Dominum omnes, qui aderant. Haud dubium, quin à sanctis Angelis ea rejecta sit, qui non sunt passi, ut panis tam fœtido vermiculo correptus ministerium sacerdotis transiret in Corpus Domini sui. Sacerdos adhuc vivit; qui minùs mihi credit, interroget illum; vides, quanta sit negligentia sacerdotum nostrorum.*

25 Sunt omnia, & singula hæc (præter nomen Bertholdi) verba Cæsarii *Lib. 9. Dialog. seu illustrium miraculorum. Cap. 65.* ut proinde meritò sit plena fides habenda huic narrationi, quam idcirco nominamus *commonefactoriam*, quia potenter nos commonefacit, quàm oporteat sacros mystas esse religiosos, ac penè scrupulosos circa materiam Eucharistiæ, ut videlicet adhibeant necessariam, mundam, & sinceram, id est, non permixtam alteri ineptæ, sicuti declarabimus sequentibus quæsitis.

26 Quæritur enim I. *Quænam sit materia necessaria Eucharistiæ?* Resp. Materia *proxima* Eucharistiæ, quatenus est sacrificium, dici potest Christus Dominus tanquam hostia; sicutiidem Christus, prout contentus sub speciebus panis & vini, adeóque prout cibus animæ, est etiam materia *proxima* constitutiva Eucharistiæ, in quantum obtinet rationem Sacramenti; at verò panis, & vinum sunt *remotæ* materiæ, *remotissimæ* autem eæ res, è quibus conficitur panis,
27 & vinum. Et utique est de fide, quòd panis, & vinum sint materia necessaria Eucharistiæ, id est, quòd non possit Eucharistia confici nisi vel in pane, vel in vino. Nam & ita definivit Eugenius IV. *in decreto ad Concilium Florent.* & Christus Dominus non aliter confecit; quamvis haud dubiè possit *validè* consecrari vel solus panis, vel solum vinum.

28 Quæritur II. *Qualis panis sit materia necessaria Eucharistiæ?* Resp. Panis triticeus, Eugenius *in cit. Decreto* sic declarat. *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Nomine *tritici* quid intelligatur, triticúmne *strictè* dictum, quod Germani vocant Waitzen / Galli *froument*? an verò etiam *latè* dictum? dijudicabit cujusque Diœcesis, aut regionis praxis. Nec enim dubitâdum, quin Episcopi, aliíque Superiores Ecclesiastici sedulò caveant, ne ad tam augustum Sacramentum adhibeatur materia non idonea.

29 *Scribis*, inquies, *maximè pro Germanis, dic igitur, quid censeas usurpandum in Germania?* Resp. Verum est, me maximè scribere pro Germanis, quia hi potissimùm legerunt, legéntque ista Alphabeta mea. Quare dico, me pro Germanis sentire cum tribus Doctoribus Allemannis, Tannero, Laymanno, & Auctore *Cursûs Sanctgallensis*, quorum primus *Tom. 4. in 3. part. d. 5. q. 2. n. 88. ac seqq.* alter *in Theolog Morali Lib. 5. Tr. 4. cap 2. num. 2.* tertius *Tom. 9. Tract. 4. quæst. 2. p 1. dub. 1.* scribunt, nomine *tritici* intelligi cum *strictè* dictum triticum, tum omne illud frumentum, quod *propriè*, *strictéque* dicto tritico est vel ob naturæ similitudinem, vel ob usum communem maximè cognatum; ac proinde *validè* conficerari hostias tum è spelta, Germanicè Vesen / Korn / Dinckel-Korn / tum è siligine seu secali, Germanicè Korn seu Rocken: imò & *licitè* utrumque. Siligineum quidem, quando non potest facilè haberi aliud, ut notat P. Laymannus & Sanctgallensis, P. Tannero *nu 102.* meritò requirente casum urgentis necessitatis; è spelta autem etiam extra casum necessitatis, ut testatur mos Suevorum, ac nostrorum Constantiensium, approbatus à Tannero *n. 161.*

30 *An Italis etiam hoc permittes?* Resp. Fortè citarer ad tribunal Inquisitionis, si permitterem, quia veram judico Regulam nostri Patris Dicastillo, qui & ipse in Germania scripsit *Tr. 4. De Euch. d. 2. n. 19.* tradentis: *Cùm difficile sit in his speciebus frumenti discernere, tum propter vocum incertam* (addo ego: variam pro varietate regionum) *significationem, tum propter ipsas frumenti species, ideo ex communi* (Diœcesis cujusque) *æstimatione, & peritorum judicio censenda erit apta, vel inepta materia pro hoc Sacramento.* Atqui Tannerus, Laymannus, & Sanctgallenses fuerunt periti rerum Germanicarum, non autem Italicarum, multò minùs Hispanicarum. Dissentit quidem ab his triumviris Illustrissimus Dom. Reding. *Tom 6 q. 2. a. 1. Controvers 1.* singulariter quoad speltam inærens Regulæ S. Thomæ, quòd illa sola grana sint apta, quæ ex tritici semine generari possunt. Verùm mos nostræ Diœcesis, &, ut reor pluriumaliarum, cogit nos recedere ab universalitate illius Regulæ.

31 Cæterùm occasione hujus particularis materiæ, repeto hîc, quod sexcenties in scholis di-

xi, videlicet ab animarum curatoribus Theutonicis lectionem familiarem P. Laymanni utilissimè jungi lectioni Theologorum exterorum, quia nimis sæpe deprehendi, ab Hispanis, & Italis multa tradi fundata in sola praxi Hispaniæ, & Italiæ, aut legibus communibus, abstrahendo utrùm hæ sint ubiqueusu receptæ, nec ne. Atqui nos Germani non æquè moribus, ac vestibus aliarum Gentium regimur, sed nostris institutis, consuetudinibúsque, sicut & legibus communibus receptis usu nostro, cujus usûs, ac morum testes maximè idonei sunt Germani.

32 Jam verò ut pertexam telam, quam superiùs orsus sum, non debet Germanus sacerdos ducere sibi religioni, si in casu necessitatis urgentis curet pinsi hostias ex siligine, & multò minùs, si ex spelta. Licèt verò farinam ex avena, & hordeo molitam censuerint *validè* consecrari Gabriel, ac nonnulli alii antiquiores, quia tamen id jam nequit asseri sine periculosa temeritate, ut loquitur Dicastilo *loc. cit. num. 9.* eam ob rem si contingeret tempore magnæ famis non reperiri (sicut haud dubiè non semel factum) in aliquo pago, ejúsque districtu aliam farinam, quàm ex hordeo, avena, glandibus, deberet potiùs parochus die Dominico sacrum omittere, quàm hostiam è tali farina conficere, & pro consecratione accipere.

33 *Quidsi in eo pago decumbant complures ex periculoso morbo, quem invexit esus rerum valetudini maximè noxiarum, ut experti fuêre superioribus bellis vicini Suevi, an patietur parochus omnes illos mori potiùs sine sacro viatico, quàm in praxi adstipulari Gabrieli Doctori Suevo, curando videlicet pinsi hostias ex farina hordeacea?* Resp. Patietur judice Joanne Chapeaville *de modo administr. Sacram. tempore pestis Cap. 4. q. 19.* post Alanum *Lib. 1. De Euch. cap. 11.* idque ob duas causas. I. Quòd, ut ipse ait, nemo sine temeritate, & erroris periculo id asserere possit. II. Quòd (hanc causam probè not.) ne quidem in extrema necessitate fas sit, consecrare materiam dubiam, id est etiam illam, de qua inter Doctores utrínque probabiliter disceptatur, utrùm sit valida nec ne. Ita ille.

34 Quam quidem *secundam* rationem post Alanum exprimit Suarez, ac tuetur *Disp. 44. De Euch. sect. 1. verf. tertio.* probabiliter tamen, meo judicio, existimantibus Henriq. *Lib. 8. c. 9.* ac Tannero *loc. cit. n. 100. & 102.* posse in ejusmodi necessitate usurpari taliter dubiam, nec enim videtur agere contra reverentiam Sacramenti, qui sequens judicium probabile virorum Doctorum, intendit per illud conferre salutem spiritualem. Adde, quòd liceat, imò necesse sit, dubiâ materiâ abluere constitutum in extrema necessitate, ut vidimus *in Alph. præced. seu baptiz. Casu 1. n. 36.* quid ni ergo etiam dubiâ materiâ Eucharistiæ liceat uti in simili necessitate? Nec de hoc nostro responso dubitandum est, quando praxis provinciæ, in qua degis, suffragatur opinioni asserenti validitatem, sicut patet in exemplo spelteæ, quidquid hîc hæsitet Chapeaville *loc. cit.* interim pro terra Leodiensi approbans etiam extra necessitatem usum siliginei panis, quem tamen multi inficiantur adhiberi *validè*.

Quæritur III. *Quænam pro praxi videantur* 35
præcipuè observanda circa mixtionem, quam directè tangit noster commonefactoritus Casus, aliáve accidentia tritici ad Eucharistiam requisiti, ne ea reddant consecrationem vel invalidam, vel certè illicitam. Resp. Seqq. Est ex suo genere peccatum mortale ad sacrificium adhibere panem, aut vinum, quibus immixta sit materia aliena. Probat imprimis ille triplex motus hostiæ, de qua noster Casus; probat deinde ratio, quia illud dicitur esse ex suo genere mortale, quod versatur circa tale objectum, à quo possit, etiamsi nulla alia accidentalis circumstantia accedat, refundi malitia mortalis in actum; potest autem id fieri in mixtione, de qua hîc sermo; licèt enim non quævis minima materia efficiat permixtionem mortaliter malam, efficit tamen valde magna, aut valde indecora.

At quænam censebitur valde magna, & inde- 36
cora? Resp. Indubitanter, si dimidium sit ex alio frumento. Pax Jordanus *Elucubrat. Volum. 1. lib. 4. tit. 1. n. 385.* referens alios. Nonnulla exempla inferiùs adducenda lumen aliquod adferent. Consultissimum est, esse hac in re scrupulosum potiùs, quàm laxum; etenim sancta sanctè tractanda sunt.

Itaque delinquit mortaliter, qui conficrat 37
hostiam confectam ex farina, cujus ferè dimidia pars sit hordeacea, nam talis panis non est debita materia hujus Sacramenti. S. Thom. *q. 74. art. 3. ad 3.* Sin valde parùm hordei, aut alterius frumenti admisceatur, poterit inde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti, inquit S. Doctor. Nec puto, quemquam Theologum esse tam rigidum, ut noxæ lethalis damnet sacerdotem, qui uteretur hostiâ, sciens, paucula grana hordei esse in ea commolita; nam *ad usum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communiùs apud homines in talem usum venit*, ait D. Thomas *art. 3. in corp.* Communissimè autem homines vescuntur pane pisto ex farina non prorsus sincera. Vide Tannerum *n. 108.*

Cimex ille, qui nostrum Casum Bellensem 38
causavit, non utique impedivisset valorem consecrationis, nec enim effecit, quò minùs hostia, cui fuerat immixtus, esset, diceretúrque absolutè *panis*; at verò reddidisset eam illicitam. Patet hoc in primis ex triplicato miraculo. Patet deinde inde, quia summa reverentia, munditiéque convenit tam divino Sacramento. Quapropter si Bertholdus ille ante consecrationem notâsset illum cimicem, debuisset aliam hostiam, seu particulam petere è sacristia. *Quid si verò nulla reperta fuis-*

set? Resp. Arguisset negligentiam vel parochi, vel æditui, non enim provisio rerum ad tanta Mysteria necessariarum differenda est ad ultimum temporis articulum. Potuisset tamen sine offensa Numinis peragere sacra; cùm enim illa materia sit valida, & validæ casu misceatur sæpe non valida, non videtur Christus, aut Ecclesia exigere, ut tantum mysterium jam ad oblationem perductum penitus abrumpatur ex hoc capite.

39 *Sed fuissetne ille cimex conversus in corpus Christi?* Curiosa est hæc quæstio, vix ad praxin referens. Cæsarius insinuat, futurum fuisse, ut converteretur, sicuti indicant ejus postrema verba; fortè id ipsum censuisset Dicastillo *Disp. 2. num. 162.* concedens, si parum quid mellis, aut saccari misceatur farinæ triticeæ totum transiturum in Corpus Christi. At verò Tannerus id negâsset, utpote qui *cit. quæst. 2. n. 163.* pro aliquo absurdo contra Alanum habet, sicut & Amicus apud Dicastillo, dicere, quòd gutta mellis, aut aquæ rosaceæ vino mixta convertatur in sanguinem Christi.

40 Sacerdotes Ecclesiæ Latinæ debent, saltem dum versantur in terris latiaum usum observantibus; uti pane azymo, seu non fermentato, quia sic statuit Concil. Florentin suóque exemplo in ultima cœna docuit summus Sacerdos Christus. Græcanicis permittitur fermentatus

41 Dices: *Fieri potest, ut pixis hostiarum sit vacua, nec possit pro communicando agonizante haberi alius panis, quam fermentatus, eritne fas consecrare fermentatum?* Resp. Major apud Tannerum *num. 134.* censuit esse fas, negantem, se audere damnare hanc sententiam, seclusо scandalo, & perturbatione. Nefas esse, docent Sotus, Suarez Ledesma, Sanctgallenses, alii tam constanter; ut Dicastillo *loc. cit. num. 67.* faceatur, se solâ eorum authoritate motum dissentire à Majore; & Thomas Tamburinus *in Methodo expeditæ Commun. cap. 2. §. 9. num. 4.* malit permitti, aliquem damnari animo & corpore, quàm sequi sententiam Majoris.

42 Ego quidem profiteor idem, quòd Tannerus; non video tamen, quomodo facilè possis absque scandalo, aut perturbatione scindere ex integro pane usuali frustillum, idque consecratum præbere ægro. *Saltem sine scrupulo miscebitur sal azymo?* Resp. Negabit Tannerus *num. 109.* ita loquens: Ubi panis azymus adhibendus est, sal admisceri non debet ex communi. *Sed ex ignorantia hujus communis sententiæ est admixtus sal: quid agendum hostiis inde pistis?* Resp. Mihi videri posse non solùm in casu necessitatis, ut facilè, me judice, concederet quivis Theologus, sed etiam extra ejusmodi casum adhiberi pro sacrificio, quando deest alius; quia nec ratio, nec lex, nec authoritas, vel consuetudo id vetat. At quid respondendum videtur de materia, quam exprimit hic

Casus sacrilegi.

Sacrilegi, inquam, sacerdotis, qui ad oc- 43
cultandum finem sacrilegum voluit consecrare hostiam quandam ex illis, quibus solemus literas sigillare, admixtam scilicet cum cinnabari, ut fieri solet?

Et verò Cardinalis de Lugo *Disp. 4. De Eucharistia sect. 1. num. 4.* referens hoc impium facinus, itémque Diana *Part. 7. Tract. 12. Res. 6.* rectè respondet, ejusmodi materiam esse ad minus dubiam, & suo judicio *invalidam*, eò quòd per talem mixtionem alteretur notabiliter panis, & extrahatur à pane usuali; atqui hac in re attendenda est potiùs conditio materiæ usualis ad cibum hominum, quàm ratio *physica* specificæ quidditatis. Aversa apud Dianam *loc. cit.* ex sensu communi.

Panis ille triticeus debet confici ex aqua na- 44
turali, non rosacea, aut alio quocunque liquore, alioqui non conficietur Sacramentum. S. Thomas *art. 7. ad 3.* sicut nec conficietur, si multum butyri, piperis, Casei seu Helvetici, seu Hollandici admisceatur, nam inde emerget placenta, aut aliquid ejusmodi, non autem panis absolutè dictus, sicut & amylum rejiciunt Sanctgallenses *loc. cit. concl. 2. num. 2.* Armeni utuntur hostiis in forma placentarum digitum densarum, ut refertur in Vita nostri P. Julii Mancimelli *Lib. 1. cap. 11.*

Porrò si desit grandior hostia, posse pro Sacri- 45
ficio ex mera etiam devotione faciendo accipi unam è particulis, quæ præberi solent laicis, probat P. Tamburinus *Lib. 2. cap. 8. §. 7. n. 16.* tum inde, quòd nulla lex, aut consuetudo id vetet; tum verâ resolutione hujus

Casûs Siculi.

Rusticabar olim cum collegameo P. Stepha- 46
no Turtureti in nostro prædio Messanensi, ad lectiones Theologicas in vacaticnibus Autumnalibus de more per otium prævidendas. Semel ergo cùm dictus Pater ad missam faciendam omnium sacerdotum ibi commorantium postremus accederet, hostiámque grandiorem nullam inveniret, ac de ea, ob distantiam civitatis providere sibi non posset, ne eo die, tametsi feria, sacrificio privaretur, parvam formulam, quæ in promptu fuit, sine ulla hæsitatione ad sacrificium adhibuit. Affuerunt statim ad me juniores quidam, qui & ipsi tunc ruri aderant, interrogantes, an id à Patre, nullâ præsertim existente, præter ejus devotionem, causâ, factum rite fuerit? Respondi, ipsos rite gestum id esse ex eo solùm sibi persuadere debuisse, quòd Pater ejusmodi, tam-

tantæ scilicet doctrinæ, tantáque virtutis id fecerit. Ratio, dicebam, inter cæteras, est, quia nec ullum præceptum adest, nec ullam constat esse consuetudinem, ut obligantem de consecranda hostia majore, vel minore, utroque enim sacrificium æquè perficitur. Quòd si gravis offensio aliqua imperitorum aliquando timeatur, facilè de rei veritate instrui poterunt, & in casu nostro sine ulla expressa institutione una ipsa Patris auctoritas id facientis ad offensionem illorum, qui aderant, quique universi hominis doctrinam, integritatémque probè noverant, avertendam, satis supérque fuerat.

47 Hæc planè omnia verba sunt P. Tamburini *De Sacrificio Missæ rite peragendo Lib. 2. cap. 8. §. 8. num. 16.* quibus abstit, ut quidpiam addam, nisi videri mihi, esse præmonendum populum, si quando coram eo necesse esset (quiæ.g. nulla potest haberi grandior hostia, & tamen est dies festus, aut cæteroqui accursus ob futuras nuptias &c.) imitari factum Patris Turturetti, de qua re vide etiam Dianam *Part. 5. Tract. 14. Resol. 69.* Sed & probo id, quod ad me de se perscripsit quidam laudatus valde Curio expressum

Hoc Casu parochiali.

Duobus abhinc Annis institui solemnem supplicationem ad locum gratiâ miraculorum olim valde celebrem, pro avertenda lue grassante inter pecora. Evenit autem, ut non nisi parvas hostias illic reperirem, ac proinde anceps hærerem, quid agendum; cùm ex una parte non adesset magna necessitas sacrificandi in illo ipso loco, ex altera autem adesset magna multitudo cupientium interesse illic rei divinæ. Quia tamen si lità essem parvâ hostiâ, visus fuissem approbare negligentiam Parochi ejusdem loci, non infrequenter utentis parvis hostiis, distuli Sacrum ad alium pium locum, quem jam priùs decreveram cum toto meo grege visitare. Velim ex Reverentia Vestra intelligere, fecerímne rectè, an secus?

Nemo non videt, potuisse, præter illud periculum approbandi *tacitè* illaudabilem morem illius parochi, adesse tale periculum scandalizandi totam multitudinem insuetam ejusmodi spectaculo, ut perquam sapienter egerit ille Curio, differendo ad alium locum celebrationem Missæ. Facilè etiam quivis perspicit, potuisse esse tantum in eo populo desiderium audiendi illic sacram rem, ut ad satisfaciendum huic desiderio esset consultum monere illam plebem de carentia majoris hostiæ ad evitandas obmurmurationes. Et quia dubia sunt in meliorem partem interpretanda, præsumendum est, adfuisse reipsa circumstantias, vel exigentes, vel saltem suadentes, ut differrentur Missæ solemnia ad locum alium.

Appendix Curiosi.

SCiscitabitur fortè meorum Lectorum quispiam, *quàm sit vetustus mos utendi pro Sacrificio, & communione orbiculis, seu ut vocamus, Hostiis?*

Respondet Eminentissimus dignitate, eruditioneque, Cæli Cisterciensis sol Joannes Bona Cardinalis, nuper orsus vivere in sola memoria proborum & eruditorum *Lib. 1. rerum Liturgicarum* luce donato hoc Anno 1674 *Cap. 23. num. 11.* eum usum introductum esse sub Annum Christi millesimum, octogesimum, primúmque, qui earum mentionem fecit, fuisse Bernoldum hujus nostræ Constantiensis Diœcesis Presbyterum. Præmittit autem, & suo more probat eruditè idem Cardinalis, ipsas quoque Occidentales Ecclesias (de Romana negant plerique omnes) fuisse promiscuè usas pane fermentato per mille circiter Annos, fermentato, inquam, eóque usuali; & quidem presbyteros fuisse priùs solitos è suis ædibus panem usualem deferre pro solo sacrificio, laicis similiter secum usualem panem deferentibus pro synaxi à se sumendâ; creberrimè tamen presbyterum asportâsse in ædem sacram magnos panes, quos frangebat pro communicaturis.

SECTIO II.

De Vino Eucharistico.

SVMMARIVM.

Sacerdos per se mortaliter peccat consecrando unam speciem sine altera. 48.
Succus ex uvis passis expressus est materia valida. 49.
Musto sine necessitate uti non licet. 50.
Sacerdos multum vini infundens, quia illi sapit, peccabit venialiter: excusabitur à culpa, si parum infundat, quia ei desipit. 52.
Deficiente alio vino videtur licitum, ut aliquantulum acescente. 54.
Vino congelato ante consecrationem quid agendum? 55.
An halitu liquefaciendum? 56.
Non licet absque mortali admiscere vino consecrato alium liquorem. 57.
An, si misceatur, desinat esse ibi Christus? Ibid.
In nullo Casu licet facere sacrum sine aqua. 58.
Nec sufficit, quòd caupo aquam in vini dolium infuderit. 59.

Suffi-

Sufficit, si sacrificans affundat modicissimam. 60.
Quid si tertiam partem Tirolensi? 61.
Quid si Acroniano? 62.
Duæ Regulæ practicæ. 63.
Guttæ dispersæ per calicem abstergendæ ante Consecrationem. 94.
Videtur carere culpâ, qui adhibet aquam glacie refrigeratam. 65.
Casus imponentis calici silicem præcalidum, ut vitaret congelationem. Ibid. in App.
Quid hac in re faciant Lithuani? ibid. lit. D.

48 QUæritur IV. *Quænam sint apud Theologos recepta circa alteram partem, seu speciem hujus Sacramenti?*

Resp. Seqq. Peccat *per se loquendo* mortaliter sacerdos consecrans unam speciem sine altera. Ita omnes post S. Thomam *q. 80. art. 12. ad 3.* cum Suarez *Disp. 75. Sect. 6.* Quia scilicet non conficit integrum Sacrificium. Vide *infrà Casu XXIII. num. 807.* exceptionem; quæ tamen non repugnat communi doctrinæ Tamburini *L. 2. de Sacr. Cap. 7. §. 1.* negantí, posse etiam intentato metu mortis inchoari Missam cum intentione consecrandi unam solam speciem, e.g. pro moribundo.

49 Succus ex uvis passis expressus est *substantialiter* vinum, & quidem aquæ expers. Ergo per se adhiberi potest. Amicus apud Dianam *P. 7. Tr. 12. Res. 6.* non dissentientem. Mustum verò est *valida* quidem, non tamen *licita* materia *c. Cùm omne crimen. De Cons. dist. 2.* quia est indecens propter impuritatem. S. Thomas *art. 5. ad 3. Sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur*, inquit Pontifex *ib.*

50 *Ergo si in pago nullum sit vinum, habeat tamen parochus ante domum pendulas è vite uvas, eásque maturas, non peccabit, si unum, alterúmve botrum exprimat suo Sacro?* Resp. Si sacrum sit faciendum ex obligatione, illum justificabit ipse Papa. Si ex sola devotione, fortè non item. Cùm præsertim Filliuc. & Bonac. dicant, esse ex suo genere peccatum mortale, & Gavant *in rub. Miss. p. 3. tit. 11. n. 1.* esse certissimò mortale, consecrare tale vinum extra necessitatem. *Sed est quibusdam locis consuetudo* (& ni fallor in Valesia) *ut certo quodam festo exprimitiis vindemiæ, adeóque ante plenam vindemiam botrus unus, altérve exprimatur in cantharum, atque mustum illud adhibeatur pro Sacrificio.* Resp. Licèt hunc usum improbent Suarez, & Vasquez, ego tamen excuso cum Tannero *114.* quia usûs longævinon est levis authoritas, inquit ipse Pontifex *c. Cùm consuetudinis. De consuet.*

52 Dices: Novi sacerdotes, qui, quando vinum pro Sacrificio facit ad gustum ipsorum, infundunt multum, parùm quando desipit, *quid de iis sentiendum?*

Resp. Sicuti *per se loquendo* rectè facit, qui adhibet materiam pro Sacrificio optimam, venialiter autem delinquit, si utatur ad meram delectationem gustûs. Tamburinus *L. 2. c. 7. §. 1. n. 10. & 11.* ita etiam sentiendum de affundente multum boni, generosíque vini. At non agnosco peccatum in illo, qui ideo minus infundit, quòd non sapiat, nisi saltem *implicite* (non dico: *habitualiter*) apud se dicat: *Infunderem ob voluptatem gustûs plus, si vinum fortet notæ melioris.*

At: *Estne satius affundere parùm vini, an multum?* Tamburinus *loc. cit. Cap. 8. §. 8. num. 2.* per Parenthesin dicit, semper sibi ob reverentiam placuisse, *quòd parùm vini apponi soleat.* Placet etiam mihi, ubi est simile Siculo: nam ex una parte abest tunc periculum, ne proportionaliter affundatur casu, ut quandoque fit, nimis multum aquæ. Reddatúrque dubia materia, cùm sit tam forte. Ex altera autem parte faciliùs purificatur debito modo calix; minùs timendum est, tum ne sacer sanguis defluat in barbam, vel patenam. Tum ne furtim irrepat, placeátque dolosa, sensualísque voluptas, quam ciet naturaliter suavitas speciorum. At si vinum sit debilius, providè affunditur pluscúlum, ut occurratur dubiis, & scrupulis de abhibita nimia aqua. 53

Vinum aliquantulum acescens deficiente alio adhiberem sine scrupulo nixus authoritate Suarii *Tom. 3. in 3. p. d. 85. sect. 2.* accensentis levioribus defectibus, si vinum sit aliquantulum acidum, nixus & praxi satis communi parochis ruralibus. At valde notabiliter acido non uterer. Quòd si vinum congelascat ante Consecrationem, liquefaciendum est panno, prunis, aliâ ratione. *At non fiet absque perturbatione populi, aut longa mora.* Ergo effunde illam materiam, atque infunde aliam, factâ (*tacitè*) oblatione. Suarez *Disp. 45. Sect. 1.* Dicastillo *Disp. 2. num. 87. Quid si potiùs solverem halitu?* Hunc rusticissimum vel prohiberet, vel certè dissuaderet Suarez *loc. cit.* & ego. *An etiam dissuaderet, si ita solverem congelatum post Consecrationem?* Puto equidem; sanè malem glaciatum, digito tamen reverenter comminutum, sicuti post Suarez *Disp. 85. Sect. 1.* exprimit Tambur. *Lib. 2. Cap. 8. n. 9. De Sacrificio Missæ* sumere, quàm halitu solutum. Certè Theologi non permittunt misceri vino consecrato vel aquam, vel rem aliam, præter particulam hostiæ consecratæ. Cæterùm vinum etiam congelatum esse posse *validam* materiam Consecrationis, rectè post alios observat Dom. Reding *quæst. 2. art. 1. Controvers. 1.* etiamsi aqua actu congelata nequeat esse apta materia Baptismi, utpote consistentis in actione transeunte. 54 55 56

Si vino consecrato misceatur alius liquor, committitur gravissimum crimen: utrùm autem, & quando per talem admixtionem alterius seu vini, seu liquoris desinat Christus esse sub speciebus consecratis, disserunt S. Thomas *q. 77. a. 8.* Tannerus *Disp. 5. quæst. 6. d. 2.* Dicastillo *Tr. 4. Disp. 7. d. 10.* & alii apud ipsos, quorum alii contra alios censent, si multum 57

tum vini non consecrati misceatur parvæ quantitati consecrati, sicut solet fieri in ablutione prima calicis, non desinere existere corpus Christi. Alii cum S. Thoma desinere, & proinde illud totum posse libere tractari, sicut quodcunque aliud vinum. Ita Sotus, Henriquez, alii apud Tannerum, & Dicast. ratos, esse ob metum sacrilegii reverenter habendum, & asservandum pro alio Sacrificio Missæ, quod & ego sentio.

58 Jam aquam, de qua paulò antè, quod spectat, illius mixtio ob varios Canones descriptos *dist. 2 de Consecrat.* tam necessaria est, ut Theologi non admittant ullum casum, quo liceat inchoare Sacrum prævisò defectu aquæ. Quam si oblitus es infundere suo tempore, teneris reparare defectum, licet illius recorderis primùm post consecrationem hostiæ, ante
59 tamen calicis Consecrationem. *Sed caupo, qui vinum suppeditat, jam prævenit, quia aquam suo more in dolium liberaliter affudit.* Resp. Post S. Thomam *q. 74 a. 8.* non sufficere, sed mixtionem fieri debere *circa celebrationem Sacramenti*, adeóque in ipso actari. Quamvis non sint reprehendendi, qui ex privilegio, aut longa consuetudine Ordinis, aut Provinciæ miscent ante Sacrum. Dicastillo *loc. cit. n 122.* observans, illam mixtionem faciendam à sacerdote celebrante, nisi in sacro solenni Subdiaconus id agat.

60 Quamvis Gavantus *part. 2. tit. 7. n. 2.* ex Rudolpho rectè scribat: *Quantò paucior, tantò potior*, adeóque sufficiat modicissima, ut loquitur Concil. Florent. seu minima gutta visibilis. Suarez *cit. sect. 2.* haud tamen delinquit, qui aliquantò liberaliùs affundit. *Quid si tertia pars sit aqua?* Respond. Approbabit Synodus Triburiensis celebrata Anno 995. à XXII. Episcopis *Cap. 19. At fortè loquitur de vino Hispano nigro, quod Dicastillo n. 79. testatur, esse tam robustum, ut nisi aquâ mitigetur, vim ejus ferre nemo queat.* Scilicet: Quasi verò Triburia fuerit in Hispania ad Tagum, & non in Germania
61 ad Rhenum. *Ergo loquitur Synodus de Rhenano?* Res. Non solo, sed omni illo, quod tertiam partem aquæ ita pati potest, ut nullum sit dubium, quin eâ additâ servet nihilominus substantiam suam, & vivacia accidentia. Itaque sine scrupulo vino Tirolensi, quod Trollinganum vocant, tertiam partem affundes, quandoquidem est & perrobustum, & ita nigrum, ut eo legibiliter valde scribere queas.

62 *At quid pro praxi censes de nostro vino Acroniano?*

Respond. Illi, quod est inferioris notæ, non miscebis sine piaculo quartam partem aquæ. Mediocri poteris quintam, optimo quartam, præsertim si provenit Anno tali, qualis fuit 1654. & 1660. Sed ne fac sine aliquali necessitate. Siquidem & Dom. Reding *loc. cit. Controv. 2. n. 11.* exprimit, aquam esse adhibendam in *modicissima* quantitate & Sanct-gallenses *in Cursu Theolog. Tom. 9. Tract. 4. q. 2. part. 1. dub. 3. absolutè* scribunt, debere *hac ætate* (de quo tamen debito nihil scio) esse in Calice minimùm octies, vel decies plus vini, quàm aquæ. Licèt meritò observet, referente, nec improbante eodem Illustrissimo Domino Abbate, Cardinalis de Lugo, nihil scrupuli esse habendum, tametsi sit affusa quinta, vel etiam sexta pars aquæ. Pro re nata poterit usurpari doctrina Tamburini *l. 2. c. 4. §. 7. n. 3.* observantis, posse infundi tantum aquæ, quantum non sufficit ad impediendum, quò minùs dici possit: *Hoc, quod est in Calice, est absolutè* 63
vinum. Verbo in hac re cave duo. *Primum*, ne unquam tam multum aquæ affundas, quàm vini. Alioquin graviter impinges in multos canones contentos *dist. 3. de Conf. Alterum*, ne tam multum, ut impediat, quò minùs sensu ipso, si sanus sit, facilè deprehendas accidentia indicantia adhuc adesse vini substantiam. Siquidem per voculas: *Hic*, & *Hoc* designantur accidentia sensibilia panis, & vini. S. Thomas *a. 4. in corp. Quid si oculus judicet, esse vinum, dubitet, vel neget gustus?* Cave adhibeas, nam usurpanda non est materia dubia. Suprà *n. 33.* Vide infrà *n. 765.* Sed priùs observa Innocent. III. *Lib 3. de Myster. n. 30.* quærere: *Quid autem si plus apponatur aquæ, quàm vini? erit irritum Sacramentum?* Ad hoc autem solùm respondere. *Oportet quidem, quòd tantum vini ibi ponatur, quòd aqua commixtum saporem vini retineat.*

Quando guttæ (de quarum consecratione 64
loquar *Cas. seq.*) vel vini, vel aquæ dispersæ sunt per calicem, eas ante Consecrationem visas aut absterge purificatorio, aut circumacto vino, quod in calice est, uni illas cum eo, ut rectè Gavantus *loc. cit. n. 4.* Laymanno *cit. c. 2. n. 15.* laudante abstergentem. Ægidio Coninck *q. 74. n. 43.* pronuntiante expedire, ut abstergantur. Tamburino *de Sacrif. Lib. 2. Cap. 1. §. 2. num. 29.* negante peccari à non abstergente, eò quòd non exigatur *physica* conjunctio partium. Imò addente, non expedire, ut illa absterso fiat ad: *Simili modo.* Malè autem fieri post utriusque speciei Consecrationem; quod & censeo propter doctrinam tradendam *n. 89.* addens ex Dom. Reding *loc. cit. Controv. 4.* sufficere, si guttæ, de quibus hîc sermo, sint *moraliter* unitæ cum toto, sicuti, eo judice, sunt illæ, quæ levi calicis motione reliquo vino misceri possunt. Secùs si longè distent à reliquo vino, quia in primo casu, non autem in secundo censetur adesse intentio Sacerdotis, ne tam facilè misceatur materia non consecrata cum consecrata.

Utrùm aqua in vinum possit converti, & 65
utrùm posito, quòd non convertatur, nihilominus unà cum vino *immediatè* transmutetur in sanguinem Christi, non est hujus loci disputare. Non transmutari *immediatè*, contendit laboriosè Pater Tannerus *cit. quæst. 2. an.*

166. Converti *immediatè*, probat P. Dicastillo *loc. cit. Disp. 2. tota dubit. 9.* doctè, ut solet. Potiùs nota, malè à Fagundez *Præcep. 3. lib. 2. cap. 4.* noxæ lethalis damnari refrigerantes circumjectâ glacie aquam adhibendam sacrificio, cùm nulla lex etiam sub veniali præcipiat, ut usurpetur talis aqua, qualis est hausta ex fonte. Tamb. *loc. cit.*

APPENDIX.

Quid si verò ad præcavendam congelationem vini, & specierum, fieret id, quod proponit hic

Casus novæ inventionis?

a *Bernardinus vir integris moribus, Capellanus cujusdam insignis Ecclesiæ Collegiatæ, jam à permultis Annis consuevit lituraturus ad aram, rigente hyeme, deferre in illam multò aliis frigidiorem Ecclesiam, silicem probè calefactum, mundo autem linteolo involutum, húncque imponere suo calici, & relinquere in eo, donec vinum infundat. Hac ratione impedit, ne, dum cæterorum itidem eodem in loco sacrificantium calices quotidie congelascunt, esto, vinum ad prunas calefactum infuderint, suus quoque subeat idem incommodum. Quæsiit ex me Superior ejus, præclarus Theologiæ Doctor, essétne tolerandus, an tollendus ille, omnibus aliis inusitatus mos. quid fuit à me respondendum?*

b Vide ægre damno illa, quæ ex una parte non repugnant ulli Legi, aut consuetudini obligatoriæ, ex altera autem parte tollunt quædam incommoda, & tolerantur non ab uno, sed à pluribus superioribus Ecclesiasticis, qui possent integre impedire, si vellent. Quando enim hæ tres circumstantiæ conveniunt, soleo confugere ad Regulam, quam Glossa Marginalis *c. 2. De transl. Episc. verbo. Non invenitur* communiter recepta tradit his verbis: *Concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur*; & *ibid.* altera Glossa, seu Joannes Andreas: *Omnia concessa intelliguntur, quæ non sunt expressè prohibita.* Sanè habuit ille Bernardinus plures Superiores, qui non vetuerunt continuationem ejusmodi calefactionis, recurrentis quot ferè Annis, eò quòd ingressus in eam Ecclesiam pateat per tot januas, ut sit propè æquè frigida, atque ipsum forum. Imò cùm ex occasione recensuissem Reverendissimo, & illustrissimo Domino Ordinario hanc praxin, visus fuit probare potiùs, quàm improbare, & meritò, Siquidem præterquàm quòd ea nihil absurdi contineat in se, impedit insuper non leve incommodum, quod experiuntur cæteri. Dum non nisi magnâ difficultate solvunt species congelatas, coguntúrq; nonnunquam sumere nondum integre liquefactas. Consuetudo diversa vigens passim in Diœcesi, non est obligatoria, sicut nec facit huc Rubrica *de defectibus*. quatenus agit de materia calicis congelati, tantùm enim docet, quid sit agendum post congelationem, non quid agendum, ne fiat congelatio. Ex quibus infero, si alicubi invaluit ea dexteritas nostri Bernardini, non videri impediendum usum illius.

Sed ecce, cùm hæc jam exarâssem, venit mihi in mentem, literis quærere ex quodam Patre nostro Philosophiam profitente Vilnæ in Lithuania, mihíque noto ex annua cohabitatione, quis mos circa seu ad impediendam, seu ad tollendam congelationem tempore sacrificii vigeat in ea multò frigidissima regione, ob declinationem magnam ad polum arcticum, ac proinde gelidiore, quàm sit ipsa Polonia. Respondit autem 1. Maii. Anno 1670. c

Hisce verbis.

Casum illum Constantiensem credat R. V. esse nobis familiarem utimur enim globis, vel ex ære, vel ex ferro calefactis, quos in calice ad infusionem detinemus. Ego tali medio raro usus sum, quia non multum proficiebat, maximè quando calix non fuit aliunde tepefactus. Unde si contigit congelari species, intra volas sumpto calice, nativo calore glaciem solvebam. Also postea illis intensis frigoribus utebar medio. Nam supra prunas ad latus Epistolæ, ab aliquo ex sodalibus (cùm enim Præses Congregationis, sub titulo Visitantis Virginis sim, semper in sacello ejusdem affixo Ecclesiæ Sacris operor) calefiebat calix, & vinum sacrificio adhibendum, ut etiam pro aliis altaribus solet calefieri vinum. Hoc medio liber fui à molesta congelatione specierum, non liber tamen à manuum frigore intenso, quod hoc Anno ita sævum fuit, ut discipulis aliquot diebus licitum, ne- d
rit abesse à re divina.

QUÆ FORMA SACRIFICII, SEU EVCHARISTIÆ.

CASUS III.

Terrificus.

SUMMARIUM.

Pastor cum suis collegis abutens verbis consecrationis, igne cœlitus misso cum iisdem consumitur. 66.

Quando graviter peccet ſacerdos efferens altâ voce verba Conſecrationis? 69.
Laicus, qui mimicè, & hiſtrionicè proferret verba Conſecrationis, reus eſſet peccati mortalis. 70.
Excuſantur à culpa pueri, qui domi altaria erigunt, & ſicca ſacra faciunt. 71.
Excuſatur etiam ille Dominus, qui ſacerdotem in privato oratorio celebrantem imitabatur, legendo ſacrum ex Miſſali præter verba Conſecrationis. 72.
Forma Conſecrationis panis quæ? 74.
Si ex imperitia Grammatica dicat aliquis meus; *aut ex balbutie linguæ* meu, *adhuc* valida *erit forma. 75.*
In forma Conſecrationis calicis omiſſio particulæ enim *excuſatur à culpa lethali. 76.*
Explicantur verba Conſecrationis Calicis. 77.
Explicatur ſignificatio pronominis Hic, *&* Hoc *in Conſecratione panis, & vini 79.*
Materia tempore Conſecrationis quomodo debeat eſſe præſens? 81. & ſeqq.
Ante Conſecrationem detegendum eſt vas, in quo ſunt hoſtiæ conſecrandæ. 83.
Quomodo materia Conſecrationis debeat eſſe determinata? 84.
Si inſcio ſacerdote adituus poſuit hoſtias ſuper altare, non conſecrantur; conſecrantur, ſi ſacerdos advertit, eas afferri. 85.
Hoſtiæ poni debent ſupra altare ante Offertorium. Ibid.
Licitè *conſecrantur, ſi adſint ante præfationem.* Ib
Quid ſi immediatè *ante Conſecrationem?* Ibid.
An alius ſacerdos licitè *auferat ſtatim poſt Conſecrationem ciborium, ut præbeat populo ſacram Communionem? 86.*
Qui habet intentionem conſecrandi, quidquid poteſt validè, *conſecrat hoſtias, quamvis coopertas, & poſitas juxta corporale. 87.*
Quid ſi habuit intentionem tantùm conſecrandi, quidquid poteſt licitè? Ibid.
Poſitas ſupra corporale conſecrat, etiam immemor earum, ſi antecedenter *habuit intentionem eas conſecrandi. 88.*
Guttæ, quæ calici adhærent, probabilius non conſecrantur, niſi præceſſerit intentio conſecrandi, quidquid eſt validè *conſecrabile 89.*
Sub ſpeciebus panis vi verborum *quid ponatur? 90.*
Quid concomitanter? Ibid.
Verba Conſecrationis non proferuntur ſolùm recitativè, *neque ſolùm* ſignificativè, *ſed poſſunt utroque modo enuntiari. 92.*
Debent autem ſaltèm ſignificativè *pronuntiari. 93.*
Quantum peccet repetens verba conſecratoria, vel unum pronuntians diu poſt alterum? 94.

66 *Cyrillus paſtor cum ſuis collegis mandaverat memoriæ ſacrum Canonem, quia videlicet ſolebat à ſacerdotibus ſacrificantibus pronuntiari altâ voce. Adeo ut in compitis & vicis piè decantaretur à plebe. Is igitur die quodam lapidi tanquam altari panem impoſuit, atque cum ſociis auſu temerario ſacroſancta verba protulit. Quæ levitas, ac temeritas ita Numini diſplicuit, ut igne cœlitus miſſo omnes illos paſtores è veſtigio conſumpſerit.*

Teſtis hujus terrificæ vindictæ eſt Jodoc. Clichtoveus, & ex illo P. Dauroult *Cap. 5 Tit. 1.* quæ ſuppediat nobis quâ occaſionem, quâ etiam cauſam proponendi, ac reſolvendi ſeqq. quæſtiones. 67

Quæritur quippe I. *An graviter delinquat ſacerdos hac ætate, ſi verba Conſecrationis proferat tam altâ voce, ut etiam diſtantes audiant.* Reſp Rubricæ *De ritu celebrandi Miſſam, ſub titulo: De Canone*, ita præciſè loquuntur: *Diſtinctè, reverenter, & ſecretè proferat verba Conſecrationis.* Quæ verba licèt non contineant ullum ſaltem grave præceptum, & proinde excuſandi ſint illi, qui vocem ita intendunt, ut Miniſter ſacri eos audire queat, gravis tamen venialis damno, qui ad ſex vel octo paſſus; mortalis verò, quī ad 40. audiri conſueviſſet, ſiquidem ille utcunque, iſte valde notabiliter ageret contra ritum communiſſimum in actione omnium graviſſima, darétque occaſiones obmurmurationum, ſcandalorum, offenſionum. Conſentiunt Doctores cum Gavanto *Part. 1. tit. 16. n. 1.* Noſtræ Conſtitutiones Synod. *Part. 1. tit. 9. num. 9.* ita ſtatuunt: *In Miſſa canon uterque tacitè recitetur; Cætera voce clariore dicantur.* 68

Quæritur II. *Sitne laicus gravis delicti reus, dum profert verba Conſecrationis?* Reſp. *Per ſe* nullius. Illa quippe ſine ullo peccato legit in libro, quidni & ſine peccato pronuntiet? Igitur accidentaria circumſtantia ſuperveniat neceſſe eſt, ut damnetur peccati: ut ſi ad jocos etiam honeſtos trahantur *At contraherétne noxam lethalem, qui imitaretur factum Cyrilli, ac ſociorum?* Reſp. Quamvis à gravibus Doctoribus cenſeantur non niſi venialiter deliquiſſe Bethſamitæ arcam aſpiciendo, Oza manum in eam extendendo, quos tamen Deus ſubitaneâ morte plexit 1. *Reg. c. 6. & l. 2. c. 6.* aliud tamen cenſeo de repræſentantibus *mimicè* atque *hiſtrionicè*, ut faciebat malè feriatus Cyrillus, tam ſacroſanctam actionem. 69

An igitur damnabis pueros innocentes, qui domi altariola excitant, inque iis ſacra ficca faciunt? Reſp. Si ex mera pietate, & qua poſſunt decentiâ, ac ſine prolatione formulæ, ſine uſu ſacrorum vaſorum, ſeu veſtium id agant, non damno. Quin etiam approbo, ductus judicio prudentum, cui obſecutus Franciſcus Sachinus in Hiſtoria Societatis *p. 3. lib. 8. num. 40.* laudat infantiam S. Franciſci Borgiæ etiam inde, quòd ipſi *pro ipſius fuerit ſacrificantium imitatio.* Quapropter non vereor hic deſcribere Reſponſum, quod 7. Septembr. Anni 1661. dedi ad hunc propoſitum mihi 70 71

Ca-

Caſum ſingularis pietatis.

72 *Dominus N. habet ex juſtiſſima cauſa à ſuo Domino Ordinario poteſtatem curandi ſibi fieri ſacrum in Oratorio privato, cui non contentus intereſſe, habet perſæpe ante ſe Miſſale, atque ſummiſſa voce ex eo omnia (præter verba conſecratoria) piè legit. Alia quidem ſolùm* recitativè, *quæ ſcilicet habent reſpectum ad ipſummet ſolum ſacerdotem ſacrificantem, alia autem* ſignificativè, *ut Confiteor, Collectas, alia permulta. Quæſitum igitur fuit ex me à quodam pio Jureconſulto, quid ſentirem de ejuſmodi facto, illum quippe bonum Dominum cupere ſcire, an rectè agat, an ſecus?*

Reſpondi, ac reſpondeo inprimis. Eum *de ſe loquendo* non videri deliquere contra ullam legem ſcriptam, aut non ſcriptam. Ergo licere illi *per ſe loquendo* pergere in illa ſua pietate. 73 Nam conceſſum intelligitur quidquid expreſſè prohibitum non reperitur. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 17. n. 15.* deſumens hoc Axioma *ex leg. Nec non §. Quod ejus ff. In quibus cauſ. major.* Deinde addidi, etiam; *per ſe loquendo* rectè facere. Quia optimus modus audiendi ſacri eſt, communicare cum ſacrificante; quandoquidem ipſe perfectiùs audit ſacrum, quàm circumſtantes. Suarez *Tom. 3. in 3. Part. Diſp. 88. Sect. 4.* communicat autem perfectiùs cum illo is, qui, quoad poteſt, facit omnia, quæ ille. Tunc quippe ſingulariter, ac per quandam antonomaſiam deſignatur per illa verba ſacerdotis: *Pro quibus tibi offerimus: vel Qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*, & habet omnium perfectiſſimam attentionem. Porrò dicitur legere ſolùm *recitativè*, ſeu *materialiter*, qui legit non intendens ſignificare mentem ſuam per verba, quæ recitat, ſicut non intendunt actores ſcenici. Vide infrà *n. 93.*

74 Quæritur III. *Quæ ſit forma conſecrationis?* Reſ. Forma, qua panis conſecratur, eſt hæc: *Hoc eſt enim corpus meum.* Cujus ſingulæ voces præter mediam, ſunt eſſentiales. *At quid ſi imperitus Grammaticæ dicat*: Hoc eſt corpus meus, *an non valebit conſecratio?* Reſp. Valebit, ſicut Baptiſmus collatus ab illo, qui baptizabat in nomine patria, & filia, & Spiritu ſancta, & quem approbavit Zacharias Papa relatus *c. Retulerunt. De conſ. diſt. 4. Quid ſi autem* 75 *ex balbutie, aut feſtinatione dicat*: Hoc eſt corpus meu? Ait rectè Layman. *Lib. 5. Tract. 1. c. 4. n. 4.* valiturum, nam truncatio ultimæ ſyllabæ in hoc caſu non mutat ſignificationem. Nec in priore mutabat, quia conſtabat, illum, de quo Zacharias, ex imperitia exiſtimâſſe ea verba ita deſinere, ejúſque inſcitia erat vulgò nota. Qua de re vide plura *Tract. præced. Caſ. II. n. 787.*

Forma, qua vinum conſecratur, eſt hæc, 76 *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et quidem certum eſt, verba illa: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſeu: *Hic eſt ſanguis meus*, eſſe de eſſentia: ſicut etiam indubitatum eſt, reliquorum nullum, exceptâ particulâ *Enim*, poſſe jam *deliberatè* omitti citra noxam lethalem. An verò citra irritationem Sacramenti, controverſum eſt. Aſſentior negantibus requiri ad eſſentiam, quia multæ Eccleſiæ egregiè Catholicæ olim omittebant alias, atque alias ex iis particu is. Legeſis Dom. Reding. *cit. q. 2. art. 2. Controverſ. 2. num. 10. & ſeqq.* nervoſè, ut aſſolet, refutantem recentiſſimum Thomiſtam Gonetium, plura quàm nos exigentem ad eſſentiam præſentis formulæ.

Verba illa: Teſtamenti, &: Myſterium fidei, 77 *non intelligo. Explica ſis, ut tantò majore cum devotione uſurpem.* Libenter tibi gratificabor. Itaque ad voculam *Teſtamenti*, ſubintelligitur: *Confirmatio*, quia ſanguis Chriſti effuſus, eſt Confirmatio teſtamenti, id eſt, promiſſionis factæ à Chriſto *Joan. 6 Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Vel: *Teſtamenti*, id eſt propriè dicti Teſtamenti, nam ſanguis Chriſti eſt authenticum inſtrumentum, quo continetur ultima voluntas Redemptoris, nos ad æternam hæreditatem deſtinantis. Ut proin- 78 de illorum verborum ſit hic ſenſus: Hic eſt calix ſanguinis mei, qui ſanguis meus eſt verum, novum, atque æternum Teſtamentum, ac ſimul myſterium fidei, ſeu Sacramentum, id eſt ſignum occultæ rei, quæ ſolâ fide cernitur.

Quæritur IV. *Quid propriè ſignificetur per illos duos demonſtrativos articulos formulæ: Hic & Hoc?* Reſp. Inter octo diverſas explicationes, quas refert Dicaſtillo *de Euchariſt. Tr. 4. Diſp. 3. dubit. 10.* mihi probari duas. *Primam*, 79 quam poſt Suarez tradit Tannerus *Tom. 4. Diſp. 3. quæſt. 3. num. 34.* quòd videlicet pronomen *Hoc* & *Hic* faciant hunc ſenſum: *Subſtantia contenta ſub his accidentibus panis, eſt corpus meum*: *Subſtantia ſub his accidentibus vini eſt ſanguis meus. Alteram*, quam latè defendit P. Vaſquez *Tom. 3. in 3. Part. d. 201. Cap. 4.* & Dicaſtillo *loc. cit.* cum aliis, quòd hæc pronomina referantur *immediatè* ad prædicatum, faciántque hunc ſenſum: *Hoc corpus eſt corpus meum*: *Hic calix eſt calix ſanguinis mei*: ſicuti quando dicis: *Hæc eſt mater mea*, ſenſus immediatus eſt. *Hæc mater eſt mater mea.* Nullo autem modo eſt toleranda hæc explicatio *Hic* 80 *panis eſt corpus meum.* Eſt enim apertè falſum: quod illud ipſum, quod eſt panis, ſit ſimul corpus Chriſti. Relege, ſi placet ea, quæ in *Tract. 1. num. 200. 201. 205 & 208* dixi de errore circa ſignificationem vocularum: *Hic*: *Hoc*: & *Corpus*; an, & quomodo error circa ſignificationem harum particularum reddat conſecratio-

erationem invalidam. Porrò, quia pronominibus *Hoc* & *Hic* non solet designari nisi res ad sensum præsens, & definita, idcirco.

81 Quæritur V. *Quomodo materia panis, & vini debeat esse præsens tempore consecrationis?* Respond. Ita, ut illi duo articuli retineant tunc suum proprium sensum, & non potiùs oporteat dicere: *Illud*: *ille*. Sicut notat reliquos inter Vasquez *Disp.* 171. *c.* 4. rejiciens etiam particulam: *Iste*. Nam pronomen *iste*, *ista*, *istud* apud Latinos propriè significat rem, aut personam existentem in loco, in quo est is, quem al. loquimur. dum enim dico Petro: Iste liber est

82 meus, indico, librum, qui est apud ipsum, esse meum. Sicuti quando Constantiâ scribo Augustam: *Doleo, quòd istius urbis cives non sint omnes Catholici. Gaudeo istic reperiri tam ferventes Orthodoxos*, veræ Latinitatis periti intelligunt, me loqui de Augustanis, non de Constantiensibus. Hinc, quando hostia vase aliquo continetur, aut cooperta est, si illo vase, operculo, thecâ demonstratis per particulam *Hoc*, censeatur juxta vel communem usum, vel præsentes circumstantias demonstrari id, quod sub iis continetur, valet consecratio. Sin minùs, non valet. Suarez *Disp.* 43. *Sect.* 5. Vasquez *loc. cit.* Tann. *cit. Disp.* 5. *quæst.* 2. *num.* 65.

83 *Quid igitur pronuntiandum de casu, quo hostiæ pro communicantibus consecrandæ continentur calice, ciboria, thecâ, seu vittâ lineâ, & tempore consecrationis non deleguntur hæc vasa?* Resp. Si nil aliud obsit, nil dubita de valore consecrationis. Tann. *l. c.* licèt reprehensionem mereatur, qui non discooperit. Vice versâ meritò dubitat Bonac. *disp* 4. *de Sacram. q.* 2. *p.* 6. *n.* 10. An rectè censeat Henriq. *l.* 8. *c.* 14. consecrari posse materiam distantem 20. passus. Eam materiam debere esse sensu aliquo perceptibilem, tradunt omnes, quamvis fortè non possit percipi ab ipsomet consecrante, ut rectè Tann. *n.* 52. contra Vasquez, aut non teneatur manibus consecrantis. Videto omnino Dom. Augustum Reding *cit. Tom.* 6. *q.* 2. *a.* 1. *Controv.* 4. multùm *practicè* elucidantem necessitatem, & sufficientiam præsentiæ *moralis*; proderit legisse.

84 Quæritur VI. *Quomodo debeat esse materia consecrationis determinata?* Resp. Per intentionem (fusiùs *num.* 783. explicandam) ipsiusmet sacerdotis, à qua essentialiter pendet res tota. Et proinde ad tollendos scrupulos, consultum est, ut antè, vel in ipsa Missa expressè dicat, esse suam intentionem consecrare omnem materiam consecrabilem, quæ erit tempore consecrationis præsens, & quam juxta morem Ecclesiæ deberet hîc, & nunc consecrare. Qua quidem intentione positâ si contingat, ut in tuis manibus pro te, vel supra corporale pro communicantibus reperias post consecrationem plures hostias, quàm putaveras, ne ambigas, quin omnes sint conversæ in corpus Christi, sicuti & erunt, licèt non forma veris illam intentionem, modò non habueris contrariam. Tann. *n.* 72.

85 *Quid si autem ædituus me inscio posuit ante offertorium supra altare hostias consecrandas pro populo, nec de iis cogitavi?* Resp. Remanebunt, quales antè erant. Layman. *L.* 5. *Tr.* 4. *c.* 2, *n.* 14. cum aliis. *At non cogitavi quidem expressè eas consecrare, vidi tamen afferri, seu allatas esse.* Respond. Fient è non sacris sacræ. Laym. *ibid.* Qui licèt rectè dicat, esse ponendas supra altare ante offertorium, idque faciendum innuant Rubricæ Missalis §. 7. *n.* 3. attamen Diana *p.* 2. *Tr.* 14. *res.* 71. cum Gavanto *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 19. meritò docet, licitè consecrari, modò adsint ante Præfationem, & quidni modò adsint ante consuetam consecrationem? Saltem, ut etiam Tambur. *L.* 2. *C.* 5. §. 2 observat, in eo casu, in quo, si non consecrarentur, dimittendi essent alii sine communione.

86 *Sed estne tunc facienda oblatio illarum novarũ particularum?* Resp. Mente, non verbis. Gavant. Diana, Tambur. *Quid si tantùm unus esset ita dimittendus?* Resp. Non consecrarem pro illo peculiarem hostiam, sed secutus arbitrium Gavanti, & aliorum diffringerem particulam è mea grandiore, ipsique porrigerem. *Vix factâ consecratione particularum aufert alius sacerdos, ut præbeat volenti communionem, an sine peccato?* Resp. Sine mortali, quia non agit contra grave præceptum. At non sine veniali, nisi sit aliqua, ut non semel vidi, necessitas tam maturè ministrandi illis panem supersubstantialem. Est quippe aliqua inordinatio, si super illis non formentur signa, præscripta in Missali. Tamburinus.

87 *Rubricæ statuunt, ut hostiæ sint tempore consecrationis supra arulam, supráque ipsum Corporale, & discoopertæ. Quid si horum aliquid deest? an censebuntur nihilominus consecratæ ab eo, qui habuit duntaxat intentionem consecrandi, quidquid posset validè?* Resp. Censebuntur. *Quid si illa fiat solùm consecrandi, quidquid licitè posset?* Resp. Quia admodum graviter, ut notat Dicast. *cit. Tr.* 4. *d.* 2. *n.* 206. post Coninck, Reginal. & Bonac. agitur contra institutum Ecclesiæ, si consecrentur non positæ supra arulam, & corporale, idcirco prædicta intentio nil operabitur juxta Suarez *d.* 43. *sect* 6. Tann. *n.* 74. Dian. *P.* 5. *Tr.* 14. *res.* 19. Gav. *p.* 3. *tit.* 7. *n.* 4. Tamb. *l.* 2. *c.* 1. §. 3. *n.* 19. Quia tamen probabiliter dici potest, Ecclesiam permittere, ut in tali casu inadvertentiæ prædicta intentio extendatur ad tales hostias, poterunt absque nova consecratione præberi fidelibus in casu manifestæ necessitatis, ut rectè Tanner. *l. c.* Imò extra necessitatem posse id fieri, tradit Gamachæus apud Dianam, multis probans & defendens cum Jo. Præposito, esse verè consecratas, suadens tamen, ne (extra necessitatem) præbeantur aliis absque nova consecratione. Quod & ego suadeo, interim observans, testari Laymannum *cit. tr.* 4. *c.* 2. *n.* 14. *in fin.* esse intentionem, & praxin Ecclesiæ, ut, si sacerdos tempore oblationis non recordetur formarum appositarum, vel tempore consecrationis sit immemor oblatarum, censeantur nihilominus consecratæ, dummodo habuerit saltem *Virtualem* intentionem eas consecrandi, ut si e. g. rationabili modo advertit, vel scivit, hostias à se consecrandas ad altare adferri, ut loquitur *n.* 14 *in fin.* non restringens ad positas super Corporale, vel Arulam; at meritò negans de iis, de quibus nihil scivit sacrificans. De non discoopertis nulla est difficultas, modò nihil aliud desit. Tambur. *loc. cit.* Diana *Part.* 3. *Tract.* 6. *Res.* 103.

88 *Quid autem judicandum de guttis, quæ non infrequenter adhærent hinc inde calici sejunctæ à potiore parte vini?* Resp. Præter ea, quæ de iis dixi *Cas. præced. n.* 64. Si non abstersisti, secundùm dicta *n.* 64. credibilius est, non fuisse transmutatas in sanguinem Christi Salvatoris, nisi præcesserit intentio consecrandi, quidquid esset *validè* consecrabile, quia intentio consecrandi, quidquid est *licitè* consecrabile, extendit se solùm ad liquorem, qui per modum continui est tempore consecrationis in calice. Suarez *cit. sect.* 6. Laym. *loc. cit. n.* 14. Gavant. *l. c.* Coninck *q.* 74. *n.* 43. Tamburin. *l c. n.* 23. latè, & alii, valde probabiliter contrarium defendentibus Tann. *n.* 76. Dicastillo *n.* 223. Vide id, quod suprà *n.* 65. in App. retuli ex D. Reding.

90 Quæritur VII. *Quid operentur verba consecrationis?* Respond. Ut iis prolatis destruatur tota substantia panis, totaque substantia vini, subque illorum accidentibus constituatur eorum loco Corpus, Sanguisque Christi; & ita quidem, ut sub accidentibus panis vi verborum, id est, *per se*, *directè*, *primariò* non ponatur plus, quàm Corpus Christi, licèt *concomitanter*, id est, *per accidens*, *indirectè*, *secundariò*, verissimè tamen ibidem constituatur anima, sanguis, divinitas. Sicut sub speciebus vini collocatur vi verborum non plus, quàm sanguis Salvatoris, *concomitanter* autem, verissimèque corpus, anima, divinitas, ut clarè traditur in Concil. Trident. *sess.* 13. *c.* 3.

91 Quia videlicet vocabulum *Corpus* secundùm suam communem significationem non exprimit animam, sanguinem, Deitatem, sed solam corpoream molem constantem ossibus, nervis, carne &c. Sicuti calix sanguinis non significat *directè*, & *per se* plus, quàm poculum sanguinis, non autem poculum animæ. Quia tamen Christus Dominus decrevit, non amplius permittere, ut suum corpus existat sine anima & sanguine, alioqui moreretur quotidie cùm tamen Apostolus *ad Rom.* 6. scribat: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*; idcirco consequenter fit, ut, ubi statuitur unum horum, ibi & alterum; adeóque ex decreto Christi unum comitetur alterum, indéque orta illa phrasis. *Concomitanter.* Ferè sicuti quando in tuas ædes invitas Titium, quem certò nôsti non esse venturum sine Cajo, censeris *concomitanter* invitare ipsummet Cajum. *Ergo si S. Petrus feciss et Sacrum, dum Christi corpus jacebat in sepulchro, non fuisset sub speciebus panis nisi Corpus Christi?* Resp. Non fuisset illic quidem aut anima, aut sanguis, adfuisset tamen divinitas, quia quod Deus assumpsit, nunquâ dimisit. S. Damascen. *L.* 3. *De fide, c.* 27. Vide S Thomam 3. *Part. q.* 12. *art.* 2. *in Corp.*

92 Quæritur 8. *Virùm verba consecrationis proferantur à Sacerdote recitativè*, seu *historicè* & *materialiter*, quando enunciantur per modum narrantis: *significativè* autem, & *formaliter*, quando per modum asserentis, volentisque per verba illa indicare suum animi sensum? Facit resolutio hujus quæstionis ad piam praxin, indeóque illam resolvo, asserendo cum communiore sensu Theologorum, non proferri solùm *recitativè*, ut placuit Durando, atque aliis apud P. Suarez *Disp.* 58. *sect.* 4. neque solùm *significativè*, ut contendit P. Vasquez *Disp.* 200. *cap.* 2. post S. Bonaventuram, & alios, sed posse utroque modo enuntiari. Ita Suarez *loc. cit.* Cardinalis de Lugo *Disp.* 11. P. Dicastillo *Disp.* 3. *dub.* 9. Nicolaus Ysambert. in 3. *p. q* 3. *disp.* 3. *a.* 1. & plurimi apud hos. Declaratur. Nam sicuti sacrificans dum ait: *Dixit Jesus Discipulis suis: Ego sum Pastor bonus*, fungitur officio narrantis, Christum protulisse hæc verba: *Ego sum Pastor bonus*, ita etiam fungitur illo officio, quando dicit: *deditque Discipulis suis dicens: accipite, & manducate; hoc est enim Corpus meum*; ergo sicut in priore casu profert *recitativè* illa verba: *Ego sum Pastor bonus*, ita & ista: *Hoc est enim Corpus meum*. Rursum sicuti quando S. Paulus *Act.* 20. retulit, Christum Dominum dixisse: *Beatius est magis dare, quàm accipere*, sine dubio voluit his ipsis verbis etiam significare, se omnino sentire, quòd sit beatiùs dare, quàm accipere, & proinde protulit ea verba *significativè*, ita & sacerdos *significativè*, ac *formaliter* profert illa verba. *Hoc est enim Corpus meum*: *Hic est enim Calix sanguinis mei*, vult enim iis indicare, substantiam contentam sub speciebus, quas videt, esse verè Corpus suum, suum, inquam, quatenus repræsentat ipse personam Christi, seu quatenus ipse est alter Christus, nam *ea verba dicuntur à sacerdote, ac si Christus præsentialiter ea proferret*, inquit S. Thom. *quæst.* 78. *art.* 3. *in Corp.* Quamvis autem repugnet, eadem verba proferri *recitativè* tantùm, & *significativè* simul, non tamen obstat, quo minùs efferantur simul *recitativè*, & *significativè*, ut liquet ex instantia, quam paulò antè attuli de verbis Christi, *citatis* à S. Paulo. Et nónne Concionatores creberrimè dicunt: O quàm rectè scripsit S. Joannes: *totus mundus in maligno positus est*? quod dum pronuntiant, funguntur officio narrantium, & simul credentium, esse verum, quod narrant.

93 Addunt DD. nostræ responsionis, sacerdo-

cem non teneri efferre *recitativè* illa verba consecratoria, sed satisfacere, si *significativè*, debere autem necessariò *significativè* proloqui. Equidem Florentinum Concilium exprimit, sacerdotem *in persona Christi loquentem* conficere hoc Sacramentum. Si loquitur in persona Christi, ergo *verè & propriè* asserit, illud esse suum (tanquam alterius Christi) corpus, & sanguinem. *At sui hactenus imbutus opinione, quòd illa verba promantur tantùm recitativè, & cum hac opinione, imò & intentione consecravi, an invalide?* Respondet doctus Ysambert *l. c. validè*, nam tua generalis intentio faciendi, quod decrevit Christus, fuit validior falsâ tuâ opinione, seu errore privato juxta communem doctrinam traditam *Tract.* 1. *sect.* 5. *num.* 103. Addunt iidem Doctores, illa verba: *qui pro vobis, & pro multis effundetur* non *significativè* sed *recitativè* dici à sacerdote, quia non effundetur ampliùs Christi sanguis. Hæc sufficiant ad declarandum, quomodo ea verba proferantur in persona Christi, & simul ad excitandum ingentem horrorem omnis peccatiin eo, qui est repræsentaturus coram Deo, & hominibus Agnum Dei, qui tollit peccata mundi.

94 *Sed oro, dic pro coronide hujus Casûs, quid censeas de quibusdam, qui formulam consecrationis ita proferunt, ut unum verbum bis, térve repetere, unam vocalem diu post alteram pronuntiare soleant?* Resp. Eos committere peccatum ex suo genere mortale, quia inducunt novum ritum circa actionem omnium gravissimam; mutant formulam sacramentalem, ponendo bis, térve unum verbum; repræsentant nobis Chri-
95 stum ridiculè loquentem. Credo tamen, tales coram Deo non peccare graviter, quia scrupuli eos adigunt ad hanc parvam stultitiam. Ita libere, atque apertè loquor de iis, quia clavus clavo, scrupulus insanus scrupulo sano pellendus est.

Vnde Sacrilegus ille Diaconus non consecravit. 99.
Non est tamen consultum, ut, qui sacro interest, assuescat expressè dicere: Adoro hanc hostiam, *si verè est consecrata, (ad evitandam idololatriam materialem hostiæ non consecratæ,) quia rarò contingit. 101.*
Et quia in tali casu ne materialis quidem Idololatria committitur à viris probis. 102.
Christus est principalis sacrificans. 103.
Alii etiam mortales possunt aliquo modo dici sacrificare. 104.
Tertium locum inter offerentes obtinet universa Ecclesia, cujus legatus est sacerdos sacrificans. 106.
Qui quartum, & reliquos? 107. & seqq.
Hi omnes participant aliquo modo fructum Sacrificii ex opere operato. 110.
Preces boni sacerdotis plus possunt, quàm alterius mali. 113.
Vnde non sunt reprehendendi, qui libentiùs audiunt Sacrum boni sacerdotis, imò laudandi, qui per tales curant fieri Sacra. 115.
Quomodo se gerere debeant Neomystæ, quando consecrant cum Episcopo? & an possint illud sacrum offerre pro alio? 116. 117.

QUIS MINISTER SACRIFICII.

CASVS. IV.

Lacrymabilis.

SVMMARIVM.

Diaconus simulans se Ordirem sacerdotalem suscepisse, dum sacrilege facit primum sacrum, quoties se vertit ad populum videt Crucifixum contra se stantem lacrymantem. 96.
Has lacrymas eliciunt Christo etiam indigni sacerdotes. 97.
Solus, & omnis Sacerdotali Charactere insignitus propriè sacrificat. 98.

DIaconus quidam Gebhardus nomine, 96
circa quatuor tempora se Ordinem sacerdotalem suscepisse finxit, & Coloniæ in Basilica S. Michaëlis, quasi primam Missam, instruente eum sacerdote, missarium celebravit. Ego eidem Missæ tum scholaris interfui, & multas recepit oblationes. Confessus postea est sacerdoti, qui ei astitit, à quo ego audivi, quod, quoties se vertit ad populum, Crucifixum contra se stantem viderit lacrymantem. Est enim imago antiqua, & sculpta, & magna satis. Nam pius Dominus, qui olim flevit super malitia ruituræ Jerusalem, etiam de præsumptione tanta lacrymari dignatus est. Ex lacrymis verò imaginis Christi considerans magnitudinem culpæ, pœnitentiâ ductus Apostolicam sedem petiit, & in eadem via vitam finivit.

Sunt hæc prima, postrema, intermedia ver- 97
ba Cæsarii *Lib. 9. Illustrium miraculorum Cap. 61. fol. 281. edit. Colon.* Porrò hæ lacrymæ Salvatoris, quas eliciunt Christo non solùm, qui sacerdotale officium usurpant, cùm sacerdotes non sint, sed etiam ipsi veri Sacerdotes, quî sacerdotale munus obeunt destituti qualitatibus ad id requisitis, subministrant ansam efferendi, *primò* quisnam sit Minister Sacrificii? *secundò* quibus debeat ipse præditus esse qualitatibus, ne indignè sacrificans, Christo, ac Cœlitibus dolorem, sibi æternum luctum conciliet? *Primum* expediemus nunc: alterum

seqq.

seqq. Casibus, præsertim *Casus XIII. XIV. & XIX.*

98 Quæritur itaque 1. *Quis propriè sit hujus Sacrificii Minister, seu quis propriè sacrificet?* Resp. I. Inter puros homines omnis, & solus sacerdotali charactere insignitus propriè sacrificat. Dico in primis: *Omnis*: adeóque irregularis, excommunicatus, hæreticus, ac degradatus quoque sacrificat *validè*. S. Thom. *quæst. 82. a. 7. & 8.* probans inde, quòd potestas consecrandi Eucharistiam pertineat ad characterem sacerdotalem Ordinis. Dico deinde: *Solus*, ut adversùs Lutherum, atque alios hæreticos definit Sacra Synodus Trident. *sess. 22. cap. 1. & 2. & can. 2.*

99 Igitur malè feriatus ille Diaconus, de quo noster lachrimabilis Casus, non consecravit, licèt verbis mysticis sit usus. *Ergo horrendam idololatriam commiserunt, qui adorârunt hostiam, quam ipse de more ostendebat populo.* Resp. Si quidem illam absolutè adorârunt, tum sanè commiserunt idololatriam, sed tantùm materialem, & prorsus inculpabilem, adeóque minimè aperiendam in confessione, at verò non materialem quidem, si sub conditione adorârunt.

100 Dices: Variis ex causis est non semel factum, ut revera non esset consecrata hostia, quæ habebatur pro tali; (ut e. g. quando fecit sacrum, qui non erat sacerdos ob defectum Baptismi. Unde in Jure Canonico exstat proprius Titulus *De presbytero non baptizato*, longè autem crebriùs contigit, ut pro vino esset solùm aqua in calice,) *an non igitur ad evitandam idololatriam materialem est aut necesse, aut certè consultum, ut quis assuescat dicere expressè: Adoro hanc hostiam, si verè est consecrata: adoro rem in calice contentam, si est verè sanguis Christi?*

101 Resp. Nec necesse est, nec consultum, ut rectè Vasq. *Tom. 1. in 3. Part. Disp. 110. cap. 5.* post Alex. S. Bonav. & S. Thom. *in* 3. Sent. Ratio prima est, quia quæ rarò eveniunt, non temere in agendis negotiis computantur, inquit Jureconsultus *L. Ea quæ rarò, ff De Reg. jur.* id est, eorum nulla ratio regulariter habetur. Decius *in cit. legem.* Est autem uterque hic casus & error longè rarissimus; ergo nullius est considerationis, inquit Bart. *in Leg. Seio. ff.*
102 *De contrahend empt.* Deinde si rem probè perpendamus, non admittitur unquam à viris probis ne *materialis* quidem idololatria in adoratione ejusmodi, ut optimè tradit Vasq. *loc. cit.* atque Bresserus *De conscient. Lib. 5. cap. 12.* Non admittitur idololatria *interior*, quia tota intentio adorantis fertur in verum Christum, non in panem, aut vinum; Non *exterior*, quia *exterior* seu *externa* tota regitur ab *interiore*, seu *interna*, utpote quæ tendit in id solùm, in quod *interna*.

103 Resp. II. Christus Dominus est *principalis* sacrificans. S. Tho. *quæst. 83. art. 3.* tum quia vult suo nomine à sacerdotibus hoc sacrificium Deo Patri offerri, eámque oblatione ratam habet, ferè sicut Dominus, quo jubente, præsente, clarè vidente, approbantéque famulus dat stipem è bonis ipsius domini, ejúsque nomine, dicitur *principaliter* largiri eleemosynam: tum quia idem Redemptor per suam humanitatem tanquam instrumentum divinitatis conjunctum, concurrit ad transubstantiationem, in qua consistit formalis ratio hujus sacrificii; tum quia in cruce omnia, & singula sacrificia futura Patri æterno pro nobis obtulit; tum quia credibile est, eum singula sacrificia, dum actu fiunt, Patri suo offerre actu *elicito*, ut notant Suarez *Disp. 77. sect. 1.* Coninck *in q. 83 art. 1. num.* 108. atque alii; hoc enim ejus in Patrem reverentiæ, atque in homines amori est valde conveniens. Und apparet, quàm propriè in persona Christi dicat sacerdos: *Hoc est Corpus meum.*

Quæritur II. *An non alii mortales possint ali-* 104
quo modo dici sacrificare? Resp. Non esse de hoc dubitandum, quandoquidem in primo Memento disertè dicit sacerdos: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.*

Dices: *Deum bonum! Jam toties feci sacrum,* 105
& tamen nunquam feci reflexionem super sensum horum verborum. Quid dicam tibi? Laudo te? Imo non laudo; laudarem autem, si dum hæc verba profers, ex vera humilitate quandoque cogitares, esse complures è laicis, qui majore pietate, animíque puritate offerunt hoc sacrificium Laudis, quàm tu insignitus Charactere sacerdotali.

Tertium namque locum obtinet inter offe- 106
rentes universa Ecclesia, in qua semper tot eximiè sancti existunt. Etenim sacerdos sacrificans est totius Ecclesiæ Legatus ad Deum; ideo quippe sacerdotes ipsa creat, alitque, ut veluti sui Legati agant cum Deo de rebus gravissimis, quemadmodum liquet ex Apostolo *ad Hebr. 5.* Sicut igitur Respublica ipsa dicitur petere à suo Rege id, quod petit per Legatum suum, ita etiam rectè dixeris, Ecclesiam offerre per sacerdotes tanquam ministros, & Legatos suos omnia omnino sacrificia.

Quarto loco numerandi ii, qui aliquo pe- 107
culiari modo sunt causa Sacrificii. Ut in primis, qui sacerdoti sacris operanti victum subministrant, aut stipendium, tales enim per sacrificulum veluti per interpretem peculiariter delectum sacrificant, uti & ii, qui suppeditavêre necessaria Missæ, e. g. calicem, casulam, vinum &c. quibus meritò accenseas cum ministro sacri ipsum ædituum.

Quintam classem constituunt, quoquot sa- 108
cro Missæ Sacrificio corporaliter intersunt, adeóque cum debita reverentia.

Agmen claudunt, qui solùm *spiritualiter*, 109
non autem *corporaliter* intersunt Sacro, qui scilicet,

licet, cùm nequeant *corporaliter* intereſſe ſaltem ſuis votis vota myſtæ proſequuntur. Suarez *Diſp. 77. ſect. 2. & 3.* poſt S. Tho. *quæſt. 81. art. 6. & 7.*

110 Hi omnes, quia aliquo modo ſacrificant, ideo etiam aliquâ ratione *ex opere operato* participant fructus Sacrificii, eſto Sacerdos nil de illis cogitet, aut etiam excluſos velit, ut notat Suar. *ſect. 8.* addente Ægidio Coninck *n. 154.* eos poſſe hunc fructum applicare aliis, cùm dicatur in Canone Miſſæ: *Proſe, ſuiſque omnibus.*

111 Quæritur III. *Virùm Miſſa ſacerdotis mali minùs valeat, quàm Miſſa ſacerdotis boni?* Hanc quæſtionem his verbis proponit. S Tho. *cit. q. 82. art. 6.* Sed ita reſpondet, ut ipſimet Thomiſtarum Coryphæi Cajet. & Sotus, aliique inter ſe non parùm diſſentiant in explicatione illius reſponſionis.

112 Ego cum Dominico Soto *in 4. diſt. 13. q. 1. a. 6.* atque aliis pluribus dico, ſi Sacrum ſpectetur præciſè, quatenus per illud conficitur Sacramentum Euchariſtiæ, tum ſanè Sacrum mali, id eſt peccatis mortalibus cooperti ſacerdotis tantùm valere, quantùm ſanctiſſimi, quia utrobique conficitur idem Sacramentum, inquit S. Tho. Si verò ſpectetur Miſſa quoad orationes, quæ in ea funduntur, cùm eæ ſint duplicis generis, debet etiam duplex reſpon-
113 ſio de illis dari. Etenim fit, ut ſacerdos ſuo peculiari nomine oret pro aliquo particulari homine, ſicuti ſolemus in utroque Memento, & tunc ſi conſtitutus ſit in ſtatu gratiæ, plùs proderunt ejus preces, quàm alterius contaminati peccato mortali, ut etiam docet S. Tho. & ratio eſt: tum quia preces amici habent utique plus energiæ, quàm hoſtis: tum quia orationes circumferentium bonam, quietam conſcientiam ſolent eſſe attentiores, ferventiores, & cum majore in Deum confidentia, quàm eorum, quos ſæva conſcientia, pravi habitus divexant, & conſequenter ad alia divertunt. Fit quoque, ut quando illas ipſas preces fundit, quæ continentur in Miſſali, & præſertim quæ recurrunt in omnibus quotidianis Sacris, oret nomine Eccleſiæ, & tunc quatenus fundit præciſe nomine Eccleſiæ, habent eandem vim, ſive à malo, qui tamen non ſit excommunicatus (hujus enim miniſterio non vult uti Eccleſia) ſive à bono miniſtro fundantur. Sicuti ſi ex vero Dei amore alicui egenti mittas eleemoſynam per malum ſervum, recipies à Deo tantam mercedem, quantam ſi per ſanctiſſimum, ſi præciſè ſpectetur erogatio facta tuo nomine. At verò ſi illæ ipſæ preces conſiderentur, quatenus nomine Eccleſiæ fiunt à miniſtro cum devotione, quandoquidem devotio boni eſt gratior Deo, quàm mali ſit, ut etiam hac ratione magis proſint.

Unde *abſolutè* dicendum eſt cum eodem Soto, Paludano, Bonav. aliis, quos refert, ſequitúrque Dicaſtillo *Diſp. 3. num. 201.* Sacrum
114 boni ſacerdotis plùs valere, quàm mali. Certè Alex. Papa relatus *Cap. Ipſi 1. quæſt. 1.* ſic pronuntiat: *Quantò digniores fuerint ſacerdotes, tantò faciliùs, pro quibus clamant, exaudiuntur.*

Ergo, inquies, *non ſunt reprehendendi, qui* 115 *libentiùs audiunt Sacrum boni, quàm mali ſacerdotis?* Reſp. Cur eſſent reprehendendi? Cavendum tamen à temerariis judiciis, & longè magis à diffamatione. Quin P. Pellizarius *in Manuali Regularium Tr. 5. c. 9. ſect 3. n. 65.* approbat conſilium P. Fagundezii ſic ſcribentis: *Expedit, pitantias optimis Sacerdotibus dare, & quærere approbatos Religioſos Sacerdotes, qui ſanctè ſancta tractant, ut iis devotiùs, & digniùs offerentibus, accreſcat fructus Sacrificii iis, pro quibus ſacrificant, non ſolùm* ex opere operato, *ſed etiam* ex opere operantis.

Quandoquidem hic tractatur de Miniſtro Sa- 116 *crificii, velim ſcire, quomodo debeant ſe gerere Neomyſtæ, dum die ſuæ conſecrationis proferunt cum Epiſcopo verba ſacroſancta.* Reſp. Debent ita ſe gerere, ut caveant, ne totam formulam abſolvant priùs, quàm Epiſcopus, ſed ut ſimul. Quod quia difficulter obſervatur à nonnullis, idcirco faciant tunc hanc intentionem, & dicant apud ſe: Si formulam abſolvero ante Epiſcopum, volo, ut mea prolatio nihil valeat, valeat autem, ſi finivero cum illo. Sic poſt multos tradit providè Tanner. *cit. q. 9. nu. 65.* Plura hanc in rem tradam *in Alph. Ordin. Caſ. IV. n. 131. & ſeqq.*

At poſſúntne ejuſmodi Neomyſtæ illud ſacrum 117 *offerre Deo pro aliquo?* Reſp. Poſſunt *per ſe loquendo* tam *validè*, quàm poterunt, quando ſoli Miſſam legent. Cùm enim verè ſinguli conſecrent, ut ſuppono ex communiore contra Laymannum *Lib. 5. Tr 2. c. 7. n. 5.* ratum, ab iis ſolùm *materialiter* proferri formulam ſacramentalem, non eſt ratio, cur non æquè atque ipſe Epiſcopus poſſint totum, ut ita loquar, ſacrum donare alteri; Atque ita ſentit Mæratius relatus à Diana *P. 5. Tr. 14. reſ. 112.*

QUIS FRUCTUS SACRIFICII; CUI, & QUO-MODO APPLICANDUS.

CASUS V.

Xaverianus.

SECTIO I.

Fructus Sacrificii.

SUMMARIUM.

Bos ferox, edito ad S. Xaverium voto Sacrificij, ci-curatur. 118.

Sacrificium Miſſæ progignit ſex fructus. 120.
Peccata mortalia tantùm delet mediatè, *venialia etiam* immediatè, *ſi pro peccatis offeratur.* 121. 123.
Immediatè *etiam remittit pœnam Purgatorii, ſaltem ex parte.* 124. 125.
Impetrat bona ſpiritualia, & temporalia. 126.
Cur non ſemper impetret illud, quod petimus. 128.
Caſus Sacerdotis volentis ex vindictâ privare alterum omni fructu ſacrificii ſui, 130.
Dividitur, & explicatur fructus Sacrificii. 131. *& ſeqq.*
Quis fructus minuatur, aut non minuatur ex multitudine participantium? 132. *&* 133.
Portio miniſterialis ex ſola voluntate Chriſti minuitur aucto numero participantium. 135.
Et ideo peccat, qui acceptis duobus legitimis ſtipendiis a duobus hominibus facit unum ſolum ſacrum pro utroque ſimul 136.
Illa portio miniſterialis eſt quoad vim impetrandi quodammodo infinita. 137.
Portio ſpecialiſſima quæ? 139.

118 ERat Joanni Philippo Calvacano bos plane ferox, & indomitus, nec poterat, quidquid artis adhiberet, ferociam animalis edomare, ſeve verberibus in eum ſæviret, ſeve quibuſcunque aliis modis eum peſſimè tractaret, ſemper ille ſibi ſimilis, ferox jugum omne excutiebat, ad omnem planè laborem inutilis. *Accidit, ut aliquando Philippus deſperatus in bovem ſuum edomandum crudeliùs deſæviret, & copioſè jam ſanguinem exore, naribus, oculis bos emitteret, totóque capite baculis horrendum in modum contuſus intumeſceret, ut ejus uxor Catharina quadam commiſeratione ducta maritum rogaret, ut ſe tandem à bove liberaret, eúmque lanionibus potiùs occidendum divenderet, quàm ipſe mactaret; ac ſimul genuflexa, ad S. Franciſcum Xaverium, qui Potami colitur, converſa, in fide, & ſimplicitate ſancta pro bove deprecabatur, ut illum cicurem faceret, ac tractabilem, quo uſui eſſe poſſet miſeris ad campeſtres labores, additâ ſponſione, quòd ſi gratiam impetraret, curatura ſit ad Sancti honorem Sacrum Miſſæ Sacrificium celebrari, atque inſuper oblatura ſemimodium tritici melioris. Vix hæc ſpoponderat Catharina; & ecce rem profectò mirabilem. Bos illico omni depoſitâ ferociâ quaſi ultro, ut collum videretur ad jugum porrigere, quo d ut vidit Philippus, experiri voluit, an verè jugum eſſet beſtia ſuſceptura, & quidem felici eventu, nam ſine ulla prorſus renitentia, & tunc, & d einceps ſemper ſe jugo adeptavit uno ſimul momento, & reddita priſtinis viribus, ac formæ, ac cicur facta ad omnes omnino præ cæteris labores, ad quos pa ientiſſimè in poſterum ſine ullo unquam priſtinæ ferociæ ſigno ſe permittebat applicari. Simplex mulier Potamum deinde profecta exſolvit Sancto gratias, & vota, ubique publicè manifeſtans impetratum beneficium.*

Eſt hæc naratio, & phraſis autoris, qui ex 119 Italico in Latinum vertit 242. miracula, quæ Anno 1652. patrocinio S. Franciſci Xaverii perpetrata eſſe Potami in Calabria, teſtatus eſt ſuo publico inſtrumento is, qui mandante Epiſcopo ſtudioſè in ea inquiſierat; eſtque ordine XLIV. atque indicat nobis unum è fructibus incrementi Sacrificii, quos nunc ſuccinctè explicabimus, atque unà, & in quos, & quo pacto in eos deriventur.

Quæritur itaque I. *Quos fructus, ſeu effe-* 120 *ctus progignat Miſſæ Sacrificium?* Reſp. Sex, clarè ſatis expreſſos à Concil Trid. *ſeſſ. 22. can. 3.* Quorum proinde *primus* eſt laudis, tantæ quidem, ut majorem laudem, ſeu honorem nequeamus Deo exhibere, quàm immolando ipſi ſuum filium; atque ob hanc cauſam Sacrificium Chriſtianorum nuncupatur *Latreuticum*, juxta ea, quæ tradidimus *Caſu I. Alter* gratiarum actionis, cùm pro aliis, beneficiis, tum præcipuè ob redemptionem, meritóque vocatur *Euchariſticum. Tertius* commemoratio paſſionis Dominicæ, eáque non nuda; ſed iterativa, eo modo, quo edifſeruimus *cit. Caſ. I. Quartus, quintus, ſextus* ſunt remiſſio reatûs culpæ, reatûs pœnæ, & impetratio variorum bonorum, ideóque appellitatur *Propitiatorium, Satiſfactorium*, atque *Impetratorium.*

Quæritur 2. *Quomodo Miſſæ Sacrificium ſit* 121 *Propitiatorium, Satiſfactorium, Impetratorium?*

Reſp. 1. Tamerſi non pauci, quos nominat Dicaſtillo *De Euchar. Tr. 4. diſp. 3. dub. 1* videantur exiſtimâſſe, Miſſæ Sacrificium eſſe ita propitiatorium, ut per illud *immediatè* deleantur peccata etiam mortalia illius, pro quo offertur, modò ſit attritus, communis tamen, firmáque modernorum Theologorum perſuaſio eſt, id fieri ſolùm *mediatè*, ita videlicet, ut iis, in quos derivari fructus Sacrificii dicemus paulò inferiùs, virtute Sacrificii tribuantur gratiæ auxilia, quibus excitentur ad veram pœnitentiam, & conſequenter ad veniæ impetrationem. *At multi, qui ſæpe interſunt Sa-* 122 *cro, bibunt nihilominus velut aquam iniquitatem?* Reſp. Hinc rectè infertur, illud auxilium gratiæ eſſe gratiæ *ſufficientis*, non autem reſpectu omnium *efficacis.* Suarez *Diſp. 78. ſect. 2.* Lugo *De Euchariſt. Diſp. 19.* Dicaſtillo *loc. cit.*

Saltem concedes, peccata venialia directè, *at-* 123 *que* immediatè *remitti per Sacrificium Miſſæ.*

Reſp.

Resp. Si concessero, liberalior ero Suario, Tannero *Disp. 5. q. 9. num. 90.* & aliis, rectè tamen concedentibus, si curâsti fieri Sacrum pro tuis peccatis, hoc ipso omnia venialia, ad quæ non habes affectum vigentem, tibi dimitti. Imò D. Reding *hic quæst. 8. art. 3. Controvers. 2. num. 29* generatim sic scribit; *Probabiliter dici potest, quòd culpæ venialis offensa* ex opere operato (*cum subordinatione tamen ad divinæ providentiæ beneplacitum*) *tollatur* immediatè *virtute valoris satisfactorii per Sacrificium applicati.*

124 Est ita satisfactorium, ut teste Tannero *n 45.* nequeat absque temeritate negari, quiniis, quibus prodest, *directè, immediatè*, ac *per se* remittat pœnam in purgatorio luendam, dummodo ii sint in statu gratiæ, nec retineant affectum ad peccata. Ita enim à Theologis intelligitur sententia Concil. Trid. *loc. cit. Cap. 2.* definientis, Missæ sacrificium rite offerri pro defunctis quoque.

125 *Ergo si vel ipse faciam Sacrum pro pœna mea peccatis debita, vel curem fieri pro ea, vel cæteroquin interim Sacro, non debeo esse solicitus de indulgentiis lucrandis, gestando cilicio, perficienda pœnitentia à confessario injuncta.* Resp. Hanc consequentiam nemo Theologus admittet, quia scilicet nemo aut dicit, aut habet rationem dicendi, totam semper pœnam remitti, licèt sit certum remitti aliquam, si quid supersit luendum, nec desit status gratiæ.

126 *Impetratorii* vim ac nomen obtinet, quia per illud impetramus bona spiritualia, ac temporalia, ut indicat Conc. Trid. dum *loc. cit.* asserit, rectè offerri non solùm pro peccatis, pœnis & satisfactionibus, sed etiam pro aliis necessitatibus. Et verò locupletissimi testes sunt Divus August. *Lib. 22. De civit. Dei, Cap. 8.* fuisse oblatione corporis Christi, servos, & animalia liberata ab infestatione Dæmonum; S. Gregor. *Lib. 4. dial. cap. 57.* fuisse cujusdam captivi vincula soluta, quoties ab ejus conjuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ ejus absolutione. Idem Pontifex eodem loco, fuisse Baracam è naufragio morti ereptum eo die, quo presbyter in Ostica insula Deo omnipotenti
127 hostiam sacræ oblationis immolavit. Aliis corporalibus beneficiis recitandis supersedeo, quæ omnia confirmantur ridiculo simul, ac planè mirifico prodigio, quod exhibet noster Casus Xaverianus; nec enim Thaumaturgus Xaverius suscepisset curam cicurandi bovem, solicitatus voto curandi fieri semel ad suam Potamensem aram, nisi compertum habuisset, hæc, aliáque bona impetrari posse vi, atque efficacia incruentæ oblationis.

128 *Quot tamen millia, ne dicam milliones hominum offerunt Deo pro suis necessitatibus corporalibus Sacra, quibus interfunt, quæve procurant, & tamen impetrant nihil?* Resp Non impetrant nihil, licèt non impetrent id, quod petunt. Ideo autem non omnes obtinent, quod postulant, quia licet per Sacrificium facilius, quàm per quascunque alias preces exoremus Deum, pendet tamen Sacrificii effectus à quibusdam conditionibus, quas in paucis reperire est. Quòd si promissio procurandi Sacri in honorem Divi tantum potuit, quantum potuisset, si eâ ipsâ intentione fuisset peractum?

Quæritur III. *Quo generali nomine senos illos* 129
fructus afficiant moderni Theologi? Resp. Nomine *portionis*, quam dividunt in *Generalissimam, Specialem, Ministerialem, & Specialissimam, Generalissima* est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus sacerdos illud offert nomine Ecclesiæ, derivatúrque in omnes, & singulos fideles non excommunicatos, éstque taxata *intensivè*, non autem *extensivè*, ut loquitur Tann. *num. 98.* quia ea non continet infinitum effectum; confertur tamen per eam singulis Christianis non minor, quando eorum militante, aut purgante Ecclesia magnus est numerus, quàm, quando parvus; adeò ut multi Recentiores teste Suar. *Disp. 79 sect.* . intérque hos Vasq. Tann. *loc. cit* aliíque censeant, per singula sacrificia omnibus Christianis nec excommunicatione, nec lethali culpâ gravatis, certò, atque infallibiliter, *éxque opere operato* remitti aliquid de pœna peccatis debita in purgatorio. Saltem dubitari non debet, quin ut minimùm *indirectè* id impetretur, dum scilicet Deus, tam pretiosâ ablatione factâ à ministro suæ dilectæ sponsæ impulsus prospicit ipsi de tantò melioribus Prælatis, incitátque vivos ad ferendam mortuis, quam possunt, opem. Unde patet, quid respondendum fuerit ad hunc

Casum indecentissimum.

Fuit quidam sacerdos (quæ est hominum 130
nequitia) qui voluit à fructu Sacræ Missæ, suum quendam adversarium Petrum v. g. excludere. Quæsitum fuit, quo peccato peccaverit? & rursus: An cum effectu Petrum excluserit à prædicto fructu? Quod est quærere: An id licitè & validè *intenderit?*

Prorsus summè dedecuit sacerdotem illum & quemvis sacrificantem tam impius se se vindicandi animus, efficax quidem respectu portionis tum *specialis*, tum *generalissimæ*, ut liquet ex harum portionum explicatione, & declaratione, tametsi suum de hac re judicium dissimulet P. Tamburinus *Lib. 2. De Sacrif. Cap. 2. §. 13.* proponens verbis huc translatis illud improbum factum, atque rectè observans, repugnâsse tum charitati Christianæ, utpote profectum ex odio, & vindictæ cupidine, tum obedientiæ; præcipit enim Ecclesia sacerdotibus, ut in actu tam solemni agant apud Deum Legatos omnium fidelium.

Specialis portio est ea, quæ competit concur- 131
rentibus speciali modo ad Sacrificium, quóscque

que indicavi *Casu præced. num. 107. & 108.* quibus accensè illos, quorum in suo Memento singulariter meminit sacrificans. Quantò autem propinquiùs, atque efficaciùs concurrit quis ad Missam, tantò plus participat de hac portione *speciali*, plus enim fructûs redundat in illum, qui calicem donavit, quàm qui velum calicis. Item qui Sacro ministrat, quàm solùm audit.

132 *Quid si ego Ecclesiæ Lauretanæ erectæ in memoriam depulsi ab obsidione Constantiensi Hornii Suecici donem casulam unam, donet alius aliam, an minor ad me fructus ex sacris ibi perpetrandis redibit, quàm si ille alius non donâsset?* Resp. Imò major, si quidem ille tuo exemplo ductus fecit illas pias expensas. Certè non minor, licèt unum exemplum nil contulerit. Quis enim somniet, singulis audientium Sacrum tantò minùs prodesse, quantò plures interfunt?

133 *Saltem negabis, tantò minùs ex hac portione derivari in eos, pro quibus in suo Memento orat sacerdos, quantò plures sunt ii.* Resp. Negabo cum Coninck *cit. quæst. 83. num. 190.* ac Tann. *n. 99.* si quidem is tam *intensè*, ac *particulariter* oret pro illorum singulis, quàm pro uno solo. Orat autem tunc ut privata persona, non ut ministerEcclesiæ, aut Christi. Coninck *ibid.*

134 Portio, quam Suarez *d. 86. sect. 1. in fin.* nuncupat *Ministerialem*, quam tamen multi alii cum *speciali* confundunt, est fructus proficiscens ex Sacrificio oblato à Sacerdote tanquam Ministro Christi, éstque finitus non tantùm *intensivè*, ut omnes fatentur, (non enim adfert infinita, & omnia bona,) sed etiam *extensivè*, ut adversùs Sil. Vasq. *d. 231. c. 3.* pluréfque alios apud Dicastillo *cit. disp. 3. num. 105.* docet ipse Dicastillo post Bonav. Rich. Dur. Suarez. Tann.

135 Ratio præcipua est, quia licèt absque dubio potuerit Salvator ita instituere Sacrificium, ut linguis, pro quibus Sacerdos illud offerret in persona Christi, obveniret certus, determinatúsque fructus, non minuendus multitudine, non augendus paucitate participantium, attamen reipsa non ita instituisse, probat satis communissima praxis optimorum, doctissimorum Sacerdotum, qui, quando volunt suum Sacrum singulariter, magnoperéque prodesse alicui amico, vivo aut mortuo, offerunt illud Deo pro eo solo. Quod sanè minùs providè, & cum nimis restricta, avaráque charitate facerent, si censerent, nihil illi amico decessurum, vocando in participationem hujus boni plures alios, præsertim inopes, qui sacrificulum nequeunt constituere. Igitur dicendum est, Sacrificium esse infiniti valoris *in actu primo*, finiti *in actu secundo.*

136 Dices: Dicastillo *loc. cit. num. 161.* opinionem Vasquezii vocat probabilissimam. Ergo quando Capellanus à 10. hominibus accipit 10. stipendia, ut pro singulis celebret, satisfaciet suæ obligationi faciendo pro omnibus unicum Sacrum. Resp. Hanc consequentiam nullus admittit teste Dicastillo *num. 119.* & meritò, tum quia talem praxin graviter damnant Pontifices, ut videbimus *Cas. VI.* tum quia fideles scientes, illam sententiam non esse certam, offerunt stipendium tacitâ conditione, ut certiora sequatur Sacerdos. Etenim hæc portio *Ministerialis* est illa ipsa, quam petunt fideles, quando sacerdotibus dant sustentationem, seu stipendium, nec enim per hoc stipendium intendunt sibi solis applicari *generalissimam* aut *specialem.*

Sed illa portio Ministerialis continétne solam 137
vim satisfaciendi pro peccatis? Resp. Hanc quidem continet potissimè, at simul etiam vim propitiandi, atque impetrandi. ita tamen, ut quoad vim impetrandi possit dici valoris infiniti *extensivè*, quia scilicet si pro singulis hominibus unius e. g. denarii, unius Collegii, aut urbis offeratur tam ferventer, quàm si pro uno solo ex illo denario, illo Collegio, tum sanè impetrabit singulis tantum boni, quantum si peculiariter fecisset Sacrum pro singu-
138 lis. Vasq. *cit. Disp. 231.* Dicastillo *n. 133.* Secùs si tantùm *in confuso* fecisset pro toto denario, toto Collegio, tota urbe. Nam cùm applicatio hujus fructûs fiat per orationem, oratio autem fusa pro 10. *in confuso* non tam multùm emolumenti afferat singulis, quàm si pro singulis oraretur, sicut nostrum Concil. Constantiense *sess. 8.* definivit adversùs Wiclef. *artic. 16.* non est mirum, quòd faciamus hanc distinctionem.

Postremò *specialissima* portio est ille fructus, qui dimanat in Sacrum Mystam, quatenus ipse propriè sacrificat in propria persona. Si enim singulis *impropriè* sacrificantibus respon-
139 det peculiare emolumentum, quidni *propriè* sacrificanti? Et quidni majus ipsi, quàm curanti pro se celebrari? Gavant. *p. 2. tit. 8. n. 3. lit.* P. dicens, hoc esse certum.

SECTIO II.

Practicè declaratur, an, quando, quomodo possint prædictæ portiones, seu fructus Sacrificii separari.

SUMMARIUM.

Fructus, seu portiones Sacrificii possunt ab invicem separari. 140.
Adeóque fructus propitiationis, & satisfactionis à fructu impetrationis. 141.
Discrimen quoad hoc inter Sacrificium, & Sacramentum. 142.
Quoties non incumbit tibi obligatio offerendi tuum Sacrum ad aliquam certam intentionem, toties potes separare fructus 144.

Explicatur practicè. *145.*
Explanatio clauſulæ: Ex opere operato, & ex opere operantis *146.*
Expiationem pœnarum purgatorii efficit ſæpe Sacrificium etiam ex opere operantis. *150.*
Quænam ſigillatim partes Sacri operentur ex opere operantis. *152.*
Quando accepiſti ſtipendium pro aliqua certa intentione, illicitè dividis fructus Sacrificii. 153.
Quare eſt probabilius, quòd tunc illicitè applices alteri Collectas. 154.
Declaratur Caſu vero. Ibid.
Pars, ſeu portio ſpecialiſſima *nequit applicari ad ſatisfaciendum obligationi applicandi* Miniſterialem. Ibid.
Quando ex ſola obedientia teneris ſacrificare pro aliquo, licitè dividis fructus. 155.
Declaratur exemplo ſacerdotis Societatis. 156.
Quando voviſti Sacrum, ad obtinendum beneficium à Deo, an licitè dividas fructus? 157.
Quid ſi cui promiſiſti liberaliter Sacrum? 158.

140 Dico I. Fit ſæpe ex natura rei, ut ſeparentur ii fructus, id eſt unus obveniat ſine altero, quia ſcilicet non reperit capacitatem in ſubjecto, ut quando offers Sacrum pro exiſtente in peccato mortali, prodeſt illud huic peccatori, quoad vim impetrandi, at non ſatisfaciendi, ſeu propitiandi, quia venia non datur niſi correcto *Reg. 5. De Reg. jur. in 6.* nulli, inquam, remittitur pœna peccatis debita, niſi qui redierit in gratiam cum Deo. Item quando offers Sacrificium in memoriam alicujus è Cœlitibus, prodeſt illi etiam quatenus *impetratorium*, quia impetras, ut Deus amplificet cultum talis Cœlitis, at nihil *ſatiſfactorium* adfert ei, utpote non indigenti. Denique portio *ſpecialiſſima* non utique obvenit omnibus, quibus aut *ſpecialis*, aut *Miniſterialis*, ſed illis ſolis, quibus expreſſè donat ſacerdos.

141 Dico II. Poteſt etiam per voluntatem ſacrificantis ſeparari fructus propitiationis, ſatisfactionis à fructu impetrationis, id eſt, poteſt ſacrificans efficere ſuâ voluntate, & intentione, ut ſacrum proſit quoad portionem *Miniſterialem* alicui duntaxat quatenus *ſatiſfactorium*, & non quatenus *impetratorium*, & vice verſâ Ita docent Henriquez *L. 9. c. 21.* Coninck *Tom. 1. in 3. p. q 83. dub. 10. n. 195.* Anellus Perſicus *de Sacrific. l. 2. c. 5.* Lugo *de Euchariſt. d. 19. n. 222.* Diana *P. 9. Tract. 2. Reſ* 8. ex, & cum Rubeo, Dicaſtillo *diſp. 3. de Sacrific. num. 136.* Tamburin. *L. 3. c. 1. §. 3. num. 41.* & Hurtadus apud eundem *ibid. num. 39* adverſùs Vaſquez *Tom. 3 in 3. p. d 231. cap. 6. n. 30.* ductum hac ſolâ ratione, quòd ſicut efficacia Sacramentorum nullo modo pendet ab arbitrio miniſtri, ſed quando applicantur homini, producunt tanquam cauſæ neceſſariæ omnem effectum ſuum poſitâ diſpoſitione, & capacitate ſuſcipientis illa, ſic etiam ſuos omnes fructus generet Sacrificium independenter à reſtrictione, aut extenſione ſacrificantis.

Verùm negatur paritas inter Sacrificium, & Sacramentum. Conſtat enim ex uſu univerſali Eccleſiæ, eſſe liberum ſacrificanti transferre in hunc, aut illum hominem portionem *Miniſterialem*, aut ſibi reſervare, ita ut verè ſit propriè ſua, ſi velit. Quia igitur poteſt quiſq; rei ſuæ modũ ponere *Leg. In traditionibus. ff. De pact.* poteſt ſacrificans modum, adeòque limitationem ponere fructibus Sacrificii tanquam ſuis. 142

Accedit pro directa probatione poſitæ concluſionis, quòd ex una parte clariſſimum ſit, fructus Sacrificii eſſe diverſiſſimos, ac proinde ſuapte natura independentes ab invicem. Ex altera autem parte nequit oſtendi, Chriſtum Dominum aut morem illorum ſtatuiſſe, ut ſint inſeparabiles. Ubi enim extat hoc ſtatutum? Ergo aſſeri non debet, *cap. Legatur. 24. quæſt. 2.* Quin potiùs, cùm beneficium Principis quàm ampliſſimè interpretari debeamus, *Leg. Beneficium. ff. De Conſtit. Princip* par eſt, ut credamus, Regem Regum feciſſe poteſtatem eos ſejungendi. Sit igitur pro praxi. 143

Regula I. Quoties non incumbit tibi obligatio offerendi tuum Sacrum ad aliquam certam intentionem, toties potes ſeparare fructus omnes, reſervando tibi nullum, unum, aut duos, dividendo reliquos inter duos, tres, quatuor, &c. Ratio eſt, quia conceſſum intelligitur, quidquid expreſſè prohibitum non reperitur *Leg. Nec non, §. quod ejus, ff. In quibus cauſis major*, Barboſa *De off. & poteſt. Epiſc. allegat. 17. n. 15.* Itaque Canonicus, aut Regularis, qui habet liberam intentionem, poteſt hoc modo loqui cum Deo: *Domine Deus, Sacrum hoc, ad quod me accingo, offero tibi in primis in gratiarum actionem, quòd & dignißimam Mariam Nazarenam in tuam Matrem, & me indigniſſimum in miniſtrum altaris elegeris. Deinde ut mihi largiaris veram patientiam, Patriſanitatem, fratri hæredem ad tuum honorem. Præterea, ut remittas mihi mediam partem pœnarum, quas promerui, dimidiam quoque earum, quas fortè avus debet adhuc dependere in flammis expiatoriis. Denique totum fructum Sacrificii mei provenientem ex opere operato tibi offero ad prædictas intentiones diſtribuendum inter me, & à me nominatos, in quantum ſinguli ſunt capaces: at verò totum provenientem ex opere operantis mihi reſervo.* 144

Dices: *Toties legi, toties audivi hanc phraſin.* Ex opere operato, & ex opere operantis: *attamen videtur mihi adhuc hodie Hebraica, explicatis tam clarè, ut tandem intelligam.* 145

Reſp. Explicabo quidem clarè, ſed utrùm ſis intellecturus, ignoro. Obſerva igitur juxta communem explicationem, cujus authores inter recentiores extiterunt P. Suar. *Tom. 4. in 3. p. diſp. 7. ſect. 1. verſ. Atque ex his.* & P. Vaſquez etiam *Tom. 2. in 3. p. d. 171. n. 9.* quos ſecuti ſunt reliquos inter P. Tannerus *Tom. 4. d 3. q. 3. nn. 8.* ac P. Dicaſtillo *Tom. 1. in 3. p. tr. 1. diſp. 2. n.*

2. n. 12. & 44. nomine *operis* intelligi hîc aliquam actionem, ac proinde *opus operatum* eſſe actionem conſideratam ſecundùm ſe, id eſt, ſine reſpectu ad meritum, dignitatémve hominis illam exercentis, aut recipientis. Sicut vice verſâ *opus operantis* eſt actio conſiderata non ſecundùm ſe nudè, ſed quatenus provenit ex probitate, ſeu meritò hominis illam operan-
147 tis, ſeu exercentis, recipientiſve. Ac proinde dicitur ille effectus provenire *ex opere operato*, qui promanat ex actione conſiderata ſine reſpectu ad ſanctitatem, meritúmve hominis eam obeuntis, vel recipientis, ille autem *ex opere operantis*, quem cauſat probitas, dignitas, meritum hominis, actionem, è qua is profluit, adminiſtrantis, aut recipientis.

148 Dices: *Cur prior illa actio vocatur actio operata* paſſivè? *Cur poſterior dicitur operantis* activè?

Reſpond, Dicitur operata ſeu facta. Nam hoc ipſo, quòd conſideretur ſine reſpectu ad dignitatem hominis, conſideratur ut inſtituta, ſeu quodammodo facta jam pridem à Chriſto, qui vel propriè inſtituit ipſaſmet actiones, quę conferunt gratiam *ex opere operato*, vel certè decrevit gratiam aliquam peculiarem, & non meritam, largiri non ponentibus obicem. Et quia has actiones omnes inſtituit vel *quoad ſubſtantiam*, ut ſex priora Sacramenta, vel *quoad peculiare accidens*, ut matrimonium quoad eſſe Sacramenti, Martyrium, quoad vim delendi peccatum mortale in Martyre ſolùm atrito, idcirco haud incongruè dicuntur factæ à Chriſto, adeóque operatæ ab illo.

149 Declaro has deſcriptiones exemplo illius materiæ, quam nunc tractamus. Sacrificium Miſſæ, ut patet ex dictis *præcedente Sectione*, habet vim delendi pœnas purgatorii *totaliter*, vel *partialiter*, eſt igitur hæc deletio, ſeu expiatio fructus, ſeu effectus Sacrificii, quod utique eſt actio hominis, ſcilicet ſacerdotis. Hanc expiationem quando reipſa efficit, ſemper efficit *ex opere operato*, quia efficit, etiamſi ſacrificans ſit peſſimus, ac proinde nullius meriti apud Deum, ergo efficit ut ſic præciſè ex vi inſtitutionis divinæ, quia nimirum Chriſtus Dominus ob præſtantiam eſſentialem Miſſæ inſtituit, ut quando Sacrificium offertur pro una anima in purgatorio, remittantur ei exempli gratiâ decem dies purgatorii, etiamſi miniſter ſit ſceleratiſſimus.

150 Rurſum expiationem pœnarum purgatorii efficit ſæpe Sacrificium etiam *ex opere operantis*, quia ſcilicet Deus remittit non ſolùm 10. dies purgatorii, ſed 11. vel 12. priores quidem decem ex vi ſoliùs inſtitutionis divinæ, non habitâ ratione probitatis miniſtri. At verò, alios duos attendendo innocentiam, fervorem, patientiam inſignem e. g. miniſtri podagrici in ſtando, vetuli in frigendo, ſi videlicet hunc fervorem, ac patientiam offerant pro tali anima. Hanc eandem doctrinam applica omnibus Sacramentis, ac nominatim receptioni Euchariſtiæ. Quisquis enim illam recipit extra ſtatum mortalis peccati, etiamſi tepidiſſimè excipiat, obtinet tamen aliquos gradus, ſeu aliquam menſuram gratiæ ſanctificantis, provenientis *ex opere operato*, quia ſtatuit inſtitutor hujus Sacramenti concedere illam ſaltem menſuram omnibus manducantibus non indignè carnem ſuam. At verò ſi accedat cum exacta præparatione, adipiſcetur aliquid ultra eam menſuram, adipiſcetur autem propter ſuam probitatem, dignitatem, meritum. Ergo dicetur Euchariſtia, ſeu Euchariſtiæ manducatio illud *ultra*, ſeu illud *plus* produxiſſe *ex opere operantis*; *ex opere* autem *operato* id, quod eſt infra illud *plus*.

Quare quando quærunt Theologi, an Sacra- 151
menta, Martyrium, Crucis effórmatio, aſperſio aquæ luſtralis aliquid operentur *ex opere operato*, eſt perinde, ac ſi quærant, utrùm conferant aliquam gratiam præter illam, quam in uſu horum percipit homo propter ſuam pietatem, fervorem, intentionem.

Ex his infero, illos effectus Miſſæ, qui pro- 152
veniunt ex pia recitatione Acceſſûs, Introitûs, hymni Angelici, Symboli, Orationum, Epiſtolæ, Evangelii &c. & univerſim ex omnibus verbis, actionibúſque ſacrificantis, præterquam ex Conſecratione, & Communione, eſſe effectus *operis operantis*, at verò illos ſolos eſſe *operis operati*, quos producit ipſa Sacrificatio, ſeu Conſecratio applicata, ſeu non applicata alicui, aut aliquibus, aut nulli. Itémque conſumptio ſacræ hoſtiæ.

Regula II. Quando accepiſti ſtipendium ad 153
faciendum Sacrum pro aliqua certa intentione, *illicitè* dividis fructus ſeu *ex opere operato*, ſeu *ex opere operantis*, exigendo, aut non exigendo ab alio illud ſtipendium pro hac diviſione. Ratio eſt, quia ſaltem effectum omnem *ex opere operato*, & præterea ſaltem ordinarium *ex opere operantis* provenientem depoſcunt, qui pro Miſſa dant eleemoſynam, ita enim reſponderent, ſi interrogarentur.

Unde licèt probabiliter doceant Coninck 154
cit. num. 191. Dicaſtillo *cit. num. 135.* Hurtadus apud Tamburin. *cit. lib. 3. c. 1. §. 3. num 39.* Diana *p. 9. tr. 2. reſ.* 8. poſt Rubeum, te in hujus etiam Regulæ caſu poſſe Collectas, ſeu Orationes applicare alteri, contrarium tamen probabiliùs defendunt Vaſq. *cit. n. 36.* Bonacina *de Sacram. d. 4. q. ult. p. 7. §. 7. num. 15.* (citans alios,) & Tamburinus *n. 40.* qui tres authores generatim dicunt, quando alicui debetur Sacrum, deberi omnes ejus fructus, quorum ipſe eſt capax. Quod tamen non credo ita generatim; puto quippe, neminem è dantibus ſtipendium pro Sacro, ſibi, ſuiſque applicando, eſſe ita durum, ut nolit, illi Sacro inſeri ullam collectam, niſi itidem pro ſe, ſuiſve. Certè nequit impedire aliud Memento, ergo nec aliam Collectam. Quare ipſemet P. Tamburinus *n. 49.* tandem concedit id, quod hîc di-

xi de Collecta extraordinaria, & Memento. Negare tamen non possum *practicam* probabilitatem opinioni Dianæ, sed cave, extendas ad hunc

Casum Capellani.

QUi obligatus sacrificare aliquoties in hebdomade pro defunctis, applicabat his Sacrificium quoad vim satisfaciendi, at sibi quoad vim impetrandi.

Ego enim 6. Junii Anno 1666. respondi, probabiliùs non esse fas ipsi, aut alteri obligato titulo justitiæ facere ejusmodi separationem, tum propter rationem allatam *n. præced.* tum quia valemus utique defunctis impetrare gratiam, ut Deus excitet multos, qui & pro ipsis precentur, & opera satisfactoria offerant, quæ gratia tota perit, si mihi, vel alteri applicem totam vim impetrandi. Quare non starem judicio, vel exemplo cujusdam viri docti, soliti dicere, se libentiùs pro defunctis, quàm pro vivis litare conductum stipendio, idcirco quòd possit in primo eventu transferre, in quem vellet, energiam impetrandi. Vide tamen, quod ex Diana referam infrà *num. 634.* Illud certum est, esse ab Alexandro VII. damnatis opinionibus meritò annumeratam octavo loco hanc: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.*

155 **Regula III.** Quando ex sola obedientia teneris facere Sacrum pro aliquo defuncto, aut in gratiarum actionem, potes fructus, qui non tendunt directè ad finem præscriptum, applicare alteri. Probo in primis authoritate nostri S. Francisci Borgiæ, qui cùm esset Generalis Præpositus nostræ Societatis, rescripsit Anno 1564. in hæc verba: *Quando Superiores injungunt Missas pro aliis, quàm pro defunctis, clarum est, applicationem ad liberandam animam liberam sacerdoti manere.* Probo deinde ratione. Quia obligatio legis, & præcepti non est extendenda ultra finem legis, aut præcepti. DD. ex *capit. Intelligentia. De verb. signif.* potest autem finis ille obtineri, licèt unus, altérve fructus Sacrificii transferatur in alium, aut alios.

156 Hinc non censeo, Sacerdotem Societatis nostræ repugnaturum menti Superiorum, si Sacrum, quod annuatim festo SS. Cosmæ & Damiani offert in gratiarum actionem pro Societate, eo die confirmatâ à sede Pontificia, offerret, quatenus est Eucharisticum, ad hanc intentionem. At verò quatenus satisfactorium pro anima una ex illis, pro quibus tenemur partim hebdomadatim, partim, & sæpe extra ordinem litare. Patet manifestè ex responso ejusdem Sanctorum Catalogo nuper inscripti Francisci Borgiæ, atque ex allata ratione. Fateor tamen, me non meminisse, quòd fuerim aliquando in praxi secutus hanc explicationem.

Regula IV. Quando vovisti Deo, te semel 157
litaturum ad aram in gratiarum actionem, si te liberaret cruciabili pedum, aut dentium insano dolore, factus voti compos, teneris juxta Tambur. *l. c. n. 40.* omnes fructus donare Deo. Nam hic author *illo loco* sic loquitur: Comunis „ sensus hominum petentium, injungentium „ voventium Missam est de toto valore ejusdem „ sine ulla distinctione, qualis nimirum haberi „ potest à tali sacerdote, qui celebrare debebit. „ At non teneris juxta eundem *cit. §. 3. num. 48.* „ sic concludentem: Certè non est improbabile, „ te votum, quod emisisti celebrandi Sacrum „ ob actionem gratiarum de salute e. g. tui fra- „ tris obtinenda, posse implere cum eadem Mis- „ sa, quam alteri ex liberalitate donas pro satis- „ factione pœnarum, & è contra. Ratio est, „ quia *formaliter* satisfit intentioni promitten- „ tis, & acceptantis. Sic ille, sic ego, propter „ optimam hanc rationem, similem illi, quam „ attuli pro *præcedente Regula.* Unde fit. „

Regula V. Quando liberaliter promisisti 158
duobus seorsim Sacrum, poteris utrique satisfacere uno Sacro, saltem si finis, ob quem promisisti uni, differat à fine, propter quem alteri. Ut si e.g. uni ad obtinendum aliquod beneficium, alteri in gratiarum actionem pro obtento, aut pro salute uxoris defunctæ, poteris enim separare fructus *Impetratorium, Eucharisticum, & Satisfactorium.* Consentit Tamburin. *cit. §. 3. n. 47.* Ratio est, quia liberalis promissio est ita interpretanda, ut sit promittenti quàm minimè onerosa, *L. Quidquid astringendæ, ff. De verb. obligat.* Menoch. *De præsumpt. l. 6. præsumpt. 9.* præsertim quando verba promissoria indicant limitationem.

SECTIO III.

Quis particeps Sacrificii.

SVMMARIVM.

Quinam sint participes fructuum Missæ? 159.
Quo sensu salvetur illa locutio: volo audire Sacrum pro te? 160.
Sacrificans quomodo debeat facere applicationem? 161.
Quid si oblitus sit applicare? 163.
Quid si hodie non sum memor, me promisisse tibi ante octiduum, me facturum hodie pro te Sacrum? 165.
Quid si ante decennium? 166.
Practicæ doctrinæ pro hominibus Societatis. 167.
An sufficiat, si intentio formetur post Consecrationem? 168.
Quid si pro illo, qui determinabitur post Sacrum? 169.

Quid

Quid si pro illo, quem novit Deus esse primum obla turum stipendium post Sacrum? 169.
Pro quibus fiat licitè Sacrum? 170. & seqq.
An, & quomodo pro illo, qui seipsum necavit? 170.
An pro mortuo in hæresi? 171.
Nomine inferni, *&* Tartari *intelligitur in precibus Ecclesiæ purgatorium. 173.*
Explicantur illa verba: Libera animas *&c.* de pœnis Inferni *&c.* ne absorbeat eas Tartarus. 174.
Item illa: quia in te speravit, & credidit, non pœnas inferni sustineat. 172. & 174.
Quomodo liceat sacrificare pro Cœlitibus? 176.
An validè *sacrificetur pro hæreticis, & excommunicatis? 178.*
Monitio pro faciendo rectè Memento. 180.
An si ipsemet interfis sacro, lucreris plus, quàm si curares sacrificari pro te absente? 181.
Declaratur Casu practicabili. Ibid.

159 QUæritur IV. *Quinam sint participes explicatarum portionum. & an eas aliis donare valeant?* Resp. 1. Ex descriptione singularum satis patet, quinam eas participent. 2. Sacerdos potest portionem *Ministerialem* aliis applicare, aut sibi reservare, si velit, sicuti patet ex dictis de hac portione. 3. Navarr. *c. 25 nnm. 92.* Tanner. *cit. Disp. 5. q. 9. n. 100.* Gavant. *p. 2. tit. 8. n. 3. lit. P.* atque alii plures valde probabiliter censent id ipsum de *specialissima.* Si enim nostra opera, quatenus habent *ex opere operantis* vim satisfaciendi, possumus donare aliis, ut tradunt omnes Catholici Doctores in materia de *Satisfactione*, quidni quatenus eandem vim habent *ex opere operato*? sicuti habet portio *specialissima.*

160 Unde inferes, satis eruditè loqui rudes, quando dicunt, se velle audire Sacrum pro alio. Si quidem intelligant, se ei velle donare suam portionem *specialem.* At non æquè aptè dicêris communicare pro alio, quia Communio nequit *ex opere operato*, sed solùm *ex opere operantis* prodesse. Raynaudus *in Heteroclitis spiritualib. lib. 1. sect. 1. punct. 1.*

161 Quæritur V. *Quomodo debeat fieri illa donatio, seu applicatio?* Resp. Per intentionem. Licèt enim nequeat sacrificans privare fideles portione *generalissimâ*, aut *speciali*, potest tamen privare *Ministeriali*, & longè magis *Specialissima*, quamvis fortè ex jussu Superioris. Aut promissione jurata teneretur non privare, etenim applicatio est actus Ordinis, ac proinde à sola voluntate ordinati pendet. Rursum si non intendat alicui applicare, apud ipsum tota remanebit, si sit capax, si incapax, referetur in thesaurum Ecclesiæ. Coninck *n. 166.*

612 Porrò applicandi intentio non est necessariò *actualis*, aut *formalis explicita*, sed sufficit *virtualis, tacita*, atque *implicita.* Et ita quidem, ut si Religiosus nemini applicavit suum Sacrum, censeatur esse ejus voluntas, ut prosit illis, pro quibus sacrificari mandavit Superior. Diana *p. 2 tr. 14. Res. 72.* post Gavant. *loc. cit.* Quin imò Dom. Reding *hic q. 8. n. 3.* Cuevvo. *5. n. 27.* statuit hanc, optimèque probat Conclusionem: *Ad fructum sacrificii valide pro aliquo applicandum, non requiritur voluntas* Virtualis, *sed sufficit* Habitualis. Postmodum perspicuè edisserens, cur *habitualis* non sufficiat ad Consecrationem, sufficiat tamen ad applicationem sacrificationis.

Non habeo ulla sacra imperata, obliviscor ta- 163
men nonnunquam facere intentionem, quò spectat fructus Sacrificii? Resp. Est hæc ob ivio tantæ rei castiganda. Et quid si aurem tibi aliquando vellicaret una ex animabus, flammas expiatorias patientibus? aut fasce te premeret terribilis ille defunctus, de quo *in Casu XVIII.* Quod periculum ut evadas, imitare pios sacerdotes, qui postquam aperto Missali redierunt ad medium altare, illic aliquantùm subsistunt, renovantes, aut facientes intentionem, deinde primùm descendunt dicturi Accessum. Cæterùm in casu oblivionis censet Coninck *num. 166.* Perfictus *de Sacrif. L 2. Cap. 5. num. 83.* & alii contra Suarez, atque alios, tibi reservari fructum, eò quòd quisque habeat generalem intentionem, se ipsum per sua opera juvandi, quantùm potest.

Quin ait Layman. *De Sacrific. Cap. 2. num.* 164
13. Sacerdotem (nisi de oppositò constet) putandum habere *taeitam* hanc voluntatem: Si contingat, ut ex oblivione nemini applicem meum Sacrum, velis, pro quo offero, non fit capax, aut indigus, volo valere pro iis, pro quibus obligor *specialiter* sacrificare, aut certè pro me ipso. Et præmiserat idem Laym. *n. 11.* sufficere illam intentionem, seu inclinationem, quam explicares, si interrogatus diceres, te animo, & voluntate ita affectum esse. Vide plura *num. 636.* & quod de Regularibus dixi ex Diana *n. 162.*

Hæc cùm sint probabilia, *nónne si dicam:* 165
faciam pro te cras Sacrum, *sequitur, meum crastinum Sacrum fore non meum, sed tuum, licèt fortè cras non cogitem de te?* Resp. Omnino sequitur, licèt consequens displiceat Suario *disp. 13. sect. 3. concl. 2* Quid si autem dixi: *dono tibi meum crastinum Sacrum?* Tum ne Suarez quidem inficiabitur, tibi illud cessurum, sicuti nec Bonacina *de Sacram. in genere. d. 1. q. 3. p. 2. §. 3.* nec Baldellus *Lib. 1. disp. 7.*

Quid si verò non heri, sed ante decennium do- 166
navi tibi Sacrum, quod essem facturus hodierno die, qui est quadragesimus Natalis tuus? Resp. Erit eadem ratio, modò non revocaveris donationem. Si enim non revocâsti, censetur perseverare, quia licèt non sis Rex, aut Papa, tibi tamen poteris applicare illam famosam Regulam Juris *in 6. Principis beneficium decet esse mansurum.* Consentit Cardinal. de Lugo *d. 8. de Euchar. num. 93.* loquens de casu, quo ante Annum dixeras, te mihi donare, seu Deo offerre pro me Sacrum, quod hodie facturus eras. Consentit, & Dicastillo *Disp. 3. de Sacra-*

ment. in genere cum aliis *n.* 131. adferens contra Vasquez rationem, cur *habitualis* intentio sufficiat ad valorem Applicationis, & non ad valorem Consecrationis, quia nimirum applicatio habet rationem donationis verbalis. Hæc autem retinet vim suam, donec revocetur. At verò voluntas consecrandi nequit vestiri nomine donationis.

167 Unde, quia sacerdotes è Societate nostra tenentur singuli quot hebdomadis facere Sacrum unum ad intentionem nostri admodum Reverendi Patris Generalis, & rursum unum pro Patribus, ac Fratribus defunctis extra Provinciam, providè agunt illi, qui dicunt: *Omnia sacra, quæ per universam vitam celebrabo die solis, volo esse subjecta dispositioni mei admodùm Reverendi Patris. Quæ diebus Lunæ, cedere illis defunctis, nisi quandoque fecero aliquam mutationem.* Sed renovationem hujus oblationis, oro, ne omittas, quandoquidem necessariam esset, tradunt Vasquez, atque alii quidam apud Dicastillo loco paulò antè *cit. num. 130.* & ipsa renovatio auget fervorem supplicantis. Observa autem singularem, & practicum Casum, quem P. Pellizarius *in Manuali Regular. Tr. 5. Cap. 9. Sect. 3. num. 59.* proponit, & resolvit his verbis: *Quæres, an casu, quo Titio sacerdoti offeruntur 30. Missæ celebrandæ pro Cajo: & Titius neget, se posse has tuno celebrare, eas tamen postea celebret, id ignorante eo, qui eas obtulerat celebrandas, & quidem ad intentionem sibi antea propositam, nempe pro Cajo, an, inquam, tuæ Missæ suffragentur Cajo, etsi is, qui eas obtulerat celebrandas, eas Cajo non applicaverit, ignorans eas celebrari à Titio. Respondeo, suffragari. Quia Missa prodest ei, pro quo applicatur à sacerdote, Titius autem applicavit Missas pro Cajo, cùm illas applicaverit ad intentionem ipsi antea propositam, quæ erat, ut dicerentur pro Cajo. Nec obstat, quòd is, qui eas Missas obtulerat celebrandas, eas non applicaverit pro Cajo,* positivè *credens illas non dici à Titio, cùm ad hoc sufficiat applicatio sacerdotis celebrantis, quæ in præsenti casu utique intervenit.* Hactenus P. Pellizarius.

168 Ex allatis exemplis patet, intentionem, à qua dependet applicatio, formandam esse ante Consecrationem, ut fert receptior opinio Theologorum, censente Lugone *Disp. 8.* sufficere modò ante sumptionem, eò quòd adhuc duret *substantialiter* Sacrificium, & hanc doctrinam pro probabili habet Tambur. *Lib. 2. Cap. 2. §. 10.*

169 Quid si autem ante Consecrationem dicam: *Domine Deus, offero tibi hoc Sacrum pro illo, quem designavero post Missam? qui mihi prior offeret stipendium? aut qui prior ex meis fratribus obibit diem extremum?* Resp. Non valebit applicatio. Nec enim potest suspendi fructus Sacrificii. Suarez *Sect. 9.* Laymann. *Cap. 2. n. 13.* alii contra Petrum Navarrum *De Restit. Lib. 2. Cap. 2. n. 370.* & alios. Contra quos Tambur. *Lib. 2. Cap. 2. §. 8.* fusè tractans hoc argumentum refert severam declarationem Cardinalium, subdens *§. 9. num. 17.* te nihil effecturum, si dicas: *Offero pro illo, pro quo vult Deus.* Nec enim Deus vult applicare, sed à te applicari. At verò si offeras pro illo, qui & petiturus est ex stipendio primus, & quem Deus prævidet, esse primò daturum stipendium, probabiliter *validè* offeres judice Cardinale de Lugo *Disp. 13. de pœnit. Sect. 4. num. 137.* imò etiam probabiliter *licitè* arbitro Pellizario *Tr. 5. Cap. 9. num. 68.* dummodò, ut addit uterque (mendum irrepsit in typum Patris Pellizarii *num. 70.* ut patet conferenti illum cum Lugone, quem pro se laudat) necessitas, pro qua ille à Deo præscitus offeret stipendium, jam tunc adsit, quando rei ipsa sacrificatur ad prævisam à Deo intentionem, stipendiique exhibitionem, tunc enim videtur non suspendi effectus Sacrificii, cùm jam supponatur adesse causa finalis illius, scilicet necessitas. Verùm quidquid sit de valore, nego cum Cardinale de Lugo, hanc doctrinam esse deducendam à stipendiariis in praxin propter varia incommodâ. Vide similia *Tr. 1.* seu *de Sacram. in genere Sect. 3. n. 88. & 89.*

Quæritur VI. *Pro quibus licitè, validè sacrificetur?* 170

Respond. I. Pro damnatis nec *licitè*, nec *validè*, cùm sint irreconciliabiles hostes Dei. *Nemo te post mortem redimet, quia tu te redimere noluisti.* Inquit S. Augustin. relatus à Concil. Triburiensi *Cap. 31.* adeò ut *Cap. Placuit. 23. q. 5.* prohibeatur, ne pro iis, qui violentam sibi intulerunt mortem, ulla prorsus in oblatione commemoratio fiat. Quod intelligo de commemoratione facta in aliqua collecta, nec enim obest, quin in tuo Memento mortuorum dicas: Domine Deus commendo etiam tibi animam hujus, qui se ipsum nuper suspendit, si fortè ex inculpata amentia id fecit, aut si pendentem verè pœnituit sui sceleris.

Etenim possum ego pro tali privatim recitare Rosarium sub indicata intentione. Quidni & ejus ita meminisse in sacro? Atque ita non semel abhinc duodecennium respondi, interrogatus ratione tristissimi cujusdam eventûs. Sicuti etiam illis Catholicis, quorum parentes in hæresi Lutherana, Calviniana decesserunt, aliquoties (quia videbam id facere ad consolationem) dixi, eos nihil adversùs decreta Ecclesiæ facturos, licèt quandoque supplicarent DEO pro animabus parentum defunctorum, si fortè decesserunt in hæresi solùm *materiali.* 171

Cæterùm quia facta hîc mentio illorum, qui intulêre sibi manus violentas, ac dictum, posse fieri de iis mentionem in Memento, retulíque capitulum seu canonem: *Placuit. 23, quæst. 5.* prohibentem, ne pro iis ulla prorsus in oblatione fiat commemoratio, in primis remitto meum Lectorem ad ea, quæ *Tract. 5. Quinarii Cap. 50.* non planè obvia profero

fero in favorem eorundem, quoad sepulturam, & alia. Deinde refero jam hunc

Recentissimum, & Judiciale Casum.

Emericus optimæ vitæ juvenis infestatus melancholicis pathematis, accedit, extra tempus, confessarium dicens, se velle, ut solent moriturientes confiteri, & communicare, postea condit testamentum, opprimitur tali, maniâ, ut esset suspitio infessionis diabolicæ, à quatamen purgatus industriâ periti harum rerum, non tamen integre desinente maniâ, reperitur manè in propria domo pendens è laqueo. Quem cùm magistratus sæcularis vellet deponi manu carnificis, opposuit se clerus & re huc delatâ, exquisitóque meo judicio, pronunciatum est, esse sepultur à sacrâ, & insuper aliis consuetis officiis donandum; priùs tamen laqueo liberandum ab aliquo propinquorum, vel alia honesta persona. An non repugnat hæc judicialis sententia juri cit. canone: Placuit?

Respondeo: Minimè. Leges enim pœnales, ut est sine dubio hæc de privatione oblationis, & sacrificii; sunt restringendæ ad criminosos; nam & generatim omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, inquit S. August. *Lib. 2. Retract. cap. 9.* & speciatim hæc pœna privationis communium suffragiorum, decreta est in solos illos, qui sibi *voluntariè* violentam inferunt mortem. Unde Glossa *ibid.* ad voculam *voluntariè* scribit: *Secùs si per furorem, tunc non imputatur.*

Confirmatur hæc resolutio Constantiensis tribunalis decisione Romani, quam describo *cit. Cap. 50. n. 12.* circa Fratrem laicum Religiosum, quem repertum in puteo, creditúmq; sese in eum præcipitâsse ex amentia, judicavit Vices gerens prosequendum Missis, aliisque pro more officiis.

Valde tamen vereor, ne aliqui magistratus sæculares sub specie timentium, ne Deus inhonoretur sepulturâ sacrâ talium, Missáque Sacrificiis, revera se opponant, inhiantes parti fortunarum solitæ addici fisco, quando se ipsum quis *voluntariè* necavit. Revera non competit civili Magistratui jus disponendi de sepulturâ sacrâ, longè minùs de officiis divinis, ut liquet *ex Cap. Ecclesia. De constit* quare debet clerus animosè se opponere, saltem quando agitur de Sacro, seu Missa funerali, cùm sit sole meridiano clarius, tunc mitti falcem in messem alienam, quando laici volunt se se intromittere. *Imperatori publicorum mœnium, sacerdoti sacrorum jus commissum est*, inquiebat S. Ambrosius apud Baronium ad Annum Christi 387. *nu.* 25.

Dices: Sum quidem Sacerdos, ita tamen indoctus, ut non intelligam illam precatiunculam Ecclesiæ in Missis defunctorum: *Libera &c. de pœnis inferni &c. ne absorbeat eas Tartarus.* Item: *Quia in te speravit, & credidit, non pœnas inferni sustineat*; ideo dum Sacrum pro defuncto facio, vix possum expellere cogitationem de damnatis suggerentem, eos quoque juvari Sacrificiis, *Quomodo retundenda hæc cogitatio?* 172

Resp. Facilè retundes, si tibi persuadeas, nomine *Inferni*, & *Tartari* intelligi Purgatorium; sicut quando in Symbolo Apostolico profiteris, Christum descendisse ad Inferos, intelligis Purgatorium, & Limbum Patrum, in quo Purgatorio est utique & profunditas Laci, & obscuritas, & à Dæmonibus ipsis, adeóque à leonibus tartareis ibidem animas torqueri indicant historiæ, quarum meminerunt Beda, & Carthusianus apud Tannerum *Tom. 4. disp. 6. q. 8. num. 132.* Súntque insuper illic pœnæ tam atroces, ut propter atrocitatem, & cum infernalibus similitudinem, possint nuncupari pœnæ Inferni; ac denique nominari æternæ, in quantum durant usque ad finem mundi; sacra quippe Scriptura multas res vocat æternas, quæ tanto tempore non durant, quantum est ad diem extremi judicii. 173

Itaque dum dicis: *Libera &c. de pœnis inferni*, hoc ipso dicis: Libera ea signe purgatorii, qui idem cum igne infernali est: *De profundo Lacu*, à carcere nimirùm sub terra abdito, ubi detentæ expiantur animæ piorum. *Ne absorbeat eas Tartarus*; Id est: ne eas ampliùs, & diutiùs profundi illius carceris cavernæ, & vincula remorentur, nec inferni pœnæ tanquam fauces quædam belluæ immanis, sævæ, ac truculentæ detineant. *Ne cadant in obscurum*, vult dicere: Ne post hoc Sacrificium factum, & oblatum permittas adhuc eas in obscuris terræ carceribus cruciari, & quasi denuo in purgatorii pœnas incurrere. *Sed Signifer Sanctus Michaël repræsentet eas in lucem sanctam.* Sensus est; Fac, ut per hoc Sacrificium pœnas debitas exsolvant in totum, ac proinde eas plenè mundatas S. Michaël sistat in patria cœlesti. Ita loquitur, ita explicat P. Joan. Azor *Tom. 1 lib. 10. cap. 22. quæst. 8.* eúmque alias explicationes adferens sequitur Dicastillo *cit. Tract. 5. disp. 2. num. 101.* 174 175

Resp. II. Pro iis, quos publico Ecclesiæ oraculo constat, esse jam translatos in cœlum, non licet offerre Sacrificium, in quantum id est *satisfactorium*, nec enim egent illi ullis ampliùs satisfactionibus, at verò licet utique in quantum est *eucharisticum*, & *impetratorium*; etenim sacrificando meritò & agimus Deo gratias pro gratiis in suos nimis honoratos amicos collatis, & rogamus eundem, ut eorum cultum longè, latéque propagare dignetur, præsertim sanctissimæ suæ Genitricis. 176

Resp. III. Pro animabus in purgatorio detentis rectissimè offertur Sacrum, sicut adver- 177

sus hæreticos demonstrant Theologi recentiores. Offertur autem pro iis Sacrificium præcipuè, quatenus est *propitiatorium*, seu *satisfactorium*, ut à peccatis, id est, peccatorum pœnis solvantur 2. *Mach. Cap.* 12. & Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2.*

178 Resp. IV. Rectissimè quoque pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus offertur. Sunt hæc verba Tridentinæ Synodi *loc. cit. At nunquid pro hæreticis, & excommunicatis* licitè, validéque *legitur Sacrum*? Resp. Vel sunt tolerati, seu non vitandi, & tunc pro iis sacrificare non prohibet ullum jus. Tann. *Tom. 4. disp. 5. quæst. 9. num.* 88. ex communi, & potest iis prodesse Missa, quatenus habet vim impetrandi. Vel sunt vitandi, seu non tolerati, sicut e. g. ii, qui ob percussionem Clerici sunt publicè denuntiati, & tunc pro iis nefas est facere sacrum, *Cap. Sacros. De excommun.* omnésque DD. Et *invalidè* fieret nomine 179 Ecclesiæ, quæ non vult pro talibus orari in solennibus suis precibus, ac proinde longè miserrima est sors ejusmodi hominum. Attamen observat Azor *cit. Cap. 22* Suarez *Disp. 78.* Tannerus *cit. num. 88.* Gavantus *Part. 1. tit. 8. num. 3* & alii contra Vasquez *Disp. 226. cap. 4.* nusquam esse vetitum, quò minùs sacerdos in suo Memento, atque adeò privato nomine pro iis precetur Deum.

180 Pro coronide addo, consultum esse, ut in primo *Memento*, quod fieri non debet in momento, postquam commendâsti Deo omnes vivos, pro quibus teneris, roges Deum, ut eo ordine, eáque quantitate distribuat inter eos fructus, prout ipse novit, te obligari. At verò in altero *Memento* sis memor cùm illarum quinque (in memoriam quinque vulnerum illius, quem manibus tractas) animarum, quæ omnium (secundùm dispositiones tunc præsentes) proximè ingressuræ sunt cœlum, tum illarum quinque, quæ omnium sunt desertissimæ. Nam priores illæ quinque statim supplicabunt Deo pro compensatione tuæ charitatis; posteriores quinque id ipsum tantò impensiùs facient, quantò clariùs cognoscent, se tibi singulariter debere sui liberationem.

181 Adde, quoque ex Lugone *Disp. 19. nn. 234.* ac Tamburino *Lib. 2. cap. 2. §. 14.* te plus obtinere *per modum impetrationis*, quamvis *non satisfactionis*, si devotè interfis Sacro, illud pro te offerens, quàm si cures pro te absente fieri. Posse quoque tolerari responsum, quod idem Tamburinus dedit ad hanc

Quæstionem Muliebrem.

QUam paupercula vidua olim movit P. Tamburino percunctando, quid consultiùs faceret pro suo marito defuncto, curare aliquas Missas pro eo offerri, an ipsam pro eodem aliquas Missas audire?

Respondit ipse, non dissentiente Hautino *de Patrocinio defunctor. num. 969* fieri posse, ut multis Sacris piè auditis, & pro defuncto oblatis libereturhic citiùs pœnis purgatorii, quàm si tantùm una alteráve Missa pro eo celebretur; quandoquidem fieri potest, ut tot Sacris inducatur Deus ad liberalem condonationem pœnæ, uno autem, alteróve non permoveatur ad acceptandam compensationem ex meritis Christi insitam Sacrificio. Hæc ratio est probabilis, & subtilis.

QUOTIES IN DIE SACRIFICANDUM.

CASUS VI.

Sanctorum.

SUMMARIUM.

S. Leo sacrificabat de die novies. 182.
S. Valricus ter. 183.
At jam est id vetitum. 184.
Excipitur Dies Natalis Domini. 185.
Quo tamen nec parochus tenetur per se loquendo *celebrare plus, quàm semel.* 186.
Quid si talis præsit parochiis duabus, quarum altera sit hæretica ex parte, ac colat festum Nativitatis decendio post? 187.
Quid si utraque sit Catholica, an licebit facere sexies Sacrum? 188.
An bis in Cœna Domini? Ibid.
An bis in Paraseeve? Ibid.
An generatim bis die Festo, quando habet duas parochias? 189.
An bis, quando conficiendum est viaticum? 190. & 193.
Non licet tunc consecrare novam hostiam statim post sumptum sanguinem, sed oportet, inchoare novum Sacrum, 191.
Casus parochi, qui statim post suum Sacrum consecravit particulas pro communicaturis. Ibidem.
Et trium aliorum, idipsum facientium. Ibid. *in*
An, si jam sumpsisti ablutionem, licitè *inchoes novum Sacrum pro conficiendo viatico?* 193.
Ex Privilegio possunt legi plura Sacra. 194.

FIdelium relatione virorum ad nostram 182
usque pervenit notitiam, Leonem Papam (sicut ipse fatebatur) uno die septies, vel novies Missarum solennia sæpiuscelebrâsse; Bonifacium verò Archiepiscopum, & Martyrem semel tantùm per diem Missas feciisse, qui & non longè ante nostra fuerunt tempora, & ambo tam scientiâ, quàm gradu præcipui. Itaque unusquisque in sensu suo abundet, dum sides

des concordat, ut nec sæpius offerentes existiment, Deum aliter petitiones non posse discernere: nec semel hostias per diem immolantes putent suæ, fidei subtilitatem potiùs, quàm superiorum devotionem divinis acceptam conspectibus.

183 Est hæc narratio, & Theologia Walfridi Strabonis, qui vixit sub Annum Christi 846. Porrò observat Baron. *Tom. 9. ad Annum Christi 816. n. 54.* hunc Leonem fuisse hujus nominis Tertium. Apud eundem Baronium *Tom. 10. Anno Christi 940. n. 6.* synchronos S. Udalrici Episcopi Augustani, de hoc Præsule virtutibus illustrissimo sic loquitur: *Missas tres, vel duas, vel unam secundùm temporis spatium cantare quotidie non desiit, si infirmitas corporis, aut aliquod studium bonum ei non subtraxit.* Subdit Cardinalis hic Welserum testari, fuisse olim cuivis liberum, toties de die Sacris operari, quoties luberet.

184 Quæritur jam 1. *An, quando, cur fuerit, sitque vetitum, sæpius in die sacrificare?* Resp. Vetitum esse, docet ipse usus. Hanc prohibitionem factam fuisse ab Alexand. II. qui obiit Anno 1073. existimat Baronius *loco proximè citato*, probátque ex *Cap. Suffiest. De consecr. dist. 1.* probant & inde alii cum Suarez *Disp. 80. sect. 3.* non malè; sicuti & ex *Cap. Consuluisti, & Cap. Te referente. De celebr. Miss.* causam hujus inhibitionis duplicem partim insinuat, partim exprimit *ibid.* Alexander. *Primam*, quia Christus tantùm semel est passus; ut igitur ostendamus, ejus unicam passionem esse sufficientem pro redimendo mundo, tantùm semel in die sacrificamus. *Secundam*, ut tantò majore cum reverentia, & præparatione Missam dicamus, cùm valde sit felix, qui unam dignè celebrare potest, inquit *ibid.* Pontifex. Porrò illa prohibitio est tam rigidè recepta, ut omnes Theologi damnent peccati mortalis illum, qui absque legitima causa bis in die immolat, acritérque puniendum asserat Pax Jordanus *Elucubr. To. 1. lib. 4. tit. 1. n. 77.*

185 Excipiuntur tamen casus nonnulli, in quibus vel certò, vel probabiliter permissum est bis litare.

Primus Casus est Festum Natalis Domini, quo die ter celebrare permittitur *Cap. Sufficit.* Et quidem statim (si tibi ita lubeat) post mediam noctem continuando omnia tria Sacra. Dicastillo *Disp. 4. num. 70. Quid si loco tertii Sacri communicem more laico?* Resp. Malè, pessimè communicabis, ut ostendam *in Alphabeto Commun. Cas. IV.* non tamen inficiatus, quin, si quis esset Episcopus consecratus eo ipso die, & communicâsset, ut solet, sub Sacro consecrationis, posset postmodum facere alia duo; nam sub Sacro consecrationis communicavit, non ut laicus, sed ut verè sacrificans, ut singulariter observat alicubi Diana.

Quid si unum tantùm Sacrum faciam? Faciès 186
satis. *Etiamsi sim capellanus?* Imò, etsi parochus. Barbosa de *paroch. cap. 11 n. 8.* Jordan *l. c. num.* 97. rectè observans, neminem teneri eo die plus, quàm uni Sacro interesse. Verùm observet parochus morem suo loco receptum. Sicut & hunc

Valde singularem Casum.

FRuctuosus præest duabus (partim ob penu- 187
riam sacerdotum, partim ob tenuitatem reddituum sufficientium sustentationi duorum Curatorum) Parochiis, quarum altera merè est catholica, ac proinde observat festum Natalis Domini eo die, quo cæteri Orthodoxi, altera mixtæ religionis, in qua, quia prædominantur hæretici, debent Catholici illum diem observare consentaneè Calendario hæretico, ac proinde decendio post. Quæritur, utrùm is Curatus possit utroque loco facere tria Sacra? Et singulariter hoc quæritur de alio parocho Friderico, qui habet itidem duas parochias, sed planè Catholicas, solitus proinde communiter uno die bis litare ad aram. An huic fas est uno, eodémque die Natali imitari Sanctum Leonem Papam? De quo noster Casus Sanctorum *num.* 182.

Aliquot abhinc Annis sum literis: & cùm 188
hæc ipsa jam scripsissem, coràm rogatus sententiam de utroque hoc verè *practico*, & simul valde singulari dubio, & casu *Reali.* Nec est difficile respondere ad *primum* dubium, quandoquidem liceret mihi in vicina Rhetia, seu Grisonia die 4. nostri Januarii stare ter ad aram, si illuc translatus essem post diem 25. Decembris cultum à me Constantiæ tribus Sacrificiis, imò si illuc essem negotiandi causâ profectus, ac brevi rediturus Constantiam, ut liquet ex communi doctrina circa festa, & jejunia locorum, in quibus quis exstitit tanquam peregrinus.

At verò perplexior est *altera* quæstio, cùm 189
sit fortè inauditum hac ætate, quòd quis sexies litet uno die. Nihilominus tamen censeo, si Fridericus consuevit cum Episcopi facultate, ut notat Stephanus à sancto Paulo, quot Dominicis, festísve diebus immolare in utraque parochia semel, posse festo Natali saltem bis; cùm enim illa ejus consuetudo sit utique fundata in particulari obligatione, qui habent jus ab eo exigendi unum illis diebus Sacrum, habent & jus postulandi trinum illo die, quo omnes vicini consueverunt à suis id expectare parochis. Accedit, quòd, cùm sit permissum singulis sacerdotibus, & maximè parochis eâ festivâ luce ter celebrare, ipse autem æquivaleat duobus, certè repræsentet duos, habe-

atque onera duorum, videatur etiam sentire debere commodum, favorémque duorum per notas utriusque Juris Regulas; quæ ratio postrema probat, hoc ipsum esse permissum etiam casu, quo parochus ille non nisi rarò sacrificat in utraque Ecclesia. Certè Diana *Part.* 11. *Tract.* 5. *Resol.* 33. rotundè scribit, hoc ipso, quòd quis præfectus est pluribus Ecclesiis à Superiore, approbari necessitatem sæpius in die, adeóque etiam ter, ut exprimit ipse ex Palao, si præsit tribus, repetendi Sacrificii. Eadem ratio probat insuper, etiam die Jovis Sacrâ posse binari (ut loquar cum Stephano à S. Paulo *Tr.* 2. *disp.* 4. *dub.* 13.) Sacra à tali parocho. Diana *loc. cit.* Die tamen sequenti, seu in Paraseeve debet vel celebrare officium tantùm in principali Ecclesia, vel si utraque est populosa, & una multùm distat ab altera, poterit judice Patre Præposito, cujus longum discursum exhibet Diana *loc. cit.* sumere in prima solam sine vino particulam consecratam, in altera autem unà cum particula purificationem: eò quòd ritus sumendi illo die purificationem, non sit tanti momenti, quin possit omitti ob gravem causam, qualis est, quam indicavi, quámque Romanis Theologis probari cùm intelligam, probo & ego libenter, ea etiam de causa, quòd Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *part Disp.* 80. *sect.* 3. *sub fin.* eúmque secuti Reginaldus, atque alii scribant, quando talis parochus per inconsiderationem reservavit in utraque Ecclesia Eucharistiam, exposuitque in monumento, posse in priori officio vinum in calicem non mittere, sed solam particulam hostiæ, quia illa cæremonia non est adeò *essentialis*, inquit Suarez. Vide tamen etiam Antonium Coronium *celebr. Controvers. Lib.* 2. *controvers.* 5. *cap.* 3. *n.* 69. Dicta de pluralitate Sacrorum confirmantur iis, quæ jam jam subdo.

Secundus enim eventus, quo Ecclesia permittit die uno pluries ab uno litari, est, quando quis parochus debet prospicere pluribus parochiis, nec potest commodè habere cooperatorem; tunc enim *licitè* bis, térve Missam dicet, vel cantabit die festo. Suarez *Disp.* 80. *sect.* 3. Lugo *in Resp. mor. lib.* 1. *dub.* 12. alii passim. Nam excipitur casus necessitatis *cit. Cap Consuluisti. Quid si autem die profano devotio populi postulet duo, aut tria Sacra?* Resp. Suarez, & Lugo *loc. cit* aliique plures apud Lugonem traduht, nisi obstet consuetudo, posse bis, térve fieri. Adeóque si superveniat inexspectata processio, seu supplicatio cupientium habere Sacrum. Sà *verb. Missa n.* 24. quatenus generatim ait, quando causa honesta postulat, posse sæpius sacrificari. *Quid si die Dedicationis Ecclesia non capiat omnes?* Respondet Laym. minimè laxus Theologus *Lib.* 5. *Tr.* 5. *cap.* 4. *nu.* 6. post Suar. *loc. cit.* tunc esse fas, duo Sacra dicere. Alicubi vidi, tali casu fieri potiùs in cœmeterio Sacrum cum Ara portatili. Vide dicenda *num.* 240. Et utique si tempore pestis existat in urbe unicus sacerdos, poterit pro solatio multorum petentium, litare de die bis in diversis Ecclesiis interrogandus tamen Episcopus, si possit.

Tertius casus est, quando moribundo præbendum est viaticum, nec habetur hostia consecrata. Quo eventu, si sacerdos moneatur ante manducationem suæ hostiæ, esto statim post oblationem, franget particulam ex illa, asservaturus pro ægro. Laymann *loc. cit.* Sin primùm post consumptam sacram hostiam, hauriet sacrum sanguinem, omittet purificationem, pertexet reliqua perinde, ac fit in die Nativitatis, ac mox inchoabit novum Sacrum. Laym. *ibid.* 190

At nónne esset bonum compendium, si sine novo Sacro consecraret statim solam hostiam ante, vel post quam sumpsit sanguinem? Resp. Est compendium simplicium sacerdotum teste Laym. Ecclesia quippe secuta institutionem Christi, quam insinuavi *n.* 26. non permittit, ut unquam una species sine altera consecretur, nisi quandóque in ordine ad perficiendum Sacrificium jam *substantialiter* inchoatum. *Sed forte dum facio alterum Sacrum, morietur æger.* Ergo relinque alterum Sacrum, accurre ad illum cum Sacro oleo, absolve, si est capax absolutionis, & unge. Certè Chapeaville *De Satram. administr. temp. pestis Cap.* 4. *q.* 20. testatur, esse omnium ferè Theologorum opinionem adversùs Alensem, Majorem, & Adrianum, quòd ne quidem in hoc periculo liceat unam speciem consecrare sine altera. 191

Unde apparet, non esse imitandum exemplum cujusdam parochi, qui in oppido cujusdam Episcopatûs Gallicani, ante non multos Annos, post suum Sacrum consecravit complures particulas, ut iisdem pasceret multos è suis parochianis, postulantes panem supersubstantialem eo die, utpote solenni. Atque ita resolvit Chapeaville *quæst.* 20. *in fin.*

Et verò illum Parochum non esse solum, qui factitet id, quod nos improbavimus ab eo factum, probat hic

Casus triplicis errati.

Florentius promovendus extra tempora consueta ad sacros Ordines, sistit se examini privato, in quo interrogatur, an si desint Sacræ Hostiæ pro volentibus sumere Corpus Christi, sit fas consecrare finitâ totâ re divinâ, respondet animo se posse. At cùm responsum non arrideret examinanti, adstans alius jam magno natu Sacerdos, non dubitavit defendere, & suo quidem multiplici exemplo, responsum candidati, se enim persæpe id ipsum fecisse. Quod utriusque dictum cùm recenseretur alii Sacerdoti Religioso, & ipse fassus est, se quoque factitásse non semel id, quod ille jam canis

canis asperſus, & vero nomine Presbyter. *Quæritur, quid de his tribus sentiendum?*

Respondeo constanter, fuisse ab omnibus erratum. Etenim consecrationem unius speciei sine altera *illicitè* peragi, nisi fortè id sit necessarium ad *substantialem* perfectionem Sacrificii, declarat usus doctissimorum, piissimorum, ut alia præteream, Religiosorum; cùm enim satis frequenter eveniat ille defectus consecratarum particularum, etiam quando adsunt complures, qui vellent participare Corpori Christi, attamen nunquam ego, nunquam ii, quos interrogavi, unquam audierunt, Prælatos Regulares, aut permisisse id fieri, aut omisisse justam correptionem, si quando inaudierint factum.

192 *Quartus* casus est, quando supervenit jam dictâ Missâ aliqua persona notabilis v. g. Episcopus, quem decet quotidie audire Sacrum, inquit Navarr. *Cap.* 25. *n.* 87. & ante illum Silvester *verb. Missa quæst.* 7. Aut quando repentè post dictam Missam corpus defuncti occurrit sepeliendum, & consuetudo habet, ut non sepeliatur sine Missa, quando ea celebrari potest. Iidem *ibidem* referunt alios casus, quos, utpote repugnantes moribus nostræ Diœcesis, omitto; impugnat illos, uti & duos proximos Vasq. *Disp.* 232. satis hic rigidus. Nostræ Constitutiones Synod. *Part.* 1. *tit.* 9. *n.* 12. singulariter non admittunt illum de defuncto. Nolunt autem hi mitiores autores suam benignitatem habere locum, nisi sacerdos sit jejunus.

193 *Etiam quando est viaticum consciendum?* Ita sanè plerique Theologi. Ego tamen *in Alph. Comm. Cas. XIX.* sufficiente autoritate, cui etiam subscribit Tamburinus *Lib.* 1. *De Sacrificio Cap.* 6. §. 8. probo, tutum fore in conscientia, qui tunc rursum faceret Sacrum, licèt in primo Sacro sumpsisset ablutionem. Et quidem Jacob Reiss *De privileg. Morientium privileg.* 51. hanc mitiorem doctrinam restringit ad casum, quo ille æger periret animo, si non præberetur ei viaticum. Verùm puto, neminem esse tam durum, qui ab ea dissentiat cum ejusmodi restrictione intellectâ. Ego necessitatem restrictionis probabiliter negari posse, assero cum Escobar, & cum aliis à me *ibid.* relatis; quia prudenter præsumo, non displiciturum supremo Christianorum in terris Legislatori, si etiam extra illam limitationem cibo cœlesti in eo articulo refocillem quemlibet efflagitantem.

194 *Quintus* casus est participatio privilegii alieni, quem declaro hoc

Casu Hispanico.

Sacerdotes in Regno Valentiæ potiuntur privilegio Apostolico faciendi bis Missam in die Commemorationis defunctorum 2. Novembris, ut testatur Cardinalis de Lugo hîc disp. 20. sect. 1. n. 43. in fin. *Proficiscitur illuc è regno Castellano, aut Granatensi Gerardus, ut eo die fiat particeps hujus privilegii. An frustra suscipit illud iter?*

Respondeo, nisi Bulla Pontificia expressè restringat eam gratiam ad incolas, vel quasi incolas Valentinos, iter illud Gerardi potiturum fine intento. Ratio est, tum quia in *Quinario Tract.* 4. seu *Thesauro Ecclesiastico indulgent. Part.* 2. *cap.* 20. *num.* 463. probo, indulgentias impertitas alicui urbi extendi ad peregrinos quoque, tum qui privilegio dato Religiosæ communitati sacrificandi in Oratorio privato frui possunt respectu illius Oratorii alii quoque Sacerdotes, Suarez *hic Disp.* 81. *Sect.* 3. sicut & quando est tali communitati facta potestas celebrandi in certo loco de aliquo Sancto, vel Beato, *licitè* de eodem Beato in eodem loco Sacrum faciet alius, si videatur illa potestas esse concessa *principaliter* respectu loci. Laymannus *Lib.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 4. tum denique quia privilegium *locale* extenditur ad omnes in eo loco existentes, ut supponit Laymannus *ibid.* atqui privilegium Valentinorum videtur esse propriè *locale*, si enim foret *personale*, tunc cuilibet sacerdoti Valentino fas esset illo uti etiam extra regnum; quia privilegium *personale* personam sequitur: *Cap. Privilegium. De Reg. jur. in* 6. hoc autem non videtur admittendum, propterea quòd Missæ celebratio sit actus ex se publicus, & proinde facilè generet scandala, quandohabet adjunctam circumstantiam tam extraordinariam. Quare non permitterent Episcopi praxin illius. Potiùs foret optandum, ut hoc privilegium impertiretur pluribus aliis Regnis.

QUO TEMPORE SACRIFICANDUM.

CASUS VII.

Ridiculus.

SUMMARIUM.

Casus æditui dirigentis horologium ad nutum sui parochi. 195.
Quâ horâ sit fas celebrare? 197.
Nomine auroræ quid hîc intelligatur? 198.
Germani liberè celebrant duabus horis ante auroram. Ibid.
Quid si conficiendum sit viaticum? 200.
Navarrus sæpe fecit Sacrum horâ tertiâ post meridiem. 201.
Omissio actus non introducit perse *consuetudinem vetantem exercitium illius actûs.* 202.
Mos Friburgens. Helvetiorum circa tempus Sacrificii. 203.

Et

Et Venetorum. 203.
Hora præscripta pro Sacro debet attendi penes horologia bene directa. 204.
Quid si sint plura horologia? 205.
Quid si pro una actione sequar unum horologium, pro altera alterum? 206.
Discutitur fusè hæc controversia contra Caramuelem. 209. *& seqq.*
Et applicatur sectanti pro uno Casu unam è duabus contrariis opinionibus probabilibus, pro altero alteram oppositam. 212.
An liceat quotidie celebrare? 213.
Officium in Paraseeve non est Missa, & ideo nemo tenetur illi adesse. Ibid.
Romæ, & Constantiæ non celebratur eo die verum Sacrum, etsi festum fori incidat. Ibid.
Nova quæstio de parocho oblito consecrare in die Cœnæ Domini hostiam pro Paraseeve. 214. *& 215.*
An talis licitè *consecrabit in ipsa Paraseeve?* 216.
Quid igitur tunc faciendum? 217.
Et singulariter in loco, ubi est unica Ecclesia? 218.
In die Cœnæ Domini est fas cuilibet sacerdoti celebrare. 219.
Item & in Sabbato sancto. 221.
Quid in diversis Diœcesibus factum incidente festo fori in illum diem? 223.
Quale Sacrum tunc legendum? 224.
Diversa praxis transferendi festum Annuntiationis occurrentis in Sabbato sancto. 227.
Congregatio Rituum vetat festi translationem quoad forum. Ibid.
At Germani transferunt. 228.
Est peculiaris ratio, cur in die Cœnæ fiant plura Sacra, quàm in Sabbato sancto. 229.
Translatio festi quoad forum quomodo fiat Constantiæ tempore vindemiæ. 230.
An posset etiam tunc transferri quoad chorum? 223.

195 GRegorius Parochus consueverat horologium curare gubernari pro sua commoditate. *Cùm equis citis curreremus, sub mediam noctem Sabbati venimus ad ejus oppidum, monuimus custodem* (id est Sacristam) *ut die alterâ sub horam quartam aperiret Ecclesiam, ut aliquis ex nobis celebraret. Adfuit statim, & rogatus, quota esset hora, respondit*: Non poterit esse duodecima, quousque parochus legerit Horas suas, tractavit enim hospites, & jussit retrotrahi horologium, quousque absolvat. *Risimus hanc Ethicam parochi, non enim hodie discretio dierum ab horologio malè directo pendet.*

196 His ipsis verbis hoc factum, hunc risum proponit Caramuel *in sua Theologia fundamentali n. 204.* Ratione cujus

Quæritur I. *Qua horâ sit fas, dicere Sacrum, & an illa hora æstimanda sit ex horologio, quantumvis pessimè directo, an verò aliunde.*

Resp. I. In Rubricis Missalis §. 15. *n.* 1. dicitur, quacunque horâ post auroram, & ante meridiem posse Missam privatam dici. Nostræ autem Constitutiones Synod. *Part.* 1. *tit.* 9. *n.* 11. sic loquuntur: *Missæ nec ante auroram, nec post meridiem, nec sub concione celebrentur.* Per auroram intelligendo primum diei crepusculum, ut omnes fatentur, seu articulum illum temporis, quo primùm apparet in cœlo vestigium adventantis diei. Unde inferunt Azor *Tom.* 1. *lib.* 10. 198
cap. 25. Fagund. *in præc. Eccles. Lib.* 3. *cap.* 17. Gavantus *Part.* 1. *tit.* 15 delinquere mortaliter, qui (absque privilegio) excedit illud tempus, ut si e. g. tertiâ horæ parte ante auroram, vel post meridiem celebret. Azor *loc. cit. quæst.* 6. atque Gavant. Verùm quia non modò S. Thomas *quæst.* 83. *art.* 2. Suarez *Disp.* 80 *sect.* 4. Tann. Laym. Coninck non meminerunt ullius mortalis delicti, sed etiam Dicastillo *Disp.* 4. *dub* 4. meritò testatur, auroram esse hìc accipiendam non *mathematicè*, sed *moraliter*, ista autem *moralis* acceptio habet majorem latitudinem saltem ex usu communi, quàm exprimat Gavantus, idcirco nullum esse Germanis, & aliis septentrionalibus movendum scrupulum, licèt in hieme multò ante auroram sacrificent, docet Dicastillo *loc. cit. num.* 56. Et *generatim loquendo* si tuum Sacrum finiatur septem horæ quadrantib⁹, vel duabus horis ante ortum solis, non esse timendum peccatum, tradit idem Dicastillo *num.* 55. ac Tambur. *Lib.* 1. *cap.* 6. post Suarez *cit. Disp.* 80. *Sect.* 6. Verùm censeo, attendendam esse cujusque Diœcesis consuetudinem. 199

Porrò idem Dicastillo *num.* 70. contra Suarez rectè observat, non esse à B. Pio V. vetitas Missas nocturnas, sed vespertinas, ut patet ex verbis Beati Pontificis. Quòd si conficiendum sit viaticum pro moribundo, aderit justissima causa præveniendi auroram, &, quidquid dicat Bonac. *Disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 9. mallem statim post mediam noctem sacrificare, quàm permittere, quemquam decedere absque hoc necessario Sacramento, ut vocat Conc. Nicænum *Cap. De his.* 26. *quæst.* 6. Atque ita contra Henriquez, docet Diana *Part.* 2. *Tr.* 14. *res.* 33. Dicastillo *n.* 73. & alii cum Tambur. *loc. proximè citat.* 200

Resp. II. Testatur Navar. *in Man. cap.* 25. 201
n 85. se frequenter, præsertim festis diebus, ad satisfaciendum præcepto, sacrificâsse usque ad horam nonam, quæ apud nos Germanos est tertia pomeridiana, idque esse *per se* licitum, cùm nusquam prohibeatur. Et quamvis Suarez *cit.* 202
Sect. 6. neget, hanc sententiam esse tutam, ego tamen assentior Patri Dicastillo *loc cit. num.* 78. eam, ubi scandali metus abest, approbanti cum multis, atque ostendenti, consuetudinem contrariam non esse obligatoriam. Certè ipsemet Suarez *cit. Disp.* 80. *Sect.* 2. rectè pro-

pronuntiat, solam negationem, seu omissionem actûs alicujus esse invalidissimam ad introducendam consuetudinem *prohibitivam* ejusdem actûs. Atqui Suarez nititur solâ negatione, nec enim plus aut dicit, aut dicere potest, quàm non solere tam serò sacrificari. Quin 203
Friburgi Helvetiorum est more receptum, ut quot Annis Dominicâ præcedente festum S. Joann. Baptistæ publicè in templo Collegiato; quod illic magnificum visitur, proDominis Secretis, ut vocant, aliisque inferioris Ordinis toto antemeridiano tempore in Curia occupatis, Sacrum fiat duabus, tribúsve horis post meridiem, adeò ut Anno 1637. primùm fuerit finitum mediâ quartâ. Idem in similibus casibus permittit Tambur. *l.* 1. *c.* 6. §. 4. *n.* 26. post Vasquez, exprimens *nu.* 21. necessitatem conficiendi viatici.

Resp. III. Illa hora, qua fas est dicere Sa- 204
crum, æstimanda est ex horologiis utcunque bene directis, non autem enormiter, ac præsertim ex industria errantibus. Potest hæc responsio singulariter; & frequenter habere locum in Sacro, quod fit mediâ nocte Nativitatis Domini: Ut si e. g. parochus curet retrotrahi horologium sub duodecimam, quò plus temporis habeat ad collationem, vel ad horas currentis diei recitandas, ut fecit noster D. Gregorius: aut promoveri, quò sequenti die possit citiùs absolvere sua. An in primo casu licebit ipsi facere Sacrum die Nativitatis; cùm videatur non jejunus? In secundo, an, qui audiit Sacrum illâ horâ duodecimâ præproperatâ, satisfecerit præcepto Ecclesiæ, ita ut non teneatur alii interesse in festo Nativitatis: Potest quoque resolutio illius quæstionis deservire volenti ad aram litare horis pomeridianis. 205

Hanc difficultatem expediam in *Alphabeto Communicantium Casu XVII.* ubi tractans de jejunio præmittendo sacræ Communioni dicam, illud incipere à media nocte mensurata horologio directo secundùm artem peritorum. Adjungam longum, & ingeniosum discursum Joannis Caramuelis de fide horologiis habenda, aut non habenda in plurium actionum directione, at hoc loco exprimam, quid sentiam de hac controversia, quam agitant Cardinal. de Lugo *hic Disp.* 15. *à n.* 46. Dicastillo *Disp.* 9. *n.* 312. atque idem Caramuel mox citandus. Utrùm videlicet mihi sit fas, quoad unam actionem accommodare me horologio tardiùs incedenti, quoad alteram verò citiùs gradienti. 206
Ut e. g. sunt in meo oppido duo horologia, quorum utrumque censetur satis rectè ambulare. Unum illorum designat duodecimam noctis finientis diem Sabbati, eo audito incipio edere carnes, probabiliter credens, jam cœpisse diem Dominicam. Pergo in esu, donec alterum sonet, quo sonante nihil ampliùs sumo, & idcirco nihil ampliùs, quia volo die Dominico adire divinum epulum usus hoc argumento, quòd nihil comederim post sonum hujus ultimi, esto pullum ederim post sonum primi, quod proinde primum sequor quoad esum carnium, at non quoad Communionem requirentem jejunium naturale, sed quoad hanc accommodo me secundo, post quod, ut dixi, nihil comedi.

Et verò rectè fatetur Dicastillo *n.* 426. *in* 207
primis hanc variationem horologii excusari posse saltem eo casu, quo ignorans unum altero citiùs ambulare, accommodâsti te primo, ac deinde advertens sonum posterioris, incipis sequi posterius, non autem prius. Cùm enim hæc variatio, seu variata electio horologii non fiat ex intentione, non potest ullus legislator eam ægre ferre. At verò *secundò* in materia tam justitiæ, quàm alterius virtutis non licet ex proposito facere hanc variationem, si exinde sequatur læsio juris alieni, aut omissio, transgressióve unius præcepti. Secùs *tertiò* si juxta probabilem aliquam sententiam non sequatur ullius præcepti transgressio, inquit *num.* 325. *secundam* partem *n.* 322. inde probans, quòd legislator videatur velle obligare ad suum præceptum, ut non eludatur, quod etiam tenet D. Reding *Tom.* 6. *q.* 6. *a.* 4. *Controv.* 2. *n.* 24. Probat & Lugo variis inconvenientibus, quæ alioqui sequerentur. Verùm 208
Ioañes Caramuel *in Theol. Fundamentali à num.* 280. *ad* 294. negat, oppugnatque illam *secundam* partem, admittens sequi indicata inconvenientia, quæ tamen sint admittenda. Nititur *num.* 265. hoc potissimùm fundamento, quòd sit luce meridianâ clarius, illum, qui ex duabus probabilibus opinionibus sequitur jam unam, posse sequenti momento post amplecti alteram.

Ego absolutè assentior Lugoni, & Dicastillo 209
1. Propter rationem ex eodem allatam. 2. Quia statuens censetur id *tacitè* statuisse, quod apertè statuisset, si in mentem venisset. Gloss. *L. Tale, ff. De pact.* & Additionarius Bartoli *Ibid.* Atqui si legislatores prævidissent futuram variationem ejusmodi electionis horologiorum, utique illam vetuissent. 3. Quia, qui intendit ita variare electionem horologii, intendit hoc ipso non facere id, ad quod ipsum lex, aut contractus evidenter obligat, ergò excusandus non est per Regulam ultimam *in 6.* Et quis ferat illum, qui dicit: Probabile est, satisfieri præcepto audiendi Sacrum, si quis veniat ad Offertorium, & reliqua audiat. Laymann. *L.* 4. *Tract.* 7. *Cap.* 3. *n.* 3. Ergo non ingrediar templum, nisi ad Offertorium. Et ubi fuero ingressus, dicam: Est probabile, quòd non satisfaciam præcepto de audiendo Sacro, licèt interfuero reliquis partibus Sacri. Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 88. *sect.* 2. post Sotum, & alios. Ergo non interero, sed mox exibo. Item: Est probabile certam horam jam non spectare ad substantiam jejunii, Lessius *l.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 13. Ergo horâ septimâ sumam bonum jen- 210
taculum, & ubi sum psero, dicam: Probabile est

ex ſententia Joann. Sanchez *Diſp. 53. n. 5.* & aliorum apud ipſum, quòd jam egerim contra ſubſtantiam jejunii. Ergo licèt abſtinuero ſecundâ refectione, non ſatisfaciam legi jejunii, quidni igitur ſumam duplicem, triplicem re-
211 fectionem? Rurſum: Horologium, quod in turri Cathedrali priùs ſonat, probabiliter incedit uno quadrante citiùs, quàm oporteret. Ergo differam Veſperas, & Completorium, uſque dum illud ſonet, habeo enim ſatis temporis, donec horologium ad ſancti Stephani duodecimam mediæ noctis ictu deſignet. At verò poſtquam in Cathedrali ſonuerit duodecima, dicam: Probabile eſt, quòd jam ſit in cœlo duodecima: ergo licèt jam orem Veſperas, & Completorium, non tamen ſatiſfaciam præcepto de integro officio intra unum diem naturalem recitando. Ergo omittam.

212 Puto, neminem eſſe, qui non videat hoſce diſcurſus, quibus ſimilis eſt ille, quem ſuprà attuli de ſacerdote, tardius horologium ſequente quoad jejunium *naturale*, ſequente citius quoad *eccleſiaſticum*, eſſe illegitimos. Ut ergo vitentur hæ abſurditates, fatendum eſt, illum, qui elegit ſemel unum horologium, & unam ſententiam probabilem, debere porrò ſequi, quando deſiſtendo ab hac, & illa eluderetur præceptum clarum, indubitatum, ſicuti eſt de non ſacrificando, quando quis poſt duodecimam noctis ſumpſit cibum. Lege omnino Thomam Tamburin. *in Decalog. Lib. 1. Cap. 3. §. 5.* adferentem tres caſus, quibus licet, & novem, quibus non licet variare ſententiam in eadem materia. Et *num 18.* ac *19.* adferentem duas generales Regulas pro hoc. Nobis quoque aſſentientem ſingulariter quoad horologia. Conſentit nobis Stephanus à ſancto Paulo *in Theol. moral. Tr. 1. Diſp. 2. num. 19.* poſt Franciſcum Bonæ ſpei.

213 Quæritur II. *An liceat quotidie facere ad aram?* Reſp. Licet *per ſe loquendo*, atque indubitanter, exceptis tribus poſtremis diebus hebdomadæ ſanctæ, de quibus hæc tenenda. 1. Feriâ ſextâ in Paraſceve penitus interdicitur Sacrificium. *cap Sabbato. De Conſecr. diſt.* 3. Ac proinde licèt eo die forſan celebretur aliquod feſtum fori, non tamen tenentur fideles intereſſe officio illius diei, utpote quod non ſit propriè Miſſa. Diana *P. 2. Tract. 14 Reſol. 62.* cum communi, & Congregatione Rituum contra Vaſq. *d. 232.* D. Reding *q. 9. a. 2. Controv. 1.* Attamen Penna, & aliqui Recentiores referente, nec improbante Henriq. *l. 9. c. 9. n. 6. lit. Z. ingl.* cenſent, *licitè* ſacrificari ad muniendum Viatico moribundum, ſi deſit alia hoſtia. Aut ſi tunc incidat feſtum Annuntiationis, tunc enim, ut ſatisfiat præcepto de Sacro audiendo, poſſe Epiſcopum dare licentiam ſacrificandi, tradit Homobonus, Molfeſius, Azor, Suarez, Reginaldus apud Barboſam *de officio, & poteſt. parochi Cap. 2. n. 48.* quod etſi exiſtimo eſſe valde probabile, abſtrahendo à particulari prohibitione Congregationis apud Gavantum *Part. 4. Tit. 9. numer. 24.* non ſcio tamen practicatum. Quin mihi conſtat, cùm Anno 1633. auguſta feſtivitas Incarnationis Dominicæ occurriſſet in Paraſceve, atque ſub id temporis fuiſſet à Cathedralis noſtræ Decano ſcriptum Romam de praxi tunc illic obſervata, reſponſum fuiſſe, nullam illic Miſſam celebratam, ſed populum pronuntiatum fuiſſe liberum ab obligatione Ordinarii officii audiendi. Sicuti neque hîc Conſtantiæ, cùm Anno *1666.* in eandem lugubrem diem incidiſſet Natale S. Georgii, fuit à quoquam litatum ad aram, tametſi iſtud Natale etiam poſt Bullam Urbani abrogantem hoc, & ſimilia feſta fori, fuerit celebratum feriatione à labore ſervili.

Hiſce nunc addo reſponſionem ad quæſtio- 214
nem iteratis literis mihi abhinc octennium propoſitâ à quodam perquam accurato Theologiæ Profeſſore. *Utrùm videlicet parochus, qui in feria V. Cœnæ Domini oblitus eſt conſecrare hoſtiam, quæ ex more Diœceſeon Germanicarum ſolet feria VI. in Paraſceve (Hiſpani, atque Itali conſueverunt in feria V. ideòque apud eos poteſt habere locum reſolutio, quam* Suar. *Diſp. 80. Sect. 3. dat de parocho, procurante duas parochias, & dubitante, an, & quomodo abſumere poſſit in Paraſceve utramque hoſtiam pridie expoſitam in utraque parochia?) exponi in ſepulchro, ſeu monumento erecto in honorem Redemptoris*, licitè *ſacrificet eâdem feriâ ſextâ, eo fine, ut habeat hoſtiam conſecratam in præditum uſum?*

Reſpondeo autem *negativè*, quia nullus eſt 215
parochus adeo incurius, quin habeat eo tempore plures particulas conſecratas pro communicaturis. Si unam illarum imponat hierothecæ, ſeu Monſtrantiæ, ſatisfactum erit ſubſtantiæ (ut loquar) moris Germanici, eſto non circumſtantiæ accidentali. Et verò plurima ſepulchra, ſeu cenotaphia ſunt ita vel obſcura, vel profunda, ut forſan è centum ſpectatoribus non ſit unus, qui diſtinctè animadvertat, hoſtiam aliquam ineſſe Monſtrantiæ. Religioſi debent hac in re eſſe minùs ſoliciti, quàm parochi, quandoquidem non incumbit ipſis tanta obligatio præparandi, exſtruendi ſimilia, quanta curatoribus animarum. Et quid ſi in tali caſu reſervetur pro ſepulchro fragmentum hoſtiæ uſurpatæ pro illo Officio?

At inquies: *Quid ſi idem Parochus eâdem feriâ* 216
V. non conſecraſſet hoſtiam proſequente feria? an hâc ſequente feriâ eam licitè *conſecraret?* Non *licitè*, quia alioquin deberet etiam conſecrare calicem, nec enim fas eſt conſecrare unam ſpeciem ſine altera, & tamen eo die nefas eſt facere Miſſam propriè dictam, qualis certò foret, ſi utramque ſpeciem conſecraret. *Licitè*, quia alioqui non habebit hoſtiam, quam de more illius diei levet, ſeu tollat ſolâ dextrâ manu, oſtendátque populo, ac ſumat.

Hoc

Hoc dubium nemo, quantum mihi quidem 217
conſtat, tangit vel verbo, vel ſcripto. Reſpondeo autem, non eſſe tunc ſacrificandum, ſed loco grandioris accipiendam eſſe unam è particulis, de quibus paulò antè. *At populus mirabitur, quando arolletur tam parva hoſtia.* Reſp. E duobus malis minus eſt eligendum, eſt autem minus malum facere hoc, quàm non habere ullum officium *At ne quidem parva hoſtia ſuppetit.* Ergo non parva pœna imminet ob tam periculoſam negligentiam. Interim videbitur non nemini, eſſe tunc penitus omittendum officium illus diei ob varia incommoda, quæ ſequentur ex celebratione. Puto tamen, ea eſſe minoris conſiderationis, quàm omiſſionem illius officii, omittendo enim agitur contra legem naturalem de vitando ſcandalo, & gravibus obmurmurationibus, non omittendo fit tranſgreſſio ſolius legis humanæ, utpote poſtponendæ naturali. *Cap. fin. De conſuet.*

218 Diſtingo autem Caſum illum hoc modo: Contingit is vel in urbe, vel in pago. Si in urbe, facilè habebitur ſacerdos, qui privatim faciat Sacrum de Paſſione, aut Cruce, conſecrétque hoſtiam pro officio publicè celebrando ab alio. Si in pago, faciat ipſe parochus privatim ejuſmodi Sacrum omiſſâ ſumptione ablutionis, publicè peragat conſuetum Officium diei, acturus quidem contra duplex præceptum Eccleſiæ, unum de non communicando bis, alterum de non conficiendo Sacramentum illo die. Sed quia eſt fas facere etiam die profeſto bis Sacrum, ut ſatisfiat devotioni populi. Suprà *Caſ. VI* quia etiam prohibitio non conficiendi eo die Sacramentum cedere debet legi naturali de non dando ſcandalum. Ideo credo, poſſe ſtari datâ reſolutione, quàm ſi velis extendere etiam ad Caſum, quo non ſuppetit hoſtia, niſi parva, erit fortè, qui approbet exteriſionem.

219 II. Die Jovis Sacro eſt cuivis ſacerdoti fas, dicere Sacrum ſaltem privatim. Ita etiam in *Alphab. Communic. Caſ. III.* ſentio, ac ſingulariter pro Germanis probo authoritate Theologorum Germanorum Tanneri *Diſp. 5. q. 10. num. 58.* Laym. *Lib. 5. Tr. 5. c. 4. num. 9.* Dicaſtillo *Tr. 5. Diſp. 4. n. 28.* teſtantis, illis 15. Annis, quibus jam tunc in Germania Hiſpanus ipſe vixerat, publicè eo die celebraſſe, qui vellet. Similiter Dom. Reding *loc. cit. a. 3.* ſcribit, Romæ, ubi & ipſe diu moratus eſt, imò paſſim alibi ſine ullo ſcrupulo factitari id ipſum. Ra-
220 tionem optimam adfert Tannerus, & conſentiens Tambur. *L. 1. de Sacrif. Miſſ. c. 6.* poſt Palaum *Tr. 22. p. 7.* quia nulla aut lex, aut conſuetudo id prohibet, nulla inquam, univerſalis, nam de particulari ſic loquitur Laym. *loc. cit. Si quo tamen loco in aliquo ſacerdotum conventu quaſi ſub præcepti obligatione vigeat conſuetudo communicandi more laico, non oportet, ſine Prælati licentia celebrare.* Hoc ipſum tradit Buſenbaum *L. 6. Tr. 3. Dub. 3.* addens tamen, eo die *licitè* privatim celebrari, at non poſt Miſſam ſolennem juxta Palaum. & Vaſq. *loc. cit.*

III. Eſt eadem ferè ratio Sabbati ſan- 221
cti. Siquidem Tann. *loc. cit. num. 59* Dicaſtillo, Laym. Tamburin. Buſenbaum *loc. cit.* Perbenia *de offic. & poteſtate parochip. 1. c* 11. *n. 50.* permultos referens, ac Lugo *d. 20. n. 15.* exiſtimant, eſſe *practice* tutum, legere privatim Sacrum. Quod & tenet recentiſſimus, minimè laxus Dom. Reding *cit: Controverſ 1.* praccuratè tractans hoc argumentum; atque poſt Cardinalem de Lugo obſervans, eſſe certum, quòd olim fuerit moris, ut veſpere ſabbati ſancti poſt ortum primæ ſtellæ cantaretur Miſſa Paſchalis. Tum quia authoritas plurimorum Doctorum tutam reddit hanc praxin. Tum quia conſuetudo non faciendi illo die niſi unum Sacrum in una Eccleſia non obligat. Tum quia licèt *cap: Sabbato De conſecr. diſt.* 3. dicatur, illo biduo, quod Paſcha præcedit, penitus non celebrari Sacramenta, attamen contraria conſuetudo apertè jam derogavit illi capitulo, quòd diem Sabbati, cùm ubique ferarum eo die ſaltem fiat unum Sacrum. Judico itaque, *per ſe loquendo* eſſe immunem omni culpâ, qui eo die Sacris operatur, ſicuti & feriâ V. cum hac tamen moderatione, & declaratione.

Ut in primis vitetur offenſio Superiorum, 222
ſcandalum, & gravis admiratio populi. Laym. *loc. cit.* atq; adeò non fiant facilè (ubi conſuetudo non ſuffragatur) plura ſacra publicè, ſed privatim. Quamquam, quando noſtri Patres v. g. verſantur eo tempore in Miſſionibus, nil obeſt, quòminùs die Jovis ante ſolenne officiũ & die Sabbati poſt illud publicè celebrent, quando non habentur privata ſacella. Ut deinde ta- 223
men, quando in unum ex illis duobus diebus incidit feſtum fori, celebrentur publicè plura, ſicut nominatim Anno *1666.* faciendum eſſe in iis locis, in quibus feſtum S. Georgii feſtivè celebrandum erat die 24. Aprilis, ſcripſi pridem antè, atque re ipſa poſtea factitatum in Eychſtadiano (Friſingani, & Auguſtani penitus omiſerunt illud feſtum quoad forum) Epiſcopatu, cujus Vicarius Generalis mandavit parochis celebriorum oppidorum, ut plura curarent eo die ſacra fieri, requirens inſuper Religioſos. ut & ipſi cum parochis concurrerent in plurium Miſſarum celebratione. Conſentit à fortiori Penna, dum relatus *n. 213.* vult, ut in ipſamet Paraſceve ſacrificetur propter occurſum feſti. Conſentit & apertè Diana *p. 2. tr. 14. reſol. 12.* expreſſè ſuadens cum Cotonio *lib. 2. contr. 5. n. 55.* & Franciſco de Lugo apud ipſum ita factitari, quando unò illorum duorum dierum occurrit feſtum Annuntiationis, teſtatúrque ita aliquando factum in omnibus Eccleſiis Toletanæ Diœceſis. Conſentit denique Tamburin. *l. c.* & probavit Alexander VII. dum Anno 1660. permiſit Romæ, ut omnes ſacerdotes eo die occurrente in Cœna Domini ſacrificarent. Rationes adferam *n. 229.*

224 At inquies: *Quale Sacrum fiet iis diebus?* Resp. Feriâ V. in Cœna Domini fiet utiq; de feria, nisi fortè privatim sacrificans malit facere *de Requiem* pro paulò antè defuncto, sicuti & maximè die Sabbati. Quo quidem Sabbati die putat Gavant, ac Tambur. esse legendum Sacrum illius diei proprium, & fortè sufficere, si incipiatur à confessione, eáq; finitâ dicat sacerdos *Kyrie eleyson* de more, & reliqua cum Vesperis usque ad finem Missæ. Ledesma apud Dian. *p. 2. tr. 14. res. 21.* ait, quando in tale Sabbatum incidit festum Annuntiationis, esse privatim legendum Sacrum vel de festo, vel de Sabbato, attamen cum introitu Resurrectionis. At verò idem
225 Diana *p. 4. tr. 4. res. 237.* sic loquitur: Notandũ cum Mercero, licere omnibus sacerdotibus in die Sabbati sancti privatim celebrare, unde ait Caspar Hurtadus *de Sacram. disp. 4. de Sacrific. Missæ difficul. 3.* qui voluerit Missam in dicto die celebrare, & ante solennem, poterit Sancti in eo die contingentis, aut votivam aliquam celebrare. Dicas tillo *l. c num.* 38. testatur, usum habere, ut non fiat tunc votivum, sed de ipso Sabbato. Atque re ipsa ita egerunt nostri Patres Ingolstadienses, de quibus *n. 223.* qui fortè legerunt Cotonium *celebr. controvers. lib. 2. controvers. 5. c. 3. n. 89.* sic scribentem: *Qui in Sabbato sancto privatim celebrare vult, debet resitare Missam diei, etiamsi festum Annuntiationis incidat in illud, non officium Resurrectionis, quia esset confundere unam Missam cum alia, sed dicere illam planè, ut jacet, incipiendo à* Kyrie eleyson *post Litanias usque ad Vesperas inclusivè, utpote quæ sunt pars intrinseca illius Missæ. Nec*
226 *dissentit Diana novissimè* p. 11. tr. 8. resol. 66. *citans praxin Hispaniæ ex testimonio Cardinalis de Lugo, qui & ipse ita faciebat illi asseruit.* Hactenus Cotonius. Hæ omnes opiniones, & praxes sunt sua auctoritate probabiles. Sed vide omnino P. Carol. Guyetum Heorthologiæ *Lib. 4. Quæst. 29.* Ego pro pridie defuncto facerem Sacrum *de Requiem*, sicuti & feci aliquando, aliique me Authore. Atque hisce lectis postmodum alius pro pridie defuncta Antistita Sanctimonialium, quæ ultra 40. Annos magna cum laude præfuerat monasterio. Suasi tamen, ut januis illius Monialium Ecclesiæ clausis peragereturres divina. Quia verò Anno 1660. occurrit in fer. v. Cœnæ Domini augustum festum Annuntiationis Deiparæ, censui, fore gratum meo lectori, si referrem varias praxes circa illius celebrationem observatas. Et imprimis quidem nos hîc Constantiæ, Episcopali sede, transtulimus illud *quoad Chorum* in fer. 2. post Dominicam in Albis, nullo alio festo impeditam, at verò *quoad Forum* obivimus illâ ipsâ fer. v. ita tamen, ut juxta morem eâdem fer. v. hîc ordinarium, celebrata sint aliquot Sacra in singulis præcipuarum Ecclesiarum, at propter occurrens festum Incarnationis Dominicæ fuerit in numerosiore Parochia, scilicet S. Stephani litatum sæpius, quàm ordinariè soleat illâ eâdem feriâ.

Hunc translationis modum observa- 227
runt etiam Archidiœceses Salisburgenses, & Bisuntina. Diœceses Curiensis, Passaviensis, Olomucensis, Viennensis, Basileensisque. E diverso anticipaverunt *quoad Chorum & Forum 18.* Martii, seu pridie sancti Josephi, Augustani, Brixinensésque. At Herbipolenses, Eychsterenses, & Ratisponenses postridie sancti Josephi. Sed transtulerunt *quoad Chorum, Forúmque* in feriam 2. post Dominicam in Albis Frisingani, itémque Uratislavienses, Fragenses, aliæque plures provinciæ, ut mihi scitanti rescripsit è Silesia Pater Theodorus Moretus. Quinam horum Illustrissimorum Dominorum Ordinariorum egerint omnium congruentissimè, non est meum pronunciare. Possum tamen absque cujusquam, ut spero, offensa scribere, sacram Congregationem Rituum suffragari translationi peractæ in hac nostra latissima, longissima Diœcesi, ea quippe, teste Barbosa *in suis collect. verbo translatio festi, collect. 707.* vetuit, ne festa transferantur aliter, quàm permittant Rubricæ, ideóque fuit Anno 1660. festivitas Annuntiationis celebrata *quoad forum* Romæ in die Cœnæ Domini, ut mihi liquidò constat. Consentit Jordanus *Tom. 2. Lib. 11. Tit. 1. num. 66.* post Silvestr. *verb. Dominica. q. 2. num. 1.* Et miratur Gavantus *part. 4. tit. 9. num. 24.* aliquem Italiæ Episcopum ausum fuisse Anno 1622. illud ipsum festum Deiparæ incidens tunc in
228 diem Parasceves, transferre *quoad forum* quoque. Verùm hac admiratione non moventur illi Illustrissimi Germaniæ, Galliæ, Belgii Ordinarii, qui in hac re sequuntur vestigia suorum prædecessorum, *juxta c. Veràm. De jurejur.* tuentes se Canonico titulo longæ, nec irrationabilis consuetudinis conformiter *c. Cùm consuetudinis. De cons.* Porrò in quibusdam locorum, quibus ipsâ fer. v. Cœnæ Domini agitabatur prædicta festivitas, fuêre publicè lecta plura Sacra, in aliis unicum.

Ego non dubito, quin omnes superiores 229
fuissent permissuri fieri plura, si scivissent, ipsummet S. D. N. permisisse id, quod paulò superiùs retuli, cùm præsertim nequeat aliter satisfieri partim scrupulis, partim veris rationibus famulorum, confessariorum, confitentium, qui nequeunt omnes rei divinæ, ut pars est, interesse, si non nisi una Missa publicè dicatur. Quare meritò tradit Barbosa *de parocho c. 11. n. 45.* post Silvium, Ledesmam, Crucium posse in ejusmodi occurrentia festi cum Sabbato sancto (eadem est, aut etiam major ratio feriæ v.) à parocho concedi aliis sacerdotibus potestatem celebrandi publicè, aut videlicet satisfiat pietati populi. Est inquam major ratio feriæ quintæ, si præcisè attendatur ad consuetum numerum confitentium, longè enim plures solent in Cœna Domini manè conscientias mundare exomologesi, quàm itidem ma-

manè Sabbati sancti. At verò pro Sabbato sancto militat hæc peculiaris, veréque gravis ratio, quòd, cùm officium illius diei sit longissimum, permulti mortales in oppidis, in quibus totum decantari solet, id negligant ex aperta, vel occulta desidia. Etsi quippe Prophetiarum decantatio fortè non sit pars Missæ illius diei (de quo infrà *Tr. 5. n. 707. in App.*) idiotæ tamen non distinguunt, & quia nequeunt ex ullo signo (tacentibus adhuc in Germania campanis) cognoscere, quandonam inchoëtur ipsum verum Sacrum, ideo alii veniunt ad hoc nimis serò, alii penitus emanent.

230 Cæterùm quia hîc incidit mentio prædictæ translationis, adjiciam aliam translationem peractam in hac urbe Constantiâ Anno 1659. *Cùm enim eo Anno vindemiæ cœpissent circũ urbem, atque in vicinia citiùs solito, adeóque ante festum S. Michaëlis, fecit D. Vicarius Generalis ex more Diœcesano (quando vindemia est præsestina) potestatem incolis, accolis carpendi libere racemos, omniáque annexa peragendi eo die, & consequenter in omnibus officinis laborandi, transferendo festum illud* quoad forum, *adeóque quoad obligationem audiendi Sacrum in diem S. Ursulæ, ejúsque Sociarum Sacrum, súbque ritu duplici per totam Diœcesin celebrari solitum. At verò* quoad chorum *fuit observata ordinaria solennitas, proindéque officium canonicum, & Missa cantata de S. Michaële. Quæsivêre nonnulli, quid videretur de hoc transferendi modo.*

231 Respondeo, mihi probari. 1. Quia ita fert mos vetustus. 2. Quia nequit fine ingente incommodo, & damno his in locis interrumpi eo die vindemia. 3. Quia nihil demptum cultui S. Archangeli. Quamvis autem Gavantus *in Rubr. miss. p. 4. tit. 9.* miretur ejusmodi translationes, jam tamen *n. 228.* respondi ad hanc admirationem.

Fuit autem illo die S. Michaëlis etiam opificibus permissum laborare, quia alioquin debuissent duobus diebus otiari. Nec enim conveniebat, ut brachia exercerent in festo sanctæ Ursulæ, quo vindemiatores feriabantur.

232 Dices: *Cur festum Principis militiæ cœlestis non fuit translatum quoad chorum?* Resp. Quia nostri majores non transtulerunt, nec erant obligati transferre. Quamvis non putem, futurum fuisse reprehensioni locum, licèt integrè transtulissent in diem non impeditum officio novem lectionum. Sanè non est DD. Ordinariorum potestas ita restringenda, quin valeant in his raris casibus, solo jure *humano* nitentibus facere, quod pro re nata judicant expedire ad bonum subditorum ob rationem *secundam*, quam attuli.

233 Quam ob rem Annis 1660. & 1661. fuit non solùm Divi Michaëlis, sed etiam Divi Matthæi festivitas *quoad forum* in locis urbi Constantiæ vicinis (urbs ipsa nil mutavit, quia non urgebat tanta necessitas) loco mota, propter causam suprà indicatam.

Porrò an sit obligatio audiendi Sacri in illis 234
festis translatis, & quomodo illa obligatio sit explicanda respectu civium peregrinantium, edisseram *in Alphab. audientium Sacrum. Cas. III.*

QUO LOCO SACRIFICANDUM.

CASUS VIII.

Dubiæ Imitationis.

SUMMARIUM.

Sancto Vulfrano faciente in navi Sacrum, cadit; & emergit mirabiliter patena. 235.
An liceat celebrare in navi? 237.
An in quovis honesto loco? 239.
Casus Sacerdotis celebrantis in Sacello domestico benedicto per benedictionem novæ domûs. 240.
Quid si adsit causa, etsi non gravis. Ibid.
Recensentur variæ causæ. Ibid.
An tunc adeundus Episcopus? 241.
An Episcopus possit dare facultatem celebrandi in quovis loco honesto? Ibid.
Habent ipsi potestatem mandandi fieri coram ipsis Sacrum in loco prophano. 245.
Religiosorum privilegium circa hanc materiam. 247.
Affertur Breve Gregorii. XIII. 249.
An, & quatenus liceat in Oratorio privato ereCto ex permissu Papæ sacrificare? 250. & seqq.
Societatis Jesu privilegium in hac materia. 256.
Episcopus etiam titularis licitè *habet in suo palatio Oratorium. 257.*
Episcoporum Oratoria non restringuntur ad familiares. 259.
Quinam dicantur procreati ex Nobili genere? 261.
Quinam dicantur domestici? 262.
An fas celebrare in Ecclesia non consecrata? 264.
An, si quis in ea celebravit, censeatur hoc ipso consecrata? Ibid.
Quæstio nova, an Ecclesia polluatur per exercitium Religionis hæterodoxæ? 265.
Quid sit propriè locus Sacer, Religiosus, Ecclesia? Ibid. *in* App. I. lit. e.
Explicantur *actiones, quibus violantur, & execrantur loca sacra,* Ibid. lit. a. & seqq.
Quando *reconcilianda?* Ibid.
Declaratur duobus Casibus Ibid. lit. b. c. & q.
Aulæ nostrorum Gymnasiorum, an sint loca sacra. Ibid. lit. t.
Oratoria Sodalium, seu Confraternitatum fruuntur privilegiis locorum piorum. Ibid. lit. x. & y.
An hæreticus gaudeat jure Asyli? 265. Ibid. lit. c.
Quatenus homicida? Ibid.
An veneficus? App. II. lit. a.
An ades Parochi gaudeant illo jure? Ibid.

An Præses Ecclesiæ teneatur aperire portam confugienti ad asylum. Ibid lit. h.

235 HOra advenerat, *qua positis nobis in medio mari Sacrificium Deo victimæ salutaris immolandum erat. Tunc jactis anchoris navis immobilis consistebat & celebrante S. Pontifice Vulfrano Missarum solennia ventum est ad locum, ubi Minister Præsuli patenam porrigere debuit, extensâque manu exspectabat horam, qua eam susciperet. Sed dum Minister eam abluere vellet, in mare ex ejus manibus collapsa est. Finitâ vero oratione imperat Diacono, ut in eum, in quem patena ceciderat, locum, manum mitteret. Quo facto ab imo maris eadem patena divinitus directa ejusdem Ministri manui inhæsit.*

236 Hoc miraculum ex Jona Abbate, ejusdémque verbis describit Cardinalis Baronius *ad Annum Christi 700. num. 3.* quo Anno vivebat ille S. Vulfranus Episcopus Senonensis. Addit autem Baronius, præter hoc miraculum etiam constare ex hac historia, *quòd viri sancti non desierint tranquillo Cœlo sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare in mari.*

237 Quæritur igitur I. *An imitandum hoc tempore exemplum S. Vulfrani?* Negat Vasq. *Disp. 233.* atque alii: tum quia mare est locus utique prophanus, est autem nefas, operari Sacris in loco prophano. Infrà *num. 239.* tum quia in mari adest nimis magnum periculum effusionis sanguinis. Addit Diana *P. 6. Tr. 1. Res. 45.* declarationem Cardinalium Anno 1633. statuentium, ut Episcopi prohibeant sacerdotibus sæcularibus, & Regularibus, ne id factitent. E diverso Coninck *in 3. Part. quæst. 83. art. 3. dub. 1.* Palaus *Tr. 22. punct. 8.* Dicastillo *Tract. 5. De Euchar. d. 4. num. 90.* ac plures alii, negant, jure ullo *divino*, aut *Ecclesiastico* 238 vetari imitationem tam sancti viri. Quin Palaus testatur, esse à Clemente VIII. Paulo V. id generaliter permissum navigantibus in Indias. Et verò id ab ipsis practicari sum certus. Nec vererer eorum exemplum sequi, si comes essem tam diuturnæ navigationis, mihi quippe suffragarentur, quæ adferam *num. 240.* Si autem navigatio esset brevis, ut e. g. Anconâ Genuam, aut etiam Massiliam, faverem, quod solet in his maribus. Solet autem omitti Sacrificium, ut testantur, qui hæc maria legerunt. Licuisse olim in carceribus etiam sine Ara sacrificare, notat inter cæteros Cardinalis Bona *Liturg. Lib. 1. Cap. 19.* Et nostri Patres Angli sub sævissima tyrannide Elisabethæ etiam in fœdissimis pessimè olentibus carceribus Missas celebrabant frequentissimè, ut notat non semel noster Pater Bartholi *in Historia Soc. Anglicana.*

Quæritur II. *An sit fas sacrificare in quovis* 239 *loco honesto, etiam profano?* Resp. I. Haud quaquam *per se loquendo.* Etenim Felix Papa relatus *Cap. Sicuti. De Consecr. dist. 1.* sic statuit: *In aliis, quam Domino sacratis locis Missas cantare, aut sacrificia offerre non licet, nisi summa coëgerit necessitas.* Adeóque delinquit mortaliter, qui secus facit. Ita authores in decursu citandi adversùs Sotum *in 4. dist. 13. qu. 2. art. 3.* Emman Sa *verb. Missa*, & Ludov. Lopez apud P. Castropalaum *loc. cit. n. 3.* ac Dianam *Part. 11. Tract. 4. Res. 2.* latè dissentientem à Dominico Soto, mitiùs sentiente Patre Bardi apud eundem Dianam. Nam talis transgreditur præceptum ob gravissimas causas latum, & usu communi approbatum. Sicut & transgressus fuit ille sacerdos, qui, ut aliunde mihi scriptum, sacrificavit in sacello domestico privati hominis, soliti diebus festis, & Sabbatinis cum tota familia piè orare in illo non aliter benedicto, quàm per preces præscriptas pro benedictione novæ domûs, quas preces mutatis mutandis pronuntiaverat ipse rogatu Patrisfamilias. Etenim certum est, benedictionem requisitam ad id, ut locus profanus evadat sacer, aptúsque sacrificio, fieri debere, vel ab ipso Episcopo, vel à Prælato habente jus pontificalium, & vel ab alio simplice sacerdote prædito potestate delegatâ, qualem quidem pro suis templis, & Oratoriis obtinent Prælati Ordinum Mendicantium, ut videre est in eorum privilegiis, qua etiam de re consuli possunt Sylvester *verb. Aqua benedicta*, & *verb. Benedictio*, & alii Summistæ.

Illud tamen præceptum Felicis Papæ ita 240 jam mitigavit usus, ut extra summam, imò etiam magnam necessitatem *licitè* immoletur in loco profano, licèt non deputato ad usus duntaxat sacros. Vasq. *l. c. n. 4.* atque alii jamjam referendi. I. Quando diu navigandum, vel agendum est iter per loca deserta, aut loca infidelium. II. Quando Ecclesia est diruta. *Cap. Concedimus. De Consecr. dist. 1.* III. Quando locus sacer non capit omnes, ut e. g. in die Dedicationis, aut cùm celebrantur Primitiæ novi sacerdotis, aut quando itur supplicatum ad aliquod Eremitorium. IV. In bello, ne milites careant Sacro diebus festis. Hæc exempla tradunt Suarez *disp. 81. sect. 3.* Vasq. *l. c.* Palaus *l. c.* Pax Jordan. *Tom. 1. Lib. 4. Tit. 1. nn. 117.* Dicast. *l. c.* aliíque plures. Addit quintum Casum quidam Theologus, de quo *in Alph. Communicant. Cas. 1. num. 28.* quando scilicet ad evitandum scandalum debet in loco privato confici viaticum sub speciebus vini sumendum.

At estne in his casibus necesse postulare licentiam Episcopi? Resp. Nostræ Constitutiones Synodales *part. 1. tit. 9. num. 3.* sic loquuntur: *Sub dio in ara portatili, in privatis oratoriis, aut ædibus nemo celebret sine speciali nostra licentia in scriptis obtenta.* Verùm puto, hanc inhibitionem

nem non extendi ad hos casus repentinos, sed solùm quando quis vult sæpius etiam cum aliqua necessitate sacrificare; & verò si commodè possit peti, petendam esse facultatem rectè censent suprà citati, negante Sa, & Pasqualigo apud Dian. *Part. 6. Tract. 1. Res. 46.*

242 Licèt Episcopi ex vi *Cap. Missarum. De celebr. dist. 1.* potuerint pro lubitu impertiri potestatem faciendi in quovis loco honesto, quamvis non deputato ad solos usus sacros. Vasq. *cit. Disp. 233.* Palaus, alii. Jam tamen non possunt in domibus privatis pro personis à se diversis, nisi ex rationabili causa, ob prohibitionem 243 Trid. Concilii *sess. 22. De observ. & vitand. in celebr. Miss.* Quod quidem Concilium limitavit duntaxat illud amplum jus Episcoporum, non tamen penitus tustulit; adeóque possunt Episcopi, non obstante illo Concilio, impertiri prædictam facultatem, quando adest aliqua necessitas, aut justa causa. Navarrus *in consiliis Lib. 5. De privilegiis conf. 5. n. 2.* revocans, quod in contrarium docuerat *in Manuali Cap. 25. n. 81.* Barbosa *De potest. Episcop. alleg. 23.* Vasq. *l. c.* Tann. *cit. q. 10. n. 27.* Laym *loc. cit.* Tamburinus *Lib. 1. c. 4. §. 2. n. 7.* post Laym. *Cap. 5. n. 4.* dicentem: *Semel, aut sæpius, quatenus rationabilis causa suaserit.* Consentit Pax Jord. *Tom. 244 1. lib. 4. tit. 1. n. 118.* Imò videndum est, an sit usu receptum, ut Episcopi etiam post Conc. Trid. id possint simpliciter concedere, ut videó fieri in his regionibus septentrionalibus. An rectè, & quo jure, ipsi viderint, ego video à multis peti, & concedi. Sic loquitur Dicastillo *loc. cit. num. 94.* Scio ego, vigere in hoc Episcopatu usum apertè fundatum in Constit. Synod. loco paulò ante relato, usum, inquam, potestatis concedendæ, qua personæ etiam non illustres tempore ægritudinis curent sibi fieri Sacra in conclavibus communibus. Verùm etiam scio, intentionem moderni. Illustrissimi Principis justissimam, ut nec diebus profanis, nec diutiùs, quàm duret ægritudo, sit locus tali privilegio.

245 Ipsis Episcopis permittitur in *Cap. fin. De privil. in 6. ut altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, & celebrari facere ubicunque.* Quod privilegium cùm sit *reale*, simul & *personale*, sequitur per Regulam Septimam *in 6.* personam extra Diœcesin quoque degentem; ut suo exemplo, & responso Cardinalium probat D. Pax Jordan. *cit. tit. 1. n. 231.* Et competere Episcopis quoque Titularibus, docet meritò Diana *cit. Part. 9. Tr. 1. Res. 47.* Sunt enim verè, & propriè Episcopi. Gregor. Tolos. *Syntagmat. Lib. 15. cap. 12. num. 34.* Tamb. *loc. cit.* alii.

246 Quòd si Episcopus in sui palatii seu arcis quodam communi conclavi curet erigi altare pro sua commoditate, poterit etiam eo non præsente ex ejus permissione liberali facere Sacrum alius sacerdos. Pellizarius *in Man. Regul. Tom 2. Tr. 8. cap. 2. num. 163.* apud Dianam *Res. 41.* contradicentem cum Portel. Aversa, ac Tamburino *n. 8.* sed manùs rectè. Nam Synodus Tridentina, quæ sola obstare videri potest *sess. 22. Decreto de observ. in celebrat. Miss.* loquitur expressè de solis domibus *privatis.* At qui palarium Episcopi non est domus privata, sed publica. Gavant. in *Rubr. Miss. Part. prima, tit. 20. lit. m.* Pax Jordanus *loc. cit. num. 132.* Tamburinus ipse *cit. n. 8. in fin.* extendens ad locum, etiam in quo Episcopus obiter resident, ideo de illo nil statuit Tridentinum *ll. cc.* De domo Rurali Episcopi faciliùs extra necessitatem assentirer Dianæ.

Religiosos quod attinet, eorum privilegiis 247 respectu suarummet domorum nihil derogavit Concil. Trid. adeóque possunt litare in suis cellis, quando sunt ægri, aut in suis grangiis, seu villis, ac suburbanis ædibus, quando sunt foris. Lezana *suæ Summæ Tom. 3. verb. Altare*, quem citat & sequitur Dicastillo *cit. Tract. 5. disp. 4. dub. 5. n. 104.* Diana *Res. 34.* & alii. Nam talia loca non censentur domus 248 privatæ, de quibus solis loquitur Concilium, sed sunt domus communitatis Religiosæ. Non tamen omnes utuntur hoc privilegio, multò minùs illo, quod idem Dicastillo *loc. cit.* ac Tambur. *loc. cit. §. 3. num. 10.* post præpositum *in 3. part. quæst. 83. art. 3. num. 151.* contra Navarr. Henr. & Suar. adhuc vult esse in suo robore, ut videlicet *Fratres Prædicatores, & Minores* (& consequenter participantes eorum privilegia) *ubicunque fuerint* (verba sunt Honorii III. *Cap. In his. De privileg.*) *sine parochialis juris præjudicio cum altari valeant viatico* 249 *celebrare.* Verùm quia Gregorius XIII. in Brevi quodam ita loquitur: *Usum altaris viatici à fel. record. Paulo Papa III. Societati vestræ concessum, deinde à Conc. Trid. universe sublatum, vobis eatenus restituimus, ut inter Missiones &c.* Quibus verbis expressè testatur, sublatum esse à Tridentino illud Privilegium Pauli, hoc ipso indicans illud ipsum de privilegio Honorii, quod tamen probabiliter negat Tamburinus *num. 11.* ideo quòd hoc privilegium sit insertum Corpori Juris, quia, inquam, Gregorius ita loquitur, idcirco judicet Lector, quantum sit tribuendum illis Doctoribus. Vide Ascan. Tamburinus referendum infra *num. 281. in fine.* 250

Quæritur III. *An, & quatenus liceat in Oratorio privato tremendum Missæ Sacrificium celebrare?* Scio, permulta dubia circa hanc materiam oriri sacris Mystis. Scio insuper, in plerorumque manibus nullum versari; qui ad propositam quæstionem distinctè, & articulatim respondeat. Ut igitur ipsis serviam, adferam hoc loco nonnullas resolutiones circa hanc materiam, sed brevissimè, ne desim aliis; pleraque desumam vel ex Diana, vel ex authoribus ab eodem relatis *cit. Tract. 1. Nonæ partis*, qui de hoc argumento exhibet resolutiones 68. Scripseram jam omnes, priusquam viderem Tamburinum probè exequentem hoc argumentum.

251 Itaque Oratoria privata dicuntur illa, quæ sunt in privatis domibus, in angulis earum, in quibus oratur, & non habent Campanam, neque januam patentem in via publica, & ad nutum fundatoris hujus domûs ad profanos usus redire possunt. Diana *Resp.* 1.

252 Quando Pontifices dant potestatem erigendi tale Oratorium, apponere solent has conditiones: ut scilicet ille locus sit ad hoc decenter ornatus; ab omnibus domesticis actibus liber, & ab Ordinario loci approbandus, visitandúsque sit. Item ut Missa una quotidie celebrari possit per quemcumque sacerdotem sæcularem, vel regularem, sine tamen præjudicio jurium parochialium; ac Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, nec non aliis solen-

253 nioribus Anni festis diebus exceptis. Item acjici solet, ut præter familiares illius personæ, cujus contemplatione conceditur illud oratorium, servitio necessarias ibidem Missæ interessentes diebus festis, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia minimè liberi censeantur *cit. Resol.* 1. Patent hæc omnia ex quodam Brevi Innocent. X. quod describit Tamburinus *Lib.* 1. *De Sacrificio Missæ Cap* 4. §. 4. *num.* 1.

254 Possunt tamen illi famuli etiam absente suo Domino festis diebus illic audiendo Missam satisfacere præcepto Ecclesiæ. Idem *Res.* 2. post Palaum *Tract.* 15. *p.* 6. *num.* 9. & alios. Patet ex verbis Brevium communium. Alii autem, quàm famuli, non satisfaciunt, si illic audiant Sacrum etiam præsente Domino. Idem *Res.* 3. ac Tamburinus *loc. cit. nu.* 34. cum communi contra Pellizarium, Homobonum, & Palaum apud Tamburinum Nam verba Pontificum sunt nimis clara: adeóque nec convictores illius Domini. *Res.* 6. contra eosdem, quos planè non inficior loqui probabiliter, cùm jam sic usu receptum, ut satisfiat præcepto Ecclesiæ audiendo Sacrum quocunque in loco. Vide etiam Palaum *Tr.* 22. *p.* 16. *n.* 13.

255 Quamdiu Episcopi non vetant Regularibus, ne in prædictis oratoriis sæcularium sacrificent, possunt illic & sacrificare, & Sacramentum Eucharistiæ administrare. *Res.* 8. ex communi. Etenim id ipsis permittunt sua privilegia. Imò verosimilius est, quòd idem possint, licèt interdicant Episcopi, quia non habent jus interdicendi. Pellizarius, & Bauny apud eundem, & contra eundem Dianam *ibid.* atque alios.

Licèt habeas ex privilegio ejusmodi oratorium, non tamen teneris eo privilegio uti; & proinde, si ob ægritudinem nequeas die festo exire domo, non teneberis curare fieri tibi domi Sacrum. *Res.* 19. fusè. Nam nemo tenetur uti suo privilegio.

256 Possunt personæ Societatis, & consequenter alii Religiosi Mendicantes in suis Collegiis, aut etiam extra Collegia in ædibus, ubi aliqui ex ipsis residebunt, habere oratorium approbatum à Provinciali, & ad usus duntaxat sacros deputatum, id quippe concessit Gregorius XIII. in Bulla incipiente: *Decet Romanum.* Vide de hoc Suarez, Palaum, Dicastillo, alios cum Diana *Res.* 32. & 34. & Bonagratiam *in Summula verb. Missa. num.* 304.

Episcopus etiam Titularis potest in suo pa- 257
latio ordinario, aut rurali constituere oratorium non solùm propter ægritudinem suam: ut omnes fatentur, sed etiam pro commoditate sua, ut contra Riccium *Part.* 4. *decis.* 74. apud Dianam *Res.* 36. & 38. fert communior opinio Tamburini *Lib.* 1 *cap.* 4. §. 2. *num.* 12. idque vel ex recepta consuetudine, ut vult Diana, vel ex antiquo jure per Tridentinum nequaquam revocato, ut rectè Tambur. & Marchinus apud eundem Dianam *Res.* 36. Nam palatium Epi- 258
scopi etiam Titularis non est domus privata. *Suprà num.* 246. junct. *num.* 244. *in fin.* Non potest tamen constituere unum pro se, & unum pro familia. Diana *Res.* 37. contra Pellizarium. Nec post ejus obitum licebit alteri illic sacrificare, cùm privilegium altaris viatici, & oratorii dependeat à persona. Diana *Res.* 40. Eo autem vivente quantumvis absente poterit ipsius familia in oratorio palatii sacrum audire. Pelliz. apud, & contra Dianam *Res.* 41 Imò quisque fidelis. Tambur. *loc. cit. num.* 13. Etenim 259
Oratoriorum Episcopalium gratiæ non restringuntur ad familiares, cùm non sint privatarum domorum. Adeóque satisfaciet præcepto Ecclesiæ, qui festo die illic intererit Sacrificio. Tambur. *cit. num* 13. Nec enim universalis consuetudo satisfaciendi tunc tali præcepto excludit Oratoria Episcoporum, etiam Titularium, esto probabiliùs excludat alia. *Suprà num.* 254.

Possunt etiam post Concilium Trident. Epi- 260
scopi dare potestatem faciendi Sacri in Oratoriis ad solum cultum divinum deputatis, esto, non sint benedicta. Patet ex verbis Trident. Concil. *loc. cit.* relatis, ubi statuitur, ne Episcopi permittant Oratoria, nisi dedicata ad divinum cultum. Per *dedicata* autem intelligi destinata, & deputata, licèt non sint consecrata, valde probabiliter censet Vasquez *cit. Disp.* 233. Laymann. *cit. Lib.* 5. *cap* 5. *num.* 4. Palaus *cit. Tract.* 22. *part.* 8. *num.* 6. dicens. Hanc resolutionem manifestè constare ex verbis allatis Concilii. Quamquam ab ea diffident non pauci cum Diana *cit. Tract.* 1. *Res.* 42. propter declarationem Cardinalium, de qua, ejúsque tenore, átque conditionibus, quia mihi authenticè non constat, nec ejus meminerunt Laymann, Tann. Dicastillo, qui diu pòst scripserunt, idcirco puto, posse in hisce partibus adhuc defendi illam explicationem, saltem ubi ejus usus viget.

Hisce adde ex Tamburino *cit.* §. 4. *num.* 4. per 261
procreatos *ex Nobili genere*, quibus solis Pontifex impertitur gratiam habendi Oratorium, intelligi illos, qui ex parte patris nati sunt è genere Nobili, quòd scilicet per aliquot genera-

tiones non exercuit artem mechanicam; aut mercaturam, ut etiam intelligunt Melitenses Equites, quando in suum ordinem cooptant aliquem Helvetum.

262 Sicuti nomine eorum, qui sunt de *familia Nobilis* illâ gratiâ Apostolicâ honorati, veniunt tum omnes ejus servitiis addicti, sive maneant in eadem domo cum ipso; ut admittunt passim Theologi, & Canonistæ *in Cap. In literis. De restitut.* sive etiam habitent in alia domo, ut absolutè docent Pellizarius, & Tambur. *loc. cit. num.* 29. & probabiliter quidem teste Suarez *Tom.* 4. *De Rel. Lib.* 9 *Tr.* 1 0. *cap.* 4. *num.* 15. Oppositam meritò vocans tutiorem; tum generatim omnes. Qui cohabitant illi Nobili, eidémque aliquo modo inferiores, vel subjecti sunt. Stephanus Aufrerius *De restitut. num.* 35. post Felin. *in cit. Cap. In literis*, ac Speculatorem *De teste partic.* 4. *num.* 14. faventePalao *cit. punct.* 6. *num.* 7. Etenim omnes hi rectè vocantur Domestici, & consequenter Familiares. Et cùm hoc sit beneficium Principis, meritò extenditur, adeóque intelligitur etiam de omnibus

263 Convictoribus. Hanc doctrinam applicabis aliis privilegiis Apostolicis, privilegiaquædam extendentibus ad familiares; nisi fortè aliquam faciant expressam restrictionem, sicut in ordine ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ restringunt ad famulos. Pleniorem explicationem, & applicationem vocum: *Domesticus*, & *Familiaris* exhibet nostra *Theologia Juridico-Moralis Cap* 42. *Sect.* 6. inserta *Quinario nostro.* Quibus addes, tametsi facultas sacrificandi in Oratorii, à nobis descripti Arâ portatili soleat restringi ad certum numerum Sacrorum quotidianorum, ut dixi suprà *num.* 253. hanc tamen restrictionem non fieri, quando illa Arula est in alterius Ecclesiæ summo altari, vel capella, quia scilicet deficit ratio restrictionis, atque ita in casu capellæ sitæ intra nostram Cathedralem respondi die 28. Martii 1675.

264 Quæritur 4. *An, & quatenus sit fas celebrare in Ecclesia non consecrata, vel execrata, aut polluta?* Respond. Breviter 1. Sufficit *tacita* permissio Episcopi, ut celebretur in Ecclesia, etsi necdum benedicta Pax Jordan. *cit. Lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 114. cum aliis. 2. Si Ecclesia consecrata polluatur per seminis, aut sanguinis effusionem mortaliter malam, & notoriam, ut notat Sa *verbo Ecclesia num.* 19. desinit esse consecrata, nec licet in ea Missare, ut loquitur Navarrus, nisi reconcilietur, quæ reconciliatio debet fieri à solo Episcopo, nisi adsit privilegium, quale etiam habent Superiores nostræ Societatis. 3. Quamquam si simplex sacerdos bonâ, ut quidem censent multi cum Diana *Part.* 2. *Tract.* 14. *Res.* 69. imò malâ, sicut expresse, nec sanè improbabiliter teste Tambur. *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. *num.* 2. & 5. docet Sa *cit. num.* 19. (probabiliùs multò repugnante Laymanno *cit. Cap.* 5. *num.* 13.) fidei Sacrificium celebravit in ejusmodi Ecclesia, sufficienter

censebitur reconciliata, cùm Missæ celebratio sit sacratior omni aliâ sacratione, seu consecratione. Nullâ autem reconciliatione indiget locus non consecratus, aut non benedictus; esto profanetur utroque illo modo. Coninck 265
quæst. 83. *in* 3. *p. num.* 136. Plura de illa sententia Dianæ & Sa in simili dicemus *Cas. seq. & X.* 4. Quid agendum sacerdoti, quando tempore ejus Sacri polluitur Ecclesia, edisserunt Suarez *Disp.* 81. *Sect.* 4. Laymann. *loc. cit. num.* 12. atque alii ex *superiùs* citatis; sicuti & quando polluatur & execretur.

APPENDIX. I.

BReviculæ resolutioni, quam *numero.* 264. a
dedi ad quæstiunculam particularem de pollutione loci, destinati ad Missæ Sacrificium, jungo pleniorem, & prò complemento eorum, quæ tradidi hoc *Casu VIII.* necessariam resolutionem Casûs, qui jam spectante finem impressione primâ hujus voluminis, evenit

Tristissimus, & prorsum improvisus.

CUm enim Anno 1669. perquam pia Co- b
mœdia exhiberetur in quadam Ecclesia Parochiali, ipsâ feriâ v. in Cœna Domini, versa fuit illa in Tragœdiam. Siquidem ex oppidanis unus, qui unà cum aliis nominatus erat ut turbam à Theatro submoveret, dum suammet filiam submovet, fistulâ aneâ glande onerată laxatur rotula, petit filiam, lædit lethaliter, atque intra brevissimum tempus exanimat. Loci Parochus, tametsi vir doctus, nolens tamen nimium fidere suo judicio, mandat suo Capellano, ut consenso equo totâ nocte iter faciat, consulátque Reverendissimum Dominum Suffraganeum, seu Vicarium Generalem in Pontificalibus, quid factò opus. Hic, quamvis usu simul, & Theoriâ excellens in paucis, amandat Capellanum ad me, scisciturum, quid mihi videatur agendum? Respondi, pergendum esse absque scrupulo, in peragendis divinis officiis eo ipso loco. Rationem hujus responsi dabo, ubi proposuero hunc

Illætabilem quoque Casum.

HEsychius peccavit carnaliter cum Fulvia c
in Capella Parochialis templi, occultè quidem, attamen flagitio aliquamdiu pòst palam vulgato. Dubitatum fuit, esse tne illa Capella, & Ecclesia reconcilianda ab Ordinario, nec ne? *Ratio dubitandi movebatur hæc, quòd illa Capella non esset integrè clausa muris cingentibus, constituentibúsque Ecclesiam, ac proinde eâ pollutâ, non necessario censeatur*

ipſa etiam Eccleſia eſſe polluta. Moveri poterat, & hæc, quòd ſcilicet poſt patratam illam turpitudinem eſſet non ſemel, & quidem fide optimâ celebratum in eo templo Miſſæ Sacrificium. Nihilominus tamen Reverendiſſimus Dominus Proëpiſcopus illuc profectus, poſt ocularem inſpectionem reconciliavit totam Eccleſiam, at januis, obſcandalum, obmurmurationéſque clauſis. Quæritur an exemplo imitando?

d Quò meliùs percipiantur cauſæ reconciliationis non adhibitæ in priori Caſu, adhibitæ in poſteriori, atque pluribus aliis, tradam imprimis compendio ea, quæ de Sacrorum locorum pollutione, exſecrationéque, item eorundem reconciliatione, iteratáque conſecratione ſcribunt Theologi, ac Summiſtæ. Deinde applicabo doctrinas duobus Caſibus propoſitis communes: poſtremò proponam duas raras quæſtiones, atque reſolvam.

e Recolendum igitur eſt, atque ſupponendum, nomine loci *Sacri* intelligi ſaltem in materia odioſa, & nominatim in hac de pollutione, reconciliationéque loci *Sacri* ſolam Eccleſiam, ſeu Templum propriè dictum, & conſequenter Cœmiterium. Suarez *Tom. 3. in 3. p. diſp. 51. ſect. 4.* aliíque, cum, & apud Cardinalem de Lugo *De Euchariſt. Diſp. 20. num. 59.* Eccleſia autem propriè dicta eſt locus publicus, Epiſcopi authoritate fundatus, in quem Chriſtiani conveniunt ad rem divinam audiendam, & Sacramenta ſuſcipienda. Pax Jordan. *Elucubr. Vol. 1. lib. 5. tit. 8. num. 6.* vel, ut aliquantulo plenius deſcribit Laymann. *Theolog. Moral. Lib. 4. Tract. 10. cap. 7. num. 6.* Eccleſia *propriè & ſtrictè* dicta appellatur *locus, qui ab Epiſcopo conſecratus, aut aliâ ratione e. g. Crucis erectione, deputatus eſt ad publica officia divina, & Sacramentorum uſum.* Ita etiam Barboſa *De jure Eccleſiaſtico. Lib. 2. cap. 1. num. 15.* Quapropter Eccleſia *propriè*, & *ſtrictè* ſumpta non patet tam *latè*, quàm locus *Sacer*. Nam locus Sacer, quem Laymann. *cit. num. 6. & 5.* perpetuò confundit cum loco *Religioſo*, generatim ſumptus dicitur ille omnis, qui ad uſum pium, ac Religioſum publicè deſtinatus, ac velutiDeo dicatus eſt, ideóque uſibus profanis ampliùs deputari non poteſt. Hanc ob rem locis ſacris, ſeu Religioſis accenſentur Monaſteria, atque etiam Xenodochia, ſi erecta ſint authoritate Epiſcopi *Cap. Ad hæc. De Religioſ. Dom.* quæ Monaſteria, & Xenodochia intelligi etiam nomine Eccleſiæ, in favorabilibus, tradunt poſt Sylveſtr. *verbo Hoſpitale num. 4.* multi ſcriptores; videtur tamen rectiùs loqui Laymannus *loc. cit.* dum concedit quidem, privilegia conceſſa Eccleſiis extendi quoque ad Xenodochia, & Monaſteria, non tamen *propriè*, ſeu *ſtrictè loquendo* vocari Eccleſias, etiam in materia favorabili, eſſe verò *propriè* loca pia, liquebit ex dicendis paulò inferiùs.

His obſervatis, & ſuppoſitis, eſt inſuper notandum, ſupponendúmque, loca ſacra quandoque dici *pollui*, ſeu *profanari*: *execrari*: *violari*. Tunc polluuntur, ſeu profanantur, quando in eis exercetur actio ita repugnans loci ſanctitati, ut ob eam debeant iterum benedici. Execrantur, quando ita deſtruuntur, ut debeant denuo conſecrari. Violantur, quando in iis exercetur aliqua actio vetita exerceri in iis, quamvis Laymann. *cit. num. 6.* confundat pollutionem cum violatione. f

Sunt autem in jure Canonico expreſſæ quinque actiones, quarum exercitio polluitur, *ſtrictè loquendo* Eccleſia, quas inter alios bene explicant Laymannus *Lib. 5. Tract. 5. cap. 5.* ac Tannerus *Tom. 4. in 3. part. diſp. 5. quæſt. 5. à num. 26.* quáſque breviter hîc indicabo. g

Prima eſt voluntaria ſeminis humani effuſio facta per pollutionem, aut copulam. Et quamvis locus ſacer, ſeu Eccleſia *ſtrictè* dicta, cœmiteriúmve non reputentur polluta, neceſſarióve iterum benedicenda ob ſeminis profuſionem, niſi hæc ſit notoria, peccaminoſáque. Dom. Reding *quæſt. 9. art. 2. Controverſ. 2. num. 22.* eſt tamen mortale ſacrilegium, pollutionem etiam occultam in eis exercere. Lugo *De pœnit. diſp. 16. ſect. 10.* cum communi contra Vaſquez, Dianam *Part. 1. Tract. 7. Reſol. 26.* & alios, faciliùs audiendos, quatenus loquuntur de turpibus tactibus, aſpectibus &c. abſque pollutione, aut de ipſa pollutione facta occultè in ſacriſtia, oratorióve domeſtico, etiam ad ſacrificandum deſtinato authoritate Epiſcopi. Idem Diana *loc. cit. Reſ. 20.* cum multis.

Altera actio, qua polluitur Eccleſia, eſt effuſio ſanguinis, quando quis ſcilicet in ipſo templo exiſtens, à te, ſive in templo, ſive extra templum exiſtente ita læditur, per injuriam mortaliter malam, ut vel in ipſo templo, vel extra, fiat notabilis & copioſa effuſio ſanguinis: ut exprimit P. Laymannus *loc. cit.* in tertia editione peracta Monachii ex Autographo Auctoris. Anno 1630. & applicavi Anno 1679. conſultus Caſui percuſſi in vertice ſecutâ perquam exiguâ ſanguinis emanatione. h

Tertia eſt actio lethifera, quando nimirum alicui exiſtenti in Eccleſia infertur vulnus lethale, ex quo debeat vel ibi, vel alibi mori, eſto, non effundat ſanguinem, modò illa actio lethifera fuerit mortaliter injurioſa.

Quarta eſt, quando quis nominatim excommunicatus, aut notorius percuſſor clerici ſepelitur in Eccleſiæ, etſi hæ duæ actiones ſint fortè ſine peccato exercitæ. Tannerus *loc. cit.* i

Quinta eſt, quando aliquis Paganus, Judæus, hæreticus tumulatur itidem in Eccleſia juxta Tannerum *num. 31.* & alios. Verùm Laymannus *cit. Cap. 5. num. 8.* poſt Navarrum, Suarez *De cenſuris, Diſp. 12. ſect. 4.* cum Lugone *De fide Diſp. 14. num. 159.* Dom. Reding *num. 24.* haud imeritò reſtringit illam de hæreticis doctrinam ad ſolos denuntiatos; & P. Simon Felix k

Caſu VIII. Anno 1639. negavit, cœmeterium profanari ſepulturâ infantis non baptizati, tum quòd capitulum, quo nititur opinio Tanneri, ſit deſumptum ex Concilio ſolummodo Provinciali, ſitque pœnale, & infantes non ſint propriè infideles; tum quòd multi authores loquentes de hac quinta actione profanativa Eccleſiæ, nihil dicant de ſepultura infantis non baptizati, etſi expreſſè dicat Dom. Reding *num. 25.*

k Certè Auguſtinus Barboſa, quem refero in hoc ipſo Opere *Tract. 2. Caſ. XVIII. num. 640.* profitens, ſe expreſſiſſe omnia genera hominum privandorum ſacrâ glebâ, nullam facit mentionem infantum. Multò minùs polluitur cœmiteriumper ſepulturam catechumeni, ut contra Joan. Sanchez oſtendi *cit. num. 640.* aut infantis baptizati dubio Baptiſmo, ut ibidem probavi *num. 653.* & addidi *num. 698.* tametſi poſtea innoteſcat, illum Baptiſmum fuiſſe planè irritum, non tamen eſſe idcirco refodienda illa corpuſcula.

l Porrò actionibus prædictis polluitur imprimis ſola Eccleſia *ſtrictè* dicta, aut cœmiterium; ita quidem, ut pollutâ Eccleſiâ cenſeatur pollutum & cœmiterium adhærens ipſi, non autem viciſſim pollutio cœmiterii extendatur ad Eccleſiam; ſicuti nec cenſetur Eccleſia polluta, tametſi prædictæ actiones obeantur vel inturri, in qua ſuſpenduntur campanæ, Sanchez *Lib. 9. De Matrim. Diſp. 15. num. 30.* vel in ipſa ſacriſtia. Sanchez *num. 31.* ſi videlicet ſacriſtia proprio muro, vel tabulato fixo dividatur à reliquo corpore Eccleſiæ. Fagundez *De præceptis Eccleſ. præcept. 2. lib. 4. cap. 5. num. 32.* & Laymannus *cit. cap. 5. num. 10.* ſecùs ſi capella conſtituta ſit intra Eccleſiam. Sanchez *cit. Diſp. 15. num. 25.*

m Deinde illis iiſdem actionibus polluitur non omnis Eccleſia, ſed illa ſola, quæ eſt vel conſecrata, vel benedicta. Sanchez *cit. Diſp. 15. n. 24.* inſinuante Laymanno (& ejus inſinuationi favente *Cap. fin. n. 13. Deconſecr. Eccleſ.*) etiam illam pollui poſſe, quæ ſolùm eſt ab Epiſcopo deputata ad officia conſecratis Eccleſiis propria, quam deputationem fieri etiam per ſolam crucis erectionem, ſcribit idem Laymannus *Lib. 4. Tract. 10. cap. 7. num. 8.*

n Ad hæc quando uno horum modorum polluta eſt Eccleſia, nefas eſt in ea ſacrificare, niſi priùs reconcilietur, vel ab Epiſcopo, ſi erat conſecrata, vel à ſimplici ſacerdote, ſi fuit ſolùm benedicta. Tannerus *cit. quæſt. 5. n. 36.*

Execrationem quod attinet, cenſetur, ea tunc contingere, quando muri Eccleſiæ priùs reipſa conſecratæ, ut notat Laymannus *Lib. 5. Tract. 5 cit. cap. 5. num. 14.* vel ex toto, vel ex majore parte ſimul comburuntur, vel deſtruuntur, non autem ſi ſolùm tectum deſtruatur, neque ſi muri decruſtati denuo incruſtentur. Tannerus *loc. cit. num. 33.* contra Laymannum, fatentem tamen, non execrari, ſi tantùm ſuo ceſſivè amittatur cruſta, & ſucceſſivè reparetur, eò quòd pars ſacra trahat ad ſe non ſacram; idque ipſum dic, ſi muri ſucceſſivè deſtruantur, & reparentur, antequam ſint majori ex parte dejecti; notátque Tannerus, non oportere eſſe hac in re nimis ſcrupuloſum, cùm Gloſſa *in Cap. Fabrica. De conſecr. diſt. 1.* ſignificet, ſi Eccleſia collapſa ſit, & mox reſtauretur ex eadem materia, eam non indigere aliâ conſecratione, eò quòd duplex conſecratio non ſit adhibenda.

Hiſce pro complemento doctrinæ de loco ad Sacrificium apto indicatis liquet, facilem eſſe ſolutionem primi è duobus Caſibus *Lit. b. & c.* ſuprà propoſitis. Supponitur enim (& quis prudenter aliud ſuſpicetur?) illam peremptionem puellæ fuiſſe prorſus inculpatam, ſeu quia parens prorſus ignoravit, illam fiſtulam eſſe oneratam, ſeu quia non ignoravit quidem *habitualiter*, attamen vel de illa oneratione non cogitavit tunc, cùm eâ propellebat, ſeu amovebat filiolam: vel nullo modo advertit periculum exonerationis; Quæ inadvertentia facilè potuit deeſſe homini minimè aſſueto tractandis ejuſmodi armis, ſicuti non ſunt aſſueti plebei homines in Suevia, niſi incolant majora, liberáve oppida. *Dixi* autem ſuperiùs ex ſenſu communi Doctorum, Eccleſiam non pollui ullo genere criminum, niſi ea ſint mortalia, attamen fuiſſe irregularitatem ex homicidio caſuali incurſam ab illo genitore, forſan pronuntiâſſet Navarrus, ut deduci videtur ex ejus reſponſo dato ad caſum huic propè geminum, quem refero in hoc ipſo volumine *Tract. 8. Caſu XVII. num. 697.* at ego non pronuntiarem, ob fundamentum ibidem inſinuatum. o p

Caſum *Lit. e.* expreſſum quodattinet, non dubito, quin ille Reverendiſſimus D. Proëpiſcopus habuerit juſtam, ſufficientémque in concreto cauſam reconciliandi dictam Eccleſiam, cùm ſit juris Pontificialis *theoricè*, ac *practicè* peritiſſimus, nec adeſſet cauſa dubitandi, ſi illa capella manifeſtè conficeret unum corpus cum reliquis muris, de quo genere capellarum loquitur Sanchez *Lib. 3. De Matrim Diſp. 15. nu. 15. & 31.* ſed audio, eam capellam prominere extra Eccleſiam, ſeu potiùs extra ſubſtantiales muros Eccleſiæ, ac proinde videtur eſſe eadem ratio illius, quæ eſt Sacriſtiæ, de qua nos ſuprà *Lit. l.* Et verò negarem, fuiſſe neceſſariò reconciliandam Eccleſiam ipſam ob crimen in ea capella patratum, ſi foret ex Eccleſia ingreſſus in eam ſolùm per portam anguſtam: tunc enim eſſet ſimilis Sacriſtiæ, campanili, de quibus ſuprà. Si verò communis in illam ingreſſus ex interiore parte Eccleſiæ patet (ut læpiſſimè fit) per ſpatium inter ipſos muros capitales tam amplum, quàm eſt ipſa Capella, videtur omnino conſecratio, aut benedictio Eccleſiæ ipſius extendi ad eam tanquam ad partem, & conſequenter ejus pollutio etiam ad Eccleſiam. q

r Quòd si ea Capella destinata sit sepulturæ, hujus, aut illius familiæ, habebitur quidem pro cœmiterio, quia tamen Cœmiterii pollutio non afficit Ecclesiam. Suprà *Lit. k.* idcirco non potuit ex eo capite, nec debuit reconciliari Ecclesia.

f Porrò non tollebat necessitatem reconciliationis altera ratio indicata *Lit. c.* hujus Appendicis, quòd scilicet fuerit post pollutionem non semel sacrificatum in dicta Ecclesia; ego enim in hoc ipso *Cas. VIII. num 280. 309.* & singulariter 366. satis probavi, hujus rationis oppositum esse multò probabilius.

t Resolutioni illorum duorum casuum jungo duplicem resolutionem, quam ad duplex singulare, atque à nemine alio agitatum dubium, dedit Pater Simon Felix Theologus nostræ hujus Provinciæ consummatus; ipse enim in conferentiis CasuumDomesticorum resolvi, Aulas nostrorum Gymnasiorum, in quibus Discipuli nostri consueverunt quotidie rei divinæ adesse, vel ante initium scholæ, ut in nostra Germania, vel post finem scholarum, ut in Burgundia, atque Gallia, accensendas esse locis sacris *propriè* dictis. eò quòd prædictæ Aulæ depurataæ sint à nostris superioribus ad usum Sacrum ex privilegio Pontificio, cui expressè sit annexum, ne usui alterius rei profanæ permittantur, aut pateant, ac proinde Beanos deponi in iis *illicitè*, *licitè* autem ibidem exhiberi Comœdias nobis consuetas, eò quòd eæ à toto genere sint honestæ, ac piæ, nec saltationes, quæ admiscentur, sint ex se inhonestæ; cùm pueri Hispani etiamnum saltent in templis in summis festivitatibus. Hanc resolutionem, resolutionisque rationes reperire est in Farragine scripta Casuum ab illo Doctissimo Patre publicè resolutorum, obtinétque inter eos locum *decimum tertium*.

u Et verò haud difficulter assentior huic Doctori, si annumeret prædictas Aulas locis solùm *latè*, & *impropriè*, non autem, si *propriè* ac *strictè* sacris, adeóque Ecclesiis, nec enim descriptio Ecclesiæ suprà allata ex Laymanno, competit ejusmodi aulis, sicuti nec descriptio loci *propriè* simul, & *latè* Sacri, quam itidem mutuati sumus à Laymanno: si quidem non dubito, quin tales Aulæ possint æquè, atque oratoria privata converti ad nutum nostrorum superiorum in usus non sacros, ut e. g. in scholam Grammatices, Poëseos &c. Hoc mihi certum est, non fore sacrilegii reum, qui eo loco committeret turpitudinem carnalem.

x At verò absolutè assentior nunc, quidquid aliàs in contrarium senserim, eidem Patri Felici *Cas. VII.* resoluto Anno 1639. quatenus existimavit, Congregationes, seu sodalitates, ut indigitamus, studiosorum, Civium, juniorum opificum &c. sub invocatione Beatissimæ Virginis erectas, atque dependentes à regimine nostrorum Superiorum, esse loca pia, fruentiáque privilegiis locorum piorum. Et ratio est, quia locus pius *propriè* nihil aliud est, quàm locus authoritate Ecclesiasticâ exstructus ad opera pietatis in eo exercenda. Speculator, cum, & apud Panormitanum *consilior. Part. 2. consil. 37. num. 4.* post Alexandr. *consilior. Lib. 7. cons. 102. num. 3.* Paulum à Castro *consilior. volum. 2. consil. 5.* & alios, contra Martam *De jurisd. Part. 2. Cas. 113. num. 4. & seq.* ubi contendit, non sine suffragio Cornei *Part. 2. consil. 119. num. 23.* atque aliorum, ad rationem loci pii, qui fruatur privilegiis locorum piorum, exigi tria. *Primum*, ut sit locus, cui personæ ita adjunctæ sint, ut nequeant seorsim considerari, seu, ut explicat Corneus, non possint illæ personæ pro libitu deserere illum locum, sicuti nequit Parochus Parochiam, Canonicus Ecclesiam canonicalem. *Secundum*, ut sit ordinatus ad pia loca, & opera ibi exercenda. *Tertium*, ut sit approbatus authoritate saltem Ordinarii. Sed in primis illa *prima* conditio nullo jure probatur, indéque sequitur, ne hospitalia quidem esse piis locis annumeranda. *Altera* conditio, quatenus involvit ordinem ad opera pia rectè statuitur, reperitúrque in nostris sodalitatibus, at ridicula est, quatenus dicit locum pium debere ordinari ad locum pium. *Tertia* est vera quidem, at apprime conveniens sodalitiis nostris. Unde nostræ Congregationes habentur in hac Constantiensi Diœcesi indisputabiliter pro locis piis, adeò, ut pridie quàm hæc scriberem, mihi asseruerit Reverendissimus Dominus Josephus ab Ach Vicarius Generalis, atque Officialis simul, ultimas voluntates, quibus aliquid legatur uni ejusmodi Sodalitatum, executioni mandari in utroq; foro, etsi eæ voluntates seu testamenta, codicillive sint destituta solennitatibus juris positivi, proinde sufficere, si munita sint Chirographo testatoris.

Eandem opinionem sequitur Cardinalis de Lugo, *in suis Responsis Moralibus Lib. 4. dub. 12.* exprimens, res pretiosas, quæ servando servari possunt, non posse alienari absque solennitatibus in Jure præscriptis. Quod & sensit P. Felix *cit. Cas. XIII.* subdens, loco Capituli, cujus consensus exigitur in alienatione rerum spectantium ad Ecclesias Cathedrales, aut Collegiatas, esse Præfectum cum Assistentibus, Consultoribúsque; loco Superioris, seu Episcopi esse Rectorem Collegii, pœnas tamen *in Extravag. Ambitiosæ. De reb. Eccl. non alien.* statutas contra prævaricatores dictæ Extravagantis, non esse usu receptas respectu harum Congregationum. Addere poterat, neque receptas, quatenus exigunt consensum Sedis Apostolicæ; est enim in nostra Germania inauditum, ut reor, quòd fuerit ad illam sedem recursum, quando Calices, torques aureæ, & similia fuerunt permutata, vendita &c. quod tamen non rarò factum.

Illis

z Illis duabus resolutionibus datis à P. Felice annecto aliam in alia materia, qua quæritur. *Utrùm quando solet quot annis semel, iterúmve esse tantus concursus hominum, ut magna pars nequeat ingredi Ecclesiam, teneatur parochus conscius hujus morbi, petere ab Ordinario facultatem celebrandi in Cœmiterio?* Resp. Affirmativè, quandoquidem necessitas celebrandi extra ipsamet Ecclesiam non est in tali casu improvisa, cùm supponamus, solere accidere, semel, iterúmve in Anno. Atqui Doctores facientes Parocho, alterive ejus celebrandi, absque facultate Episcopi, extra Ecclesiam prout à Cœmiterio distinguitur, videntur suam doctrinam restringere ad casus improvisos, ut jam innui in hoc ipso *Casu VIII. num 227.* & nominatim est in hac nostra Diœcesi usu receptum, ut singuli novi sacerdotes, qui propter affluentiam hominum fortè non poterunt commodè primam hostiam offerre Deo, in ipsa Ecclesia, petant, accipiántque scripto, & gratis, facultatem peragendi illam immolationem in Cœmiterio, alióve loco decenti cum ara portatili, idque factitatum die 18. Septembr. hujus currentis Anni 1670. videlicet pridie quàm id referrem in hanc chartam.

Ego singulariter in primis explico *in Alphabeto audientium Sacrum*, seu *Tract. 5. Cas. XVIII.* quid agendum Sacerdoti, quando ipso jam operante Sacris ingreditur non nemo Ecclesiam anathemate notatus. Deinde hîc observo, non pollui, aut profanari Ecclesiam per exercitium Religionis heterodoxæ: liquet tum è Sacrorum Canonum silentio hac de re, tum ex usu Helvetiæ, Sueviáque, ubi heterodoxi habent communia cum Orthodoxis templa. Unde ego aliquando appellatus à quodam prælegi, atque editis utilissimis libellis claro parocho arbiter amicæ litis inter duos Sacerdotes, quorum alter adversùs alterum asserebat, altare portatile, quod erat in templo communi utrique Religioni, esse tempore concionis deferendum ad sacristiam, ne profanaretur concione Præconis Zwingliani: Respondi, illam assertionem non niti fundamento satis hîc solido. Et utique si altare illud tunc profanatur, longè magis ipsa Ecclesia, utpote cui potiùs, quàm arulæ injuriosa est illa actio hæretica. Quo igitur jure celebrantur finitâ illâ concione, omnia sacra officia sine ulla reconciliatione, si è sacra evasit profana per publicam corruptelam verbi divini? Itaque templis mixtæ religionis non est appicanda doctrina, quam ex Laymanno referemus *Cas. seq. n. 311.*

APPENDIX II.

Casûs Quintuplicis.

a TAm multis, quæ *in Appendice præcedente* expressi, de locis sacris, & piis, addo nunc quinque Casus propè hesternos, & huc spectantes.

Primus Casus est Asyli primùm concessi, deinde negati.

Cum enim Hubertus miles præsidiarius, secta Lutheranus, coram pluribus edixisset: Debeo adhuc hodie aliquem occidere, *haud ita dudùm post eodem tamen die, unum è commilitonibus petiit gladio, graviterque vulneravit, ea sola de causa, quod noluerit esse suus, ac nocturna grassatione comes, alterum rursum paulò post transfixit, confoditque idcirco, quod hic recusaret ludere citharâ, seu cheli, cujus peritus erat. Patrato hoc duplici crimine confugit ad Conventum RR. PP. NN. velut ad asylum, quò cùm receptus esset, petiit militaris præsidii supremus præfectus, tradi sibi homicidam, minitans, ni traderetur, vim, aut alia incommoda, quorum metu compulsi Religiosi, injere quandam veam mediam, ut videlicet permitterent quidem eum educi ex asylo, at non tradi in manus, & jus præfecti militaris, viri cæteroquin moderati, æquitatisque amantis, sed recludi loco quodam neutrali, quoad Illustrissimus D. Ordinarius requisitus declaret, jùsne asyli faveret illi Huberto, an non.*

Ego mentem meam rogatus non potui à b me ipso impetrare, ut responderem, favere tali homini jura sacra. Generalis mea contra reum erat ratio triplex: *prima* desumpta *ex Lege, Quod favore. Cod. de leg.* statuente: *Favorabile interpretationem non recipit, quæ eum, cui favetur, lædere possit.* Certum autem est, jura de asylo favere *per se*, *primariò*, & *directè* iis locis, eorúmque locorum propriis incolis, quæ gaudent jure asyli, ut manifestum est tum ex aliis juribus, tum singulariter ex Bulla Gregorii XIV. incipiente: *Cùm alias* Atqui possent asyla Ecclesiastica, & horum proprii incolæ Religiosi maximè lædi, si in ea reciperentur homicidæ similes Huberto Magistratus enim sæculares non solùm ignominiosè loquerentur de Religiosis, in quorum favorem donati sunt eorum Conventus jure immunitatis, ut liquet ex eadem Bulla, sed etiam spretis omnibus privilegiis invaderent talia loca, & fortè non absque nova profusione sanguinis.

Altera ratio desumitur *ex Cap. Nonnulli. De* c *Rescript.* ubi Pontifex profitetur leges, seu canones adversari, non autem favere fraudibus, & nequitiis, cùm per judicium injuriis aditus patere non debeat. Atqui leges favorent nimis multis, & grandibus nequitiis, si vellent protegere tam sceleratos homines. Imò fieri posset, ut aliquis hæreticus dedità operâ quempiam interficeret prope Ecclesiam;

ut in hanc receptus daret ſuis ſymmyſtis cauſam exſibilandi vindices libertatis Eccleſiaſticæ.

d Accedebat hæc *tertia* univerſalis ratio, quòd nemo debeat ex eo fructum conſequi, quod niſus exſtitit impugnare *text. cap. Ex eo, De Regul. jur. in 6.* quam Regulam Petrus Peckius expreſſè extendit ad impugnatores rerum Eccleſiaſticarum. Atqui Lutherani, qualis erat Hubertus, impugnant, expugnant, evertunt, quoad poſſunt, Conventus Religioſos, profanántque contumelioſè, & barbarè, ut loquuntur tot millia ejuſmodi ruinarum patratarum, à Lutheranis, horúmque fratribus Calviniſtis in Germania, Gallia, Anglia, Boëmia, Ungaria.

e His tribus rationibus generalibus accedebat hæc particularis, quòd tametſi Diana *Part. 1. Tract. 1. Ref. 22.* & rurſum *Part. 6. Tract. 1. Reſol. 24.* ac Chriſtoph. Haunoldus noſter *Tomo 6. de juſtit. Tract 7. n. 160. & 161.* teneant cum multis, etiam hæreticum gaudere privilegio aſyli, & inſuper Gregor. XIV. *loc. cit.* loquens de homicidis jure aſyli privandis, non exprimat niſi eos, qui vel proditoriè, vel per aſſaſſinum (id eſt per alium pecuniâ conductum) aut denique in ipſa Eccleſia aliquem peremerunt, & proinde ejus exceptio videatur firmare in contrarium Regulam. Attamen & Gregor. Papa in illa Conſtitutione, uti etiam Delrius *Lib. 5. Diſquiſition. Sect. 7.* repellat ab uſu aſyli generatim hæreticos, ſicut & communis ſententia teſte Iordano *loc. cit.* Laymanno *Cap. 3.* & Barboſa *de Jure Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 3. n. 4.* referente plures viginti, & idem Barboſa *n. 101.* habeat pro abſurdo dicere, quòd excommunicati, quales in jure habentur omnes hæretici, gaudeant privilegio aſyli. Et denique Julius Clarus *Lib. 5. Pract. Crim. Cap. 30. n. 12.* teſtatus, eſſe in Italia tota uſu receptum, ut extradatur ille, qui patravit homicidium cum qualitate animi deliberati, eſto non proditoriè, ſubdat, *non eſſe in practica recedendum ab hoc judicio*, ſubjiciens optimam rationem, *ne videlicet ſpes immunitatis præbeat ſceleſtis hominibus occaſionem peccandi.* Equidem tam meditata, & extraordinaria malitia non videtur contineri generali favore aſyli, *argum. Cap. In generali. De Reg. jur. in 6.* Vide etiam Farinacium in praxi *Lib. 1. Tit. 4. q. 28. n. 23.* & apud Laymannum *loc. cit.* conſentientes Molinam, & Fachineum, cum plurimis apud, & cum Barboſa *loc. cit. n. 99.*

f Certè Germani ita extremè horrent, & deteſtantur meditatum homicidium, ut nequeant credere, poſſe à Jure ſtatui immunitatem pro tam inuſitato apud ipſos facinore, ac veſtito hiſce ſingulariter circumſtantiis. I. Quòd eſſet patratū in oppido, vix ſeptingentos numerante cives, attamen referto facile viginti quatuor locis ſacris ſeu Religioſis. Ut proinde ſit cuilibet etiam facinoroſiſſimo perfacilè, ſe poſt teterrimum ſcelus recipere ad unum illorum. II. Quòd in eodem oppido ſtativa habeant jam bis, jam ter mille præſidiarii, magnam partem hæreſi Lutherana, Calvinianáque infecti, atque ideo proniſſimi ad faceſſendas, quas impunè poſſunt, moleſtias Eccleſiaſticis, præſertim cùm generatim facilitas veniæ incentivum præbeat delinquendi. *Cap. Injuſta. 23. q. 4.* III. Quòd eodem in oppido, utpote vinetis undique cincto, magna ſit copia vini, parabiliſque pretii: At quid mali non parit Bacchus? IV. Quòd ille homicida poſt admiſſum ſcelus confugerit ad Aſylum. 16.

Tres priores circumſtantiæ injiciebant juſtiſſimum metum fore, ut ſi Eccleſia tueretur tam alienum à genio Germanorū (nec enim perinde ac nonnulli alii populi deſtinant hi cum tam ſceleratā pertinacia, quàm Hubertus in ſpecie facti deſcriptus ſuprà *lit. a.* quemquam, à quo graviſſimè læſi non ſint, trucidare) flagitium: paulò poſt unus aut plures, præſertim utcunque vino madentes æmularentur exemplum Huberti, etiam cum riſu & ſubſannatione, inſultationéque. Quarta verò circumſtantia gignebat præſumptionem, quòd occidiſſet ſub ſpe Aſyli commilitonem, delinquens autem ſub ſpe immunitatis non debet hoc gaudere. Licèt igitur ſit probabilior, ut ipſe concedo, opinio cenſentium, jus Aſyli competere etiam hominibus ex propoſito (non tamen proditoriè) necantibus innocentem. Attamen credibile non eſt patrocinari ſimilibus Huberti, quandoquidem in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſi interrogaretur de iis Princeps, in ſpecie non conceſſurus eſſet. *Reg. 81. in Sext.* ubi Cynus declarat textu Legis. *Si pater filio. ff. Quæ in fraudem*, & proinde habet ſingulariter in hoc Caſu locum illa doctrina Practei *in Reg. Juris Lib. 2. Cap. 2. Quod licet in genere, aliquando non licet in ſpecie, L. Si unus §. Illud. ff. De pact.* & ſingulariter cùm deſcenſus ad ſpecialia præbet mali occaſionem, ut obſervat idem *ex L. 1.* Cod. *De pact.* Et denique ob immanitatem delicti ſemper receditur à communibus Regulis juris. Fagnanus *in Cap. Eccleſia. De immunit. Eccleſ.* Atqui homicidium in commilitonem admiſſum in circumſtantiis adductis ſuprà *lit. a.* habetur à Germanis pro valde immani ſcelere.

Nec obſtat huic individuæ reſolutioni productū ſuperiùs Axioma de exceptione firmante Regulam in contrarium. Ipſemet enim *Tractat. præced. num. 750.* obſervavi, exceptione firmari quidem Regulam in contrarium, ſed non ampliari contra ſuam naturam, ſi firmaretur cum periculo malorum indicatorum. Certè Germani adeò extremè deteſtantur homicidia meditata, ut nequeant credere, poſſe à Ju-

à Jure ſtatui immunitatem pro tam inuſitato facinore.

Nec obſtat 2. quòd ipſus ego *in Clypeo Clementin. Judic.* tam operoſè coner probare, judicem rectiùs facere, ſi communiter è duabus opinionibus certò *practicè* probabilibus ſequatur mitiorem, quàm ſi communiter rigidiorem. Etenim hanc doctrinam, telo arundineo petitam à Stephano à Sancto Paulo, & propugnatam ſuprà *Tract. 1. num. 102. in App. Apolog.* nego *in cit. Tract. num. 26.* eſſe obſervandum, quando & rigidior magis favet bono publico, & per eam evitantur gravia ſcandala, aliáque mala. Atque his, & aliis expenſis fuit ille miſerabilis homo redditus ſuo proprio magiſtratui, affectúſque, poſt ejuratum Lutherum, extremo ſupplicio. Non item is, de quo hic

Caſus ſecundus.

Miles, inquam, præſidiarius hujus urbis, qui hoc ipſo Anno 1673. cum in mera rixa, ac temulentia ſuum aliàs charum commilitonem lethali, ut timebatur, vulnere ſauciâſſet, & ſanguine veſtes reſperſus confugiſſet ad monaſterium A, receptus autem non fuiſſet, ingreſſus noſtrum hoc collegium, detentus in eo fuit, quoad depulſum fuiſſet à commilitone periculum mortis, tametſi eum depoſceret, modeſtè tamen, præſidii, urbiſque pro Cæſare Gubernator.

Sed & fuiſſet eodem aſyli privilegio gaviſus, ſi in aliquam grangiam noſtri, aut alterius Ordinis Religioſi ſe contuliſſet. Grangias enim ſpectantes ad Monaſteria Ciſtercienſium, & conſequenter Ordinum cum iis communicantium, frui immunitate Eccleſiarum, notat ex Rodriquezio Cardinalis de Lugo *in Reſponſ. Moral. Lib. 3. dub. 15.* atque applicat caſui, in quo malè fuit quidam reus à miniſtris juſtitiæ extractus è tali loco, intelligit ipſe, & alii nomine grangiæ membrum ſuppoſitum Monaſterio, in quo eſt Oratorium ad celebrandum, etſi nec ſit locus ſacer, fundatúſve, authoritate Epiſcopi, nec Religioſi ordinariè ibi habitent, ſed ſolùm aliquoties in Anno conferant ſe eò negotiorum, aut animi relaxandi gratiâ.

h Porrò quia inſinuavi, illum, de quo præſens Caſus, militem, non fuiſſe receptum ad primum Cœnobium, ac ſcio, alibi quoque non fuiſſe, etiam alteri militi reſeratam Monaſterii portam, etſi poſt grave vulnus, periculoſúmque alicui inflictum petenti aperiri ſibi, haud immeritò quæritur, an præſides locorum ſacrorum, poſſint in foro tam *interno*, quàm *externo* excuſari, qui id genus hominibus, tametſi poſtulantibus noluntanderes? Hanc quæſtionem ſi velis definire per cuā auctoritate ſeu Theologorum, ſeu Jureconſultorum, vereor ut poſſis, ſiquidem nec unum unicum reperio, qui aut alterutrum hujus quæſtionis membrum proponat diſceptandum, aut etiam *obſcurè, inaiectéve*, ne dicam *directè & expreſſe* decidat, tametſi præter alios ſuccinctè explicantes rationem, ſeu *Aſyli*, ſeu *Immunitatis*, ſeu *Reverentiæ locis ſacris debitæ* conſuluerim complures accuratos tractatores hujus ejuſdem argumenti, & quidem inter Theologos Sylveſtr. *Verb. Immunitas.* Bonacinam *Tom. 2. Diſp. 3. Quæſt. 7.* Lezanam *in Summ. Verb. Immunitas*, Dianam variis locis deſignatis in ejuſdem *Summa Colonienſi itidem Verb. Immunitas.* Patrem Suarez *Tom. 1. de Relig. Tract. 1. Lib. 3. Cap. 8. & ſeqq.* Patrem Azorium *Inſtitut. Moral. Part. 2 Lib 9. Cap. 8. & ſeqq.* Patrem Laymannum *Theol. Moral. Lib. 4. Tractat. 9. Cap. 3.* Patrem Ferdinandum de Caſtro Palao *Part. 2. Tract. 10. Diſp. unic.* fuſiſſimè perſequentem hoc argumentū. P. Haunoldum ſuprà relatum. Inter Jureconſultos verò Didacum Covarruviam. *Variar. Lib. 2. Cap. ult. ſeu 20.* Julium Clarum *in Pract. Crim. Lib. 5. Cap. 30.* Farinacium *in praxi Crim. de carcere*, ſeu *carceribus Quæſt. 28.* Tiberium Decianum *in praxi Crimin. Lib. 6. Cap. 25. & 26.* diligentiſſimum D. Pacem Jordanum *Elucubrat. Volum. 2. Lib. 11. Tit. 3.* At nullus horum verbulo tangit hanc adeò practicam, & in utramque partem valde diſputabilem quæſtionem. Sed neque etiam jura ſeu Civilia *in Cod. Lib. 1. Tit. 12. De his, qui ad Eccleſ. confug.* vel alibi, ſeu Canonico *Cap. Inter alia, Cap. Eccleſiæ*, aut *Cap. Immunitatem. extra. De Immunit. Eccleſiar.* Interpretatoréſve horum capitulorum quidquam apertè decernunt.

Negantibus reſerationem patrocinatur i utcunque hæc ratio, quòd ex una parte privilegium immunitatis conceſſum ſit in gratiam, honoréque Eccleſiarum *per ſe* ac *primariò, cit. Cap. Eccleſiæ*, & alibi, adcóque in gratiam eorum *principaliter*, qui Eccleſiæ, Eccleſiaſticáque loca incolunt, non autem in ſceleratorum hominum niſi *acceſſoriè*. Igitur hoc privilegium retorquendum non eſt in gravamen Eccleſiarum, Eccleſiaſticorúmve, nec eorum oneri onus addendum. Ex altera autem parte adderetur onus oneri, ſi emergeret obligatio aperiendi, ſeu ultro, ſeu ad inſtantiam profugi portas Aſyli. Siquidem concors eſt doctrina Doctorum, quòd ſi tales confugæ, ſeu refugæ, ut nominantur *in Leg. Præſenti. Cod. De his, qui ad Eccleſ.* non habeant, unde vitam ſuſtentent in ſuo aſylo, Eccleſiam obligari ad alimenta præſtanda, ut nihil dicam de moleſtiſſimis tricis, quas perſæpe iis feceſſunt magiſtratus ſæculares ratione detentionis, & aliorum.

rum. Accedit, quòd & plerique ex citatis Doctoribus exprimant, illos confugos, ut nominantur *Leg. 3. Cod. De his &c.* esse satis tutos, si tangant, vel apprehendant januam, seu ansam, vectémve Ecclesiæ, cur ergo obligentur Ecclesiastici aperire fores? Et cur scriptorum nullus fecit ullam hujus obligationis mentionem, si quæ subest, cùm non possit non esse mortalis?

k E diverso delinquere Religiosos negantes reserationem januæ, videtur inde probari: tum quia si janitor, vel ædituus videns accurrentem reum clauderet januam ad impediendum ingressum, fortè damnaretur ab omnibus peccati lethalis: tum quia jura faciunt jus ingrediendi asylum, ergo & exigendi admissionem: tum quia plurimi ex hisce confugis certò afficientur supplicio capitali, & quidem probabiliter nonnulli contra jus & fas, si non pateat aditus ad asylum; ergo saltem charitas videtur imperare reserationem: tum singulariter quia *in Leg. 1 Cod. De his &c.* statuitur, ut Judæi, qui debitis fatigati confugiunt ad Ecclesiam, *arceantur* NB. nec antè suscipiantur NB. quàm debita universa reddiderint, ergo à contrario sensu suscipi debent tum ii, si reddiderint, tum alii absolutè non excepti, si petant; nequeunt autem dici, tunc suscipi, quando ipsis manet præclusus aditus: tum denique, quia nisi aperiant, periculum est, ne excidant suo privilegio. Alia aliis in utramque partem occurrent argumenta, ac rationes. Ego certa de causa nihil decido, contentus dedisse occasionem alicui alteri pleniùs, eruditiúsque discutiendi hanc non sanè levem controversiam, atque promendi suum animi sensum; interim non dubitans de obligatione aperiendi tunc, cùm subest morale periculum, ne excluſus plectatur capite per sententiam injustam, ut e. g. quando Magistratus loci, in quo extat una duntaxat Ecclesia Catholica, est acatholicus.

Tertius Casus Asyli defensi & violati.

l *Cum videlicet incolæ pagi N. consulturi suæ suorúmque incolumitati, ac filiarum pudicitiæ, receperunt se in Ecclesiam, velut asylum, at insequente hoste, extremaque omnia minante, nisi se, templum, templíque turrim dederent, maluerunt post multorum utrinque, præsertim hostium neces, vivi cum parte uxorum, filiarúmque exuri incendio, quod hostis, quantumvis Catholicæ addictus religioni excitarât (comportatis ad Ædem illam, Sacram lignis) quàm se se dedere, addentes, se pro honore Dei, suíque Regis id perpessuros potiùs, quàm ut potestati hostium & se, & sacratam Deo ædem concederent, atque ita plerique flammis excruciati, peremptique sunt, inspectante, ac nihil de ferocia remittente hoste. Quæsitum fuit* Primò, *an posito (de cujus hypothesis veritate hîc non agitur) quòd bellum fuerit ex parte hostis justum, licita fuerit illa templi incensio, visque illata obtendentibus privilegium asyli?* Secundò, *an excusanda, aut etiam commendanda illa agrestium in Deum religio, inque suum Principem fides?*

Respondeo ad *primum*, illicitam fuisse illam templi incensionem, quandoquidem nullus Theologus inficiaturus sit, dictis agricolis, etiam posito, quòd bellum offensivum fuerit ex parte hostis justissimum, nihilominus jus asyli competivisse in omni rigore, & proprietate, ut liquet vel exBulla Gregorii XIV. *superiùs* relata, exceptionibúsque ab ipsomet expressis, quas inter exceptiones cùm nec sit, nec esse possit Casus præsens, eique consimiles, liquet, fuisse iniquè tunc violatam religionem loci, ac jus asyli. Quod quidem jus tametsi violatum non fuisset, si illi ruricolæ fuissent rei læsæ majestatis, indéque per vim extracti, haud tamen permisisset veneratio loco Sacro debita, in quo etiam aderat sacratissima Hostia, faces subdere illi, quandoquidem per judicium injuriis aditus patere non debet, *Cap. Nonnulli. De rescript.* nemo autem Orthodoxus inficiabitur, exustionem rerum sacratissimarum, præliationem bellantium offensivè in ipso templo coram Venerabilissimo Sacramento, esse summis inres sacras injuriis accensendam. m

Ad *secundum* respondeo, si illi ruricolæ prudenter timuerunt, ne egressi mactarentur, aut lytro intolerabili multarentur; aut si credidérunt, quemadmodum de Christianis præsumere debebant, minas incendii totalis staturas intra minas, nec erupturas in tam tetrum, Christianóque homine indignissimum sacrilegii facinus, haud deliquisse non dedendo se. Quin imò fuerunt victimæ religionis si speraverunt, se suâ constantiâ aversuros ab eo sacrilegio consilium, minásque hostis. n

Observantia supremo Principi debita non utique imperabat ipsis tantam extremorum malorum tolerantiam, laude tamen apud amicos, inimicósque, & ipsummet, supremum Numen dignos reddebat, si confidebant, suâ inauditâ fortitudine permotum iri pagos, oppida, urbes Provinciæ, ad fidem servandam legitimo Principi, haud tamen licebat secum detinere invitas uxores, & liberos, si hisce ut factum, permitteret hostis exitum è loco. Possem hæc omnia firmare rationibus, at non ju-

judico, esse id aut necessarium, aut opportunum.

Quartus Casus è propè hesternis continetur hac quæstione.

o *An Episcopus possit tam filiales Ecclesias, capellásque eis adhærentes (ditiores matrice) quàm earum parochianos, & hos quidem singulos æqualiter compellere ad reparationem matricis summè egentis, quandoquidem decimatores sunt difficilis conventionis, ut sperari nihil ab iis possit, nisi fortè instituâ contra eos difficillimâ, & sumptuosâ actione.*

p Respondeo I. Quandoquidem jure, & consuetudine inductum est, ut decimatores compellantur ad reparandam Ecclesiam, si fabrica non sufficiat. *Cap. Unio. 10 q. 3.* Glossa *in verbo: Tertias.* Peckius *Tract. de Ecclesiis repar. c. 14.* & alii post Trid. *Sess. 21. de Reform. cap. 7* adeóque ipsi Episcopo, si decimas percipiat, incumbat hoc onus. Glossa *loc. cit.* tenetur idem Episcopus ad instantiam procuratoris dictæ Ecclesiæ, citare ante omnia decimatores, hósque compellere, si valeat, ad satisfaciendum suæ obligationi. Peckius *loc. cit. Cap. 16.* post Trident. *loc. cit.* Ratio est, quia nemo debet alterius odio prægravari, *Reg. 22. in 6.* nec pro alieno commodo jacturam sentire, seu suas invenire difficultates. *Leg. Si quando. Cod. De testib.* consequenter nec subire onus alterius, nisi constet, alterum vel nolle, vel, si velit, non posse, non autem satis id constabit, nisi decimatoribus citatis.

q Respondeo II. Si auditi nequeant sententiâ judicis adigi ad præstationem suæ obligationis, onus illud derivabitur in parochum, beneficiatos illius Ecclesiæ, atque Episcopum pro rata suorum beneficiorum, & redituum. Peckius *loc. cit. cap. 20.* meritò ponens hanc responsionem extra omne dubium, quandoquidem ita apertè deciditur *cap. 1. De Ecclesiis ædif.* ac Tridentino *loc. cit.* & pluribus demonstrant Alexander, Ripa, alii, extendentes hanc doctrinam, & obligationem respectu ornamentorum quoque Ecclesiæ, quia ad quemcunque pertinet de jure reparatio ornamentorum. Peckius *ibid.* post alios. At multùm timeo, ne hæc doctrina hæreat in sola speculatione: nec immeritò tunc, quando ii, quos nominavimus, vix habent, unde vivant honestè, tunc enim contribuent parochiani. Peckius *Cap. 22.* Tridentinum *loc. cit.* cum DD. illic relatis à Barbosa.

r Non sufficientibus viribus populi, vocabuntur Ecclesiæ filiales, juxta ea, quæ de capellis, tradit Peckius *cap. 23.* Si neque hæ possint, sublevabunt parochiani Ecclesiarum filialium, juxta mentem ejusdem Doctoris *cit. Cap. 22.* utrùm autem singuli æqualiter, dubitari potest, si quidem ex una parte æquè multum commodi ex Ecclesia matrice derivatur in pauperes parochianos, atque in divites. Ex altera parte videtur communis stylus habere, ut, quando opera publica alicujus urbis sunt reparanda, concurrant quidem, quoad subsidium corporale, seu personale, æqualiter pauperes cum opulentis, at quoad subsidia realia, seu pecuniaria juxta facultatum proportionem. Et verò censeo, hanc praxin, utpote piam, quia favet pauperibus, applicandam esse proposito Casui, & Quæstioni. Vide Ludovicum Engel *in Manuali Parochor. Part. 1. Cap. 2.* pulchre differentem de hac materia.

Quadruplici illi novo casui subnecterem quintum, nisi viderer nimis longè abire à generali titulo præfixo huic capiti, seu *Casui VIII.* æquè. f

Recentem simul & Vetustum.

De Hartmanno, qui superiori sæculo emit ab Hormisda prædium, ignorans hypothecatum esse Capellaniæ pro censu annuo debito, at nondum persoluto. Nunc autem primùm prodeunte in lucem illa qualitate hypothecæ, & idcirco exortâ controversiâ forensi, competátne Ecclesiæ actio realis in prædium: an personalis in hæredem Hormisdæ, cùm à tot Annis nec ipse, nec parens sciatur solvisse ullum censum: an denique Hartmannus possit se tueri jure præscriptionis?

Videri enim potest, nunc nullam actionem competere læsæ Ecclesiæ. Non enim competit *personalis* in hæredem Hormisdæ per legem *Sicut in rem, Cod. de præscript. 30. vel 40. Annor.* clarissimè præfigentem triginta Annos. Nec etiam competit *realis*, tum per æquè clarum textum ejusdem Legis, loquentis de *reali* quoque, tum per specialem Leg. *Novissimi Juris eod. tit.* ubi Imperator ex instituto differens de hypotheca, reformat antiqua jura concedentia jus perpetuum ad repetenda bona hypothecata. Atque ita resolvit Tiraquellus *de Retract. Gloss. 10. n. 11.* junct. Gloss. *2. n. 7.* Lessius *Lib. 2. De Justit. cap. 6. num. 36. & 37.* Laymannus *in Theolog. Moral. Lib. 3. Tract. 1. Cap. 8. num. 16.* Covarruvias *in Reg. Possessor. §. 3. num. 4.* loquens in specie de bonis Ecclesiæ, non nisi quadraginta Annos huic concedens, sicut nec concedit Tiraquellus, Henricus Wangnereck *Commentar. in Decretal. Lib.* t

1. Titul. De in integrum Restit. ad Cap. Ecclesia in 6. Ludovicus Engel *in Manuali Paroch. Part 1. Cap. 7.* & plures alii.

w E diverso Baldus *in leg. Falsam. Cod. Si ex fals. instrum.* rotundè, & generatim scribit, quando ex parte læsi intervenit (sicut utique intervenerit in proposito Casu hypothecæ) ignorantia injustæ læsionis, dari etiam post centum Annos restitutionem in integrum. Quam Baldi doctrinam Alexander *Lib. 7. Consil. 150. n. 5.* non modo appellat *egregiam*, sed insuper *num. 6.* eam applicat singulari eventui, quo aliqua Ecclesia Regularis erat fraudata prædiis, testamento legatis, sicut & aliis Casibus particularibus eandem applicant varii Doctores apud Tiraquellum *loc.* mox *citando*, fatetúrque iteratò Didacus Covarruvias *loc. allegat.* hanc doctrinam esse absque dubio communem, non dissente Tiraquello de *Retract. §. 3. Gloss. 4. n. 44.*

Et verò Barbosa *in Cap. 1. De in integrum Restitut. in 6. nu. 22.* non modò subscribit eidem opinioni casu, quo aliquis minor, aut Ecclesia prætendunt suam ignorantiam centenariam, sed præterea testatur, infinitos autores stare pro ea, quos inter est, loquendo de minoribus, & Ecclesiis læsis, etiam P. Lessius *loc. cit. num. 52.* atque Pater Laymannus *cit. Cap. 8. num. 21.* allegans pro se etiam Sylvestrum. Denique Rota Romana constanter sequitur respectu eorundem minorennium, & Ecclesiarum, eandem Baldi opinionem, teste Barbosa *loc. cit. num. 17.* secundùm cujus Rotæ stylum, Baldique, Lessii, & sequacium judicium Ecclesia, quæ poterat, cognitâ suâ læsione per quadraginta Annos continuatâ, utiliter reclamare pro lubitu, secundùm communem sententiam toto quadriennio subsecuto eam quadragenariam, si compertam habuisset, illam iniquam (esto duntaxat *materialiter* talem possessionem, seu præscriptionem, potest hoc reclamandi, petendiq; restitutionem in integrum jure uti ipse, aut ejus successores, etiam post lapsum centum Annorum, uti, inquam, per quadriennium ab Anno numerandum, quo certior factus est de centenaria usurpatione. Denique Alexander apud Tuschum lit. R. *Conclus. 289.* tam multos in utramq; partem citat, ut ob hanc causam ipsemet Alexander deploret miseram sortem Clientum incidentium in manus Doctorum, ut loquitur ipse Doctor Doctorum.

x Ego in primis censeo, in præsenti Casu *quinto* dispiciendum esse, utrùm reciri queat, nec ne, quo Anno superioris sæculi sit orta obligatio, & inchoata præscriptio immunitatis ab hypotheca: si enim nequeat reperiri Annus, hoc ipso ignorabitur initium, & consequenter fundabitur possessio immemorialis immunitatis ab onere hypothecæ juxta descriptionem possessionis immemorialis apud Laymannum *loc. cit. n. 15.*

Censeo deinde, si comperiatur tempus inchoatæ præscriptionis, non posse damnari judicem, qui non attentâ possessione centenariâ (& abstrahendo à consuetudine loci fortè contraria) audiet Capellanum volentem experiri actione *reali*, vel *personali*. Ratio est, quia & generatim nequit damnari judex sequens communem opinionem, si quidem tenetur *per se loquendo* eâ stare secundùm Doctores, quos refero & indico *in Clypeo Clement. Judic.* seu *Tract. 1. Quinarii Sect. 2. num 41.* & (quod in simili sapienter ponderat Alexander *allegat num. 6.*) tam frequens mutatio Capellanorum facit, ut facilè præsumatur in iis ignorantia probabilis læsorum suorum jurium, locumque habere non videantur leges præfigentes triginta, vel quadraginta Annos, utpote restringentes ad certum tempus jus naturale repetendi quæcunque tandem tempore, rem suam ablatam aut possessam iniquè, seu cum injuria aut *formali*, aut etiam duntaxat *materiali*, & sic aliquatenus vires suas exerat illud Axioma juridicum. *Res de facili revertitur ad suam pristinam naturam Leg. Filio, quem pater. De liber. & posthum.* Serapinus *de privileg. juramento privil. 58.*

z Censeo 3. verum esse, quod Covarruvias suprà asserit, nusquam (saltem extra Romam, & inter personas non potientes supremo Principatu, potientibus enim solus gladius pene facit jus) vigere usum doctrinæ Baldianæ intellectæ, ut jacet. Certè quoad Galliam habet Covarruvias stantem pro se, suâque Hispania Tiraquellum *cit. §. 3. num. 45.* habet & quoad Germanos Henricum Wangnereck *loc. cit.* testantem, extra curiam (Romanam) observari, observandúmque esse quadriennium, ut videlicet Ecclesia, vel minor debeat in integrum restitui, si hoc beneficium postulet intra quatuor Annos *immediatè* supervenientes illis quadraginta, quibus res spectans ad Ecclesiam fuit ab alio injustè, quantumvis optimâ fide, possessa ut sua, esto, Ecclesia, aut capellaniæ rector, seu beneficiatus in fine dicti Anni quadragesimi non ignorârit læsionem injustam. Sanè propter illud, quod suprà dixi, sapienter observari ab Alexandro, & propter alia judicarem, esse in praxi observandam judici sectationem sententiæ communis, seu Baldi, respectu saltem illorum beneficiatorum, & Superiorum Regularium, qui persæpe mutari consueverunt, & tunc quidem singularissimè observandam, quando Ecclesia est per illam præscriptionem enormiter læsa, ut bene ponderat idem Doctor, aut quando fundus spectabat ad Sacrum Ordinem Cistercienſem, hic enim gaudet privilegio centenariæ reclamationis, ut reliquos inter notat P. Christoph. Haunoldus noster *Tom. 1. De justit. Tract. 5. num. 300.* qui Mendicantes fortiùs, & justiùs pugnabunt, con-

contra possessionem nondum sexagenariam, ob privilegium Benedictinis concessum, & insertum nostro *Compendio, Verb. Præscriptio*; denique standū consuetudine clarè legitimâ, tametsi Virginius Alviset *in Murenulis Vermiculatis*, seu *De privileg. Regul. Sect. 3. cap. 3. num. 18. & 19.* recentissimè recusus Campiduni; absolutè scribit, nullam præscriptionem currere contra privilegia, vel bona Regularium.

AN IN ALTARI SACRIFICANDUM.

CASUS IX.

Singularis.

SUMMARIUM.

Casus asyli dati propter altare portatile. 266.
An, & in quali altari celebraudum? 268.
Quis consecret altaria? 270. & 278.
An altare consecratum possit destrui inconsulto Episcopo? 272.
Et singulariter ara portatilis? Ibid.
An debeant esse lapidea? 273.
Quomodo exercentur? 274.
Singulariter per fractionem. Ibid. *& 277.*
Et amotionem mensæ à stipite. 275.
An per fractionem sigilli? 276.
An sint necessaria Reliquiæ? 277.
An earum loco ponenda hostia Sacra? 278.
An cesset profanatio post Missam celebratam in altari profanato? 279.
Sacratio pendet à voluntate Pontificis. 286.
Casus de ara portatili diu non usurpata. 281.
Constantiæ non permittitur ultra triennium usus aræ portatilis. Ibid.
Casus de Sacello destructo, & rursum cum ampliatione exstructo, an retineat suum privilegium? 283.
Indulgentiæ concessæ alicui templo transferuntur in aliud exstructum ejus loco. 284.
Casus de altari, supra quod erat pegma erectum. 285.

266 *Ldefonsus miles, cùm in castris scelus morte dignum perpetrâsset, confugit ad Ecclesiam, seu altare portatile, pro Missâ celebranda in castris positum. Militum Generalis Gubernator volens illum ex ea Ecclesia, seu altari extrahere, territus est excommunicationis pœnâ latâ à quodam viro docto Societatis nostræ, Episcopi vices in exercitu, quoad spiritualia gerente. Si eum ab Ecclesia, vel altari retraheret. At Generalis dux, nè in excommunicationem incideret, & mortis pœnâ reum plectereposset, castra in alium locum diverti jussit, ut divulso altari reum caperet, ac puniret. Sed Societatis Jesu doctissimus vir, ducis Generalis animum penetrans, tradidit reo aram, utpote quæ est Ecclesiæ præcipuum insigne, & immunitatis, qua Ecclesia gaudet, ratio præcipua, admonens, ne eam à se amoveri permitteret, donec in alio loco altare poneretur. Sic factum est, & dux Generalis non est ausus capere reum, utpote Ecclesiæ immunitate gaudentem, eò quòd secum aram deferret. Hæc de re ipsemet, qui ex nostra Societate hunc novum immunitatis modum invenit, consuluit doctissimum Suarium, qui respondit, rectè egisse, probabiléque esse valde, reum illum; eo quòd Sacram Aram portaret, immunitate gaudere, & puniri non posse, ergo à fortiori deberet gaudere, si confugeret ad sacerdotem, Eucharistiam portantem.*

Hunc eventum meritò vocat *singularem* P. 267
Antonius de Quintana dvennas, illum descriptis verbis recensens *Singularium Tract. 4 Singul. ultimo* Quem idcirco hìc propono, quia titulo hujus Casûs convenit; propono autem fusiùs, eò quòd hanc prolixitatem vestitam talibus circumstantiis speret fore gratam meo lectori. Porrò ad propositum nostrum.

Quæritur: *An, & in quali altari sit necessariò* 268
celebrandum? Resp. Haud dubiè mortaliter peccaret, qui absque altari sacrificaret, quia repugnaret gravissimis sanctionibus Conciliorum, Pontificum, Patrum, communique sensui, & usui Catholicorum; ut videre est apud DD. in decursu referendos; quamvis olim aliud licuerit teste Cardin. Bonâ *in Liturg. Lib. 1. cap. 19.*

Debet autem illud altare esse ab Episcopo 269
consecratum, & communiter quidem lapideum, ut liquet *ex Cap. Altaria 1. & 2. De consecrat. dist. 1.* Quamvis Laym. *Lib. 5. Tract. 5. cap. 6.* & Dicastillo *De Euchar. Tract 5. disp. 4. num. 142.* non improbent morem struendi ex opere lateritio, aut gypso admixto cæmento. Vide, si placet, eundem Dicastillo *ibid.* referentem genus lapidis, de quo dubitat, an sit idoneus pro altari; atque adde duo. *Primum*; nonnul- 270
los Abbates, atque inter hos Cassinensis Congregationis, fruentésque horum privilegiis, habere à sede Apostolica peculiarem potestatem (quæ per solum non-usum, aut per renuntiationem factam ab Abbate solo non amittitur. Tamburinus mox citandus *quæst 14.* post Laymann *in qq. Canon. De Prælat. elect. quæst. 225.*)

consecrandi altaria. Ascanius Tamb. *De jure Abbat. Tom. 1. disp. 23. quæst. 4.* Aluiset *De privil. Reg. sect. 3. cap. 2.* Ascan. Tamb. negat *quæst. 7.* De Ecclesiis. Sicut & negandum est, posse ab Episcopo cuiquam non insignito charactere Episcopali delegari hanc potestatem. *Cap. Aqua. De consecration. Eccles. & altar.*

271 Unde cùm Reverendissimus, & Celsissimus Princeps, atque Episcopus Constantiensis ab Innocent X. petiisset facultatem communicandi ad tempus nonnullis Abbatibus suum jus circa consecrationem Altarium, utpote quorum circiter trecenta erant bellicis tumultibus execrata, non impetravit, quod petierat.

272 *Alterum*, quòd abhinc sexennium interrogatus literis à Superiore Religioso, utrùm posset aliquod altare consecratum, quod nulli usuierat, destrui inconsulto Episcopo, respondi non posse, & respondi quidem tunc sine authoritate, sed postea reperi id ipsum doceri à P. Thoma Tamburino *De Sacrif. Lib. 1. cap. 5. §. 1. num. 2.* post Barbosam, quem citat, restringens suam doctrinam ad altaria existentia in Ecclesia consecrata. Et ratio responsionis esse potest, tum quia per quascunque causas aliquid nascitur, per easdem dissolvitur *Cap. 1. De Reg. jur. in 5.* tum quia erectioni ac fundationi altarium ejusmodi solent adjungi multa, quæ requirunt cognitionem Episcopi. Nolim tamen hanc doctrinam extendi ad aram viaticam, quia rationes non militant æquè pro hac.

273 Altare aliud est *fixum*, aliud *mobile*, seu *portatile*, quod fæpe in jure nuncupatur *Viaticum*, quia scilicet est usui viatoribus. Sufficit utrique, si pars superior sit lapidea; nec per se requirit ullam certam formam. Sufficitque, si sit tam amplum, ut hostiam, & majorem partem Calicis capiat. *Rubr. Miss. tit. 20.* capiat, inquam, commodè tempore consecrationis. Gavantus *in cit. tit. Rubricarum lit. q.*

274 Execrantur altaria ista, imprimis quidem *fixum* per Ecclesiæ pollutionem. Tann. *Tom. 4. disp. 5. quæst. 10. num. 45.* ex communi, non autem per exercitium religionis hæreticæ, ut in contingentia Facti respondi suprà *num. 265.* Deinde tam *mobile*, quàm *fixum* execrantur, seu desinunt esse Sacra, aptáque ad Sacrificium, quando ita franguntur, ut nec maneat ulla pars integra sufficiens ad recipiendum calicem, & hostiam (addit Suarez *cit. Tom. 3. in 3. part. disp. 81. sect. 5.* ac Laymann. *Lib. 5. Tr. 5. cap. 6. num. 4.* patenam) secundùm majorem sui partem. Secùs si supra fragmentum possit adhuc stare calix, & hostia, esto pro vitando periculo evertendi calicem, illi fragmento addatur alia materia. Laym. *ibid.* Quidni enim per hanc additionem, seu connexionem illa nova materia è non Sacra fiat Sacra? Laym. *num. 5.* post Gloss. *Cap. Quod in dubiis. De consec. Eccles.* At Tambur. *cit. §. 1. num. 84.* id negat, tatus totam illam quantitatem, quæ necessaria est recipiendis illis tribus, esse debere unum quid continuum.

Communis doctrina tradens, quòd altare 275
amittat consecrationem, si mensa removeatur à stipite, seu inferiore structura, intelligenda est casu, quo altare fuit consecratum simul cum illo stipite, eóque lapideo, & conjuncto stabiliter; e. g. ut fit per cæmentum. Pasqualigus, *in decis. Mor. decis. 40. & seq.* nósque pluribus *in Quinario Tract. 4.* seu *in Thesauro Ecclesiastico indulg. par. 2. num. 537.* ubi plura de altarium execratione per fractionem, & motionem tradidimus. Atque his jam scriptis ita respondimus in Casu recentissimo adhuc pendente lite.

Licèt *ibid. num. 540.* retulerimus Pasqualigum *decis. 44.* dicentem, esse certum, amitti consecrationem, quoties frangitur, vel amovetur sigillum sepulchri, non tamen damnarem peccati, qui pergeret facere ibidem Sacrum sine nova consecratione, quia nullo jure Universali satis probatur necessitas imponendi reliquias altaribus, dum consecrantur. 276
Unde illam necessitatem negant Panormitanus, & Hugo apud Vasq, *Disp. 233. num. 18.* 277
negant & Coninck *quæst. 81. num. 240.* Dicastillo *Disp. 4. num. 138. & 146.* Caspar Hurtadus *De Sacrificio Disp. 4. difficult. 8.* & Thom. Tamburinus *De Sacrif. Lib. 1. cap. 5. §. 1.* Ac saltem de altaribus mobilibus neganda est. Guliel. Durandus *in Ration. Lib. 1. cap. 7. num. 21.* Vasq. *loc. cit. Cap. 2.* quia saltem per consuetudinem derogarum est juribus, illam necessitatem indicantibus. Sic testatur Coninck, Vasq. Dicastillo *loc. cit.* atque Suarez *Disp. 81. sect. 5.* idque vel maximè propter impossibilitatem quandam habendi tam multas exploratas (quis enim pius Episcopus utatur dubiis?) Reliquias. Tamburinus *cit. §. 10. numero 10.* subdens *numero 16.* si partes 2. 3. 4. *portatilis* fracti, sint singulæ capaces calicis, & patenæ, posse singulas legitimè usurpari, eò quòd illæ non amittant consecrationem per fractionem.

At inquies: *Nonne prudenter aget Episcopus,* 278
si non habens Reliquias, recondat in altari pro iis hostiam consecratam? Resp. Id quidem visum fuisse Durando *loc. cit.* & Gloss. *in Cap. Placuit. De consecr. dist. 1.* sed improbabiliter teste Vasquez *loc. cit.* & aliis communiter, quia sine ratione sufficiente pro re tanta, tam insolita. In hac Diœcesi moris est, ut violato sigillo, atque exemptis Reliquiis aliæ imponantur, sed sine nova consecratione altaris totius, at non sine benedictione, seu clariùs, nova consecratione ipsius sepulchri, quam exhibet Pontificale, & quam, ut sibi liceret, solam in tam immani numero altarium per bella prophanatorum adhibere impetravit ab Innocent. X. Reverendiss. Episc. Constantiensis, negatâ facultate subdelegandi ulli Abbati, ut mihi exploratum est, & indicavi paulò antè.

Si

279 Si quis in altari, quod vel nunquam habuit, vel habuit quidem, sed amisit consecrationem, celebret bonâ, vel etiam malâ fide, altare istud, teste Pasqualigo *cit. decis. 44.* non indiget novâ consecratione, esto peccârit utique mortaliter, qui malâ fide primus fecit Sacrum in tali altari; & consequenter poterit sine ulteriore consecratione ibidem celebrari.

280 Hæc doctrina est probabilis ob auctoritatem hujus, & aliorum Doctorum, partim in hac materia, partim in materia de Ecclesia non consecrata, aut polluta, in qua quis celebravit, ut retulimus in fine *Casus præced.* partim in materia de calice non consecrato, quo quis usus fuit ad Sacrificium, ut referemus *Casu seq. num. 309.* Verùm sententias oppositas ego cum Lugone *Disp. 20.* Dicastillo *cit. Disp. 4. num. 199.* censeo probabiliores. Si quidem harum rerum *moralitas*, seu sacratio, ut ita loquar, dependet *essentialiter* à voluntate potentis, & volentis eas haberi pro satsanctis, satsaptis ad usum longè sacratissimum. Atqui solus Papa potest efficaciter velle, ut his, aut illis cæremoniis adhibitis censeantur illæ res satis sanctæ pro hoc ministerio: qui quidem Papa nunquam declaravit, se velle, ut factasemel harum rerum usurpatio ad usum sacrum, sit sufficiens in posterum sine alia superveniente cæremonia; præsertim quando intercessit mala fides, quia non est malitiis hominum indulgendum *c. Plerumque. De resc.*

281 Quia verò, ut dixi sacratio altaris provenit, ac pendet ex voluntate statuentis, volentis Prælati, ut sit, maneátque Sacrum, dubitari potest, quid in concreto respondendum fuerit ad hunc

Casum Aræ Portatilis.

Fuit ante aliquot Annos aliquis Dominus Landammanus in hoc oppido, qui sibi consecrari curavit altare portatile, hactenus asservatum in ipsius, deinde filii, ac postmodum nepotis ædibus, & quidem in conclavi, in quo est aliquod altare domesticum, sed fuit illud conclave ad prophana etiam, imò, ut ego semel vidi, ad lusum quoque usurpatum. Jam quæritur, utrùm adhuc liceat super hoc Altari celebrare?

Et quidem his rogatus verbis respondi, esse *in concreto loquendo* nefas, absque facultate Domini Ordinarii. Ratio unica erat, quia, tametsi illud altare absque dubio fuerit adhuc sacrum, cùm talia non execrentur per non usum, aut per neglectum in loco profano, attamen Constitutiones Synodales Constantienses *Part. 1. tit. 11.* accensent casibus reservatis, adeóque peccatis mortalibus celebrationem in ara portali factam sine facultate Ordinarii; facultas autem multò rarissimè conceditur Laicis pro suis altaribus portatilibus ultra triennium, longè autem plus triennio abierat, ex quo illa arula erat consecrata, adhibitáque usui Sacro. Quia ergo valida præsumptio formatur ex communiter contingentibus, præsumendum erat, potestatem utendi illo altari pro Sacrificio circumscriptam fuisse triennali gratiâ. Cùm præsertim oppidum illud distet Constantiâ Episcopali urbe non nisi quinque horarum spatio. Utrùm verò prædictum casum incurrat, qui elapso triennio pergit bis, térve facere Sacrum, expectans interim prorogationem triennii, quam petiit literis, dicam *Tract. 7.* seu *in Alph. Confessar. Casu VIII. numer. 409.* Interim notabis, sat copiosè ab Ascan. Tambur. *De jur. Abb. Tom. 2. disp. 5. quæs. 6.* edisseri, quatenus hodiéque liceat Regularibus celebrare in ara portatili: vide etiam suprà *num. 247. & 248.*

Ad hanc materiam referri potest hæc prima 282
quæstio, circa quam expetere meam sententiam dignatus est abhinc duodecennium Prælatus Religiosus, Theologiæ Doctor inclytus; totam ejus Epistolam verbis perspicuam, rationum momentis gravem adscribo; omissis tamen nominibus propriis loci, & sacelli. Sic ergo ille.

Non procul à N. est sacellum pauculis abhinc 283
Annis in honorem S. N. ædificatum, factáque licentia RR. Ordinarii Missas ibi super altari portatili eò usque celebrandi, quoad legitimè consecratum non esset. Nunc autem illud ob auctam populi devotionem solo æquatum est, & ejus loco capacius ibi extructum, ædificio hac, aut proximâ, ut audio, hebdomade finiendo. Sed loci parochus R. D. N. De licentia ibi celebrandi dubius, an ea se ad hoc etiam novum sacellum eodem, quo priùs steterat, loco extructum, extendat, ejus à me resolutionem dubii expetiit, quam ego tanquam tutiorem dedi negativam, cùm ejusmodi licentia non minùs affixa videatur Ecclesiæ, cui datur, quàm benedictio, & consecratio benedictæ, & consecratæ, quæ totaliter destructâ Ecclesiâ perit. Quamvis in hoc inter prædictam licentiam, & benedictionem, seu consecrationem maneat disparitas, quòd licentia celebrandi locum afficiat non tam intrinsecè, quàm benedictio, & consecratio. Quia tamen hæc ipsa disparitas videri potest sufficere ad probabiliter asserendum, licentiam celebrandi, datam pro sacello S. N. destructo, extendi ad sacellum ejusdem S. N. in eodem loco succedens, ideo super hoc libenter audiam, si dicere placuerit, sententiam quoque R. V. addens, *cùm hæc jam omnia scripsissem, fuisse à me inspectum Gasparem Hurtadum* Disp. 4. De Sacrific. Missæ difficult. 7. *qui me multùm confirmat in sententia de non petenda necessariò novâ à D. Ordinario licentiâ in prædicto sacello S. N. dum ibidem §. 5. dicit: Ecclesiam non consecratam, sed tantùm benedictam, etiamsi totarnat, si postea resi-*

reficiatur, non egere novâ benedictione, quia manet idem solum, quod tantùm benedicitur, quando Ecclesia benedicitur. Nunquid autem & Episcopus dando licentiam celebrandi in sacello S. N. dedit licentiam celebrandi in loco, seu solo, cui eidem superstructum est sacellum S. N. tam novum, quam antiquum? Rogo tamen Rev. Vest. ut majoris securitatis gratiâ impetret à Rev. D. Ordinario licentiam novam in scripto, Missas in sacello suprà dicto celebrandi, donec id legitimè consecratum non fuerit.

284 Hactenus literæ illius Prælati, cujus judicium non potui absolutè improbare: cùm ob rationes ex ipso productas: tum etiam propter hanc, quòd ego ipse *in Thesauro Ecclesiastico Indulgentiarum num. 320.* retulerim ex Suarez, indulgentiam alicui templo concessam probabiliter inhærere novo templo in ejus fortè destructi loco exstructo, quod etiam docet Palaus *ibid.* à me relatus. At Layman. *loc. cit. Cap. 5. num. 165.* improbâsset illud prædicti Prælati posterius judicium, ut liquet ex ejus generali doctrina mihi quoque probatâ. Unde quamvis D. Vicarius Generalis hasce rationes probaverit, obsecutus tamen mori Diœcesano mandavit expediri decretum, quo conferebatur nova licentia pro novo illo sacello. Cujus moris fortè non ignarus quidam parochus Anno 1661. me per literas rogavit, ut impetrarem ab eodem D. Vicario Generali licentiam faciendi Sacrum in quodam sacello, quod dives rusticus ædificaverat loco alterius destructi per bella, & prædiți illâ eâdem licentiâ, usquedum consecraretur.

285 Ad eandem materiam de altari pertinet etiam solutio quæstionis alterius, quam Viennâ Austriæ scripto proposuit 17. Septembr. Anno 1664. vir doctissimus, quilecto *Alphabeto Sacrif.* ita ad me scripsit: *Optâssem, fuisse huic Alphabeto insertum Casum, quem hic in oppido Austriæ N. vidi Anno 1652. practicari; ubi Parochus Theologiæ Doctor in Summa ara lapidea aliàs consecrata, sed nimiùm demissa, ut altitudine coxendices vix superaret, celebrabat semper erectâ desuper ad spatium unius, vel sesqui spithamæ tabulâ, seu mensâ altiùs, ut ipsam Aram lapideam non contingeret, & tamen justam aræ altitudinem tabula faceret. Equidem casu cognito, & Ara curiosiùs, atque ocularitèr inspectâ, etsi per plures dies parocho valetudinario adfuerim, noluiin ara celebrare sine altari portatili. Ipse moralem aræ consecratæ præsentiam, & contactum sufficere asserebat. Opponebam ego: tum quia nimia esset tabulæ altioris ab ipsa ara distantia, & nullus physicus contactus: tum inferebam, potuisse aliàs tantæ crassitiei truncum, vel lapidem latiorem imponi (vel murum super aram educi, exemplo olim in Carinthia facto) ut justam altaris altitudinem attingeret, ac desuper sacrificari, quod tamen neque ipse admittebat, neque in Carinthia fuit admissum. Quid in utroque casu Rev. Vest. videatur, rogo mihi sensum suum perscribat, &, si videbitur, libellis suis inserat.* Ita ille Doctor, & professor olim Viennensis idcirco nominans *utrumque* Casum, quòd iisdem literis proponat alium de Episcopo consecrante clericos, & alio faciente Missam, quem casum postmodum explicavi Anno 1664. explicatúmque videbis infrà *in Alph. Ordinant. Cas. VII. num. 254.* At verò ad præsentem mox respondi, & nunc quoque respondeo; probari à me non posse illud factum parochi N. tum propter rationes indicatas in literis: tum quia, si valor consecrationis penderet æquè ab adhibitione altaris, ac pendet honestas, nemo, ut reor, auderet sacrificare in ejusmodi pegmate: tum quia certum est, calicem, & hostiam debere non juxta, sed suprà altare poni; quomodo autem celebrans in tali pegmate sciet, suum calicem, ac hostiam esse saltem *mediatè* suprà, non autem juxta arulam? tum quia sequeretur, Rubricas, & Theologos frustra tradere, altare debere ita esse latum, ut capiat saltem dimidiam calicis, & patenæ partem: tum quia usus, & persuasio communis videtur damnare illam praxin. Unde nec credo, te fruiturum gratiâ fixi altaris privilegiati, si celebres suprà aram portatilem *accessoriè* affixam fronti prædicti altaris. Atque ita resolvi in contingentia; revera enim non diceris celebrare supra aram fixam, sed juxta.

CUM QUIBUS ALTARIS PARAMENTIS SACRIFICANDUM.

CASUS X.

Caravacensis.

SECTIO I.

De Mappis, Lumine, Cruce, Missali.

SUMMARIUM.

Origo crucis Caravacensis. 286.
Quæ sint ornamenta altaris? 288.
An requirantur tres Mappæ? 289.
Lucerna sebacea sufficit in necessitate. 292.
Peccat ministrans sine lumine Eucharistiam. 294.
Potest in necessitate celebrari sine cruce. 295.
Quælibet causa rationabilis excusat transgredientem legem humanam obligantem sub veniali. 297.
Requiratúrne Crucifixus, an sufficiat crux? 299.
Debeátne adesse, quando prostat venerabile? 300.
An prædituș visu debili licitè celebret sine libro Missali? 302.
Ingeniosum inventum casu, quo carebatur Missali. 305.

286 *Kazizius Agarenorum Rex Christianos, quos in sua arce Caravacense captivos habebat, è carcere accitos ad se humaniter interrogavit, quamnam singuli artem scirent, & inter hos unum, qui respondit: Se esse sacerdotem, & omnes artes, regúmque omnium potentiam, quamcunque superari suo ministerio. Rex se intueri velle hujusmodi ministerium, & ut illud in suo conspectu celebraret, mandavit. Sacerdos contrà respondit; destitui se rebus necessariis ad Sacram rem peragendam. Quare Rex continuò jubet, ut è proximo Christianorum oppido peterentur, quæ ad hoc Mysterium celebrandum opportuna esse videbantur. Adferuntur ea, orsurus tamen Missam sacerdos constitit. Cau Jam cunctationis Regi sciscitanti: Crucem desse dixit, quæ consuêsset his ritibus, & præsertim illo die (erat festum Inventionis S Crucis) adhiberi. Vix hæc erat effatus, cùm, fornice, qui altari imminebat, dehiscente magnus splendor effulsit, & per illum hiatum duo Angeli de cœlo illapsi Crucem ligneam bipalmarem deferentes super altare paratum deposuerunt. Stupet Rex Agarenus cum suis aulicis tanto miraculo conspecto; fidem cum iisdem amplectitur, & sacello intra arcem constructo, Angelicam illam Crucem intra arcam pretiosam reponit. Miraculum planè est, quadringentis, & eò amplius Annis viguisse illud lignum citra cariem, & tercdinem, aut ullum vitium, illæsum perdurâsse.*

287 Est hoc fidele compendium, & pleraque verba narrationis prolixioris, quam Giacconus apud Gretserum nostrum *Lib. 2 De cruce Cap. 13.* contexuit de origine Crucis Caravacensis, parentis, ut sic loquar, earum, quas vulgò dicimus Hispanicas.

Occasione hujus memorandi Casûs

288 Quæritur I. *Quænam sint illa, ad rem Sacram peragendam necessaria, quæ sacerdos ille exigebat?* Resp. Sunt & vestes, de quibus *Casu seq.* & ara, de qua *Casu præced.* & aræ ipsius paramenta, quæ quidem sunt sex: Mappæ: Lumen: Pallium: Crux: Missale; Calix cum suis adjunctis, de quibus accipe hâc, & proximâ Sectione sequentia.

289 *Altare cooperiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel ab alio habente potestatem, benedictis; superiori saltem oblongâ, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ.* Sic loquuntur Rubricæ Missalis *Tit. 20.* Tenent tamen graves authores, quibus suffragatur usus, non requiri (hâc ætate) tres mappas, sed sufficere unam duplicatam, esto non tegat totum altare. Ita Laym. *cit. Lib. 5. Tract. 5. cap. 6. num. 11* Bonac. *De Sacram. Disp. 4. quæst. ult punct. 9. num. 24.* post Henriq. *Lib. 9. cap. 28* Suar. *Disp. 81. sect. 6.* & alios plures, quorum sententiam, licèt Gavantus *Part. 1. tit. 20. lit. O.* & Pax Jordanus *Lib. 4. tit. 1. num. 222.* dicant, non esse tutam in conscientia, tutam tamen facit usus, & authoritas. Qui sufficere in necessitate unam, tradit Tann. *Disp 5 quæst. 10. num. 48.* post Suarez, & quidem non benedictam, quæ possit mox iterum adhiberi ad mensam prophanam. Idem Tann. & Azor *Tom 1. lib 10 cap. 28. quæst. 8.* post Sylvest. *verb. Benedictio, quæst. 5.* ac sequitur Pax Jordan. *loc. cit. numer. 225.* cum Thom. Tamburino, & aliis apud Jordanum. 290

II. Pallio quoque ornandum est altare, juxta Rubr. *Tit. cit. 20.* Nomine pallii intelligendo id, quod nos vocamus Antipendium. Usus autem approbat doctrinam Jordani *loc. cit. n. 231.* 98 paupertatem, aut necessitatem posse tolerari pallium ex asseribus, maximè pictis, aut ex alia communi materia.

Omnes testibus Suar. *loc. cit.* & Jordan. *loc. cit. numer. 249.* peccati mortalis damnant sacrificantem sine omni lumine. In necessitate unum sufficere, tradunt hactenus citati, ac D. Reding *quæst. 9. art. 2. Controv 3.* & quidem ex oleo, sicuti sæpe vidi etiam apud bonos Religiosos; aut sebo, si cera haberi nequeat, ut rectè Jordanus *loc. cit. num. 254.* Dicastillo *cit. Disp. 4. num. 160.* Tambur. *Lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 2.* Laym. *cit. cap 6 num. 17.* loquens post Azor de casu etiam non valde gravis necessitatis, ut & D. Reding *numer. 28.* post Tann. & Laym. Suario, & Vasq. *Disp. 233. num. 26.* negantibus, etiam in necessitate esse adhibendam candelam sebaceam. Sed cùm ipsemet Vasq. recèt neget, ullo jure scripto præcipi lucernam ceream, non video, cur tam rigidè excludat sebaceam, ut malit omitti Sacrum ex devotione, quàm cum illa sacrificari. Consentit nobis Dicastillo *loc. cit.* addente Fagund. apud D. Reding. *num. 27.* & Tamburino *loc. cit. num. 4.* si utrumque lumen extinguatur ante consecrationem sine spe habendi brevi aliud, abrumpendum Sacrum, etsi adsit necessitas conficiendi viatici. Negarem hunc rigorem, si huic utrique Classico Doctori haberem Classicum, quem opponerem. 291

Gravis venialis culpæ damnat Suarez *Disp. 72. Sect. 4.* illum, qui absque lumine ministrat Sacram Eucharistiam, sed intelligendus est in casu, quo extra Sacrificium id facit; licèt enim soleat etiam sub Sacrificio accendi peculiare lumen pro communicantibus, ejus tamen omis- 292 293 294

omissio nec excusetur per se ullam culpam, sicuti nec gravem omissio candelæ peculiaris pro tempore consecrationis. Dicastillo *num. 62. & D. Reding.*

295 Super altare collocandam esse crucem in medio, dicunt Rubr. *cit. Tit. 20.* idque ex antiquissimo usu, sicuti ostendunt Gretserus *Lib. 2. De Cruce c. 13.* & Scortia *Lib. 3. de Sacrif. Cap. 3. numer. 1.* Probat id tum miraculum Caravacense suprà descriptum, tum insignis planè historia, quam de Cruce sese movente, dum S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus Sacris operaretur, refert ex Niceta Baron.
296 *Tom. 3. ad Ann. Christi 874. numer. 43.* Attamen qui sine ea absque contemptu, & scandalo celebrat, non nisi venialiter delinquit testibus authoribus, quos hactenus nominavi. Imò ne venialiter quidem secundùm Vasq. *l. c. num. 26.* quod credo esse verum, si nequeat facilè haberi, tunc enim est satius, facere Sacrum ex sola devotione, quàm illud omittere ob defectum Crucis, ut rectè Fagundez *de præcept. Eccles. prac. 1. lib. 3. cap 21. num. 31.* ità ratiocinans: *Est tantùm veniale peccatum celebrare sine Cruce. Et cùm quælibet causa* (intellige: honesta) *excuset à peccato veniali, nunquam peccabit venialiter sacerdos sine lumine* (si videlicet nequeat commodè habere) *celebrans, cùm sola ipsa Missæ celebratio causa sufficiens sit ad excusandum ab hoc peccato veniali, ne Ecclesia privetur fructu Sacrificii.*

297 In quo discursu vides, ab hoc Doctore supponi, & asseri, quamlibet causam rationabilem sufficere ad id, ut *licitè* facias, vel omittas, quæ sunt sub reatu solius peccati venialis vetita, vel præcepta, quam doctrinam, si intelligatur de solis præceptis humanis, judico posse in his generalibus terminis tolerari.

298 At inquies: *Sacerdos, de quo noster Casus Caravacensis, substitit in medio altari, videns deesse Crucem, ut testatur Ciacconus, unde conjici potest, futurum fuisse, ut non esset perrecturus in Sacro, si non fuisset allata Crux. An non rectè fecisset?* Resp Substitit maximè idcirco, quòd die, quo Sacrum erat facturus, solennis S. Crucis Inventionis festivitas ageretur. Ut loquitur Ciacconus: Item dici potest, substitisse anticipitem, quid agendum esset. Non tamen hinc infertur, recessurum fuisse ab Altari, si defectus Crucis non fuisset prodigiosè suppletus. Certè non recessissem ego, nec Dicastillo, aut alii Doctores, quos *n. 295.* expressi.

299 Rursum petes. *Utrùm non sufficiat Crux, sed debeat adesse Crucifixus?* Resp. Licèt Cæremoniale Episcoporum apud Jordanum *cit. tit. 1. num. 23.* & Gavantum *cit. tit. 20. lit. V.* ipséque Gavantus, & Laym. tradant, requiri Crucifixum, quia tamen Missale loquitur solùm de Cruce, sicuti & Suarez, Vasq. Dicastillo, D. Reding *n. 32.* multi alii, ipsíque Pontifices solent in formulis Indulgentiarum crucifixum distinguere à Cruce; quia præterea Angeli sacerdoti Caravacensi attulerunt Crucem solam, non autem Crucifixum, ideo faciliùs permitterem sacrificari cum sola Cruce depicta in tabernaculo, aut charta aliqua, quàm sine omni Cruce. Imò Tamburinus *L. 1. c. 6.* est contentus *Cruce, vel Crucifixo* depicto in pariete, aut tabula ad latus. Sed Gavantus non sine ratione id negat *loc. cit.* Cæterùm probo ex instituto *in Quinario Tractatuum Tr. 4. num. 701.* crucem esse veram imaginem crucifixi.

300 Insuper petes: *Utrùm Crucifixus debeat adesse, quando Venerabile Sacramentum prostat?* Resp. Ita quidem videtur Gavanto *cit. lib. V.* pluribus rationibus, nec sine suffragio quorundam aliorum Doctorum id probanti. At verò Jordan. *cit. tit. 1. num. 236.* profitetur, sibi nunquam placuisse hanc opinionem, maximè ideo, quòd non possit assignari locus, in quo tunc commodè collocetur Crux, & in Ecclesia Lateranensi, quæ est prima Ecclesia Urbis, & Orbis, multísque aliis celebribus id minimè
301 fiat. Consentit ei Tambur. *L. 1. c. 6.* volens suam opinionem haberi pro certa. Consentit & D. Reding *n. 33.* exprimens, esse tunc nullatenus exponendam, ob authoritatem cæremonialis. Nos in nostri Ordinis templis hujus Provinciæ Superioris Germaniæ solemus observare doctrinam Gavanti, collocando Crucifixum altiori loco, quàm sit Venerabile, si commodè queat. Non tamen ullo modo turbari debet sacerdos celebrans, si abesse videat. Multò minùs monere ædituum, seu sacristam, ut apponat.

302 Cùm liber Missam continens tantùm debeat adesse in altari, ut eo sacerdos utatur in necessitate, idcirco probo benignitatem Vasquezii *l. c. num. 27.* permittentis celebrationem sacerdotibus, præditis visu quidem sufficiente ad hostiam debitè cum reverentia elevandam, adorandam, sumendam, reliquáque peragenda, at insufficiente ad legendum, dummodo & ponatur alius liber ad vitandum scandalum & Missam ita felici memoriâ teneant, ut non sit *morale* periculum omittendi aliquid ex Missa. D. Reding *n. 29.* ex communi. Et addo, licèt
303 fortè nequeat ille cæcutiens sacerdos sine irreverentia aliqua tractare hostiam solus, possit autem, modicè & modestè dirigente alio, tum in privato sacello permitti posse ipsi Sacrum. Adjuncto præsertim Religioso fratre, sicuti memini in Collegio nostro Ingolstadiensi factum cum Patre quodam notissimæ virtutis. Ex his apparet, me non assentiri Tannero *cit. q.*
304 *10. num. 51.* neganti, etiam diebus festis eam licentiam, etiam optimè, & confidentissimè tenenti totam Missam. Equidem non video, cur Missam de B. Virgine non *licitè* dicat die Dominico sacerdos probè oculatus, si memoriâ, ut fieri potest, teneat, & absit Missale; vel certè pro majore securitate scribat è memoria in charta illud Sacrum, legátque ex ea charta, ut in casu ingenioso respondit Tamburinus *L. 1. c. 5. §. 1.* cujus phrasin, quia censeo fore Lectori gratam lectu, eam hîc repræsento, describendo.

Factum Ingeniosum.

305 *Aid, quod docemus, facit illud, de quo multis abhinc Annis Caltanisettæ in patria mea Patres aliqui ex nostra Societate disputârunt. Nemus est nomine Mimianum octo milliariis* (Italicis) *à dicta civitate distans, amænissimis pratis undique circumseptum, & propter multitudinem incredibilem damarum ibi impune palantium, totâ Siciliâ clarum. Adsunt ibidem magnificæ ædes ad habitandum, nec deest sacra ædes ad celebrandum. Ad hæc igitur visenda convenerunt semel tres, vel quatuor Sacerdotes ex Collegio nostro, cui ego indignus tunc præeram. Et invenerunt ibi quidem totum instrumentum Sacrum, verùm per incuriam, nescio cujus, deerat Missale. Quid ergo uni ex illis, magis celebrandi cupido, faciendum? Audi remedium. Is convocatis sociis, singulísque aliqua suggerentibus, scripsit integrè totum Canonem, & totam Missam de S. Maria in Sabbato, illámque votivam* (erat autem dies feriæ) *sine periculo lapsûs memoriæ ex scripto celebravit. Noluerunt cæteri scrupulosiores eo uti remedio, imò prolixam toto die disputationem cum ipso, ne dicam contra ipsum protenderunt, & cùm domum rediissent, rem mihi, quasi illum Sacerdotem notanti, detulerunt, sed certè eum vindicavi à calumnia, & ipsos potuisse sine scrupulo ejusdem exemplum sequi, discrètè propter dicta numero præcedente, aliásque rationes pronuntiavi.*

SECTIO II.

De Calice, Corporali, Ciborio, & tactu eorum &c.

SUMMARIUM.

Notanda circa calicem pro Missa. 306.
Plumbeus an sufficiat? Ibid.
An Abbates consecrent calices? 308.
An, si cum non consecrato celebrâsti, requiratur nihilominus postea consecratio? 309.
Quando amittat consecrationem? 310.
Quid si hæretici fuerunt illo abusi? 311.
Patena qualis debeat esse? 313.
Quale corporale, & palla? 314.
Purificatorium non necessariò benedicitur. Ibid.
Potest pro illo adhiberi strophiolum mundum. Ibid.
Et quandoque celebrari sine omni. Ibid.
Et multò magis sine velo calicis. Ibid.
Casus utentis bursâ Corporalis pro palla. 315.
Potiùs esset adhibendum aliud Corporale. 317.
Carthusiani de facto utuntur suo Corporali pro Palla. Ibid.
Non est universim verum, quòd celebrare sine veste benedictâ, sit perinde ac celebrare sine omni. 321.
An possis ex sola devotione sacrificare sciens, te non posse acquirere pallam? 322.
An sine Alba benedictâ liceat in aliquo casu celebrare? 323.
Varia Axiomata de non facilè statuendo peccato mortali. 325.
An, & quantum peccetur tangendo vasa continentia actu Corpus Christi? 326.
Aut Reliquias Sanctorum? 328.
Aut res chrismate delibutas? 330.
Quid de Agnis Dei? Ibid.
Quid de calice jam quidem consecrato, at nondum adhibito ad Sacrificium? 331.
An licitè *Agno Dei misceantur aliæ liquefactæ materiæ. 332.*
Res sacræ non benedictæ licitè *quandoque adhibentur ad usum profanum. 333.*
Quid de aqua, & candelis benedictis? 334.
An micæ panis benedicti licitè *terantur pede?* Ibid.
Notabilia quædam de Ciborio. 335.
Et Monstrantiâ, seu Hierothecâ. 336.
Non est necesse, ut talia collocentur supra Arulam, aut Corporale. Ibid.
An sola voluntas Pontificis efficiat res è Sacris profanas? 337.
An, & quo casu liceat ob intentatam mortem celebrare absque ornamentis requisitis. 338. & 339.

306 Quæritur II. *Quænam de calice, ejúsque adjunctis sint breviter pro præxi notanda?* Resp. Seqq. Quamvis in Missali *Tit. De ritu celebrandi §. 1.* dicatur, calicem debere esse aureum, vel argenteum, vel saltem cuppam debere esse argenteam, & intus inauratam: Gavantus tamen *p. 2. tit. 1.* Tanner. *Disp. 3. cit. q. 10. num. 52.* & alii passim tradunt, sufficere, si sit stanneus, cùm ita ferat usus in pluribus locis & cupreum in multis Ecclesiis etiam Romæ adhiberi, testatur ex Cardinali de Lugo Princeps Reding de Biberegg *q. 9. a. 2. Controvers. 4. num. 3.* Plumbeum in magna paupertate non repudiant Theologi, sicut & extra casum paupertatis admittunt in stanneo calice pedem plumbeum. Admittit & Fagundez *in præcept. Eccles. præcept. 1. Lib. 3. Cap. 21.* calicem ex ære, aut aurichalco, modò cuppa sit inaurata. Quam inaurationem, si calix sit argenteus stanneúsve, non requirunt Doctores, quamvis Rubricæ *absolutè* dicant, calicem debere esse aureum, vel inauratum.

307 Celebrare cum Calice non inuncto chriſmate, eſt ex communi crimen Iethale ob varios textus juris. Conſecrat autem, vel inungit *per ſe loquendo* ſolus Epiſcopus, & per privilegium multi Abbates, de quibus vide Aſcanium Tamburinum *de jure Abbat. Tom.* 1. *d.* 27. *quæſt.*
308 2. Quin imò omnes Abbates infulatos poſſe omnia vaſa ſacra conſecrare, cenſent multi, quos inter Gloſſ. *in Clement. Attendentes. de ſtat. Religioſ.* ait, id ipſis competere de jure communi. At Armilla *verb. calix.* ex præſcripta conſuetudine, ſed utrumque negat Laymann. *Lib.* 5. *Tr.* 9. *c.* 13. aſſerens cum Suarez, Tannero, aliis, poſſe à ſolo Papa hanc poteſtatem concedi ſimplici ſacerdoti.

309 *Si quis in ſacriſtia reperiens novum calicem, & putans eſſe ſacro oleo delibutum, utatur eo ad Miſſæ Sacrificium, debebitne comperto errore nihilominus conſecrari?* Reſp. Non debebit teſte Diana *Part.* 5. *Tr.* 13. *Reſ.* 60. ubi pro ſe citat Cœleſtinum, Peyrinis, & alios. Debebit rectius ita opinante Lugone *d.* 20. *de Euchar. num.* 62. & Dicaſtillo. *diſp.* 4. *de Euchar. n.* 199 Si enim profanus calix fit ſacer per contactum Sacri ſanguinis, ut vult Diana, cur non etiam barba, & pannus, in quæ defluxit ſacer ſanguis?

310 Calix amittit conſecrationem, quando eſt ita notabiliter fractus, ut non ſit ampliùs aptus uſui ſacro, ut ſi e. g. pes eſt revulſus à cupa. Niſi ille pes ſit tornatilis. At verò prædictam conſecrationem non perdit, licèt deteratur (ut faciunt nonnulli ſacerdotes, toto niſu manuum ſcrupuloſè, ſimul & ridiculè calicem detergentes purificatorio) aurum, quo eſt inductus. Illud quippe aurum, & materia calicis erant conſecrata per modum unius. Et quia Sacrum trahit ad ſe non Sacrum Gloſſ. *Cap. Quod in dubiis. De conſecr. Eccleſ.* communiter recepta. Ideo ſatis probabile eſt, ſi rurſum deauretur cuppa etiam interiùs, haud eſſe opus novâ conſecratione. Sa *ver. Calix num.* 2. Lugo *diſp.* 10. *de Euchar. ſect.* 4. alii contra Suarez, atque
311 alios. Sicuti nec novâ ſimplici benedictione (quis requirat conſecrationem?) eſt *abſolutè* opus, quando hoc & aliis vaſis Sacris impiè fuerunt abuſi hæretici, aut alii, quamvis rectè moneat Laym. *cit. Tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 10. decere, ut adhibeatur illa ſimplex benedictio vel ab Epiſcopo, vel à ſimplici Sacerdote ex commiſſione Epiſcopi, ſicut idem Laym. *c.* 5. *n.* 14. docuerat id ipſum de Eccleſia, in qua hæretici diu obiverunt (ſoli) exercitia ſuæ Religionis, aut quæ abſque tecto utcumque diu ſteterat.

312 Sanè tum omnibus, tum præſertim Sacerdotibus, remotis à reſidentia Epiſcopi, ſeu Suffraganei, imbibenda & ſæpe practicanda eſt doctrina communis deſumpta ex *Cap.* 1. *de Sacram. non reiter.* videlicet non eſſe facilè reiteranda illa Sacramenta, illáſque conſecrationes, quæ de jure communi, & per ſe ſolùm ſemel fieri ſolent.

313 Patena debet eſſe ex eadem materia, ex qua calix. Quamvis utique non ſit neceſſe, ut ſi calix ſit aureus, aurea quoque ſit patena. Conſecratur & execratur eodem modo, quo calix.

Corporale, & Palla ſecundùm eam partem, 314
ſecundùm quam tangunt calicem, deberent quidem eſſe ex puro lino, ut exprimunt Rubr. Miſſalis, at confecta ex cannabe approbat uſus, non improbatus à Gavant. *Part.* 1. *tit.* 1. *lit. P.* Benedicuntur ab Epiſcopo, aut etiam Superioribus Ordinum Mendicantium, multò magis ab Abbatibus infulatis. Et cùm nullo jure ſtatuatur, ut purificatoria benedicantur, idcirco cùm deeſt purificatorium, poterit adhiberi ſtrophiolum mundum, quo tamen non ampliùs erit tergendus naſus. Suarez *Diſp* 81. *Sect.* 8. Nec damnarem gravis peccati, qui Miſſam diceret abſque purificatorio, ſeu mundo ſtrophiolo, ſi non poſſet facilè haberi, multò minùs, qui ſine velo calicis. Gavant. *l. c. lit. I. & lit. N.* contra Victorianum.

Huc ſpectat reſolutio hujus Caſûs recentis.

A Loyſius pius ſacerdos jam ad aram pro- 315
greſſus advertit, deeſſe pallam calicis, quam cùm non poſſet ſine aliqua difficultate habere, pro palla uſurpat thecam corporalis, ſeu Burſam, an providè?

Quid huic ſacerdoti me interroganti partim reſponderim, partim reſpondere potuerim, accipe.

I. Si præſtolando pallam oportuiſſet ſtare 316
otioſum ad aram ſolùm per decem circiter Pater, & Ave, erat expectandum. Quia defectus pallæ voluntarius annumeratur à Suarez, ut ſtatim dicam, peccatis mortalibus. Si longior mora fuiſſet trahenda, tum potuiſſet illa omitti, quia diutiùs expectare eſt ſatis moleſtum tum ſacrificaturo, tum paratis audire Sacrum.

II. Si potuiſſet facilè haberi è ſacriſtia ali- 317
quod corporale, aut ſi illud ipſum corporale, quod habebat præ oculis. Fuiſſet tam amplum, ut ſufficeret tam recipiendis calici & pate..., quàm tegendo calici, potiùs debuiſſet uti, quàm thecâ, nec fuiſſet neceſſariò diu exſpectanda palla. Ratio eſt, quia certum eſt, ſicuti hodiéq; Patres Carthuſiani habent tam longa, lata corporalia, ut iis cooperiant calicem, nec ullâ aliâ pallâ utantur, ita etiam fuiſſe olim factitatum communiter, teſtibus inter cæteros Azor, Suarez *Diſp.* 81. *Sect.* 6. Rodriquez *in Summa. c.* 249. Gavanto in *Rubric. Miſſal. Part.* 2. *tit.* 1.

III. Denique deficiente corporali potuit 318
bonus ille P. Aloyſius adhibere thecam corporalis, ſeu burſam. Ratio eſt, quia licèt burſa non ſit benedicta, ſit autem perinde, (teſtibus Suarez *Diſp.* 82. *Sect.* 2. & Filliuc. *Tr.* 5.

C. 5. *n.* 150.) non adhibere ullam veſtem ſacerdotalem, quàm non benedictam. Licet etiam idem Suarez *Diſp.* 81. *Sect.* 6. *verſ. Tandem.* ſatis indicet, mortaliter delinqui non adhibendo pallam, poteſt tamen optimè defendi hæc tertia reſolutio.

319 In primis enim Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *a.* 3. ac Rodriq. *loc. cit. concluſ.* 18. ſatis clarè indicant, ne quidem tunc delinqui mortaliter, quando omittitur palla. Dicaſtillo quoque *de Sacrific. d.* 4. *n.* 259 loquens tam de palla, quàm de corporali, ſolùm de corporali pronuntiat,
320 ejus omiſſionem eſſe mortalem. Deinde S. Anſelmus *in Epiſt. ad Valeram mum Epiſcopum Nuvenburgenſem*, quæ citari ſolet ſub titulo. *De diverſitate Sacramentorum*, & refertur *Tom.* 3. *Operum fol.* 129. *edit. Colon.* interrogatus ab illo Epiſcopo, quid ſentiret de tam diverſis ritibus, qui obſervantur à diverſis in Sacrificio Miſſæ, ac nominatim de operiendo calice tempore Sacrificii, cùm dixiſſet, ſe non poſſe *conjecturare, cur potiùs curandum ſit, ut panno operiatur Sacrificium, quoniam Chriſtus paſſus eſt nudus, non ſub tecto &c.* ſubdit: *Tutius, & diligentius puto, ut calix, ne aut muſca, aut aliquid indecens in illum caderet, quæ ſæpe contigiſſe cognoſcimus, operiatur, quàm diſcoopertus contingentibus immunditiis exponatur.* Ita ille.

321 Ad alteram rationem dico, tametſi *per ſe loquendo* ſit perinde celebrare Miſſam ſine veſte benedicta, ac cum nulla, *per accidens* tamen contrarium eſſe verum, quando ſcilicet metus ſcandali, aut alterius mali imminet ex carentia omnis veſtis. Non tamen imminet ex carentia veſtis non benedictæ. Sicuti ſi non tegatur calix, meritò timetur, ne quid immundum incidat in illum, teſte ipſo S. Anſelmo.

322 Unde infero, ſi quis in ſacriſtia non reperiret pallam, nec poſſet eam acquirere, eum non peccaturum accedendo, ſeu ex obligatione, ſeu ex devotione ad faciendum Sacrificium, ſaltem ſi loco pallæ poſſet habere, vel corporale, vel burſam, vel purificatorium duplex. Et quidni in neceſſitate poſſet calicem contegere purificatorio, quod unicum habet? Nam uſus tegendi, & tergendi non ſunt incompatibiles *moraliter.*

323 Hinc etiam infero, ſi parocho non ſuppeteret ulla Alba benedicta, quia ſcilicet vel dedit lavandam, & nondum recepit, vel eam abſtulit miles Lutheranus, aliúſve de nepotibus Mercurii, adeſſet autem dies feſtus, aut Dominicus, eum fore immunem omni noxa, adhibendo aliam Albam nondum benedictam: eſt quippe minus malum facere tunc Sacrum cum tunica non benedicta, quàm cum nulla omnino, aut quàm penitus omittere Sacrum. Quamquam *propriè loquendo* non eſt minus malum, cùm non ſit malum.

324 Hæc ego præterita ab aliis ita ſcribo. Ut tamen malim ſtare judicio illorum, qui legent, quàm meo. Atque adeò indico potiùs in quid inclinem, quàm quid *ultimatè* ſentiam.

In his, & ſimilibus materiis, debet ſemper 325
omnino obſervari ſententia S. Thom. *in Quodlibeto* 9. *q.* 7. *a.* 15. ita pronuntiantis: *Periculoſè determinatur, aliquid eſſe peccatum mortale, niſi expreſſa veritas habeatur.* Verùm ſunt nimis multi quà Theologi, quà Canoniſtæ, qui in materia de Sacrificio negligunt ſapientiſſimum monitum Gabrielis *in* 4. *diſt.* 15. *a* 2. *in fin.* quòd ſcilicet *Theologi non debeant eſſe faciles ad aſſerendum aliquas actiones, vel omiſſiones eſſe peccata mortalia.* Quod nullâ Lege ſtatuitur, id nos aſſerere non debemus, inquiunt Doctores ex *c. Legatur* 24. *q.* 2. *Cap.* 2. *De Tranſl. Epiſcop.* Et nullus eſt obligandus ſub culpa lethali, niſi manifeſtè conſtet pe præcepto obligante P. Tamburinus *L.* 1. *de Sacrificio. c.* 6. §. 2. *num.* 4. citans pro hac Regula March. Mærat. Suarium *De Leg. l.* 7. ac Dianam *P.* 4. *Tr.* 7 *Reſ. fol.* 58. Quo ſenſu ſcribit etiam ſapientiſſimus ſimul, & religioſiſſimus P. Thom. Sanchez in poſtremo ſuorum operum, videlicet *Lib.* 6. *Moral. cap.* 5. *num.* 5. in hæc verba; *Præcepta, & culpas non oportet multiplicare abſque rationibus urgentibus, & valde neceſſariis, utpote quod res valde odioſa eſt.*

Quæritur 3. *An, & quale peccatum ſit, tan-* 326
gere res ſacras, de quibus paulò antè ſumus locuti, itémque alias? Reſp. Si eas quiſpiam inferior Diacono tangat, dum actu contingunt Corpus, aut Sanguinem Chriſti, ait Filliucius *Tr.* 5. *c.* 5. ac Tambur. *L.* 1. *c.* 2. §. 1. *n.* 3 delinquere mortaliter. Suarez *d.* 81 *ſect.* 8. vix poſſe excuſari à mortali. Laymannus *cit. c.* 6. *n.* 18. graviter peccare. Ego non planè damno opinionem 327
Ochagaviæ apud Dianam *P.* 5. *Tr.* 14. *Reſ.* 6. negantis, intervenire hic culpam mortalem. nam nullum jus aut divinum, aut humanum videtur tam rigidè prohibere illum tactum, & Suar. ipſe *Diſp.* 72. *Sect.* 3. permittit laico oſculum hoſtiæ conſecratæ. Repete, quod paulò antè retuli ex Sancto Thom. & Gabriele. Memor nihilominus illius inhibitionis: *Nolime tangere.*

Nec venialiter peccat laicus contrectans 328
reverenter ſeu Reliquias Sanctorum, ſeu illas res ſacras, quæ non *immediatè* tetigêre Corpus Chriſti P. Palaus *Tr.* 22. *punct.* 10. ac Laym. *cit. c.* 6 *n.* 21. ſicuti neque aliquo ex inferioribus Ordinibus initiatus tangens corporale, calicem, & alia ejuſmodi. Suarez *l. c.* Barthol. ab Angelo apud Bonacinam *Diſp.* 4. *de Sacramentis q. ult punct.* 9. *n.* 20. non repugnante Tannero *Diſp.* 5. *cit. q.* 10. *n.* 50. ac ſolùm conſuetudinem opponente Laymanno *num.* 19. De qua, quia nihil ſcio, ſto permiſſione Martini Papæ, relata *Cap. Non licet, diſt.* 23. ubi Acolytho fit poteſtas tangendi vaſa Dominica, 329
quam poteſtatem ſi extendas ad inſignitos primâ tonſurâ, habebis patrocinantem Suarium *l. c.* ac Tamburinum *L.* 1. *c.* 2. §. 1. *num.* 9. imò & Patres Concilii Agathenſis *c. Non oportet. 2. diſt.* 23.

330 At verò si laicus absque necessitate apprehendat nudâ manu res illas sacras, quæ sunt Chrismate delibutæ, aut *immediatè* contigerunt Corpus Christi, ut e. g. corporale, tam multi, repugnante quamvis Bartholomæo à S. Fausto apud Bonac. *l. c.* repugnante quoque Tamburino *cit.* §. 1. *n.* 7. damnant illum culpæ venialis, idque non sine suffragio & communis consuetudinis, & capituli citati: *Non licet*, aliorúmque plurium *eâdem dist. 23.* ut non ausim id negare universaliter. Quamquam authori-
331 tas illorum Doctorum reddit oppositum probabile, sicuti & authoritas Sanchezii *Lib. 2. Mor. c. ult. num* 27. Dianæ *P. 3. Tr. 6. Resol.* 12. ac Leandri *Quæst. Moral. P.* 1. *Tr.* 7. *Dist. 4. q. 46.* facit, ut non ita facilè damnem tangentes Cereos Agnos Dei, & multò minùs tangentes altaria consecrata, sicuti & Dicastillo excusat tactum pedis calicis, & patenæ ex parte, quâ non solet contingere Corpus Christi. Tambur. quoque *loc. cit.* singulariter tactum calicis consecrati, sed nondum adhibiti ad Sacrificium. Item tactum corporalis loti, antequam rursum usurpetur.

332 Dices: *Sunt nonnulli, qui cereos Agnos Dei liquefaciunt unà cum alia cera, ut videlicet possint multiplicare Agnos Dei, an sunt excusandi?* Resp. Si non sint muniti aliquo privilegio, non excuso, quia illa liquefactio est profana nimis actio, repugnans menti Pontificum, sibi tam rigidè, & constanter reservantium potestatem benedicendi, seu sacrandi ejusmodi ceram, non igitur est eorum mens, ut per commixtionem deditâ operâ factam profana vertatur in sacram.

333 Corporalia lavanda esse à Sacerdote, aut Diacono, & post primam lotionem posse accuratiùs à mulieribus præsertim à virginibus lavari, reficique, notant passim Doctores, sicut etiam notat Tamburinus *cit. Lib.* 1. *c.* 2. §. 3. fas esse, res ad Sacrificium, aut necessarium ornatum Altaris spectantes, si benedictæ non sint, adhibere quandoque ex peculiari causa ad usum profanum, ut e. g. candelabra Alta-
334 ris. Addit *ibid. n.* 3. idem auctor, & ex instituto probat, non peccari, tametsi etiam ad profana usurpentur candelæ benedictæ, vel aqua benedicta, eò quòd ad actiones sacras utamur quandoque profanis, quidni igitur vice versâ sacris ad profanas? Ita ille, addens, micas panis benedicti teri pedibus sine scrupulo. Sed, si placet, lege complura, quæ adfero hanc in rem *in Theologia Juridico Morali c.* 23. *num.* 335. *& seq.*

335 Quæritur 4. *Quænam observanda sint de Ciborio, ut vocamus, seu vasculo, in quo asservantur sacræ particulæ, itémque de Hierotheca, seu Monstrantia?* Resp. paucula, & tamen sufficientia. Scilicet opus non esse, ut hæc benedicantur, cùm nullum jus, aut consuetudo id præcipiat. Suarez *cit. Disp.* 81. *Sect.* 7. nec etiam referre, ex qua metallina materia conficiantur. Licèt, quando ciborium non est argenteum, deceat, ut ei imponatur vitta linea. Suarez, suadens, ut si commodè queat, benedicatur.

Addit his Laym. *n.* 22. Iunulam hierothecæ, 336
quam benedici solere testatur, postquam attigit corpus Christi, non esse tangendam à laicis. Addit & Dicastillo *cit. disp. 4. n. 196.* esse quidem decens, non tamen ullâ lege, aut generali consuetudine præceptum; ut ciborium, seu pyxis continens sacras particulas collocetur supra arulam, aut supra aliquod corporale. Nos tamen solemus.

Quæritur 5. *An, ut calix, & alia ejusmodi* 337
desinant esse sacra, sufficiat voluntas Pontificis? Resp. cum Less. *libr. 2. de just. c. 40. n. 11.* Tanner. *Tom. 3. Disp. 5. q. 4. num.* 136. contra alios *affirmativè*. Etenim propriè hîc locum habet prima Regula juris *in 5. Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Et utique potest *licite*, & *validè* Papa dicere: *Volo, ut istud Altare privilegiatum sit Sacrum duntaxat ad septennium, quo exacto placet, ut iterum consecretur.*

Quæres postremo. *An si Kazizius ille Agare-* 338
nus, de quo noster Casus Caravacensis, optimo illi sacerdoti destituto omnibus paramentis dixisset: Fac coram me Missam sine Cruce, sine Calice, contentus communi vitro, aut te mactabo, *quæritur, inquam, an* licitè *paruisset?* Resp. 1. Non paruisset *licitè*, si Kazizius hoc petiisset in contemptum Religionis, etenim acquiescere petenti aliquid in contemptum Religionis est ita *intrinsecè* malum, ut in nullo casu id liceat. Vasq. 1. 2. *Disp. 161. c.* 3. & alii communiter, nisi fortè actio, quæ in contemptum Religionis petitur, sit aliunde permissa. Tunc enim locum habere poterit Regula 37. *in 6. Vtile per inutile non debet vitiari.*

Resp. 2. Si ex sola curiositate (quæ facilè 339
potuisset præsumi in carentia omnium ejusmodi paramentorum) tum ad mortem evitandam licitum ei fuisset omnia peragere præter consecrationem, monitis tamen Christianis concaptivis, qui aderant, ne ipsi adorarent hostiam non consecratam. Quòd si Kazizius intentato mortis metu imperâsset consecrari, tum non satis video, quomodo non in contemptum, religionis. Quòd si non in contemptum, cùm 340
omnia planè, quæ ad Sacrificium adhibentur præter panem, & vinum, sint juris merè *positivi*, quod quidem non obligat cum evidenti periculo mortis, ut observant Doctores commentantes in materiam *de Legib.* & inter hos Vasq. *cit. disp. 161.* Suarez *de Leg. Lib.* 3. *c.* 30. idcirco Dicastillo *cit. disp. 4. n. 202.* excusâsset illum Sacerdotem, ut apparet ex ejus discursu de celebrante ex metu sine omni veste sacra.

CUM

CUM QUIBUS VESTIBUS SACRIFICANDUM.

CASUS XI.

Oblivioſi.

SUMMARIUM.

Casus sacerdotis monitus sub sacrificio deesse sibi stolam. 341.
Imprudenter egit, qui illum monuit. 343.
Inculpabiliter errans non debet corrigi cum suo rubore. Ibid.
Ille sacerdos non erat obligatus induere tunc allatam sibi stolam. 345.
Deficiente unâ e sacris vestibus peccatur mortaliter sacrificando. 347.
Excipe cingulum 348.
Excipe & casum necessitatis. 349.
Qui tamen rarissimè excusat celebrantem sine ulla veste sacra. Ibid.
Ponitur autem casus, quo licet. 350.
Leges humanæ non obligant cum periculo mortis. Ibid.
Proponuntur casus, quibus licet, aut non licet celebrare deficiente unâ veste. 351 *& seqq.*
Praxes sectanda, quando deest cingulum. 353. *& 354.*
Potest pro stola usurpari manipulus. 355.
Est mortale, celebrare cum aliqua veste, quæ non sit benedicta. 356.
Quis benedicat? 357.
Quomodo Vice-guardiani, Vice-rectores? 358.
An Mendicantes benedicant vestes etiam alienarum Ecclesiarum? 359.
An Episcopus valeat delegare sacerdoti simplici potestatem benedicendi? 360.
Episcopus Lausannensis solet delegare. 361.
An consuetudine possit acquiri hoc jus? 362.
An, quando quis celebravit in veste non benedicta, censeatur jam hoc ipso satis benedicta? 365. *& 366.*
Quomodo amittant benedictionem? 367.
Variæ praxes circa illas vestes, quando sunt fractæ. 368. *& seqq. & singulariter n.* 373.
Singulariter an ex Alba detrita licitè fiant superpellicia? 370.
Quid agendum vetustorum Missalium ac Bibliorum thecis ac foliis? 371. *& seqq. & rursum n.* 378.
Ligna diruta Ecclesiæ an licitè vendantur? 372.
Et lapis altaris fracti? 373.
Sine reus sacrilegii, qui veteribus imaginibus sanctorum utitur sicut vulgari charta. 377.
An qui chartis, in quibus scripta sacra nomina? 378.
An codice Bibliorum licitè uti ut pro scabello? 379.
Sententia Azorii de prædictis. 380.
Casus imaginis S. Ignatii Comesæ ab equo, inde sanato. Ibid.
Sine fas dare brutis devorandas sacras imagines ad pelle adum malum? Ibid.
Sacrista peccat non servando vestes in debita munditia 381.
An etiam, qui utitur immundis? Ibid.
Quid de colore sentiendum? 382.
Quid de celebrante recto capite? 383.
Poloni jam celebrant sine pileolo. 384.
Recto capite celebrare est honorificum apud Chinenses. 385.
An infirmus licitè *utatur baculo in sacro?* Ibid.
Licitè *sine calceis celebrabis.* 386.
An peccet omittens preces recitandas, dum se induit? 387.
Non judicandus facilè scrupulus celebranti nondum dicto matutino. 388.
An ad profanam comœdiam licitè *usurpentur vestes sacræ?* 389.

LAmpridius in aliena Ecclesia peractu- 341
rus rem divinam, atque sacras vestes induens nec ante oculos habens stolam, obliviscitur eam petere à sacrista, atque ita sine stola progreditur ad aram. Inde Sacrum, pergitque animosè, nemine, nec observans defectum stolæ. Observat autem Parochus illius Ecclesiæ, ac suo tempore Evangelii mittit ipsi stolam per suum sacristam. Miratur ille primùm, dein dubitat, an teneatur nec ne induere stolam & quomodo? Demum eam collo circumducit non sine notabili difficultate. Maranibus, qui aderant, factum, ejusque causam non satis assequentibus.

Quæritur jam I. *Utrùm ille Parochus pruden-* 342
ter egerit mittendo stolam eo tempore? Casum non fingo, sed refero ex ore viri fide dignissimi, fui ipse non semel in eo templo, in quo res illa peracta.

Respondeo autem ad quæstionem. 1. *Non* 343
judico quemquam. Est Pater, qui judicat. Joan. 8. Resp. Judicarem tamen, me imprudenter fecisse, si id egissem. Quia generatim loquendo imprudenter agimus, quando inculpabiliter errantem in re nulli prorsus noxia corrigimus, cum ejus non levi, aliorum autem aliquo incommodo, sicuti deducitur ex iis, quæ DD. *in 2. 2. q.* 33. *a.* 2. *&* 3. Sancti Thomæ commentantes tradunt de circumstantiis observandis in correptione fraterna. Atqui illa cor- 344
rectio, seu monitio fuit imprimis admodum gravis illi sacerdoti, tum propter publicam mortificationem, tum propter devotionem, & collectionem non parùm impeditam. Fuit & ipsis adgeniculantibus incommoda ob admirationem, distractionem, fortè etiam risum, dum videbant tam ægrè accommodari stolam. Et fortè fuerint, qui alteri in aurem di-

xerint: *Noster Parochus est nimis seu negotiosus, seu imperiosus.*

345 Quæritur II. *An sacerdos ille fuerit obligatus sumere stolam?* Resp. Si multos habuisset observatores, non fuisset obligatus propter præsens periculum gravis perturbationis, obmurmurationum, illusionum non spernendarum, sed quia, ut audio, non habuit nisi pauculos, adeóque non nisi levis perturbatio, levis obmurmuratio &c. timeri poterat, ideo tenebatur. Rectissimè enim pronuntiat S. Thom. 3. *p. q. 83. a. 6. ad 2. Ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo.* Plura in hanc rem peti poterunt ex generali doctrina de suppendis, aut non supplendis Missæ defectibus, quam tradam *Cas. XXIII.*

346 Quæritur III. *Quænam breviter scienda sint de vestibus ad sacrificandum necessariis?* Resp. Seqq. *Primò* Vestes eæ sunt sex: Humerale, seu Amictus: Alba, seu Tunica: Cingulum: Manipulus: Stola, seu Orarium, seu Palla Linostima, ut olim dicebatur, & denique Casula, seu Planeta.

347 *Secundò.* Sine aliqua harum (excipe cingulum) operari Sacris, est peccatum mortale *per se loquendo.* Omnes Doctores teste Dicastillo *cit. Disp. 4. n. 203.* Rationem nullam firmam video, nisi quia usus ita rigidè interpretatur Canones de iis loquentes, cujus usus cùm sint testes omnes Doctores, non possum sine temeritate id negare. De Cingulo autem nego sine
348 temeritate, aut improbabilitate, quia negant contra multos magni Doctores, ut Paludan. Sylvester, Henriq. Sa, *verb Missa num* 10. alii, quos referunt, sequuntúrque Fagundez *de præcept. Eccles. præc. l. 1. c. 23. n.* 12. & Diana *Part. 2. Tractat. 14. Resol 68.* Qui licèt loquantur non *absolutè* de cingulo, sed de cingulo *benedicto*, dicentes non esse mortale celebrare sine cingulo *benedicto.* Quia tamen perinde est sine aliqua non benedicta veste celebrare, atque *absolutè* sine illa. Suarez *Disp.* 82. *Sect. 3.* Filiuc. *Tract. 5. Cap. 5. num. 150.* atque alii. Ideo meritò pro hac sententia adducuntur, quos adduco.

349 *Tertiò per accidens*, adeóque in Casu necessitatis sacrificari potest satis crebrò sine una, alteráve ex his. Rarissimè sine omnibus, quia rarissimè occurrere potest necessitas, cùm neque ob implendum præceptum de audiendo Sacro, ut fatentur omnes, neque ob communicandum infirmum, ut itidem tradunt plerique contra Majorem, neque ad vitam conservandam cum probro religionis, ut rursum concordant omnes, fas sit litare destituto omnibus his indumentis: Dico: *Cum probro religionis.* Etenim si sacerdoti non valenti acqui-
350 rere vestes sacras dicat ferox Colonellus: *Te mactabo, nisi mox sacrifices pro anima meæ uxoris defunctæ, & me de nocte graviter infestantis.* nec ego, nec Vasq. *in 3. Part. Disp. 233. num. 27.* nec Dicastillo *cit. Disp. 4. n. 201.* condemnaremus Mystam, cedentem barbaris hisce minis, nec enim Leges humanæ obligant cum tanto periculo. Vide, quod in simili dixi *Casu præced. num. 338.* Nec dubito, quin præsentem Casum admitteret Navarrus *in Manuali c. 25. num.* 84. aliique plures, si contingeret.

Dixi autem, posse *per accidens* satis crebrò 351
sacrificari sine una, aut altera ex prædictis, ut e. g. sine cingulo aut stola, aut manipulo. Nam imprimis id generatim licet in aliqua necessitate, ut loquitur Filliuc. *cit. Cap. 5.* seu magnâ, aut urgente necessitate. Rodriquez, & Canus apud Dicastillo *num. 203.* non repugnante Suario *cit. Sect. 3.* adeóque die festo ad vitandum murmur populi, aut scandalum. Laymannus *cit. Cap. 6. num. 17.* contra Dicastillum. Et consequenter etiam ad communi- 352
candum infirmum. At verò non præcisè ut satisfacias aut præcepto Ecclesiæ, aut tuæ Religiosæ Regulæ, aut fundationi beneficii de Sacro audiendo, faciendóve, ut sine dubio dicerent Dicastillo, & Pax Jordan. *cit. Lib. 4. Elucubrationum tit. 1. num. 265.* quibus assentior loquentibus de stola, aut manipulo, aut humerali, non autem si de cingulo. Cùm enim solùm sub veniali sit præceptus ejus usus, ut suprà vidimus, venialis periculum tollit hæc causa honesta secundùm doctrinam ex Fagundez relatam *Cas. præced. num. 296.* Quin probabiliter docet P. Thom. Tamb. *L. 1. c. 3. §. 1. num. 3. q. 5.* fas esse sine una è minoribus vestibus e. g. cingulo, aut manipulo celebrare ob fervorem devotionis, necessitatem audiendi Sacri die festo, acquisitionem stipendii, si non sis dives sacerdos. Sicut & D. Reding *q. 9. a. 2. Controvers. 4. n. 27.* post Dianam, & Lugo negat, peccare mortaliter sacerdotem, qui extra Missam ministrat sine stola Eucharistiam.

Deinde quando deest cingulum, potes lo- 353
co illius accipere stolam, eáque te cingere, ut observant omnes citati. Potes quoque exscindere, seu potiùs solvere ligamina pendentia è casula, ut iis te cingas, quemadmodum scio feciße non neminem. Si enim, quando casula est duplicata, censetur interior, atque exterior pars simul benedici, ideóque sine nova benedictione potest una dividi in duas. Palaus *cit. Tract. 22. Punct. 10. num. 8.* & nos à fortiori infrà *num. 368.* ex Gloss. ita & illi funiculi benedicuntur cum casula. Quòd si primùm post benedictionem sint assuti, evaserunt probabiliter satis benedicti per usum, ut dicam paulò pòst.

Et quia de Cingulo frequentiores orien- 354
tur scrupuli, quàm de aliis, adde dictis, esse *practicè* probabilem opinionem P. Emmanuelis Sa, *verb. Missa n. 12.* ac Dianæ *cit. Tr. 14. Res 57.* contra Jordan. *l. c. nu. 273.* Dicastillo *n. 210.* quando frangitur cingulum, non amittere illâ fractione benedictionem, sed si connectantur rursum partes fractæ, posse denuo inservire usui pristino. Sanè fui in Ecclesia sæculari non semel

semel usus tali. Item ligamina, quibus verè te cingis, esse magis de forma cinguli, quàm partes ad terram, ut fit non raro, defluente. Gavant. *Part. 2. tit. 1. lit. R.* Item si alterutra pars fracti cinguli sit, sicut ferè semper sunt, sufficiens cingendo seu Marco Crasso, seu Publico Macro, id est valde gracili, remanere benedictam, uti & quando connectitur, ante-
355 quam integrum penitus frangatur. Sicuti autem dixi, posse pro cingulo assumi stolam, ita potest pro stola manipulus, pro hoc illa usurpari teste Tann. *cit. quæst. 10. num.* 40. cum aliis.

356 *Quartò.* Debent esse omnes illę vestes benedictæ, ut habetur in Missali *Tit. De ritu celebrandi. num.* 1. Adeò ut omnes damnent peccati mortalis *per se loquendo*, qui utitur non benedictis: quia scil. usus, & persuasio communis Doctorum ita fert; quamquam, ut suprà dixi, sint, qui mitiùs loquantur de cingulo, & certùm sit, primitus fuisse sacrificatum in vestitu vulgari. Gavant. *Part. 1 Tit. 18 num. 1.* quamvis Apostolos quoque fuisse in Liturgia usos peculiari amictu, constet ex Eusebio *Lib. 5. Hi-*
357 *stor. Cap. 23.* Hieronymo *in Epist. ad Gal. a. Cap. 2.* & S. Epiphanio *Hæresi 29. & 78.* Benedicunt autem illas vestes primò Episcopi, ut per se patet. Deinde Abbates ex privilegiis partim *directè*, partim *per communicationem* concessis, Ascanius Tamburinus *De jure Abbatum Tom. 1. disp. 22. quæst. 2.* qui *quæst. 1.* rectè præmiserat, Abbates sæculares, quos in Germania vocamus Præpositos, non habere de jure communi talem potestatem, licèt sint infulati.

358 Habent autem ex Pontificia largitate Superiores (etiam finito suo Superioratu juxta P. Avendanno *in Thesauro Indico Part. 2. Tit. 12. num. 192.* & Virginium Alvisetum in *Murenulis*, seu de *privilegiis Regular. Sect. 3. cap. 2.*) Ordinum Mendicantium, ut Priores Conventuales, Guardiani, Rectores, itémque Vicarii, qui scil. obeunt cum plena potestate hæc officia, donec vel nominetur, vel redeat absens Superior Ordinarius; sicut explicant Emman. Rodriq. *Quæst Reg. Tom. 1. quæst. 19. art. 2.* ac Suarez *Tom. 4. De Relig. Lib. 2. cap. 30. num. 10*
359 extendentes hanc potestatem ad corporalia, & alia, ad quorum benedictionem non requiritur unctio Sacra, adeóque etiam ad suas Ecclesias, & Oratoria benedicenda, nam ita sonant eorum privilegia extendentes quoque ad paramenta alienarum Ecclesiarum, idque per viam communicationis; cùm Innocent. VIII. expressè id permiserit Generali, & quatuor præcipuis Abbatibus sacratissimi Ordinis Cistercienſis. Quo privilegio, quod Ascanius Tamburinus *cit. quæst. 2.* vult non obstante Declaratione Congreg. Rituum de die 24. Augusti Anno 1609. (de qua tamen nil constare, testatur alter Tamburinus *Lib. 1. De Sacrificio cap. 3. §. 3.*) adhuc valere iis locis, in quibus viget ejus consuetudo, non solemus uti, nisi urgente necessitate, & Episcopo longè distante, ut ex nostro Compendio privilegiorum observat Suar.

Quintò. Sicut autem sedes Apostolica largita 360
est *immediatè* Religiosis hanc potestatem, ita & aliis *mediatè.* Facit enim sæpe, ut videre est apud Barbosam *in Apostolicis decisionibus, verb. Benedicere num. 13.* Episcopis jus delegandi hanc eandem potestatem, sed non nisi cum variis limitationibus e. g. ad personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, sicuti refert Barbosa, & fusè Gavant. *Part. 4. tit. 19.* itémque Ascanius Tamburinus *loc. cit* Unde inferunt, non- 361
posse ab Episcopo propriâ authoritate dari simplici Sacerdoti hanc facultatem, multo minùs posse aliquem sacerdotem propriâ authoritate benedicere suas vestes, ut tamen olim fiebat. Ego tamen scio, Illustrissimum Dom. Jodocum, Episcopum Lausanensem secutum vetustumvalde morem suorum antecessorum, imperti visse quibusdam suorum subditorum sacerdotum hanc seu potestatem seu facultatem.

De consuetudine lis est, an per eam possit 362
obtineri hæc eadem potestas à simplici sacerdote. Negat Suarez *cit. Cap.* 30. atque Ascanius Tamburinus illum describens *cit. Disp. 22. quæst. 1.* si quidem loquamur de consuetudine præcisè, eò quòd nusquam sit scriptum, posse per consuetudinem præscribi tale jus; concedit autem de consuetudine tanquam signo alicujus privilegii. Et ita dicendum est stante do- 363
ctrinâ *Cap. Aqua. De consecr. Eccles. vel Altar.* ubi Gregor. IX. consuetudinem, qua in Diœcesi Bracharensi solebat ab Episcopis fieri simplicibus sacerdotibus potestas reconciliandi ecclesias consecratas, quando erant pollutæ, vocat corruptelam, addens causam, *quia scilicet eæ quæ Episcopalis Ordinis sunt, nequeunt Episcopi inferioris gradus clericis deputari.* Idem tradunt plurimi Doctores, quos in hoc ipsum caput allegat Barbosa. Verùm contrariam opini- 364
onem facit *practice* rutam plurium authoritas, qui ajunt, Abbates plerosque ex soli consuetudine acquisivisse jus benedicendi sacras vestes. Vide Silvest. *verb, Benedictio 3.* Azor *Part. 1. lib. 12. cap. 20. quæst. 17.* Graffius *Lib. 3. cap. 5. n. 159.* Sa *verb. Calix.* Angelus apud Laym. *Lib. 5. Tr. 9. cap 13.* expressè tradit hanc sententiam.

Sextò. Hic adde, à Diana pluribus locis, & 365
maximè *Part. 9. Tract. 7. res. 18.* constanter doceri, & multis authoritatibus probari, quando quis seu bonâ, seu etiam malâ fide facit sacrum cum veste non benedicta, eam non ampliùs indigere ullâ benedictione. Et præter citatos ab illo traditid ipsum Pax Jordan. *cit. lib. 4. Elucubrat. Tit. 1. num. 271.* non faciens discrimen inter usum bonâ, aut malâ fide exercitum, & extendens ad Ecclesiam pollutam, in qua quis jam semel sacrificavit.

Quæ doctrina licèt sit ob auctoritatem pro- 366
babilis, ut in simili monui *num. 265. & 280. & 309.* loquendo de Ecclesia, Ara, Calice; opposita tamen authorum illic citatorum mihi

magis placet, alioqui sequeretur, cubicula, in quibus ex privilegio celebratur quandoque Missa, incipere esse loca Sacra, adeóque posse sine ulla ulteriore facultate in iis peragi rem divinam, quod quidem certum est esse falsum, teste Tambur. *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *num.* 8.

367 *Septimò.* Amittunt prædictæ vestes suam benedictionem, quando ita franguntur, & lacerantur, ut non possint ampliùs adhiberi ad usum, ad quem erant benedictæ. Jordanus *loc. cit. num.* 272. argum. *Cap.* 1. *& Cap. Quod in dubiis. De consecr. Eccles.* Adeóque si albæ detrahatur unica manica ipsi assuta, debebit iterum benedici. Jordan. *ibid. num.* 273. Dicastillo *nu.* 209. post Lugonem *Disp.* 20. *num.* 100. lo-
368 quentem *De manicis.* Verùm sententia Dianæ de fracto cingulo superiùs relata non est improbabilis *practice* ob authoritatem. Quin, si novâ telâ, aut serico suffulcias Casulam benedictam, tota suffultura consequetur benedictionem, utpote tracta à digniore parte. Gloss. & D. *in Cap. Quod in dubiis, De consecr. Eccles.* consequenter poterit illa eadem suffultura, si rursum separetur, seorsim usurpari pro Casula sine nova benedictione. Jordan. *loc. cit.* Quod ipsum dices de suffultura stolæ, manipulique.

369 At verò si ex una alba facias aliquot humeralia, vel ex casul manipulos, oportebit de novo benedicere, quia nec alba humeralis, nec casula manipuli benedictionem habet, ut utar phrasi P. Thomæ Tamburini in simili *Lib.* 1. *cap.* 2. §. 3. *num.* 7. id est, non fuit alba benedicta in eum finem, ut serviret pro humerali, seu amictu. Quamquam, si quis contrarium faceret, non videretur posse apertè redargui, cùm præsertim una sit communis benedictio albæ, & humeralis.

370 Non omittam hac occasione indicare, me olim consultum, an ex albis detritis possint confici superpellicea pro ministrantibus, respondisse *affirmativè.* Cùm enim *Cap. Ligna & Cap. Altaris. De consecrat. distinct.* 1. res sacræ usu detritæ solùm prohibeantur ad usus profanos, aut profanorum hominum adhiberi, usus autem ejusmodi superpelliceorum non sit utique profanus, non repugnat, sed potiùs conformis est illa responsio canonibus Sacris.

Adde propter affinitatem materiæ, solutionem duplicis quæstionis, Missæ ad me per literas 5. Novembris 1660. his verbis: *Habemus antiquissima aliquot centum Annorum Missalia, quibus antiquitùs utebantur, sed modò nulli usui apta sunt, nisi ut à vermibus, & humiditate in sacristia consumantur, licétne illa involucra* Bretterdecken / messene Spangen / vnd Gespört *ad domesticos profanos usus adhibere? Vti volumen antiquissimum Bibliorum, ut charta illorum adhibeatur libris compingendis?*

371 Resp. Ad *primum*, stando jure communi scripto videtur fieri id non posse; nam *Cap. Semel. De Reg. jur. in* 6. absolutè dicitur: *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.* Unde *Cap. Ligna, De consecr. dist.* 1. jubentur ligna Ecclesiæ dirutæ, & *Cap. Altaris. eod.* candelabra vetustate consumpta dari incendio. Idque faciendum scribunt Petrus Peckius *in cit. Cap. Semel.* itémque P. Azor. *Part.* 1. *lib.* 9 *cap.* 5. *quæst.* 7. Si tamen fetur- 372
consuetudine, videtur posse fieri de Missalibus id, quod insinuatur illis literis. Navarrus enim *De Spoliis Clericorum* §. 56 *nu.* 11. dicens, hanc quæstionem non esse per quemquam dignè tractatam, & inclinans in sententiam Peckii subdit, se vidisse in Hispania publicè sine authoritate Episcopi vendi ligna, & lapides vetustæ Ecclesiæ. Et ego ipse vidi ex ejusmodi lapidibus extrui molendinum. Sanè Trident. Concil. *sess.* 21. *cap.* 7. *De Reform* permittit tali-
converti in usus profanos non sordidos. Item 373
lapidem altaris fractum posse liberè vendi, declaravit Congregatio Cardin. apud Barbosam *in cit. Cap. Ligna, De consecr. dist.* 1. quid ni igitur etiam illa coopertura Missalis? Sanè ea, quæ in casu enumerantur, non possunt decenter adhiberi ad nova Missalia, nec ad alios novos libros templi; esset enim commissuram mittere in vestem novam contra Evangelium, quid ni ergo ad libros domesticæ Bibliothecæ, aut ad alios? Accedit, quòd Tamburinus *Lib.* 1. *cap.* 2. §. 3. favente manifestè Palao *Tract.* 8. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 25. censet, casulas, albásque dissutas, item corporalia, & purificatoria usu detrita posse usurpari ut merè profana, tametsi uterque meritò hoc dissuadet ob citatos Canones.

Ad *secundum* dubitari non debet, quin the- 374
ca, seu coopertura bibliorum possit avulsa à bibliis applicari cuicunque usui; illa enim non potest dici res Sacra, sicuti theca Missalis est Sacra idcirco, quòd fuerit (ut suppono) totum missale donatum, vel aliâ ratione applicatum Ecclesiæ; at verò ad ipsa folia quod spectat, videtur esse quædam species sacrilegii dissolvere illa in finem indicatum, est enim irreverens, & irreligiosa tractatio Sacri codicis. Quæ tamen irreverentia nonita apparet, si aliqua ejusmodi folia bibliorum rationabili ex causa, vel casu, vetustatéve dissolutorum convertantur in usum profanum.

Hæc responsa confirmo, transferendo huc 375
resolutionem trium dubiorum, quæ non nemo, mihi notus, inter cætera Annos abhinc triginta perscripsit Oenipontum ad P. Joannem Mocquetium, emeritum Theologum Universitatum Dilinganæ, atque Ingolstadiensis.

Chartam, in qua illa dubia expressa, atque 376
ad eum Missa fuerunt, habeo penes me, unà cum ejus manu, qua ad marginem illius chartæ scripsit suum, ut rogabatur, judicium. Igitur sic ad ipsum ille nonnemo præmissis præmittendis.

Quæro, an reus foret sacrilegii, qui charta- » 377
ceis imaginibus Sanctorum sine *formali* con- »
» tem-

» temptu uteretur ad illas actiones, ad quas po-
» test, solétve adhiberi charta profana, ut e.g.
» illa, cui nostri discipuli inscribunt sua pen-
» sa scholastica. Ratio dubitandi ex una parte
» est, quia imagines Cœlitum *absolutè* annu-
» merantur rebus sacris à S. Thom. 2. 2. *quæst.*
» 99. *art.* 3 *in C.* indecora autem tractatio re-
» rum sacrarum est *ex suo genere* peccatum mor-
» tale. Azor *Part.* 1 *lib.* 9. *cap.* 27. *quæst.* 9. Ex
» altera autem parte nomina Christi Domini &
» Sanctorum æquè sunt Sacra, atque imagines,
» & tamen chartis, in quibus talia nomina scri-
» pta videmus, utuntur homines liberrimè. Lo-
» quor autem de imaginibus spectantibus ad
» privatas personas, non autem ad templa. I-
» dem quæro de eo, qui foliis Bibliorum, aut
» Evangeliorum dissolutorum uteretur pro
» cauterio, aut qui ipsis quandoque Bibliis pro
» sedili, vel scabello? Istorum resolutio feret
» lucem aliis.

378 Ad hæc tria quæsita respondit ipse his omnino verbis: *Imagines Sanctorum partim publicè in templis, & locis sacris sunt, expositæ, partim habentur in domibus, & locis honestis hominum privatorum. Vtraque videntur esse res Sacræ. Tum quia nec S. Thomas, nec D. D. alii, quoad hoc, discrimen faciunt inter privatas, & publicas, inter eas, quæ veneratione publicâ, & quæ privatâ coluntur. Tum quia Concil. Trident.* Sess. 25. *satis indicat, utrisque cultum religiosum esse tribuendum. Imagines, inquit, Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis* præsertim *habendas, & venerandas esse, non ait:* Tantùm. *sed* potissimùm. *Tum denique, quia utraque Sanctos repræsentant, & proinde Sacræ sunt repræsentativè, inquit Cajetanus, in utrisque Sanctis honorem, & venerationem impertimur. Denique in Concil. Mediolan.* 4. *apud Gavantum* in Enchir. Episcop. verb. Imagines Sacræ. num. 17. *dicitur:* In cubiculis omnibus curetur imago Sacra; *quod utique de privatis iconibus accipiendum est. Nomina Christi Domini & Sanctorum prout chartis, & scriptionibus, & epistolis inseruntur devotionis propriæ gratiâ, non habentur pro sacris per se, & ita considerantis, sed pro accessorio, & ornatu scripturæ, ut sumitur ex* L. Cùm aurũ. §. Perveniam 9 legato ff. De aur. argent. &c. *Vide Sanch.* L. 2. mor. c. 43. n. 17. *Folia Bibliorum dissoluta videntur similia partibus calicis fracti, lapidum, & lignorum templi diruti, de quibus est Regula* 51. in 6. semel Deo dicatum. *& Cap.* Ligna. *ac c.* Altaris. De consecr. dist. 1. *Quibus juribus continentur, calices, patenæ, vestes, libri, aliáque instrumenta Sacra. Canisius ad hanc Regulam, & Filliuc* Tract. 11. num. 239. *Potest tamen dici, folia illa separata non ampliùs esse partes Bibliorum, & solius chartæ, vel membranæ rationem habere.*

379 *Codex Bibliorum, quando ad usus illos adhibetur, injuria, & irreverentia fieri videtur, si-
nti fieret Principis Epistolæ pro Rescripto.*

Hactenus emeritus ille, & si fas est uti phrasi aliorum Ordinum, Jubilatus Doctor, qui tribus sacris., atque aliis quatuor Europæis linguis quasi vernaculis loquebatur eleganter, Exoticarum non omnino imperitus.

Junge his, si voles, doctrinam Azorii *Part.* 1. 380
lib. 9. *cap.* 9. *quæst.* 7. sic loquentis: Imagines Sacræ diuturnitate consumptæ, seu deformatæ amovendæ sunt, & sub pavimento Ecclesiæ, aut saltem cœmeterii solo sunt recondendæ. Tabulæ quoque Sanctorum imaginibus expressæ vetustate consumptæ non possunt converti in usum profanum, sed igni exuri debent. Ita ille, igni, inquam, sed cavendo scandalum.

At fortè percontabitur curiosus Lector, quid videatur pronuntiandum de sequente

Facto agrestis pietatis.

Rusticus quidam, cùm non infimæ sortis equus ex tabe vulgata inter pecudes tabescere occiperet, D. Parochus N. Iconem S. Ignatii, ex pariete resigit, eámque in defectu aquæ Ignatianæ equo comedendam, sine ullâ fide, porrigit. Mysticavit iconem pecus, & papyro malum detersit, hoc Anno 1669.

Ita loquuntur literæ probatæ auctoritate. Superiorum, ac dantes occasionem, quærendi: *An reverentiæ rebus Sacris,* (de quibus in hoc Casu 11. disseruimus,) *debitæ repugnet nec ne, si dentur edendæ, seu hominibus seu pecudibus?* Ratio asserendi repugnare, potest adferri hæc, quòd ejusmodi tractatio præseferat tum irreverentem tractationem, tum superstitionem, aut Dei tentationem. Rationem negandi suggerit effectus prodigiosus.

Respondeo, in primis esse *per se* illicitum, repugnánsque virtuti Religionis, uti Sacris imaginibus, ceu medicina, eas videlicet comedendo, aut instar emplastrorum applicando exteriori parti corporis læsæ. Ratio est, quia utrùm aliqua actio repugnet, aut non repugnet religioni, definiendum est, præcipuè ex communi judicio hominum, habentium hanc, aut illam actionem, hæc aut illa verba pro signis expressis, aut tacitis honoris, aut vilipensionis; quandoquidem & honor dependet ab æstimatione hominum, S. Thom. 2. 2. *quæst* 103. *art.* 1. *& 2.* & unum ex signis, an hâc, aut illâ actione graviter profanetur aliqua res Sacra, est, si talis actio grave scandalum generet. Suarez, quem refero *in Quinario Tract.* 5. *cap.* 45. *num.* 3. Atqui Catholici scandalizantur indicatâ usurpatione imaginum Sacrarum, eámque habent pro inhonoratione.

Respondeo tamen *secundò*, si quis in malis desperatis utatur cum interna reverentia, piáque spe, imaginibus sacris ad usus indicatos,

id

id carere vitio Sacrilegii, omníſque irreligioſitatis. Ratio eſt duplex; *prima*, quia homines communiter non habent tales actiones in ejuſmodi circumſtantiis, pro irreligioſis, ergo non continent inhonorationem, ſeu irreverentiam. Conſequentia hæc eſt ex paulò antè dictis clara; antecedens, ut ego quidem reor, nemo negabit. *Altera* ratio petitur ex effectu, nec enim S. Ignatius exorâſſet à Deo ſanitatem illi equo, ſi fuiſſet ſolicitatus medio ſuperſtitioſo, atque ſacrilego; nec dubito, quin plures ejuſmodi effectus prodigioſe, opéque cœlesti ſecuti ſint applicationem rerum ſacrarum ſimilem indicatæ, ſiquidem ea applicatio facta fuit in neceſſitate extrema, atque cum pia fide, fiduciáque; non tamen cum prorſus indubitata perſuaſione potiundi votis, per ea, quæ ex Tho. Sanchez. *Lib. 2. Moral. Cap 40. num. 44.* atque Thoma Tamburino *Lib. 2. in Decalog. Cap. 6. §. 1.* refert Leander à Sanctiſſimo Sacram. *Quæſtion. Moral. Part 1. & in oraine Sexta, Tract. 9. quæſt. 14.* Confirmatur ex eo, quòd liceat tum ad ſiſtendum ſanguinem piè proferre illa Sacra verba: *Libera me de ſanguinibus, Deus Deus ſalutis meæ.* Leander *loc. cit. quæſt. 14.* tum è collo geſtare Sacra Evangelia ad aliquod malum corporale e. g. maleficium avertendum Leand. *quæſt. 221.* poſt Sanchez, Tambur. Lugum. Adde, quòd ne *materialis* quidem ſuperſtitionis damnetur S. Tho. quòd infantulus deglutierit iconem Beatiſſimæ Virginis. Quare fateor, me non eſſe peccati mortalis conſcientiam injecturum pœnitenti, quem nôſlem cogitare de adhibendo remedio ſimili ei, quod propoſuimus, inque ſimili neceſſitate, & ſimili fide. Paſſim uſurpari non permitterem, quia nec paſſim haberem pro planè pia, humilique fiducia, nec paſſim uſurpanda ſunt; quæ ex ſe ſpeciem habent irreverentiæ, ac ſuperſtitionis.

381 *Octavò.* Qui præſunt Sacriſtiæ, mortaliter peccant, ſi eorum culpâ fiat, ut veſtes, & paramenta valde immunda non mundentur, priuſquam in iis ſacrificetur. Jordan. *loc. cit. num.* 279. cum authoribus hactenus citatis. Qui verò utitur talibus paramentis, non peccat. Suar. *Diſp* 81. *Sect.* 3. ſi videlicet non poſſit facilè habere munda. Jordan *ibid. num 278.* Quandonam autem cenſenda ſint paramenta eſſe valdè immunda, non ediſſerunt ſcriptores, quia ſcilicet nequit hæc res definiri certâ Regulâ; ergo committenda arbitrio prudentis, ut innumera alia.

382 Danda opera, ut veſtium color reſpondeat tempori, & feſtis. Rubricæ *Tit. 18. num. 1.* utentes quidem verbo: *Debent*, ſed hoc verbum non capiunt pauperes Eccleſiæ, nec facilè committetur gravis culpa, non parendo huic Rubricæ, niſi ſcandalum adſit, ſicut ſi die Reſurrectionis neglectis, quæ habentur, aut albis, aut rubris caſulis, adhiberentur nigræ. Sed utique quocunque die ſatius eſt, facere ſacrum in quocunque colore, quàm omittere, nec damno, qui adhibet velum calicis diſcolor à caſula.

383 *Nonò.* Peccati damnant communiter hactenus nominati Doctores celebrantem tecto capite; & quidem Jordan. *num. 304.* mortalis ob *Cap. Nullus Epiſcopus. De conſecr. diſt. 1.* Nec poteſt Epiſcopus, aut ſibi, aut alii facere jus utendi pileolo, cum id inhibuerit Congregatio apud Jordan. *loc. cit.* & Gavantum. Quòd ſi cauſa ſit juſta, & manifeſta, poterit uſque ad conſecrationem celebrari tecto capite, & rurſum poſt purificationem. Navar. *De celebr. Miſſ. conſ. 7.* præſertim breviculo tempore, & privatim. Dicaſtillo *num. 215.* Si cauſa non ſit manifeſtè juſta, petenda eſt diſpenſatio teſte eodem Navarro Polonos paſſim uti pileolo, teſtatur Vaſq. *Diſp. 233. num. 38.* Quod ſicu 384 non nego fuiſſe verum ejus ætate, ita credo, non eſſe jam verum, id quippe mihi quærenti negavit hiſce ſcriptis P. Lithuanus, haud ſanè ignarus morum vicinæ Poloniæ. Rectè autem obſervat Fil iuc. *num. 152.* habendam rationem conſuetudinis, & ſcandali. Noſtræ Conſtitutiones Synod *Part. 1. tit. 9. num. 5.* ſic loquuntur: *Cooperto capite nullus celebret, quòd ſi* 385 *legitima cauſa ſubſiſtat, conſuluatur priùs Vicario noſter, & privatim fiat.* Chinenſes habent toto tempore Liturgiæ caput rectum, quia cooperire caput eſt ipſis ſignum honoris. Præpoſitus apud Tamburinum. *Quidſi autem ſim ita debilis, ut non poſſim celebrare, niſi quandoque innixus baculo?* Reſp. Vaſquez, & Dicaſtillo *ll. cc.* permittent tibi ejus uſum, ac meritò, nulla ſiquidem lex, aut conſuetudo obtinens vim legis id vetat.

386 *Decimò.* Non eſt mortale, celebrare ſine calceis, imò nec veniale, ſi neceſſitas poſtulet, inquit Laymann. *cit. Lib. 5. Tract. 5. cap. 6. nu. 15.* cùm nullum extet hac de re præceptum. Suar. *loc. cit. Sect.* 2.

387 Quamvis autem reum peccati mortalis agant Silvius, Azorius, alii apud, & cum Gavanto *Part. 2. tit. 1. lit. b.* omittentem preces præſcriptas, dum induuntur Sacræ veſtes; ego non videns ullum fundamentum hujus ſeveritatis, non plus, quàm veniale agnoſco cum Scortia *De Sacrif. Miſſ. Cap. 8.* & Fagund. *cit. prec. 1. lib. 3. cap. 21.* imò *abſolutè* nullum agnoſcere vult Tamburinus *Lib. 1. cap. 7 §. 1.* Sicut & Fagundez nullum in eo caſu, quo earum loco recitas alias preces, ut faciunt etiam pii ſacerdotes, teſtante, approbante eodem Fagund.

388 *Undecimò.* Sacerdoti confitenti, ſe perſæpe poſtponere recitationem Matutini Sacrificio, ne abſque alia cauſa injicias ſcrupulum peccati mortalis; nam ſententia magnorum virorum moventium ejuſmodi ſcrupulum vix eſt probabilis, niſi à ſola authoritate. Imò ne venialiter quidem peccavit ille ſacerdos faciendo hanc poſtpoſitionem, ſi non nimis ſerò facit ad aram. Suarez *De Religion. Tom. 2. lib. 4. cap. 24.* Tambur. *cit. Cap 7. §. 2.* bene refutans Palaum. Verùm ne ſequere hanc ſententiam ſine rationabili cauſa

389 *Duodecimò.* Veſtibus Sacris uti ad comœdiam profanam, vix vacat culpâ mortali. Suarez *cit. Diſp.* 81. *Sect.* 8. Adde conformiter *Cap. Ligna. De conſecr. diſt. 1.* detritas non eſſe ad uſus profanos adhibendas, ſed vel exurendas, vel è majoribus faciendas minores, ut humeralia ex alba, manipulum ex ſtola. Tann. *Tom. 3. diſp. 5. quæſt. 4. num. 9.* Vide dicta *nu. 307. & ſeqq.*

NON SINE MINISTRO SACRIFICANDUM.

CASUS XII.

Verè Practicus.

SVMMARIVM.

Caſus ſacrificantis reſpondente Moniali. 390.
Miniſter ſacri eſt neceſſariò habendus. 392.
Ejus præcipuum officium. 393.
Poteſt in neceſſitate reſpondere mulier, at non facere reliqua. Ibid.
An ſine omni planè Miniſtro ſit fas celebrare? 394. *& ſeqq.*
An, ſi non adſit, niſi ille, qui facilè repetet verba, quæ ſacerdos præibit? 397.
Quo ſenſu dicatur? Dominus vobiſcum, *& Orate fratres, quando ſacerdos prorſus nemine præſente celebrat?* 398.
An, & quatenus miniſter errans debeat corrigi à ſacrificante? 399. *& ſeqq. diſtinctè.*
An expectari, donec perficiat ſua? 403. *& 404.*
Angelus ſupplet vices miniſtri emanentis 405.
Particularia de officio miniſtri referantur ex Pace Jordano. 406. *& 407.*
Erras, ſi putes, tua nihil intereſſe, quando miniſter profert imperfectè verba. 408.

390 *MAgiſter Euſebius Jordanus dulciſſimus germanus frater meus, ſuo facto probavit ſententiam dicentem, permitti poſſe mulieri, ſacrificanti reſpondere à longè abſque eo, quòd miniſtret, aut deſerviat in altari. V. G. Monialis è choro, aut è collocutorio, ut verba reſponſionis proferat, & ſacerdos ſibi ipſi, vel alius reſpondere neſcius miniſtret. Nam Paduæ Anno 1633. in Eccleſia Venerabilium Monialium S. Benedicti, quarum exuſpiebat confeſſiones, tempore peſtis ei Sacrum facienti puella inter crates, & cancellos collocutorii reſpondebat, ipſe verò per ſe obibat reliqua miniſteria, ne quiſquam accederet propter contagionis periculum. Et cùm pluribus menſibus obſervatum fuerit, non improbatum, ſed commendatum eſt à doctiſſima illa urbe.*

Hunc caſum verè *Practicum* verbis, quæ de- 391
ſcripſi, conſcripſit *cit Lib. 4. ſuarum Elucubrationum Tit. 1. num. 219.* eruditiſſimus, & ut omnia ejus opera teſtantur, piiſſimus D. Pax Jordanus Epiſcopus Tragurienſis in Dalmatia, cujus toties in hoc opuſculo fecimus, faciemúſque mentionem. Qui quidem nobis *directè* dat occaſionem quærendi I. An, & qualem Miniſtrum debeat habere ſacrificans? 2. Quid agendum ſacerdoti, quando ejus miniſter ex inſcitia, aut negligentia non rectè fungitur officio? 3. Contequenter, an, & quàm graviter peccet miniſter, in ſuo officio incurius, & negligens?

Ad *primam* quæſtionem reſpondeo. Tenetur 392
utique ſacrificans habere miniſtrum, adeò ut nemo, teſte Tann *cit. Tom. 4. diſp. 5. quæſt. 10. num.* 85. neget, quin graviter *per ſe loquendo* delinquat contrarium faciens; agit quippe contra univerſalem conſuetudinem, ita rigidè interpretantem Canones, de miniſtro ſancientes, ut is neglectus noxam lethalem continere videatur. Suarez *Diſp.* 87. *Sect.* 1. Bonac. *Diſp. 4. De Sacram. q ult. punct. 9.* Jordanus *cit. Lib. 4. tit. 1. num. 320*

Hujus porrò miniſtri duplex eſt officium, ſci 393
licet reſpondere, & neceſſaria ſubminiſtrare. Poſterius eſt magis neceſſarium, quàm priu. Unde in Conſtitutionibus Epiſcopalibus Ratiſbonenſis, & Brixinenſis Diœceſeon providè ſtatuitur, ut, ſi nequeat haberi, qui reſpondeat, habeatur ſaltem, qui reliqua miniſtri officia peragat.

Debet autem ille miniſter eſſe maſculus. Mu- 394
lier enim ab altaris miniſterio arcetur *Cap. Inhibendam. De cohabit. cler. & mulier.* Adeòque ſatius eſt, ſine miniſtro omni dicere Miſſam, quàm uti miniſterio mulieris. Suar. *loc. cit.* Reginal. *Lib. 29. num. 164.* Jordan. *num.* 318. D. Reding *art. 2. controv. 4. num 3 r.* contra Nugnum *3. Part. quæſt. 83. art. 6.* Quamquam neceſſitate urgente permitti poteſt, ut mulier reſpondeat à longè abſque eo, quòd miniſtret, & præſertim Monialis, ut reſpondeat è choro, vel collocutorio, ſicuti in narratione Caſus audivimus loquentem Epiſcopum Jordanum, & quidem è communi ſenſu diſſerentium de hoc argumento.

Satius eſt ſaltem die feſto ſine omni miniſtro, 395
cùm nullus haberi queat, offerre Deo hoſtiam incruentam, quàm non offerre. Pax Jordan. *loc. cit. num. 384.* & Tambur. *Lib 1. cap. 7. §. 5.* contra Azor *Part. 1. lib. 10. cap. 29. quæſt. 3.* Suar. *cit. ſect.* 1, & alios. Non enim videtur ab Eccleſiæ ordinatione recedere, qui, ut ipſius præcepto ſatisfaciat, ſine miniſtro celebrat.

Idem

Idem Jordanus. Multò magis id ipsum dicerem casu, quo esset conficiendum viaticum pro moribundo. Et fortè Jordanus idem assereret casu, quo esset Sacrificandum ex obligatione fundationis; negaturus haud dubiè, si quis ex sola devotione, aut ad liberandam è purgatorio animam vellet litare.

396 At verò si habeatur minister, qui possit omnia facere, præterquam respondere, permitteret Laymannus *Lib. 5. Tract. 5. cap. 6. num. 13.* ut ex sola devotione cum illo celebres; quemadmodum factitant in pagis multi parochi, quorum morem, quamdiu nequeunt habere peritiorem ministrum, meritò ait esse tolerandum.

397 At inquies: Habeo domi puerum ita docilem, ut perfectè repetat omnia verba, & sententias, quas ipsi præco *Quid si igitur ego præeam verba, a ministro proferenda, eademque repetat meus puer, an non prudentius illum, quàm nullum respondentem adhibebo?* Resp. Tuam prudentiam laudabit P. Suar. *loc. cit.* Ego extra locum secretum non item, quia te, & circumstantes turbabis.

398 Rursum inquies: *Si in casibus admissis num. 394. celebrem sine omni ministro, quo sensu dicam*: Dominus vobiscum: Orate fratres; *Et*: Omnium circumstantium? Resp. Eo, ut hæc verba referas ad eos, qui Sacro intersunt *spiritualiter*, vel ad totam Ecclesiam. Suarez loquens de illo, cujus Sacro nemo interest, præter ministrum.

399 Ad *alteram* quæstionem suprà positam. Resp. Tuus minister errat circa vel verba, vel actiones. Circa verba, aut vitiosè pronuntiando, aut transiliendo nonnulla. Integráve sententias. Vitiosè pronuntiantem: Solœcissmos facientem: Dicentem *Beati Michaëli Archangeli. Ideo precor B. Mariæ semper Virginis &c.* Ne facilè corrige, quia correctio vix fiet sine perturbatione tua, vel aliorum, non causanda ob rem tantillam, & tam frequentem. Idem ferè agendum, quando transilitur unum, alterúm-
400 ve verbum. At quando integer versus, aut sententia, tum habet mos proborum sacerdotum. Ut suppleant ipsimet, saltem quando submissâ voce sacrificant. Nónne, quando non habeo ullum ministrum respondentem, agam ipse partes ministri quoque? Age etiam, quando habes tam malè respondentem. Et si error ille videatur esse *habitualis*, finito Sacro, dic ei, nominatim quando es parochus ruralis, aut aliàs commodè potes, ubi errârit, & quomodo corrigere debeat.

401 Sin erret minister in actionibus, ut quia non transfert librum, non accendit ceram pro consecratione, aut communione, non pulsat tintinabulum, fac, quod diversitas circumstantiarum suadebit. Sacerdotes sæculares, ac præsertim rurales solent ipsimet librum transferre, nos modestè dare signum ministro, ut transferat. Quando cereus non accenditur pro consecratione, dissimulo, sicuti & quando pro communicantibus, si ministret puer imperitior. Quando facis in altari laterali, alio celebrante ad aram principem, ne moneas omittentem pulsum tintinabuli. Quando verò in 402
summo altari, si non pulsavit *ad Sanctus*, mone, ut quærat cymbalum; sub ipso tempore elevationis dissimula. Nec sequere exemplum illius, *qui cùm faceret in ara secundaria multùm remota à sacristia, notaret que ministrum non pulsâsse ad Sanctus, vocavit eum ad se, & intellecto non adesse tintinabulum, mandavit, ut peteret è sacristia: ut proinde fuerit illi ministro ad sacristiam eundum per totum ferè templum.*

At obtingit mihi quandoque minister fastidiosè 403
lentus, quid tunc agendum? Resp. Fortè es ipse vitiosè celer, venaticam, ut loqui solemus, Missam faciens. Ergo inprimis corrige te ipsum. *Sed tam diu cunctatur, donec dicenti mihi:* Orate fratres, *respondeat, ut stomachum moveat.* Resp. Valde es immortificatus, si jam jam tuis manibus tractaturus, & *mysticè* occisurus Agnum mitissimum, impatientiâ commoveasimiliter; morare tantisper, & leniter, donec tuus Lentulus absolvat suum *Suscipiat*; nec enim habes sufficientem ansam dicendi illud ejus loco, multò minùs Secretam inchoandi, priusquam ille suum *Suscipiat* eluctatus fuerit.

At cucurrit ad sacristiam, aut campanile, ne- 404
scio cujus negotii causâ, vel foras ob tumultum, aut incendium ortum in vicinia, nimisque diu emanet. Resp. Solent religiosi sacerdotes tantò lentiùs peragere, quæ tunc peragenda sunt, ac deinde ipsimet sibi respondent, si nihilominus adhuc absit minister, idque approbat Tambur. *Lib. 1. cap. 7.* Lege apud Surium 15. *Octo-* 405
bris vitam S. Oswaldi Episcopi, videbis *in capite 16.* Angelum visibiliter suppleviss vices Ministri, qui ab altari profugerat territus aspectu Angeli præbentis huic Præsuli sub tempus Offertorii Panem nitidissimum, paulatim crescentem in ingentem molem. Constitutiones Synodales hujus Diœcesis providè monent *Part. 1. tit. 9. num. 10.* ut minister maneat apud sacrificantem usque ad finem Sacrificii.

Ad *tertiam* quæstionem respondeo verbis 406
illius ipsius religiosissimi Episcopi, ex quo descripsi Casum præsentem. Sic autem disserit ipse *num. 327.* Quod attinet ad ministri offici-» um, diligenter gerere se debet, præsertim cir-» ca præparationem materiæ convenientis pro» Sacrificio, quia si ineptam tradiderit, & pro-» priâ culpâ, grave sacrilegium incurret, ut per» se patet, & notat Suar. *Disp. 81. Sect. 2* Regin.» *Lib. 25. num. 165.* Bonac. *punct. 9. num. 35.*» Proferat distinctè verba pertinentia ad ipsum, 407
» in quo quidem plurimi ob nimiam celerita-» tem graviter, non absque sacerdotis injuria,» & piorum adstantium offendiculo labuntur;» quos quamvis à mortali excusandos credide-» rim cum Bonac. prout etiam, quando respon-» dent in mortali, tum ob levitatem materiæ,»

»tum etiam, quia non sunt deputati ex officio,
»& ordine ab Ecclesia, prout requiritur ad hunc
»effectum peccati in cæteris Ecclesiæ ministris.
»Attamen enixè mortor, precórq; Dominos Sa-
»cerdotes à similibus ministris cavere, quoties
»supperunt alii, & in aliorum defectu illos ad-
»monere, & instituere, atque quòd se adeò
»morosè, clarè, ac distinctè verba proferre, ut
»ipsis adjumento sint distinctè respondendi,
»non verò ansa syncopandi.

408 Hactenus Illustrissimus Dominus Pax Jordanus, cum quo eandem rem rogo venerandos Dominos Sacerdotes, præsertim illos, quibus fortè gratum accidit, quando ipsis obtingit Minister, qui citissimè respondet ad Accessum, devorando, trajiciendo, dimidium *Confiteor*, & alia. Et sine dubio hallucinantur, si qui censent, sua apud Deum nihil interesse, seu peritum, seu imperitum ministrum nanciscantur: cùm enim teneantur habere aliquem tenentur consequenter idoneum præferre inepto, quoad commodè queunt, *argum. cap Accessorium. de reg. jur. in 6.* Legant hujus Diœcesis sacri Mystæ, quæ de officio, ac modestia Ministri per quàm religiosè exprimunt Constitutiones Synodales *cit. num. 10.*

JEJUNO SACRIFICANDUM.

CASUS XIII.

Neomystæ.

SVMMARIVM.

Casus Neomystæ manè diei, quo debebat primitias celebrare, edentis hostiam, quam adhibuerat ad probationem. 409.
Videtur hic nihilominus potuisse celebrare. 411. & seqq.
Quæ sint observanda circa jejunium præmittendum Sacrificio. 417. & seqq.
Observanda circa absumptionem parvarum, aut magnarum reliquiarum è proprio, vel alterius Sacrificio. 420. & seqq.
Casus frequens, in quo absumuntur ab uno, vel pluribus hostiæ multæ. 421.
In Constantiensi Diœcesi absumendæ sunt quot mensibus omnes particulæ asservatæ pro ægris. Ibid.
Quid faciet Sacerdos, si post sumum Sacrum reperiat jam reversus ad sacristiam, particulas? 422.
Quid, quando particula adhæret calici? 423.
Quid, quando aquam pro vino consecravit? Ibid.
An reliquiæ sint dandæ Laicis communicantibus? Ibid.
Casus Petuli sacerdotis soliti sumere jentaculum ante Missam, sub qua erat concionaturus. 424.
An, qui & non jejunus, & peccato mortali gravatus communicat, admittat duplex peccatum? Ibid
Quid faciet recordatus sub Sacro, se non esse jejunum? Ibid.
Species sacramentales corrumpuntur saltem post horam a sumptione. 425.
Quid post sumptionem liceat circa vomitum? Ibid
Casus illius, qui dimidiâ horâ post sumptionem ejecit integram hostiam. Ibid.
Evomitas sacras species etsi venenatas non licet comburere. Ibid.

Nicephorus recèns inauguratus sacer- 409
dos, tat diu, & frequenter sese privatim in sicco sacro faciendo exercuerat ea intentione, ut Primitias exquodam jam quasi habitu, & consequenter expeditiùs posset publicè celebrare. Id ipsum fecit manè illius diei, quo primam hostiam erat Deo oblaturus solenniter. Ac promore superiorum dierum sumpsit, immemor instantis solennitatis, grandiorem formam non consecratam. Paulo antequam pulsarentur Campanæ, indices solennis Officii à Neomysta decantandi, advertit suum importunissimum errorem. Accurrit ad Patrem Societatis nostræ, proponit eventum, petit consilium, respondet alter, esse Primitias in alium diem differendas.

Quæritur jam I. *Utrùm rectè fuerit respon-* 410
sum, nec ne? Resp. Cùm dubia sint in meliorem partem interpretanda. S. Thom. *2. 2. q. 6. a. 4* & *C. Estote. De Reg. jur. in 5.* interpretor ego, ac judico, fuisse rectè responsum, quia facilè fieri potuit, ut absuerint circumstantiæ illæ, quibus præsentibus censeo, non peccaturum fuisse illum optimum virum, licet non jejunus immolâsset.

Porrò circumstantiæ sunt hæ. *Prima*, si 411
Neomysta fuit familiæ perhonestæ. *Secunda*, si illuc advenêre aliunde cognati complures. *Tertia*, si paratum lautum convivium. *Quarta*, si erat è suggestu invitatus, ut fit, populus ad Officium solenne; ideóque & plebs, & aliæ nobiles personæ ad Ecclesiam destinatam se accinxerunt. *Quinta*, si error ille fuit occultus. In his circumstantiis simul sumptis potuisse fieri ab illo novo sacerdote Sacrum solenne, probro 1. Ab exemplo. Etenim *in Alphabeto Com-* 412
municantium Cas. XIX. docebimus, potuisse in die solenni Dedicationis, quo per errorem factum erat, ut nemo præsentium Sacerdotum jejunus esset, celebrari à non jejuno, qui occultè fregisset jejunium. Rationes illic allatæ huc quoque faciunt. Probo deinde generali 413
doctrina de epiikia, quam post Aristotelem *5. Eth. c. 10.* ac S. Thomam *1. 2. qu. 96. art. 6 in Corp.* tradunt cæteri Theologi, videlicet ob virtutem, quam Sanctus Thomas post Aristotelem vocat Æquitatem, esse fas ab apertis verbis legis recedere, quando id exigit bonum commune, &, ut exprimit Aristoteles, *quan-*

do, si Legislator adesset, hoc modo dixisset. Dixisset, inquam, non fuisse mentem suam, ut
414 lex ad talem casum extenderetur. Jam verò si consideremus & insignem mortificationem illius optimi Neomystæ, ejúsque cognatorum tristitiam. Si aliorum obmurmurationes, suspiciones, & temeraria judicia, adeóque vera scandala. Si expensas frustra factas. Si contemptum Neomystæ tanquam hominis incautissimi, cùm deberet esse cautissimus, potest sanè dici, agi bonum publicum, æquè ac periclitatur, si lex de reddendo depósito extendatur ad reddendum etiam furioso, quod est exemplum S. Thomæ *cit. art.* 1. potuit proinde illic habere locum Axioma Legistarum: *Singula quæ non prosunt, multa collecta juvant.*

415 Unde ulteriùs infero, si Papa interrogaretur, utrùm Canonem ex S. Aug. *in Cap. Liquidò. de Consecr. dist. 2.* de non sumenda Synaxi, nisi à jejuno, vellet exporrigi ad hunc eventum, dicturum esse, nec S. Augustinum, nec suorum prædecessorum quemquam, nec se voluisse, aut velle extendi. Nec est harum circumstantiarum positio, datáque responsio habenda pro inutili, quandoquidem possunt haud dubiè hæ ipsæ, similésve circumstantiæ, non semel in posterum concurrere, & *mor aliter* potuisse fieri, ut concurrerint cum Domino nostro Nicephoro, nemo arbitror, negabit. Utrùm verò concurrerint, non mihi dixit, qui nominavit Sueviæ celeberrimum Oppidum, (Dilingam) in quo res illa certissimò sit peracta.

416 Addo tamen, si Neomysta ille fuit homo obscurus, & alienigena. Si non ipse solus, sed alii plures cum ipso erant litaturi. Si error ipsius multis notus, tum revera non debuisse cogitare de Ara illo die adeunda. Etenim incommoda, quæ in his circumstantiis timeri prudenter ex omissione Sacri poterant, non sunt tantæ considerationis, ut prævalere debeant antiquissimæ, gravissimæ Legi de jejunio præmittendo communioni. Ratione ejusdem Casûs in primis observo, in Constitut. Synod. hujus Episcopatûs *Part.* 1. *Tit.* 9. *num.* 19. salubriter præscribi modum, ac rationem celebrandi Primitias sine pompa sæculari, choreis, & aliis ejusmodi: deinde occasione illius ipsius Casûs, & tituli ipsi præfixi ulteriús.

417 Quæritur II. *Quænam præterea videantur observanda circa jejunium præmittendum Sacrificio?* Resp. Seqq. Quibus rebus, dicemus *in Alphabeto Communicantium Cas. XVII.* frangi, vel non frangi jejunium naturale requisitum ad Communionem in genere, iisdem frangitur, aut non frangitur requisitum ad Communio-
418 nem, quæ obitur à sacrificante. Nominatim huc spectat propriè, quod *ibidem* dicam de Rolando simplici Sacerdote, qui muscatam nucem mandebat ante Sacrum, ut bonum odorem præpararet Sacramento. Sicut generatim cùm illud, quod dicam de gargarizatione omittenda die sequturæ Communionis. Tum discursus, quem instituram ibidem de sequendo utrolibet ex duobus diversis horologiis; déque licita sumptione Eucharistiæ. Quando propriè dubitas, utrùm post duodecimam noctis aliquid ederis, aut biberis; vel quando deglutiisti plumbum, aliáve res non comestibiles.

Repetendum quoque, quod & suprà *num.* 419 *194.* dixi, & in *cit. Alphab Cas. XX.* probabo, scilicet fas esse sacerdoti non jejuno celebrare, ut conficiat viaticum pro moribundo: Et notandus rarus Casus, quem *in Alphab. Ordinis num. 363.* de sacrificante in die Nativitatis Christi referam. Et quod infrà *n.* 804. dicam de Sacerdote non jejuno sacrificante, ut Sacrum ab altero inchoatum, & ad Consecrationem perductum perficiat, si hic alter nequeat. Huc 420 autem tanquam ad locum magis convenientem transfero omnia, quæ in tertia editione *Alphabeti Communicantium. Cas. XIX.* expressèram de reliquiis Eucharisticis sumendis à Sacerdote etiam non jejuno.

Igitur quando post sumptam ablutionem supersunt reliquiæ vel ex Hostia, vel ex calice tui Sacri, *licitè* eas sumis, sive sint parvæ, sive sint magnæ, quia spectant ad idem Sacrificium, Rubr. Missal. *tit. 7. de defect. Quid si autem horâ unâ occuper in communicandis aliis, & reperiam aliquas ejusmodi reliquias?* Licitè sumes. Lugo *Disp. 16. n. 543.* At *quid si immediatè post Sacrum fiat illa communio?* Idem tibi permittit Suar. *cit. sect. 6.* P. Palaus, alii, etiamsi diu duraverit illa communio. Bonac. *p. 2. n. 14.* nam nihilominus tota illa actio censetur pertinere ad tuum Sacrum. *Sed illæ reliquiæ sunt ex alio Sacro?* Relinque eas, si commodè asservari queant, donec tu, aut alius sumat intra Sacrum jejunus. Suar. Tann. alii, censente probabiliter Palao *p. 13. n. 20.* esse id quidem consultum, at non necessarium. Et ita etiam Bonacina *loc. cit.*

Quid verò, *si sit integra ex meo Sacro, & non habeam, quo commodè reponam?* Illam sume. P. Suarez. Quod etiam permittit P. Vasquez *Disp. 211. Cap. 5.* casu, quo commodè posses ponere in alio vase, nam & illa spectat ad tuum Sacrificium. *Sed dubito, an reliquiæ, quas video, sint consecratæ?* Illas post utriusque speciei, aut ablutionis sumptionem absume. Bonacina *l. c. n.* 16. post Henriq. At hostia, quæ ex hierotheca post orationem 40. horarum eximitur, *estne sumenda à Sacerdote non jejuno?* Resp. Minimè, sed ante ablutionem, vel frange in particulas pro communicaturis. Gavant. *Part. 2. num. 6.*

Est in Marsensi pago Illustrissimæ Reipublicæ 421
Friburgensis parvum, elegánsque templum, Sancto Ignatio Confessori structum in memoriam vitæ precibus ejus prodigiosè aliqui servatæ, in quo non licet asservare Venerabile Sacramentum, & tamen bis in Anno est illuc accursus circiter mille ducentorum capitum percipientium sacram Synaxin, vicinis Dominis parochis suam operam spirituálè in excipiendis quorumlibet confessionibus,

magna

magna cum charitate, & populi ædificatione solitis conferre. Fit autem non rarò, ut supersint 30. vel 60 hostiæ parvæ, quid iis faciendum? Respondeo, id, quod reipsa fit, eæ, inquam, hostiæ sunt à diversis sacerdotibus, vel uno sub Sacro sumendæ eodem die, aut sequente, quia illic non est Ecclesia, in qua possint diu honestè asservari. Deferre ad distantiam unius horæ quadrantis est nimis incommodum, secus ad aliquot passus, ut solemus è nostris Gymnasiis in præcipuis festis deportare ad nostras Ecclesias. Et verè sumptionem multarum particularum simul esse in ejusmodi casu licitam, confirmatur usu tum aliarum, tum nostræ Diœcesis, in cujus Constitutionibus Synod. *Part. 1. tit. 8. n. 19.* perquam providè statuitur, ut singulis mensibus bis, aut saltem semel absumantur omnes hostiæ, quæ pro ægris erant in omnem eventum consecratæ. Consonat *Cap. Tribus gradibus. De Consecrat. dist. 2.*

422 Nec solùm tempore ipsius Sacrificii, sed etiam post illud *licitè* consumuntur reliquiæ. Ut si jam regressus ad sacristiam, nondum tamen exutus vestibus sacris, reperias supra tui calicis patenam aliquas. Has quippe si sumas, non videris novam Communionem inchoare, sed perficere præcedentem. Granad. cum aliis apud Dianam *P. 5. Tr. 14. Resol. 45.* Imò licèt jam depositeris illas vestes, effluxerítque non parùm temporis, haud peccabis sumendo ejusmodi fragmenta, aut guttas sive ex tuo, sive ex alieno Sacrificio, si nequeant asservari sine majori reverentia. Diana *Part. 3. Tr. 4. Res. 45.* Si tamen post tuum Sacrum sit alius facturus, accipiet ille secum eas reliquias, Diana *l. c.* quia tunc non urgeberis ad eas absumendas.

423 His adde sequentia I. Quando calici adhæret particula, vel eam digito attrahe, ut permittunt Rubricæ: vel, ut malunt P. Suarez & alii, affuso vino eam solve, & quidem bis, térve affuso, & bibito, si non sufficiat semel. Suar. *ibid.* Sanctgallenses *Tom. 9. fol. 491* quod pariter faciendum esse Laico, quando hostia palato adhæret, meritò judicabis. Et huc refero casum, quo primùm in sumptione calicis observas, esse à te consecratam aquam pro vino. Etenim non convenit, ut in calicem, aut aliud vas effundas, quod sumpsisti, sed potes tutò deglutire, Henriquez, Suarez, Tannerus *num. 97.* reliqui partem effundes in vas mundum, partem relinques in fundo, cíque superinfundes vinum pro altera consecratione. Pater Laymannus *Lib. 5. Tr. 5. C. 6. num. 3.* quia nihil hîc sine necessitate est iterandum. *c. 1. De Sacr. non. iter.* addente Dom. Reding *Tom. 6. q. 9. a. 1. Controvers. 4. n. 9.* ex, & cum Sanctgallensibus, posse totam illam materiam statim sumi in eo casu. II. Etsi reliquiæ non sunt communicantibus Laicis dandæ post ablutionem, sicut nec Sacerdoti communicanti more laicali. P. Vasquez *cit. Disp. 211. Cap. 5.* P. Palaus *loc. cit.* quia ii non sunt instituti ad Sacrificium perficiendum, possunt tamen ante illam. P. Henriquez *P. 8. C. 50.* saltem si ita iis porrigantur antè, ut *moraliter* censeatur una Communio. Suar. *ibidem* P. Tann. *num. 103.* observans post P. Vasquez, esse satius ut eæ, si notabiles sint, & nihil aliud obstet, dentur laicis jejunis, & bene dispositis, quàm ut sumantur à Sacerdote non jejuno. III. Quando sacerdos sacrificans nequit perficere Sacrum jam perductum ad Consecrationem alterius speciei, illud in defectu jejuni perficiet non jejunus, secùs si nondum est quicquam consecratum. Laym. *cit. n. 3.* & nos fusiùs infrà *Cas. XXIII.* IV. Quando imminet periculum, ne sacra hostia ab Hæreticis profanetur, aut incendio absumatur, potest sumi etiam à Laico. Suar. Tann. alii. Imò debet. Laym. *cit. Tr. 4. C. 6. n. 22.*

Junges etiam hactenus confertim dictis, 424
haud quaquam imitandum illum vetulum Parochum, *qui diebus, quibus non erat dicturus ad populum, observabat religiosè jejunium naturale, at quando erat concionaturus interrupto, ut solet in pagis, Sacrificio, domi sumebat jusculum, aut par ovorum, ut suppeterent vires pares labori concionatorio.* Certum enim est, ejusmodi factum repugnare sensui, ac moribus universalis Ecclesiæ.

Adde quoque, si quis ita sceleratus sit, ut & corpore cibis farto, & conscientiâ grandi pondere lethalium criminum oneratâ perpetret rem sacram, satisfacere, si confiteatur, se sacrilegè operatum esse Sacris. Ita in simili de excommunicato faciente Sacrum tradam infrà *Cas. XV. num. 471.*

Et istud adde. Non in omnibus omnino particularibus casibus, in quibus permissum est Sacerdoti reo peccati mortalis nondùm in Confessione detecti Missare non confesso, permissum esse non jejuno. Etenim in quibusdam casibus particularibus id permittitur non confesso, quia nequit Sacrum omittere sine probro, cùm tamen posset sine probro, si candidè fateretur, se non esse amplius jejunum. Patebit hoc ex iis, quæ adferemus *Cas seq.* Cæterùm *per se loquendo* est eadem ratio in hac materia habenda Confessionis, ac jejunii. Vasq. *cit. Tom. 3. in 3. Part. Disp. 208. num. 12. & 13.* rectè probans, non esse *per se loquendo* jejunium magis curandum, quàm Confessionem. Quandoquidem lex divina præcipit hanc, ecclesiastica illud. Consentire videtur Dicastillo *Tract. 4. Disp. 9. num. 131.*

Nec prætermittendum, quòd, quando Sacerdos inchoato jam Sacro recordatur, se non esse jejunum, possit communiter pergere in suo Sacro, partim quia communiter non potest recedere sine suo magno pudore atque infamia. Partim quia indecorè abrumpitur Sacrum e. g. post Offertorium, & longè magis post Consecrationem.

Insuper iis, quæ de obnoxiis vomitui tra- 425
dam *in Alphab. Commun. Cas. X.* de catharroso,

tussiente, ac spuente *Casu XI.* adjunges ex Thoma Tamburio *in Method. expeditæ Communion. c. 3. §. 4. n. 4.* licèt regulariter censeantur species sacramentales esse jam digestæ, si hora fluxit à communione, uti jam ante ipsum notaverat Tannerus *q. 8. num. 67.* si tamen stomachus sit admodùm infirmus, fieri posse, ut seriùs corrumpantur. Sicuti restatur ipse, se novisse infirmum, qui integrum Sacrum orbem post mediam horam, & aliquantò plus, superveniente singultu evomuit. Item, si Sacerdos statim post Sacrum incidat in morbum gravem, cui pellendo medicus judicet, esse mox sumendam potionem vomitoriam, posse eam sumi, licèt prævideatur fore, ut simul evomantur species nondum corruptæ. Nam *calix vitæ in morte verti non debet*, inquit S. Thom. *3. Part. q. 83. a. 6. ad 3.* Quod longè certius est, si species sacramentales fuerunt fortè venenatæ. Licet enim eas actutum pharmaco ejicere, atque ejectas ponere in sacrario asservandas, donec corrumpantur, comburere vocat immane sacrilegium Sylvester *verb. Euchar. 2. q. 9. §. 2.* Vide infrà *num.* 858. S. Conradi factum insigne.

CONFESSO SACRIFICANDUM.

CASUS XIV.

Fugiendus.

SUMMARIUM.

Casus non confessi ante Sacrificium. 426.
Conscius peccati mortalis debet confiteri, priusquam sacrificet. 429.
Excipiuntur quidam casus. 430.
Molestia itineris ad confessarium quomodo hic excuset? 431.
Probabiliter censens, se non peccâsse mortaliter, non tenetur confiteri. 434.
Quid si propriè dubitet? Ibid.
Refertur sanctio Tridentina de Confessione statim post Sacrificium peragenda. 435.
Illa sanctio est jam certò præceptiva. Ibid.
Et quidem sub mortali. 436.
An decretum Congregationis sub Alexandro VII. prohibeat interpretationem Binsfeldii? 437.
Quid re ipsa intelligendum sit per vocalem: Quamprimum? Ibid.
Germani habent praxin contrariam veræ explicationi. 438.
Quomodo totum decretum Tridentini sit interpretandum? 439. 440.
Quot peccata committat non præmittens Sacrificio neque Contritionem, neque Confessionem, cùm tamen deberet? 442.
An inter Sacrificandum recordatus peccati in Confessione obliti teneatur confiteri? 443.
An, si habeat casum reservatum cum non reservato, nec adsit, qui absolvat a reservato, teneatur confiteri non reservatum? 444.

OSwaldus Parochus ruralis lacertosus simul & litigiosus, orditur levi ex causa rixam cum rusticis, idque non diu ante festum quoddam solennissimum. Ex rixa progreditur ad indignas contumelias, quibus irritati illi invadunt hunc Herculem, qui aliquamdiu non solùm contra duos, sed etiam adversus plures ferociter se defendit, sed tandem humi sternitur, pugnisque cæditur probè, seu si mavis, improbè. Ubi festus dies illuxit, fecit Sacrum animo per homologesin ideo non expurgato, quòd nec posset ad proximum parochum se conferre, nec vellet eum ad se accersere. Exacto illo festo non accessit confessarium, nisi pridie dici, quo erat ipsi rursum sacris operandum. 426

Jam valde pridem vitam cum morte commutavit notus mihi Oswaldus, de quo hæc probrosa sanè tragœdia mihi narrata est ab iis, quibus, cur fidem non habeam, non habeo. 427

Quæritur jam I. *Utrùm non graviter deliquerit Oswaldus, quòd eo die Sacrificium peregerit, non priùs manifestatâ ulli presbytero suâ scandalosâ contentione, ac rixâ?* 428

Pro resolutione hujus quæstionis suppo- 429
nendum est *primò*, esse juris, & *Ecclesiastici*, &, ut permultis placet, *Divini*, ut, quemcunque conscientia peccati mortalis gravat, eam exoneret apud confessarium, priusquam sacram Synaxin percipiat, adeóque sacrificet, essèque hanc confessionem ita rigidè præceptam, ut licèt quis ab Angelo edoctus esset, se per contritionem perfectam obtinuisse à Deo veniam delictorum, haud tamen fas esset ei, *per se loquendo*, accumbere mensæ angelicæ, sicuti declarabo, & probabo *in Alphabeto Communicant. Cas. XV.* qui totus est de confessione præmittenda Communioni Sacræ.

Supponendum est *secundò*, esse tamen non- 430
nullos eventus, quibus fas est celebrare, licèt post peccatum mortale nulla sit, nisi apud Deum facta Confessio. Illos eventus enumero *in cit. Alphab. Cas. XVI.* intérque eos ex communi omnium exprimo illum, quo quis ratione officii, ut e. g. parochialis, diebus festis tenetur legere Missam, & tamen non habet copiam confessarii. Excusabitur enim talis à benignissimo Domino Deo, & ejus sponsa Ecclesia, dummodo eliciat veram contritionem, id est de peccatis dolorem, idcirco præcipuè conceptum, quòd Deum tam bonum, tam amabilem, omnique genere perfectionis infinitè præditum offenderit. His suppositis

Respondeo ad quæstionem, Oswaldum 431
non peccâsse quidem non accedendo sacerdotem,

rem, apud quem se reum ageret suæ agrestis petulantiæ, quandoquidem supponitur in facti narratione non potuisse, nisi perquam difficulter tantum itineris facere, utpote à rusticis pene delumbatum, nimis crassè exasciatum. Et *generatim loquendo*, sacerdotes non obligantur pro confessione præmittenda Sacrificio conficere iter valde molestum, ratione aut invaletudinis, vitiive corporalis, aut tempestatis, ut cùm densa nix, pluviáve cadit continua. Aut distantiæ, qualis communiter est duarum horum in itu, totidem in reditu, sal- 432
tem hieme. Certè Gavantus *Part. 3. Tit. 8. nu. 3. absolutè* dicit, tunc censeri non adesse copiam confessarii, quando is longiùs abest, quàm *commodè* adiri queat. Et Canus apud Dicastillo *Tract. 4. De Euchar. Disp. 6. num. 104. absolutè* tradit, tunc non adesse, quando Confessarius distat tribus Italicis (ut explicat Dicastillo) milliaribus, quæ conficiuntur circiter quinque horæ quadrantibus. Quamquam Cano repugnat Dicastillus.

Peccavit tamen, si potuit è vicinia unius e.g. 433
horæ accersere *commodè* confessarium. Qui enim ad aliquid tenetur faciendum, tenetur etiam adhibere media saltem ordinaria. Palaus *Tract. 3. Disp. 1. Punct. 21.* ex communi. Est autem ordinarium, ut ægri suscepturi Euc aristiam vocent ad se confessarium. Hanc doctrinam vel im probè notari, quia timeo, ne sat multi sacerdotes ruri commorantes negligant præceptam homologesin idcirco, quòd nec possint conveniri ab illo sine infamia &c.

Nihilominus excusabuntur tales, si idcir- 434
co negligant se sistere sacro arbitro, quòd non *certò*, sed solùm *probabiliter* existiment, se contraxisse noxam lethalem. Constat quippe, esse receptam in scholis, & Confessionalibus doctrinam communem negantium, esse *divino*, aut *humano* jure præceptum, ut sacræ Communioni præmittamus confessionem peccati illius, in quo committendo nos solùm venialiter peccâsse, probabile sit. Quandoquidem sacra Synodus Tridentina *Sess. 14. Cap. 5.* tam clarè pronuntiat, nos non obligari ad ulla peccata confitenda, nisi ad ea, per quæ nos Deum mortaliter offendisse meminimus. Quod etiam nonnulli graves Doctores sentiunt, quando propriè dubitamus, an mortaliter deliquerimus, sicuti referam *in Alphab. Communic. Cas. XV.* Sed, amabo, ne sequâre in praxi hanc doctrinam de Dubitantiis, quando tu ipse dubitas, ne scilicet te ipsum decipias. Ad hæc juvabit, in præsente memoria habere illos sedecim Casus, quibus ego vel ex mea, vel ex aliorum opinione dicam *in eodem Alphab. Cas. XVI.* posse absque confessione accedi aram, vel in jam accessa pergi ab eo, quem gravat conscientia mortalis criminis.

Quæritur II. *Utrùm noster Oswaldus non* 435
commiserit novum peccatum, quòd, postquam in illo solenni festo Missam cantavit sine Confessione, quia hanc facere non poterat, non statim fuerit confessus, sed manifestationem sacramentalem suæ injuriosæ percussionis, ac scandali distulerit, donec ei fuit rursum litandum?

Rationem dubitandi fundamentalem suggerit sola Synodus Tridentina *in Sess. 13. Cap. 7.* ita statuens: *Quòd si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Quam sanctionem, in nostris quoque Constitutionibus Synodal. *Part. 1. Tit. 9. num. 7.* diserte admissam magni quidam Doctores relati à Patre Escobar *in Theolog. Moral. Lib. 2. probl. 58.* hoc sæculo ita intellexerunt: ut existimarent primò, verbis Concilii tradi duntaxat *Consilium*, non autem *præceptum*. Existimarent secundò, particulæ: *quamprimum* ibidem expressè hunc duntaxat esse sensum: *Cùm suo tempore sacerdos confitebitur.* Verùm neutra harum explicationum potest hoc tempore sustineri. Si quidem Alexander VII. retulit inter vetitas ratione scandali sententias quadraginta quinque, loco *trigesimo octavo*, & *trigesimo nono* hasce duas: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.* Item: *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cùm sacerdos suo tempore confitebitur.*

At nihilominus quæri potest 1. *Utrùm illud* 436
jam indubitatum præceptum obliget sub mortali, an solùm sub veniali? 2. *Utrùm videatur etiam prohibita doctrina illorum, qui censebant, per illud adverbium*: quamprimum *intelligi, quamprimum talis volet iterum celebrare?* Ad *primam* quæstionem respondeo ex communissima in nostris scholis doctrina adversus Villalobos, Ledesmam, Machädum, Tamburinum apud Dianam *Part. 9. Tract. 3. resolutione 22.* obligare sub mortali; tum quia materia hujus præcepti est sine omni dubio gravis, ac plurimùm facit ad venerationem summi hujus Mysterii conservandum: tum quia non est moris in Ecclesia, ut tam operosè, tam studiosè, ac reflexè, cúmque minitatione gravissimarum pœnarum corporalium, & spiritualium prohibeatur doctrina errans in eo solo, quòd neget, aliquid esse sub ullo etiam veniali peccato præceptum, quod tamen revera sit sub veniali duntaxat vetitum, quandoquidem judex debet pœnam metiri ex culpa. *Cap. Felicis. De pœn. in 6.*

Ad *alteram* quæstionem videri potest non- 437
interdicta illa explicatio vocalæ: *Quamprimum.* Cùm enim lex illa, seu decretum Congregationis approbatum à sua Sanctitate sit pœnale, utpote decernens gravissimas pœnas, extendendum non videtur ultra omnem omnino proprietatem, omnem omnino usum verborum. Verba autem illius decreti nequeunt sub ulla proprietate, aut ex ullo usu intelligi de celebratione. Addo tamen, nunquam mihi probatam fuisse illam explicatio-

nem ejusdem particulæ, tametsi pro ea referant Diana *Resolut. 23.* & Pater Palaus Binsfeldium. Quis enim est ita rudis, ut sine Magisterio Oecumenici Concilii ignoret, incumbere sibi, volenti hodie dicere Missam, onus mundandi confessione animam, si forsan ante duos, decem, quindecim fecit Sacrum ideo non confessus, quòd deesset copia Confessarii?

438 Addo quoque, illam explicationem esse nihilominus *implicitè* approbatam usu sacerdotum Germanorum. Excepi ego horum confessiones longè plurimas in Diœcesibus valde diversis, excepêre alii viri graves, quos studiosè interrogavi, fatentur illi mecum, se aut nullum sacerdotem sæcularem reperisse, qui censeret, se deliquisse, quòd confessionem, quam *per se loquendo* debuisset, &, si potuisset, voluisset præmittere celebrationi peractæ, distulerit ad tempus, quo erat ipsi rursum litandum, & tamen nostræ Synodales Constitutiones loquuntur, sicut Tridentinum. Imò nostri Professores Theologiæ Moralis tradunt suis auditoribus communissimè doctrinam Germanorum Theologorum, Tanneri, Laymanni, Dicastilli, Busenbaum, contrariam illi Binsfeldianæ explicationi. Estque mihi verosimillimum, hunc errorem non emendatum iri etiam post publicationem Congregationis de-
439 creti, de quo suprà. Quod tamen decretum censeo nunc quoque intelligendum eo sensu, quem in altera excusione hujus Alphabeti expressi verbis sequentibus: *Si Sacerdos conscius peccati mortalis vel post ultimam Confessionem admissi, vel in ultima obliti faciat Sacrum (non autem si communicet more Laico) Confessione non præmissâ, ut par erat, sed omissâ idcirco, quòd eum urgeret necessitas, seu quòd teneretur sacrificare, at nequiverit confiteri propter temporis brevitatem, Confessariique defectum, seu penuriam, obligatur sub mortali confiteri quamprimum, id est, saltem tertio die post illud Sacrum sine exhomologesi factum, esto nec habeat in animo celebrare, nec præceptum confessionis illum aliunde, seu alio titulo urgeat.* Eámque ob rem hactenus dictis addo plenioris doctrinæ ergo sequentia.

440 I. Præcepto Tridentini Concilii, & Congregationis declaratione probabiliter non tenentur illi Sacerdotes, qui habentes copiam confessarii, eâ tamen non utuntur vel ex malitia sacrilega, vel ex inadvertentia sui mali statûs. Etenim palàm est verbis Concilii intellectis juxta sensum literalem, aut communem non comprehendi, nisi illos, qui confessionem omiserunt: *urgente necessitate.* Atque ita tenent Nugnus *q.* 80. *a.* 4. P. Suarez *Disp. 66. Sect.* 7 plurésque alii, agnoscentes etiam tunc illam necessitatem, quando sacerdos, paulò antè consecrationem, vel communionem, committit aliquod novum, aut recordatur alicujus antiqui peccati mortalis, ut videre est apud Dom. Reding *Tom. 6. q. 6. a. 3. Controvers. 4.* At tenetur probabiliter ille, qui carens Confessario sacrificat, dicens apud se: *Etiamsi adesset Confessarius qualiscunque, attamen non confiterer.* Amicus apud Dianam *Resol. 31.* Etenim Ecclesia non judicat de tam insolitis internis.

II. Præceptum illud confitendi *quamprimum* 441
infert necessitatem vel *quamprimum* quis post Sacrum factum habet copiam confessarii. P. Tannerus *Tom. 4. Disp. 5. q 8. num. 27.* vel intra triduum. Diana *Cit. Tr. 3. Res. 33.* & meritò, nam vox *quamprimum* seu *illico* significat idem, quod post triduum. *Leg. fin. C. De error. advoc. & L. fin. C. De judice.* III. Quandonam censeatur urgere necessitas ad sacrificandum sufficiens ad id, ut quis carens confessario *licite* celebret: item quandonam rectè dicatur abesse copia confessarii, explicabo *in Alphab. Communic. Cas. XVI.* IV Sacerdos malitiosè 442
omittens Confessionem præmittendam Sacrificio, non committit quinque peccata mortalia, *Unum* ratione omissæ Confessionis. *Alterum* ratione omissæ Contritionis. *Tertium* ratione oblationis indignæ. *Quartum* ratione Consecrationis indignæ. *Quintum* ratione Communionis indignissimæ. Diana *Part. 2. Tr 14 Res. 24. Part. 9. Tr 3. Resol. 32.* Quia Confessio, Contritio, Oblatio, Consecratio ordinantur ad Communionem. Atqui actus, qui ad idem ordinantur, sunt ejusdem, ut sic, speciei. S. Thomas 1.2 *quæst. 72. a. 6. in corp.* Et consequenter etiam non differunt *per se loquendo.* Idem dixi superiùs de illo, qui sacrificat non jejunus, imò & excommunicatus, ut videbimus *Cas. seq.*

V. Quando sacrificans ante Consecratio- 443
nem recordatur, se post ultimam homologesin deliquisse mortaliter, si non elicuit ante Sacrum contritionem, debet ante consecrationem supplere. Lugo *Disp. 14. Sect. 6. n. 134.* Tamburinus *loc. cit. n. 57.* rectè observans, commodissimum tempus huic rei esse, cùm peragit memento. Si autem illud peccatum mortale fuit oblitus in postrema Confessione, communiter non opus esse elicere actum Contritionis, dicam *eodem Cas. XVI.*

VI. Quando Sacerdos est oneratus duobus 444
peccatis mortalibus, quorum unum est reservatum, alterum non item, & habet quidem copiam confessarii pro non reservato, at non habet, nec commodè habere potest pro reservato, seu absolutione à reservato. 1. Probabile est, non obligari ad ullam præmittendam confessionê. 2. Probabile est, obligari ad confessionê, sed solius peccati non reservati. 3. Probabile est, obligari ad confessionem tam reservati, quàm non reservati. Hæc tria dico probabilia, quia singula habent magnos, gravésque patronos, quos referunt Lugo *cit. Disp. 14.* Dicastillo *cit. Disp. 9. dub. 7.* atque alii passim. Nihil hîc determino, aperturus sensum animi loco proprio, id est *in Alphab. Confessariorum Cas.*

Cas. VIII. ubi generatim differo de non habente Confessarium præditum potestate in reservata.

Appendicula Apologetica.

445 REpræsentavi suprà *num. 439.* verba, sensum, & sententiam, quam non modò *probabilissimam* vocavi in altera (præsens est sexta) editione hujus Alphabeti, *num. 438. & 439.* sed expressè addidi eodem *num. 439. omnes particulas* allatæ explicationis *a me admitti.* Nihilominus P. Stephanus à S. Paulo usus il.â ipsâ impressione *in sua Theologia Moral. Tract. 5. disp. 4. num. 22. edit. 3.* differtè scribit, à me, & quidem *malè doceri*, verba Tridentini habere hunc sensum: *Tenetur sub veniali confiteri*, aut etiam *suademus, ut confiteatur quamprimum.* Estne, oro, *absolutè*, dicendus P. Stephanus docere, vacare culpâ mortali oscula præbita, cum intentione solius delectationis sensualis? utique negabit, tametsi defendat hanc propositionem ut probabilem; sicuti nec ego defendi, nisi ut *practicè*, propter authoritatem magnorum DD. probabiles illas duas explanationes, *absolutè* autem præferens, ut liquet, priorem. Quare inurit ipse mihi gratis notam contradictionis apertæ, dum sciens, *expressè, absolutéque* admitti à me omnes illas, de quibus suprà particulas, scribit nihilominus, doceri à me (uno eodémque loco contrarium circa idem. Cur ita inhumanum hîc, & alibi se gerat erga me, nunquam verbulo à me læsus, novit meus, ipsiúsque supremus Judex.

CENSURA IRRETITO NON SACRIFICANDUM.

CASVS XV.

Tragico-Comicus.

SVMMARIVM.

Casus hostiæ Sacræ immobilis, quando erat præbenda Excommunicato. 446.
Quæ censuræ arceant à Sacrificio? 448.
Irregularis suscipiens Sacerdotium non incurrit novam censuram sacrificando. 450.
Discutitur quæstio, an evaserit irregularis, qui ex mandato Magistratûs sæcularis comitatus fuerat cum armis hominem deductum ad locum extremi supplicii? 452. & seqq.
Concluditur affirmativè *cum communi contra nonnullos. 452.*
Omnes sunt irregulares, qui judici participant. 454.
Item omnes, qui reum comitantur ad furcam securitatis causâ. 455.
Contraria tamen sententia non est penitus improbabilis, 457.
Refertur hanc in rem rescriptum Nuncii Apostolici. 461.
Respondetur nihilominus ad rationes oppositas. 463.
An, qui per contritionem perfectam resipuit à peccato, propter quod incurrerat excommunicationem, licitè peragat Sacrum ante absolutionem? 466.
Describitur decretum recentissimum Congregationis contrarium opinioni affirmativæ. 467.
In quibus casibus liceat censurato Sacrificare? 468.
An, qui excommunicatus sacrificat, satisfaciat confitendo: Celebravi sacrilegè? 471.
Ignorans non incurrit censuram. 472.

PEtrus Fernandez (*hoc nomen erat homini*) *excommunicatus, quòd debitum* 446
pecuniarum solvere nollet, solvit; ratus se satisfeciss, neglexit petere absolutionem Censuræ. Ad mortis autem terminum pervenit hic homo. Sacerdos ad eum sanctum Sacramentum pertulit, multâ gente comitatus, & solitis petitionibus factis, cùm vellet ei Sacramentum administrare, quod in patena ex argento habebat, nullâ viâ, aut diligentiâ potuit ab ea amovere. Quare tam ille, quàm cæteri, qui aderant commoti, omnes foras ut irent, sacerdos jussit, existimans fieri posse, ut id aliquo magno peccato accidisset, quod confitendum illi reliquum esset. Hoc autem ab illo petiit & audivit, se nullius peccati fuisse reum, quod minimè confessus esset. Tum sacerdos, interrogavit ægrum, nunquid in aliquam excommunicationem incidisset, cujus absolutionem non esset consecutus. Tum ægrotanti in mentem venit sua superior negligentia, & absoluto alia hostia illi fuit administrata, ut illa prior ad perpetuam hujus rei memoriam asservaretur, quæ adhuc extat in eadem patena sine ulla corruptione. Et ego indignissimus (inquit Historicus Illescas) *in meis manibus patenam maximam cum admiratione habui, cùm viderem panis species incorruptas permanere ab hinc centum viginti Annos, & hostiam ita patenæ affixam.*

Hanc historiam his verbis posteritati man- 447
davit per suum interpretem Latinum gravissimus Doctor Ludov. Granatensis in sua sapientissimè, ut solet, conscripta *Introductione Symboli fidei Lib 2. cap. 27. sub medium*, testans, esse & comprobatam, & certam.

Præbet autem hic Casus Tragico-Comicus 448
justam causam quærendi.

An, & quæ Censuræ arceant ab ara sacerdotem? Resp. I. Excommunicatio major *Cap. Cùm illorum, c, Si quem. De sent. excomm.* o-

mnésque Doctores post S. Tho. *quæst. 52. art. 9.* observantem, esse etiam nefas, audire Missa excommunicati, sicuti & concubinarii. Item excommunicatio minor; privat quippe perceptione Sacramentorum. *Text. expr. c. penult. De sent. excomm.* II. Suspensio à beneficio non utique privat jure Sacrificandi; privat autem suspensio ab ordine *Cap. Literas. De tem-*
449 *por. ordinat.* & Doctores *ibid.* III. Sicuti interdictum *personale*, seu latum in personam *directè* privat jure sacrificandi, quocunque loco, ita *locale* jure sacrificandi in loco, qui interdictus est. Doctores in *Cap. Non est vobis. De sponsal. Cap. Quodin te, De pœnit. & remiss.* Videri possunt obvii Casistæ *in Tract. De censuris.* IV. Degradatio, ac depositio, licèt non sit propriè Censura, quandoquidem est quidem pœna, sed non medicinalis, aufert tamen jus ad altare. *Cap. 2. De pœnis in 6.* Doctores cum Palao *De cens. Disp. 4. punct. ult.*

450 Irregularitas quoque, licèt non sit propriè censura, attamen irregularis ad Ordines suscipiendos, vel exercendos peccat utique mortaliter sacrificando. Doctores omnes tractantes de hoc argumento. Licèt autem quis irregularis suscipiat vel bonâ, vel etiam malâ fide Ordinem sacerdotalem, in eóque bonâ, aut malâ fide semel, aut sæpius exequatur divina, non tamen idcirco incurrit ullam censuram, sed prior quasi-suspensio identidem permanet. Ita ego abhinc decennium respondi interrogatus in Casu, qui tunc contigerat traditque apertè Filliuc. *Tract. 19. cap. 3. num. 69.* Ratio est, quia in toto Jure non reperitur ulla nova pœna decreta huic delicto, sicuti etiam in recentissimo eventu resolvi cum communi DD. apud Avilam *De censur. Part. 3. disp. 5. dub. 7. notat. 10. Religiosum, qui ex errore prorsus inculpabili fuerat ordinatus sacerdos paulò ante legitimam ætatem, non potuisse primam hostiam Deo offerre nisi in legitima ætate, aut per dispensationem Pontificis.*

451 In eodē priore Casu quærebatur: *Utrùm irregularitatem contraxisset quidam Sempronius, qui in bello justo defensivo militaverat, pacisque articulis confectis, & utrinque approbatis, Stichum à parte hostili deditum ex pacto, deduxerat ad locum extremi supplicii, mox illati; deduxerat autem tanquam miles integræ cohortis à Magistratu constitutæ, & præter morem idcirco, quòd timeretur, ne pars adversa conaretur Stichum eripere supplicio, hácque ratione suscitarentur scintillæ belli nondum planè extinctæ.*

452 Respondi ego, Sempronium factum fuisse irregularem I. Quia *Cap. 1. dist. 51.* irregularitati subjiciuntur omnes *curiales* in causa sanguinis; per *Curiales* autem intelliguntur omnes, qui in quacunque sæculari curia sunt Ministri in causa sanguinis *Quomodocunque* ad illam cooperando. P. Suarez *Tom. 5. in 3. part. Disp. 47. Sect. 4. num* 1. à quo illud capitulum bene explicari testatur Barbosa *in idem Capitulum*, consequenter approbans hanc interpretationem.

Deinde quia *Cap. Ex literis. De excess. prælat.* indignus altaris ministerio judicatur Epi- 453
scopus, quòd furis suspendio non tantùm authoritatem præstiterit, verùm etiam præsentiam corporalem. Quo loco Abbas post Gloss. Innocent. & Speculatorem *verbo. Dispensatio* §. *Juxta. vers. Item litigiosus* observat, omnes illos esse incapaces Ordinum sacrorum, qui suâ præsentiâ authoritatem præbent ad deformationem; omnéque ita sentire, & sine dubio verum esse, testatur Suarez *loc. cit. num. 10.* Atqui Sempronius cum sua cohorte præbuit authoritatem suâ præsentiâ illi supplicio. Id ipsum, quod Suarez, aliquanto tamen clariùs docet P. Tann *Tom. 4. in 3. part. Disp. 6. quæst. 10. num. 206.* affirmans, esse certum, & extra controversiam incurri irregularitatem ab omnibus, qui reum ducunt, vel *authoritativè* comitantur.

Accedit III. Perspicua authoritas S. Tho- 454
mæ *in 4. dist. 25. quæst. 2. ad 2.* scribentis: *Omnes* esse irregulares, qui judici *participant* in causâ sanguinis; participavit autem phrasi Theologicâ & Canonicâ Sempronius, ut agnoscent, qui animo repetent, à Theologis, ac Juristis communissimè rectissimè dici, omnes esse furti, homicidii, proditionis, stupri participes, quotquot ex instituto advigilant cum armis, ne quis impediat hæc scelera.

Denique lictores, satellites, milites, qui 455
seu equis, seu pedibus comitantur ad locum supplicii Prætorem, aut securitatis causâ reum subjacere defectui perfectæ lenitatis, atque irregularitati, tradunt in terminis terminantibus Sylvester. *verbo homicidium. quæst. 2. nu. 2* Navarrus *in Man. Cap. 27. num.* 217. Toletus *Lib. 1. cap. 86. num. 4.* Molina *Tract. 3. To. 4. disp. 74. num. 1.* Henriquez *De irregul. Cap. 12. num. 2.* Sayrus *in Thesauro Lib 6. cap. 16. num. 12.* Avila *Part. 7. Sect. 2 dub. 1.* Filliuc. *Tract. 19. num. 269.* Bonacina *De censur. Disp. 7. quæst. 4. punct. 1. num. 8.* Laymannus *Lib. 3. Tract. 3. part. 3. cap. 7.* Palaus *De censuris Disp. 6. punct. 14.* P. Alloza *in Floribus* seu *Alphabeto Morali. Verb. Irregularitas. Sect. 4.* ubi sic scribit: *Omnes Ministri in causa sanguinis irregularitate ligantur*, citátque pro se Villalobos.

Hoc responso à me dato, ac multis probato, 456
certò comperi, viros quosdam eruditione Theologicâ præsignes, & quidem in duobus diversis locis aliud judicâsse, quorum nonnulli movebantur hac ratione, quòd cohors illa fuisset adhibita ad vim propulsandam, adeóque solius defensionis causâ, tantò probabiliore, quòd bellum illud nondum esset penitus extinctum. Alii autem hac, quòd non incurratur irregularitas, nisi in casibus in jure expressis *Cap. Is, qui. De sent. excomm. in 6.* casus autem satellitum non sit expressus in jure.

Ego

457 Ego quidem propter tantorum virorum mihi notissimam sapientiam scribo nunc, quod nunquam vel in scholis, vel extra eas scripsi, aut dixi, eorum opinionem videri mihi non penitus improbabilem; illorum tamen optimâ pace præfero meam. Ratio, cur adhuc præferam, est authoritas Juris, & Doctorum superiùs allata; ut proinde hîc vel maximè locum habeat illa sententia Cœlestini Papæ *Cap. Prudentiam. De off. jud. deleg. Integrum est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur.*

458 Accedit stylus nostræ Curiæ, & omnium, ni fallor, communis; practicantur enim in Curiis sententiæ textibus juris firmatæ, clarissimè traditæ à pluribus Doctoribus, à nullo, aut vix ullo palàm, & clarè negatæ; atqui habeo justissimas causas credendi, nullum planè Canonistam alicujus nominis extare, qui clarè neget opinionem à me hactenus defensam; nullum etiam Theologum reperio, qui pro contraria sententia loquatur tam apertè, quàm P. Emmanuel Sa *verbo Homicidium. num. 4.* dicens: *oportet* (ad incurrendam irregularitatem) *dedisse ad mutilationem causam propinquam, & ad deformationem directam ex natura*
459 *sua.* Mihi etiam scribitur, Pellizarium *Tract. 7. cap. 5. num. 173.* docere, irregularitatem hanc incurri solùm à personis necessariis ad cognitionem judicialem, & à *proximo* executore sententiæ. Sed revera P. Pellizarius hoc non dicit, imò concedit, irregularitatem ob defectum lenitatis perfectæ incurri à ministris justitiæ; atqui ii, de quibus est hîc lis, sunt ministri justitiæ, singulariter quando constituuntur idcirco, quòd subsit peculiare periculum, ne damnati capitis liberentur per vim. P. Josephus quoque Giballinus noster, diligentissimus explanator irregularitatis, utpote de qua proprium librum misit in lucem, scribit quidem *Cap. 4. Reg. 3.* rotundè, hanc, & injusti homicidii irregularitatem Incurri ab eo solo, qui est causa *proxima principalis*, vel *minùs principalis* deformationis, non autem ab eo, qui est tantùm *remota*. Verùm quia paulò pòst, rursum exprimens, nunquam à causis minùs principalibus contrahi illam inhabilitatem, subdit hanc limitationem: *Nisi in aliquo casu expresse exprimatur*, fatetur autem exprimi *in Cap. Aliquantos, primo Dist. 51.* in quo quidem nominantur *curiales*, adeóque satellites, idcirco hic recentissimus scriptor favet potiùs nostræ
460 resolutioni, quàm contrariæ. Nihilominus tamen potest in aliquod qualecunque robur ejusdem contrariæ nobis resolutionis adferri Rescriptum, quod Illustrissimus Dominus Nuncius Apostolicus ad Helvetios, postea Cardinalis Borromæus, dedit in hoc individuo Casu ad sacerdotem, petentem dispensationem super eo. Sic verò habet Rescriptum:

461 *Federicus Borromæus Dei &c. Patriarcha Alexandrinus S. D. N. ad Helvetios &c. Nuntius Dilecto &c. Exposuisti nobis, te à Vicario Generali N. à Missæ Sacrificio suspensum ex eo fuisse, quòd præteritis Annis Senatûs N. vexillum in bello contra rebelles secutus fueris, ac eâ occasione unà cum aliis militibus duos capite plectendos ad supplicii locū fueris comitatus, ac propterea ab aliquibus judicatus irregularis, ab aliquibus non. Ad removendū scrupulum nobis supplicâsti, ut tecū super dicta irregularitate, si qua sit, ad cautelā dispensare, téque absolvere dignaremur &c. Nos igitur &c. super dicta irregularitate, si fortè eam incurristi, ad cautelam dispensamus, téque ita absolvimus &c. 10. Julii Anno 1659.*

In hoc rescripto noto, illud favere utcun- 462
que judicio dictorum Theologorum. Cùm enim sit Nuntiorum Apostolicorum jura Canonica tueri. *Argum. Cap. Ecclesia. 57. De elect.* si clarum fuisset, illum Oratorem incurrisse irregularitatem, D. Nuntius dispensâsset cum eo non ad cautelam, sed *absolutè*, juxta communem Suarii *Lib. 2. De juramento Cap. 15. num. 7.*

Ad *primam* in oppositum rationem, allatam 463
num. 456. Respondeo, ex ea, si quidem vim habet aliquam, sequi, ne quidem judicem, aut carnificem Stichi contraxisse irregularitatem, quod tamen nemo, puto, dicet, cùm hactenus nemo dubitârit, defectum perfectæ lenitatis in eo consistere, quòd quis sit ob vindictam causa deformationis; certum autem est Stichum fuisse patibulo affixum in pœnam suæ injustæ rebellionis.

Ad *alteram* rationem dico, Casum nostrum 464
satis expressè contineri in jure, quandoquidem textus à nobis productos ita interpretantur Canonum, Theologiæque periti. Agnosco nihilominus, Henriquez *cit. Cap. 12.* dubitare, an revera ad hos satellites extendantur textus Juris? Et contrariæ sententiæ favere videri complures, qui enumerantes singula genera hominum, contra hæc tium illud impedimentum, de quo disceptamus, non excludunt quidem apertè satellites, non tamen etiam apertè includunt. Illos, qui *omnes ministros* 465
justitiæ involvunt prædicto impedimento, nomine *ministrorum*, intelligere etiam lictores, ac satellites. Ego semper censui, atque nunc observo, ita expressè accipi à Palao *loc. cit. n. 1.* ubi tradens, à solis *ministris* publicæ justitiæ incurri hanc inhabilitatem, subdit *num. seq* Eâdem ligari comitantes *ad custodiam* tam equestres, quàm pedestres. Ergo longè magis comitantes ad patibulum.

Quæritur II. *An, qui per contritionem per-* 466
fectam respuit à peccato, ob quod erat percussus anathemate, licitè *peragat Sacrum, priusquam sit absolutus vel à confessario, vel à judice fori externi?* Resp. 1. Non *licitè* peragit publicè, si excommunicatio fuit publicè nota; dat enim non levem causam gravis scandali. Resp. 2. Imò nec privatim. Suarez *in 3. Part. Tom. 5. d. 9. Sect. 3.* expressè, dicens fore absurdum, si quis

hoc

hoc diceret Consentit in hoc Tann. *cit. Disp. 6. q. 19. n. 112.* quâvis videatur contradicere Navar. *in Enchiridio Cap. 27. n. 18.* Ratio est, quia manente causâ manet effectus. Atqui certum est, quòd ille sit nihilominus in foro Ecclesiæ excommunicatus, cujus excommunicationis effectus est privatio Sacrificii.

467 Confirmatur hæc doctrina validè exemplo nostri Fernandezii, quem Deus noluit fieri participem Sacræ Communionis, priusquam esset rite absolutus à Censura. Quantam, putas, incurrisset indignationem Numinis, si vel contempsisset anathema, vel ejus absolutionem intentatis minis extorsisset? In hoc quippe secundo casu & absolutio fuisset invalida, & nova excommunicatio contracta. *Cap. Vn. De his, quæ vi, in 6.* sicuti in facti contingentia aliquando respondi. Hæc omnia scripseram in penultima, seu altera editione hujus Alphabeti, cùm in firmamentum datæ resolutionis emanavit 18. Martii Anno 1666. illud decretum, de quo jam toties facta mentio Congregationis, & in quo interdicitur doctrina, & usus hujus propositionis 43. *In foro Conscientiæ reo correcto, ejúsque contumacia cessante, cessant censuræ.*

468 Quæritur III. *In quibus Casibus liceat excommunicato, suspenso &c. Sacris operari?* Resp. Non est improbabile, licere in omnibus, in quibus licet, aut non confesso, quitamen confiteri teneretur *per se*, aut non jejuno. Etenim Vasquez *Tom. 3. in 3. p. disp. 108. num. 13.* expressè docet, si non videre causam, ob quam interexcommunicatum, non jejunum, & non confessum fiat discrimen in ordine ad obligationem recedendi à Sacro bonâ fide cœpto, quando quis sub eo recordatur, se obnoxium uni ex his impedimentis. Consentit Dicastillo *num. 131.* differe negans, requiri majorem necessitatem ad id, ut excommunicatus communicet *licite*, quàm ad id, ut aliquis irretitus peccato mortali, & non habens copiam confessarii, accedat mensam Angelicam.

469 Loquor autem de *occultè* afectis Censurâ, nam rarus omnino casus est, quo *notoriè* excommunicatus, suspensus &c. valeat bonâ conscientiâ obire tam sublime officium, cùm Avila *De Censur. Part. 2. cap. 6. disput. 3. dub. 3.* pronuntiet, excommunicatum vitandum non posse extra necessitatem extremam administrare ulla Sacramenta, & addat *concl. 4.* ne quidem ei licere administrare Eucharistiam extremè decumbenti, si quidem hic jam expiatus sit per confessionem; cujus tamen contrarium tradit Palaus *De Cens. Disp. 2. punct. 8.*

470 Posse irretitum pœnis Ecclesiasticis celebrare præmissâ confessione, vel contritione ob mortis, infamiæ, aut scandali periculum, tradit P. Scortia *De Sacrif. Lib. 2. cap. 6. num. 1.* post Navarr. *Cap. 27. nu. 239* & Azorium *Tom. 1. lib. 10. cap. 31. quæst. 6.* adversùs Covarr. *Cap. Almap. 1. §. 2. num. 11.* & meritò; nec enim suppetit ratio sufficiens asserendi, prohibitionem Matris Ecclesiæ extendi ad pericula tantorum malorum.

Quòd si quis absque legitima causa celebret 471
in censura, probabiliter non admittit peccatum aliter in confessione exprimendum, quàm dicendo: Feci Sacrum sacrilegè. Diana *Part. 9. Tract. 3. res. ult.* post Hurtadum *De Sacram. Disp. 9. diffic. 1.* & Lugonem *Disp. 14.* contra Dicastillo *Disp. 9. num. 12.* Etenim peccat reddentia communionem illicitam opponuntur eodem modo religioni, & circa eandem numero materiam versantur; quare non est, cur specie, aut numero distinguamus.

Adde his, nullam censuram incurri ab eo, 472
qui ignorat, se incurrere; nam sententiis pe statuta Ordinariorum prolatis non ligantur ignorantes, inquiunt Doctores ex *Cap. 2. De constit.*

QUINAM OBLIGATI AD SACRIFICANDUM.

CASUS XVI.

Austriacus.

SUMMARIUM.

Casus Capellani dubitantis, ad quot Sacra sit obligatus, cùm sciat, se obligatum ad Missam perpetuam. 473.
Spectanda est in fundationibus Capellarum consuetudo loci. 477.
Quid intelligatur per Missam perpetuam? 479.
Facienda est à capellano compensatio neglectorum sacrorum. 480.
Quivis Sacerdos tenetur quot Annis aliquoties Sacrificare 482.
Legenda hæc de re concio Adm. R. P. Joannis Pauli Olivæ. Ibid.
Casus sacerdotis, qui expertus suam imperitiam voluit fieri Religiosus, dissimulato prorsus suo Ordine Sacro. 483.
Illa dissimulatio potuit carere omni culpâ, esto prævideret, se totâ vitâ nec sacrificaturum, nec recitaturum Breviarium. 484.
Probatur septem rationibus. Ibid. *& 485.*
Nemo præcisè ex vi legis tenetur perseverare in eo statu, in quo obligetur à lege. Ibid.
Potes differre tuas primitias ad integrum Annum, ut te ritè præpares ad illas. 486.
Teneris celebrare die festo, si nequeas interesse alteri Sacro. 487.
Obligatus ratione stipendii ad celebrandum, peccat mortaliter non celebrando. 488. & 489.
Quid si liberaliter promisit Sacrum? 488
Unum Sacrum est quid magnum in se, at ejus jactura non sit magni ab hominibus, 489.

Explicatur singulariter obligatio parochorum ad sacrificandum. 490. & seqq.
Et specialiter obligatio capellanorum. 494. & seqq.
Nisi constet de contrario, tenetur Sacrificare pro Fundatoribus. 495. & 498.
Quid si quis constituatur, ut sacrificet ad commoditatem viciniæ? 497.
Refertur P. Tamburini clemens opinio de obligatione capellanorum, & canonicorum. 499.
Sæpe non petitur officiatura. 500.
Quid si in literis fundationis ponantur hæc verba: Eligatur sacerdos, qui quotidie sacrificans oret pro me? *501 & 504.*
Quid si ponantur hæc. Assigno hos decem aureos, ut sacerdos celebret pro anima mea? 505.
Discrimen practicum inter legantem mille pro fundatione capellaniæ, & legantem mille pro sacris faciendis statim post suum obitum. 506.
Quomodo intelligenda hæ clausulæ: Volo, ut capellanus meus faciat pro me Sacrum assiduè; &: Volo, faciat pro me per annum integrum. 507.
Item hæc: Lego annuatim in singulos menses 12 Florenos, ut primo die cujúsque mensis quivis è 12. Canonicis accipiat unum Florenum, eâ conditione, ut faciat tunc pro me Sacrum. 508.
Vbi est penuria sacerdotum, potest spectatâ rei naturâ plus pro Sacro dici festivi peti, quàm pro non festivo? 509.
Non licet essentialia Sacri offerre pro eo, qui dedit Ordinariam stipem, & reliqua pro alio. 510.
An, quando accepisti stipem pro Sacro faciendo ubi volueris, possis deinde plus exigere, si celebres in altari privilegiato? 511.
An possit aliquid accipi pro applicatione portionis specialissimæ? 512.
Decretum Congregationis de applicatione hujus portionis. 513.
An titulus præscriptionis quandoque excuset non facientes tot Sacra, quot exprimuntur in fundatione? 514.
Et vice versâ an inducat quandoque obligationem faciendi plura, quam exigat fundatio? 516.
Describuntur novem decreta Congregationis Cardin. authoritate Vrbani VIII. edita, de celebratione Missarum. 418. & seqq.
Describuntur sexdecim declarationes Congregationis, authoritate Vrbani VIII. editæ super novem decretis ejusdem Congregationis, de celebratione Missarum 528 & seqq.
Describuntur dubia, quæ Episcopus Tragurienſis proposuit Congregationi circa reductionem Missarum. 547. & seqq.
Repræsentantur resolutiones illorum septem dubiorum. 551. & seqq

473 *Quodvultdeus simplex beneficiatus habet à suo beneficio pingues valde redditus decimarum, qui ob amissas fundationis lite-*

ras ignorat obligationem suam claram, sed sit tantùm confusam, dicendi scilicet Missam perpetuam. Quærit jam, an verè ad quotidianum, vel ad quot in hebdomada, mense, aut Anno Missas obligetur; & an teneatur facere compensationem sacrorum hactenus neglectorum? & quam illam?

Hanc quæstionem istis verbis quidam Theo- 474
logiæ Professor Viennæ mihi proposuit die 20. Decemb Anno 1656. volens scire, quid de ea sentirem, cùm ille Quodvultdeus seriò cuperet nôsse suam obligationem, quò ei satisfaceret. Ad quam mox respondi in hunc sensum.

Vel ex sola verbali relatione antiquorum 475
constat, esse dicendam Missam perpetuam, vel ex scriptura aliqua? Si ex relatione verbali, fortè possunt authores illius relationis submi nistrare indicia, è quibus deveniatur in certiorem notitiam.

Si tamen neque ex verbis, neque ex ulla scrip- 476
tura possit quidquam certò colligi, videndum, quid egerint decessores Quodvultdei; nam factum præsumitur ab eo, qui erat obligatus facere. Mascard. *De prob. concl. 34.* si videlicet fuêre probi viri, quales præsumuntur in dubio *Cap. fin. De præsumpt.*

Quia tamen potiùs judicandum legibus, 477
quàm exemplo unius alteriúsve. *L. Nemo. C. De sentent & interloc. omn. jud.* spectari debet consuetudo loci, & regionis, in qua situm est illud beneficium, & secundùm illam consuetudinem circa pinguia beneficia vigentem, debet procedere Quodvultdeus. Ita aperrè deducitur ex *leg. Semper 34. ff. De Reg. Jur* ibi: *id sequamur, quod in regione, in qua aliquid factum est, frequentatur.* Vide etiam, quæ ex Cons greg. Cardinalium describo infrà *num 537. &* 539. Quòd si ille mos est varius circa frequentiam sacrorum pro præpinguibus beneficiis, poterit Quodvultdeus uti declaratione, quam adfert illa eadem Regula in fine: *Ad id, quod minimum est, redigenda summa* (sacrorum) *est.*

Si neque consuetudo loci solvit hoc dubi- 478
um, judico, Quodvultdeum obligari ad quotidianum Sacrum. 1. Quia inspicimus in obscuris, quod plerumque fieri solet, *C. Inspicimus. De Reg. Jur. in 6.* Et omnes sumunt argumentum à consuetis. Menoch. *De præsumpt. Lib. 1. quæst. 18. num. 5.* Atqui plerumque in particularibus Ecclesiis totius orbis fieri solet, ut pingues capellaniæ habeant annexum ejusmodi onus. 2. Quia rationes, quibus Theologi 479
probant, quando non constat de intentione præfigenda Missis Capellani, esse applicandas animæ fundatoris, probant, quotidie esse faciendas à divite Capellano. 3. Quia per Missam *perpetuam* non possumus intelligere illam quæ fiat singulis Annis semel, aut singulis hebdo-

domadis etiam semel; foret enim nimia inæqualitas inter datum, & acceptum, quam tamen maximè aversatur justitia. S. Thom. 2. 2. p. 62. art. 11. loquens valde ad propositum. Ergo intelligenda est quotidiana, cùm præsertim vocula *perpetuò* possit accipi pro *semper*. Siquidem *L. Servitutes. ff. De serv. & L. Purè. §. fin. ff. De doli mali except.* sumitur pro *continuò*, debétque regulari secundùm subjectam materiam. (Schardius in voce *Perpetuò*, malè citans Glossam,) seu secundùm materiam actûs, cui adjicitur. Barb. *in Dict. Perpetuò. num. 5.*

480 Tenetur Quodvultdeus *per se loquendo* facere compensationem aliquam obSacra neglecta. Suar. *Tom. 2. De Relig. Lib. 4. De orat. cap. 39. num. 11.* Bonac *De Euchar. disput. 4. quæst. ult. punct. 7. §. 1. & 2. num. 6. & 17.* Nam acceptum ob causâ, causâ non secutâ, obnoxium est restitutioni. Navarr. *De Resar. miscell. 29.* ex communi. Et quidem est ea compensatio facienda per alia Sacra. Bonac. *loc. cit. num. 6.* Laym. *De Sacrif. Miss. Cap. 2. num. 7.* Atque ita, ut, si malâ fide omisit, debeat tot fieri curare, quot omisit, quia nemo de sua negligentia commodum reportare debet, *C. Intelleximus. De judic.* Si autem bonâ fide, quia inculpabiliter ignorabat, se astringi ad quotidiana Sacra, tum non renetur ad quotidiana compensanda, sed imprimis videndum, an, & quanto sit per illas decimas factus locupletior &c.

481 Hæc & plura in hanc rem rescripsi binis literis, lacessitus binis. Retuli autem hoc loco idcirco, quòd principia, quibus sum usus, applicari possint multis aliis particularibus, & quotidianis Casibus. Certè sedecennio, quo hîc versor, resolvi hinc multos à variis personis Ecclesiasticis mihi propositos. Et his scriptis video; resolutionem datam *num. 476. & 477.* extare quoque apud P. Tambur. *Lib. 3. De Sacrif. cap. 1. §. 3. num. 21. 27. & 29.* qui etiam *num. 32.* subdit, quando petitur, ut quis per annum integrum sacrificet, sine dubio exigi, ut toto Anno, nullo die excepto id faciat. Licèt autem, quæ dixi, nitantur bonis, ut puto, rationibus, censeo tamen, esse in ejusmodi dubiis, saltem pro majore securitate, consulendum D. Ordinarium juxta ea, quæ referam *nu. 537, & 539.* Porrò ut *directè* satisfaciam quæstioni, quam præfert titulus hujus Casûs.

482 Dico 1. Probabilius est, quemvis sacerdotem *per se loquendo* teneri aliquoties in Anno ad Aram litare. Ita conformiter doctrinæ S. Thom. 3, *p. q. 83. a. 10.* cum plerisque aliis docet in utramque partem differens Dominicus Sotus *in 4. dist. 13. q. 1. a. 10.* & nervosè Dom. Reding *cit. q. 9. a. 3. Controvers. 1. n. 6.* contra Alensem, Cajetan. & nonnullos alios, absolventes à peccato mortali illum, qui, nisi aliunde sit obligatus, nunquam totâ vitâ utitur potestate consecrandi corporis, & sanguinis Christi. Qui licèt non planè improbabiliter loquantur, attamen probabilius est id, quod hîc assero; quia conforme judicio plerorumque doctorum, proborumque: imò pleriorum, quinalè sentire solent de sacerdotibus, hoc tam pretiosum talentum defodientibus. Unde dolens Innoc. III. *c. Dolentes. De celebrat. Missarum*, reprehendit eos, qui Missarum solennia vix quater in Anno celebrant. *Omnis Pontifex* (& sacerdos, ut explicant passim interpretes) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*, inquit Apost. *ad Hebr. c. 5.* Ob quod effatum Apostoli, aliásque rationes sapienter, sagacitérque inventas, probat perquam nervosè, atque eloquenter, ut solet, Admodùm Reverendus Pater Joannes Paulus Oliva nostri Ordinis Præpositus Generalis in Volumine secundo simul & fœcundo suarum (quas jure nuncupâris *Politissimum Speculum Prælatorum*) in Sacello Pontificio habitarum Concionum *Conc. XIII.* incumbere Episcopis obligationem, ut persæpe offerant novæ legis Sacrificium, de quo loquitur Apostolus. Facessivit autem illa communis respectu omnium sacerdotum doctrina, quam tradidi, mihi postea aliquam difficultatem, & perplexitatem circa resolutionem hujus hâc ætate

Casûs singularissimi.

483 *Quirinus initiatus à sexennio ipso usu deprehendit, se non sufficere ad curam animarum, & conciones. Itaque exuit clericalem habitum, & aliò profectus petit in Ordinem admitti religiosum, ut totam vitam inter Fratres Laicos agat, nec vult prodere, se sacerdotem esse, atque adeò nunquam vult celebrare Sacrum, & tuetur se aliquorum Sanctorum exemplo, qui nunquam fecerint Sacrum. Quæritur, an id illi liceat? Ego quidem illi dissuasi, ne ordinem sacerdotalem ita dissimularet; sed nondum persuasi. Velim super hoc intelligere mentem Reverentiæ Vestræ, quæ poterit novæ editioni sui Alphabeti sacrificantium inserere hunc casum.*

Ita ad me 4. Augusti Anno 1665. è vicinia Poloniæ vir quidam doctissimus, quærens insuper, *an, quia ille Quirinus esset se prodituru sacerdotem, si Breviario uteretur, fas esset ipsi loco officiorum præscriptorum certis diebus, & temporibus, quotidie recitare officium Pentecostes, quod eum in finem memoriæ mandavérat?*

484 Ad *primam* quæstionem partim respondi, partim respondeo, esse quidem providè, sapientérque factum *perse loquendo*, quòd ingressus ejusmodi in statum Religiosum esset dissuasus Quirino, nec enim horum temporum mores permittere ejusmodi dissimulationem, quæ & continet aliquam deceptionem, (communiter enim loquendo superiores Religiosi non coo-

optant in suum Ordinem tales, ut ita loquar, Nicodemos,) & involvit necessitatem, ac propositum nunquam gestandi habitum, coronámque clericalem, nunquam utendi illo pretiosissimo thesauro, seu potestate sacrificandi, nunquam etiam ritè persolvendi pensum canonicum. Nihilominus tamen excogitari, aut etiamreipsa occurrere posse causas, & circumstantias, in quibus, & ob quas illa dissimulatio esset licita, ac laudabilis. Ratio à priori est, quia talis dissimulatio etiam unà cum quatuor indicatis appendicibus, id est superiorum deceptione, impotentia, voluntatéque nunquam gestandi habitum, & tonsuram clericalem, nunquam litandi, nunquam ritè psallendi, non est *intrinsecè* mala. 1. Quia fieri potest, ut ille Quirinus tam multum prosit suo monasterio sanctitate vitæ, laboréque manuali, ut si post 10. 12. Annos, aut in agone cogniturus sit superior, ejúsve successor illam piam, ut sic loquar, fraudem, gavisuri sint animitus. 2. Quia plurimi sacerdotes olim vixerunt, hodiéque vivunt inter paganos, & hæreticos, nominatim in Anglia & Hollandia sine habitu sacerdotali, ut possint occultè propagare, aut conservare fidem Orthodoxam. 3. Sacrificium quod attinet, fortè ille Quirinus eo sexennio, ultra sexcenties, millies, aut bis millies obtulerit immaculatam hostiam, adeóque sæpius, quàm si per secuturos Annos 40. menstruatim faceret semel. Faciendo autem semel quot mensibus satisfaceret etiam rigidissimis Theologis. Adde, quòd non sit improbabile, vacare culpâ lethali Mystam, qui nunquam planè sacrificat. Re enim verâ nullum extat præceptum, quod simplices, seu non beneficiatos obliget clarè, indubitanter, & mortaliter ad quandoque litandum. 4. S. Paulinus offerendo se in mancipium, & S. Maurilius, de quo *in Tract. præcedente Cas. XXI. n. 700.* agendo, dissimulatâ suâ Episcopali, ac Sacerdotali dignitate, tot Annis horrulanum viri principis, ac plures alii subiverunt ex motivo virtutis necessitatem illorum inconvenientium, de quibus fit mentio in Casu proposito, ut taceam S. Franciscum Xaverium vivis ereptum in itinere Chinensi, quod susceperat prævidens manifestum periculum perpetui carceris, si penetraret claustra Chinensium. 5. Lex de audiendo Sacro dominicis diebus viguit à temporibus Apostolorum, ut referam *in Alphab. Sacri and. n. 152. Cas. IV.* & quidem sub pœna anathematis, & tamen, ut innumeros Anachoretas, Simeonem, ac Danielem stylitas præteream, Monachorum in Occidente omnibus encomiis Superior parens Benedictus in tyrocinio suæ sanctissimæ conversionis tradidit se in arctissimum specum, & tribus Annis, omnibus, excepto Romano Monacho, hominibus ibi incognitus mansit, ut testatur, & loquitur S. Gregor. in ejus vita *Cap. 1.* Cur licuit huic ad triennium, aliisque sexcentis laudatissimis viris ad longè plures Annos, imò ad totam vitam eligere statum, modúmque vivendi, quo vel nunquam, vel non nisi solennissimo festo Paschatis, atque subinde Pentecostes, essent interfuturi celebrationi Missarum? non autem fas sit, ob gravissimam causam, qualis est humiliatio extrema sui ipsius, & declinario occasionum peccandi, assumere statum, quo nequeant observari illæ leges, de quibus supra? c. Nemo ex vi legis præcisè tenetur perseverare in eo statu, in quo obligetur à lege, sed potest suscipere alium statum, in quo non obligetur, sicuti ex Dicastillo *de Sacramentis. Tom. 1. Tr. 5. Disp. 5. Dub. 10.* observavi, ac discussi *in Theologia Juridico-Morali c. 27. n. 15.* ergo potest ille Quirinus suscipere statum, in quo non obligetur obire functiones sacerdotales. Hanc rationem ut expenderet, suúmque de ea judicium mecum communicaret ille, qui me consulebat Doctor, rogavi eum. Postea respondit ipse, eam rationem videri nimis multum probare, eò quòd sint status, è quibus non datur transitus ad alterum, ita ut prioris status lex obligans cesset, ut si maritus ingrediatur Monasterium invitâ uxore. Verùm hæc replica non evertit illam doctrinam Dicastilli, utpote intelligendam tum de solis statibus mutabilibus, tum de circumstantiis, in quibus positus homo non habet, seu excusationem, seu exemptionem à legis obligatione, tum de legibus positivis. Lex autem obligans maritum, ne suscipiat statum incompossibilem cum maritali, est verè naturalis, tenetur enim ex vi legis naturalis reddere uxori debitum. Hinc nequit sine consensu uxoris suscipere longam peregrinationem, ut explicabimus *Tract. ultimo*, seu *secunda parte Alphab. Matrim. Cas. XXII. n. 760.* Denique quod concernit horas canonicas, earundémque compensationem faciendam illo modo, quo indicatur in Casu, ostendam *Tr. 5. in Disp. tertia de horis canonicis n. 909.* eâ recitatione, de qua fit sermo, non satisfactum iri obligationi per se Breviarii, nisi suppositâ sententiâ Leandri referendâ, & refutandâ *in eodem quinto Tract.* seu *Alphabeto audientium Sacrum n. 603.* quòd scilicet, qui nequit recitare Officium præscriptum, teneatur aliud, si queat. Ergo nihil patrocinabatur illi bono viro propositum supplendi eâ ratione qualitatem Officii divini. Igitur videndum, an transitus ille ad religionem fuerit licitus, posità etiam morali impossibilitate nunquam recitandi Breviarii. Et verò censeo, potuisse (tametsi difficillimè) adesse tam prægnantes causas utendi illâ dissimulatione, de qua statuitur quæstio, ut ob eas *licitè* faceret indicatam mutationem statûs, non obstante lege de penso canonico. Patet tum exemplis Sanctorum Paulini, & Maurilii, de quibus suprà: tum quia sacerdos, qui vellet navigare in Indiam ad excolendas animas gentilium, *licitè* conscenderet Hispali, aut Olyssipone navem jam jam soluturam, nolens

ullatenus expectare nauclero, donec is sacerdos advertens tunc primùm, se oblitum suiBreviarii, rediret ad ædes, accepturus illud. Vide infrà *n.* 726. ubi quæram, an liceat suscipere officium, aut negotium incompossibile cum horis canonicis. Rationes hactenus allatæ, satis meo judico probant, fieri potuisse, ut vir prudens, & doctus, habénsque bene perspectum animum, constantiam, totam indolem Quirini, ac singulariter summum studium se se humiliandi, expediendi se à sæculo nequam, séque Deo offerendi in perfectum holocaustum, connitendique ad summam perfectionem, approbaret ejus propositum, non tamen executioni mandandum sine consensu Episcopi, difficulter utique eum daturi. Est autem mihi perquam verosimile, denique illum Quirinum acquievisse consilio Doctoris me consulentis, &, ut suppono, suadentis, ut vel prosperet sibi in sæculo de beneficio simplici, vel ingrederetur Ordinem, aut Monasterium, in quod recipi consuevêre etiam impares curæ animarum, concionibúsque habendis. Certè si quis mihi obtingeret similis Quirino, darem responsum hîc indicatum, nisi duo, trésve viri docti, sapientes, ac pii, expensis, quæ hactenus protuli, mecum sentirent, jaciendam illam, hoc præsertim sæculo, periculosam aleam.

486 His omnibus addo, liquere vel exemplo nostri parentis Ignatii, non peccaturum, qui hodie creatus sacerdos differret ad sesquiannum suas primitias, studio sè impendendo illud tempus præparationi ad tam divinam actionem, quàm est agere alterum Christum juxta explicationem allatam *Cas.* 3. 93. Addo quoque, excusari posse sacerdotem, de quo sibi noto mihi scripsit ille ipse Doctor suprà memoratus, qui à xxx. Annis non celebraverat ob innumeras perplexitates in Sacrificio occurrentes. Equidem novi ego virum doctissimum, & ipsorum confessariorum Doctorem celeberrimum, qui tamen plurimis Annis abstinuit excipiendis confessionibus ob perplexitates, quas pariebat ipsi nimia sua scientia, & clara cognitio eorum, quæ essent *per se loquendo* consitenda, inquirenda, injungenda. Vidi, & alium jam pridem, sicut, & ille, de quo paulò antè, evocatum ad plures, quem Moderatores ideò arcuerunt in perpetuum ab ara, quòd sub incruento Sacrificio communissimè infestatus tentationibus adversùs fidem retunderet has, & verbis clarè prolatis, & gestibus incongruis loco, tempóreque.

487 His adde, *per accidens* te obligari ad Missam dicendam, quando, nisi dicas, oportebit te carere Sacrificio in die festo, sicuti respondi, olim Illustri personæ sacrificanti. Nam & utique teneris tempore Paschali semel saltem operari Sacris, si cæteroquin cogaris tunc carere Paschali Communione. Et præceptum de Sacro audiendo non utique intelligitur de Sacro alieno, duntaxat. ergo intelligitur de aut alieno, aut proprio in defectu alieni, sicuti pluribus declarabo in *Alphab. audientium Sacrorum Cas. I. n.* 40. & infrà *n.* 710.

Adde quoque illam verissimam sententiam, quam ex venerabili Beda describit Gabriel Biel *in Canon. Missæ, lect.* 87. his verbis. *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in se est, privat SS. Trinitatem laude, & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio, & gratiâ, in purgatorio existentes veniâ, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & seipsum medicinâ, ac remedio.* Veritatem horum omnium probant, quæ de fructibus Sacrificii explanavimus *Casu V.*

Dico 2. Qui ratione beneficii vel accepti 488
stipendii tenentur facere Sacrum, mortaliter delinquunt contra justitiam, si non faciant. ita omnes teste Laymanno *de Sacrificio* seu *Lib. 5. Tract. 5. Cap. 3. numero. 6.* Agunt quippe contra gravem obligationem, sicut & quando differunt nimis diu. Infrà *numero. 596. Quid si autem liberaliter promisi aliquot Sacra?* Si non intendisti te obligare graviter, infidelitas tua non continebit gravem culpam, quia promissio liberalis, etiam de re gravi non affert gravem obligationem *per se loquendo.* Cajetan. *2. 2. q. 113.* Molina *Tr. 2. Disp. 262.* Suarez *Tom. 3. De Relig. Lib. 10. c. 6. n.* 4. contra Lessium *de Just. C. 18. n. 55.* & alios. Etenim actus agentium non extenduntur ultra intentionem ipsorum. Si intendisti, delinquis graviter. *At non promisi nisi unum?* Si præcisè intendisti te obligare, censet Diana *P. 2. Tr. 17. seu 3. Miscellaneo Res.* 9. rectè citans Sanchezium *L. 1. De Matr. Disp. 4. n. 25.* adversùs P. Navarram *de Restit. L. 2. C. 2. de dub.* 7. te delinquere solùm venialiter non stando promissis.

Nónne autem violo fidelitatem in re gravi? quid 489
enim grandius quid sanctius Sacro? Resp. rectè Sanchez, Sacri unius jacturam non solere magni fieri ab hominibus, licèt à parte rei sit magna. Unde puto, hanc sententiam esse tutam in praxi, & esse paucos, qui sive unum, sive plura liberaliter polliciti, non stent promissis, delinquant mortaliter, quia scilicet noluerunt obligare se graviter. Adde, quòd tales possunt pro uno Sacro promisso liberaliter, offerre tres portiones *Specialissimas*, juxta doctrinam Molfesii, aliorúmq; apud Dianam *P. 2. Tr. 14. Res. 14. Quid si verò acceperim stipendium pro Sacro?* Resp. Si parvum e. g. tres, vel quatuor bazeos, non delinquis nisi venialiter, quia gravitas tuæ culpæ est desumenda ex gravitate, seu quantitate stipendii. Fagund. *de præcept. Eccl præ. 1. l. 3. c. 8. num. 11.* Secùs si accepisses (de quo rarum periculum est) à divite mercatore, aut Nobili Imperiali. Dicastillo *Cit. Disp. 4. Dub. 22.*

Dico 3. Parochos specialiter quod attinet, 490
non tenentur ii quotidie hostiam immolare pro suis ovibus. Suarez *Tom. 3 in 3 P. Disp. 86. Sect. 1.* nam ne quidem tenentur quotidie sacrificare. Barbosa *de paroch. p. 1. c. 11. num. 6. Et si habeant opimos redditus?* Hos quidem obligat Sotus *in 4. cit. dist. 13. q. 2. a. 2.* at non ego, quia non video rationem. *Saltem hi divites aliquoties in hebdomade?* Resp. Si id exigat ratio peculiaris fundationis, statutum, aut consuetudo, non aliter Laym. *loc. cit.* Barbosa *cit. n.*

491 6. Nam hæc duo videntur correlativa: in quibus diebus populus non tenetur Sacrum audire, nec tenetur parochus facere. Fagundez *loc. cit. Cap. 15.* nisi quandoque ex charitate pro ratione circumstantiarum. Palaus *Cit. Tr. 22. D. Un. punct. 13.*

492 At verò quoties populo incumbit obligatio Sacri audiendi, incumbit & parocho faciendi. *Faciendi autem pro suis ovibus?* Hoc nego cum Laym. *l. c.* Dicast. *dub. 23.* post Suar. *cit. sect. 1.* & alios, quia nulla lex, aut scripta, aut non

493 scripta videtur id præcipere, Quia tamen Concilium Tridentinum *Sess. 23. Cap. 1. de Reform.* inter cætera, quæ præcepto *divino* mandata esse omnibus animarum curam gerentibus asserit, *secundo* loco nominat oblationem Sacrificii pro ovibus, ideo valde probabile est id, quod Barbosa in citatum locum Trident. *n. 4.* & alibi constanter cum aliis tradit, scilicet parochum teneri Missæ Sacrificium suis ovibus applicare juxta boni vìri arbitrium, qui bonus vir, judice me, feret arbitrium attentâ copiâ, vel inopiâ reddituum, magnâ aut parvâ necessitate parochianorũ. Favet huic sententiæ multùm declaratio Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini, quæ verbis reddendis *n.* 538. declaravit, quibus diebus sacerdotes teneantur ratione beneficii, Capellæ, legati, aut salarii Missas dicere, non licere eis accipere eleemosynam Manualem, eò quòd nequeant simul satisfacere utrique obligationi. Scribit quidem Dicastillo, se per otium legisse illam declarationem, sed inde nihil aliud colligi, quàm quod dicit Lugo *Disp. 21. n. 20.* Marchin. apud Dianam *Part. 8. Tr. 6. Res. 13.* & alii plures, scilicet esse illic sermonem de illo solo, qui tenetur iis diebus pro aliquo sacrificare, nam talis nequit ab alio accipere eleemosynam, ut ex communi trademus *n. 567.* Sed quidquid dicant hi DD. Congregatio Cardinalium dedit contrarium responsum infrà *num. 551.* juncto *numero* 549. quod tamen scio, non esse utique usu receptum.

Jam verò de Capellanis, de quibus major, & frequentior est dubitatio.

494 Dico 4. Si constet, Sacrum esse quidem toties e. g ter, quater faciendum in hebdomade, attamen ex literis fundationis, utpote amissis (sicuti per Germaniam nostram non uno in loco experti sumus bellis superioribus) non constet, ad quam intentionem sacrificandum sit, præsumendum est, illa omnia Sacra offerri oportere pro anima fundatoris Capellæ. Bonacin. *Quæst. ult. Cit. Punct. 7. §. 2. num. 13.* consentiente Lugone *Disp. 21. num. 23.*

Barbosâ *loc. cit.* Dianâ *Part. 6. Tr. 6. Res. 13.* & aliis communiter, teste eodem Bonacinâ adversùs Marchinum apud Dianam *l. c.* Certè Vasq. *Disp. 234. Cap. 4. num. 25.* asserit, indubitatum esse, quòd Capellaniam obtinentes teneantur pro aliis sacrificare. Item Alphonsus de 495
Leone cum Fraxinello, & Homobono apud Dianam *Part. 2. Tract. 14. Resol. 80.* tradit, nisi ex claris verbis testatoris, aut circumstantiis personarum aliud constet, præsumendum esse, quòd Sacrum sit fundatum non pro solo cultu Ecclesiæ, ac commoditate cupientium audire Sacrum, sed pro anima fundatoris. Ratio hujus generalis conclusionis est, quòd quisque præsumatur in dubio sibi optimè consulere velle. Coninck *q. 83. a. 1. n. 166.*

Accedit praxis communis. Unde videmus, 496
illos quoque, qui fundant Sacra quotidiana pro primissariis, ut loquuntur, seu pro iis, qui primam Missam, adeóque, ut hîc Constantiæ in Cathedrali, Halæ Tiroleos in Parochiali, sub horam quartam matutinam celebrant, ut famuli & ancillæ commoditatem habeant vacandi suæ devotioni, solere suos Capellanos obligare, ut saltem aliquot Sacra hebdomadatim offerant pro ipsis.

Fatentur nihilominus *citati* Doctores cum 497
pluribus aliis, quando Sodales Rosarii, Annuntiatæ &c. Curant in suis Oratoriis, diebus festis, vel ob cultum Dei sacrificari, tum intentionem sacrificantium esse liberam. Hinc Cardinalis de Lugo *l. c. n. 23.* sic loquitur: *In beneficiis verò, vel aliis, in quibus obligatur sacerdos ad celebrandum ad commoditatem illorum, qui tali loco audituri sunt Missam, facilius potest existimari, quòd non exigatur applicatio Sacrificii, sed circa hoc relinquatur Sacerdoti, ut possit, cui voluerit applicare.* Nec scio, qui clementiùs loquatur de Capellanis, sciens interim, licèt in prædictis casibus intentio sit libera, nil tamen posse accipi pro applicatione illius, si stetur responso Cardinalium, de quo suprà *n. 493.*

Equidem Palaus *Tr. 22. Disp unic. Cit. punct.* 498
13. n. 1. asserit, esse certum apud omnes, quòd Capellanus teneatur facere Sacrum ad intentionem fundatoris, & nihil possit stipendii aliunde accipere, si fundatio suppeditat sufficientem sustentationem, si verò non suppeditat sufficientem, recurrendum est ad Papam, vel Episcopum juxta doctrinam adferendam infrà *n* 589.

Unde ego sub finem Anni 1666. consultus respondi alicui parocho, obligato ratione beneficii parochialis facere quater Sacrum in hebdomade, & præterea bis ratione alicujus Capellaniæ, offensurum divinam Majestatem, si insuper susciperet tot alia, quæ offerebantur, Sacra, ut nequeat omnibus satisfacere, nisi quandoque volendo uno die explere duas obligationes.

499 Tametsi verò scriptores eo modo sentiunt, & loquuntur, quo retuli, & hoc suo consensu satis probent, etiam indoctos fundatores esse ita affectos, ut velint inducere memoratam obligationem. Nolo tamen meum Lectorem latere, P. Thom. Tamburinum *cit. Tract. de Sacrific. ritè perag. Lib. 3. c. 1. §. 3. num. 20. & seqq.* à me hisce exaratis lectum, scribere haud paulò clementiùs, quàm quos retuli, sic enim de Capellanis ipse disserit: Aut fundator sine determinatione temporis, locíque sanxit: *Meus Capellanus faciet tot sacra*, aut cum determinatione loci: *Faciet in templo, altarive*: aut cum mentione temporis: *Faciet die Dominico, aut die Lunæ? Primo* casu fatetur, fundatorem petiisse applic. tionem, & non solam præsentiam, ut ipse loquitur. *Secundo* casu negat, exigi applicationem, nisi aliunde præsumatur. In *Tertio* sentit idipsum, ratus non præsumi obligationem applicationis faciendæ, quando fundator petiit e. g. die Dominico sacrificari; secùs si diebus Lunæ, aut in die sui patroni, eò quòd fideles consueverint feriis secundis curare pro defunctis, pro se verò, quando petunt rem sacram peragi die sui sancti Patroni, aut suo die
500 Natali. Addit *n. 24.* esse frequentissimum, ut sola præsentia, seu, ut alii loquuntur, officiatura postuletur in fundationibus Capellarum, & altarium, in quibus fundatores magis respexerunt ad honorem Altaris, commoditatem populi, vel quid simile, quàm ad suorum delictorum satisfactionem.

501 Et *n. 26.* subdit, non debuisse ab Aloysio Riccio *Part. 3. decis. 13.* statim damnari consuetudinem Cathedralis Ecclesiæ Neapolitanæ, ubi Hebdomadarius solet intentionem applicare, cui vult. Concludit *n 28.* hâc formulâ: *Eligatur sacerdos, qui quotidie celebrans oret pro me*, exigi non solam orationem in Memento, sed applicationem ipsius Missæ, nisi addatur alia circumstantia. Hæc & alia hanc in rem ille Author. An rectè omnia, judicet Lector eruditus. Certè probabilitatem conciliat authoritas tum ipsius, tum Marchini suprà relati ex Diana, quin & Pellizarii *Tr. 4. C. 9.* negantis, esse improbabiliter liberam tunc, quando fundator nullam expressit. Hæc regula in oneribus maximè imponendis servanda est: *Si voluisset, expressisset*, inquit Suarez *Tom. 4. De Relig. Tr. 8. Lib. 2. C. 17. num. 7.* apertè favente *Leg. Quidquid astringendæ. ff. De verb. obl.* Verùm tollitur omnis probabilitas, si & stetur Declarat. Cardin. adferendâ *n. 549. junct. n.* 551. & ea sententia extendatur ad jus accipiendi stipendii pro particulari applicatione.

502 Unde idem P. Tamburinus nusquam exprimit, posse accipi eleemosynam pro applicatione facta in casibus, in quibus permittit applicationem, quia nimirum videtur Sacra Congregatio clarè prohibere infrà *num 538. & 351.* at quia non prohibet, quò minùs applices iis; quibus promisisti liberaliter Sacrum, non video, cur *illicitè* te tunc exsolvas hac prò missione.

Cùm hæc omnia jam expressissem in priore editione, nactus jam toties allegatum *sextum Tom. Schol. Ist. Theolog.* Illustrissimi Princip s & Abbatis Einsidlensis, seu Eremitani, deprehendi doctrinam *practicam* de Controversia propositâ superioribus §§. qua judicavi, non esse defraudandam meum Lectorem. Continetur ea verbis sequentibus, reperiendis in sæpius nominata *Quæst. 9. art. 3. Controvers. 3. num. 8. & seqq.*

Quamvis sacra Congregatio de Anno 1626. resolverit, sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii, si Eleemosynas pro aliis Missis celebrandis susceperint, non posse eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere. Unde Gavantus ad Rubricas Missa is *Tom. 1. Part. 3. Tit. 12. n. 5.* Barbosa *De officio Parochi, Cap. 11. n. 11.* Diana *Tom. 1. Tract. de celebrat. Missar. Resol. 80.* concludunt, omnes illos qui quomodocunque obligentur ad celebrandum in aliquo loco, sive ratione redditus. Sive ratione salarii, non posse ab alio stipendium accipere, ut fructum Sacrificii ei applicent. Verùm in contrarium stat communis sententia, speciatim Suaris *Disp. 86. Sect. 1. & 3.* Vasquis *Disp. 234. Cap. 6.* & plurium aliorum. Quos refert, ac sequitur Lugo, ubi suprà in *n. 21.* Ratio est, nam in iis, qui pro Missis dant eleemosynas manuales, ordinariè præsumitur, velle, ut pro se fructus Sacrificii applicetur. Et hinc sacra Congregatio decidit, ne post unum stipendium acceptum possit pro eadem Missa aliud adhuc stipendium accipi. At secùs est in iis, qui vel ratione beneficii, vel salarii, vel legati obligantur alicubi celebrare, tunc enim nisi exprimatur, quòd fructus Sacrificii debeat pro aliquo applicari, præsumitur, quòd specialis cultus Dei, sive cujusdam Sancti in aliquo loco sacro, vel commoditas ibi audiendi Sacrum, vel memoria fundatoris, vel alius finis intendatur, beneficiario seu Capellano libera facultate relictâ ad Sacrificii fructum pro aliis applicandum. Unde Lugo præcitatus *num. 22.* cum aliis tradit, præadductam sacræ Congregationis resolutionem esse intelligendam de sacerdote, qui ratione beneficii, capellæ, legati, aut salarii non utcunque, sed pro aliquo obligatur certis diebus celebrare. Tunc enim, quia jam habet obligationem applicandi pro uno Sacrificii fructum, non posse ab alio accipere stipendium vi cujus etiam pro eo teneretur sacrificare.

Ita hic Præsul scribit, quibus ut nihil demo, ita & nihil addo.

At quid si vovissem unum Sacrum, aut plura? An possem prædictâ applicatione, seu applicationibus pronuntiari liber voto? Sicuti quando vovisti, te auditurum aliquod Sacrum in actionem gratiarum pro obtento beneficio, vel obtinendo, censeris vovisse unum præter ea, ad quæ te obligat lex Ecclesiæ, ita etiam mihi videtur ratiocinandum in hoc casu. 503

504 Illis, quæ hîc excerpsi ex prædicto scriptore, utiliter junges ea, quæ cum eodem *cit. §. 3. num. 28.* ac sequentibus breviter statuo.

I. Quando testator, seu fundator ita sanxit: *Eligatur sacerdos, qui quotidie celebrans oret pro anima mea*, posset intelligi plus non petiisse, quàm ut in illo quotidiano Sacro esset memor ipsius, probabilius tamen est, voluisse, ut totum Sacrum applicaretur sibi, hoc enim indicare videtur ipsa series verborum.

505 II. Quando testator ita scripsit: *Assigno hos 10. aureos, ut sacerdos celebret pro anima mea.* Debent ab eo sacerdote tot legi, quot solent in urbe illa, seu pago fieri pro 10. aureis. Si autem nil constet de more illius loci, debet tot facere, quot exigit mos provinciæ. Congregatio Concil. infrà *num 537. & 539.* seu denique quot judicabit vir prudens spectatis circumstantiis, inter quas est utique consuetudo vicinæ juxta *Leg. Semper in stipulat. ff. De reg. jur.*

506 III. Faciendum est discrimen inter illum, qui pro fundatione capellaniæ assignat 1000. aureos, ut fiant annuatim Sacra pro se, & inter illum, qui legat 1000. pro Sacris faciendis statim post suum obitum. Nam prior censendus est non exigere tot Sacra pro uno è 50. aureis provenientibus annuatim ex 1000. quot posterior pro uno similiter aureo, ut rectè Tamburinus *loc. cit. num. 30.* etenim utique prior ille scivit, capellanum propter varia onera capellaniæ, & Altaris jure deposcere plus pro uno Sacro, quàm alter exigat. Quanquam video sæpe contrarium practicari.

507 IV. Quando testator unus sic loquitur: *Volo, ut Capellanus meus faciat pro me Sacrum assiduè*: alter sic: *Ut faciat pro me per Annum integrum*, petit uterque quotidianum Sacrum, non autem prior duntaxat frequens, dummodo stipendium respondeat quotidiano. Vide dicta *n. 479.*

508 V. Quando testator dixit: *Lego annuatim in singulos menses 12. florenos, ut primo die Lunæ cujusque mensis quivis è 12. Canonicis nostræ Collegiatæ accipiat unum florenum, cum obligatione, ut singuli recitent Officium defunctorum, celebrénique pro me eo die*, si contingat, non posse ob legitimam causam quandoque præsentes tot haberi Canonicos, aut non posse juxta Rubricas illa Sacra peragi die præscripto, in secundo casu rectiùs anticipabuntur illa Officia, quàm differentur, in primo si duret ea inculpabilis penuria Canonicorum, poterit defectus eorum diebus continuatis suppleri ab aliis Canonicis, ita ut si defuit unus, possit unus è præsentibus altero die rursum celebrare, & tunc sic adipisci duos florenos, videtur quippe testator & permisisse *tacitè* anticipationem, dilationémve ob indicatam causam, & assignando tam pingue stipendium, voluisse Canonicis ipsis gratificari, nec voluisse eos obligare, ut curarent alibi, aut per alios sacrificari pro se. Ita singulariter resolvit sagax Tamburinus §. 3. *n. 34.* probans à paritate cum conditionibus legato profano adjectis.

VI. Ubi est penuria sacerdotum, potest 509
spectatâ rei naturâ quis pro Sacro diei festi, aut Dominici plus petere, quàm pro non festo Etenim die profano pauci, festo multi petunt. Sicut propola, aut pictor, qui scit, esse se solum, jure petit plus pro mercibus, & pictura, quàm si plures alii adessent, ita etiam hic sentiendum. Et ita etiam fuisse tam Mediolani, quàm Cremonæ statutum, testatur idem Tamburinus *num. 53.* post Bonac. *Disp. 4. De Sacram. Quæst. ult. punct 8. num. 13.* testantem quoque, se præsente fuisse in Congreg. Pœnitentiariæ Mediolani statutum, ut sacerdotes peterent duplicem eleemosynam pro Sacro festi diei sicut solet peti duplex pro Missa cantata. Verùm nolim ego à nostris Germanis hanc doctrinam pro Sacro festivo redigi ad praxim, quia malè sonat apud nos, quoad duplicatum stipendium pro festo petitum.

VII. Sicuti etiam malè sonaret, si secutus 510
doctrinam Ægidii Coninck *quæst. 83. a. 1. dub. 10. num. 195.* rati, posse accipi stipendium ordinarium pro fructu Sacrificii *ex opere operato*, & aliud minus pro fructu *ex opere operantis*, offerres essentialia Sacri pro eo, qui præbuit ordinariam stipem, orationes verò pro eo, qui minorem. Etenim ostendi *Casu V. num. 153.* hanc divisionem esse illicitam.

At inquies: Accepi quidem stipendium ordi- 511
narium pro Missa funebri celebranda, ubi vellem, celebro autem in altari privilegiato, applicóque indulgentiam animæ, pro qua acceperam eleemosynam ordinariam, *an non possum aliquid ultra ordinariam exigere ob talem applicationem, ad quam non tenebar?*

Resp. Potes ex opinione Bordoni apud Tamburinum *l. c. n. 48.* non potes juxta Tamburinum, & ipsammet veritatem. Tum quia immeritò exigis mercedem pro præstito opere, de quo præstando non conveniisti: partim quia hanc nundinationem tibi certò prohiberet Papa, si sciret, à te exerceri. Vereor sanè, ne hic intercedat palliata simonia.

Saltem concedes, posse accipi aliquid pro ap- 512
plicatione portionis specialissimæ, *de qua locuti sumus. n. 139.*

Resp. Nec hoc concedam, nisi priùs de ea convenerit inter te, & alterum; hîc enim quoque militat ratio prima ex tribus, nunc primùm allatis. *Sed consensit ille.* Volenti non fit injuria. Si tamen putares, eum idcirco spopondisse auctarium, quòd censeret, posse certò donari illam portionem, tenereris ei dicere, non certò, sed solùm probabiliter, posse donari. Tametsi enim Molfesius, Barthol. ab Angelo, Naldus, & Filliucius apud Ascan. Tambur. *de jure Abbat. Tom. 2. disp. 5. q. 9. num. 17.* existimant,

ſtimant, eam poſſe libere applicari, & quidem tales tres portiones æquiparari portioni. *Miniſteriali*, ut exprimit Filliuc. *tr. 15. c. 6. n. 151.* contrarium tamen tenent Gavantus *in Rubric. Miſ. Part. 3. tit. 12. n. 29.* Suarez *Diſp. 79. Sect. 9.* Lugo *Diſp. 21. Sect. 2.* Tamburinus *cit. §. 3.*
513 *num. 71.* ita abhorrens à priori illa opinione, ut neget, eſſe probabilem. Et meritò, ſi intelligatur de applicatione facta ad ſatisfaciendum titulo juſtitiæ. Nam octava ſententia inter prohibitas Anno 1665. exprimitur his verbis: *Duplicatum ſtipendium poteſt ſacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructûs, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani VIII.* Poteſt tamen eadem opinio in praxin redigi reſpectu illorum, quibus es liberaliter pollicitus Sacrum unum, aut plura. Tuam quippe liberalem promiſſionem potes benignè pro te interpretari, ob rationem ex Menochio allatam, & practicæ materiæ applicatam. *Caſ. V. Reg. 5.*

514 Quæret fortè non nemo: *Utrùm ii, qui non implent conditiones fundationis clarè præſcriptas, non poſſint quandoque in conſcientia excuſari ob titulum præſcriptionis?*

Reſp. Poſſunt omnino *per ſe loquendo* juxta P. Thom Tamburinum *l. 3. c. 7. §. 1.* Ratio eſt, quia conſtat ex jure Canonico, ac Civili. Itémque conſenſu non minùs Theologorum, quàm Juriſtarum contra nonnullos, illum, qui bonâ fide, ac determinato tempore omiſit præſtare officium, ſervitutem, debitum, quo alteri obſtrictus erat, ratus ſe minimè obſtrictum, denique ob hanc ſuam bonam fidem, opinionem, ac tanti temporis decurſum evadere ita liberum in conſcientia, ut licèt poſtea manifeſtum fiat, eum fuiſſe verum debitorem, attamen poſſit dicere, nihil planè deberi à ſe. Cùm igitur ab hac generali doctrina, ac Regula neque Jus, neque DD. excipiant obligationes tot & tot, hæc & illa Sacra, hoc aut illo die, & loco celebrandi, videtur privilegium præſcriptionis, ſeu uſucapionis æquè locum hîc habere, atque in aliis obligationibus. Conſentit apertè Pellizar *Tr. 5. c. 9. n. 92.* teſtans, viros doctos à ſe conſultos eſſe ejuſdem mentis.

515 Quandoquidem igitur fundator, ſi mortuus eſt, accenſetur abſentibus, præſcriptio autem inter abſentes abſolvitur cum titulo intra 20. ſine titulo intra 30. Annos, quando ſcilicet agitur de præſcriptione rerum immobilium, qualia ſunt onera, & obligationes perpetuæ, fit, ut, ſi unus capellanus ratione fundationis clariſſimè obligatus facere quinquies hebdomadatim Sacrum, faciat per 20. Annos ſolùm tria, ejúſque ſucceſſor per decem primos Annos etiam ſolùm tria, quia videlicet uterque prudenter, ac ſine contradictione hæredum, &c. exiſtimabat, ſe non obligari ad plura, fit, inquam, ut poſt hoc decennium iſte ſucceſſor poſſit juxta hanc ſententiam conſtanter negare, ſe obſtrictum ad plura, licèt reperiantur literæ luce meridianâ clariùs loquentes de quinque Miſſis, adſintque redditus ſufficientes pro quinque. Hanc doctrinam applicabis obligationi Anniverſariorũ, Officii defunctorum, annuæ Eleemoſynæ, &c. eſt quippe eadem ratio omnium horum. Lege inter reliquos Leſſium *de Juſt. Lib. 2. Cap. 6. Dub. 11.* & *Cit. Cap. 6. num. 25.* ubi expreſſè loquitur de Hoſpitali, ſicut & Covar. *in Reg. Poſſeſſor. §. 2. n. 3.* exprimit legata pauperibus, eò quòd Epiſcopus ſit eorum loco.

Quia verò nemo poteſt per titulum præſcri- 516
ptionis privari ſuâ naturali libertate, ut fiat alterius ſervus, eſt autem partialis ſervitus obligatio ad ſacrificandum, ideo dubitat idem Tamburinus, utrùm Eccleſia, vel Capellanus, qui, vel quæ per 20. 30. Annos fecit hebdomadatim tria e. g. Sacra, putans ſe teneri ad tot, cùm non teneretur niſi ad duo, obligetur, comperto errore, pergere in illis Sacris tribus celebrandis. Teneri ſuadet hæc ratio, quia, qui ſentit commodum, ſentire etiam debet onus, & leges permittentes, ut contra me præſcribas, permittunt uoque, ut ego contra te. Adeóque fortè videbitur nonnemini vel neganda illa ſuperior doctrina de præſcriptionis privilegio pro Capellanis, vel conſequenter admittenda contra illos. Judicet æquus Lector, quid denique pronuntiandum (ego enim nihil determino) in re, & materia neglecta ferè ab aliis, niſi quòd Pellizarius *loc. cit. num. 94.* ſcribat, poſſe quidem contra Capellanos præſcribi ſpatio 10. Annorum, at contra Regulares exigi 30 Annos.

Cæterùm quia & in hoc XVI. Caſu facta eſt, 517
& in ſequenti fiet mentio Decreti, & Declarationis Cardinalium circa ſtipendium, applicationem, & alia accidentia Miſſarum, quorum dubiorum permulta reſolvit ſatis perſpicuè eadem illa Congregatio, viſus ſum facturus rem gratam meis lectoribus, ſi hîc deſcriberem bonam partem illius decreti, unà cum declarationibus duplicis generis, ſcilicet illis, quas poſtea ad Epiſcopum Tragurienſem dedit Congregatio. Totum Decretum cum duplici genere declarationum exhibet Pax Jordanus Epiſcopus Tragurienſis *Volum. 1. Elucubr. Lib. 4. num. 515.* At verò idem etiam totum Decretum cum declarationibus primi generis Flavius Cherubinus *Tom. 4. Bullar fol. 60.* atque Aſcanius Tamburin. *loc. cit.* ſicuti Thomas Tamburinus *Lib. 3. de Sacrificio Cap. 1. §. 1. num. 7. & ſeqq.* ferè totum Decretum, cum omnibus declarationibus primi generis, ſuperans tres priores in hoc, quòd permulta dubia reſolvat ex illis declarationibus, & explicet pleraſque. Sic ergo loquitur Congregatio Concilii Tridentini.

APPEN-

APPENDIX.

Repræſentans Decreta Congreg. Concil. authoritate Vrbani VIII. edita De celebratione Miſſarum.

518 *CUM ſæpe contingat, in quibuſdam Eccleſiis tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex variis &c. impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen nova Miſſarum onera in dies ſuſcipiantur. Et infra: S. Congregatio Card. Conc. Trid. Interpretum animadvertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, ſi pro viribus ſatagat hunc teterrimum abuſum (ſuſcipiendi nova onera Miſſarum, cùm nequeat ſatisfieri pro ſingulis diebus præſcriptis) à Chriſtiana republica convellere, Sanctiſſ. D. N. Vrbani PP. VIII. authoritate ſibi ſpecialiter attributâ infrà ſcripta Decreta edidit.*

519 *Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, aut aliàs quomodocunque reducant onera Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam ſedem recurratur, quæ, re diligenter perſpectâ, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioqui reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.*

520 *Deinde ubi pro pluribus Miſſis etiam ejuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum ſacerdotibus, Eccleſiis, capitulis, collegiis, hoſpitalibus, ſocietatibus, monaſteriis, conventibus, congregationibus, domibus, ac locis piis quibuſcunque tam ſæcularibus, quàm regularibus, Sacra Congregatio ſub obteſtatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, ita, ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatiſfaciant, quinimò graviter peccent, & adreſtitutionem teneantur.*

521 *Id verò ut deinceps obſervetur exactius, Sacra Congregatio eâdem authoritate revocat privilegia, & indulta omnia, quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac locis piis tam ſæcularibus, quàm regularibus cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & inſtituti, quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.*

522 *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens prohibet ſacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat.*

Præterea ne in Eccleſiis, in quibus onera Miſ- 523
ſarum in perpetuum impoſita ſunt, ſacerdotes in eis, ut par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera hujuſmodi cum nulla, aut parva ſint utilitate conjuncta, ſtatuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſiis, capitulis, collegiis, hoſpitalibus, congregationibus, monaſteriis, conventibus, ac locis omnibus tam ſæcularibus, quàm regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinent, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda a die realis acquiſitionis ſtatim deponi debeant penes eadem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam ad effectum, illa, ſeu illorum pretium quamprimum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona deinceps authoritate Apoſtolicâ alienari contigerit, eorundem pretium ſub eadem pœna, ut ſuprà, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sacra Congregatio quibuſvis capitu- 524
lis, collegiis, ſocietatibus, & congregationibus, nec non omnibus & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſæcularium, quàm regularium ſuperioribus, vel aliis, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne imoſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, ſæculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò ſinè Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin ſæcularis, qui hujus prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocíſque activæ, & paſſivæ abſque alia declaratione incurrat.

Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas 525
pro Miſſis celebrandis ita demùm iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatiſfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omninò abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendi, & Capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa: Eleemoſyna pro Miſſis, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis, ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur.

Epiſcopus verò, ſeu ejus Vicarius, aut Genera- 526
lis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius ſacerdotes tam novo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis jam ſuſceptis ſatiſ-

satisfacere posse: præcipuámque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, aut locis piis relinquuntur; omnino respondeant oneribus adjunctis, secundùm morem cujúsque civitatis, vel Provinciæ: intelligántque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros &c.

527 *Postremò, superiores existentes intra fines Italiæ, & insularum adjacentium computent in primo congregando capitulo redditus Conventuum, eorúmque summam ad Sacram Congregationem mittant, ut &c.*

Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilii S. D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate editæ super Decretis ejusdem Congregationis de celebratione Missarum.

528 *SUper primo Sacræ Congreg. Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concil. Trid. imposita, aut in limine fundationis. Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & sit recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, sive ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?*

529 *Secundò. Super secundo ejusdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, an intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?*

Tertiò. An cùm Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minùs congruum teneantur Missas ab offerente præscriptas celebrare?

530 *Quartò. An sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellaniæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?*

Quintò. Posito quòd testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ. Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi bene visam præscribere, an verò eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

531 *Sextò. Super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu orationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Quæritur, an verba* (in futurum suscipiendis) *intelligenda sint de suscipiendis post privilegium?*

Septimò. Super quarto ejusdem Congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam, cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat. Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium, inservientium, paramentorum, vini, luminum, hostiæ, & similium?

Octavò. An hoc decretum habeat locum in 532
beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditum beneficii?

Nonò. An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solitâ pro celebranda Missa, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt. 533

Decimò. Super quinto eiusdem Congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: Eleemosynas, & oblationes manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si omnibus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & Capsulas auferant. *Quæritur, an hoc decretum prohibeat absolutè, quò minùs accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si longo tempore possint omnibus satisfacere?*

Undecimò. Quid si offerentes eleemosynas, audito impedimento, consentiant, ut sacerdos Missas celebret, cùm primùm poterit? 534

Duodecimò. An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt Capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præscribitur.

Decimo tertiò. An in hoc decreto comprehendantur ipsæ Capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium defunctorum, & vulgo dicuntur: Casse de morti?

Decimo quartò. An Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursûs, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio ac concursus fidelium, ut ajunt, minuatur?

Decimo quintò. Quia prohibitio dicti Decreti 535
videtur aliquibus directa solis capitulis, collegiis, societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum tam sæcularium, quàm regularium superioribus, de quibus fit expresse mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tantùm comprehendi videntur sub clausula Generali (& alios ad quos pertinet) *supplicatur pro opportuna declaratione.*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sib: à Sanctissimo D. N. attributâ, ad singula dubia superiùs proposita, ad hunc modum respondit.

536 *Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus pro dicta reductione oneris, ut suprà, impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino ère esse judicavevit. Verùm tamen si in ipsa beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.*

537 *Ad secundum, esse intelligendum de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quòd si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ civitatis, seu Provinciæ.*

Ad tertium teneri.

538 *Ad quartum, sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellaniæ, legati, seu salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eâdem Missa utrique obligationi satisfacere.*

539 *Ad quintum censuit, ubi nullam certam eleemosynam reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.*

Ad sextum, ita esse intelligendum.

540 *Ad septimum respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, vel loca pia, aut illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas habent in Missarum celebratione; nisi cùm Ecclesiæ, & loca pia alios non habeant redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint, ac tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus valere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet Missarum Sacrificio necessariò sunt subeunda, nihilominus eo etiam casu, curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut suprà, deductis absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt ab offerentibus eleemosynam.*

541 *Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit.*

Ad nonum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

542 *Ad decimum respondit, non prohibere absolutè, & propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerunt, posse tamen denuo etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, modò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.*

543 *Ad undecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat; ut ille tunc celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quò minùs eo casu eleemosyna suscipiatur, pro iisdem Missis, juxta benefactoris consensum celebrandis.*

Ad duodecimum, has pœnas non habere locum, 544
nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis, aut Provincialis.

Ad decimum tertium, comprehendi.

Ad decimum quartum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut suprà 545
in responsione ad undecimum.

Ad decimum quintum, comprehendi etiam privatos sacerdotes.

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini.

Episcopus Tragurien sis, literis petit reductio- 546
nem Missarum, & decisionem ad infrà scripta dubia.

Quoad reductionem Missarum exponit, in Ec- 547
clesia Cathedrali extare quinque Capellanias cum onere quotidianarum Missarum, à defunctis relictas, quarum prima habet annuum stipendium scutorum duodecim monetæ à testatoribus relictum; reliquæ verò unum stipendium scutorum quindecim, non quidem à testatoribus relictum, sed ab hæredibus solvi solitum, ob cujus stipendii tenuitatem, & recusationem laicorum ad augmentum stipendii, aliquot abhinc Annis reperiri non potuerunt sacerdotes, qui inservire voluerint, & supplicat pro reductione arbitrio Episcopi secundùm qualitatem, & morem provinciæ, seu constitutionis; ubi tamen non est à testatore præscripta eleemosyna, præscribenda est ab Ordinario; quæ correspondeat oneribus.

Quod verò ad dubia, primò dubitat, an sacer- 548
dotes habentes annuum stipendium, vel qui ex quotidianis eleemosynis celebrant, possint duo stipendia recipere pro singulis Missis, ex quo singula stipendia non ascendunt ad quinque bajocos? Unus bajocus valet unum crucigerum.

2. An habentes annuum stipendium pro celebratione Missarum possint in die obitûs alicujus fidelis novam pitantiam recipere, ex quo invenire sacerdotes non possint, qui non habeant annua stipendia, & videatur tacitus consensus dantis?

3. An sacrista, qui tenetur alio celebrare titu- 549
lo, & ex usu solet Missas anniversarias cantare, satisfaciat duobus titulis, attentâ tenuitate pitantiæ bajocorum duorum cum dimidio?

4. An sacerdotes, qui nullâ aliâ obligatione in Confraternitatibus, vel in monasteriis Monialium celebrant, quàm provornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres, vel Moniales satisfaciant præcepto audiendi Missam, possint ultra stipendium, quod recipiunt, à Confraternitate, vel Monialibus, aliud stipendium recipere?

5. An habens onus celebrandi certum Mis- 550
sarum juxta valorem fructuum, quos ex legatis piis percipit, teneatur statim post receptionem fructuum

ctuum celebrare, an verò habeat totum Annum ad ſatiſfaciendum?

6. An recipiens ſtipendium pro Miſſis S. Gregorii ſingulis Annis ad exequendas defunctorum diſpoſitiones, ſatisfacere teneatur ſtatim atque receperit ſtipendium, an differre, quouſque non labatur tempus à defuncto præfinitum?

7. An recipiens ſtipendium celebrandi, quando ei viſum fuerit, poſſit novam eleemoſynam recipere, etiamſi non ſatiſfecerit priori obligationi?

551 *Die 9. Januarii, & 6. Februarii 1627. Sacra Congreg. Illuſtriſſimorum Cardinalium Conc. Trid. Interpretum cenſuit, reductionem ſupra petitam remittendam eſſe Epiſcopo pro ſuo arbitrio, & conſcientia. Reſpondit autem ad primum, ſecundum, tertium & quartum, non poſſe.*

Ad quintum, teneri quamprimum celebrare.

Ad ſextum, poſſe differre ad tempus à teſtatore præſcriptum.

552 *Ad ſeptimum denique cenſuit, etiamſi ſacerdotes oneribus ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe nova onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatiſfacere.*

Colmus Cardinalis de Torres, Franc. Paul. Sec.

553 Hactenus utrumque genus reſponſorum, quorum primum, ut dixi, magnam partem explicat P. Thom. Tamburin. nos magis controverſa ſimul & magis frequentia indicabimus ſuis locis, adeóque in hoc, atque ſequenti Caſu. Sit igitur ſequens quæſtio, & Caſus.

Explicantur Conſtitutiones Synodales Conſtantienſes, quatenus vetant pactionem pro ſtipendio. 560.

Quodnam ſit juſtum ſtipendium Miſſæ. ? 562.

Explicatur enucleatè, & relatis conſuetudinibus variorum locorum. 563.

An creſcente pretio rerum neceſſariarum ad victum poſſit augeri pretium Sacrorum? 565.

Si quis tibi non dedit integrum ſtipendium, non teneris applicare ipſi totum Sacrum, niſi promiſeris. 566.

Refertur hanc in rem decretum novum Congregationis. Ibid.

Nefas eſt, accipere pro uno Sacro duo integra ſtipendia. 567.

Et quidem licèt clericus ſit pauper. 568.

Integrum ſtipendium licitè exigit etiam dives. 569.

Parochi tamen debent habere rationem pauperrimorum. Ibid.

An ſit fas, ſervatâ ſibi parte pinguis ſtipendii, conſtituere alium Sacerdotem pro minore ſtipendio? 470.

Refertur decretum recens Pontificis. 571.

Quid hac in re cenſendum de Parochis, & capellanis? 572.

Quid de ædituo? 573.

Quid de hærede? Ibid.

Quandonam cenſeatur ſatis clarè exprimi, quòd capellanus teneatur ipſemet celebrare? 574.

Quæ capellania poſſit vi fundationis conferri adoleſcentulo? Ibid.

Deſcribuntur ad longum ſententiæ damnatæ ab Alex. VII. Ibid. App. II. *lit. f.*

An & quatenus obliget earum condemnatio? *Ibid.*

QUO STIPENDIO SACRIFICANDUM.

CASUS XVII.

Lucroſus.

SECTIO I.

Generaliora de ſtipendio.

SUMMARIUM.

Factum Rubenii, ideò multò pluris vendentis imaginem à ſe pictam, quòd pinxiſſet in domo aliena. 554.

An capellani poſſint pro uno Sacro ideo plus petere, quòd obligent ad ſacrificandum in Altari, ad quod cæteroquin non obligarentur. 556.

Poſſunt exigere ſtipem, quantam permittit conſuetudo. 557.

Petere ſtipendium pro Sacro non continet Simoniam. 559.

554 *Rubenius noſtri ſæculi Apelles, juſſu Gottiſchalmi pingebat domi ſuæ Chriſtum patientem; at Fridericus N. ut artem pictoriam addiſceret, oravit Antuerpiæ Rubenium, ut adveniret domum ſuam, & ibi aliquam tabulam pingeret, quam aliàs eſſet picturus domi. Curat igitur Rubenius Chriſtum patientem, quem jam pingere cœperat, aſportari in domum Friderici, & debitis horis ibi complevit opus, & à Gottiſchalmo tandem pro tabula quingentos aureos & à Friderico, quòd ſe præſente in domo ejus illam pinxerit, ducentos florenos accepit. Anne tutâ conſcientiâ? Tutâ; non enim tenebatur Rubenius ſubire novam illam incommoditatem ſine novo ſtipendio. Jam doctior venio ad templum, & pronuntio, aliud eſſe, debere Miſſam celebrare, aliud in tali templo, aliud in tali altari, aliud tali horâ. Sunt incommoditates diverſæ & vendi pretio poſſunt, aut commutari pro eleemoſyna, ſicut ipſamet Miſſæ lectio. Unde liquet, poſſe quem ſtipendium ab alio accipere pro celebratione Miſſæ, nec vi hujus contractus obligari ad locum, aut tempus. ſed poſſe, ubi, & quando voluerit, celebrare.*

555 Hoc factum Rubenii recenſet, approbat, ſacrificanti prædicto modo applicat Joannes Caramuel *in Theologia Fundamentali num. 254. & 255.* utens verbis hîc expreſſis, atque indicans fundamentum, quo tum plures alias in decurſu adferendas, tum proximis menſibus reſolvi hanc quæſtionem.

556 Plerique Domini Capellani noſtræ Eccleſiæ Cathedralis tenentur quinque, ſex, aut ſeptem Sacra facere in hebdomade, & nonnulla ſine determinatione altaris, temporiſve, habéntque ſtata pro iis ſtipendia, rogantur tamen non raro à quibuſdam, ut ad certam aram, ac certo tempore celebrent; *quæſitum fuit, utrùm ſalvâ conſcientiâ poſſint aliquid petere pro illa adſtrictione ad locum, & tempus.* Reſpondi, poſſe. Rationem accepi inde, unde Caramuel, ſcilicet à ratione ipſa naturali, quæ permittit pro rebus pretio æſtimabilibus accipi pretium aliquod; eſt autem obligatio ad faciendum certo loco, certo tempore æſtimabilis pretio. Bonacina *Diſp. 4. De Euchar. q. ult. p. 8.* Atque ita fert communis perſuaſio plebejorum, nobilium, doctorum, indoctorum.

557 *At quantum inquies?* Quantum loci conſuetudo fert; ubi quippe non extat taxa legitima, ſeu per legem Superioris determinata, conſuetudo diuturna, à probis peritiſque uſurpata quantitatem pretii determinat. Navar. *in Manuali cap. 23. num. 78* atque alii communiter. Et generatim conſuetudinis, uſúſque longævi non eſt parva auctoritas, inquit Honorius III. *Cap. Cùm conſuetudinis. De conſuet.* Caramuel *loc. cit. num. 260.* arbitratur, poſſe *per ſe loquendo* peti pro ſingulis gravaminibus quintam partem communis ſtipendii.

558 Porrò quia perfrequenter oriuntur ſcrupuli, quæſtionéſque circa ſtipendium, circa obligationem ſacrificandi toties, aut in tali loco, ut, quoad poteſt, iis ſatiſfaciam aliquâ ratione, exhibeo hîc breviter (foret mihi faciliùs prolixè) receptas in hanc rem doctrinas.

559 I. Fas eſt, accipere ſtipendium pro Miſſa celebranda. Nec id continet ſimoniam. Ita omnes, & probat uſus, ac ratio, nam *qui altari deſerviunt, cum altari participant* 1. *Cor. 9.* Eſt quidem execrandum crimen ſimoniæ, dare rem ſpiritualem pro temporali tanquam pro pretio; ſed laborem ſpiritualem, ut e. g. recitationem Breviarii, Baptiſmi adminiſtrationem, Sacri celebrationem obire in alicujus gratiam, ideo ut hic præſtet ſuſtentationem vel *totaliter*, vel *partialiter* juxta loci conſuetudinem, dignitatem perſonæ, muneris obeundi congruentiam, multitudinem, vel paucitatem Terentium, aut petentium talem laborem, ſeu occupationem, non ſapit ſimoniam, quandoquidem non æſtimatur pretio ille labor ut ſic, ſed tantùm petitur ſuſtentatio, ſine qua *per ſe loquendo* (eſt *per accidens*, quòd aliunde ſuppetat,) congruè vivere, & conſequenter munus obire non poterit quiſquam.

II. Licèt noſtræ Conſtitutiones Synodales 560
Part. 1. tit. 9. num. 20. ita loquantur: *Pacta, & conditiones mercedum pro celebrandis Miſſis, ſub graviſſimis pœnis ſerió inter dicimus; ſi quid offertur, vel accipitur, ſine pacto fiat, nec pro re ſpirituali, quæ pretio æſtimari nec poteſt, nec debet, ſed pro labore, qui res temporalis eſt, detur, & accipiatur*, conſuetudo tamen Diœceſanorum ſacerdotum, vel non admiſit, quando poſtulantes Sacrum renuunt pendere juſtum ſtipendium, hanc rigidam de non paciſcendo ſententiam inſinuatam etiam à S. Thoma *2. 2. quæſt. 100. art. 3. ad 2.* vel intelligit illam diſponentem de pactis pretium intendentibus; eteni- 561
licere paciſci de quantitate ſtipendii pro Sacro, quando ea quantitas non eſt ſufficienter determinata per Superiorem, aut conſuetudinem, nimiſque avari ſunt, qui petunt Miſſas, tradunt plurimi Doctores, quos referunt, ac ſequuntur Bonac. *q. ult. cit. punct. 8. num. 2. edit. Lugdun. Anno 628.* & Pater Dicaſtillo *loc. cit. Diſp. 4. num. 315.* neſcio in quam editionem Bonacinæ lapſus, ac proinde illum cum reprehenſione allegans pro contraria opinione, ſicuti, & ipſe Bonacina gratis refert S. Thomam pro noſtra, inde probata, quòd ejuſmodi pactum non contineat *per ſe* ullam turpitudinem.

III. Juſtum Miſſæ ſtipendium eſt id, quod 562
vel Epiſcopali (non autem Laicali, nam magiſtratus civilis nil poteſt hîc ſtatuere. P. Palaus *Tract. 22. diſp. un. punct. 16. num. 8.*) Lege, vel communi piorum, prudentúmque virorum conſuetudine ſtatutum eſt. P. Tannerus *Diſp. 3. cit. quæſt. 10. num. 72.* & Doctores Sanctgallenſes *Tom. 9. Tract. 4. fol. 544.* ex communi rectè addentes, hoc ſtipendium habere latitudinem, ita ut aliud ſit *ſummum*, aliud *infimum*, aliud *medium*; nec ſacerdos accipere minus quàm *ſummum*, nec laicus dare plus, quàm *infimum* teneatur, niſi aliter inter eos convenerit; nemo quippe *per ſe loquendo* obligatur accipere minus juſto, dare plus juſto.

IV. Quamvis Cajet. 2. 2. *quæſt. 100. art. 2.* 563
Henriq. *Lib. 9. Cap. 22.* Petrus Navarra *Lib. 2. De Reſtit. cap. 2. num. 315.* atque alii cenſeant, non eſſe juſtum ſtipendium, niſi detur tantum, quantum neceſſe eſt ad ſuſtentationem unius diei; addátque Navarra *num. 320.* nec lege, nec conſuetudine poſſe minus induci; contraria tamen ſententia Vaſquezii *Tom. 3. in 3. p. diſp. 234. cap. 3.* Suarez *cit. Diſp. 86.* Sanctgallenſium *loc. cit.* id meritò negat, improbabiléque eſſe, probat Dicaſtillo *num. 362.* cùm & conſuetudo repugnet, & non ſit æquum, ut

pro

pro labore horulæ unius exigatur victus integri diei. Ergo ſufficiet illud, quod à prudentibus, ac Deum timentibus dari, ac peti ſolet, inquit Suarez. Minus dimidiâ parte ſuſtentationis communiter non permittit conſuetudo in Germania noſtra; quamvis P. Laym. *cit. Lib. 5. Tr. 5. cap. 1. num. 13.* jubeat, te quandoque eſſe contentum tertiâ parte; & P. Tamburinus *Lib. 3. De Sacrif. cap. 1. §. 3. num. 13.* teſtetur, unum Julium, id eſt decem Crucigeros Rhenanos, eſſe ordinarium ſtipendium in Sicilia. Si hîc Conſtantiæ offerantur 15. Crucigeri patriæ monetæ, oportet, eſſe contentum, non, ſi Monachii, aut Oettingæ veteris, ubi ſolent da-
564 ri 24. vel 30. Crucigeri, ſeu Bajoci. Loquor autem de ſtipendio, ut vocant Manuali, ſeu pro Miſſis non ſtatis; ſiquidem ipſa conſuetudo, ac ratio convincit, debere ſacerdoti toto Anno ſacrificanti pro certa perſona, pendi ab hac totam annuam ſuſtentationem.

565 V. Quando creſcente pretio rerum neceſſariarum ad victum, & veſtitum, non creſcit ſtipendium, *illicitè* adigis Laicum ſecretò, ut tibi det plus, quàm ſit in illa ipſa caritate victualium more receptum, octo, fortè ſolùm octo, vel decem crucigeri conſueverint dari, & tu in victum triplo plus expendere cogaris. Vaſquez *loc. cit. num. 21.* teſtans, in Caſtello, ubi ſatis caro pretio omnia veneunt, non ſolere dari, niſi unum Regalem, hoc eſt, decem crucigeros, quia nihilominus cenſetur per communem conſuetudinem efficere juſtum pretium.

566 VI. Si quis tibi non dedit juſtum ſtipendium, nec poſſis commodè extorquere juſtum, non eſt opus, ut pro illo totum Sacrum offeras Deo, Suarez *cit. Diſp. 86. ſect. 4.* Tannerus *Diſp. 5. quæſt. 10. n. 81.* Diana 1. *Part. Tract. 14. reſ. 7.* atque alii contra Bonacin. *cit. q. ult. punct. 7. §. 2. num. 8.* & alios, nec enim ad id te obligâſti. *At promiſi me facturum pro illo ſolo.* Ergo teneris ſtare promiſſis. Suarez, Bonac. & alii; peccaturus tamen probabiliter contra ſolam fidelitatem, ſi non ſtes. Tannerus *loc. cit.* Equidem decima opinio inter annumeratas ſcandaloſis Anno 1665. proponitur his verbis: *Non eſt contra juſtitiam, pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unicum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmatâ dantiſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.*

567 VII. Impingis autem in almam juſtitiam, ſi vi, aut dolo exigas pro uno Sacro plus, quàm rationabilis conſuetudo permittat, aut ſi pro uno Sacro accipias duo ſtipendia integra (duo dimidiata permittet tibi contra Cardin. de Lugo & alios P. Tamburinus *Lib. 3. cap. 1. §. 3. n. 53.* explicans Decretum Congregationis ingenioſe quidem, ſed diſſentaneè declarationi ejuſdem Decreti, relatæ ſuprà *num. 551.*) ab uno, vel à pluribus; licèt enim unum Sacrum pro pluribus oblatum proſit fortaſſe tantum ſingulis, quantum ſi pro unico eorum eſſet perfectum; attamen qui petunt Sacrificium, *tacitè* paciſcuntur de altera opinione, quam *num. 134.* amplexi ſumus, in praxi ſequenda, utpote tutiore, ut agnoſcit etiam ipſe Vaſquez aliam hujus rei cauſam adferens *num. 21.*

Sum autem pauper Clericus. Paupertas excitat artes quidem, at *illicitè* fraudulentas, ſicut eſt hæc. P. Suarez *Sect. 4.* Diana *Reſol. 8.* & alii contra Nugnum, atque alios ab iis relatos. Certè vix, aut ne vix quidem reperies, qui non diceret, ſe iniquè deceptum, ſi ſciret, fuiſſe ſecum ita actum. Adde, quòd cenſura Alexandrina, paulò antè deſcripta non excipiat pauperes. 568

VIII. Hoc juſtum ſtipendium exigere poſſunt etiam opulenti beneficiati. Suarez *Sect. 3.* Tanner. *num. 74.* alii contra Cajet. Sylveſt. alios; etenim etiam dives operarius eſt dignus cibo ſuo *Matth. 10.* Attamen charitas in proximum egentem, & periculum ſcandali ſæpe mitigare debet rigorem juſtitiæ. *Judicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam. Jacob. 2.* Væ igitur Parochis, qui ne quidem Sacrum funebre facere volunt pro defunctis maritis egentiſſimarum viduarum, niſi hæ dent ferè plus, quàm ipſæ habent. 569

IX. Non eſt jam probabile, abſolvendum 570 eſſe à confeſſario ſacerdotem, qui accepto pingui ſtipendio pro pluribus Miſſis, reſervat ſibi partem illius, reliquum autem dat alteri, ut eas Miſſas legat, etenim nigro theta notatur ab Alexandro VII. hæc enuntiatio: *Poſt Decretum Urbani VIII. poteſt ſacerdos, cui Miſſæ celebrandæ tradunturper alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii retentâ ſibi.* 571

X. Parochos tamen, & Capellanos etiam ad 572 nutum amovibiles (niſi hi aliunde teneantur *per ſe* Sacrificare) excipit à ſuo Decreto eadem Congregatio Sacra, ut videre eſt de parochis ſuprà *num. 541.* & de Capellanis rectè probat Tambur. *cit. §. 5. num. 10.* quando ſcilicet eſt iis facta pro Sacris *fundatio* pinguis. Nam non ſolùm tranſfertur in eos dominium illius fundatæ eleemoſynæ, ſed etiam cenſetur id conforme voluntati offerentis manuale ſtipendium, ſi loquamur de ædituo, cui dantur 10. floreni pro 20. Sacris procurandis. Laymann. *loc. cit.* Fagundez *num. 16.* aut ſi loquamur de hærede, cui teſtator reliquit 100. aureos pro 200. Sacris, nec enim fas erit his duobus ſervare dimidiam partem harum pecuniarum, ſi reperiant, qui ſint contenti dimidiâ. Quamquam 573 Suarez, & Tannerus *cit. quæſt. 10. num. 83.* videntur de ædituo ſentire, quod de parocho. De hærede nemo, puto, aſſeret propter illam clariſſimam deciſionem Juris: *Ultima defuncti voluntas omnibus modis ſervari debet. Cap. Ultima. 13. q. 3.* Vide omnino P. Tamburinum *cit. §. 5.* Latè, & diſtinctè differentem de iis, quibus licet, aut non licet retinere partem ſtipendii

dii aliquam, reperies ſat benignas reſolutiones.

XI. Dixi: *Niſi aliunde teneatur, &c.* Niſi quippe literæ fundationis valde clarè exprimant, Capellanum debere per ſemet celebrare, non eſt adigendus, ut ipſemet faciat, ſed poteſt ſuo loco alium conſtituere. Diana *P. 1. cit. Tr. 14. Reſ. 18.* cum communi, teſtans, ita eſſe declaratum à Sacra Congregatione. At quæres, *quandonam cenſeatur ſatis clarè id expreſſum?* Reſp. Tunc ſolùm, quando literæ fundationis ita ſonant: *Volo, ut meus Capellanus perſonaliter Miſſam dicat:* Fagundez *cit Cap. 9. n. 3.* Quid ſi autem ita ſonent: *Volo, ut à meis hæredibus nominetur Capellanus, qui quotidie pro mea anima ſacrificet?* Reſp. Ne tunc quidem obligabitur hic Capellanus per ſemet id præſtare, Fagundez *cit. num. 3. Ergo poterit talis Capellania conferri adoleſcenti Annos 14. nato?* Poterit teſte eodem Fagundez, modò ejus vices fideliter ſuppleat alius. Quod & ego ſentio, ſentîtque Suarez conſultus à Fagundez, concordat Jordan. *cit. Lib. 4. Tit. 1. num. 563. & ſeqq.* citans multos.

APPENDIX. I.

Caſus & Quæſtionis noviſſimæ.

a DIe 27. Septembris Anni 1675. mota fuit hîc Conſtantiæ in confeſſu laicorum, & Religioſorum, quæſtio circa hunc

Caſum Germanicum,

QUo matrona Germana teſtamento reliquit, deſignavitque centum aureos, ſeu, ut vocamus, Duggatos pro ſexcentis Miſſis celebrandis in ſuæ poſt fata ſubſidium animæ. Maritus nominatus executor etiam iſtius legati, intellecto, poſſe in Italiâ haberi ſexcentas Miſſas pro quinquaginta aureis, mittit illuc eos per cambium, applicatis ſibi aliis quinquaginta. Quæſitum fuit an jure? Jure ajebant duo Theologi æperiti, unus ideo, quòd Itali videantur ceſſiſſe ſuo juri ad illos 50. alter idcirco, quòd valor eſſentialis illorum 600. ſacrorum fuerit nihilominus derivatus in defunctam, eſto, non obvenerit accidentalis, quæ obvenîſſet, ſi Germani accepto pinguiori ſtipendio fortaſſe devotiùs orâſſent pro defuncta.

b Hac controverſiâ ad me ab uno ex aſſeſſoribus delatâ eo ipſo die, reſpondi, à me non poſſe ſubſcribi illi reſolutioni *per ſe loquendo*, nam & contrarium jam indicavi, probavique præcedente *num. 572.* & illi marito non competebat majus jus diſponendi de illa individua ſumma in ſuum commodum, quàm ſi ipſe non fuiſſet maritus, ſed extraneus executor. Tum quia executor præſertim pii teſtamenti, aut legati non eſt illius legati interpres, aut judex, ſed Epiſcopus. Concilium Trident. *Seſſ. 22. Cap. 8. de Reform.* Tum quia legata ſunt ſtrictè interpretanda. Decius in *L. In teſtamentis. ff. De Reg. jur.* & quando ſunt pia, debet ea illorum interpretatio fieri, quæ ſit favorabilis augmento cultûs divini. Rota apud Barboſam *De poteſt. Epiſc. P. 3. alleg. 77. num. 8.* tum quia nemo eſt in propria cauſa idoneus judex. Tum denique quia in dubio (ſi immeritò ſupponamus illam deputationem pecuniæ pro Sacris eſſe dubiam) præſumitur quiſque, præſertim in articulo mortis, & ſe magis, quàm alterum diligere, & quàm optimè ſibi conſulere voluiſſe, quiſque verò Catholicus cenſet, ſe meliùs ſuæ animæ conſulere dando miniſtris Eccleſiæ pro opere religioſo centum aureos, quàm duntaxat quinquaginta.

Rationes in contrarium nihil probant; c quia utraque nimis multum, & quidem ſecunda etiam idcirco nimis multum, quia novi loca celebria, quibus pro uno aureo fiunt, ut hîc Conſtantiæ communiter, quatuordecim: alibi ut Friburgi Helvetiorum, octodecim Miſſæ, quis credat, illum maritum ſatisfacturum fuiſſe intentioni legatricis, ſi ad alterutrum locum miſiſſet adhuc minus, quàm in Italiam?

Ad primam rationem reſpondeo, & ignorantis nullam eſſe voluntatem; (ignorabant autem Itali, eſſe in ſingulas Miſſas deſignatos triginta crucigeros, ſeu Bajocos, ergo non ceſſerunt illis,) & licèt intellectâ deſignatione, quam fecerat defuncta, reſcripſiſſent marito: *Libenter tibi relinquemus dimidium ſummæ deſignatæ, ſi nos aliis præferas*, attamen nil valuiſſet ceſſio, utpote coacta. Secùs ſi maritus miſiſſet ipſis illos centum, ii autem vel ultro, vel tacitè rogati remiſiſſent partem aliquam in Germaniam, in gratiarum actionem, quòd ſui potiùs, quàm aliorum habita fuiſſet ratio. Quin imò addo, ſi Itali nunc primùm intellecto legati tenore, allegatâque ignorantiâ, litem moverent marito, futurum, ut æquus judex interpellatus hunc damnaturus eſſet, ad ſupplendum, quod defuit legatæ ſummæ. Verè enim ut primùm litârunt, acquiſierunt jus in re, ad centum aureos. Ergo requiſitus officialis efficiet, ut ex jure ad rem fiat jus in re, ſicuti deducès ex iis, quæ Leſſius *Lib. 2. De Juſtit. Cap. 17. Dub. 5.* ex communi diſſerit de contractu, in quo error, vel ignorantia intervenit.

APPENDIX II.

Fulminatrix.

FEci in hac prima Sectione ter, faciam & in a ſequentibus Tractatibus ſæpius mentionem Decretorum, ab Alexandro VII. in Congregatione Cardinalium editorum adverſus tam docentes, quàm ad praxin deducentes varias opiniones, ac ſententias variorum Doctorum.

Illorum Decretorum ſunt duo, quibus inhibentur quadraginta quinque ejuſmodi dogmata, cum hoc diſcrimine quòd fulmine excommunicationis reſervatæ Pontifici (præterquam in articulo mortis) percellantur ii, qui eorum opinionum vel plures, vel aliquam docent publicè, aut privatim, diſtrictè autem in virtute obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibetur, ne quis prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxin deducat. Horum ipſorum Decretorum, quia, ut dixi, fiet perſæpe mentio in decurſu hujus Operis, non modò hîc repræſentabo illa duo Decreta iis verbis, quibus deſcripſit P. Bonagratia Hapſenſis Franciſcanus Capucinus *Edit. 2. ſuæ ſummulæ pagina 92. & ſeqq.* Sed inſuper proponam, reſolvámque duas de iis quæſtiones, quas proponendi occaſionem dedit hic

Caſus Religioſi nimis fortè Religioſi.

b Qui, *cùm in ſchola Theologica ſuis Auditoribus dictâſſet, nemi-em vi præcepti divini teneri unquam* per ſe *elicere actum ſpei ſupernaturæ is, poſtmodum autem intelexiſſet talem doctrinam eſſ- unam è damnatis ab Alexandro, & quidem omnium primam inter 45. articulos, tanto fuit mœrore correptus, quòd, tametſi per ignorantiam, ſenſiſſet, docuiſſet quidpiam adverſans Pontificiis articulis, ut ſupplicârit Moderatoribus ſuis, ut ſe ejuſmodi Provincia liberarent, nec deſtitit, donec impetrârit, quod petebat; & petebat metu, ne fortè impoſterum in aliqua alia materia. Theologica proponeret ſuis falſum quodpiam dogma. An non fuit nimis Religioſus? At quid ſentiendum de obligatione talium Decretorum?*

Ad primam quæſtionem reſpondeo: Utinam particulæ hujus exuberantis timoris divini, atque erga ſcita Apoſtolica obſervantiæ, redundarent in eos, qui ne videantur aliquando quidpiam docuiſſe, ſcripſiſſe eorum, quæ obelo configuntur ab Alexandro, quaſdam ex his propoſitionibus ita torquent, & contorquent, ut planè aberrent ab omni vero ſenſu. Malim ego cum illo optimo religioſiſſimo Religioſo, qui jam exceſſit è vita, & fortè alicubi legerit id, quod ego *Tr. 2.* hujus Operis *n. 740.* refero de pœnitentia propè incredibili, qua S. Maurilius Epiſcopus defectum quemdam ſuum planè inculpabilem) ob ignorantiam quoque, ſed facti, quæ eſt excuſabilior, quàm juris) plexit, reddere rationem materialis illius delicti, quàm

d tantæ pervicaciæ in proprio judicio. Ad alteram reſpondeo, tametſi non ſint illa duo Decreta publicata, ſeu promulgata in ſingulis Diœceſibus, non auderem tamen pronuntiare liberum culpa lethali quemquam, qui eorum notitiam nactus per authenticâ, vel ex libris ea referentibus, vel ex duobus teſtibus omni exceptione majoribus, pergeret in uſu, ſeu praxi, & vel maximè in publica, privatáque inſtillatione, approbationéque unius vel plurium ex iis.

Ratio eſt prima, quòd infrà hoc *Tr. 3. n. 604.* aſſenſurus ſim iis, qui docent, eſſe neceſſariò in conſcientia ſtandum Declarationibus Cardinalium certò approbatis à Pontifice, dummodo conſtet de earum publicatione facta Romæ, & infrà *Tr. 9. n. 362.* aſſentior Paſqua igo ſcribenti, eaſdem declarationes obligare quocunque modo perveniant ad notitiam indubitatam, ergo etiam præſentibus eſt neceſſariò ſtandum, cùm habeant vel formaliter, vel eminenter omnes conditiones neceſſarias ad inducendam obligationem in conſcientia. Unde non aſſentior P. Quintanadvenu. *Singularium Tr. 3. ſing. 15.* poſt Trullenck, Medinam, Angelum, Mirandam tradenti, promulgationem legum Pontificiarum, Declarationúmque eſſe generatim ita neceſſariò faciendam in ſingulis Provinciis, & Diœceſibus, ut ante hanc promulgationem non obliget illa à Cardinalibus edita, ab Urbano VIII. approbata declaratio, *ne Regulares abſolvant à Caſibus reſervatis Epiſcopo.*

Ratio ſecunda, & ſingulariter accommodata, f
præſentimateriæ, eſt, quia ſicut obſervabo infrà *n. 605.* illæ ſaltem declarationes Cardinalium approbatæ à Pontifice, quæ quidpiam ſtatuunt de rebus ad fidem orthodoxam pertinentibus, non minùs ligant Germanos, Gallos, alios, in quorum regnis, & provinciis promulgatæ non ſunt ſolenniter, quàm Romanos, dummodo certam de iis Romæ publicatis notitiam ſint adepti. Atqui omnes & ſingulæ Declarationes illorum Decretorum diſponunt de rebus ad fidem Chriſtianam ſpectantibus. Etenim in fine ſingulorum Decretorum exprimitur hæc clauſula generalis: *Prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum ut minimùm tamquam ſcandaloſas damnat, & prohibet S. D. N. Alexander VII.* Ergo declarat ex Cathedra eſſe ſcandaloſas, ergo eſt fide divina credendum eſſe ſcandaloſas, ergo id credendum à quocunque demum, qui fuerit imbutus illa evidentia credibilitatis, quam Theologi ſcribentes in ſecundam ſecundæ S. Thom. *quæſt. 1. & ſeqq.* communi calculo exigunt, & ſufficere conſtat. Unde meritò vererer ſacræ, & orbi Chriſtiano tam utilis Inquiſitionis cenſuram, correptionémque, ſi quid in ullo meorum ſeu Operum, ſeu Opuſculorum ſcripſiſſem, quod oppoſitum eſſet, vel minimo (ſi quid tamen in rebus æternam ſalutem concernentibus poteſt *Minimum*, & non potiùs *Maximum* appellari) ex illis articulis.

Hiſce præmiſſis repræſento illa duo Decreta eo ordine, ac verbis, quibus, ut ſuprà dixi, proponit in ſua Summa accuratus, & multùm Religioſus Pater Bonagratia, atque Pater Buſenbaum.

DE-

DECRETUM I.

Feria V. die 24. Sept. 1665.

IN Congregatione Generali. S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Alexandro Divinâ Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis D. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere. Per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorúmque Patrũ doctrina, & quem, ſi pro recta Regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius pervertì contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, viâ, pro paſtorali ſolicitudine in rectam ſemitam revocaret, earundem opinionum examen pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: Qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulo incumbentes, & matura diſcuſſis uſque ad hanc diem infrà ſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia ſanctitati ſuæ ſigillatim exposuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare Facultati Tridentinæ, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, Anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio ſacræ Congregationis Em. in. Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in ſacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſolicitâſſe in Confeſſione; ac proinde non eſt denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſolicitationis eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt ſacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt ſacerdos, cui Miſſæ celebrandæ tradantur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico Calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ innocens non poteſt damnum evitare.

19. *Non peccat maritus occidens, propria auctoritate, uxorem in adulterio deprehenſam.*

20. *Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententia declaratoriam judicis, eò quòd ſit pœna.*

21. *Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.*

22. *Non eſt contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

23. *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.*

24. *Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideóque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procurâſſe pollutionem.*

25. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto dicens:* Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex pecuniam accipere proferenda ſententia unius præ alio.*

27. *Si liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.*

28. *Populus non peccat, etiamſi abſq; ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decrevit prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum ut minimum tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet; ita ut quicunque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit ediderit, aut de iis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunq; etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Igitur diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatûs, etiam ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxin deducant.

Joannes Lupus ſanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Not &c.
Locus ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, indictione tertia, die verò 2. menſis Octobris, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri divinâ providentiâ Papæ VII. Anno undecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis & conſuetis urbis, per me Carolum Melanum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & ſanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

DECRETUM II.

Feria V. die 18. Martii 1666.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita, in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram S.D.N.D. Alexandro Divinâ Providentiâ Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proximè elapſi, quo 28. propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulo, & accuratè, atque ad hanc diem infrà ſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in S. Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos & Reverendiſſimos Dominos Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſegillatim ſuper unaquaque audivit.

Propoſitio.

29. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

30. *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.*

31. *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

32. *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.*

34. *In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.*

35. *Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.*

36. *Re-*

36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis, quæ ſunt expreſſè revocata per Concilium Tridentinum.*

37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.*

38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.*

39. *Illa particula quamprimum, intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſûs ulterioris, & pollutionis.*

41. *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſt ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinario afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

42. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.*

43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem Annos.*

44. *Quoad forum conſcientiæ reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.*

45 *Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri uſque dum adhibita diligentiâ corrigantur.*

Quibus maturè penſatis idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet, ita ut quicunque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, ſtatûs, etiam ſpecialis, & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipſarum ad praxin deducant. Hactenus Alexander VII.

SECTIO II.

Specialiora de obligationibus ratione ſtipendii.

SVMMARIVM.

Quantum peccet non celebrans in altari, in qua deberet ex ſtipendio? 575.

An teneatur compenſare? 576.

An ſi nequeat celebrare in altari præſcripto, tenearis alibi? 577.

Qui non poteſt facere totum eo modo, quo deberet, tenetur facere eo, quo poteſt. 578.

An habens numiſma prædictum indulgentiâ applicabili defunctis, poſſit evitare obligationem ſacrificandi in altari privilegiato? 579. & 580.

An capellanus ægèr teneatur alium conſtituere proſe? 581.

Singulariter ſi per pauculos dies? 582.

Tenetur compenſare, quæ neglexit voluntariè. 583.

Capellanus etiam poſitâ hâc clauſula: Volo, ut capellanus meus quotidie ſacrificet, *habet nihilominus liberum diem in hebdomade. 584.*

Et talis poteſt in Anno offerre pro ſe, aut parentibus tria, vel quatuor Sacra. 585.

Quando nam teneatur ſacrificare die feſto? 586.

557 QUi ſtipendium accepit ad Sacrum faciendum in certo altari, peccat mortaliter juxta Navarrum *Cap. 25. n. 134.* Azor *Tom. 1. l. 10. c. 24.* Bonac. *queſt. ult. cit. punct. 7. §. 4.* Dicaſtillo *num. 384.* cum plurimis, quos referunt, ſi alibi ſacrificet, agit quippe in re gravi contra ſuam obligationem. Excipe, niſi ter, vel quater alibi celebret, quia non fuit intentio fundatoris tam arctè obligare. Dian. *Part. 2. cit. Tr. 14. Reſ. 29.* Excipe deinde, niſi juſta cauſa alia excuſet. Ita citati, volentes, nec juſtam, nec ſufficientem cauſam eſſe ſolam voluntatem, aut permiſſionem hæredum; illi quippe non habent jus mutandi voluntatem ultimam teſtatoris, ſicuti in hac ipſa materia habet aliquando ex juſta cauſa Epiſcopus, 576
teſte Bonac. atque Gavanto *loc. cit.* *At ſine juſta cauſa feci alibi, teneòrne compenſare?* Reſpond. Communiter non teneris, quia communiter non intuliſti damnum reparabile. Bonacina, Dicaſtillo, alii. *Sed altare, ad quod ſum obligatus, eſt privilegiatum, caret autem hâc gratiâ illud, in quo celebravi?* Ergo obligaris compenſare in privilegiato, ob contrariam rationem.

Quid ſi verò nequeam in meo altari, aut templo fungi officio ſacrificantis, aderítne obligatio alibi ſacrificandi? R. ſpond. Aut teneris 577
in tuo altari ſacrificare præciſè ob commodi-

tatem eorum, qui volunt audire Sacrum, vel ob cultum illius altaris, memoriámve alicujus familiæ, relictâ tibi interim applicatione? Aut teneris in eo celebrare, non relictâ tibi liberâ applicatione? Si *primum*, non incumbit tibi obligatio alibi ſacrificandi, quia alibi ſacrificando non aſſequeris finem præſcriptum à fundatore? Si *ſecundum*, id eſt, ſi non relictâ tibi liberâ applicatione, incumbet tibi prædicta obligatio, nam alibi ſacrificans poteris aſſequi intentionem fundatoris. Ita Dicaſtillo *num. 385.* poſt Cardin. de Lugo.

578 Confirmatur reſponſio illâ generali doctrinâ, quam *ex Cap. Cùm dilecti. De dol. & cont.* habet Navarrus *De oratione & horis canon. Cap. 11. num. 10. Qui non poteſt facere totum, vel eo modo, quo jubetur, tenetur facere partem, vel totum eo modo, quo poteſt.* Cenſet autem Jordan. *num. 529.* in dubio eſſe præſumendum hoc ſecundum, aut quòd fundator *principaliter* fecerit fundationem ad Deum honorandum: adeóque alibi, ſi nequeat deſtinato loco. Poteſt tamen utique Epiſcopus facere juſta ex cauſa e. g. ratione ſtudiorum, poteſtatem Sacris operandi alibi, Jordan. *num. 561.*

579 Rurſum quæres, an, ſi quis tibi dedit ſtipendium eâ conditione, ut faceres in aliquo quidem altari privilegiato, non tamen determinando illud in individuo, ſis peccaturus dicendo Miſſam ad aram non privilegiatam quidem, ſed tamen inſtructus numiſmate, vel Roſario benedicto, habente privilegium liberandi animam purgatorio, quo privilegio uti deſtinas. Reſpond. Nullius peccati te damnat Paſqualigus *in ſuis deciſionibus Moralib. deciſ. 427.* ſolùm venialis Diana *Part. 4. Tract. 4. Reſol. 40.* mortalis Gavant. *Cit. Part. 3. Tit. 12. num. 4.* tum quia non ſervas pactum, tum quia tutius eſt privilegium altaris privilegiati, quàm numiſmatis. Quid de his tribus ſententiis ſentiam, latè explicavi *in Quinario Tract. 4.* ſeu *in Theſauro Eccleſ.*

580 *Indulg. Part. 2. num. 507. & ſeqq.* Quibus addo, ſi tantùm ſemel fiat illa mutatio, probari mihi ſententiam Dianæ, ſi ſæpius, Gavanti, & quidem nunc ſingulariter ideo, quòd Alexander VII. vetuerit, ne res affecta indulgentia tranſeat cum hac in alium, aut commodatarium, aut dominum. Sicut refero, & explico *in eodem Tract. 4. num. 678. & ſeqq.* At quàm multi ignorant hanc ſuæ Sanctitatis declarationem? Et ideo fortaſſis ſequuntur praxin contrariam, nixam apertis verbis aliorum Pontificum. Et utique infideliter ageret, qui loco Sacri faciendi in altari privilegiato, recitaret Roſarium, applicando animæ defuncti indulgentiam plenariam, adhærentem ſuo numiſmati. Jordan. *loc. cit. num. 547.* teſtans, ita ſentire omnes. Et meritò, quia omnes probant illud è ſancto Gregorio relatum *Cap. Qualiter de pactis: Studioſe agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.*

Sacellanus, aut alius ratione fundationis 581
obligatus quotidie, vel aliquoties in hebdomade agere ad aram legatum totius Eccleſiæ, ſi brevi tempore ægritudine impeditus non fungatur officio, non eſt obligatus ad alium conſtituendum, qui ejus loco ſacrificet. Bonacina *cit. quæſt. ult. punct. 1. num. 4.* Gavant. *loc. cit. num. 18.* Laymann. *Cit. Tract 5. Cap. 3. num. 7.* Jordan. *num. 537.* atque alii plures. Licèt enim in rigore juris poſſit herus detrahere de mercede famuli, qui aliquamdiu æger non laboravit, pius tamen, & benignus herus non ſolet. Excipe, niſi aliud ſit *expreſſe*, vel *implicitè* ſtatutum, e. g. quando fundator ſanxit: *Fiat quotidie Sacrum per Capellanum meum, vel per alium.* Bonac. & Jordan. Excipe & cum eodem Jordano *cit. n. 537.* illum, qui ſuâ culpâ contraxit ægritudinem. Cur enim ex culpa ferat hoc commodum? Quamquam & hunc non improbabiliter excuſat Tamburin. *Lib. 3 Cap. 6. §. 2. num. 7.* ſicut & ego *in Theolog. Juridic-Morali* fuſè illum, qui ex hac ipſa cauſa omiſit penſum Canonicum.

Intelligunt autem hîc per breve tempus P. 582
Navarrus *Lib. 2. C. 2. n. 210.* & Naldus apud Dianam *Part. 2. Tr. 14. Reſ. 27.* itémque Lugo *Diſp. 21. Sect. 2.* unum, vel duos menſes. Laymann. *loc. cit.* Gavant. *n. 18.* & Jordan. *loc. cit.* unum menſem, ſi cæteroquin fuit diligens in ſuo officio. Diana dies 15. Jac. deGraffiis Fraxinellus, Homobonus, alii apud Dianam reſtringunt ad 8. vel 10. dies. Tamburinus *Lib. 3. Cap. 5. §. 1. num. 3.* cenſet, hæc omnia dici probabiliter, ego quoque puto, prò variis circumſtantiis omnes has ſententias poſſe practicari, Laymannianam frequentiùs, quàm alias, quâ poſitâ oportebit, ſi infirmitas ultra menſem durat, alium ſubſtituere, niſi infirmo illi obtigiſſet tam tenue beneficium, ut omnes reditus expendendi eſſent in ejus ſuſtentationem. Nec enim eſt voluntas vel teſtatoris, vel Eccleſiæ, ſubtrahere panem fideli cæteroquin miniſtro.

Quòd ſi omiſit Sacra non ex ægritudine, 583
ſed alia ex cauſa voluntaria, quantumvis juſta, e. g. quia patrem in agone conſtitutum, multúmque diſtantem inviſit, tenetur compenſare. Jordan. & Bonac. niſi diſpenſârit Epiſcopus. Bonac. *ibid.* & Jordan. Si verò cauſa fuit involuntaria, ut quia ejectus fuit à militibus è ſua parochia e. g. aut quia non potuit nanciſci neceſſaria Sacrificio, non tenetur reſarcire. Laymann. *loc. cit.* Tambur. *loc. cit. §. 3.* etenim rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit. *Cap. 2. De conſt.*

Quando in literis fundationis præciſè di- 584
citur: *Volo, ut meus Capellanus quotidie ſacrificet,*

ſicet, teſtatur Bonac. *punct. 7. §. 2. num. 16.* eſſe uſu receptum, ut Capellano liceat (ob honeſtatem, & meliorem præparationem, non ob deambulationem, alióſque fines profanos, ſicut obſervat Jordan. *num. 533.*) quot hebdomadis abſtinere ſemel Sacro, ita tamen, ut ſi non velit uti hoc beneficio, faciat in ſua Capella, non in alia, nec pro peculiari ſtipendio, imò nec communiter pro ſe, aut pro alio etiam gratis. Pelliz. *tit. Cap. 9. n. 108.* cum communi contra Peyrinis: Si verò literæ fundationis ita ſonent: *Volo, ut quotidie Sacrum fiat in iſta Capella*, vel: *Volo, ut Capellanus per ſe, aut per alium celebret quotidie in hoc altari*, tunc Capellano non dari diem vacantem integrè, ſed revera debere aut per ſe, aut per alium facere Sacrum. Hanc doctrinam tradunt paſſim citati authores, ideóque illam probo. Sanè videtur conformis intentioni ſic ordinantium, ſeu loquentium.

585 Sicut & probo doctrinam ejuſdem Bonacinæ *ibid.* ac Dianæ *Reſ 28.* Jordani *cit. Lib. 4. tit. 1. num 534.* aliorúmque obſervantium, etiam Capellanos, qui tenentur ſeptem Sacra quot hebdomadis offerre Deo pro anima fundatoris, poſſe bonâ conſcientiâ quater, quinquies, ſexies (aut fortè ſæpius, inquit minimè laxus Jordanus) in Anno pro ſe ipſis, cognatis, benefactoribúſve ſacrificare; quis enim cenſeat, fundatorem fuiſſe ita ſeverum, ut id etiam tacitè vetuerit? Ne tamen hinc inferas: *Ergo illa quinque Sacra, quæ poteſt pro ſe facere Capellanus, poterit pro alio, acciperéque ſtipendium.* Nam de ſtipendio negabo abſolutè conſequentiam, quia non puto, conſequens eſſe ullo modo conforme menti teſtatoris; certè non foret conforme menti Jordani *loc. cit* ſi fundâſſet ipſe talem capellam, quia meritò timuiſſet dare occaſionem nimiæ licentiæ. Atqui malitiis hominum eſt obviandum. *Cap. Plerumque. De Reſcr.* Vide Pellizarium *loc. cit.* conſentientem.

586 Quando jubetur Capellanus bis, térve in hebdomada ſacrificare, poteſt ſua Sacra facere diebus ferialibus, ſi illic ſoleat adeſſe alius obligatus ad ſacrificandum diebus feſtivis, ſi autem non ſoleat adeſſe alius, tenebitur Capellanus honorare feſtos dies ſuo Sacro; ita enim videtur fundator voluiſſe. Pax Jordanus *num. 554* Hiſce ſpecialioribus doctrinis de Capellanorum ad ſacrificandum obligatione facere non poſſum, quin in memoriam revocem generalem, altéque menti imprimendam, opere ipſo comprobandam ſententiam, quam ex venerabili Beda, deinde ex S. Bonaventura deſumptam exhibui ſuprà *n. 487.*

SECTIO III.

De diminutione, dilatione, anticipatione Miſſarum.

SVMMARIVM.

Deſcribuntur verba Tridentini circa diminutionem Sacrorum. 587.
Nomine Miſſarum intelliguntur ibi etiam officia defunctorum. 589.
An Epiſcopi poſſint minuere poſitas in fundatione? Ibid.
Quid particula: Semper *deſignet in Decreto Tridentini? 590.*
Decretum Congregationis, minuens poteſtatem Epiſcopi circa reductionem, non eſt receptum. 591.
Capellani non habent jus minuendi. 592.
Cajus particularis capellani dubitantis de numero, & applicatione ſacrorum. 593. & 594.
Quando peccetur, mortaliter differendo Sacra? 596.
Damnum ex dilatione ſecutum quomodo reparandum? Ibid.
Quot Sacris poſſit ſe onerare ſacerdos? 597.
Per tempus modicum *quid intelligant Doctores?* Ibid.
Singulariter in loco claro Miraculis? 599.
An tales teneantur omnibus dantibus integram ſtipem applicare totum Sacrum? Ibid.
Caſus Canonici accipientis uno die duo ſtipendia prætextu fundationis, & conſuetudinis. 600. & 601.
Licet, & non licet prævenire diem deſignatum à dante ſtipendium. 602.
Nec pauperi ſacerdoti licet, quando non habet Sacra votiva, celebrare pro illis, qui proximè dabunt ſtipem. 603.
Quanti faciendæ Declarationes Cardinalium? 664.
Conditiones requiſitæ ad earum vim authenticam. Ibid.
Factæ pro uno caſu extenduntur ad ſimiles. Ibid.
Singulariter eæ, quæ emanant à Congregatione Inquiſitionis. 605.
Quot ſint Congregationes Romæ? 606.
Explicantur officia præcipuarum. 606. & ſeq.
Examinandus in una illarum S. Franciſcus Saleſius quid egerit? 607.
Rotæ Romanæ officium, & membra. 609.

587 *COntingit ſæpe, in quibuſdam Eccleſiis, vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri, vel eleemoſynam ejuſmodi pro illis celebrandis adeò tenuem eſſe, ut non facilè inveniatur, qui velit ſe huic muneri ſubjicere. Dat igitur ſancta Synodus facultatem*

Epiſcopis, ut in Synodo Diœceſana, itémque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in ſuis Capitulis generalibus re diligenter perſpectâ, poſſint in prædictis Eccleſiis ſtatuere circa hoc, quiquid magis ad Dei honorem, atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen, ut eorum defunctorum ſemper cõmemoratio fiat, qui proſuarum animarum ſalute legata ea ad pios uſus reli-
588 *querunt.* Hactenus Trident. Concil. *Seſſ. 25. c. de reform.* Circa quam ſanctionem explicatam à Jordano *Cit. Lib. 4. Tit. 1. num. 576. & ſeqq.* breviſſimè noto.

589 *Primò.* Nomine *Miſſarum* veniunt hîc etiam officia pro defunctis, ut declaravit Congregatio, quæ etiam declaravit, non poſſe vi hujus indulti Epiſcopos (Magiſtratui laico nullam circa hoc poteſtatem competere, probat Palaus mox citandus contra Fagund.) reducere illas Miſſas, quæ in fundatione ipſa beneficii fuêre præſcriptæ, ſed tantùm, quæ ſupervenêre fundationi. Jordan. *num.* 577. *& ſeq.* tradente Palao *cit. Tract. 22. punct. 15. n. 4.* poſſe Epiſcopos de jure communi, quod non eſt ſublatum per Tridentinum, facere reductionem etiam circa Miſſas in ipſa fundatione præſcriptas. Atque ita habet uſus noſtræ Diœceſis, licèt repugnet Congregatio Cardinalium, ut bene perpendit Tamburinus *Lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 2.* vide Dianam *Part. 2. Tract. 14. reſol 2.*

Secundò. Per particulam *ſemper*, poſitam in
590 fine hujus Decreti, ordinatur, ut, quando Epiſcopus ex juſta cauſa expunxit aliquos dies, quibus oportebat cæteroquin fieri Sacrum pro defunctis, iis expunctis diebus fiat pro illis defunctis loco Sacri ſaltem collecta, vel commemoratio in ſecundo *Memento.* Ita Jordanus *n.* 590. At Fraxinellus apud ipſum, & Palaus *loc cit.* arbitrantur, per illud *ſemper* ſolùm intelligi ea Sacra, quæ ex Prælati diſpoſitione celebrantur re ipſâ, ſed minore numero, quàm debeant, in quibus proinde, & non aliàs debeat fieri, vel per collectam, vel per recordationem in ſecundo memento commemoratio defunctorum benefactorum.

591 *Tertiò.* Declaravit Congregatio ſuprà *num.* 519. Epiſcopos non poſſe poteſtate *ſuperiùs* indicatâ uti circa fundationes, aut legata poſt Trident. Concil. relicta. Jordan. *n.* 592. Bonacina *l c.* Verùm id uſu non obſervari, teſtatur ex Garcia, Palaus *loc. c.* Equidem inter reliquas facultates, quas Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Conſtantienſes ſuis Vicariis Generalibus impertiuntur conformiter ſuis Conſtitutionibus Synod. *Part. 1. tit. 9. n. 21.* eſt etiam hæc: *In anniverſariis, vel beneficiorum fundationibus Miſſarum, vel etiam præbendarum numerum augendi, vel minuendi.* Ego cenſeo, non eſſe à confeſſario movendum ullum ſcrupulum Capellano, qui in hac re ſtat vel *expreſſâ* ordinatione ſui Superioris, vel *tacitâ*, qualis eſt, quando ipſo ſciente, nec prohibente viget alicubi longiſſima cõſuetudo diminutionis, inducta ex cauſa juſta.

Quamquam cæteroqui Capellani nacti te- 592
nuia beneficia tenentur fideliter omnia onera iis annexa ſubire, donec legitimus ſuperior debitè provideat. Bonacina *loc. cit. num.* 8. Nimis enim inconcinnæ mutationes peragerentur, ſi permitterentur arbitrio privatorum, cùm ſoleamus eſſe nimis partiales in cauſa propria: Et tam ii, quàm præſertim Rectores Eccleſiarum debent *practicè* meminiſſe ſalubri Statuti, in Conſtitut. Synod. *loc. cit.* expreſſi *num. 22.* his verbis: *Miſſæ plures poſthac non recipiantur, quàm commodè juxta fundatoris mentem fieri poſſunt.*

In declarationem dictorum hîc deſcriba- 593
partem literarum ad me à quodam datarum 14. Novemb. Anno 1660. his verbis: *Teneor ſingulis ſeptimanis ex fundatione quinque legere Miſſas, ſed non exprimitur, cui debeam applicare. Quia verò prima fundatio ſe tantùm extendit ad 25. libras noſtrates (ſunt ſeptem Ducati) cenſet D. N. me nullam teneri applicare fundatoribus vi fundationis, ſed quia tam multa legata acceſſerunt, ut habeam ſingulis Annis 232. florenos, judicat, æquum eſſe, ut fundatoribus, & benefactoribus applicem ſingulis ſeptimanis duo Sacra. Rogo Rev. Veſt. ut &c.*

Reſpondi, neque à Jure, neque à DD. tra- 594
di, Sacra eſſe *neceſſariò*, & *per ſe* applicanda benefactoribus, niſi conſtet *poſitivè* hos id poſtulâſſe, eiſque promiſſum fuiſſe, ſed fundatoribus ſolis applicanda ſunt *per ſe loquendo*; & utique fore ſatis in hoc caſu, ſi duo legerentur hebdomadatim pro iſtis. Quia tamen ſcribuntur eſſe quinque præſcripta, non determinatâ applicatione, non eſſe propriâ authoritate minuendum numerum, ſed difficultatem proponendam D. Vicario Generali, qui intellectis omnibus circumſtantiis ſit abſque dubio (nam in hac Diœceſi poteſt ex longa, conſtantique conſuetudine) facturus imminutionem, ſicuti etiam poſtea fecit, reducendo illa quinque ad duo, ea etiam ex cauſa, quòd unum horum duorum debeat etiam vi fundationis fieri in loco diſtante plùs dimidiam horam, & ille beneficiatus multùm occupetur excipiendis confeſſionibus peregrinantium ad locum ſui beneficii, efflagitantiúmque, oblato ſtipendio, fieri Sacra pro ſe.

Vellem, ſequerentur omnes beneficiati hoc 595
exemplum, id eſt non ſuopte nutu minuerent numerum Miſſarum debitarum ex antiquo, ſed os Domini interrogarent, ſic enim conſulerent ſuæ, ſuorúmque ſucceſſorum conſcientiæ, ſicut alii, qui etiam me authore petierunt haud ſemel, impetraverúntque reductionem.

Quartò. Lethalem culpam contrahit, qui 596
diu, abſque ſufficiente cauſa, differt perſolutionem Sacrorum, ex juſtitia debitorum. Bonacina *cit. q. ult. p. 7. §. 5. n. 1.* ex communi, utpote in re gravi lædens juſtitiam. Imò tenetur

netur ad reſtitutionem, ſi accepit ſtipendium pro impetranda ſanitate, deceditque é vivis alter, antequam ſegnis ille Capellanus ſatisfaciat ſuæ obligationi. Dicaſtillo *cit. Diſp. 4. n.* 402 rectè limitans, niſi aliud probabiliter præſumatur de mente dantis ſtipendium, addente Pellizario *Tract. 5. cap. 9. lect. 3. num 73* damnum ex dilatione ſecutum reparandum eſſe (ſi reparari queat) ex bonis ſpiritualibus, & illis ipſis, pro quibus petitæ erant Miſſæ, adeóque ſi Miſſæ petitæ erant pro defunctis, præter debita Sacrificia offerenda etiam eſſe ſuffragia precum, indulgentiarum, & ſimilium; ſi verò pro vivis e. g. pro ſalute infirmi, pro fœlici expeditione alicujus negotii, reſarciendam eſſe jacturam aliis orationibus ordinatis ad eum finem, qui rationabiliter videtur intentus ab iis, quibus debebantur Miſſæ dilatæ. Ita ille poſt Peyrinis. Caveant igitur ſacerdotes, ne ſe onerent nimis multis Sacris.

597 *At quandonam cenſebuntur nimis multa?* Reſpond. Si intra 50. vel 60. dies poſſis omnia exequi, dicent Villalobos, & Ledeſma apud Dian. *Part. 2. Tract. 14. Reſ. 25.* non eſſe nimis multa, addétque Cardinalis de Lugo *Diſp. 21. num. 22.* eſſe hoc verum. Tamburinus autem *Lib. 3. cap. 1. §. 8. num.* 8. loquens etiam de tribus menſibus, eſſe probabile, licèt Congregatio Cardinalium ſuprà *num.* 542. voluerit, non plura Sacra ſuſcipi, quàm quæ intra *modicum* tempus poſſint legi. Sed certè qui 60. dies aſſantur, friguntur, ungulis lacerantur, pice, ſulphuréque perfunduntur in igne Purgante, non dicunt, eſſe *modicum* tempus. Itaque Dicaſtillo rectè *num* 399. non repugnante Tamburino *num. 9.* ait, adſtipulante Palao *punct. 14. num.* 11. eſſe hac etiam in re ſpectandam voluntatem rationabilem offerentis eleemoſynam. Et ſine dubio, quando petitur Sacrum pro præſenti neceſſitate, differri non debet, nam tunc circumſtantia temporis ſpectat ad ſubſtantiam rei. Lugo *n.* 45. Vide omninò Pellizar. *loc. cit. num.* 72. diſtinctè diſcurrentem de præſenti materia.

598 *Quintò.* Parochi, & Capellani, qui ſciuntur eſſe onerati multis Sacris, poſſunt faciliùs hîc excuſari, quàm alii. De quibus quidem parochis probè obſerva, quando parochiani offerunt iis ſtipendia, ut pro ipſis faciant Sacrum eo ipſo die, quo jam debent facere pro aliis, aut quando plura petunt, quàm parochi peragere valeant, eſſe monendos de his circumſtantiis, aut ablegandos ad alium, aut conſtituendum ab ipſo parocho alium. Quòd ſi tamen parochiani edocti velint, ut nihilominus ipſemet ſacrificet, tunc cenſendos eſſe, petere ſolùm *ſecundariam* collectam, & donare liberaliter illud, quod dant, præſertim quando redditus parochi ſunt tenues. Ita Laymann. *cit. Tract. 5. cap. 3. num.* 4. Tannerus *cit. Diſp. 5. quæſt. 10. De Euchar. num. 77.* At non poſſunt à non offerentibus exigere quidquam teſte eodem 599
Tannero.

Sed inquies: Sum parochus, ſeu rector Eccleſiæ celebris miraculis: peregrini poſtulant à me tot Sacra facienda in ea Eccleſia, ut, licèt quotidie tria facerem, haud tamen poſſem omnibus ſatisfacere. *Quid agendum? Nec pecunias libenter rejicio, nec etiam libenter onero conſcientiam.* Reſp. Deſiperes, ſi illam onerares pondere detruſuro te in tartarum. Ergo conformiter Regulæ 68. *in* 6. fac per alium, quod non potes per te ipſum; aut ſi nequis alium nanciſci, aperi illis tuam impoſſibilitatem, qua cognitâ ſi nihilominus offerant nummos, accipe, atque illorum eſto memor in uno, vel pluribus Sacris, præſertim inferendo peculiarem Collectam, ut *num. præc.* dixi de parochianis ipſis. Id ipſum tibi licebit, quando tua impoſſibilitas erit notoria; nec enim opus eſt, ut ſingulis eam revoces in mentem. Atque ita ſentiunt Henriquez *Lib. 9. cap. 22. num. 7.* itémque Tanner. *num. 78.* Cave tamen fraudes, & conſidera reſponſionem, quam dedi, dóque ad hunc

Caſum peregrinorum.

Parochus & Capellanus loci celebris peregrinationibus, quandoque rogantur, obl to ſtipendio, àtam multis litare in Sacra ad has & illas intentiones, ut, quamvis quotidie ſacrificent, vix tamen poſſint intra dimidium Annum ſatisfacere toti obligationi, niſi ſtipem partiantur in alios, quod tamen eſt ipſis eo ex capite ingratum, quia, ſi conſtituant, ſit fortaſſe futurum, ut occurrant multi dies, quibus lucrari nihil poterunt. Igitur ſupplicant Reverendiſſimo Præſidi illius templi, ut declaret ſuum de hac controverſia ſenſum.

Ego die ultimo Junii Anno 1677. Delegato illius Reverendiſſimi Domini ad me Miſſo reſpondi, tantam dilationem à nemine, quem legerim, concedi, ergo nec à me permitti poſſe; cauſam autem, quæ ab illis duobus adfertur, habere aliqualem apparentiam probabilitatis in uno caſu, nullam in altero. Aliquam, ſi ferè totam ſuſtentationem accipiunt ex Sacris votivis; nullam apparentiam, ſi totam, aut ferè totam ſuſtentationem hanc ſuam ſuppeditare queat fundatio. Poſterior pars indè probatur, quia nequit prudenter tunc præſumi tacitus in tantam dilationem conſenſus offerentium ſtipem; ſi enim ſinguli interrogarentur (ex hac quippe conditionali interrogatione, & reſponſo eſt prudenter conjiciendus tam in hoc, quàm in aliis plurimis caſibus, tacitus conſenſus) an eſſent contenti tanta pro-

cra-

craſtinatione, reſponderent utique, ſe minimè contentos; ergo abſtinendum eſt ab illa praxi. E diverſo, quia fortè multi in altero caſu benigniùs reſponderent, ideo aliquam ſpeciem probabilitatis ſortiretur illa dilatio. Abſolutè tamen neganda eſt præſumptio illius benignitatis. Igitur vel erit exploranda mens talium, vel conſtituendi, qui tempori expleant debitum. Sine illa interrogatione, & benigno reſponſo accepto, nequit, meo judicio, ultra duos menſes à Cardin. De Lugo conceſſos differri perſolutio. Imò nec tam diu, quando Sacra petuntur, ut fit perſæpe in talibus locis, pro aliqua inſtanti neceſſitate corporali, vel ſpirituali, etenim tunc temere præſumitur conſenſus, ſiquidem in obſcuris inſpiciendum eſt, quid plerumque fiat, ut nos docent Regulæ utriuſque Juris.

Hiſce addo reſponſum pridem à me datum ad hunc

Caſum Collegialem.

600 *Eſt in oppido N. Collegiata Eccleſia, in qua hebdomadarius accipit ratione vetuſtæ fundationis die ſabbatino ſex bazeos, ſeu duos Julios pro Sacro de B. Virgine, in quem diem quando incidit Anniverſarium, applicat ſuum illud Sacrum pro Anniverſario, utpote quo datur ipſi, ſicut & aliis ſuis Dominis Collegis celebrantibus unus quandoque florenus, ſeu 4. 5. aut 6. Julii, quos Julios accipit etiam D. Parochus eo ipſo die Anniverſario, licèt tunc celebret diem depoſitionis defuncti, ejúſve ſeptimum, aut triceſimum, & pro ſingulis horum dierum ſolvantur conſueti quinque, vel ſex bazei, ita tamen ut ſuum Sacrum offerat pro tunc defuncto. Quæſitum fuit, an tolerari queat hæc conſuetudo*

601 Partim reſpondi, partim reſpondeo, poſſe in *primo* caſu aliqualem reperiri excuſationem. Cùm enim illud Sacrum ſabbatinum videatur eſſe præciſè fundatum in honorem Beatiſſ. Virginis, ſequitur ex doctrina Tamburini relata *num. 501.* junctâ illi, quam *num. 493.* retùlimus ex Dicaſtillo, at non approbavimus, poſſe pro illo accipi aliud ſtipendium. At verò quia *ſecundus* caſus repugnat apertiſſimis verbis Congregationis Concilii relatis ſuprà *nu. 538. & 551* carétque omni authoritate, non video, quo titulo poſſit excuſari illa praxis. Etenim non ſufficit præciſè dicere: illud Decretum Congregationis non eſſe illic receptum; hæc quippe ratio patrocinatur ſolùm iis, quæ pendent ex jure merè *humano*: at verò eſt juris non *humani*, ſed *naturalis*, fideliter implere ultimas voluntates defunctorum, cùm ſcriptum ſit: *Ultima defuncti voluntas omnibus modis impleri debet. Cap. Ultima 13. quæſt. 2.* Atqui ſicut *nemo ſanus intelligit, naturali juri quacunque conſuetudine poſſe aliquatenus derogari. Text. Cap. fin. De conſuet.* ita etiam nemo poteſt factum juri *naturali* repugnans defendere exceptione non receptæ legis. Itaque niſi illud capitulum Collegiatum poſſit ſuam praxin alio titulo legitimo tueri, nequeunt, meo judicio, continuare eam, ſed debet D. Parochus eo die vel nihil accipere pro anniverſario, ſed florenum illum relinquere alteri, qui legitimè ſacrificet pro fundatore Anniverſarii, vel compenſare proximo die, ut permittit Tamburinus *Lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 34.* Et ego cum ipſo ſuprà *num. 508.*

Hanc reſponſionem in planiſſimo jure fundatam velim perpendant, qui eam legent; ſcio quippe, eſſe varia loca, in quibus eſt ejus uſus vel perutilis, vel omnino coram tribunali Dei neceſſarius, niſi fortè talibus patrocinetur titulus ille præſcriptionis, quem ex P. Tamburino protuli *num. 534.* & de quo nihil ſtatuere volui *num. 516.*

Sextò. Licèt communiter, qui ſolvit ante 602
tempus præfixum, laudabiliter agat, ſæpe tamen non licet Sacra facere ante dies conſtitutos, ut quando præcipitur, ut ſingulis ſabbatis fiat Sacrum ad honorem B. Virginis: ſingulis feriis ſextis pro defunctis illâ hebdomade. Reginal. *Lib. 23. num. 236.* Dicaſtillo *cit. Tract. 5. diſp. 4. num. 406.* & alii. At ſi ſtatuit fundator, ut pro ſua anima fiant duo Sacra quothebdomadis, poteris hac hebdomade celebrare 4. ut ſis liber ſequente. Fagundez *cit. Lib 3. cap. 9. num. 1.* cum Gavanto *Part. 3. tit. 12. n. 16.* tradens generatim, licere anticipare, quando aliunde non conſtat, fuiſſe aliam mentem fundatoris, ſicuti & Lugo *cit. num. 45.* non repugnante Dicaſtillo *num. 406.* ait, *regulariter loquendo*, quando accepiſti ſtipendium pro Sacro faciendo in aliqua feſtivitate, poſſe à te differri in diem proximum, aut etiam ultra octavam. Sed ego cenſeo, hîc etiam eſſe examinandas circumſtantias, præſertim finis, ob quem fuit petitum illud Sacrum. Certè Gavantus *cit. Part. 3. tit. 12. num. 15.* teſtatur, quando teſtator mandavit legi Miſſam in feſto, non eſſe differendam in diem non feſtum, per feſtum autem tunc ſolùm intelligi feſtum *de præcepto.*

Sum tam egenus, Inquies, (quia indoctus) *Sa-* 603
cerdos, ut non habeam, quo vitam ſuſtentem, niſi vivam de altari, ac Sacris votivis. Fit autem quandoque, ut cogar otiari, quandoque ut plura petantur Sacra, quàm poſſim juxta intentionem petentium perficere: nonne providè agam, ſi quando non habebo, qui ſtipem offerat, ſacrificem pro illo, qui primus offeret? Reſp. Providè ages ſecundùm carnis prudentiam, damnatam in hac ipſa materia à Clemente VIII. & Paulo V. ut teſtantur Gavantus *loc. cit. num. 16.* ac Diana *Reſ. 15.* cum Aſcanio Tamburino *De jure Abbat. Tom. 2. diſp. 5. quæſt. 9. num. 21.* deſcribente cenſuram hujus practicæ, quamvis cæteros qui Reginaldus *Lib. 23. num. 233.* probabilem vocet ſententiam Henriquezii *cit. Lib. 9. cap. 21. num. 2.* Bonacinæ *cit. punct. 7. §. 5. num. 3.* aliorúmque multorum, te excuſantium *per ſe loquendo*, at ob varia inconvenientia, quæ exprimit Bonacina, meritò diſſuadentium hanc practicam. *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Pſal. 54. memor illius; *Non vidi juſtum derelictum. Pſal. 36.*

604 Porrò quia toties feci, faciámque in hoc Alphabeto, & ſequentibus mentionem Declarationum editarum à Congregationibus Cardinalium, dicam hoc loco aliquid generatim de iis. Et in primis quidem notum eſt, etſi eæ Declarationes ſint maximi faciendæ, utpotè datæ à viris ſapientiſſimis, nullam tamen habere vim obligandi ad ſtandum iis, niſi ſint approbatæ à ſua Sanctitate, ſignatéque manu, aut ſigillo Cardinalis Præfecti, & Secretarii, ac ſufficienter promulgatæ, ut videre eſt apud Dianam *Part. 5. Tract. 2. Reſol. ultimâ*, & fuſiùs apud eundem *Part. 11. Tract. 2. Reſ. 42.* diſſentiente inter Recentiores Illuſtriſſimo Principe & Abbate Einſidenſi, D. Auguſtino Reding *Theolog. Scholaſt. Tom. 2. quæſt. 15. art. 1. Controverſ. 3. num. 5.* Si autem adſint hæ tres conditiones, neceſſariò ſtandum iis eſt, cùm ſint, ut ſic munitæ authoritate Pontificis. Anton. Cotonius *celebr. controverſ. Lib. 3. controverſ. 8. cap. 3.* Diana *cit. Reſol. 42.* atque alii communiùs contra Verricelli, & Chaſſaing latè diſſentientes apud eundem Dianam *cit. Reſ. 42.* Item Patrem Antonium de Eſcobar. *Theolog. Moral. Tom. 1. lib. 5. ſect. 2. cap. 12. problem. 3.* At *eſtne neceſſaria tanta earum promulgatio, quanta legum Pontificiarum?* Negat Cotonius *loc. cit.* ratus, ſufficere, modò ſat conſtet aliunde, eſſe præditas expreſſis conditionibus, eò quòd eæ non ſint *propriè* Leges, ac proinde non ſit neceſſe, ut publicentur in ſingulis provinciis. Ochagavia quoque apud Dianam *loc. cit.* cenſet, ſufficere eam publicam notitiam, quæ habetur ex fama publica, & certa, derivata ex principio authentico. Hanc Ochagaviæ, & Cotonii doctrinam, etſi ſatis clarè negatam à Lezana *in ſumm. verb. Congregatio Sacra. num. 11. & 12.* item à Verricelli, Chaſſaing, & ſingulariter à Patre Eſcobar. *loc. cit. num. 93.* video tamen, eſſe uſu receptam; at non eſt neceſſariò ſequenda, niſi indubitanter conſtet de publicatione ſaltem Romæ facta. Addit idem Cotonius contra Boſſium, Verricelli, Eſcobar *cit. num. 93.* & alios, etſi eæ declarationes ſint datæ, ut ſæpiſſimè fit, pro aliquo caſu ſingulari, eſſe tamen extendendas ad omnes ſimiles. Quod quidem re ipſa ſentiri, & practicari à Garzia, Lambertino, Farinacio, Barboſa, Jordano, Riccio, Piaſecio, Fagnano, fatebitur Lector horum ſcriptorum.

605 Ratio autem, ob quam hi, aliíque DD. faciunt hanc de caſu ad caſum extenſionem, eſt, quia *cùm in alia cauſa ſententia eorum* (id eſt ſenatûs conſultorum) *manifeſta eſt, is, qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, & que jus dicere debet.* Julianus Ic. *relatus in l. Non poſſunt. ff. De legibus.* Nec dubitari debet, quin prædicta extenſio facienda ſit, ſaltem reſpectu declarationum editarum à Congregatione Sacræ Inquiſitionis circa articulos fidei; quod enim debet ab una Provincia credi fide divinâ, debet etiam à toto orbe Chriſtiano; credi quippe non poteſt quidquam, niſi à Deo ſit revelatum, revelata verò à Deo infallibilem continent ubique veritatem. Quare non habet reſpectu talium declarationum locum illa, quæ ſæpe, & quidem prudenter, efficacitérque proponitur, exceptio non receptæ legis, aut declarationis; ea ſiquidem exceptio *validè* allegatur ſolùm adverſùs obligationem legum, ſtatutorum, declarationum ſpectantium ad mores, non autem pertinentium ad fidem; hæcque allegatio exceptionis cum indicata diſtinctione ſingularirer locum obtinet in Decretis Tridentini Concilii, iſta enim omnia, quatenus proponunt, aut declarant fidei articulos, recipiuntur cum omni veneratione ab omnibus Orthodoxis, non item ab omnibus omnia, quæ ſtatuuntur circa ritus Sacramentales, beneficia, munéraque Eccleſiaſtica Regulares, aliáque plurima. Quod ego idcirco ſingulariter exprimo, quia uſu didici, eſſe hanc diſtinctionem quandoque inculcandam Laicis ſemidoctis, qui ſcandalizantur audientes, Decreta Concilii Tridentini, quod audiverunt, vel legerunt fuiſſe coactum ad ſupprimendas hæreſes, quas Lutherus, Zwinglius, Calvinus, horúmque diſcipuli ſeminárant, aut ſeminabant, non recipi ab omnibus Orthodoxis. Supponit verò diſtinctio, quam tradidi in ordine ad duplex genus decretorum profectorum à Congregatione Generalis Romanæ Inquiſitionis, eſſe illa expreſſè approbata à ſummo Pontifice; nec enim ullus cœtus conſideratus abſque Pontifice, jus obtinet obligandi Chriſtianos, ut hoc, aut illud fide divinâ credant, cùm ne quidem ulli Generali Concilio conſiderato ſine Papa, ejúſve Legatis, promiſſa ſit infallibilis aſſiſtentia Spiritûs Sancti. Tannerus *Tom. 3. diſp. 1. quæſt. 4 dub. 8. num. 20.* cum omnibus hujus, & ſuperioris ſæculi Theologis.

Deinde obſervandum eſt, exiſtere quidem 606
Romæ Octodecim, ut nominant, Congregationes (Politici appellarent Parlamenta, Curias, Regimina, Senatus, Concilia, Dicaſteria) attamen ferè tantùm de quatuor, aut quinque earum fieri mentionem à Theologis Moralibus, ſcilicet de Congregatione Rituum, Congregatione Concilii Tridentini Interpretum, Congregatione Regularium, atque Rotæ, quarum trium Congregationum, ſicuti & nonnullarum aliarum, itémque Rotæ conditiones, quia credo fore cognitu gratas meo Lectori, referam certa pro certis, dubia pro dubiis, ut lo-

loquar cum Lezana *in Summa verb. Congregatio ſacra*, quæ de iis notaverunt Anton. Coton. *celebr. Controverſ. Lib. 3. Controverſ. 8. Cap. 3.* Bonagratia Habſenſis *in Summa ſelectar. quæſtion. Regular. in Iſagoge num. 12. & 13.* atque P. Joannes Streinius noſter *in Summa Juris Canonici Part. 1. Tit. 12. & 15.* enumerantes cæteras.

Prima, ac præcipua illarum eſt Congregatio Sancti Officii, ſeu Inquiſitionis, exoſa hæreticis, & libertinis. Etenim Paulus Tertius in Bulla: *Licèt* conceſſit ei poteſtatem inquirendi, citandi, procedendi in omnibus cauſis tam hæreſin manifeſtam, quàm ſchiſmata, apoſtaſiam à fide, magiam, ſortilegia, divinationes, Sacramentorum abuſus, & quæcunque alia, quæ etiam præſumptam hæreſin ſapere videntur, concernentibus. Adjecerunt alii Pontifices crimen confeſſariorum ſolicitantium ad turpia. Pro hac Congregatione, ſicut & ferè pro reliquis, deputati ſunt, præter alios officiales, quinque Cardinales, quorum ſaltem tres intereſſe debent, ut quid concludatur. Conveniunt bis in hebdomade. Feriâ quartâ coram Seniore ejus Congregationis: Feriâ quintâ coram Pontifice. Vide Dianam *Part. 5. Tract. 5. 6. 7.* ubi agit de tortura, & pœnis delinquentium, ac poteſtate, officióque Inquiſitionis, ſubdens in fine aliquot Bullas de materiis ſpectantibus ad ſacrum officium.

607 Congregatio Rituum eſt, quæ de moribus Eccleſiæ, ritibus Sacramentorum, officiis divinis, ſeu Breviariis, horúmque partibus, cultu, & canonizatione Sanctorum judicat, ſolita tantùm ſemel in Anno inſtitui.

Congregatio Concilii Tridentini cognoſcit, & reſolvit dubia, quæ proponuntur circa decreta morum contenta in actis Concilii Tridentini. Celebratur ſemel quot menſibus, niſi occurrens neceſſitas poſtulet frequentiorem conventum.

Congregatio Indicis Librorum habet ſibi commendatum examen Librorum prohibitorum, ut ſcilicet Librorum hujuſmodi catalogos, & indices, aut olim, aut proximè confectos examinet, certorum Authorum libros vetitos, aut ſuſpenſos excutiat, & prout expedire judicaverit, permittat. Ita Bonagratia, cui addo ex Laymanno *Lib. 2. Tr. 1. Cap. 15. num. 8.* non eſſe in Germania receptum Indicem Romanum, quatenus prohibet lectionem librorum continentium quidem doctrinam non ſanam, vel moribus fidelium repugnantem, at à Catholicis compoſitorum, quia nemo eſt, qui in obſervationem cum authoritate deducat ejuſmodi prohibitionem, inquit Laymannus, & ego uſu doctus.

Congregatio Epiſcoporum dirimit dubia, ac lites, quæ exoriuntur, proponuntúrque ratione jurium, immunitatum, privilegiorum allegatorum à Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque ſæcularibus Prælatis. Adeandem quoque ſpectat examen promovendorum ad Epiſcopalem dignitatem. Conficiunt eam octo, vel decem Cardinales, Prælati alii, etiam Regulares. Examini, quo fuit explorata eminens doctrina ſancti Franciſci Saleſii, præfuit, atque eriam examinatoris partes ſibi aſcivit Clemens Papa VIII. cum octo Cardinalibus, & viginti Archiepiſcopis, Epiſcopis, Generalibus Ordinum Religioſorum. Quod priuſquam ſubiret ille integerrimus Dei famulus, ingreſſus ædem ſacram, lachrymis perfuſus, intimémque compunctus: *Domine Deus*, inquit, *ſi non à te vocor ad Epiſcopatum, neque idoneus ſum ad procurandas animas, quæ tibi tam charæ ſunt, noli ſinere, me ſatisfacere examinatoribus. Permitte potiùs, operiat faciem meam confuſio coram Vicario tuo.* Sic teſtatur, & ſcribit Franciſcus Creuxius noſter in vita hujus lectiſſimi Sancti *Part. 3. Cap. 7.* ſubdens, quanto cum applauſu omnium reſponderit.

Congregatio Regularium reſpondet ad dubia propoſita à Regularibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, cognoſcit etiam controverſias vertentes inter ipſos Regulares, ſicut & cauſas apoſtatarum. Vide Bonagratiam *loc. cit.* 608

Congregatio Cardinalium de propaganda fide, adhibitis etiam aliquot Romanæ Curiæ Prælatis, ac Religioſis Viris, ſemel coram ipſo Papa, bis ſaltem in domo antiquioris illorum, quolibet menſe congregatur, omniáque, & ſingula negotia, ad fidem in univerſo mundo propagnandam pertinentia cognoſcit. Miſſionibus omnibus ad prædicandum Evangelium ſuperintendit; miniſtros neceſſarios conſtituit &c. ut legere eſt in Bulla Gregor. XV. incipiente: *Inſcrutabili.* In qua hæc, & alia ex ſuprà dictis proponuntur, & compendio referuntur à prædicto P. Bonagratia, apud quem, ſicut & apud P. Streinium reperies nomina, officiáque plurium aliarum Congregationum, quibus ſilentio nunc præteritis, dicendum eſt aliquid de Rota Romana.

Eminet hæc dignitate, & authoritate proxima poſt Congregationes, quibus præſunt Cardinales. Pater Azor *Part. 2. Lib. 5. Cap. 41.* De ea ſic ſcribit: *Ex Universo Chriſtianorum Orbe ad Pontificem litigatores cauſas de beneficiis Eccleſiaſticis, & aliis rebus deferre ſolent. Has cauſas expedire conſuevit Pontifex per viros utriuſque juris peritos, qui, quoniam in Capella Pontificia Papæ aſſiſtebant, Capellani ſummi Pontificis olim dicebantur, & Auditores ſacri Palatii: hodie Auditores Rota dicuntur, quòd in orbem ſedentes controverſias, & cauſas examinent. In hoc auditorio cuncta juxta doctrinam, prudentiam, æquitatem, juſtitiam, & integritatem definiuntur. Sunt Auditores duodecim; ad hunc enim numerum eos Sixtus IV. reduxit.* Ita Pater Azor, addente Patre Streinio, aliquos ex iis Auditoribus eſſe Italos, alios Hiſpanos &c. exprimente verò Patre Bonagratia, octo eſſe Ita- 609

los, duos Hiſpanos, unum Germanum, unum Gallum. Addente rurſum Streinio, juriſdictionem illorum eſſe juxta Archidiaconum delegatam, juxta Bartholum ordinariam, quorum tamen ſententias non recipi ubique, refert *num. 23* Bonagratia ex Navarro *de ſentent. ex commun conſil. 15* in quo tamen nihil ejuſmodi habet meum exemplar. Addo ego, ad hoc tribunal ſingulariſſimè ſpectare cauſam, in qua diſputatur, utrùm hic, aut ille ſit dignus, qui in ordine ad canonizationem proponatur Congregationi Rituum, ſicuti liquet ex diverſis Bullis Canonizationum. Ut proinde mandato hujus Rotæ Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Florentinus examinârit B. Mariam Magdalen. de Pazzi ſuper revelatione, quam divinitus habuerat, de cœlesti, eáque præcellenti gloria B. Aloyſii Gonzaga, ut legere eſt in illius lectiſſimæ Virginis vita *Tr. 3. C. 15.* Lege, ſi placet in Bullario Bullam 74. Sixti V. in qua exprimuntur officia 15. Congregationum.

Quòd ſi ſciſciteris, quantæ authoritatis ſint deciſiones ſacræ Rotæ, reſpondeo verbis Joannis Baptiſtæ de Lezana *Tom. 4. Conſulto*, ut vocat, 18. *num. 18.* ſic ſcribentis: *Quamvis ſacræ Rotæ deciſionibus valde, multúmque deferendum ſit, nihilominus eæ non ſunt ſequendæ, ubi liquidò conſtat de ratione in contrarium. Habetur ex Franco, Felino, Decio, aliiſque apud Maſcardum* volum. 1. Concluſ. 484. *in Princ.* Ita Lezana. Declarationes Cardinalium etiam non approbatæ à Pontifice, ſunt majoris authoritatis, quàm Rotales; & tamen fas eſt ab eis ante Pontificiam approbationem recedere. Suprà *num. 604.* Porrò ex dictis cavebit non ſatis curioſus Lector, ne in errorem inducatur titulo, quem nonnemo præfixit partui poſthumo Farinacii, Francofordiæ Anno 1608. edito, hiſce verbis: *Deciſionum noviſſimarum Rotæ Romanæ, ſive ſacri Palatii Romani, Pars quarta &c. è Bibliotheca Proſperi Farinacii.* Etenim faber prædicti tituli, probabiliter Lutheranus, confundit Rotam cum Congregatione Concilii Tridentini. Siquidem in eo toto libro nulla ſententia Rotalis, ſed declarationes Congregationis Tridentini Concilii, exhibentur.

An obligatus quotidie dicere de Requiem poſſit quovis feſto id peragere? diſtinctè num. 613. & ſeqq.

Preces præſcriptæ in Miſſali pro defunctis, proſunt his magis, quàm aliæ. 617.

Valor ſecundarius *Miſſarum non eſt idem in omnibus Miſſis. 618.*

An, qui ſtipendium accepit pro Miſſa funebri, poſſit feſto die aliam legere? 622

Quando funus defertur die dominico ad templum, quale Sacrum legendum? 624.

An ſit neceſſe, inſerere Sacro de feſto Collectam pro defuncto, pro quo tunc deberet fieri funebre? 625.

Non eſt conſultum, ut in omnibus duplicibus etiam per Annum fiat Collecta mortualis. ab iis, qui, quando illam faciunt, liberant animam ex purgatorio. 626.

Nec inſerenda quovis feſto collecta de Sanctis, pro quibus eſt relicta aliqua fundatio. 627.

An imitandi, qui pro ſe adhuc viventibus curant fieri Sacra funebria? 629. & ſeqq.

Illuſtre in hac re exemplum Petri Vellii. 633.

An Sacra, quæ pro Defunctis fiunt, proſint ſacrificantiplus, quàm quæ pro vivis? 634.

Ad quem redeat fructus Sacri funebris, quando non indiget is, pro quo eſt oblatum? 626.

Quomodo compenſanda Anniverſaria neglecta ab hærede? 636 App. lit C. & D.

Quando legata itidem neglecta? lit. K. & ſeqq.

PRO DEFUNCTIS SACRIFICANDUM.

CASUS XVII.

Adhortatorius.

SUMMARIUM.

Caſus puniti ideo, quòd rarò pro defunctis, ſæpè pro vivis celebraret. 610.

Sitne Deo gratius, ut Miſſas offeramus pro Defunctis, quàm pro vivis? 612.

Sanctus Vir Bertrandus è religioſiſſima familia Divi Dominici ſolebat ferè quotidie Miſſam pro peccatoribus celebrare. Sciscitante autem ex eo F. Benedicto viro prudente, cur rarò pro defunctis, frequentiſſimè pro peccatoribus celebraret? Ille reſpondit: Vitâ defuncti de ſua ſalute certi ſunt; nos in periculis fluctuamus. *Ait F. Benedictus:* ſi ſunt duo mendici, alter membris ſanis, alter iis carens, utri potiſſimùm opitulaberis? *Reſpondit:* Illi ſanè, qui ſe minùs juvare poteſt. *Tum Benedictus.* Nimirum, *inquit*, ſunt defuncti, quibus nec os ad confitendum, nec manus ad operandum, ſed noſtram opem poſtulant. Vivi autem peccatores & os, & manus habent, & poſſunt ſibi conſulere. *Sed cùm à ſententiâ ſuæ non deduceretur Bertrandus, ſequenti nocte quidâ terribilis defunctus apparuit ei, & faſce lignorum mirè illum compreſſit, atque decies & eò amplius illum eâ nocte excitavit, perterruit, & vexavit. Igitur, prodeunte aurorâ, F. Benedictum ad ſe vocat, narrat totius noctis hiſtoriam, inde religioſè, & lachrymabundus ad aram accedens, pro defunctis Sacrificium obtulit, idémque deinceps ſæpius fecit.*

611 Duplex genus laudabilissimæ pietatis inter reliqua, mirè amplificatum est hoc sæculo, scil. pietas erga S. Josephum, Sanctissimæ genitricis Christi Sponsum, summâ veneratione dignissimum; & in animas in purgatorio igne gementes, & flentes. Quò hoc secundum studium foveam & ego pro modulo, descripsi hanc historiam, Dominis animarum Curatoribus, qui potissimùm legent hunc libellum, profuturam. Et tantò magis, si credant, illum Bertrandum esse, ob eximiam vitæ puritatem, multis contestatam miraculis, relatum in numerum Sanctorum, eandémque historiam memoriæ proditam à gravissimo viro P. F. Theodorico de Apoldia, verbis, quæ Laurentius Surius quinto Augusti, ego ex Surio descripsi. Ut autem & debito in pios manes studio, & necessariæ brevitati consulam, multa quidem; sed succinctissimè, si aliàs, tradam hoc, & seq. Casu de Missis pro Defunctis.

612 Quæritur igitur I. *Sitne Deo gratius, ut offeramus Missas pro Defunctis, quàm pro vivis?* Respondeo. Licèt in quibusdam particularibus causis & necessitatibus præstet pro vivis, quàm pro defunctis, à toto tamen genere satius est pro hisce, quàm pro illis. Probat ratio in Casu nostro allata à F. Benedicto, confirmatáque illo pronuntiato juridico: *Indignus est alienâ ope, qui sibi non vult, cùm possit, opitulari.* Navarr. *de Indul. & Jubil. not. 21.* Probant & illa, quæ cum nostro P. Rota protuli in hanc rem *in Thesauro Ecclesiast. Indulg. Tract: 4. Quinarii num. 500.* Ubi etiam *num. 499.* ostendo, *per se loquendo* agere laudabilius illum, qui mortuis studiosè applicat indulgentias, quàm qui mortalibus stipem largitur, licèt hic etiam sit facienda limitatio ratione permagnæ indigentiæ, & periculi ex infirmitate cadendi in hæresin, desperationem, &c. Denique magnum robur adferunt huic opinioni rationum momenta, quæ hanc ipsam in rem producit, &, ut solet, ingeniosè deducit R. P. Joan. Baptista Mannius *in libro XXX. concionum de Purgatorio*, edito Italicè Venetiis, Anno 1666. Concio, seu, ut vocat, *Discursus.* in quo pertractat hoc argumentum, est in ordine *undecimus.* Sed & P. Jacobus Hauttinus in præsigni, omnibúsque seu frigidis, seu ardentibus piorum manium advocatis legendo volumine, cujus inscriptio est: *Patrocinium defunctorum lib. 2. cap. 3.* tum propriis, tum P. Francisci Weckeni argumentis, & authoritate Cardinalis de Lugo *De Pœnit. Disp. 26. Sect. 1.* Suarii & aliorum piè, solidè, doctè adversùs P. Arriagam probat, ac defendit, esse amplioris apud Deum meriti defunctis, quàm sibi ipsi satisfactiones addicere.

613 Quæritur II. *An vi fundationis obligatus quotidie, aut aliquo certo die hebdomadis facere Sacrum de Requie* (hanc intelligunt nostri Theutones, quando petunt esse Seel-Meß *Animarum Missam*) *teneatur, aut etiam salvâ conscientiâ possit eam legere, non obstante quovis festo?* Resp. Non tenetur in festis solennibus. Etenim pronuntiat Tanner. *Tom. 4. Disp. 5. Quæst. 10 num. 4.* esse certum, quòd melius agat, si tunc faciat Sacrum de festo.

Nec tenetur in festis aut duplicibus, aut Dominicis, aut Feriis privilegiatis, quibus nimirùm cedunt festa duplicia, ut sunt feriæ hebdomadis sanctæ, Paschatis, Pentecostes &c. Azor *Tom. 1. L. 10. C. 32. Q. 5.* Filliuc. *Tr: 5 n. 154.* Reginald. *L. 29. n. 208* Palaus *cit. Tr. 22. punct. 14. n. 10.* Gavant. *in Rubr. Miss. Part 3. Tit. 12. n. 21.* Fraxinell. *propriâ Resolutione de hac materia* §. 2. cum multis, quos densat. Ratio est, quia melius agit conformando se universali Ecclesiæ, *in Rubr. Tit. De Miss. defunct.* dissuadenti, fieri tunc Sacrum pro defunctis, quàm conformando se voluntati fundatoris non satis rationabili, siquidem is etiam voluit includi hos dies. Et noluisse includi præsumes prudenter, quamdiu non clarè constabit de contrario. Argum. Juridici Axiomatis: Delictum non est præsumendum *L. Meritò. ff. Pro socio.*

Licèt Emmanuel Sa *verb. Miss. n. 84.* Gavantus, ac Fraxinellus pronuntient, ne quidem tibi fas esse iis diebus dicere Sacrum mortuale, te tamen excusabit in primis sacra Congregatio Cardinalium, quæ teste Gavanto *1. P. Tit. 5. lit. Z.* bis declaravit, posse tolerari Missas *de Requiem* in duplici, ut satisfiat voluntati testantium. Tum Panormitanus, & Navarr. *de Celebr. Miss. Conf. 9.* docentes, etiam in solennissimis festis licitum esse, in Missis privatis accommodare se intentioni fundatoris. Hánceque doctrinam esse receptam, testatur Tanner. *l. c.* Quæ tamen quoad solennia festa meritò non est recepta in nostra Ecclesia Cathedrali, quamvis permultæ ejusmodi fundationes in ea reperiantur.

617 Licitum tibi esse in festo simplici, aut semiduplici agere juxta tenorem fundationis, pronuntiat Laym. *Cit. L. 5. C. 1. n. 15.* Te ad id *per se loquendo* teneri, asserit Fraxinellus *l. c. §. 7.* Ne facias, quod asserit Fraxinellus, suadet Palaus *cit. punct. 14.* Hurtadus *de Sacrificio. Disp. 4. diffic. 12.* & alii nonnulli. Sed huic suasioni non obsecundarem *per se loquendo.* Cùm enim ipsæmet Rubricæ permittant his diebus ex rationabili causa fieri Sacra votiva, potuit utique fundator, cujus dispositionem pro lege habendam esse, notat Bonacina *Q. ult. p. 7. §. 5. n 4.* rationabiliter id petere, & sub hac conditione facere fundationem, cùm præsertim omnes fateantur, illas preces peculiares: quæ in Missis defunctorum reperiuntur, ex institutione Ecclesiæ habere majorem efficaciam in ordine ad sublevandas animas defunctorum, quàm habeant aliæ. Licèt igitur valor *essentialis*, & *primarius* sit idem in quacunq; Missa, *secundarius* tamen non est idem, sed varius pro varietate orationum ab Ecclesia ad peculiarem finem institutarum. Adde, quòd, quando vulgus Christianum videt Sacrificium (ut loquitur 618 sæpe Navarrus *in Man. cap. 23.*) atrâ casulâ indutum, moveatur ad supplicandum Deo pro illo ipso, pro quo sacerdos oculis obversans litat. Excipio dies, quibus ex majori devotione es celebraturus de Sancto, quàm *de Requiem.*

620 Etenim plerique ex authoribus cum Fraxinello observant, Capellanum posse discedere ab ordinatione fundatoris, quando est Sacrum de festo dicturus majore devotione, quàm *de Requiem*, cò quòd major devotio hic suppleat majorem fructum, qui proveniret ex Sacro præscripto. Et verò ipsa assuetudo legendi toties funebrem Missam, est plurimis occasio perexiguæ devotionis, irreligiosæ deproperationis.

621 At cùm Sacra de Sanctis continere soleant varia quasi nova, & insueta, ab insuetis autem, non verò ab assuetis fiat passio, ut loquuntur Philosophi, faciliùs subministrant novas bonas cogitationes, & ex his effectus. Quòd si magno animi sensu roges Sanctum, de quo Sacrum facis, ut velit esse patronus illius, cui Requiem æternam precari teneris, ne dubita, quin expleas hujus voluntatem, quia plus prodes. Cavendum tamen, ne offendantur aut hæredes fundatoris, aut alii gnari factæ fundationis, quod etiam cavendum in aliis casibus.

622 Responsionem datam *num. 614.* & *num. 617.* extende ad illum, qui stipendium peculiare accepit pro una, alteráve Missa funebri. Azor *loc. cit. quæst. 6.* Gavantus, & Fraxinellus. Qui Fraxinellus tamen ita rigidè excipit à prima responsione illum, qui promisit se lecturum Sacrum *de Requiem* illo die etiam solenni, ut

623 cum Orco addicat, si non stet promissis. Ego mitiùs sentiens cum P. Navarra *L. 2. de Rest. c. 2. num. 208.* Diana *P. 3. Tr. 6. Res. 62.* Tannero *num. 5.* judico, talem esse solo Purgatorio dignum, quamvis etiam in feria communi non stet promissis, frangit enim fidem in re non magna. *At quid si jurâsset, aut vovisset?* Respondebo *Cas. XXI.* utpote loco magis commodo.

624 Si funus ad templum deferatur die Dominicâ, aut festo Duplici, adsitque unicus Sacerdos, potest issam Defunctorum pro illo dicere, si ita ferat consuetudo. Si ta en funeris celebritas, aut consuetudo id non requirat, rectiùs aget ille sacrificus, si servatâ intentione postulantis Missam, dicat illam secundùm ritum diei currentis. Laymann. *loc. cit.* Nostræ Constitutiones Synodales *cit. P. 1. Tit. 9 num 12.* expressè vetant, tunc fieri solenne Sacrum, permittentes, quamvis ægriusculè, alia plura privata *de Requiem.* Sicut & Congregatio Cardinal. apud Gavant. *P. 1. Tit. 5. lit. X.* permittit in festis non magnæ celebritatis, seu cùm non sunt duplicia primæ Classis.

625 Quando secundùm superiores responsiones omisso Sacro funebri celebras festivum, non est in rigore opus, ut inseras collectam funebrem, imò ne licere quidem in duplicibus, as-

serunt adversùs Navarrum *Cit. Consil. 9 num. 6* quem secutæ sunt nostræ Constitutiones Synod. *loc. proximè allegato*, Gavantus, & Fraxinellus *loc. cit.* eò quòd Rubricæ non permittant iis diebus plures orationes, aut si plures, tum non nisi præscriptas, aut pro re gravi. Unde qui ordinariè id factitaret, censeretur inducere novum ritum, quod tamen graviter prohibet Clemens VIII. *in Bulla præfixa Missali.*

Ex quo fundamento respondi, ex diversis 626
locis per literas interrogatus, non esse consultum, ut in omnibus Duplicibus etiam per Annum, collecta mortualis fiat ab iis Religiosis, qui ex indulto Gregorii XIII. possunt pœnis purgatorii cripere animam, quoties celebrando in altari Privilegiato faciunt commemorationem (id est *Collectam*, ut dicemus *num. 651.*) pro defunctis. Etenim tales inducunt novum ritum, si id actitent *ordinariè* talibus diebus. Atque hoc responsum probavêre plures viri docti, nemo, quod sciam, improbavit. Quòd si in semiduplicibus, laudo illos, utpote conformantes se, ex indulgentia expressa Rubricarum, piis votis animarum, inter flammas suspirantium.

At non laudo capellanos, aut parochos, qui 627
Sacris de festo Duplici semper idcirco inserunt aliquas collectas de diversis sanctis, quòd nonnulli primæ fundationi addiderint olim 30. 40. vel 50. aureos eâ conditione, ut de Beata Anna, aliáve sancta, aut sancto fieret in omnibus Sacris commemoratio. Equidem nostræ Constitutiones Synodales *Part. 1 Cit Tit. 9. num. 3.* expressè statuunt, ut Missæ omnes legantur secundùm usum Missalis Diœcesani, reformati ad normam Romani. Quamquam eædem 628
numero. 12. permittant, ut dixi, inseri Collectam pro defuncto, quando die Dominico, aut festo adest præsens corpus. Quæ permissio ob suam antiquitatem, & circumstantiæ considerabilitatem tutò usurpabitur in festis non summis, de quibus etiam solis videtur ea intelligenda.

Quæritur III. *Utrùm sint imitandi, qui curant pro se viventibus adhuc, & spirantibus fieri* 629
Sacra de Requiem, aliáque officia mortualia, veriti, ne forte hæredes sint ipsis vitâ functis segnes hac in re futuri? Resp. Hunc morem extirpandum contendit Laymannus *Lib. 5 Tr. 5. C. 2. num. 15.* Palaus *Cit. Tr. 22. punct. 6. num. 19.* Diana *Cit Tr. 2. Res. 18.* & Garzias apud ipsum, itémque Tamburinus *L. 1. de Sacrificio C. 2. §. 7.* eò etiam inclinante D. Reding *q. 8. a. 3. controvers. 5. num. 26.* eò quòd, cùm illa exequialia sint ab Ecclesia instituta solùm in subsidium vitâ functorum, non prosint nisi jam reipsa defunctis, & eorum effectus non suspendatur usque ad mortis obitæ primum instans. E diver- 630
so Navarr. *in Consil de Celebr. Miss Conf. 6.* & Zerola *in praxi Part. 2. verb. Missa 10.* tradunt, meritò tolerari illum morem. Fagundez *in Præcept. Eccles. Præcept. 1. Lib. 3. Cap. 10* Hau-

tinus *de Patrocin. defunct. Lib 3. num. 963.* & apud Barbosam *in Trident. Concil. Sess 22. c. 2. num. 11.* Fraxinellus, itémque Lezana apud Dianam post Pinellum *Lib 2. de Miss Cap. 7.* suadent, ut id practicetur, eò quòd Sacrum ejusmodi plus profit ante, quàm post mortem, quia mortuis Sacrum prodest sæpe solùm quoad vim satisfaciendi, at vivis etiam quoad vim impetrandi, ac merendi, ut dicetur *qu. seq.* Et verò intelligo, non ita pridem id factum in hac urbe ad instantiam cujusdam fœminæ.

631 Assentior ego Navarro cum limitatione, quam adfert, ut scilicet omittantur orationes, in quibus pronuntiatur, aliquem esse mortuum. Alioqui committeretur mendacium. Quin hanc opinionem suadeo (sicut & suasi hoc Anno 1673. interrogatus in casu occurrente) iis, qui per Dei gratiam sunt ita firmi in timore Dei, ut meritò confidant, se post illam exequialem pompam non contracturos culpam lethalem. Si enim contrahant, esto resipiscant ante obitum, carebunt efficacissimo medio expiandi gravissimas ignis purgantis pœnas, in quas fuerunt commutatæ æternæ, quarum se reos fecerunt per illud mortiferum crimen. Etenim salutaris hostia delet pœnas meritas, non merendas, quia peccati venia non datur nisi correcto. *Reg. 4 in 6.*

632 Ad rationem Laymanni respondeo, illas Missas, atque orationes non habere quidem, si præcisè spectetur institutio Ecclesiæ, vim nisi respectu jam vitâ functorum, habere tamen suapte naturâ, atque ex promissione divina energiam respectu omnium capacium. Adde, quòd qui ita præveniunt diem mortis suæ communiter sint hujus magis memores, ac proinde esse magis præparent ad suprema luctam.

633 Duo planè illustria exempla hujusce facti referunt Cardinalis Pallavicinus, atque R. P. Daniel Bartolus Rector, dum hæc pro hac quinta præsentis Alphaberi editione revideo, Collegii Romani, ille in Historia Trid. Concil. *Part. 2. Lib. 14. Cap. 11. n. 13.* iste in priore Parte *Historiæ Asiaticæ*, seu Vita S Francisci Xaverii *Lib. 4. n. 24.* nam prior liberatur Carolum V. Imperatorem omni suspicione hæresis, qua eum commaculare molitur Petrus Suavis, commemorat, interprete P. Giattino, sequentia: *Et sanè Carolus non modò tenerrimo pietatis sensu voluit, ut sibi morienti pius usus adhiberetur omnium Rituum, ac Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, quæ tanquam superstitiosa detestantur hæretici, sed quasi præsago impulsus afflatu, curavit, ut viventi sibi, ac præsenti exequiæ ecclesiasticæ celebrarentur, secutus in eo, quamvis rarum, & inusitatum viri, inter Sanctos relati exemplum; ac postridie in morbum incidit, quo paucos intra dies extinctus est*

Ita Cardinalis, pro uno exemplo exhibens duo breviter Ego primum illustro in gratiam meorum Germanorum, qui & potissimùm familiares habent meos libros, & summi, ut par est, faciunt Carolum, aliquanto distinctiore descriptione, hujus inter viros Principes fortè nunquam usurpatæ pompæ funebris, quam descriptionem, post hæc jam exarata ab amanuensi, reperi apud nostrum P. Masenium, itidem in Anima Historiæ *Lib. 7. n. 164.* conceptam hoc vere historico stylo.

Postquam Carolus in Hieronymiana eremo sua inter Religiosos viros Anniversaria matri funebria persolvisset, cupientes eosdem quoque funeris exequias sibi apposite ad animæ suæ expiationem persolvendi capiens, postquam illius loci Religiosum Joannem Regulam, quo ad conscientiæ moderationem utebatur, consuluisset, neque is licèt insolitum pietatis opus, affectanti Carolo prohiberet, apparatum sibi funebrem, tumulúmq; ceu jam mortuo, mediâ jubet ædæ exequialem surrigi. Tum sacrificium in solatium morientis consuetâ Monachorum psalmodiâ, ritúque peragi. Pullo cincti habitu parietes vestiti, funalúaque juxta tumulum, totóque templo collucentia, intérque hæc mœstus concentus, lugubréque familiorum vultus, vocéque requiem iterum, iterúmq; precantiũ. Spectabat Carolus etiamnum vivus mortis suæ haud procul absentis imaginem, sibiq; non minùs beatam hanc, felicémque ad vitæ immortalis transitum, cæterorum votis missus, nec sine lachrymis exposcebat. Facem demum, quæ suo ipse præluxerat funeri, persolutis exequiis, ad aram sacerdotis supplex obtulit, Deum precatus, ut quemadmodum hunc sacrificans è manu sua oblatum cereum, ita commendatam ipse morientis animam benevolè excipere non gravaretur. Tum prostratus humi, pullóque, ac defluente sub veste, ceu mortuus procumbens, omnium lamentatione quietem ultimam apprecantium deploratus est. Nec vanâ ostentatione morti prælusum est. Altera namque ab exequiarum apparatu die febricola lethi prodroma debile corpus incessit, qua sensim invalescente, ad extremum sese agonem, quanto potuit pietatis sensu, composuit, &c.

Ita Masenius, cui subjungo, ob varias circumstantias illustrissimum exemplum ejusmodi præproperæ, si ita loqui fas est, pompæ funebris, quod Pater Daniel Bartolus valde prolixè post Horatium Tursellinum *l. 5. c. 3.* vitæ ejusdem Thaumaturgi succinctiùs loquentem, describit loco, quem *lit. a.* notavi, & ego idcirco ex P. Bartolo, quòd sciam, me bene meriturum de iis lectoribus hujus operis, qui accommodant se institutis, & moribus Pontificum, Regum, Regnorum, regionúmque quodammodo certantium de palma ex cultu hujus Indiarum Apostoli augendo, illustrando.

Erat Petrus Vellius, inquit Patris Bartoli interpres P. Ianinus, mercator locuples, liberalitate in pauperes insignis, & Xaverio intimè addictus, cui suggerebat abundè ad miserorum levandam egestatem in salutis præcipuè lubrico nutantem. Ejusmodi fuit de orbata parentibus virgine, quod narro. Ad quærendã huic dotem vir sanctus Vellium suum adit; scrupis reperit in amici ædibus cum

eum eo ludentem. Modestè stipem rogat in opus piæ charitatis. Petrus, ut erat maximè festivus, leniter renutans: malâ, *inquit*, avi, P Francisce, nunc quidem advenis. Argentum scilicet ab inopi, & lusore, & domi alienæ? tibine videor opportunus, qui nunc de meo dem, cùm lucrari intendo alienum? *Cui Xaverius: tempus omne ad bene agendum esse idoneum, sed præsens quàm maximè ad erogandum in pauperes, cùm præsens adesset pecunia. Fingens Vellius obturbari:* Fiat, *inquit*, quando necesse est, ut hac me molestia liberem. Cape sis, & arbitratu tuo sume, *clavémque illi tradit, qua Taesum triginta millia, hoc est ducatorum aureorum, quadraginta quinque millia claudebantur. Ex quibus vir sanctus decerptis, qui doti conficiendæ sufficerent, trecentis nummis, Vellio claves restituit.*

At Vellius postea scrinium recognoscens, ne obolum quidem nummorum suorum deesse comperit, ferénsque id ægriùs, expostulavit deinde benevolè cum Sancto, hanc rei suæ parsimoniam minùs confidentem. Dixit is, se ducatos cepisse omninò trecentos. Ego, *ait Vellius*, nec uno imminutam adverti summam. Utcunque verò sit, P. Francisce, parcat tibi eus. Mea mens fuerat, cùm clavem tradidi, ut divideremus, ex ducatorũ millibus quadraginta quinq; tu partem mediam auferres, mediam mihi relinqueres. *Quod ab eo ex animi sensu sincero, & serio prolatum introspiciens Xaverius, inflammato vultu & animo ardens, qualis, cùm Deo implebatur:* Petre, *inquit*, illa, illa consilii tui mens in ejus oculis, qui consiliorum, & mentium pondus videt, ac librat, pro rata, veráq; sancitur, tuúmq; id velle pro facto tibi benignè imputat, copioſè suo tempore id repositurus. Verùm interea hoc tibi ab eo spondeo, vitæ subsidia, eáque commoda minimè unquam tibi defutura, incursurum te quidem egestatis discrimen, sed præsto amicos adfore, qui suis opibus ab eo te eximant, & præter hæc omnia non priùs te fato functurum, quàm diem mortis præsciveris. *Vellius rescire cupiens modum, tempúsque vitæ exitûs certâ notitiâ prævertendi, tenere se minimè potuit, quin aliquando id è Xaverio scisciteretur. Ille nihil cunctatus, aut hæsitans:* cùm tibi, *ait*, vinum amarescet, mortem para, & scito, tunc illam instare.

Hæc omnia eventis sancita sunt. Vitam duxit Vellius decursu prospero ad decrepitam senectutem pecuniosus, & copiis rei familiaris affatim locuples. Interdum accidit, ut creditoribus, fortunæ vitio, tantùm non decoqueret, amici re statim cognitâ opem contulêre tam largam, & celerem, ut etiam necessariæ superesset.

Tandem die quodam solenni amicorum convivio dum valens, & alacer accumbit, pateram poscit ad bibendum, quæ ori admota pro vini sapore fellis amaritiem retulit, móxque oraculi recordatione animum pererrante, corpus quoque ipsum pervasit horror, quali solent homines improviso mortis nuntio percelli. Volens tamen rei certior fieri, prægustandam assidentibus paveram porrigit, rogat, ecquid iis hoc vinum sapiat? Optimum quisque & delicatum pronuntiat; quibus parùm adhuc liquidò persuasus: cedo, *inquit*, alios scyphos, & alia vina, *sed eadem cunctis ingrato sapore, & amaro palatum fœdant. Quare de vaticinii eventus præsenti fide, horaque deinceps nihil dubitans, post vitam Deo apud se tacitè, conjectis sursum oculis devotum, cæteris narravit prædictionem viri sancti, quam jam tunc firmabat eventus. Ex hinc igitur ad parandam mortem incumbere penitus, magnam partem bonorum in pauperes, in filios cætera partiri, quos ab re familiari locuplete instructissimos reliquit. Demum ultimum vale, & suprema verba amicis dicere, qui eximiè valentem, & alacrem audientes de proximo suo è vita discessu fabulantem, sustricati sunt, mœroris cujuspiam inopini, vel senectutis nimiæ vitio delirare, utque omnes illum amabant summopere, sic jucunditate consuetudinis amœnæ, & jocosæ, omni arte studebant, ab ea tam tristi cogitatione avertere.*

Contrà ille rogatis, ut sibi potiùs dicto die in templo adesset, quam primum illic parari iussa funebria mandavit. Tum eò se conferens Sacro muniri viatico; Sacro Oleo inungi flagitat, postquæ in feretro se ipse composuit, ut solent humanda cadavera decenter statu. Sub hæc Sacrũ jubet ritu sibi solenni pro defunctis cantari. Suspensus aderat inauditæ rei expectatione innumerabilis populus, novitatis famâ illuc evocatus, alii eventûs curiositate, quem de Xaverii cœlesti oraculo suismet oculis optabant cernere, alii lato risu prosecuturi senile delirium Vellii. Re divinâ denique peractâ, circumstans feretrum cum ministris sacerdos supremam funeris Christiani responsum illi adhuc vivo de more decantat, restabatque jam nihil ad parentalium absolutionem, cùm accedens ad feretrum servus, ut eum tandem ex eo erigeret, mortuum invenit. Ingens primùm hîc omnium, qui aderant, murmur, donec tota de re apertè singulis constaret, tum admiratio, & stupor, & piæ lachrymæ, & voces gratulantium, & celebrantium sancti Patris beatam memoriam.

Agnosco equidem, videri me posse nimis latè extra orbitam exspaciatum, sed me rapuit studium confovendi, etsi fortè in pauculis, pietatem ergo illum, qui ac ætate meretur tam præclarè, & quidem tam evidenter de multis millibus mortalium, quod certè pium studium nutritur recordatione tot prodigiorum, in hoc uno facto, hujúsque occasione eluctescentium.

Liquet verò ex his *in primis*, in ipsa quoque India, repertos esse sectatores sententiæ, quam defendimus *n. 632.* Et quid si scriberem, non carere verosimilitudine, fuisse hanc cœlitus mentem inditam Vellio? Certè mihi credibile non est, sanctum Xaverium permissurum fuisse, ut suus tam fidelis, & eximius cultor clau-

deret vitam actu superstitioso, sicuti esset, si tales exequiæ repugnarent sensui Ecclesiastico.

Sed & ex hac tam prolixa narratione deduco *Secundò*, quàm grata Superis accidat liberalitas in Christi pauperes. *Tertiò* quàm verè tradant Ascetæ, unico actu heroico nos promereri apud Deum longè majora beneficia, quàm mille vulgaribus. Exercuit sanè Vellius actum heroicum, ac nescio an in ulla historia alia lectum, quòd in virginis fortè nunquam à se visæ, certè sibi non nominatæ, dotem voluerit è sua arca desumi viginti duo millia ducatorum, & quingentos. At etiam meruit (non utique de condigno) tam extraordinariam mercedem. *Quartò* denique hinc magis illustrabimus *Tract.* 8. hujus operis quæstionem: An, & quomodo solis infirmis administranda sit Extrema Unctio?

634 Quæritur IV. *Utrùm Sacra, quæ pro Defunctis offeruntur, prosint sacerdoti plus, quàm quæ pro vivis?* Resp. Probabiliter *affirmativè*, eò quòd non teneatur sacer Mysta defunctis applicare Sacrificium, nisi quatenus est *satisfactorium*; reliquos fructus potest aut sibi, aut alteri applicare. Ita Diana *Part. 9. Tract. 2. Resol. 8.* post Rubeum *De fruct. & applicat. Sacrif. Lib. 3.* quem ipse refert. Sed vide, quod contra hanc rationem dixi *num. 153.* & *154.* adeóque habe doctrinam Dianæ pro probabili quidem, at oppositam pro probabiliore, & sequenda.

635 Dices: *Quid si ille defunctus non sit vel capax Sacrificii, quia est damnatus, vel non indigus, quia jam in cœlum translatus? ad quem redundabit fructus Sacrificii?* Ægidius Coninck *In 3. part. quæst. 83. num. 165. & 166.* sic loquitur: Si sacerdos fructum, qui *ex opere operato* respondet huic Sacrificio, prout offertur in persona Christi (*respondet autem vel maximè satisfactorius*) aut nulli omnino, aut alicui incapaci applicet, is nulli confertur, sed remanet in thesauro Ecclesiæ.

636 Ubi tamen notandum, quoties sacerdos eum nulli alteri applicat, censeri eum sibi applicare per *generalem* voluntatem, qua quisque semper intendit sibi prodesse, quantum potest. Est autem semper consultum, ut quoties pro aliquo celebramus, simul habeamus *conditionatam* voluntatem, illum fructum vel in totum, vel ex parte alteri applicandi, si fortè is, pro quo celebramus, ejus sit incapax, aut eo non indigeat, ut si beatus sit, aut damnatus, aut saltem in peccato mortali, aut nullam de facto habeat pœnam temporalem persolvendam pro peccatis præteritis. Ita Coninck. Ita ego cum illo. Quamquam Rubeus apud Dianam *Cit. Tr. 2. Res. 2.* censet, in casu nostræ quæstionis, satisfactionem illam applicari à Deo animabus maximè indigentibus, favétque huic doctrinæ S. Thomas *in 4. dist. 45. q. 3. ad 2.* quod utinam sit verum.

Hîc dictis opportunè addes, quæ tradidi *n. 164.*

APPENDIX GEMINI CASUS.

Quandoquidem non modò in hoc toto *Cas. XVIII.* tractavimus, in sequente XIX. tractabimus de Sacrificio pro defunctis non erit abs re, proponere hîc, atque resolvere quæstionem de obligatione resarciendi omissionem Anniversariorum, incumbentium hæredibus. Quam quidem quæstionem ut in *concreto*, inque specie elucidarem, fui haud pridem à viro prænobili, valdéque conscientioso rogatus. Fuit autem species facti duplicis ea, quam exhibent duo Casus, quorum est hic

Casus I. Testamentarius.

Titius debet, ex legato trecentorum florenorum à Cajo sibi mediatè relictorum partis dimidiæ, expendere censum annuum in Anniversarium, celebrandum à Sempronio beneficiato. Quia verò Titii prædia fuerunt bellicis calamitatibus totaliter devastata, atque ita afflicta, ut permultis Annis non suppeditárint Titio sustentationem, ac proinde non fuerit id temporis celebratus Anniversarius dies. Quæritur, an postquam ipse redivit ad meliorem fortunam, sit obligatus compensare omissos Anniversarios?

Supposito ex communi sententia Theologorum, ut Molinæ *Tract. 2. De Justitia. Disp. 573.* Lessii *Lib. 2. De Just. & Jure Cap. 16. num. 15.* & aliorum, neminem in conscientia obligari ad solutionem præstandam, quando est is in gravi necessitate, qualis utique censendus venit defectus sustentationis, ac proinde non deliquisse Titium omittendo illis fatalibus Annis procurationem Anniversarii, respondeo ad casum propositum cum duplici distinctione. Aut enim *primò* est Titius Cajo junctus consanguinitate, vel extraneus? Aut *secundò* fuerunt illi trecenti floreni assignati in ære: vel in bonis immobilibus e.g. prædiis? Si in prædiis, ad nihil tenetur pro Annis, quibus nihil ex iis percepit. Ratio est, quia obligatio orta ex pio legato, non est major *extensivè*, quàm orta ex vero contractu, siquidem argumentum à contractibus ad legata validum est. Barbosa loco *26. num. 6.* atqui si res locata sine culpa locatarii non ferat ullos fructus, non tenetur locatarius ullos præstare census, nisi fuerit aliter expressè conventum. Theologi communiter cum Gregorio de Valentia *Tom. 3. Disp. 5. punct. 22.*

Ratio est II. Quia legata sunt eo modo interpretanda, quo testamenta *L. Plenum. §. sed si pecoris. ff. De usu & habit.* Baldus *in Leg. 2. C. Communi*, Additionator Decii in *Leg. In testamentis. ff. De Reg. jur. lib. D.* nemo autem facilè dicet, testatorem esse ita durum in suum hæredem, à quo ipse repræsentatur *L. Hæreditas. ff. De Reg. Jur. & ibi notatur per DD.* ut velit hunc compellere ad faciendam compensationem in circumstantia expressa in Casu.

Ratio est III. Quia testamenta, & consequenter legata accipiunt interpretationem etiam à consuetudine *L. Semper in stipulationibus. ff. De Reg. jur.* videtur autem vigere generalis consuetudo, ut Anniversaria, quæ tam diu, támque gravi ex causa simul omissa fuerunt, potiùs quàm neglecta, postmodum non compensentur.

Hæ duæ posteriores rationes videntur mihi habere locum etiam casu, quo trecenti illi floreni constiterint in pecunia, quæ tamen vel fuerit involuta cladibus bellicis, vel non potuerit expendi in censum, lucrúmve honestum.

Accedit *quarta* Ratio, quòd à tempore præsenti liceat argumentari ad præteritum. Menochius *Consil. 378. n. 81. in contingenta facti* post Baldum, Aretinum, alios. Atqui ii, qui hâc ætate condunt testamenta gravata tali conditione, qualis ponitur in specie facti, non imperant (ut reor) suis hæredibus, ut legata etiam pia omissa in ea necessitate, in qua ponimus fuisse constitutum Titium, postmodum compensentur. Probatur hoc assumptum. Quia & ex decem, qui vivunt, vix erit unum reperire, qui interrogatus diceret, velle se, ut ultimæ suæ voluntatis elogium comprehenderet illam compensationis obligationem, & nemo præsumitur exercere actum frustraneum, inanémque *L. Quoties. ff. De reb. dub.* Mascardus *de probat. concl. 595.* Frustra autem imperaret testator seu hæredi, seu legatario compensationem funeralium, taliter non persolutorum.

f Jam verò si ponamus, legatum illud fuisse factum in favorem extranei, non autem consanguinei, tametsi non censetur testator eo affectu ferri in illum, quo in hunc: siquidem propinquitatis affectio etiam veritatem impedire solet. *Text in Cap. Accusatores. III. 3. q. 5.* nihilominus censeo, omnes rationes productas in levamen consanguinei, ita suffragari extraneo quoque, ut possit & hic pronuntiari liber onere, de quo proponitur præsens quæstio.

g Profectò si quis assereret, Anniversaria esse ita affixa, si non diei, certè anno, ut annuum spatium sit determinatum duntaxat ad finiendam, non autem ad dilatandam obligationem, saltem quando interceserè plures anni, quibus *actualis* obligatio cessabat ob *moralem* impossibilitatem, non videretur talis mihi posse convinci de falsitate. Ac proinde censeo, applicari huc posse doctrinam Theologicam, quòd in dubio de obligatione restitutionis, declinandum sit in mitiorem partem. Polan. *in Directorio Cap. 1.*

Postremò facit huc Regula, quòd conventiones humanæ non sint ad punctum, & unguem exigendæ, sed civili modo accipiendæ, judicisq; arbitrio relinquendæ. Peckius *in Cap. Mora. De Reg. jur. in 6. num. 2.* arbitrabitur autem *probabiliter* Judex, sufficere, si procurentur jam vulgari stipendio pro defunctis testatoris piis manibus, tot privata Missæ Sacrificia, quot solennia fuêre omissa. Et verò posse hoc decerni, suadetur inde, quòd, qui non potest facere totum eo modo, quo jubetur, teneatur facere partem, ve' totum eo modo, quo potest Navarrus *Cap. 11. num. 11. De Orat.* vix autem credibile est, quin Titius potuerit etiam bellicis temporibus curare fieri privata Sacra omissis cæteris solennitatibus.

h His omnibus non importunè addo, esse jure merito ab Alexandro VII. interdictum usum hujus propositionis: *Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus, quam per decem Annos.*

Casus II. Testamentarius.

Anna legavit ad pias indeterminatè causas trecentos florenos cum onere pendendi censum annuum, qui tamen partim ob ignorantiam hujus obligationis, partim ob moralem impossibilitatem causatam à miseris bellicis, non fuit pluribus Annis præstitus ab Hortensio executore, & hærede.

Quæritur nunc I. Sitne facienda necessariò compensatio censuum non exsolutorum. II. An tam hi, quàm secuturi valeant applicari Capellaniæ N. ad perficiendam congruam Capellani sustentationem?

Resp. I. Tametsi ignorantia adjecti oneris excusârit à culpa, cùm fuerit ignorantia *facti*, i quæ solet purgare laborantem eâ *Cap. Ignorantia. De Reg. jur. in 6.* non tamen eximit onere restitutionis postquam ipsa fuit depulsa; restitutionis, inquam, seu compensationis respectu annorum, quibus non aderat impossibilitas illa *moralis*.

Etenim *id, quod pauperibus testamento, vel codicillo relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis, ratum, firmúmque consistat*, inquiunt imperando Impp. Valentin. & Mart. in *L. Id quod. 24. Cod. de Episcop.* pauperum autem nomine intelligi quamlibet piam causam, tradunt passim Theologi, differentes de restitutione fructuum beneficialium, præstanda à negligente pensum canonicum. Igitur census illorum 300. florenorum non persolutus debet *per se loquendo* resarciri, æquè ac si fuisset legatus alicui determinato pio loco, aut personæ. Concordant. *L. Nulli*, & *L. Quis. eod.*

Resp. II. Quandoquidem ex proposita specie facti elucescit, illud legatum constitisse in m

bonis mobilibus, adeóque in parato ære, & proinde obligationem Hortensii fuisse, essèque personalem, non excusat eum à refusione ex jure debitâ vastatio bonorum immobilium, de qua in Casu priori *lit. d.* Atque adeò si Hortensius potuit potentiâ *morali* undecunque pendere annuum censum, tenebatur in conscientia, & coram Deo, quia ultima defuncti voluntas omnibus modis servari debet. S. Gregor. relatus *Cap. ult. 13. q. 2.* consequenter incumbit ipsi nunc vera obligatio compensandi, quod neglectum est, siquidem mora sua cuilibet nocere, potiùs quàm prodesse debet *l. Mora. ff. De usur.*

n Excipe: nisi fortè illi trecentii in specie floreni vel interiissent, absque culpa Hortensii, vel nequivisset ullus ex iis census percipi. Etenim rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit. *Cap. 2. De Constit.* Quòd si Hortensius convertit quidem, ut feciſſe insinuat species facti, in rem suam dictam summam, cum animò, ut par erat, pendendi ordinarium censum, quem tamen non exhibuit obstante impossibilitate quadam *morali*, non ausim ipsi imperare, imponeréve onus restarciendi id, quod ab ipso fuit omissum.

p Ratio est I. Quia conventiones humanæ civili modo interpretandæ sunt. Alex. *in L. A divo Pio. ff. De re. judic.* Peckius suprà *lit. h.* II. Quia videtur esse hæc communis consuetudo in superiore Germania, firmata usu Ecclesiasticorum æquè ac Laicorum; quam quidem consuetudinem repugnare legi naturali: & divinæ quis confessarius in suo tribunali considens facto suo? quis inter tot Illustrissimos Dominos Antistites ullo rescripto, sententiâ, exemplo declaravit? atqui integrum est judicium, quod plerorumque sententiis comprobatur. *Cap. Prudentiam. De offic. judic. deleg.*

Nec obest, quòd Hortensius debuerit illam summam, vel statim applicare rei, personæve repræsentaturæ censum annuum, vel non applicando videatur in se suscepisse omne periculum. Etenim respondetur, satis liquere ex specie facti, relictum fuisse in arbitrio Hortensii, mallétne ipse applicare sibi illud æs, cum ea obligatione consueti censûs erogandi in pias causas, qua teneretur alius, cui traderet eam summam capitalem, an verò dare mutuò. Fuit ergo testatoris beneficium illa alternativa dispositio, atqui beneficio nos juvari, non decipi convenit *Text. L. In commodato. ff. commod.* deciperetur autem, seu gravaretur Hortensius, si in eo casu teneretur refundere census, in quo non fuisset gravatus alius: alius autem non fuisset gravatus, si impossibilitas, de qua suprà, adfuisset.

q Unde nec habet locum adversùs Hortensium Regula, & *L. Mora. ff. De usur* pronuntians, moram suam cuilibet esse nocivam. Verè enim non intercessit, in circumstantia à nobis posita, mora respectu Hortensii, etenim mora, qua deloquuntur Leges, & Canones, est injusta dandi, faciendive ejus, quod dari, fierive oportuit, dilatio. Eruditus simul & pius Petrus Peckius *in Cap. Mora. De Reg. jur. in 6. num.* 2. Non fuit autem injusta dilatio, quam attulit impossibilitas *moralis*, quandoquidem ea facit jus prorogandi solutionem. Lessius de *just. & jure Lib.* 2. *Cap.* 16. *n.* 15. communiter receptus.

Resp. III. Ad quæstionem secundo loco propositam *lit. k.* census tam debitos, quàm debendos ex illis 300. florenis posse applicari complemento honestæ sustentationis Capellani N. quandoquidem legata ad complendam congruam sustentationem ministrorum Ecclesiæ, vel maximè locum habent inter legata ad pias causas, ut liquet ex iis, quæ *ad Cap. Relatum. De testam.* notant Doctores, tradúntque ii, quos nominat Tiraquellus in præfatione tractatûs *de privilegiis piæ causæ* per totam. r

Cæterum, quia Jura tam profana, quàm sacra variis, magnísque privilegiis muniunt legata ad pias causas, ut videre est in allegato eruditissimo tractatu Tiraquelli, caveat Hortensius, ne nimium dilatet fines impossibilitatis *moralis*, adeóque gravis necessitatis, quam boni Theologi censent cum Lessio suprà *lit C.* submministrare justam causam differendi satisfactionem. Hæc omnia salvo meliori cujusque judicio. s

IN ALTARI PRIVILEGIATO QUANDO SACRIFICANDUM.

CASUS XIX.

Quotidianus.

SUMMARIUM.

Casus circa numerum Missarum dicendarum in Ecclesia, postulante privilegium altaris. 637.
Describitur forma Brevis dari soliti petentibus altare privilegiatum. 639.
Explicantur singulæ clausulæ. 940. & seqq.
Clausula: dummodo *importat conditionem 643.*
Casus negatæ gratiæ, eò quòd in Ecclesia celebrarentur quidem crebrò, non tamen semper septem Sacra. 646.
Per Missam Defunctorum *intelligenda est necessariò de* Requiem. *650.*
Primarium altare in Ecclesiis Societatis est privilegiatum. 651.
Nomine Commemorationis *pro Defunctis utrùm intelligatur Collecta, an Oratio in Memento? 652.*
Non est nefas, ut die secundo Novembris offeras tuum Sacrum pro Defunctis in genere. 653.

An

An liberet animam, qui in festo duplici cadente in feriam secundam celebrat in altari privilegiato? 654.
Privilegium Patrum Capuccinorum circa variationem feriæ secundæ. Ibid.
Nomine cujuslibet *hebdomadæ an veniat hebdomas privilegiata? 655.*
Quando gratia ita sonat: quicunque celebraverit Feria II in tali altari, liberabit animam, *non est necesse, ut Sacrum fiat pro illa. 656.*
Quando altare privilegiatum est violatum, aut ecclesia destructa, quid fiet? 657.
Liberatio animæ in altari privilegiato est certa. 658.
Solvitur novum circa hanc doctrinam dubium. 659.
Septennium altaris privilegiati quando incipiat? 660.

637 THeophilus à sede Apostolica impetravit pro Ecclesia, peregrinationibus celeberrimâ, gratiam altaris privilegiati, *cum ordinaria clausula:* Dummodò in ea quotidie septem Missæ celebrentur. *Tempore petitionis autem, & impetrationis solebant in illa Ecclesia diebus Dominicis non nisi duæ Missæ celebrari. Festis diebus rarò ultra tres, diebus non festis satis crebrò per hyemem non nisi quatuor, vel quinque. At verò reliquis temporibus tam multæ, ut si hæ, & illæ dividerentur in dies singulos totius Anni, essent facilè singulis responduræ septem Missæ, & fortè plures, quæsitum fuit, utrùm hac ratione satisfiat recitatæ Clausulæ?*

638 Quæsitum, inquam, fuit, ex me, priusquam publicaretur, usurparíque inciperet Breve Apostolicum. Quid responderim, satis patebit ex declaratione tituli huic narrationi præfixi, idcirco hîc ponendâ, quòd sæpius fuerim consultus circa particularia dubia altarium privilegiatorum; circa quæ proinde credo suboriri frequentes dubitationes. Faciam igitur hîc, quod in meo Thesauro Ecclesiastico indulgent. *Part. 2 c. 26.* ubi descripsi commune Breve, ac singulas clausulas exposui. Ero autem hîc brevior, cùm sciam, tractatum illum partim seorsim impressum, partim insertûm *Quinario meo*, teri plurimorum manibus:

Breve sic habet:

639 *Volentes Ecclesiam N. in qua aliud altare privilegiatum non reperitur erectum, dummodo in ea septem Missa quotidie celebrentur, & in ea altare sancti N. nuncupatum, hoc speciali dono illustrare, Dei misericordia &c. confisi, ut quandocunque sacerdos aliquis, ejusdem Ecclesiæ duntaxat, Missam Defunctorum in die commemorationis Defunctorum, & singulis diebus infra octavam illius, ac feriâ II. cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuscunque fidelium Defunctorum, ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini nostri &c. suffragantibus meritis à purgatorii pœnis liberetur, concedimus. Præsentibus ad septennium tantùm valituris. Datum &c.*

Circa clausulas hujus, ac similium, vel etiam in aliquibus dissimilium Brevium noto pro praxi seqq. I. Clausula: *In qua non reperitur* 640
aliud altare privilegiatum, est intelligenda duntaxat de alio altari, habente privilegium pro illo ipso in specie genere personarum, pro quibus Theophilus noster petiit privilegium. Nil igitur obstat Theophilo, qui petiit pro omnicus fidelibus, esto jam sit illic aliud pro Congregatione Rosarii, aut Scapularis. Vide plura hanc in rem *cit. Tr. n. 519.* & infrà *in explicatione ultimæ clausulæ.*

II. Clausula: *Dummodo in ea septem Missæ* 641
quotidie celebrentur. Id est: *soleant* (à cujuscunque tandem Ecclesiæ sacerdotibus) celebrari. Adeóque hæc conditio non deficit, si quando contingat non tot celebrari fortuitò, non communiter, inquit Zippæus apud Dianam *Part. 9. Tract. 2. Resol. 9.* Etenim similes locutiones accipiendæ sunt non in rigore Grammaticali, sed *moraliter*, ut frequentiùs verificantur juxta *Leg. 4. & 5 ff. De Legib.* Unde si ob hostilem incursum contingat, non fieri uno integro mense, nisi unum quotidie Sacrum, aut etiam nullum, non tamen idcirco corruet indulgentia. Imò censet Bordonus apud Dia- 642
nam *loc. cit.* sufficere, modò eo tempore, quo impetratum fuerat Breve, solita sint celebrari septem Sacra, esto postea desierit illa consuetudo. Nam sufficit, conditionem semel adimpletam fuisse, inquit Bordonus citans legem. *Si quis heredem. Cod. De Instit. & substit.* Quæ quidem Lex, uti & Gl. multùm favent huic generali pronuntiato, sed limitationem persuadet Lex *Si pro Parte. §. versum. ff. de in rem verso.* & illius pronuntiati limitationes, quas adfert Gabrielius *Commun. Conclus. Lib 6 De Legib. & Constitut. n. 28. 42. & 48.* Vide *in Tom. seq.* seu *Quinario Tr. 4. c. 26. n. 520.*

Quin idem Bordonus verbis, quæ refert Dia- 643
na, videtur existimare, illâ particulâ: *Dummodo*, non importari conditionem essentialem, quod etiam apud Martham *Tract. de Clausulis clausulâ 21.* docent Penna, Innoc. & Speculator, dicentes, teste eodem Marthâ, modum, non autem conditionem prædictâ clausulâ designari. Verùm contrarium censent Cravetta *consil. 10. num. 12.* Tiraq. *De Retract. §. 8. Gloss. 8.* & apud Dianam Zippæus, Lavorius, ac Silvius. Item apud Martham Curtius Senior *Consil. 74.* docens, eâ demonstrari quandam formam, quâ non servatâ actus omnino corruat. Quod & ego judico esse verum, juxta tamen moderamina paulò antè indicata. Equidem Barbosa *Diction. 95. num. 8.* categoricè scribit: Sive dictio *dummodo* faciat modum, sive conditionem, semper tamen requirere, ut im-

plean-

pleantur ea, quibus illa dictio adjungitur, aliàs si non interveniant, nec consequi effectum. Rebuff. Pariſ. Decius, alii. Sanè si hæc particula non importat hîc conditionem neceſſariam, nec importabit in clauſula proximè ſequente: Eſt etenim

644 III. Clauſula *Et in ea Altare ſancti N.* hæc clauſula me judice (nec enim habeo, qui exponat) indicat, indulgentias impertiri *dependenter* à tota illa machina, quæ *abſolutè* altare vocatur: non autè *dependenter* à ſola arula, ſeu altari mobili. Quamvis verba Brevis non repugnent, quò minùs illi altari inſit ara viatica.

645 Porrò quia ille numerus eſt, ut dixi, accipiendus *moraliter*, ſeu *ſecundùm communem modum loquendi*, qui maximè ſpectandus eſt *L. Labeo. ff. De ſupell. legat.* non ſolemus autem in materiâ ſeu favorabili, ſeu odioſa dicere, illud fieri quotidie ſexies, aut ſepties, quod fit eo modo, qui narratur in Caſu noſtri Theophili, idcirco tunc reſpondi, non videri permiſſum iri hanc interpretationem à Sede Apoſtolica. Cùm præſertim eſſent ii, qui ſtipem pro Sacris in eo faciendis dediſſent, ægrè laturi, ſi reſciſcerent, ſe pecunias dediſſe intuitu gratiæ incertæ, cùm potuerit probabiliter haberi certa. Perandum enim fore, ut ſua Sanctitas eſſet, intellectâ illâ narratione, impertitura aliud Breve munitum clauſulâ faciliore, cùm ſit non infrequens, ut præſcribantur tantùm quatuor, aut etiam *indeterminatè* aliquot Sacra.

646 Confirmatur data reſponſio inde, quòd habeam penes me literas à præcipuæ authoritatis viro datas Româ die 4. Octobr. Anno 1659. quibus ad ſupplicationem Collegiatæ Eccleſiæ, petentis gratiam altaris privilegiati, non obſtante, quòd in ea non fierent quotidie, ſed tantùm crebrò ſeptem, *ordinariè* autem quatuor, vel quinque Sacra, reſpondit his omnino verbis: *Laboravimus, ut Miſſæ minuerentur, ſed non fuit modus obtinendi: reponunt enim, jam non eſſe bella, aut pericula, ob quæ aliqua diſpenſatio, ſeu gratia fieri debeat.* Hactenus literæ Romanæ. Ex quibus etiam liquet veritas explicationis clauſulæ: *Dummodo* prolatæ *n. 643.*

647 IV. Clauſula: *Ejuſdem Eccleſiæ duntaxat.* Es autem ſacerdos Eccleſiæ ornatæ tali gratiâ, ſi aliquod non modò beneficium, ſed etiam officium e. g. Organœdi in ea obtineas. Quidni enim ita amplè interpretemur hanc gratiam nemini præjudicioſam? Cùm præſertim alibi ratione & authoritate ſufficienter probârim, indulgentiarum Bullas eſſe latè interpretan-

648 das. Ex quo forte nonnemo contra Zippæum apud Dianam *loc. cit.* inferet, Religioſos, qui in aliquo Monaſterio morantur ſolùm tanquam hoſpites, ſubjecti tamen pro tunc Superiori illius Monaſterii, poſſe ad propoſitum nuncu-

649 pari ſacerdotes Eccleſiæ ejuſdem Monaſterii. Et verò his jam bis excuſis video, P. Bonagratiam *in Summula verb. Indulgentia num. 223.* ita quoque ſentire. Cenſet etiam Bordonus apud Dianam *ibid.* ſi Prior, aut Rector Conventûs, ſeu Eccleſiæ, indulgentiâ præditæ, petiit à ſuo Provinciali ſacerdotes tot, quot exprimunt verba Bullæ, eos tamen non obtinuit, haud idcirco periclitari gratiam, eò quòd, cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debeat perinde, ac ſi impleta fuiſſet *Reg. 66. De Reg. jur. in 6* Verùm hæc Regula parùm huc facit, quandoquidem ea non habet locum in conditione caſuali, ſeu pendente caſu, ac libertate alterius. Peckius *in hanc Regulam n. 18.*

650 V. Clauſula: *Miſſam Defunctorum.* Quando hæc clauſula ponitur in Brevi, concors eſt Doctorum ſententia apud Dianam *cit. Tract. 2. Reſol 8.* non prodeſſe indultum Pontificium, niſi dicatur Miſſa *de Requiem*, re enim verâ videtur hîc illa clauſula indicare formam *ſubſtantialem.* Si verò non exprimatur, cenſent multi apud eundem, poſſe cum optato effectu quamlibet legi. Quod & ego cenſerem, ſi non obſtaret declaratio Cardinalium facta in contrarium, & relata à Diana *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 233.* qua tamen non obſtante *affirmativam* hanc partem tenet Pellizarius teſte eodem Diana *cit. Reſol. 8.* addens, quòd declarationes Cardinalium non faciant legem communem, ſed tantùm opinionem probabilem. Suprà *n. 609.* quod verum puto, quando eæ non ſunt approbatæ à Papa. Tambur. *L. 2. C. 6. §. 6.* negat, quidquam authenticè conſtare de data declaratione. Noſtri Ordinis Principes aræ obtinent vim privilegiati altaris, aliis Religioſis per viam communicationis nil conducentem teſte Dianâ *cit. Tract. 2. Reſol. 20.* & ita, ut etiam ſæculares ſacerdotes poſſint liberare animam ex purgatorio, & non ſit neceſſe, facere Sacrum *de Requiem*, ſed ſolùm commemorationem pro defunctis, cujus *commemorationis* nomine intelligendo *collectam* (conformiter *capit. Placuit. 23. q. 5.* & paſſim Rubricis Miſſalis, ac Breviarii, itémque publico reſponſo unius è noſtris Præpoſitis Provincialibus) *in prædicto Tract. de Indul. num. 524.* addidi, eſſe omittendam, ſaltem in feſtis primæ claſſis, nolui tamen indicare, acquiri indulgentiam, ſi omittatur, ut nonnulli ſuſpicati fuerant. 652
Nunc autem hoc ipſo ſenſu exprimo, non eſſe regulariter inſerendam Sacro de feſto Duplici, ob rationem allatam *caſu præced. num. 626.* Quòd ſi nomine *commemorationis* intelligas, ut quidam viri ſapientes non ſine omni ſuffragio Rubricarum, at, meo judicio, non ſequendi, cenſent, ſolam recordationem in Memento factam pro mortuis, tum ceſſabit omnis dubitatio.

Et verò per commemorationem etiam in jure intelligi quoque ſolam memorationem in Memento, cenſet Fraxinel. apud Jordan. *cit. tit. 1. num. 590.* cum Nav. Bellarm. & Garcia, quos citat, itémque cum Palao *Tr. 22. punct. 15. n. 4.*

VI. Clau-

653 VI. Clauſula: *In die commemorationis Defunctorum*: Si verum eſt, quòd Sacrum debeat offerri pro anima, cui ſuffragari cupimus, tum convincitur non rectè ſcripſiſſe Gavantum *in Rubr Miſſalis Part. 4. tit. 15. num. 18.* eſſe tacitam legem Eccleſiæ, ut eo die omnia Sacra offerantur pro Defunctis in genere. Quamquam ego hanc miſericordiam multùm commendo. At ejus obligationem nego cum Tambur. *L. 3. C. 3. §. 1. num. 10.* quia non probatur ſufficienter.

VII. Clauſula: *Singulis diebus infra.* Ergò etiam ipſâ Dominicâ infra octavam omnium Sanctorum. Silvius apud Dianam *loc. cit. Reſ. 29.* quia ſcil. Pontifex ſcit, illam Dominicam ſemper occurrere. At: *quid ſi alicubi concurrat feſtum duplex, aut etiam primæ Claſſis, ut Mediolani feſtum S. Caroli Borromæi?* Reſpondebo mox.

654 VIII. Clauſula: *Feria II.* Niſi videl. occurrat feſtum *de præcepto*, ſeu *fori*, ut declaravit Congregatio apud Dianam *Part. 3. Tr. 4. Cit. Reſ. 233.* & Gavantum *Part. 1. Tit 15. lit. A.* Quo feſto occurrente non licere in alium diem transferre Sacrum, de quo eſt hîc ſermo, notat Gavant. *ibid.* conſentiente Bordono apud, & cum Diana *Cit. Tract. 2. Reſ. 24.* & addente Tamburino *loc. cit.* etſi peccet venialiter contra Rubricas, qui in ejuſmodi feſto facit in tali altari Miſſam funebrem, attamen revera liberari animam, eò quòd nihilominus ponantur conditiones, quas exigit Papa. Quòd & ego cenſeo probabile, non ſatis videns illic culpam ullam, ſaltem quando adeſt inſepultum corpus defuncti. Verùm quia his jam exuſis adeptus Virginium Alviſet reperio in *Mutonulis Vermiculatis*, ſeu *Tract. de privileg. Regul. Section. 3. Cap. 17. §. 3. n. 27* referri ab eo, Barboſâ, & Auſon. Noctinot. Declarationem Congregationis Rituum, reſolventis, *privilegium* (Altaris privilegiati) *non cenſeri conceſſum, niſi pro diebus deputatis, & quando fas eſt in illo celebrare de Requiem*, eam ob rem ſuadeo tutiora. Et addo, Congregationem Cardinalium die octavo Junii Anno 1666. reſcripſiſſe Patribus Capuccinis Miſſionariis in Helvetia, quando datur privilegium liberandi animam è purgatorio ſingulis feriis ſecundis, non impeditis officio novem lectionum, vel iis impeditis, die *immediatè* ſequenti, ſi hic dies *immediatè* ſequens impediatur etiam officio novem lectionum, non poſſe tranſferri hanc gratiam in alium diem. Ita mihi teſtatus eſt ſcripto R. P. Bonagratia Habſenſis, Cuſtos, & Definitor.

655 IX. Clauſula: *Cujuslibet hebdomadæ*: Ergò etiam hebdomadæ ſanctæ. Hanc conſequentiam proniſſimè admitterem, niſi teſtarentur Gavantus *Cit. Part. 1. Tit. 4. lit. O.* & Diana *Cit. Part. 9. Tract. 8. Reſol. 53.* eſſe à Congregatione rituum 28. Auguſti Anno 1627. vetitum, ne Sacra votiva fiant illis diebus, in quibus prohibetur fieri de feſto duplici. Sanè poſt hanc declarationem emanant quotidie Brevia loquentia, ut noſtrum, quidni potiùs in re tam favorabili ſequamur clariſſima verba illorum, quàm Congregationis? Verùm hæc ratio evertit exceptionem factam à clauſula præcedente.

656 X. Clauſula: *Pro anima* juncta clauſulæ: *Animæ ipſæ*, indicat, Miſſam eſſe faciendam pro illa ipſa anima, quam volumus juvare privilegio altaris. Bordonus apud, & cum Diana *Cit Tr. 2. Partis nonæ Reſol. 24.* Sicut & debent animabus applicari Sacra, quibus quivis ſacerdos Societatis poteſt in quovis altari celebrans liberare animam, ſicuti declaraverunt noſtri Superiores. Quanquam ſi Breve ita præciſè ſonaret: *Quicunque Feria II. Miſſam celebrârit in tali altari*, tunc poſſet liberari anima, etiamſi pro illa non offerretur Sacrum, ut rectè Suarez *Tom. 4. Diſp 55. Sect. 4.* & Cardinalis de Lugo *Tom. 3 in 3. Part. Diſp. 27. num. 28. nam beneficium principis eſt latiſſimè interpretandum. L. Beneficium. ff. De Conſtit. princ.* adeóque poſſet accipi peculiare ſtipendium pro applicatione Sacri, ut à fortiori docet Nugnus *in addit. ad 3. Part. Tom. 2. Qu. 25. a 1. q. 3.* malè tamen tradens, eſſe certum, quòd, quando ſacerdos ſacrificat pro ſe ipſo, aut alio, poſſit liberare animam purgatorio.

657 XI. Clauſula: *Cujuſcunque fidelium.* Non reſtringitur igitur hoc Breve ad animas è certa confraternitate, ſicuti quædam alia Brevia.

XII. Clauſula: *Ad præfatum Altare.* Quid ſi profanetur? violetur? *An licebit in alio ejuſdem Eccleſiæ?* Licebit, ſed ſine ſpe indulgentiæ, quia indulgentiæ tantùm, & non plus valent, quàm ſonant. S. Thom. *in 4. diſt. 20. Quid ſi eccleſia, in qua eſt Altare, deſtruatur manente integro Altari?* Peribit indulgentia. Marcellus Vulpe apud, & cum Diana *Reſ. 17.* teſtans, ita fuiſſe in caſu Eccleſiæ Cathedralis Montiſpeluſii deciſum à curia Romana.

658 XIII. Clauſula, *Indulgentiam*, ſcilicet plenariam, mox enim ſequitur. *Pœnis purgatorii liberetur*: certò & infallibiliter (ſi cæteræ omnes conditiones adſint) juxta veriorem ſententiam à nobis probatam, defenſamque *Cit. Libr de Indulgent. num. 483. & ſeqq.* De qua etiam egregiè in utramque partem reperies apud Dianam *Cit. Tr. 2. Reſol. 3.* atque inferes, quid reſpondendum fuerit ad literas 22. Novembris Anno 1661. ad me à quodam ſacerdote ſcriptas in hunc ſenſum: *Toties feci in altarè privilegiato pro meis parentibus defunctis, ut nequeam dubitare, quin exemerim flammis purgatorii, & obſirmaverim animam, nihil in poſterum orandi pro iis. Verùm quia judicia Dei abyſſus multa, quæro ex Rev. Veſt. an bene egerim.*

659 Reſpondi, quòd reſponſurus eſſet quivis, ut puto, peritus eorum, quæ circa hanc materiam ſcribunt eruditi, ſcilicet poſſe quidem piè, ac

prus

prudenter ab eo sacerdote præsumi, parentes haud ampliùs indigere ejus suffragiis, quia tamen ipsemet rectè cum Scriptura sacra fateatur, judicia Dei esse abyssum multam, atque inscrutabilem, quia etiam constet ex variis revelationibus, atque apparitionibus, multos fuisse cruciatos pœnis expiatoriis, etiam postquam plurimæ Missæ, & inter has non paucæ privilegiatæ fuerunt Deo oblatæ pro ipsis, quia scilicet nonnunquam fit, ut propter occultam nobis causam Deus velit in aliquo certo casu facere exceptionem à sua generali promissione, ideo providè acturum, si corrigat illum obfirmatum animum, pergendo litare, quandoque, aut alias preces fundendo pro iisdem suis parentibus, sub conditione tamen, ut si hisce non egeant, obveniant huic, aut illi.

660 XIV. Clausula: *Ad septennium tantùm.* Est hic ordinarius terminus horum altarium: longior est extraordinarius. Incipit autem istud septennium non à die gratiæ concessæ Romæ, ut vult Zippæus apud Dianam *Resp. 11.* sed à die publicationis factæ ad instantiam oratoris, teste eodem Dianâ, uti pluribus declaravi *in allegato Tract. num. 66.* Ubi etiam *num. 662.* sine authoritate, non tamen sine ratione docui, publicationem posse ad unum, alterúmve annum

661 differri. Video autem nunc, nostrum P. Antonium de Quintanad. *in suorum Singularium Part. 2. Dub. 3. num. 3.* id ipsum sentire. Et verò tunc suaderem aliquam dilationem, si Breve advenisset, priusquam finitum esset prius septenniũ ejusdem altaris. Ne autem credas Zippæo docenti, Breve esse habendum pro subreptitio, si fuit expeditum ante lapsum prioris septennii. Meritò enim eruditi viri, teste Dianâ, censent hoc dici scrupulosè nimis. Solùm vult Papa cavere, ne in eadem ecclesia sint duo altaria affecta indulgentiis ejusdem rationis. Porrò istud septennium non interrumpi Anno sancto, est jam extra controversiam per ea, quæ tradidi *in eo Libro num. 533.*

DE QUO SACRIFICANDUM.

CASUS XX.

De Sanctis.

SVMMARIVM.

Cranium S. Verenæ fuit translatum è Tyroli in Helvetiam, & ideo quæsitum, an liceret facere Sacrum de translatione? 662.

Et singulariter, An Episcopus potuerit facere id jus? 663.

Ecclesia Romana non celebrat officium ob translationem unius partis, esto notabilis. 664.

Nec jam fit officium de toto corpore sancti, quando ille sanctus est Patronus loci. 665.

PP. Franciscani celebrant translationem S. Antonii de Padua. 667.

An Prælatus præditus potestate Episcopali, possit inserere suo Breviario Sanctum olim incolam sui Monasterii? 170.

An liceat sacrificare de quolibet canonizato? 671 & 673.

Sententia Patris Quintanadvenna de Beatificatis proponitur. 674.

Refellitur, adeóque ostenditur clarè, non esse cuivis fas celebrare Missam, vel officium, de quolibet Beatificato. 676.

Refellitur, & P. Tamburinus, ratus esse quibusdam præceptum, ut celebrent de tali. 677.

Quid liceat de Beatis Martyribus Japonensibus? 676. & 678

Quid de BB. Aloysio, & Francisco Borgia? Ibid.

An celebrari queat annua Dedicatio Ecclesiæ solùm benedictæ? 679.

Per sanctos naturales qui intelligantur? 680.

Ritus Sacri de Sancto, cujus insignis Reliquia habetur. 683.

In Reliquiis defectus quantitatis suppletur ab excessu virtutis. Ibid.

Declaratur exemplo dentis Sanctæ Apollonia. 684.

Deciditur quæstio nova, an Prælatus asciscens S. Blasium in secundarium Patronum suæ Ecclesiæ possit propriâ authoritate mutare officium simplex in duplex? 685.

Alia quæstio de festo plurium Lipsanorum. 686.

Quando in Missali non extat propria Missa, qualis legenda? 688.

Religiosi habentes privilegium recitandi de Conceptione, vel venerabili Sacramento quando possint illo uti? 689.

An Religiosi teneantur ad festa Diœcesana? 691. & seqq.

Privilegia concessa Festivitati unius Ordinis, conceduntur & reliquis Mendicantium. 696.

Referuntur fragmenta Bullarum de Beatificatione & Canonizatione SS. Ignatii, & Francisci Xaverii. Ibid. in App. *I.* lit. c. & seqq.

Ac S. Francisci Borgiæ. Ibid. lit. h.

Varia de cultu Beatorum. Ibid. lit. o. & seqq.

An qui possunt facere apud nos Sacrum de Beato Stanislao Kostka, possint saltem tres posteriores Horas recitare domi, cùm possint apud nos? Ibid. lit. s. & seqq.

Bulla de B. Stanislao Kostka. Ibid. lit. x.

Quæ Sacella domestica veniant nomine Ecclesiæ? App. II. lit. dd.

An debeat, aut possit annuè coli officio Titularis capellæ domesticæ? Ibid lit. ee. & seqq.

Quis è Monasterio colet? Ibid. lit. hh. & seqq.

Quid si capella existat intra ecclesiam? Ibid. lit. nn. & oo.

Quid si capella sit prorsus extra Monasterium. lit. qq.

An quando jus unius adhuc stantis Ecclesiæ translatum est ad aliam, sit nihilominus ea colenda annuatim? App. III. lit. c. *3.*

Quid

Quid agendum festo SS. Petri, & Pauli occurrente in Dominica Dedicationis. Ibid. lit. f. 3.

Quando celebranda Dedicatio eo Anno, quo Dominica prima post Epiphaniam, ei designata, incidit in Octavam Epiphaniæ? k. 3

An celebranda Octava Ecclesiæ solùm benedictæ? lit. o.

Valde specialia de cultu Reliquiarum traduntur. App. IV. per totam.

662 *VErena Virgo, & Martyr Patrona est pervetustæ in Helvetia Ecclesiæ Collegiatæ Zurzachii, seu ad quas Duras, ut vocat Martyrologium Romanum ad Calendas Septembr. Ejus primò integrum corpus, tum deinde non nisi brachia, quædam ossa, atque sacrorum cinerum partem possedit oppidum illud, cæteris membris, ac Lipsanis alio paulatim deportatis. Venerabile Capitulum memoratæ Ecclesiæ abhinc sexennium quasi è limine recuperavit ex præsignium valdéque probatarum eliquiarum sacrarum Thesauro, quem possidet templum parochiale Salense in Tiroli, Cranium ejusdem Virginis, operam atque industriam non exiguam in id conferente quodam sacerdote vicetatis nostræ, atque per celebri pompâ excepturn transtulit ad illam suam ædem Collegiatam. Hoc modum fui ego consultus, an sit D. Canonici, quos tenet ardens studium conservandi, augendi cultum suæ sanctissimæ Patronæ, ac Titularis; supplicando peterent à Reverendissimo & Illustrissimo Domino Constantiensi, Ordinario suo jus celebrandi diem hujus translationis Officio Canonico, atque Missa, nil postulaturi essent adversus Canones Ecclesiasticos? Quid ego tunc responderim, nil attinet scribere; quid potuerim, Lector judicabit ex iis, quæ in utramque partem proferam.*

663 Quæritur enim I. *Utrùm DD. Ordinarii possint impertiri alicui loco potestatem celebrandi Missam de aliquo Sancto Titulari præcisè ratione insignis Reliquiæ ejusdem Sancti illuc translatæ?*

Non posse, probatur I. Quia Episcopus debet spectare morem Pontificis Romani c. *In causis. De sentent. & re judic.* atque Ecclesiæ Romanæ c. *Ex literis. De Constit.* nec debet novum Ritum inducere circa celebrationem Missarum. B. Pius V. *in Bulla præfixa Missali* Videtur autem ille ritus esse novus, cùm nec Romana, nec aliæ Ecclesiæ consueverint translationem insignis Reliquiæ colere Missâ, saltem si Sanctus, cujus erat illa Reliquia, jam illic soleat solenni officio honorari. Sanè caput Sancti Andreæ sub Pio II. fuit Romam devectum, singulari cum pompa Baronius *in Notis Martyrolog. ad nonum Maji*, ejus tamen non meminit Martyrologium, sicut nec cæterarum Translationum, nisi sub nomine corporis, aut ipsius Sancti. Hinc noster Quintanadven. referendus *num. 686.* testatur, haberi quidem in nostro templo Hispalensi insignem Reliquiam S. Hermenegildi, Titularis ejusdem templi, attamen sacra officia non obiri ratione illius Reliquiæ.

664 Probatur II. Quia *justum est juxta majorum decreta, ut sedes, quæ unicuique sacerdotalis dignitatis mater est, sit Ecclesiasticæ magistra rationis. Text. in c. De iis. dist. 12.* Atqui nostra Ecclesia Cathedralis, quæ sacerdotalis dignitatis mater est, possidet quidem Lipsana Sancti Conradi Patroni Diœcesani, non tamen veneratur illum, nisi ut Patronum. Idem dixeris de plerisque aliis locis. Et meritò, cùm ordinarius mos Ecclesiæ ferat, ut non nisi semel in Anno singuli sancti honorentur publicis officiis.

665 E diverso videtur prædicta potestas non denegandæ Illustrissimis Dominis Ordinariis. I. Quia sacra Congregatio Rituum in Decreto præfixo Breviario Urbani VIII. facit Ordinariis, sine ulla exceptione, aut restrictione jus instituendi in loco aliquo particulari festum. Si illic habeatur aliqua insignis Reliquia. Atqui quæ generaliter dicuntur, generaliter ac sine restrictione intelligenda sunt. *L. 1. Generaliter ff. de Leg. 2.* quia potest Episcopus in sua Diœcesi id omne, quod Papa in toto Orbe, nisi specialiter interdictum sit. Abulensis, Gambara, Sotus, alii cum & apud Sanch. *L. 1. de Matr. d. 61.* Atqui nusquam reperitur Episcopis prohibita institutio festi, quo de loquimur. Nec obest, quòd non soleat passim ita fieri. Jam enim *num. 202.* observavimus, argumento ab omissione alicujus actûs non satis probari consuetudinem prohibitivam illius.

666 III. Non utique minor potestas competit Episcopo respectu loci particularis Diœcesani, quàm alicui Capitulo Generali respectu totius Ordinis Religiosi. Atqui Capitulum Generale FF. Minorum Anno 1352. decrevit, ut tota Religio Seraphica 15. Febr. officio Duplici coleret tertiam translationem corporis gloriosissimi Thaumaturgi S. Antonii de Padua, jam pridem alio titulo ab iis culti. Hócque Decretum Annis circiter 70. post comprobavit, plenariáque Indulgentia cumulavit Martinus V. testante Michaële Pechec. *in Epitome vitæ ejusdem Sancti num. 224.* Et verò scimus, in fastis Ecclesiasticis ad nonum Maji memorari translationem Sanctorum Andreæ, Hieronymi, Nicolai. Quæ translatio S. Nicolai haud dubiè Barii in Apulia, sicuti & Friburgi Nuithonum urbe religiosissima, celebratur in choro, foróque, cùm tamen hic innumeris miraculis decoratus Pontifex sexto Decembr. ibi-

dem ceu Titularis præſignis illic Eccleſiæ Collegiatæ, honoretur magnâ ſolennitate. Ergo poteſt etiam inſignis Reliquiæ, qualis utique eſt cranium, tranſlatio haberi authoritate Epiſcopali feſtiva, non obſtante alio jam antiquiori cultu. Etenim argumentum à toto ad partem eſt hîc ſatis firmum, cùm utrobique non ſpectetur aliud, quàm augmentum pietatis. Atqui quæ conveniunt in identitate rationis. non debent ſeparari in ratione juris. *L. Illud*
669 *ff. Ad Leg. Aquil. 4.* Denique unum, eundémque Sanctum ſæpius in Anno honorari Officio Canonico, Miſſáque celebritate, notiſſimum eſt omnibus. Ergo huic affirmativæ parti nil officit ea circumſtantia, quòd jam alicubi obeatur Natalis illius Sancti, de cujus Reliquiarum peculiari honore inſtituendo deliberatur. Atque ita poſt hæc pridem ſcripta ſentit Neuſſerus *De Hor. Can. Diſp. 6. num. 61.* Sed præfero *negativam*, quia Romæ habentur corpora SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, non tamen coluntur hæc peculiari feſto, ut inde mihi ſcriptum.

670 Ediverſo cùm Anno 1660. die 13. Novembris quidam Illuſtriſſimi, exemptiſſimíque Monaſterii Dominus Abbas, præditus poteſtate Pontificali, per unum ſuorum literis ad me datis petiiſſet cognoſcere, quid ſentirem de hac quæſtione. *Utrùm ipſe propriâ authoritate poſſet inſerere, ſeu addere Breviario ſui Monaſterii Sanctum N.* (nominabatur in literis, taceo tamen prudens nomen) *olim quidem incolam ejuſdem ſui Monaſterii, poſtea tamen Eremi in alia vicina Diœceſi, in qua colatur annuo officio ritûs duplicis, alibi nullo.* Reſpondi, videri non poſſe, tum propter graves rationes, quæ in iiſdem literis exprimebantur, tum propter alias, quæ mihi occurrebant. *Primò*, quòd Monaſterium illud ſemper abundârit Religioſis eruditiſſimis, *piiſſimis*, qui proinde non fuiſſent omiſſuri illam venerationem ſui olim Civis, Fratris, Patris, ſi putâſſent, potuiſſe à ſe adhiberi. *Secundò*, quòd Urbanus VIII. *in decreto* præfixo Breviario §. *1. & 4.* clariſſimè prohibeat ejuſmodi mutationem, ſeu additionem. *Tertiò*, quia B. Pius V. & Gregorius XIII. tanquam pro ſpeciali privilegio conceſſerunt Hiſpanis, ut poſſent officiis publicis colere ſanctos Naturales Hiſpaniæ. Palaus *Part. 2. Tr. 1. Sect. 7. Operis Diſp. 2. p. 2.* & Quintanadven. *Singul. Part. 1. Tract. 7. Singul. 9.* qui etiam duo auctores apertè negant, eſſe in poteſtate Epiſcopi, facere ejuſmodi mutationem. Vide tamen Tamburinum infrà *num. 693.* his ſcriptis à me lectum.

Addidi nihilominus, quia illius Monaſterii merita in Eccleſiam ſint omnino ſingularia, Summum Pontificem haud gravatè approbaturum illam pietatem, ſi requireretur.

671 Quæritur II. *An de quolibet Sancto Canonizato, aut ſolùm Beatificato poſſit ubique Miſſa legi, & quomodo?* Hanc, & permultas alias quæſtiones huic affines proponit, expedit noſter Quintanadvennas ſuorum *Singularium Part. 1. toto Tract. 7.* quarum multæ cùm ſint non curioſæ duntaxat, ſed etiam perutiles, nec facilè reperiantur in aliis ſcriptoribus, niſi forſan ſparſæ, eas, ſeu potiùs earum reſponſiones hîc inſeram ſuccinctiſſimè, adeóque omiſſis probationibus, non tamen abſque omni hinc inde additiuncula. Et quia pleræque ſuntde Sanctis, ideo hunc Caſum vocavi: *De Sanctis.*

Traditigitur author ille hanc in rem eo tractatu ſequentia.

Quando Bulla Canonizationis alicujus Sancti ſonat, ſicut Bulla S. Ignatii, & S. Franciſci Xa- 672
verii: *Statuimus, ut ab univerſali Eccleſia poſſit de illo officium recitari*, tum habet hoc ipſo quiſque Epiſcopus jus decernendi, ut in ſua Diœceſi honoretur Miſſâ, & horis canonicis. *Sing. 1.*

Omnes Sancti, quorum nomina exprimuntur in Martyrologio Romano, ſunt verè (quidquid repugnet Gavant. *in Rubr. Breviar. Sect.* 673
1. C. 5. num. 12.) Canonizati vel à Papa, vel ab Epiſcopis. Bellarm. *Lib. 1. de Sanct. Beat. C. 7.* Et conſequenter poteſt quiſque Miſſam votivam pro libitu de ſingulis legere (etſi neget Gavantus *loc. cit.*) & quidem ipſo die, quo deſcribuntur in Martyrologio, niſi fortè tunc occurrat feſtum duplex. Miſſam autem Conventualem de iis dicere non licet, ſicut nec eſt tanta libertas recitandi de illis Breviarium, quanta Sacrum. Quamquam etiam Breviarium votivum (*id eſt, per quod non ſatisfiat obligationi per ſe currentis diei*) recitari de illis poteſt. Imò non improbabile cenſeo, poſſe ſine gravi culpa officium currentis diei mutari in officium de uno ex ejus Sanctis. *Singul. 3. & 4.*

Non ex mea, inquit P. Quintanadvennas, ſed ex doctiſſimi P. Ferdinandi de Caſtro Palao
Tract. 4. Diſp. 1. Punct. 5. §. 5. num. 7. ſenten- 674
tia, & verbis dico: Longè plus, & probabilius eſt, poſſe quemlibet ſacerdotem Miſſam votivam, & Officium votivum recitare in honorem illius Beatificati, pro quo Sedes Apoſtolica conceſſit alicui Religioni, vel Provinciæ Miſſam & Officium proprium. Huicque concluſioni, (extendendo etiam ad proceſſionem ſolennem,) ſubſcripſerunt Salmanticæ Anno 1625. cùm hic caſus conſultus fuit, 24. Doctores, inter quos & ego minimus. Ita Palaus.

Licèt autem Anno 1631. ſanxerit Urbanus 675
VIII. de ſanctis locorum Martyribus, civibus, & aliis feſtis, de quibus in Calendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, ut etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propriâ authoritate conſtituatur, ſed omnino conſulatur ſacra Rituum Congregatio, illa tamen ſanctio loquitur ſolùm de illis Beatificatis, qui ita beatificati ſunt, ut in illorum honorem nulli nec perſonæ, nec communitati conceſſum ſit, Miſſam de iis celebrare: non de illis, de quibus ejuſmodi permiſſio facta alicui loco, aut Religioni. Ita Quintanadvennas

Sin-

676 *Singul. 5.* Cui doctrinæ ego nunquam potui ſubſcribere, utpote evidenter contrariæ praxi communi, bulliſque apertè reſtringentibus ad certa loca, & perſonas, ut videre eſt tum in omnibus Beatificatorum è Societate Jeſu, tum nominatim in Beatificati Franciſci Saleſii Epiſcopi Genevenſis, præclariſſimi dictis, ſcriptis, factis, item Anno 1672. Beatis adſcripti Pii V. quare illam doctrinam Palai negat meritò Gavantus *in Rubr. Miſſ. Part. 3. Tit. 10 numero. 16.* Equidem Urbanus Octavus Anno 1627. in Brevi de 23 Martyribus Japonibus ex Ordine S. Franciſci Beatificatis ſic ſtatuit: *Ut de iiſdem Martyribus (donec ad eorum ſolennem Canonizationem deveniatur) tam ab omnibus dicti Ordinis Sancti Franciſci Reliqui ſis ubique exiſtentibus, quam etiam aliis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus perſonis Manilenſis Diœceſis duntaxat, Officium ac Miſſa, de communi plurimorum Martyrum die eorum natali, videlicet die 5. Februarii recitari, ac celebrari reſpectivè, liberè, & licitè poſſit, ac valeat, Apoſtolica authoritate licentiam, facultatem impertimur.*

Idem Pontifex eodem Anno de tribus etiam Japonibus Martyribus Societatis Jeſu ita ſanxit: *Ut ae iiſdem Martyribus (donec ad eorum ſolennem Canonizationem deveniatur) ab omnibus dictæ Societatis Religioſis ubique exiſtentibus Officium, ac Miſſa de communi plurium Martyrum die eorum natali, videlicet 5. Februarii recitari, ac celebrari libere, & licitè poſſit, ac valeat, licentiam, & facultatem impertimur.*

In quo Brevi cùm non eſſet facta mentio ſacerdotum ſæcularium, ſacra Rituum Congregatio biennio pòſt ita ordinavit: *Cum alias ſub die 3. Julii Anno 1627. Sacra Rituum Congregatio annuente Sanctiſſimo conceſſerit, ut de tribus Sanctis Martyribus è Societate Jeſu. Paulo Michi, Joanne de Gotto, & Didaco Quizai Officium, & Miſſa de communi plurium Martyrum ipſo die eorum Martyrii ab omnibus Preſbyteris ejuſdem Societatis ubique recitari, ac celebrari poſſit, inſtante Generali Patrum Societatis Jeſu indultum prædictum ad omnes ſacerdotes tam ſaculares, quàm Regulares, ad eorum Eccleſias conſluentes extendi poſſe, eadem Congregatio cenſuit. Facto verbo cum Sanctiſſimo, Sanctiſſimus annuit 26. Septembris Anno 1629.* Hæc (de noſtris Martyribus) omnia reperies apud Joannem Bollandum in Actis SS. *ad 5. Februarii fol. 740. & 741.* ſicuti & in Bulla de Beatificatione Pii V. pul l cata 20. Aprilis Anno 1672. non ſolùm diſertè dicitur: *Indulgemus, ut idem Deiſervus Pius PP. V. in poſterum Beati nomine nuncupetur, atque de eo in omnibus Eccleſiis tam ſæularibus, quàm regularibus, recitetur Officium, & Miſſa celebrentur.* Sed inſuper hiſce ſubjicitur ſequens limitatio formalis: *Recitationem verò Officii, & Miſſæ celebrationem fieri concedimus in locis duntaxat NB. infraſcriptis, viaelicet in almæ urbe noſtra &c. & in univerſo Ordine Sancti Dominici &c. & quantum ad Miſſas attinet, etiam ſacerdotibus conſluentibus ad Eccleſias tam Fratrum, quam Monialium*, ut immediatè antè præmittitur apud Patrem Ambroſium Randing in calce vitæ ejuſdem glorioſiſſimi Beati. Ex quibus clariſſimum eſt, & ſolere à Pontificibus licentiam illam *poſitivè* arctari ad certum genus, certos dies, certa loca, & errare (ut per parentheſin dicam) illos etiam non indoctos, qui ajunt, Martyres non ſolere ſolenniter canonizari. Quamquam Pater Tamburinus in toties *citato* opuſculo *de Sacrificio Lib. 2. Cap. 6. §. 8.* ita acriter defendit eandem ſententiam Palai de Miſſa cuivis permiſſa, ut & neget, quidquam authenticè conſtare de ulla declaratione Cardinalium in contrarium, & *num. 15.* coactus verbis Pontificum, illi ejus negationi (ſi nudè ſpectentur) contrariis, aſſerat, Religioſos peccaturos, ſi die permiſſâ non celebrarent de illis Beatis, de quibus celebrandi facta eſt ipſis expreſſe poteſtas.

Verùm hæc aſſertio non ſolùm eſt nova, ſed 677
etiam (pace eruditiſſimi Patris) contraria verbis Bullarum, illæ enim utuntur nominibus *Licentia, facultatis, indulti.* & verbis: *poſſit*, ac *valeat*, non autem: *debeat*, ſicut liquet tum ex hîc deſcriptis, tum ex ſat recenti Brevi, pro Beatificato tunc, nunc autem ſolenniter Canonizato Sancto Franciſco Saleſio, & Sancto Franciſco Borgia. Itémque B. Pio V. Atqui nemo tenetur uti gratiâ oblatâ. DD. *ex Cap. Quod obgratiam. De Reg. jur in 6.* cùm præſertim Pontifex expreſſè dicat: *libere poſſit*, quæ clauſula omnino excludit præceptum DD. apud Barboſam *in dictione* libere *num. 6. & 10.*

De B. Aloyſio Gonzaga die 21. Junii Miſ- 678
ſam (& conſequenter, ut idem Quintanadv. *Singul. 7. num. 9.* autumat, officium) de B. Francisco Borgia die 1. Octobr. & de tribus Martyribus Japonicis noſtræ Societ 5 Februarii, non ſolùm Miſſam, ſed & Officium recitare poſſunt omnes ſacerdotes, ad noſtras Eccleſias iis diebus confluentes. *Singul. 8.* ubi refert verba Brevium, addens *Singul. 7.* nos poſſe de iis recitare, & celebrare, etiamſi ſimus foris. Sæculares, & alterius Ordinis Religioſos non niſi in noſtris Eccleſiis, & quidem ſolùm diebus ſuprà expreſſis, ita ut, ſi tunc occurrat feſtum nobilius, non poſſit transferri officium de illis Beatis. Quamquam etiam poſſunt extrà hos dies abſque gravi culpa facere votivas de iis. Et nimis rigidus eſt Granadus, dum ait, ſe vix audere excuſare à mortali ſacerdotem, inſerentem ſuo Sacro collectam de aliquo Beatificato. *Eod. Singul. 7.* Ego verò ſto verbis Brevium.

Quælibet Eccleſia poteſt quot Annis cum 679
Miſſa & Officio celebrare diem Dedicationis ſuæ, etiam ſi ſolùm ſit benedicta (vide de hoc

infrà *num. 696. App. 3. lit. O. 3.* & illud vocabulum: *Conſecrationis reparas diem*, ſignificat latinè: *Dedicationis. Singul. 8.* ubi licèt ipſe P. Quintana devenn. recitet verba Congregationis declarantis, non poſſe ab Epiſcopo conſecratore extra actum dedicationis tranſferri in alium diem annuam ejus memoriam, niſi adſit conſenſus Sedis Apoſtolicæ. Scio tamen, non ab uno, ſed à pluribus id factitatum, fortè ignaris illius declarationis. Sed factum tenet.

680 Per Sanctos *Naturales* alicujus Urbis, Regni &c. de quibus fit quandoque poteſtas celebrandi, intelliguntur tum ii, qui illic aut mundo, aut cælo nati ſunt, tum qui ibidem obtinuerunt dignitates Eccleſiaſticas, aut ſæculares, etiam inferiores Epiſcopali. *Singul. 12.* Item, qui illic baptizati, vel educati fuêre, vel domicilium, aut originem paternam habuêre.

681 *Singul. 13.* Addens *Sing. 14 15. & 17.* aliquem poſſe *Naturalem* hujus, aut illius loci ſatis probari, ſi id teſtetur aliquod Breviarium, Martyrologium, epitaphium, inſcriptio, ſcriptura, Liber antiquus, aut unus hiſtoricus, eſto unus, aut plures hiſtorici id negent.

682 Sub ritu duplici celebrandum eſt feſtum ſancti *Naturalis*, præponendúmque feſto ejuſdem ritûs deſcripto in Breviario. Et neque hunc ritum, neque alium conceſſum Sanctis *Naturalibus*, vel aliis exiſtentibus, vel non exiſtentibus in Breviario poteſt Epiſcopus in ſuperiorem, vel inferiorem commutare. Poteſt tamen inſtituere, ut de Sanctis, de quibus celebratur in aliquo ſuæ Diœceſis loco, in alio etiam celebretur, imò ut fiat aliquod officium non permanenter, ſed aliquando. *Singul. 20.* Minimè tamen negabit hic author, poſſe mutari ritum circa Sanctos, qui ſunt Patroni, aut quorũ habentur inſignes reliquiæ. Hanc quippe mutationem permittunt diſerrè Pontifices.

683 Congruum eſt, ut Regulares in celebratione Miſſæ de his ſanctis conforment ſe Eccleſiæ Matrici *argum. Cap. De iis. diſt. 12.* Sicuti & iidem Regulares commorantes extra ſuum monaſterium præditum inſignibus Reliquiis, poſſunt de iis recitare Miſſam, & Officium. *Singul. 23. & 24.*

Etenim generatim poteſt officium Duplex cum Credo recitari de quovis ſancto etiam non exiſtente in Martyrologio, ſi hujus inſignis aliqua Reliquia, id eſt caput, brachium, crus, aut pars, in qua paſſus eſt, approbata ab Epiſcopo habeatur. Ad quam quidem approbationem ſufficit *moralis* certitudo deducta ex probabilibus argumentis. Ignoro autem, utrùm propriâ authoritate poſſit celebrari de Sancto, cujus habetur Reliquia quidem, ſed non inſignis. Quòd ſi celebrandi de illo poteſtas fiat, erit ſub ſemiduplici celebrandum. *Sing. 27. & 28.* ſubdens in Appendice, quam immediatè ante Indicem ponit, & quâ ſupplet nonnulla omiſſa à typographo, officium, quod fit ob inſignem Reliquiam, debere eſſe duplex majus per annum, non autem duplex ſecundæ claſſis, ut erat inadverteniter excuſum in ejus *Singularium Tract. 9. Singul 29. num. 2.* Porrò ſi Reliquia ſit de Chriſto Domino, Beatiſſima Virgine, aut aliò eminentiſſimo Sancto, cenſebitur ea eſſe inſignis, licèt ſint tantùm aliquot Capilli Beatiſſimæ Virginis. Aut ſint Sanctæ Annæ, vel alicujus Apoſtoli oſſa magnitudinis palmaris. Tunc enim defectus quantitatis ab exceſſu qualitatis ſupplebitur. *Sing. 28.*

Hæc poſtrema reſolutio, & ratio Patris 684
Quintana devennæ (ut per parentheſin dicam) junctа alteri me impulit, ut literis rogatus meam mentem, reſponderim, poſſe tutâ conſcientiâ pergi in inchoata recèns conſuetudine colendi in certo quodam cœnobio ritu ſemiduplici feſtum Sanctæ Apolloniæ Virginis, & Martyris ea ſola de cauſa, quòd illic habeatur unus è dentibus ritè, ut ſuppono approbatus, illius Maſculæ Virginis. Etenim dentes ipſius ſunt tam illuſtres palpabilibus Miraculis, quorum teſtes ſunt, ut alia ſileam, annuæ literæ noſtrorum Lucernenſium, atque Octinganorum, ut defectus quantitatis videatur ſuppleri exceſſu virtutis. Adde, quòd ratio, ob quam ſacra Congregatio vetuit, parvas Reliquias ſemiduplici Officio honorari, ſit hæc princeps, quia aliàs nimis ſæpe omitteretur feriale officium, quod Gavantus *in Rubricis Breviarii Sect. 3 cap. 3. n. 5.* ex Radulfo vocat rectè *Officium Domini.* Nam quando ſic honorantur illæ partes ſolæ, quæ & ſecundùm ſe ſunt pars integra, ut dens, non autem particula partis. Et in quibus Martyr eſt planè ex deſtinato paſſus, & celebrantur prodigiis cœleſtibus, non ita ſæpe prætermittitur illud Officium Domini, qua de cauſa etiam fit, ut in quodam oppido digitus Sancti Viti Martyris clarus Miraculis habeat ex permiſſu Ordinarii Officium duplex.

Vix hæc ſcripſeram, cùm adeſt è vetuſtiſ- 685
ſimo, ſimul & florentiſſimo Monaſterio Religioſus Pater, percunctans, an Prælatus N. qui deſtinavit gravi de cauſa Sanctum Blaſium aſciſcere in ſecundarium Patronum ſuæ Eccleſiæ, poſſit propria authoritate inſtituere, ut deinceps non ſimplici, ſed duplici, & quidem ſecundæ claſſis Officio colatur ille præcellens Martyr? Reſpondi, non ſolùm poſſe, ſed etiam debere. Tenetur enim ſectari Rubricas Breviarii, quæ generatim Patronos ſecundarios promovent ad ſecundam claſſem, tribuentes ipſis octavas, quæ duo ſe habent, ſicut acceſſorium quid ad principale, accidens proprium ad ſubſtantiam, ſolennitates baptiſmales ad ipſum Baptiſmum, quæ permittuntur hoc ipſo, quòd permittatur Baptiſmus, eo modo, quo declaro & probo *in Alphab. Baptiz. Caſ. XVI. num. 475. & ſeq.*

Sed & poſt hæc ipſa jam deſcripta ab Ama- 686
nuenſi accipio ex quodam alio, eóque Principali

pali Monaſterio literas, quibus expetitur meum reſponſum ad duas ſequentes quæſtiones. Primam; *An feſtum Reliquiarum* (*quarum Deo ſint laudes ſat magnam copiam habemus*, inquit) *quot annis poſſimus ſine requiſita Apoſtolica conceſſione ulteriore celebrare ſub duplici, quia Gavantus id concedit, etiamſi tantùm habeatur alicuius Sancti notabilis pars, quantò magis collectim de omnibus Sanctorum Reliquiis? Alteram, an feſtum iſtud cum lectionibus propriis poſſit inſtitui?*

Ad *primam* reſpondi *affirmativè*, tam propter optimam rationem deſumptam ex Gavanto, apud quem in Rubricis Breviarii *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 8. & ſect. 3. cap. 2. num. 11.* Congregatio Rituum permittit pro ejuſmodi parte officium duplex, ſed minus, non autem majus, ut liquet ex litera; nec auderem ſine majore authoritate tribuere multis notabilibus partibus reliquiarum Officium majus, quàm uni notabili, quia video, hujus ſæculi ſummos Pontifices perægre concedere multiplicationem feſtorum, horúmque elevationem ad gradum ſuperiorem. Porrò quia Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Princeps, atque Abbas illius Monaſterii eſt propriè Ordinarius illius, juxta communem doctrinam Dianæ *part. 11. tract. 3. reſol. 35.* ideo ſufficit auctoritas ipſius ad inſtituendum tale Feſtum, & Officium, ſicuti liquet ex verbis Congregationis apud Gavantum, & ex decreto Congregationis præfixo Breviariis novis. Ad *alteram*, poſſet quidem illud feſtum inſtitui cum lectionibus propriis, ſi haberentur propriæ approbatæ à Sede Apoſtolica, at quia non reor haberi tales, ideo vel ſunt deſumendæ ex Octavario, juxta Decretum Congregationis apud Gavantum *cit. ſect. 3. cap. 12. fol. 47. num. 14.* vel componendæ novæ, at non uſurpandæ ante approbationem Pontificiam, ſicut reſolvit Congregatio apud eundem Gavantum loco jam primùm allegato, & ego ex eodem ante complures annos ſolicitatus literis datis nomine alterius Reverendiſſimi Domini Abbatis.

Exorbitat ab Eccleſiaſtica conſuetudine, 687
eundem Sanctum bis in anno celebrari præſertim ratione ejuſdem tituli. Imò ſemel tantùm celebrari ſolet, etiamſi reſpectu illius Eccleſiæ plures titulos adæquatos habeat, ut unuſquiſque ſufficeret ad celebrationem. Sic S. Hermenegildus in noſtro Collegio Hiſpalenſi celebratur 1. Quia eſt patronus totius Hiſpaniæ. 2. Quia Hiſpali paſſus. 3. Quia Titularis noſtræ Eccleſiæ, & 4. Quia illic inſignis Reliquia. *Singul. 30.* Et rectè quidem ait hic author, ſolere ita fieri; ſed utique non negat, oppoſitum quandoque factitari, ut patet conſideranti feſta Sanctorum Joann. Baptiſtæ, Petri, Pauli, Joannis Evangeliſtæ, Franciſci Seraphici &c. ipſius Auguſtiſſimæ Reginæ Sanctorum,

Quando in Miſſali non reperis propriam 688
Miſſam illius, de quo vis celebrare, ſi ſit Martyr, Confeſſor &c. accipe de Communi Martyrum, Confeſſorum, idémque obſerva in Breviario. Si de Nomine Jeſu, accipe Miſſam de Circumciſione. Si de corona Chriſti, accipe de Paſſione. Si de S. Gabriele, accipe de Annuntiatione, ſicuti etiam accipies de Annuntiatione, ſi foret dicendum de Nomine Mariæ; deficientibus enim Miſſis propriis ſumendæ ſunt ex Miſſali illæ, quæ ſunt ſimiliores myſterio, aut Sancto, de quo cogitamus celebrare. *Singul. 27.* poſt Gavantum *part. 3. tit. 10. num. 16.*

Religioſi Mendicantes habentes privilegi- 689
um feriis quintis celebrandi de Venerabili, poſſunt eo uti non ſolùm in vigiliis etiam ſummorum feſtorum, cùm hæ non excipiantur à quoquam Pontifice, ſed etiam in Adventu, & Quadrageſima, quia poſteriores Pontifices non exceperunt hæc tempora. *Tract. 8. ſingul. 12.* Nec eſt omnino improbabile, idem aſſeri poſſe de habentibus privilegium celebrandi in Sabbato de Conceptione immaculata. Etenim quidam viri docti cenſent hoc tutum in praxi, & practicant ipſi. *Sing. 15.*

Hæc ſufficiat retuliſſe ex hoc authore, 690
quem omnes ſciunt, eſſe virum pereruditum, & claſſicum authorem.

Addo his de meo adhuc hoc unum. Licèt 691
Barboſa *in Trident. Concil. ſeſſ. 25. cap. 12.* & Aſcan. Tamburin. *de jur. Abbat. Volum. 2. d. 5. q. 9. num. 39.* abſolutè negent, Regulares obſtigari obſervare feſta Diœceſana, ob claram declarationem Congreg. Cardin. quam uterque deſcribit, attamen in primis teſtatur Palaus *Tr. 7. d. 2. p. 2. n. 8.* Gregorium XIII. præcepiſſe, ut etiam exempti obſervent feſtum Patroni. Deinde more eſt receptum, 692
ut etiam alia feſta duplicia Diœceſana colant ritu duplici; ſemiduplicia non ſolent, ne nimis ſæpe recedant à Breviario, cui ſunt aſtricti, quamvis, qui dedit poteſtatem colendi duplicia, poſſit extendere etiam ad ſemiduplicia.

Quin Thom. Tamburinus *in Decal. lib. 2.* 693
cap. 5. §. 2. n. 5. ſic loquitur expreſſè: *Religioſus erit reus peccati, ſi feſta Patronorum, aliaque in Diœceſi univerſalia non perſolvat, non verò ſi cætera particularia negligat, quæ tamen, ſi velit recitare, licitè poterit, ſuòque oneri ſatisfacere. Ratio eſt, quia ita colligitur ex quadam Bulla Pii V. apud* Caſtropalaum (Tr. 7. diſp. 2. de orat. punct. 2. n. 6. *quæ licèt ad Eccleſias Hiſpaniarum directa fuerit, tamẽ propter paritatem rationis, & convenientiam, quã continet, ſi ab omnibus obſervetur, laudabile eſt.*) Ita ille. Verùm conſuetudo Germaniæ non agnoſcit in tanta latitudine obligationem, imò nec eſt publica licentia circa feſta ſemiduplicia.

Ad majorem horum elucidationem obſer- 694
vandum eſt, Synodum Tridentinam *ſeſſ. 25.*

cap. 12. de Regul. ita statuisse: *Dies etiam Festi, quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præcepit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus observentur.* Quod statutum cùm vel obscurum, vel difficile videretur nonnullis, explicavit illud, aut mitigavit postmodum Congregatio Cardinalium verbis, quæ Stephanus Quaranta *in Summa Bullarii verbo Privilegia Regularium fol. 406. edit. Venetæ* refert in hunc modum.

695. *Congregatio Concilii censuit, Decretum* cap 12. vers. Dies etiam festi sess. 25. de Regular. *ita esse intelligendum, ut Regularium ritus illis festis semper maneat quo ad Missas celebrandas, & cætera divina officia tam publicè, quàm privatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persolvenda; nec circa hæc ab Episcopis quoquo modo quidquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse. Verùm quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint debere se conformare Evangeliis, & Epistolis, quibus Clerus secularis utitur illis diebus festis.*

696. Ex quibus verbis palàm est, doctrinam illam P. Tamburini non esse admittendam quatenus inducit obligationem. Quamvis autem sacra illa Congregatio dicat: *Regularium ritus semper maneat*, sensus tamen est: *manere possit*; sic enim declarat ipsamet Congregatio, quæ apud Joannem Gallemart *in cit. cap.* 12. Tridentinæ Synodi sic loquitur. *Dies festi, quos Clerus, & populus ex more, & instituto alicujus Ecclesiæ observant, Regulares etiam eorundem ritu tales dies festos observent, licèt ex observatione dictorum dierum festorum ritus prædictorum in suis officiis observandis intactus manere possit.* Verùm de his plura *in Alphabeto Aud. ent. Sacrum Casu III.* interim negante Virginio Alviset *de Priv leg. Regul sect. 3. cap. 9.* Regulares obligari festis indictis ab Episcopo, ubi abest scandalum Iis, quæ hactenus dixi de Sanctis, addes opportunè id, quod Adm. Reverendus Pater Yson Pfavv Principalis Monasterii Sanctgallensis in suo scito *Collectario privilegiorum Ordinis Benedictini per Helvetiam fol. 10. & 296.* tradit *ex Compendio Privileg. Mendicantium verbo Festivitas*, & Lezana *Tom. 2. qq. Regul. cap. 2. num. 55.* scilicet, privilegia pro festivitatibus Sanctorum alicujus Ordinis, & Monasterij concessa, censeri etiam concessa per Communicationem festivitatibus Sanctorum alterius Ordinis.

APPENDIX I. AD HVNC CASVM.

a FAcio in hoc Casu *vigesimo* haud semel mentionem Beatificationis, atque Canonizationis; facio & singulariter nostri B. Franciſci Borgiæ: placet igitur in gratiam Lectoris piè avidi cognoscendi in paradigmate, quâ maturo consilio Pontifices consueverint procedere ad Canonizationem alicujus antea Beatificati, seu in syllabum Beatorum relati, huc transferre Decretum, quod S. D. N. Clem. X. edidit in causa Canonizationis ejusdem, gaudentis tunc solo titulo Beati Franciſci Borgiæ, è Duce Gandiæ tertii præpositi Generalis Societatis Jesu.

b Priùs tamen repeto, Beatificationem à Canonizatione differre tum *accidentaliter* ob examina, frequentatam invocationem Spiritûs sancti, pompam exteriorem incomparabiliter majorem (fuêre Anno 1670. pro quinque Sanctis tunc inscriptis albo Cœlitum expensa centum viginti quinque millia scutorum, ut testantur literæ ex urbe datæ ad me, meámque de hac re interrogâtionem, pro solenni actu Canonizationis, priúsque pro Beatificationis,) tum præcipuè, & quasi *essentialiter* in eo, quòd per Beatificationem solùm permittatur publicus (cum varia restrictione) cultus alicujus tanquam cælo recepti, at per Canonizationem definiatur, talem cultum ipsi deberi, ut reliquos inter exprimit Franc Ab Arauxo *de Ecclesiastico statu Tr. 3. q. 23. num. 2.* contra Raynaudum in *Corona aurea Rom Pontif. Veritate tertia*, referentem plures pro se rato, esse tantùm probabile, illum, quem Papa retulit in Catalogum Sanctorum, decessisse in statu gratiæ. Sed veritas allati à nobis discriminis patet tum aliunde, tum recentissimè ex eo, quòd primùm Anno 1670. nobis extra Poloniam degentibus facta sit à S. D. N. Clemen. X. potestas colendi nostrum Angelicum Adolescentem Stanillaum Kostkam, ab hinc Annos 70. scilicet Anno 1603. relatum in censum Beatorum; tum denique singulariter ex Bullis Beatificationis S. Parentis nostri, ac S. Franciſci Xaverii; item ex Decreto Congreg. Rituum describendo infrà *lit. h. in fin.*

c *Etenim* in priore edita à *Paulo V.* Anno 1609. sic loquitur idem Pontifex: *Vt bonæ memoriæ Ignatius de Lojola Societat. Jesu fundator in posterum Beatus nuncupari, deque ipso, tanquã de Beato in omnibus Ecclesiis, & locis ejusdem Societ. Jesu ab ipsis Presbyteris, & Clericis dictæ Societatis tantùm, Officium, & Missa de Communi unius Confessoris non Pontificis in die ejus obdormitionis in Domino die ultimo Iulii recitari, & celebrari possit, & valeat, & præterea in eadem Urbe (Romæ) dicto die in Ecclesia Societatis Jesu tantùm omnes presbyteri tam seculares, quàm Regulares Missam in honorem ipsius B. Ignatii, pro eorum devotione celebrare libere, & licitè possint &c. concedimus &c.*

De posteriore, id est S. Franciſci Xaverij Beatificatione sic loquitur idem Paulus V. An. Dom. 1619. *Vt ipse bonæ memor. Fran. Xaverius in posterum Beatus nuncupari, atque de eo die secunda Decemb &c. ab omnibus Religiosis dictæ Societatis ubique terrarum existentibus &c. officium recitari, & Missa celebrari respectivè libere, & licitè valeat, concedimus.*

At

d At verò Gregorius XV. quarto Idus Martii (id est 12. Martii Anno 1622.) *decrevit*, & *definivit* (ut loquitur, testatur, confirmátque Urbanus VIII. Gregorii successor in Bulla Canonizationis octavo Idus Augusti Anno 1623) *Dictum Ignatium Lojolam unà cum Isidoro, & Francisco prædictis &c. Sanctum, & Sanctorum Catalogo adscribendum, & aggregandum esse, prout adscripsit, & aggregavit &c. Nósque authoritate Apostolicà decernimus, quòd definitio, adscriptio, aggregatio, aliáque præmissa à dicto quarto Idus Martii, suum debitum consequantur effectum &c.*

Ita Urbanus. Ex cujus verbis validè deducitur illud quasi *essentiale* discrimen, quòd superiùs dixi intercedere inter Beatificationem, & Canonizationem, adeóque inter cultum Beati, & Sancti. Deducitur quoque confirmatio communis doctrinæ de restrictione quoad loca, & personas, cum qua solet permitti publicus cultus Beati, & de illimitato jure venerandi Sanctos, id est, Canonizatos.

e Vocavi autem paulò superiùs Bullam Urbani, Bullam *Canonizationis*, non quòd ipsemet canonizârit, seu in Catalogum Sanctorum retulerit S. Ignatium cum S. Isidoro, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, & Theresia, id quippe Anno præcedente fecerat Gregorius XV. *quando omnibus juxta Sanctorum Patrum traditiones, sacrorúmque Canonum instituta, & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ritè, & rectè peractis dicto die quarto Id Martii, idem Gregorius ad Principis Apostolorum Basilicam, cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & ipsius Gregorii familiaribus, necnon Clero sæculari, & regulari, ac maximâ populi frequentiâ convenit, & iteratas, primò, secundò, ac tertiò pro Canonizationis decreto petitiones, per Cardinalem Ludovisium, nomine illorum, qui pro ea institerant, post sacros hymnos, Litanias, aliásque preces, & post imploratam Spiritûs Sancti gratiam definivit, dictum Ignatium Lojolam Sanctum, & Sanctorum Catalogo adscribendum esse &c.* sicuti verbis huc translatis testatur Urbanus. Sed idcirco nuncupati Bullam Canonizationis, quod *super illis*, id est, *definitione, ascriptione*, ipsius Gregorii literæ, *ejus superveniente obitu, confectæ non fuissent*, quemadmodum pronuntiat idem Urbanus, ac proinde confecit ipse illas, quarum tot plagulas repræsentavi.

f Et tantum abest, ut me pœniteat, tam multa in hoc toto Casu *vigesimo* dixisse de distinctione inter Beatificationem, & Canonizationem, intérque cultum debitum, permissúmve Beatis, & Sanctis, ut adhuc plura sim exhibiturus, ea de causa, quòd non sit facilè nominare sæculum, quo sint tam multi adscripti Syllabo Beatorum, atque Sanctorum, quot illis septuaginta & quinque Annis, quos, dum revideo mendosissimum typum Venetum, Deus mihi benignissimè largitus est hoc sæculo decimo septimo.

Et *in primis* describam authenticum testimonium eorum, quæ gesta fuêre immediatè ante solennem die 12. Aprilis hujus Anni M. DC. LXXI. Canonizationem tunc Beati, nunc Sancti Franciſci Borgiæ. g

Secundò repræsentabo Decretum, quod S. D. N. Clemens X. edidit de cultu in posterum adhibendo Sancto Francisco Xaverio. Et idcirco istud, quòd idem Sanctissimus Pater verbo, & exemplo hortetur omnes, ut nunc glorificent illum, quem nunc Deus ipse glorificat tot evidentissimis miraculis. Ad hæc transferam huc complura de Beatis colendis, Officio, & Missâ &c. quæ R. P. Bruno Neusser Ordin. Min. Recoll. collegit in suo insigni Tractatu de Horis Canonicis edito Anno 1669. viso à me primùm, postquam jam scripseram pleraque omnia hìc memoranda.

Igitur Authenticum instrumentum, de quo suprà, ita se habet. h

Valentina Canonizationis Beati Franciſci Borgiæ tertii Præpositi Generalis Societatis Jesu.

CVm aliàs Congregatio Sac. Rituum habita coram sanct. mem. Clemente IX. die 10. Septembris 1668. ex plerisque eventibus articulatis, contentisque in Processibus Apostolicâ authoritate confectis, nedum super iis, quæ supervenerant post indultam eidem Beato venerationem, sed etiam quæ illam præcesserant, exiisque discussis triginta miraculis duo selegerit, & tanquam concludentissimè probata approbaverit, nempe vigesimum nonum sanationis Magdalenæ, famulæ Josephi Poli, putridâ, & lethali febri cum parotide correptæ, & à Medicis conclamatæ, nec non trigesimum sanationis Apolloniæ Caballe, nunc sororis Deodatæ à Sanctissima Trinitate in Monasterio Montis Tabor Eretidegentis, ab herpete exedente in sinistro latere cum totali cutis vitio, ac deperditione substantiæ in patiente septennio devoratæ, tum visu horribili, tum naturæ viribus prorsus insanabili. Ac insuper censuit, expleta esse omnia, quæ exigebant Decreta Sanct. mem. Urbani VIII. solúmque remanere, ut Sanctissimus dignaretur audire sensum ejusdem Sac. Congregationis pro edendo Canonizationis decreto. Ideo excellentissimus Dominus Marchio de Astorga Regis Catholici Orator, nomine suæ Majestatis enixè supplicavit Sanctiss. D. N. Clementi X. pro expeditione ultimi, & finalis Decreti Solennis Canonizationis ejusdem Beati. Verùm Sanctitas sua inhærendo præfato Decreto hujusmodi instantiam remisit ad eandem Congregationem Sac. Rituum, & sensum illius sibi referri mandavit. Quapropter proposito dubio per Eminentiss. D. Cardinalem Chisium dictæ causæ Relatorem: An, stantibus suprà narratis, Sanctissimus tutò posset devenire ad solennem dicti Beati Canonizationem, Et re maturè discussâ, audito prius

R. P. D. Promotore fidei tam in voce, quam in scriptis, communi omnium voto, censuit, Sanctitatem suam, quandocunque sibi libuerit, tutò posse ad solennem Beati Francisci Borgiæ Canonizationem, juxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritum, & Sacrorum Canonum dispositionem, devenire eúmque definire Sanctum cum Deo regnantem, atque Vniversali Ecclesiæ proponere colendum, & venerandum.

Et facta per me Secretarium eâdem die de suprascriptis omnibus, & singulis, relatione Sanctissimo, Sanctitas sua, nedum sensum Congregationis confirmavit, & approbavit, verùm etiam mandavit, hujusmodi ultimum, & finale Decretum Solennis Canonizationis prædicti Beati expediri.

Die 21. Junii 1670.

M. Episc. Portuensis Card. Ginettus.

Loco (†) Sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Secretarius.

HActenus testimonium gestorum ante actualem apotheosin hujus Sancti, ex quo liquet, quàm cautè, & propè scrupulosè procedant Pontifices, priusquam proponant Orbi Christiano aliquem hominem religiosâ veneratione ubique prosequendum. At fortè quæret laudabiliter curiosus lector. 1. Quid significet illa vox: *Valentina*? 2 quid *Parotis*, & *Herpes*? 3. quid *Promotor fidei*? ideo autem propono, resolvámque hæc dubia, quòd sciam, non unum, sed plures laborâsse ignorantiâ horum.

k Igitur per *Valentinam Canonizationis* intelligitur nihil aliud, quàm Diœcesis Valentina, in qua natus fuit S. Franciscus Borgia Canonizandus; quod observabunt utiliter tyrones in Decisionibus præsertim Rotæ; quarum titulus est: *In una Cremonensis*; *In una Hispalensis*: *In una Cracovien sis &c.* his enim & similibus nominibus exprimitur nomen illius Diœcesis, ad quam spectant ii, quorum causa discussa fuit in Rota. Congregatione Tridentini, &c.

Parotis, casu genitivo Parotidis, designat Græcè Medic s apostema secus aures. Etenim Celsus *lib. 6. c p. 10.* testatur, parotides solere oriri sub ipsis auribus.

Herpes verò est ulcus ab intemperie partis proficiscens cum affluxu flavæ bilis, inde à verbo ἕρπειν est dictus, quòd serpat, atque interdum carnem usque ad ossa devoret. Ut ex Medicis testatur Calepinus in voce Herpes.

l Promotorem fidei nominat præsens Bulla illum, qui aliàs vocatur Procurator Fidei, ita dictus, quòd singulariter quando agitur de aliquo referendo in album Cœlitum debeat proponere omnia, quæ existimat, posse, aliquo saltem modo prudenter opponi adversùs virtutes, miracula, alia, quæ proponuntur de illo Canonizando, ut videlicet nihil decernatur, quod puritati Fidei Orthodoxæ repugnet. Hícque Promotor, aut Procurator (quem alii appellant Contradictorem) debet necessariò audiri in negotio Canonizationis.

Hæc de, & circa argumentum, seu materiam, quam *primo*, & *secundo* loco proponendam duxi. Nunc quod spectat Breve Pontificium elevans S Franc. Xaverium ad altiorem Classem, scilicet Duplicium (raro satis exemplo. Etenim vix est in Breviario toto reperire inter 32. Confessores non Pontifices, nec Doctores Ecclesiæ, ultra octo, de quibus persolvantur sub duplici Horæ Canonicæ) est illud his verbis contextum. m

CLEMENS PAPA X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

n *IN eminenti Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, Divinâ disponente Clementiâ, constituti, muneris nostri esse arbitramur, ut Sanctorum in Cœlis regnantium, illorum præcipuè, quibus annuntiantibus, Evangelicæ prædicationis sonus usque ad extremos Orbis terrarum fines penetravit, cultum & venerationem in terris, quantum Nobis ex alto conceditur, augere satagamus. Itaque pro peculiari nostra erga sanctum Franciscum Xaverium Societatis JESU, qui Apostolicis Charismatis affluenter decoratus, novarum Gentium Apostolus, unanimi totius Christiani Orbis consensu meruit appellari, devotione, ejus venerationem condignis honorum incrementis, ampliare cupientes, authoritate Apostolicâ tenore præsentium jubemus, ut ejus officium de mandato fel. rec. Alexandri Papæ VII. prædecessoris nostri in Kalendario Romano sub ritu semiduplici appositum, in posterum sub ritu duplici* de præcepto *in eodem apponatur, ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur tum secularibus, tum Regularibus utriusque sexûs ubique* de præcepto *recitandum.*

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & Sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, velostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 24 Junii M. DC. LXX. Pontificatûs Nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

o "Expeditis breviter iis duabus materiis, de quibus suprà *Lit. G.* ut satisfaciam, & *tertiæ*, do breviculam synopsin eorum, quæ ibidem no-

nominatus P. Bruno congessit de Beatorum cultu Ecclesiastico *in citati Tractatus de Horis Canonicis Disp. 7.* consistunt ea in sequentibus §§. I. Alexander VII. Anno 1660. declaravit, si alicui Regno, Provinciæ, aut Religioni concedatur Officium de aliquo Beato, illud non posse recitari in alio Regno, &c. Unde nec possunt Religiosi colere suos Beatos in alio loco, quàm permittat bulla. Nec ad Missam, vel Vesperas cantandas in suis Ecclesiis invitare, vel subrogare alios, quando iis solis conceditur facultas cantandi Missam, aut Vesperas. Ita Pasqualigus contra Bordonum II. Quando ob occursum cum festo digniore nequit die assignato celebrari de Beato, transferendum est Officium, &c. Non ad diem aliquem pro libitu, sed conformiter Rubricis. Ita rursum Pasqualigus. Et quando non constat, concessionem Pontificiam restringi ad locum, possunt Religiosi celebrare ubique de suis Beatis. III. Quamvis detur facultas celebrandi Missam de aliquo Beato, non idcirco permittitur recitatio Breviarii, & vice versâ, cùm sint duæ diversæ facultates. Ita P. Neusser citans pro se. Leandrum, & Turrianum. Quare non habet hîc locum illatio, quam P. Quintanadvenn. *Sing. Tr. 8. Sing. 7. n. 5.* facit dicens: *Capellanus Monialium licitè facit Missam de Sanctis, qui coluntur in tali Ecclesia, ergo & licitè recitat Breviarium de iisdem, eò quòd connexorum idem sit judicium.* Certè Gavantus *in Rubr. Brev. Sect. 3. Cap. 12. n. 15.* permittit quidem Capellano, ut Titularem, Capellæ suæ intra Monialium Ecclesiam, colat Missâ, at non Officio Canonico. IV. Si certo die detur facultas recitandi de aliquo Beato, non potest hæc anticipari, nisi consuetudine aliud introductum sit. V. Non licèt etiam privatim recitare Officium Canonicum, in honorem alicujus Beatificati, nec eum apponere in Litaniis, etiam quando quis hasce recitat ex devotione, esto sit permissa Missa de eo, atque Officium, quia etiam Litaniæ de omnibus Sanctis sunt ab Ecclesia institutæ, ut per eas colantur Sancti, ideóque licèt permittatur cultus privatus Beatorum, non tamen permittitur illè, qui fit per preces ab Ecclesia institutas pro solis Sanctis. Quod autem in Belgio inferatur B. Coleta Litaniis, est inductum longâ consuetudine.

q Ita Neusser *n. 10.* observans ex Trullenck, esse in hac materia loquendum modestè, & præmittens ex Castillo, illum solum cultum dici *publicum*, qui fit nomine Ecclesiæ. At ignoro, an hæc descriptio probetur omnibus. Illud autem probo cum ipso *Cit. Disp. 7. num. 11.* quòd nec liceat de iisdem Beatis recitare collectam approbatam ab Ecclesia, neque in Horis Canonicis, tam iis, ad quas quis tenetur, quàm quas recitat aliquis ex devotione, de talibus facere commemorationem, sicut nec inserere Litaniis, etiam ex sola devotione recitatis. Gavant. *loc. cit. Sect. 9. c. 4. n. 10.* post Sanch.

Ratio est, quia quidquid hîc non exprimitur in cultu, qui permittitur Beatis, hoc prohibetur. Nam solùm illi cultus, quin on exprimuntur in Bullis, censentur concessi, qui habent connexionem cum illo, qui conceditur. Illi autem, qui non habent connexionem, prohibentur, ut docet Joannes à S. Thoma. Ita P. Neusser; contra quem, si subsumas: Atqui Missa & Officium Canonicum habent magnam inter se connexionem, ergo concessâ Missâ, conceditur quoque Officium, & vice versâ, nescio, quid respondurus sit hic doctus, & sagax Doctor. Dico cum Diana alibi: *Tu considera*, idem P. Bruno *Cit. Disp. 7. q. 2.* postquam *q. 1.* protulit in medium ea, quæ generatim de Beatis retuli ex ipso, recitat cultus, qui sunt particulariter concessi aliquibus BB. ut B. Aloysio Gonzagæ S. I. B. Avellino Theatino, B. Claræ de Monte Falco, B. Coletæ, B. Felici Capuccino, B. Jacobo de Narhia Minoritæ, B. Joanni Capistrano Minoritæ, BB. Martyribus Japonensibus &c. de quibus videri potest. Ac voluissem, ut hic Doctor movisset, resolvissétque hoc dubium, an, quoniam in pluribus Bullis Beatificatorum sit omnibus Clericis, Regularibus, & Sæcularibus potestas faciendi de certo aliquo Beato Missam in Ecclesia Regulari, dicendique Officium de illo B. an, inquam, sicuti certum est. Missam esse dicendam in Ecclesia designata, dicendum etiam sit in eadem Officium Canonicum, an sufficiat recitare domi? r

Hoc dubium ortum mihi fuit propridie f primæ, in Germania, solemnitatis exhibitæ honoribus Beati Stanillai Kostkæ, relegenti Bullam de eo, in qua extat hæc clausula: *In Singulis Ecclesiis Societatis Missa etiam à Sacerdotibus eo die ad Ecclesias confluentibus, &c. celebrari, & Officium recitari valeat.* Ratio ex una parte dubitandi erat, quòd clausula posterior videretur ex sensu Jureconsultorum intelligenda eo modo, quo prior, quæ quidem clarè exprimit, Missam esse faciendam, etiam ab externis in Ecclesiis Societatis, ex altera autem parte, quòd Bullæ singulariter concedentes puram gratiam, sint tum latissimè, tum ita intelligendæ, ut non frustrentur suo effectu, frustrabuntur autem quoad clausulam de Officio, si sit necessariò recitandum in nostris Ecclesiis. Tum quia Religiosi non debent aut deserere suum chorum, sicuti nec Canonici, ut pensum suum persolvant in templis nostris, aut adigi, ut duo Officia recitent uno die. Si autem loquamur de aliis choro non adstrictis Sacerdotibus, quotus quisque accedet nostras Ecclesias bis de die, ut scilicet ante meridiem exequatur Matutinum: Primam, Tertiam &c. post meridiem cætera, & quidem temporibus aliis, quàm determinârit Ecclesia?

Nihilominus certum mihi est *primò*, non g posse talium Beatorum Officia Canonica decantari in ulla Ecclesia, nisi Societatis, &c. Ra-

tio est, quia decantatio in Choro est actus tam solemnis, & publicus, ut non debeat præsumi ejus licentia, nisi exprimatur, nam hic omissum habetur pro omisso, ut declarant allata superiùs, consentiúntque DD. Certum est mihi *secundò*; neq; etiam privatim licere eas preces totas persolvere extra nostras ecclesias. Ratio est, tum quam attuli *primo* loco suprà, tum quam jam expressi de habendo pro omisso, quod in talibus non est expressum, tum quia verba obscura unius Bullæ sunt explicanda per clara aliarum de eadem materia. S. Augustinus *l. 3. de doctrin. Christ. c. 26.* atqui Urbanus VIII. (cujus, utpote antecessoris, vestigia sequi præsumitur in dubio Clemens X.) in Bulla, qua Anno 1625. extendit cultum Beati Francisci Borgiæ concessum à se Anno priore scil. 1624, disertè sic loquitur: *Itaut Sacerdotes hujusmodi* (sæculares, & alii Regulares (*in dictis* (Societatis) *Ecclesiis, seu domibus Missam, & Officium hujusmodi celebrare*; *& recitare valeant.* Denique accedat communissima praxis, optima interpres harum etiam gratiarum.

u *At quid si Matutinum cum parvis horis recitavit quis in nostra ecclesia, an tenebitur ad Vesperas?* Ego, salvo meliori judicio censeo, posse domi recitare Vesperas de tali Beato. Nam utique non vult Ecclesia talem obligare ad Vesperas e. g. feriales, cùm totum reliquum officium fuerit de Duplici Secundæ Classis, nec possit absque mortali, juxta multos, facere talem copulationem diversissimorum officiorum, quis autem dicat, quòd Ecclesia illum obliget sub mortali rursum accedere nostram ecclesiam, ut evadat periculum peccati mortalis imminentis ex conjunctione partium tam dissimilium? cùm igitur acquisiverit manè jus ad Vesperas de B. Stanislao, videtur posse illo uti etiam extra ecclesiam.

Quòd si quæras; quid hîc intelligatur nomine *Ecclesiæ Societatis*, remitto te ad dicta, relatáque *in Quinario Tr. 3. n. 135. & 136.* itémque *n. 198.* atque insuper repræsento Bullam de externo cultu Beati Stanislai aliquoties hîc insinuatam.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam Rei Memoriam.

a *IN Apostolicæ dignitatis fastigio, ad quod ineffabilis divinæ Clementiæ abundantia humilitatem nostram, nullo meritorum nostrorum suffragio, evehere dignata est, pastoralem solicitudinem Ecclesiæ Catholicæ nobis creditæ omni studio, quantum nobis ex alto conceditur, repræsentare jugiter satagentes, pia fidelium, præsertim sublimium Principum præclaris in Ecclesiam DEI meritis fulgentium, & Religiosorum virorum propria, alienáque saluti laudabiliter incumbentium, vota ad augendam in terris Beatorum, in cœlis regnantium, venerationem tendentia, benter exaudimus, sicut ad Omnipotentis Dei, & Patris Domini nostri Jesu Christi, qui electos suos devotione supra ætatem, & virtute supra naturam instruit, gloriam, Sanctéque Ecclesiæ decus, & spirituale fidelium ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur. Itaque gloriosa Beati Stanislai Kostka Poloni Societatis Jesu merita, devotâ consideratione, magnóque cum spirituali animi nostri gaudio recolentes, ac piis enixisque Charissimi in Christo Filii nostri Michaëlis Poloniæ Regis Illustris, & dilectorum filiorum Præpositi Generalis, & Presbyterorum dictæ Societatis precibus Nobis humiliter porrectis favorabilem assensum præbere cupientes, ipsorúmque Præpositi Generalis, & Presbyterorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris ritibus præpositorum consilio, ut de dicto Beato Stanislao Kostka, quot annis die XIII. Novembris in universo Regno Poloniæ, & magno Ducatu Lithuaniæ, nec non in ecclesia Sancti Andreæ in monte Quirinali hujus Almæ Urbis nostræ, ubi ejusdem Beati Stanislai corpus requiescit, ac omnibus, & singulis Ecclesiis dictæ Societatis IESU, Missa, etiam à Sacerdotibus eo die ad Ecclesias hujusmodi confluentibus, & à Religiosis ejusdem Societatis ubicunque terrarum existentibus celebrari, & officium recitari de Communi Confessorum non Pontificum, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus, Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæteríque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, vel Præpositi, aut Vicarii Generalis ejusdem Societatis pro tempore existentis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVI. Augusti. M. DC. LXX. Pontificatûs nostri Anno Primo.*

I. G. Sluſius.

Junge huic Bullæ Pontificiæ, tum quòd 10. Decemb. Anni 1678. mihi inter alia fuerit ex urbe rescriptum: Festum B. Stanislai respectu Societatis nostræ Sacerdotum non esse ad lubitum, sed sub præcepto: tum exemplum horrendæ punitionis, qua fuit divinitus castigatus Concionator Polonicus, postquam publicè

blicè per sarcasmum hunc Beatum appellitaverat pro suggestu, cum auditorum non levi scandalo, *Fabrum Miraculorum.* Quod exemplum describo *in Alphabet. Quadrup. Part. 3. num. 766.* dum repræsento alia horribilia exempla de blasphemis cælitus sumpta, & forè propagandâ in illum veste religiosâ tectum Blateronem, qui hoc ipso Anno 1675. non erubuit loco hinc dissito coram compluribus effutire hæc verba: *Cur tanti facitis Jesuitas, cùm hi non habeant nisi unum cum dimidio Sanctum &c.*

APPENDIX II.

Ad hunc Casum XX.

aa CIrca doctrinam ex P. Quintanad. relatam *num. 679.* quatenus absolutè tradit, quòd quælibet Ecclesia possit cum Missa & Officio celebrare diem dedicationis suæ, fuerunt tribus mensibus, priusquam hanc Mantissam seu Appendicem attexerem isti operi, orta duo dubia, unum domesticum, alterum extraneum.

Domesticum dubium est hoc.

bb HAbemus *in hoc nostro Constantiensi ad Acronium Collegio domesticum Sacellum, quod primum omnium, quantum scimus, fuit consecratum Deo sub invocatione Sanctorum Ignatii, & Francisci Xaverii, scilicet Anno 1622. die 26. Julii. Voco illud* Sacellum, *quia & nos ita semper vocamus, & qui id consecravit, ita appellat in suo authentico testimonio, & denique non nisi . pedes longum, 20. latum est, ideo autem ita angustum, quòd sit accommodatum usui nostrorum decumbentium ex morbo, jacentiúmque in conclavi contiguo, ex quo patet per fenestram prospectus in ipsummet altare. Hoc quoque esse* consecratum, *quia dedicatum Deo, cum unctionibus, Crucibus ad latera, impositione reliquiarum, aliis cæremoniis præscriptis in Pontificali, quibus solent vulgo dictæ Ecclesiæ & altaria consecrari. Fuit igitur mota à me ipso hæc quæstio non simplex, sed quadruplex.* Prima, *quo jure fuerit hactenus in Anniversario consecrationis solita dici Missa de Dedicatione Ecclesiæ in Sacello?* Altera, *an oportuerit?* Tertia, *an fuerit de ea Dedicatione recitandum officium?* Quarta, *à quibus?*

cc Ad *primam* quæstionem respondeo, fuisse à nostris majoribus usq; ad hæc tempora legitimo jure celebratum diem dedicationis sub titulo *Ecclesiæ.* Ratio est, quia licèt vulgo appelletur Sacellum, seu domestica Capella, est tamen ille locus insignitus duabus prærogativis, quæ obveniunt solis Ecclesiis. Est enim, ut dixi, consecratus, cum iis cæremoniis omnibus, quibus solent veræ solæque Ecclesiæ. Habet deinde altare fixum ornatum Reliquiis. Altare autem fixum non erigitur nisi in Ecclesia. *Cap. Nullus. 2. De Consecrat. dist. 1.* Hac utrâque prærogativâ gaudet etiam Friburgi Helvetiorum illud Collegii conclave, in quo vixit pluribus Annis, piissimèque devixit sanctissimæ memoriæ P. Petrus Canisius. Etenim fuit Anno 1634. aut 1635. præsente me conversum in sacellum pro infirmis decumbentibus in valetudinario, solennitérque consecratum. Sicut & altare.

dd Non conveniunt quidem, seu confluunt Christi fideles ad hæc sacella, ut in iis percipiant Sacramenta, sicut solent in Ecclesiis vulgo dictis secundùm ea, quæ ex Jordano, ac Laymanno retuli in *Append. priore lit e.* cùm & in iis non nisi rarò, peculiarémque ob causam sacrificetur, & nulla alia officia divina illic peragantur, locúsque, utpote pars integrans corporis, destinati ordinariæ nostrorum habitationi, clausus sit sæcularibus, omnimodéque mulieribus. Nihilominus sunt ex vi suæ consecrationis idonea, in quibus ministrari queant omnia Sacramenta, quæ non nisi in Ecclesiis juxta Canones debent *per se loquendo* administrari. Cùm igitur Rubricæ Missalis indistinctè permittant annuam celebrationem Dedicationis Ecclesiæ, præscribántque Missam pro ea, dubitandum non est, quin *licitè* hæc celebratio hoc ipso ritu obeatur in illo Sacello nostro domestico. Accedit authoritas P. Brunonis Neusser *Tract. de Horis Canon.* visa à me hisce jam scriptis. Is enim *in Cit. Tract de Horis Canon. Disp. 6 q 5. num. 18.* Post Pasqualigum *q. 265.* non solùm permittit, sed vult fieri officium Canonicum (& quidni Missam?) de Sancto, qui Titularis est Sacelli per se stantis, & quod non est pars alicujus Ecclesiæ, adfértque hanc rationem, quòd talia sacella veniant nomine Ecclesiarum, saltem in materia favorabili, qualis est ista, ubi agitur de cultu Sanctorum, inquit ille. Si fas est annuo cultu honorare talem titulum, quid ni & locum, in quo honoratur?

ee *At estne necessariò ille dies Anniversarius, seu, ut loquitur S. Leo serm de Machab* Natalis dies *recolendus, ita ut peccet adversùs Rubricas Superior Collegii, si non recolat ipse, aut constituat, qui recolat?*

Propono hanc quæstionem idcirco, quòd minimè dubitem, quin extent in pluribus Collegiis, Monasteriisque ejusmodi Sacella constituta intra omninò intimam clausuram, ac proinde inaccessa infirmiori sexui, nec habeam compertum doctorem, qui *formaliter* aut proponat, aut dissolvat hoc dubium. Quia verò

rò est mihi vero simillimum, non observari ubique eundem morem, ob diversa judicia eorũ, qui præsederunt ejusmodi Monasteriis, aut Collegiis, idcirco metuens ne fortè quis mihi objiciat id, quod olim nonnemo Moysi. *Quis constituit te judicem super nos?* proferam duntaxat in medium ea, quæ videbuntur mihi facere pro utraque parte, sapientiores me dirimentiis lectis, ponderatisque, litem.

Esse necessariò recolendam, probatur tum apertâ authoritate Pasqualigi, & Neusseri, quos paulò antè retuli, quorúmque notitiam, ut suprà dixi, nactus sum primùm, postquam ferè omnia, quæ in hac Appendice exhibeo, conscripseram. Tum eâ ratione, quam ex ipsis produxi. Tum illis, quibus suprà probavi, licitam esse celebrationem annuam talium locorum sacrorum. Si enim est licita, ergo & præcepta, siquidem Rubricæ loquentes de celebranda annua memoria Dedicationis, aut Tituli, *sunt* æquè præceptivæ Atque eæ, quæ disserunt de festis horum, aut illorum Sanctorum non Titularium.

ff

Accedit, quòd ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, nullum autem jus facit distinctionem inter *præceptivas*, & *permissivas* Rubricas agentes de celebratione Dedicationis, aut Tituli. Denique probo illam doctrinam inde, quòd in Rubricis Breviarii *Tit. 9. vers. Præterea* de quibusdam Dominicis privilegiatis statuatur, ut Festum Duplex in illis occurrens transferatur, nisi illud Festum *fuerit Principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesiæ, non autem alicujus Capellæ, vel Altaris ejusdẽ Ecclesiæ*. Ex quibus verbis deducunt Bordonus, & Neusser *cit. q. 5. n. 19.* celebrandũ esse officium de Sancto, cui dedicata est Capella, quæ est pars alicujus Ecclesiæ. Longè potiùs inferam: Ergo si sit Titularis Sacelli per se stantis, erit is non solùm absolutè colendus officio, sed colendus, quando occurrit in Dominica illa privilegiata, in qua colitur Titularis Ecclesiæ, tum quia exceptio firmat Regulam in contrarium: tum quia argumentum à contrario est non contemnendum: tum quia Capellæ, de quibus hîc agimus, non incongruè nuncupantur Ecclesiæ.

gg

E diverso non videtur illa celebratio esse *in præcepto*. Si enim est *in præcepto*, tunc oportebit eas Dedicationes, festáque Titularium celebrare cum Octava. Re enim verâ Rubricæ statuentes de cultu Patroni, aut Ecclesiæ ipsius, statuunt etiam de octava. Atqui videtur hoc esse contrarium communi consuetudini. Visuntur utique in multis domibus Religiosis exstructa talia sacella in honorem illorum ipsorum SS. qui ab iis coluntur in Ecclesia, cui sunt iidem inscripti, aut de cujus gremio sunt, ritu duplici primæ Classis, ut quando ii Sancti, vel sunt Fundatores, vel Patroni totius Religionis. Quis autem vidit, S Dominicum e. g. aut S. Thomam, vel S. Benedictum, & S. Bernardum coli ab uno, eodémque Monasterio duplici Octava? quis idem facit cum Sanctis Ignatio, & Francisco Xaverio? qui iidem sunt uterque Patroni sacelli domestici?

hh

Et si est instituenda ejusmodi celebritas: an obibunt eam omnes domestici? at repugnat usus communis, repugnat & ratio. Quandoquidem Congregatio Rituum referente Gavanto *in Rubric. Breviar. Sect. 1. Cap. 5. Tit. 2. num. 4.* sic sancit: *Qui sunt de gremio Ecclesiæ, debent recitare officium, quod in choro* (illius Ecclesiæ) *dicitur*, satis invenis, non teneri recitare nisi officiũ Ecclesiæ, de cujus sunt gremio. Religiosi verò sunt solùm de gremio suæ Ecclesiæ vulgò dictæ. Non autem de gremio Capellarum.

Confirmatur inde, quòd Rubricæ Breviarii *tit. 1. num. 1.* proponentes obligationem celebrandi officio Dedicationem Ecclesiæ, exprimant Ecclesiam cum addito: *propriæ*. Usus autẽ ostendit, eam solam Ecclesiam dici *propriam* illius, qui est de ejus gremio, ut loquar cum Congregatione, illáque dicitur *propria* Ecclesia Monasterii A. in qua Regulares illius Monasterii A. consueverunt quotidie, seu ordinariè fungi iis officiis, quæ non solent obiri, nisi in Ecclesia propriè, & vulgò dicta.

Confirmatur denuo, quia licèt *Cap. Solennitates 16. & 17. De Consecrat. dist. 1.* absolutè pronuntient SS. Felix, & Gregorius, solennitates Dedicationum Ecclesiarum esse per singulos Annos celebrandas, non videntur tamen loqui de Ecclesiis privatis, atque in usum privatum extructis, sed de Ecclesiis publicis, publicúmque in usum deputatis: etenim uterque Pontifex exprimit, Dedicationem esse *solenniter* peragendam, quæ clausula non videtur convenire loco, seu Sacello privato, tametsi verè consecrato. Siquidem τὸ *solenniter* respectu Cleri sæcularis significat festivitatem, aut populi, aut Cleri cum pompa exteriori, puta processione, apparatu, concursu, & hujusmodi. Congregatio Rit. apud Gavant. *in Rubr. Breviar. Sect. 2. Cap. 8. num. 29.* quæ pompa cùm non soleat à Clero sæculari adhiberi (nisi prorsus libere) in Dedicationibus privatarum Capellarum, apparet, quòd illos duos Canones non intelligat de talibus Ecclesiolis, tempellísve. Cur ergo Regulares intelligant de suis? Quòd si non obligantur ad celebrandam annuam Dedicationem, ergo nec ad cultum annuum Patrorum, quandoquidem, & Rubricæ solent conjungere festa Dedicationis, ac Patroni, seu Titularis, & celebratio Dedicationis superat dignitate celebrationem Tituli, unde debet hic cedere illi. Gavantus *cit. cap. 8. num. 6.*

ii

Confirmantur dicta *tertiò* usu nostræ Ecclesiæ Cathedralis, extra quam, adeóque in cujus ambitu exteriore prostant multæ Capellæ, verè consecratæ, procurandæque à Capellanis. In nulla tamen celebratur illius aut Dedicatio,

kk

catio, aut Titulus per modum Tituli: Sicut & neutrum fit in Capella S Michaëlis adsita Ecclesiæ Petrodormensis Monasterii Ord S Benedicti, in hac vrbe Constantiensi, etsi consecrata sit peculiari consecratione, quemadmodum comperi, dum hæc commentabar. Denique videri potest esse eadem ratio capellæ extra Ecclesiam, atque in ipsa ecclesia sitæ? atqui licèt Neusser *cit. Tract. de Hor. Canon. disp. 6. q. 5. n. 19.* post Bordonum teneat, debere recitari officium de Sancto, cui dedicata est Capella, quæ est pars alicujus Ecclesiæ, atque in ipsa ecclesia sitæ? atqui licèt Neusser *cit. Tract. de Hor. Canon. disp. 6. q. 5. n. 19.* post Bordonum teneat, debere recitari officium de Sancto, cui dedicata est Capella, quæ est pars alicujus Ecclesiæ, imò & cui dedicatum est altare, attamen id negant apud ipsum Gavantus *in Rubr. Miss. p. 1. tit. 9. §. Accedit*, & Pasqual. *q. 265* repugnátque praxis nostræ Cathedralis.

Quòd si non tenentur omnes de Monasterio, aut Collegio Sacerdotes celebrare octavam talium Capellarum, quis obligabitur? An Prælatus? At redibunt pro ejus libertate ab hoc præcepto argumenta, quæ produxi in favorem, si tamen favor in Conventualium. An is, cui imperabit Prælatus? At non videtur potiri jure mandandi subdito circa officium divinum aliquid contra, vel supra Rubricas, & Regulam.

ll

Hæc in utramque partem allata, & si abstrahatur à consuetudine nostræ Germaniæ, me rapientia in *primam* sententiam, excutiunt à peccato Prælatum, qui celebrabit ipsemet dedicationem, atque titulum talis Capellæ, etiam cum Octava, etenim habebit saltem duos Doctores, scilicet Pasqualigum, & Neusser suprà relatos, imò à fortiori plerosque Religiosos Italos, quandoquidem testatur Bordonus apud Neusser *cit. num. 29.* in tota Italia solere celebrari annuatim festa Sanctorum, quorum honori dicata est Capella, quæ sit pars Ecclesiæ, ac nominatim id fieri Mediolani, in Ecclesia sui Ordinis, quando occurrunt festa SS. Isidori, Firmi, & Francisci de Paula, eò quòd sacella ibi iis dedicata sint; profectò major est ratio capellæ separatæ à templo, quàm constitutis partem templi. Unde apparet, quid à fortiori fieri possit, aut debeat in nostro augusto Monacensis Collegij Sacello S. Crucis, consecratione, cujus latus unum constituit, quo ad totam longitudinem, pars muri fulcientis fornicem incumbentem ipsimet propriè Ecclesiæ S. Michaëlis, adsitæ Collegio, sicut partem inferiorem ejusdem sacelli claudit murus nominatæ Ecclesiæ, caput ac latus ad epistolam claudente duplici proprio muro, aditum autem omnibus utriusque sexûs nominibus præbente etiam januâ, quæ plateam spectat. Et verò est moris, ut Festum Inventionis, atque Exaltationis S. Crucis, cui altare, & Capella dedicata sunt, celebretur illic solemniter, ac sine octava, dedicationis verò cum octava; Missam, officiúmque peragente ex PP. Rectorum mandato uno è Patribus. Et verò obligationem dicendi tunc officium esse non personalem, sed realem, adeóque demandabilem patet ex Marchantio apud Neusser *Disp. 11. q. 2. num. 2. De Horis Can.*

mm

Ut autem redeamus ad Capellas existentes intra ipsam Ecclesiam, fungentésque officio partium integrantium, non est improbabilis opinio P. Neusser, & Bordoni paulò antè relata, quamvis dissentiant quo ad officium Canonicum Pasqualigus apud ipsum, & Gavantus *in Rubr. Missal. p. 1. tit 9. num. 16* consentientes tamen quoad Missam, ita ut Gavantus tum *cit. num. 16.* tum *cit. 8. sub. fin. vers. Votiva solemniter* permittat Missam de tali Sancto sub ritu duplici, non tamen officium, ideóque *cit. vers. In Missa* scribit, eam Missam esse mixtam ex Propriis, & Votivis; ex Votivo, quia discordat a officio, ex Proprio, quia eo die ori Sanctus, de quo fit Missa, & ideo dicitur in eo Hymnus Angelicus ad ejus Altare, primáque Oratio est de illo Sancto, altera, de qua dictum est Officium, tertia illa, quæ cæteroquin esse secunda, si non foret festum illius Sancti. Ita Gavantus.

nn

P. Bruno Neusser distinctiùs loquens ait, festum tale esse celebrandum ritu duplici majore per Annum, sicuti fit in Italia passim testis Bordono apud ipsum, etsi Gavantus *in Rubr. Breviar. sect. 3 cap. 12. n. 15.* velit uti eo ritu, qui ei præscribitur in Breviario, sicut & integre colunt Reverendissimi Domini Canonici Constantienses, habentes suas Capellas intra Ecclesiam, ni il proinde *practicè* scientes de prædicta opinione Gavanti *in Rubricas Missalis*, aut Neusseri. At verò festum Sacelli per se stantis deposcere ritum Duplicis primæ Classis, scribit Bruno, consequenter tribuit eidem Octavam, cùm & tantopere æquiparet Titulari Ecclesiæ vulgò dictæ, & omnia festa primæ Classis illustrentur Octava, quam tamen Octavam, an aut necessariò, aut saltem licitè celebret totum Monasterium, non explicat, ego committo ulteriori discussioni mei Lectoris, qui nominatim considerabit, an, quia Sancti Ignatius, & Franciscus Xaverius sunt uterque simul (nec enim hoc repugnat Rubricis, ut videre est apud Gavantum *cit. cap. 12. num. 5.* & Neusser *cit. Disp. 6. quæst. 4. num. 17.*) Patroni, seu Titulares (confundo hos terminos, non ignarus distinctionis allatæ à Gavanto) nostræ Capellæ domesticæ, ut vocamus, &, ut suprà dixi, constitutæ prorsus extra ecclesiam, debeant, aut saltem possint singulæ bis in Anno honorari Missa à nobis, & Officio duplici primæ Classis, quod certè hactenùs factum non fuit, & fortè nec cogitatum.

oo

Considerabit idem Lector, rectène resolverim nuper, tametsi S. Catharina in omnibus nostris Gymnasiis, & Academiis colatur ut Patrona studiorum, studiosorúmque, non idcirco tamen posse ejus festum celebrari eo ritu, quo debent Patroni, seu iœcesani, seu Ordinum Religiosorum honorari. Ratio est, quia

pp

quod lex non dicit, nec nos dicere debemus; Rubricæ autem Breviarii *rit. 1.* nihil habent de Patrono ſcholarum, ſed ſolius Eccleſiæ, l iœceſis, civitatis, ſeu loci. Deinde S. Catharina non eſt electa in Patronam eo ritu, quem præſcribit Congregatio Rituum, deſcripta à Gavanto *in Rub. Brev. ſect. 3. cap. 12 num. 2* & quam obſervari mandavit Urbanus VIII. in Decreto præfixo ejusBullæ de reformationeBreviarii, nec enim eſt electa per ſuffragia ſcholarium, cùm tamen velit Urbanus, ut electio Patroni alicujus communitatis colendi, ut ſolent tales, fiat per ſuffragia, & quidem ſecreta populi. Denique non habet propriam Eccleſiam.

Quare non cenſeo, illam Sanctam poſſe ubique, ſeu in omnibus Gymnaſiis Miſſâ, & officio honorari alio ritu, quàm duplicis per Annum, tametſi non utique damno morem noſtræ Provinciæ, ex quo ſolemus in ejus feſto in ipſa pro Diſcipulis decantata, dicere Symbolum, quia videlicet celebramus tunc ſolemniſſimè illud Sacrum.

qq At *quid pronuntiandum de parvis templis vulgo capellis, verè conſecratis, quæ Regulares, imò & Seculares perſæpe habent in jus prædiis, patentia cuivis hominum ſorti, inſtructaque campanis, & campana?* Tali capellâ gaudent, ut alia taceam, noſtrum Collegium Conſtantienſe prope Ermendingam, tali Friburgenſe Helvetiorum in Marſens, Auguſtanum in oppido Fridberga, in aliis locis alia.

rr Ego cenſeo, ſi talia tempella, ſeu Capellæ habeant deſignatos à Regulari Prælato Capellanos, qui teneantur ex fundatione, quot annis illic aliquoties facere Sacrum, hos teneri celebrare feſtum Dedicationis, & Patroni. Ratio eſt, quia tales Capellæ rectè poſſunt vocari eorum propriæ Eccleſiæ; igitur colent earum Dedicationem eo ritu, quo poteſt, & ſolet propria cujuſque Eccleſia. Unde fit, ut, quoniam noſter Reverendiſſimus Dominus Suffraganeus Georgius Sigiſmundus Miller habet in ſuo intra urbem palatio capellam talem, qualem nunc deſcripſi, feſtum Patroni, ſcilicet S. Lucii Regis celebretur ſolemniter ab ejus Capellano annuatim, tertio Decembris, tranſlato ſi in aliam diem feſto S. Franciſci Xaverii. *Si autem* illi capellæ unitæ Monaſterio non deſerviatur per Capellanum, ſed per Religioſos ipſo, ſicuti permittitur in *cap. 1. De Capellis Monachorum, & ibi a Doctoribus*, caſu, quo eæ capellæ non habeant adjunctam curam animarum, tunc dubium eſt, quid ſtatuendum videatur, etenim ex una parte per unionem unius Eccleſiæ ad aliam, non alteratur ſtatus Eccleſiæ unitæ, ſed debet in ea Eccleſia more ſolito deſerviri juxta Garciam *De Beneficiis Part. 12. cap. 2. num. 35.* ex altera autem parte Gavantus *in Rubric. Breviar. ſect. 3. cap. 12. num. 17.* contentus eſt officio Semiduplici, ſi titulus talis capellæ depoſcat ſolùm officium ſimplex, aut ſemiduplex, declarátque exemplo Eccleſiæ S. Blaſii (quod in Breviario eſt ſimplex) unitæ Romæ Collegio Canonicorum S. Petri. Unde Neuſſerus *De Horis Canon. Diſp. 6. quæſt. 11. n. 40.* abſolutè ſic ſcribit: *Si prior Eccleſia alteri uniatur, non poteſt celebrari officium de Dedicatione, aut Titulari. Sed* reſponderi poteſt, hanc doctrinam Neuſſeri eſſe intelligendam de Eccleſia ita unita alteri, ut cenſeatur eſſe ex duabus facta una, juxta explicationem, quam affert Garcias *loc. cit. num. 7.* non autem quando una alteri acceſſoriè ſubjicitur, tunc enim habet locum doctrina Garciæ, ut patet ex iis, quæ ibidem tradit *n. 7. 13 & 35.* Sicut & teſte eodem *n. 37.* tunc etiam vera eſt, quando unio fit æquè principaliter. Quia igitur Capellæ, de quibus loquimur, ſunt acceſſoriè unitæ noſtris Collegiis, conſequenter dicetur eſſe de iis loquendum, perinde ac ſi forent prorſus independentes ab omni Eccleſia. Et verò exiſtimo, eſſe ſpectato jure Rubricarum, omnino ita pronuntiandum, ac proinde eſſe de jure communi tam Titulos, quàm Dedicationes talium Capellarum celebrandos, & celebrandas cum ſuis Octavis, & conſequenter feſtum S. Michaëlis, cujus honori eſt ab Annis fortè plus trecentis ſtructa Eccleſia, aut magna capella in Miſeracenſi prædio noſtri Collegii Bruntrutani, eſſe honorandum octava. *Sed* à quo? An à parocho Charmoillenſi, cùm exiſtat intra fines ejus parochiæ? An à P. Rectore Bruntrutano, qui & illius Eccleſiæ Rector dici poteſt? Non utique, uu à parocho nullum in eam jus habente, niſi gaudeat Titulo Vicarii, aut Capellani cum aliquo cenſu annuo. Ergo vel à Rectore, vel alio, qui Bruntruto illuc mittitur ad Sacra peragenda. Et verò quòd P. Rector poſſit hoc recitandi onus devolvere in alium, deduces ex Marchantii doctrina relata ſuprà *lit. m. Denique*, ut claxx dam hanc materiam, nemo dubitat, quin poſſit parochus officium, Miſſámque dicere de Dedicatione, & Titulo ſuæ, ſuarúmve Eccleſiarum filialium, ſaltem ſi eas per ſe, & non per Capellanos inde ſtipendium habentes procuret; atqui illæ Capellæ, de quibus hîc loquimur, ſunt perſimiles Eccleſiis filialibus, de ſimilibus autem eſt ſimile ſ rendum judicium *Cap. 2. De tranſ. Epiſc.* Quòd ſi cui committantur integre cum jure ad fructus procurandæ duæ, aut trés parochiæ, ut factum non ſemel apud nos temporibus pel'icis, utique ſolet talis parochus peculiariter ſingularum Dedicationes, & Patronos unà cum octavis celebrare. *At quid ſi forte duæ ex his habeant communem Patronum, & Dedicationes utriuſque ex antiquo cadant in unum eundemque diem?* Reſpondeo, interrogandum eſſe Dominum Ordinarium, quid tunc agendum.

APPENDIX III.

Ad hunc Caſum XX.

a 3. DIxi *in præcedente Appendice*, fuiſſe mihi propoſitum duplex dubium circa celebrationem Dedicationis, unum *domeſticum*, alterum *extraneum*: expedivi, ut faciendum rebar, *domeſticum*, nunc venio ad

Extraneum, idque Quadruplex.

b 3. P*Rimò enim quærebat literis quidam eximiæ virtutis, ac doctrinæ parochus, an quoniam jus parochiale antiquiſſimæ Eccleſiæ parochialis extra oppidum conſtitutæ, tranſlatum fuit, legitimâ authoritate, ob commoditatem populi, in novam Eccleſiam, intra ipſum oppidum ſitam, ita ut in hac celebrentur nunc ordinaria Sacra, Conciones, Veſperæ, Catechiſmus, Confeſſio, Communio, Baptiſmus, conſalium copulatio, &c. ſatisfaciant ſuo officio tam parochus ipſe, quàm Capellani adſcripti illi novæ Eccleſiæ, ſi hujus dedicationem annuam, cultúmque Sancti Titularis celebrent, an verò neceſſe ſit, venerari etiam vetuſtæ Eccleſiæ conſecrationem, Patrocinúmque annuo officio, cùm præſertim, & in hodiernum diem tumulentur corpora civium in eadem antiqua Eccleſia. Et ſæpe per Annum illic Miſſæ Sacrificium offeratur. Et denique Clerus cum plebe annuatim viſat ritu ſupplicantium ſemel, itérumve illam Eccleſiam.*

Reſp. I. Poteſt loci illius parochus illi Eccleſiæ, ut Titulari adhibere cultum per ſe debitum veris Eccleſiis, & Sanctis Titularibus. Ratio eſt I. Quia poteſt eum adhibere Capellis per ſe ſtantibus, ut vidimus *in præcedente Appendice lit. D.* quidni & tali propriè dictæ Eccleſiæ? II. Quia Eccleſiæ etiam penitus deſtructæ Canonici utentes aliâ Eccleſiâ pro ſuis Officiis Divinis, licitè colunt officio Canonico Patronum illius deſtructæ Eccleſiæ. Neuſſer *Tract. de Hor. Canon. Diſp. 6. Quæſt. 11. numer. 42.* ergo & Dedicationem ejuſdem; ob tantam connexionem, quæ intercedit inter Dedicationem, & Titulum. Negat quidem, & rectè Neuſſer, celebrationem annuam dedicatæ talis Eccleſiæ eſſe permiſſam, non tamen repugnat noſtræ reſponſioni, cauſa enim, cur non permittat, eſt, quia ſupponit (quod ego hîc non ſuppono) illam Eccleſiam eſſe planè deſtructam; ergo (ut rectè argumentatur ad ſuum propoſitum) non eſt ampliùs Eccleſia. Atqui celebratio Dedicationis Eccleſiæ, ſupponit *eſſentialiter* exiſtentiam eccleſiæ, tum quia qualitas nequit eſſe ſine ſubjecto, tum quia in Oratione Dedicationis, fit non ſemel mentio Eccleſiæ, & templi tanquam verè exiſtentis.

d 3. Reſp. II. Conſideratis omnibus, quæ poſt meum ad ſuas primas literas, non exprimentes omnia, quæ ſuprà expreſſi, reſponſum, ſuperaddidit ille Dominus parochus, cenſeo debere ab eodem parocho, vel alio, quem ipſe nominârit, coli ſolitis Octavis Dedicationem, & Titulum dictæ Eccleſiæ. I. Quia certò ita ſentiunt de capellis per ſe exiſtentibus Paſqualigus, & Neuſſerus relati *in Append. præced. lit. D.* II. Quia omnis *propriè, rigidè*, ac ſimul *vulgariter, legalitérque* dictæ Eccleſiæ Dedicatio, Titulúſque celebrari debet annuo cultu, atque octavâ, ſaltem à Rectore illius. Ut liquet ex Rubricis communibus, atque Canonibus deſcriptis *in Append. præced. lit. tt. & uu.* III. Mutationem non debet præſumi, ſed probari. Maſcard. *De probat. Concl. 182.* atqui ex una parte mutaretur cultus illius Eccleſiæ, ſi deſineret annua dedicatio, ex altera autem parte non aperet, à quo ſit facta mutatio.

e 3. Reſp. III. Capellanos novæ Eccleſiæ quod attinet, cùm ii, utpote beneficiati obligentur recitare Breviarium (& conſequenter Miſſam) juxta ritum Eccleſiæ, in qua habent Beneficium, ſicuti cùm Suarez, & aliis communiter trado *Tract. V. hujus operis Caſ XXIII. Sect. 2. n. 602.* eorum obligationis, & non obligationis titulus deſumi debet ex eo, *an, quoniam parochus novæ Eccleſiæ, in qua, non autem in antiqua ſunt beneficiati, celebrat Dedicationem antiquæ ejuſque Titulum, cenſeantur hoc ipſo celebrari in novâ Eccleſia Dedicatio, & Titulus antiquæ?* Negandi ratio eſt, quia non habent beneficium in antiqua, & parochus vel tenetur, vel certè poteſt per totam octavam facere Sacrum in antiqua. Ratio aſſerendi eſt, quia antiqua eſt indiviſibiliter annexa novæ, & ritus, quem parochus, ut parochus tenetur obſervare, dicitur eſſe ritus Eccleſiæ Parochialis. Ego, qui profiteor, eſſe me alienum ab aſſerenda obligatione, ſub peccato mortali, ut eſt in præſenti caſu, niſi gravis, urgéntſque ratio perſuadeat, illa autem, quam produxi, non videtur urgere, niſi in caſu, quo fortè conſuêſſet in illâ nova Eccleſia publicè cantari, ſeu pſalli. Officium, Sacrúmque de antiquo templo, idcirco nolo pronuntiare; capellanos premi illâ obligatione.

f 3. Quærebatur II. *Quid agendum; quando feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli occurrit in Dominica Dedicationis, hæcne, an illud tranſferendum? Et ſi tranſferendum, in quem diem tranſlatio facienda?*

Reſp. ad *primum* feſtum Apoſtolorum haud dubiè cedere debere diei Dedicationis. Etſi enim utrumque ſit primæ Claſſis, Dedicatio tamen eſt dignior; ut liquet ex Rubricis Breviarii *poſt Tabellas de occurrentia, & concurrentia officiorum*, utrobique enim exprimitur, poſſe, imò debere, infra octavam Epiphaniæ dici officium; aut commemorationem de Dedicatione, tunc

occurrente, aut concurrente, non tamen id permittitur de Sanctis, nisi Titularibus.

g 3. *At quid si illi Sancti Apostoli, aut S Joannes Baptista essent Titulares, vel Patroni? deberéntne nihilominus cedere Dedicationi?* Respondeo, licèt Rubricæ locis citatis videantur festum Patroni, seu Titularis præferre diei Dedicationis, quandoquidem illud nominant ante hoc, ordo autem literæ servandus sit *L Quoties ff De usufr.* Gavantus tamen *in Rubr. Breviar. Sect. 3 c. 8. n. 9.* docet cum communi S. Thomæ, Dedicationem esse præferendam Patrocinio. Ad illud axioma, quòd ordo literæ sit spectandus, respondetur, saltem tunc non esse spectandum, quando aliud constat de mente loquentis. Maranta *de Ordine judicior. p. 3. n. 109.* usus autem communis demonstrat, Pontifices non voluisse in iis Rubricis stari ordine literæ.

h 3. Ad illud dubium, quo quæritur: *In quem diem transferendum sit festum Apostolorum?* Respondeo visum fuisse viro cuidam docto, ingenioso̅que, non fore absonum, si tunc transferatur in diem proximè sequentem, consecratúmque Commemorationi S. Pauli, quæ commemoratio erit consequenter movenda in tertiam Julii. Rationem hanc adferebat, quòd Ecclesia videatur omnino velle ut Commemoratio S. Pauli postponatur solemni festivitati utriusque Apostoli, seu potiùs S. Petri, hoc enim nomen *Commemoratio* videtur facere hunc sensum, ut sicuti in die præcedenti facta est sæpissimè mentio solius Petri, rarò Pauli, ita vice versâ Paulus solus postea laudetur, solus propè nominetur.

i 3. Ego tamen, salvo alterius cujuscunque judicio, arbitror, esse Paulo relinquendam suam Sedem. Etenim clarâ Regula standum est, donec constet de contrario, déque fallentia. Menoch. *de arbitr. jud. Lib. 3. Casu 99. n. 119.* atqui ex una parte clara est Regula, Rubricáque Breviarii de festo non transferendo in diem impeditum officio novem lectionum. Ex altera parte non constat, hanc Rubricam fallere in hoc peculiari casu. Et verum quidem est, quòd *communiter*, & *per se loquendo*, vox *commemoratio* faciat illum sensum, qui est de S. Paulo insinuatus, non tamen officit, etsi celebretur ante festum S. Petri, sicut non officit, etiamsi in die, in quem transfertur juxta Rubricas, festum alicujus Confessoris, dicatur in Hymno, ad utráque Vesperas: *hac die* lætus meruit beatas scandere sedes.

k 3. Quærebatur III. *Quando celebranda sit Dedicatio Ecclesiæ eo Anno, quo Dominica prima post Epiphaniam ei designata incidit in Octavam Epiphaniæ privilegiatam?* Hanc quæstionem proposuit in conferentia domestica Casuum Conscientiæ Theologus ille, quem paulò antè laudavi, atque ingeniosè resolvit, Dedicationem nostræ Ecclesiæ Oenipontanæ perquam augustæ, esse tali casu, & Anno celebrandam in Dominica post Octavam Epiphaniæ. Etenim constat ex Rubricis Breviarii ad tabellas, *de occurrentia, concurrentiáque festorum*, nec Tituli, Patronive, nec Dedicationis solennitatibus dari locum in Octava Epiphaniæ. Igitur Episcopus, qui consecravit, dum assignavit Dominicam primam post Epiphaniam, non intendit utique Dominicam primam, quæ occurreret cum octava, si enim hoc intendisset, actum egisset. Atqui nemo præsumitur intendere actum invalidum, cùm actus sit semper ita interpretandus, ut non sit inanis. Barbosa *Axiomat. 12. n. 6.* ergo intendit illam Dominicam proximam post Epiphaniam, qua fas, júsque est, obire anniversarium diem Dedicationis. Est autem fas, id facere in Dominica proxima sequente Octavam Epiphaniæ.

l 3. Neque objicias 1. illam Dominicam occurrere tali Anno cum festo duplici Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, nos autem generatim negâsse paulò superiùs *lit. I.* licitam esse festi alicujus translationem in diem impeditum officio novem Lectionum. Etenim inficior, Intercedere hîc translationem *propriè*, & *Canonicè* dictam, quandoquidem translatio talis est festi è loco proprio in alium promotio, in nostro autem casu nihil promovetur è proprio loco, siquidem paulò antè ostendi, Dominicam illam, cum qua occurrit Octava Epiphaniæ, nunquam fuisse assignatam pro anniversario Dedicationis Oenipontanæ, ergo ea Dominica nunquam fuit locus Dedicationis, fuit ergo Dominica illa, cum qua occurrit festum SS. Fabiani, & Sebastiani, quod tametsi sit duplex, permittunt Rubricæ illud transferri, ut det locum annuæ Dedicationi, sicut clarum est ex Rubricis de Translatione.

m 3. Non objicias 2. inter diem decimum tertium Januarii, seu Octavam Epiphaniæ, & vigesimum ejusdem intercedere dies, quorum alii sint ornati solis semiduplicibus, unus solùm simplici festo. Igitur esse potiùs in horum uno, quàm in Duplici recolendam festivè memoriam factæ olim consecrationis.

n 3. Nam respondetur, esse hac in re standum designatione factâ à Consecratore, cujus voluntas est tam efficax, ut Congregatio Rituum negârit, posse seu à successore Consecratoris, seu ab ipsomet Consecratore mutari illum diem, quem constituit in actu Consecrationis, sicuti refero ipse ex Quintanad. in illo ipso Casu, ad quem conscribo hanc mantissam, seu Appendicem. Atqui Reverendissimus, & Illustrissimus Dominus Antonius Crosinus Princeps, Episcopúsque Brixinensis, Præsul non minùs Rituum Ecclesiasticorum peritiâ, quàm pietate clarus, constituit, ac nominavit non quemcumque diem, sed diem Dominicam, secutus videlicet morem nostrorum Theutonum, qui consueverunt dies Solis eligere pro suis annuis Dedicationibus.

o 3. Quærebatur IV *Quando celebranda sit Dedicatio Ecclesiæ eo Anno, quo Dominica præcedens festum S. Margaritæ, ejus celebrationi designatæ, incidit in festum S. Angeli Custodis habentis octavam.*

Meum de hac quæstione judicium expetiit ille ipse Curio, de quo memini supra *lit. H.* tametsi facilè ipse perspexerit, quid agendum sibi fuerit illo ipso Anno extraordinarium quid habente. Erat enim Annus M.DC.LXX. quo festum SS. Angelorum Custodum ex antiquo more Diœcesano debuit celebrari primâ Dominicâ post Octavam Sanctorum Apostolorum, quæ Octava, cùm tunc incideret in diem Dominicum, debuit necessariò transferri in diem decimum tertium Julii, siquidem dicta Octava occurrebat in die Dominica, & proinde in ea, quæ immediatè præcedebat festum S. Margaritæ, quia scilicet hoc festum alligatum diei vigesimo Julii, occurrebat tunc etiam in Dominica. Perspiciebat autem, illam Dedicationem celebrandam fuisse die decimo tertio Julii, tametsi assignato pro festivitate Sanctorum Angelorum, quandoquidem jam dixi superiùs, omnes festos, feriatósque dies cedere debere Anniversariæ Dedicationi, nisi quibus cautum, provisúmque est de immobili stabilitate, non est autem quidquam provisum in favorem festivitatis Angelicæ. Tametsi enim est ea pro Germanis nunc promota ad gradum secundæ Classis propter rationem, quam adfero, firmóque *in Tract. 5. hujus operis Cas. III. num. 83.* nihil tamen eam juvat hæc promotio, siquidem Rubrica exceptiva non nominat festa secundæ Classis, ergo firmat Regulam de stabilitate Dedicationis. Vide, quæ in *cit. Tract. 5. n. 665.* in Appendice refero de aucta per Papam Clementem IX. pro Germanis, aliisque Romanorum Imperatori subjectis populis solemnitate Sanctorum Angelorum Tutelarium.

p 3. Quia verò tam multa dixi *in hac*, & *præcedente Appendice* de celebranda Dedicatione Ecclesiæ, pro mantissa hujus utriusque Appendicis, addo cum, & ex P. Brunone Neusser *cit. Tract de Horis Canon. Disp. 6. q. 10. & 11.* breviter sequentia. Quando jus Canonicum, & Rubricæ exprimunt Officium Dedicationis Ecclesiæ, intelligi possunt etiam de Dedicatione imperfecta, quæ scilicet peracta est per solam benedictionem sine Consecratione, eò quòd Rubricæ, & Canones loquantur *absolutè* de Dedicatione. Juxta Quintanadvennam relatum *suprà num. 670.* & Brunonem, Unde infert Bruno post P. Quintanadven. relatum suprà *n. 679.* non solùm posse, sed etiam sub mortali debere celebrari Dedicationem Ecclesiæ etiam non consecratæ, modò sit benedicta. Verùm Carolus Guyetus noster *in Heortologiæ lib. 1. c. 3. q. 4.* (ut mihi aliunde scribitur) negat obligationem hanc, imò licentiam. Cui authori cùm suffragetur praxis Romana, sicuti testatur literis ad me datis diuturnus, eruditissimúsque Almæ Urbis incola, præfero sententiam *negativam.* 2. Si Dedicatio occurrat in Dominicis primæ, vel secundæ Classis Quadragesimæ, potest etiam extra actum Consecrationis transferri in Dominicam secundam post Pascha. 3. Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis debet in civitate sub ritu primæ Classis, & quidem cum Octava celebrari ab omnibus, adeóque etiam à Religiosis, qui infra Octavam faciant commemorationem de ea. Ita Bruno *n. 37. & 38.* post Ascanium Tamburinum. Verùm praxis nostræ Societatis in Germania approbat doctrinam Gavanti *in Rubr. Brev. Sect. 8. c. 5. n. 5.* illam Regularium obligationem ad Octavam negantis hoc ipso, quòd scribat, Regulares ex sola congruentia teneri ad festum dedicationis Cathedralis celebrandum.

APPENDIX IV.

Ad hunc eundem Casum XX.

a REsolvi quidem *n. 686.* hujus XX. Casûs, atque præcedentibus, nonnulla specialia de cultu Reliquiis adhibendo per celebrationem Missæ, & consequenter Officii divini, at plura nunc addam occasione literarum ad me Varsaviâ Urbe Regiâ Serenissimorum Regum Poloniæ exaratarum die 5. Novembris 1670.

Quæ ita loquuntur.

EXtremis literis dubium adjicio, seu potiùs quæstionem curiosam, sed mihi fortè utilem futuram, an universaliter loquendo de Reliquiis, quæ non computantur inter insignes à Sacra Rituum Congregatione, quia sunt parvæ, liceat Sacrum, & Officium dicere sub ritu semiduplici, & proinde si quis habeat dentem, articulum manûs, fragmen articulo saltem parvo respondens, possit talis ritu semiduplici Sanctum colere, quamvis illæ Reliquiæ non sint alicui Ecclesiæ attributæ, sunt tamen certæ, & ab Episcopo approbatæ. Præterea an, etiamsi non essent approbatæ ab Episcopo, modò essent certæ, eodem beneficio uti liceat. Nam in Rubro de his Reliquiis nulla mentio.

b Respond. 1. Tametsi Quintanadvennas relatus in hoc ipso *Cas. XX. num. 683.* scribat, se ignorare, utrùm possit propriâ authoritate celebrari de Sancto, cujus habetur Reliquia quidem, sed non insignis, addátque, si facultas detur, tunc celebrandum esse sub semiduplici, attamen certum est ex praxi, hunc cultum Semiduplicis reipsa adhiberi plurimis locis, & nominatim in nostra Ecclesia Monacensi, cujus singulariter usum petebat nosse ille Pater Lithuanus, utpote qui aliquamdiu illic erat commoratus, in qua quidem complures ejusmodi Reliquiæ non insignes certò honorantur illo cul-

cultu, ſicuti mihi interroganti reſcriptum eſt inde, quemadmodum & nos hîc Conſtantiæ
c facimus propter Lipſana S. Lucii Regis. Non diſſimulo tamen, eſſe mihi diſtinctiùs interroganti, poſt id, quod jam primùm memoravi de cultu SS. Monacenſium, reſcriptum his verbis: *Sanctorum Reliquiæ, de quibus Officium Semiduplex dicimus, non habent hoc privilegium ex earundem Anno 1664. inſtituta (à noſtris Superioribus) viſitatione, ſed ex longitudine temporis, & primo uſu ab initio templi jam à 70. Annis. Arbitrati ſunt Patres* (Viſitatores) *hunc ritum non fuiſſe ſine authoritate introductũ, cùm eo tempore frequentes fuerint Legati, & Nuncii Apoſtolici, à quibus Sereniſſimus* (Dux Guilielmus V) *Fundator facilè hoc impetraverit. Ideoque nihil voluerunt immutare. Habent autem eæ Reliquiæ minimum 8. 9. 10. 11. 12. 13. uncias* (per uncias intelligo latitudinem digiti) longitudinis. Ita ad verbum (exceptis parentheſibus) ſcripſit interrogatus Pater Joannes Paulinus, toties decantatâ, impreſſâque Philotheâ notiſſimus, & noſtræ Eccleſiæ Monacenſis id temporis Præfectus accuratus in paucis.

d Nihilominus tamen videri poteſt, conſuetudinem colendi Reliquias non inſignes Officio ſemiduplici eſſe jam ita generalem, ut poſſit Epiſcopus facere poteſtatem illam. Et in primis quidem tunc, quando Reliquia eſt tam magna, ut verè dubium ſit, utrùm ſit habenda pro inſigni, nec ne. Cùm enim in tali caſu non liceat facere Officium Duplex, ſiquidem Congregatio illud non permittit, niſi quando Reliquia eſt inſignis, nulla autem ratio perſuadeat, eſſe in dubio præſumendam illam inſignitatem, ſaltem licebit Semiduplex. Deinde in eo caſu, quo ab immemorabili tempore eſt aliqua etiam parva reliquia honorata tali Officio. Hunc caſum à fortiori admittit Neuſſer *dè Hor. Canon. Diſp. 6. num. 60.* ubi ſic loquitur: *Poteſt recitari Officium Canonicum etiam de Reliquiis non inſignibus quibuſcunque, ſive ſint de Sancto Canonizato, ſive de Beatificato, dummodo per immemorabilem curſum temporis de iis officium celebratum ſit, quia Decreta Pontificum non revocant tales conſuetudines.* 3. De Dente S. Apolloniæ, cùm ipſa ſit paſſa ſingulariſſimè in iis, jam ſcripſi *n. 684.* poſſe pergi in adhibendo cultu ſemiduplicis. Addidi etiam, digito S. Viti miraculis claro deferri alicubi honorem Officii duplicis approbante Ordinario.

e Cæterùm autumo, non poſſe Semiduplex concedi præciſè ob dentem, auricularem digitum cujuſvis Sancti, tum quia ſi concederetur ob reliquias tam parvas, non eſſet finis Semiduplicium, tum quia ſicuti Officium Semiduplex non eſt multò ignobilius Duplici, ita etiam videtur Reliquia, ob quam permittitur Semiduplex, debere eſſe non multò minor illâ, pro qua Congregatio permittit duplex. Unde quia nulla eſt articuli, aut fragminis æquantis articulum proportio ad brachium, crus, aut caput, quæ honorantur Officio duplici, non judico, eis poſſe concedi Officium Semiduplex, niſi aut illuſtrentur miraculis, aut Sancti ſint in iis ſingulariter paſſi. Conſentit expreſſè quoad primam partem Neuſſer, *De Hor. Canon. Diſp. 6. num. 61.* diſertè negans, poſſe celebrari de pede, maxilla, auricula, digito, ore, pelle, carne, veſtibus Sanctorum, eo titulo, quòd ſint inſignes Reliquiæ, citátque pro ſe Bordonum. Præmiſerat autem idem Neuſſer *Diſput. 4. num. 40.* poſſe conſuetudinem Annorum decem efficere, ut liceat Officiũ recitare de illo, de quo nihil habent Rubricæ, aut Breviarium Romanum. 4. Congregatio Rituum loquens de Reliquiarum cultu per Officiũ Canonicum, exprimit quidem eccleſiam, ſicut & exprimit Quintana dvennas toties nominatus in hoc Caſu *vigeſimo*, item Gavantus, atque Neuſſer citatus, non tamen expreſſè dicunt, eas debere ſpectare ad Eccleſiam.

f Quare ſicuti Sacerdos habens in ſua Capella Domeſtica inſignem Reliquiam legitimè approbatam poſſet dicere Officium Duplex, ita & Semiduplex, ſi habeat non inſignem, dignam tamen tali veneratione. Nihilominus tamen, quia Officium Canonicum eſt Officium publicum, & commune, nec videtur Eccleſia permittere uni privato aliquod Officium, quod non permittatur pluribus, idcirco putarem, non eſſe quidem in ordine ad jus Officii dicendi neceſſarium, ut Reliquia ſpectet ad aliquam parochialem, Abbatialem, Clericalem Eccleſiam, re enim verâ id non requirit verbum *aſſervari*, quo utitur Congregatio. Attamen ſi aſſervetur in ſacello domeſtico, debere eſſe ſacellum, & alicujus Clerici, non autem Laici, & tale, ut mereatur nomen Eccleſiæ juxta explicationem allatam *in Appendice Caſ. F. lit. E.* quandoquidem Decretum Congregationis continet veram, & poſitivam permiſſionem, non eſt igitur extendendum ultra proprietatem verbi. Cenſetur autem aſſervari in ea Eccleſia, ſi & exiſtat in ea, ejúſve Sacriſtia, & exiſtat ſeu ut quoddam depoſitum, quoddam commodatum, ad tempus notabile, ſeu ut pignus. Unde compertum habeo, præſtantiſſimas quaſdam Reliquias coli in quodam Cœnobio ritu duplici, tametſi ſpectent ad Principem ſæcularem, ac per modum meri depoſiti aſſerventur in Eccleſia dictorum Cœnobitarum. Nec dubito, quin cœnobiorum, ad quæ, tanquam ad aſyla, deportata fuerunt tempore belli Suecici pretioſiſſima quæque Lipſana, incolæ potuerint hoſce cæleſtes hoſpites venerari eâ religione, quâ honorabantur in ſolo, ut ita loquar, proprio, an verò etiam interim in proprio, non definio.

g S. Congregatio exigit approbationem Ordinariorum, ſine qua non videtur licitus, extra

extra longum uſum, cultus publicus; quæ tamen approbatio, & fieri poteſt à Prælatis potientibus juriſdictione quaſi Epiſcopali in ſæculares; nam hi quoque intelliguntur nomine Ordinariorum, & ſufficienter adeſſe cenſetur, quando aliqua Reliquia fuit longiſſimo tempore publico cultu affecta; imò quando longo, adeóque decem Annorum, juxta Neuſſer ſuprà relatum, & contra me cenſentem, *licitè* coli officio tranſlationem inſignis Reliquiæ ad locum, in quo jam aliàs celebratur feſtum Sancti, ad quem ſpectat illa Reliquia, quod & ego ipſe judico probabile, nec unquam habui pro improbabili, etſi oppoſitum præferam etiam ob praxin Romanam, quæ nullo peculiari die honorat Lipſana SS. Petri, & Pauli, ut jam retuli ex literis Romanis ſuprà *n. 669.*

h Hæc ad quæſtiones à P. Varſavienſi propoſitas, etſi ſufficere videntur, attamen quia de Reliquiis moventur crebræ, novaéque quæſtiones, dabo compendium eorum, quæ ad praxin apprime facientia collegit, & etiam excogitavit idem P. Bruno Neuſſer *cit. diſp. 6. quæſt. 13. & ſeqq.* minimè mihi ſuccenſurus, ſi non omnia omnino approbem, quæ referam. I. Decretum de Officio Canonico recitando ob Reliquias, non continet præceptum, ſed ſolam permiſſionem, quia Congregatio ſolùm dicit *poſſe*, non autem *debere* recitari. II. Debet autem illud officium fieri in illa ſola Eccleſia, in qua eſt Reliquia *cit. num. 47.* non utique intelligendus, quaſi velit eſſe neceſſariò recitandum intra ipſam eccleſiam, hoc enim evidèter repugnat praxi Sacerdotum ſæculariũ, Regulariúmque, ſed ſolùm indicat, licere iis recitare, qui ſunt inſcripti Eccleſiæ prædictæ. III. Modò Reliquia ſit approbata ab Ordinario, eáque ſit inſignis, poterit abſque ulteriori licentia dici Miſſa, & officium de ea. IV. Si in eadem Eccleſia ſint plures inſignes Reliquiæ plurium Martyrum, poteſt de ſingulis celebrari, quamvis eadem die, ac eadem de causâ Martyrium paſſi ſint, & de iis in Breviario præſcribatur officium commune. Ita ille citans Quintanadvennam, & Paſqualigum. Verùm noſtri Monacenſes non dividunt SS. Coſmum & Damianum, quorum tamen præſtantia pignora habent. V. Hinc potientes inſignibus Reliquiis unius è Sociabus ſanctæ Vrſulæ, aut unius ex Innocentibus, colent peculiariter proximâ die non impeditâ, & quidem officio primæ Claſſis, diem illius Innocentis, cùm Reliquia debeat aliquid operari, conſequenter evehere ad primam Claſſem illum, qui non attentâ ejus Reliquiâ colitur ritu ſecundæ Claſſis. Ita Bruno, citans Quintanadvennam, & Paſqualigum, qui Paſqualigus mavult ad majus per annum, quam ad ſecundam Claſſem promoveri ratione Reliquiarum inſignium eos, qui in Breviario obtinent ſolùm Officium Duplex. VI. Quia ſanctus Albanus eſt Titularis ſuæ Eccleſiæ, in eáque poſſidetur ejus caput, poſſunt illius Eccleſiæ Canonici probabiliter diem ſancti Albani colere tanquam Titularis, & Feſtum de ejus Reliquia tranſferre. Ita Bruno *n. 53.* quam doctrinam ſi probent Domini Canonici Zurzachenſes, de quibus ſum ſingulariter locutus in hoc Caſu *vigeſimo n. 662.* poterunt peculiari feſto colere Sanctam ſuam Titularem, & tutelarem duobus diverſis diebus, cùm, ut ibi refero, poſſideant ejus brachia, & denique etiam caput acquiſiverint; utique tamen nequeunt inſtituere peculiarem feſtivitatem ob brachia, & rurſum peculiarem ob caput, Quòd ſi haberent caput S. Anaſtaſiæ, de qua fit commemoratio in ſecunda Miſſa Natalis Domini, poſſent teſte Brunone, méque aſſentiente facere officium duplex primâ die, qua fas eſt celebrare feſtum tranſlatum. VII. Poteſt celebrari officium de Reliquiis inſignibus approbatis, etſi ſint ita mixtæ non approbatis, & incertis, ut nequeant diſcerni. Ita Bruno *n. 59.* poſt Trullenck, Bonacinam, alios, & conſequenter de illa, quam aliqui dicunt eſſe e. g. caput hujus Sancti, aliis aſſerentibus, caput ejuſdem eſſe alibi, modò Epiſcopus approbârit; qui quidem non eſt neceſſariò Ordinarius illius ipſius loci, in quo habetur Reliquia, ſed poteſt eſſe Ordinarius alterius loci, cùm approbatio ſit actus juriſdictionis voluntariæ, non autem contentioſæ. Bruno *n. 65.* qui præmiſerat *n. 62.* poſt Paſqualigum contra Quintanadvennam, ſi plures partes (diverſorum membrorum) non inſignes glutine aliquo uniantur, non efficere membrum, & conſequenter non poſſe coli officio, poſſe autem, ſi membrum ſit diſtractum in particulas, quæ poſtea reuniantur, addens eſſe eandem rationem, ſi membro agglutinetur aliqua Reliquia, de qua dubitatur, an ſit pars illius membri.

i Ad hæc idem Bruno *cit. n. 61.* diſſentit à me, rato poſt Quintanadvennam, poſſe parvam Reliquiam B. Virginis coli Officio duplici, aut ſemiduplici, cùm defectum quantitatis ſuppleat exceſſus qualitatis. Suam opinionem probat inde, quòd Congregatio nihil dicat de iſta ſuppletione. Verùm cùm iſte cultus faciat ad honorem Dei, nullíque præjudicium adferat, poterit pro non improbabili, donec aliunde major lux affulgeat, haberi id, quod retuli ex Quintanadvenna *n. 653.* attamen nollem eſſe author inchoandi talem cultum, ſicuti fui patrocinatus proſecutioni jam facti, eò quòd ægre deturbem aliquem ſuâ quietâ poſſeſſione, ſintque poſſeſſionis, vel quaſi magna privilegia. Denique idem Bruno *Diſp. 5. q. 12. num. 32.* obſervat ex Gavanto *in Manuali Epiſcoporum*, illam dici diem Tranſlationis Reliquiarum, in qua ultimò reponuntur cum licentia majorum, & proinde eſſe quotannis illas venerandas officio, illâ die, non aliâ.

QUALI SACRO SACRIFICANDUM.

CASUS XXI.

Marianus.

SVMMARIVM.

Casu Sacerdotis reprehensi à S. Thoma Cantuariensi, quòd quotidie faceret de B. Virgine. 697.
Quid sit sacrum Votivum, & De tempore? *699.*
An Rubricæ de qualitate Sacri sint præceptivæ? *701.*
Potest graviter peccari illas non observando. 705.
Refertur Cotonii sententia de hoc singularis. 705.
Quibus diebus sint votivæ permissæ, aut non permissæ? 706. & seqq. distinctè.
Singulariter die Palmarum, an licitè fiat à debili Missa votiva de passione? 711.
An singularis pietas sufficiat ad votivam? 712.
Quibus diebus debeant Neomystæ facere Sacra injuncta ab Ordinatione? 713.
Votum de certo Sacro faciendo certo die quomodo intelligendum? 715.
Excusatur ille Sacerdos, quem reprehendit S. Thomas Cantuarienſis. 718.
An valeat statutum, ut quotidie fiat Sacrum de B. Virgine? 720.
Et ut unus, idémque Sacerdos quotidie celebret? 721.
An in votiva de Beata Virgine sit semper dicendum Gloria? *722.*
An acquiescendum petentibus, ut extra Octavam Assumptionis fiat de Assumptione? 723.
Alia de aliis Missis extra statutos dies legendis, aut non legendis. 724.
Ioannes Avila petiit pro se morituriente fieri Missam de Resurrectione.
Cuius Missalis ritus sit sequendus? 725.
Singulariter in aliena Ecclesia. 726.
Et singularissimè in Carthusianorum. 727.
An Monialium? 728.
Singulare dubium de collecta in Missa progratiarum actione. 729.
Quid intelligatur per Missas S. Gregorii? 731.

XIstus Sacerdos idiota nullam sciens Missam, nisi de B. V. Maria, cùm de illa quotidie celebraret, accusatus fuit apud S. Thomam Episcopum Cantuariensem, qui de cætero ei prohibuit dicere ullam Missam. Quare cùm affligeretur (erat enim pauper) & B. V. Mariam invocaret, apparuit ei, aitque ei: Vade ad Episcopum, die ei ex me, ut restituat tibi Officium. *Cui cùm ille responderet*: Domina, ego sum pauper, & vilis, non patebit mihi accessus ad illum, neque me audiet, *subjecit illa*: Ego tibi viam præparabo. *Et ille*. O Domina, non credet verbis meis. *Respondit illa*: Dices ei pro signo, quòd egò te mitto, quòd tali horâ, tali loco, dum cilicium suum resarciret, ego illud ex una parte tenebam, adjuvans illum, statim credet tibi. *Manè itaque sacerdos sine obstaculo ad Episcopum intrans, ut B. V. Mariæ deferret nuntium, ùm ille diceret*; Vnde credam, te ab ea missum? *Prædictum signum de cilicio subjunxit. Quo audito sanctus vir stupens, & pavens*: Ecce, *inquit*, reddo tibi, ut tantùm Missam B. V. M. celebres, & ora pro me. 697.

Marianum voco hunc casum, non modò quia de Beata, à B. V. MARIA patratum, sed etiam quia nonnulla particularia disquiram de Sacris Votivis hujus tèrque, quatérque benedictissimæ Virginis. Verba omnia hujus narrationis præter nomen proprium reperies apud nostrum Antonium de Ballinghem *in Calendar. Mariano 29. Decemb.* quæ descripsit ex authore vetusto. 698.

Occasione autem hujus Casûs, ac tituli 699.
Quæritur I. *Quale Sacrum sit à quovis Sacerdote legendum?*

Priùs quàm respondeam, notandum est, aliud esse Sacrum *Votivum*: aliud *de Tempore*, vel *de Festo*. Missa *Votiva* juxta Gavant. *in Rubr. Missal. p. 1. tit. 4. lit. N.* est omnis illa, quæ ex voto, id est arbitrio sacerdotis celebratur alio die, quàm Rubricæ præscribant. Missa *de Tempore* est, quæ fit eo die, quo in Missali ordinatur, dicitúrque vel privata, vel publica, seu solennis, principalis, vel Conventualis, ut notat Gavant. *p. 2. tit. 2. n. 5.* Conventualis est ea, quæ ex obligatione cantatur, & ad quam solet convenire major pars populi, clerique. Hinc Missa Parochialis si non cantetur, vocanda est privata, non autem Publica, aut Conventualis. Gavant. *p. 1. tit. 15. lit. X.* qui *p. 4. tit. 17.* rectè addit, Missam solennem in Rubricis quandoque vocari illam, quæ fit cum cæremoniis solennibus. Hoc notato ad quæstionem. 700

Resp. I. Illud Sacrum est quovis die, *per se loquendo*, legendum, quod eo die præscribitur in Missali. Ita omnes. Ratio est, quia Rubricæ quoad determinationem temporis, quo singulæ Missæ dicendæ sunt, habent vim saltem consilii valde prudentis, & pij. *At non præcepti?* Negat Suar. *Disp. 83. sect. 3.* esse propriè, & in rigore latum præceptum de feria, aut de festo. Cum Suario sentiunt Bonac. *q. ult. punc. 7. §. 3. n. 3.* Regin. *l. 29. n. 268.* Dicast. *Cit. disp. 4. n. 275.* Pax Iordanus *T. 1 Elucubr.* 701

Lib. 4. Tit. 1. n. 497: & alii, quos referunt, contrà Magalium, atque alios.

702 Non displicet universim hæc doctrina, quia mihi displicet, asseri aliquid esse peccatum etiã veniale, & consequenter extare aliquod præceptum, quando non habetur sufficiens fundamentum? quamvis P. Tambur. *lib. 2. c. 6. §. 1. n. 6.* neget, se dubitare de culpa veniali in hac mutatione? at praxis, quam allegat, non

703 est certa. Et quia longè magis horreo noxam lethalem asserere, nisi vel clara ratio, vel authoritas irrefragabilis cogat, idcirco longè magis nego cum ijsdem authoribus, delinqui mortaliter *per se loquendo*, si quis Missam unius diei pro alterius quandoque legat. Ita præter citatos tenet Diana *P. 4. Tr. 4. Miscell. Res. 39.* referens multos adversùs Megalium, atque alios. Ratio est, quia nec lex scripta, nec consuetudo, aut ulla authoritas sufficiens mihi ostendit hîc ullam, ut sic loquar, mortalitatem. Addit Dom. Reding *Tom. 6. Theolog. Scholast. q. 9. a. 1. Controvers. 3. n. 11.* hanc rationem, quòd *absolutè* non tenearis hodie dicere Missam, ergo si legas etiam die festo de præcepto qualemcunque ex approbatis, non peccabis mortaliter, præcisè ut sic, quidquid

704 dicat Angelus & alii nonnulli. Ita ille. Nec obest, quòd B. Pius V. mandârit severè, Missas non dici *alio ritu*, quàm præscripserit. Etenim hoc vocabulo *Ritus* tantùm excluſit alias formas Missalium. Suarez *loc. cit.* Bonac. *l. c.* Tann. *Tom. 4. in 3. P. Disp. 5. Q. 10. num. 9.* Tiberius *c. 13. q. 99.* Sicuti quando in Bulla præfixa Breviario utens hoc ipso vocabulo *Ritus* & *Normæ* non designavit, nisi Breviaria peregrina habentia alias lectiones, alium ordinem &c. Valentia *Tom. 3. Disp. 6. Q. 2. punct. 10.* Miranda *in Manual. q. 37. a. 33.* alii contra alios. Vide dicenda *Tr. 5. n. 896.*

705 Resp. II. Potest tamen sæpe graviter peccari non observando ordinem dierum. Quia sæpe potest oriri grave scandalum, præsertim quando Missæ Conventuales discrepant à Missali, ut observat Bonac. cum aliis notans, consuetudine esse inductam strictiorem obligationem circa has Missas notatis diebus, quàm circa privatas. Et Tamb. *l. c. n. 7.* damnat Sacrificantem die Paschæ in nigra veste pro defuncto. Aut temere, & semper facientem Votivam. Si videlicet faceret semper absque causa rationabili, qualis quidem rarissimè reperitur. Sed & Cotonius *Lib. 2. Contr. 5. C. 4. num. 87.* generatim damnat de mortali, qui aut Missas speciale aliquid habentes, quod non potest verificari extra diem illum, dicit extra hunc, aut probabiliter, qui diebus Dominicis, vel Festis Duplicibus facit Votivam, aut qui feria 3. vel 4. hebdomadæ Sanctæ diceret Missam diversam à tunc præscripta, nisi hunc excusaret justa causa, ut debilitatis. Ego non videns sufficientem causam tanti rigoris nondum assentior integre huic Doctori.

Resp. III. Persæpe sine peccato ullo, aut imperfectione ulla fit prædicta mutatio Missarum. Nam ipsæ Rubricæ *Tit. 4.* sic loquuntur: *Potest Missa votiva dici infra hebdomadem, quando Officium sit de feria, & non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis immediatè (exceptis feriis Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum) secundùm ordinem dierum in fine Missalis assignatorum. Quæ tamen Missa, & omnes votivæ in Missis privatis dici possunt, quocunque die Officium non est duplex, id verò passim non fiat sine rationabili causa.* Hactenus Rubricæ. 706

Ergo, inquies, *licebit ex indulgentia Rubricarum dicere votivam die Dominica.* Respondeo, consequens negant ipsæ Rubricæ, quæ in fine Missalis *in Rubrica post Missas votivas de Beata Virgine* diserte excipiunt diem Dominicam. 707

Saltem concedes, votivas esse permissas illis feriis, quæ hîc non excipiuntur expressè. Concederem cum Quintana devenna *Singul. P. 1. Tr. 7. Singul. 40.* nisi obstaret contraria declaratio Congregationis Rituum, cujus testes, & sequaces sunt Gavantus *Cit. Tit. lit. O.* & Diana *P. 9. Tr. 8. Res. 53.* imò & concedo cum his ipsis & aliis, si pro re gravi sit faciendum Sacrum; nam tunc etiam in festo duplici (addit Gavantus; *in festis non majoribus*) cantari potest solemne Sacrum, si causa sit publica, si verò causa non sit publica, modò sit rationabilis, *licitè* quovis festo etiam duplici votiva privata. Henriquez *Lib. 9. C. 23. num. 5.* Tanner. *Cit. n. 6.* alii. *At quænam censetur hic res gravis?* Gavant. *P. 1. Tit. 8. Lit. B.* ex declarationibus Cardinalium dicit, esse illam, pro quâ convenit totus Clerus cum Episcopo. Sed hæc descriptio non valet in Germania, quia non est reciproca. 708

Quæ verò habetur hîc pro rationabili causa? 709
Respond. Imprimis secundùm multos, ut satisfiat fundationi. Vide dicta *Cas. XVIII. n. 616.* Deinde juxta alios, & nominatim Jordanum *n. 500.* promissio, & stipendium acceptum pro certa Missa. Vide *ibid. n. 622.* Præterea malum publicum, vel privatum avertendum, bonúmve procurandum. Tambur. *De Sacrif. Lib. 2. c. 6. §. 1. n. 9.* restringens tamen ad festum semiduplex, sed contra praxin horum locorum. Adhæc quando Sacrum ordinarium est valde longum, & peragi nequit sine incommodo considerabili, vel sacrificantis, vel Sacrum audituri. Quare mutationem facilè permitterem patientibus difficultatem ob debilitatem capitis, oculorum, pedum, viscerum &c. *Unde aliquando suasi Reverendissimo & Illustrissimo D. Jacobo Carolo Comiti Truchsessio, Canonico Cathedr. laudatissimæ memoriæ, ut Dominicâ Palmarum faceret privatim Sacrum, quod inter votiva habetur de Passione.* Atque his scriptis video, P. Tamburinum *loc. cit. num. 12.* idipsum suasisse Archiepiscopo Montis Regalis. 710

711 *At nónne fuisset melius, si feciſſet de Dominica Palmarum omiſſâ recitatione Paſſionis, & in ejus locum ſubſtituto Evangelio, quod in fine illius Miſſæ ponitur?* Hoc quidem videbatur primâ fronte conſultius, ſed Quintanadvennas *Cit. Singul. 40. num. 1.* contendit, committi noxam lethalem illâ omiſſione factâ abſque cauſa, quandoquidem recitatio Paſſionis eſt valde magna, & notabilis pars illius Sacri.

712 Adde, rationabilem cauſam mutandi eſſe ſingularem devotionem, vel facturi, vel audituti Sacrum. Dico: *Singularem.* Si enim ſit vulgaris duntaxat, melius ages te conformando Rubricis, quia præſtabis Deo ſervitium gratius ob tuam ſubjectionem. Dicaſtillo *Cit. Diſp. n. 281. Quid ſi ut tantò certiùs impetrem aliquod à Deo beneficium?* Reſpondet Dicaſtillo ex eodem fundamento, te certiùs impetraturum per hanc tuam cum Rubricis conformationem. *Sed ſi quis diebus illis, quibus Rubricæ permittunt mutationem, aliquis eam faciat præciſe animo laborem effugiendi, peccabitne?* Negat Quintanadvennas *Sing. 39. n. 3.* quia videlicet utitur jure ſibi expreſſè facto à Rubricis. Sed non omne, quod licet, honeſtum, aut faciendum eſt.

713 Quid ſi denique ut Neomyſta ſatisfaciat voluntati Reverendiſs. Domini Ordinatoris edicentis; *Singuli ad preſbyteratum Ordinati poſt primam veſtram Miſſam tres alias Miſſas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Maria ſemper Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite?* Reſp. Sicut Gregorius de Valentia *Tom. 3. Diſp. 6. punct. 10. §. 2.* generatim pronuntiat ea, quæ Epiſcopus oranda injungit recenter initiatis, non injungi ſub peccato, ſed ad ea hos obligari ſolùm ex quadam *congruitate, ac decentia*, huicque doctori adſtipulantur Caſtro Palaus *P. 2. Tr. 7. D. 2. P. 1. §. 1. n. 5.* atque Diana *P. 4. Tr. 4. Reſ. 218.* cum aliis, ita etiam ſentiendum in ſpecie de his tribus Sacris, & conſequenter non eſſe mentem Reverendiſſimi Domini Ordinatoris, ut celebrentur in feſtis Duplicibus, eiſque æquivalentibus, quod ſingulariter obſervavit Gavant. *Part. 1. Tit 4. Lit. O.* ac poſtmodum reperi aſſentientem ei

714 P. Tamburinum *Lib 2 C 6. §. 6.* Confirmatur reſponſio inde, quòd ambigua vocis ſignificatio ſit in benigniorem partem interpretanda, ſicuti plurimis textibus utriuſque juris, eorúmque declarationibus demonſtravi *in Clypeo Clementium judicum Sect. 4. & ſeqq.* ſignificatio autem *Imperativi* modi eſt ita ambigua, ut permulti Theologi negent cum Valentia *Tom. 2. Diſp. 7. Q. 5. P. 6.* eo per ſe ullum importari *præceptum*, ſed ſolum *conſilium*, ſæpe etiam rem futuram, ut pulchre declarat Joan. Maldonatus *in 13. Cap. Matthæi Verſ. 13. & 14.*

715 Ex dictis hoc loco, & *Caſu XVIII* inferes, quando promiſiſti jure jurando homini, vel voviſti Deo, te aliquod Sacrum de B. V. de *Requiem* &c. facturum aliquo dierum illorum, quibus Rubricæ non permittunt ne quidem feſtum duplex, te haud teneri tuo juramento, ſive prævideris, ſive non prævideris, quando jurabas, aut vovebas, occurſum talis diei. Tamburinus *de Sacrif. L. 2. C 6. §. 3. & 4.* nec enim religio juramenti, aut voti poteſt te adigere ad agendum contra Regulas generales Eccleſiæ, cùm neutrum ſit vinculum iniquitatis. At verò teneris ſtare juramento, ac voto, ſi dies ille ſit unus ex iis, quibus Rubricæ libere ſecundùm dicta *num. 706.* permittunt votiva. Idem *ibid.* nam ſtudioſè agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur, *c. Qualiter. de pactis.*

716 Conſentit à fortiori Navarrus in *Manuali c. 25. num. 13.* ſcribens: Peccat mortaliter, qui non dicit tot & tales Miſſas, quot, & quales, & quo loco tenetur, abſque juſto impedimento. Sed meritò hunc de qualitate rigorem non admittit Tannerus *cit. q. 10. n. 5.* utpote non fultum ſufficiente ratione ac authoritate,

717 Adde, quòd aſſerat Tamburinus *l. c. §. 2. n. 1.* poſt Gavantum, permitti ab Eccleſia faciliùs, ut facias votivam debitam ex fundatione, quàm debitam ex manuali ſtipendio ab hoc, aut illo homine. Etenim gratitudo ob relictum legatum, ſpéſque alliciendi animos ad ſimilia legata eſt ſufficiens cauſa diverſitatis. Adde quoque, quòd Dom. Reding ſuprà *q. 8. a. 3. Controverſ. 5. num. 24.* poſt P. Caſtropalaum ſcribat abſolutè, obligatum facere Sacerum pro vivo, ſatiſfacere per Miſſam defunctorum, licèt orationes pro defunctis non debeant referri ad vivum, ſed ad alium defunctum.

His generatim concluſis.

718 Quæritur II. *Speciatim de noſtro verè Venerabili D. Xiſto, an ipſe deliquerit, faciendo quotidie Sacrum de Beata Virgine? Si deliquit, in quo? Si non deliquit, cur fuerit à tam ſancto Archiepiſcopo ſuſpenſus ab Officio tam ſacro?* Reſp. 1 Si non vigebant tunc in Anglia aliæ leges, aut conſuetudines, quàm nunc paſſim, non peccavit ex eo præciſè, quòd, cùm non ſciret aliam Miſſam, quàm de Beata Virgine diceret illam quotidie. Ratio eſt, quia conſideratis præſentium temporum legibus, earúmque explicatione à ſapientibus, publicè propoſita, eſt ſatius, quotidie facere Sacrum votivum, quàm nullum, ſi non poſſis niſi votivũ. Ideóque ſi quis hodiéque ex ſimilis, aut diſſimilis impotentiæ (ut quia præcaligine oculorum nequit aliam) cauſa ſingulis diebus diceret: *Salve ſancta parens, &c.* non foret accuſatione ullâ dignus.

719 Reſp tamen II. illum bonum virum aliquo modo deliquiſſe, alioqui non fuiſſet tam gravi pœnâ mulctatus à tam miti Præſule, cùm ſcriptum ſit *Judex pœnam metiatur ex culpa, Cap. Felicis. De pœn. in 6. At quo genere delicti?* Novit Deus. Fortè quia poterat (& utique potuerat) adhibitâ magnâ diligentiâ addiſcere alia pleraque Sacra, ſi non omnia. Item potuerunt

tueruntesse graves aliorum offenſiones, quòd propriâ authoritate id fieret. Adde, quòd fortè tunc in Anglia erat major rigor circa votiva, quàm nunc agnoſcant clementiores Theologi. Atqui judicandum eſt, prout tempora poſtulare videntur, *Cap. fin. de Tranſ.*

720 Quæritur III. *An valeat ſtatutum, ut quotidie fiat Sacrum de Beata V.* Reſp. Aſſeri ex profeſſo à Navarro *de Celebr. Miſſ. Conſ. 9. num. 8.* quod & ego puto, ſi condatur ex cauſa gravi, e. g. ad cultum ſacratiſſimæ Deiparæ, vel amplificandum, vel conſervandum. Hic cultus enim eſt bono publico, & privato mirificè proficuus. Unde videmus in noſtra Cathedrali Eccleſia quotidie poſt Matutinas Horas religioſè, & cum affluxu bonarum animarum decantari Officium de hac cæli, terræque Domina, & ne quidem omitti ipſo feſto Paſchatis. Hánc que conſuetudinem defendit, & à B. Pio V. nequaquam prohiberi, tradit Layman. *Lib. 5. Theol. Moral. Cit. Tract. 5. Cap. 1. num. ult.*

721 *At valétne ſtatutum, ut unus, idémque Sacerdos quotidie id faciat?* Reſp. cum Navarr. & Layman. *loc. cit.* negando, quandoquidem corrigitur tale ſtatutum *Cap. Significatum. De præbend.* quia ſaltem unus dies vacuus in hebdomade debet relinqui Sacerdoti ob infirmitates humanas.

722 Quæritur IV. *Utrùm, quando ſit votiva de Beata Virg. ſit ſemper dicendum Gloria* Reſp. Semper in Sabbato. Rubricæ Miſſalis *Tit. 8 n. 4.* Gavantus *P. 1. Tit. 7. Lit. Z.* At non extra Sabbatum. Idem *ibid.* operoſè. Sed miror, quòd vir eruditus non adducat pro hac veriſſima doctrina deciſionem *c. Conſilium. De Celeb. Miſſ.* ubi ipſe Pontifex expreſſè reſpondet: *Apud me in diebus profeſtis* (extra Sabbatum) *cùm Miſſarum ſolemnia in honorem B. Virginis celebrantur, neque hymnus Angelicus, neque ſymbolum decantatur, licèt in Miſſa propria præfatio decantetur. At Laureti non obſervatur hoc reſcriptum.* Reſp. Ob peculiare privilegium. Gavantus *loc. cit. Lit. B. Sed neque in noſtra Germania.* Fateor de multis ſæcularibus Sacerdotibus. Verùm non eſt attendendum, quid ab iis fiat, ſed quid faciendum ſit *c. Cauſam. De elect.*

723 Quæritur V. *An ſit acquieſcendum ſæcularibus petentibus extra octavam Aſſumptionis Deiparæ Miſſam votivam de Aſſumptione.* Negat Megalius apud Dianam *P. 4. Tr. 4. Reſ. 39.* docens id à Pio V. in Bulla præfixa miſſali vetitum ſub mortali. Negat & Diana (rectè quidem, non tamen rigidè) cum Gavanto *P. 4. Tit. 17. n. 8.* ac Dicaſt. *num. 238.* quia eſt irrationabilis, & inconſulta devotio, cùm non poſſit ſine mutatione aliquorum verborum fieri. Et jam

724 habeantur in Miſſali Votivæ de Beata V. Quæ quia non habentur de aliis Sanctis, ideo poſſunt Miſſæ propriæ diei feſti dici extra feſtum ad inſtantiam petentis, ita tamen, ut quando occurrunt verba. *Cujus Natalitia*: aut *Nativitas*: dicatur *Cujus commemoratio, Feſtivitas, Memoria*, & omittatur adverbium: *Hodie*, ſi ſit in Miſſa feſti. Caſtaldus, & Alcozer apud Dianam *P. 3. Tr. 6. Reſ. 101.* concedentes de feſtis Aſſumptionis, & Nativitatis Deiparæ id ipſum, quod de aliis. At Diana *Cit. Tract. 6. Reſ. 102.* non permittit, ſicut nec Gavantus, ut ſacra de Paſſione Longa, Pentecoſte, feſto Corporis Chriſti dicantur extra dies aſſignatos, eò quòd jam ſint deſignatæ propriæ Miſſæ Votivæ eis reſpondentes. *At videtúrne imitandum factum.*

Piiſſimi Joannis Avilæ?

Quem cùm Sacerdos, facturus pro ipſo jam vicino morti Sacrum, rogaſſet, num de Venerabili Sacramento, an de omina, quibus duobus impenſè affic ebatur, dici juberet, ille, de neutro, inquit, ſed de Reſurrectione, quaſi ejus ſpe non ſolùm ſe ſolaretur, ſed veluti eandem jam præliberet.

Deſcripſi hæc verba ex vita illius piiſſimi, ſimul & Doctiſſimi Eccleſiaſtæ, quam conſcripſit æquè pius, ac doctus Ludovicus Granatenſis *Cap. ultimo.* Qui author quia ſine dubio probavit hoc factum, & vel maximè ipſemet Joannes Avila, ſtudioſiſſimus rituum Eccleſiaſticorum, ideo non modò non improbo, ſed etiam obſequerer promptè petitioni alicujus, qui virtute, & doctrinâ excellens id ipſum poſtularet à me in tali articulo, crederem enim, illum ad id poſtulandum impelli à bono, optimo genio. Porrò illa tam inſolita petitio, & paritio contigit decimo Maji Anni 1569.

725 Quæritur VI. *Cujus Miſſalis ritum oporteat ſequi in Sacro faciendo?* Reſp. *primò.* In Miſſa Conventuali oportet dicere Miſſam juxta ritum Miſſalis Romani, ut traditur in Bulla B. Pii V. illi præfixa. A qua tamen ſanctione excipiuntur loca privilegiata, vel à 200. Annis uſa alio Miſſali, quàm Romano. In Conſtantienſi Dioceſi eſt uſus Romani juxta ea, quæ ordinantur *in Conſtitut. Synod. Part. 1. Tit. 9. num. 3.*

Secundò Tannerus *Cit. q. 10. n. 13* rectè cenſet, poſſe probabiliter defendi, quòd, qui cæteroqui Romano Miſſali tenentur, poſſint privatà Sacra facere juxta ritum alterius cujuſcunque miſſalis approbati, ſive in ſuis eccleſiis ſacrificent, ſive in alienis, eò quòd Beatus Pius V. videatur nil ſtatuiſſe de Miſſis privatis. Verùm noſtræ Conſtitutiones Synodales *Cit. numer. 3.* non permittunt praxin hujus doctrinæ.

726 *Tertiò* Gavant. *in Rubricis Miſſ. Part. 3. Tit. 10. n 16.* cenſet, celebrantem in Eccleſia, in qua eſt feſtum, teneri ad faciendum Sacrum de illo feſto juxta ritum illius Eccleſiæ, quod quidem eſt verum, ſi alioqui timeretur ſcandalum, & offenſio, ſed rarò timeri poteſt, quando quis legit Sacrum privatum voce non altâ, & cum veſti-

vestibus concoloribus festo. Rectiùs igitur dixeris absolutè cum Quintanadvenna *Cit. Tract. 7. Sing. 28. num. 5.* esse licitum, vel cum Jordano *Cit. Tit. 1. num. 479.* esse laudabile, ut
727 quis accommodet se illi loco. Quamquam Diana *Part. 4. Tract. 4 Resol. 95.* testatur, non ab omnibus (inter quos est Tamburinus *L. 2. Cap. 5. §. 2. num. 19.* approbari doctrinam P. Joan. Præpositi *in 3. Part. Quæst. 83. art. 4.* docentis, si sacerdos sæcularis velit in templo Patrum Carthusianorum, aut aliorum Religiosorum sacere rem divinam, ei licitum esse, utì illorum Missali. Et sine dubio opus non est, ut, licèt talis Sacerdos velit facere ejusmodi Sacrum, recitet etiam Breviarium illiusmet loci, sicut etiam rectè fecit P. Tamburinus, dum *semel jam progressus in Sacro advertit, suum Missale esse Carmelitanum (in tali quippe templo celebrabat) accepit aliud, quia non poterat, sine aliqua admiratione astantium.*

728 His addo, à Jordano *n. 499.* observari, Capellanum Monialium *licitè* orare ex Breviario diverso, debere tamen in illarum Ecclesia facere Sacrum conforme Breviario ipsarum, id est, de Sancto, de quo ipsæ, & sub eodem ritu Duplici, Semiduplici, &c. Licèt non ex Missali proprio illarum. Quintanadven. *Tract. 8. Sing. 7.* inde inferens, posse etiam Officium de eodem Sancto sub eodem ritu dicere, nam correlativorum, & connexorum eadem est ratio, *L. Proinde. ff. Ad L. Aquil.* Sicuti Monachus præfectus Ecclesiæ sæculari debet recitare Officium juxta ritum illius. Regin. *L. 18. n. 169.* & clericus sæcularis habens Beneficium, vel Capellaniam in Ecclesia Regularium, debet se conformare Breviario, & Missali Regularium. *Singulari. 8. per totum.*

729 Adde quoque resolutionem hujus, propositi mihi à quodam Infulato Prælato.

Singularis Dubii.

Est hîc Constantiæ moris, ut quot Annis in æde Cathedrali decantetur solenne officium, in gratiarum actionem ob urbem liberatam sævissimâ obsidione Suecicâ Anno 1633. Dubitant nonnulli, utrùm oporteat primam illius Sacri Orationem claudere consuetâ in cæteris conclusione. Per Dominum nostrum, &c.

Ratio dubitandi est, quia aliqua Missalia, ut nominatim Antuerpiense de Anno 1658. expressè dicunt, primam, & secundam orationem ejusmodi Missæ esse terminandam unicâ communi conclusione, atque ita factitari in Capella Pontificia, testatur fide dignissimus author Barth. Gavant. *P. 1. Tit 7. n. 7. Lit. N.* E diverso testis est idem Gavantus, fuisse in Missali absque Superiorum permissu positam illam Rubricam, quæ in fine Missalis post Sacrum Votivum de sancta Trinitate habetur (at non in Antuerpiensibus Anni 1599.) de unicâ communi conclusione usurpanda in Missis privatis. Respondi, esse haud dubiè in Missis privatis servandam generalem Rubricam *Cit. Tit. 7.* statuentem, ut quando dicuntur plures Orationes, prima, & ultima suis singulæ conclusionibus finiantur.

Addidi, non videri reprehendendum, qui 730
in solemni Sacro pro gratiarum actione sequeretur morem Capellæ Pontificiæ, cùm primum in unoquoque genere sit exemplar cæterorũ, ìsque spectanda consuetudo Pontificis. *c. In causis. De Sent. & re judic.* mihi tamen magis placere oppositum. Tum quia Gavantus *ibid.* apertè sequitur hoc oppositum, non utique discessurus à more Pontificiæ Capellæ, si non sciviſſet, illum esse planè localem. Tum quia à generalibus Rubricis non est sine gravi ratione saltem in solemnibus actibus recedendum, tum quia passim ita factitari existimo.

Quæres pro coronide, *quid authores intelli-* 731
gant per Missas S. Gregorii. Resp. Intelligunt 30. Missas, quas ut pro defuncto Monacho faceret Abbas Pretiosus per se, vel per alios continuis 30. diebus, rescripserat hic S. Pontifex, de quibus vide inter alios P. Tamburinum *de Sacrif. Lib. 2. C. 6. §. 7.* & P. Jacobum Hautinum *in Patrocinio defunctor. Lib. 3. numer. 956. & 957.* ubi refert verba S. Greg. monétque, non esse necesse, ut eæ 30. Missæ, vel sint de *Requiem*, vel fiant ab uno, eodémque Mysta.

APPENDIX PERUANA.

a PEruanam appello, quia desumpsi ex P. Didaco de Avendanno, profitente in præfatione *primi Tomi Thesauri juridici*, se jam tunc incoluisse Annis prope quinquaginta nobilissimam Indiarum partem Peruanam. Qui Pater cùm in *Tomo 2. Problemat. Theolog. Section. 29. in Append.* aliqua specialia de Missâ Votivâ Sacrosanctæ Trinitatis conscripserit, debitâ DEO Uni & Trino, à quo profectum est, quidquid gratum ipsi continet hoc Volumen, veneratione impulit ad ea huc, ubi tam multa de Sacris Votivis exhibeo, transferenda.

b I. *Problemat. 3. n. 1055* proponit, ac resolvit hanc novam quæstionem: Cur *non liceat Missa de Patre æterno, sed ea vetita sit à sacra Congregatione Anno 1515. quo tempore vir quidam valde Religiosus conabatur eam pro suo in sanctissimam Trinitatem affectu obtrudere.* Respondet autem *n. 1065.* tametsi potuerit piè & religiosè permitti ab Ecclesia ejusmodi Missa, rationabiliter tamen prohibere reipsa, eò quòd quotidie celebretur in Missa memoria Patris æterni. Celebratur quidem totius Trinitatis, inquit ille, unde & Patris simul cum personis aliis. At si specialior memoria conveniens sit pro illa, in festo Trinitatis, haberi, & expediens esse, divinas personas pariter memorari. De Christo autem ut Deo non haberi propriam Missam nisi ob aliquod speciale

„ciale Mysterium, sicut nec de Spiritu sancto,
„nisi quatenus ejus commemoratur adventus.

c „ II. Si solenne beneficium sit divinitùs acceptum, potest, non obstantibus quibusdam festis duplicibus celebrari in solennem gratiarum actionem Missa de sacrosancta Trinitate solennis. Imò passim multi sacerdotes non minùs timoratæ conscientiæ, quàm doctrinæ probatæ, celebrant in Octava S. Francisci Xaverii Missam Votivam in gratiarum actionem pro privato beneficio, idque probant plurimi viri docti. Ita ille. *num. 1065.*

d „ III. Quamvis Rubricæ generatim negent, esse in Missa votiva, nisi pro publica Ecclesiæ causa, aut quando sit de Angelis, vel in sabbato de Virgine, dicendum *Gloria in excelsis*, si tamen votiva de Trinitate celebratur de festo, non videretur reus peccati, qui tunc recitaret illum Hymnum Angelicum, tum quia id licuit aliquando, nec est specialiter damnata illa licentia; tum quia SS. Trinitas est gloria nostra, ut habetur in ejus Officio, cùm dicitur: *Spes nostra: Salus nostra: Honor noster ô Beata Trinitas.* Ita idem *num. 1056.*

e „ IV. In Missa SS. Trinitatis videtur esse tenties inclinandum caput, quoties nominatur Trinitas, tum quia ita statuitur de illis sanctis, de quibus celebratur, tum quia fideles solent inclinare caput, dum audiunt hoc nomen, quod quia est augustius, quàm nomen DEI, utpote exprimens Trinitatem personarum, & foret nimis sæpe inclinandum caput, si hæc inclinatio præciperetur, vel permitteretur ad nominationem Dei, est autem infrequens nominatio Trinitatis, ideo non est tanta ratio pro inclinatione capitis, quando dicitur: *Deus*, quàm quando dicitur: *Trinitas.* Et quia etiam fideles inclinant caput, quando audiunt nominari Sacramentum, ad fovendam hanc, maximè hoc tempore, pietatem erga Venerabile Sacramentum, expedit, ut sacerdos, dum sacrificat de venerabili Sacramento, caput inclinet in Collecta: *Deus qui nobis sub Sacramento &c.*

f Hæc iste Indiæ Theologus à *num. 1068.* ad *num. 1072.* addens *num. 1074.* & seqq. licèt in Rubricis Missalis agentibus de Missa votiva assignetur non votiva de Trinitate feriâ secundâ, attamen qualibet die, quâ fas est legere Sacrum votivum, licitam quoque esse Missam votivam de Trinitate, & quidem non solùm privatam, ut vult Gavantus, sed etiam Conventualem, quandoquidem Rubricæ illam gratiam permissivam non restringunt ad privatas.

g V. Dissentit iterùm *num. 1087.* à Gavanto, quem secutus sum *n. 720.* autumantem, quando cantatur Officium pro gratiarum actione, Orationes duas, quæ tunc solent recitari, terminandas esse unâ unicâ communi, vulgariq; clausula: *Per Dominum nostrum.* Ego in hac sententiarum diversitate judico, standum esse consuetudine cujusque loci, abstrahendo autem ab hac non video, cur mutem opinionem.

h Hæc verò omnia volui repræsentare Lectori, non idcirco, ut his lectis inducat aliquam novam, oblocutionibúsque expositam praxin, sed partim ut tantò seduliùs observet, siqua conformis hisce doctrinis viget in ejus Diœcesi: partim ut notitiâ harum novarum, peregrinarúmque quæstionum aliquantulùm oblectet piè curiosum animum.

QUIBUS CÆREMONIIS SACRIFICANDUM.

CASUS XXII.

Abrogatus.

SUMMARIUM.

Casus sacerdotis admiscentis hymno Angelico verba nunc inusitata. 732.
Sex modis peccatur in Rubricas Missæ 734.
Quæ ex illis obligent sub veniali solùm? 735.
An omnes saltem sub veniali? 737.
An omnes cum contemptu sub mortali? 738.
Quænam in specie sub mortali? 741.
Quæ sub nullo peccato? 742.
An prævidens, se non posse ob infirmitatem, aut alia celebrare servatis omnibus rubricis, teneatur abstinere Sacro? 743.
Singulariter si timeat deliquium? 745.
In quibus casibus specialiter peccetur leviter, aut graviter non observando cæremonias Reales? 746.
Item verbales? 747. & seqq.
Canon quando incipiat, & desinat? 750.
Quid Canon major, aut minor? 752.
Preces jaculatoriæ an licitæ sacrificanti? 753.
Describitur Oratio S. Francisci Xaverii. 754.
Refutatur P. Dicastillo non permittens exercitium variarum virtutum ante communionem sacrificantis. 756.
An licitè nominetur Xaverius, *quando fit Sacrum de ipso? 758.*
Quomodo in particulari peccetur non proferendo omnia proferenda? 759. & seqq.
Refertur prærigida opinio Cotonii. 763.
An deliquerit is, de quo n. 732. & n. 764.

A *Nonymus sacerdos quoties Sacrum de B.* 732
Virgine faciebat, non solùm recitabat Hymnum Theodocticum Gloria in Excelsis, *verùm sub finem dicere consueverat; Quoniam tu solus sanctus*, Mariam sanctificans: *Tu solus Dominus*, Mariam gubernans: *Tu solus Altissimus*, Mariam coronans. *Quæritur, an, & quàm graviter peccârit, tum*

is, tum omnes, qui verbis Missalis aliquid addunt, vel detrahunt?

733 Novi ego complures ejusmodi Anonymos id factitantes ex more usitato ante B. Pium V. ut testatur etiam Gavantus *Part. 1. Tit. 8. lit. Z.* & respondeo, illos Anonymos peccâsse, si quidem astricti erant Missali Romano; non peccâsse, si fecerunt ex præscripto sui Diœcesani Missalis pervetusti. Ratio patebit ex his, quæ subjiciam de obligatione, & transgressione cæremoniarum realium, & verbalium consistentium, inquam, in actionibus, aut verbis.

734 Quæritur I. *Quænam de Cæremoniarum obligatione, & transgressione generaliter sint maximè notanda?* Resp. Sequentia. *Primò*, cùm possit contra Rubricas delinqui sex modis: addendo: demendo: transponendo: interrumpendo: corrumpendo verba aliqua in principio, medio, fine, & denique substituendo verba synonyma, hi autem modi ascendere valeant ad valde gravem deformitatem, sit, ut transgressio seu neglectus Rubricarum, & consequenter cæremoniarum sit ex suo genere peccatum mortale. Suarez *Tom. 3. in 3. Part. Disp. 85. sect. 2.* Cùm præsertim B. Pius V. in Bulla præfixa Missali mandet in virtute sanctæ obedientiæ celebrari Missas, juxta ritum, seu cæremonias; etenim Cæremonia vox Græca significat hîc ritum, modum, circumstantiam Sacrificii, seu Missalis.

735 *Secundò.* Nonnullæ tamen cæremoniæ sunt tam parvi momenti, ut earum neglectus voluntarius non contineat nisi culpam venialem. Suarez *loc. cit.* Declaro generatim hanc conclusionem verbis Thomæ Tamburini *cit. Tract. De Sacrif. Miss. Lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 2. & 3.* »ita scribentis: Rubricarum aliæ sunt *Præceptivæ*, *Directivæ* aliæ: Illæ obligant ad mortale ex genere suo, nisi excuset parvitas materiæ, aut inadvertentia; hæ cùm sint *De consilio*, non obligant sub mortali. Sunt autem omnes Rubricæ ut tales *Directivæ*, & illæ solùm censendæ sunt *Præceptivæ*, quæ continent, seu notant aliquid, quod aliàs ex jure, vel ex legitima consuetudine graviter jubetur, vel ipsæ Rubricæ expressè sub mortali præcipiunt. Ratio hujus regulæ est, quia Rubrica nihil aliud ex se est, nisi mera quædam manuductio circa ea, quæ dicenda, faciendá-
736 que sunt, rubro colore solita scribi. Sic ille post Card. de Lugo *De Euchar. Disp. 20. sect. 4.* Marchin. *De Ordin. Tract. 3.* Gavant. *Part. 3. Tit. 11. num. 1.* Unde infert *num. 5.* Rubricas de orando ante, & post Missam: de numero Orationum: de servando Officio Duplici primæ, aut secundæ classis, cùm non recipiantur ab ullo jure, solùm esse *directivas* sine onere
737 *ullius peccati.* At saltem hoc exemplum de Duplici rejicit *implicitè* Antonius Molina Carthusianus *In Instructione Sacerdot. Tr. 3. cap. 1. §. 3. & 4.* ubi affirmat, omnes omnino Rubricas etiam minutissimas obligare sub veniali. Verùm idem Tambur. *Lib. 1. cap. 7. §. 2. num. 5.* apertè negat, & utique rectè, Rubricas, quæ sunt de *Consilio*, seu, ut superiùs vocavit, *Directivæ*, obligare ad ullum peccatum. Idem negant complures alii, dum resolvunt particulares quæstiones circa Rubricas.

738 *Tertiò.* Non assentior damnantibus mortalis omnem illum, qui ex contemptu aliquam non observat, etsi minimam. Si enim contemptus in eo consistat, ut dicas: Hanc parvi momenti cæremoniam non magnifacio; vel: Hæc cæremonia est tam parvi momenti, seu tam exigua, ut non sit opus propter illam negligere meam privatam commoditatem, non apparet, cur pecces mortaliter. Tambur. *cit. cap. 5. nu. 3.* post Sotum & Laymann. *Lib. 1. Tract. 3. cap. 7. num. 4.* Secùs, si negligeres ex contemptu Superioris, seu Pontificis.

739 *Quartò.* Nec sentio cum Fagundez *De præcept. Eccl. Præcept. 1. Lib. 3. cap. 21. nu 9.* ita loquente: *Rubricæ, & Regulæ Missalis non obligant ad mortale, nisi ratione contemptûs.* Etenim exempla transgressionum infrà referenda demonstrabunt contrarium.

740 *Quintò.* Delinquit mortifere, qui tam multas cæremonias negligit, ut *morali* hominum judicio censeatur observare ritum alium, quàm sit in Missali præscriptus. Etenim, ut vidimus superiùs, gravissimè præcipit B. Pius V. & etiam Trident. *Sess. 22. post Canones* stari ritibus Missalis Reformati. Quin aliquæ sunt tam gravis momenti propter suam significationem (quam singulariter expendit, & exemplificat Reverendissimus D. Reding. *qu. 9. art. 1. Controv. 3. num. 6. & seqq.*) connexionem proximam cum essentia Sacrificii, antiquitatem severis moribus sancitam &c. ut contra illas deliberatè, vel semel agendo contrahatur reatus pœnæ æternæ: Patebit ex dicendis.

741 *Sextò.* Quando in Rubricis habetur hæc vox: *Gravissimè*, certum est, significari peccatum mortale. Gavant. *cit. Tit. 11. num 1.* Habetur autem septies. I. si Sacerdos Latinus consecret in fermentato, II. si cum vino corrupto, aut sine aqua naturali. III. si formæ consecrationis addat, aut demat aliquid. IV. si celebret irretitus censurâ, vel irregularitate. V. si non sumat integra Sacramenta. VI. & VII. si celebret in peccato mortali habens copiam confessarii, aut sine contritione non habens copiâ.

742 *Septimò.* Rubricæ, quæ agunt de Missæ defectibus corrigendis, non obligant ad ullum peccatum, in quantum sunt præcisè Rubricæ Missalis. Suarez. *Disp. 85. sect. 1. vers. Ad primum confirmat. in fin.* Fagund. *cit. cap. 21.* & alii plures, repugnante Nugno *in 3. Part. q. 83. art. 6.* Etenim quà tales sunt tantùm instructiones datæ juxta probabiles sententias. Suarez *ibid.* Quæ tamen ex iis continent præcepta, vel divina, vel in Jure Canonico expressa, obligant utique ad culpam.

Octa-

743 *Octavo.* Qui prævidet, se non posse facere Sacrum nisi omissis aliquot cæremoniis, debet perpendere gravitatem tum harum, tum causæ impellentis ad celebrandum, atque ex hac consideratione, & comparatione judicare, sítne consultiùs, sine his sacrificare, quàm ob earum observandarum impossibilitatem, aut difficultatem omittere rem divinam. Suarez *Disp. 85. sect. 2.* ut si e.g. desit cymbalum, aut cereus pro elevatione. Tambur. *L. 2. c. 5. §. 2. n. 28* Et magis patebit ex dicendis.

744 Quæritur enim II. *Quomodo respondendum fuerit ad duo sequentia dubia ad me à duobus diversis vitæ Monasticæ professoribus per literas delata.*

Dubium I. *An, qui vertigine ita laborat, ut nequeat stare ad aram, nisi jugiter altari innitatur, vel utràque manu, vel alterutro brachio, aut cubito, possit nihilominus celebrare?*

Dubium II. *An & illi fas sit celebrare, qui ex gravi infirmitate contractus ita convalunt, ut omnia spectancia ad Sacrificium peragere queat, exceptâ sola evelatione tam Calicis, quàm hostiæ?*

745 Ad utrumque respondi, posse quidem privatim ab utroque celebrari, at non publicè, nisi fortè in necessitate, & quidem si ea sit futura frequens, monito superiore legitimo. In secundo quoque casu esse monendum populum, ne oriatur murmur, & turbatio in Ecclesia. Ratio responsionis erat, tum quia ex una parte illi defectus mihi non videntur tales esse, ut privent acquisito jure sacrificandi: ex altera autem parte obviandum est, quoad commodè possumus, scandalis infirmorum, & in actionibus tam publicis non debemus quasi jure nostro recedere à regulis communibus, sed consulendi sunt Superiores. At, *ego non semel ita fui tempore sacrificij infirmatus ob inediam, ut propè inciderim in deliquium, ut est mihi nihilominus fas celebrare?* Resp. Expone candide tuas miserias tuo superiori Religioso, si Religiosus es, si sæcularis, prudenti confessario, aliive sacerdoti, & sta illorum judicio. Si non habeas, quem consulas, spera bene de auxilio divino, & cave, quoad potes, ne imaginatio vel causet, vel augeat illam debilitatem.

Addo his, me undecimo Aprilis Anni 1673. literis interrogatum à Prælato Regulari, *an possit celebratio Missæ permitti illi veterano sacerdoti, qui solet quandoque sub consecratione SS. sanguinis ita hærere, ut verba consecrationis ob linguæ impedimentum, vel potiùs dæmonis vexationem nequeat pronuntiare continuò, sed cogatur facere à penultimo essentiali verbo ad ultimum tantam interruptionem, ut quis quinque verba eloqui possit, donec ipse ultimum verbum valeat eluctari*, respondisse *affirmativè* ex fundamento posito *n. 743.* re enim verâ non quilibet defectus Missæ prævisus privat acquisitè jure, & possessione sacrificandi, sed solùm is, qui omnibus spectatis habetur pro gravi, pro quo haberi non potest præsens in his circumstantiis, quamvis foret habendus pro valde culpabili, si sponte fieret tanta interruptio.

746 Quæritur III. *Quomodo specialiter delinquatur non observando cæremonias Reales?* Resp. Id intelligendum esse ex dictis superioribus Casibus, ubi actum de materia, forma loco, tempore, vestibus &c. Addo tamen, rarò relinqui moraliter non faciendo profundas reverentias, formando inconcinnas cruces, non osculando altare, non conjungendo debitè manus &c. At omittere fractionem hostiæ, aut illius cum sanguine mixtionem, vel signa multa, quæ nerò berent super oblata, gravem, mortalémque culpam continet, teste Suarez *citat. sect. 2.* Vide D. Reding *loc. cit*

747 Quæritur IV. *de Cæremoniis Verbalibus, quo pacto peccetur illarum mutatione, additione &c.* Resp. I. Addere verba verbis præscriptis in Missali, est malum. Suarez *Disp. 83. sect. 3. in fin.* Est quippe, vel inducere, vel certè usurpare novum ritum adversùs prohibitionem B. Pii V. de qua suprà; additque Suarez, faciliùs peccari mortaliter addendo, quàm omittendo; quia scilicet est in additione majus periculum superstitionis, quàm in omissione. *Quid si autem dicam* Credo, *vel* Gloria, *cùm omittere deberem?* Peccabis dicendo: non tamen graviter. Suarez & alii communiter, nec enim est gravis transgressio.

748 *Quid si unam, alteràmve Collectam supernumerariam adjiciam?* In simplicibus, & semiduplicibus permittunt tibi Rubricæ, extrà non permittent, nisi ex causa peculiari, extra quam damnaberis peccati venialis, si id agas. Vide, quod *Cas. XVIII. n. 626.* dixi de adjungente communiter Collectam pro defunctis.

749 Notant tamen Doctores, facillimè peccari mortaliter, si in Canone (qui etiam vocatur *Actio*, hinc illud: *Infra actionem*, id est, *infrà Canonem*, seu: *sub Canone*) addatur quidpiam, eò quòd hic sit pars sacratior Sacri, & propter suam antiquitatem severè hactenus observatam mereatur majorem religionem Et quidem testatur Diana *Part. 2. Tract. 14. Resol. 40.* fuisse criminis lethalis à Papa damnatos Religiosos, qui loco Episcopi (nominari debet Episcopus loci, in quo facis Sacrum, ut declaratum testatur Gavant. *Part. 2. Tit. 8. Lit. N*) nominabant suum Generalem. Sed hoc non credit Tambur. *cit. cap. 5. §. 3. n. 7.*

750 *At verò quando incipit Canon?* Resp. Secundùm communiorem sententiam à; *Qui pridie.* Dicast. *cit. disp. 4. n. 249.*

751 *Quando autem desinit?* Olim ad Pater noster *exclusivè*; nunc ad consumptionem Sacramenti Suar. *Disp. 83. sect 2. in princ.* At in ordine ad praxin in casibus indicatis *n 749.* & *n. 763.* rectè cum Tambur *L. 2. c. 3. § 1.* dices post S. Gregor. finiri ad orationem Dominicam.

752 *Sed quid est major, quid minor Canon?* Hanc distinctionem vulgo etiam sacerdotum usurpatam explicat ex hactenus citatis authoribus solus, ni fallor, Tannerus *cit. quæst. 10. nu 94.* testans, per *minorem* intelligi ea, quæ ab offertorio ad consecrationem fiunt, per *majorem* ea, quæ à consecratione usque ad communionem.

753 Preces jaculatoriæ non vetantur sacrificanti, nisi intempestivè iis utatur; sicut nec oratio vocalis tempore, aut cantûs longioris, aut concionis Tann. *n. 15.* Nec agerem reum culpæ, qui tenens memoriâ parvas Horas, unam ex iis recitaret tempore prolixi *Credo*. Consentit Cajetanus. *in Summa. verb. In festo prohibita. nu. 6.* At verò Tambur. *cit. §. 3. nu. 2.* de veniali damnat, qui etiam ut privata persona, etiam dum orat secretè, recitat aliquem psalmum, aut orationem Dominicam; interim variis de causis excusans S. Franciscum Xaverium, solitum ante communionem recitare sat longam, quam describit, piissimámque orationem pro conversione Indorum, quam etiam huc transferendam censui, sic ergo precabatur.

754 *Æterne Deus omnium rerum Creator, memento, infidelium animas te solum creâsse, quas ad imaginem, & similitudinem tuam feci sti. Ecce Domine in opprobrium tuum eis ipsis implentur inferni. Memento Domine, Jesu Christi filii tui, qui sanguinem suum tam liberaliter effundens pro illis passus est. Ne permittas Domine eundem filium tuum Dominum nostrum à Paganis ampliùs contemni, sed precibus Sanctorum electorum tuorum, & Ecclesiæ beatissimæ ejusdem filii tui sponsæ placatus recordare misericordiæ tuæ, & oblitus idololatriæ, & infidelitatis eorum, fac, ut ipsi quoque agnoscant, quem misisti Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem salvati, & liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

755 Post descriptam integre orationem insinuat idem Pater Tambur. causas, ob quas possit excusari illud singulare factam hujus Sancti, sic autem loquitur. *Fortasse id obtinuit à Sancta sede. Quid si ipse utpote Summi Pontificis in iis regionibus Legatus sibi id indulsit? Quid si sanctus vir divinâ inspiratione id fecerit?*

756 Sed interrogabis, *an illi adversentur Rubricis: per additionem, qui immediatè, antequam sumant sacram hostiam, dum tenent eam manibus. aliquamdiu immorantur excitandis actionibus humilitatis, contritionis, amoris &c.* Dicast. *disp. 4. dub. 13. num. 669.* affirmat, ideóque in illos insurgit tanquam nimis devotos. Ego sicut eos, qui sine ulla ejusmodi mora sumunt hostiam, non voco parùm devotos, sic nec nimis devotos eos, de quibus hîc quæritur; nec puto, venisse ulli Pontifici in mentem, prohibere, aut minùs probare brevem moram in his actibus, utpote qui sint & multis consulendi, (illis scilicet, qui cum conscientia certa, aut dubia peccati mortalis inchoaverunt Sacrum, vel jam inchoato recordantur admissi,) & longè plurimis perquam piis animis quodammodo naturales, & sicuti hodie frequentantur à permultis nemine Superiorum reprehendente, ita etiam haud dubiè fuerint à totidem antè editas Rubricas frequentati non solùm sine ulla per se indecentia, sed etiam admodum congruè, & consentaneè tanto mysterio. Censeo igitur, cavendam saltem in publico longam moram, permittendam brevem, scilicet tantam, quanta impenditur recitationi unius Pater & Ave, dicendúmque, consuetudinem manifestam adeò multorum sufficienter interpretari, non repugnare Rubricis illos, quos nimis devotos nuncupat devotionis laude celebratus P. Dicastillo. Sanè dum Rubricæ permittunt brevem meditationem post sumptionem corporis Christi, videntur etiam permittere aliquam immediatè antè, quia de similibus est simile judicium ferendum. 757

Dices: *Sunt jam quinque Sancti Franciscí: Assisius: Paulinus: Xaverius: Salesius: Borgia,* quando de S. Xaverio facio Sacrum, præsertim votivum, (ut sæpe solicitor) nescio, quis genius me impellat, ut ad distinctionem à reliquis ei cognominibus, vocem Franciscum Xaverium, *an licitè parebo huic genio?* Resp. Licitè parebis judice Quintanadven. *Tr. 7. sing. 48. num 6.* cujus opinionem tibi suaderem, si non obnuntiaret usus, quoad vocalem nominationem. 758

Resp. II. Peccatur quoque, si verbis præscriptis aliquid dematur; quia jam tunc mutatur ritus. Adeò, ut communis calculus ad sævum Averni principem releget omittentem Epistolam, vel Evangelium. *Etiamsi Sacrum cantet solenne cum Levitis?* Eman. Sà *verb. Missa. nn. 52.* ac Tamburin. *Lib. 2. c. 5. §. 2.* post Sanchez. *Lib. 2. consc. c. 2. dub. 13.* pronuntiat, præstare, ut audias, quàm ut legas. Rodriquez *in Summa cap. 249 n. 9.* fulè, & Diana *Part. 2. Tract. 14. Res. 43.* negat, te ullâ lege, aut consuetudine teneri ad recitandum. Fagundez apud illum damnat te peccati, si omittas. Missalia expressè dicunt: *Quam* (Epistolam) *etiam sacerdos interim legit*; id ipsum repetunt de Evangelio. Cæremoniale Episcoporum concordat cum Rubricis quoad Evangelium, at quoad Epistolam discordat, non enim jubet, à sacrificante recitari nisi Tractum, Graduale, & alia, quæ sequuntur Epistolam. Suadeo, ut in tanta varietate sequaris morem loci, in quo sacrificas, aut certè sequare Rubricas Missalis, utpote clariùs loquentes, & in nostra Cathedrali, aliísque Collegiatis hujus urbis observari solitas in hoc quoque puncto. Sed ne sequare opinionem Tamburini *loc. cit. §. 6.* cum Pellizario relato, non autem approbato à Diana *Part. 9. Tract. 6. Res. 19.* negantis esse ab officiatore dicendum *Gloria*, aut *Credo*, aut in sabbato 759 760

761 bato sancto Prophetias. Licèt enim hæc cantentur ab aliis, attamen Hymnus Angelicus, & Symbolum canuntur à non ordinatis ad id munus, atque adeò quatenus ab his cantantur, non sunt ita partes Sacri, sicut Epistola, & Evangelium, quod à Levitis. Idem dic de Prophetiis, quando non cantat eas Subdiaconus. Sanè scandalum in hac, viciníque diœcesibus pareret, qui talia omitteret. Vide Cotonium *Controv. 5. c. ap. 3. num. 97.*

762 Qui omitteret *Gloria*, vel *Credo*, vel unam, alterámve Collectam, vel extraordinarium: *Communicantes*, aut extraordinarium: *Hanc igitur*, non delinqueret plus, quàm venialiter testibus, quos in decursu citavi & nominatim D. Reding, *loc. cit.* Sicuti judice Quintanad. *cit. Tract. 7. Singul. 39.* nec ille, qui in Missis quatuor temporum omitteret: *Flectamus genua*, cum orationibus, & Prophetiis annexis, aut qui sequentiam *Lauda Sion*, vel: *Veni sancte Spiritus &c.* eò quòd sint valde accidentariæ,

763 & rarò usurpatæ partes Sacri. Omittentem, vel unicum verbum in Canone dignum supplicio æterno judicant nonnulli teste Suarez *Cit. Disp 83. sect. 3.* quibus apertè favet Nugnus *in quæst. 83. art. 4.* & expressè consentit Cotonius *l. c. n. 98.* Sed sunt nimis rigidi judices, ut notat Suarez *ibid.* ac Filliuc. *cit. Tr. 5. c. 5. n. 155.* quia sine ratione. Repete hîc, quod ex S. Thom. & Gabriele retuli *num. 325* Et applica Cotonio *loco cit. nu 96.* ita generaliter pronuntianti: *Est mortale, quandocunque omittitur integra aliqua pars heterogenea, quantulacunque sit, ut si omittatur Graduale: Offertorium: Post-communio; Gloria; Credo: Sequentia, aut Communicantes.* Equidem nec authoritas, nec ratio firmat hunc rigorem. Vide præter citatos Filliucium *Tract. 5. cap. 5. num. 155.* & Dianam *Part. 10. Tr. 15. Resol. 42.* meritò mitiores Cotonio. Magnopere tamen est hîc ab omni negligentia cavendum propter rationes, quas addensat Angelus Maria Verricellus *De Apostolicis missionib. Titul. 18. quæst. 301.* seipsum corrigens ad rigorem respectu Canonis, ideóque mortali accensens omissionem unius unicæ orationis in Canone. Insuper notandum, quòd Liamas *in Summ. part. 3. cap. 5. §. 8.* neget, peccare, qui, cùm non possit recitare, quæ præcedunt Evangelium, attamen accingit se ad sacrum, dicturus reliqua: *Credimus enim*, inquit, *talem dicere Missam integram.* Sed de hoc judicet lector.

764 Ex dictis inferes, Anonymum, de quo Casus noster, deliquisse, si astrictus Missali Romano addidit illas pias appendiculas de B. Virgine; hoc enim ipso, quòd eas sustulerit B. Pius V. satis indicavit, esse adversaturum suæ voluntati, qui inseret. Ea tamen culpa non fuit, me judice, plus quàm venialis. Et quid si alicubi fuisset Missale Romanum receptum quoad reliquos ritus, non autem quoad istum? Certè longæva consuetudo tolleret omnem omnino culpam, & insuper augeret meritum. Cæterùm si quis cupiat legere distinctam, & fundamentalem rationem significationis singularum Missæ Cæremoniarum, adeat Dom. Reding *cit. quæst. 9. art. 1. Controvers. 2.* ubi per quinque Conclusiones edisserit, explicátque singulas breviter & clarè.

UT CORRIGENDI DEFECTUS INTER SACRIFICANDUM.

CASVS XXIII.

Indivisibilis.

SECTIO I.

De defectu vini, ac Dubitantiis.

SUMMARIUM.

Casus sacrificantis, dubitantis in communione, sumátne species vini, an aquam? 765.
Minima circumstantia mutat hic Casum. 766.
Quid agendum sacrificanti, notanti post consecrationem defectum vini? 769. & seqq.
Quid si defectus primùm notetur in sacristia? 773.

765 *Zacharias sacerdos dum sumit calicem, videtur sibi bibere aquam. Quæritur igitur ex ministro, juvene Religioso sat discreto, an non errârit in porrigendo urceolo? Aspicit hic urceolum, quem præbuerat, negátque se errâsse. Quare Zacharias rursum admovet ori calicem, rursúmque judicat, in eo non esse nisi frigidam. Mandat tamen ministro, ut ex urceolo aliquid fundat in volam manûs, explorétque, quid liquoris insit. Explorat hic, asserit, esse vinum; verbis fidem astruit color subflavus. Eam ob rem ita secum ratiocinatur, & concludit Zacharias: Meus quidem gustus judicat, esse hic aquam; quia tamen minister satis discretus Prater id negat, negat color; ego autem insuper heri sub decimam noctis sumpsi copiosam Dosin pilularum medicarum, quæ hodie manè corpus multum purgárunt, ac proinde fieri potest, ut meum palatum jam non sit sincerum, credam in nomine Domini gustui mei ministri, credam eiusdem oculis, & meis; atque ita reliquum sumpsit, nec sine consueta ablutione. Reverso ad sacristiam prima cura fuit devenire in notitiam veritatis; & devenit, comperto, quemdam puerum ex imperitia pauxillo generosi vini, quod Xipense vocant, quodque ex*

priore Sacro remanſerat in urceolo, ſuperfudiſſe aquam, cùm debuiſſet vinum. Anxius Zacharias an Sacrum repetere debeat, denique concludit, non eſſe repetendum, poſtea rem aperit confeſſario, qui ait, debuiſſe iterari Sacrificium.

766 Narro rem mihi perſpectam, peractámque Annis ab hinc XXXII. Friburgi Nuithonum, certus, Zachariam minimè ægre laturum hanc relationem. Sed nec vitio vertent aut confeſſarius, aut miniſter; nam hic è Mexicano regno in cœleſte migravit, ille ſcilicet P. Joannes Specius in ſolo Helvetico Specioſam ſanè animam efflavit jam pridem. Hunc verò Caſum nomino *indiviſibilem*, quia in hoc, vel maximè locum habet illud veriſſimum Axioma: *Minima circumſtantia mutat caſum*; mutâſſet Zacharias judicium ſuum ultimum, ſi defuiſſet unica expreſſarum circumſtantiarum. Pendebat igitur ab indiviſibili, ſeu inſeparabili circumſtantia ejus reſolutio, ad cujus veritatem dignoſcendam.

767 Quæritur jam: *An, & quis horum trium videatur erràſſe practicè?* Reſp. Nullus. Non miniſter; quia dixit ſacerdoti id, quod factâ reflexione pro loco & tempore neceſſariò judicabat dicendum. Non Zacharias, etenim in his omnibus circumſtantiis prudenter cenſuit, ſe habere materiam conſecrabilem, ac proinde non adeſſe neceſſitatem repetendæ conſecrationis. Sed neque ipſum, neque confeſſarium *practicè* erràſſe reſpectu Sacrificii non repetiti in ſacriſtia, vel extra, patebit ex inferiùs di-
768 cendis. Quòd ſi Zacharias integro cæteroqui ſenſu guſtûs præditus non ſumpſiſſet illam medicinam, vel miniſter fuiſſet ſubſtupidus, juvenculúſve, aut denique color totus aqueus, debuiſſet meo judicio, petere è ſacriſtia (poterat enim ſine magna incommoditate) aliud vinum, rurſúmque conſecrare, nam habuiſſet tunc ſufficientem rationem exiſtimandi, adeſſe defectum debitæ materiæ. Cæterùm, quia hic defectus vini longè crebriùs, quàm par eſt, evenit, obſervo pro praxi ſeqq.

769 In primis ſi ante conſecrationem obſerves hunc defectum, debes mox illum corrigere, ſicuti & mox, ut poſt conſecrationem advertiſti. Rubricæ *Tit. De defectibus* §. *4. n. 3.* Si verò, ut plerumque fit, error deprehendatur primùm poſtquam ore excepiſti aquam, rectè cenſet Henriquez *L. 8. cap. 50.* Suarez *Diſp. 85. Sect. 1.* & Gavant. *Part. 3. Tit. 4. num. 5.* contra Angelum, ac Sylveſtrum, eſſe ſine ſcrupulo deglutiendam (*dixi interrogatus contrarium de primo, vel ſecundo Sacro in Natali Chriſti, non enim ratio urget ad tertium: ſi ergo vis facere tertium, expue in ſecundo aquam in pelvim, particuláque hoſtiæ exempta, mitte, quod expuiſti, in piſcinam*) aquam; nec enim eſt vel in calicem effundenda, vel in terram expuenda. Dicaſt. *Cit. Diſp. 4. Tract. 5. nu. 295.* & Coninck *quæſt. 83. art. 6. num. 280.* aſſerens, debere deglutiri etiam ob periculum, ne irreverenter tractetur particula, quæ priùs fuerat immiſſa in calicem. *At non ero jejunus?* Nihil refert, quia eſt tibi *moraliter* impoſſibile ſervare jejunium. Coninck *ibid.* Tum accedens ad cor-770 nu altaris quàm diſſimulantiſſimè potes, reliquum effunde in pelvim terſam, aut vaſculum, ſi quod adeſt, ac deinde illud ipſum ſume pro ablutione, vel reſerva mittendum in piſcinam, ut notat Laym. *cit. Tract. 5. cap. 7. nu. 3.* vel ſi mavis, pauxillum illius aquæ relinque in calice pro ſecunda conſecratione. Scotus *in 4. diſt. 8. quæſt. 3.* & Laym. *ibid.* Illi reſiduo ſuperinfunde vinum, aut ſi nihil reliquiſti, poſt vinum affunde pauxillum aquæ ſine ulla cruce, factáque oblatione (mentali ut notat Laym. Dicaſt. *num. 289.* & alii) atque omnibus prorſus reliquis omiſſis profer verba conſecrationis calicis, incipiendo vel ab illis verbis: *Simili modo*, ut docent Rubricæ *loc. cit.* & Scot. *loc. cit.* vel ab illis: *Hic eſt calix &c.* ſicuti tradit, ac probat Suarez *cit. ſect. 1.* omiſſáque elevatione, ac cæteris omnibus ebibe, quod conſecrâſti. Suarez *loc. cit.* & alii, cum Dicaſt. *loc. cit.* licèt S. Thomas indicet, eſſe repetenda omnia, quæ inter conſecrationem, & communionem præſtita ſunt. Verùm praxis habet contrarium nixa authoritate Scoti *cit. quæſt. 3.* & Rubricarum.

Deinde Rubricæ ſecutæ ſententiam Sancti 771
Thomæ *quæſt. 83. art 6* dicunt, eſſe in prædicto caſu non ſolùm aliud vinum, ſed etiam aliam hoſtiam conſecrandam, niſi Sacrum fiat in loco publicò, ubi plures adſint. Verùm quia nulla eſt intrinſeca neceſſitas iterandæ hujus conſecrationis, multi inſignes Doctores, ac viri timorati ſequuntur opinionem Scoti *loc. cit.* abſolutè negantis, eſſe repetendam conſecrationem ullius hoſtiæ. Ita Navar. *c. 25. num. 91.* Suarez *cit. ſect. 1.* Coninck *num. 279.* & Sanctgallenſes *Part. 4. dub. 7.* alii; quorum ſententiam licèt Nugnus *quæſt. 83. art. 6.* more ſuo durus in Suarezium, vocet improbabilem, & contrariam certam, hæc tamen cenſura non aufert probabilitatem practicam, quam tamen non ſequerer in loco planè privato. At verò D. Reding. *cit. art. 1. Controv. 4. num. 6. & 7.* tametſi præferat ſententiam S. Thom. attamen oppoſitæ non negat probabilitatem.

Quòd ſi in prædicto triſti eventu vinum non 772
eſſet in templo, oporterétque per mediam turbam aliud adferre, exiſtimat Azor *Tom. 1. L. 10. cap. 33.* Bonacina *cit. quæſt. ult. punct. 10.* eſſe ſuperſedendum conſecratione calicis. Rubricæ volunt, ut exſpectetur, ſi aliquantulùm exſpectando poſſit haberi vinum, quod & ego facerem, ſi abíque ſcandalo fieri poſſet. Nec in hoc diſſentit Azor, aut Bonac.

At verò ſi primùm, poſtquam rediiſti ad ſa- 773
criſtiam, certus fias, fuiſſe aquam pro vino infuſam, negant rectè Suarez, & Coninck *num. 280.* itémque Tamburinus *L. 2. c. 8. §. 5. n. 5.* eſſe tibi fas, ſupplere illum defectum, eò quòd eſſet omnino diſtincta actio, inquit Coninck; nam deberes tunc etiam novam hoſtiam conſecrare; & ſic novum Sacrificium perficere non jejunus, ait Suarez. Quod & ego credo eſſe verum. Ita ab hinc novem annos in quadam conferentia Caſuũ domeſticorum reſolvit alibi quidam ſolers Theologiæ profeſſor, impulſus eventu, qui paulò antè circa hanc ipſam difficultatem acciderat, ſicuti ipſe mihi ſcripſit, cupiens nôſſe, quid ego ſentirem.

774 Vnde apparet, Zachariam noſtrum haud peccâſſe, quòd non ſupplerit in ſacriſtia, vel (ſi in ea non erat, ut revera non erat, altare) extra illam commiſſum defectum. Sed nec erroris *practici* damno ejus confeſſarium, ſuperioris ſæculi Theologum, quandoquidem Tannerus *loc. cit. quæſt. 10. nu. 110.* docet ex communi, quando defectus (ſubſtantiales) corrigi poſſunt tempore *moraliter* continuo, corrigendos eſſe: Fuit autem ſtatim poſt ingreſſum in ſacriſtiam tempus *moraliter* continuum cum priore ſacrificio, quandoquidem potuiſſet (ratione continuationis) illic ſumere reliquias ſui Sacri, ſicuti cum Granado declaravi ſuprà *Caſ. XIII.*

775 Et verò eſſe licitum, tradit Granadus, nec improbabiliter teſte eodem Tamb. *in Meth. exped. Comm. c. 2. §. 8. nu. 35.* atque fuiſſe hoc ipſum practicatum Ingolſtadii, ſcripſit mihi ex aliorum relatione idem Pater Theologus. Illud quoque probabile eſt, quod tradit idem Tamburinus *De Sacrif. Lib. 2. cap. 8. §. 5.* ſi poſt conſecrationem propriè dubites, conſecraveriſne vinum, an acetum? eſſe præſumendum pro vino, utpote quod ſit in poſſeſſione adeóque nil repetendum; ſecùs ſi dubium exoriatur ante conſecrationem.

776 His occaſione noſtri particularis Caſûs propoſitis ſubjungo alia, concernentia correctionem defectuum cæterorum, qui contingunt inter ſacrificandum.

SECTIO II.

Alii defectus Miſſæ proponuntur, & ſingulariter de Intentione.

SUMMARIUM.

Defectus non ſubſtantiales ſunt communiter non ſupplendi. 777.
Declaratur enumerando aliquos. 778. & ſeqq.
Deſcribitur doctrina S. Thomæ de dubitante, an quid omiſerit. 781.
Item & P. Hurtadi de modo repetendi, verbum omiſſum. 782.
Defectus debitæ intentionis rariſſimè contingit. 782.

Qualis ſufficiat? 783. & ſeqq.
Singulariter pro conſecratione particulari? 786.
Non eſt formanda intentio ſub conſecratione 787.
Mirum judicium P. Leſſii de intentione actuali. 788.
Quid agendum dubitanti, an quid ſubſtantiale omiſerit? 791.
Quid agendum, quando aliquid ſanguinis effuſum fuit? 793. & ſeqq.
Quid, quando hoſtia lapſa, quò non debuit? 796.
Caſus de lapſu hoſtiæ in barbam, & in mulieris veſtes interiores? 799.

DIco I. Defectus non *ſubſtantiales* Sacri- 777
ficii, qui commiſſi ſunt, ordinariè non ſunt corrigendi; pulcherrimus enim ordo Miſſalis non eſt turbandus eâ correctione. Hinc Suarez *Diſp. 83. Sect. 3.* & Gavantus *Part. 3. Tit 10 num. 16.* rectè monent, ſi oblitus dicere: *Gloria*, vel *Credo*, es aliquantulùm progreſſus, te non teneri repetere. Dixi: *Ordinariè*; Quia ſi res alioqui quamvis intra latitudinem accidentalium cæremoniarum gravis ſit, ut ſi panis deprehendatur fermentatus, vinum valde acetoſum, aut ſuo tempore aquâ non mixtum, tum defectus ille quamprimum ſupplendus erit, ſi ante oblationem, aut etiam (quoad defectum aquæ) ante conſecrationem notetur, inquit Tannerus *num. 112.* ſubdens: *Similiter ſi levis ſit defectus. & exigua mora* 778
interceſſerit, ita ut facilè corrigi poſſit, haud dubiè ſuppleri debet. Verùm Suarez, loquens de levioribus ſolùm dicit, ſuppleri *poſſe*, non dicit, *debere*, & S. Thom. mox citandus abſolutè ait, iis, quæ non ſunt de eſſentia Sacrificii, incorrectis debet ulteriùs procedi, quod etiam ſcribit Dicaſt. *num. 289.* Ego cum Tam- 779
burino *Lib 2. cap. 5. §. 2. n. 26.* dico, eſſe debere valde modicum progreſſum, ut obligeris ad repetenda, quæ altâ voce dicuntur; at quæ ſecretò, eſſe iteranda, etſi ſis paululùm progreſſus, quia illud vix ſine ſcandalo, ſeu murmuratione populi fieri poteſt. Et, ut clariùs, commodiúſque ad praxin loquar, ſi in privato ſacello omiſiſti *Gloria*, póſtque dictum *Dominus vobiſcum* recorderis defectûs, ſupple mox; ſin in templo coram pluribus, ne ſupple. Idem de *Symbolo*. Quòd ſi orationem, quam tertio loco debebas, recitâſti ſecundo, dic tertio (ſi errorem notes ante initium Epiſtolæ) illam, quam debebas ſecundo, & ne repetas dictam. Quando cantas officium, omitte liberiùs ſuppletionem, ne confuſionem parias, ac murmur.

Dices. *Omiſi ante Epiſtolam unam collectam,* 780
omiſſionis recordor, quando venio ad Secretas, quid agendum? Reſp. Non quidem eſt tunc reſumenda collecta, quam omiſiſti, eſt tamen ei reſpondens Secreta ſecretò dicenda; ſi autem in mentem veniat error is ſolùm ad Poſtcommunionem, omitte penitus. Gavant. *loc. cit.*

781 Dico II. Quando dubitas, utrùm quid omiseris nec ne, quia videlicet non recordaris, te dixisse, habe in præsenti memoria doctrinam auream Angelici Doctoris *cit. q. 83. a. 6. ad 5.* ita differentis: *Si quis non recordetur, se aliquid ad Missam pertinens dixisse*, (aut feciſſe) *non ideo turbari debet, eò quòd, qui multa dicit* (aut facit) *non possit recordari omnium, quæ dixit* (aut fecit) *adeóque nil debet repetere propter eam solam causam, quòd non recordetur, an hoc aut illud fecerit, aut dixerit; si tamen probabiliter ipsi constet, se aliqua omisisse, siquidem non sunt de essentia Sacrificii, non existimo, quòd propter hoc debeat resumere, immutando ordinem Sacrificii, sed debet ulteriùs procedere, si verò certificetur, se aliquid ad substantiam Sacrificii spectans omisisse, debet resumere a forma*
782 *consecrationis.* Hactenus S. D. Sunt autem defectus *substantiales*, defectus intentionis consecrandi, defectus panis & vini: defectus formulæ consecrationis, & quartò, quando non est sumpta utraque species. *Primus*, ut statim patebit, rarissimè contingit, sicut & *quartus*. De *secundo*, & *tertio* dixi superiùs; & præter dicta legantur Rubricæ *sub Titulo: De Defectib.* valde clarè & distinctè loquentes; ac singulariter observetur, si ante consecrationem notetur, hostiam esse notabiliter fractam, debere aliam accipi. Dicast. *n. 290.*

Observetur & practica doctrina P. Gasparis Hurtadi *De Sacrif. Disp. 4. diffic 13.* sic scribentis. *Si sacerdos prudenter (id est ob causam rationabilem) dubitet, aut timeat, se omisisse, aut insufficienter pronuntiâsse verbum aliquod essentiale consecrationi, verbum omissum repetendum est submisse, vel illud solum, si aliud verbum non fuit interjectum, & ferè statim repetatur, aut repetenda sunt omnia verba essentialia, si aliquod verbum fuit interjectum, vel si longum tempus interceſſit; sed non sunt repetenda absolutà intentione, sed sub ea conditione saltem mentaliter conceptâ:* Si non protuli, aut non protuli sufficienter.

783 Dico III. De intentione repetendum est id, quod paulò antè dixi, scilicet rarissimè (imò nunquam, nisi sacrificans sit sceleratissimus homo) consecrationem seu Calicis, seu Hostiæ principalis esse irritam ob defectum intentionis; omnes quippe Doctores post S. Thom. *q. 64. a. 8. d 3.* pronuntiant, sufficere *virtualem*, cùm sit multis *moraliter* impossibilis *Actualis* tempore consecrationis, ut notat idem S. D. *Virtualem* autem habet omnis ille, qui præditus libero usu rationis induit se vestibus sacris, itque ad altare cum proposito dicendi Missam, sicut tradunt passim Doctores, & liquet ex dictis de intentione *Virtuali*
784 *Tract. 1. nu. 64.* Quin imò expressè docet Tamburinus *Lib 2 De Sacrificio cap. 1. §. 2. num. 9. ac 10.* à te & *validè*, & *licitè* consecrari, dummodò aut semel in vita seriò dixeris: *Quoties indnam sacras vestes, accedam ad altare, & Sacrum aggrediar, volo consecrare*; aut susceپturus sacerdotium dixeris: *Volo jam fieri sacerdos, ut perficiam annexa huic sacro muneri*, modò hanc intentionem non revoces. Nec dubito, quin etiam ita sentiat Henriquez *L. 1. cap. 10. num. 2.* multúmque faveat Valentia *Tom. 4. Disp. 3. quæst. 5. punct. 3. versus: Quintò requiritur.*

Verùm quia idem Tamburinus, ne videatur 785 subscribere opinioni censentium, ad valorem Sacramenti sufficere intentionem merè *habitualem*, subdit *num. 12.* & rectè quidem, nunquam *moraliter* fieri, quin is, qui alterutram intentionum jam primùm indicatarum olim formâsset, ei aliam propriè *Virtualem* superaddat, quoties operatur sacris, eò quòd libere induere sacras vestes, ire ad aram, recitare, quæ ibi recitantur, jam sit habere *virtualem* (*vel si mavis appellare, Implicitam*) intentionem consecrandi, quia, inquam, hæc subdit P. Tambur. idcirco reor, ad validitatem nil referre, seu sequaris, seu non sequaris prædictam sententiam Henriquez, quam cum communi conciliat Bonacina *De Sacram. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. § 3. num 15.* Verùm suadeo tutiora.

Si tamen illam Tamburini doctrinam ex- 786 tendas ad validam consecrationem particularum pro Communicantibus, eam extensionem utique rejicient idem Bonac. *loc. cit.* atque Dicast. *De Sacram. in gen. Tr. 1. disp. 3. nu. 82.* aliique communi calculo. Etenim, ut alia omittam, in proposito generali consecrandi nec *implicitè* quidem involvitur intentio consecrandi illas particulas, cùm ne quidem involvatur in præcisa intentione faciendi Sacri elicitâ tunc, cùm induis vestes sacerdotales. Et proinde, si te inscio positæ sunt supra aram, vel arulam, & Corporale quoque, non evadunt consecratæ, cùm nulla sit voluntas penitus incogniti. Laymann. *L. 5 Tr. 4. cap. 2. n. 14.* Quò igitur censeantur hæ è non sacris factæ sacræ, est intentioni faciendi Sacri addenda aliqua similis illi, quam expressi *num. 84.*

His de Intentione adde ex sententia Caje- 787 tani, Suarii in *quæst. 6. art. 8. in Comment. sub fin.* atque Tamburini *cit. §. 2. num 8.* non esse consultum, ut tempore ipsius consecrationis elicias interiùs hunc actum: *Ego intendo consecrare*; sed melius esse, ut tunc cogites de sensu verborum, seu de ipso mysterio à te conficiendo; quam ego doctrinam singulariter à scrupulosis notari velim: si enim cogitent potiùs de mysterio, quod conficiunt, jam habent *in actu exercito* intentionem consecrandi, ut observant iidem; igitur non debent esse anxii, licèt desit, aut defuerit alia *actualis*; de qua audi, quid memoretur in vita P. Leonardi Lessii, *cap. 11. num. 56. Animo*, ait autor, *sic præ-* 788 *sens erat inter sacrificandum, & sic quid ageret, sciebat, ut affirmaret, se nunquam absque directa, ut ajunt, intentione consecrationem peregisse; egisse; superétque, hominem posse reperiri qui, quid ageret, non meminisset. Vires omnes hic ita impendebat, ut oppidò lassus finito Sacrificio vix consisteret.*

789 Adde etiam his ea, quæ de intentione pro consecratione particularum tradidi *Casu. III. num. 84.* & quæ *Cas. V. num. 161.* de intentione necessaria ad applicandam Missam huic aut illi.

790 Adde quoque, posse pluribus circa intentionem scrupulis occurri ab eo, qui vel priusquam se vestiat sacerdotali amictu, vel dum è sacristia progreditur ad aram, cum reflexione, & non ex solo habitu pronuntiat orationculam, à Gregorio XIII. dotatam Indulgentiis, atque idcirco descriptam in calce hujus Tractatûs. Non tamen probandus Liamas *in Summa P. 3. C. 5. §. 14.* damnans de mortali illum, qui ante Missam non exercet actum, quo in speciali consideret aliquantulum, quis ipse, & quis Deus, quem attrectare cogitat. Nam talis actus est in *consilio* optimo, non in *præcepto*.

791 Dico IV. Quando quis ob occurrentes rationes propriè dubitans, utrùm quid *substantiale* omiserit, propendet magis in eam partem, quòd nil omiserit, nil repetere debet. At verò repetere debet, ac supplere, si propendeat ma-
792 gis in eam partem, quòd omiserit. Sic docet singulariter Nugnus *loc. cit.* subdens: *Si æqualiter dubitet pro utraque parte, videtur mihi sub meliori judicio, quòd debet loqui ad populum, ad tollendum scandalum, & repetere à consecratione panis.* Verùm censeo, nil esse dicendum populo, nihil enim esset aliud, quàm crabrones irritare; sufficit, si fiat repetitio illius solius, vel quod omissum est, vel quod *essentialiter* requiritur ad suppletionem omissi.

793 Dico V. Si sanguis sacer cadat super linteum, tabulam, vel tapetem, satis est, si tabula lambatur linguâ, deinde radatur, & rasura combusta mittatur in piscinam, si habeatur, vel in terram sacram seu cæmeterium, ut notat Henriq. *L. 9. C. 36. n. 4.* Suar. *D. 85. Sect. 1.* Tannerus *cit. q. 10. num. 119.* & alii conformiter Rubricis. Linteum verò, & tapes tribus vicibus lavetur, non autem exscindatur, ut voluit Binsfeldius, refutatus à Tannero, atque aliis. Quòd si in ipsum corporale, aut patenam aliquid defluxit, non esse opus ea lavare, satis innuit Suarez *loc. cit.* Lavandum supra calicem Corporale, exprimit Tamb. *l. 2. c. 8. §. 7.* & putarém, decentiùs digito canonico, quàm linguâ excipi guttas, quæ quandoque in patenam defluunt.

795 *At quid fiet comptâ, aut bipalmari barbâ, in quam stillavit sanguis?* Resecanda erit, & exurenda, si vocetur ad tribunal, cui præsit Bartholomæus ab Angelo, assentietúrque P. Dicast. ut patet ex iis, quæ adfert hic *num. 301.* Sed mitiorem sententiam ferent Bonac. *cit. punct. 10.* & Gavantus *part. 3. tit. 10. num. 12.* contenti, si bis, tèrve abluatur, & aqua ablutionis effundatur in piscinam. Pedibus eo in hanc clementiorem sententiam, quia multis accideret perdifficilis, ac permolesta illa barbæ resectio, quam nullum jus præscribit.

796 Quæ de loco, in quem sanguis sacratus incidit, dicta sunt, eadem proportionaliter de loco, in quem lapsa est sacra hostia, asserunt Suarez. Tann. Dicast. *ll. cc.* Fagundez de *præc. Eccles. præc. 1. Lib. 3. cap. 20. nu. 13.* adstipulantibus Rubricis *Tit. de Defect. num. 15.* testatúrque Fagundez, ita factitari à Religiosis, res divinas decentiùs habentibus. Quare quando parva hostia inter communicandum cadit in terram, est mox tollenda, & locus, in quem incidit, tegendus strophiolo, ut postea radatur, & lavetur.

797 Si cecidit super linteum communicantium, est etiam mox tollenda, & si plures sint communicaturi, ut vitetur confusio, non est mox auferendum linteum: sufficiet, si notetur locus tactus, ut postea abluatur, atque aqua mittatur in piscinam.

798 Si in pileum, aut collare delapsa est, deberet ex principiis, & sententia illorum Doctorum communicans modestè moneri à sacerdote, ut statim post sacrum ad se veniret, ac deinde præberet pileum, aut collare lavandum. Sed collare quis dabit? Et quis petet à muliere? P. Simon Felix Theologus consummatus in conferentiis Casuum Domesticorum Anno 1640. docuit, nullam ullius sæcularis vestem esse lavandam. Idem docet & Tambur. *L. 2. c. 8. §. 8.* sicut & barba, in quam lapsa est hostia. Hos tutò sequeris, utque tantò certiùs, en verba ipsiusmet Tamburini referentis suum judicium de duobus casibus facilè iterabilibus; sic ergo loquitur

De utroque Casu.

799 *Torsit olim sacerdotem fragmentum sacræ hostiæ, quod per collum cecidit in partes interioris tunicæ cujusdam mulieris. Rursum quod aliâ vice cecidit in barbam viri, dum communicarent. Profectò in his casibus honestatis, & decentiæ ratio maximè est habenda; quòd si per accidens fragmentum deperdatur, Deo & Angelis commendetur. Potuit ergo mulier illa ex se videre, an fragmentum inveniri, & extractis à se parumper vestibus, & foras modestè exporrectis à sacerdote accipi: secùs, ipsa mulier accipiat, immittat in pixidem, digitósque lavet, projectâ in sacrarium lotione; neutrum si possit, relinquatur. Imò, si sacerdos solus vidit parvi fragmenti casum, & probabiliter advertit, fore notabilem mulieris turbationem, vel astantium offensionem (id quod certè regulariter adest) si de re mulier advertatur, nihil*

nihil dicat sacerdos, sed totum remittens Deo progrediatur in suo ministerio, hoc enim nunc
requirit ipsa reverentia, & cultus sacer. Simile quid de illius viri barba dicendum est, si enim sacerdos modestè potest & sine viri offensione, accipiat, secùs, Deo commendet. Quòd si potuit accipere, ne deinde sit sollicitus tentare, vel præcipere barbæ lotionem; melius enim est, vitare turbationem fidelium, quàm Rubricarum apicem, ejusmodi cautelas præcipientem observare. Ex his similia, quæ facilè occurrere in dies solent, ex te ipse colligere potes. Sic Pater Tamburinus.

SECTIO III.

Alii adhuc defectus Missæ proponuntur.

SUMMARIUM.

Quibus casibus liceat, aut oporteat interrumpere Sacrum? 801. & seqq.
Et quomodo interruptum debeat perfici ab alio? 803. & seqq.
An, si sacerdos lapsus possit ad vires redire per sumptionem jentaculi, debeat potiùs sumere, quàm alius ipsi substitui? 806.
Casus duorum sacrificantium, turbatorum à tauro furioso, ingresso templum. 807.
Vide inchoandum Sacrum, quod interrupisti evocatus subitò ad agonizantem? 809.
An sacrificans Licitè *deponat vestes, dum alius interrumpit concionem ejus sacrum? 810.*
Quomodo peccet sacrificans submissâ voce legendo? 814.
Aut nimis festinanter? Ibid.
Quomodo distractè? 817. (819.
Singulariter in canone, & communione. 818. &
Proponitur singularis opinio Cotonii de obligatione exercendi sub Sacrificio omnes interiores actus virtutum, quos indicant verba Missalis. 821. & 822.
Refutatur. 823. & seqq.
Quid agendum advertenti, digitum esse atramento illitum? 828.
Refutatur Cotonius damnans mortalis non lavantem manus. 828.
Epileptici an licitè *sacrificent? 829.*
Et Leprosi? 831.
Quid agendum, quando deprehenditur, hostiam esse fractam? 832.
Casus de sacerdote oblito consecrare hostiam, exponendam in Monstrantia pro comprecatione 40. horarum. 833.
Refutatur P. Fagundez, ratus potuisse à sacrificante absumi parvam, & illam, quam pro se consecraverat, exponi in Monstrantia. 834.
Sicut ille Sacerdos, qui pro elevatione fuit usus majore hostiâ, consecratâ ante aliquot dies. 836.
Et ille, qui grandiori hostiâ non consecratæ adjunxit minorem consecratam, & sic præbuit adorandam. 837.
Casus hostiæ tactæ fulmine. 838.
Quid agendum hostiâ repertâ apud Magum? 830.
Praxis in ritè sumendo calice. 840.
Quando sacerdos est uno die sacrificaturus bis, quid faciet vino ablutionis? 840.
Detergetne calicem, in quo fecit primum sacrum, an verò permittet exsiccari? 841. & 849.
An est tali sacerdoti fas celebrare in priore calice non extersò? 850.
Quando antiqui Christiani erant communicaturi sub utraque specie, infundebatur tantùm parùm sacri sanguinis in magnum poculum. 851.
Non licet præbere communicantibus calicem sacrificantis. Ibid.
Non peccat celebrans accipiendo pro purificatione solam aquam. 853.
Quid aget Sacerdos, videns adesse tam parùm vini, ut sufficiat ad solam planè consecrationem? 852.
An licitè *perfundantur solo vino digiti? 853.*
Doctrina consolatoria errantium ex inadvertentia. 855.
Quid agendum, quando aranea incidit in calicem? 856.
Refertur factum S. Norberti, ebibentis tale vinum consecratum. 857.
Refertur & Sancti Conradi id ipsum facientis. 859.
Defenditur utriusque factum 853. & 861.
Quæritur an imitandum? Ibid.
Concluditur, non esse ordinariè imitandum. 864.
In tali Casu accipiendus est alius calix. 862.

801 Quæritur I. *An, & quando sit fas, vel nefas interrumpere sacrum jam cœptum?* Est ex se peccatum mortale. S. Thom. *3. Part. qu. 83 art. 6. ad 2.* hanc interruptionem vocans immane sacrilegium. Certè sub excommunicatione prohibetur *cap. Nihil. 7. quæst. 1.* Sunt tamen nonnulli eventus, quibus fas, alii, quibus præceptum est facere interruptionem. In primis enim Sacrificium *licitè* interrumpitur ratione concionis. Item ratione aut fracti jejunii, aut peccati lethalis, aut censuræ; quorum quis recordatur cœpto jam Sacro, sicuti partim *directè*, partim *remissivè* explicavimus *Cas. XIII. & XIV.*

802 Adhæc si tempore Sacrificii Ecclesia polluatur effusione notoriâ sanguinis humani antè consecrationem, vel si in eam ingrediatur excommunicatus vitandus. Coninck. *Tom. 2. in 3. Part. disp. 14. nu. 51.* De quo Casum memorabilem Tamb. refert *Lib. 2. c. 7. §. 4.* quo pacto scilicet Episcopus Messanensis tempore sui so-

lennis Sacri, quod celebrabat ipso die Natalis Domini, videns adesse senatorem excommunicatum à se, jusserit exire templo, at nolente ullo modo parere, Episcopus perrexerit in Sacrificio. Noluit autem parere Senator, quia ritè appellaverat priùs à sententia, pendente autem appellatione non erat vitandus. Laymann. *Lib. 1. Tract. 5 part. 2. cap. 4. num. 2.* Et fortè ipsimet Episcopo subiit tunc memoria hujus doctrinæ, ideóque perfecit Missarum solemnia. Plura de hoc Casu *Tract. 5. Cas. XVIII.*

803 Rursum si tam gravis infirmitas Sacrificantem obruat, ut nequeat pergere, idque antè consecrationem ipsam; non oportet, ut per alium suppleatur, inquit S. Thomas *Quæst. 83. art. 6. ad 1.* Poterit tamen alius (nisi fortè infirmus redeat brevi ad se, sicuti declarari potest rato, reperibilique casu P. Lessii, referendo à nobis *in Alphab. Communic. Cas. X. num. 167.*) substitui, qui vel pergat, ubi alter desiit, sicuti notat Laymann. *cit. Tract. 5. cap. ult. num. 2.* vel incipiat ab Accessu. Tann. *cit. disp. 5 quæst. 10. num. 11.* Si verò jam cœptâ consecratione hoc acciderit (puta consecrato utroque) debet Missa celebritas per alium expleri, inquit S. Thomas ibidem ex *c. Nihil. 7. quæst. 1.* ne videlicet Sacrificium remaneat *substantialiter* imperfectum. Et quidem si nequeat haberi jejunus, adhibendus est non jejunus. Laymannus, & alii omnes.

804

805 At si non adsit ad manum sacerdos nec jejunus, nec non jejunus, nec liber, aut obstrictus vinculo excommunicationis, irregularitatis, &c. (Omnes hi quippe admittuntur, cùm desunt magis idonei) qui perficiat Sacrificium ab alio perductum usque ad consecrationem utriusque speciei, *quamdiu erit quærendus successor?* Eram Friburgi Nuithonum, cùm è Conventu RR. PP. Capucinorum fuit advocatus Pater ad Monasterium Sanctimonialium distans horæ quadrante. Tamburinus *Lib. 2. cap. 8. §. 1. n. 2.* scribit, omnes teneri perficere, qui sine *gravissimo* incommodo possunt, & *num. 7.* subdit: *Omnes injungimus etiam post sex, vel septem horas perfici, ut si defectus contigisset summo manè, & sacerdos suppleturus inveniretur circa meridiem.*

806 Verùm *Cap. Nihil. 7. quæst. 1.* è quo S. Thomas desumpsit doctrinam ex ipso paulò antè relatam, non continet ullum præceptum, ut patet legenti: nec ullus, quantum memini, Theologus obligat cum gravissimo incommodo; sicut nec reverentia debita aut Sacrificio, ut consequenter dicerent Azor, ac Bonacina relati *num. 772.* aut incolumitati specierum sacramentalium; quis enim sub gravi reatu imponat onus sacerdoti (posito quòd nullus alius haberi queat) ita decumbenti ex podagra, vel alia ægritudine, ut nisi cum magno, quantumvis non maximo cruciatu, vel periculo augendi morbi nequeat imponere finem cœptæ immolationi? Puto itaque, non esse opus quærere diutius, quàm per unam horam circiter. At *quid si sacrificans lapsus post consecrationem possit ad vigorem revocari, at non aliter, quam sumpto aliquo liquido, aut solido? An* licitè *præbeatur ipsi?* Hanc quæstionem proposuit mihi Sacerdos, formidans, ne ejusmodi lapsus aliquando sibi eveniret. Respondi *primò*, esse (vitato scandalo) potiùs ita illi succurrendum, quàm admittendum alium sacerdotem non jejunum, ut per se clarum est. Respondi *secundò*, esse etiam verisimiliter jejuno præferendum, quia præceptum divinum de Sacrificio perficiendo ab eo, qui cœpit, prævalet præcepto jejunii naturalis, quòd omnino videtur desinere in tali casu. Utrùm autem formidans ejusmodi debilitatem accingat se *licitè* ad dicendam Missam, dijudicandum ex certitudine, vel incertitudine periculi; non permitterem (extra casum necessitatis) in periculo evidenti, in verè probabili dicerem id, quod infrà *num. 829.* de Epileptico rarò, & sine spuma cadente, si non esset unquam lapsus, juberem bene sperare.

807 Facies quoque *licitè* interruptionem, si consecrato pane, nequeas consecrare vinum sine evidenti periculo mortis imminentis ab impio hoste invadente templum, aut à ruina fatiscentis Ecclesiæ. Tambur. *Lib. 2. cap. 7. §. 1. n. 4.* Junge tamen his dicta *n. 48. in fin.* & quem Caramuel *in Theol. præterintentionali num. 881.* exhibet

Casum Timidi, & Animosi.

Madriti tauri agitati effractis repagulis discurrerunt per plateas. Eorum unus venit in templum S. Crucis, in quo duo sacrificabant. Unus aufugit, alter fisus Deo perstitit. Fugientem assecutus taurus graviter vulneravit, alter illæsus perstitit. Nonnulli putârunt, esse ultionem divinam.

Ita Caramuel, excusans tamen utrumque. Primum, quòd non debuerit se committere tanto discrimini, aut miraculo. Alterum, quòd is potuerit timere scandalum populi, irreverentiámque Sacramenti, vel ignorare, quid deberet facere; & cùm non daretur copia consultoris, utramque partem æquè bonam, & æquè malam judicare, ideóq; facere, quod vo uit, quia quando utraque pars contradictionis apparet æquè mala, alterutra potest fieri sine scrupulo, inquit hic Doctor. Ego sicut existimo, esse *per se* licitum, aufugere in ejusmodi discrimine, ut patet ex paulò antè dictis ex P. Tamburino, ita nollem damnare temeritatis, qui tunc jactaret curam suam in Dominum. Vide eundem Caramuel *loco citat. Casu 25. n. 2683.* ubi refert

Impiissimum factum.

Quo scilicet pacto sicarius invaserit pugione

ne ſacrificantem Madriti, hic autem illum ſtraverit candelabro aneo, ac mox perrexerit in Sacrificio, & quidem juxta Binſfeldium, Silveſtrum, alios rectè.

808 Eſt quoque interrumpendum Sacrum, ſi eo choato ſacerdos, qui ſolus tunc haberi poteſt, moneatur, eſſe quempiam in extremis conſtitutum. Si quippe ſit periculum in mora, illéque æger indigeat abſolutione, *licitè* etiam poſt conſecrationem, ſi tunc primùm commoneſiat, depoſitis Sacris veſtibus (quando æger non eſt proximus Eccleſiæ) accurret ad eum cum hoſtia, oleóque Sacro; atque his tribus Sacramentis, vel uno, alteróve, prout capacitas, neceſſitáſve decumbentis exegerit, adminiſtratis, redibit ad abſolvendam Miſſam: ſin indigeat vel ſolo viatico, utpote primùm veſperi confeſſus, vel ſolâ extremâ unctione, utpote jam viaticatus, negat Tambur. *Lib. 2. cap. 7. §. 7. num. 2.* fas eſſe poſt oblationem, ne dum poſt conſecrationem abrumpere rem divinam, id tamen rectè permittens caſu, quo putaretur, alterutrum horum Sacramentorum eſſe ipſi neceſſarium.

809 *At unde auſpicabitur myſta Sacrum abruptum?* Reſp. Si abrupit poſt conſecrationem, continuabit, ubi deſiit; ſi ante, & tantùm unâ horâ abfuit, continuabit itidem, ubi deſtitit; ſi diutius horâ, inchoabit novum, aut etiam omnino omittet, ſi lubuerit; nec enim apparet ratio, quæ adigat ad alterutrum. Ita Tambur. *loc cit. num. 6.* Vide etiam Laymann. *cit. Tract. 5. cap. 7. num. 2.* Et repete, quod *n. 196.* circa hunc caſum, ſatis per Dei gratiam in tanta copia ſacerdotum rarum attuli; ſicuti & ille rariſſimus eſt, quo ſit opus facere abruptionem propter baptizandum infantem, qui tamen, quia evenire poteſt, ideo illum ſingulariter explico *in Alphab. Baptizant. Caſ. VIII.* illuſtrans tam miro, quàm noto multis exemplo S. Maurilii.

810 At verò fortè frequentius eſt, quàm deceat, id, quod ſæpe ſe vidiſſe factitatum, meminit Dicaſtillo *De pœnit. diſp. 8. dub. 3. num. 65.* quòd videlicet nonnulli, *qui de more abrupe-rant Sacrum tempore concionis habitæ ab alio, non modò receſſerint in ſacriſtiam, ſed etiam ſeſe omnino exuerint veſtibus Sacris, & in ambulacro ambulaverint recitantes officium diurnum,* quod ego ſanè non poſſum probare, tum quòd illa depoſitio veſtium præbeat nimiam occaſionem tractandi profaniſſima, adeóque diſcedendi interim ad domos vicinas, illícque faciendi omnia, quæ fierent, ſi Sacrum nondum cœptum eſſet; tum quia, cùm certum ſit, interruptionem Sacri non eſſe *moraliter* ſimul & *phyſicè* ſuſcipiendam ſine gravi cauſâ, ſequitur, morem, conſuetudinémque interrumpendi debere reſtringi ad ſolas circumſtantias neceſſarias, ut ſcilicet conſervetur *moralis* continuatio, quoad poteſt: quæ enim à jure communi exorbitant, reſtringenda ſunt. *Reg. 28. in 6.* & DD. *ibid.* hæc autem *moralis* continuatio nimiùm læditur per illam ſpoliationem veſtium cum egreſſu è templo.

911 Utrùm verò ſit fas, recitare preces vocales, e. g. unam ex Horis, Canonicis, tunc cùm ſacrificans debet expectare, donec Muſici abſolvant *Gloria* & *Credo* prolixum, jam dixi *num. 752.* eſſe fas.

812 Quæritur II. *Quomodo Myſta delinquat pronuntiando, feſtinando, mente vagando.* Reſp. P. Emanuel Sâ *verb. Miſſ. num. 50.* obſervat, à nonnullis non illepidè ſcribi, Miſſam eſſe legendam cum A. B. C. D. Id eſt: *Altè: Breviter: Clarè: Devotè.*

813 *Altè*: efferendo altâ voce, quæ Rubricæ præſcribunt ita efferenda; te tamen à peccato, quod apud Sa aſſerit Navarrus excuſabit etiam timoratorum virorum conſuetudo, licèt hæc ipſa promas demiſſâ voce, præſertim cùm facis ad aram lateralem. Cæterùm jam monui *num. 69.* graviter delinquere, qui formam ſacramentalem altâ voce effert.

E diverſo Tamburinus *Lib. 2. cap. 9. §. 3.* omni culpâ liberat Religioſos, qui fruentes privilegio, à Leone X. conceſſo ſanctiſſimæ religioni Fr. Minorum, ſolâ mente tam in Miſſa, quàm in Breviario dicunt ea, quæ ſubmiſſâ voce eſſe dicenda exprimunt Rubricæ; ſicut & illos, qui tam tenui ſono efferunt hæc ipſa, ac totum Breviarium, ut ne quidem ſe ipſos, etſi probè auriti valeant audire. Quod poſterius & ego hactenus cenſui eſſe perquàm probabile, ſuadens tamen praxin contrariam; utpote magis convenientem excitandæ pietati.

814 *Breviter*, at non feſtinanter, perinde ac ſi vel eſſet à tergo, qui ſcuticâ urgeret, vel præmio certandum foret de Sacro *venatorio*, ut loquimur Germani, intra horæ quadrantem abſolvendo. Memor eſto illius à Romanis uſitati monitî: *Adoraturi ſedeant*; graviter, non autem curſim aut verba deproperent, aut cruces inſtar hiſtrionum, vel pugilum efforment. Miſſæ nec nimis prolixè, nec nimis feſtinanter legantur, inquiunt noſtræ Conſtitut. Synod. Conſtantienſes *Part. 1. tit. 9. n. 6.*

Breviter, id eſt circiter dimidiam horam, vix enim brevìori ſpatio poſſunt omnia in communibus Miſſis peragi cum debito decore, ac devotione; cùm tamen ſit neceſſariò tanta mora tribuenda Sacrificio, quanta neceſſaria eſt ad ritè, ac devotè omnia peragenda, ut reliquos inter opportunè obſervat multò piiſſimus P. Antonius de Molina Carthuſianus, in ſuarad inſignem pietatem egregiè compoſita *Inſtructione Sacerdotum Tract. 3. cap. 13. §. 2.* Nec facilè quis mihi perſuadebit ſe communiter cum ſenſu pietatis, & ſine multis imperfectionibus intra horæ quadrantem finire Sacrum; certè non credit Molina *loc. cit. cap. 14. §. 1.*

815 *Breviter* etiam quandoque ob illos, qui Sacrum tuum audituri ſunt. Nec enim aſſentior eidem

eidem P. Molinæ *loc. cit. cap. 15.* juncto *cap. 14.* contendenti, rectè agere ſacerdotem, qui tres horæ quadrantes, aut etiam horam ſolidam impendit ſacræ liturgiæ, ut ſuæ privatæ devotioni ſatisfaciat, tametſi nôrit, fore ut ex tanta prolixitate oriantur in præſentibus ſcandala, obmurmurationes, ſtomachationes.

Etenim tenemur bonum noſtrum ſpirituale, ad ſalutem nullo modo neceſſarium, omittere propter præviſum ſcandalum proximi ex infirmitate, aut ignorantia oriturum S. Thomas *2. 2. q. 43. a. 7.* Vaſquez *De ſcandal. art 8. dub. 2.* alii; illud autem ſcandalum, de quo nunc eſt ſermo, oritur ex ignorantia; cùm enim viri etiam piiſſimi non ſoleant hac ætate in publico hærere ad aram horâ unâ, non poſſunt ſibi perſuadere homines, rectè agere illum, qui contra cæterorum etiam proborum conſuetudinem, ac ſenſum trahit *cum tædio ad geniculantium* tantam moram propter ſuam devotionem, niſi fortè is ſit notæ ſanctitatis.

Quid ſi autem nonnulli ſcandalizentur, quando dimidiam horulam do rei tantæ? Reſp. cum Salvatore *Matth. 11. Sinite illos*; *cæci ſunt.* Scandalizantur hi non ex infirmitate, ſed malitiâ. Ergo nulla habenda ratio ipſorum. S. Thomas *cit. art. 7.* Excipe caſus nonnullos extraordinarios.

816 *Clarè* leges Miſſam, ſi diſtinctè pronunties omnia, quæ pronuntianda ſunt; ſi, inquam, nulla verba, vel ſyllabas omittas, devores &c.

817 *Devotè*, ſi cum fervore, interniſque actibus pietatis.

Rurſum: *Devotè*, ſi attentè; atque ita quidem, ut, ſi voluntariè diſtraharis extra Canonem, delinquas; etenim aliquam irreverentiam admittis. Tamburin. *Lib. 2. cap. 3.* At tantùm venialem, tametſi valdè diu: dummodò cætera rite peragas. Idem *ibid. num. 8.* Nec enim apparet, cur ita recitantem officium Canonicum abſolvant à mortali plerique antiqui, & ex Recentioribus Cardin. de Lugo *De Sacrament. Diſp. 22. ſect. 2.* aliíque permulti contra Suarez *Tom. 2. De relig. Lib. 4. cap. 26.* non autem te abſolvant iidem. Tametſi autem Antonius Molina *cit. §. 2.* ſcribat, nullum Theologum dubitaturum, quin gravem noxam contineat quælibet voluntaria diſtractio tempore celebrationis, ego cum P. Tamburino *loc. cit. num. 6.* agnoſco lethalem in diuturna ſub canone, ſaltem propter grave periculum committendi graves errores.

818 Quandoquidem enim Canon à: *Te igitur* uſque ad orationem Dominicam, partim continet, partim proximè antecedit, aut ſequitur eſſentiam Sacrificii, conſiſtentem in proteſtatione ſummæ ſubjectionis noſtræ, & reverentiæ erga Deum, ſicuti expoſuimus *num. 6. & 7.* non videtur vacare culpâ perquam gravi, qui id temporis lubens volens animo divagatur in res profanas; cùm præſertim divagatio poſſit eſſe in cauſa, ut eo tempore variè peccetur adverſùs cæremonias *reales*, ac *verbales*, quarum tamen obſervationem eo temporis articulo ſingulariter, ac ſeverè urgent Theologi, ut vidimus *num. 749.* Unde Coronius *cit. cap. 4. num. 45.* apertè damnat noxæ lethalis recitantem cum voluntariis diſtractionibus notabilem partem Canonis, definiens Canonem à: *Qui pridie* uſque ad tertium *Agnus Dei.* At verò Diana *Part. 11. Tr. 7. Reſol. 11.* & apud utrumque Pater Bardi *in ſelectis Lib. 8. quæſt. 6. num. 8.* negant tantam illic gravitatem culpæ.

819 Inſinuat quidem Tamburinus *in fin. cit. cap. 3.* eandem eſſe rationem foventis tempore communionis alienas cogitationes. Verùm quia Joann. Sanch. *in Select. diſp. 23. num. 22.* inficiatur, laicum eſſe reum noxæ mortiferæ, qui ſumit ſacram Euchariſtiam omnino alia cogitans, idcirco conſequenter negabit illud de ſacerdote, niſi fortè opponas, ſacerdotem ſacrificantem obligari lege divina conſumere utramque ſpeciem. Sicut autem peccati mortalis reus eſt, qui preces à Deo præſcriptas perſolvit animo in alia ſponte abrepto. Thomas Sanchez *Conſil. Mor. Lib. 7. cap. 2. dub. 28.* ita etiam qui ex præcepto Divino communicans communicat diſtractè. Malim tamen intelligere ſenſum aliorum hac de re, quàm quidquam certi definire, memor illius, quod ex S. Thoma & Gabriele retuli.

Illud incunctanter aſſero, nimis rigoroſè loqui eundem Molinam *cit. Tr. 3. cap. 13. §. 2.* dum ſcribit, teneri quem habere *actualem* intelligentiam, & attentionem omnium, quæ ſacrificando facit, vel dicit. In primis enim intelligentiam quod attinet; quotus quiſque eſt; præſertim minùs doctorum ſacerdotum, qui intelligat omnia, quæ vel in omnibus, vel in ſpecialibus Miſſis, earúmque Epiſtolis, Evangeliis &c. deſcribuntur?

820 Attentionem quod ſpectat, quis me arguat, ſi ſub *Confiteor* detineam me voluntariè in cognitione de B. Virgine; dum profero nomen S. Michaëlis Archangeli, S. Joannis Baptiſtæ? Quis, ſi, dum dico: *Hoc eſt enim corpus meum*, repræſentem mihi majeſtatem, humilitatem, alia attributa Salvatoris, nil interim expreſſè cogitando de hiſce verbis ſacroſanctis? Et ratio eſt, quia ſicut ad honeſtatem orationis in genere ſufficit attentio vel ad verba, vel ad horum ſenſum, vel ad rem; quæ petitur, ut notant Doctores cum S. Thoma *2. 2. quæſt. 83. art. 13. in corp.* ita etiam ad honeſtatem ſpecialium precum, quæ in Sacro funduntur, cæterorúmque verborum, quæ ibidem efferuntur.

821 Porrò quia hactenus actum de intentione, & attentione, requiſitis ad ritè ſacrificandum, explicanda eſt ſpecialis quæſtio, quam neque ego, neque Coronius, ut ipſe fatetur *celebr. Controverſiarum Lib. 1. controv. 6. cap. 2. n. 30.* reperimus diſcuſſam à quoquam, *utrùm videlicet urgeat obligatio fidei actualis interna quoties recitatur Symbolum fidei ſub Sacrificio?* Ex-

plicanda quoque generalis, quam idem scripror *Lib.2. controverſ.5. cap.1. num.2.* tangit, *utrùm ſcilicet verba Miſſalis proferenda ſint a ſacerdote* ſignificativè, *an verò ſufficiat, ſi* recitativè, *ſeu* hiſtoricè juxta explicationem horum duorum adverbiorum allatam *Caſ. IV. n. 93*? Et quidem *primam* quæſtionem quod attinet, Cotonius reſpondet *affirmativè*, eò quòd teneatur tunc ſacerdos facere publicam profeſſionem fidei, quam faceret mendaciter, ſi non tunc exerceret internos, & formales actus fidei.

822 Ad *alterius* quæſtionis *primum* membrum reſpondet quoque *affirmativè* reſpectu verborum continentium orationes, laudes, proteſtationes &c. Unde reprehendit Caramuelem, quòd per abuſum pro: *dicere* Miſſam uſurpet: *legere* Miſſam · *poteſt enim*, inquit hic Doctor, *locutio Caramuelis producere ſenſum peſſimum, quòd ſcilicet orationes, laudes, proteſtationes &c. quæ habentur in Miſſa, & ſignificant, eadem verſari in affectu celebrantis, tantùm* hiſtoricè, *& non* recitativè *proferri debeant, non ſubeunte eo, qui profert, obligationem veracitatis, & ſinceritatis ea proferendi ex propria perſona, & ea proferendi per veram intentionem, & veros actus orandi, laudandi, profitendi.* Ita ille, cui plurimùm favet, ſi non omnino concordat, perquam pius P. Antonius Molina, dum *num. 824.* relatus ſcribit, tanquam certiſſimum, receptúmque calculo omnium Doctorum, quòd nimirum ſacrificans teneatur habere *actualem intelligentiam, & attentionem omnium, quæ Sacrificando facit.* Cur enim requiritur hæc intelligentia, & attentio, niſi in ordine ad intentionem, actúſque voluntatis, & intellectûs expreſſos, indicatos, ſeu *implicitè* involutos verbis Cotonii?

823 Fateor equidem, haſce reſolutiones eſſe pias, earum praxin ultiſſimam, omníque modo ſuadendam *per ſe loquendo*, at neceſſitatem eas, prout ſonant, ſectandi non agnoſco I. Quia rem adeò difficilem nondum aſſuetis aſtruere ſine manifeſta ratione, aut firma authoritate non audeo propter toties repetitum à me, repetendúmque principium *morale*, quòd non debeamus gravem, & præſertim inauditam obligationem aſſerere ſine gravi ratione, vel irrefragabili authoritate, fatetur autem Cotonius, ignorari à ſe, qui ſecum ſentiat: Molina vult quidem, credi, ſuam doctrinam eſſe perſuaſiſſimam omnibus Theologis, at non modò nullum in ſpecie nominat, ſed neque probabit, ut credo, eſſe, aut fuiſſe unquam hunc communem ſenſum Doctorum. Neuter duorum illorum Doctorum firmat ratione ſua aſſerta, ergo planè locum hîc obtinet illud meum principium *morale*.

II. Priuſquam legerem illam duplicem doctrinam Cotonii, ſcripſi ea, quæ de attentione, intentionéque proferam *Tract.5.* ſeu *in Alphabeto Sacri audiendi, & Breviarii recitandi* duabus Diſputationibus, in quarum prima *num.763.* expreſſi hæc verba: *Non obligamur* (dum perſolvimus ſenſum canonicum) *ſeu exercere, ſeu elicere illos actus fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, humilitatis, bonorum propoſitorum, admirationis &c. qui indicantur verbis pſalmorum, hymnorum &c.* Hanc doctrinam non ſolùm rationibus firmavi, ſed lectam approbavère viri doctiſſimi, ſapientiſſimi. Et certè, ſi abſtrahamus à canone Miſſæ communióneque, atque ab iis, quæ clarum eſt, à Sacrificante proferri ſolo nomine privato, eadem eſt ratio Breviarii, quæ Miſſæ, quoad neceſſitatem, obligationémque actuum internorum, ut nominatim de attentione exprimunt, inculcando etiam canonem, Diana *Part.5. Tract.7 Reſ.11* & P. Bardi apud ipſum.

III. Tam multa verba Miſſalis continent, 824
ſeu ſignificant illos actus internos, quos partim exprimit, partim conſequenter involvit Cotonius, ut, ſi oporteret omnes elicere, deberent nondum habituati ſacerdotes neceſſariò horam unam cum tædio circumſtantium impendere uni Sacro, nec eſſet finis ſcrupulorum, imò & verorum peccatorum, eorúmque gravium, patratorum in Sacrificio.

IV. Sacri Myſtæ revera non credunt, ſe teneri ſeriò, & publicè confiteri ſuo Miniſtro, & circumſtantibus, quòd *nimis peccaverint cogitatione, verbo, & opere.* Sanè ſi Cotonius excepiſſet decies mille confeſſiones talium, fateretur ipſe in animo, ſi non aliis, vix quater obtigiſſe ſibi, qui accuſaret ſe de omiſſo prædicto actu.

V. Certum eſt, ea, quæ à Sacrificantis miniſtro proferuntur, eſſe æquè propriè partem Sacrificii accidentalem, atque ſunt plurima verba ſacerdotis. Quis autem hactenus impoſuit onus miniſtro, ut eliciat actus reſpondentes verbis à ſe prolatis, eſto illa optimè intelligat?

VI. Notum eſt, à Sacrificante multa dici, 825
fieríque in perſona Eccleſiæ, propriâ, & Chriſti. Quæ facit nomine omnino proprio, ut ſunt: *Munda cor meum: ſuſcipe Sancte Pater: Orate Fratres: Memento:* Orationes ante, & poſt ipſam communionem: *Placeat tibi &c.* ſunt utique proferenda cum intentione indicata, & reſpondente verbis. Quæ nomine Chriſti, (cùm ſit multorum opinio, quòd ea proferat ſolùm *recitativè*,) ſufficiet ut ſic, ſi religioſè enuntientur. Atqui nos *Caſ. IV. n. 93.* cum communi tradidimus, efferri *ſignificativè*, ideo quoad hæc quoque verba aſſentimur Cotonio. Denique eaque ut Eccleſiæ publicus Miniſter pronuntiat, neceſſe non eſt, ut pronunciet omnia cum exercitio actuum ſignificatorum grammaticaliter verbis, ſufficit, ſi evagationes interiores, exterioréſque caveat, verba integre proferat, habeátque generalem, ac veram intentionem proferendi eo animo, & ad illum finem, quo, & ad quem Eccleſia 826
deſti-

deſtinavit ea verba. Quam intentionem ſingulariter habet is, qui reflexè præmittit celebrationi oratiunculam dotatam à Gregorio XIII. Indulgentiâ 50. Annorum, & expreſſam in calce hujus Alphabeti. Probatur autem hæc reſponſio inſtantiis de verbis Epiſtolæ, atque Evangelii, quæ duo quiſquis cum exteriori decore cantat, vel legit, attendendo ne erret, adeóque procurando attentionem ſuperficialem, quam pro Breviario ſufficere, trademus ex ferè omnium ſenſu *infrà Tractatu V. numero 837.* omnino explet præceptum Eccleſiæ. Sicut ergo, quando recitans lectionem ſeptimam Breviarii, legis: *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Ego ſum paſtor bonus*, nullo modo teneris hæc verba dicere *ſignificativè*, adeóque nec credere (ex vi, & ratione hujus publicæ Lectionis, ſeu decantationis) Chriſtum Dominum protuliſſe hæc verba, ita neque obligaris, quando hæc ipſa verba profers in Sacrificio Miſſæ.

827 Quòd ſi exigas à me vel generalem Regulam, vel ſpeciales determinationes enuntiandorum cum exercitio actuum, quos exigit Cotonius, hanc provinciam tranſferam in alium, qui hiſce lectis, expenſis, ferat judicium fortaſſe ſanius, quàm ego; ſufficit, quòd primus agitaverim hanc quotidiani uſûs controverſiam. Si ſtandum ſit opinione communi Subdiaconorum, Diaconorum, Preſbyterorum, à qua profiteor me necdum adhorrere, cadet cauſâ Cotonius; hi quippe exiſtimant, ſat bellè rem agi à ſe, ſi collectè, & ad ædificationem, ſatisfactionémque piæ plebis decantent, quæ præſcripta ſunt, cenſéntque, ſicuti reſpondentes in choro non tenentur exercere actum aut precationis, dum canunt: *Et cum ſpiritu tuo*: aut proteſtationis ad: *Habemus ad Dominum*, aut fidei ad: *Dignum, & juſtum eſt*, ita neque ſibi incumbere legem obeundi hos actus, cùm alia verba his reſpondentia modulantur: idem eſto judicium de omnibus, quæ ex uſu Eccleſiæ cantare ſolent. Nôrunt omnes, à Muſicis multa cani tanquam partes Sacri, & proinde ab iis graviter delinqui, ſi ea contineant laſciva, aut alia indecentia, ut videbimus *In Alphab. audientium Sacrum Caſ. XIII.* attamen exiſtimo, æquum lectorem probaturum eſſe ea, quæ in explicatione illius *decimi tertii Caſûs* ſcribam de illorum attentione; quidni eadem applicemus Preſbyteris, Diaconis, Subdiaconis decantantibus Miſſam?

828 Quæritur III. *Quid agendum ſacrificanti, animadvertenti, unum, alterúmve digitum eſſe attramento illitum?* Hanc quæſtionem non propono gratis, ad eámque Reſp. Vel animadvertit ad *Lavabo inter innocentes &c.* vel poſt. Si poſt, pergat ſine alia ſolicitudine, quia nec ſalivâ, nec aquâ decet nunc detergere illam maculam. Si ad: *Lavabo*: lavet aliquantò validiùs, ac diutiùs more ſolito, non tamen quoad abluatur omne attramentum, quia traheretur nimia mora, & macula, quam facit attramentum, non cenſetur *moraliter* eſſe tam turpis, atque indecens, quàm illita ex luto, ſanguine &c. quare nec oportet tam facilè turbari ob illam, quàm ob alias. Obſervat autem Suarez *Diſp.82. ante primam ſection.* rubricam de manibus lavandis ante, & poſt Sacrum, non continere ullum rigoroſum præceptum, niſi (ut interpretor) ante Sacrum eſſent notabiliter immundæ.

Quapropter meritò diſſenties ab Anton. Cotono *Lib.2. controverſ.5. cap 4. num. 84.* contra alios communiſſimè, annumerante Rubricis obligantibus ſub mortali illam, de qua hîc ſermo, & quidem annumerante etiam tunc, quando manus non ſunt immundæ, idque propter hanc ſolam rationem, quòd non lavare priùs manus, ſit irreverentia gravis ratione tum ſignificationis, quam habet lotio manuum, tum ipſius Sacrificii, ut infert ipſe ex analogia cum acceſſu ad comedendum cibum uſualem. Haberet equidem hæc doctrina ſpeciem probabilitatis, ſi aut intelligeretur de lotione ſolarum immundarum manuum, aut non eſſet ante conſecrationem ſecutura ulla earum ablutio; at quia eſt ex vi ipſarum Rubricarum ſecutura mox alia, & ſæpiſſime ſumitur cibus corporalis prætertim in jentaculis, & merendis, imò & cœnis, prandiiſque ſine ulla, aut certè gravi indecentia, & Salvator ipſe purgavit omni culpâ diſcipulos ſuos non lavantes manus, quando manducabant panem. *Matth. 15*, id eſt cibos; & denique S. Thomas *quæſt 83. art.5, ſub initium articuli*, & *ad primum* dum loquitur de cauſa, ob quam fit manuum ablutio à ſacerdotibus, diſertè loquitur partim de lotione *inter* (non ante) *Miſſarum ſolemnia*, partim de ſolis immundis manibus; ideo ſententia Cotonii, quamvis viri perdocti, caret omni ſimilitudine veri, adeò ut ne venialis quidem delicti ſit reus habendus, qui ante Sacrum omittit illam lotionem ob aliquam rationabilem cauſam, e. g. quia aqua guturnii eſt congelata, urceoli autem non adſunt in ſacriſtia, & oportet præſtolari per ter, aut quinque Pater & Ave, donec adeſſet aqua, modò ponamus, manus non eſſe notabiliter ſordidas. Denique cùm lex obligans ſub mortali ſoleat obſtringere, quamdiu non intervenit gravis difficultas, aut *moralis* quædam impoſſibilitas, quam, amabò, difficultatem, aut impoſſibilitatem exiget Cotonius ad purgandum à mortali noxa incipientem Sacris operari manibus illotis?

P. Suarez *ſuprà* citatus (ut *per accidens* re- 829
feram) obſervat *ex cap. Communiter. 2. diſtinct. 1. & 2. quæſt.7.* per totum, arceri altaris miniſterio, qui laborant morbo caduco, ſeu epileptico, de quibus primùm poſt ſacerdotium cœptis corripi illo malo Toletus *Lib.1. cap 64.* & ex eo P. Tann. *Tom.4. Diſp.6. quæſt. 10 n. 193.* ita diſſerit: Aut prorſus à morbo videntur liberati probatione ad unius Anni ſpatium durante, juxta *cap. Si quis, 15. q. 1.* & tunc

possunt in susceptis Ordinibus ministrare, aut non sunt in totum liberati, & tunc aut frequenter laborant, & in tali casu non permittitur ipsis exercere Ordines susceptos, aut raro laborant; si raro (id est semel in mense, inquit P. Thom. Tamburin. *De Sacrif. Lib. 1. cap. 7. §. 6.*) laborant, tunc vel quando corripiuntur, cadunt cum vocis confusæ emissione, & spumæ jactatione; & tunc jam non sunt permittendi ministrare altari; aut cadunt, sed sine his prædictis accidentibus, & permittuntur administrare cum coadjutore sacerdote, qui suppleat ministerium. Tannero con-
830 sentit P. Lessius *in consil. verb. Missa cap. 7.* addens, non posse sacrificare etiam illum, qui ante lapsus solet id præsentiscere, modò cadat cum spuma, confusa voce &c. Vide *cap. In literis. 7. quæst. 1. & cap. Nuper. eod.* & P. Pirhing *Tom. 1. in Jus Canon. Tit. 2. num. 1.*

831 Atque adde, me in casu, qui contigit hac in urbe, à quodam interrogatum respondisse cum eodem Tannero *cit. quæst. 10. num. 182. si cui lepra superveniat jam sacerdoti creato, eum* licitè *sacrificare vel privatim, vel etiam coram aliis leprosis publicè, quibus etiam* licitè *administrabit Sacramenta, si nil obstet, quàm lepra.*

832 Quæritur IV. *Quid agendum, quando sacerdos deprehendit, hostiam esse fractam?* Resp. Vel deprehendit ante oblationem, & tunc petenda est alia, si commodè potest citra scandalum, & longam moram; vel deprehendit post, seu ipsemet frangit, & tunc *licitè* consecrari, tradit Tamburinus *Lib. 2. cap. 8. num. 6.* Si verò scandalum timeatur, accipienda est alia, offerendáque solâ mente. Tambur. *ibid.* Prior autem rectè sumitur post ablutionem, aut purificationem; vel, ut indicat Tamburinus. *cap. 7. §. 5.* reservanda pro alio Sacro, nec enim incongruè repetetur oblatio, aut etiam post Sacrum absumenda reverenter à quocunque. Hæc omnia locum habent, quando aliqua macula, aut defectus *accidentalis* (cum *substantiali* non est consecranda ulla) hostiæ, vel vini ante, vel post oblationem animadvertitur. Et quia incidit quæstio de hostia, subjungo hunc.

Casum Curiosum.

833 *Porrige aures, amice Lector, Casus enim est curiosus, & olim de illo interrogatus fui. Nam quidam sacerdos in ultima Missa oblitus est consecrare hostiam exponendam post prandium in oratione 40. horarum. Quæsierunt tunc à me, an potuisset dictus sacerdos sumere particulam è sacrario ex præconsecratis ab alio sacerdote, & hostiam ab ipso consecratam conservare ad effectum publicè illam exponendi postea, posito quòd non esset ultrà tempus celebrandi aliam Missam. Et* licitè *hoc posse fieri defendit Fagundez* de præcept. Eccl. præc. 1. lib. 3. cap. 4. *ex Henriquez. Sed hanc sententiam nullo modo probabilem esse, putat Joann. Præpositus* in 3. Part. S. Thom. quæst. 83. a. 1. dub. 7. *contrariámque subtiliter more suo, & nervosè docet Lugo* De Euchar. Disp. 19. sect. 5. num. 28.

Hactenus phrasis, ac verba Dianæ *Part. 5.* 834 *Tract. 13. Resol. 96.* referentis plures authores, ac rationes contra Fagundez, sed, nescio cur, non indicantis, quid ipse responderit ad illum Casum curiosum. Puto quidem ego, sententiam Fagundez esse *per se loquendo* non veram, eò quòd absumpto hostiæ sit de substantia, si non de essentia Sacrificii, ergo ad hoc numero Sacrificium spectat absumptio hujus numero (etiam quoad accidentia) hostiæ. Si tamen non potuit consecrari alia grandior hostia, vel in alterum diem differri comprecatio, debuit potiùs parva, quàm major hostia pro illo die imponi in Monstrantiam, facilè enim potuit populus edoceri causam.

Vide etiam Tamburinum *cit cap. 8. §. 8. n.* 835 *17.* qui *num. 19.* meritò reprehendit parochos, qui volentes renovare hostiam, absumunt consecratam ante plures dies, consecratam autem recenter ab ipsis reservant in futurum; contra illos quippe procedit ratio allata contra Fagundez.

Idem Diana *ibid.* refert verba Marchantii, 836 improbantis factum parochi, qui veritus scandalum aliquod populi, & murmur, cùm non haberet majorem hostiam pro consecratione, sed tantùm minores, pro elevatione fuit usus aliâ majore consecratâ ante aliquot dies. Hunc, inquam, reprehendit Marchantius, ratus facturum fuisse meliùs, si illi majori hostiæ adjunxisset parvam, atque utramque per modum unius ostendisset populo adorandam. At verò Tamburinus *cit. §. 8. num. 22.* opinatur, fuisse rectiùs omissam illam conjunctionem, quàm non omissam; eò quòd minus incommodi secuturum fuisset ex omissione.

Illud est clariùs contra rationem, quod repræsentat hic

Casus inconsulti Mystæ.

Cui cùm deesset consecrata grandior hostia 837 *pro oratione 40. horarum, usurpavit non consecratam affigendo illi parvam consecratam.*

Etenim ægerrimè ferunt homines, quando resciunt, esse sibi propositam adorandam illam seu hostiam, seu Reliquiam, quæ adoratione digna non est, aut erat.

Hactenus propositis, explicatis subjungen- 838 breviter seqq.

Primò. Si, ut contigit Bruntruti Anno 1611. calix consecratus tangatur fulmine, non est sumendus, utpote venenatus, sed consecrandum aliud vinum, Tambur. *Lib. 2. cap. 8. §. 4.*

Se-

839 *Secundò.* Quando vel juxta altare, vel apud magum reperitur hostia, de qua dubitatur, an sit consecrata, ea quidem est reverenter accipienda, & sub conditione adoranda, reservandáque, ut sumatur à sacerdote post sumptionem calicis; quòd si horror id non permittit, reservetur in tabernaculo, donec species corrumpantur. Gavant. *Tit. 10. num. 15 Part. 3.*

840 *Tertiò.* Quando sumitur sacer sanguis, calicem non esse nisi semel ori admovendum, censent Crassus, & Castaldus apud Gavant. *P. 2. Tit. 10. Lit. V.* ipse verò cum Durando, & communiore praxi ter; & infrà *Lit Y* sic loquitur: *Verè stomachum movet astantibus, si quis pluries, quam ter sanguinem, & bis purificationem de calice sumat.* Addit *Part 4. Tit. 3. num. 4.* in prima & secunda Missa Nativitatis (dem dic de quovis die, quo es facturus bis Sacrum) esse pro purificatione abluendos digitos non supra calicem, destinatum ad sacrificium, sed supra vel alium, vel vasculum mundum; & calicem, quo usus es in prima Missa, non esse abstergendum purificatorio, neque tamen etiam omittendas eas preces, quæ in purificatione calicis, & digitorum ablutione recitari solent. Et verò calicem illum non esse tunc eluendum, supponit Lugo *in Resp Moral. Lib 1. dub. 10. num 11.* quod tamen est contra praxin communem hujus Provinciæ Germaniæ Superioris.

841 Placeat autem dictis de celebrante bis in die, hujúsque reperiræ celebrationis accidentibus subjungere literas ea ipsa de re. 13. Augusti Anno 1664. ad me exaratas ab eruditissimo Patre Theodoro Moretto Vratislavienſis Collegii diuturno incola, hisce autem jam descriptis vitâ functo, qui nonnullis præmissis, ita scribit:

Nescio, an Re. Vræ proposuerim Casum de eo, qui eodem die, in eodem calice bis celebrat. I. An post primam calicis sumptionem debeat abluere calicem vino infuso? II. An non extergere, purificatorio? III. An non extergere, sed permittere siccari? IV. An, si non possit permittere, siccari, eò quòd statim in die Nativitatis ipse, aut alius aliud Sacrum sit inchoaturus, possit infundere vinum, & consecrare? V. An, si infundat vinum purificationis, possit illud in aliud vas infundi, & dari Laicis pro ablutione? Aut an potiùs debeat purificatorium unum, aut alterum illo imbui, & permitti exsiccari? Aut an sacerdos extra Sacrificium possit illud sumere?

842 Circa *primum* Innocentius, ut refertur *de* „*celebr. Missarum c. Ex parte,* decrevit: *Semper sacerdos vino perfundere debet* (nimirum „calicem) *postquam totum accepit Eucharistiæ* „*Sacramentum, nisi cùm de eodem aliam Missam* „*debuerit celebrare, ne, si fortè vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.* „Quibus verbis clarè prohibetur ablutio calicis per vini infusionem, non tamen dici „quid debeat fieri cum adhærentibus ad calicem vini speciebus.

Hoc canone supposito, bene se habet pra- „ 843
xis Romana, quæ nocte Nativitatis permittit „ in sacristia calicem exsiccari. Sed quia hoc „ non est integrum illi, qui in eodem calice bis „ consequenter celebrat, nec parocho, qui ce- „ lebrato Sacro in hoc pago horâ octavâ, Ita tim „ cum eodem calice discedit ad alium pagum, „ videtur posse admitti, ut parochus purifica- „ torium intrudat in calicem, ut ab eo imbi- „ batur reliquum specierum, & exsiccetur po- „ tiùs, quàm ut se exponat periculo, ne circum- „ ferendo calicem non siccum de pago in pa- „ gum, aliquid de speciebus alio fluat, quàm „ deceat. „

Supposito eodem canone, non abrogatur, „ 844
Rubrica Canonis Missalium (Rubricæ autem „ Canonis non sunt *directivæ* tantùm, sed *præ-* „ *ceptivæ*) quæ sic habet: *Os, & Calix purifica-* „ *torio abstergatur* Sumpto numirum Sacramen- „ to. Cùm ergo Innocentius prohibeat, vinum „ in calicem infundi, monet, ut calix non in- „ fuso vino extergatur. Et sic patet, quid di- „ cendum videatur ad *prima tria* quæsita. „

Ad IV. gravior est hæc difficultas, & nul- „ 845
là ratione videtur permittenda ista consuetu- „ do, quia reddit dubium valorem Sacrificii, & „ consecrationis. Certùm enim est, aliquam „ guttulam vini consecrati colligi in fundo ca- „ licis; ea infuso tunc vino permitteretur eo mo- „ do, quo, quando calicis usus Laicis erat per- „ missus, solebat Ecclesia ex calice vini conse- „ crati unum quasi cochlear transfundere in „ calicem vini non consecrati, & tunc dari Lai- „ cis; nec enim habebant in usu tantos calices, „ ut aliquibus millibus sufficeret, ut singuli mo- „ dicum quid acciperent, præsertim quando „ non nisi unum Sacrum fiebat in primitiva Ec- „ clesia, etiam in Paschate, in quo tamen om- „ nes communicabant; quis autem dicat, *legi-* „ *timè*, & *validè* potuisse denuo consecrari ca- „ licem vini sic permixti cum speciebus conse- „ cratis? „

Accedit ratio, quòd *invalida* sit ejusmodi „ 846
consecratio, eò quòd materia consecranda sit „ indeterminata; imò indeterminabilis conse- „ cranti; atque adeò pronomen *Hoc*, vel: *Hic*, „ non significat rem determinatam. „

Diceret aliquis; sufficit, quòd sit Deo, vel, „ Angelo determinata, & ut consecrans inten- „ dat consecrare, quidquid non est consecra- „ tum, Deo determinatè notum. Resp. Eodem, „ modo posse consecrare ciborium plenum ho- „ stiis, & intendere non plures consecrare, quàm, „ sint futuri communicantes, & eas tantùm ho- „ stias, quas Deus scit à se distribuendas; aut „ consecrare amphoram vini, quæ prima effluet, „ è vase, aut hostias ciborii, præter illam, quæ, „ superfuit consecrata, antequam Sacristanus, „ injiceret non consecratas plures hostias, tunc, „ enim *valide* consecrarem has, excipiendo mi- „ cas, quia exceptio est mihi determinata, & di- „ gito demonstrabilis, quæ omnia procul ab- „ sunt à gutta vino permixta.

847 „Ad V. Puto, Laicis non posse tale vinum „præberi, cùm non liceat sumptio sub utraque. „Si tamen aliquis sacerdos infudisset vinum „ablutionis, & in Sacristiam intulisset, vidi „prudenter practicari, ut imbueretur eo unum, „vel alterum purificatorium, & permitteretur „exsiccari juxta praxin Romanam, quæ vult, „ut calix exsiccetur. Purificatorium ad hunc „usum est destinatum, ut reliquias ablutionis, „& sanguinis, si quæ ad labia, aut ad calicem „adhæreant, abstergat.

848 Est hæc tota ratiocinatio descripta verbatim ex iis literis, quam etiamsi totam esse perquam probabilem agnosco, *in primis* tamen nequeo damnare omnino communem nostræ Provinciæ Superioris Germaniæ praxin; qua solemus, ut suprà *num. 840.* dixi, purificare semel calicem in nocte Nativitatis, vinóque purificationis (quod est etiam simul ablutionis) effuso in alium, detergere, deficcaréque calicem, in quo celebravimus, nec existimamus, agi à nobis advertùm canonem Innocentii, hic enim verbis descriptis solùm indicat, nos non debere, id est, non teneri (hoc enim sensu accipit manifestè Innocentius illud verbum in primo membro sui decreti, ergo & in altero, ut liquet ex Juristarum notis princi-
849 piis) perfundere vino calicem nostrum. Ubi verò viget usus, sicut in Italia (extra Bononiam, illic enim observari morem nostræ Provinciæ, asseruit mihi quinquennis incola, & oculatus testis) teste Gavanto, non perfundendi prædictum calicem, probatur mihi solers consilium Patris Moretti, qui etiam in aliis literis 28. Novemb. Anno 1664. datis ad me testatur, se alicubi vidisse, ablutionis (in primo, & secundo Sacro Nativitatis,) vinum immergi purificatorio, & purificatorium suspendi, exsiccandum ad ignem.

850 *Deinde* non assentior eidem Doctori, quatenus ad *quartum* dubium negat, fas esse, vinum in calicem non purificatum infundere, eâ intentione, ut consecretur; etsi enim talis infusio repugnat praxi nostræ, & aliarum quarundam Provinciarum, est tamen (ut mihi ex Urbe scribitur) conformis Romanæ, pluriúmque aliarum. Neque verò ejusmodi consecratio magis illicita, aut dubia censenda, quàm cùm forma profertur super vinum, cui indiscernibiliter admixtum est aliquid liquoris non consecrabilis, aut aliquid aquæ non conversæ in vinum juxta sententiam Thomistarum. Etenim sicut in his casibus demonstratur totum, quod est in calice, sed sub *tacita* tamen conditione etiam (ut apparet) *expressa* non consecrandi absolutè, nisi quod nondum consecratum est, ita & in casu non exsiccati calicis. Videri potest, quod cum aliis tradit Dicastillo *De Eucharist. Disp. 2. dub. 12. n. 227.* de modo consecrandi hostiam non consecratam, quæ multis aliis consecratis indiscernibiliter admixta est; & expressiùs ad casum nostrum, quod tradit cum Suarez de reservando, & paulatim consecrando vino magnæ quantitatis, cui immisceri contigisset guttas vini consecrati,

Tertiò, quod ille Pater addit de pauxillo 851
vini consecrati, solito infundi in ingens aliquod poculum, aut vas pro communione Laicorum (haurientium fistulâ, ut notat Bona *de Liturg. Lib 1. cap. 25.*) tradit etiam P. Vasquez *Tom. 3. in 3. Part. q. 80. disp. 216. c. 3. in fin.*

Quartò fateor cum eodem Patre, esse licitum, præbere Laicis vinum infusum in calicem, necdum purificatum, etenim nostræ Constitutiones Synodales, uti monèbo *in Alphabeto Communicantium*, seu *Tract. seq. Cas. II. num. 25.* & probabiliter moderna omnium locorum consuetudo id vetat, attamen *in cit. Casu secundo* negabo, ejusmodi sumptionem repugnare sanctionibus de communione sub specie vini. Equidem Vasquez *Lib. 1. num. 38.* loquens de illo grandi poculo forsan æquante tricongium, de quo paulò antè, sic scribit: *Quia ex calice consecrato aliquid infundebatur vino non consecrato* (existente in illo vasto cratere, aut congio) *forsan dicebatur, laicos etiam sumere calicem sanguinis.* Sanè apponendo illam dubitativam particulam *forsan*, indicat, se non probare illum modum loquendi, seu dicendi, fuisse tunc sumptum calicem sanguinis, seu sanguinem.

Jam verò ut revertamur ad seriem, à qua 852
nos abduxêre literæ descriptæ, & quam fuimus exorsi suprà *num. 838.* addimus *quintò*, P. Thomam Tamburinum, (qui *Lib. 3. de Sacrificio Missæ expeditè celebr. cap. 9.* purificationem distinguit ab ablutione, cò quòd hæc ad digitorum, illa ad calicis elutionem spectet,) rectè negare, peccari *per se loquendo*, si pro ablutione accipiatur sola aqua: peccari autem, si pro purificatione non accipiatur vinum; etenim jura nihil statuunt de primo, statuunt autem de secundo *cap. Ex parte. De celebr. Miss.* agnoscítque Sanchez *in Summa Lib. 4. c. 11. num. 43.* Azor & Gavantus, non exprimentes, utrùm obliget sub mortali; & verò obligare solùm sub veniali, putat probabile (& quidni indubitabile?) Tamburinus, inde inferens, si tam parum vini adesset, ut non sufficeret nisi consecrationi, posse prævisò hoc defectu inchoari Sacrum, ac pro purificatione accipi solam aquam; quod consequens ego libenter admitto.

Dices: *Si per se loquendo non peccatur utendo solâ aquâ pro ablutione, seu perfusione digitorum, consequenter nec peccatur per se loquendo, si solo vino abluantur digiti.* Resp. Concedo 853
hanc consequentiam, idque tantò libentiùs, quòd & sciam, facilè à multis omitti tunc usum aquæ, & rubricæ Missalis in Canone post factam Communionem sic loquantur: *Infundit parùm vini, quo se purificat, deinde abluit digitos, extergit, & sumit ablutionem.* Quibus verbis, quia non determinat, vinóne, an aquâ sint abluendi digiti, satis indicat, modum ablutionis esse potiùs *in consilio*, quàm *in præcepto.* Et sanè cùm illa ablutio nullam habeat significationem, sed fiat præcisè pro purificatione digitorum, & calicis, imò olim non fuerit sumpta ablutio, sed effusa, sicuti probo *in Alph. Commun. num. 24.* reddens causam, sintque plures stomachi, quibus incommoditatem parere potest affusio aquæ crebrò facta valde imperitè à ministris, prudenter dicitur, eam in rigore non præcipi.

854 Quòd si ita abhorreas à vino, ut nequeas sumere plus, quàm sufficiat ad consecrationem, hæcque miseria sit diuturna, censet Tamburinus *loc. cit. num. 6.* esse petendam dispensationem à Papa.

855 *Sextò* Pro consolatione tua nota singulariter ex Escobar *Lib. 1. Summæ Exam. 1. n. 92.* & Tambur. *Lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 30.* quando ex ignorantia, vel perturbatione committis in Missa aliquem etiam gravem errorem, procedens tamen cum bona fide, non imputari tibi ad culpam mortalem, videlicet ob defectum sufficientis libertatis. Si tamen ignorantia sit *habitualis*, teneris sub mortali dare operam, ut eam emendes

856 *Septimò.* Si aranea, aut aliud animal venenosum incidat in Sacrum sanguinem, obsequendum quidem est Rubricis & Doctoribus cum Henriq. *Lib. 6. cap 36. num. 4.* Dicastillo *cit. Tract. 5. disp. 4. num. 199.* atque aliis scribentibus, species non esse sumendas, sed servandas, donec corrumpantur, ac posteà mittendas in piscinam Sacram, seu potiùs linteo, & stuppâ mox exsiccandas, hánc que stuppam exurendam, & cineres mittendos in piscinam; refert tamen Laurentius Surius *in vita S. Norberti ad VI. Junii cap. 5.* hunc

Casum reverentiæ probatæ miraculo.

857 *Norberto*, inquit Surius, *in quadam crypta Missam celebrante in calicem jam consecratum aranea labitur non modicæ corpulentiæ. Quid faceret homo, cujus fides jam in Domino solidata erat? Ne ergo aliquod Sacrificii præparati faceret dispendium, magis elegit subire periculum, & totum, quidquid erat, hausit. Ergo peracto officio statim se moriturum præstolabatur. Dum igitur nihil motus loco ante altare exitum, quem præstolabatur, Domino commendaret, pruritu narium provocatus dum scalperet, subitâ sternutationis commotione aranea integra per nares excussa est.*

858 Ita Surius, in cujus posthuma editione ad XXVI. Novembr. describitur in vita S. Conradi Episcopi, atque Patroni hujus Constantiensis Diœcesis, factum plenum summæ in Deum in-

duciæ, atque ad præsentem spectans materiam, quod Sanctus, quia est insuper Patronus, ac Titularis Ecclesiæ hujus nostri Collegii, in quo universam hanc de Sacramentis materiam conscripsi, inque hunc ordinem digessi adjutus, ut spero, singulari patrocinio illius, eam ob rem exhibebo hîc ad majorem ejusdem, genere simul, & sanctitate Illustrissimi Pontificis honorem, ac venerationem, totam facti seriem, verbis Udalrici etiam Episcopi Constantiensis, relatis à memorato Laurentio Surio *loc. cit. n. 6* Sit ergo pro ultimo Casu præsentis Alphabeti hic extraordinariæ casus reverentiæ & fiduciæ in

Venerabile Sacramentum.

Tandem ad transitum Patris Conradi 859
quin Udalricus Episcopus *multa, instantiæ multis, quæ ad honorem Dei in sui Pontificis poterant facilis, unum ponatur, quod tam imitatione quàm admiratione relatu non indignum censeatur. Paschatis siquidem Lætitiæ dies advenit, in qua vir iste Agnum, cujus sanguine tam intentionis nostræ superliminare, tum postes corporis purgantur, & animæ, inter Missarum actionem Deo Patri obtulit. Accepto ergo Corporis Dominici Sacramento venitur ad sanguinis participationem. Calix ex more discooperitur, aranea vitæ liquori illapsa cernitur, animal mortis exitium exteriori homini minatur, sed interim peculo immortali animatur. Quid fecit Minister cœlestis convivii? Summa accinctus fide nihil in hac re mortale, nihil lucit exitiale, avidus consumit, & quod Sacramenti, & quod exterminii fuit, non immemor, antiqui serpentis venenum antidoto Passionis Dominicæ evacuatum. Cerneres Ministerii hujus Cooperatores pallescere, imminens Antistiti, ut suspicantur, necis periculum innuere. Ab omnibus in commune trepidatur, ac timetur dies gaudii in mortem vertitur. Tamen peracta communionis distributione ultra omnium spem admensam artus jejuniis attenuatos refecturus accedit, sed non gustando cibum aliquamdiu sedit percontatur secretiùs, quid esset acturus?* Expecto, *inquit*, hospitem in proximo venientem. *Et reclinato super mensam capite exitum araneæ aperto præbet ore, quæ nec mori in homine Dei, nec mortem potuit inferre. Tum quanta convivarum exultatio! quanta de viri constantia suboritur admiratio! Lector potius animo concipiat, quàm exprimendum verbis exigat.*

Hactenus Episcopus Udalricus, dignus succes-
860 sor tanti Præsulis. Qui quia tam disertè scribit, hoc ex illius Sancti Episcopi factis unum esse *imitatione non indignum*, non sine causa percontabitur quis, verènè sit dignum imitatione? Ratio negandi est, quòd Chorus Theologorum adhæreat omnium Magistro, nimirum Angelico Doctori *Part. 3. q. 83. art. 6. ad 3.* expressè scribenti: *Si sacerdos deprehenderit, esse post consecrationem immissum venenum in calicem, nullo modo debet sumere, nec aliis dare, ne calix vitæ vertatur in mortem.* Cujus Sancti Doctoris resolutio relata est in Rubricas Missalis sub *tit. De defectibus in Ministerio ipso occurrentibus*, ac proinde videtur etiam à summis Pontificibus, authoribus, defensoribúsque Missalis Romani, vetita imitatio S. Conradi; sanè doctrinam S. Thomæ sine ulla exceptione admittunt P. Suarez *Disp. 85. sect. 1.* P. Tannerus *Disp. 5. quæst. 10. dub. 7. num. 118.* Gavantus *in Rub. Missal. part. 3. tit. 10. num. 6.* nec memini, me legere, qui repugnet.

861 Ego nec *absolutè* nego, nec *absolutè* assero, hoc exemplum esse dignum imitatione. Non *absolutè* nego; fuit enim Udalricus, enarrator hujus facti, apprime peritus veræ Theologiæ, quia Sacræ Scripturæ, ut liquet legenti vitam, quam posteritati consignavit, multúmque commendatur à M. Jacobo Merck *in Chronico Constantiensis Episcopatûs*; ergo meritò à me potiùs explicandus, quàm refutandus. Sed nec *absolutè* assero, actionem illam esse dignam imitatione, ne videar repugnare communi per-
862 suasioni Doctorum, & ipsius Ecclesiæ. Dico igitur, esse dignam imitatione *per se loquendo*, seu habitâ ratione objecti: est enim utique Sacratissimum Christi corpus dignissimum, ut etiam dispendio vitæ nostræ præservemus illud ab omni irreverentia, ut inter cæteros plurimos fecit S. Tarsitius. *Per accidens* autem non est dignum ejusmodi imitatione factum S. Conradi, Sanctive Norberti, eò scilicet, quòd Deus vitæ nostræ, Dominus; qui utique poterat permittere, imò imperare, ut in tali eventu sumantur illæ species, etiam certo cum vitæ discrimine, id tamen non modò non imperaverit, sed ne quidem communiter permisisse, persuadeat unanimis Doctorum consensus; atqui nullus actus vetitus à Deo, quamvis tendens in objectum divinissimum, est *absolutè* dicendus imitatione dignus. Multò minùs accensendus est *absolutè* imitandis, ob rationem jam primùm allatam, sed in indicatis circumstantiis, tunc soltùm, cùm specialis inspiratio verè divina impellit.

863 Et quidni liceret id ipsum in aliis circumstantiis? ut e. g. si aut aliàs certò immineret ab hæreticis: vel veneficis multiplex, formalisque injuria, profanatióque, aut in magnum contemptum religionis cessurum esset ex eo, quòd hæretici, vel alii infideles existimarent, Deum Christianorum, & Catholicorum tam parvi fieri ab ipsissimet rectoribus plebis Catholicæ, ut non ausint injurias Deo suo imminentes propellere, seu impedire cum jactura vitæ? Certò hausissent avidissimè ad extremam guttam in utroque hoc casu S. Norbertus, certò S. Conradus, ut liquet ex utriusque facto. Verè sumptio specierum etiam venenatarum non est *directa* occisio sui ipsius, sed solùm *indirecta*; atqui fas est, se ipsum quandoque interficere *indirectè*, ut palam est, declarántque variis ex emplis Neoterici omnes, scribentes de homicidio, atque approbantes aliquas causas, non ita graves, ac sunt illæ duæ, quas produxi. Vide exempla Viraginum Christianarum producta *Tract. præced. num. 631.*

Nihilominus tamen est ordinariè, ut jam in- 864
dicavi, ac *per se loquendo* sectanda sententia Doctoris Angelici, ac Rubricarum, proindéque in eventu, de quo disserit S. Thomas, eximenda est aranea, occidendáque, & unà cum speciebus imbibitis stuppæ, spongiæ, aut panno deponenda, asservandáque loco mundo clauso, *donec species fuerint desiccatæ, & tunc comburantur istæ, & combustio in sacrarium projiciatur*, inquit Missale, priùs autem debet utique Sacrificium perfici infuso alio vino, consecratóque

At adhibendúsne alius calix? Respondeo: om- 865
nino: tum propter reverentiam, tum ut vitetur periculum infectionis. Quòd si nullus alius calix haberi possit, censent, puto, Doctores, esse aut permissum, aut mandatum à Christo, ut potiùs relinquatur imperfectum Sacrificium, ne fortassis calix vitæ vertatur in mortem

Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio sit summo Sacerdoti Christo JESU.

ORATIO.

Ante Sacrum dicenda; ad quam Gregor. XIII. concessit Indulgentiam 50. Annorum.

EGo volo celebrare Missam, & conficere corpus & sanguinem Domini Nostri Jesu Christi, juxta ritum S. Rom. Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiúsque Curiæ triumphantis; ad utilitatem meam, totiúsque Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis, in genere, & in specie; & pro felici statu S. Rom. Ecclesiæ, Amen.

TRA-

TRACTATUS QUARTUS, SEU ALPHABETUM COMMVNICANTIVM,

Quo

XXIII. Casibus Cardinalibus, *FACTIS*, non *FICTIS*,

Aliísque nonnullis breviter proponuntur, exponuntur ea, quæ ad usum, atque administrationem Sanctissimæ

EVCHARISTIÆ SPECTANT.

Systema huius Alphabeti.

CAsu primo hujus nunc septimũ prælum subeuntis Alphabeti expono, An & cur communicandum? 2. Sub qua specie? 3. Quando? 4. Quoties? 5. Vbi? 6. An pueris? 7. An fatuis & surdis? 8. An phreneticis, & energumenis? 9. An epilepticis? 10. An nauseabundo? 11. An catharroso, & tussienti? 12. Quomodo moribundo? 13. An ebrio moribundo? 14. An capite damnatus? 15. Dicam confesso communicandum? 16. Non confesso communicandum? 17. Jeiuno? 18. Non jejuno laico? 19. Non jejuno sacerdoti communicandum? 20. Cum aliis dispositionibus communicandum? 21. De manu sacerdotis communicandum? 22. De manu non Sacerdotis communicandum? 23. Quo fine, & effectu communicandum?

CASUS I.

Prodigiosus.

SVMMARIVM.

Casus mulieris mutatæ in formam equi, ob neglectam communionem. num. 1.
Quo jure obligemur communicare? 3.
Explicatur illa sententia: Nisi manducaveritis, & biberitis, *&c.* Ibid.
Quomodo peccet negligens communionem necessariam superandæ tentationi? 5.
Refert ad praxin, scire, utrùm divino, *an solo* Ecclesiastico *præcepto teneamur communicare. 6.*
Sententiæ mitiores, etsi probabiles, non sunt semper cuivis sectandæ. 7.
Nulla obligatio asserenda sine lege. 8.
Præceptum divinum *communicandi non obligat, ut primùm peccásti mortaliter. 9.*
Sed in articulo mortis. 10.
Comparatur cum cibo terrestri communio. 13.

APolloniam casti mariti castam uxorem deperibat, atque ad turpe facinus solicitabat impurus adulter. Qui viso,

viso, suis artibus nihil profici, adhibet Avernales, ejus aut amorem sibi, aut odium marito conciliaturus. Etenim improbi magi operâ, præstigiisque usus effecit, ut Apollonia oculis & chari conjugis, & aliorum intuentium appareret in forma equæ, habita ab omnibus non jam homo, sed bestia, atque idcirco à conjuge non sine horrore sæpius repulsa, abacta. Demum ad S. Macarium deducta, ac præstigiis liberata intellexit ex eo, causam mali his verbis: Hæc tibi acciderunt, quòd jam quinque hebdomadas non accessisti ad intemerata nostri Salvatoris Sacramenta.

2 Testis est hujus prodigiosæ metamorphosis Palladius *in Lausiac. Lib. 8. cap. 19.* apud Heribert. Rosweidum *in Vitis Patrum*, cujus occasione.

Quæritur 1. *An, & quo jure obligemur ad* 3 *Sacram Synaxin?* Resp. 1. Certum est, nos teneri saltem *Ecclesiastico* jure, ut constat *ex Cap. Omnis utriusque sexûs. De pœn. & remiss.* 2. Verosimilius est, etiam *Divino*. S. Thom. in suo ultimo testamento, ut vocat Diana, id est in *3. p. q. 80. a. 11.* cum plerisque contra S. Bonavent. Alens. alios nonnullos. Nam illa verba Salvatoris *Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &* id est: *Vel*, ut optimè interpretantur nonnulli Controversistæ) *biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, rectè omnino intelliguntur de manducatione 4 sacramentali. 3. Verosimillimum est, aliquos particulares homines specialiter à Deo obligari ad sumendam Eucharistiam, quia scilicet decrevit, eis non largiri gratiam vel proximè *sufficientem*, vel certè *efficacem* ad superandas graves quasdam tentationes, obtinenda quædam bona necessaria, nisi Carnem Christi sumant. Suadet hoc exemplum Apolloniæ, itémque illud, quod ex Joanne Sanchez referam *Casu XX.* ac plura alia apud probatos scriptores; ut proinde meritò hanc doctrinam tradiderit Petrus Sotus *De Euch. lect. 9.* Quam non omnino respuens Suar. *Tom. 3. in 3. p. disp. 69. sect. 3.* observat, esse ei perrarò locum.

5 At si quis sciens, quia scilicet tentatis cæteris omnibus adhuc sentit infirmitatem suam, ut loquitur Sotus, se non posse superiorem aliquâ tentatione E. G. carnali, evadere, nisi frequentatione Sacræ Communionis; *peccabitne in præceptum* divinum *de Communione negligendo hanc?* Respondet *negativè* Suarez *l. c.* sed solùm contra præceptum virtutis, cui illa tentatio adversatur, eò quòd illa virtus, non autem lex Communionis imperet tunc sumptionem Eucharistiæ; ac proinde non oportebit ex sententia hujus Authoris in confessione exprimere neglectum Communionis admissum tempore illius tentationis. Hæc responsio est verosimilis, sed alibi excutienda.

Quæritur 2. *Utrùm ad praxin referat* 6 *an solâ lege* Ecclesiasticâ, *an verò etiam* Div. *teneamur communicare?* Resp. Si indus animum semper ex probabilibus opinion illam sequi, quæ tibi commodior accidet sanè parùm interest tua, id nôsse, quandoquidem multi Theologi probabiliter docent, ceptum *divinum* de adeunda mensa Angel nec citiùs, nec sæpiùs obligare, quàm *Eccles sticum*, & qui contra utrumque agit, non linquere in ordine ad confessionem graviù quàm si solùm contra unum.

Scio quidem, inquies, à nemine dubitari bere, quin *per se loquendo* sit fas, actiones in tuere ex amussi, cujuscunque tandem sententiæ, verè, atque à parte rei *practicè* probabilis, sed quia video noxiam laxitatem conscientiæ gigni, quando quis nunquam probabiliora tutioráque sectatur, sed ex probabilibus illa sola, quæ suo genio, & palato arridet, *ideo velim scire, quænam de ejusmodi præcepto* divino *verosimiliora tradant Theologi.* Ita omnino est, ambulat in lubrico, qui semper consectatur sententias magis faventes naturæ corruptæ: non autem qui moderatè. Resp. sequentia.

1. Non liquidò constare, quandonam, aut 8 quoties obliget illud præceptum. Est enim memoriæ imprimenda, & sæpius, quàm nonnulli rigidiores Theologi factitent, in usum redigenda illa, communi calculo Theologiæ, Jurisque peritorum approbata Regula: Nulla obligatio est asserenda sine lege. *6. Legatur. 24. q. 2. L. 99. ff. De verb. obl.* Navar. *De Rosario miscel. 22.* nulla autem lex *divina* (qualis hîc esse deberet) exhiberi potest, quæ exprimat, vel tempus, vel frequentiam, vel occasionem.

2. Dominicum Sotum, si hac ætate viveret, 9 mutaturum opinionem, qua magis piè, quàm rectè in *4. d. 12.* censuit, ut primùm quis deliquit mortaliter, oportere eum adire communionem; videret enim, suo judicio refragari torrentem omnium pœnitentium, Confessariorúmque & meritò. Sanè quod nullâ Lege statuitur, id nos asserere non debemus. DD. ex *c. 2. De transl. Episc.*

3. Verosimilius videri, illud præceptum 10 *divinum* astringere in articulo mortis. Tann. *Tom. 4. d. 5. q. 8. n. 109.* cum multis contra non paucos. Nam Concilium Nicæn. relatum *c. De his. 26. q. 6.* cavet, ne discessurus è corpore *necessario* viæ suæ viatico defraudetur. Cur autem vocat *necessarium*, si non est lege *divinâ* præceptum?

4. Satisfacere legi Christi, qui quot annis 11 semel accumbit Sacræ mensæ. S. Tho. *l. c.* nec enim habemus fundamentum asserendi majorem obligationem.

5. Cùm pauci sint, qui hâc ætate omittant 12 communionem Paschalem, & illi ipsi, qui per plures annos negligunt, ignorent, se plùs, quàm semel in anno delinquere abstinendo synaxi, judico, ad praxin vix referre, utrùm scribatur,

batur, & imprimatur, omnes Christianos lege Christi adstringi ad Eucharistiam singulis trienniis, aut quadrienniis, ut divinant nonnulli Theologi, sumendam.

6. Hoc divinissimum Sacramentum eo fine 13 institutum esse, ut per modum refectionis spiritualis animum roboret, ac muniat. S. Thom. *Quæst. 79. art. 1. in Corp.* Nam sicut cibus, & potus solent conferre suas qualitates, iisve similes; itémque *reali* tactu, & gustu refectionem, & delectationem; sicut deinde quod sapit, nutrit, teste Avicennâ, ac nutriendo reparat, quod noxius calor absumpserat, virésque auget, & ad debitam staturam perducit, ita etiam spiritualiter facit Eucharistia, ut explicant Ascetæ, atque ipsi Theologi *in cit. Quæst. S. Thomæ.* Plura dicam de effectibus hujus spiritualis penûs, & panopliæ *Casu ultimo, n. 476.* & seqq.

SUB QUA SPECIE COMMUNICANDUM?

CASUS II.

Cruentus.

SUMMARIUM.

Miraculo improbantur patentes communionem sub utraque specie. 14.
Redarguuntur dictantes, fore consultius, si permitteretur Laicis utraque species. 16. & 17.
Refellitur objectio dicentium. Lutheranos conversum iri, si permitteretur eis calix. 20.
An contra legem prohibitivam *communionis sub utraque specie agant Sacerdotes, præbentes è suo calice vinum communicantibus? 21.*
Ablutio digitorum in Missa post Communionem effundebatur olim in terram. 24.
Statutum Constantiense circa hanc Ablutionem. 25.
Quibus casibus liceat Laico sumere Sacrum sanguinem? 26.
Proponitur recentissimus circa hoc casus. 28.

14 *Barnabas vir Religiosus, quibusdam petentibus, & instantibus, ut sub utraque specie Sacramentum sumerent, sacerdote quodam pio cantante, cùm faceret fractionem, concavum patenæ totum visum est repleri sanguine, ad quod obstupuerunt ipse, & circumstantes; sed cùm conjungeret partes hostiæ, totum visum est reintrare, & sic petitioni, & tentationi illorum satisfactum penitus fuit.*

15 Verba hæc sunt antiqui, gravissimique Theologi Alexandri Alensis *p. 4. q. 11. memb. 2. art.* 4. § 3. quæ dant ansam proponendi sequentes quæstiones.

Quæritur enim 1. *An graviter delinquant* 16 *illi nonnulli Catholici, qui* tacitè, *vel* apertè *sentiunt, & dicunt, Synodum Tridentinam* Sess. 21. cap. 2. *consultiùs facturam fuisse, si usum calicis permisisset laicis?* Audivi ego ipse olim haud semel quosdam ita loquentes; at sine dubio malè, pessimè. 1. Quia illi ipsi, qui ita loquuntur, satis indicant, se sentire, Concilium non tantùm minùs prudenter, sed planè imprudenter egisse: atqui hoc sentire, ac dicere, non vacat indignâ, superbáque temeritate atque arrogantiâ. Quis enim es tu, qui imprudentiæ 17 damnes decreta Concilii à Legatis Sedis Apostolicæ, ab Episcopis 270. Theologis, Jurisperitis plus 170. celebrati, à Christi Vicario *quoad omnia & singula*, ut loquitur Pius IV. approbati? Deinde esto, non arguas imprudentiæ, sed solùm judices, Synodum non tam providè egisse, quàm fuisset actura, si Calicem permisisset; arguendus ipse nihilominus es. Cùm enim Oecumenica Concilia congregentur in Spiritu Sancto, sicuti & ipsa expressè loqui solent; Spiritus autem Sanctus sit Spiritus sapientiæ, & intellectûs, Spiritus consilii, & pietatis *Isa. 11.* quis ferat asserentem, hunc spiritum suggessisse taliter congregatis consilia minùs prudentia, minùs pia?

Et cùm integrum sit judicium, quod pluri- 18 morum sententiis confirmatur *c. Extra. d. 64. & Cap. Prudentiam. De offic. jud. deleg.* quàm integrum, ac perfectum haberi debet id, quod tam gravium, tam doctorum, usúque peritorum calculis comprobatum est? Accedit, quòd Theologi, præsertim qui adversùs hæreticos, illud decretum Concilii reprehendentes scribunt, proferant in medium rationes optimas, quæ tam Tridentinam, quàm priùs Constantiensem Synodos induxerunt, ad statuendam illam prohibitionem; quarum illa non minima est, quàm suggerit hujus nostræ urbis, (Constantiense ajo, *sess. 13.*) Concilium, ne videlicet Christi fideles altè imbibant errorem aliorum censentium, docentium, non totum, & integrum Christum, sed duntaxat dimidiatum contineri sub singulis speciebus.

Veritatem huic detestando errori contrari- 19 am non nisi magno molimine imprimimus animis ineruditorum, etiam hac ætate, quid fieret, si sub utraque specie Sacrum convivium celebraret plebs Christiana?

Sed multi è Lutheranis transirent ad castra 20 *Catholica, si propinaretur eis calix.* Resp. Est hoc merissimum pallium pertinaciæ hæreticæ. Si Christus Dominus tolleret præceptum confessionis auricularis; Si Papa leges de jejunio, de bonis Ecclesiasticis restituendis, aliásque difficiliores expungeret, si divortium, ac bona Ecclesiastica permitteret laicis, tum equidem sperarem multorum conversionem; sed quia malitiis hominum indulgendum non est

c. Plerumque. De reſcrip. ideo nec Chriſtus, nec Chriſti Vicarius debet ob ſuperbam pervicaciam ſuas mutare leges.

Hæc ita mandaveram primis quatuor Editionibus hujus Tractatuli, cùm adeptus hiſtoriam Concil. Tridentini ſapientiſſimè conſcriptam à Cardinale Pallavicino, reperi, præter alias prægnantes negati Calicis rationes, productas ab ipſo *Part. 3. lib. 18. cap. 4.* ſeu potiùs ex ore ipſorummet Patrum Tridenti congregatorum relatas; aliquid, cujus cognitione delectatum iri meos Lectores, præſertim Germanos, cùm exiſtimem, cenſui, non prætereundum eſſe à me; id nimirum, quòd Pius IV. durante Synodo Tridentinâ impulſus enixis poſtulationibus, ut refert idem Cardinalis *citat part. 3. lib. 17. cap. 4. lib. 21. cap. 2 & lib. 24. c. 12.* duorum piiſſimorum Principum, Ferdinandi I. tunc Romanorum Regis, & Alberti Ducis Bavariæ, formidantium ſumma mala, ſi uſus ille negaretur, augurantium plurimum boni, ſi concederetur, acquieverit quidem petitioni utriuſque pro ſuis provinciis, ipſâque Germania, ſed cum conditionibus, quas Epiſcopi nominati ab ipſo, Pio, inquam, præſcriberent. Et verò conceſſionem illam fuiſſe Viennæ exceptam immenſâ lætitiâ, duáſque tertias hæreticorum partes ad frugem reductas. At cùm oppetiiſſent mortem illi Epiſcopi, quorum perſonis, & prudenti arbitrio rem tantam commiſerat Pius, nec horum ſucceſſores haberent jus impertiendæ cuiquam alteri talis facultatis, demum deſiiſſe uſum memorati privilegii, reditúmque fuiſſe ad illum morem, qui nunc viget inter omnes Germaniæ Orthodoxos. *Hic fuit exitus illius tam diuturni, actam celebris poſtulati, qui docuit, quantùm fallat ſpes ingentium bonorum, quæ mortales præſagiunt in obtinendis Romæ quibuſdam inuſitatis relaxationibus.* Hoc epiphonemate claudit eam narrationem Cardinalis *cit. n. 8.*

21 Quæritur 2. *Utrùm in ſanctionem horum Conciliorum peccaturus eſſet ſacerdos, qui è Calice ſuo ante, vel poſt primam ablutionem præberet vinum iis, quibus præbuit Corpus Chriſti?* Novi ego parochum Annis abhinc plus 60. jam vetulum, atque è Grammatica ad parochiam (tam rudia erant illa tempora) ſanè per ſaltum promotum, qui id factitabat, non autem probè memini, utrùm è prima, an è ſecunda ablutione. præbuerit. Id quoque fuiſſe uſu receptum in aliis Germaniæ Diœceſibus teſtantur complures oculati, latíſque indicant Conſtitutiones Synodales hujus Diœceſis, loco paulò pòſt exprimendo, fuiſſe id ipſum factitatum in hoc Epiſcopatu.

22 Reſpondeo autem, probabiliter non forereum ullius peccati adverſùs illa Concilia admiſſi, qui ſive ſecundæ, ſive primæ ablutionis partem miniſtraret Laico. *At in prima remanent aliquæ guttæ ſanguinis.* Reſp. Ob hanc cauſam Card. de Lugo *in Reſp. mor. lib. 1. dub 18.* ex inſtituto contendit, non eſſe facilè introducendum, vel admittendum uſum quorundam unius cujuſdam Diœceſis parochorum, qui coacti diebus feſtis Sacrum facere in duobus locis, calicem primi Sacri eluebant vino, totúmque dabant ebibendum Laicis ſub illo communicantibus, putátque hic Cardinalis, eos adverſùs illa Concilia egiſſe.

23 Dicendum tamen mihi videtur, probabiliter non egiſſe contra verba, aut mentem prædictorum Conciliorum. Nam & illi communicantes non dicebantur vulgari loquendi modo, qui tamen maximè ſpectandus eſt. *L. Labeo. ff. De ſupell. leg.* communicare ſub ſpecie vini, quod quidem ſolùm vetant illæ Synodi, ut patet tum ex litera, tum ex Rubrica noſtræ Conſtantienſis, & non erat periculum illorum incommodorum, ob quæ utraque Synodus interdixit communionem ſub utraque ſpecie. Nihilominus tamen, quia ex una parte Doctiſſimus noſter P. Theodorus Morettus literis ad me 13 Auguſti Anno 1664. Uratiſlaviâ datis, ac deſcriptis *in Tract. præcedente Caſ. Ult. num. 841. & ſeqq.* inter cætera expreſſè ſcribit, præbitionem ablutionis, qua de loquimur, eſſe idcirco illiciam, quòd non liceat ſumptio ſub utraque ſpecie; ex altera parte autem non habeo ſcriptorem, quem opponam hiſce duobus Doctoribus, malo in re tanti momenti ſtari, & ſtare horum judicio, quàm meo.

24 Jam verò ſi ſupponamus, illum bonum ſenem præbuiſſe è ſecunda purificatione, tum fuit remotior à ſpecie gravis delicti, quandoquidem ſolebat olim illa ablutio effundi vel in ſacrarium, ſeu piſcinam, ſitam, præſertim in Eccleſiis Regularium, ad cornu Epiſtolæ. Bona *Lib. 2. Liturgi. cap. 20.* vel in locum mundum teſte Gavanto *in Rubr. Miſſal. p. 2. tit. 10. lit. Z.* poſt Durandum *in Rationali Lib. 4. c. 55.* ubi reddit quidem cauſam hujus ablutionis, ſeu, ut loquitur, perfuſionis digitorum, non autem docet, cur illa ablutio non fuerit etiam ejus ætate ſumpta à celebrante. Mihi occurrit hæc ratio, quia probabiliter invaluerit eo tempore opinio Halenſis *in 4.* & ipſius S. Thomæ *Quæſt. 77. art. 8.* aliorúmque nonnullorum, arbitrantium, quando multum vini non conſecrati miſcetur exiguæ quantitati conſecrati, Chriſtum Dominum deſinere eſſe ſub ſpeciebus conſecrati. Quæ opinio tametſi plurimis non probatur, videtur tamen non poſſe, niſi eâ ſuppoſitâ, defendi illum morem univerſalem, de quo loquitur Durandus doctiſſimus, peritiſſimus Epiſcopus.

25 Attamen Conſtitutiones Synodales hujus Diœceſis inter alia longè plurima ſaluberrima ſtatuunt, ne toleretur, ut vinum ablutionis primæ, aut ſecundæ (ut interpretor) poſt Sacram communionem præbeatur è calice, *ne rudes, & idiotæ, ſicut factum aliquando intelleximus, Chriſti ſanguinem in eo ſe ſumere credant.* Ita Conſtitut. *p. 2. tit. 8. n. 11.*

Quæri-

26 Quæritur III. *An in nullo caſu ſit fas Laico ſumere Chriſtum ſub ſpecie vini.* Reſp. Eſt. 1. enim, ſi Calviniſtis militibus in templum irruentibus profugiat ab altari parochus, relicto illic calice conſecrato, laudabitur ædituus, ſi ſuo parocho cordatior Sacrum ſanguinem reverenter hauriat, ne ab hæreticis impiè effun-
27 datur. Suarez *Diſp. 71. ſect. 3.* 2. Si ſacerdote poſt conſecrationem repentè extincto, nequit haberi, qui Sacrificium perficiat, vel qui illum ſanguinem conſecratum ſumat in alio Sacro, poterit bibere laicus. Suarez *ibid.* 3. Si ſanguinem in terram effuſum nequeat excipere, aut lambere Sacrificans, limbet *licitè* vir, aut mulier. Suar. *ibid.* Nam ad hos caſus non ſe extendunt verba, aut mens Concilii. An verò ſit in his evenibus eliciendа contritio, diſces ex dicendis infrà *num. 364.* 4. Si quis æger nequeat etiam minimam particulâ hoſtiæ quantumvis vino mixtam deglutire; docet Ochagavia apud Dian. *Part. 5. Tract. 3. Reſ. 34.* debere ipſi præberi ſanguinem. Didacus Nugnus in *quæſt. 80. art. 12.* ait, eſſe rem difficilem, nec ſuſcipiendam ſine conſenſu Epiſcopi, qui rutiùs aſſentietur. Verùm ego aſſentior Suario *loc. cit.* Barboſæ *De Parocho Part. 2. cap. 20. n. 44.* de Lugo *loc. cit.* Georgio de Rhodes. *Tract. 2. Diſp. Scholaſticarum Diſp. 1. De Euchar. q. 3. ſect. 4 §. 4.* negantibus etiam tunc licere, quia tunc non obligat lex *divina* de viatico propter
28 varia incommoda. Nolim tamen planè improbare reſponſum, quod quidam inſignis Theologiæ Doctor, ac Profeſſor procul valde diſſitus hinc, dedit, teſtibus ejus ad me literis die 28. Novemb. Anno 1664. ad hunc

Caſum perquàm recentem.

HOc Anno, inquit, ſolicitè ex alia civitate quæſitum fuit; poſſétne perſona aliqua, quæ diu decumbebat, & nec micam quidem panis deglutire poterat, ſed liquida tantùm poſſétne, inquam, Communio illi porrigi ſub ſpeciebus vini? Suaſi Parocho, ut porrigeret, ſi ſcandalum abſit, & ut Miſſam faceret in cubiculo decumbentis; prohibitionem enim de non dando calice non procedere in caſu neceſſitatis, in tam longo morbo, accedente neceſſitate Viatici.

Ita ille, permittens duo, ſcilicet celebrationem in loco profano, & præbitionem calicis; quam utramque permiſſionem, etſi, ut dixi, non penitus improbem, utpote non perſpiciens clarè improbabilitatem, attamen quia duplicis legis violationem utique non concedent Suarez, & alii, qui ne quidem unicam, ut vidimus, permittunt etiam in caſu neceſſitatis, cenſéoque, eſſe hunc communiorem ſenſum ipſorummet Prælatorum, eam ob rem nec facerem, quod ille parochus, nec reſponderem id, quod ille inſignis cæteroqui Theologus, niſi fortè ægrotus ille non eſſet (vix autem poteſt fingi caſus) capax alterius Sacramenti; in extrema enim neceſſitate ſalutis ceſſant leges Eccleſiaſticæ, utpote latæ in ædificationem, non in deſtructionem. Adde, quòd Cardinalis Bona *loc. cit. Lib. 1. cap. 15. num. 4.* teſtetur, illos, qui miniſtrant Sacrificanti in monaſterio Sancti Dionyſii prope Lutetiam Pariſiorum, hodiéque more antiquo communicare ſub utraque ſpecie, haurientes fiſtulâ è calice Sacrum Sanguinem

QUANDO COMMUNICANDUM.

CASUS III.

Lætus, & Triſtis.

SUMMARIUM.

Wedekindus Saxo cernit in hoſtia puerulum. 29.
Quid nomine Paſchatis *intelligat lex præcipiens Communionem Paſchalem? 32.*
Quid diverſæ provinciæ? 33
An Communio Paſchalis omiſſa compenſanda ſit? 34.
Aliquibus legibus præfigitur dies non ad finiendam, ſed ad ampliandam obligationem. 35.
Cur negligens feſto die Sacrum non teneatur reſarcire? 37.
An prævidens impedimentum Communionis Paſchalis teneatur prævenire? 39. & ſeqq.
Et qui prævenit, tenetúrne rurſum communicare, ſi formidatum impedimentum non ſuperveniat in Paſchate? 40.
An, qui in Paſchate communicavit indignè, teneatur adhuc ſemel adire Sacram menſam? 43.
Eſt quovis die fas communicare. 45.
Sacerdotes non tenentur Feria V. Cœnæ Domini communicare more Laico. 46.
Et qui ita communicant, non neceſſariò utuntur ſtolâ. 47.
Fas eſt communicare quavis horâ. 48.
Pœna negligentium Communionem Paſchalem. 49.

CArolus Magnus ſanctiſſimo Paſchæ die 23
Sacram Communionem in Orientali Saxonia obibat cum univerſo exercitu, præſente, atque omnia curioſè ſpectante Wedekindo Principe Saxoniæ; qui mendicum mentitus, mendicorum turbæ ſeſe immiſcuerat, ut tanto liberiùs omnia arbitraretur, agnitus autem, & ad Regem amicum ſuum perductus, atque inter alia interrogatus ab eo. Quid vidiſti quod te vidiſſe delectet? *Ille (ut erat adhuc rerum Chriſtianarum rudis) ſubintulit. Vidi hodiernâ te die primùm*

ſolicitum, & ad rem attentiſſimũ. Poſteaquam verò menſam adieras templo mediam, ita mihi hilari conſpectus es vultu, ut repentinæ mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quòd de manu purpurati ſacerdotis ſinguli perbellum puerum in os ſuſciperent, quem quibuſdam ludibundum arridere, ultro properare, aliis verò abhorrentem averti ſſe vultum, & tamen in ora demiſſum, nec redeuntem aſpixi. Hoc quid ſit, nec dum accipio.

30 His omnino verbis hanc orationem, ſeu reſponſum Wedekindi refert Albertus Kranzius *in ſua Metropoli Lib. 1 cap. 9.* ſcriptor alienus ab omni fictione, qui etiam *Lib. 2. Saxoniæ. c. 23.* addit, Wedekindum hoc prodigio (quod ibi, de ſolo Carolo memorat) inductum fuiſſe, ut Religionem Chriſtianam complecteretur.

31 Hæc porrò hiſtoria præbet occaſionem declarandi præcipuè duas iſtas quæſtiones. *Primam*, quid nomine Paſchæ, quo etiam utitur Kranzius, intelligant Canones, dum de Communione Paſchali ſtatuunt? *Secundam*, utrùm ii, à quibus in os demittitur pulcherrimus ille puer abhorrentem vultum avertens, id eſt, qui indignè communicant, ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ injungenti Paſchalem Communionem? Hiſce duabus quæſtionibus plures aliæ tanquam appendices adjungemus dilaturi ad Caſum XII. illam, quæ eſt de Communione in articulo mortis.

32 Quæritur itaque I. *Quid nomine Paſchæ, aut Paſchatis intelligat* Concil. Lateran. ſub Innoc. III. relatum in c. Omnis utriuſque. *De pœnit. & remiſſ.* hiſce verbis: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſemel in anno confiteatur proprio ſacerdoti, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte, de proprii ſacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus duxerit abſtinendum.* Reſp Intelligit ſeptem dies ante, & totidem poſt Dominicam Reſurrectionis cum ipſa Dominica, nam ita declaravit Eugenius IV. teſte Navarro *in Enchir. cap. 21. n. 45.*

33 *Quid igitur cenſes de Germanis, qui anno, quo vel juxta Rubricas Breviarii celebratur, vel ſecundùm morem plurium Epiſcopatuum ex feria ſecunda poſt Palmas anticipato in Sabbatum præcedens tranſfertur quoad chorum, & forum feſtum Annuntiationis Deiparæ, ipſo illo ſabbato obeunt Sacram Synaxin?* Reſp. Satisfaciunt præcepto Eccleſiæ, ſicut & illi Brixienſes; quos novi quolibet die inter Dominicas Quadrag. & in Albis habere jus explendi illam legem. Hæ conſuetudines ſunt rationabiles, & præſcriptæ, ergo uſque adeò valent, ut juri poſitivo valeant præjudicium generare. *c. fin. De Conſuet.*

34 Quæritur II. *An, qui tempore Paſchali, vel noluit, cùm poſſet, vel non potuit, cùm vellet, fungi officio boni Chriſtiani, adigatur ad proximè compenſandum?* Reſp. Adigitur. Ita communis. Sylv. Victor. Henriq. alios apud Dicaſtillo *Tom. 1. in 3. Part. Tract 4. Diſp. 10. num 136.* tenent Ponac. Layman. Tanner. alii apud Dicaſtillo *num. 135.* Ratio eſt, quia licet exploratum ſit, multa præcepta eſſe ita affixa certo alicui tempori, aut diei, ut, qui ea, non implevit die deſignato, haud teneatur poſtea compenſare, ut patet facienti reflexionem ſuper præcepta feſtorum, jejuniorum, horarum canonicarum; quia tamen ex una parte ſunt etiam aliæ leges, quarum adimpletioni certa dies præfigitur, non ad finiendam, ſed ad dilatandam obligationem, ut loquuntur Doctores, ita videlicet, ut non permittatur (abſque legitima cauſa) dilatio ultra illum diem, & qui illo die non facit, quod facere debeat, tantò gravius peccet, quantò diutiùs differt, ut videre eſt tum in exemplis indictæ comparitionis coram judice, & præſtandæ ſolutionis certo die, quæ exempla adducit Innoc. III. *c. Cùm dilecti. De dol. & cont.* tum in legibus tributariis, tantò quippe delinquunt graviùs ſubditi, quantò diutiùs procraſtinant penſionem juſti tributi, certo menſe perſolvendi, ſicut & is, qui vovit, ſe hoc anno, & quidem menſe Majo peregrinaturum ad locum Religioſum bidui diſtantem; ex altera autem parte videtur ſumptio Communionis Paſchalis ſpectare ad claſſem harum poſteriorum legum, non priorum, idcirco probabilior videtur noſtra reſponſio. Equidem illæ phraſes: *Suſcipiens reverenter ad minus in Paſcha*; Et *ſinguli annis ſaltem in Paſchate*, quarum primâ utitur Concil Lateran. verbis ſuprà deſcriptis, alterâ Tridentin. *ſeſſ. 13. can. 9.* mihi perſuadent hanc reſponſionem. *Cur igitur, qui die Dominico negtexis rem Sacram, non tenetur reſarcire?* Reſpond. quia lex Eccleſiaſtica imperans auditionem Sacri, ita ſonat: *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire, ſpeciali ordine præcipimus. c. Miſſas. De conſec. diſt 1.* Non autem ſic; Miſſas ſingulis hebdomadis ad minus in Dominica. *Cur autem ſtatim poſt Paſcha, & non aliquot hebdomadis?* Reſp. quia *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur*, inquit Pomponius *L. 14 ff. De Reg. jur.* hîc autem non ponitur ullus dies poſt tempus Paſchale.

Quid igitur agendum illi, qui prævidet, deſore ſibi commoditatem manducandi Agnum Paſchalem Chriſtianorum? Reſp Alii abſolutè talem obligant ad præveniendum, ut Didacus Nugnus *quæſt. 80. art. 11.* & Fagundez *De præcept. Eccleſiæ, præcep. 3. L. 1. cap. 6.* Alii abſolutè ac probabiliſſimè quidem negant, teneri prævenire, ut Azor *Tom 1. Lib. 7. cap. 41. quæſt. ult.* Suarez *Diſp 70 ſect. 2.* Dicaſtillo *cit. Diſp. 10. de Euchar. num. 155.* Alii denique cum Layman. *Lib 5. Tr. 4. c 5. n. 9.* & Palao *De Euchar. Tr. 21. punct. 15.*

punct. 15. num. 8. ſic diſtinguunt: Aut jam ſemel illo anno acceſſiſti Sacram menſam, aut non acceſſiſti? Si acceſſiſti; non adeſt obligatio præveniendi. Si non acceſſiſti, adeſt; ſi quippe non prævenias, delinques contra præceptum non quidem paſchalis, ſed annuæ Communionis; juberis quippe ſingulis annis adire convivium angelicum.

40 Hæc diſtinctio præſertim reſpectu prioris membri fuit mihi ſemper probata, & probo quoque. *Quid ſi autem appetente tempore paſchali offeratur præter opinionem opportunitas communicandi, tenebórne illâ uti?* Reſp. Teneberis fatente Nugno, ac Palao; non teneberis arbitro Dianâ *Part. 3. Tract. 4. Reſ. 42.* cum Fernandez, & probabiliter quidem, teſte ipſo Suario, quamvis oppoſitum ipſe abſolutè teneat. Dianæ aſſentior; quia tunc feciſti totum id, quod veroſimiliter petiſſet à te ipſe Legiſlator, ſi eum interrogâſſes.

41 *At hæc doctrina repugnat praxi communi; etenim parochi intentant pœnas Eccleſiaſticas omnibus, qui, cùm poſſent, non obierunt tempore Paſchali Synaxin?* Reſp. Ideo repugnat, quia & hic caſus eſt ratiſſimus, & difficulter probatur in foro externo, fuiſſe priùs ſumptam Euchariſtiam, aut fuiſſe ſumptam cum prævi ſione impedimenti certò *moraliter* (hanc enim conditionem exigo cum Nugno) ſuperventuri. Itaque potiùs confeſſario, quàm judici Eccleſiaſtico inſerviet hæc doctrina. Hoc 42
indubitatum eſt, ſi certus ſis, defore tibi poſtremis diebus temporis paſchalis copiam ſatisfaciendi præcepto capituli: *Omnis utriuſque*, oportere illud implere prioribus diebus; ſicut qui die Dominicâ nequit intereſſe ultimo Sacro, quod fit in ſua urbe, tenetur, ſi poſſit, intereſſe priori alicui.

Sed qui ſolvendus hic

Noviſſimus Caſus?

Carpophorus morbo periculoſo correptus ante Dominicam Palmarum confitetur, & reficitur SS. Euchariſtiæ Sacramento. Quæro an ſatisfecerit præcepto Eccleſiaſtico pro tempore Paſchali?

Caſus hic meretur vocari *Noviſſimus* quia mihi ſcripto propoſitus fuit jam ſextum prælum experto hoc Alphabeto; quem quidem reſolvo cum diſtinctione: Aut enim tantùm uno, vel pauculis diebus ante Dominicam Palmarum ſumpſit Euchariſtiam, aut decem, quindecim &c. Si pauculis, tunc vel habuit hanc intentionem: *Volo nunc ſuſcipere Sacram Hoſtiam, ut etiam in omnem eventum ſatisfaciam præcepto communicandi in paſchate, quia forte tunc non potero*: vel non formavit hanc intentionem? Si formavit, locum habet doctrina Dianæ, relata *num. 40.* etiamſi revera habeat vires ſufficientes ad Eccleſiam adeundam. Si defuit illa intentio, & tamen ſufficiunt vires, & valetudo ſuſcipiendo illi ad Eccleſiam brevi, aut longo itineri, debebit intra tempus Paſchale ſuſcipere, niſi parochus ſit contentus illa priore communione, ut liquet ex antè dictis. Et verò facilè poteſt æger id præſumere, quando iter eſt unius, aut plurium horarum; nec dubium, quin Parochus valeat expreſſè liberare talem obligatione repetendæ Communionis, ut deducitur ex paulò antè, hoc eſt *num. 40* dictis. Quòd ſpectat illos, qui duabus, tribúve ebdomadis ante ordinarium tempus Paſchale muniti fuere Sacro Viatico, ante autem finem temporis Paſchalis, ſeu Dominicam in Albis. ita convaluerunt, ut non ſupperat cauſa illos excuſans à Confeſſione, & Communione, erit ipſis rurſum obeunda. Sic ego ſentio abſque autoritate expreſſa, at non abſque ratione; quandoquidem verba legis mihi apertè ſuffragantur.

Quæritur III. *An repetendæ Communionis onus impendet illi, qui paſchalem percepit indigneque corporis, & ſanguinis Domini?* 43

Reſp. Probabilius eſt, non impendere. Suarez, Tannerus. Cardinalis de Lugo *Diſp. 16. de Euchar num 82.* alii advertùs Durand. & alios. Ratio eſt, quia talis præſtitit totum id, quod ei præcepêre Concilia Lateranenſe, & Tridentinum. *At nónne Lateranenſe diſertè decernit, eſſe Chriſtum reverenter ſumendum? Quæ autem adeſt reverentia, quando ſumitur cum tanta irreverentia, ut à ſumente avertat vultum abhorrentem, ſicuti noſter Caſus teſtatur?* Reſp. Suadet illa Synodus reverentiam internam, non præcipit; nam ſicut de occultis non poteſt Papa divinare. text. *cap un. Vt Eccleſ. benef. ſin. dimin. confer.* ita nec illa mandare S. Thom. *1. 2. quæſt. 91. art. 4.* Vide Cardin. de Lugo *loc. cit.* & maximè Dicaſtillo *cit. diſp. 10. num. 177. & ſeqq.* nec non D. Reding *Tom. 6. Theolog. Scholaſt. quæſt. 7. art. 2. Controverſ. 2.* Accedit, quòd, cùm Alexand. VII. damnârit opinionem ſcribentium confeſſionis annuæ præcepto ſatisfieri per ſacrilegam, nihil autem ſtatuerit de Communione itidem ſacrilega, videatur fuiſſe contentus Sacrilegâ, argum. vulgaris doctrinæ deſumptæ *Ex cap. Nónne. De præſumpt.* 44

Quæritur IV. *An quovis die ſit fas accumbere menſæ cœleſti?* Reſp. Teſtatur Barboſa *De Parocho Part. 2. cap. 20. num. 16.* à ſacra Congreg. Anno 1612. declaratum, id non licere die Paraſceves, niſi infirmis. Sed Joann. Sanchez, Layman. Quintanadvennas *Tract 6. Singul. 6.* & alii plures, qui diu poſt illam declarationem ſcripſerunt, ajunt, id adhuc eſſe fas, & addit Quintanadvennas, illam declarationem non habere vim præcepti. 45

At verò quid cenſes de feria V. in Cœna Domini? Nónne omnes ſacerdotes tenentur eo die Corpus Chriſti ſumere de manu ſui Superioris, 46

repræsentantis Salvatorem in ultima cœna? Resp. Gavant. *in Rubr. Miss. Part. 4. Tit. 1. num. 8.* refert verba Congreg id jubentis Anno 1605. Verùm Quintanadvennas *loc. cit. sing. 5.* negat, & hanc declarationem habere vim legis, ob defectum unius, aut plurium conditionum necessariarum ad id, ut declarationes Cardinalium, summi utique faciendæ, habeant vim legis; certè in Germania vel ignoratur, vel usu recepta non est ut obligatoria; siquidem Germani Theologi Coninck, Tanner. Leyman. Busenbaum agnoscunt, licere cuivis eo die privatim saltem celebrare. Imò testatur Dicastillo *Tract. 5. De Euchar. Disp. 4. num. 28.* illis 15. Annis, quibus jam tunc in Germania vixerat, publicè eo die celebrâsse, qui velle. Verùm plura hanc in rem dixi *in Alphab. Sacrif. Cas. VI.* referens praxes recentissimas diversorum Episcopatuum.

47 Cæterùm licèt mos obtineat, ut conformiter *cap. Eccl. Disp. 23.* sacerdotes, quando more laico in die Cœnæ Domini communicant, stolam induant, húncque morem servandum doceat Pax Jordan. *Elucubr. Tom. 1. Lib. 3. Tit. 3. num. 83.* non tamen delinqueret saltem graviter, qui non indueret. Barbos. *De Paroch. cap. 20. num. 26.* post Henriquez Bonac. alios testantes, alibi id non observari.

48 Quæritur V. *Vtrùm sit fas, qualibet horâ diei communicare?* Resp. Est *per se loquendo*, cùm oppositum non legatur, inquit Sylvest. *verb. Euchar. 3. quæst. 12.* potest itaque etiam sanus post meridiem; non tamen vesperi, aut de nocte est id ipsi, nisi ob gravem causam faciendum, ob reverentiam Sacramenti, & metum scandali. Coninck, Palaus, alii.

49 Quæritur VI. *Qua pœna plectantur negligentes Communionem Paschalem?* Resp. Arcentur ingressu Ecclesiæ, & privantur Sacrâ sepulturâ, *cap. Omnis utriusque. De pœnitent. & rem.* Quæ pœna cùm sit tantùm sententiæ ferendæ, si ii moniti se sistant, non eam incurrent; si non se sistant, non sunt idcirco à Parocho arcendi ingressu Ecclesiæ, cùm hic non habeat jurisdictionem in foro exteriori, sed deferendi ad Ordinarium, nisi aliter abeat loci consuetudo. Laymann. *cit. cap. 5. num. 10.* Nostræ Synod. Constitutiones *Part. 1. Tit. 8 num. 5.* in contumaces statuunt privationem Matrimonii, ingressûs Ecclesiæ, sepulturæ, & *Communionis fidelium*, volúntque, ut eorum nomina in scriptis deferantur ad Episcopum, vel ejus Vicarium. Et jure quidem, etenim neglectus hujus Cœnæ Magnæ est argumentum animi, illam vel nauseantis, ex contemptu, vel fastidientis ex humore noxio, & non expellendo nisi amarâ hac potione.

QUOTIES COMMUNICANDUM.

CASUS IV.

Natalitius.

SUMMARIUM.

Casus sacerdotis deliberantis de faciendo Sacro, & deinde ob professionem communicando more laico 50.
Non licuit id ipsi. 51.
Indicantur casus, quibus est fas communicare bis de die. 53.
Teneris parere confessario, imperanti tibi communionem. 54.
Et peccas mortaliter, non peragendo Communionem voto promissam. 55.
Compensanda Communio Pœnitentialis neglecta. 57.
Expediatne Communio quotidiana? 58. & 59.
Cur Sacerdotes Societatis non permittant communiter quotidianam Synaxin; 60.
Rarissimus erat usus Communionis ante ortam Societatem. Ibid.
Tenetur pœnitens parere confessario, injungenti abstinentiam à Communione. 62.
Refelluntur Jansenista interdicens omnibus laicis quotidianam Communione. 63.

50 *Dositheus Soc. Jesu sacerdos emissurus cùm esset Professionem ipso natali Christi Domini, fuit dubitatum, an liceret ipsi de nocte facere Sacrum unum, alterúmve, omissâ ablutione, ac postea de die, & de more Societatis Sacram Hostiam sumere de manu illius Patris, in cujus manibus erat Professionem emissurus.*

51 Quæritur jam I. *An fuerit meritò dubitandum?* Resp. Cum P. Anton. de Quintanadvennas, teste hujus rei. *Singul. Tract. 4. sing. 9. affirmative.* Nam revera non licuit; concors enim DD. sententia damnat peccati mortalis illum, qui bis de die sumit Sacram Eucharistiam; quia consuetudo prohibitionem factam in *Cap. Te referente. De celeb. Miss.* ne sacerdos plùs, quàm semel in die Sacrificet, extendit etiam ad Comunionem. 52 *At licuit illi Patri eo die facere ter Sacrum, cur non, & semel, antè, vel pòst communicare more laico?* Quia eadem consuetudo Canonem *Consuluisti de celebr. Miss.* permittentem à quovis sacerdote ter celebrari in die Natali, intelligit propriè, & rigidè de ipso Sacrificio solo. Lugo, Quintanad Vasq. alii.

53 Quæritur II. *An igitur nullo alio die fas sit bis facere Sacrum, aut bis Communicare?* Resp. Fas est I. quando quis ante prandium sanus communicavit, at post prandium morbo lethali corripitur, ut *Cas. XII.* explicabimus. II. quando accidit unus ex illis casibus quibus vel

ex

ex omnium, vel ex optimorum Theologorum authoritate constat, licere eidem sacerdoti bis operari Sacris, ut E. G. quando præest duabus parochiis, poterit etiam diebus profestis, si solet tunc à sat multis frequentari templum, de licentia Superioris litare bis, ut consultus respondit Cardinal. de Lugo *in Resp. Moral. L. 1. dub. 12.* & pluribus disserui in Alphabeto Sacrificantium *Cas. VI.* Item probabiliter quando est pro moribundo conficiendum Viaticum, ut dicetur *Casu XVIII.*

54 Quæritur III. *An, si confessarius pœnitenti pro pœnitentia imperet, ut toties aut toties sacram mensam adeat, delinquat hic non parendo illi?* Resp. Quamvis id neget Joann. Sanchez *Disp. 23. num. 8.* eò quòd hic non possit ab illo adigi ad procurandam animi puritatem; ego suppositâ communi, atque in Trid. Concil. *Sess. 14. cap. 8.* fundatâ sententiâ, quòd pœnitens teneatur admittere, perficeréque rationabilem pœnitentiam, à Confessario injunctam, censeo, non rectè sentire hunc Autorem, sicut nec in pluribus particularibus quæstionibus de communione, quemadmodum testatur ejus perquam studiosus cæteroquin Diana *Part. 2. Tract. 14. Res. 79.* Nam repugnat, & judicio, usuique confessariorum, & praxi Ecclesiæ, paschalem omnibus Christianis, frequentem Religiosis imperantium, & rationi demonstranti, si potest injungi Confessio, posse & Communionem, cùm utraque sit aliquid sensibile.

55 Proinde quia obligatio votorum, pœnitentiæque Sacramentalis debet æstimari ex comparatione cum obligatione, quam invehit lex humana lata de eadem materia. Sanchez *Lib. 4. Mor. cap. 11. num. 31. & 36.* lex autem humana de communione paschali adstringit sub mortali, ut docent omnes, & patet ex pœnis in transgressores statutis *capit. Omnis utriusque*, idcirco adstringit & Confessarii præceptum de illa, nam particularia decreta sunt intelligenda secundùm modum generalium *cap. Ex literis. De const.*

56 Quia tamen licet unicuique rei suæ modum ponere *L. In traditionibus. ff. De pact.* erit penes confessarium sub gravi, aut levi reatu imponere illam actionem. *Quid si dubitem de intentione confessarii?* Illum interroga, nam verborum suorum quisque est optimus interpres. *cap. Inter alia. De Sent. excommun.* ut unde jus prodit, inde & interpretatio sequatur. *Ibidem. Sed nequeo adire Confessarium.* Ergo si Epulum Eucharisticum negliges, existimare lethalem culpam contracturum ob causam allatam. Quanquam si ex 8. vel 10. injunctis Communionibus unam omitteres, me arbitro posses benignùs præsumere de tui confessarii clementia; certè de mea.

57 *Igitur consequenter dices, illum, qui omisit communionem præscriptam à confessario, teneri eam proximè compensare, sicut tenetur Paschalem?* Resp. dicam, sed non solus, nam in terminis hoc dicit *Tract. 13. punct. 21. num. 13.* P. Ferdinandus de Castro Palao, quem præfatus Canonista D. Pax Jordanus Episc. Tragurien. in Dalmatia *loc. cit. num. 79.* meritò vocat *eruditissimum.*

Quæritur IV. *An hac ætate expediat, ut omnes, sæculares utriusque sexûs quotidie fiant Christi convivæ?* Resp. Licèt Joan. Sanchez omnibus ingenii viribus pugnet *in select. disp. 22. & seqq.* id expedire nunc quòque, & sine dubio *per se loquendo* sit consultius quotidie, quàm rariùs sæpe epulo Angelico, ut fatentur omnes, quia tamen in pronuntiando, utrùm aliquid hic & nunc expediat, maximi facienum est judicium commune prudentium, nam non solùm faciliùs invenitur, quod à pluribus quæritur, *cap. ult. dist. 20.* sed insuper integrum est judicium, quod plurimorum sententiâ comprobatur, *cap. Extra. dist. 64.* videmus autem Platones & Catones hujus sæculi censere post S. Thom. *art. 10.* esse è majore bono plerorumque sæcularium, & publico, si non ferè frequentetur mensa divina, idcirco non est in praxi sequenda *generaliter* doctrina Sanchezii, sed illis solis suadenda, quos experientia docet, solere in virtutibus proficere quotidianâ Communione. Utinam omnes pareant paternæ adhortationi nostrarum Constit. Synod. *loc. cit.* monentium, ut saltem in solemnioribus festivitatibus hunc immensum cælestium divitiarum thesaurum sumant.

Lege, si placet, Cardinalem de Lugo *Disp. 17. De Eucharistia num. 15. ac seqq.* itémque Dicastillo *De Eucharistia Tr. 4. Disp. 9. dub. 18.* firmantes rationibus, atque validis authoritatibus hanc nostram responsionem defendentes, explicantésque Regulam XXVI. Sacerdotum nostrorum, hos monentem, ut quos viderint propensos ad *frequenter communicandum*, admoneant, ne crebriùs, quàm octavo quoque die accedant, præsertim si matrimonio sunt conjuncti.

Quam moderationem censet Dicastillo *n. 60* 60 *422*, inde ortam, quòd nascente Societate fuerit extra Pascha rarissimus usus Sacræ communionis, quemadmodum nos docent nostri Annales, & ego ipse persæpe audivi olim ex ipsis sæcularibus ætate provectis, qui non dubitabant affirmare, Sacram in suis Urbibus nominatim nostrâ Constantiensi ad Lacum Podamicum, atque Halensi in amplissimo Comitatu Tiroleos, à pluribus hac ætate frequentari intra mensem, quàm Patrum suorum memoriâ per totum Annum extra Paschale tempus.

Et huc respexisse videtur Ecclesia, dum in 61 lectione sexta Officii de nostro Sancto Fundatore adscribit huic Divo incrementum Sacramentorum frequentiæ in eodem gradu, in quo incrementum Catechismi; constantissimum autem est, Catechismi frequentiam accepisse ab illo juvenilis, puerilisque ætatis amantissimo Cœlite maxima incrementa. Vide, si placet,

cet, de hoc argumento Imaginem primi sæculi Societatis nostræ *Lib. 3. cap. 8.* ubi refertur, quo pacto ipse S. Thomas de Villanova defenderit è pulpito Ordinem nostrum, vocatum à quibusdam in suspicionem hæresis, ea sola de causa, quòd tanto molimine conaretur intrudere frequentationem Sacræ mensæ crebriorem; sicuti etiam P. Theophilus Raynaudus *Tom. 8. suorum operum fol. 454.* testatur, Sacram Communionem devenisse in eam infrequentiam, ut nostro Patri Christophoro Matridio, & aliis fuerit certandum iteris adversùs crassam ignorantiam contendentium, peccare, & violare sacra laicum, qui plus, quàm semel in Anno reficeret se divino epulo.

Ne ergo adhuc magis exacerbarentur animi plurimorum, qui perægre (sicuti tempore Joann. Avilæ Antistites Hispani, ut legere est in ejus vita *Part. 2. §. 8.*) ferebant, inductam à nostris consuetudinem contrariam usui pristino, censuerunt nostri majores, eam esse ita temperandam, ut non sæpius, quàm octavo quoque die permitteretur accessus Sacræ mensæ, permitteretur, inquam, *ordinariè*; nam *extraordinariè*, adeóque propter festum occurrens in hebdomada permittitur facilè à nostris ille accessus. Ex amore congruit quidem debitæ erga hoc Sacramentum reverentiæ, ut quotidie sumatur, attamen ex timore ergà tanti Sacramenti Majestatem convenit ejusdem honori, ac reverentiæ, ut aliquando abstineatur, inquit piè, & graviter D. Reding *quæst. 7. art. 2. Controv 2. in Corollar. num. 1.*

62 *Quid si autem confessarius pœnitenti rite absoluto prohibeat quandoque ex causa, quam censet sufficientem, ne sumat corpus Christi, tenebitúrne pœnitens parere?* Resp. Licèt Joann. Sanchez *Disp. 28. num. 10.* expressè neget confessario jus interdicendi communione, præterquam in casu, quo pœnitens est in statu peccati mortalis idque etiam tradant Marzilla, & Maurus de Valle apud Dicastillo *Tract. 4. disp. 9. De Euchar. dub 18.* attamen idem Dicastillo tum auctoritatibus, tum exemplis, tum rationibus ita manifestè ostendit, hanc doctrinam esse rejiciendam, ut censeam, non esse à quoquam pœnitente adeundam Synaxin, quando id ipsi vetuit, aut dissuasit confessarius, quem scit haberi pro docto, pio, prudente.

Sicuti vice versâ noster P. Georgius de Rhodes *Tom. 2. Theologiæ scholasticæ Disp. 1. De Euchar. quæst. 3. sect. 4. §. 4.* demonstrat, errare quendam Gallum dogmatistam, qui omnibus laicis interdicit quotidianâ communione. Rectiùs dixeris cum eodem Rhodes *ibid.* paucissimos omnino esse, quibus quotidiana communio possit à prudente confessario permitti, paucissimos, quibus hebdomadaria prohiberi, nullum, cui menstrua non consuli.

63 Equidem nequit partim sine errore in fide, partim sine temeritate negari, quin longè plurimi laici utriusque sexûs Sæculares, & Regulares æquè innocentem, aut etiam innocentiorem vitam duxerint, & ducant, ac Sacerdotes sæculares, Religiosique innumeri, quibus nemo sobriè sapiens interdiceret quotidianâ celebratione Sacrificii; quo ergo jure potest quotidianus accessus ad mensam Angelicam interdici omnibus charactere sacerdotali carentibus?

UBI COMMUNICANDUM?

CASUS V.

Cathedralis.

SUMMARIUM.

Casus mulieris peragentis communionem paschalem in Ecclesia Cathedrali. 64.
An ea satisfecerit præcepto Ecclesiæ? 66.
Non delinquit per se loquendo, *qui communionem paschalem peragit extra Ecclesiam parochialem. 68.*
Peccat, si non de manu parochi. Ibid.
An confessarii Societatis delinquant, non monendo pœnitentes, ut communicent in templo parochiali? 70.
An negabunt absolutionem, nolentibus in sua parochia id præstare? 72.
An hi tenebuntur rursum communicare in propria parochia, si priùs communicârunt in alia? 73.
Sacerdotes habent jus pro paschate Sacrificandi di alibi, at non communicandi more laico. 74.
Advenis, & viatoribus ubi communicandum? 75.
Ubi Scholasticis nostris? 77.
Vbi famulis servientibus per majorem Anni partem? Ibid.
An Religiosi Mendicantes licitè *præbeant ipso die Rejurrectionis Christi Communionem? 78.*
Privilegium peculiare nostrorum Patrum Oenipontanorum, & Halensium. 81.

64 *Eulalia mulier, cùm dissidia aliqua cum suo parocho habuisset, adveniente paschate abiit ad Ecclesiam Cathedralem, in qua fuit confessa Pœnitentiario ejusdem Ecclesiæ, ibique statim Eucharistiam recepit, ut satisfaceret præcepto Communionis paschalis. Vicarius tamen Generalis postea contra eam procedere volebat eo titulo, quòd Ecclesiæ præcepto non satisfeciset; & conquesta apud Pontificem, quòd injustè à Vicario Generali vexaretur, cùm revera utriusque Sacramenti præcepto satisfeciset.*

65 Ita in terminis loquitur, ac refert Cardin. de Lugo *Lib. 1. Resp. moral dub. 15.*

Quæ-

66 Quæritur jam 1. *Utrùm Eulalia peccaverit, nec ne?* Respondet Cardinalis, non peccâsse confitendo Pœnitentiario, utpote repræsentanti Episcopum: peccâsse autem communicando illic, cùm neque Archipresbyter, neque Parochus Cathedralis habeat jurisdictionem in totam Urbem. Placet mihi utraque responsio, licèt in posteriore, quam etiam approbant Bonacina *Quæst. 7. punct. 2. num. 11.* & Dicastillo *Tract. 4. De Euchar. Disp. 10. num. 170.* dissentiant Barbosa *De Paroch. cap. 20.* Pax Jordanus *Elucubrat. Tom. 2. lib. 3. tit. 3. num. 81.* quibus utique assentior casu, quo ipsemet Episcopus ministrat Eucharistiam; ipse enim est Parochus parochorum. *c. Præcipimus. 12. q. 2.*

67 *Absolutè* autem sequenda non est horum Doctorum opinio nostris Constantiensibus, vel accolis, præsertim cùm in Constitut. Synod. *p. 1. tit. 8.* sanciatur, ne absque parochi licentia alibi, quàm in parochiali Ecclesia fiat Paschalis Communio: foret autem optandum, ut alicubi sanctiùs observaretur hæc sanctio.

Secutus sum, ut vides Lector, hoc *num. 66. & 67.* resolutionem *practicam* Cardinalis de Lugo circa condemnationem Eulaliæ obeuntis in Ecclesia Cathedrali Communionem Paschalem absque facultate parochi. Adducit in oppositum Stephanus à S. Paulo *in Theol. Moral. Tract. 5. disp. 2. num. 46.* Timotheum de Timotheis *in princip. suæ Nomophylachiæ* tres Cardinales, quatuor Episcopos, & quinque alios Doctores præstantissimos, qui consulti circa factum cujusdam Domicellæ, quæ in Ecclesia Cathedrali communicaverat in Paschate, illam *absolutè* absolverunt, eò quòd in Ecclesia adsit Episcopus totius Diœcesis Pastor. Propter quorum Doctorum, & aliorum à me ipso hîc relatorum auctoritatem judico, ubi nihil *positivè* constat de contraria consuetudine legitima, posse excusari tales personas, secùs ubi constat de contraria, sicuti hîc Constantiæ, ubi non permittunt DD. parochi Civitatenses, ut sui parochiani percipiant in Cathedrali Sacram Synaxin, & longè minùs permitterent, ac meritò, rurales parochi, præsertim post Decretum ea de re ab Illustriss. D. Ordinario publicatum Anno 1671. redactúmque religiosè in praxin, cujus, & propositi casûs occasione.

68 Quæritur. 1. *An* per se loquendo *delinquat, qui Paschalem communionem percipit extra suam Ecclesiam parochialem?* Resp. Non. Lugo *l. c.* Quintanad *sing. 12.* nam nulla lex hoc absolutè inhibet; producatur textus juris. *An nunquid mortaliter peccat, qui non percipit eam de manu parochi? ubi autem percipiet nisi in Ecclesia parochiali?* Resp. Ita sanè, delinquit, ut ex *Cap. Omnis*, suprà *n. 32.* descripto, pronuntiant Theologi & Canonistæ, nominatim Bonacina, & Jordanus *n. 49.* Unde resolvi aliquando, illos Religiosos, qui nondum habentes propriam Ecclesiam faciunt (ut nos olim Tridenti in Ecclesia B. Mariæ Majoris) cum facultate parochi sua quotidiana Sacra in certo altari parochiæ, audientes ibi confessiones, & ministrantes etiam ibidem Eucharistiam Sacram, secundùm rationem sui instituti, non posse sine ejusdem parochi *expresso*, vel *tacito* permissu præbere paschalem communionem; hæc enim debet, ut dixi, præberi ab ipsomet parocho, vel à delegato, nisi parochus injustè neget Infrà 69
num. 379. Verùm potest parochus eam præbere in privato sacello, vel dare potestatem celebrandi alibi Pascha Christianorum. Nec ejus factum, aut data responsio viderur adversari menti Constitut. Synodalium.

Est tamen Ordo Religiosus, cujus alumni 70
quot Annis jubentur appetente tempore Paschali manere suos pœnitentes, ut semel obeant eo tempore communionem in *propria quisque parochia; delinquúntne in suam Regulam, qui non monent?* Resp. Non, nisi vel interrogentur, vel peculiarem ob causam suspicentur, aut credant, pœnitentem esse transgèssurum legem Ecclesiasticam. Cùm enim paucissimi igno- 71
rent prædictam obligationem, illa autem, quæ rarò eveniunt, non temere in negotiis agendis computanda sint *Leg. Ea quæ, ff. De Reg. jur.* non est, cur confessarii illius Ordinis faciant communiter, & ultro ejusmodi monitionem. Equidemlex nulla obligat ad actus otiosos *L. Quoties. 2. ff. De reb dub.*

Sed negabitne confessarius absolutionem renu- 72
enti se sistere parocho ejúsve locum tenenti? Resp. Vel solet sæpius per Annum Sacrâ Eucharistiâ reficì, idque in Ecclesiis Regularium, adducíque nequit, ut eam percipiat in propria Ecclesia, & tunc rationabiliter præsumi potest, parochum condescendere ejus infirmitati. Laym. *Cap. 7. num 3.* juxta illud Pauli: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros. Eph. 6.* Vel non habet morem nisi semel, iterúmve in Anno communicandi; & tunc debet ei severiùs præcipi, ut parochiam adeat. Laymann. *l. c.*

Quid si non pareat, sed alibi Pascha celebret? 73
Resp. Peccabit quidem Iethaliter. Bonacina *Disp. 4. q. 7. p. 2* Palaus *P. 15. num. 10.* & alii apud ipsos; *absolutè* negantes, præcepto paschalis Communionis aliter satisfieri, quàm sumendo illam de manu proprii parochi, aut ab eo habentis potestatem. Quia tamen existimat, & meo judicio rectè Tann. *cit Disp. 5. q. 8 num. 114.* talem ei præcepto satisfeciìle *quoad substantiam*, licèt non *quoad modum*, idcirco probabiliter infert hic auctor, non esse adigendum ad repetendam in propria parochia communionem; repetendam, inquam, post tempus paschale, nec enim dubitari debet, quin ad hanc repetitionem durante tempore paschali faciendam sit adigendus. Palaus *P. 19. num. 5.* & alii. Idem Tannerus etiam rectè subdit, sacer- 74
dotes satisfacere integre eidem præcepto, ubicunque tandem tempore paschali celebrent. *At quid si communicent more laicali?* Non satisfaciunt.

faciunt. Palaus *P. 15. num. 10.* & alii disertè loquentes de solo celebrante.

75 Quæritur III. *Quid de advenis, peregrinis, viatoribus hic sentiendum?* Resp. Si ob distantiam nequeant accedere propriam parochiam, *licitè* communicabunt in Ecclesiis Regularium. Laym. *loc. cit.* Palaus. Fag. alii contra Barb. Bonac. alios. Etenim licèt se possint subjicere parocho loci, in quo existunt, attamen non faciunt ei ullam injuriam subtrahendo se illi, nam nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur. *L. Nullus ff. De Reg. jur. Sed nunquid tenentur illi advenæ alicubi tunc id facere, si nequeant commodè domum excurrere, seu redire?* Resp. Authores, quos legi, solùm dicunt eos *posse*, nullus, *debere* extra suam parochiam communicare.

76 Putem tamen hîc locum habere illud Axioma Navarri *De horis Canonicis Cap. 10. Qui non potest aliquid facere eo modo, quo jubetur, tenetur facere eo modo, quo potest.* Ergo advenæ, ac viatores, qui prævident, sibi non fore ullâ parte Anni copiam percipiendi Eucharistiam in sua parochia, obligantur percipere illam alibi. Equidem existimo, omnes Ordinarios ita responsuros, si interrogarentur.

77 Adde, quòd nostri discipuli celebrent in nostri Ordinis templis suum Pascha, ferè ubique consuetudine id obtinente; quæ tamen nescio an ubique sive in ordine ad nostra templa, sive, ad aliorum Regularium vigeat respectu famulorum per majorem Anni partem servientium in aliqua urbe. Soleo ego tales, quoad possum, inducere, ut adeant suas parochias, quia jura DD. parochorum non adversantia consuetudini receptæ, tueri, & offensionum occasiones avertere decet magnopere Religiosos, qui se fatentur humillimos esse adjutores Cleri sæcularis, juxta Clementin. 2. *De sepultur.* §. *Numerus*, & §. *Verùm*; cùm præsertim Tannerus *Quæst. 8. num 124.* videatur *absolutè* assentiri Emmanueli Sa, testanti, laicos servientes Regularibus teneri ex decreto Congregationis id facere, Sed obstat usus contrarius.

78 At, *Estne permissum Religiosis, ut ipso die Dominicæ Resurrectionis publicè ministrent Eucharistiam accedentibus?* Affirmant Suar. Palaus, Ascan. Tamburinus *de jur. Abb. Tom. 1.* Pax Jordanus *Lib 3. tit. 3. num. 79.* adversùs Navarr. Azor, alios. 1. quia contraria sententia est minùs devota; nam cùm eo die plebs concurrat ad communionem satis numerosè, & parum devotè, hinc fit, ut piæ personæ non accedant ad Parochiam, unde Eucharistiam non sumerent, nisi Religiosi illam ipsis administrarent. Ita de suis Dalmatis, & Italis ratiocinatur Episcopus Pax *loc. cit.*

79 2. Quia Pontifices, dantes Regularibus facultatem quibuscunque Eucharistiam ministrandi, præterquam *in festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ*, utuntur hac pharsi in sensu *formali*, non *materiali*, intelligentes illum dem, quo quis debet satisfacere præcepto Capituli: *Omnis utriusque*; hac enim ratione satisfit intentioni Pontificum volentium conservare jura Parochorum, cui intentioni verba deservire debent, non intentio verbis, inquit Cælest. Papa relatus *Cap. Humanæ aures. 22. quæst. 5.*

Verùm hæc sententia sustineri nequit, ubi usu recepta est declaratio Cardinal. relata à Gallemart. in Trident. *Sess 13. Can. 7.* Quam quidem novimus passim in Germania non observari, & proinde nullo modo delinqui à non observantibus. Excipio Friburgenses Helvetios, apud quos rigor illius declarationis est in usu perpetuo, sicuti vice versâ nostra Collegia Oenipontanum, & Halense in Tiroli ex clementissima gratia Reverendissimi, atque Illustrissimi Principis, & Episcopi Antonii, ejúsque plurium Illustrissimorum antecessorum, administrant omnibus diœcesanis Communionem etiam paschalem. Quod quidem privilegium singulare ob causam in Diplomatibus expressum viget hodiéque, uullo Dominorum parochorum contradicente. His adde, à Cardinale de Lugo *in Respons. Moral. Lib. 4. dub. 33* fusè contra P. Quintanadvennam ostendi, nostros convictores in seminariis non posse nisi à parocho loci accipere Viaticum; loquitur autem de convictoribus, quorum domus, seu domicilium non pertinet *directè*, & *immediatè* ad Societatem, sed erectum est primariò in seminarium vel ex testamento, vel operâ Episcoporum, juxta decretum Concilii Trid. ut juvenes aliquo educentur, quorum cura demandetur Patribus Societatis, qui ad hunc finem illuc transferuntur & ibi degunt. Idem dic de seminariis, & convictibus fundatis à sæcularibus Principibus sub administratione Societatis hominum, ut est e.g convictus Ingolstadiensis. Idem dicit de seminario Romano prædictus Cardinalis.

PUERIS AN COMMUNICANDUM?

Gratiosus.

CASVS VI.

SVMMARIVM.

Puerulo piissimo simul, & præcocis prudentiæ negata communio in agone. 82.
Qua ætate pueri compellendi ad Synaxin? 84.
Etiam quando sunt capaces, potest tamen differri aliquantum communio. 88.
Quid si expectatur ad Annum ætatis decimum quartum? 90
Quid censendum de pueris moriturientibus? 92.
Est quoad ætatem facienda distinctio inter pueros, & puellas 94.

Qua

Qua ætate admittendi pueri, & puellæ? 95.
An etiam septennes? 98.
An puerulo, de quo num. 82. non potuerit tribui Eucharistia? 99.
Concilium Lateranense nihil vetat in Cap. Omnis utriusque, *sed præcipit. 101.*
P. Lessius in infantia mirè judicioſus. 102.
Enumerantur infantes, quibus non negarem Sacrum viaticum. 104.
At septennes non admittendi, ut lucrentur Jubilæum. 106.
Quando dubium est, an pueri sint sat maturo judicio prædicti, quis litem dirimet? 107. & 108.
Mos Constantiensium imitandus. 108.
Quid de pueris in Germania pronunciet Tannerus? 109.
Quomodo authores accipiant has phrases: Usus rationis: Anni discretionis: potentia peccandi mortaliter, & esse capacem doli? 111. & 112.
Probatur, puellas communiter citiùs esse doli capaces, quàm sint pueri. 114.
Examinatur communis doctrina de præsumptione usûs rationis, expleto primo septennio. 116.
Qua ætate tam hi, quàm illæ in Germania sint doli capaces? 125. & 126.
Indicia sufficientia ad peccandum judicii, quæ adfert Scotus. 127.
Quæ Navarrus. 128.
An, quando possunt venialiter peccare, obligentur sub veniali legibus humanis? 129.
Quid de esu carnium? 130.
Quid dubio de usu rationis, agendum ratione absolutionis sacramentalis, & communionis Paschalis? 131.

82 FLandriæ oppido natus Achas puer longè optimus, *nondum expleto septennio appropinquans morti confessus sacerdoti, Sacramentum Corporis Christi postulavit. Sed cùm hoc propter Generalis Concilii* (verba refero historici) *vetitum, ne in ætate tali conferretur, sacerdos facere non auderet, puer cum mira oris gratia extensis in cælum manibus dixit*: Tu nosti Domine Jesu Christe, quòd meum summum desiderium est, te habere: petivi te, fecique, quòd debui, & spero confidentiùs, quòd tui præsentiâ non frustrabor. *His dictis parentes consolatus, ad meliora provocans, inter verba exhortationis, laudis, & orationis spiritum Deo reddidit impollutum. Post mortem ejus, cùm ad sepulchrum illius stantes quidam de Fratribus* (Minoribus) *psalmum* De profundis *dicere voluissent, nullo conatu cum finire potuerunt, videlicet ut per hoc daretur intelligi, nullis jam sanctam animam orationum suffragiis indigere.*

83 His omnino verbis Casum illum Eucharisticum describit Thomas Cantipratanus *Lib. 2. Apum cap. 28. §. 7.* editionis Duacensis, cujus occasione meritò.

Quæritur generatim 1. *Quâ ætate pueri sint adhibendi divino epulo?* Resp. Cùm usus longævi non sit levis authoritas, *c. Cùm consuetudo. De cons.* usus autem obtineat, ut octennes, novennes non compellantur ad synaxin, ideo parentes, & alii Superiores non delinquunt, si in tam tenera ætate non compellant suos. Dominicus Sotus *in 4. d 12. q. 1 a. 11.* 84

Sed habeo domi filium novennem præcocis ingenii, & judicii; nam solet loqui cum reflexione, solet dictorum suorum rationes non prorsus pueriles reddere, & cùm esset septennis, jam callebat plures artes circumveniendi adultiores se, imponendi mihi, & Ludimoderatori, ac poterat id ætatis congruè repetere pleraque omnia, quæ in Catechismo explicata fuerant, *an non igitur is, aliique similes comprehendantur lege Communionis, perinde ac Confessionis?* 85

Resp. Licèt hæ circumstantiæ persuadeant, ejusmodi puerum esse inter Germanos (nam Italis maturiùs siccatur cerebellum) annumerandum iis, de quibus Socrates: *Odi pueros præcocis ingenii*, quia scilicet hi non solent esse longævi ob præproperam cerebri exsiccationem, non tamen graviter delinquit, si adhuc unum, alterúmve Annum abstineat se à Sacra mensa. 1. Nam ad ea debet aptari jus, quæ frequenter eveniunt. *L. Nam ad ea. ff. De leg. 2.* Dominicus Sotus *loc. cit.* Valentia *Tract. 4 disp. 6. quæst. 8. punct. 4.* & alii negant, præceptum annuæ communionis extendi ad nondum egressos Annum ætatis XI. quamvis Suarez *loc. cit.* aliique complures haud sanè absque ratione distinguant inter prudentulos, & simplices; ut proinde nec confessarii, nec parentes debeant facilè talibus jam emunctioris cerebri negare facultatem annuæ Communionis. 86

Nihilominus circa pueros providè observabitur duplex Regula generalis. 1. Potest differri Communio Paschalis in unum alterúmve Annum, postquam est quis satis intelligens rerum, ad illam ritè obeundam spectantium. Suar. *Disp. 70 sect. 1.* Palaus *Tract. 21. punct. 10.* Pax Jordan. *Lib. 3. tit. 3.* atque alii contra alios. Etenim decet, ut ad usum hujus Augustissimi mysterii, singularem reverentiam, toties à nostris Synod. Constitution, inculcatam, exigentis, hisce præsertim temporibus calamitosis, quibus *ab hæreticis profanatur, oppugnatur, contemnitur*, ut loquuntur eædem Constitutiones Synod. *Part. 1. Tit. 3.* non obligentur pueri tam immaturi. 87 88

Altera Regula. Non delinquunt, qui sui territorii morem secuti abstinent divino epulo usque ad Annum ætatis XIV. Cajet. V. *Communio.* Henriq. alii contra alios. Quia licèt consuetudo, quæ Canonicis obviat (sicut hæc obviare videtur) institutis, nullius debeat esse momen- 89 90

momenti *Capit. Ad noſtram. De conſ.* poteſt tamen multis in locis probabiliter ignorari jus præcepti *Eccleſiaſtici*, & ſi hîc eſt, ſicut veroſimiliter eſt, *Divini*. Certè noſtræ Synod. Conſtitut. *loc. cit. n. 11.* ſatis inſinuant, in hoc totius Europæ ampliſſimo, (ut ſæpe repetit in
91 ſua Conſtantia eruditiſſimus P. Gabriel Bucelinus) Epiſcopatu haud rarò fieri, ut ante adoleſcentiam non incipiant guſtare hoc manna abſconditum. Laudandi Parochi, qui hunc morem, ubi plebs eſt docilior, emendare ſtudent, inculcando illa, quæ eadem Synodus *n. 12.* ſapienter, ac providè monet eſſe proponenda, exponenda rudibus.

92 Quæritur 2. *An, quæ hactenus dicta ſunt in partem mitiorem, locum etiam habeant in pueris moribundis?* Reſp. Habent, ſi credimus Navarro *Cap. 21 num. 57.* Vaſq. *loc. cit.* ac pluribus, ratis obligationem *Divini* præcepti ad Communionem non citiùs oriri, quàm *Eccleſiaſtici*. At Suarez, Palaus, Tanner Georg. de Rhodes *Tom. 2. Theo. ſcholaſt. d. 1. De Euch. q 3. ſect. 4. §. 2.* noviſſimè D. Reding *Quæſt. 5 art. 2 Controv 1.* alii cenſent, omnem ſacramentalis confeſſionis capacem puerum, eſſe in extremis neceſſariò muniendum Sacra viatico. Hæc ſen-
93 tentia eſt magis pia, & ubi commodè poteſt, in uſum redigenda, præſertim ſi petat puer octennis, novennisve; nam cui Sacramentum Pœnitentiæ conceditur, neque Sacramentum Euchariſtiæ negari debet, ſi petat, inquit Laym. *loc. cit. Cap. 4.* deſumens hanc Regulam *ex Cap. penultimo 26. quæſt. 6.* ſed ego deſumo *ex Cap. 6. ejuſdem tituli*, ubi ita ſtatuitur: *Si quis de corpore exiens noviſſimum, & neceſſarium Communionis viaticum expetit, non ei denegetur.* Nolim tamen damnare ſecùs facientes, ut jam dixi ſuperiùs.

94 Quæritur 3. *An in reſponſionibus ſuperioribus non ſit faciendа diſtinctio inter pueros & puellas?* Reſp. Non faciunt Theologi hactenus nominati, facit tamen ſingulariter poſt Cordubam, Joan. de Chapeaville *De Sac. miniſt. tempore peſtis Cap. 4. quæſt. 9* excuſans parochum, qui pueros peſte infectos non munit viatico ante Annum ætatis 14. vel 15. & puellas non ante 12. vel 13. Quæ doctrina eſt quoad inſinuatum diſcrimen maturitatis *practicè* probabilis, & conformis menti aliorum, qui, ut referemus *num. 114.* rectè cenſent, puellas, ſicuti citiùs pubeſcunt, ita etiam citiùs ſolere ſapere, quàm pueri. Quam ob rem dicendum eſſet, eas citiùs obligari hac lege *Divinâ* & *Eccleſiaſticâ*, quàm pueros; ſed quis nitetur contra torrentem alicubi rapidum, & turbidum?

95 *Diviſti de ætate qua oporteat, dubito de illa, qua liceat fruentibus Electorum ſe participem facere?* Reſp. Tametſi Concil. Matiſc. ſecundum Anno 588. ſtatuerit, ut Innocentes reliquias Sacrificiorum vino aſperſas indicto eis jejunio abſumerent, præſentium tamen temporum uſus, qui maximè ſpectandus *L. Semper. 54 ff. De Reg. jur.* non permittit, cuiquam Euchariſtiam porrigi ante adeptum rationis uſum.

Licet etiam S. Thom. *l. c. a. 9.* ita loquatur; 96
Quando pueri incipiunt aliquem rationis uſum habere, ut poſſint devotionem concipere hujus Sacramenti, poteſt eis illud conferri, cenſent tamen hujus ætatis ſapientes, & Religioſi viri, jam non convenire, ut ſeptennes, vel octennes pueri, puellæve, quantumvis ita informati, ut diſcernere queant inter hanc menſam Angelicam, & humanam, admittantur ad illam extra articulum mortis. Fortè quia experientia, efficax 97
rerum magiſtra, ut dicitur *C. Quamſit De elect. in 6.* docuit, cùm ad venerationem hujus Sacramenti, tum ad ſolidum, conſtantémque profectum illo fruentium facere, ſi non admittatur tam tenera ætas.

Quia tamen nullum extat *prohibitivum* hujus rei præceptum, omnia autem ſunt licita, 98
quæ nullâ lege ſunt prohibita, Nellus *De teſte n. 1* & Angelici Doctoris judicium eſt maximi faciendum, ideo non damnarem ullius *per ſe* peccati, qui ſequutus opinionem Joannis Sanchez præberet Euchariſtiam puero ſeptenni, ſcienti diſtinguere jam inter bonum & malum; nemini tamen ſim author id faciendi extra mortis articulum; certè Rhodes *loc. cit §. 3.* pronuntiat, ſententiam Joannis Sanchez non videri ullo modo probabilem.

Quæritur 4. *Quid igitur pronuntiandum de parocho, qui puero Achas efflictim poſtulanti diviniſſimum viaticum negavit? Et negavit ob interdictum Concilii Generalis, ut refert hiſtoricus?* 99
Reſp. Ego quidem non damno illud factum, utpote quod videam eſſe conforme judicio virorum ſapientum, ac noſtri Germani vulgari diverbio ferant, eſſe de rebus peractis optimè, ſeu benignè loquendum. Si tamen me rogaret illuſtris pietatis, atque Innocentiæ puer, ut fuit Achas, ducerem mihi Religioni negando ejuſmodi Angelo terreſtri panem Angelorum, licèt necdum expleſſet Annum ætatis ſeptimum. Cur enim ſummo, & verè cæleſti ſolatio privarem animam piiſſimam, tam notæ virtutis & prudentiæ, ut ſic loquar, ſciens eſſe tot DD. atque inter hos ipſum Angelicum (ſuprà *numer. 96.*) qui meum factum probaturi eſſent?

Nec me terreret Concilium Generale, quia 100
parochus ille utique intelligebat Concilium Lateran. ſub Innocent. III. nam & nullum aliud Generale innuit quidquam de ætate, & iſtud fuit celebratum Anno 1215. Achas autem ſanctiſſimè obiit Anno 1220. ut loquitur, ac teſtatur Aubertus Myreus *in faſtis Belgicis ad 11 Junii*; atqui iſtud nil obſtat, quia *Cap. 21.* ex quo deſumptum eſt Capitulum *Omnis utriuſque ſexûs*, & deſcriptum *Caſu III.* non vetat quid-
101 quam, ſed præcipit. Nec obeſt, quòd loquantur de illis, qui ad Annos diſcretionis pervenerunt, ſiquidem compellendo hos ad Sacram Synaxin in paſchate non arcet allos ab ea in agone.

gone. Adde, quòd Achas ille in ea ſua infantia majorem hujus diviniſſimi Myſterii, aliarúmque rerum ſacrarum habuerit notitiam, quàm plerique proximi pubertati, ut liquet ex mirificis ejus factis, quæ idem Cantipratanus deſcribit per plures §§.

102 Hinc etiam ægre negarem viaticum efflagitanti illud infanti tam egregiè pio, & præmaturi judicii, quàm fuit is, de quo hic

Caſus, & paradigma præcocis ingenii.

Leonardus Leſſius prima literarum clementa puerulus adhuc adeò adamavit, ut cibo, & ſomno imò & luſui horas ſurriperet, & teneras adhuc ſuas manus ad exilem candelæ calorem contra-ingruentem hiemem ſub noctem foveret, ne brevi ad communem domeſticorum ignem (fornacibus enim carent Belgæ) *acceſſione exiguam temporis jacturam faceret. Vix ſexenni parentum obitus ſtudiorum curſum intercepit, ſed vicit ipſe tantillus, ſibi-ipſe jam quaſi Tutor apud Tutores ſuos intercedens, ut ad ultimum aſſem potiùs univerſam ſuam hæreditatem expenderent, quàm à literis amoverent.*

103 Ita ſcribit author Compendii vitæ Leſſianæ *Cap. 1.* præmittens, illum, puerulum adhuc, fuiſſe tam piâ Religione, ita crebrò jejunâſſe, tam aſſiduè precatum, atque in templo, & alibi ita verſatum fuiſſe, ut popularibus ſuis *Tropheta* nominaretur.

104 Ejuſmodi, ut dixi, infantibus, haud negarem viaticum, ſi peterent, tum propter allatam ſuperiùs rationem, tum quia ii rectè dicuntur perveniſſe ad annos diſcretionis. Sanè ſi hi duo pueruli, itémque B. Aloyſius Gonzaga, S. Antoninus, S Catharina Senenſis, B. Agnes de Monte Politiano, decimo quinto Anno ætatis creata Prioriſſa, S. Tereſia, atque alii, quorum præmatura prudentia laudatur, fuiſſent in agone confeſſi aliquod peccatum veniale, debuiſſent ſine omni dubio *ſacramentaliter* abſolvi; ergo & Euchariſtiâ refici vel debebant, vel certè poterant, cùm certum ſit, jus divinum, & canonicum iis patrocinari potiùs, quàm adverſari. De octennibus aſſentitur mihi P. Stephanus *Tract. 5. diſput. 4. num. 46.* Quin clariſſimus P. Georgius Grueber in Collegio Canonicorum Regularium S. Auguſtini ad S. Crucem Auguſtæ Decanus, in Breviario virtutum Venerabilis Virginis Catharinæ à S. Auguſtino, Canoniſſæ Regularis ejuſdem Ordinis, multò laudatiſſimæ *num. 3.* ceu fidelis interpres ſcribit, hanc mirificam Virginem octavo ætatis Anno primum ex manu ſacerdotis divinum Euchariſtiæ epulum mirâ devotione ſuſcepiſſe. *Noli Annorum nos exiſtimare numero, nec ſapientiam canos reputes, ſed canos ſapientiam.* S. Hieron. *Epiſt. 13. ad Paulinum.*

Quæritur 5. *An, quoniam hac ætate Pontificia liberalitas tot Jubilæa nobis offert, etiam tunc pueri, puellæve ſeptennes excludendæ?* Reſp. Sequor monitum magni Ambroſii deſcriptum *C. Illa. diſt. 20. Ad quamcumque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi non vis cuiquam eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Eſt autem, ni 106
fallor, Eccleſiarum, in quibus fui, mos, ut neque tunc convivio Angelico adhibeantur ſeptennes. *At carebunt bonæ animæ fructu Jubilæi?* Reſp. Non carebunt. Confeſſarius quippe habet jus commutandi Communionem in aliud opus; ut declaravimus in *Quinario Tract. 3.* ſeu de *Jubil. Quintuplici*, ubi inſuper ex Henriq. & Laym. obſervavimus, poſſe id temporis, citiùs, quàm aliàs, admitti, non tamen omnes dolicapaces, ut vult Crucius apud Dianam.

Quæritur 6. *Quando eſt in ſuperioribus caſibus dubium de gradu diſcretionis huc ſufficientis, aut requiſitæ, quiſnam litem dirimere debeat?* 107
Reſpondet Joann. Sanchez *Diſp. 26. num. 22.* quando parentes aſſerunt, filium habere ſatis judicii, ac notitiæ, parochus autem, vel Confeſſarius contrarium ſentit, hos debere non parentum, ſed ſuo arbitratu ſtare; parentum autem, & non ſuo, quando ii negant, eſſe capacem, modò ſint illi parentes probi, & non judicent cæci de coloribus. Suar. *Diſp 70. ſect. 2.* ſcribit, ſolum Parochum debere eſſe pro Communione paſchali judicem, eò quòd videatur id ſatis clarè tradi *C. Omnis utriuſque*, at *Sect. 1. ejuſdem Diſp.* remittit judicio parentum, & confeſſarii, ſicut & Jordanus. Conſuetudo horum 108
temporum permittit ſtari à puero ſententiâ Confeſſariorum, parochorum, aut parentum indiſcriminatim. Foret optandum, ut ubique ſervaretur, quod in hac urbe Conſtantiæ laudabiliter hactenus factitatum eſt, ut ſcilicet ſub medium Quadrageſimæ pueri, puellæque decennes, undecennes, &c. qui nondum guſtaverunt, quàm ſuavis ſit Dominus ſub ſpeciebus Euchariſticis, convocentur ad ædem Sacram, atque illic à Clericis deputatis exploretur eorum capacitas. In dubio de ſufficiente uſu rationis, & cognitione poſſe morientibus pueris porrigi viaticum, cenſet Lugo apud Dianam *Part. 5. Tract. 3. Reſ. 44.*

Ex his inferes, eſſe Teutonibus pueris ſingu- 109
lariter applicandam doctrinam, à Patre Tannero Doctore Germano, ac in excipiendis exomologeſibus exercitatiſſimo, traditam *cit. q. 8. n. 112. & 115* paſchali Communione refici debere communiter inter Annum 10 & 14. rarò poſt 12, rarò ante 10. Et quia in obſcuris inſpici ſolet, quod plerumque fieri ſolet, niſi peculiaris ratio obſtet, ſecurè ſervabitur terminus inter duos nominatos Annos.

Cæ-

Cæterùm quia in explicatione tituli hujuſce Caſûs *ſexti* facta eſt à me, quà *explicitè*, quà *implicitè* mentio Annorum diſcretionis, cenſui eſſe in hac *Sexta* quoque editione iſtius opuſculi proferenda in publicum, quæ pluribus abhinc Annis in mea privata adverſaria retuli ex diverſis Scriptoribus, loquentibus de hac materia, crebrum ſanè habente uſum in foro tam *interno*, quàm *externo*, à nemine tamen, quod ſciam, fundamentaliter tractata. 110

Obſervandum igitur eſt 1. à quibuſdam Doctoribus hæc quatuor vocabula inter ſe confundi, & per ea unum, idémque deſignari: *Uſus rationis*: *Anni diſcretionis*: *Potentia peccandi mortaliter*: *Eſſe capacem doli.* Confundun.., ac pro uno accipiunt Suarez *Tom 3 in 3. p. d. 70. ſect 1* & *Tom. 4. diſp 36 ſect. 2. num. 3.* Azor *Part. 1. lib. 7. cap 29 quæſt. 6.* Fagundez *De præcept. Eccl. præc 1. lib. 2. cap. 2 num. 3.* Barboſ. *in Collectaneis in decretales in Cap Omnis utriuſque. De pœnit. & remiſſ. num 2.* Palaus *Tract. 3. diſp. 1. punct. 24. §. 2* dum dicunt, illos habere uſum rationis, eſſe compotes rationis, &c. quipoſſunt diſcernere inter bonum, & malum, ſeu *peccare mortaliter*. Quo etiam modo loquitur Paludanus apud Dian. *in Append. ad 3. Part. reſol. 19* ac plures alii. 111

Diſtinguunt autem uſum rationis à diſcretione ad peccandum mortaliter Victoria, atque Corduba, dum apud Joannem de Salas *De legib. quæſt 96. Tract. 14. diſp. 14 ſect. 13. num. 126. verſ. Quartum Corduba*, &c. dicunt, uſum rationis communiter evenire circa ſeptennium.., at verò diſcretionem ad peccandum mortaliter ſeriùs. Tannerus quoque *Tom. 2. diſp. 3. quæſt 6. num 36.* pronuntiat, pueros ſtatim poſt uſum rationis, & ſaltem poſt ſeptimum ætatis Annum, obligari præcepto abſtinendi à cibis vetitis, Miſſámque audiendi, & tamen *Tom. 4. d. 5. q. 8. n. 113.* ſic diſſerit: Ut pueri *licitè* communicare poſſint, neceſſe eſt. ut plenum rationis uſum habeant, quo videlicet poſſint peccare mortaliter, qui quidem aliquibus præcocis ingenii octavo, aut decimo, aliis duodecimo, aliis vix decimo quarto ætatis Anno, ſed communiter inter decimum, & decimum quartum omnibus contingit. 112 113

Complures alios facere eandem diſtinctionem, probabo paulò pòſt manifeſtè.

Obſervandum eſt 2. à magnis DD. fieri, quoad potentiam peccandi mortaliter, diſtinctionem inter pueros, & puellas, ab aliis non fieri. Faciunt expreſſè S. Antoninus *Part 2 Summatit. 9. verſ. 8. §. 2.* & apud ipſum Ancharanus, quatenus uterque tradit, pueros & puellas non eſſe conſtitutos in Annis diſcretionis, *antequam magis appropinquent pubertati quàm præteritæ infantiæ, quod contingit in maſculo, quando habet decem annos, & dimidium, & aliquantulum ultra; in fœmina autem, quando habet novem annos, & dimidium, & ultra aliquantulum.* Ita hi duo DD. loquuntur. Faciunt 114 115

etiam diſtinctionem Victoria, atque Corduba; dum apud Salas *loc cit.* tradunt, diſcretionem ad peccandum evenire communiter fœmellis Anno octavo, vel nono, maſculis decimo, vel undecimo, ac præterea Joannes Chapeaville relatus ſuprà *num. 94.* tametſi fateor, non agnoſci hoc diſcrimen à Thoma Sanchez *De Matrimon. Lib. 1. Diſp. 16. num. 2.*

Obſervandum 3. ab eodem Sanchez *loc cit. num. 2. & 10.* Diana *Part. 3. Tract. 6 Reſol. 87.* Tamburino *in Decalogum Lib. 1. cap. 3. §. 7. n. 4.* ac pluribus aliis tam aſſeveranter tribui pueris, ac puellis uſum rationis expleto primo ſeptennio, ut Diana *loc. cit.* ſic loquatur: *Quoties dubium eſt, puerum habere uſum rationis, præſumendum eſt, habere, & eſſe ob id gratum (legibus Eccleſiæ) ſi implevit ſeptennium, quia regulariter illo completo in omni materia uſus rationis habetur, & alleganti contrarium incumbit onus probandi.* Ita ille poſt Sylveſt. *Verb. Confeſſio 2. q. 5* 116 117

Dico ego I. Eſt aliquis uſus rationis communiter tribuendus tam pueris, quàm puellis mox poſt expletum primum ſeptennium. Ita omnes: probatur apertè *ex Cap. Literas, & Cap. Acceſſit. De deſponſ. impub.* ubi ſponſalia exacto primo ſeptennio inita ſupponuntur ſubſiſtere.., ac valere, niſi fortè alterutrius pœnitentiâ diſſolvantur poſt pubertatem; hæc autem ſuppoſitio, ac præſumptio non eſſet legitima, niſi illâ ætate jam adeſſet aliquis uſus rationis. Similiter *L. Si infanti. §. ult. Cod. De jure deliberandi* dicitur, majorem ſeptennio poſſe acquirere hæreditatem, additur autem *L. Potuit. eod.* requiri voluntatem pupilli ad id, ut ipſi acquiratur hæreditas. 118

Dico II. Perfectus uſus rationis, ſeu diſcretio perfecta, & neceſſaria ad peccandum mortaliter, ſeu doli capacitas non ineſt, ſed abeſt pleriſque ante octavum Annum ætatis. Ita ſentiunt præter S. Antoninum, Ancharanum, ac Tannerum relatos ſuperiùs Dominicus Sotus *Lib. 7. De juſt. q. 7. a. 2.* quatenus ait, puerum ante annos pubertatis non teneri Eccleſiaſticis Sacramentis, jejuniorum legibus, ac proinde, nec voto; *niſi certiſſimè conſtet, habuiſſe uſum rationis ſufficientem*, quando illud emiſit. Suarez *Lib. 6. De voto cap. 6. num. 3. & 4.* dicit, qua ætate poteſt quis peccare mortaliter, eâ ætate poſſe facere votum validum. Et ſubdit idem, leges humanas ſtatuiſſe, ut vota omnia ante pubertatem à filiis emiſſa irritare queat pater, quia licèt aliqui ante eam ætatem habeant ſufficiens judicium, attamen lex obſervat, quod *frequentiùs* accidit. Ergo ex mente hujus Doctoris frequentiùs, ſeu communiter accidit, ut pueri, & puellæ non poſſint peccare mortaliter, ſeu non ſint doli capaces, nec ſeptimo, nec octavo Anno ætatis. Idem Suarez *Tom. 3. in 3. p. d. 36. ſect. 2. num. 3.* negat apertè poſſe certam ætatem aſſignari, in qua pueri poſſint peccare mortaliter; ſicut etiam negat Fagúndez 119

De

De præcept. Eccl. præc. 1. Lib. 2, cap. 2. num. 7. ac Dicaſtillo *Tom. 1. in 3. Part. Tr. 5. Diſp. 1. n. 8.*

Probo in primis argumento, quo S. Antoninus, id eſt experientiâ propriâ, atque alienâ; ego enim, ac plures, quos interrogavi, in tot catecheſibus, quas habuimus, in tot confeſſionibus puerorum, quas excepimus in diverſiſſimis urbibus, ac ditionibus, ſumus experti, non ſextum quemque puerum ante expletum octennium intelligere id, quod eſt neceſſarium ad peccandum mortaliter. Nam ad peccandum mortaliter neceſſe eſt, cognoſcere id, quod facimus, repugnare graviter rectæ rationi, ſeu eſſe graviter prohibitum à Deo. Navarr. *in Manual. prælud. 9. num. 9.* Gregor. de Valent. *Tom. 2. Diſp. 2. quæſt. 14. punct. 4.* Diana *Part. 1. Tract 7. Reſol. 24.* atque alii plures, quatenus ajunt, & rectè, illum peccare ſolùm venialiter, qui facit quidpiam contra conſcientiam ſolùm in genere dictantem eſſe malum, eſſe peccatum, ut probavimus alibi. At quotus quiſque ante primum octennium intelligit, quid ſit, eſſe graviter contra rationem? Ex iis, qui intelligunt, quotus quiſque poteſt applicare alicui particulari materiæ? Vide pro hoc argumento Cordubam Victoriam, & alios apud Tannerum *Tom. 2. Diſp. 4. quæſt. 6. num. 110.* 120 121

Probo 2. *Ex leg. Pupillum. ff. De Reg. jur. & §. 1. in ſumm. inſtitut. De obligat. ex delicto.* ubi ſtatuitur, tum demum ex furto, atque injuria obligari impuberem, *ſi pubertati proximus ſit*, præſumitur enim non planè intellexiſſe.., quòd delinquat, inquit Laymann. *Lib. 1. Theolog. Moral. Tract 4. cap. 10. num. 5.* Et tamen pueri, præſertim Germani, ex inſtitutione domeſtica nullum ex vitiis, ad quæ tentantur.., magis horrent, quàm furtum. Quapropter nullo modo admitto illam præſumptionem Sanchezii, ac Dianæ, utpote nullo jure nixam. Imò S. Antoninus *loc. cit.* pronuntiat, videri temerarium, aſſerere, & publicè prædicare.., quòd pueri ſtatim poſt primum ſeptennium teneantur confiteri, tenerentur autem communiter, ſi communiter poſſent peccare mortaliter, ſeu eſſent doli capaces. Nec dubium eſt, quin Decius *in cit. leg. Pupillum*, diſſentiat à Regula Sanchezii, dicens, legem *Pupillum* loqui *ſimpliciter* de proximo pubertati, ergo intelligendam eſſe *ſimpliciter*, ita tamen ut arbitrio judicis permittatur judicare, quiſnam ſit proximus pubertati; cùm jura non definiant hanc proximitatem. 122 123

Dico III. Puellæ communiter ſunt citiùs capaces doli, quàm pueri, adeóque poſſunt citiùs mortaliter peccare, quàm pueri. Probo authoritate tum DD. ſuprà nominatorum; tum parentum, qui educant liberos utriuſque ſexûs, tum qui puerilem ætatem & docuerunt in catechiſmis, & audierunt confitentem. Multos ex his interrogavi; omnes dixerunt, ſe id expertos, quod ego; ſcilicet puellas faciliùs, ac citiùs percipere ea, quæ ipſis mandantur.., vetantur, proponuntur, aptiùs quoque ad quæſtiones propoſitas reſpondere, quàm pueros; Ludimoderatores quoque, ac ludimoderatrices affirmant, à puellis octennibus multò faciliùs diſci Alphabetum, conjugationémque ſyllabarum, ac verborum, ipſa etiam myſteria fidei, quàm à pueris. 124

Dico IV. Puellæ in Germania videntur communiter non ante annum ætatis octavum, poſt illum tamen; pueri verò communiter poſt annum ætatis nonum, non antè tamen, eſſe doli capaces, ſeu poſſe peccare mortaliter. 125

Probo hoc rurſum propriâ, alienâque experientiâ, quæ teſtatur, hos & illas communiter, ſeu plerumque non ante aſſignatam illam ætatem, poſt illam tamen ſatis intelligere, quid ſit, vel in genere, vel in hac aut illa ſpeciali materia graviter peccare, Deum exacerbare, mereri pœnas infernales &c. Dico: *Communiter*, id eſt, ſi accipiamus ſimul liberos ruſticorum, viliorum oppidorum, cultiorum urbium, ac nobilium. Si verò ſeorſim conſideremus liberos cultiorum urbium, in quibus habentur boni Magiſtri, diligentes catechiſtæ, matres piæ, frequentandiſque Sacramentis aſſuetæ, fortè æquè multi, ac multæ ex his ſapiunt paulò ante prædictam ætatem.., quàm non ſæpiunt, ſeu quàm non habent perfectum uſum rationis. 126

Dicta de ætate, infra quam aſſerui, non reperiri communiter perfectum uſum rationis, confirmo, & declaro doctrinâ Scoti *in 4. diſt. 17. quæſt. 5. art. 2.* quem tacito nomine citat S. Anton. ſuprà, ſic enim loquitur Scotus: *Ætatis ad cognoſcendum juſtum, vel injuſtum contra legem Dei breviter Regula eſt, quando aliquis inſtructus, & interrogatus ordinatè præcipit*, (fortè percipit) *diſtinctè, quod juſtum, vel injuſtum in lege divina, quod poteſt faciliter videri, ſi ad ordinatas interrogationes ordinatè reſpondeat, ſicut alius adultus perfectè ex ſimilibus præmiſſis perfectè reſponderet.* Atqui ita ſe habent, & non habent pueri, & puellæ, de quibus aſſerui, & negavi potentiam mortaliter peccandi. 127

Unde non *abſolutè* ſubſcribo Navarro *in Manual. cap. 21. num. 32.* ita ſcribenti: Diſcretionem videtur habere puer, qui ob malefactum „verecundatur, & bonum diſcernit à malo, & „interrogatus, an liceat innocentem interficere, aliena invadere, ſuperiori maledicere, & „alia ejuſmodi, reſpondet *negativè*. Et interrogatus, an bonum ſit eſurienti panem porrigere, adire Eccleſias, *affirmativè* reſpondet. Ideo autem non ſubſcribo *abſolutè*, quia & verecundia, ſeu pudor, & erubeſcentia patrati peccati Theologici, & ad ea, quæ exprimit Navarrus, reſpondent nimis multi partim ut pſittaci, partim non apprehendentes gravem malitiam moralem. Fateor tamen, poſſe communiter ſtari hoc judicio. 128

129 Ex his infero, quandoquidem probabile est, tam pueros, quàm puellas, quæ venialiter delinquere queunt, obligari sub veniali plerisque legibus *positivis*. Dicastillo *Tom. 1. Disp. 5. in 3. Part. Tr. 5. num 6.* cum aliis contra Suarez, Coninck, Laymannum apud ipsum, at verò obligari iisdem sub mortali, quando habent potentiam expeditam ad peccandum mortaliter. Idem Dicastillo cum plerisque, nam revera gratis asserit Sotus *in 4. dist 12. q. 1. art. 11.* pueros haud adstringi ullis legibus Ecclesiasticis ante annum ætatis duodecimum; infero, inquam, pro praxi, non peccari nisi fortè venialiter à parentibus, qui liberis suis nondum omnino septennibus præbent carnes diebus prohibitis, nam ante expletum septennium tam pauci reperiuntur, qui possint etiam venialiter delinquere, ut hi videantur gaudere privilegio non valentium committere peccatum veniale.

130 At verò rectè subdit Dicastillo *n. 11.* esse communem, universalémque consuetudinem Ecclesiæ, quòd pueri ligentur lege abstinendi à carnibus, cùm primùm habent usum rationis. Et ob hanc ipsam instantiam rectè pronuntiat Dicastillo *num. 1.* non videri probabilem sententiam Soti paulò ante relatam. Vide Tannerum *Tom. 2. Disp. 5. quæst. 6. num. 36.* loquentem expressè de eiu ciborum vetitorum, item etiam de auditione Sacri, de qua tamen specialiter disseremus *in Alphab. audientium Sacrum Casu XIV.*

131 Infero deinde, quia est ob tam diversas opiniones Doctorum verè dubium, utrùm plerique septennes sint doli capaces, nec ne, de jam septennibus posse intelligi id, quod Dicastillo *Tom. 2. in 3. Part.* seu *De pœn. Disp. 9. n. 658.* post Cardinalem de Lugo tradit, scilicet quando dubitatur de usu rationis pueri, isque confitetur aliquod veniale, esse tum certò in mortis articulo, & tempore Paschali, tum etiam probabiliter extra tempus præcepti absolvendum, ut, si fortè habet aliquod mortale, quod non manifestat, *indirectè* absolvatur ab illo; quamquam Lessius *in Consiliis verbo. Confessarius. Cas. VI* negat, in tali dubio esse opus impertiri absolutionem. Sed utique securiùs impertitur sub conditione. Vide dicenda *in Alphab. Confess. Cas. X.*

FATUIS, ET SURDIS AN COMMUNICANDUM.

CASUS VII.

Naturalis, & Mirus.

SVMMARIVM.

Mirum ingenium muti & surdi nati. 132.
Quatenus, & quando sit fatuis, aut semifatuis præbenda Communio? 134. & 135.
Quid si talis se ingerat in turbam communicantium? an præteribit sacerdos? 136.
Surdi an sufficienter queant edoceri ne cessaria ad Synaxin? 139.
Qui simul est mutus, surdus, & cœcus natus, incapax est Communionis. 141.
Casus particularis de duobus mutis, & surdis simul. 143.
Accurata dissertatio de Communione præbenda surdis, & mutis simul. 154. in Append.
Referuntur 4. exempla talium. Ibid. lit. b. c. e. & l. Item judicia quinque Theologorum. lit. l. & seqq.

Gebhardus juvenis in oppido quodam 132
Bavariæ, tribus leucis distante Ingolstadio, ab ipsâ nativitate surdus, & mutus, adeò exactè omnia fidei Mysteria de Deo, S. Trinitate, Christo Redemptore, Beatissima Virg. Eucharistiæ, Pœnitentiæ Sacramentis, suis nutibus exprimere novit, ut vix ulla sit notabilis veteris & novi testamenti historia, quam non integre perdidicerit. Cujus rei hoc ei etiam adjumento fuit, quòd ipsâ assuetudine diuturnæ attentionis ad omnem labiorum, linguæ, & dentium motum quoslibet loquentes, quamvis nullâ voce auditâ, protinus, ac facilè intelligat, qui etiam suo, à quo conductus est, hero publicis rationibus præfecto expeditissimam inscribendo operam navat. Quod quidem ipse non crederem, si testificationis authoritas indubitata fidem non extorqueret.

Ita ad verbum loquitur, testatúrque de vivo, id temporis vivens Ingolstadii P. Tannerus *Tom. 4. Disp. 9 dub. 2. num. 30.* Quæri jam potest, utrùm mirificus ille Gebhardus, cui persimilem, & quidem probè sibi notum describit P. Georgius Stengelius *Lib. De Monstris cap. 16. §. 6.* fuerit ad memoriam mirabilium Dei admittendus. Sed priùs 133

Quæritur I. *Quid statuendum de fatuis?* 134
Resp. Fatuorum alii sunt plenè: alii semifatui, & quidem, vel ab ortu, vel non ab ortu: fruentésque, & non fruentes lucidis intervallis. Omnino fatuis à nativitate non est exhibendum hoc Sacramentum. S. Thomas *cit. quæst. 80. art. 9.* communiter receptus; vel quia in iis nullo modo præcessit devotio hujus Sacramenti, ut loquitur S. D. vel quia licèt ex natura sua malum non sit, talibus (baptizatis tamen) illud administrare. Suarez *Disput. 69. sect. 2.* videmus tamen, id nusquam à quoquam factitari; fortè ideo, quòd vel semper vel plerumque timeatur, ne *positiva* irreverentia ab iis inferatur omnium augustissimo Sacramento. Equidem id vetuit in suo Rituali Paulus V. ut testatur Joann. Sanchez *Disp. 28. numero 1.*

At verò præbendúmne est in articulo mortis 135
iis, qui in eam miseriam inciderunt, postquam aliquamdiu vixêre compotes rationis, rerúmque divinarum? Respondeo cum S. Thoma. Est, quia censendi sunt illud petivisse hoc ipso, quòd aliquamdiu piè vixerint, modo non constet, fuisse in statu malo, quando correpti sunt hoc malo. Et sic intelligo (an rectè, judicent illi, quorum interest, à quibus me libenter corrigi permittam) Obsequiale, seu Rituale nostrum Diœcesanum *Tit. De Extrema Unctione*, vetans phreneticis, & stolidis illam (eadem est ratio Eucharistiæ) administrari nisi certis intervallis petierint.

Quid si verò talis insanus ingerat se in turbam 136
Communicantium, flectátque ad cancellos modestè cum cæteris, an illum præterbit Sacerdos? Resp. Non præteriisset Joann. Sanchez *loc. cit. num. 9.* eò quòd putet, præsumi debere, illum tunc habere lucidum intervallum, nec enim fieri posse, ut quis omni rationis gubernaculo destitutus petat Eucharistiam. *Quid si autem* 137
ipsemet Joannes Sanchez paulò antè audivisset illum stolidum confitentem, eique absolutionem negasset ob solum defectum judicii? Resp. Præbuisset nihilominus eidem Eucharistiam, ut expressè profitetur. Non tamen sequerer hoc exemplum, quia ex illa adgeniculatione non præsumerem lucidum intervallum, memor, stultos agere aliquando simias. Et puto, esse habendam potiorem rationem affectentium, qui sanè turbarentur, si viderent notoriè amenti Sacramentum præberi, ac soliciti essent, ne irreverenter illud haberet.

Semifatui, qui scilicet infirmo rationis usu 138
imbuti sunt, tali tamen, ut absolutionis Sacramentalis sint capaces, cùm in Paschate, tum in extremo agone, frui debent hoc æternæ sapientiæ epulo, ut fatentur omnes; extra hæc tempora frequenter illos non admitteret P. Tanner. *cit. quæst. 8. num. 15.* Ego fortè singulis mensibus pro ratione ætatis, sexûs, institutionis, habitualis modestiæ, pietatis, gradúque prudentiæ.

Quæritur II. *De Surdis?* Resp. Vel sunt 139
præditi loquâ, vel privati? Si præditi, facilè judicari potest, utrùm sint amentibus annumerandi, nec ne. Si spoliati, ut quidem plerumque evenit, difficile est, id cognoscere. Nam certum est, multos desipere omnino. Et possunt utique nonnulli ex utroque hoc genere diligenti industriâ domesticorum ita dextre informari, ut licèt fortè non percipiant omnia, ad hujus Sacramenti substantiam spectantia, tamen ad illud accedant non tanquam ad cibum profanum, sed spiritualem, institutum pro salute animæ; & hoc jam sufficit, ut possit eis ministrari Eucharistia in ætate competente. P. Laymann *cit. cap. 4. num. 5.* & DD. 140
hactenus citati. Igitur iis illa præbebitur in Paschate, & in articulo mortis. P. Palaus *p. 10.* An sæpius? decernet Confessarius pro ratione intelligentiæ, modestiæ, pietatis, & aliorum, quæ in iis advertit. Pal. *ibid.* Diana *Part. 5. Tract. 5. Ref. 7.*

Quid si verò illis duobus malis accedat ter- 142
tium cæcitas nativa? Resp. Annumerabuntur perpetuò amentibus, nec enim videntur ullo modo posse edoceri res sacras. D. Reding *Tom. 6. Theolog. Scholast. art. 1. Controvers. 2. Estne autem illa superior doctrina intelligenda de illis surdis, & mutis, qui nullâ ratione, nullis nutibus possunt sua peccata manifestare?* Resp. Ita quidem, & meritò videri Laymanno, nam ars manifestandi sua peccata non est necessariò juncta cum tolerabili notitia hujus Sacramenti. Itaque præbeatur iis ille, qui fecit surdos 143
audire, & mutos loqui Censet autem Laymann, non esse talibus extra mortis articulum impertiendam absolutionem, nisi aliquod in specie peccatum prodant arbitro conscientiæ. Ego contentus essem manifestatione alicujus in genere subalterno saltem, haberémque patronos Sylvestrum V. *Confessio 1. quæst. 13.* atque Alensem. Sanè sicut facienti, quod in se est, non denegat Deus gratiam, ita nec absolutionem negari vult confitenti, quantum potest. Vide, quæ de hoc genere miserabilium hominum dicam *in Alphabeto Confessar. Cas. XI.*

Ex his consultus respondi, ad Communio- 143
nem Paschatis admittendum

Quemdam Titium.

Natum 15. Annos, mutum quidem, & surdum ab ortu, ita tamen institutum 144
solicitâ curâ parentum, ut crebrò pectus pulsset, elevatis piè in cœlum oculis, quasi precabundus à Deo veniam: efformet signum crucis permodestè, flexis genibus supplicet Numini; faciat in templo, ac plateis reverentiam Venerabili Sacramento ad ægros delato, mussitando non secùs, ac si verbis conetur exprimere valde pium animi sensum; in actionibus profanis, atque adeò in suo inciforis officio seu arte se gerat perinde, ac præditi optimo usu rationis probè imitans quæ fieri, aut facta videt. Hæ enim circumstantiæ mihi expositæ à fide dignissimo effecerunt, ut censuerim, Titium satis distinguere inter hunc panem supersubstantialem, & quotidianum, sicuti & hisjam scriptis pleraque ex enarratis deprehendi ipse coram, & præsens, idéque admittitur quater, aut quinquies in anno ad synaxin. Vide Laymann. citat. cap. 4. num. 5.

Ex his quoque inferes, stupendum illum 145
Gebhardum, de quo Casus, atque omnes ei similes, esse, ac fuisse pascendos dapibus An-

gelicis, quoties alii, *per se loquendo*, solent; ſicuti & reſpondi, non eſſe negandam Communionem, ſaltem paſchalem juveni Annorum 24. muto, ſurdóque ab ortu, quem viri Religioſi ſæpe abſolverunt *Sacramentaliter*; plura enim requirit valida abſolutio, quàm fructuoſa Communio.

APPENDIX IN FAVOREM SURDORUM, MUTORUM QUE SIMUL.

a QUandoquidem noverca natura edit tam multos infantes mutos ſimul, ac ſurdos ab ortu ad occaſum, mortémve uſque, atque non immeritò vereor, ne complures horum perpetuò arceantur à Sacramentis pœnitentiæ, Euchariſtiáque cum æterno interitu, idque fiat ob parochorum vel nimiam ſcrupuloſitatem, vel ſocordiam circa examen capacitatis, aut incapacitatis, ut conſulam quoad poſſum, miſerandis illis Creaturis, memoro, fuiſſe me tertio Januarii Anno 1670. à quodam Profeſſore Theologiæ in percelebri Academia Rhenanæ Provinciæ ſolicitatum.

Hiſce literis.

b *OB Communionem ſtudiorum rogo Reverentiam Veſtram, mihi dignetur pauculis ſignificare verſibus, an ſciat, caſum contigiſſe, quòd perſona adulta, ſurda, & muta à nativitate ſua, fuerit tempore noſtro admiſſa ad publicam Euchariſtiæ ſumptionem. Expecto maturum reſponſum, quia caſus urget, paratus, ubi potero, regratificari.*

Ad hanc quæſtionem reſpondi die decimo ſeptimo ejuſdem menſis, ignorare me, quid, præter ea, quæ in diſcuſſione hujus *ſeptimi* Caſûs refero, ſit geſtum cum talibus: poſtmodum autem, non modò certò comperi, *puellam quamdam Landiſhutanam, circiter vicennem, permiſſam fuiſſe à Collegii noſtri Rectore, viro noto mihi à prudentia, & doctrina, ſicuti & poſtmodum conſtanter ab alio ejuſdem Collegii incola, ſæpius in Anno frui, poſt homologeſin nutibus peractam, dape cœleſti*, ſed etiam idem Theologiæ Doctor, de quo hîc mihi ſermo, mihi die 14. Aprilis deſcripſit Caſum eo teſte urgentem

Hiſce formalibus.

c *IN oppido S. Hildegardis, tribus Moguntiâ leucis diſtante, puella Annorum circiter viginti, ab ortu ſurda, & muta, à parocho loci à Sacra Communione fuerat repulſa hactenus. Poſtea, ut ſecurius procederet, quærit ex Noſtro ibidem Miſſionario, quid ſentiat? Noſter in conſpectum adducta puellâ unà cum utroque ejus parente cognoſcit puellæ non deeſſe judicium, aut pietatem, ex ſignis certò certiſſimis: inter quæ hoc erat, quòd juvenes ſigno, vel nutu laſcivos aliquando in faciem colapho ceciderit. Sumpto tamen ſpatio aliquo ad conſiderandum temporis, (nempe quod intercedit Natalem Chriſti Domini, & Anaſtaſin) in die Paſchatis hujus Anni, ab eodem Patre Miſſionario, in dicto oppido juſſa fuit primâ vice ſumere Corpus Chriſti. Sumpſit illa aliis quidem gaudentibus; ipſa verò præ lætitia lachrymas fundente. Juſſit, ut in vitæ decurſu ſemel tantùm in Paſchate per ſingulos Annos, & in vitæ periculo accedat. Quod facturos ſe parentes polliciti.*

Ita ille Pater Theologus, de P. Miſſionario, d cujus reſolutionem in primis damnare non poſſum, quatenus *abſolutè* permiſit Communionem Sacram, cùm ipſe ego in hoc Caſu *Septimo* tradam, ſurdos ſimul, & mutos ab ortu, nequaquam eſſe univerſim arcendos à Sacra menſa. Deinde nec damno, quatenus ea facultas, aut juſſio reſtricta fuit ad unicam in Anno, eámque Paſchalem Communionem; ſiquidem Diana *Part. 5 Tr. 6 Reſ. 7.* rectè concludit, eſſe remittendum judicio, & arbitrio prudentis Confeſſarii, quando & quoties ſurdis, & mutis præferentibus notitiam ſufficientem hujus Myſterii, impertienda ſit Euchariſtia. Confirmo dicta judicio nonnullorum de hac

Belgica muta, & ſurda.

e QUæ meæ *juriſdictioni ſubdita* (inquit Jac. Marchantius Reſol. Paſtoral. Tr. 4. cap. 3. num. 4.) *in Miſſæ Sacrificio elevatione manuum, pectoris tunſione, aliiſque ſignis, dum Sacramentum exhibetur, adorationem exhibeo, & devotionem, quam ſolent fideles; & cùm rationis uſu perfecto polleat, abſque dubio confuſè ibi latere myſterium percipit. Imò ſignis aliquibus quandoque licentiam petiit cum aliis ad hoc Sacramentum accedendi, quæ tamen ei non fuit indulta à Parochis ante me, ideóque nec hactenus id reſolvo, cùm difficile ſit judicare de diſpoſitione, & ſufficienti reverentia hujus Sacramenti, nec ipſa præcepto Eccleſiaſtico Communionis comprehendatur.*

Ita Marchantius, qui poſtea nonniſi trepidè reſolvit, illam mulierem videri poſſe ſaltem in periculo mortis Communione muniri. Ob cujus viri, Theoriâ ſimul & praxi excellentis judicium, damnari non debent Confeſſarii, qui conſtanter habiti pro prudentibus, atque diſcretis, aut nunquam, aut vix unquam, aut

ſæpiuſculè ad divinam menſam admittunt ſurdos & cæcos à nativitate.

g Et verò in primis aſſentior Dianæ *cit. Reſol. 7. abſolutè* tenenti, ſi tales ſcribere nôrint, eſſe capaces Euchariſtiæ, quandoquidem poſſunt ſufficienter omnia neceſſaria edoceri ſcripto ea continente. Deinde etiamſi nequeant ſcribere, ſi tamen ita polleant ingenio, ut ex motu labiorum intelligant, quid quis loquatur, eſſe capaces Euchariſtiæ. Mirum, certúmque exemplum hujuſmodi ingenioſorum deſcripſi hoc Caſu *ſeptimo*, innuens aliud ex P. Stengelio, ínque confirmationem exſcribo ipſa verba Bartoli in *Leb. 1. ff. De verb. obligat. num. 7.*

Sic loquentis, & teſtantis.

h *DElias de Gabrielis de Eugubio propter ſui magnam perſpicaciam, licèt non audiat omnino, tamen ad motum labiorum quantumcumque ſecretè loquentes intelligit, quatenus ejus viſus protenditur, & quoſdam alios vidi.*

Ita Bartolus, intelligendus de quibuſdam aliis, qui etiam motu labiorum intelligebant, quidnam loquentes effarentur. De iis, inquam, eorúmque ſimilibus ſurdis, ac mutis ab infantia generatim ſentio, poſſe etiam mediocri diligentiâ adhibitâ condoceſieri, ut tam probè intelligant, faciántque omnia neceſſaria ad dignam, fructuoſámque Communionem, quàm vulgus adultorum ruſticorum.

Patet ex eo, quòd in primis tales præditi ſint vi intellectûs multùm perſpicaci, dum per multiplicem obſervationem, collationem, ſeu comparationem, reflexionem, eò denique perveniunt, ut mente aſſequantur, qualia verba promant diverſi homines multùm diverſis labiis donati, & notati à natura, veríque Labeones: ut proinde ſint ſui ipſorum Magiſtri, & conſequenter cadat ex parte in eos id, quod ex Heſiodo refert Ariſtot. *1. Eth. cap. 14.*

Optimus eſt, ſe ſe, qui novit cuncta Magiſtro.

i Et quia, ut dixi, tales poſſunt etiam mediocri induſtriâ imbui notitiâ, fidéque illorum, quæ exiguntur ad dignam participationem corporis, & ſanguinis, infero imprimis, teneri parentes, & maximè curatores animarum, ſub mortali impendere operam eis erudiendis neceſſariam,

Infero deinde, ubi viſi fuerint attigiſſe illam divinorum myſteriorum intelligentiam, qua pollent ruſticani homines, ſoliti ex parochorum aut permiſſione, aut juſſu adire divinum epulum, eſſe etiam erga eos utendum ejuſmodi, aut mandato, aut conſilio, permiſſúque, ſi quidem ſint ita inſtructi (& quidni multi ex iis inſtrui queant?) ut peccata omnia confiteantur per nutus? quòd ſi nequeant omnia, facient tamen confeſſionem *formaliter* integram, dabúntque materiam ſufficientem abſolutioni juxta dicenda *in Alphabeto Confitentium Caſu V. num. 359 & 360.* & ſic poterunt, imò & debebunt tempore præcepti eſſe Convivæ Chriſti.

Sed & generatim arbitror cum Diana *citatâ* k *Reſol. 7. & præced. 6.* diligenter pertractantem controverſiam de Communione horum mutorum & ſurdorum, illos, qui ſunt valde ingenioſi, ſicut eſt hodiéque ille inciſor, de quo in præſenti *Caſu VII. num. 143.* ejúſque frater laborans etiam ab infantia utroque illo malo, & dum hæc poſtremò revideo, jam provectus ad ætatem prope triginta annorum, habere jus ad ſacram Synaxin, poſt diligentem inſtructionem, eſſo, nec ſcribere, nec verba loquentium diſtinguere queant ex motu labiorum. Ratio eſt, quia præditi tantâ perſpicaciâ, ſubtilitate, ſolertiâ, circa res merè humanas, poſſunt etiam abſque ſummo labore addiſcere, faceréq, illa, quæ paulò poſt dicemus, eſſe cognitu, factúque neceſſaria: Equidem retuli ex Tannero hoc eodem *Caſu. VII. n. 138.* & aliis communiter, ſemifatuos, qui ſunt capaces abſolutionis, debere tum in mortis articulo, tum in paſchate frui epulo ſapientiæ divinæ, quidni ergo dotati à natura ingenio perſpicaci? quidni fiat iis id beneficii, quod plurimis Braſilis, & Æthiopibus, quos Scriptores rerum Indicarum memorant intellectu parùm differre à beſtiis?

Quæret autem non immeritò quiſpiam, l *quomodo Theologi loquantur de cognitione neceſſariorum ad Sacram Synaxin?*

Reſolutio hujus quæſtionis plurimùm facit ad praxin, atque ad robur dictorum, dicendorúmque. Eam ob rem admetiar verba in hanc rem nonnullorum probatiſſimorum Theologorum. *Primus* eſt Jacobus Marchantius, qui *loc. cit.* ſuprà ſic abſolutè loquitur: *Surdus, & mutus à nativitate videtur ſaltem in periculo mortis poſſe Communione muniri, ſi aliquam judicetur reverentiam concipere; nec idem de illo eſt, ac de pueris, cùm diſcretionis lux in eo fulgeat, juvarique poſſit lumine naturali, & perfici lumine, & gratiâ ſupernaturali, ad diſpoſitionem ſufficientem ſpeciali benignitate Dei.*

Alter eſt Diana, qui *Part. 5 num 6. Reſol. 7.* m faſſus, à ſe non reperiri agitatum hunc caſum inter Doctores: *An ſurdus, & mutus à nativitate ſit non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam in vita communicandus?* Reſpondénſque *affirmativè*, probat hanc affirmationem his verbis: *Muti, & ſurdi à nativitate tenentur confiteri, & ſunt abſolvendi, ergo tenentur, & poſſunt communicare.* Probat hanc conſequentiam, & legitimè (ſtando ſolâ auctoritate,) ut arbitror, inde, quòd teſtibus Joanne Sancio, Zambrano, & Palao, Chriſtianus debeat non minùs difficilia cognoſcere, ut validè, & fructuoſè confiteatur, quàm ad Euchariſtiam

charistiam susciendam; ergo si potest cognoscere necessaria ad Confessionem, poterit etiam cognoscere, panem in Eucharistia desinere, & corpus Christi adesse: Eucharistiam devotè susciendam esse; hanc esse jejunè susciendam.

Ita Diana, ex quo colliges, & meritò, signum, quòd quis possit doceri necessaria ad Communionem, esse, si queat capere necessaria ad Confessionem. Ne tamen credas huic Authori, indicanti post Joannem Sanchez *in sel. disp. 26. num. 4.* non posse fructuosè communicare talem, nisi credat, panem desinere ad præsentiam Christi, quis enim asserat, illos omnes adultos, qui *invincibiliter* ignorant illam desitionem, carere fructu Sacramenti? Longè minùs carent laborantes ignorantiâ jejunii *naturalis* præmittendi.

n *Tertius* est Joann. Sancius *loc. cit.* ubi postquam requisiit ea, quæ Diana, subdit in fine illius *num. 4.* à Doctoribus non requiri in adulto communicaturo aliam reverentiam, quàm ut sit in gratia, & jejunus. *Igitur si puer Christum susciat in gratia, & jejunus, quid ei deest ad reverentiam?* Ita ille.

o *Quartus* est P. Laymannus, qui *Lib. 5. Theolog. Moral. Tract. 4. cap. 4. num. 5.* sic disserit: „Eucharistia potest muto, & surdo à nativita„te, saltem Paschali tempore, & in mortis ar„ticulo ministrari, si alioquin non indispositus „appareat, quia licèt talis homo distinctè edo„ceri, atque intelligere omnia non possit, quæ „ad substantiam Sacramentorum concurrunt, „sufficit tamen, si ad S. Eucharistiam accedat, „tanquam ad cibum non profanum, sed spiri„tualem, in animæ suæ salutem divinitus insti„tutum; plerumque autem talia colligere so„lent ex attenta consideratione eorum, quæ „ab aliis fieri vident, videlicet, quòd cum re„verentia Sacram Hostiam adorent: cum de„votione sumant tanquam cibum non profa„num, sed spiritualem, hoc ipsum, inquam, si „nec oculis privati, nec mente hebetes sint, „deprehendere possunt, ac solent (*nota bene rè „solent*) partim propriâ consideratione eorum, „quæ ab aliis fieri vident, partim etiam ex nu„tibus, & signis, quæ ab aliquo instructore „ipsis adhibentur.

Ita Laymannus, pòst addens, in primis non esse certum, quòd tales surdi, & muti speciali Dei auxilio adjuti, Mysterii hujus veritatem per exteriora signa non agnoscant, cùm tales etiam, ut salvi fiant, secundùm communiorem Theologorum sententiam *explicitè*, cognoscere debeant SS. Trinitatem, & Filium Dei incarnatum: quæ tamen difficillimè exteriùs sine voce, & scripto exprimi possunt.

Subdens deinde, satis dispositos esse tales „homines, si *invincibili* ignorantiâ Mysterii la„borantes, veritatem Eucharistiæ agnoscant „*implicitè*, credendo, esse spirituale donum Dei, ad animæ salutem institutum quod pro„inde accipere velint secundùm illam inten„tionem, qua ab aliis fidelibus, seu à tota Ec„clesia accipitur, etsi privatim *speculativam* „privatam persuasionem habeant, esse aliquid „purè creatum. Ita ad verbum hic auctor.

Quintus est P. Ferdin. de Castro Palao qui p *Part. 4. Tract. 21. punct. 10. num. 9.* sic breviter pronuntiat: Si ex signis, & nutibus con„stet, surdos, simul & mutos discretionem ha„bere, qua sufficienter hunc cibum cælestem à„ profano distinguant, non solùm in mortis„ articulo, sed etiam tempore Paschali, eis con„cedenda est Eucharistia, quia est his valde ne„cessaria tum ad augmentum gratiæ, tum ad„ præcavenda peccata. Neque necessarium est„ ut perfectè qualitatem hujus cibi agnoscant„ sufficit, si illum ita à profano distinguant, ut„ tanquam remedium suæ salutis accipiant, cre„dendo enim est, hac notitiâ Christum con„tentum esse, cùm perfectior haberi nequeat.„ Quòd si prudens Confessarius non qualem„cunque discretionem, sed maturam, & per„fectam cognoscat habere mutum, & surdum„ sicuti ego aliquando agnovi, non solùm tem„pore Paschatis, sed aliis quoque solemniori„bus festivitatibus, poterit Eucharistiam con„cedere, quia nulla apparet ratio, ob quam sit„ deneganda, cùm ad illam susciendam pos„sit se per *actualem* devotionem disponere. Hactenus Palao.

Hæc ego, nec plura reperio apud Authores, *directè* tendentia ad præsentem materiam. q Possunt autem ea, quæ dixi, & quæ fateor esse satis mirabilia, confirmari inde, quòd P. Thom. Sanchez *De Matrim. Lib. 4. cap. 9. n. 12.* observet, cæcos, & surdos ab ortu esse ut plurimùm perquam perspicacis ingenii, faciléque per nutus, & signa percipere quæcunque difficilia, eadémque aliis manifestare, quia videlicet, quòd natura alicui negat in uno genere, compensat alio, ut est manifestum incœcis natis, miras subtiléque artes discentibus, quorum nonnullos commemorat P. Theophilus Raynaudus alicubi.

Quæ ex tam sapientibus Neotericis (demi- r ror tam altum silentium in Summistis, aliisque antiquioribus) produxi in medium, faciunt, ut confidam, multos ex iis qui legerint tam multa in hunc locum congesta de isto argumento (hactenus non discusso pro rei gravitate) habituros majorem curam, quàm hactenus, talium mutorum, & surdorum, cùm possint hi tales *Ex cap. Super quibusdam. De verb. signific.* dici esse inter miserabiles personas miserabiliores.

His ab Amanuensi jam descriptis, nanciscor quartam, à tribus prioribus valde diversam, editionem Vitæ S. Francisci Salesii peractam Dilingæ, in cujus *cap. 22.* legere est hæc (interprete nostro P. Jacobo Michaële) verba

Formalia.

Cùm mendicabulum linguâ, pariter, & auribus captum, Dei & Divinorum nostræ fidei Mysteriorum penitus ignarum cerneret vir sanctus, commiseratione captus sibi domesticum voluit, & patientiâ sanè admiratione dignâ docuit illum fidei Mysteria, atque ad salutem scitu necessaria, qua insuper ratione animi noxas Sacris clavibus subjicere, & ad Sacram Synaxin accedere oporteret, nutibus, & signis ostendit; quin etiam quoad vixit à Confessionibus ipsemet esse voluit.

Legant, relegant hæc Domini Parochi, & faciant similiter. Imò Episcopi, qui nôrunt, sicut ego novi, solere in certo districtu suæ Diœcesis nasci non paucos consimiles illi Salesiano domestico, disertè demandent parochis, aut aliis peritioribus curam harum Dei miserabilium imaginum singularem, alioqui non video, cur non meritò formident gravem Dei vindictam.

ENERGUMENIS ET PHRENETICIS AN COMMUNICANDUM.

CASUS VIII.

Imitandus.

SUMMARIUM.

Casus energumenæ, nolentis in extremo agone profiteri fidem, & tamen munitæ viatico. 146.
Approbatur hoc factum. 148.
Cautela circa energumenos habenda. 149.
Et quæ circa phreneticos? 150. & seqq.
Unde cognoscetur, aliquem fuisse in statu malo factum phreneticum? 151.
Casus phrenetici dextrè inducti ad sumendum Viaticum. 152.
Et alterius etiam dextrè inducti ad Confessionem. 153.
An, qui tantùm semipleno rationis usu gaudent, sint capaces absolutionis? 153.

146 *Helenam energumenam in extremo agone constitutam, & fidem profiteri nolentem invisi, & consulius, num esset ministranda Eucharistia, ministrandam censui. At fœminæ circumstantes clamavêre zelo motæ erga Sacramentum, grave peccatum fore, fidem profiteri nolenti fœminæ Eucharistiam porrigere, & mihi iratæ fuêre, dum in favorem ægrotantis loquerer, diligentiâ tamen, & operâ cujusdam pii viri, ministratum fuit Sacramentum, statim infirma obiit.*

Sic de se loquitur, de se testimonium perhi- 147
bet Joannes Sanchez *Disp. 38. num. 8.* & testimonium ejus verum quidem est, sed

Quæritur I. *An sequendum exemplum?* Re- 148
spond. Licèt non exemplis, sed legibus judicandum sit, *L. Nemo. C. De sent. & interl omn. judic.* sequendum tamen hoc exemplum, quia ratione nixum. Sicut autem non est hominum malitiis indulgendum *c. Plerumque. De rescr.* ita nec dæmonum. Et generatim dico, energumenos *per se loquendo* non esse excludendos divinâ mensâ, quia infestio *per se* non repugnat reverentiæ Sacramenti. Videndum tamen, 149
ne in aliquibus sit *morale* periculum, ne hostiam irreverenter tractent lacerando, spuendo, prolabendo. Ubi abest periculum, & adest honesta vita, detur energumeno is, in cujus nomine dæmonia ejiciuntur, & compescuntur. Et quidem crebrò, si ad ipsorum solatium spirituale faciat. Laymann. *De Euchar. Cap 4.* & alii passim; ac maximè in suprema lucta. Nec obest, quòd tunc nolint profiteri fidem, seu dicere: *Credo*, quia pessimus inquilinus impedit ex odio, & sic ad literam locum habet *Reg. 22. in 6. Non debet aliquis alterius odio prægravari.*

Quæritur II. *De Phreneticis?* Resp. Vel 150
fruuntur lucidis intervallis; & quidni tunc de carnibus mitissimi Agni edant? Vel perpetuo furoris œstro agitantur, uno, pluribúsve Annis, & jam consistunt in ultima vitæ periodo; tunc de iis pronuntiandum, quòd de amentibus aliquando potitis usu rationis. *Sed timeo, ne Sacram hostiam tractet indignè.* Præbe ipsi non Sacram, quam si modestè deglutiit, aude & Sacram, Diana *Part. 2. Tract. 14. Resol. 44.* vocans praxin optimam.

Quid si autem res non succesit cum prima? Respond. Experire alterâ. Laymann *Cap. 4 n. 4.* Castro Palaus *De Euchar. punct. 10. At incidit in eam amentiam ex merâ excandescentia?* Resp. Qui in perpetuam amentiam, aut furorem incidit per, aut in peccato mortali, indignus est Sacrâ Communione, quia non oportet panem filiorum mittere canibus. *Marc. 7.* Quia tamen ejusmodi excandescentia potest oriri ex peccato solùm veniali, ideò priùs, quàm neges viaticum, exquire, quæ causa iræ, quæ indoles irati. *Quid si pedes, manúsque ita jactet, ut non pateat accessus ad os?* Resp. Ligetur. Joannes Sanchez *Disp. 38. num. 4.* si videlicet ligatus soleat fumere res comestibiles. *Sed horrendè blasphemat.* Resp. Non ipse, sed vis morbi, quam non moraberis, si judicio. S. P. N. Ignatii in suis Constitutionibus steteris.

Unde cognoscam, aliquem fuisse in statu malo 151
factum amentem? Resp. Vel non scis, utrùm ante amentiam peccârit mortaliter, nec ne?

Et tunc præsume esse in bono statu. Nam quisque naturaliter præsumitur bonus. *Cap. Dudum. De præsumpt.* nec unquam capitur præsumptio delicti. *L. Meritò. ff. Pro socio.* Vel scis deliquisse mortaliter paulò antè amentiam? & tunc si non habes *positiva* argumenta, seu signa pœnitentiæ, præsume esse in deplorando statu; nam semel malus, semper præsumitur esse malus *Reg. 8. in 6.* Certè animi mutatio præsumenda non est, sed probanda, ajunt jurisconsulti.

152 Quæres fortè III. *An imitandum factum Religiosis, quod exprimit hic*

Casus Primus Extemporalis concilii.

Hieronymus Parochus Frisingæ Bojorum attulit Honorio viro primario phreneti laboranti, & ad extrema deducto, Viaticum. Dum illud porrigit, vultum avertit Honorius, idque bis, tèrve, tametsi aliquo admodum tenui rationis usu præditus. Quæ aversio cùm adferret domesticis mœrorem, nescio quid suspicantibus, aut timentibus, Hilarius vir Religiosus è Societate nostra, apud quem Honorius propridie sat compos rationis peregerat ultimam confessionem, quique tunc genuflexus aderat constituto in tali articulo, surgit in pedes, dicit parocho: Mi Domine commoda mihi, oro, tuum superpellicium, ac stolam; spero, fore ut D. Honorius à me accipiat Sacram hostiam. *Commodat libenter Hieronymus, nec minùs facilè accipit ab Hilario Honorius id, quòd antè respuebat.*

Libenter, ut dixi, cessit suo jure Hieronymus & verò tenebatur in hisce circumstantiis, quandoquidem quivis sacerdos jus habet administrandi viaticum illi, qui sine hoc est emigraturus è vita, nisi ipse ministret, ut videbimus *Casu XXI. num. 378.* Si tamen Honorius pleno usu rationis instructus fuisset tunc, cùm renuit, meritò fuisset judicatus agere pessimè, adeóque esse in malo statu, consequenter esse incapax.

153 Porrò, quia est sæpè necesse uti variis industriis erga phreneticos, aut maniacos, ut possint iis ministrari ultima Sacramenta, fortè autem erit cuipiam faciliùs meminisse unius, alteriúsve lectæ, quàm primùm excogitare, subjicio hunc

Casum Secundum Extemporanei consilii.

154 *Hermes optimus Religiosus nostræ Societatis, Monachii Bojorum phreneti afflatus ex servitio laborantium eo morbo, nequit induci, ut edat aliquod signum sufficiens ad impertiendam absolutionem Sacramentalem; quia verò erat is gente Gallo-Belga, rarò tamen offerebatur occasio utendi nativâ linguâ, nonnemo è domesticis peritus idiomatis cœpit illum eo compellare. Enimverò hæc loquela ita quasi è somno excitavit Hermetem, dispulítque nubes, rationem obvelantes, ut unum, alterúmve peccatillum aperuerit cum dolore necessario. At vix absolutus rediit ad priorem miseriam, quam non amplius sublevavit ulla industria.*

Omnino censeo, fieri non rarò, ut phrenetici redeant ita ad se ipsos per aliquod spatium excitati quibusdam insolitis sensuum objectis, aut saltem ad semiplenum rationis usum revertantur, cum quo etiam exerceant aliquos semiplenè deliberatos actus, qui quia, quando tendunt in objectum malum, merentur pœnam, ideo, quando vice versâ feruntur in objectum bonum, videantur posse subministrare sufficientem dispositionem ad gratiam *secundam* obtinendam cum receptione alicujus Sacramenti, saltem *sub conditione* ministrati. Ita ego sentio, libentissimè recessurus ab hoc sensu, si displicuerit iis, quorum judicium habeo pro oraculo. Porrò testis oculatus sum hujus, & præcedentis Casûs.

EPILEPTICIS AN COMMUNICANDUM?

CASVS IX.

Xaverianus.

SVMMARIVM.

Casus epileptici & nauseabundi ope S. Xaverii dispositi ad sumendum viaticum. 155.
Numerus Miraculorum editorum intra biennium à S. Xaverio. 156.
An epileptici admittendi sint ad Sacram communionem? 157.

Juvenis nomine Dominicus Capomalla sanguinis fluxu, & febri validâ debilitatus, ad extremam vivendi lineam devenerat; cui medici, & omnium circumstantium judicio non amplius vitæ, quàm pauculæ horæ, ne dicam momenta supererant nec tamen Sacro viatico muniri poterat ob indeficientem cum vomitu stomachi convulsionem: hoc matri piæ fœminæ gravius erat ferendo, quàm ipsa mors filii; ac propterea de extrema illius salute solicita procumbit in genua, 155

genua, enixéque rogat Potamiensem Protectorem (S. Franciscum Xaverium Potami Illustrissimum prodigiis) *tantum ut virium concedat filio, tantúmque spatii, quo possit Sacrâ refici Synaxi; futurum enim, ut gratiis cœlitus concessâ, cùm aliud non suppetat, integram tritici mensuram Potamiense altare referat. Nec absolverat preces mater, cùm pluribus præsentibus, ipsóque templi Potamensis Curatore, qui oculatus testis id retulit, æger à convulsione illa, quin ab omni infirmitate liber, stratum reliquit, & veluti nunquam infirmus fuisset, templum ad it, pro improviso beneficio Deo, & Divo gratias acturus, & hoc 19. Octob. Anno 1651.*

156 Ita verbatim descripsi ex libro, quo recensentur 242. miracula. ope S. Francisci Xaverii Annis 1651. & 1652. edita Potami utbe Calabriæ, & authoritate publicâ firmata, inter quæ multa tam rara, tam magna, tam admirabilia, ut appareat, Deum sibi in hoc suo fideli servo mirificè complacere. Quia verò convulsiones sunt effectus Epilepsiæ, idcirco.

157 Quæritur hîc: *Utrùm morbo epileptico laborans reficiendus sit Pane cœlesti?* Resp. Quando non infestatur paroxismo, tum haud dubiè potest, ac, si petat, debet refici, quia ipsa passio, seu morbus, & habitus epilepticus non continet *formaliter* ullum impedimentum; at tempore, quo paroxismus illum tenet, licèt videatur eum extincturus, priusquam ad se æger redeat, non est ei præbenda, quia fortè ex 100. laborantibus ejusmodi paroxismo non reperietur unus, de quo possit prudenter sperari, eum deglutiturum hostiam. Si tamen dubitaretur, posset periculum fieri immittendo in os non consecratam, sicuti in *Casu præced.* diximus de Phreneticis.

NAUSEABUNDO AN COMMUNICANDUM.

CASUS X.

Monstruosus.

SUMMARIUM.

Monstrum natura. 158 & 159.
Vomitui obnoxiis an præbenda Eucharistia? 161. & seq.
Quamdiu Sacra hostia maneat integra in stomacho? 162.
Sacerdos, cui potio medica adfert vomitum, quanto tempore debeat celebrare ante illam potionem? 165.
Quid faciendum, quando per vomitum est rejecta hostia? 166.
Casus Patris Lessii è Sacro jam cœpto recedentis ob nauseam causatam à pilulis medicis 168.
Unde possit prudenter judicari, non esse nauseam secuturam ex medicina? Ibid.

Klianus instrumentis utriusque inferioris evacuationis, imò signis eorundem instrumentorum prorsus carens, omnem urinam, fæces omnes regerit per os, sempérque à nativitate regessit vomendo. Dubitari potest, an fuerit ei dandum Corpus Christi purissimum? Ratio dubitandi est, quia videtur haud parùm adversari reverentiæ tanto Deo debitæ, si in cloacam deiiciatur. 158

Novi probè hoc monstrum naturæ, gente Lotharingum, bene barbatum. Qui usque ad Annum ætatis 20. fuit Anna, vel Joanna vocatus, eò quòd nullis planè signis alterutrius sexûs apparentibus fuerit præsumptum pro deteriore, de qua præsumptione quid sentiendum, disserui *in Alphab. Baptizandorum Cas. XII.* At ubi non solùm lanugo, sed etiam barba cœpit vestire mentum, ac genas, non jam Anna, sed Annas, vel Joannes vocari cœptus est, fabricam ejus corporis demirantibus medicis. Resp. Tamen potuisse, & debuisse parere præcepto *divino*, atque *Ecclesiastico* Communionis; nam allata in contrarium ratio si quid probat, probat illi quoque negandam Eucharistiam, qui fœdissimis humoribus refertum habet stomachũ. Quod intrat in stomachum, non solùm non coinquinat hominem *Matth. 15.* sed nec inquinatur ab homine, in quo cor mundum creavit Deus. 159 160

Quæritur autem ulteriùs generatim: *An, & quando obnoxiis vomitui sit præbenda Eucharistia?* Resp. Esse circa hoc genus hominum pro praxi observanda seq. I. Vomitus aliquando provenit solùm ob sumptum cibum aliquando ex vitio stomachi etiam jejuni. II. Quando stomachus rejicit statim omnem cibum in propria specie, non est obnoxio illi miseriæ præbendum hoc Sacramentum. III. Si non solet (sicuti non solebat Annas) statim rejicere cibum, sed solùm post unam horam, poterit ei præberi, quia intra unam horam consumuntur species sacramentales P. Tann. *De Euchar. Q. 8. num. 67.* Joannes Sanchez *Disp. 38. num. 2.* præfertim parvæ. P. Quintanadvennas *singular. Tract. 4. singul. 13.* Pax Jordan. *Lib. 4. tit. 1. n. 13.* dicens, mutari intra dimidium quadrantem horæ unius. 161 162

Illud verò refertur in vita Rosæ de Sancta Maria, meritissimò adscriptæ à Clemente IX. syllabo Beatarum, à Clemente X. Sanctarum Virginum, eam *Species in suo corpore virgineo conservâsse ipsis septem, & etiam octo horis.* Quod tamen non obstat nostræ doctrinæ; ea quip-

quippe tam diuturna conſervatio adſcribenda eſt potiùs verò miraculo, quam naturalis caloris debilitati, ſicuti demonſtrat quotidiana experientia juvenilium, ſenilíumque ſtomachorum.

163 IV. Si revomit duntaxat cibum copiosè ſumptum, nil eſt periculi timendum ratione Sacramenti.

V. Si omnibus conſideratis meritò dubitetur, utrùm ſit intra horam rejecturus hoſtiam, probetur dando non conſecratam, quam ſi per horam ſervet, porrigatur & Sacra, Joannes Sanchez *l. c.* Diana *Part. 5. Tr. 3. Reſ. 55.*

VI. Si omnibus conſideratis adhuc dubites, utrùm ſit, nec ne revomiturus ſpecies ſacramentales, præbe nihilominus, quia & recipiet æger gratiam huic Sacramento annexam. Tann. *num 53* & in dubio ſatius eſt, Sacramentum exponere incerto periculo irreverentiæ merè *materialis*, quàm certò privare fructibus Communionis, ut bene ratiocinatur P. Jac. Reiſſ. *in privilegiis morientium privil. 56.*

164 VII. Nullo modo opus eſt præbere integram, ſufficit minima particula, & quidem in liquore, ſi abſque hoc glutire nequeat. Suarez *Diſp. 71. ſect. 3.* eſto ſit *moraliter* certum, liquorem citiùs deſcenſurum Tannerus *num. 100.* poſt Suarez.

165 VIII. Quando ſtomachus per ſeceſſum emittit cibum omnem planè immutatum in ſua ſpecie, nefas eſt, dare, vel accipere. Sanchez *l. c.*

IX. Sacerdotes, qui ſciunt, ſe potiones medicas non ſolere in ſtomacho detinere diutiùs, quàm per horam, poſſunt libere facere Sacrum, ac ſtatim poſt illuo, ſi diutiùs nequeat commodè differri, peractâ gratiarum actione haurire poculum Hippocraticum, nam nulla eſt *phyſica*, aut *moralis* indecentia miſcere, ex cauſa, in ſtomacho Ambroſiam cæleſtem, & vappam terreſtrem. Laymann. *Cap. 6. num. 23.* & alii, licèt olim *C. Tribus gradibus. De conſecr. diſt 2.* fuerit requiſita intercapedo ſex horarum circiter

166 X. Si contingat, hoſtiam integram revomi, nec tantum ſit animi Parocho, ut ſecutus heroicum exemplum unius ſacerdotis ſæcularis, & duorum è Societate noſtra Religioſorum, quos tres probè novi, eam ſumat, deferenda erit in ſacrarium, ac purgata poterit ab aliquo ſumi tempore Sacrificii, aut, ſi nemo vincere poſſit horrorem, relinquatur in ſacrario, donec conſumatur; ſicuti in ſimili de hoſtia vermibus arroſa ſtatuunt noſtræ Conſtitut Synod, *Part. 1 Tit. 8. num. 19* Nam comburere, foret immane ſacrilegium, inquit magnus in re *moraii* Magiſter Sylveſt. V. *Euchariſtia 2. queſt. 9. §. 2.* loquens de Sacro ſanguine effuſo.

Quod dixi de Sacra Hoſtia, quam æger evomuit, deferenda ad locum Sacrum, intelligo de Sacerdote, vel Laico; nec enim extra Caſum neceſſitatis convenit ut homo Laicus eam humo tollat, alióque deportet. Unde non probo factum ejus

Fratris Religioſi.

Qui evomitam ab infirmo Sacerdote Divinam Hoſtiam excepit chartâ è terra, tulítque ad ſuam cellam, atque ibi lotum reverenter ſumpſit, cùm non deeſſent in illa domo Religioſi Sacerdotes. Optima quidem ædes excuſabat illum bonum virum coram Deo, at factum ipſum repugnabat moderna Ecclesiæ conſuetudini vetanti, ne Laici tangerant Corpus, aut Sanguinem Chriſti.

Ex his deduces, quid cenſendum de ſibus ſimilibus huic

Caſui Leſſiano.

Leonardus Leſſius veſpertinis plerumque 167 *utebatur medicamentis (nocturnam quietem parvi pendens) ne matutina ſumptione à Sacrificio prohiberetur. Fuit aliquando, ut pilulæ ſub pridianam noctem aſſumptæ poſtridie ſub horam Sacrificii affecto ſtomacho inhærerent integræ. Exinde Leſſius nauſeare, malè affici, pallere, ſperare tamen (ſpem Euchariſticus amor faciebat) poſſe evincere. Aggreditur Sacrum, progreditur, malo pariter progrediente, donec ſub Epiſtolæ lectionem tantiſper cedere coactus eſt, dum à privata ara in ſacrarium recederet, & totas, ut erant, pilulas ore redderet, & tanquam ab hoſte liber, victórque liturgiam perficeret.*

Ita teſtatur, ac loquitur auctor compendii 168 vitæ Leſſianæ *Cap. 11. num. 58. Editi Ingolſtadii*, minimè dubitans, quin Leſſius prudenter, ac Religioſè egerit, dum ſe accinxit ad Sacrum faciendum in indicatis circumſtantiis. Ergo poterit laicus, qui vel ex pilulis pridie ſumptis, vel alia de cauſa aliquantum incitatur ad vomitum, ſuſcipere Chriſti Corpus, ſi videlicet conſideratis omnibus prudenter judicet, revera non ſecuturam *actualem* nauſeam, ſeu vomitum.

At quomodo prudenter judicabit? Reſp Sicuti P. Leſſius, qui valdè crebrò ſumpſit pridie pilulas, poſtridie autem non fuit unquam ſecuta vomitio. Quamquam quia ex una parte gravior cauſa requiritur ad inducendam obligationem omittendi Sacrificii, quàm Communionis, quandoquidem omiſſio hujus non privat tanto bono, quanto omiſſio illius; ex altera autem parte longè turpiùs receditur à Sacro jam cœpto, quàm ab altari, ad quod flectis communicaturus, ac facilius poteſt vomitus oriri intra totum tempus, quod fluit ab initio Sacri ad conſumptionem ſpecierum in ſtomacho, quàm quod fluit à momento, quo laicus recipit de manu ſacerdotis Sacram hoſtiam, usque

que itidem ad conſumptionem ſpecierum, idcirco neque in omni caſu, in quo *licitè* ſacrificat ſacerdos timens vomitum, *licitè* quoque communicat laicus, neque in omni caſu, in quo huic fas eſt participare de altari, fas eſt illi, id eſt ſacerdoti accedere altare ad ſacrificandum, ſed perpendendæ ſunt variæ circumſtantiæ neceſſitatis, feſtivitatis, &c. Ac præſertim diſpicienda experientia propria, vel aliena, & cavenda nimia fiducia.

CATARRHOSO, ET TUSSIENTI AN COMMUNICANDUM.

CASUS XI.

Caſualiſſimus.

SUMMARIUM.

Caſus ſacerdotis exſternutatione exſpuentis hoſtiam. 169.
An talis ſacerdos licitè *fecerit Sacrum? 170.*
An qui propter defluxiones coguntur ſpuere perſæpe, licitè *communicent? 171.*
Quamdiu poſt ſumptam hoſtiam liceat ſpuere? Ibid.
Quid de tuſſiente? 172.
Obſervatio pro parocho præbente viaticum. 173.
Quid ſi ſit probabile, quòd non ſint acceptur i ſine irreverentia involuntaria? Ibid.

169 *Leander Sacerdos vix ſumptâ, quam conſecrârat, hoſtiâ, repente cogitur tam validè ſternutare, ut ipſam hoſtiam unà cum catarrhoſa materia rejiciat in patenam, eam tamen mox generoſè reſumpſit, deglutiítque totum, quod in patenam expulerat vis catarrhi.*

170 Quæritur jam, *utrùm ſacerdos ille, Pater, inquam*, Joannes de Dicaſtillo, *qui ad Superos jam pridem emigravit, ſi ſcivit, ſe obnoxium ejuſmodi caſibus, potuerit admitti ad Sacrum faciendum?* Reſp. Potuit utique, licèt ſciviſſet, ſe ſolere ſæpius de die ſternutare. Non enim poterat idcirco eſſe *morale* periculum, ne ea cerebri emunctio ei accideret tali præciſè tempore; illa quippe non ſunt nobis prudenter timenda, quæ longè rariſſimè eveniunt, quandoquidem *Raro* & *Nunquam* æquiparantur *Cap. Coram De offic. jud. del.* & caſus inſolitus, qui rarò contingit de mille Annis ſemel, nullius eſt conſiderationis Bartol. *in Leg. Sejo. ff. De contrah. empt.* & una hirundo non facit ver, ut ex Ariſtotele argumentatur in, & de raro caſu S. Antonin. *Part 2. Summ. tit. 9. cap. 8. §. 2.* At inquies: *Sacerdos ille ſumendo hoſtiam ita inquinatam non manſit jejunus, quo ergo jure bibit Sacrum ſanguinem?* Reſp. Jure neceſſitatis perficiendi Sacrificii.

Quæritur deinde: *Utrùm, qui ob defluxiones coguntur ſæpiſſime ſpuere, debeant abſtinere Sacrâ menſâ?* Reſp. Materia, quam exſpuunt, aut deſcendit è cerebro in os, priuſquam in pectus; aut aſcendit è pectore in os? Si primum, non eſt periculum irreverentiæ, niſi excrees, dum adhuc in ore habes hoſtiam. Si ſecundum, etiam ceſſat periculum, quando poſt hoſtiam receptam in ventriculum ſcreas; ſecùs, ſi ſcrees illâ adhuc hærente in gutture. Nec cogitandum eſt, in hac ſuperiore regione ſpecies ſacramentales ſolere hærere diutiùs, quàm recitaretur dimidium Ave, niſi anima jam quaſi in extremis labris hæreat. Cavendum tamen, ne circumſtantibus ſimus ſcandalo, ſputúmque ſtrophiolo excipere decet, ſi intra quinque Pater, & Ave poſt exceptum divinum hoſpitem invadat orexis ſpuendi; hæc enim, & major reverentia debetur tanto Sacramento. Pater Palaus *Part. 13.* poſt alios. 171

Sed horrendè tuſſio? Reſp. Si tuſſis eſt ſicca, nil ejectans è pectore, cur ſcrupulis angeris? Si Phlegmatica, vix erit tanta, quin vel cohibere queas per 2. P. & A. vel tute reſorbeas, quod tute in palatum promoveras. Ergo neque hìc trepida. Sapiendum quidem eſt, ſed ad ſobrietatem. *Rom. 12.* 172

Ex his deduces; Parochum non debere peſtiferis, aut aliis miniſtrare Euchariſtiam, quandò probabile eſt, illos non poſſe in ſtomachum demittere hoſtiam, quia vel vix reſpirare poſſint, vel linguam nimis tumidam habeant, vel calore & ſiti ita aridam, ut nihil niſi planè liquidum glutire queant, ut rectè Chapeaville *De Sacram. adminiſt. temp. peſtis Quæſt. 15.* Quod reſtringo ad caſum, quo non ſit etiam vice verſâ probabile contrarium, quia in pari cauſa magis eſt favendum ægro, quàm Sacramento, quandoquidem hoc inſtitutum eſt in illius utilitatem. Pater Vaſquez. *Tom. 2. in 3. Part. Diſput. 155. Cap. 4. in fin.* & alii, quod probè nota; & ſi lubet, junge caſualiſſimæ ſternutationi noſtri Leandri illam mirificam S Norberti, quam retuli in calce *Alph. Sacrificantium.* 173

MORIBUNDO QUOMODO COMMUNICANDUM.

CASUS XII.

Anceps.

SUMMARIUM.

Caſus de moribundo, qui manè communicaverat ſanus, muniendo viatico. 174.

Situs

Sitne licitum, aut etiam præceptum, ut, qui manè sumpsit Sacram Synaxin nihil cogitans de morte, vespere ejusdem diei percipiat viaticum? Ibid. & seqq.
Statuitur in primis non extare præceptum hac de re. 175.
Deinde ne quidem esse id permissum. 176.
Contrarium tamen esse probabile. Ibid.
Referuntur, quæ diversi scripserunt hanc in rem de R. P. Claudio Aquaviva. Ibid.
Eorum relationi non est habenda fides integra. 177.
Quid si quis post communionem manè peractam incidat in crimen lethale, vespere autem deductus ad extrema non habeat copiam Confessarii, an Diaconus præbebit ipsi licitè viaticum? 178.
Casus peregrinus Germanis. 179.
Quid nomine viatici intelligatur? 180.
Quid sit sumere per modum viatici? 175. & 181.
Omnes tenentur in mortis articulo sumere viaticum. Ibid.
Articulus mortis quid? 182.
Periculum mortis quid? Ibid. (183.
Periculum mortis proximum, & remotum quod?
Articulus, & periculum sunt idem hic. 184.
Monita practica de moribundorum Communione. 186.
Qui se geret hic Capellanus Monialium? 190.
An sit fas deferre Eucharistiam solùm aspiciendam ad ægrum profolatio? 191.

374 *Meinradus his diebus manè communicavit, postea eodem die incidit in periculum mortis. Quæsitum fuit, an posset adhuc eodem die non jejunus sumere viaticum? Hoc in facti contingentia accidit.*

Sic loquitur Diana *Part. 5. Tract. 3. Resol. 33.* ac respondet, debuisse utique ex præcepto Christi, & Ecclesiæ illum Meinradum, etsi non jejunum, rursum percipere Sacram Eucharistiam, scilicet in viaticum, claudítque suam resolutionem hisce verbis: *Me consulente, & impellente ne desinant parochi hanc sententiam in praxin deducere*; citat verò pro sua sententia P. Casparum Hurtadum *De Eucharist. Disp. 10. diffic. 2.* sed hic loquitur de eo solo, qui eâdem die jam communicavit, non autem de illo, qui insuper jam fregit jejunium naturale. A Diana (qui videtur *Part. 8. Tract. 1. resol. 87.* mutâsse opinionem de obligatione, contentus solâ permissione) ita extremè dissentiunt plerique Theologi, ut ne quidem permittant, nedum imperent iteratam eâdem die communionem, etiam jejuno. Horum catalogum texit ipse Diana *loc. cit.* Lugo *Disp. 16. num. 52.* negans, quemquam præter P. Hurtadum permittere duplicem Communionem ob supervenientis periculum mortis, P. Dicastillo *Disp. 10. num. 48.* testans tamen, P. Vasquezium, & Turrianum fuisse ejusdem opinionis, cujus Diana; Antonius Cotonius *celebr. controv. lib. 1. controvers. 15 cap. 1. num. 5.* repræsentans inconstantiam Dianæ in hoc puncto.

Ego imprimis nego, existere in tali casu ob- 175
ligationem percipiendi rursum Eucharistiam. Deinde assero, esse probabilius, quòd ne quidem liceat. Addo 3. esse nihilominùs probabile, quòd liceat. *Primam* partem inde probo, quia fundamentum Dianæ, Hurtadi, & Vasquezii facilè evertitur. Dicunt enim, per Communionem factam manè ante prævisum mortis periculum non fuisse satisfactum præcepto Christi de Eucharistia sumenda in articulo mortis *per modum viatici*, eò quòd tunc ne quidem cogitatum fuerit de morte. Verùm respondetur, verè fuisse per talem Communionem illa impletum illud præceptum. In primis enim matutina illa communio fuit propriè obita in articulo mortis; articulus quippe mortis, ut ex communi sensu dicemus *num. 182.* est ultima quædam particula non magna temporis vitæ, quam mors immediatè sequetur; atqui articulus, quo fuit percepta Communio, de qua agimus, rectè vocatur ultima quædam non magna particula vitæ, præsertim si ponamus, quòd unâ, duabúsve horis post ejusmodi religiosissimum actum superveniat manifestum periculum mortis, ortum ex gravi lapsu, lethali vulnere, &c. Esse, aut non esse articulum mortis, non pendet à nostra scientiâ, aut ignorantiâ. Deinde Eucharistia sufficienter dicitur sumi *per modum viatici*, quando sumitur in articulo mortis. Expressè Hurtadus *loc. cit. vers. Observandum*, atqui jam ostendimus, fuisse verè acceptam in articulo mortis, etsi ignorato. Nec obstat, quòd præceptum Communionis talem non obligaverit manè, nemo autem legi satisfaciat, nisi actum præceptum exerceat eo tempore, quo lex obligat; respondeo enim, legem de sumendo viatico jam obligâsse eo modo manè, quo lex de Sacro audiendo obligat horâ quintâ matutinâ; si enim Meinradus præsciviſſet, se post prandium deventurum in tale discrimen vitæ, fuisset utique obligatus sub disjunctione, ut scilicet vel ante, vel post prandium reciperet Corpus Christi.

Altera pars resolutionis datæ superiùs, quòd 176
nimirum sit probabilius, ne quidem licere illam secundam communionem, probatur, tum quia ita, ut dixi, sentiunt ferè omnes Theologi, atque inter hos recentissimè D. Reding *Q. 7. art. 2. Controv. 1. num. 6.* tum quia Ecclesia nec *tacitè*, nec *expressè* unquam exemit à legibus de Eucharistia tantùm semel in die, & jejuno stomacho sumenda casum nostri Meinradi, esto non infrequentem.

Tertia pars, quòd nihilominus sit probabile, *licitam* esse geminam illam communionem, meritò traditur à Dicastillo *num. 56.* tum propter fundamenta sententiæ Vasquezianæ, tum propter multos insignes viros, qui apud Dianam *loc. cit. & Part. 8. Tract. 2. Resol. 87.* apud Dicastillum *num. 48. licitam* esse talem Communionem, docuerunt verbo, & facto, adeò ut Quintana dvennas *De Euchar. Sing. 9. n. 6.* illos authores explicet, & sequatur etiam in eo casu, quo unica hora interceſſit inter Communionem matutinam, & improvisum vitæ discrimen. Quod quidem ego quoque existimo, sequi ex doctrina Vasqueziana, qua non examinatâ scrupulosiùs, audi

Casum viri Sapientissimi.

R. P. Claudius Aquaviva Societatis nostræ Præpositus Generalis, Sapientiâ, & Dei timore notissimus orbi, cùm horis antemeridianis nihil cogitans de instante periculo mortis propinquo, adhoque valens, ac sanus fecisset ad aram, incurrit post celebrationem Missæ maximum periculum mortis, ut loquitur P. Hurtadus loc. cit. *ob quod sacrum viaticum postulavit, accepitque, ut testatur idem* Hurtadus, *atque post alios* Diana cit. Resol. 87.

177 Hæc ego jam scripseram verbis hîc expressis, cùm venit in mentem, magnum pondus accessurum opinioni Dianæ, si planè constaret, R. P. Claudium Aquavivam revera egrisse, quod retuli ex Patre Hurtado, atque Diana, cùm & fuerit ille vir longè sapientissimus simul & innocentissimus, & sine dubio rem tam insuetam non susceperit, nisi approbantibus, aut fortè etiam necessitatem præcepti insinuantibus Theologis, quos eruditissimos habuêre semper Domus professa, & Collegium Romanum. Igitur comperiendæ certitudinis ergo literas dedi in Urbem ad R. P. Joannem Nadasi versatissimum, si quis alius, in archivis, tabulariisque nostris Romanis, ac rogavi, ut, si quid certi cognovisset, de eo me faceret certiorem. Respondit autem ipsis Calendis Januarii Anni 1667. hisce verbis: *R. P. Claudius non celebravit ultimo die vitæ, sed communicavit, non per modum viatici, quia plures arbitrabantur, mortis periculum id non exigere. Cùm verò post horas nescio quot periculum ingravescens mortem jam vicinam ostenderet, & (ut quidam scribit in illo M. S. quod hac de re extat) media nox jam transiisset, data est illi Communio per modum viatici. An verò Communio hæc postrema fuerit verè post mediam noctem, an ante, non est exploratum; nam non satis conveniunt, qui id scriptum reliquerunt; adeóque non putem, illum afferri posse pro exemplo Communionis geminæ intra unum diem. Si quid tamen magis certum nanciscar, faciam V. R. certiorem.*

178 Hactenus rescriptum; ob cujus authoritatem nollem firmare exemplo P. Claudii sententiam Dianæ; nihilominus tamen petenti indicata circumstantia alteram Communionem acquiescerem, non peterem ego, absit enim, ut ego in tali articulo secter, extra necessitatem, opinionem, quam ipse habeo pro minùs probabili singulariter tamen amplectenda foret illa ipsa opinio homini, qui post matutinam Communionem lapsus esset in crimen lethale, ac dubitaret rationabiliter de actu contritionis à se elicito; tunc enim deficiente sacerdote qui absolveret, posset Diaconum ministrare ita deserto viaticum teste Amico apud Dianam *cit. Resol. 87.* repetentem, suam sententiam esse sequendam in omni eventu.

Generaliori huic doctrinæ jungo decisio- 179
nem sequentis

Casus peregrini Germanis.

Cardinalis presbyterio insignitus fingitur munere Diaconi in Missa solennissima, quam Summus Pontifex de more cantat in festo Nati hominis Dei, accipitque è manu Pontificis in os Sacram Hostiam, atque etiam calicem consecratum. Quæritur ánne sit ipsi fas, eodem die sacrificare? Respondet rectè Diana *cit. Resol. 87. negativè*, rationem attuli *n 51.* Cæterùm quia mortis articulus est via ad felicem, aut infelicem æternitatem, proinde nihil in eo negligendum, quod prosit, nihil faciendum, quod obsit, quò melius, & quæ nunc primùm dixi, & tota materia hujus tituli intelligantur, noranda sunt seqq.

I. Sicuti nomine Viatici apud profanos scri- 180
ptores intelligitur cibus, & pecunia, quæ in viam, seu iter perficiendum accipitur; unde apud Plautum dicitur *viaticatus* is, qui sibi prospexit de rebus necessariis profectioni, ita etiam à sacris scriptoribus divina Eucharistia identidem nuncupatur *Viaticum*, sicut expresse vocat ipsum Concil. Nicænum *can. 13.* & refertur *cap. Is qui. 26. quæst. 6.* ubi cavetur, ne ii, qui vitâ creduntur discessuri, ultimo, & necessario *Viatico* priventur. Ubi nomine *Viatici* Sacram Eucharistiam designari, certum est ex ipso textu, & interpretibus; ut proinde sacratissimi Corporis, & Sanguinis Christi sumptionem possemus non solùm Plautinâ *in Bacch.* sed etiam Christianâ phrasi nuncupare *Viaticam Cœnam.*

II. Cùm plerique Theologi apud Vasquez 181
Tom 3. in 3. Part. Disp. 214 asserant, omnes Christianos *Ecclesiastico*, imò etiam *Divino* præcepto sub mortali astringi ad sumendum in articulo mortis sacrum viaticum, nec debeat ullo modo dubitari de consuetudine obligante, ut notat Dicastillo *Disp. 10. num. 14.* est tamen inter hos ipsos dissensio, utrùm debeat sumi per modum viatici, & quid sit sumi *per modum viatici?* Item an etiam à quovis adulto,

& capaci necessariò sumendum sit in articulo mortis? Etenim aliqui Doctores, quos tacito nomine indicat Vasquez *loc. cit. num. 12.* censent, tunc solùm sumi *per modum viatici*, quando sumitur cum intentione sese parandi ad iter æternitatis ingrediendum, seu ad felicem mortem obeundam, atque per illud annuntiandi mortem Domini, ut addit idem *num. 18.* Ipse autem *n. 17.* expressè ait, quocunque animo, seu intentione sumatur, sumi *per modum viatici*, dummodò sumatur eo tempore, quo pro articulo mortis obligat præceptum. Idem tenet Gaspar Hurtadus *cit. diffic. 2.* Equidem nos solemus dicere, illi datum esse *viaticum*, cui est Eucharistia præbita ob periculum mortis, sive is petierit ratione hujus periculi, sive non petiverit, quia scilicet vel erat impos mentis, vel cæteroqui non intelligebat illud periculum, intelligebant autem, qui procurabant.

182 III. Articulus mortis *in rigore loquendo* differt à periculo. Nam Articulus mortis, seu ultimus Articulus vitæ est ultima quædam particula non magna temporis vitæ, quam mors immediatè sequitur, ut jam suprà diximus; Periculum verò mortis est occasio, vel causa, in qua spectatâ rerum naturâ, & spectato eo, quod solet in simili occasione evenire, mors sequetur; vel certò, vel probabiliter, vel pru-
183 denter debet, aut potest timeri. Hinc est, ut aliud dicatur certum, aliud probabile, aliud dubium periculum, idque vel *proximum*, quando jam adest causa, vel occasio, unde mors brevi solet, aut potest sequi. aut prudenter timeri potest statim secutura. *Remotum* verò, quando adest quidem causa talis mortis, non tamen ita proximè, quin futura sit aliqua considerabilis distantia, vel necesse sit, ut aliqua alia concurrant, quæ adhuc non adsunt, nec putantur adfutura tam citò, quin restet aliquod tempus considerabile, antequam omnia morti adferendæ necessaria concurrant. Ita P. Dicastillo *loc. cit. num. 26.*

184 IV. Quamvis autem, ut dixi, articulus mortis à periculo differat in rigore, Doctores tamen hæc duo promiscuè confundunt cùm in hac materia, tum in materia de absolutione, & Indulgentiis, in articulo mortis concessis, ut observavimus & explicavimus in *Quinario*, seu *Tom. 2* nostrorum operum *Tract. 4.* id est *Thesauro Ecclesiastico Indulgent. Part. 2. c. 34.*

185 V. Nomine *moribundorum* intelligimus illos, qui sunt constituti in periculo mortis, vel certò, vel probabiliter imminentis.

186 VI. Singulariter hisce consultum est, ut toties hac cælesti annonâ ad æternitatis iter se reficiant, quoties id faciendum esse pronuntiat aliqua probabilis sententia, esto, alia etiam probabilis neget obligationem, dummodo non neget permissionem, & fieri queat sine aliorum incommodo, singularitate odiosa. Nam saltem in hoc articulo decet habere præ oculis duplicem Regulam duorum Pontificum: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem, cap. Ad audientiam, De homic.* Et: *Tene certum, dimitte incertum: cap. Si quis. De pœnit. dist. 7.*

187 VII. Itaque si octiduo post sumptam Communionem Paschalem incidas in morbum lethalem, pete viaticum. Vasquez *Disp. 214. c. 2.* cum multis contra multos negantes obligationem petendi. Sanè Concilium Carthagin. IV. à Leone IV. approbatum sancit sine limitatione, *ut positi in infirmitate viaticum accipiant.* Et Quintanadvennas asserit, esse certum, quòd debeat petere, si 15. dies intercesserunt.

188 VIII. Quoties durante morbo periculoso laberis (quod Deus vel maximè tunc avertat) in aliquod peccatum mortale, putat Sotus *in 4. dist. 12.* toties resumendum tibi esse viaticum; sed ejus quantumvis Doctoris magni opinio parvi, proh dolor, penditur ab ægrotis ipsis, non magni à Theologis sanis cum, & apud Bonacin. *quæst. 7. punct. 1. num. 3.* licèt non careat apparente ratione, atque plurimùm expediat sequi.

189 IX. Non jejunus communica toties, quoties *Casu XVIII. num. 315.* dicemus tibi licere.

190 X. Applica tibi nonnulla ex iis, quæ *Casu XXI.* statuemus de Parochi obligatione ad Eucharistiam ministrandam.

XI. Capellanus Monialium pro communicanda ægra toties ingredietur monasterium, quoties ipsa petet, vel ex vi Regulæ, & consuetudinis monasterii. P. Sanchez *Tom. 2. Moral. Lib. 6. cap. 16.* vel solita fuit communicare sana. Quintanadvennas *Sing. 3.* vel ex sola devotione. Joannes Sanchez *Disp. 22. num. 22.* Sed cavendæ sunt hîc aliorum offensæ, scandala &c.

191 XII. An fas, Eucharistiam deferre, solius solatii causâ, ad ægrum non valentem sumere illam, videto infrà *Casu XXI. num. 370.*

EBRIO MORIBUNDO AN COMMUNICANDUM?

CASUS XIII.

Temulenti.

SUMMARIUM.

Casus ebrii constituti in articulo mortis, de quo dubitabatur, an esset sacro viatico muniendus. 192.

Virùm parochus teneatur quoad aptitudinem ad Communionem credere confessario ægroti, dicenti esse satis compotem rationis? 193.

Quomodo generatim se geret parochus, quando vocatur ad sacra ministranda ebrio constituto in articulo mortis? 195.

Sal immissus vino induxit ebrietatem. 196.

Ebrietas in dubio præsumitur involuntaria. 197.

In dubio, utrum ebrietas sit plena, præsumitur semiplena. 198.

An extinctus in ebrietate sit sepeliendus loco sacro? 199.

192 NIvardus è publica taberna domum redit probè, seu potiùs improbè potus. Paulo post viscerum dolores ita illum cruciant, ut videantur extrusuri animam. Quare uxor jubet curriculo advocari Confessarium. Adest mox vir Religiosus perdoctus, usúque longo peritus; atque ita tractat, explorat ægrum, ut censeat, se à satis compote mentis extorsisse sufficientem dolorem, & materiam absolutionis, quam proinde ipsi impertitur. Rogatus autem instanter Vicarius Parochi, ut ei ministret duo postrema Sacramenta, renuit constanter, dictitans & ægrum illum omnino esse ebrium, & nullum ei periculum vitæ adesse.

193 Quæritur igitur. *An non deliquerit in regulas practicæ prudentiæ, sequendo sunum potiùs, quàm confessarii judicium?*

Resp. I. Poterat, non tamen tenebatur stare ejus judicio & facto; foret enim nimia servitus libertatis humanæ, si quis astrictus esset, se opinioni unius, quantumvis prudentis viri, nullâ in ipsum authoritate pollentis subjicere in actione individua.

194 Resp. II. Re ipsâ rectè fecit negando, quia noverat, illum hominem esse infamem à temulentia, paulò antè fuisse tumultuatum in plateis, esse ita validæ complexionis, ut non videretur tam citò exspiraturus, sicuti revera haud ita multò pòst surrexit in pedes sanus; uti quidem scio, utpote qui Annis abhinc plus 50. interfui illi actui, cujus omnes personæ jam pridem ad plures abîere. Cæterùm quia fit non rarò, ut ebrii tempore ebrietatis plenæ deducantur in urgens periculum mortis ob lapsum, ob vulnus à pecude vel homine illatum, ob catarrhum &c.

195 Quæritur generatim, *quomodo parochus debeat se se gerere, quando ad unum ex his advocatur?* Resp. Si constat, ebrietatem fuisse *voluntariam*, tunc non est dandum viaticum, quia non est mittendum canibus, ut canit Ecclesia; est autem canis ebrio præstantior, asinus melior. S. Chrysost. *Hom 50. in Matth.* disertè suo more tractans hoc argumentum.

196 Si autem constat, ebrietatem contraxisse planè inculpabiliter, quia videlicet combibones ejus vino immiserunt salem, sicuti multi fecêre, teste Jul. Claro *in Pract. crim. quæst. 93. num. 12.* aut vinum generosum affuderunt putanti affundi aquam, quemadmodum nonnulli factitant (& factum fuisse alicui optimo Religioso comperi) joco satis illiberali; aut in æstu, & jejunus bibit, vel hausit meracum, cujus vires ignorabat, non prævidens periculum ebrietatis; quo pacto plurimis eripitur ratio, potest, & ei debet ministrari viaticum. Nam nec obest, quòd non sit jejunus, quia in tali discrimine non habetur ratio jejunii; nec quòd sit planè ebrius; nam ex una parte ebrius comparatur furioso *cap. Venter. dist. 33.* ex altera parte supponitur illa ebrietas fuisse vel planè inculpabilis, vel non graviter culpabilis; non debet autem quis suo jure sine culpa privari *cap. Discretioni, De eo qui cognov.* Et 197 verò in dubio præsumitur ebrietas esse *involuntaria*, quando accidit illi, qui nunquam, aut vix unquam fuit vino depositus; nam de nullo debemus facilè præsumere delictum *L. Meritò. ff. Pro socio*: sed quemque reputare bonum, donec probetur esse malus *L. Omni modo. ff. De inoff test.* Sicuti vice versâ præsumitur fuisse *voluntaria*, quando corripuit illum, qui solitus est mentem exturbare vino. Quia semel malus semper præsumitur esse malus, ait *Reg. 8. juris in 6.* Et ex vita præterita præsumitur de præsente *cap. Mandata, & cap. Cùm in juventute. De præsumpt.*

Adde in dubio, utrùm æger ille incurrerit 198 perfectam ebrietatem, seu privationem usûs rationis per potum, an verò solùm imperfectam, seu crapulam à nostratibus vocatam Eilt Rausch/ quæ mentem quidem, ac linguam & fortè pedes aliquantum turbârit, reliquerit tamen facultatem sat commodè distinguendi inter bonum & malum, in hoc, inquam, dubio esse declinandum in partem mitiorem, ob rationes paulò antè allatas, & authoritatem Menochii *De probat. Concl. 379.*

An verò in plena, culpabilíque ebrietate 199 extinctus, sit à parocho privandus sacrâ glebâ, & sepeliendus sepulturâ asini, nec ne? est alterius disputationis. Observanda cujusque Diœcesis consuetudo. Scio, alicubi negatam sacram sepulturam, scio, alicubi concessam. Ego ob graves agnatorum offensiones censeo, in dubio de consuetudine, esse sequenda mitiora; nam in his, in quibus non invenitur jus expressum, declinandum est in humaniorem partem *cap. Fin. De transf.* Licèt cæteroqui judicem, ebriosos nullâ prorsus veniâ, sed gravibus suppliciis dignos. Plenam tractationem spectantium ad hoc secundum quæsitum, suppeditat nostra Theologia Juridico-Moralis *cap. 50.* inserta Quinario nostro.

APPENDICULA.

EA, quæ de sacra Eucharistia præbenda, vel neganda ebrio dixi *num. 195. & seqq.* absque certa authoritate, descripsit Stephanus à S. Paulo *in Theol. Moral. Tr. 5. Disp 4. dub. 7. edit. 3.* atque rata habet, sicut & illud, quod dicam *Cas. sequenti n. 201.* de non excusandis omnibus Tribunis Militaribus, Capitaneísve,

mandantibus confestim suspendi deprehensos in flagranti delicto, sub pœna capitis justè prohibito. Videtur autem non probare id, quod addam *n. 203.* me non ausurum crimine mortali damnare eos judices, qui spatium communicandi negant illis filiis mortis, qui noluerunt uti illo, quod ipsis oblatum erat opportunè; sed fortè eonveniet inter me, & hunc Doctorem, si meam opinionem intelligam in eo solo casu, quo nequit sine peculiari incommodo ministrari Viaticum talibus contumacibus, sicuti puto communiter non posse, & singulariter quidem iis in locis, quibus consuevêre tales ad mortem illâ dape cœlesti animari ipsò die mortis, inferendæ aliquot horis pòst, ut refero *num. 208.*

CAPITE DAMNATIS AN COMMVNICANDUM.

CASUS XIV.

Tragicus.

SVMMARIVM.

Casus rapti ad patibulum sine sacra Communione. 200.
An excusandum hoc factum? 201.
An Judex teneatur dare Reo capitis sufficiens spatium pro percipienda Communione? 202.
Quâ die sit præbendum talibus viaticum? 204.
Romæ præbetur ipsis ipso die mortis. 205.
Et licitè *datur, etsi mox sint afficiendi supplicio? Ibid.*
Nec obstat, etsi species consumantur in corpore mortuo. 206. (Ibid.
Quid si tales jam sumpsissent pridie Viaticum?
An licitè *communicent quot diebus post mortis sententiam? 207.*

200 *Librius cùm de homicidio accusatus adstaret Hispali ad tribunal Regii Senatûs, ut suæ causæ relationem audiret, ita accensus fuit, ut cultellum, quem absconsum habebat, eximeret, & relationem facienti vulnus infligeret, statimque regios ipsos judices pro tribunali sedentes petiit, ut eos vulneraret, imo occideret, quod evenisset, nisi compedibus impeditus fuisset tribunalis gradus ascendere, atque tunc in illorum primo comprehensus, ligatúsque pedibus ac manibus, ac statim confessione præmissâ ad patibulum ductus est, quo eum comitatus sum.*

201 Hæc sunt ipsissima verba P. Antonii de Quintanadvennas *Singular. Tr. 4. sing. 15. n. 9.* qui subdit, futurum fuisse consultius, si supplicium fuisset dilatum ad triduum; & re-

cte quidem. Putem ego, fuisse dandum saltem brevius spatium, pro dando viatico, si fieri potuit absque notabili incommodo. Nec excuso omnes Capitaneos, Colonellósque, qui milites in flagranti deprehensos jubent absque Synaxi fieri longas literas proximæ arboris. Nostræ Synod. Constitut. *Part. 1. Tit. 10. n. 8.* meritò minantur pœnam iis, qui adversantur, quò minus id ultimum beneficium consequantur miseri Vide Append. annexam *num. 199.*

Quæritur autem I. *An Judex sub mortali* 202
teneatur dare damnato ad mortem, spatium vescendi pane vivo, & vitali? Resp. Teneatur *per se loquendo.* Bonacina *De Euchar. Disp. 4. quæst. 7. punct. 1.* citans multos contra Navarrum; nam & ita statuit B. Pius V. *in Motu proprio*, & charitas Christiana id præcipit, quò scilicet miser homo posset in fortitudine cibi cœlestis ambulare animosè ad patibulum, glorioſè ad cœlum.

Quid si autem subsit periculum, ne interim 203
elabatur Reus? Bonacin. respondet, esse ei nihilominus dandum spatium. Sed certè Judices non capiunt hanc Theologiam, dicentes cum Canonistis, esse malitiis hominum obviandum. *cap. Sedes. De reser.* Nec auderem damnare nolentes capere, aut longius spatium negantes illi, qui aut priùs dato noluit uti, aut corporali incommoditate E. G. vomitu impeditus nequiit. Quintanadvennas. *loc. cit.* Videtamen dicta *num. 199. in Append.*

Quæritur II. *Quo die sit mortis damnato præ-* 204
bendum viaticum? Resp. Non ipso die mortis communiter loquendo. Zerola *in praxi Part. 2. Verb. Damnati.* & nostræ Constitut. Synodales *loc. cit.* propter reverentiam Sacramenti, ut ajunt; nam irreverentiæ species est, ducere ad mortem eum, qui credi potest habere *Reverendissimam Christi humanitatem intra se latentem*, inquit piissimus simul & doctissimus Navarrus. Hæc tamen irreverentia, licèt ejus 205
ratio haberi debeat in hac Diœcesi, nec agnoscitur Romæ, ubi solent ipso die mortis roborari escâ cælicâ, sicut testantur plures scriptores, & scio, alibi quoque practicari, nec est tanta, quin liceat (in hac quoque Diœcesi, ut arbitror) casu, quo Judex non vult expectari in crastinum. Et quidem licèt tantùm una hora intercedat inter Communionem, & suspendium. Quintanadvennas *loc. cit.* Pax Jordanus *num. 24.* & alii. Imò etiamsi illico post Communionem raperetur ad mortem. Quintanadvenn. *Sing. 13. n. 6.* Etenim *cap. Is qui. 26. quæst. 6.* dicitur: *Si quis continuò creditur moriturus, infundatur ei Eucharistia.*

At species Sacramentales consumentur in cor- 206
pore mortuo? Vel id non est inconveniens judice Quintanadvenna *num. 11.* (certè scriptor vitæ P. Petri Cotoni *Lib. 2. cap. 7.* gratiis divinitus huic magno Dei servo, ob venerationem Sacræ Eucharistiæ, concessis accenset hanc; quod *in extrema participatione* (Eucharistiæ)

per-

perquam verisimile sit, Christi corpore adhuc corpus ejus inhabitante, mortem illi obtigisse,) vel necessitas, aut utilitas tollit inconvenientiam. Unde *etiamsi vulneratus esset statim moriendus, quo ei esset ministrata Eucharistia, deberet ei ministrari.* Sic *loc. cit.* loquitur Joannes Sanchez, melior Theologus, quàm Grammaticus. Et hæc vera sunt, licèt reus mortis jam communicâsset pridie pro viatico. Sanchez *loc. citat.* Quintanadvenn. *sing. 14.* extendentes ad ca-
207 sum, quo jam sumpsit cibum. Addit Quintanadven. esse consulendum, ut quot diebus post intimatam mortis sententiam, etiamsi 20. intercedant, roborent se pane cælesti, & quidem non jejuni pridie, vel ipso die morris, si non possint sine incommoditate manere jejuni usque ad sacerdotis adventum. Probo consilium, sed ad praxin quis redigat, aut redigi permittat?

CONFESSO COMMUNICANDUM?

CASVS XV.

Paschalis, & Tremendus.

SVMMARIVM.

Casus mulieris ob Sacrilegam Communionem punitæ divinitus 208.
Sitne Communio Sacrilega maximum omnium peccatorum? 210.
An, qui constitutus in peccato mortali, & præterea non jejunus accedit Sacram mensam, patret duplex peccatum? 212.
An talis sufficienter confitebitur dicendo: Susscepi aliquod Sacramentum indignè. *213.*
An, qui ante Communionem deprehendit, illud peccatum mortale, de quo se accusavit sub dubio, esse certum, teneatur redire ad confessarium? 214.
An peccata Venialia impediant Communionem? 215.
Refertur inficeta opinio unius Jansenistæ. Ibid.
An pecces venialiter, si conscius plurium venialium peccatorum non elicias dolorem de iis ante Communionem? 217.
Quid si committas peccatum afficiens directè *ipsam Communionem? 219.*
Quomodo ipsamet Communio possit esse peccatum? 220.
Quando circumstantia mala afficiat ipsamet Communionem? 221.
Conscius peccati mortalis certò admissi tenetur Communioni præmittere confessionem. 222.
Quid si solùm dubitet de mortali? 223.
Quid si habeat probabilem opinionem? 226.
Casus ad Magistratum Ecclesiasticum delati ob confessionem non præmissam Communioni Paschali. 227.
Refertur severa constitutio Synodalis de non Communicando sine prævia confessione. 228
Disputatur, an illa constitutio loquatur etiam de non habentibus conscientiam peccati mortalis. 230.
In dubio clausula posterior intelligitur secundùm sensum prioris. 231.
An Synodus Diœcesana possit clericis imperare confessionem venialium? 233.
Quoties clerici teneantur in diversis Diœcesibus confiteri? 234.

Publia in paschate cum cæteris perci- 208
piens sacrosanctam Eucharistiam, terribili Dei judicio cœpit spumare, agitare linguam, nec tamen quidquam eloqui. Ante Communionem sanissima fuerat, indignè accedens ad Sacramentum subitò in tantum debilitata est, ut nullum membrum movere posset. Etenim multis onusta peccatis tam salutarem medicinam prorsus imparata sumpsit, taque sacra Christi corporis Communio non remedium ipsi attulit, sed tormentum. Porro increscente in ea cœlesti animadversione, magno cum labore venit ad locum, in quo cæsus est S. Engelbertus Martyr Archiepiscopus Coloniensis, móxque restituta sanitati.

Hoc divinæ ultionis exemplum describit 209
suis verbis ex Cæsario Surius *in vita S. Engelberti ad 7. Novembr. Lib. 2.* circa cujus vindictæ casum.

Quæritur I. *Virùm accedere ad hoc Sacra-* 210
mentum cum conscientia peccati (mortalis) *sit gravissimum peccatorum?* His verbis proponit hanc quæstionem S. Thomas *cit. quæst. 80. art. 5.* ac respondet, esse quidem gravissimum, non tamen omnium gravissimum. Gravissimum quidem, quia tunc peccatur in ipsammet humanitatem Christi; ideóque est atrocius peccatis contra homines admissis, habétque quandam similitudinem cum scelere, quo Judæi Christum crucifixerunt, & quo nefarius homo Eucharistiam objiceret canibus, aut projiceret in cloacam, ut explicat *ibid. S.* Doctor. Non ideo tamen gravitate superat om- 211
nia alia peccata, nec enim est tam atrox, quàm illa, quibus ipsa divinitas *immediatè* offenditur, ac temeratur, ut quando quis Deum negat, vel blasphemat. Ita idem Doctor Doctorum.

Porrò tantò est gravius peccatum indignè 212
communicantium, quantò majora, pluráve crimina sunt, quorum reus manducat carnem Christi. Hæc tamen circumstantia aggravans non est postea necessariò exprimenda in confessione. P. Vasquez *Disp. 207. cap. 1.* Quamquam Dicastillo *Disp. 9. num. 12.* contra Lugonem *Disp. 14.* Rhodes *De Euchar. Disp. 1. & 4.*

Sect. 1. §. 1. & alios non improbabiliter cum aliis negat, illum, qui non jejunus, simul & excommunicatus ingerit se in mensam Angelicam, satisfacere confitendo præcisè: *Communicavi semel sacrilegè.* Sed tuta est sententia

213 Lugonis. An verò talis satisfaciat, si præcisè confiteatur: *Aliquod Sacramentum suscepi indignè*, non disputant DD. Nobis videtur non satisfacere, quia juxta S. Thomam *loc. cit. Sacrilegè* communicans afficit injuriâ ipsum Corpus Christi, non autem *sacrilege* suscipiens Confirmationem, vel Extremam Unctionem.

214 Tenendum quoque, esse probabiliter tutum in conscientia, qui pro sumenda Eucharistia præmisit Confessionem, at priusquam re ipsa sumat Corpus Domini, deprehendit, illud peccatum esse certum, quod confessus fuit ut dubium, attamen accedit sacram mensam; licèt quippe commendandus sit, si facto suo approbet doctrinam Dianæ *Part. 9. Tr. 3. Resol. 6.* censentis, talem *per se loquendo* debere recurrere ad confessarium, ut illud crimen aperiat ipsi tanquàm certò commisium; quia tamen contraria sententia habet adhuc plures patronos, quàm quæ, (ut videbimus *n. 223.*) absolutè negat, Confessionem peccatorum dubiorum esse necessariò præmittendam communioni, intérque hos Pellizarium, & Tamburinum *in Meth. expeditæ confessionis Lib. 2. cap. 1. punct 2.* atque Caramuelem *in Theolog. Moral. Lib. 3. Disp. 4. num. 1536.* teste ipsomet Dianâ, idcirco erit adhuc tutior in conscientia, quo de loquimur, quàm qui ne quidem fuit ut dubium fassus illud peccatum; & habebit insuper hanc rationem, quia videlicet fuit *directè* absolutus ab eo peccato; igitur non satis clarè apparet necessitas recurrendi tunc ad novam *directam* absolutionem petendam. At sequere tutiora.

215 Quæritur II. *An, & quatenus peccata venialia efficiant infructuosam, aut illicitam perceptionem augustissimi Sacramenti?* Resp. I. Nullum peccatum veniale reddit omnino infructuosam, seu destitutam infusione augmenti gratiæ sanctificantis; atque adeò non est peccatum mortale, communicare cum quocunque peccato veniali. Ita omnes teste Tannero *Tom. 4. Disp. 5. quæst. 8. num. 61.* contra Marsilium apud eundem *num. 58.* & quendam (Jansenisticum) Dogmatistam qui referente, & refutante nostro Georgio de Rhodes *Tom. 2. Theolog Scholast. Disp. 1. De Eucharist. quæst. 4. sect. 1. §. 3.* concendit, illum sibi manducare mortem, qui sumit Eucharistiam non purus ab omni veniali peccato; & ab omni affectu ad illud, itémque ab omni affectu inordinato, & ab omnibus habitibus malis, omníque phantasmate. Sed hunc phantasiâ laborantem, &,

216 ut paulò pòst asserit Rhodes, hæreticis principiis sub schemate valde Religiosi Catholici nitentem novatorem refutat hæc ratio, quòd ex sensu universali Ecclesiæ constet, illum solùm manducare, & bibere indignè, seu lethiferè carnem, & sanguinem filii Dei, qui accedit gravatus conscientiâ peccati mortalis. *Trident. Sess. 7. Can. 11.*

II. Imò satis probabile est, nec venialiter 217 quidem *per se loquendo*, delinqui ab eo, qui conscius plurium peccatorum venialium nullo dolore, aut confessione deletorum, sine tamen complacentia in illis, edit de pane Eucharistico. Ita Tannerus *cit. num 61.* Rhodes *loc. cit.* & apud ipsum Valentia, Sa, Vasquez, Diana, Joan. Sanch. nec videtur dissentire Suarez *De Euchar Disp. 66. sect. 1.* sed potiùs consentire, licèt à Rhodes citatus in contrarium. Ra- 218 tio est, quia nec in Scriptura sacra, nec in SS. PP. habemus fundamentum dicendi, fuisse à Christo Domino imperatam pro hoc, aliisve Sacramentis, homini fragili execrationem venialium peccatorum. Sanè S. Hilarius relatus *cap. Si non sunt. De consecr. dist. 2.* sic loquitur: *Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur* (id est excommunicari possit quis, ficuti interpretatur Glossa) *non debet à medicina corporis & sanguinis Domini separari.* Atqui ob sola mortalia potest quis saltem ordinariè excommunicari.

III. At verò noxæ venialis est reus, qui ac- 219 cedit hoc divinum epulum cum peccato veniali, afficiente ipsum actum communionis. Suarez, Tannerus, Rhodes, alii locis citatis. Ratio est, tum quia S. Augustinus celeberrimo illo *cap. Quotidie. De consecr. dist. 2.* de peccatis venialibus diserè locutus expressè dicit: *Habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico perceptione Eucharistiæ, quam purificari*; tum quia hoc ipso, quòd illud peccatum veniale afficiat actum communionis, refundit in illum malitiam instar veræ circumstantiæ: ergo efficit, ut ipsa communio sit verum peccatum.

Dices: *Quomodo ipsamet Communio est verum peccatum, cùm sit actio sacratissima, sanctissima?* 220 Resp. Est *per se* atque secundùm substantiam, objectumque suum actio sanctissima, sed potest per accidens esse mala, ac pessima, propter malam, ac pessimam, sceleratissimámque circumstantiam. Porrò tunc circumstantia 221 venialiter mala afficit actum communicandi, quando communicas vel ob finem venialiter malum, vel cum distractione voluntaria, complacentiáve in aliquo peccato veniali. Suarez *loc. cit.* vel cum conscientia onerata peccatis venialibus, non finente te assurgere ad devotionem, nisi elicias dolorem de illis; si enim tunc omittas dolere, censeris & à S. Augustino, & à Suario gravari Communione, seu peccare communicando.

At verò conscio peccati mortalis post con- 222 fessionem admissi nefas *per se* est, absque nova Confessione accedere illam Cœnam magnam, quia tunc indignè manducat, non dijudicans Corpus Domini *1. Corinth. 11. Etiamsi probabilissimè credat, se perfectè contritum?* Ita sanè judicat Trident. Synod. *Sess. 14. cap. 7. & Can. 11.* ac bene reliquos inter defendit Didac. Nugnus *in Quæst. 80. art. 4. Etiamsi Angelus id revelaret?* Imò licèt Archangelus, quia hoc præceptum non est *define*, sed *de medio*. Diana *P. 9. Tr. 3. resol. 3.*

223 *Quid verò si solùm dubitat, utrùm peccârit mortaliter, necne?* Resp. Henriq. *Lib 8. cap. 45. num. 2. Lit.* P. Emman. Sa, *verb. Eucharist. num. 23.* Tanner. *num. 30.* Pelliz. Tamb. relati suprà *num. 214.* Valerius Reginaldus *Lib. 29. num. 99.* restringens ad casum non propendentis magis in unam, quàm in alteram partem, Caramuel *in Theol. Fundamentali num. 1321.* nihil restringens, Marchinus, ac nonnulli alii contra plerosque censent, non esse necessariò confitendum, nec sine suffragio Concil. Trident. utpote quòd loquitur solùm de iis, qui sunt conscii peccati mortalis *Cap. 7.* seu quos gravat conscientia peccati mortalis *cit. Can.*

224 *11.* Quis autem unquam mortalium dixit, se esse conscium illius rei, de qua dubitat? Et quàm imperitè confitereturqui dubitans, utrùm consenserit turpi delectationi, utrùm necârit Sacerdotem, diceret confessario: *Sum mihi conscius, me consensisse, me necâsse?*

225 Nos sententiam hanc suademus multis Scrupulosis, oppositam disertè in hac ipsa materia traditam à Melchiore Flavio Abbreviatore Scoti *in 4. Dist. 9.* cæteris, non ut omnino certam, sed ut tutiorem, multóque probabiliorem saltem ob authoritatem, sicut nec certum est, Confessionem mortalium esse Communioni præmittendam vi præcepti *Divini, ut post Sotum in 4. dist. 15.* fert communior sensus Recentiorum; cùm sit probabiliter solius *Ecclesiastici*, ut agnoscunt Suarez *Disp. 66. sect. 3.* Coninck, Less. apud Dianam *P. 9. Tract. 3. Resol. 2.* negantem, se audere hos Theologiæ Gigantes ullâ censurâ notare, cùm tamen Nugnus illam opinionem vocet

226 prorsus improbabilem. Illud omnino tenendum, quod expressit Flavius *loc. cit.* certitudinem probabilem, quæ plùs (addo ego cum multis, etiam quæ minùs) tendit in unam partem (scilicet immunitatis à mortali) ad dignè communicandum sufficere; quidni enim ex hac *speculativè* probabili inferam *practicè* probabilem?

227 Quæritur III. *Quid respondendum sit ad hunc casum, qui in hac Diœcesi contigit?*

Pancratius juvenis rusticanus Paschalem communionem adiit Anno 1657. absque exomologesi. Parochus illum defert ad Superiorem Ecclesiasticum, à quo citatus, & propriâ confessione, quæ omnium probationum efficacissima est, teste Mascardo De probat. conclus. 344. *convictus, gravisterreprehenditur, atque ad Pœnitentiarium mittitur, ut hoc suum delictum inter cætera manifestet in secreto tribunali.*

Quæritur an rectè? Resp. Rectissimè, & imi- 228 tatione dignissimè. 1. Quia poterat esse suspicio, aut præsumptio, quòd Pancratius toto Anno se non stiterit confessario, & sic peccârit graviter *in Cap. Omnis utriusque.* 2. Quia egerat contra universalem totius mundi consuetudinem: omnes quippe Catholici solent in paschate tribunal sacrum adire. Qui apertè deliquerat in Constitut. Synod quæ *Part. 1. tit. 8. numero 6.* ita sanciunt: *Nullus sine præviaconfessione, & absolutione ad tremendum hoc Sacramentum accedat; qui secùs facere deprehensus fuerit, contra eum, ut sacrilegum, & tanti Mysterii profanatorem severissime procedemus.*

Sed inquies: Hæc sanctio videtur nimis ri- 229 gida, alienáque à praxi omnium aliorum Episcopatuum, ac judicio Theologorum, videtur enim comprehendere illos, qui sibi non sunt conscii, nisi peccatorum venialium; *quis autem Episcopus, vel Theologus existimavit, posse omnibus Diœcesanis imperari confessionem venialium, cùm tam multi negent, posse injungi ipsis Religiosis?*

Resp. Probabile est; eâ lege ligari illos so- 230 los, aut qui deliquêre, aut quos deliquisse mortaliter præsumi potest ex illorum vita, ac moribus, tum propter rationem nunc primùm allatam, tum quia sanctio expressè loquitur etiam *de Absolutis*, non solet autem negari absolutio ob sola venialia; tum quia correctio jurium vitanda *c. Cùm expediat. De elect. in 6.* 2 Probabiliter loquitur statutum de venialibus (deficiente aliâ materiâ) quoque confitendis, sed solo tempore paschalis Communionis. Nam hic §. *fextus immediatè* sequitur illum, in 231 quo fit mentio Communionis Paschalis. At qui in dubio debemus sequentem clausulam, & paragraphum ad sensum, & mentem *immediatè* antecedentis explicare Socinus *Lib. 2. Consil. 116.* Tuscus *Tom. 1. Lit. C. conclus. 290. num. 7.* 3. Intelligi, & à viro cordato defendi potest de confessione, absolutionéque venialium præmittenda (quando non gravat conscientiam peccatum mortale) aliis per Annum Communionibus; na verba generalia sunt generaliter intelligenda DD. *in Lib 1. ff. De leg. præst.* Et in re dubia melius est verbis edicti servire *Lib. 1. ff. De exercit. act.* Denique ubi periculum majus in- 232 tenditur, ibi plenius est consulendum *c. Ubi periculum. De elect. in 6.* est autem in hac Diœcesi singulare periculum sacrilegarum Communionum, quia Catholici hæreticis permixti vivunt plurimis in locis. Nec desunt 233 Theologi, qui censeant, ac nervosè satisprobent, posse ab Ecclesia præcipi sacramentalem manifestationem venialium, non quidem omnium, sed saltem aliquorum pro obtinenda absolutione. S. Bon. Rich. Cajet. Navar. Vasq. Suar. alii *In materia de Confessione.* Et nominatim tradit Laym, *Lib. 5. Tract. 6. cap. 5. num. 14.*

posse à Synod. Diœcesana imperari clericis(addo:laicis)Confessionem venialium,saltem tunc, quando est sumendus Agnus immaculatus. Hanc doctrinam videri possunt sequi nostræ Constitut. Synod sicut indicant verba superiùs descripta, non tamen extendenda ad illos, qui intra triduum e. g. obirent duas Communiones, Confessione præmissa soli primæ; quis enim suspicetur rigorem adeò exorbitantem à consuetudine fidelium? Vide *in Alphab. præced. Cas. XIV.*

234 Adde, quòd consuetudine receptum sit, ut fideles omnes ante paschalem Communionem sacerdoti proprio, vel delegato se sistant; si se mortaliter peccâsse negent, super hac ipsa re confessarii examini se subjiciant. Laymann, *loc. cit num. 12.* Adde rursum, quòd eædem Constitutiones *Part. 1. Tit. 10. num. 3.* gravissimas pœnas minentur sacerdotibus, qui non saltem singulis 14. diebus (Frisingani, & Ratisbonenses tenentur solùm singulis mensibus, sed schedam exhibere debent) cæteris etiam Ministris, qui non instituunt singulis mensibus

235 Confessionem de peccatis. Hæc in declarationem, & defensionem illius sanctionis Synodalis dicta sunto, subjiciendo judicium authenticæ interpretationi; quæ priusquam habeatur, standum censeo priore responsione in foro *interno*, in *externo*, quæ supra me sunt, non tango. Vide plura *Tract. 6. Cas. XI. num. 281. & seqq.*

NON CONFESSO COMMUNICANDUM.

CASUS XVI.

Commendandus.

SUMMARIUM.

Casus sacerdotis abrumpentis Sacrum propter Confessionem peccati obliti priùs. 236.
Sacerdos licitè *sacrificat* (*deficiente copiâ confessarii*) *sine Confessione, quando tenetur ex officio celebrare. 238.*
Recensentur casus, quibus tenetur ex officio dicere Missam. Ibid.
Quandonam censeatur deesse copia confessarii? 242.
Sacrificat etiam licitè *communiter loquendo sine Confessione, quando jam inchoato Sacro, vel committit, vel recordatur commissi peccati mortalis. 245.*
Non tamen semper Ibid.
Laicus etiam communicat licitè, *quando nequit sine nota omittere Communionem. 246.*
Demonstratur contra Lud. Cassense, Patrem Præpositum non docuisse, esse fas per se loquendo *sine nova Confessione communicare illi, qui ante Communionem recordatur peccati mortalis oblitiin confessione 247. & seqq.*
Error Typothetæ induxit Cassensem in errorem. 250.
Est in plerisque casibus suprà indicatis loco Confessionis excitanda contritio. 253.
Si ob temporis brevitatem nequeat, excusabit Deus. 254.
Qua parte Sacrificis contritio elicienda, quando sacrificans recordatur peccati mortalis admissi post ultimam Confessionem? Ibid.
Si autem illud peccatum fuit patratum ante ultimam Confessionem, in hac autem per oblivionem prætertum, non est necesse eomeri. 255.
Metus ignominiæ, aut scandali quando det justam causam communicandi sine Confessione? 256.
An metus admirationis orituræ sufficiat? Ibid.

Quirinus Sacerdos, cui deserviebat pro 236
ministro alius sacerdos Confessarius in aliqua villa, cùm dicendo Epistolam recordaretur peccati in confessione obliti, advocavit illum pro confessione illius peccati, & quidem sine scandalo, quia in ea Capella erat tantùm celebrans, & minister.

Hunc Casum his verbis proponit Diana *P. 9. Tract. 3. Resol. 7.* testans, se de eo consultum commendâsse religiositatem Quirini. Et sine dubio S. Bonav. *in 4. dist. 13.* ac Sylvest. *verb. Euch. 2. q. 6.* respondissent adversùs Liamas referendum infrà *num. 247.* Quirinum non solùm rectè egisse, sed etiam ita agere debuisse in his circumstantiis; quibus libenter assentior, sed pro pleniore doctrina observo, esse tres generales casus, quibus permittitur communicare *sacramentaliter* non confesso *sacramentaliter.*

I. Casus est, quando sacerdoti incumbit ex 238
officio celebrare, & tamen deest ipsi copia Confessoris, Trident. *Sess. 13. cap. 7.* Censetur autem ex officio juxta omnes, aut aliquos celebrare parochus.

I. Festis ac Dominicis. Palaus *Part. 12.*

II. Pro defuncto præsente, aut pro benedictione nuptiarum. Tannerus *numero 39* si videlicet, ut interpretor, non possit facilè alium substituere.

III. Cùm pro moribundo debet confiteri viaticum. Diana *loc. cit. Resol. 17.* & Dom. Reding *loc. cit. art. 3. Controv. 2. num. 11.* post alios contra Ochagaviam. Longè magis si pro se ipso deberet. D. Reding *loc. cit.*

IV. Quando etiam simplex sacerdos roga- 239
tur ab aliis die festo non habentibus, qui cæteroqui ipsis Sacrum legat. Diana *Resol. 9.* post Trull. & Garciam contra Palaum. Tann. Suar.

V. Quando idem deberet carere Sacro, festo die. Palud. Sotus. Vivaldus contra Suar. Bonacin. Palaum *loc. cit.*

VI. Quando idem deberet omittere Communionem Paschalem. Diana *Resol. 18.* cum aliis contra Tann. *num. 41.* & alios.

VII. Quando idem accepit stipendium pro dicendis Missis, vel oblato stipendio rogatur, ut dicat. Henriq. contra Dianam *Resol. 13.*

VIII. Quando capellanus ratione capellaniæ tenetur facere Sacrum. Palaus contra Dian. *loc. cit.*

240 IX. Quando sine nota non potest omittere Sacrum, ut fatentur omnes.

X. Quando Regularis habens casum reservatum, petit per pium Confessarium, à suo Superiore immediato facultatem, ut ille confessarius possit ipsum absolvere; si enim Superior neget facultatem, poterit ille Religiosus celebrare vel sine omni Confessione, ut arbitrantur Præpos. Tambur. Dian. *Resol 15.* vel Confessione factâ non solùm ordinario confessario, ut patet ex claris verbis Congregationis Cardin. apud Dianam, & Quintanadvennam *Tract. 13. sing. 11.* sed etiam alteri Patri pio, & gravi. Fagund. Pelliz. apud Dian. & ipse Quintanad: *loc. cit.* referens Rodriq. Henriq. Fagund. Trullenck. alios; nam in hoc casu dat Provincialis, vel Generalis *tacitè* facultatem, ut di-
241 cunt isti. Quod etsi propter authoritatem est fortè probabile, non tamen probatur (ut videbimus *in Alphab. Confessar. Cas. XX. num. 706.*) nobis *absolutè*, sicut nec sententiæ hîc relatæ *num. 4.* & (præter nonam) sequentibus, si videlicet supponamus, Confessionem esse de jure *Divino* præmittendam Communioni; si enim esset solùm *Ecclesiastico*, tum facilè fieri posset, ut ei derogaretur in uno, aut pluribus horum casuum.

242 At verò censetur deesse copia confessoris.

I. Quando nullus omnino haberi potest, cui confiteri valeas, aut non nisi cum magna difficultate, quæ difficultas æstimari debet perpendendo distantiam loci, debilitatem virium &c. Nugnus *Quæst. 80. art. 4.* censet, distantiam duarum leucarum non esse nimiam, si hodie vesperi recorderis peccati mortalis, facturus cras Sacrum, maximè si possis habere jumentum, in quo possis ire, inquit ille. Sed certè saltem in hyeme ego te non obligarem.

243 II. Quando adest quidem alius, sed ei non teneris confiteri; vel quia non habet jurisdictionem in omnia tua peccata. Armilla, Victoria, alii contra Tann. *num 34.* & alios valde probabiliter contrarium tenentes; Vel quia tibi oberit, si omnia tua peccata confitearis, esto non sit obfuturum, si fileas aliqua. Sylvest. apud Tann. *loc. cit.* Vel quia es Religiosus, & non habes nisi sæcularem sacerdotem, nec enim teneris ei confiteri, cederet quippe in infamiam Ordinis tui, si ei panderes grande peccatum. Rosella apud Nugnum *loc cit.* meritò dicentem, hoc esse (communiter) improbabile. Vel denique quando deest proprius confessarius, cui devotiùs confitereris. Richardus referente, & meritò refragante Dianâ cum aliis communiter, inter quos Nugnus ait, certum sibi esse, hoc esse falsum.

His adde statutum Trident. Concil. *loc. cit.* 244
hisce verbis: *Quòd si necessitate urgente sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quam primum confiteatur*; quod Statutum, quo pacto sit intelligendum, explicavi *in Alphabeto præced. Cas. XIV.*

II. Casus, quo sacerdos noxâ lethali grava- 245
tus *licitè* facit Sacrum, non exoneratâ apud Confessarium conscientiâ, est, quando inchoato jam Sacro vel recordatur peccati mortalis antè commissi, vel tunc primùm (proh nefas!) patrat. Nam neque tenetur recedere ab altari, ut confiteatur. Sotus *in 4. dist. 13. art. 6.* Nugnus *loc. cit.* asserens hoc esse certum, Palaus *cit. Part. 12. num. 17.* Tann. Laymann, alii; vel quia nimis indecorè abrumpitur Sacrum per recessum ab altari, ut ajunt hi tres DD. suadente abrumpi S. Thomâ *Quæst. 83. art. 6.* vel quia vix potest sine scandalo fieri ille recessus, ut rectè Nugnus. Neque tenetur ad se advocare sacerdotem, cui confiteatur, propter utramque hanc causam, ut ajunt iidem contra Suar. & alios rectiùs obligantes advocari, si ante consecrationem, aut saltem offertorium fieri queat sine incommodo. Sed vix fieri potest, nisi habeat sacerdotem alium sibi ministrantem, sicuti habuit noster D. Quirinus, vel Sacrum interrumpatur fortè concione. Laymann. *Cap. 6, num. 5.* Equidem Liamas *in Summ. Part. 2. cap. 6.* habet pro summo absurdo, si indutus Sacrâ veste confiteare ad aram, aut in sacristia; at hoc absurdum non agnoscunt DD. relati hîc, & *num. 237.*

III. Casus est, quando Laicus nequit omit- 246
tere Communionem sine ignominia, ut suprà diximus de sacerdote, & singulariter declarat Scotus *in 4. dist. 9.* exemplo Religiosi, vi Regulæ obligati ad Communionem. Declarant autem communiter RR. exemplo Laici, qui altari, ad quod communicaturus est, proximus recordatur peccati mortalis, ante vel post ultimam Confessionem admissi. Licèt enim *per se loquendo* teneretur omittere Synaxin, sicuti in *primo* casu *per se* clarum est, in *secundo* autem ferè omnes DD. teste Diana *Resol. 14.* & Palao *num. 4.* consentiunt; Si tamen nequeat recedere sine ignominia, aut scandalo, per invisibilem Pontificem Jesum Christum consequitur absolutionem, quantùm ad hunc actum, ut peragat Divina, inquit in simili S. Thomas *loc. cit.* Censet autem Diana, facilè posse vitari hæc mala; & ego censeo posse sæpius, quàm fingant multi. Vide infrà *num. 256:* & huc refer ex Scoto *loc. cit.* sacerdotem, qui jam est indutus sacris vestibus, & non habet ad manum idoneum sacerdotem.

APPENDIX APOLOGETICA PRO PATRE JOANNE PRÆPOSITO.

LIcèt in *tertia* (præsens est *sexta*) editione 247
hujus Alphabetici Tractatûs, secutus fuerim fidem

fidem Antonini Dianæ, asserentis, à nostro Joanne Præposito *in 3. Part. quæst. 80. art. 5. dub. 3.* negari necessitatem *per se loquendo* redeundi ad Confessionem, quando post illam, at verò ante Communionem recordatur quis mortalis criminis obliti in præmissa homologesi. Attamen re meliùs expensâ apparet, nullâ Dianam nullâ Caspensem, qui Dianæ imposuit, esse fide hac in re dignos, sicut tu ipsus, optimè lector, judicabis, ubi me jam jam audieris. Emeritus quidam, Doctissimusque Theologus olim Patris Joannis Præpositi in Theologicis auditor, nunc Romæ commorans, ubi legit, me videri fidem habere Dianæ adscribenti Patri Præposito illam singularem opinionem de non necessario reditu ad confessarium in casu præsenti, dedit ad me humanissimas literas, hisce conceptas verbis:

243 *Cùm R. V. jam revideat, disponátque ad novam editionem opera sua, occurrit quiddam, quod suggeram, & expetam à R. V. Ludovicus Caspensis, & Diana* Part. 9. Tract. 3. Resol. 4. (*quorum fidem videtur secuta R. V. in Alphab. Communic.* Cas. XVI. num. 244. (editionis tertiæ) *etsi minùs clarè, & expressè*) *attribuunt P. Præposito nostro opinionem, quæ in Petro Cornejo ab Inquisitione Hispaniæ reprobata est, nempe, eum, qui in Confessione peccatum aliquod ex oblivione omisit, si postea recordetur, non teneri illud confiteri ante Communionem, etiamsi habeat copiam confessarii, & seclusis circumstantiis excusantibus. Quam opinionem mihi, & aliis doctissimis Patribus nostris evidens est, non docuisse P. Præpositum, proindéque expedire, publicè detegi errorem illum varias ob causas. Mitto igitur cum his scriptum olim à me ea de re conceptum, & ipsi P. Diane communicatum, ut eo lecto dispiceret, num in suprà dicto Alphabeto Communic. vel alibi non expediat dedoceri lectorem, indicato fundamento, quod in dicto scripto profero, simulque occasione errandi, seu authoris verba contra ejus mentem accipiendi. Quod dubium non est, facturum fuisse Patrem Dianam, si eum postea aliquid contigisset scribere.*

Hactenus literæ illius emeriti Theologiæ Doctoris, qui suum de illa controversia sensum „expressit his formalibus: Ludovicus Caspen„sis *Tom. 2. suæ Theologiæ Tract. 22 disp. 9. sect. „2. num. 25.* invehitur in P. Joannem Præposi„tum nostrum, quòd *in 3. Part. quæst. 80 art. 5. „dub. 3. num. 15.* tradiderit sententiam omni„no falsam, & ab Inquisitione Hispaniæ repro„batam, & communi praxi, ac consuetudini „fidelium repugnantem. Nempe eum, qui in „Confessione peccatum aliquod ex oblivione „omisit, si postea ejus recordetur, non teneri „illud confiteri ante Communionem, etiamsi „habeat copiam confessarii. Caspensem se„cutus Antoninus Diana *Part. 9. Tract. 3. Re„sol. 4.* ita loquitur: *Unde ex omnibus suprà dictis apparet, cautè legendum Præpositum, qui 3. Part. &c. negativam sententiam tenuit. Vide meritò contra illum invehitur Caspensis.* Et relatis Caspensis verbis ita subdit: *Ita Caspensis contra Præpositum: qui tamen non est sibi constans, & est sibi contrarius; ut patet ubi suprà Dub. 2. num 12.* Ita Diana.

Verùm cùm mihi omnino constet, nun„quam ita sensisse Præpositum, olim in Theo„logicis Magistrum meum, neque credibile „sit, virum doctum tam sui fuisse immemo„rem, ut, cùm non tantùm illo *num. 12.* ex„pressissimis verbis docuerit, talem *per se lo„quendo* teneri peccatum omissum confiteri an„te Communionem, sed etiam post illa ver„ba, quæ perperam in illo intelligunt, id„ipsum *num. 21.* repetierit, visum est hoc„scripto, causam erroris, seu mali intelle„ctûs verborum authoris detegere, tum ob ho„norem ipsius authoris, ne scilicet is falsò„ credatur docuisse sententiam improbabilem„ & communi Doctorum, ac fidelium sensui„ repugnantem, tum, & præcipuè, ne quis„ illam tentet in usum inducere, inductus fal„sâ authoritate ejus Doctoris, seu verbis ejus„ perperam intellectis. Igitur errandi occasio„nem, seu authoris verba contra mentem ejus„ accipiendi, præbuit vitium interpunctionis,„ quod per incuriam in editionem irrepsit. Nam„ verba Præpositi numero illo 15. in editione„ non correcta ita leguntur: *Adverte etiam„ quod dictum est de contritione elicienda, intelligi de eo, qui, postquam peccavit, non est confessus: nam si aliquis sit legitimè confessus, qui in Confessione ex oblivione, vel justa de causa, aliquod peccatum non explicavit, non tenetur elicere contritionem de illo peccato. Quo casu potest communicare, antequam præmittat Confessionem illius peccati, quia per præcedentem Confessionem, & absolutionem illius peccati remissionem est consecutus, quamvis indirectè, éstque in statu gratiæ, unde ex eo capite non tenetur conteri, nec potest assignari aliud caput, ex quo obligetur ad eliciendam contritionem.*

Hæc Præpositus: in cujus verborum con„ 249
textu, puncti nota, verba illa *quo casu potest„ communicare*, ab antecedentibus dividens, Ca„spensi, & aliis occasionem dedit, authorem„ ita intelligendi, quasi obiter asserat, eum, qui„ peccatum aliquod eo modo omiserit, *simpliciter*, aut *per se loquendo* non teneri illud confi„teri ante Communionem, cùm tamen, si resti„tuatur interpunctio debita, & pro nota puncti„ ponatur comma, sive virgula hoc modo: *non„ tenetur elicere contritionem de illo peccato, quo„ casu potest communicare*, (sive quod fuisset cla„rius, & causam erroris sustulisset *eo casu, quo„ potest communicare*) antequam præmittat Con„fessionem: hoc enim posito, nihil docet affi„ne ei, quod ipsi tribuitur, sed potiùs oppositum; quippe clarè supponens, *per se loquendo*„

præ-

„*præmittendam* esse istius peccati confessio„nem, sed in certo casu eâ non præmissâ com„municari posse, ut si quis jam non habens co„piam confessarii, non tamen possit sine nota„ abstinere à Communione: quo casu rectè do„cet author noster *loc. cit.* talem non teneri eli„cere contritionem de prædicto peccato.

251 „Porrò eam esse necessariam, ac legitimam „interpunctionem, eámque adeò in editione„ substituendam, facilè perspiciet solers Lector „non tantùm ex eo, quòd id appareat necessa„rium, ut liberetur author ab aperta incon„stantia, aut contrarietate doctrinæ, quæ nul„lo modo præsumenda est in uno, eodémque„ articulo, seu (ut hìc contingeret) paucis tan„tùm numeris interjectis, verùm etiam quòd „ita exigat ratio contextûs, & discursûs cohæ„rentia, siquidem retentâ priore illâ interpun„ctione, statim intrusum apparet, & extra lo„cum suum illud. *Quo casu potest communicare* „&c. neque satis cohærens cum eo, quod infert „author ex probatione adjuncta, nempe ex nul„lo capite talem teneri contritionem elicere„; „cùm inferre deberet, ex nullo capite teneri ad „confessionem, siquidem legitima esset ea in„terpunctio. At verò positâ interpunctione, „quam suggerimus, per omnia sibi consentit„ author, & cohæret contextûs ratio, ut patet„ consideranti. Per hanc occasionem addo, si„militer pro eadem opinione falsò citari à non„nullis P. Reginaldum, cùm eo ipso loco, quo „citatur, expressè doceat, *per se loquendo* esse „obligationem peccata oblita confitendi ante „Communionem (ut observat etiam Diana in„ fine Resol.) quidquid sit de casu postea relato „ex Henriquez.

252 Hucusque verba præfati Doctoris, Patris, inquam, Francisci Le Roy, librorum Revisoris Romæ, cujus divinationem circa errorem typothetæ esse aut in nullum dubium revocandam, aut sanè vero simillimam, ac proinde minimè dignam acerbâ censurâ, qua notavit P. Præpositum Caspensis, nemo æquus arbiter inficias ibit, præsertim, si perpendat recepta„ principia Juris admissa ab ipsis Theologis, quòd nimirum verba dubia, obscurâve Doctoris catholici sint, & in meliorem interpretanda partem, *Cap. 2. De Reg. Jur. in 5.* & concordanda inter se quoad fieri potest, cùm etiam testes diversa deponentes redigendi sint ad concordiam, si queat. Gloss. *in Cap. Cùm tu. 16. extra De testib. verb. Benignè.* recepta communi calculo. Insuper in dubio debet vitium adscribi potiùs solitis, quàm non solitis errare. Everhardus *loco 59.* solent autem typothetæ in unico unius libri folio plus vicies, plus tricies errare. Denique intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi *C. Intelligentia. De verbor. signif.* ex S. Hilario; atque ex una parte certum est, P. Præpositum ante, & post verba, quæ Caspensis tam inhumaniter interpretatur, ita perspicuè (& quidem jure) asseruisse necessita„tem *per se* redeundi ad confessionem, ut Diana maluerit impingere eidem Doctori notam inconstantiæ, quàm negare, fuisse ab eo traditam communem doctrinam; ex altera parte causa, ob quam idem scriptor loquitur de confessione non necessariò præmittenda Communioni, non est ullo modo, ut doceat *directè*, vel *indirectè*, utrùm ea sit præmittenda, nec ne, sicut est manifestissimum ex antecedentibus, & consequentibus, superiùs descriptis, in quibus non intendit quidquam etiam *indirectè* probare de licita, aut illicita omissione confessionis, sed solius contritionis. Ergo immeritò scribitur„, asseruisse ibi quidquam de necessitate, aut permissione omittendi confessionem, ergo revera plus non dixit, quàm in eo casu, in quo juxta communia Theologorum placita potest ante„ Communionem omitti Confessio peccati obliti, posse etiam omitti contritionem, ergo ut„ nostro proposito applicemus principium de„ concordandis dictis, seu assertis, oportebat„ illa obscura verba Præpositi concordare cum apertissimè astruentibus necessitatem confitendi mortale oblivioseprius omissum, & memoriæ occurrens ante perceptionem augustissimi Sacramenti.

Hæc in defensionem veritatis, atque inno- 253
centiæ. Ut verò revertamur eò, unde aliquantum digredi nos coëgit immerita censura Innocentis, est circa tres suprà indicatos Casus generales, & particulares eis inclusos.

Notandum. I. Esse in iis plerisque loco confessionis eliciendam contritionem, alioquin judicium quis manducabit sibi, & bibet. *Quid si autem nequeam ob brevitatem tempo-* 254
ris, aut mentis perturbationem, perurgente neces„sitate communicandi? Resp. Excusaberis à Diana *Part. 4. Tract. 4. ref. 98.* post Vasquez, Hurtad. & Lugon. Sed vide, quid ex D. Reding referam infrà *num. 364.* & quod ex eodem retuli suprà *Tract. 1. num. 53.* Quamquam, si Sacrum facere velis, sufficiet, modò ante consecrationem, imò si ante Communionem: Si videlicet tibi in mentem veniat primùm post consecrationem; nec enim teneberis sub gravi peccato elicere contritionem, nisi post: *Domine non sum dignus*; & tunc utique suppetet tibi nova ratio profitendi te indignum. Vide Lugon. *Disp. 14. num 134.* & Dicastillo *Disp. 9. dub. 1. num. 27.* Qui etiam *ibid. num. 6.* rectè observat, quando sacrificanti occurrit ejusmodi peccatum post: *Domine non sum dignus*, non esse facilè timendum scandalum, aut perturbationem aliorum, etiamsi impendatur tempus necessarium eliciendæ contritioni, quandoquidem sint tam multi sacerdotes, qui eo articulo trahant in suscitandis piis affectibus tantam moram, quanta necessaria est ad dolorem requisitum, quorum morem defendi adversùs eundem Dicastillo *in Alphab. Sacrific. Cas. ultimo. At si putem, me esse contritum, cùm sim dubitanter attritus, an recipiam gratiam Sa-*

cramen-

cramentalem? Tam multi apud Dicastillo *Disp. 8 num. 99.* contra alios respondent *affirmativè*, ut ob illorum authoritatem & sit probabilis affirmatio, & parochi tantò studiosiùs debeant Eucharistiam ministrare ægris, non valentibus confiteri.

255 *Quidsi verò peccatum illud admisi ante postremam Confessionem?* Non teneris de illo novum dolorem elicere, si ante Confessionem elicuisti ex motivo se ad illud peccatum extendente: sic enim est tibi per absolutionem *indirectè* remissum. Præpositus suprà *num. 251* Dicastillo *Disp. 9 num. 6.* Diana *Part. 9 Tract. 3. Resp. 12.* D. Reding *cit Quæst. 6. art. 3 Controv. 3.* ac multi alii, contra Medinam, Graffiis, alios apud Dianam; secùs si elicuisses dolorem nec *virtualiter*, nec *formaliter* sese extendentem ad illud peccatum oblitum, ut notat *loc. cit.* D. Reding cum communi. Sed rarò ita restringitur dolor, quia pœnitentes communiter dicunt: *Domine Deus, doleo de omnibus peccatis, quibus te offendi*, vel: *Doleo, quòd te Deum summum bonum offenderim*; quo utroque Casu adest dolor exporrigens se ad omnia peccata, saltem lethalia.

256 Notandum II. In his casibus non sufficere probabilem metum cujuscunque ignominiæ, scandali, aut alterius incommodi, sed desiderari grave, ut (conformiter S. Thomæ *cit art. 6.* requirenti grave scandalum, Suarezio *Tom. 3 in 3. part. disp. 66. sect. 4.* exigenti gravem infamiam) *reflexè* docet Præpos. apud Dianam *Resp. 15.* quamvis Scot. *cit. dist 9.* & alii multi non addant adjectiva *grave, notabile.* Imò Garcias, Machadus, Gran. alii apud Dianam *Resol. 20. absolutè* dicunt, sufficere metum admirationis in populo, eò quòd hæc non soleat esse sine suspicione peccati. Verùm id expressè negat Suar. *loc. cit.* testatúrque Diana à DD. communiter negari, & meritò quidem *in rigore loquendo.* Quando tamen timetur, ne ex illa admiratione leves homines accipiant occasionem temerè judicandi, & detrahendi, est sufficiens causa, inquit Suarez, meritò addens, *moraliter loquendo* hoc solere sæpe fieri.

257 Placet pro liquidiore explicatione hujus non infrequentis excusationis, adscribere verba, quæ ex P. Præposito refert Diana *cit. Resol. 15.* „Non est, inquit, præmittenda Confessio „ante Communionem, si sacerdos in Religione non possit sine nota certis diebus omittere „Sacri celebrationem, quia ingereretur suspicio gravioris alicujus peccati. Idem dicendum de Communione respectu non sacerdotum, ut si è Religione non sacerdotes debeant „ex præcepto, vel ex consuetudine certis diebus communicare, nec possit omitti Communio sine gravi nota; in quo casu, qui frequenter accidit, ut quis ejusmodi periculum præ„texat, diligenter advertendum, num verè pericula gravioris notæ subsit, & non tantùm „fingatur, neque enim statim licet communicare sine prævia Confessione, eò quòd aliquis „habebitur minùs devotus, si non communicet, aut quòd in genere confratres fortè mirabuntur. Opus est etiam, ut nota, & infamia „quæ timetur, non possit alia probabili ratione „averti.

Hactenus P. Præpositus, & Diana providè. Hisce omnibus adde ex D. Reding *cit artic. 3. Controvers. 2. num. 14.* post Cardinal. de Lugo, si Communio sit præcepta ex voto, aut præcepto tantùm *humano*, non licere absque Confessione accedere Communionem, quam doctrinam extendit apud eundem Pater Suarez, adversùs communem Henriquez, & aliorum nominatorum ab eodem Dom. Abbate.

Placet quoque apponere solutionem quæstionis, scripto mihi propositæ à multùm æstimato

Decano Rurali.

Quæritur si pœnitens quispiam pro Paschate sacramentaliter confessus, indispositus sit ad absolutionem, nec à Confessario disponi possit, ideòque hic neges illi absolutionem; pœnitens autem eâ negatâ quærat, an in tali statu liceat sibi nihilominus Sacram accedere mensam, ad avertendam falsam, quam de ipso alii formabunt, suspicionem hæresis, adeòque ad impediendam alia gravissima mala, ut sunt opprobrium Familiæ Nobilis, ingentes discordiæ inter conjuges orituræ, &c. Quæritur, inquam, an Confessarius suadere, jubere, aut saltem consentire, & annuere possit? Ratio dubitandi est, quòd liceat suadere minus malum ad evitandum majus: sicut ipse scribo in Alphabeto audientium Sacrum Casu 22.

Respondi, me quidem eo loco *num. 546.* a scribere, non esse damnandum illum, qui parato magnum malum inferre innocenti, suadet, ut inferat minùs inclusum in illo majore; sed in primis sacrilega Communio non includitur ulli eorum malorum, quæ hìc enumerantur, insinuantúrve. Deinde quamvis non ignobiles Doctores approbent suasionem minoris mali ad evitandum majus, etsi non includens illud minus, attamen est primò apud omnes in confesso, peccaturum esse mortalissimè illum, de quo est hìc termo, si accedat Sacram Synaxin, esto periturus esset totus mundus, si omitteretur Communio. Est quippe constans doctrina Theologorum, desumpta ex Pauli Epistola ad Romanos *Cap. 3.* Non esse faciendum ullum, etiam veniale peccatum, ut veniat, seu eveniat ullum, etiam summum bonum, vel impediatur qualecunque malum; Communio autem talis hominis, etsi suscepta indicato fine, nihilominus manebit formaliter mala, pessima, quandoquidem est in potestate illius hominis efficere, ut sit licita & sancta; potest enim & debet præmittere integram Confessionem, adeóque habet in illa locum illa Juris Regula 135. *Qui potest facere, ut possit conditionatè parere, jam posse videtur.* Est secundò clarum, quòd possit ille, de quo est quæstio, impedire illa mala, etsi omittat Communionem, siquidem potest fateri, se ob negatam absolutionem non ausum fuisse temerare corpus Christi.

c Et verò est necessariò arripiendum hoc medium potiùs quàm Sacrilega Communio, nec enim ulla ratio permittit, ut tuum bonum nomen cum formali injuria tertii, qualis est indigna Communio, conservare studeas. Confessarium quòd attinet, si cognoscat, suam à suscipienda Eucharistia dehortationem nihil profuturam, potest ab hac abstinere, quia ne divinæ quidem leges obligant ad actionem inutilem. Si interrogetur à pœnitente, utrum horum duorum malorum sit gravius, id est communicare sceleratè ad impediendam illa mala, an abstinere ab imitatione sacrilegi Judæ? vel abstinebit ab omni responso, nec enim judico obligari respondere ad interrogata tam obstinati capitis; vel dico, practicè loquendo videri minùs peccaturum abstinendo à Synaxi, quàm hunc participando; partim quia certissimum est, peccaturum lethaliter, si communicet, non autem æque certum eventura illa mala; sapientes autem judicant electionem minoris mali, sed certissimi prudenter postponi nudæ permissioni majoris mali, sed non æque certi, nisi sit incomparabiliter majus, qualia non sunt ea, quæ divinantur in hoc Casu eventura, si abstineatur à Communione.

d Et quia est hìc facta mentio de illa Theologica controversia: *Virum parato facere grande malum licitè quis sit author patrandi minus?* suadeo, ut avidus cognoscendi quinam Theologi & Canonistæ hanc Controversiam optimè dirimant, legat J. C. Augustinum Barbosam in Axiomatis, *Axiom. CXL.* reperiet accuratiorem de hoc argumento dissertationem, quàm ego legerim in ullo Theologo.

JEJUNO COMMUNICANDUM?

CASUS XVII.

Magnæ Simplicitatis.

SUMMARIUM.

Casus simplicis sacerdotis sumentis ante Sacrum nucem muscatam, ut faceret Christo bonum odorem. 258.

An excusandus? Ibid.
Quid sit jejunium. Naturæ? 259.
Generalis Regula, quando Ecclesia vetet Communionem non jejuno. 260.
Quid hic intelligatur nomine cibi? 262.
Declaratur descensu ad particularia. 263.
Nominatim glutiendo lignum, ungues. 263. & seqq.
Aut aquam fluminis, in quod lapsus fuisti 264.
Aut si per fistulam est violenter in tuum stomachum immissus liquor. Ibid.
Aut si edisti sacram hostiam. Ibid.
Aut trivisti dentibus folium tabaci. 265.
Et quando abluendo os aliquid deglutisti 266.
Aut gargarizando 267.
Aut reliquias dici præcedentis demittendo in stomachum. 268.
Adfertur casus de glutiente pus manans è pustula in ore rupta. Ibid.
An distinguendum hic inter parum *&* multum? *269. & 271.*
Quid sit trajici per modum salivæ? 270.
Casus Doctoris, respondentis posse panem benedictum sumi ante Communionem. 272.
Quid in præsenti materia intelligatur per mediam noctem? 274.
Singulariter ubi sunt diversa horologia? Ibid.
Aut unum erratìvum? 275.
An ejiciendum ex ore id, quod nondum trajectum est sonante duodecimâ? 276.
An cessandum ab epotatione poculi jam cœpè vacuari? 277.
Rejicitur Pasqualigus, & Verricelli permittentes cibum post duodecimam. 278.
Ac Tabiena loquens de saccaro paulatim ante, & post duodecimam liquefacto. 279.
Proprie dubitans, an aliquid deglutierit post duodecimam, licitè *communicat. 280. & 284.*
Non est contra decentiam, ire ad prandium statim post missam celebratam. 282.
Proponitur opinio, & longus discursus Caramuelis de horologiis in ordine ad mediam noctem præcedentem Communionem. à num. 284. usque ad num. 291.
Approbatur ille discursus. 292.
Proponuntur conclusiones practicæ, *quas Caramuel deduxit ex suo discursu de horologiorum fide, & fallacia. 293. & seqq.*
Approbantur illarum aliquæ, aliæ non item. 293. & seqq.
Non videtur esse verum, quòd de singulis horologiis possim dicere: est probabile, quòd istud horologium incedat uno quadrante tardiùs, quàm deberet, & simul est probabile, quòd uno quadrante citiùs. 300.
Habens probabilem rationem judicandi, horologium, quod audivit unicum, celeriùs debito ambulare, licitè *communicabit, etsi paulò post illud comederit quidpiam. 302.*
Discutitur practicè illa Regula: In dubio melior est conditio possidentis. *305.*

258 *Rolandus bonus sacerdos, multo tempore, ut ex fide dignis accepi, pro reverentia Sacramenti præaccepit nucem muscatam, ut bonum odorem stomachi præpararet Eucharistiæ. Sciebat ille, quòd oporteret jejunum communicare, sed non sciebat se non esse jejunum post sumptam nucem muscatam pro reverentia Sacramenti, nesciens distinguere inter jejunium* Ecclesiæ *&* Naturæ. *Excusatur ille à mortali quia plus non sciebat in sua simplicitate gradiens.*

Ita loquitur Card. Cajet. *in Summa V. Eucharistia*, judicans, & meritò, illum Rolandum *per se loquendo* peccâsse mortaliter, quia ejus bona intentio non poterat prævalere præcepto, ac traditioni Apostolicæ, de qua mox ex S. Aug. inducta idcirco in reverentiam hujus Sacramenti, quia ut rectè Scot. *in 4. dist 8. q. 3.* minor est reverentia regulariter in pransо, quàm in jejuno.

259 Verùm ut meliùs pateſcat veritas hujus utriusque responsionis, & satisfiat multis quà sinceris, quà scrupulosis conscientiis, notandum est, *Jejunium Naturæ*, de quo loquitur Cajet. post S. Thom. esse carentiam cibi susceptі in stomachum, vel in via ad stomachum,

260 ut ait Scotus *cit. quæst. 3* seu esse tunc, quando quis à media nocte nihil sumpsit per modum cibi, aut potûs. S. Thomas *quæst. 80. art. 8. ad 4.* Sumere autem aliquid per modum cibi, & potûs, est aliquid ore *ab extrinseco* sumptum *per se* actione vitali in stomachum demittere, edendo, vel bibendo. P. Tann. *Disp. 5. quæst. 8. numero 78.* testans, hanc explicationem esse juxta receptam praxin, & sensum DD. Certè S. Thomas *in 4 distinct. 8 quæst. 1. art. 4.* referente Suarez *Disput. 68. sect. 4.* generaliter pronuntiat, per illud, quod non provenit *ab extrinseco*, non frangi *Jejunium Naturale.*

261 Suppositis illis duabus descriptionibus, non tamen omnino reciprocis, statuo cum Dicastillo *Disp. 9. De Euchar. num. 278.* hanc generalem Regulam: Tunc solùm Ecclesia vetat Communionem ob defectum jejunii, quando præcessit id, quod in *morali* æstimatione censetur comestio, aut potatio; tunc autem censetur esse talis, quando & quantitas, & qualitas materiæ, quæ trajicitur, & modus trajiciendi illa sufficit in *morali* æstimatione, ut censeatur edisse, vel bibisse, ita ut, si harum trium circumstantiarum vel unica desit, non impediatur Communio. Itaque sumptio Eucharistiæ non impeditur in his eventis.

262 1. Si quid deglutisti, quod nec cibus, nec potus sit; nam talia *morali* æstimatione non censentur edi, vel bibi. Confirmatur ex communi sensu Ecclesiæ, quem proponens S. Augustinus apud Gratian. *cap. Liquidò. De consecr. dist. 2.* sic loquitur: *Vacuis Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti priùs in os Christiani Corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi.* Nota voculam *cibi*, qua designatur illud solum, & omne, quod à stomacho alterari, inque substantiam hominis converti potest. Cardin. de Lugo *Disp. 15. sect. 2.* Joannes Sanchez *loc. cit. num. 23.* Diana *Part. 5. Tr. 13. Resol. 1.* Dicastillo *loc. cit. n 282.* contra Nugnum, Palaum, alios. Unde non frangis jeju- 263
nium *naturæ*, licèt glutias ungues abrasos, capillos, lignum durius, aurum, argentum, plumbum, vitrum, ossicula aliquorum fructuum. Ita quatuor citati DD. & addit rebus enumeratis terram à prægnantibus mandi solitam Dicastillo. Sed D. Reding. *Tom. 6. quæst. 6. art. 4. Controvers. 2. num. 15.* multùm dubitat de argilla, sicut & de papyro, quandoquidem plura animalia vescuntur papyro & linum, ex qua sit charta, est tenuis quædam herba, interim autem consentit ipse, quoad alia Cardinali de Lugo.

2. Quando fumum tabaci per os immisisti, 264
Diana *loc. cit.* cum aliis, quia vel ille non descendit in stomachum, vel si descendit, tunc fit per actionem respirationis. *Quid si igitur in stomachum meum involet musca?* Ne quidem si musca factus clephas, quia non descendunt per actionem tuam vitalem, secùs si ultro deglutires. D. Reding. *At mihi oscitanti, nec advertenti injicit quis in os uvam.* Ergo si deglutis, haud manes jejunus. Rhodes *De Euchar. Disp. 1. quæst 4. sect. 1. §. 5.* cui utique assentiretur Diana, quatenus *Part. 10. Tract. 16. Res. 49.* post Cardinalem de Lugo, & Pasqualigum dissentit à Bossio, negante frangi jejunium *naturale*, si aut quis lapsus in flumen violenter deglutiat, & trajiciat in stomachum aquam, sive in parva, sive in magna quantitate, aut deglutiat casu, & violenter globulum saccari, aliúmve cibum, vel potum sibi dormienti, aut non advertenti in os apertum, & guttur, ab alio immissum; aut per vim mediâ fistulâ violenter in os immissâ, & penetrante guttur, aqua, aut alius liquor transmitteretur *ab extrinseco* in illius stomachum præter ejus intentionem, seu quocunque alio modo per vim in stomachum sacerdotis, aut laici. Quod ultimum exemplum Bossii, si excludat omnem planè vitalem actionem talis sacerdotis, aut laici, non videtur repugnare suprà dictis. Utrùm verò frangatur jejunium per sumptionem hostiæ consecratæ, videri potest Diana *Part. 11. Tract. 6. Resol. 15.* referens pro *affirmativa* P. Fagundez *De præcept. Eccl. præcept. 3. Lib 3. cap. 7.* contra Thomam Hurtadum, & habens opinionem *affirmativam* pro probabili. Sed & Sanctgallenses *Tom. 9.* sui perquam sciti *Cursus Theologici fol. 480.* sic scribunt: Diana probabiliter defendit, non frangi hoc jejunium, si quis naribus aquam attrahat, & casu deglutiat, quia non sumitur per modum potûs. Ita illi.

3. Quan-

265 3. Quando dentibus teris folium tabaci, ut ex instituto resolvit, & respondit Card. de Lugo *Lib. 1. Resp. Moral. dub. 9.* Nam & istud quotidie Neapoli factitatur à sacerdotibus sæcularibus, Regularibúsque; & nullus illius folii succus descendit in stomachum, sed agit per vim attractivam, & consensum linguæ cum palato.

4. Quando tempore pestis aliquid aromaticum ore circumfers nihil deglutiendo ex intentione, nisi fortè minimum quid per modum succi inseparabiliter salivæ sit admixtum. Tann. *num. 79.*

266 Sicut nec 5. Quando aliquid præguſtâsti, vel os abluisti, totum tamen rejecisti, præterquam parùm aquæ, vini, alterius liquoris, quod salivæ immixtum deglutisti casu. S. Thomas *loc. cit. in Corp.* Palaus *punct. 13. n. 8.* Secùs si vel in magna quantitate. S. Thomas *loc. cit.* vel in parva quidem, sed non casu, verùm deditâ operâ Palaus *loc. cit.* Si videlicet illa parva quantitas possit à saliva distingui. *Quid si autem gargarizem? Et, ut sit, aquam*
267 *detineam in ore diutius?* Jordanus *Tom. 1. Lib. 4. Tit. 1. num. 4.* sic respondet: Vix potibile est, tunc partem aliquam à faucibus non attrahi. Qua de causa nunquam autùs sum aquam sumere intra os, sed quandoque tamen clausis dentibus, madefacto indice, seu manutergio externas oris partes mundar confricando, idque perraro: nulla namque cautela superflua censenda in talibus. Verùm cavendum est etiam à scrupulis vanis. Hactenus religiosissimus hic, eruditissimúque Episcopus Dalmatiæ, & Wallachorum.

268 Nec 6. Quando reliquias pridianæ cœnæ implicitas dentibus deglutis, vel casu, S. Thomas, & D. Reding *loc. cit. n. 11.* ubi valde distinctè hac de re, vel deditâ operâ. Palaus *loc. cit.* post Suarez *Disp. 68. sect. 4.* non dissentiente Tannero; nam etiam tunc censentur deglutiri per modum salivæ, & non veniunt *ab extrinseco*, & censentur pertinere ad comestionem præcedentis diei. Suar. *ibid.* contra Nugnum *loc. cit. Quid si autem reliquiæ sint notabiles, & magnæ?* Respondet Nugnus, iis impediri Communionem, licèt casu trajiciantur. At duæ posteriores rationes Suarii, quarum prima fundatur apertè in authoritate S. Thomæ *loc. cit. dist. 8.* probant, non impediri, ideóque D. Reding loquitur generaliter. Rationibus hactenus indicatis, accedit illa generalis, quòd in hisce Casibus videatur deesse una ex tribus suprà expressis conditionibus, in quibus subintelligitur illa de sumptione *ab extrinseco.* Unde petes solutionem hujus

Casûs novissimi.

Roberto sacerdoti solvitur pustula, quam habebat in ore, deglutitque humorem priùs inclusum illi pustulæ, móxque ad me accurrit, sciscitans, an sibi esset fas, facere Sacrum, ad quod consueto signo vocabatur? Respondi, esse fas, tum quia nihil ab extrinseco *acceperat tum quia ille humor videtur deglutitus per modum salivæ.* Sic resolvi die 23. Januarii Anno 1667. an rectè judicet lector.

Jam ad eam quæstionem, utrùm hac in re 269
distinguendum sit inter parum, & multum, magnum, & parvum? Dico imprimis; si sit tam parvum, ut per modum salivæ trajiciatur, non frangitur jejunium *naturale* Ita citati. *Quid est autem trajici per modum salivæ?* Re- 270
spond. Dicitur id per modum salivæ trajici, quod, cùm sit minimum quid, & à saliva inseparabile, esto non in illam conversum, *inadvertenter*, seu præter *directam* intentionem trajicitur, ut loquuntur partim Suarez & Vasq. *ll. cc.* cum Dicast. *num 279* partim apud Dianam *Part. 5. Tract. 5. Resol. 12.* Granadus, faventibus Rubricis Missalis *Tit De defectibus*: ibi: *Si lavando os deglutiatur stilla præter intentionem, non impedit Communionem.*

Dico deinde, si quid etiam minimum *ab ex-* 271
trinseco sumptum, atque à saliva distinguibile per modum cibi, aut potûs deglutias deditâ operâ, desinis esse jejunus. S. Thomas *loc. cit.* cum communi contra Tabienam apud Vasq. Nam & hoc traditur *cit. cap. Nihil*, & vox *Jejunus*, quæ utuntur Concilia, significat puram privationem potûs, & cibi quà talium, ut patet etiam ex verbis S. Augustini relatis superiùs. Estque hæc doctrina vera, quacunque intentione sumatur illud minimum, sicuti declarat responsio ad sequentem

Casum ingenii heterocliti.

Ego vidi presbyterum, Doctorem Juris 272
Canonici, consulentem fœminis sui oppidi, posse communicare, si accepissent frustulum panis benedicti, solitum porrigi ad ingressum Ecclesiæ; ajebat enim ipse ex illa particula panis non frangi jejunium necessarium ad Communionem, cùm sumeretur ex devotione etiam per modum cibi Hoc ipsum fecisse mihi retulit. Quem cùm monerem, ne id ulteriùs permitteret, nescio, an morem gesserit.

Difficulter crederem, extitisse aliquando 273
sacerdotem, & quidem Doctorem Juris Canonici, qui censeret, sumptione illorum frustulorum, non agi contra liquidum jus capituli *Liquido. De consecr. dist 2.* nisi haberem testem omni exceptione majorem, scilicet Joan. Sanchez, qui *in Disp. select. Disp. 42. num. 22.* verbis huc translatis, retulit hoc judicium illius Doctoris; cui quidem certum est repugna-

re perſuaſionem, ſimul & uſum doctorum, indoctorúmque communem; ac proinde frangi jejunium requiſitum ad Sacram Synaxin, ſi quid etiam ex urbanitate, charitate erga ſe, vel alterum, aut devotione edatur, bibatúrve poſt mediam noctem.

274 Sed inquies: *Quid per mediam noctem, qua inchoatur jejunium, intelligunt Theologi?* Intelligunt primum ictum horologii, deſignantis duodecimam mediæ noctis. Lugo *n. 37.* Diana, uterque Sanchez, alii; nam ab ultimo, aut medio ictu uſque ad horam primam, non eſt integra hora, ſed à primo ictu. *At in hac urbe Conſtantia ſonant clarè ſeptem horologia, ſæpe inter ſe non convenientia, cui parere debebo?* Cui malueris, modò non illi, quod nôſti communiter nimis tardè gradi; nam duo horologia inter ſe diſſonantia, communiter tamen rectè ambulantia, ſunt quaſi duo Doctores ferrei, aut horologiarii; ſeu inſtar duarum opinionum probabilium. Thom. Sanch. *Lib. 2. De matrim. Diſp. 41. n. 4.* Dicaſt. *n 288.* D. Reding. *n.*

275 *24.* cum multis contra alios. *Quid ſi autem ſit unicum horologium, idque communiter nimis feſtinans?* Ejus rationem non habebis, ſed mediæ noctis *naturalis*, quia opinioni veritas eſt præferenda. *c. Nuper. De bigam.* Ergo & huic erraticæ machinæ. *An igitur teneor ipſâ duodecimâ ſonante ex ore rejicere, quod ingeſſi nondum dato primo ictu?* Id quidem cenſent Coninck, & Joan. Sanch. Sed multis fortè videbitur Eccleſia neminem compellere ad hanc inurbanitatem in tali, támque raro caſu; cùm præſertim, licèt illum bolum trajicias, non idcirco dici

276 queas ſumpſiſſe tunc aliquid *ab extrinſeco*. Et ſi Palaus, ac Suar. ſuprà relati trajicientem deditâ operâ reliquias præcedentis cœnæ hærentes inter dentes ideo excuſant, quòd videatur illarum deglutitio non eſſe *moraliter* diſtincta à cœna pridiana, cur non excuſetur hic? Quid ni dicatur poſterior illa trajectio in ventriculum pertinere ad cœnam pridianam?

277 *Ergo & excuſabis illum, qui audito eo primo ictu exhaurit totum craterem, quem jam priùs ori admoverat, mediúmque vacuaverat?* Non excuſabo, quia hic propriè dicitur ſumpſiſſe *ab extrinſeco* potum poſt mediam noctem. Lugo, alii, intérque hos Breſſerus *De conſcient. Lib. 4. cap. 11. num. 106.* ſubdens tamen hæc verba: Quod tamen intelligendum eſt de primo ſono poſt præludium, ubi hoc fuerit, quod necdum inchoat, ſed tantùm præludit horæ ſequenti. Probabile tamen videtur, horam duodecimam durare *moraliter* uſque ad ultimum ſonum, adeóque interim bibentem, vel etiam comedentem non violare jejunium vel *naturale*, vel *Eccleſiaſticum* ſequentis diei; tamdiu enim videtur durare, quamdiu auditur. Ita ille; & rectè quidem me judice; nollem tamen recedere à ſenſu communi, licèt recedat

278 Leander apud Dianam *Part. 10. Tract. 13. Reſ. 45. verſ. Et tandem.* firmiter, & indiſtinctè docens, ubi eſt unicum horologium, ſi duodecima hora noctis ſonare incipiat, non teneri aliquem ſtatim in prima pulſatione deſiſtere à cibo, vel potu, ſi craſtino Euchariſtiam ſumpturus eſt. Multò minùs audiendi ſunt Vericelli, & Paſqualigus, quorum ille apud Dianam *loc. cit.* aſſerit, nil obeſſe Communioni, etiamſi dimidio quadrante poſt duodecimam deſignatam ab omnibus horologiis, ubi ſunt plura, vel ab uno, ubi eſt unicum bene regulatum, cibos ederis; hic verò apud eundem Dianam eâdem *Part. 10 Tract. 16. Reſol. 48.* itidem nil officere, tametſi brevi tempore poſt mathematicum punctum duodecimæ quidpiam cibi ſumſeris. Sanè interpretatio tam antiqui, támque religioſi præcepti deſumenda eſt non ex ſpeculationibus novis, ſed ex communi ſapientum, piorúmque ſenſu, & uſu; ideóque idem Verricellus *De Apoſtol. Miſſion. Tit. 18. quæſt. 310. num. 4.* diſertè recantat illam ſuam opinionem, concludens, non poſſe poſt pulſus omnes horologii unici, & comuniter bene regulati, vel poſtremi inter plura, ne quidem per minimum temporis ſpatium quidquam comedi, probans id inductione plurium actionum finiendarum certo momento, licitarum in certa quantitate, ut e. g. contractûs venditionis factæ ultra dimidiam juſti pretii partem, cujus reſciſſio permittitur *Leg. 2. Cod. De reſcind. vendit.* & quidem ſi vel unico nummo ſit ultra dimidiam, ad rationem decem Juliorum in ſingulos modios, vendidiſti autem quinque Juliis, minus unico bajoco, ſeu crucigero, eris læſus ultra dimidiam juſti pretii; etiamſi fortè unicus homo eo die vendidiſſet decem Juliis, & quòd ſi plures vendidiſſent, fortè vendidiſſent novem Juliis &c.

279 *Quid autem de illo, qui ſaccarum in os immiſit ante duodecimam, & paulatim liquefactum trajicit poſt duodecimam? An illum arcebis ab Ara ſacra?* Non arceret Tabiena, nec Bartholomæus à Sancto Fauſto, ſicut nec Franciſcus Amicus, aliíque viri docti teſte eodem Amico apud Dianam *Part. 7. Tract. 12. Reſol. 8. & Part. 2. Tractat. 14. Reſol. 51.* Sed re ipſâ cenſeo repellendum cum Vaſquez, Coninck, Suarez, aliis; nam iſte caſus eſt frequens, cederétque in magnam fraudem jejunii *naturæ*, & ſaccarum eâ intentione immittitur, ut paulatim liquefiat.

280 *Quid verò ſi propriè dubitet, an poſt duodecimam deglutierit aliquid de illo ſaccaro?* Poterit ſine ſcrupulo etiam Sacris operari. *Ergo, & is, qui exigilans hauſit frigidam, ignorans planè qua horâ?* Ita omninò; ſi nempe de duodecima dubitet ob rationes occurrentes utrinque, quidquid repugnare videatur P. Tamburinus mox citandus. *Longè igitur magis ille, qui manè aliquid liquidi, aut ſolidi ſumpſit in os, ſed verè dubitat, an quidpiam deſcenderit in ſtomachum?* Reſp. Æquè, ſi non magis. Horum ratio

ratio eſt, quia contra P. Thom. Sanchez *loc. cit.* aliósque ſentio, in dubio, (ſive ſit de ipſa comeſtione, ut etiam fatetur Lugo *loc. cit.* atque Sanctgallenſes *loc. cit.* ſive de hora comeſtionis, ut latè tradit Dicaſtillo *n. 290. & ſeqq.* poſt Joann. Sanch. *Diſp. 42.* Diana *P. 10. Tr. 12. Reſ. 17.* atque eruditè P. Franciſc. Bardi *De conſcientia, diſcept. 6. cap. 11. punct. 3.* itémque Rhodes *loc. cit. §. 5.* atque Medina apertè apud Oviedum *in primam ſecundæ Tract. 5. Controv. 4. num. 45.* Tamburinus *in Decalog. Lib. 1. cap. 3. §. 7. verbo Euchariſtiæ ſuſceptio.* Antonius de Velaſco *De Euchariſt. Reſol 303.* atque alii, utrùm ſcilicet quid biberis, aut ederis poſt duodecimam,) habere te jus communicandi.

281 Quidquid enim dicant contrarii authores, in utroque dubio favet tibi privilegium poſſeſſionis, quia poſſides jus communicandi, donec probetur ſuperveniſſe impedimentum, quod te privârit hoc jure; etenim facta non præſumuntur, ſed probari debent *Leg. 1. Cod. De probat.* Itaque non teneris probare, te eſſe jejunum, ſeu nihil ediſſe, aut bibiſſe, ſed is, qui te à Synaxi repellere vult, probare tenetur, te non eſſe jejunum. Tibi igitur ſufficit, ſi tibi non conſtet, te non eſſe jejunum. Sicuti in dubio, an ſis irregularis, potes Ordines ſacros ſuſcipere. Hæc vera doctrina perſæpe proderit Confeſſariis.

282 His adde, nihil indecens admitti à Religioſis, qui quandoque ſtatim poſt ſuum Sacrum cunt ad communem menſam. Dicaſtillo *num. 413.* poſt Sotum. *At quid de illo, qui nihil ſomni interponit inter cibum profanum, & ſacrum?* Poterit teſte S. Thoma *quæſt. 80. art. 8. ad 5.* ſine ſcrupulo accedere divinum epulum, quia nulla lex jubet dormitionem, aut dormitationem interponi.

283 Hæc ſcripſeram in tertia editione, cùm nactus Theologiam Fundamentalem Joannis Caramuelis, vidi, ab eo ſubtiliter, ut ſolet, examinari reſolutiones illas, aliáſque plures deſequendis horologiis, ac demum ſtatui *à num. 205. ad num. 255. & à n. 280. ad 297.* haſce propoſitiones, concluſionéſque.

284 *Prima.* Nullum rotatum horologium eſt infallibile, hoc eſt mathematica temporis momenta diſtinguens. Id demonſtrat ipſamet experientia. Eſt enim ita difficile horam exactè aſſequi, præcipuè noctu, ut Tycho Brache fatis ceſſerit, priuſquam modum inveniret, quo horas nocturnas metiretur exactè. *num. 207.*

285 *Secunda.* Horologia, quæ negligenter diriguntur, aut imperfecta ſunt, non habent vim opinionis probabilis. Patet; non enim fide digni ſunt teſtes, quos ſæpius mentiri videmus. *Ibid.*

286 *Tertia.* Horologia bona, quæ diligenter diriguntur, habent vim opinionis probabilis. Hinc patet, neminem teneri unum ſequi potiùs, quàm aliud, quoniam in merè probabilibus eſt licita alterutra pars. *Ibid.* Hanc propoſitionem probat authoritate Dianæ, utriuſque Sanchez, Fagundez, & aliorum.

287 *Quarta.* Horologia accurata horæ quadrante à veritate ſæpius deviant. Ideo horæ quadrante antequam ſonet duodecima, incipit dies ſequens probabiliter; & æquè probabiliter antecedens dies ſequitur quadrante, poſtquam ſonuerit hora. *n. 206. & in Theol Regul. Diſp. 101. n. 1328.* Probat utroque loco hanc propoſitionem; quia horologia Tychonis Brache fuerint præſtantiora omnibus civicis, Keplerus omnibus ſacriſtis, & cuſtodibus doctior, & diligentior; atqui horologia Tychonica recta à Kepplero, & civica ab eo correcta plùs quàm horæ quadrante ſæpe, imò etiam aliquando tribus circiter exorbitant, ergo ſine horologiorum injuria dici poteſt, horologia, quæ bene gubernata dicuntur, intra quadrantis horæ terminos excedendo, deficiendo laxari. *n. 219.* Probat 2. judicio virorum ſci- 288
entiâ mathematicâ, & Theologicâ excellentium, qui ab eo ſuper hac propoſitione conſulti reſponderunt, eſſe veram. Probat 3. experientiâ obſervantium Eclipſes; licèt enim ſinguli, quoad poſſunt, conentur tempore obſervationis attendere ad horologia accuratiſſimè directa, attamen quando ſuas obſervationes invicem communicant, multum diſſentiunt quoad punctum temporis, quo cœpit eclipſis.

289 *Quinta.* Hæc propoſitio: *Nunc eſt hora duodecima*, eſt certò *moraliter* falſa; nam ſpatio centum annorum vix ſemel fuit vera. *n. 231.*

Sexta. Horologia ſolaria ferè omnia ſunt concepta (ſic loquitur quandoque lepôres aſpergens hic ſcriptor) in peccato originali, quæ autem in peccato concepta, actualia neceſſariò committunt. *n. 236.* Aſſumptum probat, quòd peritiam delineandi arrogent ſibi ſæpè imperiti, tum quòd ipſimet aſtronomi ſæpe ſint negligentes; tum quòd multa ſæpe eos 290
fallant, & fugiant.

290 *Septima.* In horologiis ex intentione artificis, primus ictus campanæ horam præcedentem à ſequenti diſtinguit, ac cæteri adduntur, ut qui indicem aſpicere nequit, horam diſcat. Hoc certum eſt, nec ab homine, qui artem noverit, vocatur in dubium. *num. 237.*

291 Hæ ſunt præcipuæ propoſitiones, quas exhibet ille author pluribus foliis, & quas lectori lectu gratas duxi, ideóque huc adduxi.

292 Quòd ſi quæras, quid de iis ſentiam, reſpondeo, omnes videri mihi veras, tum quia nituntur optimis rationibus; tum quia *explicitè*, vel *implicitè* jam in ſuperioribus tradidi *ſecundam, tertiam, ſeptimam*; circa *quartam* adferam inferiùs aliquod moderamen.

293 Porrò ex ipſis propoſitionibus deducit ille idem varias concluſiones *practicas*. 1. Revera fas eſſe quoad jejunium, & eſum carnium accommodare ſe alterutri ex duobus horologiis diligenter dirigi ſolitis *num. 212.* 2. Poſſe

carnes comedi die Jovis usque ad noctis duodecimam, sequendo tardius horologium; posse comedi à media nocte, quæ sabbato & Dominico inter est, sequendo velocius, sicuti etiam expresserat *in Theolog. Regul. cit. Disp. 101.*
294 *n. 1320.* 3. Certum esse, illum, qui in pago, ubi non est nisi unum horologium bene regulatum, posse probabiliter credere, illud plùs, quàm horæ quadrante à veritate deviare, ita ut possit prudenter poni hinc & inde unus quadrans pro luxationis terminis, licèt etiam pos-
295 sit poni major. *num 228. 229. 233.* 4. Rectè facturum, qui diem sequentem à priori distinguit *moraliter*, non *metaphysicè*, seu *mathematicè num. 242.* nec curandum, quòd Diana inferat, hinc sequi, illum immunem à gravi culpa, qui aut hodierni diei Completorium recitaret primùm, sed mox post auditam duodecimam noctis, Dominicam à sabbato dirimentis; aut faceret Sacrum, qui paulò post duodecimam sumpsit aliquid cibi; aut qui auditâ duodecimâ exhaurit poculum, quod ori admoverat nondum dato signo primo duodecimæ, aut qui deglutit vinum, quod ore exceperat, antequam primus ictus horologii designantis duodecimam audiretur. *num. 229.*
296 5. Non esse standum doctrinâ Cardinalis de Lugo *Disp. 14. De Euchar sect. 2. num 47.* tradentis, illum peccaturum graviter, qui nocte diei Jovis sequeretur in continuando esu carnium tardius horologium, postridie pro faciendo Sacro sequeretur horologium, quod priùs sonuit, nec enim apparet, cur non tam in hoc, quàm etiam in aliis materiis fas sit in suum commodum sequi modò hanc, modò illam probabilem opinionem, esto, inde oriatur aliquod incommodum respectu tertii, *n. 284.* aut alicujus legis, quæ non adimpletur.
297 6. Multis casibus aliter respondendum esse, quàm existiment puri (id est, carentes cognitione necessariâ ad dirigenda exactè horologia) Theologi *num. 206.* computantes nonnulla de momento ad momentum, cùm potiùs deberent computare solùm *moraliter* e.g. tempus primi septennii, quo homo incipiat obligari legibus humanis *num. 236.* & vigesimi primi Anni, quo incipiat obligatio jejunandi; aut duorum mensium, qui elabi deberent, priusquam obligant leges Pontificiæ promulgatæ, *n. 250.* aut decimi sexti Anni pro valore Professionis, *num. 252.* aut Anni Novitiatûs, *num. 252.* aut ætatis pro suscipiendis
298 Ordinibus. *num 254.* Hæc enim omnia tempora vult Caramuel computari non de momento ad momentum, sed solùm *moraliter*, non tamen explicat, quousque se extendat illa *moralis* computatio; nec enim audet integrum diem, imò nec sex horas admittere respectu Anni decimi sexti requisiti ad valorem Professionis.
299 Quòd si interroges, quid nobis videatur de istis omnibus doctrinis, seu conclusionibus *practicis*. Resp. *Primam*, & *secundam* nobis absolutè probari, sicuti & *quartam* nominatim probari Bressero, in ordine ad jejunium *naturale* quoque (nam de *Ecclesiastico* est minor difficultas) dixi superiùs.

Tertiam ita admitto, ut putem, prudenter 300
judicare, qui de ejusmodi horologio dicunt: probabiliter incedit uno quadrante seriùs, aut citiùs, quàm deberet; sic enim cum Caramuele judicârunt viri præstantes, quos ipse consuluit; & ex decem horologiis vix reperietur unum, quod non sæpius aberret uno quadrante, quàm designet horam minore errore. At verò non video causam, cur de singulis horologiis dicam: Est probabile, quòd horologium istud incedat uno quadrante velociùs, quàm deberet; est etiam probabile quòd tardiùs.

Quis enim, nisi alia peculiaris causa sub- 301
sit, hanc tarditatem asserat de illo horologio, quod quadranto, aut dimidiâ horâ sonat citiùs, quàm omnia reliqua, quæ sex, vel octo numero sint in urbe? De plerisque admitto doctrinam *speculativam* Caramuelis, sicuti jam admisi superiùs, quia è plerisque horologiis aliqua uno quadrante priùs, aliqua insuper uno quadrante posteriùs indicant horam. Ut proinde 302
quando est unicum horologium in pago, possit in praxi procedi perinde, ac si sciretur, illud segniùs incedere alio, dummodo suffragetur aliqua probabilis conjectura, vel testimonium, judiciúmve alicujus dicentis, ambulâsse toto die tardiùs. Extra peculiarem conjecturam, rationem, testimonium &c. non sequerer judicium Caramuelis generale. Et possunt confessarii hoc notare propter pœnitentes dicentes, se auditâ duodecimâ bibisse aliquid, habentésque peculiarem rationem credendi, horologium, quod unicum audierunt, celeriter nimis ambulâsse; quia e.g. horologiarius ita asserit, aut ortus sol demonstrat; quidni enim tunc permittatur talibus sacra Communio?

De *quinta* conclusione hujus Doctoris quid 303
sentiam, explicui *in Alphabeto Sacrificantium Ca u VII.* ubi ago de tempore Sacrificii.

Circa *sextam* censeo quoque, non esse ma- 304
thematica momenta hîc attendenda, cùm nec possit, attamen cavendum, ne contra receptum morem cujusque loci in hac, illâve materia, extendatur *moralis*, aut *physica* supputatio. Lege Verricellum *loc. cit. suprà n. 278.*

His omnibus addo, ab eodem Caramuele *n.* 305
209. approbari disertè nostram superiorem doctrinam de dubitante, utrùm jam sonuerit duodecima, nec ne, quando desiit comedere, & nihilominus accedente Eucharistiam.

APPENDIX EXEGETICA, ET APODICTICA.

DOctrina nunc primùm expressa perspæ- a
proderit Confessariis. Eam tamen hîc, &
diu

diu antè alibi lectam approbare non poterat vir apprimè doctus, ductus contra me illo ipso argumento, quo ego pro me utor, petito, nempe, ex privilegio possessionis in dubio. Ajebat enim, legem seu legislatorem esse in possessione juris arcendi à Communione non jejunos, ergo & illos, de quibus dubium est, an sint jejuni.

b Sed in primis negatur consequentia; alioquin sequeretur, illos quoque omnes esse arcendos à susceptione Ordinum, & Matrimonii, de quibus dubitatur, an non sint obnoxii alicui impedimento; illi quoque interdicendum ingressum Ecclesiæ, de quo dubitatur, sitne excommunicatus vitandus nec ne; atque alios complures favores negandos in casibus dubium involventibus, quos tamen negandos non esse vel communis, vel certè communior, probatiórque opinio pronuntiat impertiendos, sicut nominatim de impedimentis Ordinum, & Matrimonii noto suis locis, & hoc ipso loco, exprimendo irregularitatem.

c Deinde ad rationem in oppositum allatam Respondeo, secundò negando consequentiam; siquidem ex illo antecedente longè meliùs infertur hoc oppositum: ergo in dubio, an quis sumpserit cibum post duodecimam, poterit accedere Synaxin, sicut & suis locis formavi hanc consequentiam: *Ergo in dubio, an quis laboret impedimento Ordinum, vel Matrimonii, licitè petit utrumque Sacramentum*; & rursum infrà *Tract. 8. num. 205.* referam ex P. Tamburino dubitantem, an sit validè ordinatus in Subdiaconum, haud teneri ad pensum Canonicum.

d Causa verò cur ex privilegio possessionis formem has consequentias, & non admittam de inhibitione Communionis in Casu dubii de jejuno, est hæc, quia illud Axioma: *In dubio melior est conditio possidentis*, quod desumitur *ex L. Si debitor ff. De pignor. & Cap. In pari causa. De Reg. Jur. in 6.* & propter quod Gloss. *in Tit. 27. Lib. 2. Conf. Feud. De pace tenenda & ejus violatoribus. §. 2. Si judex. verbo: requirat*, scitè scribit: *Qui tenet*, (seu possidet) *beatus est*, intelligendũ est de priore, non autẽ de posteriore possessore, ut liquet ex cõmuni sensu usurpantiũ hoc Axioma in aliis particularibus casibus.

e Et confirmatur inde, quòd, sicuti quidquid in posteriore lege non fuerit specialiter expressum, id veterum constitutionum Regulis relictum esse, intelligendum est, *Text. in L. Præcipimus* C. De *appellat.* ita quidquid posteriori possessori non est specialiter concessum, id veteris, prioríque possessoris juribus relictum esse, censendum est. Sunt autem duo diversi Domini, vel quasi humanæ voluntatis, primus homo ipse, alter legislator; homo ex se est liber à prohibitione sumendi panem cælestem post sumptum eodem die terrestrem, imò jus sumendi etiam pòst, possedit homo in Primitiva Ecclesia, ut omnes nôrunt ex *Cap. 11. Epist. 1. ad Corinthios*; à possessione hujus juris dejecit eum Ecclesia, & quidem certò in casu, quo constaret homini, à se aliquid per modum cibi, aut potûs fuisse dejectum in stomachum post mediam noctem. Quæritur jam, utrùm spoliaverit eodem jure tunc etiam, quando propriè, seu prudenter (imprudentiæ nulla est habenda ratio) dubium existit omnibus consideratis, an revera sit violatum naturale jejunium, nec ne? Rigidior sententia respondet affirmativè, mitior negativè, & meritò, tum ob authoritatem Legis *Præcipimus* suprà descriptæ, tum quia mutatio juris est probanda, non præsumenda. Doctores ex *Lib. 3. ff. De probat.* tum quia odia, adeóque restrictio libertatis à Deo, & Apostolis concessæ restringi debent potiùs, quàm ampliari per *Cap. Odia. De Reg. Juris in 6.* quod ipsum dico de dubiis circa impedimenta Ordinum, & Matrimonii. Roboratur noster discursus tum authoritate *Leg. 26 & 28. ff. De Legib.* ubi dicitur: *Posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint*, tum inde, quòd jura juribus concordare debeamus, quantum possumus *Cap. Cùm expediat. De elect in 6.*

Accedit, quòd illa Regula: *In dubio melior* f
est conditio possidentis, non sit ita ruditer, & nudè intelligenda, ut sonat, sed eo sensu, qui exprimitur *in Cap. 65. De Reg. Juris in 6. In pari causa melior est conditio possidentis*, ut sagaciter observavit Cardin. De Lugo relatus à nobis *in Tract. 2. num. 329.* non autem est hîc par causa Superioris Ecclesiastici vetantis Communionem non jejuno sacerdoti, & sacerdotis; etenim nec superior, nec Ecclesia, nec ipsum Sacramentum, ob cujus reverentiam præmittendum est jejunium naturale sumptioni illius (*Cap. Liquido De consecr. dist. 2*) quidquam incommodi patiuntur, quando quis bona fide credens permissum esse in tali dubio accessum ad corpus Dominicum conficiendum, & participandum, conficit, participátque sumpto verè (de quo dubitabat) cibo; at verò si fortè non sumpsit sacerdos, & tamen arceatur ab ara Sacrificali, non solùm privatur ipso fructu Sacrificii, sed fortè etiam anima, pro qua immolaturus erat, torquebitur adhuc viginti quatuor horis in purgatorio. Et quid si sacerdos talis sit Parochus oppidi, vel pagi, nec adsit, qui die festo sacrificet? Idem quoad primam difficultatem, proportionaliter dicendum de Laico, qui si sumeret corpus Dominicum, potiretur indulgentia applicanda sibi, vel miserabilissimæ animæ.

Confirmo inde, quòd tametsi Ecclesia cano- g
nizaret, utita loquar, seu disertè approbaret doctrinam à nobis hoc loco traditam, nequaquam tamen futurum esset, ut numerus non jejunorum æquaret numerum à parte rei jejunorum sumentium synaxin. Unde quia ad ea potiùs debet aptari jus, quæ & frequenter & facilè fiunt, quàm quæ perrarò eveniunt, sicut perappositè, ad hunc locum resolvit Celsus relatus in *L. quinta. ff. De legibus*, arbitror, consideratis commodis, & incommodis, quæ emergerent ex ampliore, benigniorèque inter-

pretatione consuetudinis Ecclesiasticæ, quæ de loquimur, standum esse benigniore.

h Nec obstat, quòd prima, & fundamentalis nostra ratio videatur evertere communem doctrinam, à nobis suo loco traditam, de Clerico obligato ad recitationem illius Horæ Canonicæ, de qua omnibus consideratis prudenter dubitat, an eam persolverit; id, inquam, non obstat; licèt enim Subdiaconi fuerint etiam liberi Lege Breviarii, priusquam ea ferretur, quia tamen facta (ut est recitatio actualis) probanda sunt, non autem negationes factorum, negantis enim factum per rerum naturam nulla est probatio. *Cap. Bona. De elect.* sequitur non solùm hanc objectionem non obstare nostræ resolutioni, sed etiam rationem, qua manifestatur disparitas, facere pro defensa hactenus doctrina; dico enim: facta non sunt præsumenda, sed probanda *Leg. 1. C. De probat.* atqui comestio post duodecimam est quoddam factum, ergo quamdiu non probabitur, tamdiu procedetur, perinde ac si constaret, nihil planè cibi, aut potûs sumptum fuisse post duodecimam, hanc enim vim habet illud Axioma, ut evidens est ex utroque casu, qui deciditur *in cit. Leg. 1. Cod. De probat.* consentiúntque omnes. Junge his ea, quæ *Tract. 5. num. 203.* adfero contra, & cum P. Tamburino.

NON JEJUNO LAICO COMMUNICANDUM.

CASUS XVIII.

Practicandus.

SUMMARIUM.

Casu infirmi sumentis Eucharistiam post cibum sumptum. 306.

Quid intelligatur per constitutum in periculo mortis? 308.

Huic etiam non jejuno præbenda est Eucharistia. 309.

Et quidem licèt hic sponte conjiciat in tale periculum 310.

Et quamvis periculum sit duntaxat probabile. 311.

Quid circa hoc agat parochus vocatus ad infirmum distantem unâ, alteráve horâ. 313.

Non est scrupulosè agendum cum iis, qui difficulter manent jejuni. 314.

Concilium Constantiense permittit absolutè in casu infirmitatis Communionem non jejuno. Ibid.

Quoties liceat infirmo non jejuno percipere synaxin? 315. & seqq.

Casu Theologi, nolentis in lethali morbo suo sectari laxiorem sententiam de Communione post cibum sumptum. 319.

Quid faciet recordans, se non esse jejunum? 320.

Quid agendum, quando infirmi os est valdè siccum? 321.

An liceat vinum ablutionis deglutire ante hostiam? Ibid.

An detinere diu in ore hostiam, ut gratia augeatur? 322.

Resolvitur nova quæstio, utrùm liceat recordanti non esse jejunum tam diu retinere in ore hostiam, donec possit deglutiri per modum saliva? 325.

Sophronius in morbo lethali constitutus, 306
die Dominicâ Palmarum sumpsit Sacram Synaxin, sed durante eodem morbo, desiderio desiderabat Pascha manducare nobiscum feriâ V. Cœnæ Domini, utpote Religiosus; non potest autem sine magna difficultate manere jejunus à potu, usque ad quartam, vel quintam matutinam. Quare ei petenti data est incruenta hostia sub horam septimam non jejuno. An potuit? An debuit?

Resp. Potuisse, debuisse. Rationem utriusque intelliges ex dicendis hoc Capite, seu Casu, quo ferè agitur de solis constitutis in mortis discrimine, tam clericis, quàm laicis. Præfert autem Titulus hujus Casûs solùm Laicos, quia sequens differet de solo Sacerdote. 307

Quæritur itaque 1. *Quidnam intelligatur per constitutum in periculo mortis, de quo solent hic loqui DD?* Resp. Omnis ille, cui mors imminet ex ægritudine, Judicis sententia, navigatione, prælio, parturitione, &c. De his omnibus generibus dicimus, singulis eorum licere etiam non jejunis participare de corpore, & sanguine Salvatoris, quando res sunt eo loco, ut, si jam non participent, fruituri sint nunquam. Etenim Concil. Constant *Sess. 13.* expressè permittit illud à non jejunis percipi, *in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à Jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso*; hæc enim sunt verba Synodi; admittit autem Ecclesia in omni casu, in quo mors imminet, ut probat communis sensus Doctorum. 308

Debétne autem illa mors imminere invito? 310
An sufficit, si impendeat danti sese ultro in periculum vitæ? Resp. Sicuti facultas à casibus reservatis absolvendi quemvis in articulo mortis concessa cuivis sacerdoti, intelligitur probabiliter de illo solo, qui *physicè*, aut *moraliter* necessitate devenit in illud periculum. Sanch. *Lib. 2. Moral. cap. 13. num. 3.* post Cordub. ita & hîc. Certè Suarez, Palaus, ac plures alii in præsente materia loquuntur solùm de articulo, seu periculo mortis *naturalis*, aut *violentæ*.

Debétne verò mors imminere certò, an probabiliter? Sufficit, si prudenter timeatur. Dicast. *De Euchar. Disp. 9. num. 314.* & alii. Probatur, tum quia etiam in periculo mortis probabili 311

bili posse quemvis per quemvis sacerdotem etiam præsente proprio, à quibusvis criminibus absolvi, tradunt probabilissimè longè plurimi. Et sanè accideret sæpe, ut multi sine viatico decederent, si oporteret ipsum articulum mortis, aut indubitatum periculum, seu certitu-
312 dinem illius exspectare. Sufficit ergo, modò Medicus, aut illo deficiente unus, altérve vir, vel fœmina prudens judicent, esse valde probabile, ægrum decessurum ex illo morbo, seu esse valde timendum, ne illà ægritudine extinguatur, & quidem sine pharmaco immortalitatis, si jam negligat non jejunus. Vide descriptionem articuli, & periculi mortis allatam *Casu XII.*

313 Itaque quando parochi vocantur ad ægros distantes duabus horis, possunt eis etiam præbere viaticum, si periculosè ægrotent; nec tenentur præstolari in crastinum, licèt sit probabile, infirmum posse in crastinum non incommodè permanere jejunum usque ad suum reditum, nam multa de nocte interveniunt, & fieri potest, ut die sequenti parochus præpedi-
314 atur. Et generatim licèt æger valeat fortasse unâ, alteráve horâ post mediam noctem manere jejunus, non tamen est expectanda illa hora, utpote nimis incommoda. Henriq. Filliuc. Coninck. Tann. *Tom. 5 disp. 5. quæst. 8. num. 84. ll. cc.* quorum duo priores notant, non esse hîc scrupulosè agendum; Palaus autem *Tract. 21.* seu *De Euchar. punct. 13. num. 11* Laymannus *De Euchar. Cap. 6. num. 20.* & alii plures dicunt, si commodè non possit manere jejunus. Equidem nostrum Concilium Oecumenicum permittit *absolutè* in *casu infirmitatis*. Ubi Paterfamilias largus est, ut quid sacerdos ejus (parochus) austerus? S. Chrysostomus relatus *Cap. Alligant. 26. quæst. 7.* Aliud est, quando commodè, & sine periculo potest à jejuno sumi suo tempore cibus vivus, & vitalis. Cæterùm quia toties allego Concilium Constantiense, Constantiensésque Constitutiones, non oberit legere magnum, curiosúmque discrimen inter has, & illud: quod describo in præfatione Theologiæ Juridico-Moralis.

315 Quæritur 2. *Quoties liceat ægro non jejuno communicare?* Resp. Vasquez *Disp. 211 cap. 4.* censet, tantùm semel, eò quòd Ecclesia idcirco concedat infirmo non jejuno potestatem communicandi, ne decedat sine viatico. Multi apud Dianam *Part. 2. Tract. 4. Resol. 77.* dicunt, licere quidem sæpius, attamen inter unam, alterámque perceptionem Sacramenti inter-
316 cedere debere unam, alterámve septimanam. Sex dies sufficere, censet ipse Diana post Armillam. Possev. Filliuc. Bonacin. Ludovicus à S. Joann. apud Quintanadvenn. *sing. 14. num. 3.* est tribus contentus. Volentibus Cardinale de Lugo, & Dom. Reding, stari consuetudine loci. Verùm censeo, neque illum Cardinalem, neque hunc Principem mihi succensuros, si eos interpretet, tanquam loquentes de consuetudine *positivè* permittente, aut inhibente, non verò de illa, quæ consistat in mero non usu; in hoc enim casu abstrahendo à periculo scandali, favendum est libertati. At verò Caspar Hur- 317
tadus *hîc Disp. 9. diffic. 16. in fin.* censet post Armillam, licitum esse moribundo non jejuno (si nequeat permanere jejunus) toties Sacram Synaxin petere, quoties ipsi jejuno liceret extra omnem ægritudinem, & consequenter quotidie. Favet apertè Palaus *punct. 13. num. 14.* rectè docens, vel esse hanc sententiam admittendam, vel discedendum in Vasquezianam. Layman. *num. 20.* eam admittit respectu illius, qui solet frequenter communicare, aut sacrificare, ac propter devotionem, desideriúmque difficilè abstinet. Admitto, & ego respectu talis hominis, imò cum Dicastillo *num. 334.* in rigore respectu omnium, qui peterent. Ratio est, quia Concilium nostrum Oecumenicum *loc. cit.* hosce ægros eximit à lege jejunii *naturalis*. Dicastillo *ibid.* Nec adæquata causa hujus exemptionis est, ne æger moriatur sine viatico, sed etiam necessitas, quæ in illo articulo maxima est. Suarez *loc. cit.*

Unde inferes 1. Potuisse Sophronio, de quo 318
casus noster, impertiri illud pignus futuræ gloriæ eâ feriâ V. in Cœna Domini, etiam non jejuno, imò debuisse, quia perægre abstinebat, erátque dignissimum membrum illius Ordinis, cujus alumni in mortis periculo constituti, habent à suo Præposito Generali jus petendi quotidie panem vivum, qui de cœlo descendit. At quid censendum de hoc;

Facto Professoris Theologiæ Moralis?

Qui lecto affixus, ex ictero lethali, prospi- 319
ciénsque adventantem paulatim mortem, munivit quidem se non jejunus divino viatico adversus lethi prodromos, & assecias, at cùm intercederent complures dies ante adventum ejusdem, æger autem ne quidem duas, trésve horas posset transigere sine sumptione potûs, aut succi. & tamen teneretur desiderio rursum excipiendi divini hospitis, idéoque nonnulli suggererent ei sententiam permittentium in tali casu etiam non jejuno Sacrum epulum, respondit, esse quidem sibi jam pridem notam illam doctrinam, at velle se in reverentiam tanti Mysterii abstinere ejus usu. Quæritur an imitandum hoc responsum, & responso correspondens factum?

Respondeo, me probabilissimè imitaturum, si quid mihi ejusmodi, ut sanè timere possum, evenerit. Est enim ex una parte certum, non me peccaturum sectando hoc exemplum, cùm nemo doceat, esse *sub præcepto* Communio-

munionem repetendam à non jejuno, qui octo, vel decem diebus antè sumpsit per modum Viatici in eodem morbo Eucharistiam, nec interim contraxit ullam gravem noxam; ex altera autem parte multi damnant de peccato mortali volentem facere ejusmodi repetitionem, sint autem saltem in mortis articulo vitandæ opiniones involventes periculum peccati mortalis *materialis*. Alia est ratio illius, qui non sumpsit Eucharistiam per modum *viatici*, etenim multi celebres Theologi obligant illum ad iterationem, etsi non sit jejunus, ut vidimus *Casu XII.*

320 His addimus 1. Quando laicus proximus altari, ad quod est Synaxin sumpturus, recordatur, se non esse jejunum, posse eam sumere, si nequeat (possunt autem sæpe adolescentes) recedere sine ignominia, aut scandalo, sicut suprà diximus de recordante peccatum, in Confessione per oblivionem omissum. Vide P. Dicastillo *num. 88.*

321 Adde 2. Quando oris siccitas est tanta, ut æger nequeat deglutire hostiam, nisi madefactam, posse eam ipsi præberi in vino, vel aquâ, licèt *moraliter* sit certum, liquorem descensurum citiùs, quàm hostiam. Tanner. *num. 100.* Nam talis censetur non posse jejunus communicare. Addit Diana *Part. 10. Tract. 16. Resp. 89.* posse loco vini, & aquæ præberi in juscu-lo, si medicus judicet, obfuturum vinum, & aquam.

At quid si sano contingat, ut ablutio deglutiatur ante hostiam? Si casu ac præter intentionem, nil obest. Certè in Paraseeve sacerdos, qui tunc celebrat, vix potest non deglutire vinum ante hostiam, sicuti jam olim observavit Scotus *in 4. cit. Dist. 9.* imò quando hostia adhæret palato, si nequeat primâ ablutione solvi, addi potest secunda, addi etiam tertia. Silv. *V. Euchar. Quæst. 7.* Suar. *cit. Disp. 68. sect. 6.* quia tota illa actio ordinatur ad consumptionem Sacramenti, & fit per modum unius. P. Suar. *loc. cit.*

322 *Quid si autem hostiam idcirco detineam in ore diutiùs, ne tam citò corrumpantur species, ut gratia augeatur, interim autem degluviam ablutionem?* Tuam pietatem impietatis, & peccati mortalis damnabit Joan. Sanch *Disp. 42. num. 22.* sicut damnavit illum sacerdotem, qui, ut ipsemet retulit huic Doctori, *id factitabat, ductus illâ ipsâ ratione, atque intentione, quam exprimit præsens quæstio; sincera tamen fides eum excusabat, cùm ex majore reverentia erga hoc Sacramentum moveretur ad sic detinendam Eucharistiam in ore.* Ita ille. Sed de hoc exoti-

323 co eventu judicent alii. Nos ex ratione, & exemplo Suarii primo ùm allatis inferimus, non damnandum laicum, qui etiam dedità operâ partem ablutionis, aut totam deglutit ante hostiam, si videlicet id faciat ex causâ rationabili. E. G. quia aliquantulùm difficulter detinet vinum in ore.

Alius præterea casus est, quo laico non jejuno permittitur sumptio Eucharistiæ, quando 324
scilicet id fit, ne hæc deveniat in manus hæreticorum, ut dicemus sub finem *Casûs seq.*

Sed & primùm nuper fuit alicubi proposita 325
hæc

Mirabilis Quæstio.

Vtrùm, si laicus sumpto cibo factus proximus aræ recordetur illius sumptionis, possit, aut debeat tam diu in ore retinere hostiam, donec possit deglutiri per modum salivæ.

Ad quam respondi imprimis non esse necesse. Aut enim sunt tales circumstantiæ, ut is obligetur recedere ab ara post recordationem es-
sûs, aut tales, ut non obligetur? Si hoc *secun-* 326
dum dicas, certum est, licere integram hostiam deglutire, hoc quippe permitti ab Ecclesia, sequitur apertè ex dictis *num. 319.* Si *primum*, cùm jam sit peccatum mortaliter sumendo hostiam in os, & non videantur species posse sine evidente periculo alterius irreverentiæ retineri in ore tam diu, donec ita alterentur, ut desinat Christus esse sub illis, tum necessariò debet elicere actum contritionis, priusquam demittat in stomachum, illo quippe elicito *licitè* demittet; at si non eliciat? erit similis illi, qui ob suam vincibilem, culpabilémque ignorantiam deducitur in statum perplexitatis, ut peccet mortaliter, in quamcunque partem se vertat, sicut solebam in scholis declarare exemplo illius, qui obstrictus voto communicandi quavis die dominicâ, in una aliqua recordatur cibi manè comesti, atque ratus, esse sibi adeundam Synaxin, adit illam, conscientiâ dictante, esse interrogandum confessarium; nam talis mortaliter peccat, seu communicet non interrogato Confessario, seu non communicet; ita & de hoc sentiendum.

Quia tamen non solùm boni, sed etiam mali 327
debent è duobus malis eligere minus; deberet talis detinere hostiam in ore, quamdiu posset; certò enim consummabit substantialem malitiam indignæ Communionis, si tunc statim deglutiat, fortè autem contritionem eliciet, si retineat diutius in ore; malum autem incertum est minus certo. Idem dic de illo, qui conscius peccati mortalis cujuscunque sumpsit in os hostiam Sacram.

Et nota hoc singulare privilegium, *Ex indulto Pontificio poterat Carolus V quo ampliùs devotioni vacaret, & corpori multùm laboribus attrito non incommodaret, non jejunus Sacram Communionem participare.* Ita loquitur Latinus interpres Patris Nierenbergii *in Virtutibus Coronatis Part. 2. §. 8.*

NON

NON JEJUNO SACERDOTI COMMUNICANDUM.

CASUS XIX.

Dedicationis.

SUMMARIUM.

Casus notabilis de sacerdotis non jejuni defectu in solenniſſimo festo. 328.
Vtrùm in tali casu non fuerit licitum *alicui è multis sacerdotibus tunc præsentibus, sed non ampliùs jejunis celebrare? 329. & 330.*
Quid agendum, quando in aliqua Ecclesia Cathedrali non habetur pro Missa Conventuali jejunus Sacerdos? 332.
An parochus, qui die Natalis Domini per inadvertentiam sumpsit ablutionem in primo Sacro, licitè *faciat alia duo? 333.*
An sit fas non jejuno sacrificare pro viatico conficiendo? 334.
Quid agendum sacrificanti recordanti, se non esse jejunum? 338.

328 *Theophilus parochus, celebris in Suevia pagi, invitârat ad festum Dedicationis diem è variis pagis decem, vel plures sacerdotes alios, qui & me præsente, nondum tamen sacerdote advenerunt, & in his postremus ille, qui aliquot diebus antè à parocho rogatus, & designatus fuerat, ut solenne Sacrum faceret, sed qui re non bene intellectâ, priusquam è suo pago discederet, Missam celebraverat, alii verò sacerdotes, aut hoc ipsum quoque fecerant, aut jejuni non erant, nullus ergo erat è sacerdotum numero in tanta solennitate, universo populo jam diu sacrificium exspectante, qui ad Sacrum dicendum esset dispositus.*

Est hæc narratio Patris Tanneri *Tom. 4. disp. 5. cit. quæst. 8. num. 93.* circa quam, & cujus occasione.

329 Quæritur 1. *Vtrùm unus illorum sacerdotum non potuisset bonâ conscientiâ in hoc casu facere Sacrum?* Resp. I. Potuisset, saltem si defectus jejunii fuisset occultus. Tanner. *loc. cit. num. 64.* quia è duobus malis erat minus eligendum. Resp. II. Licèt illi sacerdotes existimârint, & judicio Tanneri rectè, satius esse, ut totus populus, priùs tamen è suggestu causam edoctus dimitteretur sine Sacro, quàm ut fieret ab aliquo, quem pluribus constabat, non esse jejunum, ego tamen bonâ veniâ horum Venerabilium virorum, si hodie interessem ejusmodi actui, suaderem, fieri Sacrum ab uno; qui jejunium non violâsset, nisi per ablutionem in Sacro.

In primis enim non esset timendum ullum 330
scandalum, ut timebant illi; quia si pro concione diceretur populo, permitti ab Ecclesia in casu talibus circumstantiis vestito hanc praxin, ædificaretur populus potiùs, quàm scandalizaretur. Deinde ob grave, & publicum scandalum, quod aliâ ratione vitari non potest, *licitè* facit Sacrum sacerdos, licèt non jejunus, ut post Suarez *Disp. 68. sect. 5.* & Anglem contra Navarr. & alios tradit Tanner, *num. 41.* Nam ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo. S. Thomas *Quæst. 83. art. 7. ad 2* Minus autem est illud, quod pertinet ad qualitatem sumentis. Idem S. Doctor *ibid.* Atqui in tali casu, si nemo sacrificet, revera non potest planè, aut certè vix evitari aliter grave scandalum, id est gravis, & injusta indignatio, gravis oblocutio adversùs sacerdotes, ridiculi sarcasmi, & dicteria lædentia eorum famam, aut honorem. Adde, quòd idem Tanner. *num. 92.* cum An- 331
gle rectè judicet, si festo Nativitatis Christi unus solùm sacerdos post sumptum media nocte cibum in aliquo oppido adesset, neque alius haberi posset, qui Missam diceret, neque scandalum aliâ ratione devitari posset, ritè facturum, si Sacris operaretur adhuc semel. Retulimus suprà Authores asserentes, fas esse sacerdoti non confesso sacrificare, ne vel ipse, vel alii Sacro careant die festo, quidni non jejuno in ejusmodi circumstantiis? Quandoquidem, & confessio probabiliſſimè est ex præcepto *Divino* præmittenda sacrificio; jejunium certò ex solo *Ecclesiastico*, & præterea adest hîc præsens periculum gravis scandali, atque ignominiæ.

Quid si autem in aliqua Cathedrali, aut Colle- 332
giata Ecclesia per inculpabilem (sicuti fieri potest, cùm diligentiſſimis quibusque obrepat innoxia oblivio, inadvertentia, error proprius, aut alienus) *defectum fieret, ut omnes Canonici, & Capellani aliquo die profesto Sacra perpetrâssent ante horam Missæ Conventuali, ut vocant Rubricæ, seu decantandæ destinatam; nec alius jejunus posset ex alia Ecclesia haberi, qui officium cantaret?* Non suaderem, fieri à non jejuno, quia abjicienda sunt remedia, quæ veris periculis sunt graviora *c. De homine. De celeb. Miss.* Est autem hîc verum periculum scandali grandis, & inevitabilis, ideóque hanc sententiam fuisse alicubi redactam in praxin, compertum habeo; & meritò redactam judicârunt viri graves, ac docti, quibus illa civitas abundat.

Sicut, & egò Anno superiore à quodam Re- 333
ligioso Ordinis D. Benedicti interrogatus literis: *An, si parochus alicujus pagi sumpsisset ablutionem in primo, aut secundo Sacro Nativitatis Domini, posset facere Sacrum tertium?* Respondi, non posse, præsertim si in secundo Sacro duntaxat commisisset illud erratum; nam & parochus non tenetur *per se loquendo* etiam tali

die

die sacrificare bis, & plerique solent interesse primo, secundóve Sacro; & rustici faciliùs compescuntur è suggestu intra terminos modestiæ, summissionisque, & proniùs credunt, subesse justam, inculpabilémque causam, quàm cives, qui sicuti meritò volunt videri prudentiores, argutiores, sagaciores, usu peritiores, quàm rure nati, educatique, ita etiam fit, ut persæpe ostendant, se breviori tempore fuisse versatos in schola cæcæ obedientiæ, miniméque suspicacis simplicitatis, quàm rusticana pubes. Posset etiam fortè in tali casu celebrari (præmonitis parochianis) Missa sicca, de qua *in Alphab. præced. Cas. 1. num. 20.*

334 Quæritur 2. *An si non adsit hostia pro viatico moribundi illud exigentis, permissum sit sacerdoti, quamvis non jejuno, facere Sacrum, ut conficiat viaticum?* Affirmant *absolutè* post Major. Zanardus, Zambranus, Philiarchus, Heredia apud Dianam *Part. 3. Tract. 4. Resol. 33.* & apud eundem *Part. 5. Tract. 30. Resol. 35.* Granadus; quibus addo Escobar. *Tract. 7. num. 61. in fin.* & Quintanadvenn. *Tract. 4. sing. 8.* Affirmant *sub conditione*, si ille æger non possit aliud Sacramentum accipere, Laymann. *cap. 6. num. 20.* Silv. apud Dianam *cit. Tract. 3. Resol. 37.* assentientem. Censent esse probabile, Suarez *Disputatio 68. Sectio. 5.* Filliucius *Tractatu. 4. num. 242.* Lugo, Dicastillo *num. 346.* Rhodes *De Euchar. Disp. 1. quæst. 4. sect. 1.* Sanctgallenses *Tom. 9. fol. 489.* Tamburinus *in Methodo expeditæ Communionis cap. 2. §. 8.* fusè Barbosa *De Parocho cap. 20. n. 40.* & apud ipsum Marchinus. Negante probabilitatem Tannero *num. 90.* eò quòd contrariam veluti certam tradat communis Doctorum sententia, usu Ecclesiæ

335 recepta. Et fateor quidem, contrariam sententiam esse communem, negare tamen nequeo, quin & *limitata* Laymanni, & *absoluta* Majoris sit verè probabilis, nisi negare velim, ad sententiæ alicujus probabilitatem sufficere ea, quæ ipsemet Tannerus, & plerique omnes afferunt, sufficere. Certè si tot Classicorum Doctorum authoritas, ac judicium non est par conciliandæ probabilitati huic sententiæ, magnis rationibus nixæ, & nulli Ecclesiæ decreto apertè repugnanti, oportebit sexcentas aliàs è censu probabilium eliminare, quas

336 tamen certum est, non eliminandas. Nullum aut Tanner. aut alii adferunt pro se efficax argumentum, nisi hoc, quòd scilicet ex illa sententia sequi videatur, posse sacerdotem etiam in tali casu sacrificare sine ullis vestibus sacris in pane fermentato, omittendo *accidentalia* Sacri, & faciendo solùm *substantialia*, quod sanè

337 hactenus nemo præter Majorem admisit. Verùm hoc argumentum nec aufert illi sententiæ *practicam* probabilitatem, cùm optimè possit negari sequela. Dicastillo *num. 348.* nec me deterreret, quò minùs eandem sequerer, quando jejunium non fregissem, nisi occultissimè, aut per ablutionem in Sacro, ut placet etiam Cottonio *Celebr. Controvers. Lib. 2. Contro. 4. num. 101.* post Francis. de Lugo; & ve- ximè sequerer in casu *limitato* per aut Laym- num superiùs, aut Jacobum Reis *Privil. S.* restringentem ad Casum extremæ necessitat. Profectò qui probè perpendit, quæ de effectibus, ac necessitate divinissimæ Eucharistiæ scribunt Theologi, & Ascetæ, non damnabit ejusmodi praxin, quam ne arripere cogaris, obsequere nostris Constitut. Synod. *Part. 1. tit. 8. num. 17.* post statuta canonica præcipientibus, ut parochus solicitè asservet sacrosanctam Eucharistiam pro infirmis. Interim ne dubites, quin sacerdos sit extra culpam, si Sacrum faciat non jejunus, quo conficiat sibi viaticum, alioqui sine illo moriturus, ut jam suprà diximus.

Quæritur 3. *Quid agendum sacerdoti, qui* 338 *jam inchoato Sacro recordatur, se non esse jejunum?* Resp. Idem, quod quando recordatur peccati mortalis à postrema Confessione admissi, nec habet ad manum, cui confiteatur.

Quæritur 4. *An, & quatenus non jejuno sa-* 339 *cerdoti liceat reliquias Sacræ hostiæ sumere?* Hanc quæstionem enucleavi *in Alphab. præcedente Cas. XIII.* nec superest, quod necessariò addam.

ALIÆ DISPOSITIONES AD COMMUNICANDUM.

CASVS XX.

Castitatis obtentæ.

SVMMARIVM.

Casus confessarii, suadentis solito se turpiter polluere, ut ipso die pollutionis præmissâ Confessione accederet Sacram mensam. 340.

An immunitas à turpitudine carnali sit accensenda dispositionibus ad synaxin? 341.

Sitne vera opinio Nugni contendentis, esse intrinsecè malum, accedere eo die Synaxin, quo quis peccato carnali se contaminavit? 343.

Probabiliter viguit olim mos vetans ad unum diem Communionem iis, qui erant usi licitâ, vel illicitâ venere. 344.

Quid specialiter observandum Conjugatis? 346.

Quid nocturnâ pollutione fœdatis? 349.

An deceat gladio accinctum accedere ad Sacram mensam? 350.

Quatenus ad Communionem requiratur exercitium internarum virtutum? 351.

An distractio voluntaria *tempore Communionis sit peccaminosa? 352.*

An contritio eliciendæ sumenti idcirco solùm Eucharistiam, ne hæretici eam concu cent? 353.

An licitè *eatur à Confessionali recta ad Communionem? 355.*

Refu-

Refutatur cujusdam Jansenistæ heteroclitum circa hoc judicium. 358.

340 *Valentinus Confessarius, cùm non posset ad emendationem reducere pœnitentem, crebrò se polluentem voluntariè, consuluit ei (quem dolentem videbat) ipso die habitæ pollutionis suscipere Eucharistiam, ut à Deo impetraret castitatem. Res miranda! ab illo die tali labe non fuit coinquinatus. Ita audivi ego à fide digno, virtuoso, & docto Theologo.*

341 Hoc exemplo à se his verbis recensito, aliisque rationibus conatur Joann. Sanch. *Disp. 23. num. 30.* confirmare sententiam suam, quam contendit, immunitatem à turpitudine carnali non esse accensendam dispositionibus ad Communionem, adeóque esse consultiùs, ut, qui de nocte operam dedit *licitæ*, aut *illicitæ* veneri, orto, aut non orto sole, adeat Sacram mensam tam libere, quàm si commisisset, aut nullum, aut aliud qualecunque peccatum, modò confiteatur, & doleat, si fortè illa immundities fuit peccaminosa. Rationem hanc adfert principalem, quia suadenda Communio, quoties potest percipi fructuosè, sicuti potest in hoc quoque casu, cùm fructuosam Communionem non impediat nisi peccatum mortale, non deletum Confessione, aut contritione.

342 Verùm quia hic Doctor repugnat hac in re judicio Sancti Hieron. & S. Gregorii, quos citat, sequiturque S. Thomas *quæst. 80. art. 7.* itémque judicio plerorumque Theologorum, illam propositionem negantium, ac dicentium, esse etiam rationem habendam cùm distractionum, turpiúmque imaginum, quas solet post se relinquere usus rei venereæ, tum etiam *moralis* cujusdam indecentiæ, hîc, ut multi censent, intervenientis, idcircò suadenda non est ejusmodi hominibus eo die Communio, nisi valde doleant de suo peccato. Prohibere non possem, quia certum est, non intercedere peccatum mortale, & intercedere veniale, asseritur faciliùs, quàm probetur. Licèt

343 enim Nugnus in *quæst. 80. art. 7.* fusè adversùs Suarez (quem *tacito* proprio nomine, vocat tum hîc, tum alibi passim Juniorem, aut Modernum) persuadere conetur, esse de *malè sonantibus*, adeóque *per se*, & *intrinsecè*, sicuti *homicidium*, *ac mendacium* (hæc enim sunt ejus exempla) malum, & peccatum (veniale) Synaxin eo die adire, quo quis castitatem peccato mortali violavit, nisi peculiaris causa excuset; id tamen haud sanè improbabiliter idem Junior, quem multis senibus æquat non semel Diana, negat *Disp. 66. sect. 8. & disp. 98. sect. 2.* Coninck *quæst. 80. art. 7.* Palaus *punct. 13. n. 2.* Joannes Sanch. *loc. cit.* referens Marcillam, Dicastillo *Disp. 9. num. 245.* Laymannus *cap. 6. num. 15.* citans etiam S. Bonaventuram, Gerf. Adrian. Sotum. Ad aut oritates 344
Sanctorum, quæ sunt basis sententiæ Nugni, pluriúmque aliorum, respondent Suar. & Vasquez *Disp. 210. art. 7.* Brevitas Alphabetica non permittit earum discussionem. Putat P. Vasquez viguisse olim legem *Ecclesiasticam*, arcentem Communione eos ad unum diem, qui *licitâ*, vel *illicitâ* venere erant usi; illam autem obligâsse priùs sub mortali, quæ deinde successu temporis tantùm sub veniali recepta fuit, nunc autem à multis sub nullo peccato. Dilationem ad unum diem suadendam censeo, 345
si postea communicabit cum majore devotione. Dicastillo *loc. cit.* Omissionem non suadeo, nisi videam, eam vergere in majus bonum pœnitentis. Damnare impietatis sacerdotem sacrificantem eo ipso die, quo turpitudinis Sacrilegium fecit, (ut quidem, quantumvis Confessione expiatum, damnat Covarr. *in Clem. Si furiosus, punct. 3. num. 7.*) non ausim, licèt eum à tam fœdo facinore meritò coërcere deberet vel ea sola cogitatio, quòd eo die sit suis manibus tractaturus Virginis Matris Virginem filium.

Ad conjugatos quod attinet, de iis sic lo- 346
quitur Palaus *De Euchar punct. 12. num. 3.* Si copula habita est ob meram voluptatem, suadendum, ut differatur Communio in alium diem, nisi occurrat specialis causa communicandi eo die; vel de præterita culpa doleat, ut dolore concepto plenè culpæ satisfecisse videatur. Si verò copula fuit habita ex debito fine, cúmque moderatione, qua par est, nullatenus impeditur Communio, nisi ob teporem videatur differenda in alium diem. Quòd si communices frequenter e.g. singulis 347
Dominicis, & Festivis diebus, simplici petitioni debiti ne resistas, ne conjugi molestus sis, néve illius in te amorem minuas, & occasionem tribuas interdicendi frequentem Communionem. Si autem solùm singulis mensibus Eucharistiam sumis, petentem debitum decet rogare & monere, ut à petitione desistat ob reverentiam Sacramenti. Quòd si æger ferat, annue; & majori, qua potes devotione, te præpara. Ita ille ex communi sensu sapien- 348
tum, quem quoad primum membrum nequit in suum animum inducere Joannes Sanchez. Qui tamen inficiari non potest, quin Suarez *Disp. 68. sect. 2.* rectè scripserit, copulam conjugalem nocte præcedente Communionem petitam ex mera voluptate, esse signum animi parùm dispositi ad res divinas: & ex hoc actu regulariter oriri magnam distractionem, seu hebetudinem mentis. Equidem S. Thomas *art. 7.* pronuntiat, debere prohiberi, ne talis accedat ad hoc Sacramentum.

Quos maculavit *involuntaria* pollutio no- 349
cturna, necesse iis non est omittere Communionem, at differre, si commodè potest, consultum, nisi ratio peculiaris adsit e.g. Regula Religionis, aut Congregationis tali die injungentis

gentis Communionem; item indulgentia plenaria requirens Communionem. Nec cedendum est dæmoni, cùm putatur immisisse turpe somnium, ex quo secuta macula. S. Thomas *loc. cit. in Corp.* Lege de hac tota Venerea materia D. Reding. paulò pòst citandum *art. 4. totâ Controvers. 1.* moderatè, ut allolet, resolventem dubia huc facientia.

350 Jam verò ad alias dispositiones corporis quòd spectat, nulla lex à mensa divina arcet malè vestitos, aut illuvie obsitos, quando aliter fieri nequit; qui tamen munditiem negligeret, meritò graviter reprehendendus esset. Pax Jordanus *Vol. 1. Lib. 3. Tit. 3 num. 77.* censens, talem repellendum à sacra mensa. At Suarez *Disp. 68. sect. 1.* docet, secluso scandalo non peccari graviter per ejusmodi neglectum. Nullus quoque morbus indignum reddit divino epulo, ne quidem fluxus menstruus.

At decènne gladio accinctum adire Synaxin? Respondet Joann. Sanch. *Disp 45.* decere omnino, ut Equites militar s ita accedant, quò etiam tunc faciant quasi professionem sui Zeli pro fide tuenda. Lex nulla jubet deponi gladium, consuetudo non videtur obligare, nisi aliquando ratione scandali, obmurmurationis &c.

351 Loquendo nunc de dispositionibus animæ, præter immunitatem à peccato veniali, ac mortali, explicatam *Casu XV.* itémque immunitatem à censura, de qua ferè ratiocinandum, ut de priore, non est ad effectum hujus Sacramenti *primarium*, qui est collatio gratiæ (*per se secundæ, per accidens primæ* quandoque) sanctificantis, teste S. Thomâ *quæst. 79. art. 1.* necessaria *actualis* devotio, exercitium quarundam actionum supernaturalium, licèt sit necessaria ad illum effectum *secundarium*, qui est refectio spiritualis dulcèdinis. Idem S. Doctor *distinct. 8.*

352 Hanc spiritualem dulcedinem singulariter impedit distractio *voluntaria* tempore sacræ communionis, ut docet, proh dolor, nimis frequens experientia; quam distractionem tametsi Joannes Sanchez *Disp. 23 num. 22.* expressè negat, esse peccaminosam ratione hujus, quantumvis sacratissimæ actionis, censeo tamen, hanc negationem repugnare communi imperitorum, peritorúmque judicio, ipsique rationi; verè enim *moralem* indecentiam, culpabilémque rusticitatem admittit, qui non dignatur animum, mentem, cogitationésque advertere ad tantum hospitem, tam dignanter venientem ad se. Vide, quod ex Georgio de Rhodes retulimus *in Clavi Alphabetico - Sacramentali sect. 6. num. 259.* & adde, insinuari à P. Thoma Tamburr. *De Sacrificio. Lib. 2. cap. 3.* omnino *in fine*, si jungatur iis, quæ tradit ibidem *num. 9. & 10.* quòd peccet mortaliter admittens tunc sponte distractiones, quarum nomine veniunt illæ solæ cogitationes, quæ avertunt à piis, & devotis; possunt verò utique esse piæ, & devotæ, licèt non versentur *immediatè* circa Christum Dominum, sufficit, si circa objectum, quod sit aptum concitandis sanctis actibus.

At tenebitúrne contritionem elicere is, qui 353
sumpturus est hostiam, ne eam conculcent hæretici, juxta dicta in calce Casus præcedentis? Laymann. ait, hostiam esse hìc sumendam cum reverentia. Suar. asserit, esse veram Communionem. Dicastillo *Disp. 9. num. 6.* sentit, posse non contritum eam sumere, quia excusatur angustiâ temporis. S. Thomas *art. 3.* docet, tactum hostiæ factum à peccatore, esse vetitum illis verbis: *Noli me tangere.* Ex quibus 354
omnibus infero, adesse *per se* etiam in hoc eventu verè obligationem conandi elicere contritionem. Et ita primùm nuper respondi in Casu recentissimo Eucharistiæ ab ægro rejectæ cum sputo. Consentit apertè Diana *Part. 11. Tract. 6. Resol 2.* nolens vocari in dubium, atque Lugo apud D Reding *Tom. 6. quæst. 6. art. 2. Controvers. 1. num. 11. 12.* observantem, vix defuturum tempus sufficiens eliciendæ contritioni, si absit perturbatio, distractio, ignorantia &c. et adferentem hanc rationem, quòd actus contritionis sit instantaneus.

Quid verò pronuntias de illis, qui rectà è con- 355
fessionali pergunt ad altare communicaturi? Respondeo, eos, si quidem aliquod lethale crimen confessi sint, necessariò debere aliquod temporis spatium interponere inter Confessionem, & Communionem, opinatus est Marsilius teste Palao *cit. Tract. 21. punct. 12 num. 10.* at absque fundamento vero. *Sed talis non est ritè dispositus?* Resp. Unde hoc nôsti? Nunquid scriptum est: *Cor contritum Deus non despicies?* Nónne Confessio involvit contritionem perfectam quoad effectum? *Sed nihil perfecit de Pœnitentia injuncta à confessario.* Ubi scriptum 356
est, esse *totaliter* vel *partialiter* priùs persolvendam? Atqui nulla obligatio est asserenda sine lege, *c. Legatur. 24. quæst. 2.* Itaque si nequeas commodè interponere aliquid moræ, sine ullo scrupulo surge, & vade rectà, sed modestè ad Magistrum, qui vocat te. *Joann. 11.*

Nec morare novam pietatem illius Nova- 357
toris, qui referente Georgio Rhodes *De Euchar. Disp 1 quæst. 4. sect. 1. §. 3.* scribit, esse incredibilis audaciæ illum, qui commisit peccatum mortale unum, aut plura, Sacramento pœnitentiæ susceptò, & acceptâ in eo absolutione, statim ad Eucharistiam accedere, antequam *per magnum multorum mensium pœnitentiam* reconciliatus Deo sit. Rectè huic objeceris id, quod *cap. 2. De Transl. Episc. §. Sed neque.* refertur: *Quod non est sanctorum Patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum.* Item illud *2. Paralip. 19. Per quam viam transivit spiritus Domini à me* (ab omnibus Catholicis DD.) *ut loqueretur tibi?*

DE

DE MANU SACERDOTIS COMMUNICANDUM.

CASUS XXI.

Indiscreti.

SECTIO I.

Tractatio, & Administratio Eucharistiæ legitima.

SUMMARIUM.

Casus sacerdotis porrigentis ante patibulum pyxidem continentem Sacram Eucharistiam, ut hâc ratione liberaret morte reum capitis. 358.
Quid censendum de hoc facto? 360.
An liceat hostiam sacram deferre ad ægrotos solùm ob venerationem? Ibid.
Declaratur speciali casu de fundatrice Virginum Vrsulinarum. 361.
An hostia dari queat ad osculandum? 362.
De necessitate lucernæ ardentis ante venerabile Sacramentum. 363.
An ad sedandas tempestates, aut incendium exponenda sacra hostia? 364.
Casus circa hoc notabilis. 365.
Dispositiones præbituri aliis sacram hostiam. 366. & seqq.
An quivis sacerdos licitè *ministret alieno Communionem paschalem, quando non vult proprius præbere? 269.*
Casu speciali declaratur, quid alieno liceat in articulo mortis probabili? 370.
An deficiente parocho teneatur qui vis alius ministrare viaticum? 371.
Quis det sæcularibus potestatem ministrandi Eucharistiam in templis Mendicantium, quando celebrant in his? 375.
An admittat Sacrilegium, qui in peccato mortali ministrat Eucharistiam? 376.
An, quoties tangit, vel ad ægros defert sacram hostiam? 377. & 379.
An talis teneatur confiteri numerum Communionum, præbitarum in malo statu? 378.
An peccet, qui digito solvit sacram hostiam agglutinatam palato? 381.
Et qui digitis non Canonicis tangit? Ibid.
Et qui ministrat sine vestibus sacris, aut lumine? 382.
Aut non præmisso, Confiteor? Ibid.
Peccatori quatenns neganda Communio? 383, & seqq. (387.
An licitè *præbeatur huic hostia non consecrata?*
An licitè *infami sacra hostia deducto ad extrema? 388.* (389.
An intentato mortis metu petenti ad illicita?
Quoties Parochus teneatur Parochianis præbere Eucharistiam? 390.

Xenophontem, cùm ad patibulum duceretur, Sacerdos accessit, afferens in pectore absconsam sacram Eucharistiam parvâ pyxide inclusam, & illam manifestavit, ac Reus amplexatus est sacerdotem ostendentem. Dubitatum fuit, an ille supplicio liberandus, & Ecclesiæ tradendus esset? 358

Hunc casum facto ipso contigisse, testatur 359
his ipsis verbis P. Quintanadvennas *cit. Tr. 4. singul. ult.* & respondet quidem ad quæstionem illam *affirmativè*, probans alio prorsus novo invento, cùm scilicet Sacerdos aram portatilem dedit militi jussu supremi Ducis, seu Generalis jamjam necando, hácque ratione liberavit eum manu carnificis, quemadmodum pluribus retuli *in Alphabeto sacrificantium Cas. IX.* ubi disserui de altari necessario ad Sacrificium. Interim opportunè nunc

Quæritur I. *An sacerdos ille prior non gra-* 360
viter peccârit; & generatim quomodo extra casus Communionem concernentes debeant sacri Mystæ tractare sacram hostiam? Resp. I. Sacerdotem illum gravissimè peccâsse Quintanadvennas *loc. cit. num 9.* Nam delatio ejusmodi consecratæ hostiæ repugnat praxi Ecclesiæ, menti Prælatorum, reverentiæ hujus ter, quatérque Augustissimi Sacramenti, quieti, concordiæque publicæ. 2. Nec fas est, ad ægrotos, qui communicare non possunt, deferre sacram hostiam, ut eam, vel osculentur, vel adorent pro suo ultimo solatio, cùm etiam B. Pius V. mandârit, consuetudinem, sicubi est, id faciendi, prorsus tolli, ut testatur Congregatio Cardin. *in Trident. sess. 3. can. 7.* Henriquez tamen *cap. 55. num. 3.* & Tanner. *Tom. 4 Disp. 5. quæst. 8. num. 214.* id beneficii non negâssent homini Religioso efflictim petenti, & per omnes Belgii Provincias fuisse usu (quoad adorationem) receptum, testatur Chapeaville *de mod. administ. Sacram. tempore pestis cit. cap. 4. quæst. 15.* ac fatetur Suarez *Disp 72. sect. 4. per se* licitum esse, osculari sacram hostiam.

At quid responderent citati DD. ad hanc ef- 361
ficacem postulationem

Primæ Vrsulinæ.

Quæ in tenera ætate deposita à medicis, & tamen judicio parochi non muniendа divino Viatico efflictim petiit, & impetravit, ut saltem sibi adferretur sacratissima Eucharistia, ut saltem conspectu illius, cujus manducatio negabatur, roboraretur ad supremam luctam. Impetravit, inquam, atque subitò convaluit omnibus stupentibus. Erat huic puellulæ nomen Anna, è nobili familia de Xaitonge Divionensi, quæ postmodum nata Annos 39. instituit Dolæ Sequanorum Compagniam, seu Societatem Virginum Vrsulinarum, summè proficuam sexui fœmineo.

Ex resolutione, quam dabo, patebit, quàm diversa, imò opposita sint unâ, eademque de re judicia hominum. Ego hodie impertiren absque tergiversatione ipsam Communionem puellæ, aut puero tam notæ pietatis, tantæque peritiæ rerum sacrarum, quàm fuit hæc Anna. Rationes mei facti protuli *Cas. VI.* At non adferrem solùm conspiciendam, seu adorandam Eucharistiam, vetante scilicet B. Pio V. cujus inhibitio an latuerit illum parochum, ignoro.

362 *Sed dubito, utrùm æger sit idoneus ad Communionem?* Defer tunc illi hostiam, quia fortè poterit tunc communicare. Si nequeat, ostende illi adorandam, sed non osculandam: id quippe testantur repugnare praxi Romanæ Ecclesiæ, Cardinalis de Lugo *Lib. 1 Conf. mor. dub. 11.* Pax Jordan. *Lib. 3 Tit. 3. num. 38.* Barbosa *De Parocho cap. 20.* alii. Sicuti, & repugnat Tridentino Concil. *Sess. 25 cap. 10.* ac declarationi Card. in. à Gallemart adjunctæ, si intra claustra Monialium asservetur. Quintanadvennas *Sing. 3.* fusè cum Barbosa Jordan. & aliis contra Emmanuelem & Hieronymum Ro-
363 driquezios, 3. Quintanadvennas *Singul. Tr. 4. sing. 1.* damnat peccati mortalis parochum (& consequenter Superiorem alicujus monasterii) si eo sciente, & consentiente lampas ante venerabile Sacramentũ integro die non ardeat, & proinde non leviter delinquere ædituum, qui per tres, aut quatuor noctes relinquit lampadem extinctam; tum quia Paulus V. in suo Rituali mandat, continuò ardere illic lampadem; tum quia Theologi valde rigidè exigunt, ut tempore Sacrificii lumen sit semper accensum. Nostræ Synod. Constitut. *cit. Part. 1. Tit. 8. num. 20.* dicunt quidem: *Ardeat noctes, atque dies coram tabernaculo lampas &c.* non tamen utuntur verbo reatum noxæ lethalis inducente. Et scio pluribus locis, partim ob inopiam, partim ob longam consuetudinem, & etiam alicubi ob torporem non ita severè observari hanc doctrinam, quam non admitto
364 universaliter in tanto rigore. 4. Eædem Constitutiones *num. 26.* tolerant, ægre tamen, antiquum morem, quo plerique parochi ruri existentes cum sacrosancta Eucharistia loculo inclusa, & ex collo pendente, agros obequitant. At non permittunt *n. 25.* ut ad sedandas graves tempestates, vel magnum incendium, sacra Eucharistia extrahatur è tabernaculo, & ad portas templi opponatur grandini, aut
365 igni. Commendanda hæc solicitudo cavendi occasionem irreverentiæ. At non damnandum hoc

Felix ab eventu factum.

Ram ipse Hilæ Tiroleos Anno 1647. cùm mense Novembri urbis Parochus ad locum incendii diurni, Trojana busta minitan-

tis, detulit divinam hostiam, qua vix erat in aëre efformatum signum Crucis adversùs ignem, jam 12. ædes in angustissima platea depascentem, cùm subitò ventus flammam à domibus dissipavit ad mœnia proxima ædibus accensis, urbémque cultui Venerabilis Sacramenti apprimè addictam servavit.

Quæritur 2 *Quæ conditiones requirantur, ut* 366
sacerdos nobis datum nobis natum ex intacta Virgine porrigat postulantibus? Supposito ex Concilio Trident. *Sess. 13. cap. 8.* ordinarium ministrum hujus Sacramenti esse solum sacerdotem, respondeo ad hanc quæstionem

Requiri 1. ut sit præditus jurisdictione in illum, cui administrat; adeò ut *in Clement. 1. De privil.* statuatur anathema in Regulares, eam sine Parochi licentia præbentes Parochianis.

Nec sint audiendi Beja, Marzilla, & eis fa- 367
vens Barbosa *in Trident. Sess. 22. cap. 8.* rati, quemlibet sacerdotem pollere *delegâta* potestate ad Eucharistiam ministrandam cuivis, excepto Paschate, articulo mortis, & casu, quo oportet præbere ex præconsecratis, inque sacrario repositis. Nam hæc sententia, adversans communi, sufficienter refutatur per modò *citatam* Clementiam. Vide Palaum *Tract. 21. punct. 18. n. 1. & 2.* addente tamen Dom. Reding *cit. quæst. 5. art. 1. Controvers. 3. num. 7.* sufficere *præsumptam* licentiam parochi, consistentem non *in actu positivo*, sed *in mera non repugnantia* ejusdem parochi, quæ non repugnantia si adsit tempore etiam præcepti, etiam sufficiat, etsi in hoc casu rarò prudenter præsumatur adesse.

Excipe in primis casum extremæ necessita- 368
tis, quo in defectu Parochi, aut alterius ab ipso constituti, si quis Regularis, vel è suo templo, vel è parochiali viaticum deferret ad moribundum, rectè faceret. Fagundez *præcept. 3. Lib. 3. cap. 2.* cum multis contra non multos. Etenim meritò creditur esse tunc mens Parochi, Episcopi, aut Pontificum; saltem si quis è nostro Collegio faceret, jure faceret, quia 369
faceret munitus speciali privilegio Pauli III. in Bulla incipiente: *Licet debitum.* Et censet Pugnus *ad quæst. 82. art. 4.* si Parochus in Paschate (longè magis, si in morte) nequiter neget alicui Eucharistiam, esse mentem Episcopi, aut Papæ, ut præbeat alius quicunque sacerdos: quod & ego censeo.

Quin subjicio resolutionem, quam dedi 370
olim ad transmissum scripto ad me his verbis

Casum.

Titius alienus parochus rogatur ab ægro juxta opinionem, testimoniumque domesticorum constituto in proximo periculo mortis, ut ipsum provideat; quandoquidem prius

prius Pastor non vult ipsum accedere sed dicit, non esse periculum mortis, jubétque, domesticos infirmi redire ad se in crastinum, & proinde probabile est, non daturum licentiam Titio hodie, cùm crastino velit ipsemet accedere, & providere. Quæritur ergo, an Titius sine licentia proprii parochi saltem ex charitate teneatur providere talem infirmum. Et quid si timeat ab illo pastore odium, rixas, & inimicitias? Et si teneatur, an sub peccato mortali?

371 Partim respondi, partim respondeo. I. Si testimonium domesticorum est, spectaris illorum qualitatibus, ejusmodi, ut videantur plenam fidem facere de vero periculo; ne æger extinguatur sine viatico, si exspectetur in crastinum, tenetur alienus (desperatâ facultate parochi) providere Titium. Ratio est, quia etiam Regularis quisque sacerdos tenetur, deficiente parocho, ex charitate hoc Sacramentum administrare extremè periclitanti. Palaus *Tract. 21 punct. 20. num. 1.* testans, ferè omnes in hoc convenire, quia scilicet Sacrum Viaticum est sumum, & fortè necessarium bonum.
372 Unde infertur, hanc obligationem esse mortalem, cùm habeat objectum tam præstans, ac necessarium, & tam efflictim, ut suppono, petitum. Qua obligatione non liberatur ob odium, rixas, & inimicitias parochi, nisi fortè essent pergraves; nam tanta obligatio non tollitur, nisi per tantam causam.
373 II. Si verò testimonium domesticorum non elidit opinionem parochi, sed hic censetur prudenter, seu probabiliter judicare, non subesse periculum, tunc sanè alienus sacerdos non tenetur fungi ejus officio, cùm *generatim loquendo* non teneamur succurrere proximo, quando est probabile, illum non indigere nostrâ ope; tunc enim negantes hanc illi, utimur ratione probabili, ergo non peccamus.
374 Unde infero, ne licere quidem tunc usurpare officium parochi; nam DD. non permittunt, nisi in necessitate vera, ut alienus id munus obeat in articulo mortis: alioquin oriretur nimis magna confusio, & scandala.
375 Excipe deinde Religiosos Mendicantes, quibus per privilegia tum Corpori juris inserta, tum particularia permittitur, ut in suis Ecclesiis Eucharistiam præbeant cuivis Christi fideli; atque adeò ut etiam alteri simplici sacerdoti dare possint Superiores Religiosi facultatem eam præbendi. Suarez *Tom. 4. De Relig. Tr. 10. Lib. 9. cap. 3.* & Coninck *quæst. 82. art. 3.* Imò possint etiam Sacristani. Henriquez *cap. 55.* Sà, & Palaus *punct. 19. num. 11. Quid si autem nemo dederit facultatem?* Si sub tuo sacro quis petat communicare, ne dubita de *tacita* permissione Superioris Ecclesiæ, in qua Sacrificas.

Requiritur 2. Ut non sit irretitus censurâ, sicut solet explicari in materia *De Censuris.*

3. Ut sit in statu gratiæ; adeò ut Tann. *num.* 376
188. improbabilem vocet sententiam Paludani, negantis, sacerdotem, qui in necessitate ministrat Sacramenta, conscius peccati mortalis, peccare lethaliter, si non eliciat contritionem. Additque idem Tann. esse valde probabile, quòd, quoties sacerdos in mortali existens *mediatè*, vel *immediatè* tangit sacram Hostiam, vel eam defert, admittat mortale Sacrilegium. Sed hic Doctor est rigidior, quàm soleat, & 377
quàm hîc oporteat; quis enim jure vocet improbabilem sententiam, quam post Paludanum defendunt cum Diana tam multi DD. ab eo relati *Part 2. Tract. 14. Resol. 23.* & iterum *Part. 5. Tract. 14. Resol. 56.* itémque Barbosa *De Paroch. cap. 20. num. 17.* Dicastillo *Disp. 9. n. 10.* atque Vasquez *Tom. 2. in 3. Part. Disp. 156. cap. 3.* inde rectè probans, quòd sacerdos in aliis Sacramentis administrandis sit *immediatum* instrumentum Christi ad coferendam gratiam, quandoquidem conferendo Sacramenta cætera conficit illa, in hoc autem se tantùm habet sicut activa passivis applicans. Videtur 378
mihi quidem opposita sententia probabilior ob authoritatem Nicolai Papæ relatam *cap. fin. 15. quæst. 8.* sed hæc est ita tuta in praxi, ut confessarius non teneatur ex tali ministro quærere, quot hominibus circiter Communionem præbuerit sub uno sacro, etiamsi absque necessitate functus sit illo officio.

De tactu etiam *immediato*, aut translatione 379
facta in peccato mortali *simpliciter* nego cum Palão *Tract. 18. punct. 5. in fin.* post Suarez *Disp. 72. sect. 4.* quia non intercedit hîc tanta irreverentia, licèt meritò aliquam agnoscat S. Thomas *quæst. 80. art. 4.* Equidem Sacram Hostiam non semel tangit sacerdos toto spatio illo, quod intercedit inter consecrationem, & communionem; attamen Lugo, & Dicastillo relati suprà *Casu XVI* existimant, non committi Sacrilegium mortale ab illo, qui vix peractâ consecratione recordatus peccati mortalis post ultimam Confessionem admissi differt actum necessariæ contritionis usque ad instantem Communionem.

Et generatim memoriæ imprimendum est 380
dogma S. Thomæ *in Quodlib. 9. quæst 7. art.* sic pronuntiantis: *Periculosè determinatur aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur.* Quo sensu Germanus Gabriel Biel. *in 4. dist. 15. art. 2. in fin.* scripsit: *Incautum esse, & malum, asserere, aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, vel evidenti ratione.* Hinc ego aliquan- 381
do pronuntiavi, illum immunem saltem à gravi culpa, qui digito solvit Sacram Hostiam palato agglutinatam. Et quis damnet gravis noxæ sacerdotem, qui digitis non Canonicis tangit scienter hostiam? Aliquam hîc

agnoſco, ſed non gravem, quia tota manus conſecratur, quando novus ſacerdos creatur.

382 4. Requiritur, ut non adminiſtret ſine veſtibus, vel ſuperpelliceo, vel Alba, & ſtola; nec ſine lumine & prævia confeſſione generali; adeò ut Tanner. *num. 198.* dicat, illum ob levitatem materiæ fortè duntaxat venialiter peccare, qui ſine lumine, & prævia confeſſione generali hoc Sacramentum diſpenſat. Sed rectè negat Suarez *Diſput. 72. ſect. 4.* ac Diana *Part. 10. Tract. 10. Reſol. 80.* ſecluſo ſcandalo, & contemptu, delinqui mortaliter omittendo illam Confeſſionem, & accenſionem luminis. Quod quidem adhuc rectiùs negatur caſu, quo ſacerdos ſtatim poſt ſumptum calicem præbuit accedentibus Synaxin, & finito Sacro advenit alius; nec enim gravis peccati periculum eſt, ſi aut non repetat *Confiteor*, aut non ardeat cereus pro communicantibus accendi ſolitus; quamvis cæteroquin utrumque fieri deberet. Repeto ſententiam Doctoris Angelici: *Periculoſum eſt, determinare, aliquid eſſe peccatum mortale, niſi expreſſa veritas habeatur.*

383 5. Ut, quoniam *Matth. 7.* ſcribitur: *Nolite ſanctum dare canibus*, ſacerdos hunc fructum ventris generoſi non diſpenſet iis, quos lex *Divina*, vel *Eccleſiaſtica* jubet abſtinere. Quare illum negabit peccatori *publico* petenti *publicè*; *occulto occultè*, ſi videlicet ejus crimen aliunde, quàm ex confeſſione ſacramentali cognovit, ut accuratè, & diſtinctè inter cæteros explicat Tannerus *cit. quæſt. 8. à n. 199.* Noſtræ Synod. Conſtitut. *Part. 1. Tit. 8. n. 7.* de
384 publicis peccatoribus ita ſtatuunt: *Publici concubinarii, fœneratores, blaſphemi, & alii ejuſmodi facinoroſi homines ſemel, bis, térve ſub ſpe emendationis ad pœnitentiam, & Sacram Communionem admiſſi, ſi poſtea eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, ampliùs ad Communionem non admittantur, donec eos viam, & mores emendâſſe, parochi perſpexerint.*

385 Quam ſanctionem ita intellige, ut tunc non ſint ad Communionem admittendi quando non conſtat, eos eſſe *ſacramentaliter* confeſſos; ſi enim conſtet *publicè*, non eſt eis *publicè* neganda Sacra Communio, dumodo ſcandalum publicum (v. g. concubina) ſublatum
386 ſit. Tannerus *loc. cit. num. 206.* Si autem non conſtet, ejuſmodi *publicum* peccatorem eſſe confeſſum, vel indiciis *externis* conſtet, Confeſſionem non fuiſſe rite peractam, ob indicia perdurantis peccati, ut ſi adhuc concubinam in domo retineat uſuras exercere pergat, poteſt, & debet negari Sacramentum, dicendo, iſtum hactenus, ut conſtat, *publicè* in hoc, vel illo peccato vixiſſe, & necdum, ut apparet, ſeriò pœnitere, & ſatisfacere de peccatis, cùm adhuc concubinam retineat &c. idcirco ad Communionem admitti non poſſe, donec *publicè* veræ pœnitentiæ ſigna edat, & ſcandalum tollat. Sic poſt Navarr. *cap. 8. numero 11. & cap 21. num. 55.* loquitur Tannerus *cit. numero 206.*

Quid ſi autem ex ſola Confeſſione ſacramentali 387
noverim, illum, qui aram accedit, eſſe indignum dape Angelicâ? An non prudenter agam, ſi loco hoſtiæ conſecratæ præbeam non conſecratam? Reſp. Licèt S. Bonavent. Altiſiodor. Adrianus, atque alii apud Tannerum *loc. cit. num. 215.* exiſtimaverint, poſſe id fieri, ſi & pœnitens conſentiat, & ſacerdos cum hoſtiâ non conſecrata ſimul teneat in manu aliam conſecratam, ut etiam circumſtantes debitum objectum ſuæ adorationis habeant, rectiùs tamen à S. Thoma *quæſt. 80. art. 6. ad 2.* pronuntiatur, id nullo modo eſſe faciendum, vel quia ſacerdos hoc faciens, quantùm in ſe eſt, facit idololatrare illos, qui credunt, eſſe hoſtiam conſecratam, ut loquitur S. Doctor; vel quia ſimulatio, & fictio in re tanti momenti averſanda penitus eſt, ut argumentatur Tannerus *loc. cit.* atque alii.

At ejuſmodi peccator publicè infamis devol- 388
vitur in periculum mortis, quid aget parochus? Reſpondet meritò Suar. *Diſp. 67. ſect. 2.* & cum illo Tannerus *num. 209.* ad id, ut ei Communio præbeatur, ſatis eſſe, ut pro temporis conditione ritè confiteatur; aut ſi non poſſit, certa ſigna contritionis oſtendat. *At laboret* 389
prægnante, ſeu gravi ſuſpicione grandis criminis, quod tamen pernegat, ſe patrâſſe, quid agendum? Reſpondent rectè iidem, eſſe ei potiùs fidem habendam in tali articulo, quàm aliis, ac proinde impertiendam Synaxin; debere autem, quoad poteſt, tollere occaſionem ſuſpicionum, & ſcandalorum. Plura de Sacramentis non miniſtrandis indigno tradidi *ſuprà in Clavi Alphabetico-Sacramentali ſect. 6. num. 267. & ſeqq.* ac nominatim *num. 272.* reſolvi illam quæſtionem: An ſaltem ad evadendam mortem intentatam, *licitè* miniſtretur aliquod Sacramentum *publico* peccatori? Et *num. 276.* An in ſimili periculo *licitè* præbeas Euchariſtiam volenti hanc profanare calcando, adhibendo ad uſus illicitos &c?

Quæritur 3. *Quoties teneatur parochus ſuas* 390
oves paſcere pane ſuaviſſimo de cælo præſtito? Reſpondeo 1. Quoties eæ tenentur illum petere, ut E. G. in Paſchate, & in articulo mortis: nam parochi maximè idcirco habent jurmetendi carnalia ſuorum, ut tunc ſeminent eis hoc ſpirituale frumentum Electorum, & dent illis hanc eſcam ipſorum in tempore tam opportuno. 2. Quoties rationabiliter extra 391
hæc tempora petunt. Reginald. *Lib. 29. num. 96.* Bonac. *quæſt. 5. punct. 1.* & alii communiter; nam huc quoque facit allata ratio; atque adeò tum in ſolennioribus feſtis, de quibus expreſſè loquuntur noſtræ Conſtitut. Synod. tum etiam aliis per annum feſtivis diebus, ac Dominicis. Nam S. Auguſt. relatus *cap. Quotidie. De conſecrat. diſt. 2.* ſic loquitur: *Quotidie Communionem percipere, nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor.* Et maximè habenda eſt ratio ægrorum, poſtulantium crebriùs hoc cæleſte antidotum, ut dicemus inferiùs.

392 Dices: Sum novus parochus, & quidem loci, in quo nunc, ſicut & alibi, graſſantur varii morbi: *velim compendio tradas nonnullas Regulas, mihi circa ægrorum Communionem obſervandas.* Reſp. Ergo accipe ſequentes.

REGULÆ PRACTICÆ
Pro Viatico ritè adminiſtrando tempore mortalitatis, & peſtis.

SECTIO II.
Caſus, cui nomen *Duellum virtutum.*

SVMMARIVM.

Caſus ſumma cum virtute poſcentis exponi tempore peſtis. 393.
Traduntur 14 Regulæ miniſtris Euchariſtiæ notanda tempore peſtis. 395. & ſeq
An liceat tunc reſpuere antidota contra peſtem? 397. & ſeqq.
Exempla eorum, qui mortem ſibi accerſierunt. 400.
Practica, & facilis cautela ad evitandam contagionem. 402.
Quid aget parochus, intellecto, parochianum eſſe in ſummo periculo mortis? 404.
An licitè curret per plateam? 406.
Qui ſolitus ſit deferre ad ægrotos Sanctus Franciſcus Saleſius. 408.
Quatenus liceat è propria hoſtia decerpere aliquid pro communicaturo. 411.
An liceat præbere hoſtiam digitis non canonicis, quando canonicis nequit. 412.
An ſine ſtola, ſuperpelliceo, aut lumine? 413.
An cum periculo mortis? 414.
Quoties miniſtranda Euchariſtia infirmis? 426.
Sacerdos miniſtret ſibiipſi, ſi deſit alius. 429.
Quantâ reverentiâ S. Franciſcus Xaverius ſit ſolitus miniſtrare Euchariſtiam. 431.

393 *PAter Marcellinus Albergotti impetratâ, ac propè extortâ precibus à R. P. Mutio Vitelleſco Generali Societatis poteſtate exponendi ſe ſervitio infectorum peſte Anno 1630. graſſante Florentiæ, ubi Collegii Rectorem, omnibus numeris abſolutum agebat, cùm inter cætera, quæ Pater Generalis reſcribebat, moneret, ut P. Marcellinus conſuetas in ſimili diſcrimine ſe conſervandi induſtrias ne omitteret, duxit, eſſe ſibi conſulendum eandem R. P. Generalem, utrumnam ſit majoris perfectionis, adhibere cautelas & induſtrias adverſus infectionem eo fine ſolo, ut quis vitam diutiùs conſervet in ſpirituale bonum plurium, an verò ſeſe in quævis periculà ſine ullis præſervativis, cæterique induſtriis promptiſſimè dare eo ſolo fine; ut quis tantò citiùs moriatur, & conſequenter conſtituatur in ſtatu, quo nequeat Deum ampliùs offendere? Hoc enim poſterius proficiſci ex amore Dei: prius illud ex proximi; & proinde hoc poſterius videri ſibi perfectius, vehementiùſque ſe ad id incitari quàm ad prius. Interim tamen dum accipiat reſponſum, ſe non omiſſurum induſtrias, de quibus monebatur ad cavendum; ſe tamen obediendi, non verò vitæ conſervandæ ſtudio facturum.*

Hoc duellum duarum (aut ſi mavis unius) 394
præſtantiſſimarum virtutum ſpectare, ſeu legere poteris apud Philippum Alegambe in libro, cui titulus: *Heroës, & victimæ charitatis Societatis JESV*, ad Annum Chriſti 1630. *Cap. 30.* Hujus occaſione ſit.

I. Regula. Si ſis parochus, aut ex juſtitia 395
tenearis peſte infectos munire Sacro viatico, cæteriſque Sacramentis, adhibe illas cautelas, & induſtrias communes, & vulgares, quas medici judicant neceſſarias ad evitandam contagionem, alioqui peccabis in almam juſtitiam. Ita ſenſit ipſe P. Albergotti teſte, ac referente Alegambe. Ratio eſt, quia communitas poteſt ſuo jure id petere à te; nec dubium, quin *tacitè* de hoc pacta ſit, cùm ſuſcepit te in ſtipendiarium; ergo teneris, quod enim jure exigitur, præſtandum eſt.

II. Regula. Peccabis *per ſe loquendo* adver- 396
ſus Regulas Theologicas, ſi ex ſola charitate procurans ſalutem laborantium morbo contagioſo, negligas cautelas, & induſtrias communes, neceſſarias ad conſervationem tuæ vitæ, eſto negligas ob finem indicatum ab illa victima charitatis. Ratio eſt, quia nemo eſt vitæ ſuæ dominus *L. Liber, ff. Ad Leg. Aquil.* ergo nemo *licitè* aliquid facit ex *directa* intentione vitam abrumpendi, ſicuti ex communi Theologorum trado, & declaro *in Theol. Juridico Morali Cap. 1. ſect. 3.*

III. Regula. At verò ſi obſequaris Regulis 397
Spiritûs ſancti, qui eſt Magiſter magiſtrorum, tum ſæpe ſanctiſſimè ages, ſi vitatis iis, quæ vitari præcipit (diſertè hoc exprimebat ille heros) naturalis ratio, negligas omnem illam curam, ea ſola de cauſa, ut brevi tranſferaris è corpore mortis hujus in ſtatum impeccabilitatis. Ratio eſt, quia minimè dubitandum eſt, 398
quin Spiritus Sanctus multos ſanctos, ac ſanctas inſtigaverit, ut aliqua non modò omitterent, ex *directa* intentione peremptionis propriæ, & per hanc peremptionem conſequendi, aut

conservandi aliquod bonum honestum, atque
3 Deo secundùm se gratum. Probatur in primis ratione, nam in ipso vivimus, movemur, & sumus. *Actor. 17.* adeòque est vitæ nostræ absolutissimus dominus; ergo potest impellere, suadere, imperare, ut omittamus, aut faciamus nonnulla eâ intentione, ut moriamur.
400 Probatur deinde variis exemplis, quibus ostenditur, Spiritum Sanctum fecisse in hac materia, quod potuit. Etenim secundùm Regulas Theologicas nefas est, sese objicere Tyranno ea sola de causa, ut quis hac ratione palmam Martyrii consequatur, sicuti authoritate Theologorum ostendi *in Alphab. Baptizan. Casu XVIII. num. 624.* ac sententiis Patrum illustrat Pater Raynaudus egregiè *in Lib. De Martyrio per pestem Part. 2. cap. 5.* & tamen plurimi coluntur ut veri martyres, qui id fecerunt. Rursum nefas est, seipsum *directè* occidere juxta Theologorum Coryphæum S. Thomam *22. Quæst. 64. art. 5.* Adeò ut sint, qui pro articulo fidei haberi velint hanc propositionem, & tamen complures sanctæ virgines se ipsas vel flammis tradiderunt, vel ex alto in imum, vel è continente in mare projecerunt castitatis, aut fidei tuendæ, demonstrandæve causâ impulsæ ab illo, cui *Sapien. 16.* dicitur: *Tues, qui vitæ, & mortis habes potestatem.* Et S. Ignatius utique censebat, regi tunc à Spiritu sancto suum calamum, dum scribebat ad Romanos: *Quòd si venire noluerint* (bestiæ, quas in se à tyranno immittendas confidebat, dubius autem, an hæ essent sibi parcituræ, nec ne) *ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer: ignoscite filioli, quid mihi prosit, ego scio.* Et quid dicemus de Sancto Germanico Martyre? qui, ut Baronius *in Martyrol. Rom. 19. Januar.* scribit: *Per gratiam virtutis Dei metum corporeæ fragilitatis excludens, sponte præparatam bestiam, damnatus à judice, provocavit, cujus dentibus comminutus vero pa-*
401 *ni Domino Jesu Christo meruit incorporari.* Hujus Spiritûs flamine agi se censebat P. Marcellinus, cùm talia de se scribebat; at quia certus non erat, ideo os Domini interrogavit, dum illum, de quo scriptum: *Qui vos audit, me audit*; fac & tu similiter.

402 IV. Regula. Ne jejuno stomacho accedas (nisi necessitas urgeat) peste infectum; halitum ejus, quoad potes, commodè declina; tene inter te, ac ipsum accensam faculam; utere vestibus, si habere queas, minimè villosis, ac muta frequenter, si potes, lustráque flammâ; si quam alterationem sentias in corpore, provoca sudorem copiosum. Huc spectat sequens

Casus secundi Borromæi.

DOmini, inquam, Alani de Solminihac, de quo nos sæpe in hoc Volumine, ac nominatim *Tract. 2. num. 592. Etenim cùm pestis depopularetur ejus Cadurcensem amplissimam, (utpote constantem septingentis parochiis;) Diœcesin, profugissentque parochi omnes, ipse ex uno pago in alterum, a summo mane ad seram vesperam currsitabat, omniúmque pestè afflatorum, & in his etiam puellæ, quæ vix expiata corruit ad ejus pedes mortua, homologeses excipiebat non modò jejuno stomacho, sed etiam neglectis omnibus antidotis, adeò, ut licèt medicus ipse insinuásset, plurimùm referre, ut antidota adhiberet, propter manifestum discrimen, cui se exponebat, reposuerit:* Haud alio sibi opus esse, quàm divinâ providentiâ. *Et verò re ipsa Deus ipsum conservavit, eóque malo nec ipse, nec domesticorum etiam eum comitarisolitorum ullus affectus fuit.*

Ita loquitur P. Dominicus Bisselius interpres *Ideæ Boni Prælati*, seu Vitæ Alani, referentis ad vivum Borromæos, & Salesios *Lib. 3. cap. 12.* Huic ipsi Casui applica doctrinam indicatam prioribus Regulis: absit enim, ut improbem in concreto.

V. Regula. Præter Diœcesanum Rituale, 405
seu Obsequiale, quod tibi pro foliis Sybillinis esse debet, tolle, lege. Relege toties *citatum* octavum Titulum *3. Part.* suarum Constitut. Synodal. Constantien. nominatim §. *19. 21. 22. 23. 24.* Utque harum lectionem tantò tibi familiorem reddas, noveris, eas esse succulentam, adipatam Synopsin Theologiæ Canonicæ, sicuti etiam sunt Brixinenses. Nostrum Obsequiale Diœcesanum in forma Extremæ Unctionis dissidet quidem à Romano, & communi sensu modernorum Theologorum, illâ tamen tutò uteris, quamdiu aliud non statuerint ii, quibus obedientiam promisisti, ut explicabo *Tract. 8. Casu XXI.*

VI. Regula. Ut primùm intellexeris, quem- 406
piam tuorum parochianorum periculosè decumbere, ad illum accurre, ne, si absque homologesi, & viatico decedens pereat, cogaris cum sera pœnitudine audire illam Juris Regulam *in 5. Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit*; & illam severissimam comminationem Domini Dei, *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezechiel. 33. Et quidem si sit vicinus Ecclesiæ, nec audias, esse periculum in mora, accede sine Sacramento; si autem intelligas, esse periculum in mora, sume cum vase clementiæ, scrinio dulcoris, sacratissimo, inquam, Christi Corpore Sacrum oleum, & fac deinde, quod ratio recta suaserit. Si multùm distet, fac hoc ipsum; & etiam non jejuno præbe viaticum, quamvis probabiliter posset postridie jejunus illud sumere propter causam indicatam *Casu XVIII. At licebitne mihi vehi equo?* Exerce tuos validos pedes; nam 405
id *per se loquendo* faciendum pronuntiat Barbosa *cit. Cap. 20. De Paroch. num. 51.* post Possevinum. Si tamen ratio tempestatis, distantiæ, periculi in mora, aliud suadeat, utere beneficio caballi, quod tibi permittunt tuæ Constitut. Synod. *loc. cit.*

Quid si autem me festinare oporteat currendo? 406
Ne-

Negant, fas esse, tunc deferre, Barbosa, Jordanus, Bonacina *Quæst. 5. punct. 2.* eò quòd cursus videatur dedecere majestatem illius, quem gestas. Ego autem cum Quintana dvenna *Tract. 4. sing. 8.* Diana *Part. 10. Tract. 16. Resol. 80.* & aliis apud ipsum nego hanc indecentiam, nisi habeat adjunctum periculum aut lapsûs, aut veri, non autem duntaxat Pharisaici scandali.
407 *At non rencor*, inquit Bonac. & Barb. *num. 45. velle haberi pro stulto, ut ministrem alteri Sacramentum non necessarium.* Resp. Ad literam hîc imitaberis Apostolum profitentem: *Nos stulti propter Christum 1. Cor. 4.* Didacus Nugnus celebris nominis Theologus *Tom. 2. in addit. ad 3. Part.* S. Thom. *Quæst. 33. art. 2.* audet *impiam*, & *falsam*, vocare unius piissimi Doctoris, Suarezii, inquam, sententiam, opinantis, Parochum non teneri cum vitæ suæ probabili periculo extremè ungere ægrum jam Confessione, & Communione expiatum; quid de te ille pronuntiaret? Quamquam intra urbem frequentem, & interdiu non suaderem cursum. Posse in necessitate omitti gestationem luminis, sonum campanæ, rectè notat Jordanus *tit. Tit. 3. num. 32.*
408 Sanè Franciscus de Sales eruditione simul, & sanctitate clarissimus, & idcirco summo suo merito relatus in classem Cœlitum à S. D. N. Alexandro VII. priusquàm crearetur Episcopus Genevensis, solebat per urbes hæreticas deferre Sacram hostiam, sub veste abditam, sine ulla alia exteriore cæremonia, nisi quòd cum adhuc majore, quàm aliàs, gravitate, ac modestia incederet, uti legi in una è tribus haud parum diversis editionibus vitæ ejus. Et utique sunt laudandi illi parochi, quos scio è pagis catholicis, in urbes prorsus hæreticas detulisse ad periculosè ægrotantes mercatores, aut famulos divinissimam hostiam; detulisse, inquam, cum summa dissimulatione.
409 VII. Regula. Quando intra urbem est opus hoc Sacramentum pietatis deferre, defer tecum duas particulas, ne, quando redibis, obvii adorent continens pro antè contento; secùs si foras egrediendum sit: & sic moderare nostras Constitution. Synodal. *loc. cit. num. 12.*
410 VIII. Regula. Si contingat, tibi sacrificanti in aurem dici, quempiam è tuis parochianis subitò correptum periculoso morbo, nec habeas hostiam consecratam, consecra unam, si moneare ante oblationem. Dicastillo *Disp. 11. num. 114.* si autem post, particulam è tua diffringe. Dicastillo *ibid.* Barbosa *num. 45.* Quod ipsum tibi idem Barbosa cum Suarez, & aliis communiùs contra Zanard. permittit casu, quo quilpiam sub tuo Sacro, ex magna devotione, seu ex quacunque rationabili causa, ut addit Dicastillo, vellet communicare, alioqui cari-
411 turus hâc divinæ affluentiâ largitatis. Unde infert Tanner. *cit. Quæst. 8. num. 191.* in necessitate esse permissum, ut aliquam etiam magnam hostiam in aliquot partes divisam præbeas accedentibus. Non tamen per [illegible] Barbos. aut Card. de Lugo *Disp. 19. sect. 5.* [illegible] quando voles renovare hostiam in hierotheca, seu Monstrantia expositam, illius loco repo[illegible] nas eam, quam unicam consecrâsti in euc[illegible] crificio, quia & sic nimiùm mutilas sacrificium & videris agere contra *Cap. Relatum. De Const. dist. 2.*

IX. Regula. Si olim vel chiragra, (cave ne 412
ex intemperata calicum exsiccatione) vel aliud malum tibi auferat usum utriusque digiti Canonici, Bonacina *loc. cit. Part. 2* negabit tibi licere, Eucharistiam porrigere aliis digitis sanis. At ego cum Diana *Part. 10. Tract. 16. Resol. 80.* in vera necessitate judico, id posse fieri sine alia irreverentia; cùm enim tota manus sit utique consecrata, cur necessitas non faciat hîc quoque licitum *per accidens*, quod 413
per se est illicitum? Sicuti & censeo contra Bonac. *loc. cit.* defectum stolæ, ac superpellicei non esse tanti faciendum, quin iis deficientibus obligeris deferre viaticum jam exspiraturo; nam & cum tali defectu teneris administrare unctionem, teste eodem Bonac. & fecit id sæpissime S. Franciscus Salesius, ut refert unus ex ejus vitæ authoribus, & posse omitti accensionem luminis, retuli paulò superiùs ex Jordano; & denique etiam cum periculo vitæ esse Eucharistiam administrandam, censent multi, ut mox dicam.

X. Regula. Teneris cum periculo mortis 414
Eucharistiam ministrare tuis ovibus in extremo agone ob pestem, aut alium morbum constitutis. Suar. *Tom. 4. in 3. Part. Disp. 44. sect. 3.* & alii contra Philiarchum. Nam communi judicio hominum videtur parochis à parochianis dari sustentatio cum *tacito* pacto, ut sibi etiam cum periculo propriæ vitæ succurrant hac ratione, & in hac necessitate. Et intellige hanc Regulam in eo saltem casu, in quo ille æger non est confessus, aut absolutus, ut intelligi & restringi vult Diana *Part. 5. Tract 3. Resol. 53.* sanè non improbabiliter; vel in eo, in quo non habes bonas rationes existimandi, illum esse in bono statu, modò & tibi non impendeat extraordinarium periculum mortis, & tua vita non sit pluribus necessaria, præsertim pro Confessione; ut mavult Suarez. Vide dicta *Tract. 1. num. 113.* & seqq.

Ne autem verearis capto omnibus sensibus 415
impertiri absolutionem, si vel unus, aut una testetur, illum dedisse aliquod signum doloris de peccatis E. G. tundendo pectus, imaginem piè aspiciendo &c. Quòd si testem hujus rei non habeas, nec videris ipse, quid tunc agendum, dicam *Tract. 7. num. 602. & seqq.*

Fortè aliquando tibi proderit, meminisse 416
responsi, quod olim dedi ad Casum, per literas à quodam postea ad Abbatialem dignitatem ob egregias virtutes evecto Reverendissimo Domino propositum verbis sequentibus:

Ca-

Casus moribundi.

Lælius moribundus nullum exhibet signum contritionis, vel attritionis; loquitur quidem, sed tantùm de doloribus suis, quos identidem ingeminat; intuetur quidem crucifixum, sed monitus verbis, & signis de Confessione facienda, & denique ut saltem pectus percutiat, nil facit, sed ita se gerit, quasi nil horum intelligat, perseverando in deploratione dolorum suorum. Quæritur, an sit muniendus Sacro viatico?

417 Respondi, & respondeo breviter in hunc modum. Aut omnibus consideratis judicatur Lælius esse adhuc compos mentis, & tunc est pro impœnitente habendus, nullóque Sacramento dignus. Aut habetur pro destituto ratione; & tunc est muniendus viatico, extremáque unctione, nisi *positivè* constet, esse in statu peccati mortalis. Viatico quidem, propter causam allatam *num. 135.* Unctione verò, quia hæc facilius adhuc impertitur, quàm viaticum, ut
418 declarabo *in Alphab. Extremè ungentium.* Si denique dubites, an sit compos rationis, idem faciendum, quia in dubio favendum est potiùs homini, quàm Sacramento, ut generatim probo *in Alphab. Baptiz. num. 381.* Ideóque extrema unctio danda *sub conditione, absolutè* autem Eucharistia; esset enim ridiculum, si dicres: *Præbeo tibi viaticum, si es dignus.*

419 Et verò ex circumstantiis expressis in Casu censeo, potuisse meritò dubitari, utrùm esset compos mentis, nec ne, si fortè interrogatus de rebus prophanis respondisset aptè & consequenter: interrogatus verò de Sacris tacuisset; tunc quippe debuisset præsumi deliberata induratio, saltem si sciatur, fuisse malæ vitæ; nam de malo homine semper malum præsumitur. Farinacius *in praxi criminali Part. 3 quæst. 81. num 37.* Absolutionem non impertiissem ex sola etiam prudenti præsumptione probitatis; nam DD. probatiores non admittunt doctrinam cententium, posse impertiri absolutionem illi, qui non scitur, aut non præsumitur saltem sub dubio dedisse signum externum animi pœnitentis; qua de re disseremus *Tract. 7. Cas. XIX. num. 302. & seqq.*

420 Sicut verò judico ex allatis circumstantiis, dubium fuisse, utrùm Lælius esset mentis compos, nec ne, ita etiam censeo, dubitari posse, an ille aspectus crucifixi provenerit ex Religioso motu animi, an verò ex naturali quodam motu. Unde infero, potuisse, & debuisse, at solùm *sub conditione* donari absolutione Sacramentali, eò quòd in dubio de præsentia unius, pluriúmve conditionum requisitarum ad *licitam*, aut etiam *validam* administrationem Sacramenti necessarii, sit in necessitate declinandum potiùs in favorem animæ, quàm Sacramenti, ut jam dixi paulò antè.

Porrò ut tantò animosiùs succurras ægris 421
tempore pestis, stimula te ipsum exemplo tum sexcentorum aliorum; tum illius, quem exhibet tibi hic

Casus, & factum imitandum.

Cum Montilii urbe Galliæ pestilentia ferventer sæviret, P. Ludovicus Bovillæ Societatis Jesu concionator eximius, sibi solandam solus urbem, alios vel dilapsis, vel jam peste interemptis vindicavit, factus omnibus omnia, parochus, concionator, infirmarius; quærere eleemosynas, medicinas, omnia ipse partiri, ipse admovere, bis in die summâ illâ sacrorum necessitate celebrare, baptizare infantes, emortuos humare, Sacramenta languentibus præbere, donec illum hoc agentem, atque meditantem pestis invasit contagione venenatæ animæ, quam hausit à fœmina, quum ægram solaretur, & audiret confitentem.

Sic scribit Philippus Alegambe in libro, cui 422
Titulus: *Heroës, & victimæ Charitatis Societat. Jesu ad Annum Christi 1630. Cap. 1.* Nec dubita, illum imitari in sacrificando bis de die, imò & ter, si aliter nequeas satisfieri multorum devotioni, habebis patronum Suarez *Tom. 3. in 3. part. disp. 80. sect. 3.*

XI. Regula. Quandoquidem Venetus apud 423
Dian. *Part. 3, Tract. 4. Resol. 114.* & apud eundem *Part. 5. Tract. 3. Res. 50.* Marchinus & Marchantius, atque apud Jordan. *num. 23.* author *Praxis visit. infirm.* existimant, posse peste infectis viaticum præberi in aliquo instrumento, atque hanc praxin, ac sententiam probabilem vocant Barbosa *num. 46.* ac Jordanus *loc. cit.* admittítque Gavantus *in Enchir. Episc. V. Pestis num. 7.* contra Chapeaville, & alios ab 424
hisce citatos, idcirco si videas, id factitari à pluribus aliis Parochis, poteris eorum exemplum sequi. Non suadeo, ut tu morem inducas, quamvis, licèt faceres sine exemplo, te excusaret authoritas tantorum virorum. Est autem mo- 425
dus iste: Si Sacram hostiam imponas chartæ expansæ supra scabellum, ut æger possit eam linguâ excipere, aut imponas spathulæ, atque ita porrigas ægro, combusturus postea illam chartam, & abluturus spathulam. Sed ne hæc, aut similia factites, si aut sit certum periculum irreverentiæ, aut repugnent moribus tuæ Diœcesis; quia meritò plus aliis credis, quàm tibi. Vide nostrum Jacob. Reiss *loc. cit. priv. 55.* & maximè Marchantium *in Candelabro Tract. 6. Lect. 3. vers. Austeriores*, ubi enumerat plures modos practicabiles.

XII. Regula. Sæpe relege, & in usum re- 426
dige, quæ superiùs diximus de hostia præbenda, aut non præbenda non jejunis moribundis, vomi-

vomitum patientibus &c. Atque obsequere P. Antonio de Quintanadvenn. *loc. cit. sing. 7.* asserenti, parochum teneri petentibus ægris deferre, tum quoties illi putant, eam sibi esse necessariam ad superandam aliquam gravem tentationem, ferendos patienter ægritudinis dolores &c. tum quando postulant in aliquo solenniori festo Christi, B. Virginis, Apostolorum, proprii Patroni, &c. aut tempore Jubilæi, aut ratione consuetudinis, qua solebant sanè crebrò hanc memoriam mirabilium Dei usurpare; nam iis perquam difficile est, ab ea consuetudine penitus recedere. Ergo est hu-
427 ic consuetudini *aliqualiter*, si non *totaliter* condescendendum. *Parochus*, inquit Paulus V. *in Manual. Tit. De visit. infirm. inprimis spiritualem ægrorum curam suscipiat, omnémque diligentiam ponat in eo, ut in via salutis eos dirigat, atque à diabolicis insidiis salutarium præsidio defendat.*
428 Huic monitioni obtempera, D. Neoparoche, cavens ne occasionem des cuiquam jure lamentandi cum Jerem. Propheta *Thren 4. Parvuli petierunt panem & non erat, qui frangeret eis.* Video, hujus urbis animarum Curatores esse ad hoc summæ pietatis officium valde promptos. Vade, & tu fac similiter *Luc. 10.*

429 XIII. Regula. Ubi tu ipse in discrimen vitæ veneris, nec aderit alius sacerdos, qui tibi præbeat cœnam viaticam, præbe tu tibi ipsi, quia in hujus Sacramenti administratione non est *absolutè* necesse, ministrum esse distinctum à suscipiente; & tu ipse es Ordinarius minister. *Ergo si sanus nequeam facere Sacrum, licebit mihi in absentia alterius sacerdotis è sacrario accipere Sacram hostiam, eámque mihi ipsi ministrare?* Resp. Licebit in magnis festis. Bonac. *Quæst. 5. punct. 1.* post Suarez atque alios, à quibus non habeo, cur dissentiam.

430 XIV. Generatim quoties & quocunque loco administras hoc Sacramentum, illud obi cum reverentia interiore, & exteriore; útque memoria istius Regulæ tantò fortiùs inhæreat animo, imprime huic sequentem

Casum Xaverianum.

431 *Proprium Francisci erat, ubi id commodè fieri posset, sacrosanctam Eucharistiam submissis genibus ministrare populo; & eventus docuit, rem eam Deo cordi fuisse. Cosmus quidam Saraina, medicus nobilis, aliíque complures viri honesti, & graves liquidò affirmárunt, Xaverium in Coano templo positum genibus sacratissimum Christi Corpus præbentem populo, sæpe ab se esse conspectum, cùm ampliùs cubito sustineretur divinâ vi sublimis à terra, submissionem ejus à Deo efferri sentires.*

432 Hoc singulare specimen pietatis Eucharisti-

cæ scriptum leges apud P. Horatium Tursselin. *Lib. 6. cap. 5.* vitæ S. Francisci, sed non imitaberis, nisi ubi vita tua erit aliis Regula vivendi *Cap. fin. dist. 20.* quere igitur affectum, relinque Sanctis effectum.

APPENDIX.

AT *quid pronuntiandum de facto alterius, nunc quidem solùm*

Adjectivè, non *Substantivè* sancti?

VEnerabilis, inquam, Domini Petri Forerii a
Reformatoris, & Generalis Abbatis Canonicorum Augustinianorum in Lotharingia Anno 1623. illo, inquam, ipso Anno, quo in Aquitania etiam Reformator ejusdem Religionis enituit Illustrissimus Dominus Alanus, de quo *suprà num. 402.*

De illo Venerabili Petro Forerio memoria b
prodidit Vitæ ejus interpres Dominicus Bisselius ejusdem Sacri instituti sectator *Lib. 2. cap. 9.* *cùm ex ædibus moribundi referret ad templum Sacram Synaxin, cogeretúrque vicum angustum trajicere, ubi ex uno latere via erat arctissima, quæ duntaxat uni personæ transitum concedebat, ex altera verò erat lacuna perquam immunda, petulantem quandam puellam, cujus ecu virulentæ bestiæ occursum declinare consueverat Petrus, arbitratam, se reperisse occasionem, opere, quod optabat, exequendi, in patentiæ medio se statuisse, & oris habitu procaci illius præstolatam esse adventum; persuadendo sibi, eum saltem adactum iri, prope ipsam incedere, vestes ipsius contingere, quin etiam oculos in eam defigere. Verùm Petrus albâ sacrificali vestitus, Deum, omnis puritatis fontem manu tenens, præcipiti gressu priùs in cœnum abjit, & ad usque genua in illud se demersit, quàm puellæ appropinquaret.*

Ita P. Bisselius, qui, ut reor, mecum judi- d
cabit, reverentiam debitam Regi sæculorum, quem gestabat, *per se loquendo* exegisse, ut potiùs vel procacem puellam juberet ab ædituo præeunte cum cymbalo, adigi ad retrocedendum, propellive in ipsum cœnum, vel certè suam Sacram vestem affricaret profanissimæ, quàm desiliret in illam lacunam non absque omni periculo lapsûs, adeóque majoris irreverentiæ; nec dubito, hunc, divinâ, humanáque sapientiâ clarissimum, & *Adjectivè*, seu *Denominativè*, nondum *Substantivè*, seu *absolutè*, & oraculo Ecclesiæ sanctum virum, ita etiam judicâsse; quia tamen sæpissime placemus Deo, dum ipsum propter ipsum relinquimus, præsertim cum magna nostra mortificatione, ut erat saltem illa fœda commaculatio, electa tum ex Angelicæ, qua ab incunabulis ita claruit Petrus, ut quadrimulus ne quidem sororculæ ad mensam assidere vellet, modestiæ, verecundiæque teneri-

timo

rimo ſtudio, tum ut hac ſaltem ratione emendaret petulantiam puellæ, eam ob rem nolim hoc factum damnare in concreto, haud tamen imitandum arbitror.

DE MANU NON SACERDOTIS COMMVNICANDUM?

CASUS XXII.

Prædicandus.

SVMMARIVM.

S. Tharſitius Acolytus defert viaticum. 433.
Quatenus Diaconi licitè *miniſtrent Euchariſtiam? 435. & 436.*
An abſente ſacerdote præbeat talis ſibi licitè *Euchariſtiam feſtis ſolennibus?* Ibid.
Singulariter quando eſt ipſemet Parochus? Ibid.
An inferior Diacono licitè *in caſu neceſſitatis miniſtret Sacramentum Euchariſtiæ? 437.*
An merus Laicus? 440.
Declaratur practicè. *443.*
Probatur facto antiquiſſimo. 444.

433 *CUm S. Tharſitius Acolythus, & poſtea Martyr, Chriſti Corpus vitâ Appiâ deferret, nec vellet illud prodere paganis ſciſcitantibus, & explorantibus, quidnàm ipſe deferret? tam diu ab ipſis eſt quà fuſtibus, quà lapidibus cæſus, donec animam efflaret; cujus occiſi veſtes cùm excuſſiſſent omni diligentiâ, nil tamen Sacramentorum Chriſti in ejus manibus, ac veſtibus invenire potuerunt.*

434 Ita teſtatur Uſuardus *in Martyr. ad 15. Auguſti.*

Hoc exemplo, ut alia ſexcenta omittamus, clarum eſt, fuiſſe olim moris, ut non ſoli ſacerdotes eſſent miniſtri panis Angelici.

435 Quæritur jam: *An hâc quoque ætate alii, quàm ſacerdotes poſſint eſſe ejuſdem diſpenſatores?* Reſp. 1. Poſſunt Diaconi in neceſſitate ex mandato Epiſcopi, vel parochi. Textus expreſſus *in c. Præſente. diſt. 93.* 2. Abſente parocho poteſt hodiéque Diaconus in neceſſitate. Nugnus *in quæſt. 82. art. 3.* cum aliis; addens, hoc ipſum eſſe verum, licèt parochus, Epiſcopus, ipſe Papa repugnarent, eò quòd adhuc nihilominus adfutura eſſet *tacita* voluntas ſupremi omnium Pontificis, ſcilicet Salvatoris.
436 Verùm ejuſmodi repugnantia eveniet nunquam. Barboſa *De Parocho Cap. 20.* præter neceſſitatem requirit cauſam graviſſimam. Ego cum reliquis paſſim Theologis, nominatim Sanctgallenſ. *in Curſu Theolog. Tom. 9. Tract. 4. quæſt. 6. dub. 2* exiſtimo, ſufficere neceſſitatem agonizantis. Imò Quintanad. *Tract. 4. ſing. 8. num. 4.* extendit hanc poteſtatem ad feſta Nativitatis Domini, Immaculatæ Conceptionis Deiparæ & alia magna, ratus, rectè facturum Diaconum, ſi tunc publicè in templo (abſente ſacerdote) ſeipſum, alióſque communicet. Quod ſanè eſt *ſpeculativè* (praxin dirigit conſuetudo Diœceſana) probabile propter authoritatem *Cap. Diaconos diſt. 93.* & ſingulariter quando ille Diaconus eſt ſimul parochus, ut de Diacono parocho ſolenniter baptizante diſſero *in Alphab. Baptizant. Caſ. IV.*

II. Negat Nugnus *loc. cit.* poſt Sotum, atque 437
alios, eſſe ullo in caſu licitum jure *Divino*, ut quis Diacono inferior diſpenſet Sacram Euchariſtiam, probátque ex uſu totius Eccleſiæ. Nihilominus arbitrantur Valentia *Quæſt. 10. punct. 1.* Suarez *Tom. 3. in 3. Part. Diſp. 72. ſect. 2* Reginald. *Lib. 29. num. 93* Layman. Palaus *Tract. 21. punct. 12. num. 6.* Diana Sanctgallenſes *loc. cit.* alii contra Bonac. *cit. Quæſt. 5. punct. 1.* & pluresab ipſo relatos, haud peccaturum, imò optimè facturum, exprimit Suarez, laicum, ſi abſente Sacerdote in evidens mortis diſcrimen adductus, adeat templum, & hoſtiam è ſacrario reverenter eximat, ſibique ipſi miniſtret. Nam certiſſimum eſt, compluribus ſæ- 438
culis fuiſſe in more, ut Chriſtiani è templo domum deferrent ſacratiſſimum Chriſti Corpus, illúdque domi ſumerent. Nec apparet ulla lex nova, vel conſuetudo vim legis obtinens, quæ id prohibeat. Unde ego nequeo illam opinionem non vocare probabilem. Me non 439
latet, capitulo *Pervenit. De conſecr. diſt. 2.* inſinuari, nefas eſſe laico, tangere Corpus Chriſti, ſed ratio, qua nititur illud capitulum, eſt pridem uſu abrogata, ſcilicet prohibitio intrandi ſacrarium, & appropinquandi ad altare. Adde, quòd ille canon ſit deſumptus ex Concilio Rhemenſi, atqui Concilium Rhemenſe Rhenenſes, ſeu Rhenanos, Acronianos, accolas Danubii, non obligat in foro *interno*.

III. Quin imò iidem Theologi poſt Gloſſ. 440
Cap. Præſente. diſt. 93. cum Diana *Part. 5. Tract. 3 Reſol. 47.* & rurſum *Part 10. Tract 16. Reſol. 80.* cum Lezana *Tom. 4. conſulto 48. num. 83.* Palao *loc. cit. num. 8.* Rhodes *cit ſect. 3* ac Leſſio *in 3. Part. quæſt. 82. art 3. num 8.* probabile, & *practicè* tutum pronuntiante Dicaſtillo *Diſp. 11. num. 92.* contra Sotum. Silv. Vaſq. Nugnum, atque alios, cenſent, in caſu extremæ neceſſitatis, deficiente ſacerdote, & diacono, poſſe à laico bonâ conſcientiâ miniſtrari Euchariſtiam alicui alteri; tum quòd conſtet, fuiſſe olim frequenter per laicos delatam ad ægros, tum quod hæc praxis non repugnet juri *Divino*, imò nec *Eccleſiaſtico*, quia nullus textus excludit caſum neceſſitatis extremæ. Et quamvis Sotus hanc doctrinam vocet intolerabilem, ipſe tamen, & multi alii ſapientes, quandoque de nonnullis negant veroſimiliter actum pri-

primum, de quibus alii exhibent probabiliter actum *ſecundum*. Conſentit nobis recentiſſimus, & valde circumſpectus D. Auguſtin. Reding *Tom. 6. Theol. Schol. quæſt. 5. art. 1. Controverſ. 2.* ſcribens, & probans, noſtram opinionem eſſe non improbabilem.

441 Et quia ego cum Dicaſtillo *diſt. 11. num. 92.* Sanctgallenſibus, & Reiſs *privileg. 52.* eandem doctrinam autumo eſſe quà *ſpeculativè*, quà etiam *practicè* probabilem, ac tutam, idcirco ſi in montibus Sanctgallenſibus, Brigantinis, Uranienſibus, Tirolenſibus, Gruerianis, ubi parochiæ latè patent, contingeret, abſente parocho, quempiam, non priùs per confeſſionem Deo reconciliatum, repentè ita debilitari viribus, ut aſtantium judicio eſſet exſpiraturus, antequam accerſiri poſſent vel ſacerdos, vel diaconus, rectè & ritè ageret Theologiæ Moralis ſtudioſus, ſaltem ſubdiaconus, aut ætate maturus, & modeſtus per ferias Autumnales, in illis Alpibus degens, ſi amictus ſuperpelliceo, ac lotis manibus, cum magna reverentia deſumeret è tabernaculo ſacram hoſtiam, deferrétque (vel ſine lumine, ut vult Rhodes, vel cum lumine, ut cenſeo ego, quandoquidem delatio luminis ſit propter Dominum, non propter ſervum) ad ægrum, modò eſſet tam doctus, & cautus, ut publicè diceret, ſe didiciſſe in ſcholis, matrem Eccleſiam eſſe in ſuos filios, ita piam, ut in ejuſmodi extrema neceſſitate permittat nunc quoque fieri, quod antiquitus fas erat. Hâc quippe ratione tolleret occaſionem ſcandali puſillorum, & irreverentiæ notam. Nec pateretur ſe terreri, ſi objiceres, eſſe contra praxin, non eſt enim contra, ſed præter, quia ſcilicet talis neceſſitas non occurrit aliquo præſente, qui didiciſſet, eſſe *licitam* illam praxin.

442 Rurſum nec hoc noſtrum judicium adverſatur noſtris Conſtitut. Synodal. *cit. Tit. 8. n. 23.* vetantibus, ne quiſquam Curatorum ulla de cauſa tradat laico Euchariſtiam deferendam ad infirmum, nam loquuntur expreſſè de Curato, qui poſſet ipſemet deferre; quo etiam modo intelligendum *cap. Pervenit. diſt. 2. De conſecr.*

443 Et erit, qui probabiliter ex illa prohibitione noſtrarum Conſtitutionum inferret, actionem illic interdictam, fuiſſe in noſtra Diœceſi non ſemel uſurpatam. Etenim in Synodis aut Provincialibus, aut Diœceſanis non ſolent condi ſtatuta *prohibitiva* actionum imaginariarum, cùm Celſus *Leg. 4. ff. De legib.* ita reſponderit: *Ex his, quæ fortè uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur.* Porrò monet Rhodes, non eſſe opus dicere *Confiteor* in caſu, quem defendimus; ſicut nec eſſe neceſſe, ut talis miniſter eliciat actum contritionis de mortali nondum confeſſo, ſcribit Leſſius *in 3. Part. quæſt. 82. art. 3. num. 16.* câ ſingulari ratione, quòd non ſit ordinatus ad tale miniſterium.

Denique dicta confirmari poſſunt cùm aliis 444
pluribus, tum hoc ſpeciali, &

Antiquiſſimo Caſu.

CUm vir quidam, nomine Serapion, ſenex & ægrotus per puerum accerſeret ſibi Preſbyterum, & ille etiam impeditus morbo ad ægrotum ire non poſſet, per eundem puerum Euchariſtiæ particulam miſit.

Ita teſtatur Euſebius *Lib. 6. hiſtor. cap. 36.* ex vetuſtiſſimo Dionyſio Alexandrino, ſicut refert, nec ullo modo improbat Vaſquez *Tom. 3. in 3. Part. Diſp. 216. cap. 3.* Cùm igitur certum ſit, nihil agi contra legem Chriſti, ſi laicus deferat viaticum, certum quoque, fuiſſe olim *poſitivè* permiſſum, ut Laici deferrent deficientibus ſacris perſonis, ad moribundos Panem Angelicum, leges verò *Eccleſiaſticæ*, quæ poſt mirificè auctum numerum Sacerdotum interdixerunt Laicis ejuſmodi miniſterium, non videantur complecti caſum tantæ neceſſitatis, atque inſuper urgeat *per ſe* lex Chriſti de Euchariſtia ſumenda per modum Viatici; ac denique leges poſteriores correctivæ antiquiorum, ac limitativæ poteſtatis, conſuetudiníque legitimæ, debeant reſtringi potiùs, quàm ampliari, ut liquet ex notatis ad *Cap. 1. De nov. oper. nuntiat. Cap. Cùm expediat. De elect. in 6.* patet, doctrinam, quam defendimus, niti ſolido fundamento.

QUO FINE, ET EFFECTU COMMUNICANDUM.

CASUS XXIII.

Papalis.

SVMMARIVM.

Gregorius VII. ſumit Euchariſtiam in probationem innocentiæ. 445.
An liceat imitari hoc factum? 446. & 447.
Quid cenſendum de ſat communi phraſi: Ad probandam innocentiam communicabo cras? 448.
Cur hâc ætate dicantur tam multa repugnare reverentiæ erga Sacramentum, quæ olim non repugnabant? 450.
Cur aliqua verba cenſeantur eſſe blaſphema, alia non item? 451. (riſtiæ. 453.
Hiſpani ſaltant hodiéque in honorem S. Euchа-
S. Benedictus jubebat in honorem S. Euchariſtiæ ſolvi jejunium. 455.
Quinam ſint effectus Euchariſtiæ. 457. & ſeqq.
Euchariſtia probabiliter facit ex attrito contritum. 459.
Innuuntur quæſtiones particulares de modo, quo Euchariſtia confert gratiam. 461.

Venialia quomodo remittantur per Communionem? 463. (*pro alio? 465.*
Quatenus quis licitè offerat suam Communionem
In corpus ipsum redundat fructus Eucharisticus, & quomodo? 466.
Adeóque ipsa sanitas corporalis. Ibid.
Et singulariter quo pacto castitas? 467. & 468.
Ac resurrectio corporis? 469.
Quàm mirabilem cum Christo unionem efficiat in nobis Eucharistia? 470.
Unde proveniat, quòd tam multi percipiant tam exiguum emolumentum animi ex frequentissima Communione 471.
Refertur opinio P. Rhodes iterum, iterúmque relegenda. 472. & 473.

445 *Zoilorum, aliorúmque improborum calumniis laceratus Gregorius VII. & ab Henrico III. Rom. Rege de variis ingentibus sceleribus immeritò insimulatus, ut hinc falsas opiniones, ac judicia eximeret, Canusii in Lombardia inter sacrorum solemnia ci ad se accersito dixit: ut nôris, me purum esse illorum criminum, quibus me accusas, sumam nunc Corpus Christi, supplex rogans, ut, si reus sum, me subitaneâ morte interimat, si innocens, incolumem servet. Hæc præfatus divinissimam hostiam ore excepit, ac manducavit, non solùm sine ullo secuto supplicio, sed etiam absque omni metu. Invitavit quidem Imperatorem ad idem faciendum, sed recusavit.* Baronius prolixè *ad Annum Christi.* 1077.

446 Quæritur I. *Vtrùm hoc exemplum sit imitandum?* Respondeo, non esse, quia præsentium temporum consuetudo id vetat. Vasq. *in quæst. 70. art. 6.* meritò legendus. Nec est hâc ætate difficultas hac de re, sed de alia affini, an scilicet excusandi sint illi, qui, ut extorqueant incognitam sibi veritatem, dicunt: credam, te verum dixisse, si cras ad tuorum verborum confirmationem sumpseris sacram hostiam. Excusandos non esse, censent *absolutè* Palaus *cit. Tr. 21. punct. ult.* & Tanner. *quæst. 8. n. 212.* rati, hoc ipsum esse jure *positivo* prohibitum.

447 Sed quia neque textus Juris, neque ratio, quam adfert S. Thom. *quæst. 80. art. 6. ad 3.* neque alii canones vim habent, nisi in casu, quo petitur, ut Deus miraculo asserat innocentiam sumentis Eucharistiam, neque ex natura rei, ac per se ullam malitiam continet ejusmodi petitio, idcirco censeo cum Suarez *Disp. 76. sect. 6.* posse in aliquo casu eam permitti, cùm illius objectum sit revera aliquid instar meri juramenti, & quidem non planè inusitati, ut notat Suar. Attamen vulgò, & communiter usurpari non debet ob periculum. Equidem eruditissimus P. Theophil. Raynaudus *in Hoplotheca adversus ictum calumniæ* (quàm reperies *in Tomo 12. operum*) *sect. 6.* dicit, se ponere extra dubium, quòd spectato jure naturali, purgatio per sumptionem divinæ Eucharistiæ sit legitima, cùm plura illius exempla extent apud Gratianum *Caus. 1. quæst. 4.* nunc autem esse vetitam. Refert autem horrendum modû, quo hanc purgationem adhibuit jussu Episcopi Rupertus Abbas Limburgensis innocens.

448 *Quid si autem filia suæ matri, bonæ cæteroqui mulieri, sit suspecta de furto aliquo domestico, vel donatione facta è bonis paternis, an delinquet innocens filia dicendo:* quia mea chara mater mihi non vis credere toties inficiatæ, me quidquam illarum rerum surripuisse, vel alienâsse, ego cras in testimonium meæ innocentiæ confitebor, & communicabo: Ich will unsern Herrn darauff empfangen: *critice excusanda ejusmodi filia, offerendo se ad talem actionem, & mater admittendo?* Resp. Hunc casum sat frequentem, posse quidem facilius, crebriúsque admitti, quàm priorem, ut agnoscit etiam Tanner, non tamen esse passim permittendum ob periculum sacrilegæ communionis, quia confessio, communioque non debent facilè obiri ob fines, ad quos non sunt institutæ à Deo. Attamen si ejusmodi puella in tribunali Confessionis, diceret mihi, se destinâsse adhibere id genus testimonium suæ innocentiæ, eóque adhibito matrem deposituram suum phantasticum judicium, pacémque hâc ratione, & non aliâ redituram domum, ego absque ulla tergiversatione ipsi permitterem, memor Axiomatis à S. Thoma *quæst. 83. art. 6. ad 2.* æri incisi, & incidendi: *Ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod minus habet de periculo.*

449 Quæritur II. *Cùm toties in hoc Tractatu 4. meminerimus de actionibus decentibus, aut dedecentibus reverentiam debitam huic Augustissimo Sacramento: Cur hâc ætate dicuntur tam multa repugnare isti reverentiæ, quæ olim non repugnabant? E. G. comestio ante cibum Eucharisticum, asservatio in ædibus privatis, ejus administratio sine vestibus quibusdam, ac cæremoniis nunc usitatis, olim non item.* Resp. Ad hanc quæstionem nil responderi à pertractatoribus præsentis materiæ. Dicendum tamen est, sicut generatim consuevit *in 1. 2.* S. Thomæ ab omnibus, ut testatur Arriaga *Tom. 3. Disput. 41. num. 32.* etsi ipse ab hac sententia dissentiens, doceri cum eodem S. D. quòd lex aliquem actum præcipiens, aut interdicens, constituat illum in ea specie virtutis, aut vitii, cujus intuitu ea lex est lata. Sicut rursum Theologi 451
in 2. 2. S. Thomæ differentes de blasphemia, rectè observant, rationem blasphemiæ non esse tantopere desumendam ex natura actionis secundùm se sumptæ, quàm ex respectu ad judicium commune hominum interpretantium, vel non interpretantium hîc & nunc Deum vilipendi, vel contumeliâ afficí; esto revera hæc non intendat *directè* is, qui ejusmodi actionem exercet, sicuti videre est apud Sanch. *Lib. 1. Moral. cap. 32. n. 2. & 3.* ac Laymannum *Lib. 4. Tract. 9. cap. 8. num. 6.* & nos post *quartam* impressionem hujus Alphabeti, declaravimus *in Alphab. Quadrupl. Part. 3.* quæ tota est de blasphemiæ malitia, & emendatione. Ita etiam pronuntiandum est de irreverentia, quæ quandoque solùm idcirco dicitur inesse alicui actioni, quòd ea 452
nunc sit prohibita per legem, aut consuetudinem inductam ex intentione conservandi, aut promovendi cultum divinum debitum tanto Mysterio, quandoque autem idcirco, quòd homines alicujus certæ provinciæ aut regni, interpretentur exercitium ejusmodi actionis fieri ex quodam contemptu, vel vilipensione; quæ tamen interpretatio videtur niti aliquâ illius regni, aut provinciæ consuetudine.
453 Certè Hispani censent, à se magno honore affici hominem Deum, quando totis viribus, ut olim David coram arca Dei, saltant coram Augustissimo Sacramento, sicuti & Chinenses, quando coram eodem tegunt pileo caput. In Gallia, aut Germania nostra si quis id auderet,
454 haberetur pro Calvinista. Sanè huc applicari potest illud ex trivio Philosophorum: *Quidquid recipitur per modum* (id est secundùm modum, judicium, affectionem) *recipientis recipitur.*

455 Gloriosus ille Monachorum Patriarcha Benedictus in honorem ter, quatérque Venerabilis Sacramenti indulgebat suis filiis, ut non multò post sumptum panem cælestem sumerent terrestrem, solverentque jejunium, teste Dicastillo *Disp. 9. num. 442.* cùm tamen Clemens II. relatus *cap. Tribus gradibus. dist. 2. De consecrat.* in venerationem ejusdem Mysterii sic statuerit: *Si manè Dominica portio editur, usque ad sextam* (id est meridiem) *jejunent Ministri, qui eam consumpserunt.* Quam-
456 quam dubium non est, quin nonnulla ex ipsa rei natura repugnent reverentiæ debitæ huic Sacramentorum sacratissimo, ut e. g. ad illud accessus cum peccato mortali; levitate scurrili, atque histrionicâ; mentis distractione *directè* intenta, aut turpitudo carnalis statim post Communionem commissa. A quibus omnibus omnes custodiat Deus absconditus, & Salvator.

457 Quæritur III. *Quinam sint effectus divinissimæ Eucharistiæ?* Resp. Ab ipsomet S. Thoma tota *quæst. 79.* per septem articulos proponi, explicarique complures, quos enucleatius disserunt ejus commentatores, interque hos P. Franciscus Suarez, è quo breviter refero sequentes.

458 I. Hoc Sacramentum per se, & ex propria institutione confert gratiæ augmentum, ut magis, ac magis hominem cum Christo uniat. Ita omnes Catholici apud Suarez *Disp. 63. sect. 1.* Etenim Salvator ipse *Joann. 6.* dicit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Atqui potus & cibus uniuntur edenti, ac bibenti, suâque unione tribuunt incremen-

tum, & augmentum. Vide, quod in hanc rem dixi *Casu I. sub finem.*

II. Licèt hoc Sacramentum non sit institu- 459
tum ad deletionem peccati mortalis, seu ad conferendam *primam* gratiam, sicuti patet ex usu Ecclesiæ, quæ nunquam præbet Eucharistiam, nisi iis, quos existimat, esse mundatos à peccato per baptismum, aut Pœnitentiam, attamen vero similiùs docet S. Thomas *quæst. 100. art. 4. ad 3.* multique alii, repugnante S. Bonavent. Ensi, aliis, hujus ejusdem Sacramenti perceptione *per accidens* remitti peccatum mortale illi, qui lethali noxâ inquinatus, dolet de illa, sed *imperfectè*, quia videlicet solùm attritionem, non autem contritionem elicit. Ratio est, quia prudenter hoc ipsum 460
sentimus de omnibus reliquis Sacramentis, & de isto speciatim ideo, quod contineat *formaliter*, ac *realiter* ipsum authorem, fontémque propitiationis, & gratiæ. Suarez *cit. sect. 1. & 3.* Vide Nicolaum Ysambert *Tom. 1. in 3. Part. quæst 61. Disp. 1. art. 2.*

III. Quò magis dispositus accedis ad men- 461
sam Angelicam, eò plus gratiæ consequeris non solùm *ex opere operantis*, ut per se clarum est, sed etiam *ex opere operato*, siquidem est hæc indoles causarum, ut cæteris paribus tantò perfectiorem effectum edant, quantò magis dispositum subjectum reperiunt. Sic sentit idem Suarez *sect. 4. ibidem*, & *sect. 5. 6. 7.* disputans, utrùm hunc effectum conferat *simul*, an *successivè*, & an majorem, seu plures hostiæ una post alteram sumptæ, seu Christus sub diversis speciebus sumptus; & denique an hunc effectum causet, dum trajicitur in stomachum, an verò etiam postquam est trajectus, aut etiam postquam sint species consumptæ.

Horum discussione aliis relictâ refero nostri Petri Roverii in vita P. Cotoni *Lib. 3. cap. 7.* loquentis de hoc non sapiente minùs quàm erudito viro, hæc verba: Ut *in divinissimi Sacramenti complexu vitam exigeret, & olim curæ illi semper fuit, ut Sacramenti materia uteretur, si posset, densiore, ac copiosiore, quæ Christum ipsi hoc diutius præsentem sisteret, quò calori stomachi resisteret pertinaciùs, & in postremo hac participatione verisimile est Christi corpore adhuc corpus ejus inhabitante mortem illi obtigisse.* Quæ postrema verba alia occasione retuli suprà *num. 206.*

IV. Effectus quoque Eucharistiæ est gratia 462
actualis, seu illuminationes intellectûs, atque permotiones voluntatis, quas omnibus dignè communicantibus, ac postea non ponentibus obicem immittit certò Deus in tempore opportuno, idque vi hujus Sacramenti, seu intuitu obitæ communionis, esto sæpissime nihil tale advertamus, cùm præsertim sæpe consistat hic effectus in actu quodam divinæ providentiæ nobis ignoto, à nobis non comprehensibili. Ita idem Suarez *Sect. 9.* ex communi.

V. Venialia peccata dimitti per dignam 463
sumptionem Eucharistiæ, docent cum S. Tho-

ma cæteri Theologi: quod satis insinuat Concilium Tridentinum *Sess. 13. cap. 2.* dum aliter de mortali, aliter de veniali noxa differens ita loquitur: *Salvator noster sumi voluit Sacramentum hoc tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.*

464 Ut verò hæc peccata venialia deleantur usu Sacræ Synaxeos, non est utique necessarius tantus dolor, quantus per se, seu extra Sacramentum satis est ad ea delenda, sed sufficit, modò sis in statu gratiæ; & non retineas affectum vigentem erga illa; tunc enim mox suapte vi extinguet tuas veniales culpas veniæ largitor Deus; extinguet, inquam, *quoad reatum culpæ*, non verò *quoad reatum pœnæ*, nisi adferas dispositionem sufficientem expiandæ pœnæ; etenim nec scriptura, nec Patres ajunt, pœnas purgatorii minui per ipsam præcisè dignam sumptionem Corporis Christi, ut rectè & cum S. Thoma *cit. quæst. 79.* tradit idem Suarez *sect. 10.*

465 Nec obest, quòd multi prudentes viri suas communiones crebrò offerant Deo pro amicis vivis, ac defunctis. Etenim ipsa actualis perceptio hujus sacratissimi mysterii est opus excellentissimæ virtutis; scilicet religionis; habet igitur vim merendi, atque satisfaciendi; potes igitur illam, quà *satisfactoriam* donare alteri eo modo, quo cætera tua bona opera; item & quà *meritoriam* per modum meriti de congruo, pérque modum impetrationis, ut provide respondet Suarez *cit. Disp. 63 sect. 10.* in fine, rectè monente Raynaudo *in Heteroclitis spiritual. Lib. 1. sect. 1 punct. 1.* atque Rhode *quæst. 3. De Euchar. sect. 3.* Communionem tuam nemini prodesse posse *ex opere operato*, nisi tibi; & quando dicimus, nos velle communicare pro aliquo, esse etiam hunc sensum, quòd velimus ipsam præparationem ad Communionem offerre pro illo.

466 VI. In ipsum quoque corpus hominis redundat energia hujus cibi cælestis, ita quidem, ut per eam mitigetur fomes peccati, compescatur, inquam, seu refrœnetur pravus appetitus, atque inclinatio in malum; dum videlicet per Sacram Communionem excitatur in nobis ardor pietatis, raptus in bona supernaturalia; qui ardor suapte naturâ restinguit terrenum, carnalémque; ac præterea ob Synaxin piè obitam efficit Deus, ne occurrant nobis cogitationes, quæ solent excitare in nobis fœdos, aliósque inordinatos motus; efficit quoque, ne dæmon tam furiosè, ac rabidè nos tentet, quàm faceret, si non fuissemus refecti cibo vivo ac vitali, sicuti hunc effectum corporalem pluribus explicat idem Suar. *Disp. 64. sect. 1.* atque Joannes Sanchez *in selectis Disp. 22. num. 8.* post Coninck, Fagundez, atque Hurtadum. *Si enim*, inquit Sanchez, *extrema unctio salutem corporis causat, quid mirum, & illud præstare Eucharistiam? Imò contrarium mirabilius esset. Dicant quæso experti, num sanitatem validiorem persentiant sapius communicando, aut abstinendo, & satscio, fatebuntur communicando, ut rectè Suarez.* Disp. 69. sect. 2.

Hactenus Sanchez breviter, prolixiùs autem 467
Disp. 23. num. 30. cujus discursum, quia non dubito fore multis è meis lectoribus gratum cognitu, transferam illum huc, tametsi paulò longiorem. Cùm ergo hic gravis Theologus retulisset eventum, quem ex ipso descripsi suprà *num. 340.* quémque adscribit sumptioni Eucharistiæ, subdit hæc verba: Est enim apud sanctos uno ore receptum, divinum hoc Sacramentum contra omnium tentationum genera scutum firmum esse, maximè tamen in luxuriæ tentationes virtutem illius demonstrari. Sic D. Thom. *opuscul. 58. cap. 26.* explicat illud Zachariæ 9. *Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* ac si diceret: Quod bonum est & pulchrum per excellentiam in hoc Sacramento, eli Virgines germinare: germinare autem propriè convenit arboribus, dum ex eis surculi pullulant. Sic ex anima dignè hoc tam eximium Sacra- 468
mentum suscipiente, affectus novus puritatis oritur, adeò purus, quòd affectui Virginum suam virginitatem decernentium conservare, comparetur. Ex corpore autem dignè sumentis licèt *positivè* germen puritatis non exoriatur, *negativè* tamen oriri, dicendum erit, dum motus sensualitatis impediuntur, ne rationem conturbando, voluntatem ipsis consentire adipiscantur. Impediuntur, inquam, non quia Eucharistia aliquid *physicum* causet in appetitu, quo motus ejus non erumpant; sed solùm impediuntur *moraliter*, quatenus Eucharistiæ digna sumptio à Deo impetrat auxilia, quibus occasiones lascivè peccandi vitamus sanctis cogitationibus præventi, vel aliis, quæ licèt non sint sanctæ, ducunt tamen nos ad alia negotia agenda, quibus impedimur occasiones peccandi quærere; & auxilia quoque causat, quibus vincamus occasiones peccandi nobis oblatas, alia efficaciùs meditando tunc, quàm peccatum: quæ omnia promissa fuisse à Christo huic Sacramento, credunt sancti, & Theologi. Quapropter D. Cyrillus, ut refert Alphonsus Rodriquez *2. Tom. De perfect. Tr. De Commun. c. 10.* dixit, hoc Sacramentum non solùm animas, verùm & corpora sanctificare, & ob id Ecclesiam dixisse: *Fiat nobis ad salutem mentis & corporis.* Ad salutem, inquam, spiritualem, nam quòd caussa sit salutem corporalem, jam diximus *Disp. 22. num. 8.* Unde Viguerius *in institutionibus Theologicis de Sacramento Eucharistiæ vers. 18.* inquit, nullum medium ita efficax esse ad castitatem consequendam, quàm devotè sacram Eucharistiam sæpe recipere. Unde *Ecclesiastici 18.* dicitur: *Nónne ardorem refrigerabit ros?*

Sed

»Sed in hoc Sacramento continetur ros ille, »quem SS. PP. desiderabant, dicentes: *Rorate »Cœli desuper, & nubes pluant justum*, Esa. 45. »Et sicut Eucharistia est adversa carnis crimi»nibus, ita ut Eucharistiâ sumptâ non plura »patrentur; sic & carnis scelus obnoxium est »Eucharistiæ sumptioni, ita ut carnis labe com»missâ, pauciores sint Eucharistiæ sumptiones: »Tepidus namque redditur luxuriosus ad divi»na, & minus (*aptus*) ad mensæ sacratæ accessum. Ita piè & doctè Joannes Sanchez.

469 VII. Resurrectionem corporis nostri adscribunt etiam huic cibo cœlesti Suarez *Disp. 64. sect. 2.* atque alii plures post ipsum, non eo sensu, quòd vel omnes, aut soli communicantes resurrecturi sint, sed quòd illius cibi perceptio excitet *mediatè*, vel *immediatè* in nobis gratias *actuales*, quibus adjuti elicimus actus virtutum promerentes gratiæ augmentum, & consequenter majorem claritatem corporis in communi resurrectione. Et hoc ipso quòd Eucharistia sit instituta ad tribuendam perseverantiam in gratia sanctificante, tribuit peculiari modo immortalitatem beatam, cujus utique particeps est corpus. Verbo, Eucharistiæ typus fuit, lignum vitæ, cujus perpetuus esus poterat facere immortales.

470 VIII. Denique eadem sacra Communio efficit in nobis quandam singularem unionem cum Christo, non solùm quatenus præcitè est nobis *substantialiter* præsens, *realitérque* in nostro stomacho, sed quatenus Christus in Eucharistia nobis per modum cibi præsens fit, miscetur, & confunditur quodammodo cum substantia suscipientis; ac præterea (contra quàm corporeo cibo accidit,) Christus in se ipsum convertit suscipientem, informat illum spiritu suo; nam qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo; ut enim cibus in me convertitur, sic transmutor spiritualiter in Christum, cibus in me vivit vitâ meâ, ego in Christo vivo vitâ Christi, scilicet amore, qui efficit, ut nihil præter ipsum cogitemus, nihil desideremus, nisi ei placere; cogitemus ut ille, amemus ut ille. Transformatio igitur fit per amorem & imitationem. Sic philosophatur P. Rhodes *Disp. 1. De Euchar. quæst. 3. sect. 3.* declarans hunc modum unionis testimoniis SS. PP. Vide de plerisque his effectibus Reverendissimum Dominum Reding hîc *quæst. 6. art. 5. Controvers. 1. num. 8.* ubi statuit, declarat, probátque hanc conclusionem: *Eucharistia proprius, ac primarius, & in quarto Perfectionis genere formaliter specificativo effectus est augmentum gratiæ; ex vi autem Juris per Deum repromissi, ac per Sacramentum moraliter impressi est actuale principium operationum dilectionis Dei, mediantibus gratiis actualibus vi prætacti Iuris conferendis eliciendarum.*

471 Claudo hoc Alphabetum quæstione difficillimæ resolutionis, scilicet quì fiat, quòd, proh dolor, tam multi Sacerdotes sæculares, ac Religiosi ex quotidiana, tam multi Laici ex octiduana Communione adeò parùm, aut nihil videantur proficere in spiritu, si ad augmentum gratiæ sanctificantis per Eucharistiam obtinendæ non exigitur necessariò immunitas ab omni peccato etiam veniali, juxta dicta suprà *num. 217.* nec devotio actualis juxta doctrinam alteram *num. 351.*

Respondet Georgius de Rhodes *cit. quæst. 3.* 472
sect. 1. §. 3. his verbis: Hîc mihi sanè, ut verum fatear, vix quidquam occurrit, quod dici posse putem; non enim satisfacis argumento, si dicas, habitus supernaturales non dare facilitatem, nec excludere habitus vitiorum, nec mortificare passiones; hoc enim licèt verum sit, tamen auxilia gratiæ tam copiosa, quæ recipiuntur ex tanta frequentia Sacramenti, omnino debellarent omnes vitiorum habitus.

Respondeo ergo tria. *Primum*, multos sibi 473
blandiri sæpe, dum existimant, se immunes esse à peccatis mortalibus; quibus tamen pleni sunt. *Secundùm*, illos nimiam (fortè, *minimam* debuit imprimere typographus, in hoc toto opere valde mendosus) gratiæ partem accipere in Eucharistia, & aliunde per distractiones, & vitam tepidam obruere illa auxilia gratiæ, quæ propter habitus malos intensissimos illis prorsus inutilia sunt. *Tertium*, illos in pœnam tepiditatis insensibiles fieri ad divina, & propter contemptum levium peccatorum incidere in peccata gravia, per quæ Sacramentorum omnis efficacitas enervatur. Ita Theologus ille novus, simul & terrificus, sed salutariter terrens; diu antè præeunte sapientissimo P. Ludovico de Ponte, inter cujus Aphorismos *Ex Lib. 2. cap. 1.* Vitæ ipsius extractos, locum septimum obtinet hic: *Cùm Deus tam sit liberalis, & ego inops, necesse est, impedimentum inesse in meis peccatis, nec levibus, & nisi opera mea scaterent defectibus, dudum essem repletus gratiâ Dei per actiones de se tam efficaces, ut sunt oratio, Communio, &* NB. *Sacrum.* Quin Gonetius, referente, nec improbante Domino Reding *loc. cit. art. 2. Controvers. 1. in Corollar. n. 1.* monet, *eos, qui frequentiùs tepidè celebrant, meritò, & cum maximo fundamento timere debere, ne sint in statu peccati mortalis, si nunquam fermè ferventer accedant ad hoc Sacramentum.* Cui tepido non tinniant ambæ aures attonitu horum trium Theologorum?

Addo ego post Cajetanum, atque alios, 474
præservationem à peccatis mortalibus tantùm *quoad numerum*, quàm *quoad qualitatem* esse sine dubio magnam gratiam, hanc autem plurimis impertiri ob perceptum manna cœleste, nobis olim manifestabit is, quem nunc quidem videmus in speculo, & sub speciebus Eucharisticis, at postea facie ad faciem.

TRACTATUS QUINTUS,

SEU

ALPHABETUM SACRUM AUDIENDI, ET BREVIARII RECITANDI.

QUO

XIII. Præcipuis Casibus, multísque Aliis *FACTIS*, non *FICTIS*,

Declaratur Universa materia Sacri audiendi, Breviaríque recitandi.

Systema hujus Alphabeti.

SUm explicaturus Casu 1. Sítne Sacrum audiendum die Dominico? 2. An festo? 3. An quovis festo? 4. An integrum? 5. Quale? 6. Ubi? 7. Qua intentione? 8. Qua attentione? 9. An legens audiat Sacrum? 10. An Confitens, & Confessiones excipiens? 11. An dormitans? 12. An garriens? 13. An organœdus, & cantans audiant sacrum? 14. An à pueris audiendum sacrum? 15. An à famulis? 16. An à privilegiatis? 17. An à peregrinis? 18. An ab excommunicatis? 19. An à jejuno? 20. An ab impeditis? 21. Quo fructu audiatur pro se, aut alio? 22. Quæ pœna non audientis sacrum? 23. Quod officium recitantium Breviarium? Ubi per plures sectiones proponam, expediámque pleraque omnia dubia, quæ de penso Canonico tractant Theologi Morales, & præterea tum in hoc postremo, tum in cæteris Casibus Cardinalibus resolvam complura, quæ, mi Lector, agnoscés non esse inutilia, tametsi ab aliis præterita. Subjiciam toti Alphabeto tres Disputationes more Scholastico conscriptas, unam de intentione, alteram de attentione necessariis ad exequendum munus canonicæ precationis; tertiam denique de mutatione unius officii in alterum.

Porrò hunc Tractatum subjicio immediatè duobus præcedentibus, idcirco quod complures Theologi, post explicationem spectantium ad Sacramentum Eucharistiæ, differant de obligatione & modo sacri audiendi, cui dissertationi volui jungere pertinentia ad Officium Canonicum, idcirco quòd non liberet aut penitus supersedere tractatione hujus materiæ, aut peculiarem libellum de ea scribere, nec occurreret aptius, ut ita loquar, conjugium illius, quàm cum auditione sacri.

AN SACRVM SIT AUDIENDVM DIE DOMINICO, ET QVID SIT AVDIRE MISSAM, SEV SACRVM.

CASUS I.

Acronianus.

1 *ARbogastus auriga Acronianus, uno è diebus Dominicis, qui de more incidit in tempus plenæ vindemiæ, non interfuit rei Sacræ, sic ratiocinatus. Permittitur omnibus aurigis, ut libere vehant die solis, etiam horis antemeridianis mustum in loca distantia unâ, pluribúsque horis, ergo permittitur etiam, ut liceat abesse Sacro; cui enim licet unum, licet alterum quoque.*

Quæ-

2 Quæritur I. *Sine hæc argumentatio rustica-na, an Theologica? II. Quid intelligatur nomine* Missæ, *quando disceptatur de auditione illius? III. Quid sit audire Missam? IV. An omnes Christiani obligentur audire Missam singulis diebus Dominicis? V. An præceptum audiendi Missam die Dominico, sit* Divinum, *an mere* Ecclesiasticum? Quò aptiùs ad impediendum lectoris fastidium expediam hasce quæstiones, dividam hunc Casum, aut Caput in tres Sectiones. *Primâ* resolvam duas priores, *secundâ* tertiam, *tertiâ* quartam, & quintam quæstiones.

SECTIO I.

Quid respondendum ad Casum propositum? Item, quid intelligat in nomine Missæ?

SVMMARIVM.

Acroniani libere vehunt tempore Vindemiæ mustum diebus etiam Dominicis. num. 3.
Defenditur ille mos. 4
Non est tamen communiter licitus cum jactura Sacri. 6.
Sed nec licitè parochus vectationem impedit illatâ vi. 7.
Quid si oporteret propter Sacrum omittere vecturam? 9.
Quid si frustricus vehat ob solum lucrum? 10.
Quid sit Missa propriè? 11.
Quid Missa Sicca? ibid.

3 PRiusquam respondeam ad Casum, seu factum hoc loco descriptum, moneo illos meos Lectores, qui nunquam habitârunt in locis vicinis lacui Acroniano, seu Podamico, inundanti quandoque partem urbis Constantiæ, vigere consuetudinem planè immemorialem, qua vinearum Domini solent etiam non petitâ ullâ licentiâ, vel dispensatione, mustum recèns expressum curare devehi in cellas, in quibus asservandum est, ita procul distantes à vineis, ut aurigæ crebrò impendant vecturæ duas, trésve horas. Ratio hujus moris, minimè in multis aliis regionibus, etiam viniferis usitati, est, ut interrogans comperi, hæc, quòd scilicet propter paucitatem torcularium oporteat diu, noctúque sine ulla cessatione, adeóque ipsis etiam diebus Dominicis, ac festis, nisi hæc transferantur, ut explicabo *Casu III.*) uvas premere, nec mustum, quòd fortè die Sabbati expressum est, asservari queat in doliis, aut lagenis, in quæ immediatè infunditur, sine ingenti difficultate, ac damno

Sanè cùm Anno 1675. fuisset, tribus, aut etiam quatuor hebdomadis serius atque consueverat, videlicet pridie Omnium Sanctorum cœpta vindemia in vinetis Constantiæ vicinis, & assitis, aurigæ illo solennissimo festo duxére in urbem mustum, quà glaciatum, quà acerbissimum, quà mediocriter dulce

Non est autem in controversiam vocandum, 4
hæcne consuetudo excuset à peccato illos, qui eam sequuntur in implendis, onerandis, vehendis, seu curru, seu navi ejusmodi liquidis, & quandoque dulcibus, quandoque plus æquo acerbis mercibus; etenim hic mos, ut dixi, est vetustissimus, exercitus in oculis utriusque magistratûs, niténsque cautâ, quam attuli; rectè igitur pronuntiaveris de illo in specie, quod Gregorius IX in genere rescripsit, *Cap. fin. De consuetud.* scilicet, consuetudinem usque adeò valituram, *ut juri* positivo *valeat præjudicium generare, si fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.*

Igitur hoc solùm nunc pro praxi Acronia- 5
norum quæritur, utrùm ex legitimo illo antecedente, rectè intulerit Arbogastus, fas fuisse sibi omittere Missam? Et respondemus: minimè. Quoniam & correctio juris est vitanda. DD. ex *L. Præcipimus. Cod. De appellat.* & consuetudo contraria juri est odiosa; consequenter ergo restringenda. Petrus Peckius *in Tract. De restaurat. Eccl. Cap. 9.* atque alii omnes; & proinde nullo modo extendenda ad actus alterius rationis, eósque non consuetos; cùm etiam à diversis non valeat illatio *L. Papinianus. ff. De ædilit. edict.*

Si ergo Arbogastus, aliíque omnes, possunt 6
ante, vel post suum licitum laborem interesse, sicuti Sacra Congregatio Rituum apud Barbosam, *De offic. & potest. Episcop. allegat. 105 n. 4.* permittit quidem aliis etiam aurigis, seu vectoribus, ut cœptum iter prosequantur die festo, sed cum addito, ut priùs intersint rei Sacræ, si videlicet queant sine suo mediocri saltem incommodo, sicuti edisseremus *Casu XX.* Quare Parochus delinquet graviter, si sciens morem Arbogasti in sua parochia, non sese opponat arguendo, increpando &c. juxta illud Ezech. 33. *Speculatorem dedi te domui Israël.*

At, quid si Curio Arbogasti involâsset manibus 7
in frænum unius ex equis, junctus illi currui, non permittens progredi, priusquam Sacrum audisset? Resp. Fuit quidem abhinc Annos plus triginta aliquid simile patratum alicubi à viro zeloso, jámque pridem vitâ functo, haud tamen sum ausu horimitandi, quia abjicienda sunt remedia, quę veris periculis sunt graviora, illa autem vis, & coërcitio potuit esse gravius remedium, quàm omissio Sacri; quid si enim agrestis ille homo, sine respectu dignitatis sacerdotalis, protrusisset, vel scuticâ pulsâsset manum, caputve parochi? Quæ obmurmurationes? quæ scandala inde fuissent exorta? Et verò cùm 8
nulla jurisdictio in foro *externo* competat parochis. *Argum. Cap. De persona 38. junct. gloss. verb. Ab alto. Caus. 11. quæst. 1.* nisi sint aliorum Capita, seu Decani *Cap. 3. De offic. ordinar.* coërcitio autem talis sit actus quidam jurisdic-

ctionis, apparet ne justè quidem posse quid ejusmodi facilitari à Plebano.

9 *Quid si autem res eo sit loco, ut oporteat vel Missam, vel veterem omittere?*

Resp. In pagis non solet fieri nisi unum Sacrum, cui si nequeant se sistere illi aurigatores, consuetudo faciens jus vehendi, potest etiam facere jus non accedendi Ecclesiam; cùm enim quid conceditur, conceduntur omnia necessaria ad illud. *Leg. 2. De jurisdict.* imò & facilitantia illud. Infra *Tract. 8. n. 447. in App. Lit. d.* & necessitas (seu generatim causa) quæ excusat vacantem operi servili in festo, potest etiam excusare omittentem rem sacram, si Missam nequeat audire, nisi intermisso labore & opere, inquit singulariter Dicastillo *Tom. 1. in 3. Part. Tract. 5. disp. 5. num. 178.* Videndum igitur est, utrùm nequeat audiri Sacrum, nisi omittendo vecturam; ac refricanda memoria illius, quod paulò antè retuli ex Congregatione Rituum.

10 *Sed possum sine notabili incommodo omittere veturam.* Resp. Plerique non possunt, eorum privilegio fruere, si vis. *Vebo autem alienum vinum solius lucri causâ, quid mihi patrocinabitur?* Resp. Consuetudo; hæc quippe facit Domino musti jus curandi vehi, ergo & tibi vehendi; etenim in correlativis idem est judicium, & eadem disciplina; ut quod statuitur in uno, id intelligatur statutum & in altero. *L. Veteres ff. De action. empt.* & Regula correlativorum est Regula parium. Baldus *in L. Cùm te in Gallia. Cod. Si cert. petat.*

His *directè* dictis circa Casum illum particularem minimè *Fictum*, sed *Factum*.

11 Quæritur II. *Quid intelligatur nomine Missæ, quando disputatur de auditione Missæ?*

Resp. Nomine Missæ intelligitur hîc Sacrificium novæ legis, quatenus involvit omnia, quæ ex præscripto fiunt, dicuntúrque à prima formatione crucis, ad pedem altaris, usque ad finem secundi Evangelii. Dicastillo *cit. Disp. 5. num. 18.* probans ex communi sensu Catholicorum, indéque inferens, non intelligi Missam, quam vocamus *Siccam*, & quæ fieri (deficiente privilegio) consuevit in longa navigatione; hæc enim non habet rationem sacrificii, cùm nulla Consecratio peragatur in illa, in eáque recitentur solùm Epistola, Evangelium, & aliquæ preces. Azor. *Institution. Moral. Part. 1. lib. 7. cap. 7. quæst. 6.* Quare nemo tenetur eam audire, etsi commodè posset. Idem *ibid.* Aliam descriptionem vide *in Alphab. Sacrific. Cas. 1. num. 20.* Quid verò sentiendum sit de Officio solito celebrari in Parasceve, aperiam *Casu 3. num. 124.*

SECTIO II.

Quid sit audire Missam.

SUMMARIUM.

Quid sit audire Missam? 12.
Referuntur variæ descriptiones hujus actionis. 12, 13, & 14.
Exigit ea præsentiam corporalem, & moralem. 16.
In quo consistat corporalis? 17. & seqq.
Explicatur exemplis. 20. & 21.
Moralis præsentia quæ? 28.
Corporalis dividitur in corporalem Physicè, *& corporalem* Moraliter. 24.
Domi flectens, & audiens cantationem Missæ non censetur audire Missam? 27.
Surdus solùm, aut cæcus solùm verè audit Sacrum? 29.
Idem dici potest de surdo simul, & muto. Ibid.
At non de surdo simul & cæco à nativitate. 30. & 32.
Non est opus vel videre, vel audire sacrificantem. 35.
Nec obest, etsi hic sit à tergo. Ibid.

Audire Missam, non est, verba Missæ intelligere, quod plebei non possunt; 12
nec audire sacrificantem, quod surdi nequeunt; nec videre eundem, quod cæci frustra desiderant; sed est, vel esse præsentem Missæ, & vacare Deo. S. Antonin. *2. Part. Tit. 9. cap. 10. §. 2.* & Silvest. *verbo Missa 2. quæst. 6.* Vel corpore adesse, & mente attendere. Cajet. *in Summula, verb. Festum.* & Toletus *in Summa. Lib. 4. cap. 6.* Vel, sponte Sacrificio Missæ interesse. Azor. *loc. cit. Cap. 3, quæst. 2.* ac Diana *Part. 5. Tract. 6. Res. 8.* vel, Interesse Missæ *humano* modo, corpore scilicet & mente, in tali distantia, ut possit saltem videre sacerdotem, & attendere ad illius ministerium. Didacus Nugnus *in 3. Part. quæst. 83. artic. 6. punct. 2. dub. 2.* Bonacina *De Sacram. Disp. 4. quæst. ult. punct. 11. num. 1.* & Eligius Basæus *in Foribus Theolog. Moral. Tom. 1. verb. Missa. 8. num. 1.* Vel, corpore adesse, & mente attendere ad Sacrificium *Morali* & *Humano* modo. Pax Jordanus *Elucubr. volum. 2. libr. 11. Tit. 1. num. 75.* vel *humano*, & *Religioso* modo interesse Missæ. Ferdinandus de Castro Palao *Tract. 22. punct. 16. num. 1.* testans, se loqui ex sensu Omnium.

Has omnes breviculas descriptiones, seu re, 13
seu solis verbis dissentientes exprimunt authores hîc relati, quibus Dicastillo *loc. cit. num. 19.* addit hanc, aliquantò ut longiorem, ita etiam distinctiorem, cùm ait: *Nomine auditionis Missæ, intelligitur moralis illa, corporalisque assistentia, qua quis adest Missæ, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel certè ibi existendo, comitando, aut fociando cæteros videntes, vel audientes, ita ut* moraliter *censeatur præsens illi actioni.*

14 Veritatem hujus prolixioris, priorúmque breviorum descriptionum, complexus est Suarez *Tom. 3. in 3. Part Disp. 88. Sect. 3.* sic differens: *Verbum audiendi, vel tenendi Missam, non potest aliâ ratione commodiùs explicari, quàm ut fideles secundùm moralem, & corporalem præsentiam assistant Missæ, ut, quantum in ipsis est, audire, vel videre, seu percipere aliquo modo possint ministerium sacerdotis.* Sic ille, & post illum Filliucius *Tract. 5. num 209.* ut proinde audire Missam, sit secundùm *corporalem* & *moralem* præsentiam assistere Sacrificio Missæ. Pro qua descriptione intelligenda

15 Nota I. Verbum *audiendi Missam*, esto antiquissimum, utpote quod usurpatum jam fuit à Concilio Agathensi (est Agathe urbs Galliæ Narbonensis) celebrato Anno 506, sicut legere est *in Cap. Missas. De Consecr. Dist. 1.* referendo paulò pòst; quamquam pro *Audiant*, legunt Surius, & Binnius: *Teneant*; Hilpani verò, ut testatur Hieronymus Liamas *in Summa, seu Methodo Part. 3. cap 5. § 9* nonnunquam pro *audire* Missam, dicunt: *videre* Missam, quod etiam quandoque faciunt Galli, Itali verò utuntur vocula: *Sentire*, quæ est & generica & specifica, pro *audire*; Germani verò utuntur solo verbo audiendi, vel Missæ assistendi.

16 Nota II. Non solùm à Suarez, sed etiam à plerisque nominatorum scriptorum, expressè assignari duplicem præsentiam, scilicet *Corporalem* & *Moralem.*

17 *Corporalis* præsentia est ea, qua quis suomet corpore existit præsens eo in loco, in quo fit Sacrum; seu qua quis est corpore ita præsens Missæ, ut quantum in ipso est, possit aliquo modo percipere ministerium sacerdotis, seu quid agat, dicátve sacerdos. Suarez *loc. cit.* testans, hanc explicationem esse conformem communi sensui DD. Adhuc clariùs scribit Reginaldus *Lib. 19. num. 12.* de hac præsentia; his verbis: »Corpore censetur Missæ interesse, qui sic præ»sens est, ut possit aliquatenus cognoscere, quid »faciat sacerdos celebrans, & in qua parte Mis»sæ versetur. Nec obstat, quòd maneat post »altare, aut post parietem, etiam extra Eccle»siam (ut fieri solet, cùm locus non est capax »totius multitudinis) dummodo *Moraliter* cen»seri possit esse de numero eorum, de quibus in »Canone Missæ dicitur: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offe-*
18 *runt hoc Sacrificium laudis.* Eodem sensu Jac. Gordonus *in Theolog. Moral. Tom. 2. lib. 6. quæst. 7. cap. 2.* apud Dianam *Part. 4. Tract. 4. Resol. »65.* loquitur in hunc modum: Debet auditu»rus Missam esse corpore præsens, ita nempe, »ut possit utcunque agnoscere, quid agat, & in »qua Missæ parte versetur sacerdos celebrans; & dummodo hæc serventur, satis est, etiamsi »sit post altare, vel extra Ecclesiam, *sic enim* »*moraliter*, imò & *Physicè* potest dici esse de »numero illorum, qui in Canone dicuntur »*Circumstantes*: Et idem Reginaldus *ibid. num. »14.* sic ait: De hujus præcepti essentia vide»tur solùm id esse, ut Christianus sic interfit Sa»cro, ut offeratur pro eo, tanquam circumstan»te, isque cum sacerdote offerat saltem *virtua»li* intentione, qua possit censeri de iis esse, pro»quibus ipse sacerdos dicit, *vel qui tibi offerunt.*»

Fusiùs adhuc, & distinctiùs hanc *Corpora-* 19
lem præsentiam describit Ægidius Coninck *in »3. Part. quæst. 83. art. 6. num. 299. & seqq.* di»cens, talem præsentiam requiri in audiente »Missam, ut possit aliquo modo saltem in con»fuso notare, quid sacerdos agat, utrùm nimi»rum dicat Sacrum nec ne, & advertat aliquo»modo, quousque pervenerit, maximè circa »Evangelium, & Consecrationem, quia alio»qui non possumus *moraliter* exercere actus, ab»aliis Sacrum audientibus exerceri solitos; nec»verè dici possumus *moraliter*, seu *humano* mo»do interesse Sacro; & sufficit, si quis ista adver»tere possit sive ex signis, quæ dari solent, ut»ex tintinnabulo, sive ex aliorum gestibus. Ha»ctenus Coninck exprimente etiam Laymano *Lib. 4. Tract. 7. cap. 4.* sufficere, si ex signis quibusdam colligere possis, quid à sacerdote »agatur; exprimente quoque Georgio Rhodes *in Disp. Scholast. Tom. 2. disp. 2. De Sacrif. Missæ quæst. 3. §. 4.* sufficere, si sis pars multitudinis, quæ præsens dicitur.

Nec pigebit pro re ista quotidiana, facessen- 20
te quibusdam molestias animi, describere etiam verba P. Thomæ Tamburini *in Decalog Lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 12.* Sic philosophantis: »Satis est, ejusmodi assistentiam adhiberi modo »*humano*, vel audiendo, vel videndo celebran»tem, vel saltem ita fociando alios videntes »aut audientes (quamvis quis sit extra Eccle»siam, omnes præsentes non excipientem) ut ex»signis, & gestis Missæ aliqua colligere possit, »& ut ad multitudinem assistentium censeatur »pertinere; id quod certè semper contingit in »sacello parvo, etiam post columnam ejusmodi »parvi sacelli, etiam in Choro post Altare »pro Religiosis, aut Clericis ibi canentibus. At »in templo magno e. g. S. Petri Romæ, non sa»tisfaceres, si tu esses in una capella, & in alte»ra fieret Sacrum; multò minùs si ponè colum»nam ab altari distantem, vel post parietem »capellam dividentem, quia tunc tanta distan»tia, & divisio inter te, & Sacerdotem celebran»tem, nullis aliis personis intermediis, tollit »præsentiam *moralem*, nam propter contrari»am rationem satisfaceres, si adesset magna ho»minum multitudo, tu verò esses ex postremis »in magna illa Ecclesia, quia scilicet faceres »unam cum illa multitudine præsentiam.«

Hactenus Tamburinus; qui subdit, Moni- 21
ales satisfacere præcepto audiendi Sacri, quan-

do tempore Missæ sunt in loco post altare, quem in suis Monasteriis habent, & in quo solùm aliquoties recitant officium divinum, licèt habeant è regione altaris Chorum, è quo videre possunt sacrificantem. Subditque, *generaliter*, omnem præsentiam sufficientem ad Sacrum audiendum, sufficere ad lucrandam Indulgentiam, promissam visitantibus aliquam Ecclesiam; & vice versâ.

22 Ex tam variis authorum loquendi modis (quos retuli, non ut chartam implerem, sed ut jacerent fundamenta plurium Resolutionum adferendarum in hoc & sequentibus Casibus) inferes, præsentiam *Corporalem* esse illam, qua quis corpore ita est præsens loco, in quo fit Sacrum, ut possit rectè dici esse unus è numerò Circumstantium, seu adgeniculantium, ac proinde à nobis approbari omnia, quæ retulimus ex *citatis* authoribus, nullus enim est contrarius alteri, licèt unus distinctiùs loquatur altero. Quapropter dissentimus à Liamas *loc. cit.* expressè tradente, ad præsentiam *Corporalem* requiri, ut quis vel audiat sacerdotem, vel videat offerri hostiam; etenim sufficit, posse videre, vel audire, *immediatè* aut *mediatè*, mediantibus, inquam, iis, quæ expressit Coninck suprà relatus itémque Tamburinus.

23 *Moralis* verò præsentia, quam præter *Corporalem* exigi ab omnibus, dixi superiùs, est ea, qua quis adest Sacro, ut homo ratione præditus, non ut brutum, aut infans; atque adeò, qua quis interest Sacro libere, & Religiosè, seu *humano*, & *Religioso* modo. Palaus *cit. Tract. 22. punct. 10.* testans, ita doceri ab omnibus; quod testimonium est quidem verum, quatenus loquitur de Religiositate; at quatenus de libertate, non est *absolutè* verum, quandoquidem aliqui nobiles scriptores, ut videbimus *Casu VII.* asserunt, illum etiam satisfacere præcepto de Sacro audiendo, adeóque habere *Moralem* præsentiam, qui per vim detineretur in templo, contra omnem suam voluntatem.

24 Est verò ad confusionem, malámque interpretationem authorum cavendam, notandum, tametsi scriptores per præsentiam *Moralem* communiter intelligant illam, quam modò descripsimus, & quatenus opponitur *corporali*, attamen ipsammet præsentiam *Corporalem* dividi ab iisdem in corporalem *Physicè*, & corporalem *Moraliter*, ut videre est apud Palaum *loc. cit.* insinuántque verba Reginaldi, & maximè Tamburini, & exprimit Bassæus *Tom. 1.* 25 *Verb. Missa. 8. num. 2.* requiri præsentiam corporis *moraliter* sumptam. Quando enim sacerdos celebrat intra septa alicujus capellæ e. g. omnes consistentes intra illa eadem septa dicuntur *corporaliter Physicè* interesse illi celebrationi, at verò qui stant, aut flectunt antè januam ejusdem capellæ, vel (ut sæpe fit in pagis) introspiciunt per fenestram, pronuntiantur adesse *corporaliter Moraliter*; *corporaliter*, quia non solâ intentione, & desiderio existunt ibi; *Moraliter*, quia secundùm communem loquendi modum censetur quis esse *corporaliter* in loco, cujus aut partem tangit, aut parti vicinus est; præsertim si simul visu possit percipere, vel auditu, quæ sunt intra illa septa; adeóq; *Physicè Moraliter* esse in templo, est, esse in illo secùndum vulgarem loquendi modum; cujus loquendi modi quia maxima ratio habenda est, *L. Labeo, ff. De sup. leg.* ideo debet etiam habere locum hoc loco, adeóque dicendum, *corporalem* præsentiam hîc requisitam esse illam, qua quis est *Moraliter loquendo* ipso suo corpore in loco in quo fit Sacrum, ita ut, si nequeat juxta communem modum concipiendi, & loquendi dici esse corpore in eo templo, Sacello, Cœmeterio, in quo immolatur hostia, nequeat de illo asseri, exhibuisse illi immolationi præsentiam corporalem. Porrò ad illum communem modum 26 loquendi verificandum, juvat plurimum illa Associatio, Comitatus, Pars aliorum, de quibus loquuntur Reginaldus, Gordonus, Rhodius, Tamburinus, Dicastillo relatus *num. 13.* Etsi autem hæc divisio ita se habet, attamen imposterum nomine Præsentiæ *Moralis* semper intelligemus distinctam à *corporali*, & descriptam suprà *num. 23.*

Ex his de utraque præsentia productis in medium, deduci possunt pro praxi tum alia indicanda infrà suis locis, tum sequentia.

I. Etsi domi flectens jungas tuas preces cum 27 sacerdote, quem scis, id temporis celebrare Missarum solemnia, attamen non censeris audire Missam, quia deest præsentia *corporalis*, tam *physicè*, quàm *moraliter* sumpta. *At cantat officium voce tam sonorâ, ut exaudiam singulas syllabas è meo conclavi. Possum quoque ex organorum valde vivacium pulsu facilè colligere, in qua parte Sacri versetur sacrificans?* Resp. Nec hæc duo simul sumpta efficiunt præsentiam *corporalem moraliter* consideratam.

At video per fenestram meam adgeniculantes 28 *in templo?* Resp. Hoc esset aliud, & propterea aliam responsionem dabo *Casu VI. num. 172.*

II. Qui solùm est surdus, aut solùm cœcus, 29 obligatus est interesse Sacro, cùm valeat exhibere præsentiam *corporalem*, *moralémque*, utpote qui possit ex quibusdam signis intelligere, quousque perveneri Missans, (ut nunc utar vocabulo persæpe usurpato à Martino Navarro *in Enchiridio Cap. 21.* & alibi, nosque non erubescimus loqui cum tanto Doctore.) Imò potest propriè interesse, qui est simul mutus & surdus, si videlicet vel in hos defectus incidit jam instructus cognitione hujus Mysterii, vel eos traxit ex utero materno, ita tamen ingeniosus, ut docente aliquo intelligat Majestatem hujus sacratissimæ actionis. Fagundez *De præcept. Eccl. præcept. 1. lib. 2. cap. 7. num. 3.* Filliucius *cit. Tract. 5. num. 209.* Diana *Part. 5. Tract. 4. Resol. 8.* Vide, si placet, exempla ejusmodi

jusmodi ingeniosorum *in Alphab. Communicantium Cas. VII.*

30 *Sed est simul Cœcus.* Respondet Fagundez, atque ex illo Diana *loc. cit.* nihilominus *evidenter patere*, quòd obligetur adire Sacrum, quandoquidem *moraliter loquendo*, sensu aliquo *externo præsentialiter* adesse, & ad id, quod fit, possit attendere, idque percipere. Sed pace horum duorum (nam malè sibi, & Fagundezio jungit Diana S. Antoninum, Azorium, Silvestrum, & Navarrum, ac fortè Præpositum) Doctorum, censeo, *evidenter patere*, hoc non posse dici; nemo enim credet, tribus illis vitiis laborantem ab ortu, posse ita condocefieri, ut intelligat quidquam eorum, quæ peraguntur in liturgia. Hinc dixi *in Alphab Communicant. cit. Casu VII.* talè esse arcendum Sacrâ synaxi.

31 *Sed ponamus, contraxisse hosce defectus primùm post quam persæpe interfuit intelligentissimè, piissimè rebus divinis.* Resp. Erit etiam tunc liber obligatione. Quomodo enim sciet, esse tempus accedendi ædem sacram? Et licèt sit in ea, nónne surdo loquetur, qui monebit sacrificari? Ergo non videtur posse habere *practicè* intentionem requisitam.

32 Quin imò inficiatur Liamas *Part. 3. cap. 5.* §. *9.* & Palaus *cit. Tract. 12. punct. 16. num. 4.* posse more Christiano audiri Sacrum à cæco simul & surdo, esto, non sit mutus. Et meritò. Licèt enim talis dicere possit domesticis: *Ducite me ad parochiam, quando cantabitur Sacrum,* & hæc ipsa verba possit fortè scribere cretâ suprà mensam tam hic, quàm qui simul est mutus, possítque uterque ab aliquo per vellicationem, aut manuum apprehensionem edoceri, quando sit tempus surgendi ad Evangelium, jungendi, vel, ut factitat plebs agrestis, disjungendi manus ad elevationem, tundendi pectus ad *Agnus Dei*, & Communionem, & hac ratione præstare, valeat utramque præsentiam, quia tamen hæc sunt nimis extraordinaria, legibus autem non comprehenduntur actus adeò exotici, juxta *L. Nam ad ea. ff. De Leg.* ideò persisto in data resolutione *negativa* obligationis; nescius, quam gratiam initurus à meo lectore sim, quòd solus ita discutiam hoc dubium de hisce miserabilibus hominibus.

33 III. Licèt consultum sit, eo loco se statuere, è quo videri simul & audiri, vel saltem videri queat sacrificans, ejúsque actiones; hoc enim *per se loquendo* facit ad animum magis conjungendum cum sacrificante, & consequenter cum Sactificio, quæ sanè conjunctio est summè laudabilis; attamen necessarium non est, sicuti cum communi rectè observat Laymannus *Lib. 4 Tract. 7. cap. 3. cit.* repugnante Liamas, atque addente, teneri quem, si possit, audire & videre sacerdotem. Sed refutatur inde, quòd nihilominus possit adesse utráque præsentia, possítque proinde audiri Sacrum *Theologicè loquendo*, sicuti patet ex descriptione tam multiplici auditionis, & præsentiæ, producta superiùs. Unde etiam retuli ex Reginaldo, Gordono, ac Tamburino, nil referre, etiamsi Sacrum fiat in altari, quod est à tergo tuo, vel per interjectum murum, separatum à te, dummodo in eo muro, si à pariete ad parietem pertingit, sit aliqua fenestra, craticula, janua &c. Hinc etiam nil scrupuli habere debent, qui sunt in Odœis, & Choris lateralibus templi, quocunque loco tempi sacrificetur, modò *mediatè*, vel *immediatè* possint percipere, quid agatur, dicíque possint esse pars multitudinis infrà flectentis.

Quid si igitur existam inferiùs in templo ipso, 34 *fiat autem Sacrum in hypogeo, seu crypta subterranea, & in quam pateat prospectus per crates, sicut e. g. Monachii in Ecclesia Societatis Jesu?* Resp. Tametsi ab ipsis cratibus sis satis remotus, ita tamen te geras exteriùs, ut censeri queas associare illos, qui proximè flectunt, & ipsummet mystam audiunt, vel vident, non video ego, cur negetur, te verè, & propriè interesse illi Sacro.

IV. Ebrius, & dormiens non audiunt Sa- 35 crum, utpote habentes solam *corporalem* præsentiam. De dormitante disseram singulariter *Casu XI.*

SECTIO III.

Quos, & unde obliget præceptum audiendi Missam die Dominico.

SUMMARIUM.

Omnes Christiani tenentur die Dominico audire Sacrum 36.
Nomine secularium intelliguntur extensivè *etiam Religiosi. 38.*
Casus Sacerdotis nec audientis Sacrum, nec facientis die Dominico. 39 & 40.
Celebrans audit perfectiùs Sacrum, quàm non celebrans. 41.
Celebrare posse non est propriè privilegium. 42.
An Sacerdos existens in peccato mortali, nec habens confessarium ad manum, teneatur celebrare die festo, alioqui cariturus Sacro? 44.
Quid si debeat alibi quærere Confessarium? 45.
Quid si habeat intricatam conscientiam? ibid.
Quid si nequeat facere nisi Sacrum Votivum? ibid.
Lex de audiendo Sacro an sit juris divini? *47.*

QUæritur I. *Vtrùm omnes Christiani* 36 *teneantur die Dominico audire Sacrum?*

Resp. Omnes. Nam *Cap. Missas. De consecr. dist. 1.* sic statuitur: *Missas die Dominico secularibus totas audire, speciali ordine præcipimus.* Quæ verba licèt sint Concilii duntaxat Provincialis, & non

& non Oecumenici, sed Agathensis, de quo *suprà num. 15.* receptum tamen est ab universa Ecclesia; imò factitatùm est ab eadem jam tempore Apostolorum, ut videre licet apud scriptores relatos *in præced. sectione*, atque *in Can. Omnes fideles. De consecr. dist. 1.*

37 Nomine *Sæcularium* intelliguntur in primis soli baptizati; hi enim soli ligari possunt legibus Ecclesiæ, siquidem fundamentum subjectionis erga Ecclesiam est Baptismus. *1. Corinth. 5.* & *Text. expr. in Concil. Trident. Sess. 14. cap. 2.* Intelliguntur deinde omnes baptizati usu rationis perfecto præditi, nisi obstet una ex causis explicandis inferiùs.

38 *Sed Concilium nominat sæculares; ergo non Religiosos, aut Sacerdotes.* Resp. Nominat non ad limitandam suam præceptionem, sed ad extendendam ac si diceret: *Injungimus hoc sæcularibus, quantò magis Religiosis, & Clericis?* Suarez *Tom. 1 De Relig. Lib. 2. De Festis Cap. 15.* Nec est ex DD. nominatis *totâ Sect. præced.* qui non censeat, hoc præcepto quoquecomprehendi ipsos sacerdotes. Unde apparet, quid censendum de hoc

Casu

39 *Arsenius, Sacerdos sæcularis, facit aliquoties per hebdomadem Sacrum, partim ob stipendium, partim ob devotionem solam. At verò die Dominico fit quandoque, ut nec sacrificet, nec Sacrificio alteri adsit, ratus se jam satisfeciss. An excusandus?*

Resp. Maximè incusandus, ut etiam Navarrus *in Miscell. De orat. & hor. can. Cap. 3. num. 18.* incusat, testans non solùm Arsenium, sed plures alios fuisse suâ ætate tam imperitos moris, jurisque *Ecclesiastici.*

40. *Quid si verò nequiisset Arsenius uno ex illis Dominicis diebus nancisci, qui litaret ad aram? Debuisséne ipsemet litare?*

Hanc quæstionem mihi abhinc decennium ab aliquo Illustrissimo, lectissimáque pietatis Domino Comite' propositam, reperi primùm triennio post tractatam ex instituto (quod meritò mireris in tanta multitudine Casistarum) perbreviter à solo Eligio Bassæo Capucino, *in Florib. Theol. Moral. Tom. 2. Verb. Missa. 3. num. 2.* tametsi suum sensum de illa jam pridem expresserint, (etsi *per accidens*) Navarr. *in Ench. Cap. 13. num. 5. in fin.* ac Nugnus *in 3. Part. q. 83. art. 6. concl. 6.* & recentissimus Leander *De SS. Sacram. Part. 1.* in ordine *sexta*, *Tract. 8. disp. 3. quæst. 43.* insinuant autem indubitanter plurimi, de quibus paulò pòst. Respondi autem tunc, & nunc quoque respondeo cum his, ac quatuor nominatis, *affirmativè*: licèt ille Dominus, ac postea duo Theologi mihi noti magnopere dubitaverint. Ratio responsionis est.

I. Quia consuetudo Ecclesiastica sic habet, 41
testimonio illorum, quos paulò pòst nominabo.

II. Quia qui celebrat, audit utique Sacrum, juxta descriptiones allatas suprà *num 12. & seqq.* indéque roboratur, quia alioquin præcepto de Sacro audiendo non satisfaceret sacerdos sacrificans, cùm tamen celebrans perfectiùs audiat Missam quàm circumstantes. Suarez *Tom. 3. in 3. Part. disp. 88. Sect. 4.*

III. Sacerdos, qui tempore Paschali non habet, à quo percipiat Communionem, obligatur utique, si nullam ex præconsecratis hostiis habere queat, ipsemet consecrare.

IV. Quia, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media saltem ordinaria. Omnes DD. Est autem celebratio Missæ usitatissimum, ac planè ordinarium medium audiendi illam.

At est privilegium celebrare; nemo autem te- 42
netur uti privilegio. Sic quidem objiciebat ille Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Comes. At negandum est, esse id privilegium, quandoquidem est potiùs quasi naturalis proprietas Sacerdotii sacrificare, cùm creentur hunc in finem sacerdotes, teste Apostolo *ad Hebr. Cap. 5.* ac teneatur quivis aliquoties in Anno *per se loquendo* id præstare, ut declaro *in Alph. Sacrific. Casu. XVI.* post S. Thom. Consentit mihi P. Stephanus referendus *num. 46. Sed sunt, qui mallent audire quatuor Sacra, quàm* 43
facere unum. Resp. Hoc provenit plerumque ex eorum vitio, quod proinde ipsis patrocinari non debet. *Cap. Pastoralis. §. fin & Cap. Cùm olim. De offic. & pot. jud. deleg.* secùs si ea difficultas proficisceretur ex dolore in stando, legendo, scrupulis irremediabilibus.

Quid si verò talis sacerdos sit in statu peccati 44
mortalis? An tenebitur confiteri, si habeat copiam Confessarii? Resp. Tenebitur, testibus DD. quorum nomina mox edam. Cùm enim sit probatum, obligari ad sacrificandum, obligatur utique uti medio necessario ad dignam celebrationem. *At nemo est, cui confiteatur.* Resp. Ergo omittat Sacrum: debet quippe præceptum *humanum*, quale est de Sacro audiendo, cedere *divino*, quale est de non celebrando, nisi præmissâ homologesi noxæ mortalis, contractæ post ultimam Confessionem. Ita sentiunt Suarez *Tom. 3. in 3. Part. Disp. 66. sect. 4. vers. Major difficultas.* Dicastillo *Tract. 4. De Euchar. Disp. 9 dub. 6. num. 79.* Bassæus *citat. num. 2.* Nugnus *in 3. Part. quæst. 80. art. 4. ante concl. 2.* post S. Antoninum, Sotum, Coninck, alios: contra Paludanum, Sylvestrum, alios apud ipsos.

Sed distat solùm dimidiæ horæ spatio confessa- 45
rius, an oportebit ad illum excurrere? Hoc non tangunt nominati DD. Ego etsi *Casu XX.* sum ex communi sensu dicturus, distantiam unius dimidiæ horæ non accenseri causis legitimè excusantibus à Sacro audiendo, sicuti neque à Confessione facienda ab illo, qui vult confi-

ficere corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quemadmodum à fortiori docet Nugnus *art. 4* ne quidem duas leucas habens pro sufficiente impedimento: quia tamen hanc difficultatem illius itineris multùm auget difficultas confessionis, quæ utraque difficultas simul sumpta est plurimis major, quàm aliæ permultæ, quarum vera allegatio eximit laicos ab onere Sacri, juxta dicenda *tit. Cas. XX.* nullus autem Theologus hactenus asseruit, impedimenta, quæ legitimè excusant Clericos à Sacro audiendo, debere esse majora, quàm quæ laicos, ideo existimo, complures viros prudentes, pios ac doctos, si interrogarentur, pronuntiaturos, non esse mentem benignæ matris Ecclesiæ, obligare ad Missam tales sacerdotes. Si ad has quæstiunculas & dubia ab aliis præterita, non respondi consentaneè menti lectoris, pergat abundare in suo sensu, feram æquissimè.

46 His expressis in *secunda* excusione hujus Alphabeti nactus Theologiam Præterintentionalem Joannis Caramuelis, deprehendi, illum esse quidem absolutè ejusdem mentis, cujus ego quoad obligationem sacrificandi, si desit, cujus Sacro interesse queat sacerdos, hanc tamen obligationem negari ab eodem, si habeat ille sacerdos intricatam conscientiam, & longo tempore, & docto Confessario indigeat. Deinde addit hic Doctor: *Si nihil impediret, ne celebrare posses, adhuc fortè aliquis te excusaret; præceptum enim de audienda Missa est, cui celebrando ex Ecclesiæ conniventia in aliquorum sententia satisfacimus.* Ita ille. Verùm perstandum est firmiter in data *superiùs* resolutione, negandáque illa conniventia, & loco ejus asserenda vera legis interpretatio, cùm, sicut dixi, celebrans valde *eminenter* audiat Sacrum, interfit Sacro. Et nonne Præcepto, vel Regulæ de audienda concione, exhortatione &c. satisfaciunt, & proinde apud nos æquè, atque ipsi Auditores eximuntur à faciendo conscientiæ Examine antemeridiano illi ipsi, qui concionati, quive exhortati fuêre? Meritò igitur Leander *Quæstion. Moral. Part. 1. Tr. 8. Disp. 3. q. 43. in fin.* vult, nostrum responsum poni extra omne dubium, etiamsi tunc non posset quis, præ infirmitate, dicere Missam ordinariam, sed solùm votivam: ut si Dominicâ Palmarum nequiret legere Passionem, tunc enim deberet sub mortali dicere Sacrum votivum de passione, vel cruce, judicibus Cotonio, & Leandro, ut jam retulimus *in Alphab. Sacrificant. Casu XXI.*

Dixi *num. 40.* non repertum esse à me, nisi unicum scriptorem, qui ex instituto tractet hanc quæstionem: *An scilicet sacerdos, qui non habet copiam audiendi Sacri, teneatur ipsemet sacrificare,* at nunc reperio duos; primum Pasqualigum, alterum Stephanum, qui *Tract. 5. disp. 4. dub. 18.* citans Pasqualigum *Tom. 1. De Sacrif. nov. leg. quæst. 843.* subscribit mihi, non solùm quoad responsionem ad hanc generalem quæstionem, sed etiam quoad specialiorem de casu, quo nequit habere Confessarium, cui confiteatur talis sacerdos obstrictus peccato mortali.

Quæritur II. *Verùm præceptum de Sacro au-* 47
diendo diebus Dominicis, sit merè Ecclesiasticum, *an* Divinum?

Respondeo, Vasquez 1. 2. *Disp 150. & Tom. 4. in 3. Part. seu de pœnit. quæst 90. art. 1. dub. 4.* aliique nonnulli pronuntiant, esse *divinum quoad substantiam*, at *quoad determinationem* esse *Ecclesiasticum*, ut proinde contra præceptum duntaxat *divinum*, non verò *Ecclesiasticum* peccet, qui sponte distrahitur tempore Sacri, peccet autem contra utrumque is, qui die Dominico, & Festo id negligit. Verùm quia longè communior opinio cæterorum DD. sensúsque fidelium habet, licèt Deus instituendo Missæ Sacrificium voluerit utique, præceperítque illud etiam quandoque frequentari à fidelibus, ut rectè Nugnus *in 3. Part. quæst. 83. art. 6. dub. 2.* non tamen ideirco posse propriè dici, *specialiter* præcepisse, ut audiatur hoc, aut illo die, sed solùm prorsus *genericè*, quatenus universaliter mandat, sanctè observari sanctiones suæ dilectæ sponsæ Ecclesiæ, ideo rectiùs dixeris, hoc præceptum esse purè *humanum*, sicut præceptum de Quadragesima, de continentia sacerdotum &c. Vide Filliucium *Tract. 5 cap 7 num. 198. & 199.*

AN SACRUM SIT AUDIENDUM FESTIS DIEBUS.

CASUS II.

Cacodæmon carnifex Dei.

SUMMARIUM.

Occisa à Cacodæmone ob neglectum Sacrum die festo. 48.
Peccat mortaliter negligens Sacrum die festo. 50.
Et quidem licèt tantùm semel 51.
Idem dic de negligente Sacrum votivum. 52.
Refutatur quædam scandalosa sententia Onuphrii. 53.
Non nisi unius peccati est reus, qui omittit Sacrum festo die incidente in Dominicam. 54.
Quomodo confitebitur, qui edit carnes die vetito ex triplici Titulo? 55.
Quâ horâ audiendum Sacrum? 56.
An citiùs surgendum, ut possit audiri? 57.
An necessariò audiendum, quod ante auroram, vel post meridiem fit? 58.
An maturiùs audiet, qui profecturus est eo die ad locum, in quo non celebratur festum suæ loci? 60. & seqq.
An & is, quem sub tempus ultimi Sacri invadet febrilis paroxismus? 65.

Qui negligit hodie Sacrum, non tenetur supplere cras. 66.
Plerique Galli tenentur interesse Vesperis. 67.
Libentiùs audiens Sacrum sacerdotis conspicui pietate, quàm non conspicui defenditur exemplo frequentantium Missas Patris Lessii. 68.

48 BEnefrida mulier Perusina, *nolebat diebus festis operam dare audiendæ rei sacræ. Quare cacodæmon ei conspicuus factus dixit*: Quia noluisti audire Missam in templo, audies lamentationes in inferno. *Effatus hæc terrifica verba, fregit miserè collum.*

Narrat hunc tragicum eventum *Serm. 50. Part. hiemal.* Gottschalcus, qui in Religione S. Augustini Eremitarum floruit sub Annum Christi 1460.

49 Ejusdem narrationis testis est P. Joann. Baptist. Scortia, *De Sacrif. Miss. Lib. 2, cap. 20. num. 1.* cujus occasione discutientur sequentia. 1. An, & quantum sit peccatum, non audire Sacrum die festo? 2. Qua horâ sit audiendum. 3. An omni festo sit audiendum? 4. An solo festo? Has duas posteriores quæstiones solvam *Cas. seq.* priores duas *præsenti.*

50 Quæritur hic ergo I. *An, & quantum sit crimen, desidiosè negligere rem divinam diebus festivis?*

Resp. I. Esse peccatum, patet ex *cap. Omnes fideles. De consecr. dist. 1.* ubi exprimitur vox *solennitates*, dum agitur de perseverantia in Missa, usque ad finem; esse autem mortale, conficitur partim ex eo, quòd ibidem jubeantur Communione privari, *qui non perseverant in oratione, usque dum Missa peragatur*: Est autem hic Canon unus ex Apostolicis: partim ex eo, quòd hoc præceptum sit de re gravi: partim ex communi persuasione omnium pœnitentium, & confessariorum, adeóque omnium fidelium; denique ex terrifico supplicio Benefridæ, seu potiùs Malefridæ, decreto à Deo justo judice, qui ipse Deuteronom. *cap. 25.* sanxit: *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.*

51 Resp. II. Hoc peccatum mortale admittitur, etiamsi duntaxat semel omittatur deliberatè Sacrum absque causa legitima. Sic sentiunt omnes DD. hujus sæculi adversùs Richardum, Angelum, & Turrecrematam, qui apud Suarez *in Part. 3. Disp. 88. sect. 1.* existimârunt, non delinqui mortaliter per omissionem unam, alterámve, sed solùm per frequentem, aut profectam ex contemptu. Verùm refutant hos priorum sæculorum Doctores, persuasio omnium confessariorum, pœnitentium, superiorum Ecclesiasticorum, & subditorum, hujus, superioríque sæculi. Adde, quòd transgressio unius jejunii *Ecclesiastici* sit peccatum mortale, sicuti & omissio unius Officii Canonici, ut argumentatur Suarez *loc. cit.*

Ergo inquies, *merebor esse socius æternus Benefridæ, si unicum Sacrum omittam, à me voto promissum*? Ita omnino, judicibus Suarez *loc. cit.* Filliucio, *Tr. 3. num. 199.* atque aliis pluribus. *Ergo, si & omisero Sacrum unum die profano, imperatum à Confessario*? Ita sanè pronunciabunt Sanchez, Palaus, alii plures, non semel docentes, votum *privatum*, itémque præceptum confessarii de opere peragendo, obligare tam graviter, quàm obligaret præceptum *Ecclesiasticum* de illo eodem opere. Vide tamen, quæ scripsi *in Alphab. Quadruplici Part. 1. Cas. III. num. 84.* 52

Hinc procul rejicienda doctrina Onuphrii, *in Disput. De mutat. Breviar.* relata à Gavanto *in Rubr. Breviarii.* dum expressè ita loquitur: Nunquam peccatur mortaliter, contra præceptum Ecclesiæ, nisi adsit intentio saltem *virtualis* contrafaciendi præcepto Ecclesiæ, quæ tamen intentio ut sic nunquam censetur *moraliter* adesse, nisi post aliquot actus perfectos, & consummatos. Ita ille, sed talem doctrinam, priusquam ederetur in lucem, vocavit temerariam Nugnus *3. Part. quæst. 83. art. 6. p. 2. dub. 2.* scandalosíque accenset Alexander Septimus *propos. 23.* Et censet Sylvester (non ego) *verb. Missa. 2. quæst. 1.* tunc solùm requiri contemptum ad constituendum peccatum mortale, quando transgrederis rem, quæ est *in consilio*, non quando illam, quæ est *in præcepto.* Quamquam sine dubio peccas mortaliter, si ex vero, & *formali* contemptu Superioris, seu ejus authoritatis negligas id, quod est sub solo veniali peccato præceptum. 53

Resp. III. Licèt verò illud festum, quo culpabiliter negligis Sacrum, occurrat in Dominica, non tamen es reus, nisi unius peccati mortalis: Azor *Part. 1. Lib. 7. c. 2 quæst. 7.* loquens in specie de hoc neglectu; item Cardinalis de Lugo *De pœnit. Disp. 16. sect. 3.* adhuc generaliùs loquens, cum aliis multis, contra Navarrum *cap. 11. num. 4.* Coninck *Tom. 2. in Part. 3. Disp. 7 num. 47.* & alios; quando enim plura præcepta solùm numero distincta transgrederis uno actu omissionis, aut commissionis, admittis tantùm unum peccatum, ut patet exemplo furantis equum; talis quippe agit adversùs quatuor leges numero distinctas, scilicet *Naturalem, Divinam, Ecclesiasticam*, ac *Civilem.* Porrò peccatum transgredientis festum, adversatur virtuti Religionis; omnes quippe festi, perinde atque Dominici dies, sunt instituti *primariò* ad reddendum cultum Deo, tanquam supremo omnium Domino, licèt festa Sanctorum sint etiam *secundariò* sancita in venerationem hujus, aut alterius Sancti. Unde consequenter inferes, admitti non quatuor, sed unicum peccatum mortale ab illo, qui die veneris in quadragesima, in quem incidit feria sexta quatuor temporum, & vigilia S. Matthiæ, sumit prandium Lutheranum, scilicet ex bubula, farciminibúsque. 54

At

55 At quo pacto tantum crimen aperiet confessario? Resp. Dicendo: *Comedi carnes die prohibito*: *Non audii Sacrum die festo.* Etenim circumstantia pluralitatis præceptorum transgressorum, est solùm aggravans intra unam, eandémque speciem infimam, ergo non necessariò exprimenda.

56 Quæritur II. *Qua horâ diei audiendum Sacrum*?

Resp. I. *Per se loquendo* quacunque horâ intra duodecimam nocturnam, qua incipit: & duodecimam nocturnam, qua desinit festum, Suarez *Tom. 1. De Relig. Lib. 2. De festis. cap. 15. num. 7. & 8.* Itaque satisfaciunt, qui Friburgi Helvetiorum in Dominica, quam vocant Secretam, intersunt cum Dominis Civibus Rei divinæ primâ, aut secundâ pomeridianâ. Item ii, qui die Natalis Domini non audiunt aliud Sacrum, quàm quod *immediatè* post mediam noctem est celebratum.

Putabam tamen, debere tali die saltem bis fieri Sacrum à quovis sacerdote, bis audiri à quovis non sacerdote. Bis errâsti, si hoc utrumque putâsti, neutrum enim ulla aut lex, aut consuetudo præcipit.

57 II. *Per accidens* est quandoque certâ horâ audiendum Sacrum. Et in primis quidem, quando fit tantùm unum in eo loco, in quo subsistes toto die festo; si quippe illud fiat horâ septimâ, aut octavâ, vel aliâ antecedente, debebis illâ ipsâ horâ esse in templo *Sed illud Sacrum fit tertiâ, aut quartâ matutinâ, propter peregrinationem cum vexillis institutam à communitate ad locum distantem plures horas; tenebòrne tam citò surgere*? Tenebere, nisi tam matutina, tibíque insueta surrectio sit allatura tibi molestiam, aut difficultatem similem illis, quas pro legitimè excusantibus indicabo *Casu XX.* Equidem Bassæus *in Florib. Tom. 1. verb. Missa. 9 n. 3. absolutè* dicit, etiamsi Missa non esset dicenda, nisi in principio diei, vel ipso meridie, obligare præceptum ad illam tunc audiendam. Ratio est, quia omittendum non est Sacrum nisi ob causam gravem, qualis non est communiter, sola molestia surgendi manè. Quamquam Suarez *Disp. 88 sect. 6.* negat, famulum teneri demere aliquid de ordinario, & temperato somno, ut possit perficere laborem, qui cæteroquin esset illum impeditus à Sacro.

58 His ita excussis, & excusis, accipio Anno 1666. literas à quodam Theologo, quibus proponit

Hanc Quæstionem.

NOnnemo ex privilegiatis in itinere die Dominicâ ante auroram legit Sacrum; deinde alio loco & alio festo post meridiem. Quæritur, an comites itineris, vel incolæ istorum locorum, si ante meridiem non audiverunt, vel præviderunt, post auroram se non posse audire Sacrum, possint autem non incommodè & ante auroram, & post meridiem peregrini hujus Sacerdotis Sacro interesse, an, inquam, ad hoc teneantur, & quidem sub peccato gravi? Judico autem ego, in neutro casu teneri, neque scio autorem, qui contrarium asserat.

Ita ille; cui postea nominavi Suarium, & Bassæum suprà relatos à me, & utique intelligendos de hoc utroque casu, in quo supponitur, illam auditionem posse fieri sine incommodo. Addo hanc rationem fundamentalem, quia licèt Canones, & Doctores, quos *in Alphabet. Sacrificant.* seu *Tract. 3.* refero *a n 197. ad 202.* vetent sacrificari ante auroram, & post meridiem, atque ob hanc prohibitionem sit verosimillimum, Sacerdotem, qui nequit inter auroram, & meridiem, vel audire alterius Sacrum, vel ipse facere, non obligari ad sacrificandum extra illa duo tempora, adeóque non teneri illâ Lege, quam in Sacerdotem non habentem copiam alieni Sacri statuunt DD. relati suprà *num 40.* & *in Alphab. Sacrificant. n. 710.* nihilominus tamen, si his interdictis Sacerdoti temporibus fiat saltem ex justa causa Sacrum, teneberis illud honorare tuâ præsentiâ, si nequeas, aut nequiveris aliud; etenim nullum jus scriptum, aut non scriptum prohibet cuiquam, ne adsit Sacro, seu nocturno, seu diurno. Confirmatur hæc responsio resolutione, quam *Casu XVI. num. 352. & seqq.* dabo de obligatione audiendi Sacrum in loco privilegiato, & profano, quando nequit audiri in alio, seu ordinario.

Deinde est tunc singulariter audiendum Sacrum horâ non omnino arbitrariâ, quando quis est magno manè profecturus ex urbe ad locum, in quo non sit habiturus copiam Sacri, debet enim talis adire templum ante suum discessum, ut tradunt omnes; re enim verâ urget tunc præceptum. 59

At quid dicetur de hoc

Casu?

Bonifacius Constantiensis, die S. Pelagii Martyris profecturus est manè Marisburgum, ubi non colitur in foro ille ies, sed solùm Constantiæ. Erítne reus criminis, si Constantiæ non priùs interfit Rei divinæ, posito quòd nolit, aut non possit Marisburgi? 60

Resp. Vel est futurus extra fines Constantiensis urbis, antequam celebretur ultimum Sacrum in omnibus quatuordecim templis, quæ visuntur Constantiæ, vel non? Si *primum*, probabiliter non obligatur audire Sacrum illo die. Si *secundum*, obligatur certò. 61

De *secundo* convenit inter Doctores, ob apertam rationem; quia quicunque existit in loco 62

tunc, cùm urget illum aliquod præceptum, debet illud implere, nisi justa excusatio suppetat; talem autem urget tunc præceptum de Sacro audiendo, quia urget omnem subditum constitutum intra fines proprii domicilii, & nondum perfunctum officio suo, nec habiturum commoditatem perfungendi.

63 At de *primo* est lis magna inter Theologos. Nam Suarez *Lib. 2. De Festis, cap. 15. num. 9.* Laymann. *Lib. 1. Tract. 4. c. 11. num. 6.* atque alii plures post Navarrum *cap. 13. n. 5.* ajunt, te obligari. At negat Sanchez *Lib. 1. Summ. c. 12. num. 32.* Lessius *De just. & jur. Lib. 4. cap. 2. dub 8.* Ferdinandus de Castro Palao *Part. 1. Tract. 3. Disp. 1. punct. 24. §. 5. num. 8.* post Salas, Bonacinam *p. 12. num. 5.* & Joannem Sanchez, & quidem probabiliùs.

64 Nam in primis præceptum non tibi vetat, quò minùs urbe exeas horâ quintâ e. g. quandoquidem es in alieno territorio futurus horâ mediâ decimâ, quâ solâ obligantur ii cives audire Sacrum, qui existentes in urbe possunt illud audire, nec priùs aliud audierunt, nam mediâ decimâ solet incipere ultimum totâ urbe Sacrum. Deinde si scires, te *immediatè* antequam fiat Sacrum ultimum, habiturum Papalem, vel Episcopalem dispensationem, eximentem te ab audienda missa, nemo te obligaret ad eam audiendam priùs; atqui tua, ut sic loquar, futuritio extra territorium Constantiense te etiam eximet ab obligatione audiendi Sacri, te, inquam, eximet ipsa media decima, qua suppono te futurum in Stadensi, vel Marisburgensi Parochiis, & antequam fuisses obligatus audire Sacrum, si mansisses toto tempore in urbe.

65 *Igitur*, inquies, *si me sub tempus ultimi Sacri sit visitaturus hospes permolestus, febris, ajo, quartana, quæ me succutiet tres ipsas horas, non incumbet mihi obligatio audiendi Sacri horâ octavâ, etsi possim commodissimè, tutissimè?* Resp. Negando consequentiam, quia febris non facit, ut tu non sis obligatus Lege Sacri, sed solùm ut sis excusatus illâ horâ; at existentia extra territorium Constantiense efficit, ut non sis obligatus. Vide, si placet, quæ de hisce duabus phrasibus, non solùm *Verbalibus*, sed *Realibus*, differo *in Quinario Tractatus 5.* seu *Theolog. Juridico-Moral. cap. 27. numero 57. & seqq.*

66 Quæritur III. *Quænam videantur insuper breviter circa materiam hujus secundi seu capitis, seu Casûs observanda?*

Resp. Sequentia. I. Qui Sacrum neglexit hodie, non tenetur cras compensare; & qui nequit accedere, non obligatur aliquid aliud loco Sacri orare; quia neutrum imperat ulla consuetudo. Quamvis admodum conveniat, ut confessarii moneant illos, qui ob custodiam domûs, aut pecorum nequeunt accedere ædem sacram, volvant orbiculos Marianos, & fundant alias preces, interfint *spiritualiter* Sacro &c. Collocabitur utiliter admodum apud nonnullos ea opera.

II. Vesperis ut adsis, nulla lex injungit in Germania, consuetudo autem obligat ad id plerosque Gallos, Navarræos, & aliquot Hispanos teste Navarro *cap. 21. num. 1.* qui tamen non nisi venialem obligationem agnoscit. 67

III. Si diebus festis, seu aliis audires libentiùs Missam sacerdotis pietate conspicui, quàm non conspicui, haberes approbatores tui facti illos, quos proponit hic 68

Casus Lessianus.

Complures sibi gratulabantur, si quando in publico (quod raro valetudo patiebatur) ejus Sacrificio adstitisset, tum quòd gravi, sanctáque ejus actione ad pietatem concitabantur, tum quòd eo bene precante quandam sibi sanctimoniam aspergi crederent.

Hæc verba leges in vita P. Leonardi Lessii *cap. 11.* minimè dubius, quin Missa boni sacerdotis aliquâ ratione plus impetret à Deo, quàm mali. Sed cave, judices quemquam malum, nisi te adigat aperta veritas, & vide, quæ hanc in rem tradidi *in Alph. Sacrif. Casu IV. n. 115.*

IV. Dubius, an dies aliquis sit festivus, tenetur indagare veritatem, vel certè audire Sacrum; quia alioqui se temere exponet periculo transgrediendi præceptum grave, eritque unus ex illis, de quibus *Psal. 35.* dicitur: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Si autem nequeat comperire veritatem, poterit stante dubio non ire ad templum, quia in dubio est melior conditio possidentis suam libertatem, sicuti generatim traditur, & huic speciali materiæ applicatur à pluribus Theologis in materia *De conscientia dubia*, atque inter hos à Francisc. Bardi *Discept. 6. cap. 2. §. 9.* contra Bresserum *De conscientia Lib. 4. cap. 7.* 69

AN OMNI FESTO, ET SOLO, SACRUM AUDIENDUM SIT.

CASUS III.

Serio-Jocosus.

SUMMARIUM.

Casus Consulis, imperantis civibus laborem servilem die novi festi instituti absque consensu laicorum. 70.

D. Caramuel ingenio simul, arte- 70
que suos conceptus eloquendi præstans, in Theologia Fundamentali num. 1708. asserit, esse sibi comper-

pertum id, quod ab aliquo Prælato Religioso, urbisque celebris Consule factum narrat hisce verbis. *Prælatus N. obtinuit à Summo Pontifice, ut Sancti N. dies in illa civitate esset festus. Bullam præsentat Episcopo, & consensum obtinet, vel extorquet. Magistratu sæculari inconsulto indicitur nova Festivitas, & ad ejus Sacrum universi invitantur. Omnium Senatorum nomine Consul accedit Abbatem: Venio, inquit, à Civitate missus, ut examinem mensas pauperum, & mechanicorum, quas V. P. curavit parari pro crastino. Quas mensas, inquit iter? Mensas illas, inquit Consul, in quibus hilares erunt nostri pauperes. Verùm præ alia Consuli præter communem, meámque, ait, nulla paratur totâ domo; in illa religiosi, in hac amici aliquot & perillustris D. si velit summere refectionem, poterimus. Ergo, infert Consul, quando vos edetis & bibetis, nostri pauperes fame, & siti cruciabuntur? Absit; aut eras omnibus nostris mechanicis pauperibúsque dabitis cibos, aut agetis vestrum festum privatim. Nec cibos Antistes. Et Consul: Diploma vestrum subreptitium pronuntio, & expeditum ab hominibus malè informatis. Hæc vociferans egreditur, curátque proclamari à præcone, sequentem diem festum non esse; deberéque omnes mechanicos se continere in officinis, & operari sub pœna centum aureorum, solvendarum incute ab eo qui non haberet in ære. Territi à Magistratu manserunt mechanici, & cives domi &c.*

71 Hæc & quædam alia D. Joannes Caramuel. Ob quod factum, à me non vocandum in examen, quia servus Domino suo stat, aut cadit. *Rom. 14.* quæritur 1. *An sit audiendum Sacrum festo instituto à solo Episcopo? 2. An instituto à solo populo? 3. An Religiosi teneantur observare festa sæcularium? 4. An posteri suorum antecessorum? 5. Quid pronuntiandum de translatis? 6. Quid de dimidiatis? 7. Quid de non festis?* Tot quæstionum elucidandarum causâ secco hunc Casum in tres Sectiones. *Primâ* expediam quatuor priores; *secundâ*, & *tertiâ* reliquas quæstiones.

SECTIO I.

De obligatione audiendi Sacrum festis inductis à solo Episcopo, solo Populo, Majoribus &c.

SUMMARIUM.

An sacrum audiendum festo, quod instituit solus Episcopus? 72.

An, quod solus Papa? 73.

An, quod soli Laici? 75.

Declaratur exemplo Nuithonum, festivè colentium diem Victoriæ relatæ de Carolo Audace. 76.

Si Laici voverunt aliquod festum, an ad illud teneantur Religiosi, præsertim exempti? 77.

Refertur Decretum Congregationis de modo, quo Regulares teneantur, & possint celebrare festa loci. 78.

Describitur Breve Alexandri VII. ad imperatorem Leopoldum I. de celebrando cum Octavâ festo Immaculatæ Conceptionis 80.

An Regulares locorum, in quibus statur illo Brevi, licitè, aut necessariò sese accomodent illi. 81

An privilegio illo Pontificio licitè utantur omnes Diœcesani Constantienses eo titulo, quòd ersi non sint subditi Domui Austriacæ, pro quibus directè emanavit, attamen spectant suo modo ad Ecclesiam cathedralem, directè participantem illud indultum? 82.

Concludunt affirmativè. Ibid.

An dies infra Octavam Conceptionis occurrens cum die itidem infra octavam S. Francisci Xaverii præferatur huic? 83.

Octava alicujus festi non cedit Octavæ alterius, nisi cedat ipse dies festus. Ibid.

Festum dignius non præfertur minùs digno, nisi sit elevatum ad eandem, aut superiorem classem. Ibid.

Unde desumatur dignitas Octavæ? Ibid.

Festum recenter honoratum Octavâ, hoc ipso elevatur saltem ad secundam classem. Ibid.

An Breve Pontificium videatur facere potestatem, dicendi jam in Præfatione Missæ: Et te in Immaculata? 84.

Ita dicitur, & cantatur in cathedrali Constantiensi. Ibid.

Semiduplicia Diœcesana an licitè celebrent Regulares? 85.

Et quomodo quoad officium canonicum Duplicia Diœcesana? Ibid.

Festa fori non sunt hoc ipso festa majora per annum. Ibid.

Cur posteri obligentur observare festa inducta voto Majorum? 86.

Et an consuetudinaria? 87.

An festo incidente in parasceven sit audiendum Sacrum officium illius diei? 89.

Quid si tunc fiat verum Sacrum? Ibid.

Quæritur I. *An sit audiendum Sacrum Festo, quod solus Episcopus, sine consensu populi, instituit?* 72

Resp. Non esse. Quia Episcopus nequit ullum festum instituere sine Cleri, & populi consensu. Ita non solùm statuitur *cap. Conquestus. De fer.* sed etiam sæpe ita resolvit Rota Romana, ut videre est apud hujusce argumenti peritissimos, Augustinum Barbosam, *De offic. & pot. Episc. allegat 105. num. 36.* ac Pacem Jordanum, *Volum. 2. Lib. 11. Tit. 1. num. 50.* itémque apud Bartholomæum Gavantum

in Man. Episc. verb. Festi dies. num. 2. qui proinde Doctores cum cæteris communiter Theologis, & Canonistis, respondent id ipsum, quod nos. Et ratio est aperta, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. *c. Quod omnes. 29. De Reg. jur. in 6.* Tangunt autem, vel maximè populum festa, præsertim hac ætate, qua ita invaluit multitudo, cum ingenti molestia mechanicorum, ut longè magis cogitandum sit de modo abrogandi plura è diœcesanis, quàm de novis instituendis, sicuti pluribus declaro ex mente Urbani VIII. *in Theol. Juridico-Moral. cap. 45. sect. 3.* quæ tota est de illa *per se* saluberrima Bulla.

73 Dixi autem: *Episcopus*; nam Summus Pontifex non ligatur hâc lege. Quare si qui Episcopi non requisierunt consensum populi ad instituendum festum S. Josephi; non egerunt adversùs decisiones Rotæ Romanæ, quandoquidem ipse Urbanus Pontifex mandaverat hanc festivitatem.

74 Porrò censetur consentire populus, quando vel consentit Magistratus Sæcularis, cujus authoritatem sequi solet plebs, vel ipse indictam festivitatem observat, cùm possit absque suo damno reclamare. Addit Barbosa *loc. cit num. 39.* non obstante illâ communi doctrinâ, posse Episcopum in Synodo instituere novum festum, irrequisito consensu populi.

75 Quæritur II. *An vice versâ sit audiendum Sacrum, quando solus populus, aut Princeps sæcularis instituit Festum?*

Resp. Cum communi *negativè*. Quia licèt Magistratus sæcularis possit per legem pœnalem, interdicentem labore *servili*, ob hanc, aut illam victoriam e. g. obtentam, & generatim possit punire non observantes diem festum. Jordanus *elucubr. vol. 2. Lib. 11. Tit. 1. num. 61.* Barbosa *De off. & pot. Episc. allegat. 105. num. 42.* nam datur hîc locus præventioni, casu quo Episcopus, vel Parochus, non dedit facultatem. Jordan. & Barbos. *Ibid.* non tamen habet jus obligandi in conscientia ad Sacrum audiendum, cùm scriptum sit *cap. Tua. 1. De decim.* ab Innocent. III. *Laicis nulla est de spiritualibus concedendi, vel disponendi tributa facultas*; est autem obligatio audiendi Sacri utique res spiritualis. Unde patet, quid respondendum sit ad hunc

Casum Helveticum.

76 *Anno Christi 1475. fuit Carolus Audax Burgundiæ Dux memorabili prælio à confœderatis Helvetiis victus, fusus, fugatúsque ad oppidum, cui nunc nomen Moratum* (Paulus Æmilius in Ludovico XI. vocat Murtiam) *in Aventicis. In memoriam insignis, fructuosáque victoriæ instituitur quot annis Friburgi Helvetiorum solennis supplicatio, solennéque Sacrum decantatur. Quæritur, an cives, qui tali officio, aut alteri Missæ non intersunt, delinquant mortaliter?*

Resp. Minimè, quia à Magistratu civili profecta est hæc festivitas. *Sed* tacitè *approbârunt Episcopi, quod jam sufficit ad id, ut obliget in conscientia festum inductum à populo, nam statim quòd votum* (populi de celebrando aliquo festo) *cognoscitur ab Episcopo, & non impeditur, consequenter confirmatur*, inquit Nugnus *in 3. Part. quæst. 83. art. 6. p. 2. dub. 2. concl. 8.*

Resp. Est latum discrimen inter festum à sæcularibus inductum *ex voto*, & inter inductum *ex solo proposito*, aut Magistratûs civilis *decreto*. Nam primum illud inducit ex se mortalem obligationem, quam hoc ipso ratam habet Episcopus, quòd cognitam non irritet, tunc enim propriè consentire videtur tacendo; at mandatum Magistratûs sæcularis, aut pium propositum populi, non gignit ex se ejusmodi obligationem, nec etiam inducit Episcopus videndo, & dissimulando, quia non cupiunt sæculares.

Quæritur III. *Utrùm Religiosi obligentur audire Sacrum in festis, quæ populus approbante Episcopo vovit?* 77

Resp. De Religiosis etiam exemptis, habitantibus in eo loco, asserit apertè Nugnus *loc. cit.* itémque Sanchez *Lib. 4. De voto cap. 15. n. 21.* post Vasquez & Rodriquez *in Summ. cap. 122. conclus. 1* Ego autem dubito de exemptis, quia verba Tridentini Concilii *Sess. 25. De Regul. cap. 12.* ita duntaxat sonant: *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præceperit ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur*; & ipsemet Rodriquez illam suam sententiam revocavit *Tom. 2. qq. Regul. quæst. 71. art. 1.* etsi subdat, esse ratione scandali observanda ab iis. Cæterùm rectè notat Barbosa *De offic. & potest. Episc. alleg. 105. n. 33.* nec exemptos posse dispensare, ut sui Religiosi, & famuli laborent diebus festivis, quæ scilicet Episcopus præcepit.

Est autem hoc loco observanda declaratio 78
Congregat. quam idem Barbosa *cit alleg. 105. num. 34.* refert his verbis: (*Congregatio Concilii censuit, Decretum* cap. 12. vers. dies etiam festi. sess. 25. De Regul. *ita esse intelligendum, ut Regularium ritus illis festis semper permaneant quoad missas celebrandas, & cætera divina officia, tam publicè, quàm privatim ab ipsis Regularibus, in ipsorum Ecclesiis persolvenda, nec circa hoc ab ipsis quoquo modo in contrarium eisdem Religiosis præcipi posse. Verùm quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere se accommodare Evangeliis, & Epistolis, quibus Clerus sæcularis iis diebus utitur.*) Ita Congregatio.

Circa cujus verba nota: quando dicit: *Ut* 79
ritus permaneant, esse hunc sensum: *Ut permanere possint.* Nam eadem Congregatio referente Joanne Gallemart *in cit. Cap. 12. Sess. 25.* expressè ita loquitur: *Licèt ritus prædictorum in suis officiis intactus esse possit*: est ergo permissio, non præceptio. Itaque non adversantur illi priori declarationi Religiosi, qui consueverunt publicè, ac privatim celebrare omnia festa Duplicia Diœcesana; *præter Octavas*; in Octavis enim esse observandas ab iis Rubricas Breviarii, declaravit Congregatio apud Barbos. *in cit. Cap. 12. Trident. Concil. num. 8.* Vide plura infrà *num. 627.* & præterea cogita de veritate resolutionum, quas do ad

Quadruplicem novissimam Quæstionem.

80 SAnctiss. D. N. Alexander VII. non modò edidit, cum nunquam interitura, seu in terris, seu in Cœlis celebritate sui Nominis, Bullam, qua declaravit ex cathedra, fuisse à Sixto IV. *Constitutiones Apostolicas editas in commendationem cultûs celebrantium solenni ritu Conceptionis festivitatem eo sensu, quòd Beatissimæ Matris Virginis Mariæ animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuerit Speciali Dei gratiâ à macula peccati Originalis præservata immunis*; non modò, inquam, edidit Bullam verè *Auream*, hísque verbis conceptam, verùm insuper ad instantiam Philippi IV. Hispaniarum Regis, ac postmodum Leopoldi I. Imperatoris, atque Sigismundi Francisci Archiducis Tiroleos, & ab hac dependentium provinciarum Domini, præcepit omnibus utriusque sexûs personis Breviario astrictis, atque habitantibus in Regnis, provinciísque horum principum (limitationem respectu Hispanicarum apposuit ipse Pontifex) ut hoc festum celebrarent cum octava. Exemplar Brevis dati ad Augustissimum Imperatorem Leopoldum placuit hîc apponere in perpetuam memoriam pietatis; qua tota Serenissima Augustissima Domus Austriaca fertur adversùs Immaculatum Virginis conceptum. Transtuli huc illud Breve ex Exemplari, quod viennæ impressum, ac Sigillo Nuntiaturæ Apostolicæ, ipsóque proprio Chirographo Auditoris Nuntiaturæ munitum, ac proinde omnino authenticum accepi Anno 1667. quo alteri editioni hunc tractatum parabam; est autem hujusmodi.

Cùm aliàs, & sub die 2. Julii proximè lapsi Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa VII. iteratis, piisque precibus Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici annuerit, ut in omnibus Regnis Hispaniarum, & Indiarum, eidem Catholicæ Majestatis Imperio subjectis tum à sæcularibus, tum à Regularibus utriusque sexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Immaculatæ Conceptionis cum Octava imposterum de præcepto recitetur cum Lectionibus in Octavario Romano à Congregatione Sacrorum Rituum approbato contentis, & à die Octava ad decimamquintam Decembris ritè dispositis, idémque officium ad usum ejusdem Cleri seorsim ab Octavario Romano imprimi posse concesserit; eadem omnia ac eisdem modis, & formulis suprà expositis ad preces Augustissimi Imperatoris pariter concessit in singulis Regnis, & Provinciis, dictæ Imperatoriæ Majestati subjectis. Hac die 12. Novembris. 1664.

M. Episcopus Sabinensis Card. Ginettus.

(L. S.)

Bernard. Casalius Sac. Rit. Congr. Secr.

Factâ Collatione cum suo Originali in Cancellaria Nuntiaturæ Apostolicæ existente concordat de verbo ad verbum. Et in fidem: Viennæ ex Palatio Nuntiaturæ Apostolicæ die 23. Martii. 1665.

Abb. Franc. Ant. Gallus Nunt. Aud. Glis.

RAtione verborum, quibus hoc Breve conce- 81
ptum esse vides Lector, emerserunt hæc singulariter quatuor dubia.

Primum dubium est omnino proprium hujus loci, in quo diximus, Regularibus esse ex declaratione Congregationis (si quidem est authentica) vetitum, ne festa Diœcesana celebrent cum octava; etenim ob hanc ipsam rationem nonnulli Religiosi habitantes in locis, ubi clerus sæcularis obibat Anno 1666. octavam prædictam, abstinuerunt eâ celebratione. Censui ego, & censeo, non fuisse abstinendum, quandoquidem species derogat generi; atqui Sua Sanctitas specialissimè nominavit, obligavítque respectu hujus octavæ Religiosos, hoc ipso quòd suum Breve *præceptivum* extenderit ad omnes utriusque sexûs adstrictos Breviario; nam sexus fœmineus non tenetur lege Breviarii, nisi sit Regularis, si excipias paucula *libera*, ut vocant, cœnobia.

Secundum dubium est rursum hujus loci, id 82
est provinciæ, in qua hæc scribo. Etenim hæc civitas Constantiensis agnoscit se subjectam (salvis magnis suis privilegiis) Serenissimæ Domui Austriacæ; igitur dubium non erat, quin clerus Constantiensis, adeóque Ecclesia cathedralis contineretur *propriè*, & *directè* verbis comprehendentibus omnes clericos incolas provinciarum Austriacarum; at ambigebatur, an, quoniam magna quidem pars Diœcesis Constantiensis agnoscit Archiduces Austriæ pro veris Dominis, non tamen tota, Breve Pontificium exporrigatur ad cætera loca Diœcesana, e. g. ad Helvetios; exemptos omni alieno dominatu, itémque ad urbes Imperiales haud paucas, accipientes jura in spiritualibus ab Illustrissimis Episcopis Constantiensibus, at in temporalibus à solo Cæsare, qua Cæsare, non qua Austriaco Principe. Ego semper judicavi, omnino extendi saltem quoad vim *permissivam*,

sivam, si non quoad *coactivam*; etenim *justum est juxta Majorum decreta, ut sedes, quæ unicuique sacerdotalis dignitatis mater est, sit Ecclesiasticæ Magistra rationis*, Text. Cap. *De iis dist. 12.* ubi ex hac ratione probat Concilium Toletanum, rectores Ecclesiarum debere unum, eundémque in psallendo tenere modum, quem in Metropolitana sede cognoverint institutum; ergo & Diœcesani debent vel ex præcepto, vel ex decentia quadam recipere illum psallendi modum; adeóque illud officium, quod cognoverint in Episcopali, seu Cathedrali sede institutum recenter; *justum* siquidem est; *ut inde unusquisque sumat regulas Magisterii* (Ecclesiastici) *unde honoris consecrationem*, cit. Cap. *De iis*, accipiunt autem singulæ Ecclesiæ particulares, earúmque magistri, honoris consecrationem ab Episcopali. Accedit, quòd in hac Diœcesi sint per Sueviam passim immixtæ Austriacis pagis, & oppidis Ecclesiæ non dependentes à dominatu Austriaco, quódque hactenus fuerit authoritate Episcopali quot Annis impressum, ac per totam diœcesin sparsum Directorium, è cujus norma celebrantur divina ubique (excepris perpaucis) officia; igitur ad uniformitatem retinendam, confusionémque vitandam, judicatum fuit, in Concilio Ecclesiastico, omnino convenire, ut Anni 1667. atque secuturorum Directorio inseretur prædicta Octava pro universo Clero Diœcesano.

83 *Tertium* dubium movent aliæ octavæ, quæ occurrunt cum octava Conceptionis Immaculatæ; occurrit enim imprimis octava S. Francisci Xaverii in omnibus Societatis nostræ Ecclesiis; utra alteri cedet? non S. Xaverii, quia celebratur à nobis ejus dies Natalis officio secundæ classis, cùm tamen festum Conceptionis colatur officio duntaxat majore per Annum. Non conceptio, quia & est dignior, & hoc ipso, quòd festum ipsum sit honoratum octavâ, videtur elevatum ad sublimiorem classem, adeóque saltem secundam. Sed & S. Nicolaus est Patronus primariæ hujus urbis parochiæ, habens proinde octavam, an præferendus Matri Dei? Et quid si S. Barbara, S. Ambrosius, S. Lucia habeant alibi etiam octavas?

Propter indicatas rationes, aliter, atque aliter penetratas à diversis discessum fuit Anno 1667. in diversas opiniones, imò & praxes. Ego censeo *in primis*, festa primæ classis esse absque dubio præferenda, quoad octavas, octavæ Conceptæ Virginis. Ratio est, quia cùm octava, seu dies infrà octavam sit nihil aliud, quàm prorogatio festi habentis octavam. Gavantus *in Rubr. Breviar. Sect. 3. cap. 8. num. 5.* adeóque omnes dies octavæ pro una festivitate computentur. Idem *ibid.* post Radulphum; cùm deinde dignitas octavæ attendi debeat penes classem festorum. Expressè Gavantus *loc. cit. num. 8.* clarum est, dies infra octavam non cedere aliis octavis, seu infra octavam, nisi etiam cedat ipsummet propriè festum; atqui nullum festum primæ classis occurrens cum ipsomet festo Conceptionis cedet festo Conceptionis, ut liquet ex Tabella de occursu festorum. Censeo *secundò*, nulla festa, etsi digniora, præferenda esse festis minùs quidem dignis, at elevatis ab Ecclesia ad classem superiorem; nam & dignitas octavæ desumenda est ex dignitate classis, ut jam jam diximus ex Gavanto; & generaliter dicta generaliter sunt intelligenda; atqui in Tabella de occurrentia festorum generaliter statuitur, festa superioris classis esse præferenda festis inferioris, non factâ ullâ mentione majoris dignitatis, excipiendo tamen pauculas, quorum tam expressa exceptio firmat Regulam in contrarium. Censeo *tertiò*, cùm non reperiatur in Breviario ullum festum octavâ honoratum, nisi sit primæ, aut secundæ classis, hoc ipso, quòd aliquod festum celebrari jubeatur, vel permittatur cum octava, videri insertum saltem secundæ Classi. Ratio est, quia cui conceditur principale, eidem etiam accessorium, & cui majus, eidem & minus, Cap. *Cui licet. De Reg. jur. in 6.* atqui Ecclesia colendo aliquem Sanctum adjectione octavæ, adhibet utique ei majorem honorem, quàm si præcisè collocaret illum in secunda classe. Hinc factum, quòd & nos Constantiæ, & nostri Monacenses, (nam etiam Serenissimus Bavariæ Elector impetraverat pro utroque suo Ducatu indultum, quod Cæsar) nono Decembris antetulerimus octavam Conceptionis octavæ S. Xaverii, sicut & Viennenses tam in templo Collegii, ubi ipse est Titularis, quàm in Ecclesia Domûs Professorum, ubi colitur sicut in aliis Societatis templis; at Ingolstadienses inducti aliis rationibus dederunt illo die nono Decembris primas S. Xaverio.

Quartum dubium occasione ejusdem festi 84
emersit hoc, an videlicet fas esset in Præfatione Missæ cantare, vel dicere: *Et te in Immaculata Conceptione.* Ratio asserendi erat, quòd, cùm Pontifex tam disertè in sua Bulla expresserit, festum Conceptionis esse institutum, & hactenus observatum in honorem Conceptionis, tanquam expertis omnis prorsus culpæ, visus fuerit permittere, ut illa puritas, atque immunitas *expressè* nominaretur in Missa. Quæ fortè causa movit eos, qui censendo Directorio Diœcesano Constantiensi præsunt, ut permitterent, aut etiam mandarent, eidem Directorio inseri hæc verba in Præfatione: *Et te in Immaculata*, itáque fuerit in nostra Cathedrali Ecclesia cantatum ab Ann. 1665. ad hunc; quo hæc revideo, Annum 1667. inclusivè, ac multis etiam Regulares usurpárint in suis quoque privatis Missis illud incommunicabile cæteris Sanctis elogium. E diverso obstare videtur inprimis, quòd, si licet illud epitheton usurpare in Præfatione, liceat quoque in oratione, seu Collecta, atque adeò dicendum fuerit: *Immaculatæ Conceptionis, ejus votiva solennitas*; fortè tamen

nemo unus ex utentibus in Præfatione illo glorioso titulo, usus fuit in Collecta, longè minùs in Antiphonis, & Responsoriis, in quibus toties nominatur Conceptio. Adhæc Innocentius X. qui & ipse in favorem piæ, piissimæ, & probabiliùs multò ipsiusmet Sancti Thomæ sententiæ unum, alterúmve Breve ad instantiam Coronæ Hispanicæ impertitus est, vetuit tamen, usurpari in sacris officiis illud encomium, impugnatum antehac ab iis quoque, quibus certum est, Sanctum Thomam fuisse illud absque omni verborum ambiguitate defensurum, si prævidisset, quæ nos videmus, scilicet consensum totius feré Ecclesiæ. Ego video, me certò fore immunem omni culpâ, si in Missa privata abstinerem illo epitheto, at non haberem eam certitudinem, si non abstinerem, abstineo. In solenni sequerer usum meæ Ecclesiæ ad vitandum scandalum; Viennenses omittunt, sicut & Romani, ut mihi scriptum ex Urbe.

85 Semiduplicia diœcesana utrùm sint Religiosi, qui observent? ignoro; quamvis hactenus non potuerim invenire convincentem causam, cur non liceat etiam semiduplicia, si licet duplicia colore; certè qui fecit jus ad illa, potest & ad ista; sed revera non convenit.

Licèt verò Barbosa, cum Ascanio Tamburino *De jure Abbatum Tom. 1. disp. 5. quæst. 9. num. 39. absolutè* neget, Religiosos teneri dicere Officium, & Missam de sanctis diœcesani, testatur tamen Palaus *Tract. 7. disp. 2. punct. 2. num. 8.* eos ex præcepto Gregorii XIII. obligari ad Missam, & Officium de Patrono loci, in quo commorantur. Quòd si in eadem urbe sint plures Parochiæ, habetur ratio solius Matricis. Vide infrà *num. 627.* plura de Regularibus. Et quasi per parenthesin (insperatam tibi, non tamen ingratam,) scito, fuisse aliquando dubitatum, an omnia festa *fori* simul, & *Chori*, sicuti sunt SS. Georgii, Martini, Nicolai, &c. in Germania, debeant honorari ritu duplicium majorum per Annum? eámque ob rem me Romam scripsisse alicui lectissimo Theologo, ac petiisse ab ipso judicium Romanorum Theologorum, ex quorum mente ille mihi rescripsit, nihil in Urbe sciri de hoc ritu.

86 Quæritur IV. *An, & cur successores, & posteri obligentur ad festa, quæ voverunt eorum majores, & antecessores, cùm nemo possit suo voto quemquam ligare; alioqui tenereris fieri Religiosus, si tui parentes te devovissent Religioni?*

Resp. Certum est teneri. Ratio est, vel quia ex justitia *Legali*, seu observantia erga parentes filii, & posteri tenentur rata habere ejusmodi vota pro bono publico facta, & non inducentia valde magnum onus. Bonac. *De voto, punct. 5. num. 20.* Filliucius *Tract. 26. num. 162.* Vel quia Episcopus ejusmodi vota approbando mandavit servari à posteris. Suarez *Lib. 4. De voto Cap. 10 num. 9.* Laymannus *Lib. 4. Tract. 4. cap. 10. num. 8.*

Ita ut secundùm hanc sententiam peccent contra virtutem Religionis non observando talia festa. secundùm priorem solùm adversùs justitiam *legalem*; quæ utrùm in hac materia obliget ad mortale, non satis liquet; non dubito, quin plerique sint agnituri talem obligationem. Addit Navarrus *in Manual. cap. 12. num. 80.* hanc obligationem oriri ex vi contractûs, & promissionis, transeuntis in successorem universalem; quod tamen difficulter credo. Vide *in Alphab Quadruplici*, post hæc impressa, excuso, *num. 41.* Casum singularem circa hanc materiam.

Festa, quæ ex sola consuetudine sua ab E- 87
piscopo non approbata, populus observat, impunè transgredieris Azorius *Part. 1. lib. 7. cap. 4 quæst. 1* Suarez *Tom. 3. in 3 part. disp. 88. sect. 5.*

Quæritur V. *An, si quod festum incidat in* 88
Paraseeven, sicut apud plerosque Germanos Anno 1666. festum S. Georgii, sit necesse audire Officium ordinarium illius diei, aut ipsius festi, si fortè Episcopus faciat jus, tunc veram Missam dicendi?

Respondeo ad *primum*, cum Molfesio, Nal- 89
do, Fagund. Gavant. Barbosa *De parocho Cap. 11. num. 47.* contra Vasq. *Tom. 3. in 3. part. disp. 232. cap. 2.* Nugnum *quæst. 83. art. 1.* & alios *negative.* Re enim verâ illud officium non est Missa, licèt vulgus ex ignorantia vocet Missam. Certè non ita nominatur in Missali; atqui neque scripta, neque non scripta lex obligat fideles, nisi ad Missam audiendam. Unde testatur Gavantus *in Rubr. Missal. Part. 3. Tit. 26. num. 24.* apud Barbosam extare pro nostra responsione declarationem Sacræ Congregationis.

Respondeo ad *Secundum.* Si ex quacunque 90
causa datur sacerdoti alicui potestas faciendi tunc Sacrum, túque rescias tempus, & locum, teneberis tuâ præsentiâ honestare actionem adeò insuetam illo die, quia hoc non est uti privilegio, non enim tibi fit peculiaris gratia audiendi. Porrò jam indicavi *in Alphab. Sacrific. Casu VII. num. 213.* quibus casibus videatur posse permitti, ut unum Sacrum fiat tali die, & *ibid. n. 215.* resolvo novam quæstionem circa Sacrificium hujus ipsius diei. Vide etiam *ibidem* dicta *num. 223.* 91

SECTIO II.

An, & quomodo audiendum Sacrum in Festis Translatis.

Casus Constantiensis.

SUMMARIUM.

Casu civis Constantiensis festo S. Michaëlis existentis in loco, in quo id festum est translatum in alium diem, 92.

Astro-

Acroniani transferunt quoad forum *festa incidentia in Vindemiam. 93.*
Civis ille Constantiensis non tenetur tunc audire Sacrum. 94.
At tenebitur, si maneat illic usque ad diem, quo celebrabitur translatum. 95.
Casus venientis è loco adhuc celebrante quadragesimam, ad locum jam solutum lege jejunii? 99.
Quid censendum de Episcopis, crebrò transferentibus etiam quoad forum *festa* de præcepto? 102.
Et singulariter festum Annuntiationis cadens in hebdomadem sacram. 104.
An, si celebretur quoad forum *feriâ V. Cœnæ Domini, aut Sabbato Sancto, facienda sint plura Sacra. num. 106. & 109.*
Quid de festo S. Georgii sentiendum? 110.
An, quando festum S. Matthiæ cadit in diem Cinerum? 112. & seqq.
Diversæ praxes Diœcesanæ circa translationem illius Vigiliæ. 113.
Rationes pro illis diversis praxibus. 114. & 115.
Solvitur peculiare argumentum Patris Raynaudi. 117.
Quid agendum, quando vigilia cadit de jure in feriam secundam Quinquagesimæ? 112.
Singulariter, quando timetur, ne plurimi illam violent esu carnium. 119.
Quid aliquando tunc factum Constantiæ? Ibid.
An, ubi est abrogatum festum S. Laurentii quoad forum, *sit etiam abrogata vigilia? 120.*

92 CArpophorus civis Constantiensis, Festo S. Michaëlis Archangeli Anno 1661. sicuti, & aliquot præcedentibus, ac sequentibus diebus occupatur Marisburgi, oppido vicino in vindemiis, nec interest rei sacræ, eò quòd in loco, in quo tunc moratur, non observetur tunc illud festum, Constantiæ autem observetur religiosè, quia scilicet Constantiæ est jam tunc absoluta vindemia.

Quæritur I. *Vtrùm teneatur nihilominus audire Sacrum Marisburgi?*

II. *Vtrùm, si Marisburgum distaret Constantiâ solùm dimidiâ horulâ, teneretur eo die se conferre Constantiam ad eadem sacram?*

III. *Vtrùm, postquam redierit Constantiam, incumbat ipsi onus compensandi, quod neglexit Marisburgi?*

93 Casus similes Carpophoriano contigêre illo sedecennio, quo hîc versor, multis centuriis hominum, mihique fuêre propositi intra, atque extra confessionale. Pro quorum intelligentia necessariò repetendum est, quod pluribus edissero *in Alphab. Sacrific. Casu VII.* quando vindemia incidit in festa S. Matthæi, aut S. Michaëlis Archangeli, solere in locis, in quibus ea fervet, festa hæc transferri quoad obligationem audiendi Sacri, & abstinendi à labore servili (suum solenne servat Chorus) in diem, qui non sit *de præcepto*. Hoc observato.

Resp. Carpophorus non tenetur audire Sa- 94
crum Marisburgi, nec conferre se (etiam indata illa parva distantia) Constantiam ad illud audiendum. Ratio est, quia peregrinus, seu forensis, & viator potest se accommodare moribus loci (saltem Catholici) in quo versatur, etsi contrarii sint moribus, aut legibus propriæ patriæ. Infrà *Casu XVII. num. 385.*

Resp. II. Si moretur Marisburgi, donec il- 95
lic colatur festum translatum, tenetur colere. Ratio est, quia quivis Christianus peregrinus tenetur observare leges loci, in quo ipse versatur, si eæ sint communes toti Ecclesiæ, & eis necdum satisfecit. Infrà *Cas. XVII.* Nec obest, 96
quòd mos Marisburgensis, colendi S. Michaëlis in mense Octobri, non sit communis, sed à communi planè alienus: nam est alienus solùm *quoad circumstantiam*, non *quoad substantiam*.

Dixi autem: *Si nondum satisfecit*; si quippe 97
jam satisfecit alibi, non est opus, ut rursùm obeat illud festum, nec enim vult Ecclesia quemquam obligare ad celebrandum bis idem festum. Tanner. *Tom. 2. disp. 5. quæst. 6. num. 31.*

Resp. III. Carpophorus noster, etsi neque 98
Marisburgi, neque alibi audiit Missam in ipso festo S. Michaëlis, non tenetur compensare Constantiæ. Sanchez *Lib. 1. Mor. cap. 12. num. 30.* Bonacina *De legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 6. num. 64.* Laym. *Lib. 1. Tract. 4. cap. 11. num. 8.* loquentes de festis, & explicantes individuam materiam, quam tangit hic

Casus Vallesianus.

PAter Cosmas Anno 1654. vel 55. venit ex 99
Vallesia, seu Diœcesi Sedunensi, in qua habitaverat, Friburgum Helvetiorum, ipsâ hebdomade Paschali, cùm in Vallesia jejunâsset non nisi tres, aut quatuor hebdomades; quia id temporis nondum erat facta Reformatio Calendarii, quam pauculis post Annis (emigrare jussis Calvinicolarum reliquiis) acceptavit tota illa pia, & Catholica Regio, adnitente cum primis Reverendissimo, Illustrissimo, & Zelosissimo Principe, atque Episcopo Sedunensi Adriano. Quæsitum ex me fuit; an Patri illi, parato implere totam Quadragesimam, acquiescendum esset, nec ne?

Dedi illud ipsum responsum, quòd sibi scis- 100
citanti fuisse à S. Ambrosio datum, testatur S. Augustinus relatus *Cap. Illa. dist. 12.* his verbis: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato, cùm Mediolani sum, non jejuno, sic & tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi* Non erat quidem periculum ullius scandali, erat tamen futura variis de causis molesta, seu incommoda tanta

ta discrepatio à communitate numerosa, temporeque minimè decreto ad jejunandum; quare jussus fuit locum dare sententiæ paulò antè relatæ ex Laymanno, licèt contrariam (sepositis incommodis) meritò suadeat Lessius *Lib. 4. De just. & jur. cap. 2. num. 59.* & imperâsset Tannerus *loc. cit. num. 33.* in casu, quo ille P. Cosmas venisset ex Vallesia in Rhetiam, in qua æquè ac in Vallesia Catholici hodie servant Calendarium antiquum; imperarem & ego.

101 Ad pleniorem explicationem hujus Casûs Vallesiani, adeóque illius, qui ex loco, in quo adhuc durat quadragesima, migrat ad alium, in quo ea transacta jam est, observa cum P. Bonagratia *in Summ. verb. Constitutiones, n. 115 edit. 2.* tametsi Religiosi merentur laudem potiùs, quam vituperium, si commorantes in loco, ubi adhuc est usus veteris Calendarii, sequantur Gregorianum, quia hos decet potiùs obedire, simpliciter mandatis Ecclesiæ, quàm sequi vulgi morem contrarium, ex respectu potissimum Hæreticorum, absolutè tamen laudabilius esse, si ipsi quoque accommodent se moribus Cleri sæcularis, sectantis una cum Lutheranis conficientibus majorem numerum oppidanorum, vetus Calendarium; etenim S. August. *Ep. 118. ad Januar. Cap. sed num. 2.* testatur, se tanquam ex cœlesti oraculo accepisse responsum S. Ambrosii dicentis: *Ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva*, ac professi, se, si quid melius nôsset, esse potiùs observaturum. Unde si loquamur de publicis moribus Catholicæ, piæque Communitatis, non repugnantibus instituto Religioso, possumus etiam Religiosis applicare illud carmen Glossæ *Verb* Debeat *in Lib. 3. Cod. De muner. & honor.*

Terræ, ad quam pergis, cape mores, quos ibi cernis.

Quam glossæ doctrinam applicat idem P. Bonag. non immeritò ipsis quoque Communitatibus Religiosis, sedem habentibus in hoc, aut illo oppido integre, vel ex parte etiam minore, (ut exprimit e iam Layman. *Lib. 3. Tract. 4. cap. 11. num. 8.*) catholico, non observante hoc, aut illud universale præceptum Ecclesiæ. Idem P. Bonagratia etiam quasi in terminis confirmat responsum, quod in hoc *Cas. III.* dedimus de illo Cosma Religioso. Ait enim, posse probabiliter asseri, probabilitérque negari, illum Religiosum, (qui ex loco, in quo secutus antiquum Calendarium, nondum explevit totam quadragesimam, venit ad Conventum, in quo est jam integre expleta,) *licitè* se accommodare comedentibus carnes.

102 Quæritur II. *Quid pronuntiandum de tot Episcopatibus Septentrionalibus, qui persæpe transferunt festa non solùm* quoad chorum, *sed etiam* quoad forum. Sat multos nominavi *in Alph. Sacrif. Cas. VII.* Tenentúrne subditi parere ejusmodi translationi? An possunt salvâ conscientiâ omittere Sacrum in die translationis factæ etiam *quoad Chorum*? Ratio dubitandi est, quia ejusmodi translatio repugnat mori Sumi Pontificis, sicuti patet ex dictis *ibid.* Atqui mos Pontificis spectandus est *Cap. In causis De sent. & re judic* Repugnat quoque decisioni Congreg Rituum, & communi doctrinæ Authorum, ut ibidem vidimus, quibus adde Armillam. *Verb. Festum. num. 24.* post Antoninum, negantem, licere festum transferre, quoad laborem servilem.

Resp. Nihilominus diœcesanos obligari in 103
conscientia accommodare se modo, ac rationi translationis; etenim constat ex usu diuturno, & constanti, quòd Clerus & populus sese integre subjecerit hac in re voluntati, potestatique Episcopi, qui cùm faciat hanc translationem non per modum *consilii*, sed *præcepti* sanè delinquet, qui obedire contemserit. Vide, quod de obligatione legis Episcopalis *num. 85.* retuli ex Suarez, & Laymanno.

Nec obsunt rationes in contrarium, quia ma- 104
nifestum est, multos Episcopos jam præscripsisse jus instituendi ejusmodi translationem; cujus praxin singulariter in ordine ad festum Annuntiationis, confirmat quidam Pragensis Academiæ olim Theologus, literis ad me 28. Junii Anno 1660. Uratislaviâ datis, hac ratione, quia scilicet festum illud est tam excellens ob Dominicam Incarnationem, ut planè mereatur diem, quo toto, & integre ipsi vacetur; non potest autem illi vacari integre in die Cœnæ Domini, multò minùs in Paraseeve, aut Sabbato Sancto, quibus diebus nec conciones ullæ, nec nisi unum fortè Sacrum fit, & homines occupantur (singulariter in Sabbato Sancto) emptione, venditioneque rerum variarum, nec possunt interesse Missæ, si tantùm una fiat feriâ V. & Sabbato, & denique ii dies dedicati sunt aliis Mysteriis, quàm Incarnationi Dominicæ. Unde festum Corporis Christi, quod deberet celebrari in hebdomade Sancta, quodammodo transfertur *in choro*, & *foro*.

Hæc ille Pragensis, & hoc ipso præstans Theologus, desiderans aliquando intelligere, quid docuerim in hoc ipso Alphabeto?

Doceo autem, ac sentio in primis, ubi non- 105
dum invaluit consuetudo diuturna transferendi festum Annuntiationis *quoad chorum*, & *forum*, non debere morem induci, sed standum judicio Doctorum supra relatorum, utpote confirmato à S. Congregatione, & à praxi Romana. Scio quippe, fuisse Anno 1660. in Urbe illud festum translatum solùm *quoad chorum*.

Addo tamen, etiam exemplo ipsi usmet Pon- 106
tificis, quod nobis esse debet pro norma agendi *Cap. Ex literis. De Constitut.* esse publicè facienda plura Sacra feriâ V. in Cœna Domini, cùm occurrit in ea prædicta festivitas, & consequenter id ipsum faciendum in Sabbato Sancto, ob rationem allatam *in Alphab. Sacrificantium cit. Casu VII.* In Paraseeve non est tan-

tanta necessitas, ob causam indicatam suprà *num. 86.*

107 Ad rationem P. Theologi Pragensis respondeo, à Summis Pontificibus, & Sacra Congregatione judicari, neque Christum Dominum, neque Matrem Virginem ægre ferre. etsi in casu extraordinario detrahatur aliquid venerationi tanti Mysterii, quantum est Incarnationis Dominicæ, quando id, quod detrahitur, compensatur aliâ piâ, publicéque concessâ actione.

108 Occupationes in venditione, atque emptione versantur ferè circa carnes, ova, & alia ejusmodi, quæ etiam per Annum sunt sæpe necessaria. Quod ergo circa macellum, & forum, seu mercatum consuevit aliàs fieri, quando in sabbatinum diem mensis Julii, Augusti, &c. cadit festum, idipsum fiat, quando in sabbatum Sanctum.

109 Sacri auditionem quod attinet, non dubito, quin vel oporteat, vel saltem valde conveniat, ut Curiones urbium curent fieri publicè plura Sacra in suis Ecclesiis, quia alioqui non occurretur multis millibus peccatorum, vel verè, vel ex erronea, valde tamen molesta conscientia, mortalium, ut jam monui *in Alphab. Sacrific. cit. Cas. VII.*

110 Sentio deinde, ubi viget diuturna consuetudo transferendi *quoad chorum* & *forum* diem Incarnationis Dominicæ, posse stari eâ consuetudine, ut jam tradidi *in Alphab. Sacrific. citat. Cas. VII.* At festum S. Georgii, solitum adhuc celebrari in plerisque Episcopatibus Germaniæ, & Anno 1666. celebratum in aliquibus Diœcesibus colentibus illud die 24. Aprilis, in Sabbato Sancto, minimè est motum loco, cùm non sit magnæ solennitatis, sed factum id, quod *in eodem Alph. Sacrif.* scribo *num. 223.*

111 Quæritur III. *An, quando festum S. Mathiæ, occurrit ipso die cinerum, transferenda sit vigiliæ die Martis, seu fer. 3 post Quinquagesimam, in diem aliquem posteriorem, aut priorem?*

Propono hanc quæstionem, quia ille Professor Pragensis, de quo suprà, literis ad me datis 30. Septembris, & rursum 17 Novembris Anno 1659. expetiit cognoscere, quid sentiam, ac proinde illo die 17. sic scripsit: *Optarem sanè, ut R. V. adjungeret Alphabeto Sacrificantium suam mentem de translatione S. Mathiæ, esset enim ad directionem multorum, & ad evitationem multorum malorum, & inconvenientium.*

112 Judicabat autem ille Doctor, videri sibi, sicuti tunc festum S. Mathiæ transfertur in feriam V. *quoad chorum*, ita rectè vigiliam transferri in diem Cinerum. Si verò idem festum occurrat fer. 3. ante Cineres, insinuabat, posse ab Episcopo dispensari in jejunio vigiliæ, ob *moralem* impossibilitatem jejunandi tunc.

113 Aperio igitur hîc, loco scilicet commodiore, meam mentem ac dico; inprimis me, atque alios, quos interrogavi, esse in hujus Germaniæ Episcopatibus expertos diversas praxes, Anno 1621. & 1632. quando illud festum incidit in feriam IV. Cinerum; etenim nonnulli Illustrissimi Domini Ordinarii nihil planè mutârunt, alii, iique plures Vigiliam transtulerunt in Sabbatum ante Quinquagesimam, sicuti *in Alphab. Sacrific. Casu VII.* refero fusè; à quibusdam festum Annuntiationis celebratum 18. ab aliis 20. Martii. Et quidem utroque illo Anno vigiliam anticipaverunt Sabbato ante Quinquagesimam Constantienses; at Eichstadiani solo Anno 1632. Brixinenses solo Anno 1621. Friburgenses in Helvetia festum transtulerunt in fer. v. post Cineres, & consequenter vigiliam in diem Cinerum Annis 1626. & 1637. quibus idem festum obibatur feria 3. post Quinquagesimam; Constantienses in Sabbatum antecedens transtulerunt vigiliam, attamen Brixinenses, atque Eichstadiani nil mutârunt. Ita mihi petenti, ac roganti scripserunt ex ephemeridibus, seu diariis, viri boni.

Usus non faciendi mutationem, est duplici 114
ex causa occasio plurimorum peccatorum mortalium. *Prima*, quòd circumstantia temporis inducat innumeros ad peccándum lethaliter, contra præceptum de abstinendo, tum à duplici refectione, tum ab esu carnium. *Altera*, quòd, cùm sciant subditi, fuisse ab aliis Episcopis factam mutationem illius vigiliæ, fulminent in suos Ordinarios, non sequentes hîc vestigia aliorum, & ex quodam contemptu indebiti, ut ajunt, rigoris, præfractè rumpunt repagula legis Ecclesiasticæ. Quare non possem damnare generatim illos, qui hactenus fuerunt in Germania authores faciendi mutationem, etsi omnem improbet Raynandus mox citandus.

Rursum, usus separandi per interjectum tri- 115
duum vigiliam à festo, est gratus quidem plerisque, at valde alienus ab antiquissima, universalissimáque consuetudine; ergo non imitandus, *c. Ridiculum. dist. 12.*

Igitur fateor, non displicere mihi judicium 116
illius Doctoris, doctissimi, inquam, P. Theodori Moreti; post hæc jam ter missa in lucem vitâ functi; etenim non videtur dari aliud rationabile medium inter illa duo extrema. Accedit, quòd ipsum festum *quoad chorum* transferatur ex præscripto Rubricarum in prædictam feriam v. Quid ni ergo transferatur etiam *quoad forum?* Quandoquidem non solùm plurimi Episcopi hoc factitant circa festum Annuntiationis, ut retuli *num. 104.* sed etiam *per se* est congruum, ut chorus, forúmque jungantur, sicuti quisque clarè videt, translato autem festo quid ni & transferatur vigilia? Ut scilicet accessorium sequatur motum sui principalis. Agnosco tamen, Laymannum *Lib. 4. Tract. 8. cap. 3. num. 9.* & teste Diana *Part. 3. Tract. 6. Res. 66.* alios viros doctos, magis probare translationem in Sabbatum, sicut & probat Pasqualigus teste Diana *Part. 10. Tract. 16. Res. 7.* dissentiente tamen cum Leandro.

Nec

117 Nec obest, quòd P. Theophilus Raynaudus *in Heteroclitis spiritual. l. 2. sect. 3. punct. 1. num. 35.* objicit, non esse præsumendum, quòd summus Pontifex habeat tantam rationem *Excarnaliorum*, ut velit fieri mutationem vigiliæ, utpote qui sciat, hanc solere incidere in Excarnalia, & tamen eam non excipiat à communi regula, sicut excipit quasdam alias; nam responderi potest, forte non esse in aliis provinciis tantum periculum violandi eam vigiliam, quantum est in septentrionalibus. Et verò Diana *l. c.* scribit, fortè alicui visum iri probabilem opinionem Laymanni, etiam casu, quo esset periculum, ne à maiori parte Diœcesanorum violaretur sine esu carnium illa vigilia. Dixi, mihi non displicere illam opinionem, nolim tamen esse auctor recedendi à Matre Roma.

Iam verò si loquamur de casu, quo festum
118 S. Matthiæ occurrit pridie Cinerum, fateor, me non posse inclinare eò, quò inclinare videtur ille Theologus. *Primò*, quia plerumque discordiam pariunt novitates, *tex. cap. Cùm inter. De consuet.* esset autem hæc novitas novissima. *Secundò*, quia unus subditus nequit in Lege Superioris dispensare integre, præsertim respectu tantæ communitatis, quanta est tota Diœcesis, quando ei obnuntiat praxis omnium aliorum subditorum, & nulla rationabilis causa urget; hîc autem non urget. Eam aut est
119 *morale* periculum, ne plurimi subditorum violent esu carnium vigiliam illam, si nullo modo dispensetur, aut est periculum, ne solùm pauci? Si *secundum*, nulla necessitas *moralis* urget ad quidquam mutandum; non enim paucorum, sed majoris partis est ratio habenda juxta *leg. Ex his. ff. De legib.* Si *primum*, poterit vigilia transferri in Sabbatum præcedens. Si enim Vrban. VIII. ut refero *in Quinario Tr. 3.* seu de *Jubileo Quintuplici num. 203.* declaravit quando vigilia S. Joannis Baptistæ occurrit in festo Corporis Christi, eam esse anticipandam; si similiter Ratisbonenses vigiliam omnium SS. non celebrant 31. Octobris, utpote qui est sacer S. Wolfgango Patrono Diœcesano, sed 30. imò 29. quando festum istud cadit in fer. 2. sicuti contigit Anno 1661. non apparet, cur periculum longè plurimorum peccatorum mortalium, partim ex malitia, partim ex infirmitate committendorum, non præbeat Episcopo justam causam faciendi illam anticipationem, sicuti re ipsa fecerunt Anno 1626. Sede vacante, Reverendissimum Capitulum, & 1637. Illustrissimus D. Episcopus Constantiensis Ioannes. Non vult quidem Raynaudus, ut paulò superiùs vidimus, fieri comparationem vigiliæ antecinералis cum hîc nominatis, sed judicium tot eruditorum Germanorum sufficienter defendit hasce responsiones nostras.

Occasione hujus quæstionis de Vigilia S. Matthiæ, resolvo hunc

Casum Turgoicum.

Turgoia, nullè Præfecturis Helveticis secunda, maximam tamen partem, proh dolor, Acathol. a non observat, etiam quà Catholica est, festum S. Laurentii. Quæsiit igitur ex me per literas vir Religiosus abhinc decennium: An Cathol ci soluti religione Festi. etiam liberi sint onere jejunii? 120

Respondi, quandoquidem in foro quoque *Ecclesiastico* admittitur illa lex, & Regul. Digestorum: *Cùm principalis causa non existit, plerumque nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent*, jejunium autem vigiliæ instituitur tanquam quædam præparatio ad festum Solenne, seu de præcepto, fit ut festum sic utique habeat tanquam principale respectu jejunii, & abstinentiæ à carnibus, adeóque cadente festo videri non nemini potest cadere & vigilia. Loquor autem, si supponamus, festi abrogationem (*quoad forum*, nam *in choro* utique observatur à clericis) factam esse legitimè, adeóque cum consensu Magistratûs Ecclesiastici competentis; si quippe esset ita illegitimè facta, ut hodiéque delinquerent non observantes, delinquerent quoque vescentes carnibus, cùm & nemo ex sua malitia commodum referre debeat, *cap. Ex tenore. De resc.* & quando aliquid prohibetur, omnia prohibentur, quæ sequuntur ex illo *cap. Cùm quid. De reg. jur. in 6.* Et verò servatur reipsa ibidem religiosè, ut debet, jejunium, seu carniprivium.

SECTIO III.

An obligatio Missæ extendatur ad festa dimidiata, & quandoque etiam ad dies non festos.

SVMMARIVM.

Etiam dimidiatis festis audiendum sacrum. 121.
An quandoque etiam quando non est festum? 123.
Aut quando est festum Academicum? 124.
An Episcopi teneantur quotidie interesse Sacro, si ipsi non celebrent? 125.

AD *primam* quæstionem respondeo *affir-* 121
mativè ex communi sensu DD. Pro quo observa, pluribus in locis, & nominatim Lucernæ in Helvetia, esse moris, ut nonnulli dies habeantur festivi solùm horis antemeridianis, seu potiùs usque ad solenne officium, Parochialémque Missam *inclusivè*, at verò peracto divino officio sit fas, seu domi, seu ruri obire labores consuetos; quamquam abhinc decennium hîc Constantiæ contigit aliquid

Insolitum, at non indebitum.

CVm enim autumnales nundinæ incidissent in festum S. Matthæi, rogatus fuit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, ut potestatem faceret exponendi merces post rem divinam, quam & meritò fecit, nec sine exemplo multarum urbium Catholicarum in Germania; non fuit tamen permissus labor alius, quàm necessarius usus illius facultatis.

122 Porrò *affirmativa* illa responsio, de qua suprà, probatur facilè inde, quòd sicut & Pontifex imperare, & communitas vovere potest integrum festum, ita etiam dimidiatum, cum obligatione durante duntaxat sex, octo decem horas; quandoquidem rei suæ quisque modum ponere potest *l. In traditionibus, ff. De pact.* Et verò reipsa ita factum esse, docet usus ipse. Vide Suarez *T. 3. in 3. p. disp. 88. sect. 5.* Henriq. *L. 9. c. 25. n. 2.* Azor. *L. 7. c. 4.*

123 Ad *alteram* quæstionem dicendum est, licèt olim fuerit præceptum, ut fideles Sacrum audirent tumper totam Quadragesimam *c. Solent. De consecr. d. 1.* tum singulariter tribus ultimis diebus quadragesimæ, ac tribus Rogationum, *c. Pronunciandum est. eod. d. 3.* utpote quiRogationum dies erant propriè festi, ut sanciturin hoc ipso Canone, desumpto ex Concil. Lugdunensi, attamen usu contrario sunt abrogata illa capitula quoad nostrum propositum. Atque adeò licèt commendanda sit religio eorum, qui singulariter in Cœna Domini interfunt incruento Sacrificio, & qui se in Confessionali reos agunt, si eo die per pigritiam neglexerunt illam pietatem, attamen, non oportet cuiquam movere, aut relinquere scrupulum peccati mortalis propter ejusmodi neglectum, quandoquidem certum est, ab eo non fuisse actum contra ullum nunc vigens præceptum.

124 Azor. *P. 1. Lib. 7. c. 4. q. 3.* Si verò in hunc, aut Sabbati sancti diem incidat festum *fori*, esse frequentandam rem divinam, jam monui superiùs, meritò inficiatus de Parasceve, nisi per dispensationem, aut ob aliquam è causis in *Alph. Sacrific. Cas. VII.* expressis, offeratur eo die propriè dictum Missæ Sacrificium. His addè, licèt studiosi Academici, atque professores, vacent quandoque à schòlis in honorem alicujus Sancti, quem etiam tunt colunt Officio solenni, non tamen peccare graviter, qui tunc non audiunt Sacrum, nec enim agunt contra gravem obligationem. Dicastillo *cit. Tr. 5. disp. 5. n. 52.* post. Suarez. & Henriq.

125 Quæres: *An saltem Episcopi obligentur quotidie*, vel sacrificare, *vel sacrificanti adesse?* Resp. Etsi *cap. fin. De privil. in sext.* ita loquitur Bonifacius VIII. *sine qua* (Missa) *eos* (Episcopos) *transire non decet absque causa rationabili ullum diem*; attamen Iacobus de Graffis *L. 2. c. 35.* atque alii communiter apud Barbosam, *in citatum capitulum*, rectè observant, iis verbis contineri *consilium*, non autem *præceptum*; cui tamen consilio si quis Antistes hoc ævo non pareret, non optimè audiret; quandoquidem etiam in hoc genere virtutis decet, ut sit forma gregis ex animo 1. *Petri, ultimo.*

AN SVB GRAVI REATV AVDIENDVM SIT INTEGRE SACRVM.

CASUS IV.

Pastoris zelosi.

SUMMARIUM.

S. Cæsarius occludit fores templi, ne sui egrediantur ante finem Sacri. 126.
Potest mortaliter, potest venialiter peccari omittendo aliquam partem Sacri. 129. & 130.
Quandonam mortaliter? 134. & seqq.
Navarrus minùs bene excusat illum à mortali, qui domi legit ea, quæ neglexit in templo. 137.
At excusandus, qui Sabbato Sancto, in quod incidit festum fori, non interest prophetiis, & Litaniis 138.
An, qui venit sub Præfatione, teneatur reliqua audire? 139.
An qui nec Consecrationi, nec Communioni valet interesse, teneatur ad alias partes? 140.
Qui venit aliquantùm serò, non tenetur supplere defectum. 142.
Satisfacis audiendo partem posteriorem unius Missæ, & deinde priorem alterius. 143.
At certiùs audiendo priùs priorem unius, posteriorem deinde alterius. 145.
Mulrò verò incertiùs, si simul audias partem priorem unius posteriorem alterius. 147.
Et singulariter si ex voto, aut pœnitentia Confessarii teneare audire Sacrum. 138.
Casus Sacerdotis impendentis horam soli meminit. 149.
Quid agendum parocho, videnti aliquos exire è templo ante finem Sacri? 150.
Insolitum in tali casu factum S. Ioannis Eleemosynarii. 153.
Notabilis Suarii doctrina circa ventitantes serò ad Missam. 156.

126 *DIvus Cæsarius Arelatensis, cùm esset ad altare, animadvertit, quosdam lecto Evangelio egredi de Ecclesia, quod S. viri concionem initio agre auscultarent. Quare mox cucurrit, populum compellans his vocibus:* Quid facitis filii? quid ita foras abscceditis malâ persuasione subversi? State pro animabus vestris ad accipienda verba exhortationis nostræ eáque auscultate soliciti. Non licebit id vobis in illo tremendo judicii die; moneo, clamo, obtestor, ne sitis, obsecro, vel surdi, vel profugi; auditis oris mei buccinam, perinde ac si animas vestras suo mucrone jugularet, non ego taciturnitatis arguar. *Hac de causa sæpissime ostia lectis Evangeliis occludi iussit, donec propitio Deo ipsi gratularentur, ex ea coërcitione se profecisse, qui solebant esse fugitivi.*

127 Ita loquitur nitidiore stylo Surii ad 27. Augusti Cyprianus, discipulus olim hujus celeberrimi Antistitis; cujus factum facit, ut resoluturus sim hoc loco sequentes quæstiones. 1. *An, & quando peccetur mortaliter audiendo non totum Sacrum?* 2. *An sit audiendum totum unius sacerdotis?* 3. *Quid remedii adhibendum à parocho, sciente solere suorum parochianorum aliquos discedere è templo ante finem Sacri, an imitabitur exemplum S. Cæsarii?*

128 Dico 1. Certum est, posse peccari mortaliter, negligendo aliquam partem Missæ; certum quoque est, talem neglectum posse esse duntaxat venialiter malum. Ita omnes unanimiter *in genere*, summè discordes *in Specie*, scilicet in assignanda parte necessaria ad constituendum peccatum mortale.

129 *Prima* pars de mortali patet tum *ex cap. Omnes. cap. Missas. cap. Cùm ad. De consecrat. dist. 1.* quorum primo jubetur privari Communione, *qui in oratione non perseveraverit, usque dum Missa peragatur*; tum inde, quòd pro nimis albæ mentis homine meritò haberetur is, qui opinaretur, ad committendum peccatum mortale per omissionem actûs rendentis in objectum constans pluribus partibus integrantibus, ut est Missa, una ex Horis Canonicis, Rosarium, restitutio centum aureorum, debita ex præcepto, aut voto, necessariam esse omissionem totius illius actûs, & non sufficere, si pars aliqua etiam magna, maxima prætereatur.

130 *Altera* pars inde liquet, quòd nimis rigidus esset legislator, qui juberet sub pœna capitis, aut æternæ damnationis, ne vel minima parti-

131 cula rei mandatæ à se prætermitteretur. Igitur tota difficultas consistit in assignanda parte, cujus omissio sit mortalis, aut solùm venialis? Et quia omnes dicunt, partis *Notabilis* neglectum esse mortalem, venialem autem illum, qui est non *Notabilis*, ideo denique tota quæstio resolvitur in assignationem Nobilitatis; ita tamen, ut facilè omnes fateantur, illam notabilitatem non esse desumendam præcisè ex multitudine verborum, aut actionum, quibus tu non interfuisti, sed maximè ex præstantia illarum; siquidem aliquæ partes sunt multò excellentiores aliis.

132 Et verò satis constat inter Theologos, peccari mortaliter ab eo, qui negligit consecrationem simul, & Communionem. Bassæus *Tom. 1. verb. Missa. 8. n. 3.* quandoquidem certum est, essentiam Sacrificii abesse, ubi abest utraque hæc actio simul; satis quoque receptum est, delinquisaltem venialiter, quamcunque minimam partem quis omittat absque causa rationabili. Suarez *Disp. 88. sect. 2.* Laymann. *Lib. 4. Tract. 7. cap. 3. n. 3.* Dicastillo *cit. Tr. 5. Disp. 5. n. 41.* Fagundez *De præcept. Eccles. præcept. 1. Lib. 2. cap. 6. num. 8.* pronuntians hoc esse certum, cùm præceptum Ecclesiæ extendatur ad omnes, & singulas partes: licèt nonnulli apud Suarez aliud sentiant de omittente totum illud, quod dicitur ad pedem altaris; & alii haud immeritò absolvant omni peccato omittentem ultimum Evangelium; nec enim Ecclesia videtur præcipere, ut quis audiat duo. Dicastillo *num. 38.* D. Reding mox citandus, atque Escobar *in Theol. Moral. Lib. 42. sect. 2. dub. 20.* cum pluribus contra Leandrum. Et olim fuit solitum penitus omitti idem ultimũ Evangelium, sicut etiam notat Layman. *loc. cit.* De cæteris tanta est opinionum dissensio, 133 roborata authoritate sapientissimorum virorum, atque apparentium rationum, seu ratiuncularum, nihil ut certi possit definiri, sed omnia haberi pro probabilibus, & tutis. Referam igitur hoc loco omnes, quas legi, sententias, lector sequetur, ut spero, & opto, tutiores; Confessarius quoque hortabitur ad has, attamen quandoque lenioribus, imò & lenissimis poterit, debebitque esse contentus.

Itaque si omittas, vel consecrationem solam, 134 vel Communionem solam, peccas mortaliter judice Castropalao *cit. Tract. 22. p. 16. n. 6.* post Coninck, Nugnum, Henriquez, & Bonacin, quos ipse citat, adhærente iis D. Reding *Tom. 6. Theolog. Scholast. quæst. 9. art. 4. Controvers. 3. num. 6.* tantùm venialiter, si alterutrum. Suarez *cit. sect. 2.* Laymann. *Lib. 4. Tr. 7. cap. 3.* Hurtadus *Disp. 5. De Sacrif. Miss. diffic. 1.* Tambur. *in Decal. Lib. 4. cap 2. §. 1.* probabilem reputantibus hanc sententiam Cardinale de Lugo *De Euchar. Disp. 22. sect. 1.* Dianâ *Part. 5. Tract. 13. Res. 61.* ac Dicastillo *n. 4.* Mortaliter, etsi solam consecrationem omittas. Lugo, Diana Dicastillo *ll. cc.* Marchantius *in Ref. pastoral. Tr. 4. cap. 6. q. 4.* Aut saltem si consecrationem usque ad Pater noster. Hurtadus *ibid.*

II. Rursum mortaliter, si tertiam, aut quar- 135 tam partem Missæ: juxta Palaum *loc. cit. n. 5.* volentem, hanc doctrinam, quam etiam tradit D. Reding, haberi pro certa, adeóque si usque ad Epistolam *exclusivè*. Pax Jordanus *vol. 2. Lib. 11. Tit. 1. num. 101.* testans, ita sentire plures. Aut si ab initio ad Epistolam *inclusivè*. Bonacina *quæst. ult. punct. 11. num. 16.* Navarrus *in Man. cap. 21. n. 2.* Turrianus apud Dicastillo *num. 35.* contrariam malè vocans temerariam, quam defendunt Sotus, Suarez, Henriquez, Rodriquez, Graff, Coninck, alii apud, &

cum Dicastillo *n. 31. & 35.* Ita autem defendunt, ut te addicant orco, si primum Evangelium negligas, esto omnia reliqua sequentia audias. Nihilominus tamen sunt iidem scriptores, Suarez, Rodriquez. Tambur. Dicastillo, Palaus, Azor *cap. 3. quæst. 2.* Sanctgallenses *Tom. 9. sui Cursûs Tr. 4. quæst. 7. Part. 5. dub. 1.* D. Reding *loc. cit. n. 3.* ita benigni, ut addant, esse omnino probabile, à te evadi peccatum mortale, si venias post Evangelium, modò permaneas usque ad finem ultimi Evangelii. Quin Laymann. *cit. Tract. 7. cap. 3. n. 3.* ita piè sentit de clementia Ecclesiæ, ut scribat post Amalarium, videri duriusculum, damnare de mortali illum, qui primùm venit circa Offertorium; & etiam Graffis *Lib. 2. cap. 35. num. 3.* excusat à mortali, qui solum Evangelium cum reliquis usque ad Communionem audiret. Sed hæc videtur nimia licentia, nec caret scrupulo peccati mortalis. Suarez *ibid.* rectè. Sicut & P. Escobar *loc. cit. dub. 10. num. 105.* meritò improbabilem appellat sententiam cujusdam, rati esse immunem à mortali, qui ab Introitu usque ad Offertorium *exclusivè* & post Communionem usque ad Missæ finem omittit; etenim præfata omissio verè est tertiæ (ut minimum) partis missæ, quæ in communi omnium sententia est notabilis, inquit Escobar, At verò idem Escobar *dub. 15.* post Suarium, Liamas, & alios contra Trullenck, excusat à mortali omittentem ab Introitu usque ad Epistolam *exclusivè*, & *insuper omnia sequentia integram Communionem Sacerdotis.*

136 III. Quòd si veniſti ad Missam, finitâ quidem Epistolâ, at nondum inchoato Evangelio, ac permaneas solùm usque ad finitam Communionem, eris reus gehennæ ignis, judicibus Suarez *cit. sect. 2.* Coninck *q. 83. num. 285.* Palao *num. 5.* Tannero *Tom. 3. disp. 5. q. 6. n. 17.* ac D. Reding *num. 2.* Nec dubium est, quin ex una particula principii, & finis possit constitui una notabilis. Navarrus *cit. num. 2.* & Graffis *loc. cit.* Sicuti etiam notant Suarez *loc. cit. vers. Ultimò denique.* & Palaus *num. 6.* post Canonem cœptum usque ad Communionem, omissionem minoris partis censeri graviorem materiam, eò quòd non sit tantoperè spectanda mora temporis, quàm rei omissæ dignitas, orta ex propinquitate ad essentiam, integritatémque Sacrificii.

137 IV. Optimus ille senex Navarrus, fuit ejus opinionis, ut cùm Margarita Confessorum censuerit, illum, qui omisit partem notabilem e. g. usque ad Evangelium, evasurum pœnas æternas, modò mox, ut domum redierit, privatim legat, quæ; eo absente, legit publicè sacer mysta. Sed meritò dissentiunt, non tamen explodunt, Suarez, Escobar *loc. cit. dub. 13.* (habens eam pro probabili) & alii plures cum Dicastillo, siquidem privata illa lectio nequit dici pars Sacri.

138 V. Qui ab initio usque ad Communionem etiam *exclusivè* interest, peccat solùm venialiter teste Suarez *loc. cit.* At nec venialiter juxta nonnullos delinquis, si, quando festum *fori* occurrit cum Sabbato Sancto, negligas Prophetias, & Litanias; etenim, juxta eosdem, ordinarium (secùs si fiat de occurrente Sancto, ut fieri sanè deberet, ubi adsunt plures Sacerdotes) illius Sabbati Sacrum incipit à *Kyrie*; at juxta nos infrà *num. 707. in App. lit. e.* à Litaniis.

139 VI. Si venias primùm sub præfatione, cùm nequiveris accedere antè, vel putaveris te venturum adhuc satis maturè, teneberis sub mortali, arbitris Sanchez *Lib. 1. moral. cap. 19. num. 6.* Laymanno *Lib. 1. Tract. 4. cap. 19. n. 5.* Lugone *de Eucharist. disp. 22. sect. 1.* D. Reding *num. 8.* Tamburino *cit. num. 5* ubi generatim loquitur de veniente ante consecrationem, contra Ioannem Sanchez *Disp. 15 n. 6.* permanere usque ad finem, nisi fortè intendas audire aliud; eò quòd, qui non potest facere totum, debeat saltem, si possit, partem facere potiorem, sicuti & teneberis judice Bonacinâ *de leg. disp. 2. q. 8. p. 1. n. 8.* contra eundem Sanchez, & Suarez *tom. 2. de relig. l. 4. de orat. c. 24. num. 25* ac Lugonem, ab initio usque ad consecrationem *exclusivè* persistere, etsi sciens, te non posse interesse nec consecrationi, nec aliis partibus, eò quod videatur esse hæc mens Ecclesiæ; quemadmodum secundùm omnes (inquit idem Bonacina) peccas mortaliter, si veniens statim post lectum Evangelium, negligas reliqua; & generatim ait Bonacina, quisquis notabilem partem potest audire, teneri, esto nequeat cæteras, modò possit præsumi, esse hanc mentem Ecclesiæ, aut militet eadem ratio, inquit Navarrus *in cap. Quando. De consecrat. d. 1. cap. 11. num. 16.*

140 E diverso videns, se neque Consecrationi, neque Communioni posse interesse, salvâ conscientiâ manebit domi, teste Laymanno *cit. num. 5.* sicuti, & probabiliter ille, qui nullo modo valet præsens esse Consecrationi; esto possit Communioni, ut censent Lugo, Tamburinus *num. 6.* & D. Reding *num. 9.* idcirco quòd & essentia Sacrificii consistat in consecratione, & solùm ea de causa non teneantur fideles accedere officium diei Parasceves, etiam quando aliquod festum incidit in eum, quòd illo die non fiat Consecratio, esto fiat Communio.

141 VII. Cæterùm non dicitur ille non posse ullo modo interesse Consecrationi, qui tempore Cõsecrationis occupatur in sacristia, quærens, aut parans aliquid necessarium ad Missam, quæ legitur; nam verè interest, quia censetur adhuc esse pars multitudinis existentis in templo. Lugo *loc. cit.* ac Dicastillo *n. 24.* addens *num. 43.* etiamsi oporteat eum exi-

exire extra Ecclesiam, parandæ, aut adferendæ illius rei causâ; si videlicet solùm brevi tempore absit: Palaus *cit. punct. 16. n. 7.* & Escobar *dub. 15.*

142 VIII. Quando casu veniſti aliquantùm, sed non notabiliter serò, ne quidem sub veniali teneris postea supplere venialem defectum, audiendo in altero Sacro partem omissam. Suarez *cit. sect. 2. vers. Sed quæres*, & Dicastillo *num. 4.* hæc enim *moralia* non sunt tam rigidè interpretanda, quidquid Nugnus *cit. quæst. 83. art. 6.* hoc Suarii judicium bis vocet falsum. Loquitur autem Suarez expressè etiam de illo, qui venit (sine sua culpa) primùm ad principium Epistolæ, aut qui justa ex causa recedit statim post Communionem.

143 Dico II. Probabile, & in praxi tutum est, mortaliter non delinqui ab illo, qui volens implere præceptum, audit *successivè* partem ultimam prioris Sacri, ac deinde primam posterioris; esto Nugnus *loc. cit. dub. 2.* advertùs Medinam apud Laymann. *cap 3. num 3.* dicat, esse gravissimum veniale, si fiat absque justa causa: mortale verò Suarez, Toletus, Fagundez, Tamburinus, Coninck *quæst. 83. num. 287.* D. Reding *loc. cit. num. 13* alii cum, & apud Cardinalem de Lugo *cit. Disp. 22. sect. 1. num. 20.*

Ratio conclusionis est, quia talis satisfacit præcepto testibus Majore, Navarro, Henriquez, Reginaldo, Baunio, Trullenck, Hieron. Garcia, aliis, quos citant, sequuntúrque Diana *Part. 2. Tract. 17. Resol. 18. & Part. 5. Tract. 14. Resol. 52.* Palaus *loc. cit. num. 8.* Dicastillo *num. 39.* Sanctgallenses *loc. cit.* & Barbosa *in cap. Missas. De consecrat. dist. 1. Tom. 6.* qui continet additamenta; adeò ut Suarez ipse fateatur, hanc sententiam esse comunem: Coninck

144 *loc. cit.* esse plurimorum DD. Non enim præcipit Ecclesia, ut audiatur tota Missa unius, sed ut tota. Auditur verò tota, quando omnes partes illius audiuntur, esto non omnes proveniant ab uno sacerdote; sicuti nec proveniunt, quando uni non valenti ob infirmitatem pergere in jam cœpta, succedit alius. Accedit hæc ratio, quia scilicet nil refert, quid de æquipollentibus fiat. D. ex *Leg. fin. ff. Mandati*, & fusè Joann. Gutierez *Lib. 3. qq. pract. Civilium quæst. 15. n. 18. ac seqq.* atqui revera *adæquatè* æquipollent duæ tales partes duarum Missarum uni unicæ integræ. Quare nihil dubita de veritate hujus conclusionis *speculativâ*, aut *practicâ*.

145 Nescio autem, cur Diana dicat, *in cit. Resol. 52.* non esse dubium (inter auctores) quin satisfaciat, qui priorem partem Missæ audit priùs, & posteriorem posteriùs; sed difficultatem in eo versari, quando priùs ab uno sacerdote posteriorem partem, & deinde ab alio priorem, nec esse à se præter Turrianum lectum ullum, qui pertractet hoc dubium; cùm tamen Suarez, & Coninck *loc. cit.* suam *negativam* sententiam intelligant expressè de utroque casu, sicut & postea Escobar *loc. cit. dub.* 22. Navarrus autem *cap. 21. num. 2.* Toletus *Lib. 6. cap. 7. in fin.* Palaus, Bonacina *punct. 11. num. 13.* Tanner. *num 17.* D. Reding, alii plures loquantur *absolutè* de audiente unam partem unius, & alteram alterius. Licèt igitur 146 primo aspectu appareat conclusio, ut suprà posui, minùs probabilis, quàm si ponatur cum expressione audientis priùs partem priorem unius, & deinde posteriorem alterius; attamen dubitari non debet, quin illa eadem conclusio sit verè probabilis, etiam prout illam statuimus, cùm & tot DD. eam in hoc quoque sensu tradant, & negent Turrianus, ac Diana, se audere damnare de mortali taliter facientem, & ratio superiùs allata faciat quoque pro hac parte, quamvis rectè moneat idem Turrianus apud Dianam, ac singulariter Nugnus, cavendum, ne magnum temporis spatium intercedat inter unum Sacrum, & alterum, alioqui desinet omnis unitas, esto Tambur. *loc. cit. n. 16.* censeat, probabiliter sufficere, si eodem die suppleatur prior defectus, sicut & providè monet Suarez *cit. sect. 2.* saltem esse dandam operam, ut unius Sacrum ab Offertorio *inclusivè*, usque ad finem audias; de prioribus partibus poteris esse minùs sollicitus, utrùm idem, an alius te præsente eas peragat.

147 *At quid si non* successivè, *sed* simul *audiam duas tales partes, & quidem duorum sacerdotum valde festinantium? Nónne poterit fieri, ut intra dimidium quadrantem, exsequar præceptum de Sacro audiendo?* Resp. Ita omnino judice Bonacina *cit. num. 13.* & non paucis aliis teste Dianâ *cit. Resol. 18.* non repugnante Dicastillo *num. 40.* probabilem vocante Molfesio, ac *reflexè* Patre Escobar *dub. 24. n. 147.* & veram pronuntiante Francisco de la Riba, apud Dianam *loc. cit.* addentem *Part. 5. Tract. 14. Resol. 22.* Hurtadum, ac Faustum: è diverso censente, ac scribente D. Reding *loc. cit. n. 16.* illam opinionem Bonacinæ esse omnino rejiciendam, eò quòd talis non interfit integro *substantialiter* Sacrificio, siquidem illa integritas desit, ubi deest unitas, hanc autem deesse in casu Bonacinæ, utpote, in quo non unum sacrificium, sed duorum duæ partes audiantur. Ita ille, & alii plures.

148 Verùm, etsi negari non potest huic opinioni aliqua probabilitas saltem *extrinseca*, sequenda est omnino in praxi contraria sententia, seu de Ecclesiæ, seu singulariter de Confessarii *præcepto*, seu de *voto* loquamur; tum quia illa simultas, seu conjunctio diversorum Sacrorum, utpote entium *successivorum*, facit penetrationem Sacrorum nimis inconcinnam; tum quia si & Papa de suo, & confessarii de suo quoque *præcepto* interrogarentur, dicturi essent, nunquam sibi venisse in mentem ejusmodi combinationem. Ideo non est doctrina Bonacinæ extendenda ad Sacrum debitum ex *voto* aut *præcepto*, licèt cæteroqui Sanchez, Palaus, Bonacina persæpe æquiparent obligatio-

tiones, & satisfactiones, voti, ac pœnitentiæ Sacramentalis, obligationi ortæ ex lege *Ecclesiastica*. Equidem nullus, quem legerim, facit discrètè illam extensionem, tametsi Bonacina *cit. num. 15.* asserat, illum, cui est à Confessario injunctum, ut audiat tria Sacra, satisfacere integrè, si interfit tribus integris eodem tempore celebratis à tribus sacerdotibus, modò non constet, esse aliam intentionem Confessarii: quod, & probabile putat Molfesius, ac Diana *Part. 4. Tract. 14. Resol 71.* *absolutè* negante veritatem illius doctrinæ Patre Escobar *Theolog. Moral Lib. 42. sectio 2. dub. 27.* post Turrianum, & alios, quos refert; existimat enim, sicut, & ego, esse communiter contrariam intentionem Confessarii; nam injungendo tria, quatuor, vel quinque Sacra, intendit utique injungere valde notabiliter graviorem, molestiorem, & magis satisfactoriam pœnitentiam, quàm si præciperet tantùm unam Missam. Illud est verosimilius, quod tradit idem Escobar *loc cit. dub. 20.* post Sanchez, Ledesmam, & alios, quos citat contra Coninck: scilicet satis expleri votum de uno Sacro audiendo, si, quando audis unum ex jussu Ecclesiæ, vel Confessarii, audias simul alterum ex voti obligatione. Citat quidem Diana constanter Hurtadum *De Euchar. Disp. 5. diffic. 4.* pro hac sententia, sed eo loco non tractat de hac materia.

149 Illud adde superiùs dictis de integritate Missæ, posse te sine noxa abesse toto tempore primi, aut secundi *Memento*, si incidas in Missam sacerdotis similis illi, de quo hic

Casus pietatis non tolerandæ.

Qui videlicet consueverat solidam horam impendere illi secretæ orationi, & contemplationi; idque jam expertus Minister Sacri divertebat interim alio teste P. Tamburino.

Nec enim Ecclesia obligat, ad tam extraordinaria, ac Rubricis repugnantia, nec toleranda, nisi in secreto, & respectu sacerdotis extraordinariæ perfectionis.

150 Dico III. Quando parochus videt, nonnullos consuêsse absque causa legitima discedere à templo, priusquàm finita sit tota liturgia, monebit eos privatim, minitando, se eos publicè pudefacturum, ni se emendent; emendatione non secutâ mandabit executioni suas minas, id juris faciente ipsi Canone: *Missas. De consecrat. dist. 1.* qui totus ita sonat: *Missas die Dominico secularibus* totas *audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.*

151 *At nunquid potest jure talibus minari privationem Sacræ Communionis?* Resp. Potest, standō decisione Canonis, *Omnes. ibid.* ubi expressè fit ea potestas. Quin Can. *Sacerdote. eodem* jubentur tales excommunicari. Verùm severitas horum Canonum est jam usu abrogata, & proinde minimè suadendus ejus usus, utpote jam non vigens, atqui vel maximè in executione hujus pœnæ veritatem inveniret illa gnome *cap. Cùm consuetudinis. Plerumque discordiam pariunt novitates.* Proderit tamen 152
pro suggestu quandoque facere mentionem horum Canonum antiquissimorum, exprimendo Canonem: *Omnes*, esse voce traditum ab ipsismet Apostolis, & in eo expressè dici: *Qui non perseveraverint in Oratione usque dum Missa peragatur* (id est perfecta sit) *velut inquietudines Ecclesiæ commoventes convenit Communione privari* Vide Binnium, & Franc. Turrianum de Canonibus *Apostol. adversus Maggeburg.* An verò quandoque liceat sequi exemplum S. Cæsarii, de quo noster Casus, docebunt circumstantiæ loci, & personarum. Occludere januas, ut ipse sæpissime fieri curavit, sat rarò expediet; at è cathedra monere, rogare sæpe proderit, ut idem Sanctus fecit è plano.

Sed quid censendum de illo, de quo refertur hic

Casus Patriarchalis?

VNo dierum volens multos resecare, ut 153
non egrederentur post solutionem sancti Evangelii de Ecclesia, & otiosis sermonibus pro oratione vacarent, quid fecit? Reliquit mox, postquam lectum est sanctum Evangelium, Ecclesiam, & ipse exiit, & sedit cum turba. Omnibus verò obstupescentibus dixit ad eos justus: Filioli, ubi oves, illic & pastor. Aut intrate intro, & ingrediemur, aut manete hîc, & hîc manebo. Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam; nam poteram facere mihimet Missam in Episcopio. Semel ergo, & bis fecit hoc schema ille beatus, erudivit & in hoc plebem magnificè, & emendavit.

His ipsis verbis Latinis, Græcam phrasin 154
Leontii interpretatur Anastasius Bibliothecarius, ut videre est tum in vitis Patrum apud Rosweidum, tum in *Tom. 2. De Actis Sanctorum*, ad 23. Januarii apud Joann. Bollandum *in vita S. Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini cap. 13.* de quo Leontius memorat hoc, ut vocat, schema, ac specimen curæ pastoralis, nec dubitat Scortia *De Sacrif. Lib. 4. cap ult.* quin hic non sapiens minùs, quàm sanctus Patriarcha exierit indutus Sacris vestibus, at non dicit, utrùm sit imitandus, nec ne.

Ego quidem minimè dubito, quin hic vir 155
Deo plenus rectè, spectatis omnibus circumstantiis, quæ tunc aderant, egerit; cur enim arguamus illum duplicis peccati? Quin existimo,

stimo, posse hoc exemplum repeti à viro notæ gravitatis, ac probitatis, qui sciret, se hac, & nullâ aliâ commodâ ratione reducturum ad Ecclesiam plebem, quæ id factitaret, quod Alexandrina, etenim nihil hîc apparet, quod sit *intrinsecè* malum, quandoquidem fas est pluribus de causis, quas memoro *in Alph. Sacrif. Casu ult.* interrumpere Missam jam cœptam; quia tamen difficillimè concurrent circumstantiæ tales, idcirco *absolutè* pronuntio, abstinendum imitatione hujus facti.

156 Potiùs pro praxi quotidiana observa doctrinam traditam singulariter à Suarez *cit. Sect. 2. vers. Tertiò fieri potest.* multos coram Deo peccare mortaliter circa accessum ad Sacrum, qui tamen non confitentur suum peccatum mortale; multi enim veniunt satis quidem à parte rei maturè e. g. circa *Gloria*, aut initium Epistolæ, attamen planè casu factum est, ut non venerint idcirco primùm post Offertorium, quòd Missa sit cœpta seriùs, aut prima pars Missæ duraverit ob cantum, aut prolixitatem orationum, Epistolæ, &c. diutiùs, quàm putarent, ut adeò scienter se exposuerint periculo voluntario negligendi tertiam partem, proindéque jam deliquerint lethifere in voluntate; ergo pessimè confitentur dicendo solùm: *Venibis ad Sacrum, jam cœptâ epistolâ*; deberent enim addere: *Exposui autem me voluntariè periculo veniendi primùm post offertorium, ad Sanctus &c.* Et quia hoc sæpe contingit, ideo monet opportunè P. Suarez, esse tales serò venientes quandoque à confessario interrogandos de illo periculo.

QUALE SACRUM AUDIENDUM.

CASUS V.

Authenticatus.

SVMMARIVM.

Casus solitorum audire Sacra votiva. 157.
An satisfiat legi Ecclesiæ audiendo Sacrum votivum? 159.
An qui sine intentione satisfaciendi præcepto? 162.
Missa Catechumenorum quæ? 163.
An necessariò audienda Missa parochialis? 164. & seqq.
An concio parochialis? 167.
Quando censeatur contemni proprius Parochus? 169.
Marchantii censura repellitur. 170.

157 *EDuardus, & alii quidam laicorum habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium*: In principio erat verbum, *& Missas peculiares, hoc est de Sanctâ Trinitate & de S. Michaele; ideo sanc.* citum est in eodem (Triburiensi) *Concilio, ut hoc ulteriùs non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis velit propter reverentiam sanctæ Trinitatis, non pro alia devotione, audire. Sed si voluerint, ut sibi Missæ cantentur, de eodem die Missas audiant, pro salute vivorum, & etiam defunctorum.*

Repræsento speciem facti cum addita re- 158
sponsione in Concilio Triburiensi, quod tametsi fuerit solùm Provinciale; & proinde non possit *per se* obligare totam Ecclesiam, obligat tamen *per accidens*, quia scilicet hæc ipsa verba sunt inserta *Lib. 3. Decretalium sub Tit. De celeb. Miss. Cap. Quidam*, ac proinde *authenticata.* Sed quæritur, quomodo sint intelligenda? Utrùm videlicet necesse sit audire Missam de *eodem die*, ut loquitur decretalis?

Et verò existimavit Angelus, Astensis, & A- 159
lexander de Ales apud Barbosam *in hoc ipsum c. Quidam. num. 5.* & apud Tannerum *Tom. 4. disp. 5. quæst. 10. num. 2.* non satisfacere præcepto, qui non audit Sacrum, de quo est dictum officium; Tannerus autem ipse damnat venialis peccati, qui sine rationabili causa nec audit, nec facit Sacrum, de quo est recitatum officium; cui etsi multùm favet resolutio præsentis *Cap.* itémque *Cap. Et hoc attendendum. De consecrat. dist. 1.* cum Glossis, quia tamen DD. infrà referendi, unà cum Barbosa, Bonacina *Q. ult. De Euchar. punct. 11. num. 12.* & aliis apud ipsos docent *absolutè*, satisfieri præcepto, qualecunque Sacrum audiatur, nec faciunt ullam mentionem peccati venialis, ac Sanctgallenses *Tom. 9. fol. 609.* rotundè scribunt, *parùm referre, qualis Missa audiatur*, ideo censendum est, esse per consuetudinem contrariam derogatum citatis juribus, si fortè statuerunt relatum culpæ, qualem non agnoscit Suarez *Disp. 88. Sect. 2. vers Atque ex hoc*, nisi 160
in iis, qui superstitiosè exigebant ea Sacra, de quibus loquitur citatus Canon. Ego equidem non memini ullius scrupuli unquam à quoquam moti, licèt sciam, esse multas Ecclesias, ut est nominatim nostra Cathedralis, itémque Friburgensis (in Helvetia) Collegiata, in quibus quotidiè prorsus cantatur Sacrum de B. Virgine matre, præsentibus plurimis, & nihil prorsus cogitantibus de alia Missa audienda; ergo foret nimis scrupulosus, qui hodie moveret scrupulum de ullo prorsus peccato. *Ergo eti-* 161
am erit extra omnem culpam, qui audit tunc solùm Missam de requirem? Resp. Erit, quia non viget jam ullum præceptum de qualitate Sacri, adeóque erit extra noxam, qui non audierit nisi Sacrum unius Episcopi Græci, cum suis valde diversis cæremoniis sacrificantis in Germania, per quam transit. Sanctgallenses *fol. 610.* Vide Azor *Part. 1. lib. 7. cap. 3. quæst. 5.* post Sotum *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1.*

162 Et quia feci mentionem ſcrupuli, adſcribo, quod Emman. Rodriq. *in Summ. cap. 123. num. 2.* pronuntiat contra negantes, ſatisfieri ab illo, qui audit Miſſam ſine intentione ſatisfaciendi præcepto, contra quos tradit hanc particularem, & generalem doctrinam: *Hæc reſponſio eſt nimis ſcrupuloſa. at in rebus moralibus oportet loqui taliter, ut non detur ingreſſus ſcrupulis, præſertim in hoc præcepto, quod tam continuò obligat.* Ita ille, ita ego in confirmationem generalis doctrinæ, quam defendit noſter *Clypeus Clement. Judicum.*

163 Quæres verò I. *An ſufficiat audiri Miſſam Catechumenorum?*

Reſp. Non ſufficit; quia per hanc intelligitur illa pars Miſſæ, cui intereſſe licebat catechumenis, atqui licebat eis intereſſe ſolùm uſque ad Evangelium *incluſivè.*

164 Quæres II. *Virùm non adſit vera obligatio audiendi Miſſam Parochialem, id eſt illam ſolennem, & communem, quæ in propria cujuſque Eccleſia celebratur pro toto populo?*

Reſp. Viguit quidem olim talis obligatio, ut patet ex *C. Et hoc attendendum. De conſecr. diſt. 1.* & clariùs *ex Cap. Veſtris illius. De treug. & pace. In Extrav. Comm.* itémque *ex Cap. Vt dominicis. De parochiis.* Verùm in primis Leo X. in Bulla, quam deſcribit Navarr. *in Manual. Cap. 21. n. 5.* apertè declaravit, illos ſatisfacere, qui feſtis diebus, & dominicis *proprio parocho non contempto*, audirent in Eccleſiis Regularium. Ita etiam ſanxit B. Pius V. Anno 1567. in Bulla, *Etſi Mendicantium Ordines*; apud Baſſæum Capucinum *in Floribus Tom. 1. verb. Miſſa, 8. num. 9.* addentem (contra Theophilum Parochialem, ex Navarro,) Bullam Gregor. XIII. qua revocabatur Leonina, nunquam fuiſſe promulgatam, ac proinde nihil virium habere.

165 Adhæc Synodus Tridentina, *Seſſ. 22. in Decreto De obſerv. & evitand in celebr. Miſſ.* ſolùm ſanxit, ut Epiſcopi moneant populum, ut frequenter, ac ſaltem Dominicis, & ſolennibus feſtis ſuas parochias accedant. Poſt quod Decretum ita quà invaluit, quà roborata fuit conſuetudo audiendi liberrimè Miſſam extra propriam parochiam, ut Martinus Navarrus *in Enchir. Cap. 21. num. 5.* ſtatim decennio pòſt, ut videre eſt in edit. Rom. Anno 1571. in ipſa Urbe Roma typis vulgârit, eam videri generalem, tolerátámque. Franciſcus Suarez 30. Annis poſt idem Concilium, adeóque Anno 1593. teſtatus ſit *cit. Sect. 2. verſ. Sed in primis*, eandem tolerari ab omnibus Paſtoribus Eccleſiæ, nec poſſe, utpote univerſalem, abrogari ab Epiſcopo; quod etiam antea Navarrus *loc. cit.* & ſub idem tempus ſcripſit Emman. Rodriq. *in Summ. Cap. 123. num. 6.* itémque Henriquez *Lib 9. cap. 25. num. 9.* ac poſtea Joan. Baptiſta Scortia *De Sacrific. Miſſ. Lib 2. cap. 20.* Pax Jordan. Epiſc Tragur. *Elucubr Vol. 1. Lib. 4. Tit. 1. num. 144* abhinc 24. Annos teſtificatus eſt, hanc eſſe Urbis, & Orbis conſuetudinem, idque eſſe notiſſimum; quod etiam ſub idem tempus ſcripſit Hermannus Buſenbaum *in ſua Medulla Theolog. Moralis Lib. 3. Tract. 3. cap. 1. dub 4.* atque Baſſæus *loc cit.* ac recentiſſimi Sanctgallenſes *fol. 608.* Denique recentiſſimus Georgius de Rhodes (ut alios prudens præteream) tot Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Doctores, ac rationes congerit pro hac conſuetudine *Tom. 2. diſp. Scholaſt. diſp. 2. De Sacrif quæſt. 4. Sect. 3. §. 3* ut negandum ſit, eum hoc tempore delinquere, ſpectatis privilegiis, & conſuetudine, remotóque contemptu, & ſcandalo, qui non ſolet diebus feſtis, aut Dominicis intereſſe ſeu privatæ, ſeu publicæ Miſſæ, quæ ſit in ejus parochia; ſicuti me citato videtur ſentire etiam Stephanus à S. Paulo *Tract 5 diſp. 4. num 105.* etenim tam antiqua, conſtans, univerſalis conſuetudo, cujus teſtes ſunt Hiſpani, Itali, Belgæ, Germani ſcriptores, itémque privilegia, elidunt omne præceptum hac de re aliquando latum, quod ipſe etiam Marchant. *in Reſol. paſtor. Tr. 4. De Sacr. Cap. 7. num. 1.* non obſcurè agnoſcit; tametſi ipſe fortiter (& quis vitio vertat præſertim parocho?) urgeat parochianos, ut frequentent ſuas Eccleſias. Et verò tum ipſe, tum Gaugericus *in Summulam Cajet. verb. feſtum*, accumulant tam multas, eáſque prudentes rationes, in probationem ſuæ ſententiæ, ut non modò irem pedibus in eam, niſi uſus privilegiorum vigeret, ſed etiam judicem, eſſe valde conſonum rationi, ac mutuæ charitati, ut concionatores, & confeſſarii datâ occaſione commonefaciant ſuos hac de re, ſi forſan appareat nimia aliqua licentia.

166 Quod ipſum potiore jure dico de concione in propria Parochia audienda; maximo enim opere convenit, ut oves audiant vocem ſui Paſtoris veri, ac proprii, præſertim cùm is officio ſuo ſtudioſè fungitur, ſicuti per Dei gratiam eſt paſſim reperire in urbibus Plebanos, horúmque ſeu cooperatores, ſeu aſſeclas, & collegas Religioſos, qui egregiè in Eccleſiis parochialibus impleant partes omnes Oratoris Chriſtiani.

167 Equidem Curiones incitantur ad Eccleſias ſuas magis exornandas, divina Officia decentiùs peragenda, quando cernunt, ea frequentari ſtudioſè à ſuis; eſt quoque iis difficile, non interpretari contemptum ſui, quando cernunt, tam libere, ac licenter deſeri ſua templa, accedi alia. Atqui conſtat *ex Cap. Vt Dominicis De parochiis.* & Trident. *loc. cit.* poſſe ab Epiſcopo puniri, qui contempto proprio parocho negligunt Miſſam parochialem.

169 Interrogabis autem, *quandonam cenſeatur contemni proprius parochus?*

Reſpondet Rodriquez *loc. cit.* poſt Altiſiodorenſem: Tunc, quando afficitur verbis injurioſis. At verò Rhodes *loc. cit.* teſtatur, à DD. hoc loco tunc ſolùm cenſeri contemni, quando parochianus ideo non it ad ſuam parochiam, quia eſt ſua, iturus ad eam, ſi non eſſet ſua. Alii apud Azor *Part. 1. lib. 7. cap. 6. quæſt. 4.* tunc cùm quis frequenter deſerit proprium parochum. Verùm conſuetudo contraria elidit hanc ſecundam interpretationem, ſciuntur enim paſſim plurimi, qui frequenter, imò frequentiſſimè, ne dicam ſemper, deſerunt proprium parochum, & tamen non proceditur unquam contra tales velut contemptores parochorum. Ideo ſentio cum Azor, eſſe hìc ſermonem de contemptu expreſſo, quo relinquitur, ac planè deſeritur parochia. Confirmatur hæc explicatio declaratione Cardinalium, quam deſcribit Gallemart mox citandus, quæ ne quidem in caſu contumaciæ, & notabilis negligentiæ adhiberi pœnas, & mulctas permittit.

170 Sciſcitaberis, quid cenſendum de illo dicto Marchantii *loc. cit. num. 7.* dum ita ſcribit: *Reſpondent communiter Regulares, ut privilegiorum ſuorum fimbrias magnificent, & dilatent Philaſteria ſua, Epiſcopum non poſſe cogere, ut diebus dominicis, & feſtis ſolennioribus populus ad parochiam conveniat, quia Epiſcopus non poteſt reſtringere jus, quod habetur ex univerſali conſuetudine.*

Reſpondeo, ſi quis Regularis ita ſcriberet de DD. Parochis, meritò hi pronuntiarent, calamum, qui ita ſcripſit, intinctum in acetum ſatis acre. Conſequentiam relinquo meo lectori; addendo, ab Epiſcopo Zerola *in praxi Epiſc. Part. 2. verb. parochia num. 3.* deſcribi unam declarationem, & à Joanne Gallemart, viro inſigni, ſed minimè Regulari Mendicante *in Concil. Trident. ſeſſ. 24 c. 4.* aliam (ut ſatis demonſtrant verba declarationum Cardinalium) qua utraque inhibetur, ne Epiſcopi pœnis Eccleſiaſticis cogant parochianos, ut accedant ſuas Eccleſias parochiales ad Sacra, & concionesaudiendas. Quas declarationes tametſi ponamus eſſe authenticas, attamen repeto, ſquod ſuprà monui, ſcilicet ab ipſis etiam Regularibus monendos pro re nata ſæculares, ut ſuâ frequenti præſentiâ honorare ſtudeant ſuaſmet parochias. Vide de tota hac controverſia Joannem Azor, & Buſenbaum latè *loc. cit.* & quæ nos *Tom. ſeqq.* ſeu *in Quinario Tract 5. cap. 45. num. 21. & ſeqq.* dicemus ſingulariter de adeunda concione Parochiali.

Is ſatisfecit Legi. 172.

Diſtantia à loco, ubi ſit Sacrum, quantæ eſſe poſſit 173. & 174.

Non eſt vetitum, audire Sacrum in loco profano. 178.

An Belli duces teneantur curare fieri Sacrum in caſtris pro exercitu? 180.

Præſentia ſufficiens ad Sacrum audiendum, an ſufficiat ad lucrandam indulgentiam? 184.

QUO LOCO AUDIENDUM SACRUM.

CASUS VI.

Podagricus.

SUMMARIUM.

Caſus audientis Sacrum è feneſtra ſuæ domûs. 171.

FRiburgi Nuithonum ſtat Eccleſia dicta Virgini Matri: atque ex oppoſito ædes olim Prænobilis, atque ſingulari pietate, perſpicacique prudentiâ præcellentis D. Petri Reiff Proprætoris Friburgenſis, tranſmiſſa ab eodem ad digniſſimos hæredes, ac præcipuè Prænobilem Dominum Franciſcum Joſephum filium, Senatorem, judicio, & authoritate, quàm ætate majorem. Solebat ille Dominus, cùm podagra vetaret exire domo, ex una feneſtra proſpicere in templum illud per portam majorem, atque diebus etiam profeſtis non ſine notabili moleſtia, attendere piè ſacerdoti operanti ſacris, ad altare quoddam laterale; poterat enim ſacrum myſtam cernere, & audire ſignum tinnitnabuli. Quæſiit ipſe ex me aliquando: Vtrùm, ſi quis domeſticorum ſanus, ac valens audiret ex eadem feneſtra ejuſmodi Sacrum die feſto eſſet integre ſatisfacturus præcepto? Reſpondi tunc, atque nunc etiam. 171

Reſpondeo *affirmativè*, cum Cardin. de Lugo *De Euchar. Diſp. 22. num. 21.* Dicaſtillo *De Euchar. Tract. 5. diſp. 5. num 59. & ſeqq.* Tamburino *in decalog. Lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 4.* Georgio de Rhodes *De Euchar. diſp. 1. quæſt. 3. Sect. 4. num. 13.* Buſenbaum *Lib. 3. Tract. 3. dub. 3.* Eſcobar *Theol. Mor. Lib. 42. num. 230.* addente Paſqualigum, loquentibus diſertè de audiente ex domo vicina; nec dubito, quin Gordonus ita etiam ſenſerit, ut ſatis oſtendunt hujus verba, quæ refert Diana *Part. 4. Tract. 4. Reſ. 154.* tametſi ipſe ea in ſuum favorem limitet, utpote qui *ibid.* poſt Filliucium *Tract. 5. cap. 7. num. 208.* ac Portel, quos ipſe citat, & quibus addo Suarium *Diſp. 88. Sect. 3.* negat, ſatiſſieri per auditionem è feneſtra vicinæ domûs, & ita reſpondit ipſe in ſpecie facti Panormitani, Marchioni Hieracenſi, ut ipſe teſtatur. Verùm confutatur ejus reſponſio, & firmatur clarè noſtra, quam etiam ſequitur D. Reding *Tom. 6. Theol. Scholaſt. Quæſt. 9. art. 4. Controv. 1. num. 6.* in primis in caſu, quo quis capite, ac pectore exporrectis è feneſtra proſpiceret per interjectam plateolam, non niſi 8. vel 10. paſſus latam, & in qua flecterent 8. vel 10. homines, attendentes more Chriſtiano illi Sacro facto proximè januâ templi. Certè in hoc caſu cenſeretur eſſe pars multitudinis flectentis ante illud templi, & junctæ aliis exiſtétibus in ipſo téplo, ſicuti patet ex dictis *Caſ. 1. n. 22. & 23.*

Hic

173 Hic autem casus potest utique sæpissime contingere. Et verò domus illa Friburgensis non plus quàm 25. (Lugo admittit expressè 30.) passus dissita est ab eo templo, ara autem vix 6. passus à janua templi, habétque festis diebus, quibus ad eam fit Sacrum, aliquot pios veneratores, esto nullos in platea; hæc enim circumstantia non est necessaria, quando cætera adsunt, ut probo instantiâ, quam adfert Patet Dicastillo; cùm enim ipse ex Hispania veheretur in Italiam classe triremium, in comitatu Mariæ Imperatricis, utpote ejus concionator, solebat ipse, ac comitatus aliquot millium capitum attendere ex ipsa navi illis Sacris, quæ fiebant in litore præsertim festis diebus: nec quisquam dubitabat, quin hoc ipso adesset præsentia *moralis*, quòd possent aliquâ ratione cognoscere, quid ageretur à sacerdotibus. Et quid communius, quàm quòd milites etiam è suis tentoriis audiant Sacrum, quod fit in campo publico ad distantiam 20. 30. pasuum?

174 Hanc obrem censet Dicastillo nil obesse, tametsi domus, è cujus fenestra prospicis, habeat interjectam satis amplam plateam, licèt Tamburinus restringat ad parvam distantiam excludens magnam, committens tamen determinationem magnitudinis judicio viri prudentis; fuit autem prudentissimus Cardinalis de Lugo; atqui ipse existimavit, sicut & Escobar, distantiam 30. passuum non esse nimiam; quod & ego arbitror, saltem in casu, quo sunt inter hunc spectatorem Sacri, & ipsum sacerdotem complures alii interjecti, qui simul audiant Sacrum: tunc enim reperitur illa præsentia *moralis*, de qua *suprà num. 25.* &c.

175 Quia verò hi scriptores nullam mentionem hîc faciunt interjectarum personarum, ideo non vereor hîc repetere, quod in allato nostro Casu censui, scilicet adfuisse sufficientem præsentiam, etiam quando nemo stabat, vel flectebat in platea. Licèt enim ille vir Consularis non fuerit *physicè* corpore in eo templo, fuit tamen in eo *moraliter* etiam *corporaliter*, quod probo dupliciter. 1. quia potuisset ipse tunc lucrari Indulgentias promissas *absolutè* audientibus aliquod Sacrum; imò si credimus Tamburino *loc. cit. num. 13.* audientibus Sacrum in illo templo. 2. quia juxta satis receptum loquendi modum censemur, saltem in favorabilibus, esse in aliquo loco, quando & sumus vicini, & videmus, quæ sunt in eo; spectantes; aperte, manifestè, dedità operâ; & porrecto
176 toto corpore, aut partibus superioribus. Denique censuram, qua in Hispania plectebantur Clerici spectantes Tauriludia, incurrebant etiam, qui spectabant è fenestris domorum, teste Dicastillo. Et quid est aliud audire Sacrum devotè, quàm spectare devotè sacrificantem? Unde suprà retuli *num. 15.* pro *Audire* Missam, nonnullos dicere: *Videre* Missam. Distantiam 30. passuum admitto quidem cum Lugone, etiam non interjectis personis inter te, & sacerdotem, sed solùm in casu, quo Sacrum fit sub dio, & tu etiam es sub dio, tunc enim videtur posse adesse præsentia *corporalis & moralis*.

His ad illum Casum, & Casûs objectum dictis, addo breviter sequentia.

177 I. Non solùm tunc non peccas, quando è cœmeterio audis Sacrum, non valens ob multitudinem ingredi templum (esto tunc nec videas, nec audias sacerdotem) sed etiam quando in area, quæ non est ullo modo benedicta, per hiantem januam aspicis piè sacerdotem, esto nemo fortè sit in templo præter ipsum, & ministrum. Etenim habes tunc præsentiam requisitam. Quamvis autem rustici soleant in tali compressione dare operam, ut saltem tempore elevationis inspiciant per fenestram, aut januam templi, id tamen necessarium non est.

178 II. Etsi plures canones vetent, Missam celebrari in loco non sacro, nulla tamen prorsus lex vetat audiri in non sacro, nulla requirit, ut ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto audiatur in loco sacro. Excipe Oratoria privata, de quibus differam *Cas. XVI.* & hanc particularem exceptionem probabo *num. 356.*

179 III. Proinde qui vehuntur navi, in qua sacrificatur, æquè obligantur honorare suâ religiosâ præsentiâ Sacrificium, ac si fieret in Basilica S. Petri Romæ. Quod ipsum dic de militibus, quando in castris ipsorum mysticè occiditur ille Agnus, quem tuis tam frequentibus, horrendisque blasphemiis, rapinis, stupris denuò crucifingunt multi.

180 IV. Quia tamen nemo tenetur uti suo privilegio, quandoquidem quilibet valet renunciare ei, quod pro se noscitur introductum Text. *c. Statuimus. De Regular.* ideo supererogatoriam, adeóque munificè compensandam in altera vita, & sæpe in hac quoque, gratiam suo exercitui præstant illi Generales Belli duces, aut Colonelli, seu Tribuni, qui stipendio conducunt Capellanum, ut etiam ruri cum altari portatili agat vicarium Summi Sacerdotis Christi Jesu.

181 V. Utrùm necesse sit, rem divinam audire in propria parochia; dixi *Casu præcedenti*. Quibus addo, vix posse sine gravi offensione fieri, ut quis communiter, & nullâ apparente speciali ratione diebus festivis audiat potiùs in aliena parochia, quàm in propria.

182 Excipe Casum, quo aliquis parvus pagus, aut villa valdemultùm distat à propria parochia, parùm autem ab aliena; videtur enim æquitas exigere, ut fiat (& scio alicubi fieri apertè, vel occultè) copia accedendi illam parochiam, saltem exceptis aliquot solennissimis festis. Scio tamen pagum, cujus incolæ debent transire juxta templum alienæ parochiæ, ut perveniant ad suam unâ horâ dissitam, & tamen non est ibi usus hujus indulgentiæ, nisi pro infirmis, & fœda tempestate.

183 Excipe denique Ecclesiam Regularium, qui, quia

quia muniti sunt peculiaribus privilegiis, ideo non censentur parochi contemni, etsi eorum parochiani frequentent potiùs Regulares Ecclesias. Quamquam & hîc quoque oportet habere rationem variarum circumstantiarum.

184 VI. Non admitto generatim id, quod tradit Tamburinus *cit. §. 1. num. 13.* dicens, universim illam præsentiam, quæ sufficit ad Sacrum audiendum in aliquo templo, sufficere etiam ad lucrandam Indulgentiam oblatam visitantibus illud templum. Etenim strictiorem præsentiam requirunt Bullæ Indulgentiarum, ut declarat communis sensus DD. relatus à nobis in *Tract. De Jubileo Quintuplici* tenente locum tertium *in Quinario Cap. 20.* éstque hæc res clara, quando præter visitationem Ecclesiæ injungitur visitatio aliquot altarium in illa, ut liquet ex iis, quæ illic *num. 80.* dissero conformiter judicio communi. Ex his omnibus infero, veram esse conclusionem, quam Dom. Reding *loc. cit. num. 4.* statuit hisce verbis: *Moralis præsentia ad Missam stare potest cum tali distantia, seu situ loci, ex quo Missa videri, vel audiri non potest*, probátque hanc conclusionem auctoritate Fagundez, Hurtadi, Lugonis, & aliquot instantiis, sive exemplis.

QUA INTENTIONE AUDIENDUM SACRUM.

CASUS VII.

Petulantis Acatholici.

SUMMARIUM.

Casus hæretici impiè obstrepentis Sacrificanti. 185.
Potest Ecclesia præcipere aliquos actus merè internos. 189.
Recitationem Breviarii esse præceptam sub intentione orandi, probatur contra P. Dicastillo. 191.
Assistens Sacro, ut videat sacrificantem, non audit Sacrum. 193.
Quæ intentio assistendi Sacro requiratur? 394.
Audiens Sacrum cum animo non satisfaciendi legi, satisfaciet tamen. 202.
Quid si talis se obliget ad audiendum aliud Sacrum? 503.
Solvitur objectio petita ex solutione pecuniaria. 205.
Intentio mala non tollit intentionem hùc necessariam. 208.
Solvitur objectio. 209.
Invitus, aut repugnans, an audiat Sacrum? 212.
An ebrius? 215.
Quæstio nova de cæco. Ibid.
Monitio ad Curiones. 216.

185 *Georgio sacerdote sacris operante in templo Catholico cujusdam urbis Acatholicæ, ingreditur ædem Sacram quidam sectarius, curiosè observat omnes actiones sacrificantis, inductus utique non pietatis, sed impiæ subsannationis studio. Quæ impietas illum etiam eò impulit, ut sacerdote sumente Sacrum Sanguinem ipse in hanc petulantissimam, & planè Athanicam vocem proruperit:* Sauff du Pfaff / daß dirs Hertz abstosse. Pota sacrificule, hic potus tibi ilia rumpat.

Quæritur I. *Vtrùm hic improbus Sycophanta habuerit intentionem requisitam ad implendam substantiam præcepti de Sacro audiendo, dum apud se dixit*: Volo arbitrari omnia, quæ hic mysta peraget ad aram, & quidem ideo attendam, ut habeam, quod rideam, & irrideam? Quæritur 2. *Si defuit huic necessaria intentio, quænam igitur exigatur, ut censeatur quis fecisse satis legi Ecclesiasticæ, imperanti auditionem Missæ?*

186 Hoc tetrum paradigma proteriviæ aberrantium à vera religione (quando non coërcentur à magistratu) mihi ipsi Anno 1658. recensuit urbis celebris mercator, fide dignissimus, nominatis, & civitate & templo (quæ prudens prætereo) ubi tunc recenter hoc gestum, & ubi ipse crebrò fuit, illícque ex testibus oculatis, auritis comperit paulò postquam editum fuerat id exemplum extremæ proteriviæ.

187 Ut verò respondeam ad quæstionem specificam; generalémque hujus Casûs, observo, veram resolutionem omnino pendere ex vera responsione ad hoc generalius quæsitum: *Vtrùm Ecclesia possit præcipere aliquos actus merè internos, non necessarios quidem ad physicam existentiam externorum, necessarios tamen ad moralem existentiam eorundem, seu ad id, ut externi habeant aliquam moralitatem, seu honestatem accidentalem, & non essentialem?* Posse, negant omnium clarissimè Vasquez *1. 2. disp. 160. cap. 3. & seqq.* & rursum *Tom. 4. in 3. part.* seu *De pœnit. quæst. 90. art. 1. dub. 4.* fusè, itémque Dicastillo *De sacrif. Tract. 5. disp. 5. dub. 7. num. 83. & seqq.* distinctè, & rursum referendis infrà *num. 795.* quibus planè videtur consentire ipsemet S. Thomas *1. 2. quæst. 91. art. 4.* generatim cum permultis (non tamen fere omnibus, ut vult Dicastillo *cit. num. 83.*) negans, posse ab Ecclesia præcipi actus merè internos.

188 Posse, cum limitatione indicata, asserunt Cajet. *in Summa verb. Horæ Canonicæ*, Sotus *De Just. Lib. 10. quæst. 5. art. 5.* Valent. *Tom. 4. disp. 7. quæst. 5.* Nugnus *in 3. Part. quæst. 83. art. 6. dub. 2 vers. Circa tertiam.* vocans contrariam sententiam falsissimam, & improbabilem. Sayr. *in Clavi Lib. 3. cap. 3.* Bonac. *De legib. Disp. 1. quæst. 1. punct 5. num. 8.* Azor. *Tom. 1.*

Lib.

Lib. 5. cap. 10. Tanner. *Tom 2. disp. 5. quæst. 5. num. 93.* Suar. *De legib. Lib. 3 cap. 13.* prolixè, ac Lessius *De just. & jur. cap. 37. dub. 11. num. 65. & 66.* etiam distinctè, Sanctgallenses *Tom. 9. fol. 605.* consentientibus absque dubio Adriano, Rotellâ, Medinâ, Pighio, Angelo, Tabienâ, quatenus partim apud ipsummet Vasquez, partim apud Suarez, sine distinctione pronuntiant, esse in potestate Ecclesiæ vetare, vel imperare actus merè *internos*. Quibus quidem non assentior ita illimitatè loquentibus; assentior autem cum limitatione superiùs indicata, atque.

189 Dico I. Est in potestate Ecclesiæ imperare aliquos actus merè *internos*, qui videlicet non possint percipi ullo sensu externo, nec necessarii sint ad id, ut in rerum natura ponatur aliquis externus, sicut voluntas efficax legendi Breviarium est necessaria ad ipsam actualem lectionem, attamen sint necessarii, ut actus externus peragatur cum aliqua honestate, & circumstantia, quam intendit Ecclesia. Ratio est 1. quia, cùm Ecclesia debeat per suas leges dirigere homines ad æternam beatitudinem, videtur sanè Christus Dominus dedisse ipsi potestatem sanciendi quandoque leges cum conditionibus, & circumstantiis merè *internis*, ita honestis, ut suam honestatem refunderent in actum externum, & vice versa, interdicendi aliquibus pravis circumstantiis, intentionibus, &c. dedecorantibus honestatem operis externi, quemadmodum pluribus instantiis declarat Suarez *loc. cit.* Et verò id ipsum sæpe admodum facere Superiores Regulares, constat ex ipsorum Ordinationibus, Statutis Congregationum, Capitulorúmque Decretis.

190 Ratio est 2. quia omnes Theologi, ut testatur Suarez *cit. Cap. 13. num 6. & 7.* tradunt, Ecclesiam, dum instituit recitationem quotidianam Breviarii, instituisse illam non ut meram puram recitationem, aut lectionem, sed per modum orationis, sicuti supponunt omnes Theologi, & Canonistæ, dum quærunt, an attentio *interior* sit necessaria ad implendum præceptum de Horis Canonicis, & dum asserunt, delinquere saltem venialiter Clericum, qui eas persolvit cum distractionibus voluntariis. Profectò illa circumstantia. *Per modum Orationis*, nullo prorsus modo est necessaria ad *physicam*, & *realem* pronuntiationem Psalmorum, atque lectionum, sed ad *moralem*, honestam, meritoriam, impetratoriam.

191 Quo argumento, ut ego quidem conjicio, pressus P. Dicastillo, cùm videret, suam superiùs relatam sententiam non posse salvari salvâ hac communissimâ, & hactenus indubitatâ doctrinâ de Horis Canonicis, non dubitavit eam negare *loc. cit. num 86.*

Sed revera nunquam inducar, ut doctrinam *moralem*, in quotidiano usu centies millies versantem, atque ab omnibus sapientibus, insapientibúsque admissam ideo inficier, ut tali inficiatione munitus defendam aliquam generalem propositionem negatam, ob graves rationes, à multis maximis doctoribus. Equidem prædictam doctrinam de circumstantia orationis in penso Canonico non solùm supponunt, ut jam dixi, omnes Canonistæ, ac Theologi, differentes de attentionis necessitate, sed etiam in terminis tradunt Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 13. num. 3.* & Palaus *Tract. 3. disp. 1. De Legib. punct. 17. num. 12.* Reginald. *Lib. 18. num. 149.* negans cum Navarro, Azor, Aragonia, Lessio, satisfieri illi præcepto, si quis legat Breviarium solo animo addiscendi contenta in eo; quod etiam negari ab omnibus, testatur expressè bis Suarez *Lib. 4. De legib. cap. 13. num. 6. & 7.* optimè versatus in historia, ut ita loquar, Casistica. Sed plenè, & distinctè agam hac de re infrà *Disp. 1. Problematica.*

Ratio est 3. quia ex oppositâ sententia se- 192
quitur manifestè, præceptum de audiendo Sacro impleri (si juxta dicta *Cas. 1. num. 47.* supponamus cum communi contra Vasq. & nonnullos alios, esse meri juris *Ecclesiastici*, non autem quoad substantiam *divini*; & quoad solam determinationem temporis, *Ecclesiastici*) abillo, qui interesset Sacro illâ solâ intentione, qua interfuit nefarius ille Hæretibus, de quo præsens Casus; atqui hoc videtur esse alienissimum ab animo omnium piorum, sicuti & alia, quæ paulò pòst inducam.

Dico II. Ille Georgii sacrificantis impius 193
irrisor, atque omnes ei similes, caruerunt, caréntque intentione necessariâ ad implendum præceptum de audiendo Sacro. Ita sentiunt tum illi, quos in specie illius execrandi facinoris interrogavi: tum sine dubio omnes authores relati pro conclusione præcedente, etsi repugnet Dicastillo *num. 86.* ita loquens. *Patet 2. intentionem vanæ gloriæ, aut vanæ curiositatis, aut intentionem addiscendi, vel quamcunque aliam, quæ non impediat externam actionem assistendi Missæ, quantum ad externum modum, ut fieri solet, quando impletur præceptum, nullo modo obesse, quò minùs per illam actionem externam impleatur præceptum seu audiendi Missam, seu recitandi horas canonicas.* Sed refutatur hæc tam generalis doctrina, tum veritate nostræ primæ conclusionis, tum judicio communi piorum, ac doctorum, tum aliis, quæ adferam conclusione sequenti.

Dico enim III. Ut satisfacias legi de Sacro 194
audiendo, debes habere intentionem interessendi Missæ tanquam rei Sacræ, seu cum intentione exhibendi Deo cultum. Suarez *Disp 88. in 3. part. sect. 3.* Bonacina *De Sacram. Disp. 4. quæst. ult. punct. 11. num. 4.* Nugnus *loc. cit.* Bassæus *Tom. 1. verb. Missa. 8. num. 7.* Molina *Tom. 6. Tract 5. disp. 58.* D. Reding *cit. Tom. 6. quæst. 4. Controv. 1. num. 9.* dissentiente apertè Dicastillo *num. 83.* Ratio est, quia ex una parte non debet negari, quin Ecclesia possit imperare auditionem Sacri sub hac ratione, quandoquidem ea est convenientissima, & quasi connaturalis illi actui; ex altera parte communis sensus fidelium declarat, ita re ipsa im-
195 perâsse, ut jam ostendo. Ratio quippe est 2. Quia ex sententia P. Dicastillo sequuntur hæc partim per se absurda, partim aliena à communi persuasione fidelium.

I. Hominem, qui Missarum solenniis interesset eâ solâ intentione, qua improbissimus ille sectarius, de quo noster Casus, satisfacere substantiali obligationi, ut jam intuli superiùs.

II. Sicut & illum, qui imitaretur satellites Valeriani Imperatoris, qui jussu hujus perempturi S. Stephanum Papam, at deprehendentes ipsum operantem Sacris, præstolati sunt, donec perpetraret totam rem divinam, eáque peractâ ipsum trucidârunt, ut videre est apud Baronium ad Ann. Christi 260. *num. 4.* quod etiam inferri posset de ficariis S. Thomæ Cantuariensis, si, quemadmodum interfuêre vespertino officio, ut eum trucidarent, ita etiam interfuissent matutino ex prava illa intentione.

III. Similiter satisfacere Neomystam, qui se collocat eo loco, è quo possit arbitrari omnes gestus antiqui sacerdotis, laudati ob exactam, concinnámque observationem rubricarum, nullâ prorsus aliâ mente, quàm ut ab hoc discat, & statim pòst ipsemet sacrificatum eat.
196 IV. Wedekindus Princeps Saxoniæ adhuc ethnicus mendicum mentitus interfuit toti Paschali Missæ, honoratæ præsentiâ Caroli M. Imperatoris, totiúsque exercitûs. Interfuit & Agarenorum Rex illi Missæ, qua fuit cælitus allata Crux Caravacensis; uterque ex sola prorsus curiositate, ex nulla omnino pietate; ut de Agareno pluribus describi supra *in Alphab. Sacrif. Cas. X.* & de Wedekindo *in Alphabet. Commun. Cas. III.* Quis confessariorum, quis pœnitentium existimabit, impleri præceptum Ecclesiasticum, si nulla alia intentio intercedat? Itaque dicendum est cum Dom. Reding *l. c.* auditionem Missæ debere esse religiosam, terminatâmque, non solùm ad externam Missæ actionem, sed ulteriùs ad oblationem Sacrificii; quòd etiam Lugo docet apud ipsum.
197 Dico IV. Non tamen est necesse, ut Sacro interfis per modum orantis. Ratio est, quia ipsummet Sacrificium non habet per se rationem orationis, sed alteriùs actûs specie distincti, ergo nec auditio, seu assistentia debet necessariò habere rationem orationis. Et sine dubio sanctissimè Missam audiret, qui toto tempore occuparetur partim in perpendendis mysteriis, quæ illic repræsentantur, partim in agendis gratiis Agno, qui immolatur. Quare non assentior Bonacinæ, & Bassæo *ll. cc.* asserentibus, auditionem Sacri imperari per modum orationis; sed potiùs rectè pronuntiat Suarez *loc. cit.* sufficere, si sub Sacro, vel ores, vel Deo te submittas, eúmve honores, vel saltem attendas ad ea, quæ sacerdos dicit, facítque; tanquam ad res sacras. Et Lessius *in consiliis Moral.* seu *in Auctario ad 1. 2. verb. Missa Cas. 2.* post Medinam *Satisfacis præcepto, si adsis cum reverentia, ut Sacrificium tuâ præsentiâ honores.*

Dico V. Intentio, de qua *in Concl. 3. & seqq.* 198
non est necessariò *expressa*, seu *explicita*, sed sufficit *implicita*; qualem habent, qui soliti interesse Sacro tanquam actioni Sacræ, eunt ad templum præcisè cogitando audire Missam, seu facere officium boni Christiani, nisi enim constet de contrario, præsumitur accedere cum indicata intentione. Itaque rectè ait Suarez *l. c. vers.* circa posteriorem. *Si non adsit voluntas contraria præcepto, sufficit ad illud implendum voluntas audiendi Missam, quia omnis, qui non excludit, censetur includere voluntatem implendi præceptum.* Durat autem hæc intentio *virtualiter*, quamdiu non revocatur.

Dico VI. Ad implendum præceptum Eccle- 199
siasticum de audiendo Sacro, non est necessaria intentio illi satisfaciendi, seu obediendi Ecclesiæ, sed sufficit, modò re ipsa audiatur Sacrum piè, & religiosè. Authores pro & contra mox producam, interim probo ratione. Nulla enim lex divina, vel humana præcipit, ut quando volumus facere, vel omittere actionem præceptam, aut interdictam, dicamus: *Volo hoc facere, quia præceptum est: volo hoc omittere, quia vetitum*; sed omnes legislatores putant, esse sibi factum satis, si absque contraria voluntate mandetur executioni opus illud, quod præceperunt. Unde qui ignorans, vel immemor esse diem festum, audit Sacrum Missæ verbum, ut sæpe loquitur Azor *Part. 1 lib. 7. cap. 2. 3. 4.* comperto esse festum, non tenetur interesse alteri, tametsi offeratur optima occasio. Suarez *cit. sect. 3.* ex communi; ut enim patet ex allata ratione, fecit totum, quod poposcit Ecclesia.

Id ipsum assero de te, si immemor voti à te 200
emissi, aut pœnitentiæ injunctæ à Confessario, perfecisti id, ad quod obligabaris alterutro horum vinculorum; nec enim minùs es liber, quàm si expressè dixisses, te velle explere votum, aut pœnitentiam: etenim hæc duo æquiparantur legibus à Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 13.* Palao *Tr. 3. disp. 1. punct. 17.* Bonacina, aliis.

Dico VII. Quin imò si die Dominico audi- 201
ens manè Sacrum dicas: *Nolo hujus Sacri auditione satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed ut satisfaciam, decerno interesse adhuc uni alteri*, nihilominus tamen explêsti præceptum, nec incumbit tibi *per se loquendo* onus assistendi alteri Missæ, Vasquez *1. 2. Disp. 100. cap 9. num 5.* Suarez *hîc cit. sect. 3.* ac rursum fusè *Tom. 2. De Relig. lib. 2. De Festis Cap. 26.* Sanchez *cit. Cap. 13.* Bonacina *Dist. 4. De Sacram. quæst. ult. punct. 11. num. 23.* insigniter. Palaus *cit. Tract. 3. disp. 1. punct. 17. num. 12.* Dicastillo *Tract. 5. De Euch. dist. 5. num. 66.* ac plurimi alii contra Nugnum *Quæst. 83. art. 6. dub. 2.* Azorium *cit. Lib. 7. Cap. 2. quæst. 6.* & complures alios, quorum sententiam vocat

probabilem Bassæus *Tom. 1. verb. Missa. 8.* Probo hac fundamentali ratione; quia illud tuum dictum: *Nolo hac auditione satisfacere*, est inefficax; continet quippe protestationem contrariam facto, & involvit implicantiam in adjecto; ergo non impedit, quò minùs revera satisfacias tuæ obligationi. Probatur antecedens: quia Ecclesia non petit à te plus, quàm ut unum, qualecunque Sacrum, quacunque horâ festi dieì audias piè, & religiosè: non enim potest ulla seu lex, seu ratio adferri, qua probetur, eam plus exigere; ergo si unum audias, facies totum id, quòd tibi mandat tua pia mater; ergo etiamsi sexcenties dicas. *Nolo, nolo satisfacere præcepto*, seu mandato Ecclesiæ; revera satisfacies; sicuti si fuste cædendo nocentem, vel innocentem dicas; *Nolo verberare*, nihilominus & verberas, & sentit alter verbera.

202 Dices: *Ille solus satisfacit præcepto, qui obedit; utique autem non obedit, qui protestatur, se nolle satisfacere præcepto, quando quidem ipsa satisfactio est obedientia.* Resp. Antecedens esse verum, si intelligatur de obedientia etiam *materiali*, falsum, si de sola *formali*; *formalis* enim consistit in eo, ut quis exequatur opus idcirco, quòd sit mandatum; atqui ille, de quo loquimur, facit re ipsa id, quòd est mandatum.

203 Dices rursum: *Tamen peccabit ille, si non interfit Sacro alteri.* Resp. Non *per se*, sed *per accidens*, si videlicet ratus, se ratione sui propositi obligari ad alterum Sacrum, non audiat; peccabit ergo ex erronea conscientia.

Sed expressè dixit: *Volo me obligare ad alterum Sacrum.* Resp. Aut dixit edendo votum de altero Sacro, aut formando duntaxat propositum? Si edendo votum, peccabit mortaliter non stando suo voto. Si formando solùm propositum, non delinquet gravius; quàm si non extaret in orbe ulla lex de Missa audienda; non enim potest quis privatus obligationem legis extendere ad casum à lege non intentum; adeóque nemo se ipsum potest graviter obstringere ad quidquam nisi per votum, aut aliam promissionem, seu contractum.

204 Ex quo inferes, si quis sit ita demens, ut dicat; *Volo quidem audire hoc Sacrum, & quidem solum, at nolo satisfacere præcepto Ecclesiæ; sed meæ devotioni*, eam devotionem fore quidem stultam, sicuti improba est voluntas in tali circumstantia non satisfaciendi, quandoquidem continet *formalem* inobedientiam, & contemptum quendam Ecclesiæ; attamen talem nequaquam fore reum excommunicationis, siquà lata esset in negligentes, seu non audientes rem divinam; siquidem non potest in ulla proprietate verborum negari, Missam esse auditam à tali. Ecce ipsum exemplum roborat egregiè nostram conclusionem.

205 Instabis: *Si debeam tibi 100. aureos, & totidem tibi dem, addens, me nolle hac ratione expungere meum debitum, non expungam; ergo nec ille, de quo disserimus, expungit debitum, quia est obstrictus Ecclesiæ.* Resp. Negando consequentiam, quia dum ita mihi loqueris, donas mihi illos 100. pro quibus tibi non debeo nisi gratiarum actionem; ergo remanet totum debitum; at licèt ille, de quo nobis sermo, donet etiam Deo suum Sacrum, quia tamen non est obligatus nisi ad unum, nec potest se ad plura obligare nisi per votum, quale quidem no supponitur edere, idcirco non est hîc paritas.

206 *Quid si ergo obstrictus quis voto colendi Beatam Virginem uno Sacro Sabbatino, audiat unum quidem, sed expressè dicendo*: Nolo satisfacere nunc meo voto, sed aliud audire? Resp. Tunc censebitur edere (& potest utique) votum audiendi aliud, juxta Suarez *cit. Lib. 4. De Orat. cap. 26. num. 8.* atque Laymann. *Lib. 1. Tract. 4. num. 7.* non irrationabiliter dissentientibus Sanchez *cit. Cap. 13. num. 18.* Bonartio *De Horis Canonicis Lib. 2. cap. 18. num. 11.* Palao *loc. cit. num. 14.* De pœnitentia à Confessario injuncta idem, quod de præcepto Ecclesiæ sentiunt hi autores; quare si Confessarius tibi mandavit interesse uni Sacro feriato, & adsis uni, expressè dicens, te ad explendam pœnitentiam velle adhuc uni te sistere, non erit gravis obligatio te sistendi.

Unde obiter deduces, illum non teneri repetere Vesperas, qui observans, se involuntariè fuisse ferè toto tempore distractum, dicit: *Volo has vesperas habere pro non dictis, sed iterabo.* Plura de illo Sacro votivo, de quo paulò antè, scripsi post hæc *in Alphabeto Quadrupl. Part. 1. Cas. III.* nam illa tota Pars impensa est edisserendæ, & variis eventis declarandæ materiæ de voto. 207

Dico VIII. Etiamsi intentioni audiendi Sacri adjungas aliam malam, non tamen idcirco non satisfacis legi Ecclesiasticæ; quia prava intentio non eliminat penitus bonam, licèt reddat eam infructuolam coram Deo; ac proinde locum habet illa lamentatio Prophetæ: *Qui congregaverunt mercedes, miserunt eas in sacculum pertusum.* Aggæi *Cap. 2.* Adeóque satisfacis, etsi audias principaliter ob vanam gloriam. Expressè Molina *Tom. 6. Tract. 5. disp. 58* Navarrus *in Manual. Cap. 13. num. 12.* Suarez *cit. Sect. 3.* Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 14. num. 1.* Bonacina *De Legib. Disp. 1. quæst. 1. punct. 8. num. 9.* Palaus *cit. Part. 17. num. 3.* Dicastillo *cit. Disp. 5. num. 86.* contra S. Antoninum, Majorem, Adrian. Imò licèt ex perversissima intentione. Ita citati, adeóque licèt ad occidendum aliquem. Henriq. *Lib. 9. cap. 21. num. 4.* Aut ex turpi concupiscentia, Suar. *ibid.* Navarrus *l. c.* 208

At inquies: *Nonne Ecclesia præcipit actus bonos? Quomodo autem illa auditio Sacri est bona, quæ dirigitur ad finem tam malum?* Resp. Præcipit bonos quoad substantiam, non quoad modum; nam neque finis, neque modus præcepti cadit sub præceptum S. Thom. *1. 2. q. 100. art. 9.* Sotus *De just. Lib. 2. q. 3. a. 3.* 209

At

At quomodo fieri potest, ut quis velit audire Missam velut rem sacram, & tamen illam audiat principaliter ob pessimum finem? Audiet ut rem sacram, si exteriùs se modestè gerat, interiùs autem attendat ad res pias. Attentionem internam non utique dirigit ad malum finem, sed externam præsentiam, seu actiones, & gestus exteriores, qui possunt utique dirigi simul ad duos fines, unum bonum alterum malum; sicuti & eleemosyna.

Ex dictis deduces sequentia.

210 I. Si templum ingrediaris tantùm idcirco, ut expectes illic amicum, egressurus, ut primùm advenerit, etiamsi, te præstolante, fiat ibidem Sacrum, haud tamen censeberis illi adesse *moraliter*, nisi habeas intentionem indicatam *Conclus. 1. & 2.* Lugo *De Euchar. Disp. 22. num. 23.* & Tamburinus *in Decalog. Lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 17.*

211 II. Satisfacit, qui piè interest immolationi Agni immaculati, solùm idcirco, ut effugiat pœnam, certò subeundam, si negligeret. Etenim talis metus non solùm non tollit voluntarium liberum, ut constat ex *1. 2. quæst. 6. art. 6.* sed neque tollit intentionem interessendi tanquam rei Sacræ.

212 III. At verò qui compedibus, aut manicis, manibúsve contra omnem suam voluntatem detinetur in templo, dum fit res divina, interim dicendo perpetuò intra se: *Quàm libenter nunc abessem ab hac Papistica Idololatria!* ut vocant Calvinistæ, talis revera non audit Sacrum *moraliter* loquendo, Suarez *Disp. 88. De Euchar. Sect. 3.* Nugnus *Quæst. 83. art. 6.* Palaus *cit. punct. 11. num. 5.* Sanchez *cit. Cap. 13.* & alii communiter, contra Dicastillum *loc. cit. n. 70.* non loquentem quidem de tali blasphemo, sed tamen de quovis propriè coacto. Ratio nostra est, quia negari non debet Ecclesiæ potestas imperandi actus liberos, utpote sine quibus absit omnis moralitas, & honestas.

213 Nec obest, quòd ille utique jejunet, cui nihil cibi subministratur die jejunii, etsi maximè petenti; & sit liber onere restitutionis, cui invito aufers tuum gladium. Nam in primo casu non petitur ab Ecclesia exercitium ullius actûs, sed omissio; in secundo tollitur omnis causa, ob quam tenebaris reddere; tenebaris enim, ne detineres rem alienam.

214 IV. Ebrius, atque amens nequit audire Sacrum, utpote destitutus liberâ intentione, atque præsentiâ *morali*. Idem dicam *Casu XI.* de dormiente, & explicabo de dormituriente.

215 Quæres: *An si cæcus deductus in sacram Aedem ad Sacrum audiendum, putet illud inchoatum iri primùm post dimidiam horam, incipiat autem mox post ingressum ejus, ignorantis penitus, quid agatur, quæres*, inquam, *an expectando interea avidè Missam, audiat nihilominus moraliter illam?* Resp. Vel habet hanc intentionem: *Si fortè sit at citiùs Sacrum, quàm putem, volo esse unus de numero laicorum Sacro astantium, seu ei interesse, quantùm in me est*: vel non habet ullam talem intentionem? Si nullam, tenebitur audire aliud; nec enim censeris *moraliter* interesse actioni, quam & ignoras exerceri, & cui non cupis interesse. Si habet, nil officit ignorantia, nam haud impedit, quò minùs hypothetica voluntas transeat in absolutam. Ita sentio, tacentibus cæteris.

His in ordine ad obligationem legis *Ecclesiasticæ* declarandam propositis, atque explicatis, adjungo, Curiones locare operam utilissimè, quando pro concione excitant suos parochianos, ad præfigendas auditioni Sacri obligatoriæ, vel arbitrariæ varias bonas intentiones, quandoquidem per auditionem Missæ possunt plura, eáque præstantia bona obtineri, ut declarabo infrà *Casu XXI.* 216

QUA ATTENTIONE SIT AUDIENDUM SACRUM.

CASUS VIII.

Anglicanæ Pietatis.

SUMMARIUM.

Casus S. Edwardi videntis in hostia Christum. 217.
Attentio in Sacro qualis requiratur? 220. *& seqq.*
Refutatur singularis sententia Hieronymi Liamas. 225.
Quo pacto dici queat, adesse attentionem Virtualem? 226.
Non est ad Missam necessaria tanta attentio, quanta ad Breviarium. 227.
Quæ distractio impediat, vel non impediat debitam attentionem? 228. *& seqq.*
Attentio exterior est omnino necessaria. 234.
Quæ actiones exteriores impediant, aut non impediant debitam attentionem? 237. *& seqq.*
Turpes cogitationes tempore Sacri an contrahant circumstantiam necessariò confitendam? 240.
Ante Sacrum non est necessariò à peccatore eliciendus actus contritionis. 241.
Describitur excellens modus, quo Archidux Leopoldus Guilelmus audiebat Sacrum. Ibid.

HEnrico Imperatori coævus, & in tenda castitate inter thalamos conjugales per similis, Eduardus Anglorum Rex sanctus, assistebat quadam vice Missarum solennis in Monasterio B. Petri, ante altare S. Trinitatis, cum Comite Leofrico. Et ec- 217

ce ſpecioſus ille formâ præ filiis hominum Chriſtus Jeſus, in ara conſiſtens, oculis utriuſque viſibiliter corporalis apparuit, ſacráque dextrâ ſuper Regem extenſâ, ſignum ſanctæ Crucis cum benedicendo depinxit. At Rex demiſſo capite divinæ Majeſtatis adorabat præſentiam, Comes verò, quid in animo Regis ageretur, ignorans, volénſque Regem tantæ viſionis eſſe participem, cœpit velle uſque ad ipſum procedere. Verùm Rex, quid in mente Comitis volveretur, intelligens: Sta, inquit, Leofrice, *ſta: quod vides, video & ego.*

218 Verbatim hoc de S. Eduardi pietate deſcripſi ex Ealredo Monacho, ſcriptore ipſius vitæ, apud Laurentium Surium, in Januario, die quinto. Quæ qui leget, minimè dubitabit, quin hoc cœleſte ſpectaculum fuerit Regi, & Comiti oblatum propter inſignem applicationem animi, ſeu attentionem ad divina Myſteria; quæ proinde hiſtoria dat nobis anſam quærendi 1. *Quæ animi attentio ad Miſſæ Sacrificium ſit neceſſaria ad impetranda dona cœleſtia?* Non quidem paria illi, quòd obtigit hiſce duobus, ſanctitate, ac pietate illuſtribus viris, nec enim nos humi repentes vermiculi ad hæc talia aſpirare debemus, ſed ea, pro quibus ſupplicare ſolet pium vulgus Chriſtianorum 2. *Quæ attentio ſit neceſſaria ad evadendum peccatum veniale? 3. Quæ ad mortale effugiendum? 4. Quæ ad ſatiſfaciendum præcepto Eccleſiæ?*

219 Suppono autem ex communi, eſſe duplicem attentionem; *Internam*, & *Externam*. *Interna* eſt ipſamet animi, ſeu mentis, & intellectûs applicatio ad ſacrum; *Externa* ſeu exterior eſt privatio, ſeu excluſio actionum exteriorum exercitarum per oculos, manus &c. & impedientium vel aliquam, vel omnem attentionem interiorem.

220 Dico I. Ut Sacrum audiendo impetres aliquid à Deo, neceſſaria eſt perſe interior attentio ad Deum. Ratio eſt, quia licèt auditio Sacri non ſit propriè oratio, ſed quædam adoratio, ſeu ſacrificatio etenim omnes, qui Sacro, ut par eſt, interſunt, cenſentur ſacrificare cum ipſomet ſacerdote, ut pluribus declaro in *Alph. Sacrif. Caſ. IV.* attamen poteſt, ac debet ei applicari id, quod S. Thom. 2. 2. *quæſt. 83. art. 13. in Corp.* refert ex S. Gregorio: *Illa mo orationem Deus non audit, cui ille, qui orat, non intendit:* Hinc Romanorum ſacrificulis immolaturis hoſtias inclamabat præco: *Hoc age, hoc age*, Dico ego: *Hoc age*, mi Chriſtiane, id eſt, mentem tuam defige in Miſſam, ſi hujus auditione vis à Deo aliquid exorare.

221 Dico II. Eſt autem triplex interior Attentio ad Miſſam, ſcilicet vel ad verba ſola, actioneſque ſacerdotis, id eſt, ad ſolas cæremonias verbales, aut reales; vel ad myſteria illis cæremoniis ſignificata; vel ad Deum, & rem, quam per auditionem Sacri cupimus obtinere; ut conformiter iis, quæ de triplici attentione tradit *l. c. S.* Thomas, obſervat Dominicus Sotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art 1.* & poſt illum alii paſſim. Quælibet ex his ſufficit ad aliquid impetrandum; quandoquidem piè, ac religioſè attendere ad actionem tam ſacram, ac Deo gratam, quàm eſt immolatio Agni immaculati, eſt utique ſanctiſſima actio; ſi ergo offeratur Deo ad quippiam obtinendum, offeretur quidpiam, cujus reſpectu meritò moveatur Deus ad illud impertiendum. Notant tamen paſſim DD ſecundam attentionem eſſe meliorem primâ, tertiam ſecundâ, ut per ſe patet; adeóque tertia eſt efficacior ad exorandum Deum, quàm prima, vel ſecunda, éamque ob rem valde ſuadenda omnibus.

Porrò cenſetur hoc loco attendere ad Deum omnis ille, qui ſub *Sacro* cogitat deliberatè de rebus quibuſcunque ſanctis, ac piis, adeóque quicunque exercet actus internos virtutum. Comitolus *Reſp. Moral. Lib. 1. quæſt. 65.* Regin. *Lib. 19. num. 13.* Gaugericus *in Summul. Cajet. verb. Feſtum, lit. C. & lit. H.* Baſſæus *Tom. 1. verb. Miſſa 3. n. 6.* Suarez *Tom. 3. in 3. Part. diſp. 88 Sect. 3.* Tannerus *Tom. 3. diſp. 3. quæſt. 6. n. 30.* Laymann. *Lib. 4. Tract. 7. ap. 3.* Hinc rectè docet Suarez *l. c.* illi non deeſſe debitam attentionem, qui toto tempore Sacri ita rapitur conſideratione divinarum perfectionum, ut planè non advertat, quid dicat, aut quò pervenerit ſacrificans, ac proinde non eſt *per ſe loquendo* opus, ut ſeu *immediatè* ſeu *mediatè* videas, audiáſve ſacerdotem, dummodo adſit præſentia corporalis, moraliſque, deſcripta primo caſu, unà cum intentione. 222

Dico III. Ut evadas peccatum veniale, debes habere aliquam ex his tribus attentionibus. Ita omnes. Ratio eſt, quia eſt naturalis quædam indecentia, aſſiſtere rei tam ſanctæ ſolo corpore, velléque eſſe unum è numero ſacrificantium, & tamen eſſe animo alieniſſimo à tanto Myſterio. Unde ſicuti DD. communiter adverſus Gabrielem damnant peccati venialis illum, qui voluntariè diſtrahitur tempore precationis arbitrariæ, ſeu non præceptæ, ita etiam re damnabunt noxæ quotidianæ, ſi quotidie interſis *Sacro*, luſtrans mente prata, ſilvas, equos &c. ſi, inquam, interſis animo colendi Deum, ſecùs ſi intereſſes duntaxat ad videndas, diſcendas cæremonias, juxta dicta Caſu præced. *num. 195.* 223

Dico IV. Evades autem, *per ſe loquendo*, peccatum veniale, dummodo una ex his attentionibus adſit *formaliter*, aut etiam *virtualiter*. Ita omnes DD. paulò antè citati. Ratio eſt, quia nequit oſtendi, præcipi vel à Deo, vel ab Eccleſia, ut procuremus aliquam certam ex his. Atqui, quod nullâ lege ſtatutum eſt, id nos aſſerere non debemus *Cap. Legatur, 24. quæſt 3.* 224

Qui-

225 Quare exceſſit Hieron. Liamas *in Summa Part. 3. cap. 5. § 10.* dum ita ſcripſit: *Qui non aſtat animo ſaltem aliqualiter memorandi Dei, & ſuorum erga genus humanum, & erga ſe ipſum beneficiorum, Miſſam ſecùs non audit, neque præceptum de illa adimplet, ſed ut brutum ibi exiſtit; & qui aliam doctrinam voluerit, quærat, à quo voluerit.*

226 Cæterùm dicitur à DD. adeſſe *virtualiter* attentio, quando quis re quidem ipſa minimè attendit nunc, habuit tamen antea propoſitum attendendi, at præter culpam ſuam occupatur nunc ejus phantaſia in repræſentatione aliarum rerum. Licèt enim hoc ipſo, quòd nullo modo cogitet de rebus ſpectantibus ad Sacrificium, non poſſit propriè dici attendere etiam *virtualiter*, quia tamen loquendum eſt cum multis, ideo nobis etiam placet ita loqui; ſicuti aſſentimur Baſſæo *loc. cit* obſervanti, licèt deliberatè cogites de rebus profanis, ſi tamen non advertas, te per has cogitationes impediri à pietate debita Sacro; te nihilominus conſervare intentionem *virtualem*.

227 Dico V. Eccleſia non exigit tantam attentionem ad Miſſam, quantam ad Breviarium. Sotus *in 4. Diſt. 13. quæſt. 1. artic. 1.* Jacobus de Graffiis *in deciſion aureis Cap. 35 num. 9.* Suarez *cit. Sect. 3.* Lugo *De Euchar. diſp 22. ſect. 2.* Bonacina *De Euchar q. ult. punct. 11. num. 10.* Laymann *Lib. 4. Tract. 7. cap. 3.* Ratio eſt, tum quia eſt magis rationalis, difficiliſque actio, orare perſonaliter, quàm aſſiſtere oranti tum quia per diſtractiones faciliùs quis impeditur ab integra, ordinatáque pronuntiatione verborum, quàm à modeſta compoſitione corporis, & ſenſuum, atque ab animadvertentia eorum, quæ agit ſacerdos. Ergo falſus fuit Nugnus, *quæſt. 83. art. 6.* dum hanc ſui Soti doctrinam vocavit *falſam*.

228 Dico VI. Satisfacis præcepto Eccleſiæ; etiamſi ſis voluntariè diſtractus, dummodo diſtractio non impediat, quò minùs poſſis de rebus in Sacrificio geſtis teſtari, ſeu aliqualiter cognoſcere, quid à ſacrificante agatur. Ita docet in terminis ſagax Palaus, ſeu Caſtropalaus *Tr. 22.* ſeu *De Sacrificio punct. 6. num. 2. & 3.* conſentiente Baſſæo *Tom. 2. verb. Miſſa 3. num. 6.* poſt Suarez *Diſp. 88 Sect 3.* Ratio eſt, quia non habemus argumentum, quo perſuadeatur, præcipi ab Eccleſia majorem attentionem.

229 Eſt autem hîc probè obſervandum, ſolere hominibus occurrere diſtractiones duplicis generis; aliquas quidem ita fortiter rapientes animum in objecta alieniſſima à Sacro, ut planè hunc penitus averrant à Sacro, ſeu non permittant tunc habere ullam cogitationem de objectis illius triplicis attentionis, de qua ſuprà *num. 221.* aliquas verò abripientes quidem mentem in res etiam omnino impertinentes, ita tamen leniter abripientes, ut cum iis re ipſa conſiſtat aliqualiter una ex tribus attentionibus ſuprà indicatis. De hiſce ſecundi generis intelligenda eſt præſens concluſio, at de primi generis.

Dico VII. Probabile eſt, eſſe immunem à noxa lethifera etiam illum, qui deliberatè fovet profanas cogitationes, ita illum abripientes à Sacro, ut neſciat, quid agatur, modò adhibeat, attentionem exteriorem, de qua loquar *concluſ. 9.* Ratio eſt 1. Quia longè plurimi Theologi & Canoniſtæ abſolvunt à mortali Clericum, recitantem cum perpetuis voluntariis diſtractionibus penſum Canonicum. 2. Quia loquendo in ſpecie de Miſſa, hanc ſententiam non modò probabilem appellat, atque ut talem defendit Tamburinus *Lib. 4 in Decal. Cap. 2. §. 1. num 19.* ſed etiam ut probabiliorem cuſentur Comitolus *Lib. 1. Reſp. Moral quæſt. 63.* Coninck *in 3 Part. quæſt. 83. num 291.* Cardin. de Lugo *De Euchar. Diſp. 22. Sect. 2.* Dicaſtillo *cit. Diſp. 5. dub. 8.* poſt Silveſt. *Verb. Miſſa 2. quæſt. 6.* & plures alios. Quare immeritò illam ſui Silveſtri vocat *falſiſſimam*, & *prorſus improbabilem* Nugnus *Quæſt. 83. art. 6. concluſ. 6.* Non loquuntur quidem hi authores expreſſè de diſtractionibus non permittentibus ſcire, quid agatur, ſed ſolùm de impedientibus attentionem; veruntamen idem dicunt re ipſa, quod nos. 230

Dico nihilominus VIII. Probabilius eſt, ſi illæ diſtractiones ſint adeò vehementes ut impediant, quò minùs teſtari quis poſſit de rebus geſtis in Sacro, ſeu quouſque pervenerit ſacerdos myſta, duréntque per notabilem partem Sacri, peccari mortaliter per illas deliberatè conſervatas. Ita tradit in terminis ſingulariter Palaus *cit. Tract. 22. punct. 6. num. 3.* & ſine omni dubio ſentiunt plerique Recentiores, dum *abſolutè* negant, ſatisfieri præcepto de audiendo Sacro, quando deeſt omnis attentio interior, ut Henriq. Suarez, Azor, Regin. Bonacina, Laymann. Portia, Fagundez, Marchantius. Baſſæus hoc loco, Leſſius *De juſtit. Cap 37. num 6.* Tannerus *Tom. 3. diſp. 3. quæſt. 2. num 35* D. Reding *cit. quæſt. 9. art. 3. Controv. 2. num. 13.* ac maximè Nugnus ſuprà relatus poſt alios. Ratio, ut cæteras omittam, eſt, quia habet utique Eccleſia Jus interrogandi intereſſentes Sacro, utrùm ſciant, quouſque pervenerit ſacerdos, ſeu exigendi teſtimonium de rebus geſtis in Sacro, dummodo ſint eo loco, ut poſſint, ſi non impedirent diſtractiones, id teſtari; hoc quippe teſtimonium eſt actus merè externus; ergo habet eadem Eccleſia etiam jus vetandi, quæ illicitè inducunt impoſſibilitatem illius teſtimonii, adeóque diſtractiones eas, de quibus loquimur. Confirmatur authoritate Concilii Lugdunenſis, quod refertur *Cap. Decet. De immunit. Eccleſ. in 6.* ubi expreſſè dicitur: *Attenduntur in locis eiſdem impenſis præcordiis ſacra ſolennia.* Addit Dom. Reding *loc. cit.* hanc rationem, quòd lex audiendi Miſſam requirat illam actionem non *materialiter* duntaxat ſpectatam, ſed *formaliter*, quatenus audiens Miſſam cum ſacerdote cooperari debet ad oblationem Sacrificii. 231 232 233

234 Dico IX. Non satisfacit præcepto Sacri audiendi, qui negligit attentionem exteriorem omnem, aut ferè omnem. Ita omnes. Etenim potest absque omni controversia hanc præcipere Ecclesia, utpote maximè facientem ad cultum divinum, & re ipsa præcepisse, declarat usus universalis, itémque *cit. Cap. Decet. De immunit. Eccles. in 6.* ibi: *Sint quæcunque alia, quæ divinum possunt perturbare officium, ab ipsis Ecclesiis prorsus extranea, ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio.* Atque adeò peccat mortaliter, qui tempore Sacri, quod unicum audire vult die festo, occupat se in actionibus manuum, pedum, oculorum, aurium, linguæ, per notabilem ejus partem, si eæ sint obstaculo omni attentioni interiori. Ita omnes; qui omnes adnumerant his actionibus scribentem, ac pingentem.

235 Dixi: *Quod unicum audire vult*; si quippe, dum hisce actionibus exterioribus vacat, cogitet supplere defectum audiendo alterum, non peccabit mortaliter per illas actiones, nisi sint aut secundùm se graviter malæ, aut scandalosæ aliis, vel admodum indecentes, seu ex communi judicio proborum continentes contemptum Sacrificii, ut si quis tempore Elevationis, & Communionis luderet chartis, ederet farcimen, epotaret craterem.

236 Hoc ipsum applica dicenti Horas Canonicas cum nimiis evagationibus externis, vel internis, proponenti tamen repetere, quod irreligiosè deblateravit.

237 Dico X. Non plusquam venialiter delinquit, exercens etiam per majorem Sacri partem actiones exteriores prorsus quidem impertinentes ad Missæ auditionem, attamen neque secundùm se, aut ratione scandali malas mortaliter, neque graviter, sed tantùm leviter distrahentes animum. Suarez *cit. Sect. 3.* Dicastillo *num. 102.* Bassæus *loc. cit.* Ratio est, quia ejusmodi actiones sunt ita communes inter homines, atque ita difficulter evitari possunt, ut non videatur pia mater Ecclesia omnes posse, aut si possit, velle prohibere sub gravi delicto, esset enim id laqueum injicere hominibus contra rationem Capit. *De viduis 2. 27. quæst 1.* Quin Dicastillo *loc. cit. num. 102.* cum Lugone ita loquitur: Illa occupatio externa, quæ non impedit saltem aliqualem attentionem, non obstat, quò minùs præceptum possit impleri.

238 Accedit, quòd suprà *num. 227.* dixerimus, minorem attentionem requiri ad explendam Missæ, quàm Breviarii obligationem, & tamen excusatur à culpa lethali, qui totam Tertiam, aut Vesperas totas percurrit sese vestiendo colligendo herbas, & uvas, instruendo ignem, pectendo caput, lavando manus, & vultum, tendendo oculos in viridarium, prospiciendo in ripam vel fluvium, juxta quæ ambulat; aut etiam aptando pennam ad scribendum. Navarr. *De Orat. & Horis Canonicis Cap. 13. num. 47.* referens hæc omnia exempla, eadémque approbans *num. 49.* sicuti & ego approbo, præter ultimum. Certè saltem mihi est nimis difficile, jungere aptationi calami attentionem interiorem, quàm requirunt rigidiores Theologi. Sed de his plura ac distinctiùs dicam infrà *Disputat. 2.*

Dico XI. Ne venialiter quidem delinquis, 239
si tempore Sacrificii occupes te in actionibus necessariis ad illud; ut si cereos accendas, aliquid è sacristia adferas, pulses campanam post elevationem, ut fit pluribus locis; aut post *Agnus Dei*, ut fieri amat in nostris Ecclesiis. Tannerus *num. 28.* Ratio est, quia ejusmodi actiones sunt quasi partes Sacri, utpote tales, quæ possint, aut soleant obiri ab ipso ministro Sacri.

Sed & justa causa, adeóque honesta aliqua ratio, vel utilitas sæpe efficit, ut actio de se distractiva à Sacro, excuset omnino. Hinc omni culpâ caruit Comes Leofricus, dum surrexit è loco suo, ostensurus sancto Regi suum mirabile spectaculum. Cùm enim id spectaculum plurimùm faceret ad augendam devotionem erga Sacrificium Missæ, essétque verosimiliter ob hanc ipsam causam oblatum utriusque oculis, non egit Comes ille quidquam contra voluntatem Christi, dum voluit de eo commonefacere illum, à quo putabat non videri.

His de attentione, & distractionibus in ge- 240
nere dictis, atque per varios Casus deinceps explicandis, adjungo resolutionem non incongruæ quæstionis: *Vtrùm scilicet ille, qui tempore Sacri volvit deliberato animo sceleratas cogitationes, ac desideria, teneatur in confessione dicere, se ea volvisse tempore Sacri?* Ad quam quæstionem dico, Suarezium fortassis responsurum *affirmativè*, quandoquidem *Tom. 2. De Relig. Lib. 3. De Orat. Cap. 13.* indicat, se ita sentire de fovente illas cogitationes tempore orationis. Quia ego tamen non perspicio hac in re circumstantiam notabiliter augentem malitiam essentialem talium distractionum, ideo abstineo à tam gravi censura. *Incautum est, & malum, affirmare, aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, vel evidenti ratione*, inquit Gabriel *in 4. dist. 15. art. 2. in fin. quia*, ut mox subdit, *hoc est ponere laqueum pedibus ambulantium.*

Illud quoque addo, doceri sine sufficiente 241
ratione tum à Scoto *in 3. dist. 27. art. 1. vers. Quantum ad secundum*, esse ante Missam eliciendum actum amoris divini, tum ab Angelo, actum contritionis, si is conscius peccati mortalis. Certum nullum præceptum divinum, aut humanum ad id nos obligat; ergo non est asserendum.

Cæterùm quia omnis meus labor in hisce 242
commentationibus susceptus est ad usum, agam consentaneè instituto meo, si repræsentavero praxin, rationem, ac methodum Missæ audiendæ. quam sibi præscripserat, multò piissimus, ac simul Bellicosissimus princeps Leopoldus Gulielmus Archidux Austriæ, repertam post obitum in eius adversariis hoc titulo. *Considerationes ad Missæ sacrificium.* Exscripsi eas ex lectu dignissimo libro, quem de Virtutibus hujus, immortali laude colendi Principis, & Christiani Herois, contexuit R. P. Nicolaus Avancinus Rector, dum hæc scribebam, Collegii Viennensis. Ad psalmum, *inquit Archidux*, introibo: *formabo intentionem, qua tremendo huic Sacrificio interfim, & finem Sacræ Communioni, seu reali, seu spirituali præfigam. Ad* Confiteor: *confitebor iniquitates meas Deo Summo Sacerdoti; concipiam intimum de peccatis meis dolorem. Ad* Indulgentiam: *excipiam absolutionis sententiam, quæ mihi à Deo impenditur. Ad* Introitum: *excitabo desiderium, ut veniat ad me Dominus per sui corporis veram, aut spiritualem sumptionem. Ad* Kyrie: *petam hanc humiliter à tribus Divinitatis Personis: Ad* Gloria in Excelsis: *collaudabo, & congaudebo Deo de eo, quòd est super omnia Deus. Ad* Orationem: *Rogabo eundem Deum in me adventum, per interfessionem eorum Sanctorum, quorum eo die memoria agitur. Ad* Epistolam: *expendam desiderium, & voluptatem, quam Deus ipse habet se mihi exhibendi, & cum anima mea uniendi. Ad* Evangelium: *audiam ea verba, tanquam ex ore Christi, ad me unicum, & solum deprompta. Ad* Credo: *eliciam actum veræ ac vivæ fidei, cum ardenti desiderio etiam vitam, & sanguinem in ejus contestationem fundendi. Ad* Offertorium: *offeram, & quantum potero, me perfectissimo amore cum Deo uniam. Ad* Præfationem: *eodem affectu elevabo cor meum ad Deum meum, & Majestatem ejus cum Angelis collaudabo. Ad* Sanctus: *dicam* Pater noster &c. *ut S. Mechtildis solebat, & salutabo venientem Deum cum Hebræis*, Benedictus, qui venit in nomine Domini. *Ad* Inflammationem cerei: *ex corde dicam*: Accende lumen sensibus: *& cor dimeo &c. Ad* Consecrationem: *optabo sic cor meum spirituali modo perfectissimo transmutari in cor Dei. Ad* Elevationem: *aperiam Deo meo vulnera animæ meæ, & hærebo corde ad crucem morientis Iesu. Ad* Pater noster: *petam humiliter panem supersubstantialem, & parabo me affectibus ad Communionem. Ad* Agnus Dei: *veniam peccatorum corde contrito à misericordissimo Deo petam, cum magna spe, & fiducia. Ad* Domine non sum dignus: *agnoscam indignitatem meam triplicem. Primò quòd Deum meum offenderim; ideo offeram ei suam ipsius satisfactionem, quam pro me misero æterno Patri obtulit. Secundò, quòd nullam habeam ad tantum mysterium præparationem; ideo offeram illi, & optabo omnes omnium Sanctorum, Beatissimæ Virginis, ac ipsius Christi mei præparationes. Tertiò, quòd eum non amem, sicut debeo, & toto corde desidero: ideo supplebo defectum amoris mei per ardentem amorem Seraphinorum, omnium Sanctorum, Beatissimæ Virginis, & ipsius Dei. Ad* Communionem sacramentalem, aut spiritualem: *profundissimâ humilitate, ardentissimo desiderio, recipiam, aut recipere optabo in corde meo Deum meum, & tum consuetis affectibus cognitionis, æstimationis, laudis, oblationis, unionis &c. hospitem meum excipiam. Ad* Orationem ultimam: *orabo, mihi gratias, & effectus spirituales hujus Sacramenti conferri. Ad* Ite Missa est: *eliciam propositum procedendi de virtute in Virtutem, usque ad apicem perfectionis, in fortitudine cibi istius. Ad* Benedictionem: *excipiam hanc à Sacerdote tanquam à Deo, cum desiderio excipiendi ultimam à supremo Iudice, quam daturus est electis, quando dicet*: Venite benedicti &c. *Ad* ultimum Evangelium: *audiam & illud ut verba loquentis ad me Dei, conquiescam in eo, & ad* Verbum caro factum est; & habitavit in Nobis, *delectando me cum amantissimo meo hospite Deo.*

Ita scripsit, ita constanter egit multò religiosissimus Belli Imperator, Gubernator, Episcopus, de quo plura infrà *num. 710. 732. 855. & 856.* memorabo.

AN ET QUÆ LECTIO IMPEDIAT AVDITIONEM SACRI.

CASUS IX.

Puerilis.

SVMMARIVM.

Casus pueri legentis Virgilium sub Sacro. 243.
Legens profana sub Sacro non satisfacit præcepto. 245.
An legens Breviarium? 248.
An preces debitas ex voto? 250.
An historiam piam? Ibid.
An qui tunc sectatur elegantiam verborum? 254.
An qui legit, ut aliam linguam discat, vel ut promptiùs è memoria recitet? 255.
P. Lessius quàm brevi linguam Græcam didicerit, & quomodo fuerit ea usus sub mensâ? 257.

JAnuarius, *Rudimentorum Scholæ discipulus, die quodam Solis sub Officio Missæ, quod pro more decantabatur, legit diu admodum AEneidem Virgilii Maronis, ratus, librum illum esse valde pium.* 243

Eveniunt frequenter Casus similes huic; at 244
iste ipse contigit hîc loci Anno 1661. fuíque per accidens interrogatus, quid sentirem de ejusmodi lectionibus tempore Sacri? Quod respondi tunc, respondeo nunc quoque, &

245 Dico I. Sive puer, sive vir non satisfacit legi de Sacro audiendo, si majorem, aut etiam notabilem partem Sacri impendat lectioni profani Poetæ, Historici, Medici, Iureconsulti &c. Ratio est, quia lectio profani Libri (id ipsum ajo de lectione literarum, novellarum &c.) est actio exterior, quæ suapte naturâ avertit animum ab attentione ad res divinas, ergo est una ex illis actionibus, quas Casu præcedente *num. 234.* diximus ex omnium sententia prohiberi ab Ecclesia, præcipiente auditionem Sacri. Vnde Azor *Part. 1. Lib. 7. cap. 5. q. 1.* absolutè negat, satisfacere illi præcepto legentem, Liamas *Part. 3. cap 5. §. 9.* legentem distincta à Sacro, Reginaldus *Lib. 19. num. 13.* legentem aliena à devotione; Lugo *Tom. 2. in 3. p. D. 22. num. 25.* & Tamburinus *in Decalogum Lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 13.* legentem historiam. Quapropter generatim negandum est, lectionem Libri profani, aut literarum stare posse cum auditione præcepta Sacri.

246 Dico autem II. Lectio libri precatorii optimè stat cum auditione Sacri. Probat praxis universalis Ecclesiæ; probat ratio, quam mox adferam. Etenim sumo hic resolvendam illam vulgarem quæstionem: *Vtrùm legens preces debitas, & nominatim canonicas sub Sacro satisfaciat duplici præcepto, scilicet de Sacro, & penso canonico?* Respondeo, inquam, adversùs Silvestrum, *verb. Missa. q. 2.* Angelum, & alios nonnullos, cum plerisque omnibus Recentioribus, *affirmativè.*

247 Dices: *Cur prorsus allegas plerosque omnes Recentiores? Cùm vix unus utatur verbo legendi, sed dumtaxat verbis recitandi, orandi, persolvendi preces &c.* Resp. Ita est omnino; etenim inter plurimos, quos deditâ operâ consului circa hanc locutionem, non reperi nisi unicum Comitolum *Lib. 1. resp. moral. q. 63. num. 5.* utentem verbo *legendi*, & tamen attentio ad Missam videtur difficiliùs consistere cum recitatione ex libro, quàm cum recitatione ex memoria, legens enim non videt sacrificantem, videt autem orans ex memoria.

248 Nihilominus tamen mihi certum est, illos DD. esse intelligendos etiam de legente Breviarium; nam loquuntur de actione communissima, & occurrente in oculos hominum; longè autem frequentiùs dicuntur sub Sacro Horæ Canonicæ ex libro, quàm memoriter, ob periculum perturbationis. Deinde ratio illorum æquè militat pro uno, ac pro altero; hæc videlicet, quòd illa ipsa attentio, quæ sufficit ad recitationem Breviarii (idem dico, de recitatione quarumcunque precum) sufficiat quoque ad auditionem Sacri: nec enim exigit Deus, aut Ecclesia, ut dum interes rei divinæ, occupes te in aliis cogitationibus, quàm in iis, in quibus *licitè* se detinet Canonicus Canonicum officium: aut laicus litanias, vel varia officiola persolvens, ut patet ex dictis *Casu præcedente num. 222.* docentque Comit. *loc. cit.* Azor *cit. cap. 5.* Suarez *tom. 3. in 3. part. dist. 88. sect. 3.* alii plurimi, addente expressè Dicastillo *cit. Tract. 5. De Euchar. disp. 5. num. 117.* attentionem, quam vocant, superficialem, id est illam, qua solùm attenditur, ut verba Breviarii rectè pronuntientur, sufficere tam Sacro, quàm ex mente plerorumque omnium, Breviario.

Et addit Henriquez *Lib. 9. cap. 25. num. 5.* 249
expedire, ut attendatur magis Breviario, quàm Sacro, eò quòd non teneamur Missam percipere auditu, & intellectu. Quare licèt Navarrus *in Manual. cap. 21. num. 8* defendat nostram responsionem, frustra tamen applicat negligenti attentionem ad Sacrum, ob attentionem ad Breviarium, illud carmen Glossæ.

Qui binos lepores unâ sectabitur horâ,
Vno quandoque, & quandoque carebit utroque.

Siquidem nunquam fit, ut propter attentionem ad Breviarium, negligatur attentio ad Sacrum.

Idem esto judicium de precibus debitis ra- 250
tione voti, aut pœnitentiæ Sacramentalis, ut tradunt Sanchez, Bonacina, Palaus, alii, rectè observantes, casum, quem tractamus, esse unum ex iis, in quibus potest per diversos actus uno eodémque tempore exercitos, satisfieri diversis numero, aut specie præceptis.

Vnde apparet, nos nequaquam assentiri Hieronymo Liamæ *cit. §. 9.* sic pronuntianti: *Non adimpleret præceptum, qui, dum Missa tota, vel notabilis pars dicitur, legeret etiam* 251
devotissima quæque, vel recitaret: Nisi essent illa, quæ ad promovendam, & excitandam devotionem mysteriorum in Missa signatorum prodessent.

Interrogabis, an saltem venialiter delinquant 252
illi precatores, quibus hic patrocinamur? Resp. *Negativè*, quia nihil admittunt contra modum, aut substantiam Missæ, vel Breviarii. Quapropter, si non temerarium, certè nimis severum est judicium, quod Liamas *loc. cit.* fert hisce verbis: *Sic duo præcepta implentes absque necessitate, solent esse homines parùm de Deo tractantes, quasi exanimes Deo; mundo & carnivivientes; socordes & ignavissimi, redimentes tempus lasciviis.* Certè nolim ita judicare de nostris Germanis.

Objicies autem contra ipsam conclusio- 253
nem *secundam*: Tamburinus *supra relatus absolutè rejicit lectionem historiæ; sunt autem in Breviario plures psalmi, plurimæ lectiones referentes meras historias.* Resp. Tamburinus cum Lugone est intelligendus de profanis. Vnde, licèt non sint imitandi, qui toto tempore Sacri legunt vel pios historicos, vel ascetas, magistrósque rerum spiritualium, cùm præstaret, lectionem ejusmodi interrumpere actibus adorationis, gratiarum actionis, & similibus, versantibus *directè* circa mysteria Sacrificii, meritóque soleant nostri discipuli à suis professoribus ita edoceri. Attamen ego totus dissentio à Liamas *loc. cit.* damnante consequenter etiam istos de peccato mortali, dissentio, inquam, tum propter similitudinem, quæ inter hos, & legentes Breviarium reperitur; tum quia ejusmodi lectio est de se apta ad excitandos tam pios motus animi, quàm exigit Ecclesia præcipiens auditionem Sacri.

254 At *Antonius Rhetorices alumnus lectitat studiosè vitam S. Ignatii Loiolæ, authore Bidermanno, ductus non pietate, sed aviditate observandi, colligendique flosculos verborum, sententiásque concinniores.* Resp. Si legat hac intentione solâ, absque omni dubio illum æterno supplicio adjudicabunt non solùm rigidissimus Liamas, sed & haud paulò leniores Suarez, Bonacina, alii, pro conclusione *octava Casu præcedentis* relati, exigentes sub mortali attentionem internam ad Deum, & ut retuli *Casu VII. num. 191.* negantes satisfieri ab illo, qui Breviarium legit solo animo discendi memoriter. Certè Suarez *cit. sect. 3. vers. Dicendum* scribit expressè, illum sine ulla controversia non habere requisitam attentionem, qui attentissimè studeret legendo. Absolveret autem, ut reor, Dicastillo talem, utpote qui relatus *cit. num. 191.* contrariam his DD. tenet; & ego existimo, eandem esse rationem legentis eâ intentione pium historicum, quæ legentis eâdem precatorium libellum.

255 *Quid si autem quis toto tempore Sacri tantùm, unam alterámve precatiunculam legat, ut frequenti illâ repetitione infigat memoriæ? Quid si, cùm sit Germanus cupidus discendi linguam Italicam, eiusmodi precationem conferat sub Sacro cum Regulis Grammaticæ Italicæ? Quid si discipulus Syntaxeos mandet tunc memoriæ suam lectionem catecheticam, tractantem de Missa? Et nostri Hermanni Hugonis pia Desideria, quid sunt aliud, quam jaculatoriæ preces ad Deum? An si quis illum tam pium simul & elegantem libellum evolvat sub liturgia, animo nec bono, nec malo, sed indifferenti, censebitur non esse obligatus ad alterum Sacrum?* Dicastillo negabit obligatum, asseret absque dubio Suarez; huic adstipulabitur, ut reor, vulgus doctorum, indoctorúmque.

256 Cuperem sanè videre, qui hæc tam practicabilia dubia expediret in propriis terminis; ad quæ quidem existimo esse mihi consequenter respondendum rigidiùs, si tueri velim illam contra Dicastillum doctrinam omnium, traditam *num. 191.* de clerico legente Breviarium solo animo discendi. At verò non satis video, quomodo non hinc manifestè sequatur, posse ab Ecclesia præcipi *directè*, & *immediatè* actus purè internos. Fortè erit, qui expensis hisce novis instantiis ferat liquidum judicium; sufficiat, dedisse novam occasionem magis adhuc excutiendi generalem illam doctrinam de directa potestate in actus merè internos. Hisce tamen addo partim ad magis excitandum, partim ad aliquatenus hilarandum ingenium mei lectoris hunc,

Casum Græcanicum.

257

Leonardus Lessius, ignarus linguæ Græcæ, privato duorum mensium exercitio ipse sibi discipulus, ac magister, eum profectum fecit, ut Aristotelem è Græco ipse sibi in Latinum traduceret. Super mensum quæ latinè (ut in Societate moris est legebantur, ea in Græcum ipse facilè secum convertebat, tanquam minùs sapidè epulatus, si Græcum condimentum abesset.

Sic loquitur author compendii vitæ Lessianæ *cap. 3.* & nos quærimus: An si Lessius præsens templo convertisset in Græcum vel omnia, quæ altâ voce proferre solet sacrificans, vel preces ex suo Breviario, alióve libro, fuisset censendus habuisse intentionem, attentionémve requisitam?

Resp. Habuisset certò certissimè secundùm Vasquez ac Dicastillo, relatos *num. 187.* Non habuisset secundùm Suarez, plurimos alios. Plus non dico, nisi quòd rursum mirer, quòd inter tam multos, qui de auditione Missæ scribunt, nullus discutiat illam quæstionem quotidiani planè usûs, de legente libellos tum precatorios, tum doctrinales, & historicos, intentione indifferente, aut etiam malâ.

AN CONFITENS, ET CONFESSIONES EXCIPIENS AVDIAT SACRVM.

CASVS X.

Perplexus.

SVMMARIVM.

Casus Ancillæ confitentis tempore Sacri, 258.
An talis satisfaciat præcepto? 259.
Singulariter si possit tunc commodè audire verba sacrificantis? 260.
Nullus pius actus tempore Sacri impedit debitam attentionem. 262.
Solvitur objectio Bonacinæ. 263.
Quid si confitens non audiat sacrificantem? 265.
Describitur resolutio Lessii. 266.
Quid respondebit Confessarius quærenti, an teneatur ad aliud Sacrum? 267.
Confessarius audiens confessiones potest simul sufficienter audire Sacrum. 269.

Vide

Vnde non debet habere ſcrupulum, ſi tunc ſit feſtum fori, & ipſe non ſit celebraturus. 271.

258 KVnegundis Ancilla hæret *in Confeſſionali à fine præfationis ad orationem uſque dominicam, idque in templo. Quæritur primò, an illa: deinde an eius Confeſſarius poſſit verè dici intereſſe rei divinæ.*

Dico ad *primam* quæſtionem I. Confitens *Sacramentaliter* ſua peccata in templo, in quo tunc litatur, poteſt rectè dici audire Sacrum adeóque non eſſe obligatus ad aliud audiendum. Reginaldus *Lib. 19. num. 14.* Caſtropalaus *cit. Tr. 22. punct. 16. num. 4.* Molfeſius *Tr. 3. cap 17. num. 45.* teſte Palao, Georgius de Rhodes *Diſp. Theol. Tom. 2. diſp. 2. de Sacrif. Miſſ. ſect. 3.* Leſſius *in Conſil. moral. verb. Miſſa. Caſ 2.* P. Eſcobar *Theol. Moral. Lib. 42. ſect. 1. cap. 4.* faventibus Gaugerico *in ſumm. Cajet. verb. Feſtum. lit. h.* ac Buſenbaum *hic*. Diſſentiunt apertè Bonacina *de Euchar. q. ult. punct. 11. num. 26.* revocans, quod in contrarium docuerat; Tamburinus *Lib. 4. in Decal. cap. 2. §. 1. num. 15.* Dicaſtillo *cit. diſp. 5. num. 199.* Baſſæus *in Flor. Tom. 1. verb. Miſſa 8. n. 7.* Marchantius *in Reſol. Paſtor. Tr. 4. cap. 6. q. 5.* dubiè loquentibus Suarez *cit. d. 88. de Euchar. ſect. 6.* Azor *in part. 1. cit. Lib. 7. cap. 7. quæſt. 8.* ac Tannero *cit. q. 6. num. 42.* & inclinante in hanc negativam D. Reding. *cit. q. 9. a. 4. Controv. 2. num. 11.* Sed nullus horum diſcutit hanc revera perplexam, etiam reſpectu ipſiuſmet Confeſſarii, quæſtionem, câ accuratione, qua par eſt: ergo nos aliquid tentabimus: ergo ad declarandam, firmandámque poſitam concluſionem

259 Dico II. Qui in templo confitetur tempore Sacri cum intentione audiendi ſimul Sacrum, ſeu referens ſuam Confeſſionem expreſſè ad Sacrum, ſeu volens participare ſacrificio, poteſt dici audire propriè Sacrum. Exprimit Reginaldus *loc. cit.* non improbante Buſenbaum, approbante Leſſio. Ratio fundamentalis eſt, quia ſi adſit ejuſmodi intentio, non poteſt vero ſimiliter, ſaltem in aliquo caſu non infrequenti, negari, adeſſe præſentiam illam *moralem*, quam ex multorum Theologorum ſenſu explicuimus *Caſu 1. num. 23.* talémque pœnitentem eſſe unum ex illis, de quibus dicit ſacerdos: *Qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis*; ſed neque aliud quidquam deeſt.

260 Declaratur praxi uſitatiſſima. Fit enim in primis ſæpiſſimè, ut quis confitens tam perfectè audiat vocem ſacrificantis, & tinnitum tentinnabulorum, quàm plerique non confitentium, ſæpe etiam ut meliùs; atque poſſit tam bene reſcire, quouſque pervenerit ſacerdos, quàm plurimi ex aliis. Deinde fit, ut ille ipſe ſit non modò in templo, ſed etiam proximè Aram, ad quam ſacrificatur; nam & Pi. Capucini ſingulariter, & nos in omnibus ferè noſtris Eccleſiis habemus aliqua Confeſſionalia viciniſſima altaribus, ſicuti & alii Religioſi, ac ſæpe Parochi. Item talis eſt in loco, ut ſupponimus, debito, e. g. in Templo ipſo, in quo immolatur Agnus Dei.

Adhæc ipſa narratio peccatorum, facta 261
ſacerdoti tanquam vicario Chriſti, ſe habet perinde, ac ſi ipſi Chriſto Domino fieret. Quis autem (niſi fortè Liamas,) neget, licere ſub Sacro, quod unicum audire quis vult, confiteri ſua peccata Chriſto Domino, velæterno Patri? Nónne ſi licet tunc dicere in genere: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*; & cum filio prodigo: *Pater peccavi in Cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus*: fas quoque erit dicere in ſpecie cum Iſaia: *Vir labiis polluti ego ſum*; & cum Lamech: *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum*? Denique omnis actus pius, & religioſus, quem erga Deum 262
quis exercet tempore Sacrificii, cenſetur continere attentionem interiorem neceſſariam audienti Sacrum. Suprà *Caſu VIII. num. 222.* ex ſententia etiam ipſiuſmet Suarez, & aliorum; atqui homologeſis eſt actus ſummæ reverentiæ in Deum; ergo habet ejuſmodi confitens præſentiam *corporalem moralémque* ſimul cum intentione expreſſa, attentionéque requiſita; præter quæ nemo quidquam requirit. Et ſine dubio fallitur Bonacina, dum negat, fas eſſe, conſcientiam examinare ſub Sacro, quod quis ex obligatione audit, quandoquidem examen non ſolet fieri, niſi in ordine ad confeſſionem, atque ad magnam ſubmiſſionem coram Deo,

Objicit Bonacina, & Baſſæus pro ſe hanc 263
unicam rationem, quòd ſcilicet Eccleſia præcipiat auditionem Sacri per modum orationis; confitens autem præſertim de quo, in hac concluſione loquimur, non audit Sacrum per modum orationis. Reſp. me jam negâſſe *Caſ. VII. concl. 4.* illud antecedens, & meritiſſimò quidem ob cauſam illic allatam.

Dico III. Si deſit pœnitenti intentio audien- 264
di Sacri, non ſatisfaciet præcepto; etenim intentionem hanc eſſe neceſſariam, diximus *Caſ. VII.*

Dico IV. At verò ſi adſit prædicta intentio, 265
probabile eſt, poſſe ſatisfieri præcepto, licèt, ut ſæpiſſimè fit, pœnitens nec videat, nec propriè audiat quidquam de Sacro, imò nec fortè audire poſſit ob diſtantiam, vel mentis occupationem circa narrationem peccatorum, aliáque huic annexa; ſiquidem *Caſu 1.* oſtendimus, ſufficere, modò quis ſit eo loco, ut quantum in ipſo eſt, poſſit audire, vel videre ſacrificantem; audiret autem confitens, ſi altiore voce loqueretur Myſta; & qui tempore Sacri ita abſorbetur in actus reverentiæ erga Deum

Deum, ut poſitâ ipſa abſorptione nequeat auribus percipere ulla verba ſacrificantis, non dicetur idcirco non audiſſe Sacrum; ergo nec ille, cui hîc patrocinamur.

266 Cæterùm, quia Leſſii ſapientia meritò magni fit, repræſento hîc ejus ſententiæ ſynopſin. 1. Valde probabile eſt, eos, qui tempore Sacri confitentur diebus feſtis, ſi bonam partem e. g. tertiam, in eo opere occupentur, ita ut non poſſint attendere ad Sacrificium, in rigore non ſatisfacere præcepto, quia confeſſio mentem abſorbet, & aliis affixam tenet, adeò ut de Sacrificio vix poſſit cogitare. 2. Tamen omnino videntur excuſandi, quibus ratione negotiorum, vel quia ſunt in obſequio aliorum, non eſt integrum, aliud Sacrum audire, & quidem tum per epiikiam, (nam Pontifex mavult cum tanto fructu Chriſtianos tali modo intereſſe Sacro, quàm negligere confeſſionem, & conſequenter communionem,) tum per conſuetudinem legitimè præſcriptam in toto Belgio, & probabiliter alibi, quæ conſuetudo eſt reſpectu horum valde rationabilis, propter notabile commodum ſpirituale; ſi enim ob temporale licet penitus abeſſe, cur non ob ſpirituale? tum denique, quia ſatiſſit huic præcepto, ſi adſis cum reverentia, ut Sacrificium tuâ præſentiâ honores, & cum confuſa attentione ad Sacrificium, qualis poteſt haberi etiam à confitente. 3. Ex his probabile judico, etiam eos non teneri ad aliud Sacrum audiendum, quibus ſat temporis ſuppeditat, ſi bonam ſaltem partem extra confeſſionem audierint, ac proinde ſub peccato mortali non cogendos tanquam adſtrictos, ſed hortandos tanquam ad id, quod tutius & decentius.

267 Ita Leſſius, ita denique ego; addo pro praxi, non eſſe opus, ut confeſſarius non interrogatus dicat pœnitenti quidquam de opinione Bonacinæ, interrogatus autem ab iis, qui non niſi admodum difficulter poſſunt intereſſe alteri Sacro, dicat eos non debere habere ullum ſcrupulum; etenim intenſio Eccleſiæ præcipientis auditionem Sacri, & ſanctificatio noſtra, quæ utique certiùs, copioſiùſque acquiritur per confeſſionem, quàm Sacri auditionem. Attamen ſi tales facilè queant, inducat eos confeſſarius ſuaviter ad alteram Miſſam, præſertim quando tempore utriuſque Canonis fuerunt in confeſſionali; nam quando ab Introitu uſque ad Evangelium, aut etiam Offertorium *incluſivè*, omittetur rationabiliùs adhortatio.

268 Sum autem ſemper locutus de pœnitente exiſtente in templo, in quo fit Sacrum, atque adeò in eo loco, in quo, ſi flecteret non confitens, cenſeretur habere præſentiam *corporalem*; ſi enim confiteatur in ſacriſtia, aut choro ſuperiore laterali, facilè fiet, ut ſpectatis omnibus circumſtantiis non cenſeatur eſſe *moraliter* (etiam loquendo *moraliter*, ſecundùm explicationem ſecundam allatam *Caſ. I. num. 25.*) præſens.

Stephanus à S. Paulo *in Theolog. Moral. Tr. 5 diſp. 4. dub. 16. num. 96. edit 3.* differens etiam de materia hujus quæſtionis. An ſcilicet præcepto Eccleſiæ de Sacro audiendo ſatisfaciat confitens tempore Sacri ſua peccata ſacerdoti, ſcribit, à me contra communem aſſeri, talem ſatisfacere. Ego viciſſim ſcribo, ab eodem id negari contra communem, quia ſcilicet pro utraque parte ſtant multi præſtantes Doctores, quos hoc loco ego, aliíque adducunt. Et verò utramque duarum oppoſitarum rectè poſſe vocari communem, liquet ex iis, quæ adfero *in Clypeo Clement. Iudicum ſect. 1. num. 22.* qui Clypeus obtinet primum locum *in Quinario*, ſeu *altero Tomo* meorum operum. Nec firmat Stephanus rectè ſuum à me diſſenſum hac ratione, quòd Confeſſio ſit, ipſo Iudice, plus incompoſſibilis cum auditione Sacri, quàm lectio Novellarum, quam tamen ego aſſero, eſſe incompoſſibilem.

Etſi enim concedo, lectionem peccatorum ſuorum coram Confeſſario, ipſóque Domino Deo, eſſe *phyſicè*, & merè *materialiter* loquendo æquè incompoſſibilem cum attentione requiſita ad Sacrum, ſeu ad actionem, Cæremoniáſque ſacrificales, atque eſt lectio Novellarum, librorúmque profanorum, *moraliter* tamen, & in ordine ad Eccleſiæ mentem, quæ maximè ſpectanda hîc eſt, magnum apparet hîc diſcrimen, inde ſcilicet, quòd & attentio ad pium objectum, & actus pius, ac religioſus non repugnent ex ſe attentioni requiſitæ ad Sacri auditionem, ſicut refero in hoc *X. Caſu. n. 262.* ex Suarez. At verò attentio ad objectum profanum, actúſque profani adverſantur attentioni ad Sacrificium: quæ enim conventio Chriſti cum Belial? Lectionem librorum piorum non incommodare ex ſe auditioni Sacri, credit Stephanus, citans me in ſuam ſententiam, atque probans id, quod *Caſ. præced. num. 253.* ſcribo de noſtris diſcipulis, atque aliis legentibus tempore Sacrificii hiſtoricos pios, aut tractatores materiarum aſceticarum; credat ergo id ipſum de dolorosa lectione ſuorum peccatorum. 269

Dico V. Confeſſarius ipſe, ſi nihil aliud obſtet, quàm auditio Confeſſionis, poteſt rectè dici audire Sacrum, dum audit Confeſſionem. P. Eſcobar *loc. cit.* & Palaus *cit. num. 4.* hoc ita abſolutè & rotundè aſſerens, ac ſi nemo revocaret in dubium, cùm tamen Baſſæus *loc. cit.* ſatis dubiè loquatur hac de re. Sed certè faciliùs eſt confeſſario attendere ad Sacrum, quàm pœnitenti; cùm ejus mens non ita validè occupetur circa narrationem peccatorum, quàm pœnitentis, & poſſit facillimè, dum fungitur officio ſolo audientis, exercere actus

actus interiores *directè* tendentes in ipsum Sacrificium, ejúsque materiam, & cærimonias; dum autem loquitur, non solet diu continuare sermonem, & DD. referendi *Cas. XII.* docent, satisfacere illos, qui interruptim garriunt sub Sacro.

270 Extra omnem umbram dubii sunt illi, quorum sedes confessionalis est proxima Aræ, & singulariter, quando habent, ut sæpe fit, in prospectu ipsum sacrificantem. Est autem utique valde consultum, ut, quando confessarius, vel ex pulsu tintinnabuli, vel ex gestibus adgeniculantium intelligit, mystam versari circa Elevationem, & Communionem, unius aut plurium Sacrorum, jungat suum affectum, atque intentionem; poterit enim sic fieri, ut ad ipsum redeat ex octo, quindecim Sacris, quæ paraguntur, dum vacat illi Sacro muneri, fructus tantus, quantus ad illos, qui habuerunt omnem *corporalem moralémque* præsentiam, atque intentionem, attentionémque requisitam.

271 Et fuit hæc conjunctio intentionis, affectuúmque facienda Anno 1666. in iis Episcopatibus, inquibus de more diœcesano celebratum est in foro Festum S. Georgii non 23. sed 24. Aprilis, atque adeò in Sabbato sancto; nisi fortè superior permittat tunc omnibus facere Sacrum, seu privatim, seu publicè, propter rationes productas *in Alphab. Sacrific. Cas. VII.* Vbi licèt dicam, esse tunc plura Sacra permittenda, propter Confessarios, & pœnitentes, non tamen repugno conclusionibus positis *in hac secunda Sectione*, quia eo loco illam rationem adfero ad sedandos scrupulos hominum, non sine magna authoritate dubitantium, an auditio Sacri jungi queat cum Confessione.

DORMITANS AN AVDIAT SACRVM.

CASVS XI.

Excitatoris severi.

SUMMARIUM.

Casus Ludovici Granatensis, qui vellicavit aurem dormitantis sub recitatione Breviarii. 272.
Dormiens non audit Sacrum. 274.
An tenearis excitare dormientem tunc? 278. & seq.
Non teneris corrigere peccantem ex ignorantia. 281.
Per se est illicita correctio talis, qualem adhibuit Granatensis. 282.
Excusandus tamen. 283.
Lessii mirum judicium de tribus heluonibus cerevisiæ. Ibid.

Imago Crucifixi infringit colaphum dormienti in choro. 284.

L Vdovicus Granatensis, Ordinis Prædicatorum Doctor præstantissimus, divino servitio adeò intentus erat, & tanta in eo celebrando diligentia, & attentio, ut quodam tempore recitans preces Matutinales de Dominica cum socio, vidénsque socium somnolentum, & propter concionis, quam eo die habuerat, laborem aliquantùm defatigatum, qui scilicet de somni tempore, ut se ad eam pararet, aliquot horas minuisset, ita ut Psalmorum versus non debito ordine recitaret. Quo percepto, Ludovicus tantâ asperitate aurem vellicavit; ut socius, manu auri admotâ, eam sibi avulsam existimans diceret: Quid agis Pater? Cui Ludovicus gravi voce respondit: Quicunque cum Deo loquitur, attentum & vigilantem esse oportet. *Fuit zelus erga servitium divinum, qui eum ad hoc faciendum permoverat.* 272

Testis, &, ut non dubito, approbator hujus Zeli est R. P. F. Franciscus Diago, ejusdem glorioſi Ordinis alumnus, in vita excellentissimi illius scriptoris, & concionatoris *Cap. 10.* quo capite exhibet hisce verbis sui interpretis Latini vellicationem illam. Cujus occasione quæritur 1. *Quanam somnolentia repugnet auditui Sacri, & recitationi Breviarii? 2. An videns dormitantem, aut dormientem sub divino officio, tenearis excitare? 3. An sit licita excitatio tam aspera, quàm fuit illa, quæ hic proponitur?* 273

Dico I. Qui propriè dormit, nullo modo potest dici audire Sacrum; at qui solùm dormitat, aut somnolentus est, potest quandoque dici audire. *Prima* pars est omnium, quia plenus somnus tollit omnem libertatem, adeóque omnem præsentiam *moralem*, descriptam *Casu 3. num. 23.* ex communi sensu DD. 274

Altera pars declaratur. Aut enim illa somnolentia ita ligat sensus, per notabilem Sacri partem, ut secundùm *morale* judicium non censeatur dormitans posse attendere ad ullam rem Sacram, & tunc dicendus est neglexisse illam majorem partem, proindéque teneri supplere defectum; sive illa somnolentia fuerit *voluntaria*, ut per se liquet, sive *involuntaria*, quia effecit, ut is, quem ipsa corripuit, *morali* judicio æquè parùm interfuerit Sacro, quàm si domi mansisset. Dicastillo *Tr. 5. de Euch. disp. 5. num. 120. & seqq.* loquens de dormiente; sed eadem est ratio dormitantis eo modo, quo nunc loquor. 275

Aut somnolentia est tam tenuis, & interrupta, ut permittat aliqualem etiam *moraliter* 276

loquendo attentionem ad longè majorem, potiorémque Sacri partem, & tunc non est mortalis, etiamsi voluntaria sit, nec obligat ad suppletionem. Ratio est, quia talis somnolentia tunc comparabitur illis actionibus externis, quæ non tollunt omnem attentionem exteriorem, de quibus quid sentiant Lugo, ac Dicastillo, retuli *Casu VIII. num. 237.*

277 Ex his apparet inprimis, quænam somnolentia repugnet auditioni Sacri, deinde quænam recitationi Breviarii, ea nimirum, quæ impedit, quò minùs verba Breviarii, aut quæ recitat tunc focius, audias, aut quæ tu ipse promis, promas non nisi vitiosissimè; si autem non nisi cum aliquantulum notabili corruptione, aut omissione verborum, sententiarúmve, non est facilè statuendum peccatum mortale; hoc enim ipso, quòd illa corruptio non sit nisi aliquantulum notabilis, non aufert multum de cultu divino, igitur non ascendet ad culpam lethalem. Vide plura infrà *num. 676.*

278 Dico II. Videns juxta se dormientem sub Sacro, probabiliter tenetur *per se loquendo* illum excitare. Probatur in primis exemplo Ludovici Granatensis. Probatur secundò inde, quòd *per se loquendo* incumbat nobis obligatio impediendi peccatum proximi, irreverentiámque Numinis; ut liquet ex iis, quæ de correctione fraterna tradit S. Thom. *2. 2. quæst. 33. art. 2. & 3.* cæterique Theologi; peccat autem, Deóque irreverentiam irrogat dormiens sub Sacro.

279 *Etiam non obligatorio?* Omnino; quia auditio Sacri est utique opus Dei; atqui pronuntiatur maledictus, qui facit opus Dei negligenter *Jerem. 48.* sicuti facit, seu potiùs vitiosè interrumpit, qui dormire incipit. Idem proportionaliter esto judicium de obligatione excirandi somnolentum, seu dormiturientem; quamvis possit faciliùs excusari non excitans dormiturientem, quàm dormientem; quia scilicet dormituritio, seu somnolentia, non est toties mortaliter mala, quoties verus somnus; & sæpius prudenter creditur dormiturus rediturus per se ad se, quàm planè sopitus; & communiter ægriùs ferunt homines turbari tunc suam somnolentiam, quàm somnum. Unde puto, rarissimè occurrere casum, quo, spectatis omnibus circumstantiis, adsit personæ privatæ obligatio gravis excitandi dormiturientem; at dormientem teneris fortè sub gravi culpa excitare, si fortè credas. 1. Illum suâ culpâ gravi incidisse in somnum. 2. Illum perditurum notabilem partem Sacri. 3. Suscitatum à te vel acquieturum tuæ suscitationi, vel certè auditurum aliud Sacrum. 4. Te non tibi accersiturum gravem offensam, aut aliud notabile incommodum, fungendo officio excitatoris. Si harum circumstantiarum aliqua desit, decrit certò & obligatio gravis pellendi somnum alienum, ut deduces ex iis, quæ de causis excusantibus à præcepto correptionis fraternæ, seu conditionibus ad hanc requisitis, tradunt Casistæ post S. Thom. *cit. Quæst. 33.* 280

Verùm quia ex iis, quæ *in Theologia Juridico-Moral. Cap. 9.* dissero, mihi persuasum est, licèt voluntas etiam *indirecta* dormiendi, in his circumstantiis sit utique mortaliter mala, ipsum tamen somnum non esse propriè peccatum; quandoquidem nemo tunc propriè peccat, quando caret usu rationis, adeóque libertate; quia deinde peccantem ex ignorantia (adeóque inadvertentia invincibili) ne quidem sub veniali teneris corrigere, juxta Navarrum, Bannez, Bonacinam, & alios, apud Castro Palaum, *Tract. 6. disp. 3. punct. 4.* dissentientem tamen cum Coninck *De charitate Disp. 18. dub 4.* dormiens autem ignorat invincibiliter, à se negligi Sacrum; ob hanc rationem concludo, esse *practicè loquendo* vel ab omni, vel certè a gravi peccato excusandum, qui non excitat dormientem, etiam in circumstantiis à nobis expressis nisi sit ejus (ut etiam limitant Navarrus, & alii suam doctrinam) subditus, aut timeatur aliquod aliud malum, præter talem omissionem Sacri. 281

Dico III. Tam molesta excitatio, quàm fuit adhibita à religiosissimo illo viro, non est *per se* licita. 1. Quia, quæ sunt ad finem, regulari debent, secundùm quod exigit ratio finis. S. Thom. *cit. art. 7. in fin. Corp.* atqui emendatio, atque evigilatio non exigit *per se* tam durum monitorem. 2. Quia correctio illa non est adhibenda, per quam fit quis deterior. S. Thom. *cit. art. 7.* atque omnes DD. Non est autem reperire inter decem unum virum (non loquor de pueris) qui, si à suo vel æquali, vel etiam superiore, ita sensibiliter vellicetur, non sit per iram, & impatientiam commissurus gravius peccatum, quàm sit vel irreverentia, vel neglectus Sacrificii, aut plurium è Breviario versuum. 282

Credo tamen, Ludovicum Granatensem non peccâsse, aut *materialiter*, quia scilicet sciebat, bonum illum concionatorem, ubi perfectè ad se rediisset, non modò non ægrè laturum, sed ex animo gratias acturum pro hac extraordinaria monitione, multùm profutura in futurum; aut saltem *formaliter*, quia scilicet ita perspicaciter penetraverat turpitudinem peccati, etiam venialis, admissi in ea irreverentia, ut tunc existimârit, esse omnino licitum tale medium. Profectò viri sapientes, qui extremè abhorrent ab aliquo vitio, ferunt in casibus subitaneis longè aliud de eo judicium, quàm vel ipsimet extra casus repentinos, vel alii etiam sapientes non ita abhorrentes ab illo vitio. Quis, ut alia sexcenta omittam, crederet, P. Leonardum Lessium, cùm audiisset narrantem, quatuor rusticos uno die exhausisse centum pocula cerevisiæ, imò tres mulieres id ipsum fecisse etiam uno die, ita commotum fuisse rei indignitate, ut liquidò iterum, tertióque pronuntiaverit, septem illos heluones malâ 283

cruce dignissimos videri? ut refertur in ejus vita *Cap. 27. num. 102.* Hoc videlicet severissimum judicium tulit, quia erat capitalissimus hostis omnis intemperantiæ.

284 Et quid si Granatensis habuit tunc in recentissima memoria horrificam vindictam, quam utique haud semel legerat ipse apud Cæsarium *Lib. 4. Dialog. cap. 29.* ubi refert

Casum terrificum.

Scilicet cùm è Monachis unus pro more dormiret in Choro, imaginem Christi de cruce pendentis inde descendisse, eique tam gravem alapam infregisse, ut triduo post fuerit funus?

Aliud exemplum severitatis extremæ, etsi ob delictum non valde magnum, proferam *Casu seqq. num. 294.*

AN GARRIENDO, AC RIDENDO TEMPORE SACRI PECCETVR, ATQVE PRÆCEPTVM ECCLESIASTICVM VIOLETVR.

CASUS XII.

Epistolaris.

SVMMARIVM.

Epistola Lessii contra garrientes tempore Sacri. 285.
Peccant hi omnes, sicut & ridentes. 287.
Quando mortaliter? 288.
Singulariter ratione scandali. 290.
Casus Regis Congi, plectentis capite garrientes sub Sacro. 294.
Legendus à concionatoribus R. P. Ioannes Paulus Oliva. 295.

285 *Miratus sum vehementer, vir clarissime, in monitione hesterna, quam Illustrissimo Domino, solo Dei intuitu, & salutis, honorisque illius studio feci, Dominationem tuam defendere, & excusare voluisse morem illum fabulandi, & ridendi in Ecclesia tempore Officii, tanquam viris principibus non illicitum, & indecorum, quasi hac in re non omnes eâdem lege tenerentur sed viri nobiles sint excipiendi. Nolui tunc plura disputare, quia locus erat importunus. Nunc puto, fraternam charitatem à me postulare, ut si Dominatio tua ita sentit, errorem illum eximam, quia permitiosus est, si non sentit, moneam, ut hujusmodi nunquam vel placendi studio, vel displicendi timore defendat, quia pestifera adulatio est.*

Est hoc exordium (omissis, brevitatis causâ, 286 pluribus versibus) Epistolæ, quem P. Lessius dedit ad virum clarissimum, qui pridiè exaratæ Epistolæ excusaverat morem cujusdam Illustrissimi viri, soliti fabulari, ac ridere tempore liturgiæ, ut cernere est in hujus auctoris *Consil. Moral.* seu *Auctario ad 1. 2. Verb. Miss. Cas. I.* in qua epistola copiosè prorsus, & eruditè confutat errorem illius patroni. Ego itaque ex, & cum illo.

Dico I. Tam viri principes, quàm plebeji pec- 287 cant fabulando, ridendo tempore divini officii. Est hæc assertio tam certa, ut contrarium error in fide censeri debeat, teste Lessio. Nam & *Math. 21.* dicitur; *Domus mea domus Orationis vocabitur*, & Cap. *Decet, De immunit. Eccles. in 6.* ex Concil. Lugdun. & à Concil. Trid. *Sess. 22. in Decreto De observand. & evitand. in celeb. Missæ*, generatim omnibus prohibentur vana, profanáque colloquia, sub re divina; & S. Chrysost. *hom. 40. ad popul.* vehementissimè invehitur in omnes ejusmodi homines; & denique, quò quis major est inter homines, eò majorem in rebus divinis reverentiam præstare debet, tum ut aliis sit exemplo, tum ut in Deum gratus sit, cujus beneficio cæteris est major. Has & alias rationes proponit, & præclarè exequitur *loc. cit.* Lessius, describens bonam partem illius *homiliæ 40.* ex S. Chrysost. quam utilissimè leget concionator parans invectivam in ejusmodi fabulatores; & fortè adhuc utiliùs illam, de qua in calce hujus *XII. Casûs.*

Dico II. Qui per majorem, aut notabilem 288 partem Sacri, miscent seria colloquia de rebus profanis, turpibus &c. non satisfaciunt præcepto *Ecclesiastico.* Ratio est, tum quia talia colloquia sunt actiones externæ suapte naturâ impedientes internam actionem, ergo impediunt, quò minùs satisfiat præcepto de Sacro audiendo, juxta doctrinam communem allatam *Casu VIII. num. 234.* tum quia S. Chrysostomus *cit. Hom. 40.* expressè pronuntiat, *fulmine cœlitus Missô dignos esse*, qui tunc colloquuntur, aut cachinnantur. Ut proinde hæc conclusio sit etiam intelligenda de cachinnantibus diu, & effusè, quando scilicet risus impedit prædictam internam attentionem.

Dico tamen III. Colloquia etiam longa, 289 quando non sunt de re seria, seu quando non impediunt omnem attentionem interiorem, sed solùm illam minuunt, non continent *per se loquendo* culpam lethalem, sed solùm venialem. Suarez in terminis *loc. cit.* Dicastillo *n. 108.* Bassæus *Tom. 2. Verb. Missa 3. n. 6.* utens phrasi Suarii, atque alii post Sotum *in 4. dist. 13. q. 2. art. 1.* atque Medinam apud Azorium *Part. 1. l. 7. c. 5. absolutè* negantes, colloquia de rebus profanis,

fanis, itémque risum obesse attentioni debitæ Sacrificio. Dissentiunt apertè Nugnus *3. p. q. 83. art. 6. concl. 6.* Palaus *Tract. 22. punct. 16. num. 4.* & Liamas *in Summ. Part. 3. cap. 5. §. 9.* ubi absolutè asserit, confabulantes per notabilem partem Sacri, tam parùm audire illud, *quàm si celebraretur Parisiis in Gallia, & ipsi garrirent Toleti in Hispania.* Probatur conclusio, quia non peccatur mortaliter *per se loquendo*, exercendo actiones exteriores non impedientes omnem internam attentionem, suprà *num. 237.*

290 Dixi: *Per se loquendo*: quia *per accidens*, seu ratione scandali, valde sæpe peccant mortaliter tales homines; sicuti etiam quandoque illi, qui non continuant colloquium, sed abrumpunt sæpe, & dum abrumpunt, mentem & oculos conjiciunt in Sacrum, licèt hoscе *per se loquendo* excuset à mortali Bassæus *loc. cit.* post Suarez *loc. cit.* expressè tradentem, id solere fieri communiter.

291 Fulminatoria sententia, quam S. Chrysost. suprà relatus, fert *absolutè* in confabulantes, ac ridentes, vel est concionatorio stylo prolata, vel si Theologico, tum dicendum est, Antiochenos illos consuevisse tum de seriis rebus differere, tum de aliis, cum gravi offensa aliorum.

292 Dices: Idem S. Pater eodem loco minatur tribunal divinum iis, qui confabulantes vel non corripiunt, vel non deferunt ad Diaconum;

293 *quid sentiendum de his minis?* Resp. Metuendas esse iis, qui non corrigunt in circumstantiis, indicatis suprà *num. 280.* atque adeò quando & garrulitas est mortaliter mala, & speratur emendatio ex correptione &c. Si autem sit solùm venialiter, ut fæpissime est, mala, tum fatetur quidem Castro Palaus *Tract. 6. disp. 3. punct. 3.* esse communem sententiam Paludani, Reginaldi, Bonacinæ, quòd ne quidem sub veniali teneatis corripere; ipse tamen cum Cajet. Soto, atque aliis tenet contrarium, sanè non improbabiliter speculativè, at puto habere in praxi usum rarissimum, nisi respectu subditorum.

Quæres autem, *quid pronuntiandum de illa correctione, quam proponit his*

Casus Zeli exuberantis?

294 *Quanto cum silentio, vel tremore potius Emanuel Congi Rex rei divinæ interesset, inde patuit, quòd interea iuveniliter strepitum cientes ad januam templi honorarios Ephebos, principum filios, illico mactari imperârit, indignum facinus ratus, augustissimum illud Sacrificium, in quo pro salute hominum Deus ipse immolatur, ab hominibus negligi. Itaque dubio procul adolescentes levis, & quotidianæ apud nos (quod pudeat) noxæ pœnas capite ipso luissent, ni ætatem, & genus miserati, ac divinæ insuper clementiæ memores Lusitani, vehementer obstitissent.*

Refero phrasin Joan. Petri Maffæi *Histor. In-* 295 *dic. Lib. 1. ante med.* atque dico, commendandam quidem magnopere religionem illius Neophyti, sed excessum religionis non posse probari à Theologis, cùm scriptum sit Deuteron. *Cap. 25. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus*, & *Cap. Felicis, De pœn. in 6. Judex pœnam metiatur ex culpa*; illa autem culpa fuit levis, si credimus Historico; & *per se loquendo*, strepitus, qui juveniliter cietur adjanuam templi ab adolescentibus, communiter non continet gravem noxam. Potuit tamen fuisse tantus, ut graviter offenderet cæteros, & proinde gravem pœnam mereretur, sumendam supplicio principalioris delinquentis. Denique, quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur: summo cultu prosequebatur ille Rex divina Mysteria, non igitur demirandum, quòd ita detestaretur extremè, quæ cultum illum turbabant, non cum unius, sed plurium turbatione. *Quodsi uno, alteróve loco Germaniæ invalesceret impia planè consuetudo libere garriendi, exercendique indecoras actiones tempore liturgiæ, forem loci concionatori autor legendi aptissimam emendandæ huic consuetudini Concionem, quæ est XIV. in altero volumine Concionum Adm. R. P. Joannis Pauli Olivæ, quæ planè est malleus conterens petras.*

AN SACRUM AUDIANT ORGANOEDI, ET ALII MVSICI, ITEMQVE DEAMBVLANTES, ET SESE VESTIENTES.

CASVS XIII.

Omissus non omittendus.

SVMMARIVM.

Casus Magistri, jubentis audiri duplex Sacrum ab Organœdo. 296.
Musici vocales audiunt sufficienter Sacrum. 298.
Solvuntur duæ difficultates. 299. & seq.
Ludens Organo, aut alio instrumento potest simul audire Sacrum. 301.
Solvitur objectio. 302.
Quid si modulatio repræsentet rem lascivam? 303.
Collectores eleemosynarum an audiant Sacrum? 304.
An deambulanter in templo? 305.
An puellæ tunc se comentes? 306.
An pingens, aut scribens? 307.

Nicolaus Professor Poëseos, numerat in- 296 ter discipulos unum, qui solet toto

tempore Missarum Dominicalium, & Festivarum, ludere Organis; ideòque urget hunc, ut decantando Officio præmittat auditionem Sacri alterius, vel decantato addat alterius præsentiam. Quæritur, utrùm illa monitio sit necessaria ad securitatem simpliciter, an solùm ad majorem? Idem quæritur de cæteris Musicis vocalibus, & instrumentalibus, ut loquuntur.

297 Hunc Casum voco *Non omittendum*, utpote cujus resolutio necessaria est ad plenam doctrinam Casisticam materiæ contentæ, & inclusæ terminis præsentis Alphabeti. Appello autem *Omissum*, quia revera non reperio vel unicum, qui ediserat dubium hîc propositum, cùm tamen sciam, non unum, sed permultos vehementer dubitâsse de responsione danda ad quæstionem propositam; ergo conabimur tollere omne dubium, &, eo sublato, dicemus, quid nobis videatur de pluribus aliis actionibus, quæ vel doctis, vel indoctis, vel utrisque videntur repugnare auditioni Sacri, ut sunt collectores eleemosynarum, deambulantes, se vestientes &c.

298 Dico I. Musici Vocales possunt habere attentionem sufficientem ad Sacrum. I. Quia si legerent solùm ea, quæ canunt, posset iis non deesse sufficiens attentio, ut patet ex dictis *Casu IX. n. 246.* suppono quippe, non cani ab iis, nisi spiritualia; atqui est eadem ratio lectionis nudæ, & lectionis cantatæ. 2. Qui solo cantu Gregoriano Missam cohonestant, habent ex omnium judicio sufficientem attentionem; ergo & qui Figurali. 3. Ille satisfacit, qui corpore interest Sacro piè ac devotè. Suprà *n. 12.* hi autem ita adsunt. Denique quæ ii canunt, sunt vel partes divini officii, vel accidentia generatim approbata ab Ecclesia; ergo si piè attendant ad illa, censentur *moraliter* attendere ad Sacrum, sicuti & ii, qui faciunt necessaria Sacro. Suprà *Cas. VIII. Conclus. 11.*

299 Non obest 1. Quòd plurimi ex ejusmodi cantoribus, sint valde soliciti, ne errent, adeóque nihil aliud cogitent, quàm de suis Clavibus, Mensuris &c. Nam recitans Breviarium, aut celebrans Sacrum, est extra culpam, licèt totam mentem defigat in rectam pronuntiationem juxta Regulas Grammaticas, utpote quas potiùs memoriâ, quàm usu tenet; uterque enim habet attentionem superficialem, ac proinde sufficientem, juxta receptissimam sententiam.

300 Non obest 2. Quòd quandoque fiat, ut Sacrum non cantetur, sub illo tamen ferè toto debeat modulari Discantista, qui unus habetur, & qui nec verbulum intelligit ex iis, quæ canit. Nam in primis, nulla lex imperat intelligi, cùm neque Moniales, neque multi è Clericis intelligant verba Breviarii, quod recitant ex obligatione. Deinde habet talis nihilominus præsentiam *corporalem*, & *moralem*, juxta dicta *Cas. 1.* Denique ejus cantus est accidens Sacri, approbatum ab Ecclesia.

Dico II. Ludentes organis, tympanis, tubis, cheli, aliis instrumentis musicis, non carent per se loquendo attentione necessariâ ad Sacrum. 301
Probatur 1. Etenim est horum eadem ratio, quæ canentium voce; quia videlicet Notæ, ad quas attendunt plerique ex his, sunt eædem cum iis, quas observant vocalistæ; & licèt Organœdi habeant diversas, attamen sunt iis instar characterum seu literarum, atqui de similibus ferendum est simile judicium. *Cap. 2. De Transl. Episc.*

Nec obest, quòd hi ad nullum textum Sacrum attendant, sed ad solas prorsùs Notas, 302
quæ quidem sunt res tam profanæ, quàm verba, quibus conscribitur historia de Alexandro Magno, vel Catilina. Etenim negatur assumptum; siquidem historia Alexandri M. aut Catilinæ est secundùm se profana, at notæ musicæ sunt secundùm se indifferentes, & incipiunt esse Sacræ ex ipsa intentione, & usu Ecclesiæ. *At, qui ludit cheli, non cogitat nisi de chorea, ad quam ipse non semel aliquos animavit illâ ipsâ melodiâ, qua utitur sub solennitate Missæ?*

Resp. I. Ergo similis est volventibus sub 303
Sacro alienas cogitationes, foventibúsque distractiones, de quibus aperui meum sensum *Cas. VIII.*

Resp. II. Ergo speciali irreverentiâ profanat Sacrum, ita ut si illud melos repræsentet quid lascivum, Chelista admittat peccatum mortale, juxta ea, quæ *in Theolog. Juridico-Moral. Cap. 49.* scripsi de modulantibus sub divino officio turpia, vel profanâ voce, organis, fidibus &c.

Illis, quæ de attentione exteriore dixi, tum 304
in genere, tum *in specie*, quatuor præcedentibus Casibus jungo breviter aliorum 4. dubiorum resolutionem.

Primum: Utrùm collectores eleemosynarum sub Sacro, satisfaciant præcepto de Sacro audiendo? Resp. Verbis Lessii, qui solus tangit hoc dubium *in Auctario ad 1. 2. seu in Consil. Moral. verb. Missa Cas. III.* atque ita loquitur: „Videntur satisfacere; excusat enim illos collectores, qui usque ad offertorium obeunt.„

I. Lex æquitatis seu epiikiæ.

II. Consuetudo præscripta.

III. Utilitas temporalis pauperum, quæ ali- 305
â ratione non videtur posse obtineri Deique quia est opus tale, cum quo possit stare attentio confusa. Ita ille.

Secundum: Utrùm & illi satisfaciant, qui in ipso templo deambulant, dum celebratur liturgia? Respondeo cum Dicastillo *num. 109. affirmativè*; nam deambulatio non impedit attentionem Breviarii, ergo minùs Sacri. At nemo sanus negabit, contineri in illa deambulatione irreverentiam scandalosam extirpandam.

Ter-

306 *Tertium.* Quid sentiendum de matronis, ac puellis nobilibus, quæ, dum intersunt Sacro, quod fit in earum Oratorio, propè per totum tempus occupantur se se vestiendo, comendo? Testatur Dicastillo *l. c.* se aliquando id vidisse non quidem sine stomacho, attamen sine judicio de peccato mortali *per se*, cùm ille labor non impediat attentionem necessariam. Vide suprà *Cas. VIII. concl. 10.*

307 *Quartum.* An actio pingendi & scribendi, jungi queat cum attentione interiori? Resp. Negat Navarrus *in Manuali. Cap. 21. num. 6.* communiter receptus, quia scilicet hæ duæ actiones solent nimis occupare animum.

AN A PUERIS AUDIENDUM SACRUM.

CASUS XIV.

Præmaturæ pietatis.

SUMMARIUM.

Prudentia Sanctæ Margarethæ Vngaræ in infantia. 308.
Enumerantur plures prudentuli in ætate infantili. 309.
Quâ ætate incipiat obligatio audiendi Sacri? 310. & 311.
An tunc, quando adest capacitas Eucharistiæ? 312.
Quid de Germanis pueris singulariter sentiendum? 313.
Quâ ætate sint à parentibus mittendi ad Missam. 315. & seqq.
Casus matris, ducentis secum ad templum infantem inquietantem alios. 319.

308 *Otto mannici jugi expers adhuc Pannonia, edidit in lucem è regio sanguine Margaretam, ingenii atque pietatis adeò præcocis, ut Anno ætatis quarto conspicata crucem, & scisciata, quid rei id esset, edoctáque esse crucem, in qua Deus Dei Filius, nostrâ causâ fudisset sanguinem, statim crucem amplexari, oscularique cœperit, & coram illa se prosternens eruperit in hanc vocem:* Domine me tibi committo. *Ex eo autem tempore tantâ pietate ferebatur erga crucem, ut, ubicunque eam videret, quocunque etiam detineretur impedimento, se prosterneret, eámque veneraretur.*

309 Facilè fidem habebimus Laurentio Surio, ac Joanni Bollando ad 28. Januarii, atque aliis testibus hujus pietatis infantilis, at non æquè facilè judicabimus, an videatur, hanc regiam infantem fuisse jam sub idem tempus illigatam Lege Ecclesiasticâ de Sacro audiendo? An Angelicum Doctorem, quando quinquennis tam solicitè quærebat à suo Magistro, *quid sit Deus?* An S. Beatricem Ord. Cistertiensis, quæ nondum sexennis totum psalterium Davidicum ex memoria sine errore reddebat. An S. Petrum Cœlestinum, qui sexennis dicebat identidem, & quidem ultrò matri viduæ: *Mater mea, volo esse bonus servus Dei?* An S. Claram de Monte Falco, quæ nondum egressa quintum ætatis Annum, agnovit ipsa, atque à nemine docta, vicit artes dæmonis mentiti Monialem, ut virgunculam averteret à proposito nubendi cælesti sponso? An puerum Achas à nobis descriptum suprà *in Alph. Commun. Cas. VI.* qui non major quinquennio, concinnissimè simul, & piissimè imitabatur vestitu, ac moribus vitam FF. Minorum. Prætereo sexcenta alia exempla infantilis ætatis, non leviter tinctæ notitiâ rerum supernaturalium. *An dicemus, hasce animulas, iisque consimiles, comprehensas fuisse lege Christiana de frequentatione Missæ Sacrificii?* Priusquam resolvam hanc specialem quæstionem, propono, atque expedio generalem.

Dubitatur enim I. *Quâ ætate obligentur pueri, & puellæ interesse Rei Sacræ?* Respondeo. Tametsi Azor *Part. 1. lib. 7. cap. 2.* Scortia *De Sacrif. Missæ Lib. 2 cap. 20. num. 7.* Sanchez *Lib. 1. Moral. Cap. 12. num. 6.* Bonacina *De Euchar. q. ult. p. 11. n. 8.* Bassæus *Tom. 2. verb. Missa. 3. n. 3.* Tannerus *Tom. 3. disp. 4. quæst. 6. num. 25.* atque alii plures, *absolutè* tradant, obligari communiter circa finem primi septennii, eò quòd præsumantur habere jam tunc usum rationis sufficientem; ego tamen ob contrariam rationem dico, vel nunquam, vel rarò fieri, ut Ecclesia suo præcepto liget aliquem tam maturè; nam præcepta humana non solent obligare ante plenam discretionis ætatem, ut supponunt prædicti authores, & exprimit singulariter Scortia *l. c.* allegans Paludanum, Antoninum, Sotum, Gabrielem, Silvestrum, Navarrum, *Cap. 21. num. 1. Enchiridii*, sed frustra hunc juxta editiones priores, meritò juxta posteriores. Atqui pueri & puellæ communiter non adipiscuntur illam discretionem ante expletum primum octennium, sicuti copiosè ostendo *in Alphabeto Communicantium Cas. VI. num. 3.* 310

Dico itaque cum Ægidio Coninck *in 3. p. q. 83. art. 6. num. 286.* in singulis non esse tam ex Annis, quàm ex maturitate ingenii spectandum, utrùm hic, an ille puer sit obligatus. Quia verò in *citato* loco Alphabeti feci distinctionem inter pueros, ac puellas, singulariter Germanos, dicens, has solere intra octavum, & nonum Annum: pueros intra nonum, & decimum, non autem priùs consequi plenam discretionem, seu posse peccare mortaliter, ideo ajo, puellas, ac pueros communiter non obligari ante indicatum tempus, ab illo incumbere communiter iis obligationem gravem. 311

312 *At nonne esset prudens Regula, si diceretur, tunc primùm incipere hanc obligationem, quando quis incipit habere idoneitatem ad Eucharistiæ Sacramentum?* Resp. Ita quidem videri Jacobo Marchantio, *in Resolut. Pastoral. Tract. 4. De Sacram. Cap 6. quæst 2.* eò quòd, licèt possint utique peccare mortaliter ante illam ætatem, non tamen videatur Mater Ecclesia tam maturè eos obligare velle, cùm etiam videamus, majorem partem puerorum Annum decimum attingentium, in Ecclesia stare tempore Missæ huc illuc circumspiciendo, sine attentione requisita, aut etiam sociis corridere, colloquiis nugari, nec vim præcepti percipere. Quis verò eos statim peccati mortalis damnare velit? Ita ille.

313 Verùm usus communis nostræ Germaniæ reluctatur huic Doctori; quare non assentior ipsi, sed sto datâ responsione; quam tamen intelligo de pueris, ac puellis rusticanis; puto enim in urbibus aliquantulum cultis citiùs oboriri puerili ætati lumen, quo agnoscant obligationem simul & rationem hujus præcepti, sicuti *citato* loco Alphaberi indicavi. Ergo in his poterit locum habere doctrina Azorii, & aliorum suprà relatorum, servato tamen discrimine inter masculos & fœmellas.

314 *At quid pronuntiabimus de iis, de quibus suprà locuti sumus? adeòque de iis, qui prorsus extraordinariè sapiunt in tenerrima ætate?* Resp. Tametsi DD. passim tradunt sine exceptione, obligationem præsentis legis oriri cum oriurationis sufficiente ad peccandum mortaliter, ego tamen perpendens, leges non extendi ad casus prorsus extraordinarios, dubito de veritate illius generalis doctrinæ, in quantum involvit quinquennes, qui tamen hoc ipso, quòd sint à Deo tam maturè nacti notitiam ipsius, obligantur lege naturali illum colere citiùs, quàm alii. Quamvis autem illi corporei Angeli, quos commemoravimus, habuerint aliquam utcunque claram cognitionem rerum divinarum, non tamen necessariò sequitur, jam tunc cognovisse, quid sit peccare, seu offendere Deum graviter.

315 Dubitatur II. *Qua ætate debeant parentes mittere liberos ad sacrosanctum Sacrificium?* Respond. Eâ, qua hi obligantur præcepto, siquidem incumbit *generatim loquendo* parentibus gravis obligatio compellendi liberos ad observationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ; ac proindè matrem quoque saltem in defectum patris, teneri gerere curam filiorum. Filliucius *Tract 38 p.2.c.22.q.1.num.2.* præsertim circa res fidei & religionis. Azor *Part.1.lib.8.cap. 11.q.6.* Tannerus *Tom.4. disp.8.q.4. dub.4.num. 92.* Sanchez *Lib.7. De Matrim disp.72.num.8.*

316 At *quid si parentes sint hac in re negligentes, an patrini debebunt supplere negligentiam?* Omnino *per se loquendo*; quia patrini officium est instruere filiastrum in rebus ad salutem spectantibus; ut tradunt jura & Patres, apud Theologos tractantes de Baptismo & Patrinis; ergo si cognoscunt, filiastrum idcirco facilè negligere rem divinam, quòd fallò existimet, se non obligari ad illam, tenebitur patrinus dedocere hunc errorem.

Porrò observat rectè Coninck *cit. num. 286.* 317 esse omnino consulendum parentibus, ut pueros statim atque aliquis rationis usus in eis elucet, assuefaciant *Sacra* piè frequentare, etsi nondum ad id obligentur. Quamdiu tamen ita parvi sunt, ut neque res divinas ullo modo apprehendere, neque in templo quieti, decentérque contineri possint, præstat, eos relinquere domi, quia alios turbant, & illis ipsis, qui eos ducunt, impedimento sunt, quò minùs orare possint. Ita Coninck providè & utiliter, si observaretur ejus monitum. Certè videntur parochi non integre fungi suo officio, si hanc doctrinam non inculcent suis, quia nimis crebrò agitur contra illam, cum indignatione multorum. At hoc ipsum monitum dat occasionem proponendi, ac dissolvendi hunc

Casum Plebejorum.

318 *Isabella uxor pauperis opificis, & mater, pueruli bimuli, solet hunc puerulum secum accipere in templum; nam non habet, qui illum custodiat domi. Præstátne, ut Sacrum negligat, quàm ut secum accipiat cum perturbatione sua, & aliorum? Quia scilicet ille puer perpetuò aut clamat, aut flet, aut discurrit, jam cum lapsu jam cum cantillatione, & aliis infantilibus nugis?*

Resp. Non tantùm præstat, sed etiam opus est intermittere *Sacrum*. Non videtur enim esse tantum bonum spirituale auditio *Sacri*, cum perpetua solicitudine, coërcitione, ut procurandum sit cum notabili incommodo, perturbatione, obmurmuratione cæterorum.

A FAMULIS AN AUDIENDUM SACRUM.

CASUS XV.

Lutherano-Catholicus.

SVMMARIVM.

Casus ancillæ impeditæ ab hera hæretica, ne audiat Sacrum. 319.
Aphorismi varii proponuntur pro famulis, occupatis servitio hæretici Domini. 321 & seqq.
Nominatim quando occupantur labore non necessario. 321.
Et quando nequeunt absque notabili damno reperire alium herum. 322.
Quale damnum censeatur hic notabile? 324. & 325.
An, si occupentur labore necessario, teneantur deserere servitium? 328.
Quid censendum de custodibus pecudum? 329.
An excusandus, qui metu indignationis herilis non accedit Missam? 332.
Quid si in contemptum religionis impediatur auditio? 333.
Famulaturus hæretico pacisca tur de facultate audiendi Sacri. 335.
Confessarius negabit absolutionem versanti in periculo perversionis? 337.
Ipse præcisè jussus domini non excusat famulum non audientem Sacrum? 338.
An Domini teneantur dare operam, ut sui audiant Sacrum? 339.
An custodes pecoris debeant mutare vices? 340.
An minuendus somnus ordinarius pro Sacro audiendo? 341.

319 *Petronilla Ancillans heræ Lutheranæ; detinetur ab hac domi tempore divinorum officiorum persæpe, & quidem quandoque ob negotia aliquantum necessaria, quandoque ob non necessaria, quandoque etiam in odium Religionis Catholicæ, ac propterea Petronillæ paranti iam adire templum die festo, ait impia hera:* Mane domi, nihil est cum tua Missa. *vel per sathanicum sarcasmum Germanicum* Was wilst du in der Kirchen messen? Messe daheimb das Gewand: *Quæritur, utrùm Petronilla obligetur nihilominus se conferre ad Ecclesiam? Et quid generatim sentiendum de famulis, qui ob imperium dominarum seu Catholicarum, seu præcipuè Acatholicarum negligunt sæpe res Sacras?*

320 Non est hic casus fictus, sed nimis sæpe factus, ac mihi ipsi propositus. Cujus declarandi causâ transferam complura ex iis, quæ *in Theologia Iuridico-Morali cap. 33. sect. 1. & 2.* tradidi in hanc rem. Nemo me aut plagii condemnabit, si re meâ utar pro lubitu, aut actum agere dicet, si, quæ proposui in libro, repetam in Libello (ita loquebar, quando hoc Alphabetum emittebam seorsim *tertiâ* ante præsentem, editione) magis commodo manibus. Exhibui illic Aphorismos pro famulis, ancillisque addictis famulatui Acatholicorum, exhibeo hìc plerosque illorum, è quibus patescet non modò responsio ad præsentem Casum, sed etiam elucidario eorum, quæ faciunt difficultatem aliquam respectu famulorum, famularúmque, servientium Catholicis cum impedimento Sacri: ideòque hunc Casum voco *Lutherano-Catholicum*. Sit ergo

321 Aphorismus I. Qui famulantur hæreticis, absque periculo quidem desciscendi à fide orthodoxa, attamen cum profanatione non necessaria dierum festorum, tenentur, quàm primùm commodè possunt, discedere à suis heris, & servire potiùs aliis, apud quos erit copia colendi religiosè dies festos. Ita generatim de famulis, quos domini etiam Catholici *illicitè* impediunt ab observatione festorum, docent Sanchez, Laymannus, Tannerus, Berteau locis, quos *cit. cap. 33. num. 98.* refero, quamvis per errorem typothetæ citetur *disputatio. 18.* Suarii *in 3 p. pro 88.* Ratio est, quia præcepta Ecclesiæ obligant ad sui observationem, nisi grave, seu notabile damnum, seu incommodum adferat observatio illorum. Infrà *Casu XX.* & nominatim observat Bonacina *in 3. præcept. Decalog.* seu *disp. 5. de legib. p.3. num. 16* citans alios. Intelligendi tamen sunt autores de casu, quo tales famuli impediuntur frequenter, cùm nequidem apud Catholicos sit reperire multos, qui non quandoque objiciant suis famulis obstaculum.

Aphorismus II. Si illi, de quibus in Apho- 322
rismo præcedenti, nequeunt absque notabili damno reperire dominum, à quo permittantur dies festos colere Catholico ritu, non tenentur nuncium mittere prioribus heris, modò absit periculum Apostasiæ à fide, & contemptus religionis. Ratio est, quia nemo tenetur cum suo notabili damno quærere commoditatem ad observanda præcepta Ecclesiæ, cùm ne quidem teneatur quis ea observare, quando nequit absque suo gravi incommodo, ut tradunt omnes citati DD. cum Fagundez, Azor, & Regin. qui omnes etiam in specie loquuntur de præcepto colendi festum diem.

Vnde inferes, tales non teneri abire à suis 323
heris ante tempus constitutum, ut satis etiam insinuat Navarrus, & Tannerus, quia communiter negaretur eis merces, seu salarium; atqui jactura salarii est respectu famuli, aut famulæ damnum notabile. Bonacina, Fagundez, Reginaldus; imò dilatio sola, teste Palao *Tr. 9. punct. 10. num. 3.*

Aphorismus III. Ille famulus censetur non 324
posse reperire alium herum, sine suo notabili incommodo, qui nequit reperire nisi talem, à quo recipiat solùm dimidium illius, quod ab hero Acatholico accipiebat. Etenim tam parva salaria solent iam cæteroquin præstari præstantibus famularem operam, ut, si dimidio minuatur, cogendi sint incedere quasi seminudi; atqui ita incedere est notabile incommodum.

Quòd si tamen Lutherano hera non pen- 325
dat, nisi septem (ut solent) florenos Rhenanos, & offeratur Catholica, quæ solùm sex offerat, haud puto, illud decrementum debere, spectatis omnibus circumstantiis, haberi pro damno notabili. Licèt enim septima pars alicujus totius censeatur aliquando notabilis, ut patet, vel in septem Horis Canonicis, quarum si vel una sine omni rationabili causa omit-

mittatur, contrahitur noxa lethalis. Infrà *Cas. XXIII. num. 608.* Quia tamen ex una parte uequit tradi generalis Regula, ex qua prudenter determinetur, quota pars alicujus totius sit & non sit habenda pro notabili. Suarez *de Orat. Lib. 4. cap. 25.* sed magnum, & parvum non omninò *absolutè* sed *cum comparatione* ad suum totum æstimandum est, ut intelligatur, utrùm hìc & nunc sit habendum pro notabili, vel non notabili. Lay-
326 man. *Lib. 1. Tract. 3. cap. 5. num. 10.* Ex altera autem parte circumstantia cessationis à labore, qua apud Acatholicos longè crebriùs per annum, quàm apud Acatholicos fruuntur operæ domesticæ, est pretio æstimabilis, & crebrò septima pars unius totius non censetur esse notabilis, ut si quis ex septem decadibus Rosarii voto promissis, aut etiam senis omitteret unam. Layman. *cit. num. 10.* ideo videtur mihi illud decrementum, seu detrimentum, de quo fui locutus, non accensendum notabili. Si verò nonnisi quinque florenos acquirere posset apud Catholicos, tum aliud pronuntiarent probabiliter Navarrus, & Azor; siquidem ille *de Orat. cap. 19. num. 43.* iste verò *Part. 1. Lib. 10. cap. 10. q 3.* generatim dicunt partem tertiam alicujus totius esse computandam inter notabiles.

327 Aphorismus IV. Sed & illa Ancilla est excusanda, quæ nacta Lutheranam admodum mitis ingenii, pergit in ejus obsequiis, eò quòd non occurrat nisi una Catholica, quæ quasi perpetuò est in acidissimo fermento. Etenim quotidianæ rixæ, aut maledictiones non sine metu & quandoque sensu verberum, haberi possunt pro incommodo gravi, cùm etiam adferant periculum gravis impatientiæ, reciprocæ maledictionis.

328 Aphorismus V. Famulantes Lutheranis, Calvinianis, Zvvinglianis, à quibus communiter quidem impediuntur, quò minùs festis diebus audiant rem divinam, impediuntur tamen justis de causis, quia scilicet occupantur ministerio juxta communem sensum necessario, non tenentur ex hoc præcisè capite mutare herum. Ita singulariter tradunt Suarez *T. 3. in 3. p. disp. 88. sect. 6.* ac Laymann. *Lib. 4. Tract. 7. cap. 4.* abstrahentes ab hæresi Dominorum. Ratio à posteriori est, quia, si ille herus esset Catholicus, nemo diceret ejus, famulum teneri recedere ab eo, ob illam solam circumstantiam. Ratio autem à priori est, quia nemo tenetur conditionem ex se *licitam* deserere eo fine, ut possit satisfacere ejusmodi præcepto, cùm nemo obligetur vitæ statum ex se *licitum* mutare eo fine, ut possit satisfacere ejusmodi legi Ecclesiæ, esto sit periculosus valde. Tanner *Tom. 4. disp. 6. quæst. 9. numero 107.* est autem de se *licita* talis conditio, seu tale servitium, cùm labor sit, ut supponitur, necessarius.

329 Hinc custodes pecudum, qui toto Anno, extra hiemem vix ulli Sacro interesse queunt, possunt permanere in servitio hæretici lanionis, ejúsque oves, boves, &c. custodire; nec tenentur genus sui servitii mutare in aliud, non impeditivum Sacri audiendi, sicut nec miles stationarius adigitur militiam mutare aliâ conditione, suppeditatúrâ ipsi facultatem frequentandæ liturgiæ, esto hæc sit æquè commoda ipsi, ac militia. Idem dic de nautis, idem de tabellariis, atque ordinariis cursoribus, seu postilionibus, quorum iter incidit ferè semper in diem Dominicum, aut aliàs festum, quo nequeunt colere Deum ritu Catholico, vel ob necessariam properationem. vel quia solent eo die versari in locis hetèrodoxis, ut e. g. tabellarius, qui Lucernâ Constantiam venit quot hebdomadis.

Nec obest, quòd famuli, qui apud hæreti- 330
cos dominos etiam justa ex causa vescuntur carnibus diebus vetitis, teneantur, quærere heros Catholicos, apud quos possint observare carniprivium, ut post Tannerum doceo *cit. cap. 33. num. 110.* Nam loquor illic de ea rationabili causa, quæ provenit *indirectè* ab hæresi, dum scilicet famulus caret omni cibo, idcirco, quòd herus Lutheranus non apponit nisi carnes; atqui labor, quo de loquimur, nec *indirectè* quidem provenit ex hæresi magistri, seu heri, sed aliunde. Adde, quòd lex ecclesiastica de abstinentia à carnibus, semper sit habita pro gravissima, ut constat ex *can. 68.* Apostolorum, & ex Conc. Tolet. *8. cap. 9.* & Synodo Trullana *cap. 56.* & proinde facilè defendi queat, aliquantò majorem causam, & necessitatem requiri ad excusandum famulum servientem cum transgressione legis de carniprivio quàm de Sacro, ut *ibid.* pluribus declaro.

Aphorismus VI. Qui verò ex occasione 331
quam dat famulatus, sæpe absque justa causa negligunt Sacrum die festo, edunt carnes diebus vetitis, obligantur haud dubiè illum famulatum deserere, licèt majus damnum timeant, quàm sit id, cujus prætextus, aut periculum præcisè sufficit, & requiritur ad excusandum à peccato illum, de quo primùm fum locutus. Ratio est, quia longè majore obligatione tenemur vitare occasiones proximas peccatorum *formaliter*, quàm solùm *materialiter* mortalium, & tunc vel maximè, quando aliquid fit in contemptum Religionis.

Aphorismus VII. Licèt famuli tales excu- 332
sandi sint, qui idcirco Sacrum non accedunt, quòd vel verbera, vel injurias à suis heris timere deberent. Toletus *Lib. 6. Summæ cap. 6.* vel dominum infestum haberent, ut loquitur Palaus *l. c.* vel domo pellerentur, & non facilè reperirent alium herum. Reginald. *Lib. 19. n. 50.* ac Palaus; attamen excusandi non sunt si solùm aliquam levem rixam timeant. Suarez *cit. sect. 6.* aut si ob religionis contemptum juberent

berent domini Sacrum negligi, ut loquuntur. Navarr. *in Manual. c. 13. n. 7.* & Azor *part. 1 lib. 7. cap. 7. quæst. 1.* seu si fieret, cederétve in contemptum religionis. Suarez, & Reginald. *loc. cit.* Certi quippe juris est, delinqui mortaliter ab eo, qui paret imperanti aliquid in contemptum Religionis. Azor *loc. cit.* ex com-
333 muni. Censetur autem aliquid mandari, vel prohiberi in contemptum religionis, quando mandatur, vel prohibetur eo fine, ut præceptum Ecclesiæ tanquam superstitiosum violetur, vel utrisus ex violatione capiatur, vel quia, qui mandat, aut vetat, vult videri esse obediendum potiùs sibi, quàm Ecclesiæ, vel quia, in similibus obediendo fit, ut Catholica religio incipiat parvi fieri, utpote cujus cultores tam facilè negligant ipsius scita.

334 Vnde infero I. Petronillam, de qua noster Casus, non potuisse bonâ conscientiâ intermittere Sacrum, si nulla alia causa accessit præter eam, quam indicant verba pessimæ heræ; exprimunt enim avernale odium, & contemptum veræ religionis; éstque hæc illatio vera, etsi Petronilla idcirco incurrisset extrema mala, vidissétque certam ob oculos propositammortem, inquit Navarr. *cit. num. 7.* cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere. text *cap. Sacris. De his, quæ vi.*

At illum contemptum jungit Lutherana hera injunctioni laboris necessarii. Resp. Ergo *licitè* parebit Petronilla, quia utile per inutile non debet vitiari.

335 Aphorismus VIII. Saluberrimum consilium est, ut priusquam famuli, aut ancillæ addicant suam operam homini hæretico, expressè addant conditionem tum de Sacro, tum post meridiem de concione (ubi habetur) audiendis; impetrabunt non adeò gravatè; sciunt quippe Schaffhusiani, Sanctgallenses, Lindavienses, Ravensburgenses, Biberacenses, Vlmenses Memmingani, Augustani, ac præsertim, Ratisbonenses, se non posse carere famulari operâ Catholicorum utriusque sexûs; sum ipse expertus plurimùm hoc valuisse, atque certò comperi, hoc ipsum factitari Kauffenburæ urbe Imperiali, cum optato piis mentibus succesu. Atque utinam quilibet magistra-
336 tus sæcularis sub gravi mulcta inhibeat suis subditis, ne liberos dimittant ad servitia acatholicorum, aut si dimittant, non nisi expressâ illa conditione: habebunt planè hujus paterni mandati antesignanum ipsum Sereniss. Ferdinandum Mariam, Electorem Bavariæ. Vrgeant hoc monitum Domini parochi in concionibus, & catechismis, non semper loquentur litteri.

337 Aphorismus IX. Confessarius animadvertens, suum pœnitentem esse, ob commorationem cum sectariis, in proximo periculo labendi in hæresin, negabit ipsi absolutionem, nisi promittat, se intra unum, duos, aut tres menses vasa collecturum, etiam cum periculo amittendi salarii; etenim experientia docet, ex centum, qui impiè defecerunt, vel ad lurconem Lutherum, vel ad stigmaticum Calvinum, vix unum reperiri, qui ad mentem redeat. Permisionem trium mensium sentio esse nimiam pro graviter tentatis, tolerabilem pro leviter.

Aphorismus X. Quod Azor. *cit. cap. 7. q. 1.* 338
satis innuit, non displicere sibi nonnullorum opinionem, censentium, famulos habere justam peccati excusationem, si jussu domini obeant die festo laborem non necessarium licèt nullum ex sua inobedientia detrimentum timeant, nisi duriusculam reprehensionem, vel rixam, probandum non est; tum quia repugnat communi sensui authorum relatorum in hoc Casu, & in terminis Suarezio, *cit. sect. 6.* tum quia non est credibile, quòd Ecclesia eximat obligatione audiendi Sacrum omnes generatim famulos, quos domini jubent obire laborem incompossibilem cum auditione, ut vult Azor, præceptum quippe Ecclesiæ, ut declarat consuetudo, optima legum interpres, obligat extra casum notabilis incommodi.

His subjungo tres quæstiunculas, earúmque resolutionem.

I. *An domini seu heri teneantur in conscien-* 339
tia dare operam, ut sui famuli intersint rei divinæ? Resp. I. Peccant ii graviter, si hoc impediant absque causa secundùm *morales* circumstantias justa. Suarez *cit. sect. 6. vers. Quinquam caput.* Scortia *de Sacrificio Missæ Lib. 7. cap. 20. num. 8.* & habetur satis clarè *in can. An putatis. dist. 86.* ex S. Ambrosio. Resp. 2. peccare quoque graviter, si non dent operam, ut interfint rei divinæ. Idem Scortia *num. 7.* post S. Antoninum, Navarrum, Suarium, & alios; nam & 1. *Corinth. 5.* dicitur: *Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior,* & S. Augustinus relatus *c. Duo. 23. q. 4.* hanc doctrinam satis indicat.

II. *An, quando sunt duo custodes ordinarii* 340
pecoris teneantur mutatis vicibus accedere solemnia Missarum, posito, quòd possit per tantillum temporis unus abesse sine ullo suo, aut pecoris incommodo?

Respondet *affirmativè* Scortia, *loc. cit. num. 8. §. 6.* post Azorium *Lib. 7. cap. 7. num. 7.* Non displicet hæc responsio, quia tunc non adest justa causa impediens. Vnde tradit Rodriquez *in Summa, c. 123. num. 9.* illos debere inter se *pangere* (id est pacisci) *quòd unus eorum audiat Missam hoc die, & alius alio die.*

III. *An, si Ancilla possit, si citiùs surgat, per-* 341
ficere laborem sine jactura Sacri, teneatur citiùs deserere lectum? Resp. Non tenetur, si tunc oporteret aliquid detrahere de somno ordinario, & secundùm rationem moderato. Suarez *l. proximè cit.* rectè observans, famulos teneri,

vel

vel ante, vel post Sacrum obire laborem impeditivum Sacri, si quidem abhibitâ mediocri diligentiâ, & seclusò alio incommodo, possint vel prævenire, vel differre. Vide dicta *num. 57.*

A PRIVILEGIATIS AN AUDIENDUM SACRUM

CASUS XVI.

Oratorii privati.

SUMMARIUM.

Casus habentis Oratorium privatum, & inbentis in eo fieri plusquam unum Sacrum uno die. 342.
Quid sit Oratorium privatum? 344.
Non licet per se loquendo *bis ibi sacrificare uno die. 345.*
Describitur communis forma Brevium pro Oratoriis privatis? 347.
Fas est in casu necessitatis facere ibi plura Sacra. 349.
Dominus Oratorii non tenetur uti suo Privilegio. 351.
Refutatur Bassæus, asserens esse melius non audire Sacrum, quàm audire in loco profano. 351.
Et negans obligationem audiendi Sacrum in tali loco. 353.
Non est privilegium, posse audire Sacrum in loco profano. 354.
Non comprehensi verbis Bullæ non satisfaciunt legi Ecclesiasticæ, si audiant Sacrum in Oratorio privato. 356.
Quid de Oratoriis Episcoporum, & Regularium? 358.
Clausulæ Brevium pro Oratoriis privatis explicantur. 360. & seqq.

342 *Quinctus vir nobilis, impetravit à Reverendissimo, & Illustrissimo Domino Episcopo Constantiensi, Ordinario suo Bullam, pro Oratorio domestico, extra urbem, habente publicum accessum, deputatoque (quantum scio) pro solo cultu divino, ac licentiam, qua Sacrum ibi fieri posset; verba autem Bullæ controversiam aliquam faciunt, sic enim sonant:* Per quemcunque sacerdotem sæcularem, sive de suorum superiorum licentia Regularem, Sacrum &c. (*utroque, & sacerdotis & Sacri nomine in singulari posito.*) *Dubitatur, an eodem die, in eodem Oratorio, plura Sacra fieri possint? Intellexi, dubitationem istam proposita m fuisse variis clericis sæcularibus, & Regularibus, neminem tamen ausum esse dicere, id licere. Imò Theologiæ professorem aliquem suasisse, ut nova Bulla, quæ rem apertiùs diceret, impetraretur. Quæso, Reverentia vestra perscribere nobis velit, quid hac in re sentiendum, & faciendum; nam sacerdos, quem concernit, multùm urgetur à domesticis, ut faciat ibi Sacrum, quando iam alius fecerat, nec consulti licentiam adhuc fecêre.*

343 Est hoc argumentum, phrasisque epistolæ ad me datæ ex loco celebri, tribus non integris hebdomadis priùs, quàm illam hîc describerem; quæ quidem facit, ut hoc loco respondeam ad sequentes quæstiones. *I. An in Oratorio privato possint, saltem die festo, fieri duo Sacra pro commoditate domesticorum? II. An domestici teneantur interesse tali Sacro, nequeant alteri? III. An dominus, cujus intuitu est facta gratia Oratorii privati, teneatur curare sibi fieri ægrotanti Sacrum? IV. An alii, qui præter domesticos intersunt, satisfaciant præcepto Ecclesiæ de Sacro, quod ex privilegio fit pro ægris in aliquo conclavi?*

344 Suppono autem ex dictis *in Alphab. sacrificantium* suprà *Casu VIII.* ubi ex instituto tracto de Oratoriis privatis, in ordine ad sacrificandum, nomine *Oratorii privati* intelligi locum, in domo privata, deputatum ad solum cultum divinum quidem, attamen pro arbitrio domini reducibilem ad usum, & statum profanum.

345 Dico iam I. Non licet duo Sacra de die curare fieri in oratorio privato. Diana *P. 9. Tr. 1. Res. 5.* P. Thomas Tamburinus. *de Sacrif. L. 1. c. 4. §. 4. num. 19.* adeò ut delinquat lethaliter, sacrificans scienter postalium in tali loco; nam non habet potestatem, ergo est perinde, ac si faceret in quovis loco profano. Tamburinus *ibid.* atqui tunc peccaret mortaliter, etsi tantùm semel id faceret. Ego ex communi in citato libello, seu Alphabeto *num. 239* Si tamen in Brevi, de quo suprà *num. 342.* non ponitur ad voculam: *Missarum*, restrictiva particula: *duntaxat*, ut exprimitur in Brevi jamjam proponendo, tunc possent plura Sacra uno die celebrari eodem in loco, judice Petro Marchantio *in Resolution. Miscellan. Cas. 3. fol. 139.*

346 Porrò, quia præsens responsio, & quæ sequentur, facilius merebuntur fidem, si apposuero exemplar commune Brevium, quibus impertitur facultas Oratorii privati, apponam illud, prout descripsit dictus Tamburinus *cit. §. 4. num. 1.* explicans postmodum ejus singulas clausulas, sicuti plerasque Diana in allegato *Tr. 1.* qui totus est de Oratoriis privatis. Sic ergo habet:

In-

347 *Innocentius, Papa X. Tibi N. diœcesis N. qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis, in privato domûs tuæ solitæ habitationis, Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo & ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci priùs visitando, ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio, duntaxat unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum sæcularem, seu, de superiorum suorum licentia, Regularem, sine tamen quorumcunque parochialium jurium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri Iesu Christi nec non aliis solemnioribus Anni festis diebus exceptis, in tua, & familiæ tuæ, nec non hospitum tuorum Nobilium præsentia celebrare facere, libere & licitè possis, & valeas, indulgemus, non obstantibus &c. Volumus autem, quòd familiares, servitiis tuis non necessarii, præter supra dictos* (ut addit rectè Diana referendus infrà num. 372.) *ibidem Missæ interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur. Datum Romæ &c.*

348 Ex hoc Brevi palàm est, non concedi nisi unam, unicam Missam de die, Et quia verba obscura sunt intelligenda in sensu clariorum, *Arg. Leg. 1. §. Is qui. ff. De exercitator. act.* verbaque Episcoporum, juxta mentem summorum Pontificum, utpote quorum exemplum sequi debent *c. In causis. De sent. & re jud.* idcirco verba, quæ in exemplari literarum suprà descriptarum usurpauit Ordinarius, veniunt intelligenda juxta sensum expressum verbis Innocentii.

Vnde inferes, fore noxæ lethalis reum illum Nobilem, si petat, ut bis litetur in sua domo; peccat enim mortaliter, qui alterum incitat ad faciendum id, quod nequit sine mortali. S. Thom. *2. 2. q. 43. a. 4.*

349 Quia tamen in *citato Cas. VIII.* ex communi docui, posse extra summam, imò extra magnam necessitatem, quandoque immolari in loco profano; ideo posset etiam occurrere causa, ob quam *licitè* celebraretur bis in illo Oratorio, nam clausula de *una Missa*, non excludit casus jure communi concessos; quod enim ob gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum *Regul 61. in 6.* Imò Quintana dvenn. *sing. Tr. 7. sing. 32. n. 6* ait, fieri posse secundum Sacrum, quando dominus non adfuit primo; fieri quoque posse tria, vel quatuor funebria, quando in illa domo est quis mortuus, ac moris est, ut corpore præsente fiant plura, possèque ab Ordinario dari facultatem, ut in eodem Oratorio erigantur tunc plura Altaria portatilia, pro pluribus Missis funebribus.

350 Dico II. Dominus, qui habet Oratorium, non tenetur rogare, aut ullo stipendio conducere sacerdotem, qui faciat Sacrum sibi non valenti adire Ecclesiam. Suarez *disp. 88. sect. 3.* atque aliis plerique contra Nugnum *q 83. ar. 6.* sub finem; est enim verum, & propriè dictum privilegium, posse salvâ conscientiâ inducere sacerdotem ad talem actionem in eo loco, sicuti clarum est, tum ex verbis ipsius Brevis, in quo fit tam *expressa* restrictio ad dies, & personas, tum ex eo, quòd celebrare in loco non Sacro, repugnet multis Canonibus. Atqui nemo tenetur uti suo propriè dicto privilegio *c. Statuimus, &c. Ad Apostolicam. De regul. Leg. Si quis in conscribendo. C. de Episc. & Cler.*

351 Addit Bassæus *Tom. 2. verb. Missa 3. n. 8.* esse longè melius, penitus omittere Missam, quàm audire frequenter in loco profano; quod ego non credo, casu, quo legitimè permittitur ea auditio; nam spectato jure *divino*, non est bonum opus, non audire Sacrum in loco profano, cùm lex *divina* non prohibeat celebrationem in tali; at spectato jure *divino*, est præstantissimum Religionis opus, interesse piè rei Sacræ etiam in loco non Sacro, ergo quando tollitur omnis indecentia *accidentalis*, inducta per legem *humanam*, est laudabile, & honestum adesse rei Sacræ, quia tunc reditur ad terminos meri juris *divini*.

352 *At offert se ultro sacerdos pro Sacro faciendo?* Respondent Villalobos, Sanchez, Tannerus, alii apud Dianam *Part. 2. Tr. 11. resol. 2.* cum Dicastillo *cit. disp. 5. num. 162.* rectè contra Bassæum *loc. cit.* Dianam ipsum *Part. 4. Tract. 4. resol. 80.* Trullenck, & Ledesmam, itémque alios, ab eodem fusè relatos. *Part. 9. Tra. 1. resol. 19.* obligari te ad utendum hoc beneficio, eò quòd obligatus ad finem obligetur quoque ad media ordinaria; etsi autem non est ordinarium medium inducere precibus, aut pretio mystam, ut tibi legat Sacrum, quo possis satisfacere Legi, est tamen ordinarium medium, uti operâ sacrificantis ultro oblatâ.

353 Sanè qui vecti in Indiam habent sacerdotes, tempore malaciæ in navi sacrificantes, ex privilegio Pauli V. de quo *in Alphab. sacrific. Cas. VIII.* peccant mortaliter, si nolint attendere, dum unus illorum sacerdotum immolat Agnum immaculatum. Et hæc instantia, quam puto à nemine negatum iri, quámque in terminis tradit Dicastillo *num. 169.* loquens etiam de navi proxima illi, in qua ipsi vehuntur, mihi singulariter persuadet responsionem iam datam.

354 Nec objicias, neminem teneri uti privilegio. Etenim nullo modo concedo, esse privilegium, audire Sacrum in loco profano, cùm nulla prorsus lex id vetet, esto sit privilegium, rogare *licitè* aliquem, ut mihi volenti audire Sacrum in tali loco, faciat in tali. Sicuti etiam D. Reding *cit. q. 9. a. 4. Controvers. 5. n. 8.* post Fagundez & Lugonem contra Dianam, atque alios rectè docet, & tempore Interdicti obli-

obligari intereſſe rei Divinæ, ſi tibi id liceat per aliquod privilegium, quia præceptum Eccleſiæ obligat, quando poteſt facillimè adimpleri. Ob quod fundamentum approbat idem Doctor *num. 11.* doctrinam relatam à nobis ſuprà *num. 350.* Interim tamen *num. 13.* poſt Lugonem defendens contra Suarez ac Bonacinam, ſi nequeas die feſto ſacerdotem habere pro Sacro faciendo, niſi pretio conductum, teneri te pendere ſalarium; ſed reor, eſſe paucos, qui capiunt hoc verbum.

355 Ex his patet clara reſolutio quæſtionis *ſecundæ & tertiæ*, propoſitæ ſuperiùs, quòd ſcilicet domeſtici teneantur quidem intereſſe Sacro, ſi eorum dominus curet aliquod fieri, & ipſi nequeant aliud accedere, at verò ipſe non obligetur id curare, neque pro ſe, neque pro domeſticis. Hanc doctrinam applica caſui, quo æger habet facultatem curandi ſibi ſacrificari in aliquo communi conclavi.

356 Dico III. Revera non ſatisfaciunt legi *Eccleſiaſticæ*, de Sacro audiendo feſtis diebus, illi homines, qui non comprehenſi verbis Bullæ, concedentis Oratorium, audiunt illic Sacrum. Ita iam docui *in Alphab. ſacrific. cit Caſu VIII. num. 145.* docétque etiam Baſſæus *loc. cit.* primùm poſtea à me viſus. Ratio eſt, quia ſtandum eſt claris verbis legis, & diſpoſitionis, quando ea nihil abſurdi continent. DD. *ex Leg. 1. §. Is qui, ff. De exercit. act.* Atqui ex una parte verba iſta: *Volumus, quòd non neceſſarii minimè liberi cenſeantur*, ſunt clariſſima; ex altera autem parte non continent ullum abſurdum; etſi enim ſciat Pontifex, eſſe uſu doctorum, indoctorúmque propè abrogatas Leges de Sacro neceſſariò audiendo in propria parochia, non tamen committet ipſe ullum abſurdum, ſi dicat: *Nemo quidem tenetur frequentare rem divinam in propria parochia, ſed ſatisfacit, ſi frequentet in qualibet alia Eccleſia, non volumus tamen, ut quiſquam cenſeatur ſatisfeciſſe, qui adfuerit in Oratorio privato, aut in domo, in qua propter ægrotum fit Sacrum.* Conſuetudo contraria juri communi, eſt reſtringenda, utpote odioſa; eſt autem juri communi contraria hæc. Quia ergo nondum invaluit in ordine ad Oratoria privata, meritiſſimè reſtringitur, cum excluſione horum. Atque ita habere ſtylum Curiæ Romanæ, teſtatur Diana, *Part. 9. Tract. 1. Reſol. 3.* Dixi tamen *ibid.* contrarium eſſe (ſaltem *extrinſecè*) probabile, ab authoritatem Palai, *cit. tr. 22. punct. 16. num. 13.* & aliorum ſentientium contrarium.

357 Ex quo fit, ut idipſum dicendum ſit de ipſiſſmet dominis, & patribus familias, qui illic audiunt Miſſam diebus, quos excipit Breve. Quia tamen licèt mortaliter peccent, curando tunc litari (habent quippe ad id tam parum juris, quàm ſi eſſent deſtituti omni privilegio) non tamen delinquunt ſeu ii, ſeu eorum familiares, & alii, præciſè per hoc, quòd audiant tunc illic Miſſam, modò habeant intentionem aliam audiendi alibi, quia Breve non prohibet auditionem, ſed procurationem, & intentionem ſatisfaciendi per talem auditionem.

Non tamen eſt eadem, quoad hoc ratio Oratoriorum, quæ Epiſcopi habent in ſuis palatiis, aut Religioſi in ſuis ædibus, vel Grangiis, ſecundùm ea, quæ fuſè de his diſſero *in cit. Caſu VIII. Alphab. Sacrific.* etenim nulla Bulla, nullum Breve loquitur de his, ſicuti de Oratoriis laicorum, aut clericorum ſæcularium, unde rectè monet Baſſæus *loc. cit.* non eſſe hîc movendum ſcrupulum. 358

Dices: *Faceres rem gratam tuis Lectoribus, ſi Brevissimè explicares omnes clauſulas deſcripti ſuperiùs Brevis, quia pauciſſimi intelligunt illas, & tamen viſuntur multa ejuſmodi Oratoria; ſicut e.g. hîc Conſtantiæ in ædibus Canonicalibus.* Fac igitur. 359

Faciam, ſed non ſolùm ſuccinctiſſimè, verùm quandoque duntaxat remiſſivè, remittendo ſcilicet *ad Alphab. ſacrif.* ubi *loc. cit.* nonnullas explano, citando quoque Tamburinum, ediſſerentem omnes ſatis copioſè. Sit itaque §. 360

I. *Diœceſis Panormitanæ.* Si tamen mutes domicilium, vel intra Panormitanum Diœceſin, vel ad aliam, frueris tuo privilegio, utpote *perſonali*, dummodo Epiſcopus viſitet, approbétque novum Oratorium, quod erexiſti poſt illam mutationem. Tambur. *cit. §. 4. num. 2. & 7.* Quintanadvenn.. *cit. ſing. 32.* & ſic etiam intelligis clauſulam illam: *ſolitæ habitationis.* 361

II. *Qui, ut aſſeris, de nobili genere, &c.* De hac nobilitate lege *cit. Alphab. num. 149. edit. 1.* 362

III. *Ad hoc decenter muro, &c.* Sufficit, ſaltem ex uſu, cujus teſtis eſt Tamburinus §. 8. ſi tribus muris cingatur, ſcilicet à fronte, & utroque latere; at verò locus, qua patet ingreſſus in Oratorium, poteſt, vel conſtare aſſeribus, vel longo tapete oppanſo dividi à contiguo, ſeu continuo conclavi, ſeu ambulacro. 363

IV. *Ab uſibus domeſticis.* Excipe neceſſitatem, quæ etiam permittit, ut *licitè* dormiatur, edatur &c. in ipſa quoque Eccleſia conſecrata, & potiore jure in Oratorio; non permittit tamen ſumma, ſed tantùm mediocris reverentia, ut lectus proſomno ſternatur ſupra fornicem Oratorii in recta linea ad ipſum altare. Tamburinus *numero 9.* rectè ſubdens, poſſe pro libitu domini rurſum ad uſus profanos reduci Oratorium. Si tamen, poſtquam reduxit, velit iterum eo uti tanquam Oratorio, eſſe rurſum viſitandum ab Epiſcopo. 364

V. *Ordinarii*, adeóque etiam Vicarii Generales, aut Capituli ſede vacante, per ſe, vel delegatum, nil aliud faciendo, quàm viſitando, ſeu videndo, ut locus ſit decens. Tamburinus *numero 11. & ſeqq.* & Quintanadveñas *ſingul. 34.* & ſit ſine janua patente foras, ut ex Diana obſervo *in citat. Alphabetum Sacrificantium Caſu V.* Quamvis Epiſcopus poſſit permittere, ut ſi Oratorium habeat ingreſſum publicum, ſeu omnibus patentem, celebretur nihilominus in ipſo. Quintanadvennas *ſingul. 33. num. 9.* 365

366 VI. *Licentia ex ejus arbitrio.* Scilicet prudenti, adeóque, quando judicabit, non ſatis decorè illic peragi Sacra, poterit Pontificiam gratiam ſuſpendere, vel extinguere. Tamburinus *numero 14. & ſeqq.* ſicuti enim per ſe extinguetur, mortuo illo, qui nominabatur in Brevi, quia privilegium *perſonale* extinguitur cum perſona *Cap. Privilegium. De Regulis. Jur. in 6.*

367 VII. *Vuam Miſſam.* Ergo non duas. Vide ſuprà *num. 345. & 348.*

368 VIII. *Sine jurium parochialium.* Adeóque non licet illic adminiſtrare Sacramenta, denuntiare feſta, jejunia &c. accipere primitias fructuum, Tamburinus *numero 24. & ſeqq.* cum Diana *Part. 9. Tract. 1. Reſolut. 15.* & Quintanadvennas *ſingul. 33.* Poterit tamen crebrò prudenter præſumi licentia parochi pro adminiſtratione Euchariſtiæ. Regulares ne quidem præſumptâ indigent. Ego *in cit. Alphab. num. 146.*

369 IX. *Nativitatis, Paſchatis, & Penteceſtes.* Intelligendo ſolùm hos ipſos dies, non autem duo feſta ſequentia. Tamburinus *num. 37.* ſicuti nomine ſolemniorum intelliguntur præter hæc tria, feſta Epiphaniæ, Annuntiationis, Aſſumptionis, SS. Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. Tamburinus *ibidem* poſt Gavantum, & Bardi, ex declaratione Congreg. Rituum *17. Novemb.* 1607. Ubi, quia non exprimitur dies Patroni, aut Dedicationis, ideò meritò negat contra Bardi Tamburinus, excipi à gratia Brevis.

370 X. *In tua, & familiæ tuæ, &c.* De hac conſule *Alphabetum citatum*, & adde, poſſe in abſentia domini, ex ejus licentia etiam tacita, familiam conſtituere ſacerdotem, qui illic ſacrificet; nam particula: *Et*, poſita in Brevi, accipitur hîc, ſicuti & aliàs ſæpiſſime, in ſenſu *diſjunctivo*, non in *Copulato.* Palaus *Tract. 25. punct. 6. num. 9.* Diana *Part. 9. Tractatu 1. Reſolution. 2.* Tamburinus *loc. cit. numero 40.* cum aliis, contra alios, non improbabiliter diſſentientes. 371

XI. *Hoſpitum*, etiam unius diei, & qui tantùm ideò ſe ipſos invitant ad prandium, ut habeant jus audiendi illic Sacri. Pellizarius apud Tamburinum *numero 33.* non repugnantem, ſicut nec repugno, ſi ille hoſpes ſit advena, ut rectè contra Pellizarium limitat cum aliis Diana *loco citato Reſolution. 6.* meritò permittente Tamburino, ut Nobilis ille hoſpes ſecum ducat comitatum ſuum ordinarium.

XII. *Volumus autem.* Hæc ultima clauſula videtur manifeſtè reſtringere ſimul & explicare decimam clauſulam; in decima enim fit omnibus domeſticis, & Nobilibus hoſpitibus poteſtas audiendi, & in abſentia domini curandi fieri Miſſam, in Oratorio diebus feſtis, & non feſtis, præter dies expreſſè exceptos; at in hac ultima clauſula indicatur, non omnes illos ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, etſi præſente etiam domino audiant illic Miſſam, ſed ex familiaribus ſolùm illos, qui ſunt neceſſarii ſervitiis domini; cùm ergo filii, & filiæ ſint utique familiaribus annumerandi, videntur hi non ſatisfacere præcepto *Eccleſiaſtico* audiendo Miſſam in Oratorio. Et ita mihi viſum fuit in prima editione *Alphabeti Sacrificantium* quia ſequebar Breve deſcriptum à Tamburino, ſed muto opinionem in altera, tertia, quarta, & hac quinta idcirco, quòd Diana *citata Part. 9. Tractatu 1. Reſolut. 6.* aliter referat (& meo judicio rectiſſimè) hanc ultimam clauſulam, addens poſt verbum: *Neceſſarii* hæc tri: *Præter ſuprà dictos.* Quæ quidem verba tollunt reſtrictionem indicatam formulâ Tamburini: faciunt enim hunc ſenſum: *exceptis aliis, qui explicitè, vel implicitè deſignantur verbis clauſulæ decimæ intellectis, in ſenſu legali*, vel quod in idem reapſe recidit *præter*, id eſt, *ultra ſapèriùs indicatos expreſſè, vel tacitè.* Atque ita explicavi poſt jam inchoatam tertiam reviſionem cuidam ſubtili Theologiæ Doctori, rato, clauſulam additam à Diana, ſeu potiùs in exemplari, quod ſecutus eſt Diana, eſſe fruſtraneam, aut contradictoriam; fruſtranea non eſt, utpote quam ſi tollas, negabis neceſſariò, liberos privilegiati ſatisfacere præcepto *Eccleſiaſtico*, niſi alibi quoque audiant rem divinam: non contradictoria, ut liquet ex explicatione. 372

AN, ET QUANDO PEREGRINI, ATQUE VIATORES TENEANTUR RATIONE LOCI AUDIRE SACRUM.

CASUS. XVII.

Celeberrimi, piissimi.

SUMMARIUM.

Casus Navarri, consentis se obligatum audire Sacrum in loco, per quem transibat die illic festo. 378.
Peregrinus quis dicatur? 375.
Quid si sit in loco in quo celebratur festum commune toti Ecclesiæ? 376.
Quid si illud festum sit commune soli suo oppido, & loco, per quem transit? 377.
Quid si illud peculiare festum non celebretur in suo oppido? 381.
Quid si per 4. aut 5. menses illic habitare quis cogitet? 383.
Quid si festum celebretur in suo oppido, at non in loco peregrinationis? 384. & 385.
Exceptio circa loca hæretica. 386.
Navarrus non tenebatur audire, aut facere Sacrum. 387.
An futurus in loco, in quo non est festum, teneatur domi audire Sacrum? 388.
An licitè *ad talem locum te conferas, ut sis liber à Sacro?* 290.
De Vagis quid sentiendum? 392.

373 REgularium Canonicorum maximum decus, *Martinus Navarrus, cujus omnia scripta summam eruditionem utriusque Juris, & Theologiæ, ac præterea singularem pietatem spirant, de se ipso scribit in omnium, ni fallor, operum defecatissimo, scilicet Manuali, Cap. 13. numero 5. hæc verba: Ego iter faciens non semel putavi, me ad audiendam Missam, vel faciendam obligatum, eò quòd ante meridiem transibam, egrediebar, & ingrediebar aliquem locum, ubi observabatur aliquod festum, quod aliis locis non erat observandum, quamvis crediderim, solum transitum non adeo obligare.* Ita hic Doctor.

374 Theologi, dum in tractatu de Legibus edisserunt illam generalem quæstionem: *An, & quibus legibus, obligentur peregrini*, nullo exemplo utuntur familiarius, quàm exemplo festorum, ac jejuniorum. Nos contenti priore exemplo, loquemur 1. *De festis communibus, jure Ecclesiastico præceptis.* 2. *De festis præceptis jure particulari quidem aliquorum locorum, communi tamen duobus locis, scilicet proprio loco peregrini ipsius, itémque loco, in quo existit ut peregrinus.* 3. *De festis restrictis ad locum, è quo peregrinatur, id est proprii domicilii. De festis translatis quid peculiariter sit sentiendum, dixi Cas. III. Sect. 2.*

375 Suppono autem, nomine Peregrini, vel (ut loquuntur æquè Theologi, ac Jureconsulti,) Forensis, intelligi hîc illum, qui versatur in loco, in quo non obtinet domicilium. Horum peregrinorum alii vocantur *Viatores*, qui scilicet cogitant solùm brevi tempore subsistere in uno loco; alii *quasi incolæ*, qui per majorem Anni partem. His junguntur *Vagi*, qui nusquam habentes domicilium, vagantur incertis sedibus. Sit igitur

376 Regula I. Tam Vagi, quàm alii peregrini, existentes in loco, ubi celebratur festum commune toti Ecclesiæ, tenentur audire Sacrum. Ita omnes. Nam potestas universalis Ecclesiæ extendit se in totum orbem Christianum, inque omnes baptizatos, ubicunque locorum existentes.

377 Excipe 1. Nisi fortè ob diversitatem Calendariorum fiat, ut festum illud universale jam in sua parochia observârit peregrinus, nec enim Ecclesia vult cogere ad bis celebrandum idem festum. Suprà *Casu III. Sed peregrinus non observavit in sua patria.* Resp. Si ob justam causam. e. g. ob morbum, videtur esse mens Pontificis, ut compenset; atque adeò videtur Papa approbare pro hoc casu doctrinam referendam *numero 383.* quòd Forensis teneatur omnibus legibus loci, in quo versatur.

Ita judico satis trepidè, tacentibus aliis.

378 Excipe 2. Festa S. Josephi, Inventionis S. Crucis, S. Annæ, & S. Silvestri. Licèt enim hæc possint dici festa universalis Ecclesiæ, quandoquidem Urbanus VIII. præcepit ea coli festivè, si tamen verseris eo loco, quo non observantur, gaudebis privilegio proponendo *numero 385.*

379 Regula II. Probabiliter delinquit mortaliter forensis, si negligat esse præsens divinis mysteriis aliquo die, qui ut festivus celebratur tam in loco suæ peregrinationis, quàm proprii domicilii; esto fortè nusquam alibi. Sic enim fert longè communior sensus DD. contra alios, non prorsus improbabiliter dissentientes. Sanè rectè dixeris, saltem ob communissimam consuetudinem, utique approbatam à summis Capitibus *Ecclesiasticis*, dubitari non debere de veritate hujus Regulæ, ita ut opposita doctrina parùm habeat probabilitatis intrinsecæ.

380 Nec obest, quòd peregrinus ille videatur ad illud Sacrum non obligari aut per legem suæ patriæ, utpote jam existens extra illam, aut per legem loci, in quo est, utpote quæ eum non liget, cùm sit peregrinus; etenim usus constantissimus omnium proborum, & improborum demonstrat, vigere in hoc puncto consuetudinem, habentem omnes conditiones, quas ad id, ut aliqua obliget in conscientia, exigunt DD. apud & cum Castro Palao *De Leg. Disp. 3. punct. 2.* singulariter §. *3. n. 18.*

381 Regula III. Non delinquit forensis, si absque scandalo negligat Sacrum, die, qui particulariter est festivus in urbe, in qua ipse existit, non tamen festivus in sua diœcesi. Ratio est, quia ad cultum talis festi non obligat illum proprius Episcopus; nam extra territorium jus dicenti non paretur impunè *C. Ut animarum. De Constitut. in 6.* Nec illum obligat alienus Episcopus, cùm non sit ejus subditus.

382 At *festum S. Pelagii celebratur Constantiæ, non verò in vicinis pagis, si ergo è vicino pago veniat in urbem rusticus, mansurus toto mane ibidem, tenebitur æquè ac Constantiensis adesse rei divinæ, quia allata ratio non pugnat contra ipsum, quandoquidem est idem Episcopus Constantiæ, qui vicini pagi.*

Resp. Verum est, allatam rationem non patrocinari huic rustico, quia est ex una parte certum, quòd nemo illum possit obligare, nisi Episcopus, aut ejus Vicarius; nullus quippe parochus habet jurisdictionem fori externi. Laymannus *in QQ. canonicis. De jurisd. concl. 148.* Ex altera autem parte, si interrogarentur Episcopi, dicturi essent, hunc scrupulum expediendum esse à Theologis, Theologi verò probabilissimè negant obligationem in tali casu, idcirco subsistit allata Regula.

383 Amplia eandem Regulam ad casum, quo ille peregrinus non cogitat illic habitare per majorem Anni partem, aut limita ad casum, quo cogitat. Siquidem hanc limitationem persuadet unicè vera sententia generatim asserentium, advenas cogitantes permanere per majorem Anni partem in aliquo loco, incipere statim primo die obnoxios fieri ejus omnibus legibus. At ampliationem allatam persuadent nobilissimi scriptores, qui generatim inficiantur hanc obligationem, & subjectionem respectu non cogitantium persistere illic, nisi per menses non omnino sex, hinc tamen excipiendo casum scandali, itémque leges de contractibus. Consule Thomam Sanch. *Lib. 1. Moral. Cap. 12.* & Joannem Sanchez *in Selectis disput. 54.* qui referunt longè plurimos, gravissimos contra non paucos alios.

384 Regula IV. Nec peccat non audiendo Sacrum die, qui ejus loco est festivus, at non festivus in loco peregrinationis, Sanchez *cit. Cap. 12. num. 26.* Laymann. *Lib. 1. Tract. 4 Theol. Moral. Cap. 11.* ac plerique alii. Nam statuta afficiunt *directè*, & *per se* territorium, ejúsque mores, ita ut maneant huic territorio affixa. Sanchez & Laymannus; ergo non obligant personas, nisi quæ, & quatenus sunt in illo territorio.

385 Amplia Regulam ad festa communia toti Ecclesiæ, at solita non observari in territorio peregrinantis. Sanchez *loc. cit. num. 28.* Laymann. *loc. cit. num. 4.* Suarez *Tom. 2. De Relig. Lib. 2. De Festis Cap. 14. in fin.* Castropalaus *Tr. 3. disp. 1. punct. 24. §. 5. num. 1.* testans, esse communem, & receptam sententiam. Ratio est, quia exemptio à lege communi, est quoddam quasi privilegium locale, quo proinde frui possunt omnes versantes in eo loco. Accedit illud carmen Gloss. *in Cap. Illa. dist. 12. Si fueris Romæ, Romano vivito more.* Quod etsi non continet præceptum (alioquin non staret nostra tertia Regula) proponit tamen aut consilium, aut licentiam.

386 Limita ad loca Catholica; si enim feriâ III. Paschatis e. g. existas Argentorati, Norimbergæ, ad S. Galli, aut Lindavii, vel Ulmæ, aut Memmingæ, in quibus urbibus negligitur illa feria, teneberis in templo aliquo Monasterii, domûs Teutonicæ, &c. iis urbibus incluso, vel vicino interesse rei Sacræ; est enim homine Catholico indignissimum, conformare se ritibus hæreticorum contrariis religioni Orthodoxæ. Tannerus *Tom. 3. disp. 3. quæst 3. num. 112.* testans, neminem à se lectum, qui dissentiat, nec ego legi, at legi multos consentientes Tannero.

387 Ex his infero 1. Martinum Navarrum, de quo noster Casus, laudandum quidem esse ob religionem, at non necessariò imitandum, cùm potuerit ex probabiliore sententia omittere Sacrum, propter fundamentum indicatum superiùs *num. 381.*

388 Infero II. Quando iturus es ad locum, in quo non observatur festum tui territorii, ut e. g. Constantiâ Marisburgum, ubi non colitur festivè S. Pelagius, cùm colatur Constantiæ, referre, utrùm sis extra territorium Constantiense futurus, antequam ultimum Sacrum cele-

bretur Constantiæ, an solùm post illud jam celebratum. Si enim antè, non erit opus interesse Sacro, seu Constantiæ, seu alibi. Si pòst, tum oportebit, vel Constantiæ audire prius Sacrum, vel postea Marilburgi, aut alibi. Utrumque hoc membrum probavi *Casu III.*

389 Nec obest, quòd fortè sis in hoc *secundo* casu futurus tam procul, intra tamen fines tuæ parochiæ Constantiensis, à templo, in quo fit illud ultimum Sacrum, ut nequeas, etsi velis, tempori adesse; etenim ponis ipse ultro hoc impedimentum, ergo non es excusandus. At verò, si tempore illius ultimi Sacri jam sis extra territorium, esto fortè non possis te sistere ultimo Sacro, quantumvis maximè cuperes; non tamen imputaretur tibi ad culpam, quia non posuisti merum impedimentum, sed constituisti te in co statu, in quo lex Constantiensis desinit te obligare, utpote non ampliùs subditum; atqui nemo peccat, qui constituit se ponere in co statu, in quo lex desinat obligare; cùm enim libertas, & inæstimabilis res sit *L. Libertas 106. ff. De Reg. Jur.* & rebus omnibus favorabilior *L. Libertas 164. eod.* non videtur ulli culpæ affinis, qui eam sectatur per media licita. Pluribus stabilio, & declaro hoc fundamentum *in Theolog. Juridico-Morali Cap. 27. num. 63. 84. & 85.*

390 Ergo, inquies, *licebit dedità operà exire urbe eo fine, ut quis sit liber obligatione Sacri.* Resp. Optima consequentia, probabilissimum consequens; quod proinde admittunt Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 12. num. 35.* Bonacina *De Leg. d. 1. q. 1. p. 6 n. 64.* Suarez *Lib. 2. De Festis c. 13.* Palaus *cit. Tract. 3. d. 1. p. 24. §. 5. n. 4.* referens Basilium Pontium; quia non potest dici fraudem facere, qui utitur jure sibi concesso *L. Nullus videtur, ff. De Reg. Jur.*

Et verò rustici ipsi hanc Theologiam ita callent, ut non semel viderim è pagis, in quibus celebrantur festa particularia, ut e.g. SS. Joannis, & Pauli, S. Urbani, &c. profectos in urbem, cum sola intentione illic laborandi, atque aliquod jucellum faciendi.

391 *Sed unicum Sacrum sit in eorum pago, & primùm post illud exeunt.* Ergo peccaverunt, si non interfuerunt illi Sacro, quia tunc urgebat illos præceptum, Palaus *loc. cit. n. 6.*

392 Regula V. Tam multi asserunt, vagos teneri observare omnia planè festa locorum, in quibus existunt; tam multi è diverso negant, eos ad ulla prorsus, nisi ad communia toti Ecclesiæ astringi, támque bonæ rationes militant pro utraque parte, ut, licèt meritò sit iis suadenda praxis conformis *affirmativæ* sententiæ, utpote tutiori, nixáque majori authoritate, damnandi tamen non sint, si se accommodent posteriori, præsertim quando cogitant solùm paucos dies, aut etiam paucul s hebdomadas morari in aliquo loco; rationes, au- 393
thoritatesque suppeditabunt Doctores nominati in toto hoc *Casu XVII.*

AN AB EXCOMMUNICATO AUDIENDUM SACRUM.

CASUS XVIII.

Siculus.

SUMMARIUM.

Casus excommunicati ab homine, frequentantis Sacra, durante appellatione. 394.

Excommunicati etiam tolerati peccant frequentando divina. 396.

Non tamen illi hæretici, qui cum aliquo catholico tractant seriò de conversione. Ibidem.

An teneatur abstinere aditu Ecclesiæ, qui appellavit legitimè à sententia excommunicationis? 399.

Quid si sit planè innocens, at nequeat probare? 400.

Quid agent sacrificans, & assistentes, si adveniat excommunicatus non vitandus? 402.

Quid si vitandus? 403.

Quis dicatur in concreto vitandus? 404. & 405.

Quis dicatur notorius percussor clerici? 406. & 407.

An qui parochum percutit coram duobus, vel tribus? 408.

An excommunicatus teneatur petere absolutionem, eo fine, ut licitè audiat Sacrum? 410.

Teneris tempore interdicti audire Missas, si habeas privilegium. 413.

Tunc non propriè uteris privilegio. 414.

Sebaldum Panormitanum Senatorem, ob quandam contumaciam in exigendis vectigalibus ab Ecclesiasticis, anathemate feriit Archiepiscopus loci. Ab ea sententia provocavit Sebaldus, ac durante appellatione frequentavit, ut antè, rem divinam, adeò ut ipso die Natali Servatoris interfuerit solennissimo Missæ sacrificio, unà cum Prorege ipso, cæterisque Senatoribus. 394

Hunc

395 Hunc ipsum Casum, sed aliis verbis, atque aliâ occasione, cúmque pluribus circumstantiis, refero *in Alphab. Sacrific. Cas. XXIII. num. 802.* ex P. Thoma Tamburino, *Lib. 2. De Sacrif. Cap. 7. § 4.* Subministrat verò occasionem proponendi, ac resolvendi quinque præcipua dubia.

396 Quæritur enim I. *An omni excommunicato sit interdictum adesse rei Sacræ?*

Resp. *Per se loquendo* omni. *Cap. Alma mater. De senten. excom. in 6* omnéque DD. Ut proinde mortaliter delinquat excommunicatus tam toleratus, quàm non toleratus, si intersit notabili parti Sacri, nisi excuset ignorantia, vel aliqua necessitas. Coninck *in 3. Part. disp. 14. dub. 7. num 50.* Non tamen damno peccati illos Lutheranos, Calvinistas &c. qui dum tractant cum aliquo Clerico Sæculari, aut Regulari, de sua conversione, ad quam propendent, ingrediuntur templa nostra, ut observent cæremonias sacras, visuri, an sint tam ridiculæ, quam depingunt eorum buccinatores, aut etiam, ut interim supplicent Deo pro impetrando vero lumine. Unde nec peccat, qui iis suadet, ut id factitent. Quod ideo moneo, quia scio, fuisse aliquando dubitatum.

397 Ratio est, tum quia minimè dubito, quin Domini Episcopi Germaniæ approbent similia facta, tum quia possumus excommunicato *licitè* suadere, quæ faciunt ad ipsius conversionem. Coninck *l. c. n 58.* tum denique, quia est in nostra Germania communissimum, ut juniores opifices, nondum Catholici, intersint concionibus, etiam iis, ante quas, sub quibus, & post quas *immediatè* fiunt Sacra, sub quibus etiam se gerunt in exterioribus, sicuti Catholici, præsertim unâ, duabus, tribus hebdomadis *immediatè* antecedentibus professionem fidei; nec dubito, quin multi etiam prudentes, & docti riderent, aut indignarentur, si quis vellet iis hac in re movere scrupulum. Adde, quòd plerique omnes ignorent, se esse excommunicatos.

398 Quæritur II. *An abstinere aditu templi teneatur is, qui est quidem nominatim excommunicatus, & denuntiatus, attamen injustè suâ opinione, utpote innocens?*

399 Resp. Si appellavit ab illa sententia tamquam injusta, & *nulla*, poterit, stante appellatione, frequentare, aut etiam celebrare rem divinam, ut antè. Navarrus *in Consil. Lib. 5. Consil 6. num. 2.* ubi resolvit, Episcopum, qui declaratus erat excommunicatus, & à declaratione appellaverat, non obligatum fuisse, durante lite, vitare alios: & *ibid. Consil. 9.* resolvens casum de sacerdote excommunicato quidem, sed objiciente se & innocentem, & non citatum, respondet *num. 9.* in fine his verbis: *Cæterùm præfatus D. N. non debet propter ea, quæ fecit, putare se irregularem, neque abstinere necessariò à divinis in foro conscientiæ, neque in foro exteriore, durante lite, super præfatis causis nullitatis, appellationis, & injustitiæ.* Consentit Tamburinus *l. c.* dum æquè excusat illum senatorem, atque Archiepiscopum pergentem sacrificare. Vide Laymannum nostrum loco mox citando *num. 2.* observantem licèt nequeat appellatio suspendere ipsam Excommunicationis sententiam absolutè latam, cùm ea executionem secum trahat, attamen suspendere effectum denuntiationis, ut talis appellans non sit vitandus.

II. Si non appellavit à sententia, per quam 400
secundùm allegata, & probata fuit condemnatus, sed tamen à parte rei injustè, at non possit manifestò, & indubiè demonstrare nullitatem sententiæ, tum sanè tenetur abstinere ab auditione rei divinæ coram aliis ignorantibus ejus innocentiam; etenim tunc locum habet sententia S. Gregorii relata *Cap. 1. 11. quæst. 3. Sententia pastoris, seu justa seu injusta sit, gregi timenda est*; & omnino videtur Ecclesia accepisse à Christo potestatem obligandi talem, humiliter ut se subjiciat tali sententiæ, Vide Laymannum 401
Lib. 1. Tract. 5. punct. 1. cap. 6 num. 3. At verò potest privatim, seu occultè se gerere perinde, ac si non esset anathemate percussus; nam *æterni tribunal judicis illum reum non habet, quem injustè judex condemnat Cap. 1. De sent. & re judic. in 6.* adeóque poterit etiam coram iis, quibus nota est ejus innocentia interesse rei Sacræ, Laymann. *loc. cit.* post Cajetan. Sot. Covarr. Tolerum *Lib. 1. cap. 10.*

Quæritur III. *Quid agere debeant tam sa-* 402
crificans, quam præsentes Sacrificio, quando advenit excommunicatus, volens & ipse esse particeps illius Missæ?

Resp. Vel est excommunicatus *vitandus*, vel est excommunicatus *non vitandus*? Propter *non vitandum*, non est habendus ullus scrupulus; licèt enim pessimè agat dum se immiscet aliis in hac præsertim actione, ut patet ex dictis *num. 396.* attamen alii non tenentur illum vitare; ideo quippe vocatur *non vitandus* seu *toleratus*, quòd alii fideles non obligentur abstinere ejus consortio, aut commercio in rebus seu sacris, seu profanis.

At verò si sit *vitandus*, oportebit facere, quod 403
Coninck *loc. cit. num. 51.* & Laymannus *cit. Tract. 5. Part. 2 cap. 2. num 6.* tradit ex communi sententia, ipsóque jure Canonico; jubebit videlicet sacerdos eum exire templo, incursurum novam excommunicationem, si non pareat; & si commodè fieri queat, expellendus, seu educendus est operâ laicorum, esto sit clericus; aut ipsorum et clericorum, si laici nolint, aut non possint educere. Quòd si educi nequeat, non modò non inchoabitur Sacrum, eo præsente, etsi sit dies solennis, sed etiam à jam cœpto desistetur, si quidem nondum sit perventum ad ipsam consecrationem, vel, ut alii volunt, ad illa verba: *Qui pridie, quàm pateretur.* Si jam illuc perventum, pergatur in Sacro faciendo, non in audiendo; nam audito-

res omnes, præter ministrum, debebunt emigrare è templo, non expectatâ consecratione, non enim debent in re tanta participare cum tam scabiosa ove; sicut & ipse sacerdos unà cum suo ministro se inde proripiet, mox ut sumpserit calicem, si eo sumpto rursum reus monitus nolit excedere; reliqua perficiet in sacristia sacerdos.

404 Porrò ille solus dicitur post Concilium nostrum Constantiense *vitandus*, seu *non toleratus*, qui vel est nominatim excommunicatus, & denuntiatus, vel notorius percussor Clerici. Dicitur nominatim excommunicatus, qui expresso proprio nomine, aut alio signo ejus personam singularem designante, est excommunicatus. Tannerus *Tom. 4. disp. 6. quæst. 10. num. 34.* Quare icèt legens scienter librum hæreticum sit excommunicatissimus, sciásque, esse talem non tamen teneberis cavere societatem etiam intimam, donec Episcopus e. g. declaraverit privatim, illum esse excommunicatum.

405 Imò nec tunc quidem ad id obligaberis, sed primùm, postquam Episcopus, vel alius judex *Ecclesiasticus* declaraverit publicè, illum incurrisse anathema; nam per denuntiationem intelligitur publica declaratio facta vel per schedam publicè affixam, vel ex cathedra, vel illo modo, quo solent res aliæ communitati notificandæ promulgari. Suarez *De censur. Disp. 9.* Filliuc. *Tract. 19. num. 86.* adeóque non sufficit, esse in judicio condemnatum crimine obnoxio excommunicationi; secùs, si Episcopus per se, vel per alium publicè edicat: *Sciant omnes, Cajum esse hæreticum: Cajum legisse scienter & malitiosè librum hæreticum: Cajum esse violatorem immunitatis Ecclesiasticæ: Cajum intulisse sacerdoti manus violentas &c.* Avila *De censur. Part. 2. cap. 6. disp. 2. dub. 3.* quia satis est, si publicè dicatur, eum patrâsse unum è criminibus, cui omnes sciunt esse annexam excommunicationem. Suppono autem, hunc non appellâsse à sententia; si quippe appellâvit, non debet, durante appellatione vitari, ut patet ex suprà dictis, ac docet Laymannus *Lib. 1. Tract. 5. cap. 4. num. 1.* & Tamburinus *loc. cit.* post Navarrum, ac manifestè deducitur ex toto titulo *Ut lite pend. nihil innovetur.*

406 Jam ad notorium percussorem Clerici quod attinet, ille omnis, & solus est notorius percussor Clerici, qui vel in loco publico, exposito oculis omnium, vel in privato quidem, sed coram majore parte domesticorum, notabilem numerum conficientem, per culpam mortaliter malam, verbera, aut violentiam aliquam intulit Clerico, vel Monacho, sciens esse talem, atque ita sciens se malè agere, *ut ejus factum nullâ tergiversatione* (probabili) *celari, & nullo juris suffragio excusari possit*, ut loquitur Leo X. in constitutione, *Ad evitanda in Concil. Lateran.* purgativè.

407 Ut proinde Laymannus *cit. Part. 2. c. 4. n. 1.* meritò sic scribat: Tunc solùm clerici percussorem evitare debeo, quando *morali* certitudine mihi constat, seu per proprium visum, seu per confessionem rei, seu per plurium testimonium, seu per publicam, & constantem famam, quòd percussio *notoriè* (adeóque non solùm coram tribus, aut quatuor personis) facta sit, ut nullâ tergiversatione probabili à peccato mortali, & annexa censura Canonis excusari queat. Ita Layman. meritò præmittens, ad necessitatem evitationis, non sufficere notorietatem *juris*, nisi hanc sequatur denuntiatio.

Unde infero, quando rusticus, vel Capellanus insigit injustè colaphum alicui sacerdoti 408
in hospitio, vel in domo privata coram duobus, vel tribus aliis viris, aut fœminis sobriis, licèt utique sit innodatus vinculo excommunicationis, attamen eos, qui interfuerunt, non obligari vitare illum percussorem, etiamsi fortè publicè innotescat illa fama; nec debet parochus interrumpere, multò minùs omittere Sacrum propter ejus præsentiam, cùm neque debeat ipsi interdicere aditu Ecclesiæ, nisi fortè impenderet inde grave malum. 409

Quæritur IV. *Vtrùm excommunicatus teneatur ideo petere absolutionem, ut possit bonâ conscientiâ frequentare rem divinam?* 410

Resp. Sicut *in Theologia Juridico-Morali*, seu *Quinarii Tract. 5. cap. 27. n. 111.* ferè ob solam authoritatem communem DD. id negavi, ita etiam nunc nego cum Dicastillo *cit. Disp. 5. De Sacrif. Miss. dub. 10. §. 2.* fusè contra alios, ac nominatim Azorium *Part. 1. lib. 7. cap. 2. q. 2.* Præter authoritatem attuli illic rationem, cujus nec dum pœniteт; tu vide illam; *num. 112.* & *113.* Certè carcere detentus non peccat, si non petat ideo liberari citiùs, ut citiùs possit vacare divinis. Si tamen adesset excommunicato Prælatus, paratus eum absolvere, si vellet, tum sanè non excularetur coram divino tribunali, negligens hanc gratiam.

Porrò ex illa communi doctrina inferes, ex- 411
communicatum non teneri confiteri, quoties non audierit Sacrum. Subinferes, nec opus esse quærere ex acatholico, faciente primam Confessionem, quoties neglexerit Sacrum etiam existens inter Catholicos, illum quippe non obligabat in eo statu Ecclesia, utpote saltem *præsumptivè* hæreticum, ideóque excommunicatum, licèt eum obligârit ad jejunia, si adfuit competens ætas, potentia, & alia.

Quæritur V. *An, quando habitas in urbe subjecta Interdicto, dat tibi tamen Papa privilegium audiendi rem divinam, tenearis uti hoc privilegio?* 412

Resp. *Affirmativè* ex communi Soti *in 4. d. 13. q. 2. art. 1.* Navarr. *in Manual. c. 21. n. 3.* Suarii *Disp. 88. Sect. 6.* & aliorum contra alios, cum & apud Dianam *P. 11. Tr. 11. Resol. 2.* Etenim

nim te prorsus habes, sicuti is, cui detento in vinculis, & carcere solvuntur compedes; siquidem interdictum se planè habet sicut vinculum; atqui talis incarceratus non vacat gravi culpâ, si se non conferat ad locum vicinissimum, in quo mysticè occiditur noster Agnus Paschalis.

413 Rursum, qui dat privilegium tale, facit perinde ac si dicat: *Non prohibeo tibi, quò minùs audias Sacrum tempore Interdicti.* Atqui hoc ipso, quòd tibi non prohibeatur, teneris audire, quandoquidem, si non audias, non poteris te excusare, nisi dicendo, fuisse tibi prohibitum; hæc autem excusatio erit calva.

414 Nec hoc est duntaxat uti privilegio, ad quod nemo tenetur, quia non est aliquid agere contra jus commune, nam jus commune non vetat, ne non interdictus, imò imperat, ut non interdictus audiat Sacrum die festo, sicuti & ille, qui est absolutus vinculo excommunicationis. Vide Dicastillum *Tract. 5. disp. 5 de Sacrif Miss. num 154. & seqq.* bene tractantem hoc argumentum.

VTRVM AVDITVRVS SACRVM DEBEAT ESSE JEIVNVS.

CASVS XIX.

Propheticus.

SUMMARIUM.

S. Walericus reprehendit audientes Missam post sumptum haustum vini. 415.

Quatenus peccet edens, aut bibens, ante Sacrum. 417. & seqq.

An, qui nequit perdurare in Sacro, nisi quid prius sumat, teneatur sumere? 421

Videtur viguisse tempore S. Walerici consuetudinem, vetantem sumptionem cibi, & potûs ante Missam. 423.

An potans die Sabbati intemperanter peccet contra legem de Sacro, si prævideat, quòd intemperantia sit allatura impedimentum Sacri Dominicalis? 424.

Regula cognoscendi, an hæc, aut illa lex obliget ad non ponendum pridie impedimentum legis obligatoriæ postridie. 425.

415 THeodorico Rege Burgundionum, Walericus Abbas ruri natus; oviúmque aliquando custos; in eam sanctitatem provectus est, ut dono quoque Prophetico excellens, quæ ab aliis clam gesta erant, cognosceret. Contigit enim, duos germanos fratres ad illum venire feriis B. Pontificis Martini, quos ille objurgans dixit: Miror, qua temeritate ausi fueritis ante Missarum solennia bibere. *At illi suam fatentes culpam, veniam petebant, & emendationem pollicebantur. Alium quendam Dominico die ad ipsum venientem his, verbis compellavit:* Non te decebat, fili, facere, quod fecisti; cùm enim intra tuas ædes vestibus te indueres, aspexisti conjugem tuam, & illa non ignorans, quid velles, heminam plenam porrexit tibi, & ante Missam potare non erubuisti. *Agnovit homo culpam, & se id feciſſe doluit.*

Fidem huic narrationi culæ utriq; faciet Lau- 416
rentius Surius, *Tom. 2. Vit. SS. ad 1. April. in vita S.* Walerici Abbatis, testans se mutuatum ex fideli scriptore, propè æquali hujus Sancti Abbatis. Licèt verò nemo prudenter possit dubitare de ipso facto, sine tamen injuria vel historici, vel ipsiusmet Sancti dubitabit, vel quæret Theologus Moralis, utrùm aliqua lex *divina*, vel *humana* prohibeat, ne quis cibum, aut potum sumat festis, aut dominicis diebus, antequam accesserit ad immolationem hostiæ puræ, hostiæ sanctæ, immaculatæ? Videntur id existimâsse tum ipse S. Walericus, utpote qui prius factum non sine objurgatione damnavit de temeritate: posterius judicavit dignum rubore; tum ipsimet bibones; dicuntur enim omnes tres agnovisse culpam suam, & postremus quidem *cum dolore.*

Resp. I. Qui absque vera necessitate tàm 417
multum bibit, aut edit ante Sacrum, ut prævideat, se idcirco fore ineptum ad præstandam in Sacro illo præsentiam *moralem*, attentionémque interiorem, & exteriorem, de qua disseruimus *in Casu I. & VIII.* peccat contra ipsammet legem *Ecclesiasticam* de Sacro audiendo, vel mortaliter, vel venialiter; mortaliter, si nequeat ullo modo attendere ad Sacrum; venialiter, si possit quidem attendere, sed admodum imperfectè. Ratio est, quia si illo præcepto prohibentur actiones exteriores sub mortali, vel veniali, quatenus integre, vel non integre impediunt attentionem interiorem, sicuti vidimus *cit. Cas. VIII.* tum sanè eodem præcepto inhibetur illa sumptio cibi, & potûs; nam quæ conveniunt in identitate rationis, conveniunt quoque in identitate juris. *Argum. leg. Illud. ff. Ad Leg. Aquil.* 418
Equidem qui summo mane sopit vino rationem, prævidens, se non nisi ebrium interfuturum Sacro, delinquit duplici peccato mortali, quia nimirum nefas est, illo ipso die, quo urget, instátque, & aderit obligatio *actualis* exercendi actum lege *humana* præceptum, ponere impedimentum absque rationabili causa; ut authoritate, & ratione probo in

Theol. Iuridico-Morali cap. 27. sect. 6. num. 98. Ergo, & ille venialiter peccat, qui ipso die Dominico ponit per potum, vel esum aliquod impedimentum attentionis præceptæ sub veniali.

419 Resp. II. Si sumptio cibi, vel potûs non turbet ullo modo attentionem, modestiámque requisitam in opere illo Sacrosancto, de quo hîc disserimus, tum non est *per se loquendo* affinis ulli culpæ, quia admisit illum cibum, & potum. Ratio est, quia *ubi non est lex, ibi nec prævaricatio. Rom. 4.* consequenter nec culpa; atqui non extat jam ulla lex scripta, vel non scripta de hac re.

420 Vnde in *cit. Lib. cap. 23. sect. 2. num. 78.* negavi, *per se loquendo* peccari etiam edendo multum ante Sacrum, nisi quando ita multum editur, ut mentis elevatio ad Deum impediatur, juxta vulgarem paræmiam: *plenus venter non orat libenter*; monendo tamen ibidem, hanc Theologiam non esse cuivis obtrudendam, quia ejus usus potest, præsertim apud agrestes, esse occasio murmurationis, scandali, &c. & quia plerumque est verum, quod scribit S. Antonin. *in Summ. Par. 2. Tit. 6. cap. 1. §. 9. nimis indevotos esse, qui de mane surgentes de lecto, subitò volunt comedere, & bibere præsertim in diebus festivis.* Monui quoque, rusticos, qui confitentur, se aliquid edisse, antequam templum adirent, communiter non peccâsse, nisi contra erroneam conscientiam, quia communiter non sumunt nisi parum, & quidem ad confortandam debilitatem stomachi. Idem dic de sumentibus pauxillum vini adusti.

421 Imò quæret quispiam, nec extra propositum, nec sine causa: *Vtrùm, qui videt, se non posse Sacro interesse, nisi degustet aliquid potionis, aut cibi, bellarioúmve, non obligetur accipere?*

Resp. Si illud aliquid sit ad manum, seu facilè, ac sine sumptu parabile, videtur ad id obligari. Nam Pasqualigus, & Diana, relati à nobis *incit. Lib. cap. 4. num. 9.* tradunt, habentem votum non bibendi hodie vinum, obligari pauxillum sumere, si prævideat, se nisi pauxillum sumat, postea coactum iri bibere multum; & alii ajunt, otiá gatum hodie jejunare, teneri sumere mane buccellam, si sine ea nequeat servare jejunium.

422 Resp. III. Potest absque omni dubio induci consuetudo vetans sub peccato omnem esum & potum ante Sacrum, nisi quando aliud suadet Ratio. Probatur, quia potest hac de re fieri Lex, si enim ferretur, haberet omnes conditiones requisitas ad valorem Legis, & recensitas à gratiano ex Isidoro *cap. Erit. dist. 4.* Atqui potest consuetudine induci, quod Lege potest. *Leg. De quibus. ff. De Leg.* Navarr. *cap. 21. num. 4.*

423 Et omnino credibile est, tempore S. Valerici, qui vixit sub Annum Christi 550. sub Clotario, viguisse ejusmodi consuetudinem; etenim mitissimus iste Antistes non ita objurgâsset illos tres bibones, si non egissent contra aliquam legem scriptam, aut non scriptam.

Quia verò injecta est hîc mentio potûs ante Sacrum, resolvo hîc illam quæstionem: An, qui die Sabbati, opplet se vino, prævidens fore, ut propter ægritudinem, quam potus ille immoderatus, vel adducturus, vel aggravaturus est, nequeat pedem efferre domo, delinquat non modò contra leges temperantiæ, atque amoris proprii, ut per se patet, sed etiam adversùs ipsam legem Ecclesiæ, ita ut in homologesi oporteat dicere: *Pridiè festi ita læsi nimio potu valetudinem, ut nequierim altero die eadem Sacram subire, hánque impotentiam oriturám prævidi.* 424

Resp. Tametsi perægre suscipio patrocinium lurconum, attamen illum, de quo proponitur hæc quæstio, excuso à mortali, in quantum præcisè ponit impedimentum Sacri de jure audiendi sequenti die. Nam, & Becanus *I. 2. Tract. 2. cap. 3. quæst. 6* etiam excusat illum, qui per intemperantiam facit se ineptum ad dicendum sequenti die officium canonicum, & Henriquez *Lib. 9. cap. 25. lit. P. in commentar.* illum, qui per intemperantiam cibi se inhabilem reddit ad Sacrum audiendum postridie, ac præterea *in Theol. Iuridico-Morali cit. c. 27. sect. 6. num. 94.* sufficiente ratione probo hanc generalem regulam: Quoties non constat *positivè*, esse communem sensum fidelium, quòd hæc, aut illa lex in particulari obliget ad non ponenda pridie instantis obligationis impedimenta, toties censendum est, non adesse ejusmodi obligationem. Jam subsumo: Atqui nullo modo constat ex communi sensu fidelium, legem de Sacro audiendo obligare ad non ponendum pridie festi impedimentum ob ægritudinem; (quod etiam in specie loquens de ebrietate pridie festi, supponit Castro Palaus, *Tr. 3. punct. 21. vers. Dixi*) ergo. 425

Confirmatur ex iis, quæ Casu *seq. num.* 447. generatim dicam de obligatione non apponendi impedimentum obstans auditioni Sacri. 426

PROPONUNTVR OMNIA IMPEDIMENTA SACRI.

CASVS XX.

Constantiensis.

SUMMARIUM.

Casus negligentis Sacrum ob febrim tertianam. 427.

Quid Constantienses febricitantes agant tunc? 428.

Referuntur authores scribentes de causis excusantibus à Sacri auditione. 430.

427 *Vespasianus civis Constantiensis, gravi febri tertianâ laborans quatuor ipsos menses, vix quater, aut quinquies toto illo tempore accessit rem divinam, causatus timorem impediendi optatam recuperationem sanitatis, si templum aliquod adiret, in eóque maneret per duos, aut tres quadrantes horæ. Quæritur, utrùm sit censendus graviter deliquisse, nec ne?*

428 Casum hunc ideo nuncupo *Constantiensem*, quia nescio, an uspiam toties adferatur hæc excusatio Sacri non auditi, quoties Constantiæ. Certè hanc allegationem esse notoriam, & communissimam, norunt omnes, qui Annis sexagesimo, & sexagesimo primo, ne de aliis loquar, vixerunt Constantiæ, ubi admodum diversæ febres multùm diúque exercuerunt omnis ætatis, sexûs conditionis, plurimos mortales, quamvis Deo propitio mortem non attulerint, nisi paucis.

429 Est autem hic Casus utique una è causis adferentibus, seu excusationem, seu exemptionem à Sacro; quas quidem causas omnes omnino, tam *in genere*, quàm *in specie* partim proponam, partim breviter discutiam hoc loco. Omnes, inquam, quas reperi in viginti & duobus scriptoribus, illas ex instituto seu enumerantibus duntaxat, seu etiam explicantibus.

430 Sunt autem illi scriptores sequentes. Sylvester *Verb. Missa. 2. q. 1.* Toletus *in Summa Lib. 6. cap. 9.* Navarrus *in Manual. cap. 21. num. 3.* Graffius *in decis. aureis. cap. 36.* Rodriquez *in Summa cap. 123. num. 9.* Suarez. *Tom. 3. in 3. p. d. 88. sect. 6.* Nugnus *q. 83. Art. 6.* Azor *Part. 1. Lib. 7. cap. 7.* Henriquez *Lib. 9. cap. 25.* Bonacina *De Sacramentis disp. 4. q. ultim. punct. ult.* Reginaldus *Lib. 16. cap. 2. quæst. 3.* Filliucius *Tract. 5. cap. 7. num. 224. & seqq.* Laymannus *Lib. 4. Tract. 7. cap. 4.* Tannerus *Tom 3. disp. 5. quæst. 6. num. 32. & seqq.* Card de Lugo *disp. 22. de Eucharist.* Pax Iordan. *Tom. 2. Lib. 11. Tit. 1. num. 67. & seqq.* Bassæus *Tom. 1. verb. Missa. 9.* Scortia *de sacrif. Miss. Lib. 2. cap. 20. num. 8. & seqq.* Castropalaus *Tract. 22. punct. ultim.* Dicastillo *Tract. 5. de Sacrif. Miss. dubit. 10. §. 1. & seqq.* Tamburinus *in Decal. Lib. 4. cap. 2. §. 2.* Cotonius *celebr. controv. Lib. 1. controv. 14. cap. 1.* præter alios valde succinctos. Est autem inter hos scriptores hoc discrimen, quòd Suarez omnes planè superet his tribus, aut quatuor qualitatibus simul sumptis, scilicet causarum excusantium minutâ, claráque enumeratione, earundémque fundamentali, & diffusâ probatione, Lugo verò, Palaus, & Dicastillo reliquos post ipsum his ipsis qualitatibus; at Bonacina, Jordanus, Henriquez, & Scortia cum Tannero, brevitate simul & accuratâ enumeratione præstant. Porrò hos præter morem meum conjungo idcirco hoc loco, ut præveniam necessitatem exprimendi in decursu numeros generaliores. Illam etiam censuram ideo adjicio, ut meus lector noverit, quem ex his potissimùm legere debeat. Quamvis possim ipsum certum reddere, nullam ab his authoribus indicari causam, seu impedimentum etiam speciale, quod non sit hîc reperturus. 431

Quia verò posteriorum Magister P. Suarez illas causas, atque impedimenta revocavit ad octo capita, revocabo & ego, secutus exemplum Palai, exprimendóque octonum numerum causarum, impedimentorúmve. Priùs tamen faciam, quod nullus horum; præmittam, inquam, judicia virorum sapientum, loquentium *in genere* de qualitate causæ sufficientis ad excusandum à peccato illum, qui non audit rem sacram; tædii autem præcavendi ergò dividam hunc Casum, aut Caput in quatuor Sectiones. *Primâ* describam verba diversorum Theologorum, loquentium de qualitate prædictarum causarum in genere solùm. *Secundâ* discutiam generatim, an, & quando liceat sine ulla necessitate, vel utilitate ponere impedimentum Sacri. *Tertiâ* explicabo tria priora legitima impedimenta. *Quartâ* quinque reliqua. Sit igitur.

SECTIO I.

Describuntur Authorum Varii modi sentiendi, aut loquendi, de qualitate causarum, aut sufficientium ad excusandum à mortali omittentem Sacrum die festo.

SVMMARIVM.

Referuntur Authorum varii modi loquendi de sufficientia causæ ad excusandum neglectum Sacri. 433. & seqq.

Singulariter unus valde exoticus Caramuelis. 440.

Horum nullus clarè exhibet Regulam reciprocam. At exhibetur. 441.

432 AGmen ducat ergo Card. Cajetan *in Sum. verb. In festo prohibita. num. 2.* sic pronuncians: Sine rationabili causa omittere Missam in festo, peccatum mortale reputatur. Et hîc esto prudens, admittendo pro rationabili causa omne motivum rationi humanæ consentaneum, etiamsi non fuerit urgens, quoniam deficiente, & subsistente ratione, quæ illius conditionis personas libenter ad Missam euntes inducere videtur ad

» ad omissionem Missæ, in tali casu non incur-
» ritur peccatum mortale, quamvis, si minùs
» sufficiens est ratio, peccatur venialiter.
» *Et universaliter* sic est, quando quis bonâ
» fide putat, excusari se ab auditione Missæ,
» & ideo omittit illam. Et simile est, si præter
» intentionem ex aliqua negligentiola Missa
» omittitur. Et omnium ratio est, quia non
» *formaliter* agitur contra præceptum, nec
» usque adeò *materialiter* intervenit transgres-
» sio, ut redeat peccatum in naturam suæ for-
» mæ.

434 Hactenus Cajetanus, per hæc omnino postrema verba indicare volens, illas rationes, & causas, quas præmisit, efficere, ut non sit coram Deo peccatum mortale, quod cæteroquin esset mortale. Ei addo verba etiam sequentium authorum.

435 *Nullum est peccatum, si Sacrum omittatur ex causa rationabili.* Angelus apud Sylvest. *loc. cit. Potest quis remanere liber à debito Missam audiendi, si audire eam est detrimentum suæ vitæ, honoris, aut bonorum*, Rodriquez. *Excusat non audientem Sacrum legitimum impedimentum, & quævis causa rationabilis.* Sa. *verb. Missæ auditio. num. 3.*

436 *Omne motivum consentaneum humanæ rationi excusat.* Graffiis. *n. 1. & 6.*

»Eximitur à Lege Missæ Sacrum audiendi,
» si quis nequeat absque sui, vel suorum, vel
» proximorum damno, quod sit alicujus pon-
» deris, vel momenti, quale est detrimentum
» animæ, vel corporis, vitæ, salutis, famæ,
» honoris, libertatis, bonorum, vel rei cujus-
» libet alterius, etiam quæstûs, & lucri, dum-
» modo sit alicujus ponderis & momenti. Ita communis opinio. Azor. *loc. cit. initio q. 1.* Sic etiam loquitur Bonac. *num. 4.* utens tamen adjectivo, *Gravis* sicut & Liamas *in Summ. Par. 3. cap. 5. §. 11.* Tamb. *num. 5.* utens adjectivo *Notabilis*, & Hurtad. *de Sacrif. Miss. disp. 5. diffic. 6.* utens adjectivo *considerabilis.*

437 *Quoties ex Sacro audiendo sequitur damnum, seu detrimentum spirituale honoris, famæ, rei propriæ, aut proximi, vel sequitur, aut timetur damnum aliquod corporeum notabile, aut alicujus momenti, tunc non obligatur homo audire Sacrum.* Toletus *in 1. 2. 3. 4. causa.*

438 *Tunc censetur à DD. impotentia moralis, sufficiens ad excusandum, quando sine jactura alicujus boni mediocris æstimationis, aut sine magna difficultate, vel labore Missa audiri non potest.* Suar. *Vers. Secundum caput.* Filliuc. *num. 225.* describens Suarium. Ita etiam Reginaldus *num. 16.* loquens tamen de bono magnæ æstimationis, & Tannerus *num. 35.* de bono saltem mediocris æstimationis. *Plurimæ causæ excusant, quæ ex his capitibus petuntur: sui, aut proximi mediocri, vel gravi: damno animi, corporis, honoris, bonorum, officio, vel consuetudine loci.* Scotus *num. 8.*

Hoc præceptum, ut ferè omnes DD. docent, est suave, & consequenter ex causa mediocriter gravi ejus obligatio cessare potest. Palaus *n. 4.*

Hoc præceptum juxta communem DD. in- » 439
» terpretationem, & juxta communem, & re- »
» ceptam consuetudinem, cum hæ moderatio- »
» ne latum est, & receptum, ut non sit necessa- »
» ria causa admodum gravis ad excusandum. Dicastillo *num. 171.* describens ipsamet verba formalia Suar. *loc. cit.* §. *Tertium cap. sub initium.*

Ita citati scriptores, à quibus non differ- 440
tire videtur Sylvester dicens: *Peccat mortaliter, qui hoc præceptum negligit sine rationabili necessitate.* Sed loquitur rigidiùs Sotus *de just. Lib. 2. quæst. 4. num. 4.* sub finem scribens: *Sacrum non est quacunque de causa omittendum, nisi sit valde urgens.* Quia tamen videtur rigorem istum postea temperâsse, dum *in 4. sent. d. 13. a. 1. in fin.* sic scripsit: *Præceptum audiendæ Missæ obligat omnes commodè potentes audire;* & Paulò pòst: *Excusantur omnes, qui legitimo impedimento cohibentur.* Denique omnium rigidissimus Caramuel, *in Theol. Regul. d. 4. n. 44.* sic generatim pronuntiat: *Semper credidi, ut quis non teneatur legi humanæ correspondere, non sufficere quamcunque incommoditatem sed requiri gravissimam, id est illam, quam non assumeres, quantumvis infinito pretio; nomine incommoditatis meæ intelligo laborem corporalem, molestiam, famem, sitim, & similia, ex quibus non possit sequi morbus, aut notabile vitæ periculum, aut emergere damnum aliquod.* Ita Caramuel tam abhorrens à sensu, & praxi omnium, ut vel ob hanc rationem solam minimè sit audiendus, aut ampliùs memorandus.

Vides autem, & fortè miraris, amice lector, 441
ne unicum quidem ex tam eximiis DD. adferre clarè ullam Regulam reciprocam; plerique enim solùm adferunt causas sufficientes ad excusandum. Soli Sylvester, & Sotus indicant necessarias, ne unicus quidem clarè, & explicitè sufficientem, simul & necessariam; quod tamen sine dubio est ad complementum doctrinæ necessarium. Trado ergo reciprocam hanc: *Illa omnis, & sola causa excusat ab audiendo Sacro (cæteroquin obligatum, quæ involvit saltem mediocrem incommoditatem in bonis animi, corporis, honoris, aut fortunarum, propriis: vel proximi.*

Hanc Regulam, quà est *affirmativa*, tradunt 442
clarè Suar. Tannerus, Filliucius, Palaus, Dicastillus, *loc. cit.* & à fortiori Angelus, Sa, Graffiis, ac potissimùm Cajetanus, loquens omnium lenissimè. Eadem Regula, quatenus est negativa, traditur *explicite*, vel *implicitè* à reliquis, ut ostendunt verba eorum, præsertim Soti, ac Sylvestri. Probatur autem pars *affirmativa*. Nam rectè pronuntiant Palaus, & Dicastillo pòst Suarez, quòd ferè omnes DD. & consuetudo communis ita interpretetur legem de

audienda Missa, ut judicetur excusare quævis causa non admodum gravis, seu quæ mediocrem incommoditatem involvit. Et hoc ipso, quòd mediocrem involvat, potest dici involvere gravem, ut loquuntur aliqui ex citatis. Probatur etiam pars *negativa* eâdem ratione; quia scilicet illa ipsa consuetudo declarat, non excusari quempiam, nisi ex causa involvente ejusmodi incommoditatem. Quare non integre assentimur Cajetano, nimis benignè loquenti, licet fortasse senserit cum ipso Angelus, Sa, & Graffiis, ut indicant eorum verba.

443 Hâc Regulâ ita statutâ, & declarandâ per octo genera specialium causarum, impedimentorúmve, & semper intelligendâ, quando loquemur de incommodo, damno, &c. resolvendum est hoc dubium: *Vtrùm scilicet sit licitum, ponere sine ulla necessitate causam, quæ excuset à præcepti hujus observatione.* Hanc quæstionem proponit singulariter, & ex professo Tamburinus *l. c. §. 3.* incidenter autem, satis tamen fusè Dicastillo *l. c. §. 2.* Ego suppositis iis, quæ *in Theologia Iuridico-Morali*, seu *Tract. 5. Quinarii toto cap. 27.* per septem Sectiones retuli, & disputavi circa illam generalem quæstionem: *An, & quando sit fas, vel nefas, facere se impotentem ad observationem alicujus Legis;* hîc solùm pono hanc brevem Sectionem.

SECTIO II.

Vtrùm liceat ponere impedimentum Sacri; & quæ sint in specie impedimenta.

SVMMARIVM.

Non licet ipso die festo ponere impedimentum audiendi Sacri. 444.
Declaratur n. 445. & 446.
Non obligaris pridie festi non ponere impedimentum non audiendi postridie Sacrum. 447.
Casu Venatorio declaratur hæc doctrina. num. 449. & seqq.
Quid si illud impedimentum ponatur circa duas, aut tres horas ante mediam noctem? 454.
Sicut non teneris non ponere impedimentum, ita non teneris auferre positum à te. 455.
An ponens impedimentum per se non malum teneatur in Confessione nominare qualitatem illius? 456.
Enumerantur 8. species impedimentorum. 457.

444 Dico I. Nefas est, ponere, absque justa causa, ipso die festo, aut Dominico impedimentum audiendi Sacri, si illud impedimentum sit unum ex iis, quæ solùm solent excusare omissionem ejus, qui posuit illud ex justa causa, secùs si sit ex iis, quæ omnino eximunt ab obligatione. Ita Dicastillo *l. c.* Ratio est, quia *in Quinario cit. c. 27. Theologiæ Iuridico-Moralis num. 98* satis probavimus *primam* hujus conclusionis partem, loquendo generatim de omnibus legibus, sicuti, & *n. 63. secundam*, loquendo etiam generatim de legibus, seu generatim *licita*, vel *illicita* appositione impedimenti obstantis observationi Legis.

Vnde dixi *Cas. præc. n. 418.* etiam contra le- 445
gem de Sacro audiendo delinquere, qui manè diei festi ponit per ebrietatem impedimentum auditioni Sacri, & similiter peccat, qui manè diei festi abscedit tam procul ab æde sacra, ut nequeat redire ad Sacrum; sicuti & sacerdos, qui non habens nisi unum missale, nec habens, cujus Sacrum audiat, donat illud alteri; & ille, qui manè se componit ad somnum, sciens se non experrectum iri, &c. hi quippe omnes dicuntur potiùs excusati, dum re ipsâ omittunt, quàm exempti, juxta distinctionem realem, quam inter hæc duo vocabula attuli *cit. c. 27. n. 57.*

Vice versâ, quia ille, qui existit in loco, 446
in quo non viget festi observatio, rectiùs dicitur esse exemptus, quàm excusatus; etenim lex non est lata pro illo, seu ne quidem in actu primo est sub ea lege, ideo non malè agit, si manè illuc se conferat, esto sciat, non fore sibi copiam ut spiam audiendi Sacri, sicuti declaravimus *Casu XVII. n. 389.*

Dico II. Nemo obligatur pridie festi non 447
ponere impedimenta Sacri postridie audiendi. Sic docui *cit. cap. 27. n. 35. junct. n. 87.* cum Suario, Becano, Bonacina, Palao, Dicastillo, quos ibidem refero. Vbi etiam expressi, licèt impedimentum ponatur per actionem pessimam, non tamen esse necesse in confessione quidquam dicere de omisso Sacro. Accedit ratio, quâ clausi præcedentem Casum.

Confirmo hanc doctrinam resolutione Ca- 448
sus, quem Tamburinus *in Decalog. L. 4. c. 2. §. 3. n. 9.* recenset, de duobus adolescentibus, destinantibus proficisci die Sabbati ad venationem instituendam, loco tam remoto ab omni Ecclesia, ut fuerit impossibile, die Dominico audire missam. Integra narratio producta verbis ipsiusmet P. Tamburini erudiet, delectabítque simul (scio) meum lectorem, idcirco totam hîc admetior, observato, illam narrationem immediatè subjici quæstioni huic: *Quanta propinquitas requiratur, ut impedimentum censeatur moraliter positum in eodem die, quo urget præceptum?* Sic ergo ille;

Casus Venatorius.

I D expeditiùs explicabitur, si proposuero Ca- 449
sum, de quo fuerunt duo interrogati ex nostris Patribus, dum ego in eodem, quo illi, Collegio (Panormitano) adolescens versarer; meóque more jam ex tunc, omnia ferè similia

ad

ad futurum tempus scripto reservarem. Quidam ex Congregatione Nobilium selecti adolescentes, ad feras in remoto nemore venandas se egressuros, ut fit, ex compacto decreverunt; quo in nemore opportunitas audiendi sacrum nequaquam suppetebat. Agebatur autem dies veneris illius hebdomadæ, & die consequenti iter arripere cùm contenderent, interrogaverunt à P. Sodalitatis Præfecto, an illis id liceret, quandoquidem fore prævidebant, ut die Dominico instanti in eo loco, ab Ecclesiis remotissimo missæ non essent interfuturi? Respondit Pater, sine culpa licere, quia nunc (ajebat) hoc est, die Sabbati, non est in præcepto auditus Missæ, die autem Dominico, propter remotam ab urbe distantiam, excusatio aderit satis legitima. potestis ergo uti hodie vestrâ libertate egrediendi, quò libuerit. Profectò si vobis ad venandum hoc die proficiscendi venia non daretur, nec simili die concederetur voluntario peregrino, posse iter prosequi, aut suscipere, nec mercatori diviti posse navem conscendere, & à portu solvere, nec Dominis nullâ necessitate oppressis ad sua prædia, diebus festum immediatè præcedentibus, se conferre quæ tamen & similia fidelibus interdicere durum esset, & rigorosum nimis. Hæcille.

450 *Verùm adolescens quidam ex illis, paulo cæteris religiosior, hujus Patris consilio non acquiescens P. Rectorem ejusdem Collegii, quid de hoc ipse sentiret, interrogavit; qui nequaquam licere respondit addiditque rationem, quia quamvis die Sabbati (dicebat) quando paratur profectio, non appareat præceptum, instat tamen, atque in proximo urget, & consequenter adest præceptum* moraliter, *nam fac, velle quempiam exire ab urbe unâ horâ ante mediam noctem quæ diem Dominicum præcedit, nullus non illum reum faciet præcepti, quia ita est in proximo præceptum tunc, ut* moraliter *adesse censeatur die præcedenti, id est, toto Sabbato; ergo patitur reus eris censendus, si tunc exeas. Illi autem iter agentes, mercatores, & similes certè nec excusari debebant communiter tamen excusantur, quia ad obligationem non attenduntur, bonâque fide procedunt.*

451 *De hac responsione Rectoris, admonito P. Congregationis, versares est in disputationem altero negante, concedente altero qui fatebatur quidem,* moraliter *censeri adesse præceptum illâ horâ unâ, vel altera ante mediam noctem, negabat toto die Sabbati, idque propter sufficientem distantiam à die Dominico, præsertim in hoc præcepto, quod non judicatur tam rigorosè recipiendum, ut ex praxi, quâ propter tot capita fideles ab eo excusare consuevimus, perspicuum est.*

Et hæc quidem illi Patres. Sed cujus sen 452
tentiæ profecturi juvenes annuerint, ignoro: illa duo scio, & utrumque Patrem probabiliter esse locutum. & quænam sit hac in re propinquitas vel distantia ex gravitate & rigore præcepti, ex praxi timoratorum ex operis necessitate, utilitate, honestate, & cæteris similibus judicio prudentis, ut alibi fecimus, esse judicandum. Quod quidem judicium cum diversum ex variis causis esse soleat, ut fuit in proposito casu, mirum non est, si frequenter idem casus diversimodè à diversis resolvatur.

Hactenus non solùm narratio, sed etiam 453
judicium P. Tamburini, qui licèt utrumque responsum meritò habeat pro probabili, ego tamen pro probabiliore habeo Præsidis, utpote nixi & melioribus rationibus, & autoritate quinque DD. superiùs *num.* 447. nominatorum, intérque hos singulariter Henriquezij, Becani, atque Palai, relatorum *Cas. præced. n.* 425. ubi disertè loquuntur de causante sibi pridie festi per intemperantiam morbum, impediturum postridie à Sacro, quibus Suarium, & nescio quem addidi *in citato Quinario Tr. 5. c. 27. n. 28.*

Facilè tamen assentior non excusantibus 454
illum, qui circa decimam, vel undecimam noctis festam lucem præcedentis objicit tale obstaculum. Cùm enim Tamburinus ex communi phrasi DD. de impedimentis Sacri differentium, rectè observet, justitiam, seu sufficientiam impedimenti esse desumendam ex arbitrio viri prudentis, ponderantis circumstantias, quas hic Doctor exprimit in fine, prudentium autem plerique, ut reor, arbitraturi sunt, circumstantiam horæ decimæ, vel undecimæ omnino favere rigori præcepti istius, idcirco jure assentior hisce tribus Patribus.

Dico III. Sicuti non teneris secundùm di- 455
cta *Concl. prac.* non ponere impedimentum, ita non teneris auferre positum à te: adeóque si feriâ sextâ profectus es ad locum, è quo non possis die Dominico adire templum, etiamsi manè diei Dominici facias iter per tres, aut quatuor horas, non obligaris die Sabbati conficere partem illarum 4. horarum, ut possis deinde jam lucis orto fidere diei Dominici reliquum viæ peragere; nec enim usus ostendit, legem de festo esse ita rigidè receptam. At verò,

verò, si manè festi diei pos.it impedimentum, possisque illud sine notabili incommodo amovere, teneris: nam sicut *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum Reg. 52. in 6.* ita id non præstat impedimentum, quod facilè tolli potest, & consequenter non censetur *is efficaciter* impeditus, qui facilè potest à se excutere impedimentum; nam *qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur Lib. 135. ff. De Reg. Jur.*

456 Quæres: *Utrùm ponens absque justa causa impedimentum indifferens, teneatur in Confessione exprimere speciem impedimenti, ut si quis abreptus cupidine legendi Livii, aut alterius historici profani neglexit animadvertenter Sacrum?*

Resp. Ita quidem videri Zumelio, citanti pro se Gabrielem alios, & apud Dianam *Part. 1. Tract. 7. Res. 62.* at contrarium esse dicendum cum eodem Diana, citante Valentiam, Medinam, alios, quibus adde Cardinalem de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp. 16. Sect. 11. num. 479.* ac Laymannum *in Theol. Morali Lib. 1. Tract. 3. cap. 4. num. 4.* ubi adfert limitationem rari usûs. Ratio est, quia ille pruritus legendi, ipsâque lectio inde orta non habet aliam malitiam, quàm quòd efficiat omissionem Sacri, ergo si hanc confiteare, sufficienter exonerâsti tuam conscientiam.

457 His generatim præmissis circa causas, atque impedimenta Sacri, descendemus ad octo species enumeratas à Suarezio, quæ quidem sunt. *1. impotentia spiritualis. 2. impotentia corporalis. 3. impotentia moralis. 4. titulus charitatis. 5. titulus officii. 6. consuetudo. 7 major utilitas spiritualis. 8. vitium sacrificantis.* De tribus prioribus disseram *Sect. seq.* De cæteris *Sect. 4.* Sit igitur.

SECTIO III.

Quomodo impotentia spiritualis, corporalis, moralis, excuset ab auditione Sacri.

SUMMARIUM.

Est triplex spirituale impedimentum. 456.
Dubitans, utrùm sit festum nec ne, quid agat? 458.
Quid si unus asserat, esse festum à parocho publicatum, alter neget? 460.
Regula Cajetani de illo, qui procedens bonâ fide erravit ipsa. 462.
Alia Pacis Jordani. 464.
Impotentia corporalis *quando excuset à Sacro. 466.*
Superior licitè *includit carceri subditum, etiam cum jactura Sacri. 467.*
Quid sit impotentia moralis? *468.*
Periculum mali corporalis *quando excuset? 469.*
Examinatur illa Regula: ægritudo, quæ non impedit egressum è domo, non impedit etiam accessum ad Ecclesiam 470.
Describitur pulcher discursus Sanchezii de febri impediente recitationem Breviarii, & consequenter auditionem Sacri. 473.
Quis sit judex, quando dubitatur, an accessus ad templum sit nociturus valetudini. 474.
Quid si medicus Lutheranus dicat nociturum? 476.
Si omnes dubitent propriè, an sit nociturus; liciténe remanebis domi? 478.
Quid liceat, quando timetur reciduum? 480.
Excusantur Constantienses, communiter abstinentes aditu templi, quando laborant febri. 481.
Quomodo se erga illos geret confessarius? 484.
Distantia à templo quæ excuset. Ibid. *valde distinctè.*
An sesqui horæ distantia excuset Germanos? 487.
Qualis pluvia excuset? 488.
Titulus honoris minuendi quomodo excuset? 489.
Et singulariter vestitus? 490.
Et damnum in fortunis? 491.
Spes lucri acquirendi quando patrocinetur negligenti Sacrum? 492.
An quando in familia est solus vir, & mulier, teneatur vir quandoque manere domi, ut uxor possit templum adire? 494.
Quid si adsit ancilla, an teneatur, quandoque etiam manere domi, ut illa satisfaciat Legi Ecclesiæ? 495.
Itinerans qui excusetur? 496.
Singulariter, si debeat propter Sacrum amittere comitem? 497.
Nefas est inchoare iter, non audito Sacro. 498.
Molitores quomodo excusentur? 500.

458 DIco I. Impotentia *Spiritualis* (ut ita loquar) seu impedimentum spirituale, præbens justam causam intermittendi Sacri, est triplex: scilicet excommunicatio, interdictum, ignorantia. Ita Suarez: De duobus primis aperui, quid sentirem, *Cas. XVIII.* Quibus adde, Si dubitas, utrùm incurreris excommunicationem, te obligari audire; si verò scias te incurrisse, at dubitas, an sis absolutus, obligari non audire, nam in primo casu libertas stat pro te, in secundo incursa excommunicatio facit contra te, mutatio enim non præsumitur. De tertio, si ignorantia sit invincibilis, excusat: si vincibilis, non excusat à mortali. Potest autem ignorantia esse vel *facti*, vel *juris*; *facti*, quando ignoratur, vel non animadvertitur, an hic vel ille dies sit verè festus; *juris*, quando ignoratur, an adsit causa sufficienter excusans. Suarez *cit. Sect. 6. vers. ult.* revocatur.

459 Et quidem, quando occurrit dubium, sitne dies festivus nec ne, oportet, dare mediocrem operam, ut comperiatur veritas; nam, generatim loquendo, nefas est, operari cum conscientia dubia, antequam sit pro ratione cir-

cumſtantiarum, mediocriter laboratum pro comperienda veritate; hoc mediocri labore, ſeu ſtudio præmiſſo, ſi remaneas nihilominus verè dubius, vel quia nihil planè potes intelligere, vel intelligis quidem aliquid, ſed non ſufficiens ad tollendum dubium, quia fortè unus dicit, diem illum eſſe à parocho publicatum, ut feſtivum *ex præcepto*; alter ut feſtivum *ex ſola devotione*, tum ſanè non incumbet obligatio accedendi Eccleſiam, etenim in dubio etiam tali melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem.

460 *At pater aſſerit unum, mater alterum, utri credam? Item habito in villa diſſita ab hominibus itinere ſeſqui horæ; eſſne mihi conficiendum hoc iter præciſe, ut intelligam, utrùm ſit feſtum, nec ne?*

Reſp. Ad *primum* non ſanè fictitium dubium, liberos; generatim loquendo, poſſe, ac debere acquieſcere hac in re teſtimonio illius, cui ſubſunt, niſi ſciant, errare; quia inferior poteſt, ac tenetur in dubio ſtare judicio, ac teſtimonio ſui ſuperioris, ſaltem quando res non eſt valde ardua; ſpeciatim autem potiùs patris, quàm matris, quia & viri teſtimonium, *per ſe loquendo*, præfertur teſtimonio mulieris *c. Ferus*, §. *fin. De verb. ſignif.* & liberi ſunt primariò ſub poteſtate, imperio, directione patris. S. Thom. *2. 2. quæſt. 65. art. 2.* Adde his, homines agreſtes meritò judicare, non eſſe feſtum, quando parochus non promulgavit, niſi fortè omnes aſſeverent, eſſe feſtum, aut clarè demonſtret Calendarium, aut ſciatur, parochum eſſe maximè oblivioſum.

461 Ad *alterum* dubiolum non fictum reſpondeo; licèt diſtantia ſeſqui horæ fortè non ſit nimia ad obligandum illum, qui ſcit, eſſe feſtum, ut videbimus *num. 481* attamen homines communiter judicant, eſſe moleſtiam plus quàm mediocrem, conficere iter ſeſqui horæ pro reſolvendo dubio, atque adeò cum periculo manifeſto fruſtranei laboris, & neglectu alterius utilis.

462 Ad dubium *juris* quod attinet, dicendum etiam eſt, eo dubio exorto, eſſe veritatem indagandam, & quidem aliquantulò ſolicitiùs, quàm in dubio *facti*, quandoquidem in dubio *facti* poſſeſſio ſtat pro libertate hominis; at in dubio *juris*, ſeu legitimæ excuſationis, ſtat pro præcepto, ſaltem communiter. Tradit tamen generatim Cajetanus *loc. cit.* hanc Regulam: *Univerſaliter ſic eſt, quando quis bonâ fide putat, ſe excuſari ab auditione Miſſæ, & ideo omittit illam, non peccat mortaliter. Et ſimile eſt, ſi præter intentionem ex negligentiola aliqua Miſſa omittitur.* Et quidem *priorem* partem hujus regulæ admittunt relati ſuprà *num. 430.* etiam *abſolutè* Azor *Quæſt. 4.* Graſſis *num. 6.* Jordanus *num. 98.* Reginald. *num. 10.* Sylveſter *Q. 2.* Navarr. *Cap. 21. num. 20.* poſt Paludanum, Antoninum, & alios; at Suarez *loc. cit. Sect. 1.* cum hac limitatione, ſi nimirum illam bonam fidem habuit ſimpliciter, & ſine hæſitatione; tunc enim ordinariè excuſat à culpa gravi.

Hanc bonam fidem poteris tibi facere, quoties dubius, an habeas cauſam ſufficienter excuſantem, & non habens, quem interroges, ambigis, an Miſſæ auditio allatura tibi ſit grave incommodum, nec ne; poteris quippe judicare, quòd Eccleſia te non obliget, ut exponas te periculo gravis incommodi, ut tradam *num. 480.* 463

Circa *alteram* partem doctrinæ Cajetani *De pigritiola*; audi, quid ſcribat Pax Jordanus *num. 100. Si Miſſa*, inquit, *omittatur ex paſſione animi, vel pigritia, vel cauſa non rationabili, ſi quis tamen ad hoc non eſt aſſuetus, ſolùm veniale eſſe, dicunt Angelus, & Sylveſter, quod quidem ultimum dictum cum grano ſalis deglutiendum erit, ne alioquin malè ſapiat; ex circumſtantiis enim facilè judicari poterit de paſſione, & pigritia, quæ ſufficiat excuſare à mortali; quod mihi ſatis durum videtur, quoad pigritiam, non tamen omnino improbabile v. g. in eo, qui ſolitus eſt audire, ſi aliquando ex pigritia tam ſerò petiit Eccleſiam, ut Miſſæ ex toto, vel pro notabili parte dicta ſit, nec alia ſuperſit, quæ poſſit audiri, alioqui concluſio non eſt vera.* Ita hic ſapiens Epiſcopus, à quo non diſſentio *ſpeculativè*. 464

His addo, quando incipis te occupare aliqua actione, ſeu bonâ, ſeu malâ, atque te occupato, & minimè advertente, elabitur tempus Sacrificii, non eſſe te reum culpæ lethalis; etenim cenſetur in utroque caſu inculpabilis inadvertentia, nec enim circumſtantia mali objecti impedit invincibilitatem inadvertentiæ. Suarez *cit. Sect. 1. verſ. Atque hinc ſequitur.* Quare hîc quoque fallit illud nonnullorum pronuntiatum: *Danti operam rei illicitæ, omnia ſequentia mala imputantur ad culpam.* 465

Dico II. Impotentia *corporalis abſoluta*, juxta Suarez, reperitur in his caſibus. 1. Quando quis in vinculis detinetur, vel aliâ quacunque ratione cogitur non accedere locum, ubi fit Sacrum. 2. Quando nequit vel haberi, vel audiri ſacerdos ullus. 3. Quando quis ita æger eſt corpore, ut nequeat è lecto ſurgere, &c. 4. Quando ſalvâ conſcientiâ nequit audiri Miſſa; etenim dicimur id non poſſe, quod non poſſumus facere ſine peccato, ut ſi quis fide datâ, aut mandato ſuperioris juſto compulſus, maneat domi. Quo caſu utrùm tenearis conducere, vel rogare ſacerdotem, ut faciat tibi domi Sacrum, vel audire ejus Sacrum ultro illud celebrantis, diſces ex dictis *Caſu XVI. num. 352.* 466

Porrò non dubitat Tamburinus *num. 3.* poſt Fagundez, quin poſſit pater filio propter emendationem negare veſtitum honeſtum, ſine quo nequeat filius accedere templum, & quin ſimiliter Religioſus Superior *licitè* includat cubiculo ſubditum, etiam cum jactura Sacri, quamvis ut ne quidem aſſociatum permittat accedere, exigitur gravior cauſa, quàm ut pater agat cum filio, ut ſuprà diximus. Ita ille. 467

Di-

Dico III. Impotentia *moralis* eſt, ſecundùm communem DD. quando ſine jactura boni mediocris æſtimationis, aut ſine magna difficultate, vel labore, nequit audiri Sacrum. Suarez, rectè ſubdens, conſtare ex communi judicio ſapientum, & ipſa conſuetudine, non requiri cauſam admodum gravem ad excuſandum. Unde dixi ſuprà *num. 441.* ſufficere mediocrem; & Dicaſtillo *num. 171.* deſcribens Suarezium, addit hæc ipſiſſima verba: *Excuſatur, qui timet probabiliter quodcunque temporale, aut corporale incommodum, aut laborem*; at hanc phraſin non admitto ſine adjectivo; *Notabile*, aut *Mediocre*, quia nec alii admittunt, niſi fortè Cajetan, Rodriquez, & Emmanuel Sa. Hæc impotentia reperitur circa omnia genera bonorum, ſcilicet circa bona ſpiritualia, ut ſi quis nequeat adire templum ſine periculo labendi in peccatum. Item circa bona corporis, famæ, honoris, ac fortunarum. 468

469 Et *primò* quidem propter periculum imminens corpori, excuſaris, ſi ex probabili conjectura, & non ſola imaginatione ductus timeas, ne in itu, reditu, aut ipſo templo, vitam ipſam amittas, ob ſicarios, aut aëris intemperiem, infectionem, &c. Suarez. *Secundò*, ſi timeas jacturam ſanitatis, ut quando nequis ſine incommodo alicujus momenti ſurgere è lecto, aut jam convaluiſti, ſed adeſt periculum recidendi, vel notabiliter retardandi convaleſcentiam, ſi Sacrum audias. Suar. Fill. uc. *num. 226.* & Palaus *num. 4.* rectè monentes, eſſe hîc ſupponendam bonam fidem, adjungendámque prudentiam; debet quippe infirmitas eſſe alicujus momenti, periculúmque eſſe probabile, viri prudentis arbitrio, ad quod ferendum conſideranda eſt diſtantia templi, labor audiendi Sacri, & aëris temperies, ſeu qualitas temporis; cenſétque Suarez, eſſe hujus optimum indicium, quando infirmitas impedit egredi lecto, aut domo ad alia negotia, æqualis, vel majoris laboris, quàm ſit Miſſam audire; ſubdítque: *Si hoc non impedit, non eſt, cur excuſet, & juxta hæc judicandum eſt de his, qui quartanâ laborant, & de fœminis gravidis, quæ quodammodo infirmantur.* Ita ille. Verùm, licèt Palaus *num. 4.* valde probet hanc doctrinam, quia tamen fieri poteſt, ac reipſa fit Conſtantiæ, ut ſola manſio in templo, non autem alibi noceat febricitantibus, ideo non aſſentior in hoc puncto huic utrique Doctori; ſicuti nec Dicaſtillus *num. 173* aſſentitur in puncto de labore circa Miſſæ auditionem, quandoquidem ſæpe fit, ut unum è duobus laboribus paris (ſi *phyſicè* ſpectentur) difficultatis, & periculi ſuſtineamus ſine ullo periculo *morali*, quia ſcilicet libenter, & noſtro appetitui naturali conſentaneè illum obimus; alterum verò contra inclinationem naturalem, adeóque cum majore conatu, & repugnantia naturæ, quæ repugnantia poteſt ſine dubio multùm alterare phantaſiam, & conſequenter appetitum ſenſitivum, ac tertiò humores, & poſtremò valetudinem; idque ante Dicaſtillum obſervavit Sanchez *in Conſil. Moral. Lib. 7. cap. 2. dub. 4. 5.* 470

Placet verò in re, & non exigui momenti, & uſûs quotidiani, & concernentis etiam rationem Horarum Canonicarum, deſcribere pulchrum ſanè diſcurſum ejuſdem Sanchezii, viri, inquam, *in Moralibus* ſummè æſtimati, qui quidem *loc. cit.* ſic diſſerit. *In hoc* (periculo incurrendi damni ex recitatione Breviarii, & ſimiliter auditione Miſſæ) *eſt tenenda media quædam via, ita ut, qui æger eſt, ſi ex recitatione Horarum* (Sacri auditione) *verò ſimiliter credat ſtomachi aliquam cruditatem, vel capitis gravedinem, vel virium laſſitudinem, vel etiam credat febrim tardiùs remittendam, excuſetur ab Horis. Ratio eſt, quia hujuſmodi damna, quæ in corpore valido, & ſano ſunt levia, in ægroto ſunt gravia mala. Et confirmatur, quia cùm omnia præcepta charitati deſerviant, quæ valde benigna circa infirmos eſt, non eſt veroſimile, quòd Eccleſia, quæ eſt ſapientiſſima mater, hominibus morbo affectis velit addere moleſtiam orandi, etiamſi non multùm ladantur. Item quòd* Cap. Clericus diſt. 91. *pro legitima cauſa non orandi habeatur inæqualitas corporis, quæ non ſonat morbum gravem, ſed potiùs levem. Etiamſi autem hujuſmodi infirmi, dum febri, aut alio morbo laborant, bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros animi gratiâ legant, non inde ſequitur, teneri recitare Horas. Ratio eſt, quia lectiones illæ, & ſermones ægro voluptatem afferunt, nec morbus inde ingraveſcit, ſed potiùs decreſcit, at recitatio eſt res ſeria, & naturâ ſuâ caput gravat, ac mœrorem, & moleſtiam infert. Sic multi ex junioribus valde docti Magiſtri.* Sic ipſe Sanchez, & ego libentiſſimè in præſenti materia, etiam idcirco, quòd præceptum de Horis Canonicis, reſpectu obligatorum ratione beneficii, præſertim ſimplicis, obliget ſtrictiùs, quàm lex de Sacro audiendo; licèt ſine dubio non ſit, ſi cætera ſint paria, formidanda tanta incommoditas ex auditione Sacri, quàm recitatione Breviarii nam recitatio plus temporis, majorémque attentionem (ut probavi *Caſu VIII. num. 227.*) exigit, & lectio magis defatigat, quàm auditio, & aſpectus ſacerdotis. 471 472 473

Quòd ſi quæras, quiſnam debeat eſſe judex, quando timetur, ne acceſſus ad templum, ſeu mora in illo ſit allatura aliquod mediocre incommodum valetudini? Reſpondent *abſolutè* Suarez, & Reginaldus, *num. 16.* eſſe ſtandum judicio viri prudentis. Henriquez *num. 10. Lit. T. in commentar.* judicio medici, aut ſuperioris, ut parochi; Bonacina *num. 3.* & Dicaſtillo *n. 174.* opinione medici, vel ſuperioris, vel parochi, vel potiùs propriâ, ſi ipſe æger ſit ita prudens, ut poſſit per ſe ferre judicium; 474

Sylvester *Verb. Horæ, quæst. 4. dict. 1.* ac Tannerus *num. 31.* medici, aut boni viri; Sanchez *loc. cit. num. 6.* Medici, & Prælati; aut, si hi non adsint, proprio; ita enim docet Azor., *Quæst 2.* Si tamen, ut plerumque fit, nequeat facilè consuli medicus, aut superior, consalendus non est.

475 Imò existimo, esse usu communissimo, & legitimo receptum, ut neque medicus, neque superior, e. g. parochus interrogetur, quando agitur solùm de neglectu paucarum Missarum. Adde, quòd jam habeas judicium medici; quando scis, te laborare eâ infirmitate, qua alii, quos medicus judicavit, non posse sine periculo exire ad templum. *Sed medicus est Lutheranus, habens Missam pro idololatria?* Resp. Nisi intercedat aliud peculiare indicium de ejus infidelitate, poteris nihilominus stare ejus verbis; quia experientia docet, plerosque solere respondere cum omni abstractione à religione. Itaque ex opinione horum DD. tutus est in conscientia, qui ideo omittit Sacrum, quòd vel medicus, vel parochus, vel vir (& quid ni etiam mulier in morbis muliebribus, vel infantilibus ?) prudens dicant, illam actionem Sacram probabiliter allaturam unum ex incommodis *corporalibus*, quæ retuli ex Sanchez. Nota hoc bene pro tollendis multis scrupulis.

476

477 *Quid si autem vel hi ipsi, vel ego verè dubitem, utrùm sit probabile periculum, nec ne,? Debeóne petere dispensationem, an me dare in periculum?* Resp. Suarez *Lib. 4. De oratione* loquens de Horis Canonicis, putat esse petendam dispensationem; at Bonacina ac Palaus in materia *De Horis Canonicis*, loquentes etiam de Horis Canonicis, negant, esse opus dispensatione.

478 Hanc *negativam* sententiam applicatam præsenti materiæ, omnino puto esse conformem praxi universali. Non enim, ut credo, reperietur facilè Episcopus, aut Vicarius Generalis, qui sit rogatus dispensationem. Et probabilissimè non est è viginti unus, qui rem deferat ad parochum. Adde, quòd Suarez ipse referendus *num. 523.* neget, posse propriè dispensari in hoc præcepto. *An ergo oportebit,*

479 *stante dubio de infirmitate augenda per egressum ad templum, nihilominus egredi?* Respondet Dicastillo *num. 174.* non modò non oportere, sed ne licere quidem, eò quòd quilibet teneatur sibi prospicere in re gravi. Hæc doctrina poterit tutò proponi scrupulosis; aliis non proponerem; quia jam fumus communiter satis proni ad credendum, obfuturum valetudini, quod minimè oberit, præsertim quando agitur de re ingrata naturali inclinationi; ergo consultiùs dicetur cum Bonacina, & Palao, *in Tr. De Hor. Canon.* non teneri quem, stante tali dubio, accedere templum; licèt enim præceptum sit in possessione, atque adeò debeat in dubio melior esse conditio ipsius, hoc tamen Axioma seu Regula non habet locum, quando ex observatione aditur discrimen damni notabilis, tunc enim non est paritas inter præceptum, & subditum; atqui *Regula juris in 5.* ita sonat: *In pari causa, vel delicto, melior est conditio possidentis.* Hanc solutionem reperies alii Casui applicatam à Cardin. de Lugo *in Conf. Moral. Lib. 1. dub. 4. num. 3.*

His adde, licèt morbus sit planè depulsus, si tamen sit aliquale periculum, ne exitus è domo, aut mansio in templo causet reincidentiam, cessare adhuc obligationem legis, ut jam indicavimus suprà. Et ratio est, quia benignitas Ecclesiæ, præsertim in præsenti præcepto, commendata suprà à Sanchez, atque aliis, non permittit dubitare de hac doctrina. Adde quoque, mulieres gravidas *absolutè* non eximi. Azor *Quæst. 1.* non excusans, nisi timeant, ne graviter lædantur, & exeant. Verùm jam dixi *num. 442* quo sensu velim intelligi illa adverbia: *Graviter*: *Notabiliter*: nimirum pro *Mediocriter*: quod nota pro omnibus particularibus resolutionibus allatis, & adferendis.

480

Ex istis omnibus deducetur resolutio veræ nostri Casus Constantiensis, dicendo, Constantienses illos, qui rarò satis accedunt templum, dum laborant gravi febri tertianâ, vel quartanâ, plerumque non delinquere *formaliter* mortaliter, licèt non accedant etiam diebus *bonis*, ut vocant, id est, intercalaribus. Ratio est, quia illos excusat saltem bona fides, de qua Cajetanus, Graffiis, alii suprà relati; credunt enim passim Constantienses, templa urbis esse admodum insalubria, noxiáque frigoriticis, ut loqui solet S. Gregorius Turonensis teste Raynaudo in S. Georgio *numero 16.* id est, laborantibus febri; hanc credulitatem causant ipsimet DD. Medici, ita loquentes de nostratibus Ecclesiis; ita etiam loquuntur passim in triviis, popinis, domi, foris. Causam hanc adferunt specialem, quia scilicet magna pars urbis quasi innatat aquis, per meatus subterraneos è lacu penetrantibus in cellas etiam multùm remotas à lacu; ac proinde templa solent esse humida; imò, & olida propter multitudinem corporum in iis tumulatorum, proindeque reddentium aërem insalubriorem adhuc, quàm sit in templis, in quibus paucissimi sepeliuntur, quale est nostri Collegii ac RR. Patrum Capucinorum. Equidem ista persuasio est tam fortis simul, atque communis, ut licèt Domini Canonici, aut etiam Capellani laborantes ex quacunque febri, non frequentent officia divina, habeantur tamen pro præsentibus, etiam die, quo non est periculum paroxismi, etenim DD. Medici solent dare ipsis scriptam attestationem de periculo augendi intensivè, vel extensivè morbi, si chorum accedant. Favent ergo his bona fides judicium Medicorum, judicium aliorum non sanè imprudentium; itémque etiam periculum, ne ipsamet apprehensio discriminis, nitens tam multo-

481

482

483

multorum opinatione commoveat magis humores, atque ex periculo magis causet ipsum malum. Denique Filliuc. *num. 226. absolutè* absolvit infirmos ex febri quartana.

484 Minimè quidem dubito, quin permulti trepident timore, ubi non est timor, sicut non est, si accedant templa minimè insalubria. At quis vel id novit in particulari? Aut si novit, persuadeat præoccupatis adeò generali dictamine? Ergo suadeo Confessariis, ut non interrogati dissimulent: interrogati remittant ad judicium vel Medici, vel domesticorum, aut commune viciniæ, facientes mentionem de templis minimè periculosis.

485 *Tertiò.* Distantia loci à templo efficit etiam sæpe *corporalem* incommoditatem senibus, claudis, labore pridiano valde fessis &c. Licèt verò certum sit, non posse determinari aliquam distantiam, quæ necessaria, & simul sufficiens sit omnibus excusandis, quandoquidem & homines sunt adeò diversæ complexionis, & magna ratio habenda est ipsiusmet tempestatis

486 pluviæ, aut nimbosæ. Nihilominus tamen si loquamur de hominibus mediocriter valentibus, seu peculiarem excusationem non habentibus, & abstrahamus à malignitate tempestatis, putat Suarez *Vers. Tertium caput* item Palaus *n. 4* sufficere ad excusandum peditem, distantiam unius Hispaniæ leucæ, id est, bonæ horæ, juxta explicationem Dicastilli *num 182.* seu trium milliarium Italicorum, ut placet Filliucio *num. 226.* quæ etiam faciunt unam bonam horam, aut quinque horæ quadrantes. Henriquez *num. 10. lit. L.* non excusat rusticos, & operarios robustos, propter distantiam unius leucæ. Bonacina *num. 12.* sex vel septem milliaria etiam Italica exigit. Tannerus *num. 38.* ac Busenbaum pronuntiant, spectandam con-

487 suetudinem loci. Dicastillo *num. 183.* negat duorum milliarium Italicorum spatium esse sufficiens, ad excusandum *per se loquendo*, quando quidem nobiles, & prædivites possunt vehi curru, at mediæ sortis fœminæ pedibus uti, maximè intra urbem, & addit *num. 185. Generaliter tamen loquendo, tempore hyemis, aut æstûs, fœminas, quæ ultra mediam leucam legalem, id est, ultra mille quingentos passus distant ab Ecclesia, non puto obligari, etsi fortè fœminæ rusticæ sint, quæ non minùs, quàm ejusdem farinæ viri solent huc, illuc discurrere, levibus de causis, etiam ad longius spatium; quando autem pluit, vel ningit notabiliter, imò, ne vix quidem tales fœminas, aut viros obligari ad quærendum Sacrum intra mediam leucam. Itaque absolutè judicio prudentis re inquendum est, expensis circumstantiis.* Hactenus Dicastillo, qui quia hæc scripsit Viennæ in Austria, atque revidit Dilingæ in Suevia, proinde non ignarus indolis, moris-que Germanici, poterit quis saltem in dubio stare ejus judicio, quamvis sciam, Helvetios & Tirolenses ducere sibi religioni, si omittant ob distantiam unius horæ, ne dum mille quingentorum passuum; sicut nec duco, seu illos Bavaros, Suevos, Helvetios, Alsatásve tunc excusandos, nisi temporis malignitas suffragetur ipsis; etenim consuetudo, qua standum esse judicant (aliis tacentibus) Tannerus, Busenbaum, & Sanctgallenses *Tom. 9. fol. penultimo*, declarare videtur, ita esse in Germania receptam illam legem. Equidem Illustrissimi Ordinarii Germaniæ superioris punirent illos, quos scirent ferè semper à re divina abesse solùm, quia distant sesqui horâ (ut sæpissime distant) à templo, nec excusarent, qui omnino semper abesset propter duarum horarum distantiam. Quanquam nullus prudens Confessarius movebit his scrupulum, etsi crebrò tales maneant domi, cùm etiam videatur Busenbaum *Lib. 3. Tract 3. cap. 1. dub. 5. absolutè* eximere distantes uno vel altero milliari Germanico, æquante videlicet spatium duarum circiter horarum.

Quòd verò dicit Azor *Quæst. 5.* pluvias, & 488
tempestates, si non sint longæ, aut insolitæ, non præbere excusationem, credo, esse verum de dissitis solùm dimidiâ horâ circiter, secùs, si horâ. Alii authores nil determinant de leucis, aut milliaribus, sed solùm committunt rationem distantiæ arbitrio prudentis; ego verò huic prudenti libenter præfero facem, si quam possim accendere apud prudentiores.

Quartò. Punctum honoris movet etiam hîc 489
punctum difficultatis. Etenim complures templum negligunt, causantes, se non satis honestè vestitos; alii objicientes titulum præcedentiæ, tractæ in controversiam &c. *quid de his sentiendum?* Resp. Palaus *num. 4.* patrocinatur timenti rixam. Suarez & alii timenti ab hoste injuriam aliquam, vel jacturam honoris; sicuti omnes excusant illum, vel illam, qui non habent vestem decentem, ita ut nequeant sine dedecore, aut gravi derisione, seu notabili pudore comparere in publico, sicuti loquuntur Silvester, Navarrus, alii: Item, qui, aut quæ non habent comitatum necessarium, juxta decentiam statûs; aut honestam puellam, quæ putatur casta, & tamen gestat uterum, dummodo non exeat ad choreas, & alia vana. Jordanus *num. 86.* Et quis incuset illos quinque Nobiles, & nubiles fratres, ac sorores? qui Anno Millesimo sexcentesimo septuagesimo primo ferè toto pedem è domo non posuerunt, idcirco, quòd vix haberent, quo tegerent ea, quæ velari natura jubet, ut didici ex literis testis oculati, in nobili, & nullis bellis infestata provincia Germaniæ, qui testis sua religiosa, industriáque Charitate eò rem deduxit, ut singulis partim à Magistratu, partim à propinquis suppeditarentur necessaria vitæ honestè transigendæ.

In his tamen tribus casibus si possit quis in 490
tenebris, atque adeò sine probro interesse Sa-

ere, obligatur ad id, testibus Tannero, Suarez, Palao, Dicastillo *num. 176.* qui addit rectè, sæpe fieri, ut vestis, quæ non est indecora in platea, habeatur pro indecora in Ecclesia. Addit quoque, si possit sibi facilè comparare decoram vestem, obligari. At quis obligabit illum ad aliquam commodatò petendam? Quis ad emendam præcisè, ut decorè compareat in templo? Inopia solet premere istos. Potiùs sæpius peccant, qui ex sola avaritia non comparant suis liberis vestes contra frigus in templo. Huc refer, quòd Marchantius *cit. Tract. 4. cap. 6.* excuset sponsos, & sponsas locorum, in quibus sit unicum Sacrum, si ii ab illo absint diebus, quibus fiunt denuntiationes eorum Matrimonii, si quidem soleat tunc excitari risus ad eorum præsentiam, aut mos emanendi vigeat.

491 *Quintò.* Excusatur & is, cui impendet damnum in fortunis, si velit parere legi Ecclesiasticæ. Et quamvis DD. communiter loquantur de solo damno notabili, satis tamen suprà *num. 442.* firmavimus generalem Regulam de metu *Mediocris* mali; mali, inquam, mediocris in quovis genere bonorum. Hinc ob periculum damni, seu amittendi salarii, excusavimus *Casu XV.* famulos; & sunt extra culpam, qui domi remanent ob avertendum furtum, vel incendium. Qua in re, ne difficiles sese ostendant Confessarii, monet meritò Tamburinus *num. 6.* ductus & doctus

Suo malo.

Cum enim tunc Rector ipse Collegii Montis Regalis vetuisset, ob religionem festi, ne famulus disceret à nescio quibus paleis, hoc Missam audiente, abjeruut illæ in favillas.

Nondum duodecennium fluxit, cùm in vicinia nostri lacûs Podamici, seu Acroniani quædam Nobilis matrona furto amisit tria millia aureorum in parata pecunia, atque literis censualibus, dum, nemine relicto domi, concessit in templum.

492 Porrò, sicut *licitè* manes domi, vel apud tuum pecus ruri, quando necesse est ad avertendum damnum rerum tuarum, vel alienarum, tibi, *explicitè*, vel *implicitè* commissarum, ita etiam *licitè* ob faciendum lucrum *alicujus ponderis & momenti.* Azor *cit. Cap. 7. quæst. 1. sub init.* testans esse communem, ac sequitur in specie Tamburinus *num. 7.* Bassæus *Tom. 1. verb. Missa 9. num. 3.* item Jordanus *num. 141.* in simili loquens de labore servili, item Arriaga *Tom. 4. disp. 27. num. 26* loquens de grandi lucro. Ego tamen sum contentus phrasi Azorii, quia notabile lucrum amittere, est damnum grave. Tambur. post Sanch. & Dianam, *Part. 2. Tract. 15 Resol 35* Consentit nobis post Suarez Strcinius *in Regulam IV. in 5.*

Ex quibus facilè deduces solutionem hujus

Casus Practici.

Comitissa N. enixa est prolem masculam summus desideriis, ac longo jam tempore expectatam; id si primus nuntiaveris ejus matri, donabit tibi pro evangelio duos ducatos; at non eris primus, nisi negligas Sacrum, an licitè *negliges?* 493

Resp. Es aut honestæ fortunæ, aut tenuis? In neutro casu excusabit te Arriaga. Ego autem in *secundo*, imò, si agatur de uno solo ducato, sisque verè pauper, poteris præsumere de benignitate Pontificis, adeóque facultate *interpretativa*; etenim lucrum unius ducati, seu Aurei, est respectu pauperis notabile, & alicujus ponderis, ut verbo Azorii utar in re tam accuratè ponderari solita; & Rodriquez excusat agasones, qui foris ideo pascunt, & custodiunt suos mulos, ne oporteat facere sumptus pro illis in hospitio.

Quæres autem, quod quærit nemo: *An scilicet, quando nemo est, qui possit domum custodire, nisi vir, aut uxor, teneantur vices mutare? Aut si adsit famulus adhuc, aut famula, an uxor teneatur vices mutare cum his?* Resp. Licèt maritus sit caput uxoris. *Ephes. 5.* eique uxor subdita sicut Domino *ibid. vers. 22.* quia tamen hæc non est ejus mancipium, sed socia. *Genes. 2.* atque alibi, idcirco censeo obligari, ut saltem aliquoties in Anno vel permittat uxori accessum ad templum, vel constituat fidelem custodem. Reor quoque, piè acturam uxorem, si quandoque ipsa maneat domi, ac pro se ableget ancillam, aut famulum ad Sacram ædem. Etsi enim ad id non obligetur, quandoquidem exditis *Casu XV.* certum est, famulos & famulas posse detineri domi cum jactura Sacri, si id necesse sit ad damnum domini avertendum; quia tamen charitas in proximum est virtus adeò excellens, non videtur Ecclesia vetare hunc actum charitatis. *At quid si hera illa non ex charitate, sed carnalitate, seu ædia, aut pigritia velit custodire domum?* Resp. Utile non debet per inutile vitiari, quia ergo habet jus mittendi ancillam, prava intentio non efficiet culpam lethalem ex hoc solo capite. 494 495

APPENDICULA AD VARIA.

Quod hoc *numero 495.* & *præcedente* scripsi de hera, vel hero quandoque remanentibus domi tempore Missæ, quæ unica celebratur in eorum pago, idcirco autem remanentibus domi, ut ancilla, vel famulus adire queat Ædem Sacram, firmat suâ authoritate Stephanus in *Theol. Mor. Tr. 5. disp. 4.* etiam eo casu, quo herus potiùs ex *carnalitate*, quàm ex vera *charitate* mittit famulum ad Missam. Firmat idem Stephanus & illud, quod *num. 335.* scripsi de famulis, qui priusquam operam suam addicant Dominis Acatholicis, pacisc untur cum his de concedenda facultate accedendi suis temporibus ecclesiam, Item *cit. dub. 16. num. 104.* mecum opinatur, spem lucri faciendi esse quandoque justam causam omittendi Sacri. Adhæc *num. 102.* adhæret mihi neganti infrà *num. 520.* esse hâc ætate fas struere, incoleréque eremitorium tam remotum ab Ecclesia, ut nequeat frequentari res divina. Denique tam in hoc *16. dub.* quàm in aliis suam *tertiam* editionem haud minimo densiorem efficit referendo (expresso tacitóque meo nomine) ea, quæ legit in meis libellis Alphabeticis.

496 *Sextò.* Qui iter agit, excusatur, si audiendo Sacrum sit amissurus socios, qui vel sint duces itineris ignoti. Bonacina *num. 6.* aut infesti latronibus. Henriquez cum communi; Vel qui persoluturi sint expensas itineris. Suarez *cit. vers. Tertium ex communi.* aut necessarii ad illas tolerandas. Tannerus *num. 87.* aut generatim allaturi aliquod notabile commodum. Suarez, & Dicastillo *num. 178.* aut præstaturi societatem necessariam, vel utilem. Silvester *loc. cit.* seu bonam societatem. Rodriquez *loc. cit.* adeóque levaturi tædium viæ longæ. Henriquez *num. 10.* atque Escobar *Lib. 43. num. 297.* quamvis Suarez, Nugnus, Bonacina, Tannerus, Iordanus, Bassæus, ac D. Reding. *num. 23.* exprimant, tenon excusari, si eos cum jactura Sacri sequaris solùm ob levandum tædium viæ, seu ut habeas socium

497 itineris. Sed assentior Henriquezio, quia scio, ita solere fieri sine gravi scrupulo, nec posse fine gravi, & notabili incommodo aliter fieri, Quin Tamburinus *num. 5. absolutè* excusat itinerantes *ex eo etiam capite, ne amittant socios.* Verè est permolestum, iter agere toto die sine comite, si possis habere, & jubearis carere; ergo hoc ipso adest titulus expressus, atque authoritate sufficiente probatus à nobis suprà *num. 442.* secùs si tantùm pauculas horas oporteret carere dulci vehiculo, id est, bono, & jucundo comite; certè festo die talibus non patrocinantur Suarez, Bonacina, alii, quos refert, sequitúrque meritò D. Reding *Tom. 6. q. 9. a. 4. controv. 5. num. 25.*

498 *Septimò.* Non licet seu terrâ, seu aquâ inchoare iter, non audito Sacro, nisi sit probabilis spes audiendi in via, aut nisi illud audiendo incurratur grave damnum. Suarez *l. c.* vel amittatur occasio transigendi grave aliquod negotium. Idem ex communi, addens, eandem esse rationem de quovis die durantis itineris; eandem quoque non itinerantium; qui quidem, si possint ante Sacrum, aut post, perficere, tenentur omnino; quamvis non obligentur aliquid detrahere de somno necessario, ut citiùs surgendo peragant illud opus, sicut jam notavi *Casu XV.* loquens de famulis.

Octavò. Authores, qui excusant cursorem pedestrem, adeóque tabellarium omittentem Missam, rectè ait Dicastillo *num. 179.* esse intelligendos casu, quo ex mora impensa auditioni Sacri, imminet illi, vel illis, à quibus mittuntur, aliquod damnum. Porrò hos non obligari abdicare sese suo ministerio, etiamsi forsan ordinariè cogantur omittere Sacrum propter transitum per loca hæretica, tradidi *Casu XV. num. 329.* 499

Nonò. Suarez excusat molitorem, quoties ei licitum est in die festo laborare; nam necessitas, quæ ipsum excusat ab opere servili, potest etiam excusare à Missæ auditione, si Missam nequeat audire, non intermisso labore. Sic loquitur Bonacina *num. 6.* ac Dicastillo *num. 179.* Quam locutionem Iordanus *num. 87.* & Palaus *num. 4.* restringit ad casum, quo ex auditione Missæ sequeretur non levis jactura rei temporalis; & ego quoque puto sic restringendam, licèt Henriquez *num. 10. lit.* D. loquatur absolutè. Vide, quod de *licitè* aurigantibus die festo dixi *Casu 1.* atque adde ex Iordano *cit. num. 87.* eos, qui coquunt calcem, etiam excusari, si nequeant sine damno deserere fornacem. 500

Decimò. Timens, ne propter sua delicta comprehendatur, si foras prodeat, maneat domi. Dicastillo *num. 187.* post Henriquez *num. 19.* 501

SECTIO IV.

Quomodo titulus charitatis, officii, seu obedientiæ, consuetudinis, majoris boni spiritualis, & vitii sacrificantis, excuset, non audientem Sacrum.

SUMMARIUM.

Quandonam ob charitatis opus sit fas omittere Sacrum? 502.
Quando necesse ad non dandum scandalum? 504.
Titulus subjectionis quando eximat? 506. & seqq.
Singulariter custodem pecoris? 508.
Et vectores merciùm, cursoresque? 509.
Et consiliarios? 510.
Consuetudo quibus patrocinetur in hac re? 511.
Refertur pulchra de consuetudine sententia S. Gregorii. ibid.
Quid sentiendum de omittentibus Sacrum ob luctum? 512.
Mos Congensium hac in re. 513.
Excusatur omittens Sacrum, ne omittat concionem. 515.
An ne omittat Confessionem? 516.
Aut ne agonizantem negligat? 518.
An liceat ædificare Eremitorium loco valde distante

ſtante ab Eccleſia? 519.
Quandonam ipſe Sacerdos det Laico juſtam excuſationem? 521.
An ſit fas rogare excommunicatum, ut faciat tibi Sacrum? 522.
Diſpenſari propriè nequit in Lege de audiendo Sacro. 523.

502 DUbitatur I. *Quandonam ob opus charitatis ſit fas, aut opus intermittere Sacrum?* Reſp. in ſequentibus caſibus. I. Quando inſervis ægro, ut omnes tradunt; & quidem non ſolùm, ſi tua continua præſentia ſit ipſi neceſſaria, ut non augeatur morbus, ſed etiam, ſi te abſente non poſſint ipſi adhiberi remedia convenienti tempore, cùm ægritudo eſt alicujus momenti, vel certè ſi gravis ſit, ſatis erit, quòd infirmus ſolus relictus illo tempore toto, quo aberis, pati debeat laborem, & animi anxietatem, aut aliquid ſimile. Sic loquitur Suarez *cit. ſect. 6. verſ. Quartum caput.* Sic etiam Dicaſtillo illum deſcribens *num. 189.* addénſque ſufficere, ſi ſervitium ſit valde utile; ſicuti etiam addit Tannerus *num. 39.* id verum eſſe, licèt non tenearis id officium præſtare infirmo; hac autem in re opus eſſe prudentiâ ac bonâ fide, ita ut ſi dubites, an tua præſentia ſit valde utilis, debeas alium (ſi adſit) conſulere, teſte Palao *num. 5.* meritò ſubdente cum Suarez, rarò eſſe timendum grave peccatum, quando proceditur hîc ex vera charitate; nam propter charitatem convenienter omittitur, quod propter eam eſt introductum, ſeu, quod pro charitate inſtitutum eſt, contra charitatem militare non debet, ſicuti ſententiam S. Bernardi refert Liamas *Part. 3. cap. 5. §. 11.* denique Bonacina *num. 3. abſolutè* eximit illum, qui adſcriptus cuſtodiæ ægroti non habet, quem ſubſtituat.

503 II. Quod hîc dictum de iſto opere miſericordiæ, dici poteſt quoque de cæteris ſeu *corporalibus*, ſeu *ſpiritualibus*, quando proximus eſt revera in neceſſitate, nec differi poteſt auxilium, ſine gravi ejus detrimento. Suarez *l. c.* etenim in his omnibus habet locum ſententia S. Bernardi; adeóque *licitè* omittis Sacrum, ſi neceſſe ſit ad audiendam Confeſſionem infirmi ægrotantis. Sicuti enim *licitè* præfers tuum notabile bonum auditioni Miſſæ, etſi ſæpe non tenearis præferre, ita & alienum; charitas enim etiam indebita, poteſt utique ponere legem Sacri in eo ſtatu, & circumſtantiis, in quibus hæc non obliget, ut rectè Suarez.

504 III. Si tuus acceſſus ad templum ſit futurus alicui certo homini occaſio efficax peccati mortalis, oportebit manere domi, judicibus Valentiâ *Tom. 3. diſp. 3. q. 18. p. 4.* Lopez & Mendozâ. Non oportebit, ſed licebit, arbitris Suarez *cit. verſ. Quartum*, Soto *in 4. diſt. 13. q. 2. a. 1.* Bonacina *num. 15.* Dicaſtillo *num. 263.* & aliis. Nec oportebit, nec etiam licebit, ceſſoribus Palao *n. 5.* & aliis. Ergo in tanta varie- 505
tate ſententiarum facito, quod fuerit tibi viſum in Domino, at non quod ex naturali affectu.

Dubitatur II. *Quo modo ratio, aut titulus Officii, ſeu obedientiæ eximat ab obligatione actuali accedendi liturgiam?* Reſp. ſequentibus modis. 506

I. Si ſis famulus, aut Ancilla. Qua de re ſatis ſupérque tractavi *Caſu XV.* ubi, quæ dixi, pleraque applicari poſſunt uxoribus, ac liberis; hi enim æquè ſubſunt patri, ſeu marito, atque famulus, licèt non æqualiter Speciatim ſic loquitur Rodriq. *cit. cap. 123.* Mulier non peccat omittens Miſſam, ſi, quando exit, rixatur maritus, *& eſt pauca pax*: Azor verò *cit. cap. 7. q. 1.* cum aliis exprimit rixam alicujus momenti, ſicut & plerique, quando ipſa debet parare prandium, & ſingulariter Dicaſtillo *num. 210.* poſt Henriq. quando cibos pro convivis, aut nuptiis: item plerique quando maritus eſt Zelotypus, & non vult, ut uxor ſe præbeat videndam aliis; quæ quidem eſt communiter ſtultitia ſtultiſſima.

II. Excuſantur etiam excubitores ad portas, valla, turres; item cuſtodes pecoris, & 507
ſimiles, de quibus cuſtodibus dixi *Caſu XV.* teneri mutare vices, quando ſunt plures, & poteſt à paucioribus cuſtodiri pecus, per breve tempus. Et ſic intellige Suarium *verſ. Quintum caput*, excuſantem illos ſolùm, quando nequeunt per alium ſupplere munus ſuum; per alium, inquam, cuſtodem ejuſdem gregis; eſt enim moleſtum, & extraordinarium, ut diverſorum gregum cuſtodes rogentur ad ſupplendam vicem. Dicaſtillo *num. 179.* multò minùs obligantur aliquem pretio conducere. At quando ſunt plures cuſtodes unius gregis, ſiúntque plura Sacra, debet pars intereſſe uni Sacro, altera alteri, ſi abſque periculo fieri queat. Azor *quæſt. 7.* Et verò tradit Navar- 508
rus apud Rodriquez dominos eſſe monendos à Confeſſariis, ut plures conſtituant cuſtodes, ut mutatis vicibus poſſint ſinguli vacare Chriſtianæ pietati. Sed hæc conſuetudo non viget. Teneri quoque, antequam educant ex urbe ſua pecora, audire Sacrum, ſi poſſint, notant Iordanus, & alii; & utique ſæpe poſſunt in Vere, atque Autumno, in urbibus, in quibus unum, aut alterum Sacrum celebratur, ante ortum ſolis. At verò an teneantur, horâ quartâ matutinâ, ſi tunc, ut multis locis, ſacrificetur, non dicunt in ſpecie autores. Reſolutionem pete ex dictis de famulis *num. 341.*

III. Huc etiam ſpectant vectores mercium, 509
itémque curſores, notabile damnum timentes, ſeu magnas expenſas facturi, ſi debeant exſpectare tempus Sacrificii. Bonacina *num. 6.* ſeu graviores expenſas, ut loquitur Palaus *num. 4.* Præterea matres, & nutrices quæ infantes deſerere non poſſunt. *Et ſatius eſt regulariter domi retinere, quàm ad Eccleſiam ſecum deferre,*

ob inquietudinem, quæ aſtantes moleſtat, & celebrantem turbat. Sic loquitur Palaus *num. 6.* poſt Coninck, Henriquez, Bonacinam. Vide ſuprà *num. 318.*

510 IV. Silveſter excuſat nominatim Conſiliarios, urgentibus cauſis occupatos. Ita etiam Navarrus. Azor quoque *q. 1.* ipſoſmet Senatores, quando nequeunt commodè expedire negotia gravia Reipublicæ; ſicuti & miniſtros, qui toto tempore Sacri occupantur in parandis neceſſariis Sacrificio, ſi alii nequeant commodè haberi.

511 Dubitatur III. *De conſuetudinis hac in re.* Reſp. Sapientiſſimè quidem reſcripſit S. Gregorius Papa, relatus *Cap. Si conſuetudinem, diſt. 8.* Epiſcopo Averſano in hæc verba: *Si conſuetudinem fortaſſis opponas, advertendum eſt, quod Dominus dicit: Ego ſum veritas, & vita. Non dixit: Ego ſum conſuetudo, ſed veritas. Et certè (ut B. Cypriani uramur ſententiâ) quælibet conſuetudo quantumvis vulgata, veritati tamen eſt poſtponenda, & uſus, qui veritati eſt contrarius, abolendus.* Sapientiſſimè inquam, 512
ita quidem reſcripſit S. Gregorius, attamen vigent circa omiſſionem Miſſæ variis in locis conſuetudines contrariæ veritati, ac bonis moribus, quia pietati; tolerantur tamen à Prælatis, & Doctoribus, quòd aboleri nō poſſint. Sicuti in pluribus locis, ac nominatim in Dalmatia, puellæ nubiles nō permittuntur à parentibus adire templa, etſi perurgeant Epiſcopi teſte Jordano *num. 89.* ſicuti etiam viduæ in quadam Provincia Hiſpaniæ hærent toto primo Anno viduitatis intra privatos parietes, quem morem etſi abolitum vellent Navarrus *c. 21. n. 5.* Rodriq. Graffiis, alii; idem tamen Navarrus non audet facere Epiſcopo poteſtatem, eum ſuo præcepto ex abrupto tollendi, invitis laicis, audet tamen Rodriquez, bene oppugnans hunc morem; ſicut & impugnant meritò, ſed fruſtra RR. PP. Capucini in regno Congenſi illum, quo ſolent & mulieres poſt obitum unius è cognatis, & viri poſt funus matris, patris, aut uxoris, toto Anno hærere domi concluſi, quemadmodum teſtis oculatus ſcribit R. P. Franciſcus Romanus *in hiſtoria Congenſi cap. 10.* Italicè conſcripta.

513 Tolerabilior eſt ſine dubio mos puerperarum, per pauculas hebdomadas ſe continentium domi, modò non faciant ex religione Iudaica, aut animo imitandi B. Virginem. Henriq. *num. 12.* ſed ex humilitate, agnoſcentes propter ſuam immunditiam ſe non eſſe dignas, quæ conſiſtant in locis Agno immaculato conſecratis; ut verò ob menſtruum fluxum abſtineant aditu Eccleſiæ, non permittit conſuetudo. Palaus *num. 7.* poſt Navarrum, Bonacinam, alios, qui etiam (præſertim Hiſpani, & Itali; nam in Germania riſſimum periculum eſt) excuſant matres, remanentes domi ad cuſtodiam filiarum periclitantium pudicitiâ. Ipſas puellas manere domi, non permittit mos Germaniæ, nec permittendum, ut is invaleſcat. Tannerus *numero 41.* Revera Teutones non ſunt tam ſalaces, quàm quidam ex aliis quibuſdam nationibus.

Dubitatur IV. *An major utilitas ſpiritualis* 514
præbeat juſtam cauſam prætermittendi rem divinam?

Reſp. I. Si fingatur caſus, quo acceſſus ad concionem, vel ad cathechiſmum ſit neceſſarius ad tuam ſalutem, nec poſſis illi, & Sacro intereſſe, poteris præponere Sacro, ut fatentur DD. hactenus citati, non autem, ſi non ſit neceſſarius, ut quidem eſt longè riſſimè; & idcirco rejicitur communi calculo Angelus, *abſolutè* docens, poſſe Miſſam omitti ob concionem, ſibi futuram utiliorem; quam ſententiam vocat Suarez falſam, Nugnus ſtultam, Azor *Quæſt. 10.* temerariam. Dicaſtillo *num. 169.* poſt Henriquez teſtatur, F. Lupum celeberrimum concionatorem fuiſſe adactum revocare pro ſuggeſtu, quod priùs dixerat juxta ſententiam Angeli. Negant ergo hi & alii authores, eſſe Sacrum omittendum, ob majus bonum *ſpirituale*, ſi, ut addit Dicaſtillo *loc. cit.* illud bonum *ſpirituale* poſſit alio tempore haberi; at ſi non poſſit, neſcio, quid dicturi ſint hi ſcriptores. Certè difficile eſt 515
capere, quo pacto liceat ob conſervationem boni *temporalis* toties omittere Sacrum, & non liceat propter notabiliter majus bonum *ſpirituale* quod negligetur, niſi negligatur Miſſa. Equidè ducerē mihi Religioni, injicere Religionē peccati illi, qui, cùm nunquā audiſſet celeberrimum, & petra ipſas conterentem concionatorem, illectus magnâ ſpe ſuæmet converſionis, nec habiturus aliam occaſionem illum audiendi, conferret ſe ad ipſum cum jactura involuntaria Miſſæ. Certè D. Reding *cit. controvers. 5.* excuſat rudem rerum neceſſariarum ad ſalutem, qui, ſi non adeat etiam cum jactura Sacri catechiſtam, permanebit in ſua ruditate.

At quia perquam periculoſum eſt, hærere 516
in mortali crimine, ideo ſi omittenda tibi ſit Confeſſio, vel auditio Sacri, *hancne tutò omittes?* Negabunt fortè Suarez *verſ. Septimum Caput*, & Palaus *P. 16. num. 4.* dicentes, *regulariter loquendo*, Miſſam non eſſe poſtponendam Confeſſioni, favéntque Azor, *c. 7. q. 8.* ac Tannerus *n. 40.* eò quòd res *conſilii* non ſit anteponenda rei *præceptæ*; conceſſiſſet fortè Leſſius, ut deduces ex verbis ejus relatis *Caſu X. num. 266.* Ego videns à DD. admitti tam facilè excuſationes ob avertendum damnum *temporale*, minimè æquiparandum miſerabili ſtatui hominis tradentis ſe ſomno nocturno, dum eſt in ſtatu peccati mortalis, cenſeo, poſſe rationabiliter ſuſtineri ſententiam oppoſitam Suario; quamquam fortè nec ipſe, nec alii ſunt contrarii, non enim loquuntur de hoc caſu, ſed poſſunt intelligi de con-

conscio peccati solùm venialis, quo casu assentior ipsis. Profectò S. Thomas qui capere non poterat, quo pacto reus peccati mortalis auderet se nocturnæ quieti committere, non
517 miraretur, puto, illud meum responsum. Illud certum, quòd gravius præceptum debeat præferri præcepto de Missa. Henriq. *num. 10.* post Navarrum; & quòd quandoque concionator, etsi perrarò, debeat omittere Missam, ut paret se ad concionem. Henriq. *num. 10. lit. M.* & denique quòd res solius *consilii* nonnunquam *licitè* præferantur rebus *præcepti*, ostendam infrà *Tract. 19 Cas. XIII. sect. 1. in Append. Apologet. Lit. E.* & *seqq.* contra Stephanum à Sancto Paulo, immeritò supponentem contrarium.

518 II. Vtique foret excusandus, tum qui cum jactura Sacri advocaret sacerdotem ad extremè periclitantem; tum qui cum eadem jactura hortaretur ad extremam luctam; tum etiam sacerdos, qui Confessionem *ex præcepto* faciendam, & non nisi incommodè differibilem in aliud tempus exciperet; nam talem pœnitentem excusant Azor *q. 8.* & Bonacina *num. 23.* Ergo & ipse confessarius videtur excusandus. Potest autem fortè quandoque hîc locum habere doctrina, de confessario audiente Confessiones in templo tempore Sacri, quam tradidi
519 *Casu X.* III. Azor *c. 1. q. 6.* excusat solùm ob bonam fidem priscos eremicolas, qui toto Anno non accedebant rem divinam, ob nimiam distantiam à locis habitatis; unde quæri potest, *an liceat pietatis studio ædificare Eremitorium, pro loco habitationis tam procul, ut non nisi rarissimè possit ob distantiam, vel aliud impedimentum, adiri templum?*

520 Resp. Quandoquidem tale vitæ institutum non est suscipiendum absque aut oritate Prælatorum, his autem suppetunt justissimæ causæ non permittendi tantam anachoresin, seu separationem ab hominibus, ideo omnibus circumstantiis *in concreto* expensis judico, non esse id licitum nisi in casu valde raro. Assentitur mihi P. Stephanus *in Theol. moral. disp. 4. num. 102.*

521 Dubitatur V. *An, & quando ipse sacerdos det laico justam excusationem?*

Resp. Dat tunc, quando est excommunicatus *vitandus*; ejus enim Sacrum ne quidem licet audire, ut tradunt omnes, ob claros textus juris; at verò si sit excommunicatus *non vitandus*, id est, neque notorius percussor clerici, neque nominatim excommunicatus & declaratus, *licitè* quidem audies ejus Sacrum, at non teneberis, juxta Laymannum *Lib. 4. Tr. 7. cap. 4. num 4.* dicentem, eandem esse rationem presbyteri *notoriè* concubinarii, cujus Missæ assistere ne quidem licere, putant Rodriquez Silvester, Navarrus, Covarr. Sed refutat eos nominatim Palaus *num. 9.* eò quòd revera nullum jus prohibeat communicare in Sacris cum excommunicato tolerato, cúmque ullo concubinario, & consequenter non habeas justam causam excusandi te. Hæc ratio facit, ut adhæream Palao propter paritatem cum illo, cui tempore interdicti sit potestas audiendi Sacri, de quo vide *Casu XVIII.*

Ergo non tantùm licebit, sed oportebit (in 522
defectu alterius) interesse Missæ talis hominis indigni charactere, quo insignitus est. Vide Valentiam *Tom. 4. d. 6 q. 10. p. 5.* Suar. *loc. cit.* Dicastillo *num. 44.* alios dissentientes à Laymanno. *At eritne mihi fas eum rogare, ut celebret?* Resp. Nefas, si possis alium facilè habere, nam alioquin præberes ei scandalum sine justa causa. Item nefas teste Azor *q. 16.* si velis ex sola devotione audire, fas autem, si ex præcepto, aut iis est tuus parochus. Etsi autem graviter delinquas, assistens Sacro nominatim excommunicati, degradati &c imples tamen substantiam præcepti, proinde non remanet onus assistendi alteri. Dicastillo *cit. disp. 5. num. 47.* sutè discutiens hoc punctum præteritum ab aliis, ac inde inferens, si sacerdos excommunicatus sacrificet, ac statim post suum Sacrum obtineat absolutionem, haud opus esse, ut audiat eodem die aliud Sacrum.

Quærunt hîc Suarez, Palaus, Laymann. alii: 523
An qui aut nequit, cùm velit: aut non vult cùm possit, audire Sacrum, teneatur recitare alias preces? Sed jam respondi ex communi *negativè* suprà *num. 66.*

Hîc noto, ab eodem Suarez *sect. 1. in fin. absolutè* negari, quòd possit rationabiliter dispensari cum aliquo in hoc præcepto, eò quòd DD. adferant tot causas *per se* excusantes, ut præter has desiderare, aut proponere aliam, videatur alienum ab animo religioso & fideli. Ergo ex mente hujus Doctoris Superior debet potiùs declarare, quàm dispensare propriè. Hoc mihi non displicet.

QUO FRUCTU AUDIATUR SACRUM.

CASUS XXI.

Herois Christiani.

SUMMARIUM.

Casus de Comite Tyllio, habente, dum interesset rei divinæ, Angelum pro Vicario in exercitu. 524.

Quotuplicem fructum referant, qui intersunt Missæ. 526, & seqq

Hi

Hi sacrificant suo modo. 528.
An, ut fructus referant, debeant esse in statu gratiæ. 530. & 531.
An proveniant ex opere operato. 532.
Quomodo possint donari alteri. 533.
An licitè accipias pecuniam pro fructibus Sacrificii priùs auditi. 534.
An licitè pecuniam accipias, ut pro alio Sacrum audias? 535.
Casus Tragicus circa hanc rem. 536.
Præstetne interesse Missæ, quàm curare pro se absente sacrificari? 537.

524 *Xenocrate castior, Xenophontis calamo dignissimus Ioannes Tserclasius Comes de Tylli Heros verè, Christianus, exercitûs Cæsariano-Bavarici Supremus Ductor, aderat Anno 1631. rei divinæ, quam P. Ioannes Pierson, Tyllianæ conscientiæ arcanus judex, orsus erat in horreo (Mars non horret ejusmodi loca) summo manè, cùm Baro de Lindelo curriculo advolat è castris nuncians, hostem (erat is Christianus Dux Brunsvicensis, vulgò Vnimanus dictus, ob alterum brachium post rapinas sacrilegas recisum) adornare fugam ni properè eatur in illum, evasurum. Tum Tyllius* cernis; *inquit* mi Lindelo, quàm grave negotium me detineat; revola confestim ad exercitum, ac jube ordines instrui, mox ut perlitatum fuerit, consequar. *Subdit equo calcaria Colonellus, quàm potest ocyssimè, brevissimâque viâ accurrit ad exercitum; sed ecce rem prodigiosam! Vbi illuc pervenit, conspicit Tyllium ordinibus obequitantem, tàmque feliciter promoventem, ut fuerit eo die illustris victoria relata de feroci hoste, numerante sub signis triginta millia capitum; omnes equitatus fusus, peditatus propè omnis aut peremptus, aut captus. Quotquot post collecta spolia audivere ex Lindelo, quid in horreo gestum, quid responsum, haud immeritò pronuntiârunt, supremum Numen fuisse prodigiosè remuneratum piam religionem ipsorum Imperatoris, misso cælesti Genio qui obiret vices tam pii herois; utique postquam ex ipso Patre Pierson, aliisque cognoverunt, ipsum Tyllium præstolatum fuisse finem sacrificii, eóque perpetrato conscendisse equum, insidentem intinxisse buccellam panis in pauxillum vini, quo subinde hausto, secutus fuerit vestigia Tribuni, ac repererit aciem jam instructam.*

Rem hanc omnem, ut narro, recensuit mi- 525
hi ipsi Monachii Bojorum P. Pierson, cùm Anno 1626. è tumultibus bellicis sese recepisset ad quietem Religiosam. Audivi quoque non semel, ipsum etiam Baronem de Lindelo mihi notum, non paucis denarrâsse; hoc autem loco descripsi, cùm in tantæ rei memoriam, tum in robur illius verè Catholicæ sententiæ, quam S. Cyrillus Hierosolymitanus Annis ab hinc 1300. *Catechesi 5.* protulit, cùm scripsit, hoc Sacrificium offerri *pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, pro afflictis,* & in summa *pro omnibus indigentibus auxilio.* Hi aliique fructus derivantur singulariter in eos, qui piè intersunt divinæ Liturgiæ, ut jam breviter explico.

Quæritur enim, *quotuplicem fructum refe-* 526
rant, qui religiosè assistunt celebranti Sacrosancta Mysteria?

Resp. singulariter triplicem; constat enim ex Concilio Tridentino, *sess. 22. Can. 2.* Sacrificium Missæ esse *propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium*; illic enim feritur anathemate, qui dicit, *sacrificium Missæ non esse propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere.* Vocatur *propitiatorium*, quatenus per illud obtinetur condonatio pœnarum, debitarum culpis remissis; *impetratorium*, quatenus omnimoda bona temporalia, & spiritualia (diversa à remissione culpæ, ac pœnæ) nanciscipossumus per illud.

Quamvis autem particeps horum omnium 527
fructuum possit esse quilibet, pro quo non ponente obicem sacerdos offert immaculatam Hostiam, attamen redundant multò uberiùs in assistentes Sacrificio; nam iis fructibus, quos hi percipiunt mensurâ communi cæteris fidelibus absentibus, additur auctarium grande, ex eo, quòd ipsimet aliquâ ratione peculiari sacrificent; etenim sacerdos post *Orate fratres*, dicit fratribus circumstantibus, quos adhortatur ad orandum: *ut meum, ac vestrum Sacrificium, acceptabile fiat, apud Deum Patrem omnipotentem*; & rursum post primum *Memento* ait: *omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*; ut jam notavi *in Alphab. Sacrificantium Casu IV. & in Casu V.* dixi, illud auctarium nuncupari portionem, seu fructum *specialem*, quem ut distinctiùs pro captu fidiorum, vel minùs doctorum explanem

Noto 1. Sacrificium esse ita *propitiatorium*, 528
respectu assistentium, ut Deus largiatur iis gratiam, quâ adjuti peragant necessaria obtinendæ condonationi culparum mortalium, ut est attritio, confessio &c. Venialium quoque omnium, ad quas non habent vigentem affectum, deletionem obtineant hoc ipso, quòd

Sacrum

Sacrum offerant, pro remissione harum; ut proinde mortalia crimina non remittantur *directè*, & *immediatè* per ullum Sacrificium, sed tantùm *mediatè*, *indirectèque* eo modo, quem indicavi; at verò venialia *directè*, *immediatéque*, dummodo in eum finem audiatur Sacrum, ut habet probabilis opinio multorum.

529 Idem Sacrificium est ita *satisfactorium*, ut per illud *directè*, *immediatéque* expietur, deleatúrque aliquid de pœna purgatorii debita peccatis lethalibus, vel quotidianis jam dimissis: remittatur, inquam assistentibus incruentæ immolationi, esto non offerant expressè in hunc finem. Denique est *impetratorium* illo modo, quem paulò superiùs indicavi. Horum, quæ dixi, probationem, seu ex ratione, seu ex auctoritate petitam reperies *in cit. Alph. Cas. V.* His addes, ut per Sacrificium à te auditum, unam rem potiùs, quàm alteram impetres, necessariò esse auditionem dirigendam ad illam, siquidem impetratio non fit nisi per orationem, oratio autem determinare debet Deum, ad concedendum hoc potiùs, quàm alterum, determinatur verò communiter à supplice.

530 Quòd si interroges, utrùm potiturus hisce tribus fructibus, debeat esse in statu gratiæ. Respondeo *affirmativè*, si sermo sit de secundo; etenim peccati venia non datur, nisi correcto. *Regul 5. in 6.* ergo non dimittitur pœna ulla debita peccato mortali, nisi adsit remissio quoad culpam. Imò neque peccatorum mortalium, remissorum in ultima legitima confessione; neque venialium commissorum ante, vel post illam condonationem quoad pœnam, seu *totalem*, seu etiam *partialem*, acquiritur tunc, cùm quis est inquinatus maculâ peccati lethiferi; haud enim convenit, ut Deus suo constanti, pervicaciquehosti dimittat vel tantillum de supplicio justè decreto in ejus grandia delicta.

531 Vt *de congruo* merearis gratiam, quâ auxiliante agas re ipsa condignam pœnitentiam, necessarius non est gratiæ status; sicuti utique etiam tunc non est necessarius, quando impertitur tibi re ipsa illa gratia auxiliatrix, aut præventrix, utpote per quam fit præparatio ad reconciliationem cum Deo; & quia status gratiæ non exigitur necessariò ad exorandum Deum. S. Augustinus *Tract. 44. in Joann.* apud & cum S Thoma *2. 2. quæst. 83. a. 15. in corp.* ideo etiam impetrare potes varia bona, dum religiosè socias sacrum mystam; esto hic sit in numero filiorum Dei, tu hostium. Quia tamen Deus ægre exaudit, minúsque munificè tractat inimicos, quàm amicos, & secundum fructum, ut vidimus, non largitur, nisi iis, quibus Salvator dicere potest: *Vos amici mei estis, Joann. 15.* eam ob rem consultissimè agent concionatores, si quandoque suos auditores monuerint, ut, quando hi sciant, se reos alicujus gravis noxæ, priusquam pergant adesse divinæ liturgiæ, conentur elicere actum perfectæ Contritionis, vel Amoris Dei super omnia. Vtrùm verò hi 532 fructus concedantur ex opere operato? An, & quo modo, seu quando infallibiliter? non est mei instituti edisserere. Omnes Scholastici R.R. qui scribunt de Sacrificio Missæ, nominatim Tannerus *qu. 9. dub. 4.* & Cardinalis de Lugo *Disp. 19. de Eucharistia* pertractant hoc dubium

Quæres II. *Vtrùm* licitè, & validè *possit quis* 533 *hos fructus donare alteri?*

Resp. Fructum impetrationis potes *licitè*, ac *validè* donare alteri. Lugo *loc. cit. num. 165.* potes quoque fructum satisfactionis; constat quippe excommuni doctrina de Indulgentiis, quòd possimus nostra opera, quatenus sunt satisfactoria, transferre in alios; siquidem communio Sanctorum, quam profitemur in Symbolo, magnam partem consistit in tali applicatione. Denique, quia fructus propitiationis etiam acquiritur per modum impetrationis. Tannerus *Tom. 4. disp. 5. quæst. 9. num. 91.* ideo etiam potest donari alteri. Vnde apparet, non ineptè loqui rudes, quando dicunt, se velle Sacrum audire pro altero.

At, licetne pecuniam accipere, ut quis pro alio 534 *Missam audiat?*

Resp. Licet, eo modo, quo sacerdos accipit pro Sacro faciendo, qui quidem, quia accipit pecuniam, non ut pretium fructûs spiritualis, alioquin esset simoniacus, sed ut stipendium laboris, ita etiam potest pia vidua dicere alicui matronæ: *Audiam hodie tria Sacra pro te*, id est, totum, quoad in me erit, fructum trium Sacrorum à me hodie audiendorum tibi donabo, si mihi dederis prandiolum, aut ternos crucigeros &c.

Quid si autem primùm post illa tria Sacra dicat ea Vidua: fructum Sacrorum, quæ audivit, tibi donabo, si tu mihi prandium?

Resp. Dicet *impiè* & *invalidè*. *Impiè* quia 535 revera tunc vult vendere ipsummet fructum spiritualem, seu commutare cum re temporali. *Invalidè*; quia fructus Sacrificii non manet tam diu suspensus; ergo statim, ubi fuit finitum primum ex illis tribus Sacris, fructus effusus est in illam viduam, si sibi applicavit; si alteri, in alteram; si nemini, remanet in thesauro Ecclesiæ, ad quem vidua 536 non habet claves. Lege, si placet manifestum supplicium in rusticum, qui viro Nobili valde tristi, ob Sacrum citra suam culpam neglectum, vendidit omne emolumentum Missæ à se auditæ, ac statim post, superatus tentatione dæmonis, suspendit se ex arbore. Refert id supplicium ex Pio II. Pontifice M. inter cæteros Alphonsus Rodericus noster. *Parte 2. Tractatu ultimo, cap. ultimo.*

Quæres III. *Vtrùm præstet interesse Missæ, quã* 537 *curare pro se absente sacrificari; adeóque num melius agat, qui Sacrum audit pro alio, quàm qui curat fieri pro alio?*

Resp. Ad hanc curiosam simul, utilémque quæstionem esse sufficienter à me responsum *in Alphabet. Sacrificantium, Cas. V.* ubi refero, quid à P. Tamburino fuerit responsum pauperi viduæ, quærenti, quid consultiùs faceret pro suo viro defuncto, curandóne aliquas Missas fieri pro ipso, an pro eodem aliquas, sed plures audiendo.

POENA NEGLIGENTIS SACRUM.

CASUS XXII.

Fulmineus.

SVMMARIVM.

Casus horrificè puniti ob neglectum Sacrum. 538.
Non extat in jure lex statuens pœnam in negligentes Sacrum. 540.
Parochus qui se geret erga tales? Ibid. & 541.
Huic non competit potestas excommunicandi. Ibid.
An licitè *invites, ad te comitandum, illum, qui necdum audiit Sacrum? 543.*
Quid si invites, quia alias patrabit domi grave crimen? 544.
Parato magnum damnum inferre alteri licitè *suadeo, ut inferat minus. 546.*

538 *Anonymus, non audito Sacro die festo, comitatur Trebonium, qui functus officio Christiani catholici proficiscebatur ad venationem; & ecce subitò glomerantur nubes, immugit æther, fulgur oculos perstringit, insonat horrifica vox*: Invola, percute. *Et cum hac voce fulmen vibratur in Anonymum, ac momento temporis exanimat. Magno, ut par erat, terrore consternatus Trebonius prosequitur iter: prosequentis aures, animúmque percellit, ac tantùm non enecat eadem vox fulminatrix*; Invola, percute. *Sed hanc excipit alia*: Non possum. *Quia hodie audivit illud*: Verbum Caro factum est.

539 S. Antoninus descripsit *in 2. Part. Theol. Lib. 9. cap. 10. §. 4.* hoc terrificum cœlestis ultionis exemplum; atque ex illo P. Alphons. Rodriq. *Part. 2. Tract. 8. cap. 16.* aliique plures; nos ejus occasione quærimus 1. *Quapœnà plectant homines neglectum rei divinæ, quandoquidem Deus tam severè?* 2. *Vtrùm Trebonius non fuerit ejusdem meritus vindictam divinam, quòd Anonymum acceperit comitem sui itineris, ac recreationis; adeóque generatim, an, & quatenus peccent, qui scientes, hunc, aut illum non audivisse rem divinam, accipiunt illum socium itineris, aut laboris sibi liciti?*

Ad *primam* quæstionem respondeo, non ex- 540
stare ullum textum in jure, qui decernat pœnam à negligente Sacrum, incurrendam facto ipso; solum *in Cap. Missas. De consecratione. dist. 1.* jubentur tales confundi ab Episcopo, scilicet per reprehensionem etiam publicam, si privata nihil proficiat, imò denique per excommunicationem. Addit P. Suarez *Tom. 3. in 3. Part. disp. ult. Sect. ult. §. ultimo* in quibusdam parvis oppidis solere à Parochis denuntiari ejus furfuris homines, quod tamen est prudenter ac circumspectè faciendum, ut videlicet priùs constet, neglectum illum esse planè voluntarium ac frequentem; deinde priùs commonefiat privatim, adhibitis etiam minis.

Quando autem hujusmodi correctio non 541
sufficit, potest, judice Suarez, adjungi excommunicationis severitas, nam & hæc culpa gravis est in se, & præbet crebrò non leve scandalum, & denique qui per longum tempus negligit hæc officia divina, reddit se suspectum de hæresi, sicuti vice versâ *optimum indicium fidei est, etiam in diebus profestis Missarum solemnia interesse*, inquit Suarez. Unde quando Galli significare volunt, aliquem è Calvini hara ad Catholicorum aras, ac religionem se recepisse, dicunt; *Il va à la Messe*. Ir ad Missam.

Quia tamen Bonacina *De Censuris. Disput. 1.* 542
quæst. 1. num. 5. Filliucius, atque alii negant, Parochis competere jus excommunicandi quemquam, videat quilibet Curionum, quid circa hoc sit moris in sua Diœcesi; etenim si vigeat longa consuetudo excommunicandi, poterit posterior Parochus sequi exemplum anteriorum. Suarez *De Censur. Disp. 12.*

Ad *alteram* quæstionem respondeo, in pri- 543
mis graviter à te peccari, *per se loquendo*, si quempiam, etiam *per se* paratum negligere Sacrum, incites, vel invites ad faciendum quidpiam, quod ipse nequeat facere sine neglectu Sacri. Ratio est, quia revera illum invitas ad peccatum, adeóque propriè scandalizas. Propterea noster Trebonius fuit promeritus gravo supplicium à Deo, si invitavit Anonymum ad se comitandum, non ignarus, eum nondum paruisse præcepto Ecclesiæ; potuit etiam esse reus culpæ, ac pœnæ, si priusquam illum permitteret venire secum, non monuit amicè, ut potiùs accederet ædem Sacram, quàm silvam; habemus quippe omnes *Matth. 18.* mandatum de corrigendo proximo.

Resp. 2. Si tamen ponamus casum, quo tu 544
destinaveris tempore Sacrificii patrare domi aliquod grave crimen, E. g adulterium, incestum, homicidium, ego autem te non possim

aliter avertere à nefario consilio, quàm hortando, ut mecum adeas rus, ero immunis à culpa, tametsi agnoscens, te, si parueris meæ invitationi, mandaturum executioni tuum propositum de Missa prætermittenda. Ratio est, quia, generatim loquendo, *licitè* invito aliquem ad aliquod levius peccatum ab ipso jam destinatum, si ista invitatio sit necessaria ad impediendum gravius & atrocius. Ratio hujus rationis est, quia in primis si volenti te occidere suadeam, ut vitam tibi relinquat, sitque contentus abscissione sinistræ manûs; & militi destinanti incendere tuas ædes, vel auferre optimum ex tuis equis, sim auctor auferendi equi, & adista duo inducam, ea sola de causa, quòd non possim aliâ ratione impedire longè majus tuum damnum, certè non modò non judicabis, esse tibi à me illatam ullam injuriam, sed etiâ agnosces gratus beneficium; ergo neque Deus mihi irascetur, si
345 fecero, quod superiùs dixi. Deinde quando facio id, quod paulò antè expressi, non induco te *absolutè* ad negligendum Sacrum, sed tantùm *hypotheticè*, dicendo *expressè*, vel *tacitè*: *Quandoquidem est tibi constitutum, afficere Deum creatorem, & judicem tuum hac duplici injuria, esto contentus una, eaque leviore*; atqui nulla culpa reperitur in ejusmodi *hypothetica* inductione, ut est manifestum; ergo neque in illa mea superiore inductione ad egrediendum foras.

346 Denique, generatim loquendo, parato magnum malum inferre innocenti, *licitè* suadeo, ut eidem inferat minus, inclusum in illo majori, Lessius *De justitia Lib. 4. cap. 3. num. 33.* Tannerus *Tom. 3. disp. 2. quæst 6. num. 102.* Atque alii communi consensu, tametsi videantur dissentire Gregor. De Valent. *Tom. 3. disp. 5. quæst 21. punct. 4.* & Laym. *Lib. 2. Tract. 3. cap. 13. num. 7.* Atqui ita me habeo in casu proposito.

BREVE, ET ENUCLEATUM COMPENDIUM,

Eorum, quæ de Recitatione Horarum Canonicarum tradunt Omnes: Multi; Pauci; Nulli Theologi.

CASUS XXIII.

Non simplex, sed compositus, non fictus, sed factus.

SUMMARIUM.

Casus repræsentans plerosque defectus committi solitos in recitatione Breviarii. 547. & seqq.

547 *Zephyrinus linguæ Latinæ ac proinde Rubricarum Breviarii a imperitus, admissus fuit ad subdiaconatum, ea conditione, ut Grammaticæ scholæ operam daret.* b *Insignitus illo charactere cœpit quidem legere Horas Canonicas, at tam misere, & miserabiliter, ut diem integrum impenderet recitationi, mutilando, decurtando, omittendo.* c *Nactus usum majorem peritiam, ac promotus ad Beneficium curatum, multis Annis frequentissimè eas totas omisit, cui Diana consultus ab eo dixit, non teneri erogare in pias causas fructus omnes respondentes diebus, quibus neglexerat Pensum canonicum*; d *sicut & Medina de Canonico resolvit.* e

Quandoque recitabat Matutinum ex for- 548
mula Clementis VIII. non correcta, subdens reliqua ex correcta ab Urbano VIII. f *Idem faciebat, quando confessarius ipsi injungebat pro pœnitentia geminatam in die recitationem Breviarii.* g *Quin comitans processionem diebus Rogationum, nec canebat cum cæteris, nec privatim orabat Litanias,* h *sicut nec officium defunctorum diebus notatis in Breviario, seu etiam registro suæ Ecclesiæ.* i *Quando omnes parvas Horas omiserat, censebat, se sat bene confiteri, eisi non exprimeret numerum prætermissarum.* k

Non semel dixit Matutinum de feria, ad- 549
dens Laudes cum cæteris de duplici alicujus Sancti, ut cùm intellexit se potuisse legere Matutinum de illo. l *Aut quando vespere fuit in loco, ubi recitabatur de feria, manè autem sequenti in alio, quo festum ritu duplici colebatur.* m *Existens etiam unico die in pago extra domicilium proprium, diem patroni illius pagi tunc occurrentem celebrabat æquè in Sacris, atque in profanis.* n *Ratus se etiam, esse sibi fas, die feriali compensare officium duplex, vel semiduplex, quod quatriduo antè per oblivionem neglexerat, atque ita pro feriali dicere semiduplex.* o

Oculis & animo evagari, p *dormiturire;* 550
& non nisi vellicatâ fortiter auriculâ expergisci, q *unum Nocturnum ab alio, omnes lectiones Matutinales à psalmis separare,* r *Laudes & ipsum Sacrum præponere Matutino, sequentis diei matutinum ac laudes pridie, & quidem duabus horis post meridiem decurrere, ponebat in parvis, aut nullis peccatis.* s *Cùm solus orabat, tam summissè efferebat verba, ut ne ipse quidem se audiret,* t *quando autem cum sociis, vel socio in choro psallebat, consueverat ipsorum ultima verba festinando prævertere.* u *Nunquam ad preces, nunquam ad Sal-*

Salve Regina flectebat genua, præ desidia. x.
551 *Et quanta hæc ejus irreverentia? quòd non semel unam è parvis horis deblateraverit; quando ad loca sordida ibat, vel in iis hærebat?* y *Denique varia excogitabat, ob quæ sibi crebrò persuadebat, sibi esse fas, feriàs facere totipenso canonico unius diei, ac nominatim, quando iter agebat.* z *Quid, amabo, pronuntiandum de hoc mirabili Zephyrino?*

552 Cur hunc Casum nominem *non simplicem, sed compositum*, facilè divinas, mi Lector; in hoc enim continentur plusquam viginti tres. At, cur scribam, esse *factum*, non *fictum*, causa est hæc, quia tametsi non utique hæc omnia caduntin unum unicum sacerdotem, aut clericum, scio tamen, singula horum contigisse, nam & complura ex his reperi narrata à diversis Theologis, & de aliis, tanquam jam factis interrogatus ego sum, alia comperi aliunde, vel ipse vidi. Indicant verò immixti characteres Alphabetici hæc omnia, & quasi digito demonstrant complura ex dubiis resolvendis hoc loco, non sine cæterorum vel explicatione, vel expressione, ita instituenda, ut Sectione *primâ* comprehensurus sim materias notatas quinque primis literis Alphabeti; *secundâ* & *tertiâ* insinuatas literis ab *F.* usque ad *O*; *quartâ* enucleabit, quas innuunt cæteri characteres Alphabetici, usque ad postremum, qui postremus demonstrat thema Sectionis *quintæ*.

553 Doctrinas communes sic tradam, ut sim quidem plerumque indicaturus, quænam è controversis communibus mihi præplaceant, abstenturus tamen ferè probatione, ob brevitatem Lectori gratam. At verò singulares firmabo, quà ratione, quà auctoritate, nomine Singularium non intelligens Oppositas communibus, sed Appositas, eò quòd non nisi à pauculis, aut etiam à nemine sint explicatæ.

SECTIO I.

Quid, & quot sint Horæ Canonicæ; quas Personas, & cum quo onere obligent?

SUMMARIUM.

Quid, & quotuplices sint Horæ Canonicæ. 554.
Confutatur Junior Thomista carpens Jesuitas, quòd non surgant de nocte ad psallendum. 556.
Refert ad praxin scire, sintne septem, an octo Horæ Canonicæ. 558.
Obligati Breviario peccant mortaliter omittendo etiam semel. 560.
Nullus juris textus obligat Subdiaconos. 561.
An consuetudo, quæ defenditur contra nonnemi-nem. Ibid.
Obligatio illa incipit primo die Subdiaconatûs. Ibid.
Ideo peccat Subdiaconatum suscipiens, si necdum possit orare. 562.
Et immeritò nonnulli dubitârunt, an novi Subdiaconi non sint liberi primo Anno. Ibid.
Et meritò refutatur Leander negans obligationem pro primo die. 563.
Casus jam propè quadragenarii sacerdotis, imperiti Grammaticæ. 564.
Et liberi pronuntiati, ob vitiosissimam pronuntiationem. 565.
An talis debuerit resignare beneficium? Ibid.
Minoristæ non tenentur sub gravi culpa orare, quæ Ordinator imperat ipsis. 567.
Professio religiosa quos obliget ex opinione horum, aut illorum? 568.
Quid de Monialibus? 569.
Hæ nequeunt inducere consuetudinem. 570.
Quid aget Confessarius, quando Monachus, vel Monialis confitebitur, se omisisse Breviarium? 571.
Beneficiatus peccat mortaliter omittens Breviarium, esto, priusquam omittat, habeat propositum restituendi fructus. 573.
Excusatur tum, qui habet Beneficium litigiosum, sine spe obtinendi. 574.
Tum, qui ratione statuti nihil recipit primo Anno. 575.
Tum, qui ob furtum, aut sterilitatem nihil percipit. 577.
Tum, cui suum Beneficium non suppeditat bonam partem sustentationis. 578.
Adeòque, juxta Leandrum refutatum, qui non quadraginta ducatos. 579.
Unum duntaxat mortale committit omittens totum Breviarium, licèt sit parochus, sacerdos, Monachus, & plura possidens Beneficia. Ibidem.
Non autem peccat Capellanus in minoribus constitutus, omittens Breviarium, si fundator eum noluit obligare. 580.
Fructuum restitutio à quibus facienda? 581. & seqq.
An ab eo, qui omisit primo trimestri? 582.
An, qui in Anno tantùm octies, vel decies? 583.
An, qui præter officium canonicum habet alias functiones? 584. & seqq. distinctè.
Casus de Canonico percipiente aureos mille, & per biennium nihil orante. 587.
Quid si neglexisset tantùm partem notabilem, at non æquivalentem uni integræ Horæ? 589.
Quid si totas Laudes? 590.
Quomodo facienda restitutio. 591.
Certò non per eleemosynas datas ante omissionem. 592.
An per recitationem geminatam ante, vel post omissionem? 594.
An per pia opera applicata defunctis? 595.
An excusandus, qui non oravit impeditus morbo orto ex intemperantia? 596.
Casu non recitante officium, eò quòd ejus Capella-

laniam procuraret alius percipiens omnes reditus, Ibid. *in App. lit. a.*
Casus resignantis Canonicatum, at reservato Mortuario, Ibid. *lit. d.*

554 QUæritur primò, *Quid, & quot sint Horæ Canonicæ*? Resp. 1. Horæ Canonicæ sunt preces publicæ, & statæ, nocturnis, diurnisque horis è Sacrorum Canonum decreto persolvendæ. P. Laymannus *in Theol. Morali Lib. 4. Tract. 1. cap. 2.* Eædem jam olim à Micrologo sub Annum Christi M.LXXX. vocatæ sunt *Breviarium*. Gavantus *in Rubricis Breviarii Sect. 2. cap 1.* quia scilicet sunt breve, & admirabile compendium divinæ Scripturæ. P. Lessius *De Just. & Jur. Lib. 2. cap. 37. dub 8.* vocatæ quoque sunt *Orarium* ab orando. Gavant. *ibidem*. Dicuntur etiam preces, quia magna pars earumconstat variis precibus, seu petitionibus fusis ad Deum, licèt etiam contineant plurimas narrationes, instructiones, laudes Dei, &c. Dicuntur 2. *Canonicæ*, quia inductæ à Sacris canonibus, seu legibus, & Regulis Sacris, id est, Ecclesiasticis. 3. *Publicæ*, eò quòd recitentur publicè à personis Publicis, seu publico nomine Ecclesiæ, ita ut quivis Christianus, non excommunicatus, sit certò particeps omnium talium precum fusarum publicè, seu in choro; at non nisi probabiliter illarum, quæ privatim. P. Suarez *Tom. 2. De Relig. Tract. 2. lib. 4. cap. 29. num. 12.* & P. Oliverius Bonartius *De Horis Canonicis Lib. 2. cap. 24. num. 16.* Vide infrà *Disp. 1. num. 789.* & *sequent.* copiosè.

555 Dicuntur 4. *Persolvendæ horis nocturnis, & diurnis*. Etenim ex prima institutione deberent saltem in solennioribus festis tres Nocturni recitari de nocte, & quidem horis diversis, ut explicat inter reliquos Laymannus *loc. citat.*

556 Qui tamen mos jam à pluribus sæculis ita *notorie* est antiquatus in Ecclesiis sæcularibus, & plurimis Regularibus, ut me fugiat, quo jure, aut mente nonnemo è Recentioribus Thomistis calamum stringat alicubi indiscriminatim in clericos, haud minùs sæculares, quàm Regulares, adeóque non obscurè in Societatem Jesu (cujus præcipuos Theologos alibi indigitat non semel *Noctuas*, ludens satis juveniliter in nomine Molinæ, at minimè fortassis advertens, posse æquè à nobis ludi in nominibus Ferrariensis, Silvestri, Fumi, &c.) quòd non patiantur, se sub medium noctis, *è stragulis ad templi tegulas, è lecto ad Chori tectum, ex cubiculi caula, ad Dei aulam* (hæ sunt ejus, utique etiam habentis *caulam*, antitheles) *prolici*. Videtur sanè non satis se reflexisse ad id, quod & ipsusmet, & cæteri suæ Religionis Lectores, Magistri, Baccalaurei, Præsentati factitant, seu ordinariè, seu frequentissimè, ut nihil dicam de P. P. studiosis; & factitant innoxiè, quia legitimas ob causas; ob quas etiam in hac ipsa urbe Constantiæ totus eorum Conventus desiit surgere mediâ nocte, duobus, aut tribus Annis post illud scriptum vulgatum.

Resp. II. Romana Ecclesia jam pluribus 557
sæculis (quidquid sit de Græcanica) non numeravit in Breviario nisi septem Horas, ut videre est in Glos. ad *Cap. 1. De celebratione Missarum* computando Matutinum, seu Nocturnos, & Laudes simul pro una Hora. Suarez *loc.* 558
citato, Cap. 6. & alii, communiùs contra Navarrum atque alios. Et, (quamvis aliud sentiant PP. Suarez, & Bonartius) refert ad praxin, utra sententia sit vera; si quippe nostra est vera, non delinquit lethaliter, qui è Laudibus non omittit nisi dimidiam partem. Infrà *num. 613. Ibid.* Rationes contra nostram sententiam optimè dissolvunt idem P. Suarez ac Diana *Part. 5. Tract. 14. Resol. 46.*

Quæritur 2. *Quot genera personarum sint ad-* 559
stricta Breviario?

Resp. Tria, Clerici in Sacris, Clerici Religiosi, & Beneficiati. De tribus his generibus seorsim.

Dico I. Omnes Subdiaconi subsunt oneri Breviarii. Omnes DD. & habetur *expresse* in Concil. Basil. *Sess. 21. §. Quoscunque*, & quidem sub mortali. Rursus omnes. Adeò ut Suarez *Cap. 25. num. 12.* & Diana *Part. 5. Tract. 5. Resol. 26.* non ausint probabilibus accensere illam Richardi, Angeli, & Aragonii, (si tamen Aragonii, utpote qui loquitur *expresse* de solis Choristis) opinionem, qua judicabant, esse solius venialis culpæ rem, qui semel, aut bis in Anno totum negligit Breviarium.

Etsi verò pro illâ generali obligatione refero Concilium Basileense, quia tamen illud fuit Acephalum, ac sine capite, nequit obligare omnes constitutos in majoribus. Rursum 560
nullus juris textus proferri potest, qui clarè comprehendat non Beneficiatos, ideo assentiendum est, tam gravem obligationem prodisci ex sola consuetudine; sicuti respondi Anno 1664. & 1665. cuidam Theologiæ Doctori urgenti literis, ut exhiberem sibi fundamentalem causam tanti oneris; replicabat is contra allegationem consuetudinis, non satis constare, fuisse hanc à majoribus inductam animo se, & posteros obstringendi sub mortali ad quotidianum pensum. Respondi, constare satis ex duobus: *primò* ex eo, quòd & tam constanter, etiam cum non levibus incommodis, observetur, & omnes pii pessimè sentiant de negligere hoc pensum; quæ sunt duæ rationes cognoscendi, utrùm aliqua consuetudo de re, seu materia gravi inducta obliget ad mortale, ut cernere est, tum apud alios morales Theologos explicantes vim consuetudinis, tum nominatim apud P. Ferdinandum de Castro Palao *De Leg. disp. 3. punct. 2. §. 3 num. 13.* Dixi *secundò* constare ex unanimi consensu Doctorum, quem

agnoscebat quidem ille Doctor, at replicabat, hoc consensu gigni quidem probabilitatem *extrinsecam* de rigore obligationis, non tamen tolli *intrinsecam* libertatem à tanta obligatione. Et verum quidem est, non tolli *directè*, & *immediatè*, at certè tollitur *indirectè*, & *mediatè*; etenim tantus consensus est irrefragabilis testis consuetudinis vigentis, florentis; qua vigente, florente, nec umbra probabilitatis, seu *extrinsecæ*, seu etiam *intrinsecæ*, remanet pro libertate à tanto onere, sicuti lex scripta, quando est clarè præceptiva, & ut sic ab omnibus recepta, efficit *intrinsecè* improbabilem opinionem illorum, qui fortè negarent obligationem rei præceptæ per eandem; probabilitas enim *intrinseca* nihil aliud est, quàm probabilitas, quæ nascitur ex principiis constituentibus, aut afficientibus *intrinsecè* rem, de qua disputatur; lex autem & consuetudo vigens, & florens circa obligationem vel maximè constituit hanc, quia efficit. Itaque consuetudini de horis canonicis applicanda singulariter est aurea sententia, quam ex Baldo *Consil. 318.* Rolandus à Valle *Consil. 55. vol. 3. num. 19.* refert: *Consuetudini sicut matri debet adhiberi reverentia.*

561 Incipit autem ea, quam asseruimus, obligatio, ut primùm quis insignitus est characterę Subdiaconatûs; & ita quidem, ut teneatur illo die dicere, non quidem omnes omnino Horas, sed illas, quæ sub instans ejus ordinationis dici solent secundùm consuetudinem Ecclesiæ, seu Romanæ, (Azor apud Bonartium:) seu Diœcesis, in qua consecratus est. Sanchez *Consil. Moral. Lib. 7. cap. 2. dub. 7.* Adeóque summùm Sextam, & reliquas consequentes, si ordinatus est horâ undecimâ. Castropalaus *Part. 2. Tract. 7. punct. 4. num. 3.* Aut *absolutè* Vesperas solùm cum Completorio. Bonartius *loc. cit. Cap. 39.* Inde quippe incipit officium diei sequentis; quas duas Horas si priùs dixeras, non erit necesse iterare, errâsti quippe solùm contra Modum. Trullenck apud Dianam *Part. 6 Tract. 7. Res. 38.* contra Bonacinam, *quæstione 2. parte 5.*

Proinde peccat graviter, qui suscipit Hypodiaconatum ignarus legendi latinè. Suarez *cit. Lib. 4. cap. 27. num. 6.* Tannerus *Tomo 3. disp. 5. quæst. 1. num. 17.* Vel rectè recitandi. Navarrus *De oratione Cap. 11. num. 39.* Azor *Parte 1. lib. 9. cap. 13. quæst. 18.* Reginaldus *Lib. 18. num. 193.* Nisi bonâ fide existimet, se statim comprehensurum intellectu rationem rectè orandi. Reginaldus *loc. cit.* sicuti communiter quisque latinè sciens, & non stupidus potest eodem statim die ex Rubricis, aut alio, discere substantialia. Suarez *loc. cit.* addens contra Navarrum, teneri tunc orare etiam cum imperfectione (si aliter nequeat) conando se quotidie perficere, & excusans à peccato illum, qui planè rudis Rubricarum suscepit Subdiaconatum, ob gravem causam, quia scilicet vel amisisset beneficium, tunc oblatum, vel debuisset diu exspectare. Plura de hoc *in Alph. Ordinis & Extremæ Unctionis Cas. X.*

Quapropter fuit absque justa causa factum, 562
ut valde pervaserit Anno 1659. aliquam celebrem urbem, in qua inclitum Lycæum, hæc, ut mihi scriptum, dubitatio: *An Subdiacono saltem primo dimidio Anno sui Ordinis non possint censeri adhuc liberi penso horario?* Equidem præter DD. hactenus nominatos, scribentésque, ex sensu omnium, & ipsiusmet Concilii Basileensis. *cit. Sess. 21.* indistinctè loquentis de constitutis in sacris, scribit P. Palaus *cit. Disput. 2. punct. 6. num. 1.* ac Thomas Tamburinus *in Decal. Lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 17.* Subdiaconum, qui ob imperitiam legendi (aut Rubricarum, ut exprimit Suarez suprà) nequit nisi valde imperitè persolvere officium, teneri dicere etiam cum illa imperitia, & conjunctis defectibus, nisi, ut addit, illa imperitia, ac difficultas pariat impossibilitatem.

Licèt autem hactenus omnes citati DD. at- 563
que alii unanimiter docuerint, aut saltem supposuerint, Subdiaconum novum primo die graviter ad aliquam saltem partem Sacræ psalmodiæ obligatum esse, attamen Leander à Sanctissimo Sacramento *Quæst. Moral. Part. 1. & in ordine sexta Tract. 8. disp. 2. quæst. 50.* fusè contendit, eum ad nihil teneri primo die, affirmans bis, consuetudinem ipsam omnino suffragari suæ opinioni. Ego autem ter, quatérque dico cum Baldo *Consil. 112. vol. 2. Qui contra omnes loquitur, non bene loquitur.* Addens, consuetudinem Germanorum penitus adversari novæ huic, & ut rectè apud ipsummet Leandrum loquitur Martinus de Brado, impracticabili doctrinæ, quia videlicet omnes Theologi, Confessariique Teutones scribendo, dictando, pœnitentias injungendo adversantur Leandro.

Ex quibus deduces, nostrum Zephyrinum, 564
(quem ego non tantùm novi, sed jam creatum, adjectâ conditione, quam expressi in narratione, sacerdotem, & ipsos 42. Annos natum suscepi, Annis ab hinc etiam quadraginta duos; utpote Scholarum Præfectus, in superiorem ordinem infimæ Grammatices) *per se loquendo* graviter peccâsse, quòd tam rudis latinitatis aspiraverit ad id dignitatis, sicuti pluribus declaro *in Alphabeto Ordinis, & Unctionis extremæ Cas. X.*

Deduces quoque, fuisse meritò à Tancredo, 565
apud P. Tamburinum *num. 18* liberatum officio recitando illum, quem exhibui, occupatum toto die; in recitatione illa vitiosissima, scilicet ob *moralem* impossibilitatem. At *quid si fuit beneficiatus*? Debuit dimittere beneficium, judice Tancredo, nisi fortè hæc tria concurrerint 1. Quòd ipse non fuerit in culpa in sua ordinatione. 2. Quòd non habeat, unde vivat. 3. Quòd statum illum non assumpserit, nisi spe illius beneficii. Addit *quartò* P. Tam-

burinus: modò admoneat Ordinatorem, ut is Ecclesiæ satisfaciat in restitutione fructuum
566 beneficii. *Quid si autem injusto metu adactus permisisset se ordinari?* Resp. Fuisset liber onere Breviarii, modò nec verbo, nec facto ratificâsset suam ordinationem. Palaus *cit Parte 1. n. 1.* post Navarrum & Sanchez. Quomodo autem quis censeatur ratificare suam ordinationem, explico *in Alphabet. Quadrupl. Part. 1.* edisserente naturam, & accidentia voti *num. 151. & seqq.* occasione Cassis novissimi, tangentis Canonicum Cathedralem, insignitum Subdiaconatu, potientémque duobus Canonicatibus, & tamen adspirantem ad nuptias

567 Dico II. Promoti ad Ordines minores, non sunt rei gravis culpæ, esto non orent quidquam eorum, quæ injunxit Ordinator, nisi mos diœcesanus induxerit gravem obligationem. Azor *cit. Lib. 9. cap. 5. quæst. 4.* Tannerus *quæst. 1. dub. 6. num. 137.* Diana *Part. 4. Tract. 4. Resol. 218.* Ex se enim non habet Ordinator jus inducendi tantum onus. Citati post Sotum, Valentiam, Suarium, alios: censétque Palaus *loc. cit. punct. 1. §. 1. num. 5.* nusquam extare talem consuetudinem, & proinde præsumendum, talia indici ex sola decentia, & honestate, quod etiam Sotus, Valentia, & Lessius, egóque de Constantiensi sentimus

568 Dico III. Professi Ordinum Religiosorum, habentium chorum, destinati ad chorum, tenentur vel publicè, vel privatim psallere. Ita omnes, non quidem ex ullo jure scripto communi: nec enim exstat uspiam tale; sed neque ex una aliqua universali consuetudine omnium Ordinum. Tannerus *cit. quæst. 1. num. 143.* contra Laymann. *Lib. 4. Tract. 1. cap. 4. num. 2.* Etenim sexcentis instantiis probari, & demonstrari potest, non esse tam arctum nexum inter Religiones invicem, ut, quod placuit antiquioribus, debeat etiam probari posterioribus, sed permittitur quævis in suo sensu abundare; ergo vera causa hujus obligationis petenda est duntaxat ex specialibus statutis, consuetudinibúsque cujuslibet Religionis in particulari, Petrus Marchant. *in Tribun. Tom. 1.*
659 *Tract. 2. Part. 2. Tit. 3. Sect. 1. quæst. 2* & Joannes Caramuel *in Theol. Regul. Disp. 100.* apertè negans *Disp. 103. num. 1358.* suos Cistertienses sub mortali obligari ad officium canonicum, nisi mandante Abbate: ac præmittens *n. 1352.* se cum pluribus sui Ordinis disseruisse de hoc argumento. Sed intelligo, hanc ejus doctrinam displicere pluribus viris piis, & doctis ejusdem sanctissimi instituti. Cajetanus quoque *in Summula, verbo: Horæ*, dubitat de Prædicatoribus, quia dubitat universim de Religiosis. Ascanius Tamburinus *De Jur. Abbat. Tom. 2. disp. 10. quæst. 1.* non ambigit de suis, id est, Monachis Vallis Umbrosæ.

Recentissimus & doctissimus P. Georgius Geisser Prior Religiosissimi Monasterii ad S. Georgium Villingæ in scitissimo suo libello *De Privilegiis Ordinis S. Benedicti edito* Anno 1677. *Pag. 164. & 165. numero 569.* referens etiam Caramuelem, Lairvelz, Virginum Alviset, & Dianam ratos, prædictos Religiosos esse liberos à penso Canonico, non solùm ex vi privilegii concessi Monachis Vallisoletanæ Congregationis, & consequenter toti Ordini Benedictino, de quo nemo dubitat, sed etiam sine respectu ad privilegium, non modò tanquam probabilius defendit oppositum, sed etiam exprimit hæc verba: *Praxis hujus sive doctrinæ, sive privilegii est procul à mente nostrorum Superiorum, ipsorúmque subditorum, qui omnes à juventute pie instituti credunt, se peccare mortaliter, si quid notabile in Horis Canonicis omittant.*

P. Leonardus Lessius literis ex Hispania, à quodam Reverendissimo Domino interpellatus respondit, fuisse sibi semper visam etiam in praxi probabilem sententiam, quòd neque Choristæ, neque Moniales obligentur ex ulla etiam consuetudine ad Breviarium, probátque multis rationibus, itémque auctoritate Joannis Medinæ, & Emmanuelis Sa. *Verb. Hora*, vúltque suo hoc responso uti confessarios, ut videre est in ejus Consiliis moralibus. *Verbo Horæ Casu XIV.* qui totus spirat stylum, & genium Lessianum; nec contrarium docet *Lib. 2. De Just. cap. 37. dub. 9. num. 49.* Consentit adversùs Bertrandum Loth Petrus Marchantius *in Resolution. Notabilib. Cas. XXXII.* post hæc tertiùm excusa lectus.

Et verò non posse à Monialibus utpote fœminis introduci consuetudinem obligantem sub 570
mortali, docet cum Juristis apud Decium *in Regulam 2. ff. De Reg. Jur. num. 37.* Pasqualigus *Decis. 415.* Caramuel *cit. disp. 103. num. 1354.* Franc. Galletus *in Margarita verb. Consuetudo.* A viris posse introduci tam rigidam, nemo inificias, attamen Bordonus, Marchantius, Martinus de S. Josepho, Ludovicus à S. Joanne, atque alii, quos refert Leander *cit. Tract. 8. disp 2. quæst. 10.* negant generatim, eam obligare sub mortali; communior tamen sensus DD. ut videre est apud eundem Leandrum, tribuit cum eodem Leandro illi consuetudini *actualem* vim inducendi reatum culpæ mortalis; cui sensui, præsertim in re quotidiana, nolim refragari; interim assentiens eidem Leandro per varias quæstiones ostendenti, obligationem, qua de loquimur, non emergere ex jure aut naturali, aut canonico, aut præcisè professionis, aut justitiæ, etiam casu, quo in fundatione Conventûs in pactum induceretur recitatio Horarum; sicut & assentior eidem *quæst. 11.* neganti, alios Religiosos posse uti privilegio, quo Eugenius IV. Benedictinos in Sacris nondum constitutos, Paulus III. nostræ Religionis alumnos nondum initiatos subdiaconatu pronuntiavit liberos hoc suavi quidem onere, onere tamen.

Qua-

571 Quapropter quando Monachus nondum in sacris, aut Monialis confitetur, se aliquoties non solvisse preces Canonicas, expediet interrogare, quisnam in ejus Monasterio sit communis sensus de gravitate culpæ admissæ à negligentibus Horas, cùm dubitent Cajet. *loco cit.* Armilla, & Ledesma apud Sanch. *Lib. 7. Consil. cap. 2. dubio 3.* generatim, utrùm illa obligatio sit mortalis, etsi dubitari nolit Sanchez, Palaus, uterque Tamburinus, Leander *l. c. q. 27.* & alii plures; saltem negari non debet, quin Abbas possit ex rationabili causa dispensare, ut quando quis versatur in studiis, Suarez, Lessius, Ascan. Tambur. alii. Minus scrupuli injiciendum est Fratribus Conversis, non exequentibus preces præscriptas, nec enim ratio, vel auctoritas persuadet, eos generatim peccare mortaliter, non parendo, esto speciatim F.F. Ord. Minor. Reform. teneantur sub mortali. Ascan. Tamb. *l. c. q. 15.*

572 Dico IV. Beneficiati astricti sunt Breviario. Ita omnes ex Concil. Basil. *sess. 21. §. Quoscunq;* & Lateran. sub Leone X. *sess. 9.* Vbi exprimitur famosissima, & verissima illa regula: *Beneficium datur propter officium*, scil. Canonicum. Estque hæc obligatio sub mortali, utpote de re gravi. Omnes.

573 *Etiamsi semel omittam?* Resp. Rursùm omnes, & patet ex Bulla S. Pii V. paulò post referenda. *Sed priusquam omittam, cogito restituere fructus respondentes omissioni.* Resp. Non ideo excusaris. Lugo *in Responsis*, seu *Consiliis lib. 5. dub. 6.* Etenim lex obligans ad restitutionem est pœnalis; ergo supponit culpam. Excipiunt autem ab hac obligatione aliqui, multi, aut plerique hosce sequentes.

574 I. Illum, qui nondum habet possessionem Beneficii. Plerique. Aut qui cepit ita litigiosam, ut verè sit dubium, utrùm sit obtenturus causam, nec interim percipit quidquam ratione munerum annexorum illi beneficio. Suarez *cit. lib. 4. de oratione cap. 19.* & alii. Secùs, si aut interim fruatur aliquibus obvenientibus, aut verosimile sit, obtenturum causam, & fructus sequestratos. Sanchez *cit. Lib. 2. Cap. 2, dubio 76.* aut si lis oriatur primùm post adeptam possessionem, sequestratis fructibus, at non præsentiis, seu aliis obventionibus, distinctis à *Grossa* (ut loquuntur Itali, & Hispani scriptores, cùm DD. Canonici Germani sóleant vocare *Corpus*) Sanchez *ibid. num. 9.* quod sanè indiget discussione; nam Cardinalis de Lugo *Lib. 5. Responsorum Moral. dub. 5.* omnium exactissimè ventilans materiam totam hujus *primæ* exceptionis, approbánsque responsum relatum ex Suarez, ac Sanchez concludit *n. 14.* se non audere negare, quin obligetur, qui habet nunc quidem possessionem litigiosam, sed priùs habuit pacificam, esto nunc nihil planè percipiat.

575 II. Illum, qui est novus Canonicus, atque ex consuetudine sui Capituli, non recipit ullos fructus primo, aut secundo Anno Laymann. *L. 4. Tr. 2. Cap. 5.* Tamburinus *loc. cit. num. 28.* alii communiùs contra Less. *de justit. L. 2. c. 34. num. 170.* & alios. Quod ipsum assero de DD. Canonicis Augustanis, Frisinganis, atque Constantiensibus, qui debent quinque annos carere, ad dissolvenda debita contracta bello Suecico. Notant quidem Tamburinus, Garcias, alii, hanc consuetudinem, & statuta repugnare Concilio Tridentino, *sess. 24. c. 14. de Reform.* atque Bullæ Sancti Pii V. Sed respondent illi Domini *ex Regula 4. in 5.* Necessitatem non habere legem, nec hanè carentiam ignorari ab Illustrissimis Dominis Nuntiis Apostolicis. Quòd si post abitum reserventur eorum 576
hæredibus fructus unius anni, (ut fit hîc Constantiæ, ubi hi fructus vocantur *Mortuarium*) tunc de jure obligabuntur orare uno Anno, priusquam nanciscantur perfectam possessionem. Palaus *Tr. 7. Disp. 2. p. 1. §. 2. num. 13.* volens haberi pro certa; dubito autem ego de praxi, nec sine ratione.

III. Illum, qui ob furtum, sterilitatem 577
Anni, aquarum inundationem, pruinam, grandinem, hostium incursionem, nihil percipit uno, alteróve Anno. Palaus *n. 17.* testans esse communem. Aut si prædia præbent quidem aliquid, sed non æstimabilem partem honestæ sustentationis, nec spem acquirendi brevi plus. Layman. *loc. cit.* secùs si adolescens habeat Capellaniam, cujus omnes fructus debeat dare sacerdoti legenti Sacra annexa ei beneficio. Palaus *n. 10.* aut generatim si stet per beneficiatum, quò minùs fruatur emolumentis. Suarez, Bonacina, Palaus, alii.

IV. Illum, qui habet tam tenue benefi- 578
cium, ut ei non suppeditet bonam partem tenuis sustentationis. Less. *cit. c. 34. num. 167.* Dian. *Part. 1. Tract. 12* Tamburinus *l. c. n. 24.* post Sotum, Vegam, Ledesmam, Palacium, alios, apud Palaum *num. 10.* dissentientem cum Navarro, & communiore antiquorum, ut etiam fatetur Sanch. *dub. 66.* habens tamen hanc exceptionem pro probabili in praxi; pro qua etiam plurimos authores refert Leander à Sanctiss. Sacram. *Tract. 8. Disp. 2. q. 105. & seqq.*

Nomine bonæ partis sustentationis intelli- 579
git Tambur. *num. 25.* tertiam, tu rectiùs quartam; adeóque qui non habet saltem decem aureos. Sotus *de justit. lib. 10. quæst. 5. art. 3.* aut etiam quindecim. Lessius *loco cit.* Imò Leander *Disput. 2. quæst. 100.* defendit ut probabile, quòd spectatâ horum temporum ratione, non obligetur, vel semel in anno recitare is, qui non percipit nisi viginti Ducatos: *& quæst. 111.* qui non nisi viginti quinque: *& quæst. 112.* qui infrà quadraginta; adferens hanc rationem,

quòd omnes illi habeant Beneficium nimis tenue, utpote non præbens bonam sustentationis partem; & citans pro primo membro Petrum de Ledesma, pro secundo Dianam *Part. 10. Tract. 16. res. 47.* ac Filliucium *Tr. 23. nn. 181.* pro tertio Martinum à S. Josepho. Quæ omnes sententiæ, tametsi fortè sint probabiles, & practicabiles in Hispania, in qua, ut colligo ex verbis Martini de S. Josepho, descriptis à Leandro, sustentatio exigit duplo plus, quàm in Germania, attamen est apud nos Allemannos inaudita illa Theologia Leandri; nam apud nos etiam his difficilibus temporibus, viginti ducati præstant Clerico sortis mediocris quartam, imò tertiam partem honestæ sustentationis, vestitûsque, imò permulti debent esse contenti annuis quinquaginta, sexaginta Ducatis.

580 Quòd si teneas duo tenuia beneficia, quæ simul sumpta præstent notabilem partem sustentationis, emerget obligatio recitandi. Tambur. *n.* 27. At non nisi semel de die orandi, etsi utrumque sit præpingue. Suarez *n. 18.* rectè contra Navarrum. Sicut & satis probabiliter, non plusquam unum mortale, & quidem solùm contra virtutem Religionis, vel obedientiæ patrat, omittens totum Breviarium, cùm sit sacerdos, parochus, & monachus. Sanchez *dub. 18.* Filliucius *Tr. 27. n. 307.* Diana *cit. Tr. 12. Res. 25.* alii contra Suarez *c. 29. n. 7.* Bonacinam *de Horis canonicis Disp. 1. q. 5. p 1.* alios; non enim videtur sufficienter probari, talem agere contra justitiam, adeóque satisfaciet ita confitendo: *Neglexi pensum Canonicum semel, cùm sim in sacris.* Sententia tamen Suarii est captu facilior.

V. Illum, qui est capellanus Capellaniæ fundatæ cum *expressa* conditione, ut capellanus non sit obligatus (ratione capellaniæ) ad preces canonicas. Etenim posse *licitè* ac *validè* fundari cum consensu Episcopi ejusmodi beneficium, satis probat P. Quintanadvennas *Singular. Tr. 8. sing. 19. & 26.*

581 Dico. VI. Beneficiatus intermittens *culpabiliter* (secùs si per oblivionem, aut impotentiam) officium divinum, est obnoxius restituendis omnibus fructibus respondentibus tempori, quo omisit. Ita omnes generatim; nam Bulla B. Pii V. post Concil. Lateran. sub Leone X. *sess. 9.* sic statuit: *Qui horas canonicas, uno, aut pluribus diebus, intermiserit, omnes beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes horas, alteram dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittat.* Ita B. Pius, piè & justè, nemine, quem legerim, vocante in dubium, utrùm hæc Bulla sit usu recepta, licèt non ubique in tanto rigore, quantum indicat cortex verborum, nam alii, atque alii DD. seu interpretando, seu limitando eximunt sequentes.

I. Illum, qui omittit sex primis mensibus; 582
hunc enim difertè eximit ipse S. Pius & quidem secundùm multos, *quoad forum* etiam *internum.* Suarez *cit. lib. 4. c. 8.* Lessius, alii contra alios.

II. Illum, qui post primum semestre ne- 583
gligit vel tantùm semel, bisve in Anno. Sotus, Covarruvias apud Layman. *cap. 5. num. 1.* Menochius apud Sanch. *cit. Lib. 2. consil. moral. c. 2. dub. 82. nu. 4.* Ortizius apud Dianam *part. 2. cit. Tr. 12. Res. 34.* Escobar *in Summa Tr. 5. examine 6. num. 70.* vel etiam octies, vel decies. Joannes Crucius teste Dianâ *l. c.* Possevinus, & Lopez, apud Bonacinam, *de Horis canonicis, disp. 1. q. 5. n. 5.* Sed ne sequaris hos posteriores, utpote nimiùm recedentes à verbis Bullæ; priorem opinionem habent pro probabili in praxi Lessius, ac Filliucius; & ego quoque, ob tantam auctoritatem.

III. Illum, qui præter officium Canoni- 584
cum habet alias functiones, quæ revera merentur mercedem, seu stipendium. Henriq. *Lib. 13. c. 13.* Sanchez *dubio 83.* Bonacina *cit. q. 5. punct. 3.* Tannerus *Tom. 3. Disp. 5. q. 1. dub. 6. nu. 212.* alii multi, contra Suar. Valentiam alios; esset enim nimis inæqualis seu conditio, seu pœna Curionis & Canonici, si ille, præter conciones, & sacramentorum administrationem, obligatus facere ter Sacrum quot hebdomadis, colligénsque annuatim non nisi 150. ducatos, ac per duos menses non recitans Breviarium, deberet in fine Anni spoliare se sextâ parte illorum 150. ducatorum, id est 25. ducatis, seu aureis, æquè ac Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ, qui idem delictum commisisset, eosdem redditus accepisset, etiamsi duobus mensibus nihil orâsset. Alias rationes cumulat Sanchez *loc. cit.*

Audi verò, quid pro praxi scripserit P. Lay- 585
mannus *cit. cap. 5. n. 2.* En ejus verba: *Si parochus omnibus computatis 350. florenos, & capellanus quotidie celebrans 200. florenos annuos accipiant; probabiliter dici potest, eos ad nullam, aut modicam restitutionem obligari.* Circa quam resolutionem nota tria. 1. Hæc ipsa verba haberi etiam in tertia editione accuratissimè revisa, auctáque ab ipso Authore. 2. Illum hæc scripsisse Monachii Bojorum, rata habuisse Dilingæ Suevorum, iis, inquam, locis, ubi cervisia est potus ordinarius etiam parochorum, ac proinde constans vili pretio, sicut & communiter tunc panis, & carnes. 3. Trecentos florenos (non inclusis illis 50.) de quibus loquitur, efficere 100. Ducatos, seu Zigginos, adeóque *166.* scuta Romana, cum 10. vel 12 Juliis. Ergo quando non es functus tuo officio in officio canonico, computa, quantum ex fructibus à te perceptis debeatur, judicio boni viri, tuæ curæ pastorali, adeóque etiam Sacris, quæ hebdomadatim celebras titulo fundationis; hoc totum repone in arcam tuam, de reliquo (si quid tamen reliqui esse potest) dispone conformiter doctrinis mox referendis, sequendo tamen, me auctore, tutiores.

586 Scito igitur, Henriquezium *loc. cit. in marg. litt. V.* testari, praxin (utique in Hispania) habere, ut si Episcopus, vel parochus non recitantes integro Anno e. g. restituant quintam partem universorum suorum reddituum, censeantur fecisse satis; & hujus praxis, quam ipse admittit, nominat approbatores Medinam, Lud. Lopez, Pennam, atque alios; qui DD. testante, nec improbante eodem Henriquez *lit. Z.* etiam judicant, opus non esse, ut Canonicus restituat plusquam quartam partem, Capellanus, & alii ejusmodi tertiam; reliqua omnia poterunt, judicibus his Theologis, reservare sibi illi beneficiati pro reliquis oneribus. Lessius *cit. c. 34. n. 177.* scribit, hanc sententiam videri laxiorem, Tannerus *cit. q. 1. n. 212.* arbitratur, & meo judicio rectiùs, sufficere, si Canonicus restituat tertiam partem. Sanchez *dub. 84.* assentitur Henriquezio expressè quoad Canonicos. Vnde patet resolutio ad sequentem

Casum non imitandum.

587 *Ldefonsus Canonicus Toletanus fecit toto biennio ferias suo Breviario, & tamen colligebat quot annis è suo Canonicatu mille aureos, id est, Ducatos. Ad quantam restitutionem fuit obligandus?*

588 Resp. Sanchez *loc. cit.* subscribit judicio Medinæ, & cujusdam viri docti è Societate, qui interrogati resolverunt, illum potuisse tutum esse in conscientia, si restitueret universim quingentos, qui sunt quarta pars perceptorum bis mille. Huic judicio tam multorum sapientum virorum auctoritate firmato poterit, imò & quandoque (ne pœnitentem adigat, ad desperata consilia) debebit confessarius se conformare. Sanè testatur Sanchez, etiam timoratorum praxi firmari id, quod suprà dixi, scilicet Bullam B. Pii V. esse in eo sensu receptam, ut, si beneficiario incumbant alia onera, præter recitationem Breviarii, eisque legitimè defungatur, possit pro iis sperare competens salarium, non minuendum ob neglectum horarum.

589 IV. Illum quoque exime, qui quidem omisit notabilem partem unius horæ, at non æquivalentem uni integræ ex parvis. Filliucius *loc. cit. n. 319.* ac Diana *cit. Tr. 12. Resolutione 26.* profitens, summopere sibi placere hoc judicium Filliucii, quod tamen displicet Suario, Palao suprà; at non mihi, consideranti pœnalem legem, qualis est de restitutione fructuum (hanc enim non imperat jus naturæ) esse *strictè* intelligendam, adeóque de actu consummato, & perfecto *moraliter*; ideóque ad restitutionem non compellit Diana *Part. 5. Tr. 14. Resol. 46.* illum, qui totas Laudes omittit, cùm sint tantùm pars Matutini.

Etsi verò idem Diana testatur, suum 590
hoc judicium, quod dedit Cardinali Oregio, amplexatos fuisse viros doctos, cum quibus communicavit, non video tamen, quomodo concordet cum eo, quod ipsemet Filliucius ab eo laudatus tradit, scilicet obnoxium esse restitutioni, qui ex matutino omittit sextam partem. Certè Laudes sunt frequenter quarta pars matutini; certè Suarez, Bonartius, Palaus, repugnant Dianæ; cui tamen assentior *ibid. Resol. 47.* post Palaum, *Part. 2. Tr. 7. d. 2. p. 7. n. 6.* contra Faustum neganti onus restitutionis, casu quo neglexisti notabilem quidem partem, sed conflatam ex multis levibus in singulis horis. Etenim hunc rigorem non indicat Bulla.

V. Restitutio, facienda ex dictis, fieri de- 591
bet ante judicis sententiam. Suarez *cit. lib. 4. cap. 30. n. 3.* ex communi, contra Medinam, & quidem Vel 1. dando tantundem aut Ecclesiæ, in qua quis habet beneficium aut alteri Ecclesiæ pauperi, aut pauperibus etiam, qui secundùm statum sunt pauperes, esto sint parentes, aut cognati ipsius beneficiati, aut alienigenæ. Vel 2. applicando sibi ipsi, si verè sit pauper. Navarrus *in Man. c. 25. n. 122.* ex communi. Vel 3. curando oblato stipendio fieri Sacra, aliáve suffragia, seu pro defunctis. (Filliucius *cit. Tr. 23. n. 325.* Navarrus *loc. cit.* & alii,) seu pro expiatione peccati admissi in neglectu pensi Canonici. Suarez *loc. cit. n. 19.* Vel 4. in par- 592
tem satisfactionis computando omnes eleemosynas, quas dedit, ex quo neglexit Breviarium, esto tunc non cogitaverit de satisfactione. Suarez *n. 12.* ex communi, non autem quas fecit ante omissionem, quandoquidem trigesima tertia ex sententiis Anno *1666.* prohibitis ita sonat: *Restitutio fructuum propter omissionem horarum suppleri potest per quascunq; eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.* Sed & observat Quintanadvennas *singul. Tr. 8. sing. 6. n. 9.* mitiores de restitutione sententias non habere locum casu, quo ex peculiari statuto oporteret restitutionem facere alicui certo loco, seu ad aliquem certum usum.

VI. Quin Major, Paludanus, & Ledesma 593
apud Bonacinam *de Horis Can. dub. 1. q. 2 n. 5.* Molfesius apud Dianam *Part. 2. Tr. 12. Res. 24.* & Quintanadvennas defendunt, sufficienter satisfieri geminatâ postmodum recitatione Officii, toties, quoties intermissum est, eò quòd rependatur æquale. Verùm etsi hæc sen- 594
tentia probabilis est ob auctoritatem, nimis tamen manifestè adversatur verbis Bullæ, sicuti & recepto sensui DD. teste Henriquez *Lib. 13. Cap. 13.* & Dianâ *loc. cit.* Addit Quintanadvennas, eandem esse rationem, si hodie bis recites, ut, quando proximè omittes, liber sis restitutione, aut si alius tuo rogatu, gratis, vel pro stipendio toties oret, quoties tu non orâsti.

sti, sicuti præmittit idem auctor *n. 4. & 5.* probans inde, quòd, quando capellanus non fecit tot Sacra, quot tenebatur ex justitia, sit immunis à restitutione, si alius etiam gratis toties ad præscriptam intentionem litet, quoties
595 ipse neglexit. Sed negatur paritas inter hæc duo; quia non extat lex, *absolutè* obligans ad restitutionem pecuniarum respectu omissæ Missæ. Minùs adhuc assentior eidem dicenti *n. 5.* eandem esse rationem, si alia opera satisfactoria pro defunctis intuitu hujus restitutionis fiant, ut auditio Sacri, flagellatio, indulgentiarum lucratio, & his similia, æquivalentia recitationi relictæ, inquit hic auctor, non sequendus in praxi, utpote nimis singularis, & recedens à communi.

VII. At satis tutò à restitutione eximes be-
596 neficiatum, qui ob infirmitatem ex intemperantia ortam non recitavit; etenim illum satis defendit ratio, quam in simili adfero *in Theolog. Iurid-Moral. c. 10. sect. 7.* Quemadmodum & *in Alphab. Sacrif. Casu XVII. n. 581. Edit. 2. 3. 4. 5.* cum Tambur. contra Jordanum patrocinor capellano, eâdem ex causâ non legenti præscripta Sacra.

APPENDIX.

a Dictis in hac Sectione 1. de causis Beneficiatum excusantibus à persolutione pensi Horarii, non possum non addere resolutionem duplicis Casûs recentissimi, quorum primum resolvi voce, alterum scripto.

Primus illorum fuit, éstque hic.

Evgenio Theologiæ studioso nondum sacris initiato offertur, nihil tale tunc speranti, Capellania, exigens quotidianam celebrationem Sacrificii, adeò tamen exiguos redditus suppeditans suo Capellano, vix ut sufficiant tenui sustentationi ipsius; quare cogitur relinquere omnes planè redditus Vicario suo, Vicario, inquam, cùm & necdum sit ipse promotus ad ullum sacrum Ordinem, propter defectum ætatis necessariæ sacerdotio, & impendere debeat adhuc sesquiannum Theologiæ Morali. Quæsitum fuit, an teneretur pensum Canonicum persolvere ante susceptionem subdiaconatus, quam justa ex causa differt ad octo, vel decem menses?

b Respondi, teneri ex opinione aliquorum Doctorum, non teneri ex aliorum. Etenim Suarez *lib. 4. de horis Can. c. 20. nn. 13.* expressè tenet, illum quoque beneficiatum, qui ineptus ad obeunda onera beneficii, cogitur deservire per Vicarium, cui relinquit omnes reditus, utpote tenues, obligari quoque ad horas. Ejusdem sententiæ est Bonacina *de Horis Canon. Disp. 1. q. 2. p. 4. n. 19. & 20.* post Azor, Lessium, & Filliucium, quos citat, eò quòd obligatio recitandi sit *personalis*, & nequeat transferri in alterum. Accedit, quòd talis habeat jus proximum percipiendi omnes fructus, potest enim, si velit, reipsa illos sibi vendicare, & aliâ ratione satisfacere Vicario: ob quam utramque rationem censeo hanc resolutionem esse veriorem, ac probabiliorem, juxta dicta suprà *n. 577.*

Nihilominus tamen etiam probabile est, c illum Eugenium esse liberum onere recitandi. *Primò*, quia is, qui ex legitima causa non fungitur muneribus beneficio annexis, sed ea perficit per alium, relinquens ipsi omne commodum, non est adstrictus ad horas Canonicas, juxta complures authores, quos partim Silvester *verb. Horæ. q. 2. n. 3.* partim Suarez *loco cit.* referunt; habet autem legitimam causam Eugenius noster, cùm nequeat celebrare Missas præscriptas, utpote nondum sacerdos. *Secundò*, quia quando quis abest à loco Beneficii ex legitima causa, & secundùm ordinem juris, ut si Scholasticus causa studii & cum legitima licentia non resideat, & ideo fructus non percipiat, non tenetur recitare. Sanchez *Lib. 2. Consil. Moral. c. 2. dub. 27.* cum multis contra multos. Atqui noster Eugenius abest studiorum causa, cumque legitima licentia, à loco beneficii, nullósque recipit fructus, sed relinquit omnes, utpote tenues, suo Vicario.

Alter Casus est hic.

Quod Reverentiæ Vestræ molestus sim, in d *causa est quidam D. Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ, in qua Annus, quem vocant* Gratiæ, *agitur. Is suum hoc Beneficium, quo pluribus Annis fruitus est, resignavit, & nunc quæritur, an fructus primi Anni, qui sibi alioqui post mortem obventuri erant, vel in exequias, vel in solutionem debitorum, si quæ futura fuissent, vel in partem Hæreditatis relinquendi aliis &c. si in eâ Ecclesiâ obiisset, posset ab eadem Ecclesia repetere?*

De hoc dubio Doctores, quos ego vidi, nihil explicitè *tradunt. Omnes non tam probant, quàm supponunt, nihil posse exigi. Rogo R. V. &c. Ego, ut obiter hoc insinuem, propter generalia principia alia, in sententiam* affirmativam *abirem, si scirem, quid praxis ejusmodi Ecclesiarum ferret, quod tamen rescire nequii.* Ita Doctissimus quidam Theologiæ Doctor.

Respondi ego, salvo meliori judicio ipsius, e non competere illi Domino Canonico ullum jus in *Mortuarium*, ut hîc vocamus; quia statuta repugnantia juri communi sunt *strictè* interpretanda, ut notant omnes; statutum autem de mortuario repugnat multipliciter tali juri, tum declaranti, Beneficium, adeóque fructus beneficiales dari propter officium, tum inhibenti tam diuturnam vacationem Beneficii, *actualiter* non provisi, quàm est annua, tum statuenti, ut bona Ecclesiastica dividantur in pias causas, non autem relinquantur hæredibus, qui nec sunt, nec dici volunt pauperes. Ergo illa statuta restringenda sunt ad eos, qui excesserunt è vitâ, dum erant adhuc actualia membra Capituli.

f II. Quia si id statutum intelligatur, ut jacet, sequitur, illum, qui ita resignavit, fruiturum jure mortuarii, seu anni Gratiæ, si post resignationem ducat uxorem ex Pontificia dispensatione, sicuti duxit superioribus Annis nonnemo multis Annis Canonicus nobilissimæ Ecclesiæ, imò etiamsi deficiat à fide, evadatque in Lutheranum, vel Calvinianum prædicantem.

III. Præxin quod attinet, novi auditione, vel visu non unum, sed plures, qui etiam caruerunt fructibus primorum Annorum, attamen nihil prætenderunt circa Anniversarium. Et verò dum hæc scribebam, quidam nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, post plurimos Annos, quibus percepit præbendas Canonicales, pertæsus curas temporalium, volensque supremam senectam finire quietè, vacando sibi soli, & Deo, resignavit Canonicatum ad dispositionem cujusdam Reverendissimi Domini Abbatis, sine jure *Mortuarii*, quod prætendit quidem ipse modestè, ac negavit Reverendissimum Capitulum Cathedrale Constantiense ob contrariam praxin.

Non tamen, si omittat vesperas Sabbati Sancti, 609.
Quæ Horæ majores, & quæ minores? 610.
Quanta pars unius Horæ, omissa gignat noxam lethalem? 611. & 612.
Singularis Casus de Residentia, 612. lit. a.
An omissio Litaniarum, & Officii Defunctorum, in Rogationibus, & secundo Novembris? 614.
An homines Societatis satisfaciant, quando ex more quotidiano recitant post cœnam unas Litanias in templo? 515.
An satisfaciat, qui non respondet? 616.
Monachus parochus quomodo confitebitur emissionem Breviarii? 617.
Non teneris repetere hodie primas vesperas, omissas heri. 617.
Quomodo peccetur syncopando? 618.
Oportet in rebus moralibus ita loqui, ut non ingressus detur crupulis. 619.
Casus scrupulosi in recitandis Horis sanati à Sancto Ignatio. ibid.
An repetendum omne, quod fuit omissum? 620.
Quid faciendum illi, qui non meminit, se dixisse integram Horam? 621.
An, qui nequit recitare totum Breviarium, teneatur ad partem? 622.
Quomodo satisfaciet obligationi, qui ex habitu pravo nequit, nisi valde multum temporis impendat, recitare absque multa confusione Syllabarum. 622. & 623.
An, ubi S. Trinitas est Titulus, debeat per octavam dici Symbolum S. Athanasii? 613. App. lit. e.

SECTIO II.

De forma, & integritate Officii Canonici.

SVMMARIVM.

Quæ formâ recitandum officium divinum? 597.
An licitè *pars ex correcto, & pars ex incorrecto? 601.*
An licitè *totum ex incorrecto, sed impresso post prohibitionem Urbani? 601.*
Beneficiati ex quo orabunt? 602.
Refutatur Leander ratus, qui nequit recitare ex proprio, teneri ex quocunque alio approbato, 603. & 604.
Viator ex quo orabit? 605.
Utens Romano an teneatur ad officium B. Virginis, & Defunctorum? 605.
An peccet mortaliter recitans sub semiduplici, cum deberet sub duplici, & vice versâ? 607. in Append. contra Neusserum.
Omittens unam unicam horam peccat mortaliter. 609.

Quæritur I. *Quâ formâ recitandum sit of-* 597
ficium Divinum? Resp. Ob Bullam S. Pii V. præfixam Breviario Romano, confirmatámque à Clemente, & Vrbano Octavis, omnes astricti breviario debent suum pensum exequi juxta formulam Breviarii Romani; *exceptis Capitulis, & Monasteriis, quæ à decentis* (ante illam Bullam) *Annis fuerunt usa alio*, sic enim statuit illa Bulla. Circa quam notanda sequentia.

I. Clerici prædictorum Capitulorum, & 598
Monasteriorum, poterunt privatim orare ex formula Romana. Sa *verb. Horæ.* Lessius *de justitia lib. 2. c. 37. n. 74.* Sanchez *l. 7. consil. Moral. c. 2. dub 33* Diana *P. 2 Tr. 12. Res. 10* contra Suarez *de Oratione lib. 4. c. 23. n. 6.* & alios; etenim Bulla *expressè* loquitur de choro. Non tamen assentior Navarro *de Oratione c. 10. n. 69.* latè, Bonartio, *de Horis canon. lib. 2. c. 12. n. 2.* ac Rodriquez brevius dicentibus, posse dicere Matutinum ex Romano, cætera ex suo proprio; hæc enim mixtio, & confusio efficient planè aliam formulam.

Et verò Bruno Neusser *de Horis Canon. Disp.* 599
3. n. 16. me referens, habet hanc resolutionem pro probabili, addens tamen, oppositam esse etiam probabilem, ac proinde habentem præbendas in duabus Diœcesibus, utentibus diverso

verso Breviario, sicuti potest pro lubitu dicere totum Officium ex utrolibet, ita etiam posse partem ex uno, partem ex altero sumere, eò quòd præceptum Horarum Canonicarum sic concipi debeat: *Ut dicat quotidie quilibet septem Horas, & non dicat aliter, quàm ut in Breviario, ad quod tenetur, præscriptæ sunt*; quæ doctrina non est improbabilis. *At quid si Clericus Constantiensis recitet semel iterúmve ex Breviario Benedictino. E.G. vel Lausanensi, aut Bisuntino, valde diversis à Constantiensi utpote Romano?* Resp. P. Tambur. *in Decalog. Lib. 2. c. 5 §. 2. n. 33.* talem damnaret de gravi culpa. Absolveret Diana *cit. Res.* 10 pot. Navarr. Regin. & Crucium apud ipsum. Quid verò respondendum ad hunc

600

Casum breviculum.

601 *Franciscus sæpe recitat Matutinum ex Romano B. Pii V. non correcto, cætera recitat ex correcto.*

Resp. Tamburinus *cit. §. 2. n. 3.* testis est, se nihil scrupuli injecisse alicui hoc factitanti. *Sed quid si jussu confessarii compulsus bis de die dicere Breviarium, facit eandem commixtionem?* Idem Tamburin. jussit esse sine metu, qui id fecerat. Juberem & ego, quia uterque usus fuit legitimis Breviariis; non enim oportet, sed solùm licet, & decet uti correcto ab Urbano, ut patet ex Bulla ipsius. Hinc responsum ad literas F. & G. positas in casu Zephyrini *n. 548.*

APPENDICULA.

PAter Bruno *cit. Disp. 3. n. 5.* non obscurè mihi assentitur, rato hoc *n. 601.* post Tamburinum, posse ab illo, qui est adstrictus Romano Breviario, partem ex S. Pii V. partem ex Urbani VIII. formula persolvere. Verùm incipio jam dubitare, an non erremus uterque, idcirco, quòd Urbanus VIII. in Bulla incipiente: *Cùm aliàs*, quæ apud Cherubinum est hujus Pontificis CLXVIII. expressè, & graviter vetet, ne hymni publicè, (aut etiam privatim, juxta ipsummet P. Neusserum *cit. Disp. 3. n. 8.* non improbabiliter id inferentem ex verbis Bullæ) recitentur, nisi correcti in ultima reformatione Breviarii. Nihilominus, illa mea resolutio habebit locum saltem in locis, in quibus non est recepta illa Bulla Urbani, sicut recepta non est in nostra Cathedrali, & aliis pluribus Ecclesiis. Interrogatus autem, sicut fui olim à quodam Canonico Sedunensi, utrùm sit fas, uti Breviariis Clementinis post Bullam Urbani VIII, impressis, responderem, licere, si Urbanus præcisè inhiberet eorum impressionem; at quia in fine bullæ præfixæ Breviario, permittit quidem usum Clementinorum, at cum restrictione ad jam tunc impressa, idcirco responderem nunc, haud licere; atque ita respondendum esse, tenet P. Bruno Neusser, ubi videlicet non invaluit contraria consuetudo, sicuti in Gallia, & singulariter respectu Officii B. Virginis. E diverso tenendum est, neminem teneri comparare Breviarium Urbani VIII. seu reformatum, si habeat impressum ante inhibitionem Urbani, sicuti observat Leander *Disp. 3. q. 23.* & liquet ex ipsamet Bulla Urbani VIII.

II. Clerici non Beneficiati, nec adscripti alicui Ecclesiæ, vel tenentur uti Diœcesano. Bonartius *l. c.* post Suarez; aut Romano. Lessius *c. 27. n. 75.* Vel possunt uti quocunque approbato. Navarr. *in Manuale c. 25. n. 107.* At Beneficiati debent legere ex Breviario Ecclesiæ, in qua habent Beneficium, quamdiu habitant intra Diœcesin. Suarez *Cap. 23.* sicut & Monachus in perpetuum præfectus alicui Ecclesiæ sæculari. Miranda *in Manual. q. 77. n. 13.* & sæcularis sacerdos habens beneficium, vel capellaniam sitam in Ecclesia Regularium, seu Fratrum, seu Sororum, tenetur orare de Sanctis, & solennitatibus Ordinis, sed juxta formulam suæ Diœcesis. Quintanadvennas *sing. Tr. 8. sing. 8. n. 6.* Quid autem agendum, quando toto hesterno die fuit in loco unius, & toto hodierno in loco alterius beneficii, a peritam *sect. seq. n. 649.*

602

Si verò Beneficiarius commoretur extra Diœcesin e. g. in studiis, securè accommodabit se loco, juxta Suarez *ibid.* sed rectiùs parebit Declarationi Rituum Congregationis apud Gavantum *sub princip. secundi Tom. in sylabo Decretorum*, statuentis, ut à tali recitetur Officium, quod in Choro sui Beneficii psallitur, si quidem ille e. g. studiosus literarum habeat obligationem ad Chorum. Addo, quando quis possidet duo Beneficia adstricta totidem Breviariis diversis, debere juxta Suarez, & plures alios relatos à Bonacina *de Hor. Can. Disp. 1. q. 3. punct. 1. n. 9.* recitare ex Breviario loci, ubi residet, juxta Sylvestrum autem, Reginaldum, & alios ex loci, ubi habet dignius, aut pinguius Beneficium.

APPENDIX PEREGRINA.

AT quid videtur judicandum esse de hoc Casu

Itali Archipresbyteri Foranei?

a *Qui non modò præest in celebri oppido Diœcesis* A. *cum vero titulo, cuidam Ecclesiæ parochiali Archipresbyterali nuncupatæ, habenti sibi, suáque jurisdictioni immediatè subjectas alias viginti quatuor filiales, procuratas immediatè per procuratores suos, verùm etiam possidet in alia Diœcesi* B. *ex legitima dispensatione Canonicatum Cathedralem, cujus annuis reditibus omnibus gaudere potest, dummodo singulis octo mensium, diebus, continuis vel interpolatis existat brevissimo tempore adeóque per decimam aut duodecimam partem unius horulæ in ea urbe, cùm*

cùm ibi nulla adsit nisi semel in Anno, obligatio ad chorum. Quæritur ergo primò, *an possit, aut teneatur recitare Breviarium suæ Archipresbyteralis parochiæ, an sui Canonicatûs, haud parùm diversum ab altero?* Secundò, *an licitè recitet de Patronis & Dedicationibus illarum viginti quatuor filialium, quas regit vero jure parochiali?*

b Meum hac super re judicium intelligere volenti, &, ut ex alterius disco literis, singulari eruditione prædito, ac proinde ex phrasi Paulina digno *duplici honore* illi Domino respondi, cùm Canonicatus Cathedralis sit aliquid Archipresbyteratu Foraneo, ut est ille, de quo nobis sermo, dignius, siquidem & Archipresbyter Foraneus, seu extra Cathedralem commorans, suóque fungens Officio, æquiparetur Decanis ruralibus, sicuti Civitatensis, seu Capituli Cathedralis, Decano Cathedrali. Laymannus & Wangnerek. uterque in *Titulo 24.* seu *De Officio Archipresbyt. in 1. Decretal.* & non habet dignitatem propriè, & Canonicè dictam. Laym. *ibid. Cap. final.* idcirco poterit, aut fortè etiam ex mente Suarezii suprà relati debebit accommodare se Breviario sui Canonicatûs, seu Diœcesis B. At juxta veriorem aliorum lequeturritum Diœcesis A. tum quia perexiguos fructus potest è suo Canonicatu percipere, si velit residere in sua Archipresbyterali, tum quia absque dubio tenentur in hac, ut paulò pòst demonstrabo, residere, tum denique quia utique debet in celebratione Missarum stare usu Diœcesis A. igitur & in persolutione pensi Canonici, alioqui foret nimia inter hæc duo discordantia, nimísque crebrò celebrarentur Missæ *Votivæ* juxta descriptionem Missæ *Votivæ* allatam *Tract. 3. Cas. XII. n. 621.*

c II. Ad festa filialium quod attinet, utique *licitè* colet ea Officiis propriis singularum, conformiter doctrinæ propositæ *cit. Tract. 3. Casu XX. in Append 2. Lit. tt.* & cùm sit verus earum Parochus. Nolim tamen ad id eum obstringere, quandoquidem videtur satisfieri institutioni, mentique universalis Ecclesiæ; si cooperatores, ut debent, singularum celebrent Dedicationes, & Patrocinia etiam singularum.

d Scisitabatur præterea, imò primariò, ille Reverendissimus Dominus Canonico-Archipresbyter, utrùm. quia sua Parochialis abest à loco sui Canonicatûs intervallo duarum solummodo horarum, ita, ut possit tertio quoque die vesperi se conferre ad urbem B, atque altero summò manè redire in oppidum suæ Archipresbyteralis, hácque ratione satisfacere residentiæ Canonicali simul & juri percipiendi omnes fructus Canonicales, percontabatur, inquam, an etiam suæ Parochiali debitam residentiam præstiturus eâ ratione esset, cùm & illa excursio, absentiáque videatur modica esse, ergo non curanda *L. Postliminium. §. Captivis. L. Nihil ff. De capt. & postlim. reversi.* & absente se adsint Cooperatores, alii Sacerdotes, & Religiosi, qui gnaviter suppleant vices absentis.

e Respondi tamen, me ipsi daturum resolutionem talem, qualem ego in articulo mortis me dedisse, ille in eodem se amplexum esse gaudebimus, hunc enim esse Lydium lapidem, ad quem examinandæ sint tunc singulariter resolutiones practicæ, quando subest periculum, ne vel captatio favoris humani, vel generalis philautia, amor, inquam, proprius nebulas intellectui offundat. Meam proinde resolutionem esse *negativam*, siquidem illa tam frequens (terna, vel quaterna per hebdomadem) excursio certè involvat notabiliter longiorem à sua Parochia absentiam, quàm sit duorum mensium concessorum ex causa *æqua* à Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 1. De Reform.* locus quoque sui Canonicatûs sit remotior à Parochia, quàm jura, & Doctores permittant.

f In primis enim certum est, pernoctationem in loco Beneficii exigentis præcisam residentiam, ut exigit Parochiale per *citatum. Cap. 1.* Synodi Tridentinæ, esse partem integralem residentiæ, nam & nullus Episcopus, aut Generalis Vicarius est tam vecors, quin esset severissimè reprehensurus plebanum, solitum bis, térve in hebdomade somnum capere in loco, duas horas dissito à sua Parochia, & tempus nocturnum utique accensetur duobus mensibus indultis à Concilio, ex causa *æqua*, curam animarum gerenti, sicuti generatim statuta loquentia de Diebus, Mensibus, Annis, ætatum, dignitatum, functionum, involvunt utique etiam nocturna tempora, seu dictim viginti quatuor horas, & residentia Parochi debet esse continua. Doctores communiter cum, & apud Garciam *De Benef. Part. 3. cap. 2.* atque Barbosam *De Parocho Cap. 8. num. 42.* & denique æquè de nocte, atque de die ingruunt necessitates, præsertim in celebribus, (quale est id, in quo existit Archipresbyteralis Parochia,) oppidis, ac nominatim Italiæ, in qua patrantur de nocte tot homicidia.

g Nec patrocinantur illi Reverendissimo Domino Leges, aut Doctores pronuntiantes, non abesse eum, qui brevi reversurus est; eum quoque adesse continuò, qui parvo tempore abest. Jacobus de Graffiis *in decis. aur. Lib. 2. cap. 97. num. 47.* siquidem distantia duarum horarum non est hìc parva; etenim & Congregatio Concilii referente Garciâ *loc. cit. num 179.* atque Barbosâ *num. 39.* declaravit, distantiam trium milliarium Italicorum (quæ conficiuntur facilè sesquihorâ) esse nimiam, sicut & Beja *in Resp. Casuum Part. 4. Cas. XXII.* pro nimia habet unam leucam Hispanicam; quemadmodum

nec absentia nocturna accensenda est non diurnis, seu brevibus. Et quamvis demus, distantiam illam esse parvam respectu Parochialis Ecclesiæ solitariè spectatæ, est tamen magna respectu filialium, quarum nonnullas ex toto, id est vicenis quaternis, esse à loco Canonicatûs remotas intercapedine non duûm duntaxat, sed trium, aut quatuor, horarum, est verosimile; harum autem etiam curam personalem gerere debere verum Parochum, constat ex Trid. Concil. *loc. cit.* omnibúsque Doctoribus differentibus de cura pastorali, absque distinctione inter præcipuam, seu matricem, & filiales Ecclesias immediatè subjectas gubernationi Parochi, nisi fortè alicui cooperatorum sit ex institutione filialis imposita tota animarum cura, seu perpetua, quoad vixerit, vicaria. Barbosa, *De Paroch. l. c. num. 18.* Quòd si distantia duarum horarum non impediret, quò minùs diceretur ille Dominus non *longè* abesse à Parochia, dum moratur in urbe, haberet multùm faventem sibi Barbosam *loc. cit. num. 16.* post Congregationem Trident.

h Non etiam illum eundem Dominum justificabit coram Deo copia, diligentiáque cooperatorum, atque aliorum, sequidem nihilominus tenetur, non quidem semper, sed vel communiter, vel quando subest peculiaris causa, petitórve nominatim, præstare suam personalem operam, Garcias *loc. cit. num. 53.* Barbosa *loc. cit. num. 40. & 41.* Beja *loc. cit.* Pater Lessius *De justit. Lib. 2. cap. 34. num. 153.* id optimè probantes, & nemine, quem sciam, repugnante; atque meritò, nam & residentia idem est, quod assiduitas commorationis in loco Beneficii causâ servitii Ecclesiastici præstandi, Pater Layman. *Lib. 4. Theol. Moral. Tract. 2. cap. 5. num. 1.* & residere in Ecclesia, idem est, quod in ea servire Beneficio, & ejus curam habere personaliter P. Tannerus *Tom. 3. disp. 4. quæst. 6. num. 187.* & Parochi jure *divino* tenentur per se ipsos Officium suum ministrare. P. Lessius *loc. cit.* atque ipsummet Concil. Trid. toties allegatum *Cap. 1.* statuens: *ubi officio suo defungi teneantur.* Vide Ludov. Engel *in Manuali Paroch. Part. 2. cap. 5.*

i Insuper interrogabat (utique minimè dubius de jure) idem Dominus consulens, utrùm absentia à Cura modo expresso suprà *Lit. a.* atque animo assistendi sessionibus, & negotiis capitularibus, nec non faciendi suos fructus sui Canonicatûs, ad decentiorem sui sustentationem, sit causa sufficiens Ordinario dispensandi quoad tertium mensem à Concilio istius arbitrio permissum, possítque causa hæc reduci ad quatuor illas communiter admissas?

k Respondi, non videri mihi, ullum pium Theologum, aut Canonistam responsurum *affirmative*. Siquidem arbitrium regulatur à jure, sicuti pluries resolvisse Rotam, testantur Doctores, apud Barbosam *De Clausulis Claus. 21.* jus verò Tridentinum *cit. Cap. 1.* exprimit causas quatuor, ob quas solas liceat Episcopo unum mensem addere duobus permissis ab ipsamet Synodo, ad quarum quatuor causarum nullam planè reduci potest alterutra ex iis, quæ insinuantur in ratione dubitandi, nominatim autem Titulus honestioris sustentationis, utpote profanissimus, & ad solam pompam, splendorem, delitias, locupletationem cognatorum &c. tendens, exulare debet à cogitatione animæ timentis Deum, ejúsque severissimum judicium. Legantur Doctores, imò authenticæ Declarationes, quas Garcias, & Barbosa *locis cit.* itémque Barbosa *in Collectaneis ad allegatum Cap. 1.* Tridentini referunt, sequuntúrque; addantur etiam hisce, quæ ex Joannis Gallemart Observationibus, ipsiúsque Barbosæ Remissionibus exhibent editiones recentiores Concilii Trident. deprehendetur manifestè, esse pro nulla habendam alterutram ex causis finalibus, quas non tam ex suo, utpote qui sit ipse juris, Theologiæque scientissimus, ideóque perspiciat rei indignitatem, quàm aliorum genio, & utinam non more, producit in medium.

Quòd autem præterea insinuat, illos duos l
menses, quos Synodus facit quot Annis liberos à residentia, dummodo integre prospiciatur necessitatibus per alium, esse concessos animi relaxandi gratiâ, probare nequeo. Siquidem iidem sapientissimi Patres exigunt pro his quoque mensibus causam *æquam*; sola autem relaxatio animi bimestris (extra Parochiæ fines) nequaquam est respectu plerorumque (horum enim solorum intuitu consuevêre ferri Leges. *L. Ex his. & L. Jura. ff. De legibus*) æqua, justáve causa, præsertim si perpendamus, residentiam, administrationémque personalem esse jure *divino* sancitam; & denique Lessius *loc. cit.* post Navarrum damnat peccati mortalis contra jus naturale divinum absentem etiam duos solùm menses absque *justa* causa, etiam cum facultate Episcopi. Ita ferè respondi nominato superiùs Canonico.

Præterea hoc loco observo, haberi à Lean- 603
dro *cit. Disp. 3. quæst. 21.* procerto, quòd, qui obligatus certo cuipiam Breviario, caret illo, teneatur penitùs persolvere ex quocunque alio probato, citátque pro hac sententia Crovers, & Pellizarium *Tom. 1. Tract. 5. cap. 8. sect. 2. quæst. 9. n. 76.* post Lezanam relatum ab ipsomet Pellizario. Ego autem non video, quomodo hæc sententia stare possit, seu cum Bulla B. Pii Quinti, negantis posse obligationi psallendi satisfieri utendo formulâ non præscriptâ ab ipso, seu cum illa multorum doctrina, quam referemus *in Disp. 3. De mutatione officii n. 859.* illorum scilicet, qui mutantem vel semel unum officium in aliud damnant de mortali, propter illam ipsam declarationem B. Pii. V. *tacite* confirmatam à Clemente, & Urbano Octavis. Unde Antonius Cotonius *ibidem* relatus postea *c. 6. n. 1191.* consequenter dissentit post P. Tamburinum

Lib.

Lib. 2. in Decal. Cap. 5. §. 8. num. 10. à Mendoza, obligante cæcum ad recitandum quotidie officium, si quod teneat memoriâ; affert autem hujus dissensûs sui causam, quia tunc laudaretur Deus medio omnino diverso à præscripto. Atqui etiam ille, qui alligatus certo Breviario orat ex quocunque approbato, laudat Deum medio omnino diverso à præcepto. Unde fit, ut multi agant peccati mortalis reum illum, qui vel semel pro Romano utitur Benedictino, Carthusiano, &c. cùm sit alligatus Romano; quia in talem *directè* cadit lex B. Pii *præceptiva*, aut *declarativa*, de impotentia satisfaciendi per aliam formulam suo oneri; & Caramuel in Regulam Sancti Benedicti *Disp. 117. num. 1449.* negat in terminis, seu Abbatem, seu subditum Religiosum carentem Breviario Benedictino, at non carentem alio alterius Ordinis, teneri orare ex hoc, idcirco quòd uterque sit alligatus Benedictino.

604 Denique contra illam à Leandro assertam certitudinem sic argumentor: Certum est eum, qui nequiret nancisci aliud Breviarium, quàm illud, quod fuit editum à Francisco Quignonio Cardinale S. Crucis, non obligatum iri, ad utendum hoc Breviario, & ideo non obligatum iri, quòd B. Pius V. *sustulerit*, atque *abolueverit* ejusmodi formulam precandi; atqui ipse idem Pius expressissimè ita loquitur: *Etiam abolemus quæcunque alia Breviaria, omnémque illorum usum de omnibus orbis Ecclesiis, & locis* &c. Ergo ratio fundamentalis, militans respectu Breviarii conditi à præfato Cardinale, militat etiam respectu aliorum omnium diversorum à Piano; ergo per horum usum tam parum suppletur defectus omissi legitimi officii, quàm per usum Quignoniani. Verum quidem est, quòd idem meritissimò nuper in classem Sanctorum relatus Pius exceperit ab illa tam generali abolitione, & usurpationis prohibitione, Breviaria antecedentia ducentos Annos; sed verum etiam est, quòd & omnis exceptio à Lege generali sit strictè interpretanda *Cap. Cùm expediat. De elect. in 6.* proindéque haud extendenda de loco in locum, personis in personas; & exceptio firmet Regulam in contrarium. Gloss. *in Rubr. De Reg. Jur. in 6.* communiter recepta: atqui S. Pius exprimit in illa sua exceptione illa sola loca, *que ab ipsa prima institutione ducentos Annos antecedente constiterit usa fuisse aliis Breviariis.* Eam ob rem est mihi multò probabilius, non adesse in casu generali, quem ponit P. Pellizarius, obligationem orandi ex alio Breviario. Si tamen versareris per majorem Anni partem in urbe, vel monasterio, in quo vigeret usus legitimus Breviarii aboliti à B. Pio, nec interea suppeteret tibi copia Breviarii, cui es adstrictus, locum haberet opinio Pellizarii, propter communem doctrinam de obligatione generali observandi leges particulares loci, in quo quis habiturus est per majorem Anni partem. Quæ tamen obligatio quia probabiliter à multis negatur respectu viatorum, aliorúmque peregrinorum, breviùs quàm majore Anni parte commorantium alicubi, ideo etiam probabiliter censebis te immunem à peccato mortali, si existens uno, alteróve die tanquam hospes in aliqua Carthusia, abstineas omni penso horario, utpote carens tuo Breviario.

Confirmo dicta; quia aliqua Breviaria Monastica, & Diœcesana antiquissima non minùs differunt à Romano, quàm officium parvum B. V. à majoribus officiis ejusdem Virginis; sicut ergo nemo, qui nequit recitare Breviarium de Conceptione, adigendus est ad Officium parvum; Virginis præscriptum pro Adventu, ita neque is compellendus ad Carthusianum, Benedictinum, &c qui destitutus est libro continente formulam psallendi præscriptam sibi.

III. Peregrinus, vel Viator, existens in lo- 605
co, ubi celebratur speciale festum, celebrabit & ipse illud officio, si visum fuerit. Laymann. *Lib. 4. Tract. 1. cap. 5. num. 3.* Titulus quippe & conformitatis, & pietatis patrocinatur. Imò Tamburinus *loq. cit. num. 36. 38. & 39. absolutè* docet, quemlibet clericum sæcularem (aliud sentit de Religioso, qui ex vi voti, & professionis suæ, obligatur ad proprium ritum, ut c. g. Religiosus ex Sacro Ordine PP. Prædicatorum) posse accommodare se loco, in quo peregrinatur, eò quòd peregrinus possit, licèt non teneatur, sequi leges loci, in quo existit. Porrò an Regulares possint, aut teneantur dicere Officium de Sanctis Diœcesanis, dicam infrà *n. 627.*

IV. Utens Romano non tenetur recitare 606
diebus notatis in Breviario Officium B. Virginis hebdomadarium, nec Officium Defunctorum, nec psalmos Pœnitentiales, aut Graduales; discrètè enim talem liberat S. Pius V. profitens tamen, se idcirco mandâsse nihilominus hæc inseri suo Breviario, ut clerici spe indulgentiæ, quam offert recitantibus, allecti orent illa. Excipit tamen ab hac gratia Ecclesias, in quibus viguit usus recitandi in choro Officium Divæ Virginis: vult enim servari illum usum, sicuti & Theologi illum, quo ratione fundationis, dicebatur certis diebus Officium Defunctorum, quod proinde beneficiati tenentur etiam, dum sunt foris, recitare. Sanchez *Lib. 2. Consil. Mor. cap. 2. dub. 80.* at hinc non tenentur, si soli præsentes accipiant integrum salarium. *At, quanta obligatio recitandi talia incumbit non utentibus Romano?* Resp. Spectanda consuetudo loci. Lessius *cit. Cap. 37. n. 76.* ac Laymannus *cit. Cap. 5. num. 4.* In dubio non præsumetur mortalis, me judice, quia tanta obligatio est probanda, non præsumenda.

V. An, & quatenus liceat, vel oporteat, 607
dedità operâ, recitare brevius officium pro longiore præscripto, disputabitur inferiùs proprio loco, scilicet *Disput. 3.* per totam. Interim di-

eo, esse probabile, quòd non nisi venialiter delinquat, qui absque rationabili causa facit non frequenter ejusmodi mutationem; nec venialiter quidem, si ex causa rationabili, seu justa, & honesta, ut loquitur Leander *Quæst. 16.* post Sanchez, & Tamburinum, testans esse communem. Causarum hîc rationabilium plures indicabo *ibid. n. 910. & seqq.*

Quia in hac quæstione *prima* disserui de forma, juxta quam persolvendum est Officium, observo, à Brunone Neusser *De Horis Canon. Disp. 5. n. 45.* post Lezanam in *Summa Quæst. Regul. Cap. 12. n. 20.* statui hanc conclusionem: *Recitans Officium duplex, quod recitandum est sub semiduplici, & contrà, peccat mortaliter, nec satisfacit præcepto Officii Divini, sive id fiat intra chorum, sive extra, sive semel, sive sæpius.* Adfert hujus rigoris hanc rationem, quòd in Decreto Congreg. Rit. præfixo Breviariis, decernatur, *non posse Episcopos Officium Canonicum mutare in altiorẽ ordinem, innovando pœnas Pii V. quæ sunt, quòd non satisfiat officio, & alias, quæ non solent infligi, nisi ob peccatum mortale. Rursus non servatur formula Breviarii.*

Ita ille. Sed pace Doctissimi viri existimo, neutrâ harum rationum probari tantam severitatem. Non *primâ*, quia Episcopus elevans e. g. ad altiorem ordinem manifestè inducit novum ritum, quæ inductio singulariter, ac sub gravi pœna prohibetur in Bullis Pontificiis, ego autem semel celebrans sub duplici Festum S. Brunonis, e. g. non induco novum ritum; à tam diversis autem non valet illatio, præsertim tam odiosa. *Altera* ratio etiam non probat intentum, quia non quælibet non-observantia formulæ continet culpam lethalem, alioquin contraheret hanc omnis, qui omitteret minimum Hymnum, unicam commemorationem &c. qui Tertiam recitaret post Sextam: qui non staret, flecterétve tempore præscripto &c. Et si non satisfacit præcepto recitans tempore Adventûs sub Duplici Officium semiduplex Sancti tunc occurrentis e. g. S. Damasi, quid aget, ut satisfaciat? Supplere nihil debebit, cùm nihil omiserit, nam eo tempore cessant communes commemorationes. An repetet totum Officium? at cuinam hæc obligatio venit in mentem? An duntaxat recitabit prima verba singularum Antiphonarum præcedentium quemlibet psalmum? at & istud est ridiculum, & non servabitur hac ratione formula Breviarii, quæ vult, ut post singulas Antiphonas dicantur singuli psalmi, non autem permittit, ut omnium Antiphonarum prima verba recitentur uno tractu. Nec obstat, quòd Clemens, & Urbanus interdicant gravissimè usu alterius formulæ; novit enim P. Bruno ex Suarez, atque aliis passim, illam tam gravem interdictionem non intelligi de quovis etiam minimo recessu à formula, sed desumendum esse ex variis circumstantiis, utrùm hic & ille recessus, hæc aut illa mutatio formulæ repugnet graviter, an solùm leviter Legi, finique legis præscribentis hunc, non alium ritum.

Quæritur II. *Quænam circa integritatem trahant DD?* Resp. Seqq. 608

I. Peccat mortaliter, omittens etiam tantùm semel unam unicam Horam. Ita 24. DD. apud Dianam *Part. 6. Tract. 6. Res. 6.* Imò omnes, teste Suar. *Lib. 4. De Orat. Cap. 25. n. 15.* Sed utique dissentiunt tum quoad unam Horam, Caramuel *in Theol Reg. Disp. 118. num. 1462.* tum Richardus, & Angelus, qui, ut vidimus suprà, absolvunt à mortali negligentem totum Officium semel, aut bis in Anno. Dissentit quoque in terminis Carolus Marchinus apud Dianam *cit. Res. 6.* dubitante Soto apud eundem. Et ego magnopere dubito, spectatâ solâ ratione, & abstrahendo ab auctoritate, quæ tamen tanta est, ut moverit Lezanam, *in addition. ad Tom. 1.* ad vocandam sententiam Marchini falsam, atque improbabilem.

An ergo de mortali damnabis omittentem Vesperas Sabbati sancti?

P. Tamburinus suprà *Cap. 5. punct 2. num. 11.* & apud Neusserum *De Hor. Canon. Disp. 8. quæst. 2. n. 11.* Pellizarius, Franc. Bonæ Spei, ac Jacobus Marchantius negant, damnandum, quòd, & materia sit exigua, & dies illa sit tam læta, atque præcesserit tam longum officium, ut ratiocinatur Tamburinus: cui à fortiori assentiuntur tum citati *num. præced.* tum Mart. à S. Josepho, Pourre, Escobar., & Jacobus Marchant. quos pro Caramuelis, & Marchini opinione nominat idem Neusser *loc. cit. num. 9.* subdens *num. 12.* generatim illam solam partem esse gravem, quæ spectata, & in se, & in ordine ad totum officium æquivalet uni parvæ horæ, adeóque non peccare mortaliter illum, qui disparatas partes in notabili quantitate omittit v. g. *ex qualibet Hora duos Psalmos, & Hymnum*, aut qui in Matutino, vel Laudibus, vel Prima, vel Vesperis, vel Completorio (quas Horas habet, ut & plures alii, pro majoribus) omittit tantum, quantum æquivalet toti uni ex tribus parvis Horis, aut qui in Officio Feriali omittit tres Lectiones cum Responsoriis, secùs si ex tribus Nocturnis unum totum omitteret, quam opinationem poteris jungere aliis mox referendis, & in medio relinquendis. 609 610

II. Sicut Fagundez loco, quem retuli *n. 132.* pro certo habet, peccari venialiter ab eo, qui negligit etiam minimam partem Sacri, ita & consequenter asseret de majoribus, aut parvis horis. Sunt autem juxta Navar. *De Orat. Cap. 10. num. 44.* Matutinum, Laudes, Vesperæ & Completorium horæ majores; reliquæ solæ annumerandæ parvis. Ego cum Suarez *num. 15.* Reginaldo *Cap. 18. num. 143.* Diana *Part. 2. Tr. 12. n. 41.* aliisque communiùs, habeo solum Matutinum, id est Nocturnos, & Laudes simul pro Majore hora, reliquas pro Minoribus.

III. Idem

611 III. Idem Navarrus est æquo rigidior, dum *loc. cit.* reum dicit peccati mortalis, omittentem ex Tertia e. g. à principio ad primum psalmum *inclusivè*. Admodum, & prudenter quidem, benignus est Bonartius *Cap. 19. num. 13.* resolvens sic: *Probabile mihi videtur, non incurri hac in re peccatum mortale, nisi aliqua Hora ferè integra prætereatur, vel aliqua pars Horæ majoris illi respondens, unde qui ex Tertia recitat saltem usque ad primum psalmum* inclusivè; *imò unum illius psalmum, non videtur peccare mortifere.* Ita Bonartius, favente Reginaldo *num. 144.* adstipulante apertè Tamburino, *loc. cit. Cap. 2. §. 2. num. 10.* & *11.* consentiente quoque à fortiori Tiberio *Quæst. 100.* ubi ad mortale requirit omissionem unius integræ horæ, sicut & Palaus *punct. 5. num. 1.* citans Lessium, & Bonacinam. Equidem pars Sacri, ab initio usque ad Evangelium *exclusivè* continet communiter haud paulò plus, quàm integra Tertia; & tamen suprà retuli tam multos, non agnoscentes culpam lethalem, in omissione illius partis Sacri. Et quis credat, Ecclesiam esse tam duram matrem; ut Orco addicat omittentem minus? Qui probabit, consuetudinem esse tam rigidam?

612 Mediam viam ingressi Suarez, Reginaldus, Escobar, Diana *Res. 14.* scribunt, ut peccetur mortaliter (per omissionem partis, requiri & sufficere, ut in parvis horis omittatur dimidia (de hac sufficientia meritò dubitat Layman. *C. 4.* etsi assentitur Tannerus *Tom. 3. disp. 3. quæst. 1. num. 145.*) pars, at in reliquis tantum, quantum æquivalet uni integræ horæ. Qui Suarez præterea noxæ lethalis damnat negligentem Nocturnum unum. Escobar *Tract. 5. exam. 8. num. 59.* illum, qui in Matutino 4. psalmos longiores, vel tres Lectiones cum Responsoriis, Laymann. *Lib. 1. Tract. 4. cap. 19. num. 6.* qui novem Lectiones cum Responsoriis, aut in Officio trium Lectionum plus quàm tres Lectio-
613 nes, etiam cum Responsoriis. Gavantus *in Rubricas Breviarii Sect. 5. cap. 12. num. 12.* omittentem multas commemorationes. Rectiùs diceret, cùm Laudes sint tantùm pars Matutini, dimidia autem pars harum non sit notabile quid, si comparetur cum toto Matutino, paulò plusquam dimidiæ earum partis omissionem exigi, ad constituendum tantum reatum.

614 IV. Omittens diebus Rogationum, vel sancti Marci Litanias, aut secundo Novembris Officium Defunctorum, delinquit mortaliter, juxta communem, probabiliorémque Suarii *l. c.* Sanchez *cit. Lib. 7. Consil. Moral. cap. 2. dub. 27.* Tanneri *num. 147.* Tambur. *num. 14.* Leandri *Disp. 3. quæst. 35. & 36.* contra Graffis, Homobonum, Molfesium, Macignum apud Dianam *cit. Tract. 12. Res. 42. & in fine Quartæ partis, in peculiari quæstione de Officio Defunctorum*; quorum sententiæ concedit Diana probabilitatem, non audet Tamburinus negare,
615 sicut nec ego. Saltem tunc vera est respectu Litaniarum, quando non instituitur Processio. Suarez *loc. cit.* etenim dicitur in Rubrica: *Qui non interfuerint Processioni, dicant Litanias privatim*; sicut & satisfacis juxta Gavantum, & veritatem, si pridie vesperi recites post Matutinum, & Laudes; cur enim accessorium non sequatur etiam hîc suum principale? At non satisfacis juxta Tamburinum *loc. cit. §. 5. num. 7.* consentientem tamen quoad Officium defunctorum. Quia autem nos in Societate recitamus quotidie ante somnum in templo, vel aliò loco decente, eàsdem Litanias; evadet peccatum, saltem grave, qui iis intererit respondens; rectè enim docet Leander *cit. Tract. 8. disp. 4. quæst. 95.* contra P. Tamburinum, talem præventionem non repugnare Rubricis; quod ipsum asseruerat *Quæst. 94.* de Officio defunctorum, dicto vespere festi omnium Sanctorum. Certè sic fert mos nostræ Provinciæ; consentit mihi citato Bruno Neusser *Tract. De Hor. Canon. disp. 15. num. 84.*

Dico: *Respondens*; etenim Congregatio à- 616
pud Gavantum *Sect. 6. cap. 16.* declaravit, teneri repetere privatim, qui interfuêre quidem, at non decinerunt. At magnopere dubito, utrùm hæc declaratio observetur à Dominis Canonicis Germaniæ. Idem Gavantus testatur, *l. c. n. 25.* esse declaratum ab eadem Sacra Congregatione, ut quando festum Sancti Marci occurrit, in Dominica Resurrectionis, Litaniæ transferantur in feriam tertiam, quo die erunt etiam privatim recitandæ; at in quemcunque alium diem cadant, non esse transferendas. Denique addit idem Gavantus, esse flectenda genua ab eo, qui privatim eas recitat.

Unde hoc ipso Anno 1677. quo locupletò hanc Editionem, cùm Festum ejusdem S. Evangelistæ occurrisset in Dominica in Albis, fuit, quidem in hac Diœcesi Constantiensi illud translatum in diem XXVIII. April. at non modò habita fuit processio illo die Dominico, decantatæque Litaniæ, sicut debuerunt, juxta Gavantum, & alios, sed insuper ad calcem instructionis, quam Directorii Diœcesani concinnator longissimo usu peritus conscripserat ad Sabbatum præcedens illam ipsam Dominicam, expresserat hæc verba: *Qui vesperi recitat Matutinum cum laudibus, potest etiam recitare Litanias.* Quod idcirco memoro, quia confirmat id, quod præcedente *n. 615.* approbante etiam Doctissimo Brunone, Neusser post Gavantum *Part. 2. Sect. 7. cap. 15. ad diem 2. Novembris* scripsi de nobis licitè Litanias (quas pridie Rogationum de continuo more recitamus, una omnes in Ecclesia) offerentibus, si ita lubeat, in satisfactionem obligationis ad illas dicendas postridie.

Verùm his ipsis exaratis volens cognoscere, an etiam hoc argumentum tractaret noster P. Carolus Guyetus in sua Heortologia, non semel in hoc opere meritò commenda-

data, reperi ipsum *Lib. 4. cap. 2. quæst. 6.* non modò dispentire à Gavanto, sed etiam adferre tales rationes sui dissensûs, ut eam ob rem habeam quidem pro probabili illam meam opinionem Superiorem, sed Guyetanam pro verosimiliore. Quia verò, licèt in nostra Germania non observetur statutum capituli *Rogationes. De consecrat. distinct. 3.* imperantis jejunium, seu abstinentiam à carnibus triduo Rogationum, attamen alicubi exoritur dubium, an, & quomodo sit transferenda illa abstinentia, sicuti & ea indicitur in Festo S. Marci. Consuli poterit idem prædictus Guyetus sagaciter discutiens hoc dubium.

617 V. Non nisi unum peccatum mortale admittit, qui uno die omittit omnes horas. Silvester *Verb. Horæq. 12. n. 6.* Navarr. *De orat. cap. 7. num. 6.* alii communiùs contra Lessium *Cap. 37. n. 53.* & alios. Itaque talis satisfaciet in confessione dicendo: *Peccavi mortaliter omissione divini officii.* Lugo *De pœnitentia disp. 16. num. 547.* Diana *cit. Tract. 12. Resp. 23.* referens plures alios contra Suarium, & alios; nam totalitas est tantùm circumstantia aggravans intra eandem speciem, sicut etiam dixi superiùs, satcommodè confiteri Monachum Parochum, si dicat. *Non recitavi Breviarium, cùm tamen sim in Sacris.* Et qui hodie omisit, non tenetur supplere cras, ut probat praxis, exprimente Laymanno *Lib. 4. Tract. 1. cap. 3. num. 9.* contra Tannerum, *cit. q. 1. n. 167.* id ipsum de illo, qui omisit primas vesperas festi; hæ enim spectant ad officium præcedentis diei, alioquin careret hic unâ integrâ horâ, esto quoad solennitatem vendicet illas sibi dies sequens.

618 VI. Etiam contra integritatem peccas duplicando, vel syncopando, seu truncando verba, ob balbutiem, aliámve rationem. Quamvis autem sic mutilans valde notabilem partem, possis peccare mortaliter. Suarez *Cap. 13. n. 10.* Layman. *l. c. Cap 5. n. 8.* rarò tamen delinques hac ratione mortaliter, eò quòd talis mutatio rarò sit continua in aliqua parte notabili, & quando est in ultimis syllabis, non soleat mutare sensum. Suarez *ibid.* conformiter doctrinæ, quam ex Bonacina & Moneta refert Diana *cit. Tract. 12. Res. 26.* quòd non peccet mortaliter, qui eodem die in singulis horis paucos versiculos deglutiendo, syncopando, &c. mutilat, esto illi simul sumpti efficerent notabilem quantitatem, nisi hæc quantitas sit in una Hora. Profectò mutilatio est vitium tam generale partim à natura, partim ab habitu, hîc & nunc incorrigibili, partim etiam à potu vini etiam necessario, & moderato, ut infinitis scrupulis pandaretur via, si assereretur, ex his constari materiam sufficientem ad lethale crimen, cùm tamen Rodriquezius *in Summa Cap. 123. n. 2.* rectè moneat, oportere *in rebus moralibus ita loqui, ut non detur ingressus scrupulis.* Hinc rectè pronuntiat Layman. *l. c.* quando illud vitium emendari nequit, nullum peccatum esse timendum, quod etiam docet Lessius, non damnans de mortali, nisi quando excessus est enormis. Quia verò hîc facta mentio est scrupulorum, exhibeo medicinam, & resolutionem.

Casûs scrupulosi.

P. *Cornelius Brughelman Flander, in recitandis Divinis precibus anxiè nimis laborabat, & totum ferme diem scrupulosè collocabat, quæ ratione sanandus erat?* 619

Respondeo illâ, qua ipsum sanavit peritissimus medicus animarum, qui proinde jussit, *ut Cornelius preces canonicas ad horologium arenarium recitaret, & in eis universè recitandis non plus temporis poneret, quàm alii Patres consueverant, quo tempore consumpto, si qua fortè pars ad totum officium explendum deesset, eam ille eo die prætermitteret. Cornelius verò veritus, ne aliquam partem omittere cogeretur, dabat operam diligenter, ne sibi tempus deesset, vehementiùs enim angebatur, si quid omnino relinqueret, quam si quid minùs (ut sibi videbatur) attentè, ac devotè pronuntiaret. Ita scrupulus minor majori scrupulo, quasi clavus clavo exemptus est.*

Hisce omnino verbis & Casum, & pharmacum Casûs describit Ribadeneira noster, in vita Sancti Ignatii parentis nostri *Lib. 5. cap. 10.* quibus nihil addo nunc, addam verò *n. 713.* alium Casum prolixiorem scrupulosi.

VII. Silvester *Verb. Horæ quæst. 12.* sic loquitur: *Secundùm Paludanum, qui notabiliter malè dixit officium, si vult evadere mortale, debet redicere totum, si tamen modicum dimisit, puta dictionem, aut versum, aut psalmum, tenetur repetere post officium, vel aliquid aliud ejus loco dicere, si vult evadere veniale.* Sed non assentior Paludano, quoad evasionem venialis. In primis enim suppletio per aliud, non est suppletio legitima, quia Beatus Pius V. vetat, quidquam addi suo Breviario. Deinde si sint omissi solùm duo, aut tres versus in medio psalmo, vel una brevior Antiphona, videtur, repetitionem, utpote valde inconcinnam posse omitti, juxta dicta *De Sacro Casu IV. n. 142.* Secùs si Antiphona: *Salve Regina*, Hymnus, aut aliqua commemoratio non fuisset dicta; juxta ea, quæ habet Lessius *Cap. 37. n. 77.* 620

VIII. Quando, ob defectus non mortaliter malos, dixisti apud te: *Nolo valere hanc recitationem, sed volo de novo inchoare*, non peccabis graviter non repetendo, juxta dicta *Casu VII.* & doctrinam Lessii *l. c. n. 59.* 621

IX. Qui non meminit, se dixisse unam integram horam, modò non meminerit, se non dixisse illam integre, non tenetur repetere, si communiter soleat nihil transilire. San-

Sanchez *Lib 7. Consil. Moral. c. 2. dub. 34.* & Laymannus *cit. cap. 5. num. 11.* Imò malè faciet repetendo, utpote aditum aperiens scrupulis. Navarrus *c. 13.* & Bonartius *l. 2. c. 23.* certè Tamburinus requirit certitudinem *moralem*, ad obligationem iterationis. Addit Sanchez, qui habet rationem aliquam, vel conjecturam ad credendum, se dixisse hanc, aut illam horam e g. Tertiam, malè facturum repetendo. Quòd si non suppetat ulla conjectura, oportebit repetere; quia præceptum est in 622 possessione.

X. Potens dicere majorem partem Breviarii, obligatur ad hanc. Palaus *Tract. 7. Disp. 2. punct. 6.* post Navar. Suarez, Bonacinam, contra Caramuelem *in Theol. Reg. §. 115. n. 1435* & alios nonnullos, tacito nomine relatos à Palao. At non obligatur ad quidquam, qui nequit majorem. Palaus post Navarrum, Azor, Garciam, Lessium, Dianam, alios, contra Suarez, Sanchez, alios; ratos, etiam, qui solum Completorium recitare potest, teneri ad illud. Sed hæc sententia gignit ægris noxiam anxietatem. Quin idem Palaus post Filliucium, & alios, contra Bonacinam, Busenbaum, & alios, non improbabiliter absolvit à toto Matutino, qui potest quidem dicere omnes psalmos matutinales, at non Lectiones, præsertim quando sunt novem, sed talem obligat ad solas Laudes, & cæteras Horas. Attamen opinio Bonacinæ videtur omnino amplectenda in praxi; sicut & *practicè* amplecterer illam, quæ in specie docet. 1. Teneri ad omnes parvas horas; qui nequit Matutinum & Laudes. Tambur. *L. 2. in Decal. c. 5. §. 8.* contra Leand. *d. 5. q. 56.* Palaum, & alios. 2. Teneri quoque ad Matutinum, & Laudes, qui potest hæc dicere, at nequit cæteras horas. Leander *q. 57. 3.* Teneri te ad recitandam illam majorem horam cujus psalmos dicere potes, etsi non possis capitula & orationem. Leander *q. 16.* verè enim tunc potes majorem illius partem persolvere, secùs si psalmos non posses, posses autem reliqua. Leander *q. 59. At quid si quis contraxerit pravum habitum detruncandi plurimas syllabas, ita ut nequeat desuescere sine notabili difficultate, tenebiturne hanc subire difficultatem?* Doctus Leander *q. 62.* proponens hanc generalem quæstionem: *An, qui ex pravo habitu magnam habet difficultatem recitandi officiũ, excusetur ab illo recitando?* Respondet, non excusari nisi illa difficultas adferat impossibilitatem *moralem*, qualem solent habere valde scrupulosi, aut timentes futuram febrim, vel gravem dolorem capitis. Ego ad illam meam specialem quæstionem respondeo in primis, non videri adigendum ad tam difficile emendationis studium illum, qui ob defectum merè naturalem truncare solet verba, quàm qui ex habitu acquisito, ut é. g. quia libere consuevit deproperare, aut deblaterare celerrimè officium, adeoque sæpissime transilire, deglutire integras syllabas, aut verba Ratio est, quia *generaliter loquendo* tenemur strictiore jure tollere causas malorum à nobis libere positas, quàm positas ab aliis, aut à natura, ut patet exemplo unius titionis igniti, culpâ nostrâ delapsi in horreum nostri vicini, & alterius illuc per aera delati ex aliena domo correpta flammis. Deinde aio, si illa truncatio sit tanta, ut *moraliter* corrumpat substantiam recitationis, seu tollat integritatem *substantialem*, adesse mortalem obligationem emendandi defectum seu acquisitum, ut per se patet, seu naturalem, qui enim tenetur lege Breviarii, tenetur utique ad integritatem *substantialem*; at verò, si defectus ille non obsit integritati *substantiali*, esse sub veniali dandam operam, ut emendetur, quæ emendatio cùm non videatur aliter posse fieri, quam per lentam pronuntiationem, erit hæc adhibenda; lentior quidem ab habituato propriâ culpâ, quàm à naturaliter defectuoso.

Quid *si autem oporteret hac ratione impendere integram horam Matutino, & Laudibus, solitis communiter ab aliis integre absolvi intra dimidiam horam?* Respondeo, si tanta lentitudo sit necessaria ad ponendam integritatem *substantialem*, eam adhibebit necessariò uterque, & præsertim culpabiliter defectuosus; nec enim videtur hæc molestia esse ita notabilis, ut eximat à lege persolvendi *officium nostræ servitutis*, ut loquar cum S. Benedicto in Regula *cap. 11.* & aliàs sæpiùs. At verò si tardiore morâ foret opus, non adigerem naturaliter blæsum; tubureinantem, &c. obligarem autem factum vitio suo tam miserum, ea etiam de causa, quòd postquam correxerit pravam consuetudinem, sit mediocri studio conservaturus emendatam. Quando verò integritas solùm *accidentaliter*, seu venialiter violari consuevit, tanto plus reflexionis, & tarditatis erit adhibendum, quantò sæpiùs errari consuevit. Ego naturali laborantem defectu nollem compellere tunc ad plus impendendum temporis, quàm soleam, qui modestè, religiosè, non properanter *referunt Laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ*, sicuti per piissimam paraphrasin describit S. Benedictus *cit. cap. 11.* executionem pensi canonici. 623

APPENDIX.

Dictis de integritate jungo resolutionem hujus cribratæ quæstionis.

Est *nostra Ecclesia Oenipontana, quæ tamerst a muta, depradicat tamen planè Regiam munificentiam, magnificentiámque Serenissimorum Archiducum Austriæ, Comitum Tirolis, conservata sub speciali invocatione sacrosanctæ Trinitatis, ita ut sacrosancta Trinitas sit Titulus (non verò Patronus, estque hic unus è casibus, quibus hoc nomen Titulus Ecclesiæ latiùs patere, quàm Patronus*

Ecclesiæ, *tradit Gavantus* in Rubr. Breviar. sect. 3. c. 12. n. 1.) *Ecclesiæ illius, ac proinde celebretur per octavam. Fuit ergo orta, & discussa non semel quæstio in illo nostro Collegio, utrùm esset, infra illam octavam recitandum Symbolum Sancti Athanasii, nec ne?* Ratio negandi occurrebat hæc, quòd Rubrica posita immediatè ante illud Symbolum ita sonet: *Sequens Symbolum dicitur in Dominicis tantùm, quando fit officium de Prima, ut in Psalterio, & in festo SS. Trinitatis.* Atqui dictio: *Tantùm* ita includit expressum, ut omnia non expressa excludat. Barbosa in *Opusculis* in dictione *Tantùm* 3 imò vocula: *Tantùm* valet idem, quod vocula *Tantummodo* Barbosa *ibid. n. 5.* atqui dictio: *Tantummodo* excludit omnes casus, qui nominatim inclusi non reperiuntur. Idem Barbosa in dictione 404. Ratio asserendi est hæc, quòd in Rubricis Breviarii *Tit. 7. n. 4.* expressè dicatur: *De Octava* (seu diebus infra Octavam) *omnia dicuntur, sicut in die festo, præter lectiones, quarum primæ tres*, &c. Unde videntur huc applicanda illa duo notissima Axiomata: *Qui dicit omne, nihil excipit.* Et: *Exceptio firmat Regulam in contrarium.* Ego, salvo judicio illorum, qui aliter senserunt olim, fortèque adhuc sentiunt, probo, approbóque resolutionem, quam (à Directorio Constantiensi approbatam quoad diem Octavam) in hoc Constantiensi Collegio dedit in Conferentia Casuum Domesticorum ordinarius, isque egregiè doctus professor Theologiæ Moralis Anno 1670. dedit autem *affirmativam* idcirco, quòd Gavantus *in Rubr. Breviar. sect. 3. cap. 8. n. 5.* post Radulfum, magnæ authoritatis Rubricistam, scribat, omnes dies Octavæ pro una festivitate computari, ipsámque Octavam esse prorogationem festi; si igitur feria secunda, tertia, & quarta post Dominicam Trinitatis est una festivitas cum ipsamet Dominica Trinitatis, non est, cur non æquè infra octavam, atque in ipsa principali die videatur esse recitandum Symbolum S. Athanasii.

c Video, posse contra hanc ratiocinationem objici, quòd nimiùm urgeatur hæc unitas; si enim dies infra octavam est ita rigidè unus dies cum ipso festo principali, ut huic unitati repugnet omissio Symboli S. Athanasii recitati ipso die principali, cur non æquè repugnat, quòd feriâ secundâ e. g. Antiphonæ ad psalmos non duplicentur, dies infra octavam cedat cuivis non solùm duplici, sed etiam semiduplici? Jure diverso res una eadémque censeri non debet. *L. Eum qui edes, ff. De usurpat.* Barbosa *Axiomat. 135. n. 7.* cum aliis; atqui dies principalis, & dies infra Octavam censentur diverso jure, diversis Rubricis, ergo non videntur cum tanta, seu proprietate, seu jure dici una festivitas, ut ob hanc unitatem necessariò inferatur necessitas recitandi Symbolum Athanasianum diebus infra Octavam, atque ipso die principali.

d Nihilominus tamen persisto in dicta *affirmativa* sententia, tum quia illa duo Axiomata, quæ protuli, nimis potenter patrocinantur illi *affirmativæ*, tum quia res una, & eadem potest, & debet diverso jure censeri, quando refertur ad diversa. Tiraq. *de nobilitate c. 28. n. 13.* atque alii apud Barbos. *cit. n. 7.* Tum denique quia facilè respondetur ad præcipuum argumentum desumptum ex Rubrica, nominante dies, quibus solis licitum, aut præceptum sit pronuntiare dictum Symbolum. Respondetur enim, sicuti cæteræ leges intelligendæ sunt, juxta ea, quæ sunt *per se*, non quæ *per accidens*, *L. Nam ad ea, ff. De leg.* ita & illa Rubrica judicanda est loqui de illis Anni diebus, quibus *per se* annexa est obligatio prædicti Symboli: Talis autem Anni dies *per se* est sola Dominica, atque festum Trinitatis, scilicet sive translatum, sive non translatum; atqui suprà est ostensum, dies infra Octavam satis commodè nuncupari festum Trinitatis. Quia tamen his omnibus jam mandatis priori prælo incido in Gavantum *sect. 5. c. 20. n. 4.* asserentem, illud Symbolum esse in nostro casu dicendum in sola prima die, & Octava, ideo quòd utraque incidat in Dominicam, ea de causa minùs repugno *negative*; observans ex eodem Scriptore *ibidem* idcirco eidem Symbolo subjungi versiculum Doxologicum. *Gloria Patri*, tum quòd more Psalmorum cantetur, tum quòd declarato Mysterio Trinitatis æquum sit, ut eidem gloria detur.

APPENDIX APPENDICIS.

e Hls in priore Editione excusis venit in mentem quærere ex uno nostrorum Patrum Oenipontanorum, qua ratione inducti recitarint hactenus illud Symbolum diebus indicatis in præcedente Appendice? Loco directi responsi rescripsit ille hisce formalibus: Videtur mihi & aliis hic Symbolum S. Athanasii esse „ infra octavam SS. Trinitatis toties iterandum, „ quoties de die infra octavam dicitur Officium „ Trinitatis, non item illis diebus infra octavam, in quibus dicitur de aliquo Sancto, aut „ Festo Corporis Christi. Ratio mea est, quia „ juxta Rubricam dicitur hoc Symbolum *in Festo Trinitatis*, & quidem tantùm ratione Mysterii Trinitatis, quia, ut Gavantus ait, *continet doctrinam de Trinitate*, quam Ecclesia per „ proprium, & singulare officium vult recolere; atqui omnes & singuli dies infra octavam „ Trinitatis sunt, & dicuntur *Festum Trinitatis*, „ quia omnes & singuli habentur pro uno die, „ ut patet ex Præfationibus Missæ, in quibus solemus per totam octavam dicere: *hodierno die*, ergo in omnibus & singulis diebus infra „ octavam Trinitatis dicendum est Symbolum „ S. Athanasii, sicut in Festo. Vlteriùs: In Festo „ Trinitatis non dicitur Symbolum Athanasianum, nisi quia tunc dicitur Officium proprium de Trinitate, ab Ecclesia singulariter „ ordinatum ad Mysterium isthoc recolendum; atqui illis diebus, quibus infra octavam celebratur aliud Festum semiduplex, aut „ duplex cujuscunque classis, non dicitur Officium proprium de Trinitate, ergo nec Symbolum Athanasianum, quod est Officii proprii „ de Trinitate pars. Unde Dissentio 1. à Raynaudo, qui putat per totam octavam Trinitatis quotidie sine discrimine esse dicendum „ memoratum Symbolum. Dissentio 2. à Gavanto, qui putat esse in Festo, & in die octava „ tantùm dicendum, quia dies octava, eundem „ ritum habet cum Festo, licèt non eandem „ classem.

f Dissentio 3. ab aliis, qui putant, in ipso „ tantum Festo solo esse recitandum. Confirmo autem meam sententiam contra istos po„ stremos ex ipsis verbis Rubricæ, quæ loquens „ de Dominicis expressè addit: *Tantum* quando fit Officium de Dominica, ergo si voluisset „ Symbolum Athanasii dici tantum in ipso festo Trinitatis, addidisset planè & hic particulam *tantùm*. Contra Gavantum autem confirmo, quia sicut dies octava, ita & dies infra „ octavam quilibet est idem cum Festo; & licèt tantùm habeat ritum semiduplicis; ille „ tamen non diversificat formam Officii, nisi „ tantùm quoad Antiphonas tunc non dupli„ candas. Contra Raynaudum denique confirmo, quia Symbolum S. Athanasii dicitur in „ diebus Dominicis, quia dies Dominica *est festum Domini Dei uniu, & trini*, qui mundum „ condidit, ut patet ex Hymnis; atqui Symbolum illud dicitur in Dominica *tantùm, quando fit Officium de Dominica*, ergo & dicitur in „ festo Trinitatis, & diebus infra Octavam, & „ die octava tantùm, quando *fit Officium de „ Trinitate*; non item quando fit de aliis Festis.

g Neque obstat primò, quòd Præfatio Festi „ in missa dicatur quovis die infra Octavam „ etiam in missa de alio Festo, si istud non habeat propriam. Aut 2. Quòd in Epiphania „ Invitatorium & Hymnus omittantur in Festo „ ipso; non tamen omittantur diebus infra „ Octavam, nec in die octavæ. Respondeo e„ nim de utroque hoc casu extare Rubricas expresse sic statuentes; de nostro autem casu „ nullam extare, quæ aliter disponat, ergo ubi „ Rubrica non facit exceptionem, aut distinctionem, neque nos debemus facere.

h Hactenus solidum responsum primi SS. Canonum Professoris in Universitate Oenipontanâ An. 1660. ab Augustissimo Leopoldo I. erectâ, atque munificè dotatâ, in Comitatu Tirolcos.

SECTIO III.

Singularia; seu minùs obvia de qualitate, & integritate Officii Canonici.

SUMMARIUM.

Carens Romano Breviario quid aget? 624.
Capellanus Monialium quale Breviarium recitabit? 625.
Regulares, an teneantur recitare de festis Diœcesanis? 627. & 628.
Referuntur quædam singularia de officiis occurrentibus. 628.
Quid de civitate, quæ, citra approbationem Pontificis recitavit diu de aliquo Sancto, & postea cessavit? 630.
Quid confessarius dicet de Horis canonicis puellæ volenti ingredi Monasterium? 632.
Quid censendum de virginibus incolentibus liberos parthenones? 633.
Quale Breviarium recitabit Monachus habitans extra Monasterium? 636.
Convictores Societatis Jesu quo utentur Breviario? Ibid.
Et obeuntes Exercitia spiritualia? Ibidem.
Alexander VII. tales impertiit indulgentiâ plenariâ. 637.
Sine licitum, die non impedito recitare officium illius Sancti, quod recitandum erat priori die? 638.
Declaratur particulari casu, qui contigit occasione officii de S. Francisco Salesio. 639.
Item occasione festi S. Nicolai Nolasci. 639.
Quid hodie agendum, quando heri recitâsti de Sancto, de quo debebas primùm hodie? 640. & 641.
Quid si orsus recitare, animadvertas, te aliud prò alio orare? 642. & 643.
Referuntur casus, quibus fas est, jungere partes valde diversorum officiorum. 644.
Declaratur aliquo casu individuo Sacerdotis itinerantis. 645.
Rursum alio casu individuo Clericorum Seckinganorum. 646.
Item alio Sacerdotis domum redeuntis ex loco, ubi dixerat Matutinum diversum à Matutino sui domicilii. 648.
Et quartò secularium Sacerdotum ferè toto die S. Ignatii versantium in domo Soc. Jesu, 650. & 651.
Describitur decretum Congregationis de transferendis festis ad libitum. App. 1. lit. d. Aliud de non transferendis App. 3. lit. g.
Dubia circa novum privilegium de Officio S. Ignatii hebdomadatim recitando ad libitum. cit. num. 650. App. 4. lit. bb.
Dubia de Officio SS. Angelorum Custod. permissa

na

ad inſtantiam Leopoldi I. eod. num. 650. App. 5. lit. e.
Diſcutitur peculiaris caſus, qui in noſtro Conſtantienſi Collegio ſolet evenire, an eum feſto S. Xaverii peculiariter tranſferatur indulgentia affixa illi feſto. 654.
An etiam tranſferatur illa indulgentia, quando feſtum tranſfertur communi modo? 655. & 656.
Variæ novæ quæſtiones Rubriciſticæ reſolvuntur. 658.
Explicantur indulgentiæ conceſſæ ratione Breviarii recitati. 659.
Refertur mirabile judicium Caramuelis de caſu, in quo ſit ob ſequelam unius, jam alterius oppoſitæ opinionis, fas omittere totum Breviarium. 661.
Confutatur illud judicium. 662.
Evertitur fundamentum Caramuelis. 663.
An & quatenus feſta ad libitum fuerint olim tranſferenda? 650. App. 1. & 2.
Quatenus nunc? 650. App. 3. lit q. & ſeqq.
Miſſa de S. Ignatio conceſſa ad libitum. App. 4. lit. aa.
Moventur circa illam nonnullæ quæſtiones lit. bb. & ſeqq.
Feſta ad libitum, an & quando ſint penitus omittenda, ſi nequeant celebrari proprio die, n. 663. App. lit. c.
Declaratur exemplo S. Alexii lit. f.
Adfertur in Ordine ad tranſlationem diſcrimen inter feſta ad libitum affixa certo diei & non affixa. lit. p.
An feſta uni Religioſo Ordini conceſſa ad libitum valeant etiam ab aliis Ordinibus celebrari vi tituli communicationis privilegiorum? Ibidem lit. q.

I. OBligatus ad Breviarium Romanum, ca- 624
rens tamen illo, ſed interim habens aliud ad manum, tenetur uti hoc alio, juxta Buſenbaum *Lib. 4. c. 2. dub. 2. a. 3. n. 4.* & Crouſers, apud Dianam *P. 9. Tr 9. Reſ. 25.* Ego quidem cenſeo licere, at nego oportere, tum quia nemo tenetur uti privilegio; tum quia multa ex illis breviariis ſunt nimis diverſa à Romano, & proinde imperitum particularium Rubricarum inducunt in perturbationem, & errores; tum quia B. Pius V. in ſua Bulla dicit, non ſatisfieri obligationi, non utendo formulâ à ſe præſcriptâ. Vide plura hanc in rem ſuprà *n. 603. & 604.*

II. Capellanus major, ſeu primarius Mo- 625
nialium, qui facit iis ordinariè Sacrum, præbétque Euchariſtiam, *licitè* recitat officium de Sanctis, & feſtivitatibus illarum. Cùm enim aut debeat, aut certè liceat ipſi facere Sacrum de iſtis, licebit & Breviarium legere, propter con ormitatem. Oportebit autem recitare ex Breviario, cui *per ſe* obligatus eſt ille Capellanus, Quintanadvennas *ſingul. Tract. 8 ſingul. 7.* ac Tamburinus *in Decalog. Lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 32.*

III. Habens Capellaniam in tali monaſte- 626
rio, poterit recitare de illis Sanctis & feſtivitatibus, etiam quando exiſtet extra illam Diœceſin. Idem *ſingulari 84.* quia ſe habet ut beneficiatus. Vide plura *in Alphab. Sacrificantium num. 728.*

IV. Regulares tenentur juxta Palaum *cit. Tr.* 627
7. Diſp. 2, n. 9. ac Tambur. *loc. cit. n. 5.* officio Canonico celebrare omnia feſta univerſalia Diœceſis; non tenentur ſtante Bullâ Gregor. XIII. 30. Decembr. Anno 1573. relatâ ab Aſcanio Tamburino *de jure Abbat. Tom. 2. Diſp. 10. q. 7. n. 6.* quæ ita habet: *Et quo die celebrabitur feſtivitas Patroni Diœceſis, omnes Religiones teneantur eodem die in ſuis Eccleſiis, intra limites ejus Diœceſis, eandem feſtivitatem celebrare, & in hoc cum Matrice Eccleſia ſe conformare.* Ubi, quia facit mentionem ſolius Patroni, & quidem Diœceſani, non comprehendit aut alia feſta, aut Patronos urbium Diœceſanarum, qui enim ex pluribus unum affirmat, cætera negare videtur. *cap. Nonne. De præſumpt.*

Unde ignoro, cur Gavantus *in Rubr. Bre-* 628
viar. ſect. 3. c. 12. n. 5. citans eandem Bullam, velit etiam neceſſariò à Regularibus celebrari de Patrono cujuſcunque loci, in quo habitant; niſi fortè Congregatio, à qua teſtatur ipſe confirmatam Bullam Gregorii, addiderit aliquid, ſicut ipſe Gavant *ibid n. 7.* & Quintanad. *ſing. 23. n. 7.* exprimit, illam obligationem intelligi de ſolo principali Patrono, qui quidem colendus eſt officio Primæ Claſſis; *Octava verò ſatis eſt, ſi fiat à clero ſæculari illius loci,* inquit Gavant. per illud *ſatis* innuens, non eſſe vetitum Regularibus, ne celebrent talem octavam. Nos tamen non ſolemus, & meritò propter declarationem Congregat. relatam ſuprà *n. 79* ex Barboſa. Præfertur etiam feſtum Secundarii Patroni, teſte Gavanto, Titulari propriæ Regularium Eccleſiæ, &, ſi incidat in Vigiliam, de ea non fit commemoratio. Idem Quintanad. *ibid.* poſt Gavantum. Unde quia Feſtum S. Pelagii Mart. Secundarii Patroni hujus Diœceſis cadit in diem 28. Auguſti, Regulares illum celebrantes, (non celebrant RR. PP. Auguſtiniani propter feſtum ſui glorioſiſſimi Fundatoris, ſeu potiùs *Reformatoris* duntaxat, ut videre eſt in Vitis tum Dom. Petri Forerii, tum vel maximè Dom. Alani de Solminihac *Lib. 1. cap. 9.*) non ſolùm debent differre feſtum ſancti Auguſtini, ſed etiam omittere commemorationem S. Hermetis Mart. Plura de Regularium obligatione quoad feſta Diœceſana vide ſuprà *n. 76. 80. 81. & 604.* & adde, ſi S. Pelagius foret urbis noſtræ Conſtantienſis patronus Primarius; ſicut eſt S. Conradus totius Diœceſis, tum fortè diceret Gavantus, S Auguſtinum, tametſi patronum illius glorioſiſſimi Ordinis, debere etiam in Eccleſia PP. Auguſtinianorum cedere feſto S. Pelagii; nam inſignis ille Rubriciſta *in Rubr. Breviarii ſect. 3. c. 10. n. 15.* inde etiam probat Titularem Eccleſiæ Regularis cedere debere Patrono principali totius urbis, tum quia hic eſt protector totius loci, tum quia æquum eſt, ut populus ubique eodem die audiat Miſſam de ſuo Patrono. Unde à fortiori infert, Feſtum Conceptionis, de quo *num. 83.* cedere debere Patrono loci, at verò *cit. ſect. 3. cap. 9. n. 3.* reprehendit eos, qui in ſecundis Veſperis Aſſumptæ Virginis faciebant ſolam commemorationem de hac: totas autem Veſperas de S. Rocho Patrono ipſorum Eccleſiæ; ideo autem improbat hoc factum, quia licèt utrumque feſtum fuerit apud illos primæ claſſis, attamen Aſſumptio Virginis ſit dignior, ergo & præferenda quoad integras Veſperas ſecundas; Regula autem, de feſtis ſolemnibus locorum præferendis aliis in Calendario deſcriptis, debet intelligi de concurſu *cæteris paribus.*

629 Ita Gavantus, cujus etiam authoritate, quatenus *ſect. 3. c. 8. n. 12.* expreſſè tradit, duplex per annum etiam cedere diei octavæ, nos hîc Conſtantiæ nixi An. 1666. poſt aliquam opinionum velitationem deniq; convenimus, fuiſſe à nobis die 21. Novembris celebrandum Officium de octava Dedicationis noſtræ propriæ Eccleſiæ, quod & præſtitimus, feſto Deiparæ Præſentationis tranſlato in alium diem, tametſi non ignari, in tabulis Breviarii. *Tit. Duplicia Majora per Annum* ſtatui, ut feſta Majora per Annum, quale eſt Virginis Matris in templo præſentatæ, præferantur aliis duplicibus Minoribus. Quod ſpeciale, & individuum factum memoro, quia haud dubiè fit in pluribus locis, ut feſta Majora per Annum occurrant, vel concurrant cum Octavis Patronorum, Dedicationúmve.

Memoro quoque, à noſtro Carolo Guyeto, qui poſt Gavantum emiſit in lucem ſuam pereruditam Heortologiam à me poſt hæc omnia typo mandata viſam *Lib. 2. cap. 16. q. 4. & 5.* tradi, etiam ab Exemptis celebrari debere Dedicationem Eccleſiæ Cathedralis, & quidem ritu duplicis primæ claſſis, feſta autem Patronorum minùs Principalium, ſi per Diœceſin colantur ritu ſecundæ claſſis, eodem debere & à Religioſis coli; ſicut & feſta ſecundaria Patronorum (ut eſt exempli gratia hîc Conſtantiæ Inventio S. Stephani) eâ ſunt celebritate à Regularibus honoranda, qua honorantur in Cathedrali. Reliqua autem feſta SS. Epiſcoporum, & aliorum loci propriorum, alia duplicium Minorum, alia ſemiduplicium ritu obeunda ſunt, prout videlicet ea in ipſo Diœceſis Calendario proprio ſingula deſignantur, inquit idem ſcriptor *cit. q. 5.* Nos tamen, ut jam aliàs memini, haud conſuevimus celebrare feſta ſemiduplicia Diœceſana, & præmiſerat *Quæſt. 4.* eſſe Patronos quoſdam locorum adeò eximios, puta S. Dionyſium Pariſiis, S. Martinum Turonis &c. ut ſi eorum Octavas unà cum reliquo Clero celebrent Regulares, laudandum magis ſit, quàm damnandum, id nullatenus prohibente Congregatione, ſed tantùm decernente, ad ideos minimè teneri, Ita ille. Tu fac, quod tui Collegiales.

V. Quando aliqua civitas ſolita, citra ap- 630
probationem Sedis Romanæ, recitare de aliquo Sancto, intermiſit longo tempore ſuum morem, ſi velit reſumere, oportebit petere licentiam à Sede Apoſtolica. Lugo *in Conſiliis Lib. 3. d. 7.* conſultus de hoc ipſo caſu. Nam, propter Decretum Congregationis præfixum Breviariis Urbani, pleræque Eccleſiæ Italiæ petierunt ab eadem Congregatione licentiam colendi ſuos ſanctos Officiis. Gavant. *Rubr. Brevi-* 631
ar. ſection. 8. c. 2. num. 29. Verùm Germaniæ praxis habet id, quod tangit Laymann. *Lib. 4. Tr. 1. c. 5. n. 6* quòd ſcilicet poſſint ſine approbatione Pontificis retineri antiquæ Lectiones Proprii Diœceſani carentis omni ſuſpicione falſi. Novas inferi poſſe, negat Laymann. conformiter eidem Congregationi; ſicut & negat Gavantus *loc. cit. c. 5. tit 2.* approbatas pro uno loco extendi *licitè* ad alium.

VI. Puellæ, quæ timore obligationis mor- 632
talis ad Officium Canonicum eſt anxia, & ideo abſterretur ab ingreſſu religionis, poteſt dicere confeſſarius, quòd non obligetur ſub mortali, & quòd non ſit peccatura mortaliter, etiamſi *voluntariè* diſtrahatur, aut ceſſet in choro pſallere per ſpatium aliquot Pſalmorum. Expedit enim uti ſententiâ probabili, ob tantum bonum. Ita loquitur, reſolvítque Leſſius in *Conſiliis verb. Horæ Canonicæ. Caſ. 14. num. 34.* conformiter doctrinæ relatæ ex ipſo ſuprà *n. 572.*

VII. Canoniſſæ ſæculares, ut ſunt in Bel- 633
gio Montenſes, Nivellenſes &c. habent quidom aliquam obligationem ad Officium Canonicum; habent quoque aliquas præbendas, & ideo peccant mortaliter illæ, quarum culpâ evenit, ut aliquo die omittatur publicum Officium Canonicum; non tamen delinquit mortaliter, quæ biduo, aut triduo negligit chorum, non neceſſaria ad illum; aut etiam quæ uno alterôve die nec domi, nec in choro recitat; non enim fuit *primaria* intentio Fundatorum, aut Fundatricum, vel Eccleſiæ, obligare has ad orandum pro Eccleſia tanquam miniſtras hujus, ſed ut chorum haberent, & honeſtè, piéque educarentur. Nihilominus tamen credibile eſt, eas delinquere mortaliter ſi unâ integrâ Hebdomade omittant, nam tunc videntur repugnare graviter menti Fundatricis, at non idcirco tenentur ad reſtitutionem, nec enim ſunt propriè beneficiales, etſi poſſit fieri ſtatutum, ut, ſi per multos dies abſint, ne queant accipere fructus, aut certè iis non denter.

Tota hæc responsio est Patris Lessii *in cit. Consiliis Cas. 16.* quæ doctrina approbata etiam à
634 Neusser *d. 14 n. 1.* poterit magnam partem applicari Canonissis Lindavienſibus, Buchenſibus, Ratisbonenſibus, &c. Quamvis sciam, fuisse in uno ex his Monasteriis, seu potiùs Collegiis, solitas ab Illustrissima Antistita sedulò moneri Canonissas, fore, ut delinquerent mortaliter, si omitterent Breviarium.

VIII. Quicunque Clericus, Regularis, aut
635 sæcularis, existens etiam pluribus Annis extra suam Diœcesim, aut Monasterium, sed solùm tanquam peregrinus, aut advena, potest recitare Officium de Sanctis, de quibus recitaret, si existeret reipsa in Diœcesi, aut Monasterio, ad quod pertinet ipse; adeóque de Reliquiis, aut Dedicatione suæ Ecclesiæ privatim. Quintanad. *Cit. Tr. 7. Sing. 24. n. 5. & 6.* post Suarez *Cap. 23.*

636 IX. Sæcularis cum Regularibus convivens, ut domesticus, & familiaris, in eorum domo habitans, & sub eorum regimine, ut sunt, illi, qui in seminariis nostris educantur studiorum causâ, *licitè* recitant de illis Sanctis, & Beatificatis, de quibus nos, nisi ubi est *expressa* limitatio ad personas Societatis. Quintanad-
637 vennas *Tr. 7 singul. 8. num. 8.* Etsi enim nobis sit concessum *primariò*, iis tamen velut familiaribus *accessoriè* impertitum videtur. Unde inferes, esse satis probabile, quòd quis apud nos vacans per otiduum spiritualibus Exercitiis, possit dicere eo ritu, quo nos Officia de nostris Sanctis Ignatio, & Franc. Xaverio, si tunc, cùm obimus alterutrius festorum solennia, vel octavas, operam det tam salutari exercitationi, quam S. D. N. Alexander VII. indulgentiâ Plenariâ honoravit, cupiens hac liberalitate quàm plurimos allicere ad sanctam hanc Ascesim.

638 X. Probabilius est, tibi non licere cras, aut alio die non impedito, recitare Officium illius Sancti, quod hodie per oblivionem, vel errorem omisisti, est tamen etiam probabile, licere. *Prima* pars traditur à Quintanadvenna *loc. cit. sing. 9.* & à Tamburino *in Decalog. Lib. 2. c. 5. §. 5. n. 29.* Ratio est, quia & recitatio est affixa diei, & sequeretur, etiam illum posse supplere qui propter infirmitatem non potuisset recitare, & denique Rubricæ tam diligenter notantes casus, quibus est facienda translatio Officii, non exprimunt istum. *Altera* pars probatur auctoritate horum duorum auctorum, & Cotonii *Vol. 1. L. 3. cap. 3. num. 63.* Aliozæ *in Flor. V. Horæ n. 54.* ita expessè sententium, adversante magnopere Cardinale de Lugo *in Consiliis Moral. lib. 5. dub. 8.* & citante etiam pro se Villalobos. Ratio est unica hujus *secundæ* partis hæc, quòd quilibet Sanctus, in Breviario descriptus habeat jus, ut semel in Anno colatur precibus Canonicis; ita, ut licèt ille cultus sit affixus diei, attamen possit transferri, quando fuit impeditus. Ob quam causam tenet expressè Leander de SS. Sacramento *quæst. moral. P. 1. & in ordine sexta Tr. 8. Disp. 3. q. 47.* esse necessariò faciendam hanc compensationem, asserens, idipsum clarè sentire Trullenck, & Pellizarium *Tr. 5. c. 8. sect. 2. n. 74.* Sed neque exemplar Pellizarii, quod habeo, neque Trullenck, ut liquet ex verbis, quæ ex hoc describit P. Pellizarius, & ad quæ se refert Leander, plus dicit, quàm posse fieri ejusmodi compensationem. Hæc tamen quà *permissiva*, quà *præceptiva* doctrina patrocinatur facto, cujus occasionem dat hic

Casus de S. Francisco Salesio.

Etenim nos in hoc Collegio Constantiensi 639
accepimus primùm die 31. Januarii Anno 1667. Decretum Sacræ Rituum Congregationis, mandantis, festum hujus Sanctissimi Episcopi celebrari die 29. ejusdem mensis, quo tamen die nos ex præcepto ejusdem Congregationis priùs edito colueramus Officio, & Missa Sanctum Nicolaum Nolascum. Quæsitum igitur fuit, essetne aut necessarium, aut licitum, colere die proximè vacaturo, atque adeò tertiâ Februarii, precibus Ecclesiasticis illum novum Sanctum? Fuitque conclusum, videri omninò coli posse, sicuti & reipsa fecimus.

Ratio fundamentalis petebatur ex authoritate Doctorum hactenus loquentium pro necessitate, vel permissione compensationis. Etsi enim nova illa lex de eo honorando die 29. Januarii nos non ligabat *in actu secundo*, utpote illius eo die adhuc ignaros, ligabat tamen *in actu primo*, utpote satis alibi promulgata. Accedebat omnium Collegarum erga hunc virum planè Apostolicum devotio peculiaris, idcirco quòd & Societatis nostræ in vivis amantissimus, in ejusdem scholis, ac Sodalitate educatus Parisiis, Sancti Fundatoris nostri Ignatii sacris exercitationibus perpolitus fuerit haud semel, & qui denique S. Francisci Xaverii nostri in missionibus, inque agendi modo cum hominibus quoddam ectypon dici potuerit. Insuper noveramus, quàm insigni pietate hunc eundem Sanctum coluerit S. D. N. Alexander VII. ante, ac post suam assumptionem ad cathedram Petri, ut proinde non dubitaremus, quin, si interrogari potuisset, an placeret suæ Sanctitati, resarciri à nobis id, quod pauculis antè diebus fuerat neglectum ab ignorantibus, ac cupientibus primâ hâc vice suo devotionis affectui veslificari? fuisset annutum libentissimè, ac benignissimè daturus. Præcepti vim, de qua loquitur Leander, potuimus effugere, tũ quòd alii negent hîc

allam

ullam obligationem, tum quod lex illa nos non obligârit eo die 29. *At nónne oportuisset, aut saltem licuisset illo tertio die Februarii rursum honorare solenniter S. Nicolaum Nolascum?* Quamvis enim eum honoraverimus, ut dixi, 29. Januarii, debuissemus tamen juxta recentius decretum Congregationis id præstare 31. Januarii, quod quia non fecimus, utpote ignari, *an non obligâsset nos Leander ad resarciendum?* Resp. Cardinalis de Lugo non permisisset, ut liquet ex suprà dictis; Leandri authoritas nos non movit, quia jam integre satisfeceramus priori Decreto. Hæc particularia placuit hîc exprimere, quia applicabilia ad plures similes Casus.

640 XI. Si hodie sit festum S. Mariæ ad Nives, ratus autem esse festum Transfigurationis Domini (quod juxta Rubricas celebratur postridie S. Mariæ ad Nives) recitâsti de Transfiguratione, probabilius quidem longè est, te crastino die debere iterum recitare de festo Transfigurationis; etenim error tuus privatus, atque inadvertentia, esto inculpabilis, non
641 facit tibi jus invertendi Rubricas; attamen contrarium esse etiam probabile, tradunt Quintanad. *l. c. sing. 10.* & Tamburinus *num. 29.* rursum acriter refragante Lugone *l. c. n. 14.* post Villalobos. Ratio illorum duorum auctorum est, quòd nimis inusitatum sit, ut de eodem Sancto dicatur bis in Anno idem officium. Itaque secundùm priorem partem hujus *num.* & posteriorem præcedentis die 6. Augusti rursum recitabis de Transfiguratione, at die septimo de B. Maria ad Nives, nisi occurrat in Dominica, vel S. Donatus celebretur festivè. Hæc exempla applica aliis officiis, sed suadeo, ut insistas utrique sententiæ Cardinalis, propter multa inconvenientia, quæ ipse deducit ex oppositis.

642 XII. Quando orsus per inadvertentiam recitare officium non præscriptum, jam pervenisti ad Laudes, si nolis ab initio repetere, teneris notato errore juxta Caramuelem *in Theol. Regulari Disp. 110. n. 1403.* sub mortali pergere in tuo errore, alioqui conflabis quandoque tale Officium, quale non reperitur in toto Breviario: teneris juxta Cardin. de Lugo *l. c. n. 12.* sub veniali non pergere in errore, sed corrigere recitando reliquum ex officio præscripto; *qui enim non potest facere totum eo modo, quo deberet, debet saltem facere eo modo, quo potest.* Ita etiam meritò sentit Quintanad. *loc. cit.* Tamburin. *n. 13.* Pellizar. *n. 47.* Leander *q. 49.* addens Tancredum. Quamquam Quintanadvennas indicat, sibi non displicere continuationem erroris, sicut nec mihi integre displiceat; etenim rara mutatio Officii unius in aliud, ob rationabilem causam, est *licita.* Infrà *n. 910.* est autem hîc rationabilis causa, scilicet metus prudens committendi peccatum mortale,
643 juxta opinionem Caramuelis. Ut verò repetàs ab ovo, non solùm te non obligant hi 4. scriptores, sed expressè, & rectè liberant. Lessius *c. 37. n. 77.* Tamburin. *l. c.* ac plures alii. Sed quando tamen veriorem sententiam, si advertas errorem primùm post dictas primas Vesperas, subjicies illis Antiphonam, Versiculum, & Orationem diei, de quo erat juxta Rubricas orandum. Quintanadvenn. *ibid.* Idem facies post Laudes. Et si primùm post secundas Vesperas veniat in mentem error, etiam hoc ipsum præstabis, dicésque Completorium conveniens diei, judice Lugone.

XIII. Varii sunt casus, quibus est vel *licitum*, vel *præceptum*, jungere partes diversorum officiorum. I. Si hodie vesperi dixisti Matutinum, & Laudes de feria, juxta Rubricas communes, at verò cras manè accipias beneficium, quod habeat officium sub duplici Patronum e. g. teneberis juxta Lugonem *n. 20.* minores Horas dicere sub illo duplici. II. Id ipsum se non semel debuisse facere, testatur Lugo, quando scilicet vesperi in uno Collegio, è quo ipsi abeundum erat, dixit Matutinum, & Laudes feriales, at sequenti die venit ad aliud Collegium habitaturus in eo, & in quo celebrabatur Dedicatio Ecclesiæ, tunc enim illas Horas, quas nondum dixerat, recitavit de Dedicatione. III. Item, si, postquam hodie solvisti Matutinum juxta ritum Romanum, fias cras manè Monachus Carthusianus, aut Græcanicæ Ecclesiæ membrum, recitabis cras reliqua ex formula Carthusiana, & Græca. Idem *ibid.* IV. Perventurus cras manè tanquam Peregrinus, aut viator ad locum, celebrantem festum sub duplici, cùm in proprio tuo domicilio sit feriale, poteris satis probabiliter juxta Tamburinum *cit. §. 2. num. 25.* hodie vesperi orare Matutinum, & Laudes conformiter loco, ad quem venies, quia poteris, non tamen teneberis, cras te conformare illi loco. Quòd si Matutinum, & Laudes percurristi consentaneè tuo loco, prosequêris cras, ut cœpisti, si lubuerit, si non lubuerit, facies variationem, patrono eodem P. Tamburino.

644

XIV. Ex dictis in hac & præcedente Sectione resolvo sequentes Casus, mihi quà scripto, quà voce propositos, in locis diversis.

Primus Casus.

Est de quodam Patre nostræ Societatis, qui 645
Anno 1658. die 15. Novemb. transiens vicinum Lacum Acronianum, atque ignarus, fore, ut postridie celebraretur in Collegio hoc nostro Constantiensi, in quo substiturus erat biduo, vel triduo, ritu duplici annuum festum S. Othmari Abbatis, in tota diœcesi solitum coli, dixit secundas Vesperas, ac Completorium de feria diei 15. & Matutinum similiter feriale de die 6. ubi autem pervenit ad Collegium, intellecto esse die sequenti faciendum

Sacrum de communi Abbatum, si vellet esse nobis conformis, quæsit, an ergo necesse, aut licitum esset, Laudes & cæteras horas recitare eo modo, quo nos; & an opus foret aliquid repetere?

Respondi, posse quidem, at non teneri nos imitari in cæteris Horis, & quamvis sequeretur, nihil prorsus esse necesariò repetendum, quamvis utique deceret, ut saltem faceret commemorationem de S. Othmaro, si nollet nos sequi.

Secundus Casus.

646 *Est Seckinganus. Etenim in oppido ad Rhenum dicto Seckingâ, seu Sechingo, Diœcesis Constantiensis, habitant nonnulli sacerdotes obtinentes duo tenuia Beneficia simplicia, unum in ipso oppido, alterum in vicinia, de Diœcesi Basileensi. Fit igitur non rarò, ut in uno illorum locorum debeant publicè canere Vesperas diversas ab altero loco, in quo sunt futuri postridie toto manè, & etiam horis pomeridianis. Quæritur ergo, quomodo debeant ordinare suum officium?*

647 Resp. Debent utique in choro psallere in Vesperis juxta morem loci, in quo psallunt; quod etiam de Completorio pronuntiat et Cardinalis de Lugo; matutinum poterunt, attamen non tenebuntur, orare juxta ritum alterius beneficii, cui sunt postridie deserviturі per pleramque partem diei. Adde, quòd quando beneficia ita sunt vicina, possit quis dici habere residentiam in utroque; ratio enim residentiæ desumitur magis à functione annexa beneficio, quàm à loco, ergo etiam hoc titulo habent illi Domini majorem libertatem. Danda tamen opera, ut, quoad fieri potest, accommodent se ritui beneficii pinguioris, & cui sæpius deserviunt. S. Thom. & Azor. *Lib. 9. c. 11. q. 2.* Repetitionem unius, aut plurium Horarum non exigit Ecclesia.

Tertius Casus.

648 *Est de aliquo quodam Patre nostro, versante in Missione aliqua, & quidem die, quo celebatur Titularis, seu Patronus* (Patroni à Titularibus rarò distinguuntur apud Germanos) *loci, cùm interim in Collegio, ad quod spectabat, obiretur peculiare festum. Quæsitum fuit ex me binis duorum literis, an & fuerit obligatus recitare de illo Sancto Titulari, & postquam rediit domum, potuerit compensare celebrationem festi domestici prætermissi.*

649 Respondi ad *primum*, decuisse magnopere, ut se conformaret loco; non autem fuisse necesse; eò quod nec fuerit incola illius loci, nec ille sanctus sit Patronus Diœcesanus. Ad *alterum* Resp. potuisse uti jure Tituli de translationibus; fuit enim satis propriè impeditus alio officio digniore, quamvis etiam potuerit omittere illam compensationem, poterat quippe se accomodare ritui suorum Collegialium, ad quos redierat, sicuti & licebat ipsi, si domum jam redierat, nondum recitatis Vesperis, has dicere secundùm Ritum termini *à quo*, vel *ad quem*, addendo tamen saltem Commemorationem de sequenti. Adstipulatur Neusser *d. 5. n. 59.* describens ex me hunc Casum. Et generatim potes, mutato domicilio, compensare festa prætermissa à te juxta Rubricas, esto non ampliùs celebrentur in termino *ad quem*, dummodo non fias subditus loci hujus. Tamb. *n. 26.* Et quia hîc est rursum, sicut etiam fuit suprà *n. 639.* sermo de translatione festi, appositè adjungetur sequens

Quartus Casus.

650 *Hoc Anno 65. festum sancti Alexii, cujus officium est hic locorum* ad libitum, *occurrit in Dominica. Eam ob rem fui & coràm, & literis interrogatus, an si hoc, & alia festa* ad libitum *nequeant celebrari die proprio, possint in alium diem transferri?*

Ratio dubitandi erat, quòd in Directorio hujus Constantiensis Diœcesis consueverit poni sola commemoratio sancti Alexii; quando cadit in diem Dominicam, non autem transferatur. Imò legi ipse Rubricam, ante multos Annos hîc Constantiæ impressam, approbatamque Chirographo Domini Doctoris Morstein, Vicarii tunc Generalis, & Canonici Cathedralis, qua generatim exprimitur, festa *ad libitum* non transferri. Ego autem inprimis respondi, videri posse, quòd festa, quæ quidem extra Urbem Romam sunt *ad libitum*, at in ipsa Urbe *sub præcepto*, ab hominibus Societatis nostræ habitantibus in Germania, Gallia &c. valeant transferri. Ratio peculiaris, & fundamentalis esse potest, quia nostra Societas est alligata officio Romano, ergo potest accommodare se hac in re mori Romano. Verùm replicari potest, & rectè, Societatem esse quidem adstrictam Breviario Romano, quatenus aliquid ex Rubricis Generalibus observandum est ab obligatis ad illud, non autem quatenus certo casu, & ritu Urbis proprio servatur. Quare respondi *secundò*, me neque in Rubricis Breviarii, neque in diligentissimo Bartholomæo Gavanto reperire ullum decretum vetans illam translationem; ergo sicuti festa *ad libitum* celebrantur eo ritu, quo *præcepta*, si quidem sint ejusdem classis, ita etiam videntur posse eo die celebrari, quo celebrarentur, si essent sub præcepto. Certè dicta generaliter, intelligenda sunt generaliter; cùm ergo Rubrica de festorum semiduplicium translatione sit generalis, quidni intelligatur generaliter? Equidem Gavantus *in Rubrica Breviarii sect. 1. c. 16. n. 16.* favet huic opinioni, quatenus ita scribit: *Officia concessa ad libitum in parigradu cedunt aliis ex præcepto, vel ex vi Rubricarũ recitandis.* Hanc cessionem explicâsset per omissionem, si putâsset omittenda. Et verò mihi scribitur, non dubitari in Diœcesi Eichstadiana de jure transferendi. Unde cogor recedere à judicio illius Domini Vicarii Generalis, donec exhibeatur textus in contrarium. Omnia sunt licita, quæ nullo jure sunt vetita. Nellus *de testibus num. 1.* ergo dicta translatio erit *licita*, quoad promatur lex eam interdicens. Proinde nos festum Sancti Thomæ de Villanova occurrens hoc eodem Anno 1667. in Dominica, transtulimus ex die xvij. Septembr. in diem post festum Sancti Matthæi; quod ipsum fuisse observatum Romæ, scripsit mihi post hæc mandata chartæ, ex eadem Urbium Regina vir gravissimus literis exaratis hoc An. 1668. die vigesimo Januarii hisce verbis: *Praxis Romana habet, ut etiam transferantur festa ad lubitum, sic enim reipsa Anno superiori v. g. festum S. Thomæ à Villanova, quod in Dominicam incideret, in communi Romano Directorio translatum est in vigesimum secundum his verbis; Vel ad libitum de S. Thoma de Villanova Episc. & Confess.* (*fuit 18. hujus*) Hactenus litteræ Romanæ, ex, & cum quibus ita scribebam in Editione Veneta. At non ita sentio in Eremitana & hac Monacensi, propter novum Decretum Congregationis repræsentandum infrà hoc *num. 650. App. 3. lit. q.*

APPENDIX I. STIGMATICA.

a Cum ea, quæ dixi *n. 650.* priori de translatione festi *ad libitum*, jam essent prælo secundo mandata, contigit duplex Casus hîc resolvendus.

Primus erat de festo Stigmatum S. Francisci, quod occurrebat in feria secunda, dubitabatur enim, essetne permissum eo die illud celebrare? Ratio unica dubitandi erat, quòd festum SS. Cornelii, & Cypriani occurrisset tunc in Dominica; erat igitur, utpote Semiduplex transferendum in diem simili Officio non impeditum, ut loquuntur Rubricæ Breviarii; non videbatur autem impeditus tali Officio: illud enim non præstat impedimentum, quod à libero pendet arbitrio. *argumen. leg. Qui potest facere 174. ff. de Regul. juris.*

b Nihilominus nos in hoc nostro Collegio Constantiensi fecimus *ad libitum* de quinque Stigmatibus, translato itidem *ad libitum* in aliam feriam Officio SS. Cornelii, & Cypriani, ac postmodum comperi, idipsum factitatum à nostris Patribus, & utique pluribus aliis in Diœcesibus, Augustana, Eichstadiana, (adeóque Ingolstadii,) Ratisbonensi, Frisingensi, (adeóque Monachii,) Brixinensi, Comensi, Sedunensi, Lausanensi, Basileensi. Hanc libertatem faciebat nobis hæc ratio, quòd, cùm ex una parte gratiæ sint ampliandæ, ex altera jus celebrandi *ad libitum* de aliqua festivitate sit veri nominis gratia, meritò visum fuerit ampliandum (saltem respectu illorum Festorum ad lubitum, quibus assignatus est certus in mense dies juxta distinctionem adferendam infrà *in App. 4. Ignat. lit. ff.*) intra proprietatem verborum, quæ proprietas servatur etiam tunc, quando illa clausula: *Possunt omnes ad libitum orare die N. Officium sub Semiduplici de N.* hoc modo exprimitur: *Possunt omnes, nisi eo die occurrat vel festum Duplex, vel dies Dominica, vel alia dies, quæ juxta Rubricas non vedat Semiduplici esto, præcedenti die assignatum fuerit aliquod festum, quod tunc celebrari non potuerit.* Atqui illo die decimo septimo nihil tale occurrebat.

c Confirmatur hæc explicatio tam ampla, cum non obstantia festi pridiani, inde, quòd aliàs sequeretur, festum *ad libitum* non posse celebrari in iis Ecclesiis, in quibus tunc occurrit aliquis dies infra Octavam; item quando festa *ad libitum* etiam Duplicia occurrunt feriâ secunda, ut e. g. festum S. Claræ, debere etiam tunc in feriam secundam transferri Semiduplicia communia tali Ecclesiæ, aut alicujus particularis loci, etsi *de præcepto*, quæ in Dominica occurrunt, sequitur, & Constantiensem Clerum errâsse, dum hoc Anno 1668. coluit Officio S. Claram in die Dominica, in qua tunc occurrebat; re enim verâ distinctiones, seu explicationes, quæ circa verba Rubricæ paulò antè productæ adferri contra nostram resolutionem possunt, possunt quoque afferri contra tres proximas illationes. Ne ergo cogamur admittere hæc tria inconvenientia, debet admitti illa benigna interpretatio Rubricæ, quam attulimus, & consequenter dicendum est generatim, illum etiam diem, juxta Rubricas de translatione, rectè dici impeditum Officio novem lectionum, in quo occurrit, seu Duplex, seu Semiduplex *ad libitum*.

Ad rationem in contrarium allatam superiùs respondetur, illo axiomate plus non probari, quàm quòd festum *ad libitum* (certo diei affixum) non præstet impedimentum prohibens, ne festum *de præcepto* transferatur in die, quo occurrit festum *ad libitum*; at eodem axiomate non probatur, quòd festum *ad libitum* non præstet impedimentum permittens, ut non transferatur in dictam diem.

d Quia verò scio, dubitari à compluribus, utrùm revera festum *ad libitum* proprio die impeditum, *licitè* transferatur in alium non impeditum, transfero huc Decretum Sacræ Rituum Congregationis, quod ipsâ manu, & sigillo Eminentissimi D. Cardin. Ginetti signatum, missúmque ad Reverendissimum Domi-

num Georg. Sigismundum Episcopum Heliopolitanum, atque Suffraganeum Constantiensem, mihi gratiosè, in ipso Originali, submisit legendum idem Reverendissimus D. Suffraganeus, Rituum Ecclesiasticorum apprimè studiosus, atque observans: sic autem habet ad verbum:

Vrbis.

Sacra Rituum Congreg. ad relationem Eminentiss. D. Cardin. Brancatii censuit, Officium SS. ad lubitum, si cadat in die impedita, non tamen Concursu alterius aquè, & magis privilegiati, debere transferri in proximam diem non impeditam, & mutandum versum Hymni: Iste Confessor, *ut in festo S. Philippi Nerii mense Majo tunc ad libitum celebrando: In Concursu autem alterius aquè, ac magis privilegiati, v. g. si Officium Stigmatum venerit in Dominica, & sit etiam transferendum Officium SS. Eustachii, & sociorum, esse transferendum priùs Officium Semiduplex de præcepto, quia est positum in Calendario. Hac die 9. Iunii 1668.*

Episcopus Portuensis Card. Ginettus.

OB hoc Decretum cui contrarium & posteriùs describam infrà *lit. q.*) transferebatur superioribus Annis constanter in hac quoque Diœcesi festum *ad lubitum*, æquè atque illud, quod est *de præcepto*, ita tamen, ut cæteris paribus priùs celebrandum sit translatum *de præcepto*, quàm translatum *ad lubitum*, esto occurrerit tempore posteriùs. Sed vide omnino id, quod ex literis 4. Julii Anno 1676. Româ ad me datis hanc in rem referam infrà *Append. 4. lit. q.*

APPENDIX II. NEVSSERIANA.

QUia eodem Anno, quo hoc volumen emersit è primo prælo Monacensi, P. Bruno Neusser Minorita *in suo Tract. de horis Canonicis disp. 5.* particulariùs quàm ego, executus est ea, quæ planè non obvia de translatione Officii divini exhibui hoc *num. 650.* placet delibare ex eo sequentia. 1 Festum etiam duplex *ad libitum* celebrandum, primâ, secundâ, tertiâ &c. die non impeditâ Officio novem Lectionum post hoc, aut illud festum, impeditur, tum quolibet die infra aliquam octavam, tum alio festo Duplici, etiam translato, non tamen semiduplici translato, etsi Bordonus velit etiam impediri per semiduplex translatum. Ita Bruno *num. 35.* exemplificans instantiâ Officii *ad libitum* SS. Angelorum Custodum celebrandi primâ die post festum S. Michaëlis, sed in Germania, ubi hoc scripsit, non quadrat illud exemplum, cùm Clemens IX. dederit facultatem id celebrandi primâ Dominicâ Septembris, non autem primâ die post Festum S. Michaëlis non impeditâ, ut concesserat Paulus V. & de qua concessione hîc loquitur ille Doctor, cujus nonnullæ aliæ particulares observationes de hoc ipso festo translato, aut transferendo, cùm supponat festum Angelorum, esse Duplex minus, sicuti ubique erat ante Bullam Clementis, non habet locum in Imperio Romano, si quis velit uti gratiâ Clementis, quandoquidem conformiter illi gratiæ dicendum est, festum Angelorum esse duplex secundæ Classis, sicuti ostendam *in Appendice 5.* seu Leopoldina *lit. l.*

Quia tamen fieri potest, ut alicubi occurrat illâ primâ Dominicâ Septembris aliud festum duplex, ideo *in cit. Appendice* scripsi, at sine auctoritate, posse nihilominus eo die celebrari id festum. Huic meæ resolutioni patrocinatur Neusser *num. 29.* quatenus docens idipsum, quod *in cit. Append.* sine authoritate scripseram, quòd scilicet Officium *ad libitum* recitandum eâ die, qua signatum est, celebrari possit, etsi festum translatum esset cæteroquin celebrandum, probat hâc unicâ ratione: *Festum ad libitum conceditur celebrandum juxta Rubricas Breviarii, ergo cùm concedatur illa die, poterit etiam de illo celebrari, ita ut etiam duplex translatum illi cedat.* Subsumo post *primum* membrum hujus propositionis: Atqui Rubricæ Breviarii volunt, ut occurrentibus duplicî per Annum, & secundæ Classis, transferatur illud duplex. Si verò occurreret tunc festum primæ Classis, deberet utique huic cedere festum Angelorum. At *potèstne transferri*? Neusser *loc. cit. num. 25.* loquens in specie de hoc festo, negat, posse transferri in diem ullam infra octavam. Sed loquitur hic autor de hoc festo, sicuti Paulus V. permisit coli cum addito: *Primâ die non impeditâ*, quæ clausula cùm non reperiatur in Bulla Clementina, non est habenda ejus ratio. Quid verò agendum sit occurrente festo Angelorum cum alio secundæ Classis, declaro *in alleg. Appendice* Leopoldina, & resolutio illic danda firmatur ratione, quam produxi ex Neusserо. 2. Si translata sint plura festa, quorum aliqua sint *de præcepto*, alia recitanda *ad libitum*, si sint in pari gradu, officia *ad libitum* cedunt officio recitando *de præcepto*, ita ut hæc priùs recitari debeant; si verò sint diversi ordinis & qualitatis, priùs celebrandum est de translato digniori, esto sit *ad libitum*, quàm de translato minùs digno celebrando *sub præcepto*. Ita Neusser *n. 31.* testans, ita haberi in Rubricis sui Ordinis Seraphici, approbatis à Sacra Rituum Congregatione. 3. Etiam quando aliqua Ecclesia Parochialis, Abbatialis constanter aliquod festum minus dignum transtulit ob festum dignius semper in ea Ecclesia occurrens cum minùs digno, dies, in quem est stabiliter translatum id minus festum, impedit translationem cujuscunque alterius festi. Ita Bruno *n. 32. 4.* Occurrente eâdem die Sancto ejusdem dignitatis & ordinis, de quo recitandum sit juxta Calendarium Romanum, & Episcopale, & Religionis, debet tunc, nisi aliud exprimatur, celebrari de Sancto Religionis, & alterum festum transferri, quia species derogat generi. Neusser *num. 33.* post Bordonum, & Hieronymum Rodriquez. Unde alibi ex Gavanto retuli, occurrente dedicatione Ecclesiæ Cathedralis cum dedicatione Monasterii, oportere priùs colere dedicationem propriæ Ecclesiæ. *5.* Si simul transferenda sint festa S. Marci, SS. Apostolorum Philippi & Jacobi, atque Inventionis S. Crucis, Inventio præferenda est prioribus duobus, & festum Apostolorum, festo S. Marci, quia sunt digniora. Idem Neusser *cit. disp. 5. q. 13. num. 38.* post Gavantum *in Rubr. Brev. sect. 3. c. 9. n. 3.*

APPENDIX III. FESTORVM TRANSLATORVM.

ERant jam prælo mandata, quæ *præced. Appendice II.* dixi de die constanter designando pro colendis etiam particularium locorum Sanctis, quando nequierunt honorari die determinato à Rubricis Breviarii, cùm illius doctrinæ usurpandæ data fuit nobis die 6. Febr. hujus Anni 1676. occasio. Siquidem illo die celebravimus ex Urbani VIII. indulto sat raro (nec enim consueverunt Summi Pontifices movere propriis sedibus priscos cœlites; ut locum dent Novis) cruentum Natalem nostrorum trium Beatorum, seu Sanctorum (ut in duplici Bulla nuncupat ipse Hierarcha (Martyrum Japonensium Pauli, Joannis & Jacobi, eo autem ipso die occurrebat, ut semper, festa lux S. Agathæ, dubitatum igitur fuit, *quonam die esset hæc ipsa Virgo à nobis colenda Officio*? Recursus ad obviam Rubricam de die proximo non impedito alio Officio, nihil nobis proderat, ut mox dicam, sicut neque recursus ad praxin hactenus observatam illis XX. Annis, quibus commoror hîc loci, siquidem neque hoc toto vicennio, neque tempore anteriore contigit ille eventus, qui scrupulum heri movit, & ideo non contigit, quòd videlicet ante id tempus, nec dum celebrâssemus (ob duplicem occursum) festa SS. Canuti & Polycarpi cadentia in XIX. & XXVI. Januarii, & quorum maturiorem translationem impedivêre festa SS. Francisci Salesii, Raymundi de Pennaforti, Petri de Nolasco, Andreæ Corsini, admodum recenter instituta, quibus etiam accedebat festum Purificationis Deiparæ celebratum tertiâ die hujus mensis, cùm nequisset secundâ, utpote occurrente Dominicâ Septuagesimæ.

Et quia hic ipsissimus Casus repetetur Anno MDCLXXXI. & in substantia non dissimili Anno MDCLXXXIX. Sicut & contigit, at non cum tot novis festis Anno MDCLXX. placet hîc referre, quid concluserimus de Translatione S. Agathæ.

Dico autem breviter: Licèt Rubrica communis præscribat, ut inter plura festa translata illud, cæteris paribus, priùs celebretur, quod priùs fuit translatum, seu motum suo loco, hæc tamen sanctio nec impediit reipsa, nec impedire potuit, quò minùs celebraremus postridie, adeóque sexto die de S. Agatha, siquidem Rubrica designans diem, in quam vult transferri festum, loquitur expressè de die proximo *non impedito alio novem Lectionum Officio*, dies autem sextus Februarii impeditur in hoc nostro Collegio & aliis communiter, ut arbitror, per universam Societatem domibus, Officio semiduplici S. Agathæ; etenim probavi paulò superiùs, æquum esse, ut particulares Ecclesiæ sequantur exemplum Romanæ, solitæ certum, fixum & consequenter proprium diem assignare festis Sanctorum illorum, qui ob perpetuum occursum cum alio superioris ordinis nequeunt honorari proprio die natali, ut enim dixi, & mos Pontificis est spectandus, & primum in unoquoque genere est exemplar cæterorum, & denique huc applicari possunt ea, quæ *ad leg. Non possunt*, & *leg. Nam ut ait. ff. De leg.* notarî solent de communibus legibus, & senatûs consultis accommodandis huic aut illi particulari loco, personæ, actui, tametsi non comprehensis proprietate verborum, quibus illæ leges, senatûsconsulta, rescripta sanciuntur; consequenter dici potest, sextum diem Februarii esse in universa Societate, & fortè tribus Ordinibus Seraphicis, æquè absolutè festum S. Agathæ, atque est quartus dies Augusti, festus seu consecratus S. Dominico, & vigesimus nonus, trigesimúsque Januarii S. Francisco Salesio, & S. Petro de Nolasco. Hæc ratio singulariter ac certò petebat festum S. Polycarpi, quod sine dubio transferendum erat in illum primum diem Februarij, quî esset liber alio festo. At difficultas occurrebat circa festum S. Canuti Regis & Martyris, decorantis suâ avernali nece diem XIX. Januarii, tunc verò impeditum, ergo in suppletione præferendum S. Polycarpo, & consequenter S. Agathæ, si non patrocinaretur huic Sanctæ ratio, quam nunc primum produxi.

Et verò potuisse tunc ejus festum, tametsi *ad libitum* celebretur, transferri, evadit manifestum ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum authenticè proposito suprà *num. 650. in Append. I. lit. d.* ergo & transferri ante S. Polycarpi, sed neganda erat hæc secunda consequentia. 1. Quia dato, quòd festa *ad libitum* transferri queant, non tamen transferuntur ante festa *de præcepto*, saltem si sint ejusdem ritûs, ut liquet ex verbis Sacræ Congregationis Rit. descriptis suprà *in cit. Append. I. lit. D.* II. Quia ex duobus viris Religiosis

omni fide dignis intellexeramus, fuisse Anno 1674. in Germaniam perlatum recens Decretum Congregationis Rituum, quo inhibebatur translatio ullius Officii concessi ad solum lubitum. Nobis placuit sequi viam tutiorem, seu remotiorem ab omni peccato etiam *materiali*, ut sanè poteramus abstinendo omni celebratione illius festi, utpote sub nulla obligatione instituti, quod peccatum *materiale* non evasissemus (positâ communi opinione de peccato saltem veniali, quod incurrat mutans absque justa causa vel semel Officium unum in alterum) si die decimâ Februarii (necenim poteramus citiùs,) adeóque feriâ secundâ post Dominicam Sexagesimæ dixissemus de S. Canuto. *Hac die latus meruit supremos laudis honores.*

o *At eramusne obligati conformare nos testimonio illorum duorum Religiosorum, de quibus paulò antè, utpote adimentium nobis omne dubium de illo novo Edicto Congregationis? An verò poteramus nos accommodare stylo Diœcesano, qui in Directorio hujus ipsius Anni decrevit diem sextũ currentis Februarii, scilicet pro SS. Vincentio Ferrerio, Elisabetha Portugalliæ, & Gualberto dies alios à præscriptis in Romanis Ephemeridibus?* Resp. Non poteramus *per se loquendo, quoad circumstantiam temporis*, nam repugnante Decreto Congregationis suprà indicato, transferabatur antè S. Polycarpi, quod est *de præcepto*; an verò *quoad substantiam* potuerimus, decisio pendet à resolutione duplicis generalis quæstionis. I. *Quanam motiva legum Pontificiarum communium clero sæculari simul & Regulari, necessaria sit ad obligandos in actu secundo Regulares Conventus* (particularis Religiosus utique sequetur moremreliquorumCollegialium) *Ordinum præsertim Mendicantium, habentium Romæ suum Generalem, in Provincia sua Provincialem; cui utique incumbit cura efficiendi, ut in singulis domiciliis suæ Provinciæ mandentur executioni mandata Pontificia, Congregationumq; Decreta approbata ab ipso?* II. *An & quatenus Regulares licitè sequantur in Officiis divinis ritum Diœcesanum?*

Primam generalem quæstionem resolvendi p locus jàm non est: id solùm observo. particulares Conventus Provinciarum Mendicantium habere se singulos respectu cæterorum (reliquis paribus) eo modo, quo unum oppidum Diœcesanum respectu omnium cæterorum. Sicut igitur particulare oppidum non obligatur *in actu secundo* ullâ (saltem non involvente negotium Fidei) lege aut Papali, aut Episcopali, nisi sciat, vel prudenter supponat, illam novam legem esse à majori parte Episcopatûs receptam, vel mox, ut innotuerit, authenticè receptum iri, ita proportionaliter nostrum Collegium Constantiense liberum est observatione *actuali* legum, Decretorumque Pontificiorum, quamdiu aut nescit, aut prudenter non potest supponere, majorem partem illorum triginta & unius Collegiorum & Domiciliorum, quibus constat hæc Provincia superioris Germaniæ, recepisse, vel mox recepturam illud, de quo hîc agitur, Decretum, quod sine omni dubio fiet, ut primùm fuerit nobis insinuatum nomine R. P. Præpositi Provincialis.

At nullum, ut post hæc scripta didici, subest periculum, aut spes hujus insinuationis; audi enim Decretum, quod typis Romanis impressum ad me Româ 4. Julii hujus Anni 1676. transmisit vir gravissimus, conceptúmque hisce formalibus:

Vrbis, & Orbis

Decretum Generale super Officiis Sanctorum ad libitum non transferendis.

q *Quamvis Sac. Rituum Congregatio die 18. Iulii 1673. annuente etiam Sanctissimo die 16. Septembris eiusdem Anni, ad Dubium, an de sanctis* ad libitum *fieri posset translatio, sicut fit de aliis Sanctis, qui non sunt* ad libitum, *similiter translatus? Responderit* affirmativè: *nihilominus eadem Sacra Congregatio habita die 2. Mensis Decembris currentis, prædicto Decreto non obstante, censuit, in futurum Officia Sanctorum* ad libitum *non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die* Dominico, *aut aliquo alio die festorum* Mobilium, *si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Et facto de prædictis verbo cum Sanctissimo per me Secretarium, Sanctitas sua sensum eiusdem Sac. Congregationis approbavit, & confirmavit, & imposterum ita jussit, & servari mandavit, quibuscunque in contrarium non obstantibus. Hac die 20. eiusdem Mensis Decembris. 1673.*

F. M. Episc. Portuens. Card. Brancatius.

(*L. S.*)

Bernard. Casal. Sac. Rit. Congr. Secr.

r EX hoc authentico Decreto liquet, non quidem omnia omnino, sed *pleraque* festa *ad libitum* spoliata esse jure translationis, sequendo Calendarium Romanum; siquidem ea solùm transferri nunc possunt, quæ & quatenus occurrunt in feriis hebdomadis Majoris, Paschatis, & Pentecostes, inque die infra octavam Corporis Christi. Dixi: *sequendo Calendarium Romanum*, nam Diœcesana solent exhibere plura festa, cum quibus concurrunt festa *ad libitum*, ut e. g. in hac Diœcesi festum S. Udalrici die 4. Julii *sub præcepto*; quo tamen die occurrit etiam festum *ad libitum* S. Elisabethæ Reginæ Portugalliæ.

s Quòd si fortè quæras causam, cur ita restringatur facultas transferendi festa *ad libitum*? Respondebo, videri esse hanc, ne videlicet per talem translationem minuatur nimis sæpe solennitas festorum antiquiorum, cum quorum secundis vesperis concurrerent translata festa *ad libitum*. Minueretur autem tunc, siquidem oporteret in secundis Vesperis facere commemorationem secuturi festi *ad lubitum*, hac autem commemoratione minui solennitatem, deducitur apertè ex eo, quòd ex una parte certum sit, primas cujusque festi solennis Vesperas haberi pro solennioribus, quàm secundas. Gavant. *Sect. 3. cap. 9. & Sect. 5. cap. 18. num. 17.* Altera, quòd ad hanc majoritatem solennitatis demonstrandam omittantur sæpius in primis, quàm in secundis Vesperis commemorationes. Gavant. *loc. cit.* Quò enim magis, vel minùs festum habet de Vesperis, & præsertim de primis, eò etiam solenne magis, aut minùs est festum. Gavant. *loc. cit. num. 2.* cum Amalario. Unde ob majorem tum temporis Paschalis, tum festorum celebritatem in festis majoribus excludimus Sanctorum Simplicium commemorationem, sicut & in Dominicis privilegiatis. Gavantus *cit. Cap. 18. num. 17.* adferens *allegato Cap. 9. num. 7.* causam, cur Dominica habeat integras secundas Vesperas, dum occurrit cum semiduplici sequenti, & non habeat integras primas Vesperas concurrens cum semiduplici præcedente. Hisce addo resolutionem perbrevem trium dubiorum concernentium etiam festa translata.

t *Primum.* Proximè secuturo Anno 1677. festum duplex S. Antonii de Padua occurrit in Dominica Trinitatis, quam ordine excipient festa SS. Basilii, Norberti, & Barnabæ. *In quam ergo diem transferetur festum S Antonii? An in diem infra octavam, aut Corporis Christi, aut S. Joannis? An verò post hasce duas octavas?* Dubium hoc ex parte movit is, qui Directorium Diœcesanum concinnat in Annum sequentem.

Resp. I. Non transferetur in ullam diem infra octavam Corporis Christi, ut liquet ex Rubricis *Tit. 7. num. 3* Unde defertur in Rubr. *Tit. 16. num. 1.* S. Baptistæ, tanquam omnino specialis honor, quòd ejus Nativitas occurrens cum ipsomet festo Corporis Christi transferatur in diem proximum seu vigesimum quintum, & noster P. Carolus Guyetus, qui, ut scribitur mihi Româ, existimatur præ omnibus aliis in hisce ritibus peritissimus, *in sua Heortologia Lib. 4. cap. 8. quæst. 8.* sic loquitur, *Infra octavam Epiphaniæ & Corporis Christi sola Duplicia primæ Classis translata è die suo locum habent, cætera omnia transferuntur post octavam.*

u Resp. II. Quandoquidem hisce duabus (Epiphaniæ & Corporis Christi) octavis hic favor tribuitur tanquam specialis, quòd nimirum in eas non liceat transferre festum, tametsi sint ejus genii, ut admittant celebrationem festi duplicis occurrentis, eam ob rem haud immeritò habitur Anno proximè sequenti S. Antonio de Padua locus infra octavam S. Joannis. Equidem nomine *festi* non intelligitur in Rubricis dies infra octavam, sed hic talis dies solùm dicitur habere Officium novem Lectionum. Atqui Rubricæ *allegato Tit. 10. num. 1.* solùm tradunt, *festum* duplex impeditum festo novem Lectionum, non autem dicit: Officio Consentit apertè Gavantus *in Rubricas Breviarii Tit. 7. & 10.*

Addebat idem Pater Romanus ad meum *secundum & tertium* dubium, in primis juxta praxin Romanam non mutari colorem debitum diei de tempore, quando alia festa, quæ sunt *ad libitum*, & nominatim Nostri S. Fundatoris, celebrantur, sed ad summum sumi planetam, convenientem in colore festo, quod *ad libitum* celebratur cum velo calicis. Deinde commemorationem defunctorum, quæ fieri solet secundâ feriâ cujuslibet hebdomadis non impeditâ Officio novem lectionum, rectè omitti in Missa de festo, cujus Officium factum est *ad libitum* sub ritu semiduplici, illam autem, quæ fieri debet primâ die cujuslibet mensis non impeditâ, debere transferri in diem aliam ab ea, in qua factum est officium semiduplex *ad libitum*, quæ translatio non fit in priore Casu. Ita ille.

APPENDIX IV. IGNATIANA.

aa PLacuit Sanctissimo Domino nostro Clementi X. *amplificare Cultum S. Patris Ignatii concessione Missæ admodum singularis, condecoratæ Decreto, ut per Vniversam Ecclesiam sub præcepto celebretur, idque annitente potissimùm Eminentissimo Cardinale Nidhardo, pro insita erga S. Fundatorem pietate, cui pariter accessit efficax Eminentissimi Cardinalis Alterii studium, donec res tota felicem ad exitum perducta est. Primus autem tam conscribendæ Missæ, quàm postulandi beneficii autor fuit Illustrissimus & Reverendissimus Ambrosius Spinola Archiepiscopus Hispalensis. Hujus tam optati successus verriorem quàm primùm faciendam duxi Reverentiam Vestram, quæ susceptam notitiam subjectæ sibi Provinciæ statim communicabit. Romæ 18. Decembris 1675.*

Reverentiæ Vestræ

Servus in Christo

(N. N.)

bb EST hoc breviarium & verba formalia literarum Romæ datarum ad R. P. Præpositum Provincialem nostrum, qui non modò integras literas illas communicavit R. P. Rectori nostro, mense Februario, sed insuper alias huc dedit mense Aprili, hoc stylo: *Indulsit Sanctissimus D. N. Clemens X. omnibus Provinciis Assistentiæ Germaniæ, & singulis earundem Sacerdotibus, ut liceret cuilibet semel in hebdomade die non impedito festo Duplici, aut semiduplici, Officium recitare, ac Sacrum dicere sub ritu semiduplici de S. P. N. Ignatio. Visum autem est P. P.*

Consultoribus, & mihi ad evitanda incommoda & rerum confusionem, non permittendum cuique liberum, quocunque die intra hebdomadem non impedito præfatâ facultate uti, sed statuendum primum in hebdomade diem non occupatum festo Duplici, aut semiduplici, quo quilibet dicere Officium & Missam suprà dictam posset, si lubuerit. Curet Reverentia Vestra &c. Monachii. 17. April. 1676.

Hæ binæ Epistolæ à piè affectis erga S. Parentem Nostrum libenter legendæ satis quidem manifestant causam Tituli præfixi huic Appendici, non tamen nisi posterior huc directè spectat, nihilominus humillima veneratio, quam debeo meo per Antonomasiam Parenti Sanctissimo, me impulit, ut huc etiam transferrem primam. Altera excitavit tria dubia huc tanquam propriam sedem respicientia. Hæc videlicet.

ee I. *An nomine festi impedientis hunc novum cultum intelligatur non modò illud, quod per se occurrit illo die tanquam ordinario, sed etiam id, quod per accidens ratione scilicet translationis occurrere deberet ex ritu Rubricarum?*

Hujus dubii movendi causam dedit summus olim Nostri S. Fundatoris & Amicus & æstimator S. Philippus Nerius, ea etiam de causa summus æstimator, quòd vultum ejus cœlesti luce radiantem conspexerat, ut testatur Ecclesia in Lectione sexta Officii de illo nostro S. Fundatore. Ideo verò dedit causam dubii, quia in primum diem illius ipsius hebdomadis, qua volebamus secundùm (etenim priùs non potuimus nisi semel) uti novâ gratiâ Apostolicâ, transtulerat Directorium Diœcesanum ex lege Rubricarum diem festum ejusdem S. Philippi, videlicet XXVI. Maji occurrentem cum Feria tertia post Pentecosten, transtulerat, inquam, in feriam secundam post Trinitatis, *an obligabamur obsequi Directorio ratione tum translationis, tum motûs, quo solemus celebrare omnia Festa Diœcesana Duplicia?*

dd Alterum dubium: *An si quis nostrûm propter inadvertentiam, aut causam aliquam rationabilem, irrationabilémve non dixit illud Officium primo die non impedito, possit absque delicto compensare alio die non impedito?*

Tertium dubium leve admodum: *An in hymno*: Iste Confessor, *oporteat novo sanè, nobisque inusitato ritu dicere*: Meruit supremos Laudis honores.

ee Ad *primum* dubium respondimus ipso facto, siquidem hodie, quo hæc scribo, ideò est tertio Junii, feriâ, inquam, quartâ post Trinitatis primùm gavisi sumus gratiâ, Pontificiâ, sicut enim S. Philippo cessimus feriam secundam, ita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis etiam translatæ feriam tertiam, ea videlicet de causa, quia nulli planè nostrûm subortum fuit ullum dubium de sequendo Directorio, sed primùm pòst cœpi ipse aliquantum dubitare ea de causa, quòd cùm hoc indultum Pontificium sit merum beneficium concessum & ad instantiam personæ Eminentissimæ plurimùm laborantis pro bono publico Ecclesiæ, & ad honorandum illum Cœlitem, qui *Majorem Dei gloriam in ore semper habuit, semper in omnibus quæsivit*, quemadmodum testatur de eodem Ecclesia, existimârim, esse illud privilegium interpretandum quàm latissimè sumiturque illa locutio; *semel in hebdomade die non impedito Officio Duplici, vel semiduplici*; primus autem dies Junii non impediebatur tali Officio, cùm sit, & esset pura puta feria. Dices: Impediebatur Officio S. Philippi Nerii, quod debebat transferri in proximum diem non impeditum alio Officio Duplici, aut semiduplici, tali autem non impediebatur. Sed respondeo: Impediebatur Officio *ad libitum*, siquidem suprà *in Appendice Stigmatica ad num. 560.* autoritate sufficiente, specialique facto probavi, in illum diem, qui est ab Ecclesia assignatus alicui festo *ad libitum*, non posse transferri festum seu *ad libitum*, seu etiam *ex præcepto*; & quidem idcirco, quòd, licèt sit *ad libitum*, attamen efficiat, ut ille dies dicatur esse impeditus Officio novem Lectionum, ergo & ille dicetur impeditus, Officio novem Lectionum, quem ego ex indulto Apostolico elegero. Accedit, quòd si dies primus per se vacans debet reservari translationi, crebrò futurum sit, ut nequeat totâ hebdomade unquam fieri de S. Ignatio, quod tamen videtur repugnare intentioni supplicantis, & consequenter ipsius Pontificis; etenim Princeps præsumitur se accommodare intentioni petentis.

Nihilominus arbitror, nos illo die primo Junii, & qui simul erat primus hebdomadis, ff rectè fecisse transferendo in diem feriæ tertiæ & secundæ festa *de præcepto*; est enim magnum discrimen inter festum *ad libitum*, cui Ecclesia jam assignavit certum, determinatúmque diem mensis, & inter illud, cui non est assignatus certus dies mensis, sed hebdomadis planè fortuitus, ille, inquam, solus, qui carituras sit Officio Novem Lectionum, nisi exoneretur ab Officio votivo; atqui quando supereſt festum transferendum ad primum Junii e. g. non carebit primus Junii Officio Novem Lectionum. Adde, quòd & qui prior est tempore, prior sit jure; habent autem festa *de præcepto* prius jus, ad diem ex sese vacuum, quàm festum *ad libitum*. Adde rursus, quòd & stando priori discursu fieret, ut festa *de præcepto* nimis diu differrentur, & non sit nobis à more Diœcesano moribus nostris probato tam facilè recedendum; & minimè dubitem, quin Admodum Reverendus Pater Generalis noster, à cujus voluntate pendet usus hujusce novæ gratiæ, sit hujus mentis; & denique non præstat impedimentum, quod à libero pendet arbitrio, *argum. Leg. Qui potest facere. 174. ff. De Reg. jur.* Consentiunt huic resolutioni Neusser, & Bordonus relati suprà *lit. E.* atque P. Georg. Geisser referendus infrà *num. 663.* in App. *lit. e.*

lit. e. attamen Neusserus *ibidem* relatus dixisset, potuisse nos nostrum privilegium usurpare feriâ tertiâ, in quam translatum erat festum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, hoc enim festum celebratur ritu semiduplici; atqui secundùm Neusserum festum *ad libitum* celebrandum proximo die post hoc & illud festum, non impeditur Festo semiduplici translato, ergo nec illud, quod proximo die post Dominicam, seu primo in hebdomade non impedito.

gg Ad *alterum* dubium propositum *Lit. P.* respondeo, esse probè observandum, quòd nulli nostrûm sit fas, ullo privilegio Pontificio uti, nisi cum expresso consensu Superiorum nostrorum, sicuti liquet ex Compendio nostro *Verb. Gratia. §. 2. & Verb. Privilegio. §. 3.* Igitur mihi non est fas, aliter uti præsente privilegio, quàm permittant Superiores. Sicuti autem meritò placuit nostro Reverendo Patri Provinciali præscribere primum cujusque hebdomadis vacantem diem, ita verosimiliter placuit (ad evitanda incommoda & confusionem, de quibus literæ Reverendi P. Provincialis nostri) aliis quoque Præpositis Provincialibus, qui proinde, ut moris est in nostro Ordine Monarchicum imitante regimen, fecerint de suo hoc statuto seu ordinatione, ut appellamus, certius supremum caput nostrum, ipsum, inquam, Admodum R. P. Generalem Præpositum, qui utique probaverit. Ergo si alio die, quàm primo vacante dixero Officium illud gratuitum, non dicam ex vi privilegii, ergo perinde peccabo ac peccâssem, si priusquam emanaret illa gratia, mutâssem feriale in festivum. Et omnino judico, ita se rem habere in rigore juris.

hh Quia tamen est mihi decursu Annorum quinquaginta novem jam (Dei gratiâ) completorum, in hac à tot apertis hostibus, & æmulis necquicquam impugnata Religione, perspectissimus ille paternus, & minimè despoticus spiritus, quo nostri supremi, subordinatíque Moderatores nos gubernant, ausim scribere, inprimis, dum assignârunt primum diem vacantem, noluisse ullo modo privare se jure nominandi, si videretur, alium seu pro tota aliqua Provincia, seu pro aliqua privata persona; nemo enim præsumitur jactare rem suam, ajunt Jureconsulti, & nominatim Libertatem, quam rebus omnibus favorabiliorem vocant Leges; deinde facilè connivere iis, qui peccant meram inadvertentiam aliud pensum persolverunt; denique respectu illorum, qui deditâ operâ distulêre in alium, esse invitos quidem *quoad modum*, at non *quoad substantiam*, & proinde in hoc casu locum habere illam plurimorum sententiam, qui, ut referam infra *num. 881. & 882.* non nisi venialis culpæ damnant mutantem, absque rationabili causa, unum Officium in aliud.

Ad *tertium* dubium indicatum *Lit. dd.* respondeo, esse minimè dubitandum, quin sit in hymno ad utrasque Vesperas, & Matutinum facienda mutatio in prima stropha, ac proinde dicendum: *Meruit supremos*, neque enim se habent isti per Annum dies eo modo, quo dies infra Octavam, hi quippe omnes fictione juris habentur pro uno cum die primo, ut dixi suprà ex Gavanto. Octava S. P. Nostri cadit quidem (ut hoc quasi per parenthesin addam) in diem septimum Augusti, nihilominus tamen possumus *per se loquendo* statim die nono ejusdem participare indultum Pontificium, nec enim ratio Vigiliæ impedit, nisi ea sit privilegiata, qualis extra Quadragesimam est sola Vigilia Pentecostes, Vigilia Nativitatis Christi, quia habet Laudes sub Duplici, excludit ut reor, usum nostræ gratiæ. ii

Quòd si quæras: *An, sicut nonnulli, qui habent privilegium recitandi de Immaculata Conceptione, aut Venerabili Sacramento Feria V & Sabbato, extra Quadragesimam & Adventum, possunt ex aliquorum opinione absque graviore noxa etiam in Adventu & Quadragesima, ita etiam id valeamus hisce duobus temporibus?* Respondeo, nostros Superiores esse tam alienos ab usu singularium sententiarum, repugnantium dictis summorum Pontificum verbis, ut nolint singulari sententiæ quidquam concedere, quod talibus adversetur verbis; quare si ego prætextu gratiæ, de qua hic sermo, Officium longi *Attendite* mutâssem in Quadragesimæ cum Officio S. Ignatii haud paulò breviore, censerem me tantæ rèum culpæ, quantæ si S. D. N. disertè negâsset annutum precibus Eminentissimi Cardinalis Nidhardi. kk

At laboro magnâ visûs debilitate, teneo autem memoriâ totum propemodum Officium S. Patris Nostri? Resp. Hanc mutationem excusabit clementia Ecclesiæ, non tuorum Superiorum, si non nitantur (quemadmodum revera nituntur in casibus necessitatis, seu cujusdam *moralis* impossibilitatis) alio jure, quàm sit præcisè illud, de quo ut hoc loco differerem, exegit à me debitus Pontificiarum Legum reverentissimo Fundatori Nostro honor, qui sanctus sicuti gratum, aut certè non ingratum habet, si intra suam Octavam accipiantur Lectiones secundi & tertii Nocturni ex octavario, utpotè quæ sint designatæ ab Ecclesia in ordine ad Cœlitem honorandum novo quodam cultu, ità vereor, ut sit ullas gratias repensurus, si per Annum recurras ad Octavarium, sicut enim nobis è Cœlo inclamat: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum!* ità & cupit se à suis filiis coli *in unum*, ritu, inquam, uno eodémque. Non ausim tamen delicti damnare facientem ex pia intentione ejusmodi variationem &c. ll

APPENDIX V. LEOPOLDINA.

ACcepi mense Septembri Anni *1658.* novum, illustréque specimen pietatis, qua Augustissimus Leopoldus I. Imperator deveneratur Sanctos Cœlites, typis excusum Viennæ Austriæ, atque sigillo Illustrissimæ Nuntiaturæ Apostolicæ firmatum, hujus tenoris:

Sanctissimus Dominus N.D.

CLemens Divinâ Providentiâ Papa IX. ad pias preces Augustissimi Imperatoris Leopoldi I. sibi porrectas per Eminentissimum D. Cardinalem Spinolam indulsit, ut in omnibus Provinciis, ac Ditionibus, tam hæreditariis, quàm aliis, sibi ut Romanorum Cæsari, Hungariæ, ac Bohemiæ Regi subjectis, Officium S. Angeli Custodis cum Octava, ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexûs libere recitari possit, primâ Dominicâ Septembris cujuslibet Anni prout ex Indulto Sanct. mem. Pauli V. Augustissimo Ferdinando Secundo pro Styria tantùm concessum fuit.

Hoc die 30. Julii 1667.

Episcopus Portuens. Card. Ginettus.

(*L. S.*)

Bernard. Casal. Sac. Rit. Congr. Secr.

F*Actâ collatione cum suo Originali, in Cancellaria Nuntiaturæ Apostolicæ existente, concordat de verbo ad verbum. Et in fidem &c. Viennæ ex Palatio Nuntiaturæ Apostolicæ.*

Die 23. Augusti 1668.

Aloys. Ballatus Aud. General. & Cancell.

f EIdem scripto addiderat amicus impressum quoque ipsummet Officium S. Angeli Custodis cum lectionibus per Octavam. Accensus, ut par est, desiderio promovendi quàm citissimè cultum fidelissimi Tutelaris, exhibui mox utrumque duobus è Reverendissimis Dominis Consiliariis Ecclesiasticis, quorum alter postmodum Reverendissimo, & Illustrissimo Domino Ordinario nostro; & confestim deliberatum de modo participandi hoc Indultum Pontificium, quandoquidem hæc civitas, unà cum maxima parte Episcopatûs agnoscit promptissimis animis Augustissimum Leopoldum Primum pro suo vero Domino. Difficultatem objiciebat ratio communis ritûs, aliisque permultis Diœcesibus inclusis illo Diplomate, hæc videlicet, quòd Diploma, seu Breve exprimat Primam Dominicam Septembris; at festum Angeli Custodis neque in hoc Constantiensi, neque in aliis permultis Episcopatibus celebratum est hactenus primâ illâ Dominicâ Septembris, sed vel primâ post festum S. Michaëlis, juxta præceptum Breviarii Romani, vel aliâ, sicut nos Constantiæ primâ Dominicâ post Octavam Apostolorum.

An igitur licet nobis jam celebrare bis in Anno id festum? At in toto Breviario non nisi unum deprehendes, quod bis, sub eodem Titulo, colatur, scilicet festum S. Agnetis Virginis, ac Martyris. *An omittendum eo tempore, quo juxta Directorium Diœcesanum debebat coli?* At fortè accidet permultis incommoda illa translatio, & nominatim Constantiensibus, utpote qui & primo Septembris honorant Officio Duplici Sanctam Verenam Virginem, ac Martyrem, & prætereà à die 28. Augusti usque ad quartum Septembris obeunt festum, atque Octavam S. Pelagii Patroni Diœcesani, imminente insuper Octavâ Natæ Virginis Matris, atque mox Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis. *An ergo dicendum, esse positum in arbitrio Ordinariorum designare, ex causa gravi, & rationabili, qualemcunque ex iis Anni Dominicis, quibus secundùm morem Ecclesiæ agitantur solennitates cum Octavis?*

Ita sanè visum mihi fuit, si authentica declaratio nequeat aliunde obtineri, judicandum, suppositò (& quis dubitet?) quòd Augustissimæ simul, & sanctissimæ memoriæ Ferdinandus secundus supplicârit Paulò V. ut nominaret primam Dominicam Septembris.

g Ducebar ad ita judicandum duplici instantiâ, duplicique responso, quod dabo *Tractat. 8. Cas. XV. num. 599* & *Tractat. 9. Cas. XVIII. num. 516.* quódque approbatum fuit calculo virorum doctissimorum. *Primo* quippe loco scripsi, illum, qui à suo Episcopo petiit dimissorias, ut posset ordinari ab Episcopo A. haud perperam acturum, si mutatâ intentione, petat Ordines ab Episcopo B. saltem si Oratoris Episcopus nominavit ad ejusdem solam instantiam Episcopum A. *Secundo* loco dixi, valuisse Matrimonium, quod civis Ingolstadiensis contraxerat coram Parocho D. cùm à suo proprio Parocho petiisset, & ab eodem attendente ad solam declinationem sumptuum allegatam à sponso, hic impetrâsset licentiam contrahendi coram Parocho E.

h Ratio autem generalis, & à priori desumitur ex illo celebri principio, quòd statuens censeatur *tacitè* statuisse id, quod *expressè* statuisset, si ipse interrogatus fuisset. Glossa. *L. Tale pactum. §. fin. ff. De pact.* quod pronuntiatum Baldus *in cit. Leg.* appellat *multum bonum notabile*, & Rescriptis Principum gratiosis applicat Gabrielius cum aliis *Commun. conclus. Lib. 6. conclus. 10. num. 14.* videtúrque communiter obtinere veritatem in Rescriptis gratiæ, saltem hanc, quando non agitur de substantia gratiæ concessæ, mutanda in aliam, ut e.g. ducenda non Bertha, sed Caja, sed de solo accidente, seu circumstantia commutanda in aliam, notabiliter magis conducentem ad finem intentum ab Oratore, & ipsomet Principe. & quidem sine cujusquam præjudicio; tunc enim videtur ipsamet concessione gratiosi Rescripti relatâ ad communem agendi hominum modum sufficienter declarari permissionem faciendi substitutionem *accidentalem*. Sanè, qui defendunt Religiosos usurpantes sub sola ratihabitione de præsenti aliqua ad votum paupertatis pertinentia, amplecterentur à fortiori hanc explicationem. Atqui Rescriptum, de quo hîc differo, est Rescriptum, meræ gratiæ, agitúrque solùm de circumstantia temporis, mutanda in aliud notabiliter opportunius ad venerationem SS. Angelorum, unicè prorsus intentamà petentibus, concedentibúsque id Rescriptum.

i Proinde huc applico id, quod Prateus *De Regulis juris Lib. 4. cap. 7.* scitè scripsit: *In contractibus lata fit interpretatio, in testamentis latior, in Rescriptis* (gratiæ) *latissima.* Ob has, similésque causas factum, ut & mihi ex ipsa civitate Vienna rescriberetur à percelebri Theologo hisce verbis. *Circa Officium S. Angeli Custodis per Octavam recitandum omnino judico, posse illud ab Ordinario propter rationabiles causas transferri in aliud tempus commodum*, & in Reverendissimo Consilio Ecclesiastico Constantiensi pronuntiatum fuerit, eandem Octavam videri *ad libitum* celebrandam à Dominica prima post festum Apostolorum Petri, & Pauli, idque propter illam particularem causam, quam expressi *præced. lit. G.* Et verò si Ferdinandus II. Paulum V. Leopoldus I. Clementem IX. interrogâssent, vellentne illud festum ita rigidè affigi mensi Septembri, ut nefas esset, vel sibi ipsis, si nova causa occurreret, vel cuivis Episcopo; tametsi incommodum notabile sentienti; ex præcisâ assignatione prædicti mensis, Indulto illo frui alio mense? haud dubiè respondissent vel cum Bonifacio VIII: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus incommodum retorquendum.* Reg. 61. in 6. vel (sensu *accommodatitio*) cum Innocentio III: *Beneficia sunt sine diminutione conferenda.* Cap. Unic. *Ut Ecclesiastica Benef. sine dimin. conf.* conferretur autem illud beneficium, atque indultum cum diminutione, si illæ etiam Ecclesiæ, seu Collegiatæ, seu Parochiales, quæ vel festum S. Angeli Custodis celebrârunt ex antiquo cum ipsamet Ecclesia Romana in Octobri, peculiaribúsve de causis alio mense, vel primâ die Dominicâ Septembris, vacant anniversario Dedicationis, aut Patroni; quo casu fiet, ut vix semel, iterúmve colantur S. Angeli Officio Canonico, vel Missâ, quod sanè foret contra intentionem ipsorummet Augustissimorum Oratorum. Ne igitur incurramus in hæc incommoda, videtur esse omnino præsumendum de benevolentia illorum Pontificum, quòd permiserint cuivis Episcopo incluso uni è Provinciis indicatis in Brevi, ut pro prudenti arbitrio deligerent alium mensem, aliámve hebdomadem, si existimarent, fore, omnibus consideratis, gratius ipsiſmet Sanctissimis Angelis Custodibus.

At verò hinc oritur quadruplex aliud dubium. Primum: *An, si in Dominica prima, secunda, aut tertia mensis designati, vel ab ipso Papa, vel ab Ordinario, quandoque occurrat aliud festum Duplex sine Octava, nihilominus liceat tunc facere de Angelo Custode, transferendo illud Duplex in alium diem?* Secundum: *An, si unius, altérve dies infra Octavam S. Angeli Custodis occurrat cum alio, etiam infra Octavam, debeat præferri, an postponi huic alteri?* Tertium: *An, quia in terris Augustissimum Leopoldum cum Dominum venerantibus, reperire est nonnullos Episcopatus, quorum pars agnoscit aliùm ab Imperatore Dominum, hæc ipsa pars frui, gauderéque possit gratiâ Clementinâ?* Quartum: *Quid intelligatur per ditiones subjectas Leopoldo Primo, ut Romanorum Cæsari, vel ut Regi Hungariæ, & Bohemiæ?*

Ad *primum*, atque *secundum* dubium respondeo, videri, esse in utroque casu observandas Rubricas de occurrentia tam Festorum, quàm Octavarum. Etenim Regulæ Juris, adeóque Rubricæ sunt tenaces, & in dubio non est ab eis recedendum. Crottus *De Testib. Part. 7. num. 324.* ex Baldo, sed eis standum, donec contrarium probetur. *Cap. fin. De restit. spol. in 6.* consequenter non est in iis faciena ulla distinctio inter Festa *ad libitum*, & *de præcepto*; nisi nos cogat ratio, cùm præsertim generaliter dicta sint generaliter intelligenda; & ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus. Proinde quæ in Rubricis statuuntur de Festis secundæ Classis respectu aliorum, seu ejusdem, seu primæ Classis, locum habere in hac materia; dicendum est. Etenim in hoc *Tract. cit. Cas. III. num. 83.* scripsi; ac probavi, hoc ipso, quòd aliquod Festum ornetur Octavâ ab Ecclesia, elevari ab eadem ad secundam Classem, si non ad primam. Igitur Festum Angeli Custodis gaudet privilegiis Festorum secundæ Classis; ergo si Festum inferioris Classis quandoque occurrat, vel primâ Dominicâ Septembris, vel aliâ designatâ ab Ordinario, cedet hoc secundum illi priori. Imò quia Festa Angelorum sunt ex se digniora Festis Apostolorum, Martyrum, &c. ideo festo Angelorum, ejúsque Octavæ cedent omnia (exceptis Beatæ Virginis) Festa cæterorum Sanctorum infra primam Classem collocatorum, sicuti deducetur ex dictis *citato Casu III. numero 83.*

k

l

m Ad *Tertium* dubium respondeo, quandoquidem plures gravissimi, doctissimi viri probârunt etiam illam resolutionem, quam *citat. Cas.*

Cas. III. num. 82. tradidi, & probavi, quòd scilicet omnes Diœcesani *licitè* celebrent omnia Festa, quæ ipsorum Ecclesia Cathedralis, consequenter Helvetios (Tugienses, Lucernenses, &c. non autem Solodoranos, Friburgenses) ac Brisacenses, tametsi nullo modo subjectos Imperatori, posse accommodare se Constantiensi Cathedrali, quandoquidem urbs Constantia accipit jura à Moderno Imperatore tanquam seu Austriaco, seu Romanorum Cæsare. Idem dic de illis Ecclesiis Polonicis, Hungaricis, &c. quarum Cathedrales existunt in terris Imperatoris, ipsæmet autem sub jugo Turcarum, Sceptro Polonorum. Idem quoque pronuntio de toto Clero Bruntrutano, atque Parochis, qui sub jurisdictione Celsissimorum Episcoporum Basileensium temporali parent in Spiritualibus Archiepiscopo, &, Sede vacante, Capitulo Cathedrali Bisuntino; tametsi enim civitas Vesontio est abhinc duodecennium incorporata Hispanicæ Monarchiæ, quia tamen urbs, ac ditio Bruntrutana, subjecta est Leopoldo I. Imperatori *mediatè*, idcirco comprehenditur *implicitè* simul, & *directè* Rescripto Pontificio propter causam mox adferendam. Etenim

a Ad *Quartum* dubium respondeo, esse extra controversiam, quòd per ditiones subjectas Cæsari, ut Cæsari, intelligantur imprimis omnes urbes Imperiales de facto subditæ Imperatori, ut tali; etenim in omnibus Diplomatis Cæsareis, in quibus Cæsar de una, aut pluribus talium civitatum loquitur, semper dicit: *Nostra, & Sacri Romani Imperii urbs.* Intelliguntur deinde omnes Provinciæ, ditiones, urbes, loca, quæ de facto sunt propriè dicta feuda Imperii, quandoquidem ejusmodi feuda sunt verè subjecta Cæsari, ut Cæsari; est enim illorum Dominus directus, ut liquet ex communi definitione feudi, apud Schraderum *Tract. feudal., Parte. 2. cap. 2.*

b Unde fit, ut omnes subditi feudorum Imperialium provocare valeant ad Cæsarem, veluti supremum Dominum directum, ac Judicem, ad quem quia etiam provocant per Germaniam cives pagorum, oppidorum, quæ tanquam allodialia possident Vasalli Imperii, ideo talium locorum Clerus jure per totam Octavam colet liturgiâ, precibúsque Canonicis Custodes hominum Angelos, tantóque dignius, quantò ferventiùs eorum tutelæ commendabunt illum Augustissimum Principem, qui ipsis hæc Sacratissima otia fecit.

Similiter per ditiones subjectas Imperatori, tanquam Hungariæ, aut Bohemiæ Regi, designantur omnes, in quas Leopoldus obtinet de facto *mediatè*, vel *immediatè* imperium legitimum.

c At, quid si nonnullæ urbes, vel Provinciæ subtraxissent se iniquè Imperio, aut Coronæ Hungariæ, Bohemiæque? ut proinde Leopoldus I. sit earum Dominus solùm *de jure*, non *de facto, an gauderent ejusmodi terræ gratiâ Pontificiâ?* Resp. Rescriptum accipit interpretationem ab intentione supplicantis, censetur enim in dubio Princeps accommodare se precibus supplicantis. *Cap. Inter dilectos. §. Caterùm. De fid. instrum.* & ibi Felinus. Non videtur autem Imperator cogitâsse, nisi de fidelibus Provinciis, ac ditionibus, sed potiùs cum Paulo Apostolo dixisse: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, cogitare? 1. Cor. 5.* eam ob rem existimo, gratiam illam extendi ad illos solos, qui *de jure* & *de facto* simul subsunt Cæsari, nisi faveat ipsis Titulus, qualem produxi paulò antè pro Helvetis, & Brisacensibus.

Casus Quintus

Collegium nostrum Friburgense in Helvetia habet in pago nomine Marsens elegantem Ecclesiam, dicatam Deo in memoriam S. Ignatii Confessoris; hujus Ecclesiæ, seu sacelli Dedicationis annua memoria celebratur Dominicâ secundâ Octobris, tanto accursu confitentium, & communicantium, quantum memoravi in Alphabeto Sacrificantium Casu XIII. *Istius pietatis promovendæ ergò, advolant, ut etiam illic memini, vicini Domini parochi, peractis Missarum solenniis magno manè in propriis Parochiis, præstántque operam spiritualem perquam accommodam; ortæ igitur sunt hæ quatuor quæstiones, cùm illic versarer.* Prima. *An Patres nostri, qui è Collegio illuc mitti solent, quini, aut seni, ad excipiendas confessiones plebis, teneantur recitare officium de Dedicatione?* Altera. *An sacerdotes, qui advenerant, possent saltem minores Horas dicere conformiter loco?* Tertia. *An etiam primas Vesperas & matutinum?* Quarta. *An nostri Patres reduces ad Collegium,* licitè *recitaturi essent de diebus infra octavam Dedicationis?*

652 Partim respondi, partim respondeo ad *primam*, & *secundam* quæstionem, posse, propter conformitatem cum loco, at non teneri. Posse, inde etiam suadetur, quia post sumptum frugale prandium, decantant Gregoriano, seu *plano*, ut vocant, cantu, Vesperas in eodem templo; quis autem obligabit ad duplices? & quis non permittet Completorium respondens Vesperis rectè dictis? Ad *tertiam*, sentio nunc quoque, eos, qui pridie destinaverant præstare postridianam illam operam, potuisse pridie recitare primas Vesperas Completorium, Matutinum cum Laudibus de Dedicatione. Cùm enim habuerint jus parvas Horas dicendi de Dedicatione, sit autem valde

de rationabile, ut cum his concordet Matutinum, habent rationabilem causam mutandi officium unum, in aliud; atqui rationabilis causa facit *licitam* hanc mutationem, infra *Disp. 3. num. 912.*

653 Hoc totum proportionaliter censendum est de Dominica infra octavam S. Ignatii. Etenim in ipso Collegio celebratur XXXI. Julii, quo ipse *ad Domini sui amplexum, cujus majorem gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quæsierat, emigravit,* ut loquar cum Ecclesia Catholica, *in sexta lectione officii S. Ignatii.* At in pago illo festum transfertur, cum legitima auctoritate, in Dominicam primam Augusti, colitúrque ritu, qui debetur Patrono simul, & Titulari. Ergo poterant optimi illi Domini Plebani, ac nostri Patres, sub duplici primæ Classis dicere totum officium de Confessore, non Pontifice, accipiendo lectiones secundi Nocturni (qui carent propriis) ex eodem communi. Ad *quartam* quæstionem ex suprà positis respondendum est *negativè*, quia sublatâ causâ tollitur effectus; causa autem, cur licuerit ipsis celebrare Dedicationem, erat existentia in Marsens.

Sextus Casus.

654 Est proprius hujus Constantiensis Collegii, in quo jam viginti tribus Annis benignè sustentor, estque hujusmodi: *Festum Apostoli Indiarum (quo Glorioso nomine Gregorius XV. in Bulla Canonizationis, & Sacra Congregatio Rituum Anno 1663.* in Martyrologio ad 3. Decembris, *decoravit S. Franciscum Xaverium,) cadebat, cùm prima editio hujus Tractatûs seorsim publicaretur, in secundum diem Decembris. Evenit, ut sæpe aliàs, ita etiam Anno 1657. ut illud festum occurreret primæ Dominicæ Adventûs (quia tunc Societas sola eum honorabat officio Ecclesiastico, & quidem die secundâ Decembris, ut Anniversariâ ejus Beati obitûs) ergo necessariò transferendum. At quærebatur* primò, *An cum officio canonico, & omni solennitate esset indulgentia transferenda?* Secundò. *In quem diem transferenda solennitas? Specialem enim difficultatem in hoc Collegio facit S. Conradus, Primarius Patronus Diœcesanus, & Titularis nostræ Ecclesiæ, cujus octava cadit in diem tertium Decembris, at verò in diem quartum festivitas S. Barbaræ Virginis & Martyris, soli(a per totam Diœcesim, & consequenter etiam in nostra Ecclesia peragi sub duplici per annum.*

655 Ad *primam* quæstionem respondi indulgentiam esse transferendam cum ipso festo. Rationem desumpsi *in primis* ex generali doctrina, quam defendo in *Quinarii* (novum prælum, dum hæc scribo, experiebatur etiam Monachii liber iste, copiosis auctus Additionibus.) *Tract. 4.* seu *Thesauro indulgent. Part. 2. cap. 7. num. 326.* ubi ostendo, quando primaria Festa alicujus Ordinis Religiosi, quale est apud Reverendos Patres Prædicatores festum Doctoris Angelici, apud nos S. Francisci Xaverii, transferri quoque cum omni solennitate indulgentiam. Probavi *quoque* ex speciali ratione, quam pro hoc Sancto adfero in eodem loco *n. 324.* Probo nunc *retrò* ex alio speciali prorsus, & appositio principio. Etenim noster Pater Antonius de Quintana advennas *in Append. ad sua singularia Part. 2. Tract 3. dub. 5. num. 5.* exhibet Breve Urbani VIII. expeditum Anno 1638. quo expressè ita statuit: *Quotescunque de cætero festum hujusmodi in primam Dominicam Adventûs inciderit, celebrationem festi hujusmodi in unum ex diebus infra octavam festi prædicti S. Francisci auctoritate Apostolicâ perpetuò transferimus, iisdem presbyteris Societatis JESU, ac aliis Christi fidelibus, aliquam ex dictis Ecclesiis Societatis hujusmodi visitantibus, & præmissa (scilicet Confessionem, Communionem, & visitationem unius ex Ecclesiis Soc. Jesu ubique existentibus) peragentibus, die, in quem celebrationem festi hujusmodi transferri contigerit, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

656 Ad *alteram* quæstionem est jam satis plana responsio; Cùm enim Pontifex *absolutè* transtulerit in unum è diebus infra Octavam, noluit utique celebrari die impedito officio Duplici. Etsi quippe Religiosi Constantienses non teneantur recitare officium de Sancta Barbara, Suprà *num. 627.* possunt tamen, ut probatum *num. 80.* & peculiariter hoc festum, quod etsi non *in foro*, attamen *in Choro* perquam piè colitur, & singularissimè in æde Cathedrali, continua cum nostro Collegio. Quia igitur, quæ propter pietatem instituta sunt, contra pietatem militare non debent; argum. sententiæ, quam de charitate retuli suprà *num. 502* ex S. Bernardo; quia etiam Gavant. *in Rubr. Miss. Sect. 3. cap. 1. num. 7.* rectè monet, esse laudabile, *ut Regulares in gratiam populorum recitent de sanctis, quos si publicè colunt, ut hi ad pietatem erga illos* (loquitur de Patronis secundariis) *non minùs accendantur, quàm si ad Ecclesiam confluant cathedralem*: ideo factum est, ut reipsa fuerit quintâ Decembris obita tota solennitas.

His de translato festo S. Francisci Xaverii jam scriptis pro primo prelo, accepi Anno 1663. Breve Alexandri VII. quo, ad humillimam instantiam nostræ Societatis una cum festo illius Sancti translato in tertium Decembris, transfert etiam in diem tertium ejusdem men-

sis Indulgentiam plenariam, *servatâ tamen in reliquis omnibus, & singulis Gregorii XV. literarum formâ*; literarum, inquam, illarum, quibus Gregorius XV. præter alia *impertiebatur indulgentiam plenariam omnibus Christi Fidelibus, verè pœnitentibus &c. qui aliquam Societatis Jesu Ecclesiam, in Sancti Francisci Xaverii 2. Decembris celebrari solito festo visitarent, &c.*

657 Ubi hoc legi, visus mihi sum audire nonnullos sciscitantes: *An ergo Anno 1673. quo festum Sancti Xaverii cadet in primam Dominicam Adventûs, & consequenter transferendum in diem, vel quartam (ubi non occurrerit aliud festum) vel quintam, ubi in quarta occurret festum S. Barbaræ, de quo suprà num. 654. An, inquam, illo Anno non transferretur indulgentia?* Non translatum iri, probatur, quia Alexander VII. vult, ut Bulla Gregor. XV. observetur in omnibus, & singulis, præterquam in translatione Festi; atqui iste Pontifex in illa sua Bulla affixit indulgentiam secundo diei Decembris. Deinde eadem sua Sanctitas expressè derogat omnibus sanctionibus Apostolicis contrariis suo Brevi; ergo derogat Brevi Urbani VIII. concedentis, ut unà cum festo transferatur indulgentia, sicuti vidimus suprà.

Responderi quidem potest, rationem, qua *n. 655.* probavi, indulgentiam illam secundùm jus commune transferri unà cum festo, obtinere hîc quoque suas vires. Quia tamen magni DD. non sine fundamento negant hoc jus commune, sicuti videre est *in cit. meo Tract. De Thesauro Indulgent.* idcirco scripsi in Urbem, atque accepi 29. Decembris inter cætera hoc Responsum: *Providebitur, si judicabitur necesse, ut specialis concessio Urbani VIII. renovetur, vel*

658 *confirmetur ab hoc Pontifice.* Haud tamen præterito silentio, esse mihi Anno 1668. ineunte scriptum itidem Româ à Viro omni fide digno, non dubitari à nostris illic Theologis, quin idem Alexander VII. transferendo festum ipsum, *tacitè* ipsam quoque Indulgentiam transtulerit; cujus responsi confirmationem indubitatam rursum accepi eodem ex loco datam à viro gravissimo die 3. Augusti Anno 1669. estque hic sensus nostræ Provinciæ. Sed nec dissimulo responsum, quod dedi ad dubium cujusdam in Rubricis exercitatissimi Presbyteri, ambigentis tamen, an, quoniam festum S. Francisci Xaverii quandoque nequit (eo tempore colebatur ritu solùm semiduplici à Clero sæculari) propter occursum, concursúmque festorum, atque Octavæ Immaculatæ Conceptionis celebrari in hac urbe Constantiensi ante diem decimum septimum Decembris, liceat illud ipsum obire eo die decimo septimo, alióve ex proximè sequentibus. Ratio dubitandi unica hæc erat, quòd jam tunc legantur, canantur Antiphonæ: *O Sapientia: O Adonai, &c.* & quidem geminatæ, adeóque ritu Duplici, ac proinde videantur ex Feriæ annumerandæ privilegiatis. Verùm hæc illatio nequit admitti; constat quippe & ex Gavanto *in Rubr. Breviarii Sect. 2. cap. 8.* & ipso usu, esse quidem, sicut à tota quadragesima, ita etiam à decimo septimo Decembris usque ad Natalè Christi exclusas Octavas, non autem festa novem lectionum, sicuti liquet ex festo S. Thomæ Apostoli.

Dixi: A tota Quadragesima. Etenim P. Georgius Geisser *num. 569.* memoratus, *pag. 148.* habet meritò, pro privilegio omnino *singulari & præclaro*, quòd liceat Festum gloriosissimi Patriarchæ Benedicti, etiam quando occurrit in Quadragesima, celebrare cum Octava, *quando constat Sedem Apostolicam hucusque concessisse nunquam, ut Octavæ celebrarentur in Quadragesima. Imò tantus olim rigor fuit Ecclesiasticarum Sanctionum, ut ne unum quidem Festum per Sacros vernì jejunii dies peragretur. Nimirum hic honor reservabatur, magno Benedicto.* Ita ille

APPENDIX RECENS

Casûs septimi Rubricistici.

ANno 1674. Festum inventionis S. Crucis aliàs occurrens die tertiâ Maji, translatum fuit, ob occursum cum festo Ascensionis, in diem quintum, quem erat immediatè secutura non solùm Dominica infra Octavam, sed insuper festum S. Joannis ante Portam Latinam, ut proinde fuerit ob duplicem titulum, seu duplex impedimentum facienda in Sacro, officióque Canonico duntaxat commemoratio dicti diei infra Octavam. Quæ de causa quidam Theologiæ Moralis Professor literis ad me ipso die tertio Maji datis quæsiit, utrùm hoc ipso fuerit in secundis Vesperis festi S. Crucis translati in Sabbatinum, seu tunc quintum Maji facienda commemoratio diei infra Octavam, an verò omittenda. Adferebat dubitandi rationem sanè gravem, hanc videlicet, quòd festum Inventæ S. Crucis sit festum secundæ classis, in Tabula verò de concurrentia officiorum num. 4. *absolutè asseratur, esse in secundis Vesperis, ejusmodi festi faciendam Commemorationem diei infra Octavam tunc occurrentis; è diverso autem Rubrica* de Commemorationibus Tit. 9. num. 6. sub fin. *videatur non permittere eam Commemorationem, nisi in casu, quo sequenti die fit officium de prædicto die infra Octavam; ergo erat pridie omittenda commemoratio, viri, amabo, duarum instructionum est ad literam parendum? Tabulæ? An Rubricæ?*

Respondi. *Per se loquendo*, seu abstrahendo à consuetudine alicubi in contrarium inveterata, esse potiorem Rubricæ, quàm Tabulæ habendam rationem supponendo nihilominus, neutram illarum instructionem alteri reipsa, seu in vero sensu intellectam repugnare, quandoquidem contrarietas singulariter in jure, est ubique vitanda. Maranta *in Speculo Part. 3. n. 112.* ideóque jura juribus concordanda

danda sunt. *Cap. Cùm expediat. De elect. in. 6.* Rationem responsi desumo ex duabus Regulis juris, alterâ solius Civilis, alterâ Civilis simul & Canonici, ideo autem singulariter ex Regulis, quia objectum hujus quæsiti sunt Regulæ, siquidem Tabella de *Occurrentia*, & *Concurrentia* esse Regulas propriè dictas, liquet inde, tum quòd expressè ita nuncupentur in Instructione Breviarii præmissâ Tabellis, tum quòd brevissimè comprehendant ea, quæ diffusiùs traduntur in ipsis Rubricis, ideóque dicuntur ibidem esse extractæ ex Rubricis. Atqui Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. *Text. in Leg. 1. ff. De Reg. Jur.* in qua Lege, quia subditur: *Non ut ex Regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, Regula fiat*, infero 1. Rubricas esse habendas pro jure, ideóque pro Lege, seu Legibus, siquidem, ut dixi, Tabellæ sunt extractæ, adeóque factæ ex Rubricis. Infero deinde, esse tum in hac præsenti controversia, tum in aliis, quæ moveri possunt ob apparentem contradictionem inter Tabellas, & Rubricas, standum verbis Rubricarum potiùs, quàm Tabellarum, quandoquidem, ut retuli, jus sumendum est ex Lege, non ex Regula, quæ quidem hoc loco supponit, sequens officium fieri de Octava juxta Rubricas eam præcedentes.

e Altera pro dato responso Regula est XXXVI. *in 6.* & LXXX. *inf.* Generi per speciem derogatur, *cit. Reg. 36.* & quidem in toto jure *cit. Leg. 80.* Atqui in Rubrica *De Commemorationibus Tit. 9. num. 6.* sub finem *expressè*, & *specificè* dicitur: Commemorationem diei infra Octavam non esse in secundis Vesperis festi etiam secundæ Classis faciendam tunc, quando non est de hoc sequenti die celebrandum officium.

f Nec objicias, Rubricam solummodo ita sancire: *In secundis Vesperis* (festi secundæ Classis) *fit Commemoratio de die infrà Octavam, si de ea fieri debeat officium*, non autem exprimere esse omittendam, si non sit de ea futurum officium. Respondeo enim, non quidem exprimere, attamen taciti & expressi (sicut aliàs sexcenties fit *Per L. Cùm quid. ff. Si cert. pet.*) eandem esse hîc rationem, idcirco nimirum, quòd *conditionalis* particula: *Si* importet præcisam conditionem. Tuschus *lit. c. concl. 373. n. 6.* post Castrensem. Accedit hæc congruentia, quòd nimirum soleat *per se loquendo* singulis infra Octavam diebus peragi vel totum officium, vel saltem commemoratio festi decorati Octavâ, videtur igitur congruere, ut ad aliquanto maiorem solennitatem festi promoti ad secundam Classem, cedat suo ordinario jure dies infra Octavam, & prætereatur in talium Vesperis quoque secundis illa Commemoratio.

g Cæterùm si præfens lis decidenda sit arbitrio, & praxi Diœceseon, vix reperietur exitus. Etenim Constantiense, atque Basileense Directoria Anno 1674. expresserunt, esse in secundis Vesperis festi S. Crucis faciendam Commemorationem diei infrà Octavam dictæ Ascensionis. Frisinganum autem de Anno 1668. contrarium in simili casu statuit, quemadmodum testatur idem P. Theologus. Ego tametsi imbutus opinione, quam hîc propugno, & pro qua apertè stat Gavantus in illum ipsum *Tit. 9. De Commemorat.* etiam *num. 6. sub. fin.* obsecutus fui nudis verbis Tabulæ, adeóque mori Diœcesano, quandoquidem solet nostra Societas Canonicam precationem dirigere juxta normam Diœcesanam, quando agitur de ritu festi duplicis, agebatur autem in nostro speciali Casu principaliter de solennitate festi duplicis secundæ Classis, etsi *concomitanter* simul & necessariò de die infrà Octavam, seu semiduplici, vel quasi.

h Dictaveram librario hæc omnia, cùm à Doctissimo P. Brunone Neusser accipio responsum, quod petieram, ad præsentem controversiam, omnino conforme resolutioni meæ, in quo præterea testatur, ita continuò habere Calendarium perpetuum Franciscanum, editum Romæ Anno 1667. jussu P. Bonaventuræ Caballi Consultoris Congregationis Rituum. Etenim, Anno 1693. cùm festum Paschatis incidat in 22. Martii, quando festum SS. Philippi & Jacobi celebrabitur die infrà Octavam Ascensionis Directorium illud sic habet. *In Vesperis, Commemoratio sequentis tantùm*, nempe S. Athanasii? similiter in festo S. Bernardini, quod in nostro Ordine est duplex secundæ Classis, dum quandoque occurret infrà eandem Octavam, Directorium præfatum sic loquitur: *In secundis Vesperis Sabbati ante Dominicam infrà Octavam Ascensionis: In Vesperis Commemoratio Dominicæ tantùm.* Iisdem planè terminis utitur Claudius Le Vol. insignis Rubricista, auctor Calendarii Francilcani perpetui in Directorio hujus Anni. Ita P. Neusserus.

i Idem Jubilatus Doctor cupit ex me vicissim cognoscere, quid sentiam de Directoriis variis hujus Anni, præscribentibus omitti 25. Maji in translatione S. Francisci, & 26. itidem Maji in festo S. Philippi Nerii nonam Lectionem de S. Urbano, & S. Eleutherio.

Respondi, me non acquiescere illis Directoriis. Nam & nostrum Constantiense voluit nonam Lectionem, de S. Urbano, non obstante die infra Octavam Corporis Christi; & de S. Eleutherio occurrente cum S. Nerio; & generatim Rubricæ *De Commemorationibus Tit. 9. num. 10.* mandant, eam dici, exceptis quibusdam diebus, quorum exceptio firmat Regulam in contrarium, & speciatim Rubricâ positâ in secundis Vesperis Ascensionis exprimitur, esse infra hanc legendam nonam Lectionem de simplici occurrente, & denique Gavantus *Sect. 6. cap. 20. num. 4.* mecum contra alios sentiens rectè observat, unam Rubricam ex-

plicari per aliam. Equidem utrumque hoc festum, Ascensionis, inquam, & Corporis Christi est tum ejusdem. t. Classis, tum ejusdem Christi Domini; quare quod statuitur de priori, intelligendum etiam est de posteriori, nisi fiat alia expressa ordinatio. Et verò cùm jam hæc postrema verba chartæ mandâsset librarius, accipio ab eodem P. Neusserо literas, quibus testatur, extare authenticum, (cui, referendo infrà *Lit. y.* me, ut par est, subjicio,) Decretum Sacræ Congregationis, vetantis, ne infra Octavam Corporis Christi nona lectio fiat de festo simplici. At quæritur me, sitne illud intelligendum de diebus infra Octavam, an verò etiam in festis Duplicibus, tunc occurrentibus, in quibus videtur cessare ratio, cùm iis diebus Lectiones tertii Nocturni non sint de Mysterio Corporis Christi.

Respondi, videri intelligendum de solis diebus infra Octavam tum ob rationem insinuatam, tum quia correctio juris est strictæ interpretationis, illud autem Decretum Congregationis corrigit jus antiquum Rubricæ paulò superiùs relatæ, & publicatæ ab ipsomet B. Pio V. Clement. VIII. atque Urbano itidem VIII.

APPENDIX APPENDICIS.

k HIs ipsis quoad punctum difficultatis perscriptis à me ad P. Theologum, de quo suprà *Lit. a.* ipsique probatis, expetiit insuper meum judicium de quinque aliis quæstionibus, etiam Rubricisticis, controversis inter se, & non nullos alios, quarum resolutionem hîc repræsento.

Prima quæstio. *Quid sentiendum de facto cujusdam Rectoris Ecclesiæ, qui vespere diei sabbati præcedentis unam è Dominicis non privilegiatis post Trinitatem, conspicatus altaria albis paramentis vestita ob occurrens cum ea Dominica festum, juxta fastos Ecclesiasticos Romani Breviarii perpetuò translatum ad illum ipsum diem mensis, qui occurrebat in Dominica, mandavit, colorem candidum mutari viridi, adferens hanc causam, quòd juxta Rubricas nullum festum transferatur in Dominicam, festum autem illius Sancti esse translatum, eò quòd non celebretur unquam die sui obitûs, seu natali, sed semper pòst.*

l Respondeo, illum Ecclesiæ seu Rectorem, seu Sacristam, aut Custodem fuisse hîc aliquid humani passum, quandoquidem nomine *translationis* intelligitur in Rubricis *Tit. 10.* & alibi ille ritus solus, quo festum aliquod à sede assignata sibi in Calendario Ecclesiastico communi, & perpetuo, movetur, promovetur, differtúrque (rarissimè enim anteponitur) ad alium diem, ut liquet ex toto illo Titulo, & inde etiam fit manifestum, quòd si nomine festi translati intelligatur omne illud, quod celebratur alio die, quàm natali, seu veri obitûs, sequatur, festa Sanctorum, qui ante reformationem Calendarii peractam Anno 1582. à Gregorio XIII. donati sunt coronâ gloriæ, esse accensenda translatis, subjiciendáque legibus de translatione, nullus enim ex iis, qui post primum sæculum à primo Concilio Niceno desierunt esse in vivis, meruit beatas scandere sedes eo die, qui in Calendario Gregoriano appellatur decimus e. g. sed illo, qui juxta vetus Calendarium erat primus, secundus, tertius &c. ut paulò pòst exemplificabo. Adde, quòd hactenus nemo dubitârit, quin festa Dominici, Hyacinthi, occurrentia in diebus Dominicis, colenda tunc sint, & tamen certum est, nonnulla antè, ut S. Dominici, & S. Bonaventuræ apud Surium, alia post, ut ejusdem S. Bonaventuræ juxta Bellarminum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, diem natalem obiri; ut & S. Basilii, qui cœlo illatus Cal. Januarii, honoratur officio XIV. Junii. Unde etiam nostra tota Diœcesis celebravit hoc Anno die trigesimo Augusti festum S. Augustini illuc transferri solitum ob ordinarium occursum cum festo S. Pelagii Patroni Diœcesani, celebravit autem non obstante occursu cum Dominica XIV. post Pentecosten.

Quod dixi de festis universalis Ecclesiæ Decreto affixis diei diverso à natali, idem pronuntio de ita affixis lege, statutóve Diœcesano, nam & mos Pontificis est spectandus, sequendúsque *Cap. In causis. De sentent. & re jud.* & primum in unoquoque genere est exemplar cæterorum *Cap. Ex literis. De constitut.* Propter hanc autem ipsam causam id ipsum dico de festo aliquo Ordinis Religiosi, quod propter ordinariam occurrentiam cum alio æquali, aut majori nequit unquam die proprio celebrari, ut e. g. festum S. Afræ solitum in Diœcesibus Augustana, & Constantiensi colli ritu duplici eodem die septimo Augusti, nequit in nostris illarum Diœceseon Collegiis obiri eo die, propter occursum ordinarium cum Octava nostri S. Patris, sed consuevimus illud colere die nonâ, etsi fortè occurrente cum Dominica; quod ipsum cum recentissimo festo S. Cajetani præstabunt nostri Patres in locis, in quibus S. Afra, aut aliquis alius non colitur officio. Et quidni hoc ipsum probabiliter dicamus de quolibet loco particulari, honorante aliquem Sanctum, cujus natalis perpetuò occurrit cum alio digniore? Itaque est cum illo Patre, qui me consuluit, & cum Neusserо *Disp. 5. num. 32.* tenendum, festa perpetuò translata gaudere iis privilegiis, quibus gauderent, si translata non essent.

m Quia verò Gavantus *in Rubricas Breviarii Sect. 7. cap. 3. num. 27.* singulariter, & nominatim rectéque observat, non esse in festo S. Chrysostomi, de quo suprà, dicendum ad hymnum Vesperarum: *Hac die lætus meruit, Beatus scandere sedes*, sed? *Meruit supremos laudis honores*, quæri potest, quodnam sit discrimen inter has duas locutiones; non enim unus, sed plures existimant non intercedere nisi verbale, sed errant; quis enim credat, Urbanum voluisse absque peculiari causa, optimorum verborum mutationem in nihilo meliora facere, cùm cerneret pericula crebri erroris indè exorituri ex oblivione?

In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diù æquum visum est. *Text. in Lib. 2. ff. De Constitut. Princ.* Itaque est primæ strophæ: *Hac die meruit, Beatus scandere sedes* hic sensus: meruit, ut hodie cœlum peteret. At posterioris hic sensus: meruit, ut hodie colatur ab Ecclesia summo honore; ut proinde sextus, seu Ablativus Casus: *Hac die* referatur ad *ut scandere*, & ad *supremos honores*, non verò ad verbum: *Meruit*, de multis enim Sanctis non potest cum verò fundamento dici, quòd gloriam cœlestem propriè meruerint eo ipso die, quo fuêre in cœlum recepti, quandoquidem fortè illo toto die fuerint expertes rationis ob febrim, apoplexiam, lethargum, ut propemodum accidit S. Francisco Salesio. Multò minùs potest cum ea certitudine, quam Ecclesia sectatur in suis publicis actibus, dici, quòd illo annuo die mensis, quo per translationem colitur ab Ecclesia hic aut ille Sanctus, ipse promeruerit publicam veneration em, quid si enim toto illo die instar Davidis, Augustini, Pelagiæ, Joannis Gualberti insorduit in peccato lethali? Et quando colitur dies, quo sunt translatæ reliquiæ alicujus Sancti, ut nominatim S. Chrysostomi, quis somniet, rectè dici de eo, quòd illâ die, qua jam desierat esse inter mortales, meruerit cultum publicum?

n Ratione ejusdem tertii in eo Hymno versiculi moveri potest hoc alterum dubium, an mendacium dixerint omnes, vel propè omnes Clerici sæculares, & regulares, adeóque ipsimet Episcopi, qui ante reformationem Calendarii perfectam à Gregorio XIII. legebant, aut canebant: *Hodie meruit suprema* (ut habet Breviarium Pauli III.) vel: *Secreta* (ut emendavit B. Pius V.) *scandere cœli.* Ratio asserendi est, quòd Gavantus *Sect. 8. cap. 3. num. 7.* scribat, causam, cur sit facta ab Urbano illa mutatio prædicti tertii versûs, fuisse hanc, ne in festis translatis diceretur mendacium, asserendo, Sanctum ita traslatum obiisse eo die, quo colitur ob translationem, cùm tamen revera non obierit illo die, sed priore, aut posteriore, ut superiùs *lit. I.* probavi exemplis, atque Sanctus Bernardus revera non obiit illo Augusti die, qui tunc, seu Anno 1153. vocabatur vigesimus, sed decimo tertio circiter, sicut & illi, qui paulò ante dictam reformationem illati sunt cœlo, ut SS. Cajetanus, Villanova, Xaverius, Ignatius &c. decem diebus priùs, quàm exoriretur ille dies, qui assignatur ipsis in Calendario, prout deprehendet, qui memor, Concilium Nicenum, post quod Anno 325. celebratum, fuêre sine debita intercalatione attributæ singulis diebus ultra 365. dies integros, insuper sex horæ integræ, cùm tamen hisce deessent aliquot minuta, præcessisse decem sæculis Pontificatum Gregorii XIII, & propter illorum minutorum neglectum accidisse, ut singulis sæculis, quorum octo usque ad natalem divi Bernardi, decem verò usque ad obitum illorum quatuor Cœlicolarum, quos nominavi, unus dies fuerit Calendariis, non autem cursui solis vero, physicóque adjectus, adeóque illis decem sæculis universim decem dies, quos tamen Gregorius sustulit transiliendo à quarto Octobris, seu festo S. Francisci immediatè ad decimum quintum, atque tenebris involvendo decem interjectos.

Ego ne cogar turpem illam etiam duntaxat *materialis* mendacij notam affricare tot centenis millibus virorum, quà sanctitate, quà pietate, Religioneque illustrium, dico, sicuti Jureconsulti, quorum genium sectantur leges, locutionesque Ecclesiasticæ, ac Breviarij, sexcenties dicunt, hoc aut illud *fictione juris* haberi pro vero, quod tamen à parte rei fallum est, sicuti e. g. fictione juris dicitur vxor non divertisse, quæ statim reversa est. *Leg. Quid quid. ff. De Reg. juris*, sicuti & fictione juris habetur proximè accingendus pro accincto. Infrà *Tract. 3. n. 609. App. 2. lit. b.* ita speciatim habitum fuisse olim fictione juris, pro natali illum Sancti Confessoris diem, qui in fastis Ecclesiasticis assignatus erat, quamvis à parte rei fuerit sex, octo, decem diebus, imò mensibus aliquot posterior. Confirmatur inde, quòd omnes unà cum Gavanto *cit. num. 7.* teneant, omnes dies festi habentes Octavam, censeri, esse unum diem cum primo, & idcirco esse æquè in octavo, atque in primo psallendum: *Hac die lætus meruit beatas scandere sedes.* Sanè Sanctus Philippus Nerius obiit die vigesimo quinto Maji, & tamen eius festum sine ulla mutatione versiculi celebratur die vigesimo sexto, ita ut Vesperæ primæ decantentur ipsius vero die natali, & secundæ per fictionem juris, tametsi Gavantus *loc. cit.* scribat, quando festum Confessoris occurrens in Dominica transfertur in feriam secundam, dici debere in feria secunda. *Meruit supremos*, cùm pridie fuerit dictum. *Meruit beatas.* Denique in Hymno ad Laudes de Confessore non Pontif. hodiéque indiscriminatim canimus: *Anni reverso tempore. &c. Migravit inter sidera.*

p *Secunda* quæstio proposita mihi ab illo, de quo *lit. a.* erat: *An suffrager sibi, neganti contra non neminem Rubricarum*, ut ipse addit, *peritissimum, festum, aut semiduplex, aut duplex occurrens in Dominica esse feriâ secundâ celebrandum, si habeatur antiquius æquale tamen dignitatis duplex, aut semiduplex.*

Respondeo, me omnino suffragari, tum quia generaliter dicta, generaliter intelligenda sunt, in Rubrica autem de translationibus *Titul. 10.* traditur doctrina generalis contraria

opinioni illius Rubricistæ; tum quia exceptio firmat Regulam in contrarium, atqui à Regula, seu Rubrica inhibente fieri translationem in diem infra octavam, excipitur solus casus, quo semiduplex occurrit in Dominica infra aliquam octavam; hæc tam specialis gratiæ concessio relinquit semiduplex quoad cæteros casus subjectum generali Regulæ. Favet Gavantus *Sect. 3. in Rubricas Breviarii Cap. 10. num. 4.* si attentè legatur.

Tertia quæstio: *An semiduplex occurrens infra octavam cum aliquo alio duplici, aut semiduplici, sit celebrandum die proximo infra illam octavam non impedito, quod quidem nonnulli putant.*

r Respondeo. Malè putant illi nonnulli, ut pace ipsorum dicam, siquidem id, quod à jure communi exorbitat, non est ad alios casus extendendum; ergo gratia, quæ semiduplicifit, ut quando id occurrit in Dominica infra octavam, *licitè* transferatur in feriam secundam non impeditam alio festo diverso à die infra octavam, non est extendenda ad feriam tertiam, e. g. si occurrit feriâ secundâ, ergo debet differri ultra octavam. Equidem si bene expendantur doctrina *Capituli Nonne. De præsumpt.* & resolutiones, quas ex illo deducunt quà Theologi, quà vel maximè Juristæ, apparebit, taciturnitatem, seu præteritionem aliorum infra octavam dierum haberi à Rubricis pro negatione, adeóque casum in illa Rubrica omissum debere haberi pro omisso. Consentit Bartholomæus Gavantus attentè lectus *Cap. 10. num. 3.* addens, tamen fuisse olim aliter resolvendum.

f *Quarta* quæstio. *Vidi alicubi in festo Assumptionis, quod cadebat in diem Sabbati, fieri integras Vesperas de instanti Dedicatione propriæ Ecclesiæ. Num bene?*

Respondeo: Si ille sequens dies fuisset Patroni; & non Dedicationis, Gavantus *allegat. Sect. 3. capite 9. num. 3.* damnâsset in terminis terminantibus illud factum, illic enim reprehendit eos, qui de Sancto Rocho Patrono suo seu Titulari, cadente, ut solet, in diem decimum sextum Augusti, cantaverant totas primas Vesperas cum sola Commemoratione de Assumptione; at quia ipsemet *ibid. Cap. 8. num. 7.* unà cum S. Thoma dedicationem propriæ Ecclesiæ præfert Patrono ejusdem Ecclesiæ, fortè non negaret in prædicto casu primas Vesperas Dedicationi, etsi neget Patrono.

t Ego ponderans ex una parte occurrere per totum Anni circulum quinque solennia ultratria non solennia festa Deiparæ, eáque soli ubique, ex altera autem festum Dedicationis particularis Ecclesiæ tantùm semel in Anno, & quidem à pauculis, censeo, benignissimam Cœlorum Reginam unà cum Papa Rubricarum Nomotheta libenter tali die cedere privatæ devotioni incolarum, quorum Ecclesiæ Dedicatio occurrit.

Quinta quæstio. *Unde colligendum, quodnam festum sit dignius altero?*

Respondeo, Gavantum *cit. Cap. 8. num. 6.* ita loqui: *Dignitas attendenda est penes Classem festorum. Nam prima Classis dignior est secundâ, in eadem verò attendi debent personæ hoc ordine. Christus, Beata Virgo, Angeli, Sanctus Joannes Baptista, Apostoli, & alii juxta ordinem litaniarum, & Rubricarum de concurrentia officii*; similia habet *Cap. 9. num. 3.* addens *cit. num. 6.* cæteris paribus, digniorem esse octavam illam, quam celebrat universalis Ecclesia, quibus ultimis verbis videtur insinuare, se dissentire ab eo, quod *lit. S.* dixi de benigna cessione Deiparæ. Judicet Lector, egóne, an Gavantus rem acu tangat. Idem Doctor *Cap. 10. num. 15.* resolvit, quando Patronus principalis loci, seu civitatis occurrit cum Titulari Ecclesiæ Regularium, esse officium recitandum de Patrono, idcirco digniore, quòd sit protector totius loci, Titularis verò unius duntaxat templi particularis. Hanc rationem si applicare velis Dedicationi propriæ Ecclesiæ, concurrenti cum festo Assumptionis; rectè inferes, esse in casu, quem suprà posui, faciendam in secundis Vesperis Deiparæ solam Commemorationem sequentis Dedicationis. Idem autor *cit. cap. 8. num. 7.* post S. Thomam, majorem dignitatem desumit à majoritate beneficiorum cœlitus collatorum huic, aut illi, & *Cap. 9. num. 3. in fine* rursum desumit à majoritate cultûs. P. Tobias Lohner *In Instruction. Tit. De Translat.* ab ordine Classium. Ego existimo, cùm ratio solennitatis consistat *in moralitate*, eam esse maximè desumendam ex *morali* judicio, adeóque more & consuetudine Diœceseon, Ordinúmque Religiosorum pro re nata; atque ita respondi P. Neusserο petenti meum judicium de solennitate Missarum, quæ in diversis Ordinibus Religiosis consistit in diversa exteriore pompa, seu apparatu, ut thurificationis, ministrorum, facúmve numero, aut usu in Missis non admittentibus, nisi privatim commemorationem simplicis, ut e. g. apud nos Missa in festo S. Francisci Xaverii, quando transfertur in quintum Decembris. Ita scripseram in proximè antecedente Editione, cum postmodum incidi in nostrum Carolum Guyetum, qui suæ Heortologiæ *Lib. 1. cap. 13. quæst. 3.* scribit, solennitatem majorem consistere in festivatione, (ut loquitur,) publicâ, consistente in processione, concursu populi, numero pulsandarũ campanarum Cereorúmque accendendorum, item capparum induendarum à Canonicis, & aliis ejusmodi. Præmiserat autem Festa ideo fundamentaliter vocari Solennia, quòd soleant (solennè enim est idem, quod solitũ est fieri) non solùm quot Annis celebrari, sed ita celebrari, ut nunquã omittantur, quia verò Simplicia sæpe omittuntur, ideo negat esse vocanda Solennia; tribuens tamen hanc denominationem omnibus reliquis; etiam semiduplicibus.

For-

Porrò quod suprà retuli ex Gavanto, dignitatem desumi ex ordine, seu serie, qua Sancti collocantur in Litaniis, non est integre verum; siquidem idem P. Neusser misit ad me amantissimè sequens decretum: *Sacra Rit. Congreg. ad preces F. Bonaventuræ Caballi Commissarii Generalis Ord. Min. Observ. & Reform. S. Francisci declaravit, nullam adesse disparitatem inter translationem festorum Apostolorum, & Evangelistarum, sed occasione dictæ translationis esse faciendum officium, quod prius in Calendario proponitur, &c.*

Hac die 18. Sept. Anni 1666.

M. Episc. Sabin.

IDem P. Neusser Anno 1674. transmisit mihi quoque aliud Decretum hujus tenoris.

Infra octavam Corporis Christi Vrbis, & Orbis.

Dubium Rubricarum.

AN infra octavam Corporis Christi, quando contingit, in Officio fieri debere commemorationem Festi simplicis, sit pariter de eodem festo recitanda nona Lectio? Sac. Rituum Congregatio ad dubium respondit, referente Eminentissimo D. Cardinale Brancatio,

659 *negativè. 8. Junii 1670.*

XV. In fine Breviarii Romani reformati, apponitur Oratio, quam recitans consequitur *Indulgentiam defectuum, & culparum in eo persolvendo ex humana fragilitate contractarum*; quam concessionem explicans *in Thesauro Ecclesiastico, P. 2. c. 29. num. 579. & seqq.* probo 1. nomine culparum, commissarum ex humana fragilitate, intelligi omnes, quæ committuntur ex vehementia passionis, ignorantia, & inadvertentia, mortaliter non malis. 2. Illam indulgentiam acquiri respectu singularum Horarum, sive post singulas recitetur illa Oratio, sive tantùm semel in die post omnes, seu universas. 3. Si hodierno officio subjicias *immediatè* Matutinum crastini, hujúsque Matutino prædictam orationem, posse unicâ recitatione illius satisfieri pro culpis utriusque officii 4. Indulgentiam promissam orantibus Breviarium *ex libro*, seu legendo lucrifieri etiam ab eo, qui non legit, quæ socius, cum quo orat. Vide si placet, vel Navarrum *De Orat. cap. 19.* vel Rodriquezium *in qq. Regul. q. 43. a. 3.* vel Bonart. *De Hor. Canon. Lib. 3. c. 25.* explicantes varia privilegia, concessa Regularibus, solventibus pensum canonicum, sed quæ tamen pleraque nil continent ultra ius commune; sumptum iuxta interpretationem probatorum

660 scriptorum.

XVI. Alia quædam specialia de officio Beatorum, Sanctorum Naturalium, Sanctorum contentorum in solo Martyrologio, Venerabilis Sacramenti in feriis quintis, Conceptionis Immaculatæ in sabbatis; indicavi *in Alphab. Sacrificantium Casu XX.*, quæ non censeo repetenda hoc loco.

At verò quia in hac, & in præcedenti Se- 661
ctione disseruimus de integritate officii canonici, libet eam materiam claudere relatione, & confutatione sequentis

Casus Caramuelani.

PAulus ingressurus navim, majoris commoditatis causâ contulit secum diurnale, suscribens Thomæ Sanchez in summa Lib. 1. c. 3. num. 7. asserenti, legentem ea, quæ continentur in Diurnali, Officio divino satisfacere. Postquam solverat è portu, mutavit dictamen, & secutus Joannem Sanchez (in Sel. disp.) 5. num. 2. asserentem, in Diurnali non contineri integrum officium, ac proinde carentem breviario, licèt Diurnale habeat, non teneri legere officium,) illud non legit. Quæritur, an pecc et?

Ad hunc Casum respondet *absolutè* Caramuel *in Regul. S. Benedicti disp. 117 dub. 2.* non peccare, tametsi nec verbulum reciter de Matutino, dummodo intraverit in navim cum proposito recitandi contenta pro Matutino in Diurnali, esto deinde mutet in ipsa navi animum, ac proinde faciat toti Matutino feriás. Addit dein, esse probabile, quòd, licèt antequam ingrederetur navem, habuerit intentionem mutandi propositum, quod paulò antè formaverat de orando ex Diurnali in ipsa navi, attamen non delinquat mutando in ipsa navi *realiter*, & *quoad effectum*, illud propositum. Porrò, dum loquitur de contentis in Diurnali juxta sententiam Patris Thomæ Sanchez, intelligit non quodlibet Diurnale; habeo quippe unum, in quo non extant nisi Laudes, & sequentes Horæ; sed designat illud, in quo excusi sunt omnes psalmi feriales; adeóque totum Matutinum, exceptis tribus lectionibus; censet enim P. Sanchez *loc. cit.* ac plures alii; relati à Leandro *cit. disp. 5. q. 60.* impleri *substantialiter* legem de Matutino, siquis in festo simplici, aut feria reciter omnia, quæ respondentia illi festo, aut feriæ cernuntur in ejusmodi Diurnali; ac proinde, qui potest ea omnia dicere, teneri, esto careat tribus lectionibus. At verò Joannes Sanchez *loc. cit.* post, & cum permultis relatis à Leandro *cit. quæst. 60.* negat; substantiam Matutini permanere sine tribus saltem lectionibus: ideóque onere Matutini liberum esse ait, qui vel ob defectum Breviarii, vel ob aliam causam nequit Breviare saltem tres lectiones; esto possit omnia reliqua.

Posità hac explorata declaratione utriusque 662
sententiæ, facile est perspicere, opinionem Caramuelis nullo modo esse admittendam, e-

tiam in primo casu, quo scilicet ille Paulus ingressus est navim cum animo firmo orandi duodecim psalmos feriales cum Invitatoriis, Hymno, & reliquis, præter tres lectiones desideratas in suo Diurnali. Ratio à posteriori est, quia sequeretur, Germanos, Polonos, & Vngaros clericos posse sæpissime absque culpa lethali per tres, quatuor, sex dies continuos omittere totum Matutinum, nullâ gravi, seu notabili necessitate eos urgente. Etenim tales clerici sæpissime existunt per duos, tres, aut plures dies liberos Festo novem lectionum, in locis hæreticorum occasione vindemiæ, itineris, negotiorum, &c. relinquent ergo hi domi suum bilibre Breviarium, accepto solo Diurnali, & formato proposito sequendi sententiam P. Thom. Sanchez. Ubi autem viderint, se jam existere in ejusmodi pago, vel oppido acatholico, deserto Thomâ, adhærebunt Joanni Sanchez. Qui autem in Germania diceret, id posse fieri absque noxa lethali, dignus esset lapidatione, quia traderet scandalosissimam doctrinam, arripiendam à longè plurimis facientibus iter unius duntaxat, vel duorum dierum. Et quid si talis ita ratiocinetur? Qui non tenetur ad Matutinum, & Laudes, liber est cæteris horis. Leander *quæst. 56.* cum permultis contra Suarez, & alios; non tenetur autem ad Matutinum, & Laudes, qui nequit recitare lectiones, quia talis juxta Ioannem Sanchez non est obligatus ad Matutinum, sed neque etiam ad Laudes, cùm hæ juxta perquam probabilem sententiam conficiant unà cum Matutino unam Horam; cùm autem hujus unius horæ pars major sit utique Matutinum, tam multi autem pronuntient liberum integrâ horâ illum qui nequit hujus majorem partem solvere, profectò talis inferret, à se non delinqui saltem graviter, si semel, aut sæpius negligat choreas cum Angelis ducere, sicuti S. Chrysostomus *in explicatione Psalmi 137.* loquitur de psalmodis.

663 Ne igitur in has absurditatum absurdissimas absurditates devolvamur, subruendum est verâ distinctione fundamentum Caramuelis. Ait enim: Non delinquit, qui sequitur sententiam probabilem; atqui talem sequitur, qui adhæret initio opinioni Thomæ Sanchez, postea opinioni Ioannis Sanchez. Est autem sic distinguendum: Non delinquit talis, si ex ejus facto non sequatur elusio præcepti certi, & indisputabilis, concedo; nego, si sequatur. At verè sequitur ex Caramuelis conclusione ejusmodi elusio. Explicationes, & soliditatem hujus distinctionis tradidi *in Alphab. sacrificant. Cas. VII.* ostendens, variationem probabilium opinionum non esse semper permissam, sed illi, quam semel elegisti, necessariò insistendum constanter, quando aliàs transgredereris legem apertissimam.

APPENDIX. I. NOVORVM FESTORVM.

HVjus causam dedêre literæ ex quodam a Illustrissimo Monasterio datæ ad me 15. Novembris Anno 1673. in hæc verba: *Propositi sunt à summis Pontificibus publicæ veneranti non pauci novi Sancti, quorum festa alia* sub præcepto, *alia* ad lubitum *circumferuntur. De publica & legitima promulgatione apud nos non constat, neque alia festorum recens institutorum notitia pervenit ad nos, quam ex privata Breviariorum lectione, aut relatione. Quærimus igitur 1. An Summi Pontifices non attento defectu legitimæ promulgationis, non attentâ confusione, quæ ex tam varia festorum institutione, variatione lectionum, orationum &c. causari solet, censeantur universos Christi fideles obligare voluisse? Plures observant, non pauci negligunt, plerique dubitant, ipsa Directoria, & Breviaria variant etiam circa festa, quæ* de præcepto *esse dicuntur, quæ varietas indicio est, privatâ potiùs devotione, quàm præcepto ea festa observari. Quærimus deinde, quorumnam Sanctorum festa* de præcepto *habenda sint, & unde tandem evocanda sint Bullæ, ex quarum tenore de mente Summorum Pontificum constare nobis possit? Responsum avidè exspectamus.* Hactenus literæ, ad quas eâ, qua redditæ erant horâ, respondi in hunc modum.

Primò Defectus promulgationis concer- b nens institutionem novorum Officiorum inserendorum Breviario *sub præcepto*, vel *ad libitum*, nec magis, nec minùs est attendendus *per se loquendo*, quàm in aliis legibus Pontificiis communiter, cur enim faciamus distinctionem, cùm neque jura, neque Doctores differentes generatim de necessitate; aut sufficientia legum promulgationis hîc distinguant? & proinde notitia, quæ habetur de lege concernente publicum cultum novorum Sanctorum obligat, & non obligat eo pacto, quo notitia cæterarum plerarumque sanctionum Pontificiarum.

Nos in hac Provincia fidem habemus Di- c rectoriis Diœcesanis, quamdiu nobis non constat de oppositio, quandoquidem & conscribuntur à peritis longo usu, & recensentur à viris gravissimis. Non censemus tamen, nos obligari stare iisdem, priusquam accipiamus à P. Procuratore Provinciæ exemplaria novorum officiorum, quæ mittere solet ex mandato immediato Reverendi P. Provincialis, mediato Admodum Reverendi P. Generalis, aut certè intelligamus, jam pervenisse in Provinciam.

Secundò. Confusio, de qua literæ, non est d tanta, támque diuturna, ut præbeat justam causam non recipiendi leges de novis Sanctis. Diversitas, seu discordia quandoque interveniens inter duo Directoria, non solet ultra duos, tréssve Annos durare: bona fides, sicuti in aliis pluribus casibus, ita & in hoc excusat ab omni noxa; nec teneor attendere, quid hic, aut ille vicinus, remotúsve locus observet, sed quid litera sonet.

Tertiò. Nos, sicuti dixi suprà, solemus accipere à P. Procuratore Provinciæ jam impressa officia nova, ad quorum calcem semper apponitur testimonium approbationis factæ à Congregatione Rituum, itémque ritûs, & vel præcepti, vel meræ licentiæ: ut docent exemplaria, quæ Monachio, ubi ex authentico Româ ad Provinciam Missо, sunt recusa, cum hisce transmitto, minimè dubitans, quin Doctores, quos in Triga Horaria *Disp. 3.* claudente Alphabetum *Audientium Sacrum*, & *recitantium Breviarium* refero sentientes tam variè de culpa annexa mutationi unius officii in aliud, intelligendi sint etiam de mutatione, omissione novorum officiorum in locis, quibus ea recepta, ut *per se loquendo* recipi debent, fuêre; de similibus enim simile ferendum est judicium. Hisce verbis expressi meum sensum.

Claudo hanc primam ad hunc *num. 663.* Appendicem, hac sequente.

Appendix. II. Alexiana.

f ALexianam appello, siquidem causam illius dedit S. Alexius hoc Anno 1678. octiduo priusquam adesset eius festiva lux, & ideo dedit unicè, quòd esset occursura in ipsa Dominica septima post Pentecosten; ergo cùm celebretur nuncritu semiduplici, non cedebat ipsi dies Dominicus; imò cùm sit unum è festis *ad libitum*, nequibat transferri, stante Authentica; & postrema declaratione Congregationis, quam descripsi suprà in App. ad *Num 650. lit. q.* An *oportebatne saltem eius commemorationem facere in primis Vesperis, & Laudibus*? Faciendam præscribit nostrum Directorium Diœcesanum, sed judicio quorumdam virorum Doctorum non rectè.

Iudicaui ego, & nunc quoque judico, fuis- g se faciendam, idque probo, præmissa hac obseruatione, quod loquendo de festis *ad libitum* occurrentibus in Dominica, observandum sit discrimen inter illa, quæ fuerunt aliquando sub præcepto, & illa, quæ nunquam sub præcepto. Sub præcepto fuêre jam olim dies Sanctorum Monicæ quarto Maji: Joannis Gualberti (quoad commemorationem) duodecimo Julii: Alexii decimo septimo ejusdem per modum Festi simplicis: dies S. Remigii primo Octob. At dies Sanctorum Canuti Regis, Andreæ Corsini, Vincentii Ferrerii, Elisabethæ Portugalliæ, & plurium aliorum, nunquam (saltem per universam Ecclesiam) fuêre inserti Breviariis, aut Missalibus, nisi ad purum putum libitum.

Ex hoc fundamentali discrimine formo hanc h consequentiam: Ergo festa hujus posterioris, seu secundi generis, quando nequeunt celebrari sub ritu semiduplici, sicut nequeunt per se in Dominica, aut alio per translationem (cùm hæc sit recenter prohibita) sunt necessariò penitus prætereunda; quandoquidem quoad & substantiam, & modum, seu qualitatem pendent à mera gratia Pontificis, quæ gratia negatur ipsis, quando occurrunt in Dominica, vel aliquo die Festorum mobilium, sicut observavi, & explicavi suprà *num. 650.* in App. *lit. q.* ex declaratione novæ congregationis rituum. At verò festa primi generis cùm fuerint ab Annis jam plurimis *sub præcepto* quoad substantiam, at iam quoad qualitatem *ad libitum*, mirum non est quòd sublato, seu prohibito usu modi, & qualitatis, remaneat non modò licentia, sed insuper obligatio implendi substantiam, adeóque colendi eo prorsus modo, quo, antequam superveniret gratuitò concessa facultas ritûs semiduplicis.

Proinde hîc vel maximè locum habent illa, i (resolutiones casuum, euentorúmque particularium parantibus,) familiaria principia. Primum: *Correctio juris est restringenda potiùs, quàm amplianda.* Alterum: *Quod in posteriore Lege non est expressum, censetur esse relictum prioris dispositioni Legis.* Tertium: *Mutatio juris non est præsumenda, sed probanda.* Atqui ex eo, quòd Pontifex festo simplici *de præcepto* addat arbitrariam qualitatem Semiduplicis, non mutat hoc ipso substantiam, rationémque obligationis, ergo hæc mutatio præsumenda non est, sed probanda.

At inquies: Festum S. Alexii est festum *ad* k *libitum*, ut exprimunt Breviaria, & Directoria, ergo potest *ad libitum*, & nutum cujusque adstricti officio Canonico penitus omitti: Ita quidem argumentabatur nonnemo, at minimè probabiliter, ut reor. Etenim clausulam *ad libitum* cadere super solam qualitatem, non autem super substantiam, est inde mihi persuasissimum, quòd inducta in augmentum non pariant diminutionem. Text. in Lege *Legata inutiliter. ff. De Testament: & fidei commiss.* Festa autem ad libitum inducta sunt in honorem, gratiámque Sanctorum, non autem in commoditatem corporalem Clericorum, ut liquet vel ex eo, quòd elevatio ad cultum majorem fiat à sede Apostolica ordinariè non motu merè proprio, sed ad instantiam vel Episcoporum Localium, vel Prælatorum Regularium, sicuti apertè deduces ex iis, quæ infrà *Cas.* XX. *n. 696. App. 1. lit. n. & x.* representabo ex authenticis documentis; solent autem rescripta intelligi secundùm mentem supplicantis. Omnes Doctores ex cap. *Intelligentia. De verb. signific.* Ergo quando Pontifex priori qualitati simplicis, addit qualitatem semi-

semiduplicis ad libitum, qualitas hæc posterior nequaquam aufert obligationem ad priorem tunc, quando non lubet, aut non licet adhibere posteriorem, seu solenniorem.

l Igitur ad unicum fundamentum opinionis contrariæ respondendum est cum distinctione; Festum S. Alexii est Festum *ad libitum*, ergo potest penitus omitti, tunc, cùm nequit celebrari sub ritu Semiduplici. Respondendum, inquam, Est, Festum *ad libitum* quoad qualitatem cultûs, concedo, quoad substantiam nego, nihil prorsus dubitans de certitudine omnimoda hujus resolutionis. Repeto, quod dixi superiùs: *Inducta in augmentum non debent parere diminutionem*, præsertim inducta à Principe, utpote cujus beneficium est, quàm latissimè interpretandum *L. Beneficium ff. De constit. Princip.* Igitur Pontifex attollens Sanctos ad altiorem gradum honoris, nequaquam intendit auferre iis illud pristinum jus, quo poterant olim à Clericis deposcere cultum publicum tam in Missæ Sacrificio, quàm penso Canonico. Regula XV. *in Sexto*, docet nos, favores esse ampliandos, non restringendos, at nimis manifestè restringuntur concessi Cælitibus, quando tollitur omnis, quæ priùs aderat obligatio ipsis deferendi pristinum cultum, quæ tamen obligatio non omnino absurdè diceretur esse per clausulam: *ad libitum* sublata, si ritus, & solennitates venerandi Officio Canonico, & Liturgiâ Cœlites, essent excogitatæ, & concessæ principaliter in gratiam, & commoditatem adstrictorum Breviario; atqui minimè gentium introducta sunt primariò ob talem finem.

Primum festorum omnium *ad libitum* est Festum SS. Angelorum Custodum, institutum à Paulo V. Guyetus in Heortologia *Lib. 1. cap. 12. quæst. 9.* qui Pontifex habuit cogitationes sublimiores, quàm ut eas dejiceret ad commoditatem temporalem Clericorum.

Sed ecce dum cogito imponere tandem Colophonem huic Rubricisticæ materiæ, proponitur mihi dubium de S. Cajetano ex una parte, & ex altera de S. Affra Martyre, utérque enim occurrit in hac & aliis duabus vel tribus Diœcesibus hoc Anno 1678. septimâ Augusti, quæ tamen septima dies est in Ordine nostro assignata Octavæ nostri S. Parentis Ignatii; dubitatum ergo fuit, utrum illorum duorum festorum fuerit priùs altero transferendum? Ratio dubitandi erat, quòd festum S. Cajetani sit sub præcepto, at S. Affræ ad libitum respectu Regularium, saltem aliquo modo, siquidem suprà *Num. 78. & 627.* scripsi quidem ex communi omnium, Regulares posse colere penso Horario omnes sanctos Diœcesanos, non excludendo eos, qui solùm Semiduplici ritu honorantur, ut notavi *Num. 85.* attamen *cit. 78 & 627.* negavi obligationem excepto Patrono Loci, si Regulares non sunt obligati, ergo possunt pro libitu omittere, ergo ea festa sunt propriè *ad libitum* ergo n debent cedere omnibus officiis de *præcepto*.

Nihilominus tamen censui posse stari more, quem observavimus his pauculis Annis, quibus fuit fas honorare Missa, & Breviario illum magnum, maximum Dei Servum. Primò, quia magni Doctores, quos nominavi *cit. num. 627.* opinantur, omnes Regulares obligari, celebrare festa omnia Diœcesana, quale est hîc locorum S. Affræ. Si tenentur, ergo festum S. Affræ est de præcepto, ergo præferendum S. Cajetano; tum quia est festum duplex, S. Cajetani verò solùm Semiduplex; tum quia prius tempore potius est jure: Festum autem S. Affræ est multis Annis, ne dicam sæculis, antiquius quàm Diui Cajetani; ergo omnibus consideratis prudentiùs præfertur, quàm postponatur S. Affra, quandoquidem justum est, ut inde unusquisque sumat Regulas Magisterii (Ecclesiastici) vnde honoris consecrationem *Cap. De iis, dist. 12.* ut sumere debent Regulares ab Episcopo loci; adeóque Ecclesiæ Cathedralis; quamvis revera non damnarem (ob resolutionem datam suprà *Num. 627.* ex Bulla Gregorii XIII.) peccati eum, qui absque scandalo, & contradictione Superiorum parentaret suæ peculiari devotioni, vel commoditati.

Volui hoc dubium, ejúsque resolutionem huc transferre, minimè dubitans, quin omnino similis Casus persæpe contingat in aliis Religiosis ordinibus, utpote habentibus haud paulò plura festa Ordinis; adeò ut Domini Canonici Regulares S. Augustini vix vigesies (extra Quadragesimam) per Anni totius decursum dicant Officium de feria, ut memini audire ex ore duorum.

Porrò quia hic rursum facta est aliquoties p mentio translationis, observo à Doctissimo P. Georgio Geisser viro peracris ingenii & judicii, in aureo libello, cui Titulus: *Privilegia Ordinis S. Benedicti*, excuso Anno 1677. confirmari *Num. 147.* Doctrinam, quam superiùs *In App. 4. lit. ff.* tradidi de faciendo discrimine inter festum ad libitum, cui assignatus est aliquis certus dies, & inter illum, cui nullus certus dies hebdomadæ. Vnde infert ipse, si in feriam tertiam incidat festum translatum, prævalere Officium de S. Benedicto, etiam si translatum sit duplex; *quia cùm alia*, inquit ipse, *Semiduplicia certæ diei affixa non cedant festis translatis etiam Duplicibus; neque cedere debet S. Benedictus; cùm feria tertia* (qua per Annum non impedita alio Officio fas est Dominis Benedictinis vi Privilegii Apostolici honorare Officio Canonico gloriosissimum illum Patriarcham) *fixam habeat stationem.* Ita ille, satis clarè indicans, si festo ad libitum non sit decretus certus dies hebdomadæ, sed generatim dies non occupatus alio Officio, censeri illum diem occupatum, in quem esset secundùm generales Regulas transferendum festum de præcepto. E diverso ii Religiosi, qui ex privilegio Pontificio habent jus feria quinta de Venerabili Sacramento, aut die Sabbati de Immaculata Conceptione Horas recitandi licitè utentur eo jure, etiam quando in unam harum duarum feriarum transferendum esset secundùm Rubricas Officium.

q Dixi: *Qui habent jus recitandi.* Nec enim ullo modo cogitandum est, communicationes privilegiorum, uni, vel pluribus Ordinibus Religiosis circa festa ad libitum impertitorum, extendi ad alios Ordines non expressos in Bulla, vel Bullis eam gratiam, sine expressione aliorum illic non nominatorum, facientibus, ut post Gavantum in rubricas Breviarii *Part. 2. sect. 2. cap. 2. num. 26.* probat Guyetus noster in sua Heortologia *Lib. 1. cap. 14. quæst. 2.* Etsi enim Minores exempli gratia primi omnium obtinuerint privilegium à Sancto Pio quinto legendi feria quinta non impedita &c. Officium de Venerabili Sacramento, quod idem privilegium impetraverunt à Clemente VIII. Augustinienses, & ab eodem Pio quinto Minores legendi diebus Sabbathinis extra Adventum & Quadragesimam &c. Officium de Immaculata Conceptione, haud tamen rectè intulêre nonnulli, posse aut potuisse alias Religiones hoc jus sibi vindicare ex vi solius communicationis, ut ostendit variis rationibus hic auctor; quas inter rationes est summa confusio, quæ inde oriretur, siquidem concessa illa extensione communicationis possent iidem Religiosi prima die mensis non impedita recitare officium de S. Augustino, Francisco, Dominico, quavis feria tertia non impedita, de S. Benedicto, imò alio die itidem non impedito semel itidem in hebdomade cum Carmelitis Officium duplex de Beata Virgine; die Sabbathi cum Minoribus de Immaculata Conceptione: etenim hæ omnes licentiæ sunt factæ variis Religiosis familiis, enumeratis ab eodem Guyeto *Loc. cit. quæst. 6. & 7.* quibus accedit nouissima gratia à Clemente X. impertita nostræ minimæ Societati, atque explicata à me in App. *Ignatiana* seu *Quarta*, quam attexui numero *650.* hujus ipsius Tractatus. Hoc autem minimè est concedendum; rectè enim huc applicatur illa observatio, quam idem Guyetus refert ex Emmanuele Rodriquez Quæst. Regul *Tom. 1. quæst. 55. art. 22.* quod videlicet Pontifices munierint varias Bullas, in specialem favorem Regularium concessas, hac clausula: *Dummodo Regulari eorum, quibus communicatur, observantiæ non sint contraria*, ut sanè essent in nostra saltem Societate, in qua viget publicè conformatio cum ritu Romano, exceptis nostris propriis festis.

SECTIO IV.

Explicantur reliquæ Conditiones orationis Canonicæ.

SUMMARIUM.

Quis peccet anteponens unam Horam alteri? 664.
Qui invertens ordinem psalmorum? 665.
Aut inchoans officium sequentis diei ante finitum præcedens? 666.
Aut recitans Matutinum primùm post Missam, aut interrumpens? 667.
An, si talis statuit repetere, teneatur? 670.
Quæ justæ causæ interrumpendi? 671. & 672.
An laudibus, separatis à nocturnis, sit præmittendum Pater & Ave? 673.
Separatio unius nocturni ab altero an licita? *674. & 675.*
De interruptione per somnolentiam judicium Navarri. 676.
Quo tempore recitandæ singulæ Horæ juxta morem antiquum? 677.
Quo juxta præsentium temporum? 678.
Et singulariter, quando liceat inchoare Matutinum diei sequentis? 679. & 680.
Quæ causa excuset dicentem manè uno tractu omnia usque ad Vesperas exclusivè? *681.*
Refertur factum Angeli remunerantis recitationem factam tempore debito. Ibid.
Non probatur opinio Patris Dicastillo, absolventis ab omni peccato dicentem absque rationabili causa vesperas ante prandium. 683.
Refutatur novum dogma Leandri, negantis, mortaliter delinqui ab incipiente tam serò recitare Breviarium, ut non possit, nisi dimidiam partem, absolvere ante mediam noctem. 684. & 685.
An in Quadragesima tenearis vesperas dicere ante prandium? 687.
An liceat Horas dicere in loco sordido? 687.
Quæ observanda, quando quis orat solus? 688.
Qua voce tunc utendum? 690.
Quæ observabit orans cum socio? 691. & 692.
Declaratur casus ex Navarro. 693.
An obligatus voto, vel pœnitentiâ recitare officium defunctorum, aut Rosarium, licitè asciscat socium? *694.*
Quo situ corporis recitandum? 695.
De diminutione, & additione. 696.
Refutantur negantes, licere linguâ vulgari recitare Breviarium debitum ex voto, aut pœnitentia. 697.
Observanda peculiariter iis, qui in choro psallunt. 698.
An debeat haberi chorus, quando adsunt solùm tres Monachi, aut Canonici. Ibid.
Pœnitentia S. Aichardi ob neglectum semel chorum. 699.

Quid

Quid censendum de Canonicis in Germania negligentibus chorum? 700.
Quid iis, aut aliis recitandum, dum adsunt? 701. & 702.
Organœdus non debet repetere, quæ organo pulsavit. 704.
Quid ii, qui tunc occupantur negotio, spectante ad officium? 706.
Quid de notante absentes? 706.
Aut quærente lectiones, dum recitat unum psalmum? 707.
An celebrans Pontificaliter teneatur dicere eosdem Psalmos, quos Chorus? ibid.

664 QVæritur I. *Qua intentione, & attentione sit recitandum officium Canonicum?*

Respondeo, me duabus peculiaribus Disputationibus de utraque hac quæstione acturum inferiùs; hîc tamen repete singularem Casum, quem de dormitante retuli, *num. 276. & 277.* & cave, ne merearis illam auris vellicationem.

Quæritur II. *Quid circa ordinem & continuationem Horarum maximè sit sciendum?* Resp. seqq.

I. Non nisi culpæ venialis reus est, *per se loquendo*, qui unam Horam alteri præponit, contra ordinem præscriptum in Breviario. Omnes ferè contra Vasquez *De beneficiis cap. 4. §. 1. a. 1. num. 66.* constituentem mortale, quando illa inversio fit sæpe. Sed hunc rigorem non indicat ulla lex, aut consuetudo. Quin judice Escobar *in Summula*, ut alibi aliquoties vocat, *Theolog. Moral. Tract. 3. exam. 6. num. 60.* etiam à veniali excusat moderata, v. g. quando est tantùm unius Horarum antepositio, secùs, si plurium, absque causa rationabili; quòd si causa rationabilis adsit, aberit omne peccatum, ut si, nondum recitatâ Primâ, rogeris ab aliquo dicere cum eo Tertiam, aut etiam Vesperas, si quidem ille sit aut alicujus auctoritatis, Lessius *Lib. 2. de just. cap. 27, num. 80.* vel etiam amicus. Bonart *De Horis Canonicis Lib. 2. cap. 15.* Item si expectes majorem commoditatem alias horas recitandi. Idem subdens rectè, esse communem, quòd non peccet, qui non habens Breviarium admanum, recitat Psalmos Matutini, & Laudum, dilatis lectionibus; aut qui Nocturnum unum, vel Psalmos per inadvertentiam transiliit, & solùm post Laudes observat errorem; sufficiet enim, si post Primam, quam fortè tunc vult dicere, corrigat errorem, sicuti & tutò perges in Vesperis, si, dum cœpisti eas, recorderis, te necdum dixisse Nonam, quemadmodum, & quando veniens ad chorum cernis tuos fratres Chorales jam seu parùm, seu multùm progressos in aliqua hora, *licitè* perges cum illis suppleturus postea defectum. Laymann. *Lib. 4. Tract. 1. cap. 5. num. 7.*

665 *At, si quis absque causa pervertat ordinem psalmorum, aut lectionum?* Resp. Si pervertat miscendo partem unius Horæ cum alterius, poterit facilè contingere, ut faciat notabiliter aliud officium, quàm sit in toto Breviario, & sic peccet mortaliter. Bonart *loc. cit.* Si autem unum, aut plures Psalmos unius horæ confundat inter se, mutando solùm ordinem prioritatis, & posterioritatis, vix delinquet plus quàm venialiter. Pala. *Tr. 7. disp. 2 p. 4.*

II. Non plus quàm venialis, venialis tamen (juxta Suarez *Lib. 4. de Oratione cap. 24.* 668
Bonart. Pala. alios communiter, sed absque ratione convincente) culpæ reus est, qui absque ulla rationabili causa inchoat officium sequentis diei, nondum finito præcedentis. Poterit tamen facillimè reperiri causa rationabilis, & huc sufficiens, & generatim omnis, quæ sufficit ad excusandam inversionem *in præcedenti §.* explicatam, hâcque minor erit sufficiens.

III. Tametsi P. Azor *Part. 1. Lib. 10. cap. 8.* 667
testetur, omnes ad unum Canonistas, ac Theologos priores Dominico Soto, damnâsse peccati mortalis illum, qui absque rationabili causa postposuit Sacrificio recitationem Matutini, plerique tamen post, & cum Soto, meritò negant, solvente bene rationes Palao *cit. p. 4.* cum ne Venialis quidem culpa hîc intercedat *per se loquendo*, juxta Suarez *loc. cit. num. 6.* Corro & Leandrum *Disp. 4. quæst. 106.* sed tunc solùm, quando ita ferò sacrificas, ut si velis post tuum Sacrificium dicere Matutinum, sis istud inchoaturus elapso jam tempore ordinario. Quia tamen recitatio Ma- 668
tutini, præsertim de Sanctis, est optima præparatio ad Sacrum, & simul præservatio quædam ab errore quoad qualitatem Sacri; ideo censeo, non esse absque causa satis rationabili practicandam mitiorem sententiam. At revera nullum scrupulum habendum: etsi libere Prima postponatur Sacro, cùm nec umbra legis ullius persuadeat, hîc intervenire ullam culpam venialem moralem, ut voluêre Paludanus & S. Antoninus, apud Suarez *cit. cap. 24.* Religiosi Mendicantes, dum iter agunt, liberè dicent Matutinum post Sacrum, propter privilegium Apostolicum.

IV. Horæ Canonicæ sunt recitandæ conti- 669
nuæ; ita scilicet, ut una cœpta dicatur usque ad finem, sine interruptione notabili. Est enim quædam species irreverentiæ cœptum colloquium cum Deo notabiliter interrumpere absq; justa causa; adeóque veniale delictum, non tamen mortale, etiamsi interruptio sit valde magna. Sanch. *Consil. Moral. Lib. 7. cap. 2. dub. 19.* Lessius *De just. Lib. 2. cap. 37. num. 57.* Laymann. *Lib. 4. Tract. 2. cap. 5.* Diana *Part. 2. Tract. 12. Res. 4.* cum plerisque contra Vasquez; nec enim ulla Lex *naturalis*, aut *Ecclesiastica* prohibet tam severè hanc interruptionem, imò nec ullo modo eam, quæ est brevis, quia tunc pro nihilo computatur. Suarez *cap. 24.*

670 At *dum interrupi, statui firmiter in animo, inchoare de novo.* Ergo nisi inchoës de novo, contrahes noxam mortiferam, judicibus Navarro, Azorio, Reginaldo, *Cap. 18. num. 162.* non nisi venialem, arbitro Sanchez, Lessio, Laymanno, aliis; & rectè. Etenim mutatio meri propositi, facti de re *per se* non obligante graviter, nunquam est mortaliter mala, ut liquet innumeris instantiis in omni genere virtutum & vitiorum; sive tamen formatum fuerit illud propositum, sive non formatum, & facta notabilis interruptio, etiam cum justa causa, decet, ut de novo inchoëtur aut ille Nocturnus, in quo ea contigit, aut saltem psalmus, seu lectio, quorum alterutrum interrupisti. Layman. *loc. cit.*

671 Justa autem causa interrumpendi est in primis, si quid facias ad tollendam distractionem, aut si quid interiùs faciat te inquietum, seu solicitum, ideóque notes breviter in charta, mandes famulo, &c. Suarez *cit. Cap. 24. in fine.* Item, si ad manus non habeas Lectiones, sed solos psalmos, & interim suppetat justa causa recitandi matutinum, poteris differre lectiones, & quidem ad 10. horas, teste Quintana devenâ *Singul. Tract. 8. singul. 3.* Item si in confessionali exspectes otiosus pœnitentes; quidni enim interea *licitè* incipias Matutinum, esto minimè dubius, te aliquoties interpellatum iri?

672 V. Ut verò Laudes separes à Matutino *licitè*, non exigitur ulla peculiaris causa honesta, Sanchez *Dub. 20.* Bonartius *Cap. 18.* Tannerus *Tom. 3. d. 5. q 1. n. 156.* volens, hoc haberi pro certo, contra Azor, *Cap. 8. quæst. 4.* Etenim hæc separatio erat olim frequentissima, nec ulla nova lex, aut consuetudo contraria interea id vetuit. Et quando hæc separatio fit in Nocte Natalis Christi, dicenda est in fine tertii Nocturni oratio diei; sic enim præscribit Rubrica propria illius sacratissimæ noctis; aliis verò diebus dicendam esse, negat Sanchez *loc. cit.* Azor *loc. cit.* Bonacina *De Horis Canon. d. 1, quæst. 3. punct. 3.* multi alii, contra Gavant. *in Rubr. Breviarii Sect. 4. cap. 2.* Dianam *Part. 5. Tract. 14. Resol. 48.* alios, siquidem nulla lex
673 mandat illam recitationem. Quando autem inchoantur Laudes separatæ à matutino, præmittendum esse Pater & Ave, nescio qui neget præter Azorium *loc. cit.* scio verò, asseri a Gavanto, Bonartio, Tannero *ll. cc.* Navarro, Francolino, aliis apud ipsos.

APPENDICULA.

DIxi suprà *num. 669.* vacare culpâ mortali, etsi absque rationabili causa fiat longa interruptio unius ejusdémque horæ Canonicæ, quæsivit postmodum non nemo: *An id sit verum, licet quis Matutinum officii ferialis ita interrumpat, ut hodie post quartam à meridie recitet dimidiam partem talis matutini, cras ante meridiem alteram dimidiam partem?* Respondi *affirmativè*, quia utraque ratio, qua Lessius *ibid.* à me relatus excusat *num. 58.* à mortali etiam magnam intermissionem, huc valet, quia scilicet, interrumpens nihil facit contra substantiam Breviarii, & ex partibus etiam temporejunctis potest constitui una oratio, unum officium Divinum, sicut ex omnibus horis unum constituitur officium Divinum, & ex multis (etiam nocte) interruptis confessionibus una confessio; & præmiserat *num. 57.* aliam rationem, quòd scilicet singuli psalmi & propè singuli versiculi contineant perfectam, atque ab aliis independentem sententiam. Consentit Sanch. *Consil. Moral. Lib. 7. cap. 2. cit. dub. 19. num. 6. absolutè* negans, requiri (sub mortali) continuationem, & præmittens *num. 5.* quòd intentio recitandi postea reliquum intra tempus præscriptum, jam faciat *moralem* continuationem. Loquitur quidem Sanchez de die *Eodem*, sed per diem *Eundem* intelligit illud totum spatium, intra quod debet, & potest satisfieri præcepto.

VI. Separatio unius Nocturni ab altero, etiam fine causa, non continet ullam culpam, 674
juxta Lezanam *Summ. Tom. 1, cap. 12. num. 16.* vel non nisi venialem. Bonart. *loc. cit.* post Navarrum, Azorium, Reginald etiamsi fiat per 30. ferè horas, dummodo infra unum diem Naturalem recitetur totum Breviarium, Quintana dven. *cit. Tract. 8. singul. 2.* Nec exigitur gravis ratio ad tollendam omnem culpam separationis factæ, per dimidiam circiter horam, quæ elapsâ, si dicas alterum Nocturnum, non necessariò præmittes Pater, & Ave, sicut nec necessariò finisti priorem Nocturnum, adjiciendo has duas precationes. Azor *loc. cit.* contra Reginald. *n. 164.* qui tamen bene notat, quando ex voto, vel pœnitentia volvis globulos 675
Marianos, *licitè* fieri unius decadis separationem ab alia, si suffragetur aliqua (dico ego minima) causa.

VII. Interruptio per somnolentiam est uti- 676
que culpabilis, de qua quidem sic loquitur Sanchez *cit. Cap. 2. dub. 33.* Qui vexatur à somno, sed adeò resistit, ut pronuntiet Horas suas, vel audiat Sacrum, eâ attentione, quòd saltem videt, quòd non omittit dicere, vel audire aliquod verbum, licèt propter gravitatem, vel molestiam somni non attendat ad significationem, vel ad aliam meditationem, non peccat saltem mortaliter, quia sic habet attentionem necessariam; secùs, si dormiat per notabilem partem Horæ, aut si recumbat in lecto, ad recitandum eo tempore, & iis circumstantiis, ut probabiliter attentâ fragilitate suâ, & dormiendi consuetudine, credere possit, se dormiturum, & omissurum id, ad quod tenetur. Ratio, quia exposuit se probabilissimo omittendi periculo; sic Navarrus, *Cap. Quando cap. 9. num. 7.*

Repete Casum de Ludovico Granatensi descriptum suprà *Casu XI. num. 272.* & de Monacho dormitante, castigatóque à Crucifixo *ibid. n. 284.*

677 Quæritur III. *Quo tempore, & loco sint recitandæ Horæ?* Resp. 1. Secundùm antiquam consuetudinem oportet Matutinum recitare, circa mediam noctem; Laudes sub Auroram: Primam ad ortum solis, Tertiam, in puncto medio inter ortum solis & meridiem, Sextam ipso meridie, Nonam in puncto medio inter meridiem, & occubitum solis, Vesperas ad solis occasum, Completorium sub Nocturnum. Crepusculum, ut indicant Hymni Horarum singularum, atque inter reliquos declarat Layman. *cit. Tract. 1. cap. 3.* exprimente P. Dominico Bisselio in *Idea Boni Prælati*, seu Vita Domini Alani *Lib. 1. cap. 10.* etiamnum in quibusdam Ecclesiis etiam sæcularibus, nominatim in Metropolitana Parisiensi inviolabiliter observari, ut Matutinum cantetur mediâ nocte.

678 Quamvis ex DD. consensu sit optimum consilium, quantum fieri potest, observare ad unguem tempora orandi statuta ab Ecclesia, nunc tamen fas est cuilibet, Nocturnos & Laudes dicere pridie, etiamsi non adsit peculiaris causa. Suarez *cit. Lib. 4. cap 27. n 14.* Lessius *Cap. 37. n. 79.* Laymann. *cit. Cap. 3 n 7.* atque alii passim; quia scilicet hoc facitant sine omni scrupulo passim piissimi sacerdotes etiam læculares, nedum Regulares privilegiati.

679 At, *quanam horâ præcedentis diei fas est prævenire?* Quintanadvennas *Singul. Tract. 8. singul. 2.* testatur, esse certum, quòd non peccet mortaliter, qui incipit statim secundâ horâ post meridiem, cùm tamen Escobar *Tract. 5. exam. 6. n. 60.* talem damnet peccati lethalis; sed à mortali excusant Sanch. *loc. cit. dub. 37.* Tambur. *in decalog. Lib 2. § 5. n. 3.* Diana *Part. 4. Tract. 4. Res. 5.* referens Martin. Ledesmam, Fabrum, & Molfesium, imò etiam à veniali Neusser *Disp. 9. n. 4.* testans, ita præscripsisse consuetudinem, Leander *Disp. 4. quæst. 93.* citans permultos Recentiores, consentiente à fortiori Josepho Angles, utpote qui apud Tamburinum permittit etiam in hieme inchoari tribus horis ante occasum solis; occidit autem apud nos Germanos sol in hiberno solstitio 4. horis post meridiem. Ethanc sententiam pro probabili habet Tamburinus, pro qua habeo quoque Sanchezianam, propter tantam auctoritatem, nec dubitarem sequi pridie Festi, quo essent mihi excipiendæ confessiones ab hora tertia us-
680 que ad cœnam. Idem Escobar venialis culpæ reum agit, inchoantem citra justam causam mediâ tertiâ, nullius, qui tertiâ, quod secundum etiam sentit Bonartius *Cap. 3. n 23.* æquè ac Tamburinus allegans Fontanum, & ego sentio de tempore hiberno, id est, ab æquinoctio autumnali ad vernum cum Sanch. & Tannero *cit. To. 3. d. 5. q. 1. n. 165.* etsi non adsit causa rationabilis, nam tunc sol est jam propinquior occasui, quàm meridiei in æstate; at ab æquinoctio verno ad autumnale quævis rationabilis causa præbet, me judice, causam sufficientem inchoandi horâ tertiâ, cùm enim tanta auctoritas probet, vel nullum, vel non nisi veniale peccatum admitti recitando tunc, quelibet causa non imprudens, adeóque major commoditas, tollet omne peccatum coram Deo, præsertim cùm videatur patrocinari consuetudo. Consentit Tambur. *n. 6.* meritò *n. 3.* dissentiens à quodam, rato posse statim fieri post meridiem id ipsum.

III. P. Bonartius *loc. cit.* testis est, esse com- 681
munem sensum, quòd quælibet causa honesta, vel utilis, ut est, major devotio, major commoditas studendi, excusereteam à veniali dicentem manè uno tractu à Prima ad Nonam *inclusivè*. Nos tamen pro majore securitate fruimur privilegio Apostolico, expresso his verbis: *Ratione itineris, aut alterius occupationis, quando creditur, quòd cum majore devotione dicetur divinum officium, potest illud à nostris recitari manè totum usque ad Completorium.*

Cæterùm, quia duo gravissimi Canonistæ Joannes Andreas, & Abbas Panormitanus *in Cap. 1. De celebr. Miss.* judicârunt, fore suis lectoribus jucundum, & utile, cognoscere ex cœlesti prodigio, quàm sit Deo, ac Cœlitibus gratum, quando Horæ Canonicæ recitantur temporibus à jure, vel consuetudine legitima præscriptis, refero hîc illud prodigium in mei quoque lectoris gratiam. Est autem id, quod exhibet hoc

Angelicum Ministerium.

Ministerium, inquam, Angeli, qui, referente illo utroque Canonista, sanctum quendam Eremitam, cibis deficientibus alebat; & tempore uvarum ipsi quandoque marcidas (utor verbis Panormitani) *portabat. Interrogatus Angelus ab Eremita, quæ sit tanta diversitatis causa? Respondit Angelus, quod bonas portabat tempore, quo dicebat officium horis competentibus, agrestes verò, quando anticipabat horam dicendi officium, marcidas quando differebat ultra debitam horam: & hoc ideo, quia Eremita non occupatur aliis exterioribus.* Hactenus Abbas.

IV. Etsi venialiter ex communi omnium, 682
quos hactenus citavi, sensu peccet, qui absque rationabili causa Vesperas recitat ante meridiem, non tamen tenetur repetere post prandium. Bonac. *De Horis Canon. d. 1. q. 3. num. 6.* Lugo *De Eucharistia disp. 16. num. 80.* nec enim Ecclesia obligat ad eandem Horam bis in die.

Ad-

683 Adfert quidem P. Dicast. *De Euchar. Tract. 4. d. 10. n. 160.* novum & subtile Argumentum ad probandum, ne venialiter quidem delinqui, dicendo illas pro mero libitu ante prandium: sed ad illud sufficienter respondi *in Quinarii Tract. 5.* seu *in Theol. Jurid. Moral. cap. 45. n. 55. & seqq.* ubi licèt eundem Dicastillo tacito nomine, (eò quòd, quando librum illum parabam alteri (tertia jam cœpta est) editioni, nondum videram ipsius Tomum de Eucharistia) referam, asserámque, illum sibi, & quibusdam aliis persuasisse, non delinqui per illam ante meridianam recitationem, in *citato* autem *n. 60.* exprimat, se nihil velle illic definire; nihilominus verum est, ipsum privatim ita sensisse, & locutum esse. Porrò *eod. Cap 45. num. 48.* & *seqq.* resolvo illam *practicam* quæstionem: *An prævidens, se probabiliter in aliquo convivio tam largiter bibiturum, ut non sit idoneus mansurus ad Vesperas, & Completorium persolvendum, possit, aut etiam teneatur persolvere, antequam adeat illud periculosum epulum*, sicut & *Sect. seqq.* dicam generatim: *Vtrùm prævidens, se impediendum, ne recitet tempore legitimo, teneatur prævenire?*

684 Hîc autem refero id, pro quo, tanquam pro aris, & focis decertat contra antagonistam Martinum de Prado Leander. *Quæst. Moral. Part. 1. & in ordin. 6. Tract. 8. disp. 4. quæst. 109. Virùm scilicet præceptum recitandi adimpleat is, qui incipit hodiernum officium recitare paulò ante mediam noctem diei sequentis, si ipsum absque interruptione prosequatur post mediam noctem?* Ad quam quæstionem his verbis propositam respondet contra Pradum Leander, non esse improbabile, sed probabilissimum, quòd satisfaciat, si videlicet paulò ante mediam noctem incipiat, & sine interruptione recitando post illam finiat. Suum responsum esse probabilissimum, non probat; esse autem non improbabile, inde infert, quòd Basilius Pontius *in Tr. De Horis Canonicis Cap. 2.* itémque Franciscus à S. Juliano, & Luysius à Conceptione etiam in MM. SS. id tradiderint, ac defenderint; atqui unius Doctoris authoritas, præsertim Basilii Pontii, sufficit ad improbabilitatem tollendam, & gignendam probabilitatem alicui sententiæ, quantumvis hæc sit contra communem. Infert inde 2. quòd ea opinio non carent rationibus, quarum octo non contemnendas adferri à se *in 2. Part* suarum quæstionum, qua careo, scribit; colligo autem ex replicis adversùs argumenta, quibus Pradus impugnaverat ejusdem fundamenta, basin hujus inauditæ anteà opinionis esse hanc, quòd satisfaciat, qui actionem constantem diversis partibus successivis inchoat tempore habili, seu statuto, permissóve à Lege, ejúsque partes aliquas explet intra terminos temporis habilis, esto reliquas perficiat tempore inhabili, seu tali, quo lex nullo modo permittit inchoationem illarum; quia igitur dimidia hora ante punctum mediæ noctis, dividentis diem Solis à Lunæ, tempus est habile ad inchoandum officium Dominicale, id quippe lex permittit saltem in necessitate, potéstque totum Matutinum illud dici ante finem diei Dominici, seu duodecimam: omnes autem Horæ sequentes efficiunt cum matutino unum totum integrale, ut vidimus suprà *num. 557.* si continuò pergatur in horis sequentibus, poterit dici, non esse inchoatas post duodecimam, sed mediâ duodecimâ, quandoquidem Matutino, cum quo faciunt unum totum, fuit sub id temporis datum initium.

Verùm hæ rationes non persuadent mihi ul- 685
lam probabilitatem *practicam*. Nec enim unquam credam, esse etiam *extrinsecè* probabilem duorum, vel trium Doctorum opinionem typis non editam de re gravissima simul, & quotidiani, atque à Lege humana pendentis usûs, si ea repugnet judicio, & praxi omnium Superiorum, Confessariorum pœnitentium, & cæterorum Doctorum. Etenim tale commune judicium, talísque praxis est irrefragabili argumento, legem illam esse inductam, conservatam aliter, quàm interpretentur illi duo, vel tres Doctores inediti, & fortè non ausi in lucem producere suas exoticas speculationes, ac nominatim, quando fundamentum illius opinionis est debilissimum, sicuti est, quod produxi ex Leandro, & probo ad oculum, ni fallor. Constat enim, esse multò certius apud Theologos, imò omnes prudentes, unam unicam cœnam confici ex primis, mediis, ultimis eduliis continuò sumptis, quàm ex recitatione omnium septem, vel octo Horarum Canonicarum conflari unicam orationem Canonicam, alioqui non tam multi statuerent septem peccata mortalia in neglectu totius pensi unius diei, & tamen nemo unus dicet, sumptionem postremi cibi comesi dimidiâ horâ post mediam noctem terminativam diei Jovis esse *moraliter*, seu sine ullo piaculo inchoatam integrâ, aut dimidiâ horâ ante mediam noctem, si fortè cœnam quis fuit tunc auspicatus cum animo non cessandi, donec in suum abdomen abderet postremum illud è carnibus ferculum, ut videre est apud P. Tamburinum post hæc scripta lectum à me, *in Decal. lib. 4. cap. 5. §. 5. num. 7.* quantò minùs est id, quod vult Leander, pronuntiandum de Completorio diei Jovis e. g. recitato primùm dimidiâ horâ, aut etiam integrâ, imò plusquàm integrâ, (etenim si fas est, inchoationem Matutini differre ad mediam duodecimam noctis, erit etiam fas, differre usque ad dimidium quadrantem ante duodecimam) horâ post mediam noctem? quandoquidem tam multi DD. damnant, ut dixi, de octo, vel septem peccatis mortalibus omittentem, vel semel tantùm breviarium, nullus nisi de uno vescentem indie prohibito septem, vel octo cibis interdictis.

686 Nec infringitur vis argumenti, si replices, esum carnium esse certò ab Ecclesia interdictum post mediam noctem terminativam diei Jovis, non autem recitationem officii illius ipsius feriæ quintæ. Respondeo enim I. Esse quidem certò interdictum illum esum, at ex sententia, & fundamento Leandri sequi, quòd sit permissus in casu à nobis posito. 2. Sicuti omnes sapientes fatentur, comestionem carnium esse vetitam etiam tunc, quando fit ad complendam cœnam *licitam*, ita etiam fuit hactenus creditum, nefas esse, post duodecimam noctis interjectæ inter ferias quintam, ac sextam legere psalmos feriæ quintæ, eâ mente, ut verè satisfiat Legi de recitandis illis feria quintâ.

687 Constat 2. Minimè satisfacturum suo debito, qui vellet substantiam præcepti de officio diei e. g. Sabbatini explere die Solis post duas, aut tres horas à media nocte finiendo tunc Matutinum, aut Vesperas, vel Completorium; atqui sequitur ex sententia Leandri, quam impugnamus, juncta aliis ejus principiis, revera tunc expletum iri illam substantiam, siquidem hic eruditus Doctor, in primis constanter, ut vidimus, negat, mutationem unius officii in alterum esse vetitum sub mortali; deindè idem ipse rectissimè absolvit à lethali recitantem horas canonicas dicendo histeron proteron, seu præposterè, scilicet quamlibet cuilibet præferendo. Ponamus ergò unum è novis clericis, qui propter imperitiam, alium, qui propter vitium linguæ, aut oculorum, debet impendere (ut sanè reperire est tales) duas, trésve horas suo penso integrè explendo, nònne si hic Matutinum inchoet quadrante ante mediam noctem, veniet ad: *Visita quæsumus* sub horam secundam, aut tertiam sequentis diei? Imò veniet tunc ad: *Te Deum Laudamus*, si omnes parvas horas, ut non debuit, Matutinales, psalmos, ut debuit, præmisit Laudibus? quid si unus illorum Monachorum & Monialium, qui, ut cum piissimo Thoma de Kempis *Lib. 1. De imit. Christi c. fin.* loquar, *omni* (mediâ) *nocte ad psallendum Domino assurgunt*, ex causa non omnino sufficiente distulit totum officium diei sabbatini in mediam propè noctem, ac dicat apud se: non est mortale, mutare unum officium in aliud; ergo si *immediatè* post mediam noctem cecinero cum meis fratribus Matutinum diei Dominicæ solitum durare duas, imò tres solidas horas, loco sabbatini, ero expers noxæ lethalis, igitur, antequam sonet duodecima, recitabo Completorium commune utriusque diei, deinde post Matutinum dicam *immediatè*, & seorsim reliquas quinque horas, futurus immunis à reatu gehennæ, licèt sim vesperis, adeóque toti officio impositurus finem sub tertiam, vel quartam horam à media nocte; iis finitis, illas ipsas numero horas, quas cantavi, aut legi ad faciendum satis substantiæ diei sabbatini, repetam partim in mea cella, partim in choro, ut ne quidem venialiter peccem contra religionem diei Dominici. An non hi duo effugient reatum criminis mortiferi, etsi crebrò hæc factitent? at quis unquam talia fando audiit? Nemo sanè; licebit tamen & facere, & audire, si opinio Leandri reperiat sectatores *in speculatione & praxi*. Equidem, si non consuevissem abstinere gravi censura opinionum, etiam extremè adversantium meis impressionibus, scriberem, verendum esse, ne Vaticanum cœlum vibret aliquando in hanc novam, inauditam sententiam, etsi à viro doctissimo tam operosè propugnatam, tale fulmen, quale in eam, quæ est xxxv. inter damnatas ab Alexandro VII. comprehensa his verbis. *Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.* Enimvero si dogma Leandri est probabile, est quoque probabilis (abstrahendo à sapientissima censura Pontificis) illa trigesima quinta opinio tradita, defensa à Caramuele *in Theolog. Regular. Disp. 114. art. 2.* quòd tamen non est dicendum.

V. Sabbato ante dominicam primam Quadragesimæ, fas quidem est, Vesperas dicere ante prandium privatim, at non est necesse; nam Rubrica, & *Cap. Solent, De consecr. dist. 1.* si quam continet præceptionem, tangit ea solum chorum. Bonart. *loc. cit. num. 29.* & Escobar *n. 70.* 688

VI. Ad circumstantiam temporis referri potest circumstantia illius, quo quis horas recitat; dum interest Sacro, adeóque hîc quæri, an sit permissum, dicere memoriter, aut etiam legere Horas sub Sacro; sed jam respondi *affirmativè Casu IX.*

VII. Quivis honestus locus est aptus recitationi Horarum, modò non sit expositus distractionibus. Imò etiam à veniali contra Sotum, *Lib. 10. De justit. quæst. 5. art. 4. in fin.* Navarr. *De Orat. cap. 5. dist. 4.* Palaum *cit. Tract. 7. disp. 2. punct. 4. num. 7.* Bonacinam *l. c. n. 6.* excusant. Sanch. *cit. Cap. 2. dub. 44.* Josephus Angles apud ipsum, & apud Dianam *Part. 10. Tract. 11. Res. 33.* Trullenck, Caramuel, alii illum, qui in locis immundis, & dum dejicit alvum, vacat huic sanctæ actioni. Tamburinus *in Decal. l. 2. c. 5. §. 6. num. 2.* sic loquitur: Si locus ejusmodi sordidus, sine delectu, eligatur ad Horas recitandas, aliásve preces, cùm possit mundior eligi, aliquam irreverentiam committi, probabile est; at si semel casu, vel ex aliqua occasione in loco immundo reperiaris, orato libenter, quia etiam in loco sordido orare, est melius, quàm otiosum esse. Molfesius refert quendam, qui in locis immundis orabat officium, in iisdem post mortem luisse pœnas. Meritò; is enim non ex amore non cessandi à Dei laudibus in quocunque loco, sed fortâsse temere, & sine delectu, cùm alibi facilè potuisset, locis sordidis Sacrum pensum persolvebat. Ita Tamburinus; qui tamen non arguisset peccati Zephyrinum nostrum, qui dum pergit ad talem locum, recitat, sine cujusquam scandalo, preces seu arbitrarias, seu etiam præscriptas; at verò laudâsset recitantem aliâ potiùs occasione præscriptas.

689 Quæritur IV. *Quæ observanda, quando quis solus, aut cum socio orat?*

Resp. I. Quando solus oras, aut cum socio, debes non solâ mente, sed etiam voce efferre etiam illa, quæ in Breviario jubentur secretò dici. Sanchez *cit. Lib. 7. cap. 2. dub. 8.* testans, omnes ita sentire contra Navarrum, *De Orat. cap. 19. num. 87.* ratum, contrarium non esse improbabile. Ratio est, quia in Concil. Basil. *Sess. 21. §. 2. absolutè* decernitur, ut Horæ recitentur *non in gutture, nec inter dentes.* Et Diana *Part. 10. Tract. 11. Res. 1.* post Garciam, & Pellizarium, fusè dissentit à Joan. Crucio, Sanctorio, Persico, & Tamburino, docentibus, esse aliam rationem de Regularibus, ob privilegium datum Minoribus à Leone X. Sed quidquid sit de aliis, nostra Societas non utitur tali privilegio.

690 II. Quando solus recitas, non obligaris tam altâ voce loqui, ut circumstantes possint te audire. Sanchez *Cap. 7.* & alii communiter contra Joannem Medinam, & Valentiam; id quippe nulla lex præcipit. Probabiliùs censet idem Suarez *num. 6.* cum multis, ita altè esse proferenda verba, ut possis ipse ea audire, si te non impediat surditas, aut tumultus; etsi non improbabiliter sentiunt Leander, Caramuel, Bassæus, Baldellus apud eundem Dianam *cit. Tr. 11. Res. 33.* itémque Azor *Part. 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 4.* Laymannus *Cap. 5. num. 6.* ac Tannerus *cit. quæst. 1. num. 150.* Alloza *in Flor. V. Horæ num. 19.* sufficere in rigore, ut quocunque minimo sono, seu voce, absque syllabarum confusione, seu corruptione verba distinctè pronunties, nam revera nequit exhiberi Lex requirens clariorem locutionem; quamvis nollem absque aliqua necessitate sequi hanc opinionem, utpote quæ minùs facit ad devotionem.

691 III. Quando oras cum socio, nil tibi obest, licèt ipse nec attendat, nec habeat intentionem orandi, nec ipse te audiat; obest autem ipsi, si ipse etiam obligatus ad Horas, velit tunc satisfacere suo officio; etenim orans ex obligatione cum alio tenetur audire, vel proferre omnia, sicut & omnia, quæ jubentur dici voce submissâ. Bonart. *Cap. 22.* ex communi, addente Tamburino *cit. Cap. 5. §. 4. num. 9.* ex probabili sententia non satisfacere, qui non attendit ad ea, quæ profert socius, idque etiam in sententia negantium necessitatem attentionis in recitante; nam qui recitat, habet necessariò attentionem ad verba, quæ ipse profert, qui verò est distractus alio recitante, non attendit, sed solùm assistit; atqui assistentia non sufficit hîc, sicut in Sacro. Verùm, quia omnis, qui audit, etiam aliquo modo attendit, idcirco contraria opinio non caret omni probabilitate, teste Tamburino. Vide Caramuelem *in Theolog. Fundament. n. 1097.* distinguentem inter audientem, & auscultantem, etenim *auscultare* cum accusativo significat *audire, & diligenter attendere*, inquit Calepinus. Lectiones omnes poterit unus recitare, vel alterare; poterunt 4. aut 6. tecum orare, sed non faciendo nisi duos choros, obstat quippe consuetudo. Tamburinus *cit. Cap. 5. §. 4. num. 23.* reprehendens tres, qui recitabant Tertiatim; sicut etiam reprehendit Diana *Part. 9. Tract. 7. Res. 38.* dissentiens præterea à Pellizario, rato, satisfacere obligationi divini officii Religiosum, qui per se solùm recitat omnes Psalmos officii novem lectionum, & postea ab alio ad hoc evocato audit omnes 9. lectiones. Addit idem Diana, nec satisfacere illum, qui mediam partem Matutini recitat, & alteram mediam audit à socio, sicut nec qui totum Matutinum, & Laudes dicit solus, at reliquas Horas audit à socio. Quin nec ille, teste Diana, satisfacit, qui recitando e. g. Vesperas, dicit integrum psalmum, & socius etiam integrum; quia scilicet usus Ecclesiæ id non permittit. Ego in tantis rebus novitatem, ac singularitatem non probo.

Quòd si quædam verba à socio tuo prolata non intellexisti, vel ob strepitum, vel ob ejus quoddam vitium linguæ, vel ob tuam distractionem solùm venialiter culpabilem, non est opus, ut quid repetas, vel repeti facias. Bonart. *Lib. 3. cap. 25. num. 4.* Nam lex, quæ hoc imperaret, nimis multos scrupulos induceret, ad quos amovendos habemus privilegium. Consentit Stephanus à S. Paulo §. 5. me describens. Imò Tamb. *loc. cit. num. 12.* contra Palaum *Tract. 2. disp. 3. punct. 4.* ita loquitur: Sine hæsitatione pronuntio, te satisfacere, si attendas, quantum *moraliter* vales, licèt propter socii, Choríve culpam, nihil ex iis percipias, quia tunc per recitationem tuæ partis, additâ assistentiâ ad socium, additâque hac tuâ attentione, pro aliâ parte, satis tibi communem in re *morali* facis eam socii orationem. Ita ille; unde *num. 13.* infert, surdastrum etiam satisfacere, etsi nihil percipiat, modò, quantum potest, attendat, at non satisfacere, omnino surdum, talis quippe censetur non interesse recitationi, seu locutioni aliorum, cùm nihil omnino possit audire. Denique peccat mortalis te damnabit communis sententia, si inchoës versus, antequam socius finiverit suos; si videlicet in unâ Hora valde notabiliter exeres.

At quì, vel quid consulendum illi, quem exhibet hîc

Casus Navarræus?

692 *Casus, in quem, unius ex amicis Martini Navarri, qui serviens Prælato balbutien-*

ii, & notabiliter anticipanti versus Breviarii, reciebat cum eo, nec tamen monebat suum Dominum.

Respondet Navarrus *in Man. cap. 25. n. 99.* debuisse facere, quod reipsa faciebat, id est, juvare quidem suum Prælatum, cùm nequiret detrectare hoc ministerium, sed cum proposito iterum bene recitandi. Quod intellige de notabiliter ita errante in una Hora, non, si in singulis non nisi sex, octo, aut decem tales errores committantur.

694 IV. Quòd si voto, aut pœnitentiâ tenearis recitare Rosarium, vel Officium defunctorum, non delinques assumendo socium, orantem alternatim. Bonart. & alii communiter contra Palaum, *Tract. 15. disp. 12. n. 5.* cui assentitur Tamburinus *Lib. 3. in Decalog. cap. 15. §. 6. n. 5.* quoad loca, quibus non solet alternatim recitari. Ego cum Bonacina *Disp. 4. De Leg. q. 2. p. 6. n. 27.* & Azorio *Part. 1. lib. 10. cap. 7. q. 10.* nihil limito; sufficit enim conformitas cum Ecclesia. Tamburinus cum communi contra Palaum.

695 Quæritur V. *De situ corporis inter orandum.* Resp. Privatim observa illum, qui magis deservit devotioni; publicè, qui ædificationi, in Choro, qui Rubricis. Quamquam Suarez *cit. Lib. 4. cap. 27. n. 2.* & maximè Bonartius *Lib. 3. cap. 28. n. 14.* negant, Rubricas de genuflexione & statione loquentes, obligare ad ullam culpam. Idem negat Navarrus *De Orat. cap. 4. n. 8. & 17.* eúmque secutus Zerola *Verb. Horæ n. 4.* observat verò Tamb. *loc. cit.* posse delinqui venialiter per situm, quando est immodesta compositio corporis.

696 Quæritur VI. *De diminutione, additione, idiomate Breviarii.* Resp. Nihil licere minuere, patet ex dictis *n. 608.* de integritate, sicut & S. Pius V. vetat omnem additionem, quæ scilicet fiat rei alicujus tanquam partis officii; addere autem aliquid concomitanter e. g. aliquam orationem post singulos Nocturnos, in fine unius Horæ, vacat omni culpâ. Suarez *Cap. 23.* Bonart. *De Horis canon. Disp. 1. q. 3. p. 1. n. 21.* Et quidni laudandus sis, si imitatus S. Franciscum Xaverium, præmittas singulis Horis hymnum: *Veni Creator Spiritus?*

At an etiam, imitandus ille *magnus servus Dei*, ut habet frons Vitæ ejus noster, inquam, P. Julius Mancinellus, multitudine miraculorum, & vaticiniorum clarissimus? Qui, ut in illius ipsius Vitæ *Lib 3. cap. 2.* legere est *longo annorum decursu perseveravit quotidie in fine cujusque horæ in adjiciendis certis orationibus, quibus annexæ sunt Indulgentiæ pro piis manibus?* Respond. Æque tutò imitaberis subjicientem singulis Horis unam aut plures precatiunculas, ac S. Xaverium singulis, ut dixi, præmittentem Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, dummodo non addas tanquam partem.

697 Est verò perinde, seu Græco; seu Hebraico idiomate utaris. Escobar *Tract. 5. exam. 6. n. 70.* Bonacina *cit. p. 1. n. 15.* Tamburinus fusè *Lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 2. num. 15.* contra Palaum *Tract. 7. d. 2. p. 2. num. 14.* limitans tamen ad casum, quo adest causa honesta ut si ita recites studio magis exercendæ hujus linguæ. Ratio est, quia hæ duæ linguæ unà cum latina admittuntur in Sacris ab Ecclesia Romana. At verò negant ipsimet Tambur. & Escobar cum aliis, fas esse recitare linguâ vulgari, adeò ut Tamburinus *n. 18.* pronuntiet, nullum posse putare rationabiliter, quòd satisfaciat voto, aut Pœnitentiæ, orando Italicè, Germanicè psalmos. Sed pace tanti viri dico, absque dubio rectè facere confessarium, qui Moniali, aut alteri mulieri, vel viro imperitis linguæ latinæ injungit (si mereantur) recitationem Germanicam psalmorum Pœnitentialium, officii B. Virginis, Litaniarum quarumcunque approbatarum, aliarum pecum, quarum sunt periti, & mirarentur nostri Teutones, si quis hoc vocaret in dubium. Ergo etiam si cui facerdoti injungeretur pro pœnitentia dicere has preces, posset absque scrupulo eas recitare linguâ vulgari, etenim utimur in Germania libere Germanicis officiis Beatæ Virginis, &c.

Quæritur VII. *Quænam particulatim observanda sint iis, qui tenentur psallere in choro?*

Resp. I. Quæ in præcedentibus diximus, esse peccata venialia, possunt facilè evadere in choro mortalia, ob graves perturbationes. Porrò ad chorum, *per se loquendo*, obligati sunt tum Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarúmque beneficiarii. *Clem. 1. De celebr. Miss.* tum omnes clerici Religionum professorum chorum. Suprà *n. 580. & seqq.* 698

II. Etsi ex jure *cit. Clementinæ 1.* Breviarium fit quotidie psallendum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ac Regularibus, quarum omnes clerici sunt professi, tamen ubi sunt, fuerúntque semper proventus tenues, excusantur Collegiatæ Ecclesiæ ex consuetudine, dicendo tantùm Missam majorem, & vesperas in choro; quia ex rationabili Prælatorum conniventia derogatum est juri communi. Cajetan. *Verb. Horæ. num. 4.* Bonart. *Lib. 2. cap. 1.* Imò visuntur plures Collegiatæ, in quibus nullæ vesperæ canuntur nisi festis, professis, Octavis.

Quòd si in aliquo Monasterio non sint saltem quatuor Religiosi, non incumbit eis obligatio chori, judice Leandro *Disp. 6 quæst. 11.* post P. Tambur. contra Naldum, subdente tamen *q. 12.* cum eodem Tambur. contra nonnullos, sufficere, si quaternarius numerus conficiatur ex Novitiis. Canonicos quod attinet, Marchinus apud Leandrum *q. 30.* etiam liberat eos choro, si non sint saltem quatuor, qui in choro assistere possint, quo casu eximit eos quidem à cantu, at non ab assistentia in choro, & recitatione facta altâ voce. Leander *ibidem*; at P. Tamburinus *Lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. num. 12.* ne quidem à cantu vult eos tunc esse eximios. Cathedrales Ecclesiæ in Germania, sicuficuti & insigniores è Collegiatis, solent esse instructæ tot Capellanis obeuntibus vices Canonicorum, ut in iis non sit timendum, ne pauciores, quàm quatuor tam ex Canonicis, quàm ex Capellanis adsint. At idem casus evenit sæpe in Collegiatis vulgaribus, in quibus quidem viget mos valde diversus. An ubique excusabilis? cognoscetur, quando standum erit coram tribunali divino, & piis fundatoribus.

699 Interim nonnullis haud immeritò injiciet salutarem metum judiciorum divinorum hoc.

Factum Diabolicum, & Divinum.

Sancto Aichardo Abbati tempore Nonæ decantatæ, sibi capillos præscindi curanti spectatus est infernalis tenebrio, singulos pilos resectos summâ diligentiâ colligere, numerare, & in ordinem redigere, districto Judici præsentandos, igneque purgativo exurendos, nisi tantus vir insigni miraculorum gloriâ illustris; re divinitus intellectâ, quantocyus semitonso cum capite ad Fratres accurrens, humillimè culpam fassus, per suas, & Fratrum preces obtinuisset, ut omnes, & singuli resecti pili in caput, & mentum, ut priùs erant, restituti fuerint miraculosè ab eo, qui servis suis fidelibus dixit: Capillus de capite vestro non peribit.

Hoc terrifico exemplo sumptò ex Menologio Benedictino, atque aliis rationibus, potentiùs, quàm noverim à quoquam factum, deductis demonstrat Admodum R. P. Anselmus Billing Illustrissimi Eremitani Monasterii professus, *in suo Monte Thabor, seu Exercitiorum spiritualium præsigni libello*, digressione octavâ, quàm solicitè cavendæ sint culpæ etiam veniales.

700 III. Prædictarum Ecclesiarum Præsides peccant mortaliter, si per eorum negligentiam, aut dissimulationem omittantur publica officia, de jure, & consuetudine canenda; sicut & Beneficiati ipsi, quando ob absentiam ipsorum nequeunt talia celebrari. Bonartius *c. 25.* ex communi *ibid. num. 2.* damnans de mortali Canonicum sæpe veniatem serò ad chorum, aut sæpe nimis citò exeuntem. At 701 consuetudo multarum Ecclesiarum Germanicarum notissima ipsissimet Illustrissimis Dominis Nuntiis Apostolicis, excusat à mortali etiam rarissimè accedentes, sicut etiam excusat Diana *P. 2. Tr. 12. Res. 31.* post Navarrum, & alios, contra Suarez, & alios; nisi propter ipsorum absentiam negligatur Chorus. Ait autem haberi sufficienter chorum, modò adsint quatuor. Vide dicta *num. 698.*

IV. Non est opus, ut Canonici legant, aut 702 cantent, nisi ea, quæ canuntur in choro ipsorum, sufficit, modò attendant, juxta dicta *n. 691.* ad reliqua, serventque exteriorem modestiam; ipsis enim singulariter eam commendat *Cap. Dolentes. De celebrat. Miss.* adeò, ut non tantùm mortaliter delinquant, qui diu confabulantur, aut tractant alias ineptias. Coninck *in 3. p. disp. 83. a. 6.* sed etiam teneantur restituere distributiones. Diana *Res. 7.* citans pro se Suarium *Cap. 4. num. 9.* qui tamen *num. 12.* expressè tradit, se talinon imposturum hoc onus; sicut & Tamburinus *loc. cit. num. 22.*

V. Licèt ex antiquis Canonibus satis con- 703 stet, Canonicos non canentes in choro, privari destributionibus, consuetudo tamen notoria facit iis jus, modò piè intersint. Quamvis Tamburinus *loc. cit. num. 15.* putet, privandum etiam illum, qui, quæ recitat, dicit tam submissè, ut alii nequeant audire, eò quòd oporteat clarâ voce in choro proferre.

VI. Quæ solo organo, vel alio instrumen- 704 to musico personant sine voce humana, recitari debent à singulis Canonicis, eò quòd organi sola pulsatio non sit Oratio. Tamburinus *l. c. num. 14.* post Suarium *cap. 14. num. 15.* Bonacinam *cit. quæst. 3. punct. 2.* Palaum *cit. Tra. 7. disp. 3. §. 4. num. 7.* Escobar *num. 55.* Navarrum *Commentar. in cap. Quando cap. 21. n. 15.* apertè repugnante Sanchez *cit. cap. 2. Dub. 16.* nec sanè improbabiliter; siquidem Ecclesia illum sonum organorum accipit loco vocum, & ut partem divini officii. Vnde etiam tradit Sanch. *ibid.* & Navarrus ipse cum Soto & aliis, Organœdum non obligari ad repetenda, quæ ipse pulsavit. Vide etiam Busen. *Lib. 4. cap. 2. Dub. 2. a. 3.* & Neusser *Disp. 8. num. 28.* dissentientem à Sanch. cum Trullenck. & Coninck.

Addit insuper Tamburinus, aliquibus pro- 705 babile videri, quando à musicis canitur una etiam integra Hora, satisfieri à Canonicis, Religiosis &c. si solùm externâ devotione ibi assistant, non notabiliter fabulando, aut legendo &c. etiamsi internè non attendant. Hanc sententiam non improbat Tamburinus; ego probo praxin contrariam.

VII. Habens occupationem quærendi Psalmos, prunas ad thurificandum, thurifi- 706 candi, transferendi libros, tollendi folles organorum, pulsandi campanas, non tenetur repetere ea, quæ alii interim, ipso non audiente, canunt, nam chorus, cui inservit, canit loco illius. Escobar *numero. 70.* Laymann *cap. 5. num. 7.* Diana. *tit. Tract. 12. Res. 12.* Reginald. *Lib. 18. numero. 188.* Carámuel *in Theol. Regul. disp. 100. n. 1319.* ex communi, quam Sanchez *Dub. 15.* solus limitat ad casum, quo non potuerunt prævenire, addens rectè *n. 3.* etsi psalmus integer recitetur; dum quis tussit, excreat, aut aliquid

necessarium alteri dicit, haud tamen esse quidquam necessariò iterandum, sicut Escobar *loc. cit. num. 70.* negat, te teneri repetere, quæ chorus canit, dum tu prælegis, *tacitè* id, quod postea debes canere, erraturus, si non prælegeris. Ita etiam sentit Caramuel *loc. cit.* At repetere debet, qui Confessiones interea audit. Caramuel *loc. cit.* contra Servatium Lairuez; hoc enim non est servire officio publico. At fortè erit, qui asserat illum servire Officio publico, qui ex more notat absentes. Sed malim audire, quid alii sentiant, quàm quidpiam hîc definire; saltem excusandus est tunc, quando hoc fit, dum unus duntaxat altérve Psalmus decantatur, & attendit ipse, quantùm potest.

707 Huc quoque revoca illum, qui dum recitat memoriter unum Psalmum, quærit lectiones: commemorationem, alium Psalmum notatum alibi; etsi enim rectiùs ageret, si vel hæc quæreret, notarétque ante inchoatum Officium, vel tantisper cessaret ab orando, donec reperiret quærenda, non puto tamen ad id obligari; cùm enim illa occupatio quærendi dirigatur tota ad finem optimum, quia ad illum ipsum, ad quem ipsa recitatio, non est talis censendus dare occasionem distractionibus, seu cogitationibus hîc & nunc illicitis. Ita ego sentio, tacentibus aliis, Dianâ verò *ibid.* excusante illum, qui, choro canente, prælegit lectionem, ne erret.

APPENDIX.

AD num. hoc loco indicatum commodè referri possunt tres quæstiones, super quibus meum judicium literis scisciatari dignatus est Rever. Amplissimus & literatissimus Dominus Bernardinus Abbas Lucellensis Monasterii antiquissimi, utpote ab ipso S. Bernardo Architecto exædificati. Die 18. Novemb. 1659. Proponit autem

Primum dubium hisce verbis: *Præscribit cæremoniale Episcoporum, (quo etiam nos Abbates Mitrati utimur) ut Episcopus Missam Pontificalem in loco, ubi Chorus habetur, celebraturus etiam Tertiam celebret. Primò igitur dicit:* Pater noster: Deus in adjutorium, *& hymno, dicto dum Chorus Psalmos ejusdem Horæ decantat, ipse alios Psalmos scilicet* Quàm dilecta *&c. Legit, & paramenta capit. Finitis à Choro psalmis, & Episcopo parato, dicitur Capitulum, Episcopus subjungit orationem, & mox pro celebranda Missa ad altare accedit. Nunc ergo quæritur, utrùm Episcopus satisfaciat revitando alios psalmos, quàm chorus decantavit, vel utrùm ante, vel post Missam recitare debeat integram Tertiam, vel saltem omissos psalmos supplere? Vtrumque, vel grave, vel incommodum, & Cæremoniale nil horum præscribit.*

Alterum dubium huic ferè *simile accidit in nocte Sancta Natalis Domini, ubi idem Cæremoniale jubet, si Episcopus præsens sit in Matutino, ut, dum cantatur psalmus longus* Misericordias Domini, *ipse interim supradictos psalmos* Quàm dilecta *&c. dicat, & fandalia capiat, postmodum in Matutinis pergat, iisque finitis, mox Missam celebret, nullâ factâ mentione, ut jam memoratum psalmum* Misericordias Domini *privatim dicere, vel supplere debeat.*

Tertium tangit celebrantem, *qui in Vesperis solemnibus dum cantatur* Magnificat, *altaris incensationem facit, quæ cum eodem Cantico quasi finitur, de quo quæritur, utrùm inter incensandum, vel primùm post vesperas, omissum Canticum supplere debeat, cujus facillimè oblivisci potest. Resolutionem &c. præstolatur &c.* c

Ad *primum* dubium respondi, non videri d mihi quidquam necessariò repetendum, quandoquidem Theologi, quos refero, & sequor in hoc ipso *Cas. XXIII. num. 706.* generatim excusant illos, qui habent occupationem circa res spectantes ad decoram, præscriptámque persolutionem pensi Canonici, quanto potiori jure excusabitur, vel per alios recitâsse censebitur psalmos ordinarios, & communes, is, qui mandato Ecclesiæ facit quidpiam, tam raro cultu, ut sunt ea, quæ id temporis dicit facítque Pontifex, exornans recitationem Tertiæ? Sanè si nihil tenetur repetere Thurificans, ut teneri negant relatiè me, cur teneatur Pontifex peragens loco, & tempore tam congruo ea, quæ enumerantur?

Hîc discursus videtur satis probabiliter per- e suadere, Pontificem, seu Abbatem, in tali casu non quidem recitare *physicè* sed *moraliter* per alios totam Tertiam, ut est *in* Communi Breviario, sed occurrit alia ratio, fortiùs probans, eundem Pontificantem *physicè, propriéque* recitare non quidem illam Tertiam, quam psallit chorus, sed illam, quæ est descripta, & præscripta in libro Cæremoniali, ita videlicet, utsicut tres duplicati Octonarii sunt *physicè* partes Tertiæ, utpote illam integrantes, Tertiæ, inquam, vulgaris, & quotidianæ, ita & psalmus *Quàm dilecta* &c. sit vera, integráque pars Tertiæ Pontificalis, quod quidem sic probo. Pars integralis est id, quo constat, & in f quod resolvitur aliquod totum Integrale, ut suppono ex Physica; illa autem Tertia, quam Legit ipse Pontificans, constat illo psalmo: *Quàm dilecta* &c. atque in eum resolvitur; non enim videtur alterutrum horum rectiùs negari posse, quàm siquis negaret, vel psalmum *Miserere*, qui tribus postremis diebus Quadragesimæ subnectitur tribus illis geminatis octonariis, esse partem Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Litanias omnium Sanctorum esse partem Missæ decantatæ in Sabbato Sancto; quod exemplum de Litaniis singulariter huc idcirco quadrat, quòd communis opinio ferat, eas esse partem Sacri solennis, ac proinde esse necessariò decantandas, seu legendas, sicut & lectiones esse itidem partem illius Mis-

Missæ, uti & Vesperas, tradit Hugo, atque alii apud Gavantum, cùm tamen pro Missis privatis illius diui nequaquam sit necesse, seu lectiones illas, seu Litanias recitare, ut videre est apud Gavantum *in Rubr. Missal P 4. Tit. 10.* & DD. quos hanc in rem refero suprà *Tract. 3. Cas. VII. num. 224. & 225.* Sicut ergo non est mirandum, quòd Missa solennis constet tunc duplici parte integrante, qua caret Missa privata, ità nec mirum est de Tertia; sicut & videmus, sæpius fieri, ut Missæ solennes differant à privatis, ut liquet singulariter in Festis secundæ Classis, occurrentibus cum festo simplici; item in solennibus Episcoporum, in quibus & dicunt *Pax vobis* pro *Dominus Vobiscum*, & triplicem crucem efformant in fine. Accedit ratio, quam innuit ille Reverendissimus D. Abbas, quòd videlicet ex una parte sit grave, vel incommodum ante, vel post solennem Tertiam recitare communem; ex altera autem parte necessitatem subeundi hoc incommodum nullo verbo indicet Cæremoniale, cujus proinde silentium habendum est pro negatione dictæ obligationis.

Hæc utraque ratio militat pro dubio *secundo*, quod simile esse *primo*, rectè observavit idem D. Prælatus, nam de similibus simile est judicium ferendum. Denique de thurificantibus loquuntur disertè auctores relati *numero. 706.* g

SECTIO V.

Causæ excusantes ab Officio Canonico.

SUMMARIUM.

Recensentur quatuor causæ excusantes non persolventem pensum canonicum. 708.
Quæ impotentia excuset? 709.
Impotens dicere Horas non tenetur ad alias preces. Ibid.
An summè tristis, aut non valens attendere, teneatur orare? 710.
Refertur duplex factum Archiducis Leopoldi Guilielmi. 710.
An videns se impediendum, teneatur prævenire? 711.
Jus recitandi hodie crastinum Matutinum sine privilegium habilitativum, *an* potestativum? *712.*
Quid sit privilegium potestativum *&* habilitativum? *ibid.*
An qui nequit debità horâ orare, teneatur postea supplere? Ibid.
Casus duorum Beneficiatorum scurrilium ex Navarro Ibid.
An, qui nequit solus orare, teneatur ascisceré; aut admittere socium? 713.
Casus scrupulosi liberati penso canonico. 714.
Dubius, an possis orare sine incommodo valetudinis, quid agat? 715.
Et qui convaluit recens ex febri? 715.
Exemplum insigne Navarri infirmissimi. 715.
Opinio singularis Leandri de laborantibus quartanâ non probatur. 716.
Cæcus an excusetur? 717.
An surdus? 717.
An laborans ex oculis? 718.
An iter agens? 719.
Casus facetus, & serius de fesso ex itinere diurno; & famelico. 720.
Quid agendum illi, qui si recitet Breviarium; debebit carere cœnâ, aut Sacro sequentis diei? 722.
Lex de jejunio præmittendo Missæ obligat magis, quàm lex Breviarii. 723.
Quomodo charitas spiritualis eximat ab onere Breviarii? 727.
Et singulariter concionatores? Ibid.
Metus mali impendentis quomodo patrocinetur hîc? Ibid.
Quis dispenset in Breviario? 729.
Et singulariter quomodo Prælati Regulares? 730.
Quid de degradatis; & excommunicatis dicendum? 731.
Elegans descriptio psalmodiæ. 732.
Discutitur accuratè illa quæstio, an, & quatenus liceat ponere impedimentum orationi Canonicæ? 732.
Refertur opinio Neusseri, rati, non teneri recitare eum, qui dubitat, an habeat causam excusantem 733. in App.

HArum recensentur præcipuè quatuor: 708
impotentia, charitas, metus, dispensatio. Notat verò Pater Sanchez. *Lib. 7. Moral. Consil. cap. 2. dub. 25. num. 4.* omnem causam excusantem ab audiendo Sacro, excusare etiam à recitando Breviario; cùm lex de hoc non magis obliget, quàm de illo. Igitur erunt saltem respectu non beneficiatorum (hos enim non tam strictè obligari, quàm beneficiatos, tenet P. Tambur. *Lib. 2. in decalog. c 5. §. 8. n 11.* contra Pala. *cit. disp. 2. p. 6. n. 14.*) Huc transferenda, applicanda, quæ *Cas. XX.* tradidimus de octo generibus impedimentorum; speciatim

Quæritur hîc I. *Quæ impotentia excuset?* 709
Resp. I. Non sola *physica* eximit; sed etiam *moralis*; de qua tam copiosè *cit. Casu. XX. à n. 468.* ubi etiam *n. 471.* nominatim explicavi; quomodo febricitantes, & alii debiles eximantur. Atque *n. 472* descripsi discursum P. Sanchezii valde favorabilem convalescentibus. Nec credas sat multis dicentibus, quando quis nequit recitare Breviarium, teneri ad alias preces, si possit alias recitare, vel audire; hoc enim dicitur sine textu, aut ratione concludente, ut loquitur Navar. *in Man. c. 25. n. 100.* & etiam proborum praxis est plane contraria. Potiùs asserire Tamb. *L. 2. in dec. c. 8. §. 1. n. 5.* captum ob cri-

crimen atrox excusari, si post auditam mortis sententiam, etsi triduo ante mortem, omittat. Quod etiam Tancredi apud ipsum sentit de quovis capto ob enorme crimen, certò plectendum infami morte. Item de alio summè mœsto ob gravissimum infortunium; talis enim nequit attentè orare, atqui melius est, penitus non orare, quàm distractè, juxta Joannem Sanch. *Disp. 15. num. 2.* de quo infrà. Sed lubet opponere huic doctrinæ autoritate suâ probabili duplex rarissimum factum.

Archiducis Leopoldi Guilielmi.

710 *PRimum, quòd eo ipso die, quo fuit ipsi fortissimè pugnanti, ignaviâ duorum è ducibus, erepta ad Lipsiam quodammodo è manibus victoria, & hujus loco illata ingens clades exercitûs, cum omnium impedimentorum jactura, nihilominus ante decubitum persolverit, quod deerat de penso Canonico. Alterum, quòd id ipsum præstiterit, cùm ad Leodium staret, paratus confligere cum hoste vicino.*

Quæri non immeritò potest, an seu mœror, seu ira, seu ingens solicitudo, quæ consuevêrunt sequi, comitaríque tam tristes, atque periculosissimæ aleæ plenos casus, non ita potenter abripuerint mentem Principis in res alienissimas à decenti colloquio cum Deo, ut propter hasce animi evagationes violentas habuerit jus omittendi utroque illo die preces Ecclesiasticas?

Resp. Non habuit, quia fuit Archidux Leopoldus Guilielmus; habuisset fortè, si fuisset alius. Edissero parabolam.

Fuit ille Deo, & hominibus pretiosissimus Princeps ita profundè absorptus in Dei voluntatem, & nutus, ut ejus malaciam animi conflderantis, omnia suavissimè disponi à supremo Numine, non adversa, non prospera turbaverint; metuendum igitur non erat Leopoldo Guilielmo, ne mœror, ira, cogitationes de sinistris summorum Principum judiciis, summa vigilantia propter acrem, potentémque hostem haud procul dissitum impedirent piam, Religiosam attentionem ad divina. Qui verò superioribus bellis noverunt summos exercituum ductores, fatebuntur, vix unum, alterúmve ex tam multis sibi esse notum, qui in ejusmodi circumstantiis non fuisset dicturus, se revera non posse, etsi vellet, seriò cogitare de iis, de quibus tempore orationis cogitandum esse, docent Theologi nominandi in altera Disputatione nostræ Trigæ Horariæ. Porrò quæ hîc memoravi de illo generosissimo Archiduce, reperiet lector in Libro perquam insigni, quem de *Virtutibus*, & *Gestis* illius typis Antuerpiensibus edidit R. P. Nicolaus Avancinus partim *P. 1. c. 2.* partim *Part. 2. proleg. 1.* partim *Part. 3. cap. 1. & 3.*

II. Prævidens se impeditum iri, quò minùs debitâ horâ recitet Breviarium, tenetur certò prævenire, si quidem ipse sponte ponat illud impedimentum. Leander *Cit. Tract. 8. disp. 5. quæst. 49.* citans multos contra Caramuelem, secùs si sit involuntarium; quia e. g. paroxismus febrilis impediet tempus Vesperarum. Etenim contra Lessium *De just. cap. 37. num. 40.* Sanch. *Cit. cap. 2. dub. 43.* Dianam *Part. 4. Res. 10.* Arriagam *Tom. 3. d. 24. num. 7.* & plurimos alios affirmantes necessitatem illius prævention is, negant probabiliter eandem Canus apud P. Sanch. *loc. cit.* & P. Henriquez *Lib. 4. cap. 4. num. 7. lit. Q.* testans fuisse suo tempore communem: quam quidem sequitur etiam P. Dicastillo *Disp. 10. de Eucharistia num. 262.* atque Cotonius *Lib. 3. num. 135. volum. 1. celebrium controvers.* & ego ipse casu, quo prævideas, te non habiturum cras facultatem, seu possibilitatem orando Matutinum; nec enim te obligo ad recitandum hodie, quandoquidem hodie nullo modo urget præceptum de crastino officio, & est merum privilegium, quòd liceat hodie satisfacere pro die crastino; at quantumad cæteras horas, cùm illarum obligatio incipiat cum initio diei, adeóq; sit *substantialiter* in toto die; *accidentaliter* verò & propter repræsentationem diversorũ mysteriorum unæ hora hac parte diei, altera, alterâ parte; probabilius mihi videtur, vigere præceptum dicendi ante prandium, quod esset de jure communi dicendum post. Leander *loc. cit. disp. 5. quæst. 50.* cum multis contra non paucos. Sicuti & sextâ Matutinâ debebis recitare Nonam, si prævideas, te *involuntariè* impediendum, quò minùs eam postea dicere queas, eo modo, quo si nequeas horâ decimâ audire Sacrum, teneris octavâ, vel sextâ. Suprà *num. 58.*

Eo quoque modo quo si nequivisti debitâ 712
horâ recitare, teneris quacunque sequenti ejusdem diei supplere. Navarrus *In Manual. cap. 25. num. 100.* constanter P. Sanchez *Dub. 43. num. 4.* cum communi contra Vmbertum, Turrecrematam, Caramuelem, & alios quosdam. Etenim ipse usus omnium, ut puto, timoratorum, satis ostendit, legem de certa hora diei latam esse non ad finiendam, sed ad augendam obligationem. Sanchez tamen *n. 7.* habet pro probabili opinionem contrariam; ego pro justissima censuram, qua Navarrus *De Orat. cap. 10. num. 51.* perstrinxit

Factum duorum Beneficiariorum.

QVi stulti (refero verba Sapientissimi Senis) *quodam die lætabantur, alter, quia erat elapsus meridies, alter, quia iam sol occiderat, & necdum recitaverant Matutinas horas prolixas, aut aliud quidquam usque ad vesperas, putantes, jam esse præteritum tempus officii Matutini, & quod jam non erant obligati illud dicere; sic enim duplici ratione peccabant, alterâ, quod gauderent, præteritum esse tempus, in quo poterant excusari à peccato mortali; alterâ, quòd minoris faciebant, mortifere Deum offendisse, ob quod æternæ pœnæ rei fiebant, quàm laborem laudandi aliquantulo tempore divinam ejus Majestatem.* Ita Navarrus.

APPENDICVLA.

NEusser *De Hor. can. disp. 14. n. 20.* referens indicatam *præced. num. 711.* meam opinionem de non obligato ad recitandum hodie crastinum officium, casu, quo prævidet, defore sibi cras possibilitatem peritolvendi, scribit, eam pati difficultatem, eò quòd potestas dicendi hodie sit privilegium *habilitativum*, non autem duntaxat *potestativum*, & proinde teneatur eo uti is, qui id habet. Addit alteram rationem, quòd scilicet saltem post quintam incipiat obligare præceptum de recitando Matutino, & Laudibus. Verùm neutra ratio probat intentum. Non *secunda*, quia illam nego cum plurimis aliis, docentibus talem obligationem inchoari à duodecima noctis. Non *prima*, tum quia privilegium præcisè *potestativum* est gratia præcisè, ut sic permittens aliquid, quod lex non permittit, sicut *habilitativum* est gratia tollens impedimentum illud, quo permanente, est quis inhabilis ad quippiam, ut legitimatio, dispensatio in irregularitate. Atqui potestas dicendi hodie Matutinum crastini diei præcisè permittit aliquid, quod de jure communi non liceret; tum quia instantia, quam P. Neusser ibidem adfert de obligato audire Sacrum in Oratorio privato, casu, quo nequit in Ecclesia, non facit ad rem; nego enim, negavíque in hoc ipso *Tract. 5. Cas. XVI. n 354.* potestatem audiendi Sacrum in loco profano esse privilegium, siquidem jus commune id permittit.

713 III. Qui solus nequit recitare, posset autem cum socio, tenetur secundùm communiorem sententiam Laymanni, Bonart. Sanchezii *d. 85.* Bonacinæ, adsciscere socium, si vel anteà solebat uti, vel facilè habere queat; non tenetur admittere etiam se offerentem ultrò juxta Joannem Sanchez *in select. disp. 15. n. 2.* quem sequitur Diana *Par. 2. Tra. 12. Res. ult.* juncta *Part. 4. Tr. 4. Res. 11. in fin.* itemque P. Tamburinus *cap. 5. §. 8. num. 11.* eò quod recitare cum socio sit privilegium. Ego talem non obligo ad quærendum, nisi sit beneficiarius, possitque facilè, & sine pecunia habere. Tamburinus *loc. cit. num. 12.* contra Palaum. *P. 6. num. 11.* etenim hic non tenetur tam strictè, quàm beneficiarius. Tamb. ibid. contra eundem. Imò nec beneficiarius obligatur ad conducendum pretio. P. Tamburinus & alii plures contra P. Palaum, & alios; hoc quippe medium est nimis extraordinarium. Sponte se offerentem debet uterque admittere, quia admittere non est privilegium, nec enim est exemptio à Lege, sed potiùs conformitas cum Lege instituente chorum publicum.

IV. Scrupuli præbent quoque nonnun- 714
quam causam omittendi fine, vel saltem cum dispensatione pensitationem canonici officii; qua de re audi

Casum valde Scrupulosi.

ANxietates, quas diu horrendè passus fui, haud dubio per fusas plurium piorum preces disparuêre ferè penitus, ac non nisi (Deo sint summæ Laudes) incipiens horas in intentione formanda in tantum adhuc hæreo, ut nimirum verba sequentia proferre cogar, si etiam velim peragere mea: Volo iam istas Horas orare, & sic volo satisfacere præcepto sanctæ Ecclesiæ Catholicæ; & sic volo orare pro omnibus illis, pro quibus teneor ratione beneficii mei, & muneris. *Hæc autem verba non audeo proferre latinè, cùm, tentante diabolo, angar, me per latinum* volo *non intendere* velle, *sed* volare. *Et verò tantâ molestiâ capitis persolvo Horas, ut iis finitis, crebrò totus lassus, & confusus existam.*

Ita de se scripsit optimus quidam, mihíque probè notus sacerdos sæcularis, sacerdoti strictissimæ Religionis avunculo suo, qui super hoc expetiit meum consilium, *an videlicet ille suus nepos adhuc sit obligatus lege Breviarii,* inque literis ad me datis expressit, *se non posse non communicare mecum eam Epistolam, quia fortè illam ad aliquem Casum in meis lucubrationibus adaptare potero.* Respondi autem, videri quidem mihi illum sacerdotem, ob indicatas duas causas, eximi præcepto Breviarii, ad aliquod saltem tempus; at pro majore tamen & securitate, & tranquillitate ipsius, petiturum me dispensationem ad duos menses à Reverendissimo Domino Vicario Generali, quod & feci, faciléque impetravi. Et verò ad dispensationem quod attinet, potuit utique illam concedere Illustrissimus Dominus Episcopus, cùm & adfuerit justissima causa, & infrà *num. 729.* sim ex P. Tamburino relaturus, esse ubique jam usu receptum, ut Episcopus in Ecclesiastica lege Breviarii dispenset, si agatur de brevi tempore, & consentit Leander de SS. Sacra-

men-

mento *Tract. 8. de Horis Can. d. 3. q. 67.* Licèt verò idem Leander *q. 68.* subdat, Vicarium Episcopi non posse dispensare, nisi ex speciali mandato illius & hoc sit fortè verum in Italia, atque Hispania, aliisque provinciis, in quibus Episcopatus clauduntur angustioribus terminis ipsique Episcopi carent jurisdictione temporali, attamen in Germania Poloniáque, ubi & sunt amplissimæ Diœceses, & Antistites earum sunt magni Principes, impliciti curis sæcularibus gravissimi momenti, consueverunt eorum Vicarii in spiritualibus Generales expedire dispensationes, præsertim concernentes forum *internum*, possúntque Episcopi illas integrè committere, quandoquidem potestas ejusmodi dispensandi potest rectè dici esse ordinaria respectu Episcopi, & non delegata.

Iam verò quòd etiam absque dispensatione potuerit sacerdos ille summè anxius, ac summè scrupulosus supersedere persolutione sui pensi, donec liberatus esset suis illis miseriis, facilè probatur ex narratione facti. *Primò* quia scribit, se finitis Horis, existere crebrò totum lassum, & confusum. Quæ lassitudo, etsi fortè illum non eximat, si non sit diuturna, quandoquidem Leander *loc. cit. quæst. 25.* distinguit inter dolorem capitis, stomachive, qui ex recitatione oritur, permanentem, & transeuntem, quia tamen idem *quæst. 27.* post Tamburinum, Pesantium, atque alios meritò liberat illum, qui timet paulatim deperdere vim oculorum legendo Breviarium, quod non tenet memoriâ, à fortiori liberabit illum, qui prudenter potest timere, ne paulatim deperdat vim intellectûs, dejiciatúrque de potestate mentis, sicut meritò formidari potest de hoc scrupuloso; nam & quotidianus dolor capitis, si sit vehemens, esto non diuturnus, & vehementes, alienáque à ratione apprehensiones, qualis illa, quòd nec possit habere quietem conscientiæ, nisi ante recitationem Horarum formet illam intentionem, quam describi, necaudeat latinè proferre verbum *volo*, ne videatur dicere se volare, sunt dispositiones ad maniam. *Secundò* itaq, censui, excusandum propter scrupulos, & anxietates, judico enim, omnes, quibus ipsa recitatio Breviarii gignit graves scrupulos, anxietatésque, posse ad tempus intermittere recitationem. Ratio est, quia graves scrupuli juncti magnis anxietatibus, sunt revera magnum malum tum animi, tum corporis, & verè majus, quàm nonnullæ ex iis infirmitatibus corporalibus, quas magni DD. habent pro sufficienter excusantibus, ut liquet ex remissivè indicatis *num. 709.* est autem de similibus simile judicium. Equidem ille ipse optimus sacerdos de se sic » scribit: Quod maximè dolendum, & molestias, animique anxietates mihi causat maximas, in Sacrificio Missæ misere torqueor, dum nimirum prolatâ consecratione, jam hodie » in consecratione panis, jam alter o die in consecratione calicis, me aliqua omisisse, aut non » omnia bene pronuntiâsse angor, & scrupulum facio, atque ex his tantam perplexitatem incurro, ut sæpius Missæ Sacrificium distractè plurimùm anxius totus peragam, actimore plenus ad omnes etiam quotidianas functiones minùs idoneum me reddam. Hæc ille. De quo, ejúsque similibus scrupulosis omnino judico, esse tantisper jubendos abstinere à pensitatione canonicæ orationis, donec videantur posse jam liberi ab hisce miseriis obire illud officium.

At ecce nuncium inexpectatum. Necdum 715
acceperat ille, de quo nobis hîc sermo, sacerdos procuratam à me dispensationem, cùm dat ad illum suum Venerabilem D. Avunculum Carthusiæ Ittingensis professum literas transmissas mihi ab hoc in Originali, quibus totus hilaris restatur, se liberatum circa recitationem Breviarii scrupulis. Hanc liberationem adscribit tum piis bonorum virorum precibus, tum singulariter provido consilio sui Confessarii, è Seraphico ordine PP. Capucinorum qui expertus, nihil profuisse alia remedia, adhibuit hoc postremum, imponendo scilicet pro pœnitentia Sacramentali prohibitionem severam, quidquam imposterum repetendi ex omissis. Quàm ego medelam non possum non probare; etsi enim utendo illâ futurum probabilissimè sit, ut interdum non repetat ea, quæ essent certò repetenda *per se loquendo, per accidens* tamen Ecclesia, non præcipit huic tali homini repetitionem ullam, utpote fementem scrupulorum, & anxietatum, Lege, si libet, curationem, qua peritissimus morborum spiritualium medicus S. P. N. Ignatius consanavit scrupulosum animum nostri Patris Cornelii Brughelman, descriptam suprà *numero 619.*

V. Dubius, an possit recitare Breviarium sine notabili detrimento valetudinis, quid agere debeat, tradidi *Cas. XX. à num. 471. ad 481. & singularissimè num. 471. 472. & 474.* quibus addo sequentia.

Primò, ut infirmi non teneantur officium divinum recitare, sufficit, quòd eis dicat medicus, ut non recitent; nam infirmus quoad sanitatem recuperandam medico subest independenter à voluntate Prælati. Sic loquitur Peyrinis *Ad constitut. Leon. X. cap. 5. numero 57.* post Rodriquez. Suadeo tamen, ne sine consensu superioris præsentis quidquam omittas. *At quid si medicus sit Lutheranus?* Responsionem vide *numero 476.*

Secundò. Etsi quem deseruerit gravis febris, haud tamen tenetur primis diebus convalescentiæ recitare, esto fortè possit Sacrum facere; nam Ecclesia non est ita rigida in exigendis debitis. Sanchez *cit. cap. 2. dub. 45.* quod

quod probè nota, præsertim pro scrupulis; & crede, esse potiùs mirandum, laudandúmque, quàm necessariò imitandum laudatissimum Martinum Navarrum, scribentem *in Manuali Cap. 25. n. 100.* de se ipso

Hæc verba:

716 *Equidem ipse non sum ausus excusare me ob ægritudinem à pronuntiandis Horis, nisi uno vel altero die, spatio septuaginta circiter annorum, quibus recito, licèt quinquies conclamatus fuerim.*

Ita Navarrus, ac ferè de Lessio Thomas Courtuis *I. C.* in ejus Vita *Cap. 10. num. 48.* cùm tamen Leander *Quæst. Moral. p. 1. & in ordine sexta Tract. 8. disp. 5. quæst. 23.* contra communem, ut ipsus fatetur, Navarri, Bonacinæ, aliorum, eximat quemvis laborantem tertianâ; & *Quæst. 24.* etiam laborantem quartanâ; cui ego non difficulter admodum adstipularer, si restringeret suam opinionem ad diem lævum, seu quo jam advenit, vel adveniet Paroxismus; at neutiquam assentior loquenti expressè de diebus intercalaribus; nec enim solùm communi judicio doctorum, indoctorúmque adversatur hæc sententia, sed etiam praxi perpetuæ approbatæ à superioribus, inferioribúsque. Inveniat sanè hæc singularitas locum in Hispania, in qua scripsit Leander, & cujus incolas debilitat fortè febris quartana intolerabilius, quàm alias gentes, non reperiet in Germania, nisi quartana sit prorsus extraordinaria.

Tertiò. Qui nequit recitare Breviarium cum attentione, meliùs est, ut penitus omittat, quàm ut recitet per modum orantis; at meliùs aget, si legat (modò sine periculo valetudinis queat) per modum recreationis, quàm si omnino non legat; quòd si velit se propter Deum spoliare voluptate, quam percipit ex tali lectione, rectiùs aget se spoliando, quàm ei indulgendo. Ita sentit Joannes Sanchez *cit. n. 2.* cui non assentior in ultimo puncto, si loquatur de voluptate spirituali, seu supernaturali, hæc enim est valde honesta, utpote quies in bono supernaturali, cognito per talem lectionem. Sicut nec in primo assentior integrè; quis enim à Lege orandi *vocaliter* absolvet illum, qui est à natura, vel habitu tam inconstantis phantasiæ, ut, quando orat, soleat ferè in tota oratione non habere ullam attentionem, nisi *virtualem*, descriptam suprà? Assentior autem, quando propter maximum strepitum, vel mœrorem ingentissimum, nequit quis attendere ad verba. Vide suprà *n. 710.*

717 VI. Toletus *Lib. 2. cap. 14.* eximit *absolutè* Cæcum, etsi tenentem memoriâ Breviarium; Sotus, & alii quidam apud Sanchez *Dub. 46.* dubitant, an sit eximendus; liberum esse, negant alii communiter, ac meritò, quandoquidem lex de hoc subjecto non pendet ab oculis, sed à potentia *morali.* Et quis excuset carentem quidem libro, at tenentem memoriâ omnia? Utrùm verò sit obstrictus, quando tenet memoriâ solùm partem magnam, aut parvam, colliges ex dictis suprà *n. 623.* Sanchez quidem *Dub. 47. absolutè* docet, paucos ex iis, qui diu recitârunt Horas, excusari ob cæcitatem, vel carentiam Breviarii, eò quòd paucissimi talium sunt, qui non teneant memoriâ psalmos, & Hymnos parvarum Horarum, itémque multos psalmos ex Matutino. Verùm haud dubiè sunt permulti, qui 10. 15. 20. Annos usurpârunt Breviarium, tamen perparum tenent memoriâ ex Matutino, ac Vesperis officiorum ferialium, &c. ad quid tales obligabuntur? Et quàm misere truncabunt Matutinum, & Primam dieî Dominici? Verùm saltem beneficiati, me auctore, sequentur sententiam Suarezianam, indicatam suprà *n. 623.* quoad Horas, quas integrè sciunt; quoad illas, quas solùm valde imperfectè, poterunt esse & non esse absque metu, perdicta *n. 618.* Surdum qui eximat, non scio; eximendum negat aperta ratio, qua constat, non esse opus, ut quis impeditus, se ipsum audiat. Suprà *n. 690.*

VII. Tamburinus *cit. §. 8. n. 13.* ac Leander 718
Disp. 5. quæst. 27. excusat quemcunque laborantem ex oculis, si timeat, ne legendo Horas deperdat vim videndi, & quidem licèt talis legat fabulas, vel historias; etsi enim has legendo cum detrimento visûs peccet contra charitatem, non tamen contra religionem agit non solvendo pensum Horarum. Sed sanè hîc cavendum, ne tribuas plus inani imaginationi, quàm prudenti metui.

VIII. Est reperire haud paucos, qui ratione 719
itineris omittunt vel totum Breviarium, vel partem. Hanc excusationem non possum, sicut nec Navarrus *in Manuali Cap. 25. n. 102.* facilè admittere, utpote propriâ, alienâque experientiâ certus, defatigationem ex itinere, etiam pedestri, unius vel plurium dierum continuorum, non esse tantam, ut non permittat satis virium solvendo debito clericali, absque difficultate majore notabiliter, quàm sit ordinaria. Non tamen nego, esse eam defatigationem quandoque tantam, ut homini jam aliàs satis infirmo, non relinquat tantum virium, quantum est necesse ad hoc munùs rite obeundum. Sed hic casus est rarissimus in homine sano, etsi Cotonius *Lib. 3. n. 132.* excusat illum, qui *bonâ fide distulit in serò, & postea invenitur valde lassus, & somno graviter oppressus.* Et præmiserat *num. 116.* hanc absolutam resolutionem: *Fessus ex labore, itinere, vel negotiis accidentaliter aliquando occurrentibus, officium, quod in serò distulerat, potest omittere, quia comparatur infirmo.* Sed revera cavendum, ne nobis nimiùm blandiamur, referemus autem *n. 913.* Leandrum aliter differentem de itinerantibus

Casus Facetus, & Serius.

720 *Audi hic, amice Lector, facetum casum, non tamen facilis solutionis. Omisit bonâ fide quidam Parochus, gravibus distentus per diem negotiis, recitationem Horarum Parvarum, simul cum Vesperis, & Completorio in ultimam horam ante mediam noctem, (fortè autem erat dies Jovis) quando reversus domum incœnatus voluit hac intentione cibo se reficere, ut absoluta per mediam horam cœnâ officium recitaret aliâ mediâ horâ, quæ ante initium diei sequentis jam superfutura erat. Vix sedit ad mensam, cùm vocatur ad audiendam Confessionem cujusdam forte graviter de nocte in subita rixa vulnerati. Advolat, an ut rite Confessionem, domumque redit sub eam temporis angustiam, ut semihorula, quæ supererat ante noctem intempestam, non sufficeret ad utrumque, quod ipse erat præstandum? Interpellat ad cœnandum, & quidem cum tarnibus (impendente enim die veneris expirabat dies Jovis) & ad officium persolvendum. Quid ergo faceret Parochus, præsertim volens die sequenti sacrificare rite, & jejunus? Si de consilio hic ageretur, facilè illi hoc consilium dares, ut jejunus, & incœnatus Horas illas solito Deo gratiores persolveret? Sed de obligatione agimus, non de consilio. Obstringámne hunc jejunare nolentem? Jus cœnandi, quo homo fame, & negotiis oppressus gaudet, dixerimne necessitatem levem, an potiùs gravem? deinde quid melius? recitatio hæc officii, an Sacrificium diei sequentis? quod omittere absque dubio deberet parochus, si propter recitationem comedere ante mediam noctem non posset facile enim comederet, si non carnes, certè pisces post mediam noctem ac propterea à dispositus evadet ad Sacrificium peragendum. Hæc & similia expende, & prudens rem decernito; ego enim ad ulteriora progredior.*

721 Nihil dempsi, nihil addidi verbis, aut sententiis R.P. Thomæ Tamburini (dum pro quarta Editione hæc describo ex illo, Regentis Collegium Panormitanum) ut liquebit legenti folium 241 & 243. *edit. Monacens. lib. 2 in Decalog. c. 5 §. 8. n. 19.* Ubi refert hunc Casum, quem ipse vocat *facetum*, ego simul *serium*, est quippe opus seriâ reflexione ad expediendam resolutionem illius, quam quidem fundamentalem exibere poterat P. Tamburinus; at quia noluit, quod potuit, ego autem nolo privare meum lectorem spe alicujus responsi, idcirco.

722 Dico I. Supposito, illum *parrem Pedestrem*, sicuti Thomas Valdensis parochum appellat apud P. Theophilum Raynaudum Anno proximo (ita scribebam in prima impressione hujus Alphabeti) scilicet 1663. ætatis 79. vitæ functum, *in S. Georgio Megalomartyre* honestans Episcopum Titulo *Patris Equestris*, laude singulari dignum futurum fuisse, si suum genium defraudâsset cœnâ; hoc, inquam supposito, si eidem incubuit obligatio faciendi postridie Sacrum ratione officii, e. g. quia erat festum, aut dies depositionis, vel fundationis, potuisset sine peccato omittere illas Horas. Probo, tum quia sicuti minor præsumptio cedit majori. *L. Non est verosimile. ff. Quod met. caus.* ita minor obligatio majori; obligatio autem tunc sacrificandi erat major, quàm dicendi Horas; tum quia non immeritò præferimus speciali utilitati communem, & minori majorem *Text. c. Licèt. De Regul.* est autem utique major utilitas Sacrificii publici, quàm Officii privati. item recitatio privata parit secundùm nonnullos solùm privatam, seu specialem utilitatem, Sacrificium certò publicam; tum quia, si parochus cogeretur omittere vel Matutinum, & Laudes, vel tale aliquod Sacrum, nullus, puto, Theologus negaret, esse potiùs omittendum Breviarium: ergo est signum, quòd Theologi agnoscant majorem obligationem respectu talis Sacri, quàm Breviarii.

Confirmatur hoc consequens, tum quia certum est, obligationem sacrificandi ex officio oriri ex justitia, at solùm probabile est, obligationem pensi Canonici exsurgere ex Titulo justitiæ. Suprà *num. 579.* tum quia parochi instituti sunt multò magis ad obeunda officia concionandi, sacrificandi, Sacramenta administrandi &c. quàm ad legendas Horas canonicas.

723 Neque dicas, positâ illâ obligatione sacrificandi, eum debere vel manere jejunum, vel non jejunum celebrare. Inprimis enim est *moraliter* impossibile, seu maximè difficile homini defatigato itinere diurno, & vigilanti usque ad noctem intempestam, manere jejunum, usque ad septimam, octavam &c. horam diei sequentis; atqui impotentia *moralis* liberat onere Breviarii. Suprà *n. 709.* Et huc omnino facit generalis ratio, quam in materia de Horis canonicis promit Arragonius *in 2. 2. q. 83. a. 12. in Titulo 30. conclus. 3.* his verbis: *Certè videtur durum, & à Christiana charitate alienum, mittere aliquem in infernum, & dicere, quòd peccet mortaliter, sine evidenti & certa ratione.*

Deinde lex & consuetudo Ecclesiastica de jejunio præmittendo communioni, tanti fit in Ecclesia, ut sine dubio præferatur legi Breviarii, ut patet vel inde, quòd maximi Theologi (à quibus tamen dissentio *in Alphabet. Comunic. Casu XIX.*) inficientur, fas esse non jejuno sacrificare, ad conficiendum Viaticum pro morituriente; & tamen nullus, ut reor, sit repugnaturus Tamburino *cit. §. 8. num. 17* asserenti, illum nostrum plebanum potuisse Viaticum, vel Sacrum oleum deferre ad illum ægrum, etiam si prævidisset, se sibi ipsi ablaturum hac ratione tempus necessarium pro parvis Horis.

724 Dico II. Datam resolutionem esse veram, esto, ponamus parochum illum culpabiliter distulisse parvas horas usque ad undecimam. Sicut enim valde defatigatus labore inutili, aut improbo, habet jus cœnandi die jejunii, ita & dictus Curio die Jovis, quia scilicet constitutus fuit etiam per culpam suam, sed tantùm *indirecte*, in statu impotentiæ *moralis*. Porrò etiam illum, qui ex perverso labore est ita defatigatus, ut nequeat sine magna difficultate abstinere à cœna, haud delinquere in legem jejunii cœnando, est certum teste Sanchez *in Consil. Moral. lib. 5. dub 7. n. 12.* ubi loquitur de labore incompatibili cum jejunio.

725 Dico III. Si non aderat alia obligatio faciendi postridie Sacri, sed sola devotio urgebat, oportebat persolvere dilatas Horas, & iis persolutis comedere potiùs post duodecimam, quàm omissis horis comedere ante duodecimam propter tale Sacrum. Ratio est, quia res præcepti ordinariè sunt præponendæ rebus Consilii. Suprà *n. 518.*

726 Hæc omnia jam commentatus eram in prima editione hujus libri, cùm nactus toties à me hactenus nominatum Leandrum, vidi illum totum Casum P. Tamburini describi etiam verbatim ab eo *cit. Tract. 8. disp. 5 quæst. 43.* ac resolvi hisce paucis versibus. *Respondeo, quòd parochus cœnet (cùm opus charitatis, quod exercuit, non abstulerit jus, quod ad cœnandum habebat) & omittat officii reliquum. Vel, si mavis, cœnet per quadrantem horæ, & in alio incipiat recitare, quod ei supererat; & continuet usque ad finem, etiamsi media nox accedat; & sic utrumque præstabit. Quod certè potest juxta probabilem doctrinam à nobis traditam suprà Disp. 4. quæst. 108.* Ita laconicè Leander, his postremis verbis innuens suam singularem opinationem de peccati mortalis evasione tunc, quando ex mera desidia differs omnes omnino Horas Breviarii usque ad dimidiam horam ante mediam noctem, esto prævideas, te non absoluturum majorem partem, antequam advenerit media nox, dummodo sine *morali* interpolatione continues cœptas preces usque ad Completorium. Sed hanc doctrinam sufficienter repulimus suprà *n. 682. & 685.*

727 Quæritur II. *Quomodo charitas, & metus excusent?*

Resp. I. Per charitatem intelligitur tam propria, quàm proximi; quando scilicet nisi Breviarium omittas totaliter, vel partialiter, cogeris adire aliquod grave incommodum, vel magnum opus charitatis proximo negare; tunc enim turâ conscientiâ omittes de Breviario tantum, quantum erit necesse ad illum finem, ut tradunt passim DD. adferentes causas excusantes à recitatione officii Ecclesiastici, ut si paranda sit subitò concio, si assistendum morituri, si tempore paschali obruat te multitudo pœnitentium. Bonart. *Lib. 3. cap. 39.* Sanchez *cit. Lib. 7. Consil. Moral. cap. 2. dub. 52.* extendens etiam ad tempus Jubilæi, si videlicet, nisi Titium v. g. audias confitentem, negliget ipse Jubilæum. Consentit Alloza *v. Hora n. 11.* loquens generaliùs. At extra necessitatem Jubilæi, vel Paschatis, censet Tambur. *§ 8. n. 16.* rarissimè posse ob confessiones excipiendas omitti Horas. Video equidem, sæpissime fieri, ut nostri Patres pene totos dies sint affixi confessionali, & tamen existimant, & rectè quidem, se teneri deligere, saltem communiter, sibi aliquod tempus vacandi orationi Canonicæ. Si confessarii possunt habere tempus comedendi, & dormiendi, cur non & orandi? inquit Bordonus apud Dianam *Part. 10. Tract. 11. Resp. 32.* Relege, quod de Navarro retuli suprà *n. 715.* & pro majore confirmatione dictorum, melioréque directione tuarum actionum accipe omnia, quæ magnus rerum moralium Magister P. Thomas Sanchez *cit. dub. 52.* scripsit. En admetior ejus verba.

I. Quando subitò supervenit aliqua occupatio, quæ non potuit præveniri, & nequit prætermitti sine scandalo, aut gravi pœna, aut aliorum jactura, & non compatitur horas recitare, excusat, ut si quis esset per totam diem occupatus in audienda confessione existentis in articulo necessitatis, vel in vitando magno scandalo, vel in componendis gravibus inimicitiis, vel rixis ad arma currentium, ita ut tantùm superesset tempus ad esum, & somnum.

II. Sufficiens etiam causa est ad excusandum ab horis, si quis ita esset impeditus circa infirmos, vel aliter, ut nullatenus superesset tempus ad commodè recitandum.

III. Boni confessarii, quando est magna pœnitentium copia, vel instat ultima dies Jubilæi, vel præcepti Ecclesiæ, possunt *licitè* omittere horas, si non possunt recitare, nisi omittendo confessiones quorundam, qui non consequerentur Jubilæum, vel non adimplerent præceptum Ecclesiæ.

IV. Excusatur etiam defensurus actum, vel lecturus lectionem oppositionis, in qua reperimum interest, vel sua, vel Reipublicæ, doctum se præbere, si simul recitare non possit. Probantur hæ omnes conclusiones, quia non obligat magis hoc præceptum quàm præceptum audiendi Sacrum: sed hoc potest omitti propter prædictas causas. Item quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare. Hactenus ipsa formalia verba P. Sanch. probantis singula variis Auctoritatibus.

Eadem exempla sigillatim discutit, resolvens quàm mitissimè Leander *quæst. 34. & seq.* exprimens quoque *quæst. 37.* recitationem Breviarii esse ferè semper incompossibilem cum onere concionandi quotidie, ac proinde communiter excusari tales concionatores. At reor ego,

ego, nihil de hac incompossibilitate sciri in Germania, multòque alios operarios in vinea Domini per Europam, & maximè per Indias, esse, ac fuisse distentos saltem tantis laboribus ac curis, quantis illi concionatores Quadragesimales, & tamen nec suo, nec aliorum judicio fuisse eximios à pensitatione operis divini. Hos inter fuêre Apostolus Indiarum S. Franciscus Xaverius, de quo P. Daniel Bartholus in ejus vita *Lib. 4. n. 56.* & Archidux Leopoldus Guilielmus, de quo paulò pòst.

728 II. Metus excusat, quando quis ex recitatione Breviarii timet probabiliter notabile damnum in Bonis propriis, aut alienis, vel ex metu cadente in virum constantem, factus est Subdiaconus, vel Religiosus; nam, ut talis non tenetur servare votum castitatis, ita neque præceptum de horis canonicis. Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disp. 29. n. 7. At dubitat quis, an non intervenerit error substantialis in sua ordinatione.* Tamburinus *in Decalog. Lib. 1. cap. 3. §. 7. verb. Ordo.* talem excusat. Quid sentiam, dicam *in Alph. Ordinis Casu VIII. n. 205.* De dubitante, an recitârit hanc aut illam Horam, vide suprà *num. 622.*

729 Quæritur III. *De Dispensatione.*

Resp. I. Summus Pontifex potest dispensare etiam cum beneficiato, qui tamen, ut tutus sit in conscientia, cavere debet, ne ejus supplex libellus contineat allegationem causæ non subsistentis.

II. Episcopus nequit *per se loquendo* dispensare, cùm inferior nequeat *per se loquendo* relaxare legem superioris; potest tamen fieri, ut alicubi fuerit per longum usum acquisitum jus dispensandi. Et verò Tamburinus *Lib. 2 in Decalog. cap. 5. §. 8. n. 24.* putat, nec immeritò, jam ubique esse ita præscriptum, si agatur de brevi tempore, quandoquidem iste casus est tam frequens. *Ut* verò quis Canonicus fruatur fructibus beneficii, etiam tempore, quo non legitimè impeditus abest à choro, non existimo, posse per Episcopalem dispensationem obtineri, quandoquidem talis dispensatio esset potiùs vocanda dissipatio. Quando dubitatur, an recitatio sit nocitura valetudini, non est opus dispensatione, Suprà *n. 478.*

730 III. Prælati Ordinum profitentium chorum, gaudent potestate dispensandi cum choristis, Suprà *n. 571.* an verò, & quantâ cum cæteris, docent eorum privilegia, sine quibus non habent utique plus juris, quàm Illustrissimi Domini Episcopi, tantum tameo, quantum hi. Tambur. *l. c. n. 26* loquens de exemptis. Eorum porrò subditi sunt tutissimi in conscientia, cùm superiores ipsis dicunt, eos hìc & nunc e. g. ratione invaletudinis, esse immunes à Lege, ac nominatim Religiosi nostræ Societatis, propter expressum privilegium, cujus hic tenor: Præpositus Generalis, & alii, quibus ipse suam autoritatem ad id communicaverit, commutare possunt Divinum officium nostrorum, quos infirmitate excusandos judicaverint, in aliud opus pium, seu leviorem orationem, durante tamen infirmitate. Iulius III. pag. 75. Ita in *Compend. nostr. privileg. verb. Infirmi, §. 1. & §. 2.* subduntur hæc verba: Per privilegium Fratrum S. Hieronymi nostri infirmi, senes, ac valetudinarii, qui tenentur ad Horas canonicas, satisfaciunt recitando aliquos psalmos, vel id, quod suis confessoribus visum fuerit. Et §. 3. Per privilegium concessum ab Eugenio IV. Fratribus S. Hieronymi, nostri infirmi, seu debiles satisfaciunt Horis canonicis, ad quas tenentur audiendo eas ab alio, vel ab aliis recitari.

Denique cùm videret Leo X.[P] (inquit Ludovicus Miranda *in Manuali Prælat. quæst. 37. art. 12.*) quàm plurimos Fratres Minores diversis agitari scrupulis, circa recitandum officium divinum, qui non parùm ipsorum conturbabant conscientias, eosdem consolari volens concessit iisdem, quòd dicendo Horas canonicas satisfaciant præcepto *Cap. Dolentes. De celebrat. Miss.* de dicendo *studiosè pariter, & devotè*, etiamsi propter aliquam fatigationem vel aliam causam dicant sedendo, vel deambulando, vel non proferendo integre verba, prout sunt scripta, ptopter negligentiam, vel imperitiam, vel malam pronuntiationem naturalem, propter defectum linguæ, seu aliàs qualitercunque Horas imperfectè dicant, aut cum mentis distractione & sensuum evagatione, dum tamen non ex malitia hæc faciant, & quòd, qui cum talibus malè proferentibus, vel alios supradictos defectus facientibus dicunt, officium, non teneantur reiterare ab aliis imperfectè dicta, aut ab iis non integre audita, propter distantiam localem, vel strepitum, seu aliam causam, sed satisfaciant præcepto Ecclesiastico, & Regulæ suæ, qualitercunque audiendo, quæ alii debent dicere, præsertim in choro. Ita Leo apud Mirandam; qui licèt præmittat, concessionem hujus privilegii esse maximâ consolatione plenam, & valde conducentem ad tollendos, atque deponendos multorum Religiosorum (hoc privilegio fruuntur omnes Ordines Mendicantes, unde etiam refertur *in Compend. nostrorum privileg. verb. Hora Canonica §. 5.*) scrupulos, & pacandas & quietandas eorum timoratas conscientias, subdit tamen *concl. 1.* Hoc privilegium, sicut & multa alia nostro Sacro Ordini, sicut aliis in similibus rebus concessa, potiùs sunt, atque esse videntur declarationes juris communis, quàm privilegia, multum tamen conferunt ad tollendos scrupulos, singulariter quando causæ, de jure communi requisitæ, non sunt ita urgentes, ut, secundùm Epiikeiam, & justam legis interpretationem, intelligantur esse claræ, & manifestæ. Ita hic Doctor, declarans quatuor conclusionibus quatuor præcipua membra prædicti privilegii, singulariter verò illud: *Vel non integre ea proferendo*; nam ait, intelligendum, solo casu, quo omissa non constituunt partem notabilem de se cæteroqui necessariò repetendam; subdit quoque ex Navarro, quòd illud privilegium non excuset à veniali eum, qui admittendo aliquos defectus in eo contento, peccâsset venialiter, nisi fuisset privilegiatus, solummodo enim concedi in favorem ejus, ut non obstantibus dictis defectibus satisfaciat præcepto *Cap. Dolentes*, etiamsi eos non suppleat postea; multos verò satisfacere præcepto recitandi, etiam peccando venialiter, etiamsi non mereantur. Sed de toto hoc privilegio fusiùs disserit Navarrus in *Enchirid. De oratione* toties à nobis nominato in hoc Alphabeto, & meritò quidem, quandoquidem refertum est plurimâ doctrinâ Theologicâ & Canonicâ, atque insuper pietate magnâ.

731 Quæres fortè etiam *de excommunicatis, suspensis, degradatis; an hi sint soluti lege Breviarii?*

Resp. Haudquaquam. Sanch. *cit. Cap. 2. dub. 54.* ex communi, & certa; siquidem nec Deus, nec Papa talibus patrocinatur hac in re. Observat autem idem Sanchez, hosce tres abstinere debere à dicendo: *Dominus vobiscum*; hoc quippe spectat ad Ordinem, cujus tamen Omnis usus est ipsis interdictus. Accedit contra excommunicatos, quòd his interdictum sit commercium cum cæteris fidelibus.

Sed neque damnati ad triremes sunt eximii à dicta Lege, juxta Suarium, *Cap. 17. num. 9.* Rodriquez, Laymannum *Cap. 4. num. 2.* alios; sunt eximii juxta Sotum, Lessium, Sanch. *dub. 4.* Dianam *Part. 2. Tract. 12. Resol. 40.* quorum opinio est aliquantò verosimilior respectu Choristarum, quàm Subdiaconorum, etenim per tales Choristas non stat nunc, quò minùs redeant ad Chorum.

Quæres postremò, an, quoniam enumeravimus in decursu tot particulares causas, excusantes coram Deo illum, qui semel, aut sæpius non exequitur *primum incipientibus elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum, opus Angelorum, exercitium cœlestium, spirituale thymiama*, sicuti S. Augustinus *in Prolog. sup. psal. 8.* describit psalmodiam: *Quares*, inquam, *sine fas admittere, aut ponere causas incompossibiles cum recitatione Breviarii.*

732 Resp. I. Patere ex suprà dictis, esse quandoque id licitum, si loquamur de causis, & impedimentis non *permanentibus*, & quasi *habitualibus*, sed quasi *transeuntibus*; quale est, accedere ad moribundum, aut ad confessionale, etsi prævideatur, hæc duo officia non sufficienter obitum iri, si persolvatur oratio canonica. Idem dic de præparanda subitò aliqua concione, quæ nequeat omitti sine scandalo, aut jactura boni spiritualis. Et certè cùm sit fas, quandoque suscipere occupationes incompossibiles cum præceptis de Sacro audiendo, ut vidimus suprà *num. 447. & seqq.* itémque de jejunio, cur non etiam id quandoque permittatur Clerico, præsertim non beneficiato? utpote qui nullo jure naturali, nullâ Lege Ecclesiasticâ, sed solâ consuetudine, ut vidimus *n. 560.* compellitur ad Horas canonicas.

II. At verò loquendo de occupationibus *permanentibus, habitualibus*, seu *constantibus*, Cotonius *controvers. Lib. 3. controv. 3. cap. 6. num. 136.* negat, fas esse, illas etiam ex honesto fine suscipere, adeóque admittere aliquod munus, officium, vivendi, agendi modum, cum quo nequeat stare psalmodia. Reddit hanc rationem, quia psalmodia est opus speciale Clericorum, illis conveniens ratione status, & veluti illorum munus, quibus proinde Ecclesia ita illud præcipit, ut velit eos vacare à mundanis negotiis, ne præcipuam illam occupationem impediant. Et eadem ratio foret, si quis ex peculiari instituto frequentibus jejuniis vacare deberet, uti sunt Carmelitæ Discalceati.

Ita Cotonius, cujus doctrinam censeo esse communiter veram, sicuti declarat notorius quotidianus usus; at non video, quid obstet, quò minùs aliquod vitæ institutum, aliquod certum munus, & officium incompossibile cum Horis Canonicis, non possit esse tam vel utile, aut etiam necessarium, seu bono privato ipsiusmet Clerici, seu publico Regni, aut Reipublicæ, ut *licitè* suscipiatur, cum perpetua omissione Breviarii, utpote quæ necessariò *moraliter* sequatur ex functione illius muneris. Casum individuum in hanc rem leges *Tract. 3. Cas. XVI. num. 483. & seqq.* Idem foret dicendum, si simplex, seu beneficiatus sacerdos, aut Subdiaconus necessarius gubernationi Reipublicæ turbatissimæ, nequiret satisfacere illi gubernationi simul, & obligationi precationis canonicæ. Audi tamen, quid R. P. Nicolaus Avancinus memoriæ prodiderit in hoc genere (fecì jam suprà *num. 710.* sed in alium finem, mentionem) de Sereniissimo Leopoldo Guilielmo *Part. 3. cap. 1.* libri, quem scripsit *de Virtutibus* hujus Religiosissimi simul, & Bellicosissimi simul, Archiducis: *Sed, & illa in hoc argumentum venit, quotidiani pensi persolvendi cura, cujus tempus nec per belli, vel tot conflictuum strepitus, nec per Reipublicæ negotia sibi unquam eripi est passus. Ad Lipsiam profligatus, quem alii obtendebant, lassitudinis prætextum non admisit. Ad Lendium ad conflictum dispositus, cùm diurnæ curæ tempus denegâssent, metuérintque duces vicino hosti per ardorem luminis prodi, ne tamen id sibi afferri imperaret, persuaderi non potuit. Neque verò deproperâsse contentus, suas singulis Horis præmittebat considerationes, quibus animum, cæteroquin facilè vagum, divinis applicatum contineret. Quarum paucas inter secretas ejus devotiones repertas, quia excitandæ plurium inertiæ servire possunt, hìc adnecto.* Et adnectit quidem eo loco idem scriptor; nos autem opportuniùs infrà *n. 856.*

APPENDIX.

a DIctis de causis excusantibus à recitatione Breviarii, addo ex Neusserο resolutionem hujus generalis quæstionis: *Vtrùm dubitans, an sit hic, & nunc excusatus à præcepto de Horis Canonicis, possit licitè eas omittere?* Resolvit autem hic Jubilatus Doctor *De Hor. Canon. disp. 14. quæst. 14. num. 29. affirmativè*, sive adsit *positivum*, sive *negativum* dubium, addens, hanc suam resolutionem admitti à Theologis communiter in matèria *de conscientia*, eò videlicet, quòd quoties lex non est sufficienter promulgata tibi, ea te non obliget, tunc autem non sit sufficienter promulgata tibi, quando dubitas, an ea respectu tui existat, de hoc autem dubitas, quando dubitas, an sis excusatus, nec ne.

b Non facit quidem *expressè* hanc propositionem ille author, sed solùm duas priores, illam tamen necessariò subaudit, alioqui non probat suam resolutionem; cui facilè subscribo in casu, quo cum tali dubio jungitur dubium, an observatio legis allatura sit aliquod notabile incommodum, nec ne, juxta ea, quæ suprà dixi de dubitante, an auditio Sacri, & recitatio Breviarii sit auctura ægritudinem. At verò, quando ex observatione non timetur ullum accidentarium, notabiléque incommodum, patitur difficultatem illa tam generalis doctrina, dici enim potest, sicuti ex omnium, & ipsius Neusseri sententia tenetur dicere Horas ille, qui dubitat, an jam recitârit, & ideo tenetur, quia privilegium possessionis tenens se ex parte legis, sufficienter promulgat obligationem, hîc & nunc urgentem; ita idem privilegium eam obligationem sufficienter promulget dubitanti, an sit excusatus; etenim ante adventum causæ sub dubio excusantis lex erat in possessione, qua, & cujus efficacitate privari non debet ob dubiam excusationem. Unde existimo, permultos Doctores adversari huic Doctoris illius resolutioni, de qua judicet Lector.

Atque hæc de Breviario, & Sacro, scripta c sunto more meo, id est, breviter, atque sine multa concertatione. Placet autem hisce subjicere tres Disputationes, de Tribus maximè controversis, concertationique expositis dubiis, circa Horas canonicas. *Primò*, de *intentione*, *secundò* de *Attentione*, *tertiò* de *Mutatione majoris officii in minus*. Duas posteriores jam conscripsi Annis ab hinc triginta sex, rogatus, ut meam de iis opinionem fultam rationibus aperirem, quas proinde hac occasione emitto in lucem publicam, auctas nunc aliquantulum rationibus, & auctoritatibus. Censui autem præmittendam his *tertiam*, de Intentione, utpote quæ exhibebit subtilioribus causam, clariùs, quàm hactenus factum sciam, edisserendi suum sensum, de hac intricatissima, ut apparebit, quæstione. Sit igitur in nomine Domini.

TRI-

TRIGA HORARIA SEV TRIPLEX DISPVTATIO

De Intentione, Attentione, & Mutatione Horarum Canonicarum.

DISPVTATIO PRIMA Problematica.

DE INTENTIONE.

Vtrùm, & quando Horæ Canonicæ sint recitandæ cum intentione orandi.

SUMMARIUM.

Nomen orationis sumitur tripliciter. 733.
Quid sit intentio orandi, & quotuplex. 734.
Implicita & virtualis *quandoque confunditur. Ibid.*
Satisfacturus penso canonico non elicit necessariò intentionem orandi expressam, & actualem. *737.*
Tenetur tamen habere aliquam orandi intentionem. 740.
Probatur quatuor rationibus. 741. & 742.
Refertur sententia Patris Dicastillo id negantis. 744.
Producuntur rationes pro hac sententia. 746. & seqq.
Breviarii magna pars non continet orationem propriè. 748.
Sententia Patris Dicastillo non est penitus improbabilis. 751.
Nihilominus tamen est deferenda. 752.
Itaque non satisfacit, qui legit Breviarium solùm, ut ediscat memoriter. 753.
Non tamen delinquit, qui ideo magis attendit, ut aliqua ex Breviario retineat memoriâ prò contione. 755.
Ecclesia an imperet actus internos? 755.
Per intentionem orandi necessariam hîc quid intelligatur? 756.
Recitatio Breviarii est vera Oratio. 757.
Descriptio officii canonici varia. 760.
Sufficit, si habeas intentionem pronunciandi verba Breviarii animo venerandi, quà laude, quà gratiarum actione, quà precatione, Deum. 762.
Non tenemur exercere illos internos actus virtutum, quos indicat Breviarium. 763.
An verba Breviarii sint recitanda significativè? *764. & seqq.*
An omnes Clerici teneantur officium recitare nomine Ecclesiæ? 769. & seqq.
Dicimur tripliciter orare pro alio. 769.
An licitè *suum Breviarium offerat quis pro aliquo? 779. & seqq. distinctè.*
Orationis præstantia, & vis. 771.
Quas preces licitè *pro se recitet Clericus? 772.*
An graviter peccet beneficiatus, qui totum fructum Breviarii applicat sibi, vel alteri privato? 778. & seqq.
Facienda distinctio quoad applicationem inter orationes loquentes in numero plurali, & loquentes in numero singulari. 782.
Quale templum intelligatur in orationibus prò Dedicatione Ecclesiæ? 783. & seqq.
Singularis observatio, quando occurrit infra Octavam Dedicationis propriæ Ecclesiæ Dedicatio alicujus Ecclesiæ Romanæ. 784. & seqq.
Quale templum nominatim intelligatur à nostris, quando infrà octavam Dedicationis celebrant extra Ecclesiam? 787.
Significatio demonstrativi: Hoc *788. & 785.*
An debeat omitti ab Quicunque intra templi hujus? *788.*
An non adstricti choro orent nomine Ecclesiæ? 789.
An recitatio Breviarii habeat aliquem effectum ex opere operato? *792.*
Hortatio ad piam recitationem. 793.

SVpponendum est I. nomen Orationis sumi à scriptoribus Ecclesiasticis, & ipsa Sacra scriptura, tripliciter; scilicet *generalissimè*, *generaliter*, & *specialiter*, ut loquitur Navarrus *in c. Quando, seu in Enchirid. de Orat. & Hor. Can. prælud. 5. num. 8. & 9.* Oratiò *generalissimè*, significat quamlibet sanctam operationem; *generaliter*, Laudem DEI, gratiarúmque actionem; *specialiter*, petitionem rei alicujus decentis à Deo; ergo dum quæ- 733

rimus, utrùm recitaturus Breviarium debeat habere intentionem orandi, est perinde, ac si interrogemus, utrùm oporteat habere intentionem exercendi aliquam ex his tribus generibus actionum; quod quidem planè nihil aliud est, quàm scisciari, an teneamur recitare Breviarium per modum orationis, *latissimè*, *latè*, aut *strictè* dictæ?

734 Supponendum II. intentionem, quæ nil aliud est, quàm propositum, seu voluntas efficax, dividi I. in *Actualem* & *Habitualem*. *Actualis* est illa ipsa voluntas efficax, quæ nunc existit re ipsa, seu in se ipsa. *Habitualis* autem accipitur tripliciter. Inprimis pro ea, quam quis nunquam habuit, esset tamen eliciturus nunc, si cogitaret de elicienda. Deinde pro ea, quam habuisti quidem actu, at jam non ampliùs habes, attamen non retractâsti, nec revocâsti. Dicastillo *Tom. 1. in 3. p. Tr. 1. disp. 3. num. 29.* Tertiò pro ea, quam RR. vocant *virtualem*, quæ nimirum aliquando re ipsa extitit, & nunquam revocata fuit, & adhuc perseverat in aliquo effectu. Vtrùm verò ita perseveret in aliquo effectu, ut revera de ejus substantia nihil ampliùs supersit, an verò aliquid parum de ejus vero esse supersit, & vocetur solùm ideò *virtualis*, quòd non percipiatur illud parum, quod de eo adhuc supereſt, indigitetur autem *Actualis*, dum, & quatenus est, quasi sensibilis, ut videtur Dicastillo, & aliis quibusdam Recentioribus, non est hujus loci disputare. Potiùs observo, intentionem *Virtualem* sæpe à scriptoribus, ac nominatim à Leandro *Disp. 4. quæst. 33.* confundi cum *Implicita*, ac describi hoc modo: Intentio *Implicita* & *Virtualis* est illa, quæ vel fundatur in actu præterito elicito *formaliter*, & remanet aliquo modo saltem *virtualiter* depræsenti, vel reperitur in eo, qui habet voluntatem satisfaciendi obligationi, vel implendi suum munus; vel in eo, qui, si interrogaretur, cur acceperit Breviarium, responderet, se id facere ad recitandum. Quo ultimo exemplo confundit hic author intentionem *Habitualem* cum *Virtuali*, & *Implicita*. At nos cum aliis loquentibus aptiùs distinguimus ab *Implicita*; ut jam jam patebit.

735 Dividitur enim 2. intentio in *Implicitam* & *Explicitam*. *Explicita* est, qua aliquid à nobis cognitum in se, & non tantùm in alio, volumus, vel actu *directè*, & *per se* tendente in illud; & hoc est *formaliter* velle; vel actu tendente *directè* in rem, cui scimus illud esse conjunctum, seu qua scimus non posse nos potiri sine illo. Dicastillo *num. 5.* At intendimus solùm *implicitè* id, quod solùm obscurè & confusè cognoscimus esse rei, quam *expressè*, seu *explicitè* appetimus, inseparabiliter, vel hîc, & nunc conjunctum, sive tanquam partem toti, sive tanquam inferius superiori, particulare universali, sive tanquam proprietatem, aut accidens. Quo pacto volens suscipere Subdiaconatum expressè quidem hunc petit, at tantùm *implicitè*, seu *interpretativè* onus recitandi Breviarii, si tantùm in confuso cognoscit, esse aliquod onus grave annexum prædicto Ordini; quod onus si etiam clarè cognoscitur, censetur etiam eligi *expressè* secundo modo paulò antè indicato. Ita Dicastillo.

736 Dividitur 3. in intentionem *Directam*, qua aliquid *expressè*, *formaliter*, & in se appetimus. Tannerus *Tom. 2. disp. 2. quæst. 1. num. 30.* & *Indirectam*, qua vel aliquid volumus non in se, sed in sua causa, vel non impedimus, quod possemus, ac deberemus impedire. S. Tho. *1. 2. quæst. 6. ar. 3. & quæst. 77. ar. 7.* Copiosiùs, & distinctiùs de divisione Intentionis disserui *in Clavi, seu Tract. de Sacramentis in Genere sect. 2.*

737 Supponendum est III. non esse quæstionem, utrùm oporteat formare intentionem orandi *actualem expressam*; etenim est communi calculo Theologorum Moralium approbata doctrina, & Regula, quam sapiens Navar. *loc. cit. cap. 13. num. 6.* exhibet his verbis: *Qui petit, vel accipit Breviarium, cum proposito expresso recitandi, ut debet, vel animo deliberato capit Breviarium, & ad Ecclesiam it, vel aliquid simile facit, ita ut interrogatus, quare id faciat, verè responderet, se id facere ad recitandum, vel satisfaciendum suæ obligationi, habet sufficiens propositum attendendi, atque adeò orandi, siquidem Ecclesia præcipit recitationem per modum orationis*; testatúrque Navarrus, se magnam hausisse consolationem, quando vidit, hanc ipsam doctrinam fuisse traditam à Parisiensibus, id est, Ioanne Majore. Proinde apud omnes in confesso est, intentionem orandi *habitualem* in 738
secundo (si non intercessit longum tempus) & *tertio* sensu superiùs indicato, acceptam, sufficere hoc loco, sicuti & sufficit *habitualis* in *primo* sensu, quando habetur aliquod indicium illius, etsi valde tenue. Item, quod suprà in ipsomet *Alphab. Cas. VII. num. 201.* dixi de audiente quidem Missam, at cum protestatione non satisfaciendi præcepto, sed aliam audiendi, id ipsum pronuntiant authores illic citati, de recitante quidem Breviarium cum intentione orandi, at expressè addente, se recitare ex sola devotione, velle enim se manere obligatum ad legendum adhuc semel.

His suppositis, quæruntur de intentione 739
sequentia 1. *Vtrùm astrictis Breviario incumbat obligatio recitandi cum* implicita, *vel* explicita, actuali *vel* virtuali *intentione orandi*, *an verò sufficiat intentio addiscendi, seu se obligandi, &c.* 2. *Vtrùm posito, requiri aliquam intentionem orandi, sufficiat intentio orandi latè, aut latissimè loquendo, an verò exigatur intentio orandi strictè, & propriè?* 3. *Quo sensu dicantur Clerici recitare officium nomine Ecclesiæ?* 4. *Vtrùm pia recitatio Breviarii aliquid impetret ex opere operato, an solùm ex opere operantis?*

740 Dico I. Adstricti penso canonico tenentur illud persolvere cum aliqua intentione orandi. Hanc conclusionem esse certam, & à nemine negari, testantur Suarez *De Legib. lib. 4. cap. 13. num. 6. & 7.* ac rursùm *Lib. 4. de Orat. & Hor. Canonic. cap. 26. num. 12.* Item Oliverius Bonartius *Lib. 2. de Hor. Canon. cap. 35. num. 10.* Et verè omnes, quà Theologi, quà Canonistæ, qui differunt, vel de intentione, vel de attentione in officio divino, exprimunt, aut certè supponunt apertè hanc doctrinam, excepto P. Dicastillo, de quo paulò pòst; in specie autem ita sentiunt præter illos duos authores, Navarrus. *Cit. Enchirid. de Orat & Hor. Can. prælud. 5.* Arragonius *in 2. 2. quæst. 83. a. 13. vers. Sed dubitabis*; Lessius *Lib. 2. de justit. cap. 37. num. 67.* Azor *Tom. 1. lib. 10. cap. 8. quæst. 7. in fin.* Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 13. n. 3.* Reginaldus *Lib. 18. num. 149.* Gavant. *in Rubr. Breviar. sect. 1. cap. 5. Tit. 4.* recentissimus Antonius Coton. *Celebrium controv. Tom. 1. Lib. 3. cap. 5. num. 105.* Sanctgallenses *in suo Curs. Theolog. Tom. 7. Tract. 1. sect. 2. quæst. 2. dub. 1.* recentissimus item Leander de Sanctissimo Sacram. *Quæst. Moral. P. 1. Tr. 8. disp.*
741 *14. quæst. 36.* cirans Faustum, & Corro. Ratio fundamentalis est, quia generalissima, constantissimáque consuetudo cum S. Thom. *2. 2. quæst. 83. ar. 12. in Corp.* hactenus ita interpretata est omnes Canones Patrum, & Conciliorum antiquissimorum, indicatorum à Suar. *Cit. lib. 4. cap. 2.* & Bellarm. *Lib. 1. de bon. oper. in particul. cap. 13. & 14.* Ut *Cap. 1.* Clement. *De celeb. Miss. Cap. fin. dist. 92. Cap. In die. De consecrat. dist. 5. Cap. Presbyter. De celebr. Miss.* ac Bullas Pontificias, imperantes pensum canonicum. Hujus autem consuetudinis testes sunt, quotquot pertractârunt hanc materiam. Vnde locum habet hoc loco illud Pauli I. C. *in L. 23. ff. De Leg. responsum: Minimè sunt mutanda* (aut in dubium revocanda) *quæ interpretationem certam semper habuerunt*, & quod ait Nicolaus Papa *c. Ridiculum. dist. 12. Ridiculum est, ut traditiones, quas antiquitus à Patribus accepimus, infringi patiamur.* Ratio est *secunda*, quia & Breviarium fuit olim vocatum *Orarium*, ab orandò. Gavantus *in Rubr. Brev. sect. 2. cap. 11* & Concilia, ut nominatim Basil. *Sess. 21. §. si quis & §. quoscunque*; itémque Pontifices, atque in specie S. Pius V. in Bulla præfixa Breviario recitationem Breviarii vocant *orationem*, *& preces*.

742 Ratio est *tertia*, quia ipsa nuda lectio rerum contentarum in Breviario, est res merè indifferens, præsertim si fiat in idiomate ignoto; non est autem credibile, quòd Ecclesia, atque omnes Superiores Ecclesiastici, tam sæculares, quàm Regulares, tot legibus, & statutis urgerent publicam, privatámque recitationem Breviarii, nisi supponerent, atque etiam vellent persolvi tali modo, qui ex indifferente faceret bonam: non videtur autem commodiùs posse ex indifferente, & adiaphora evadere in bonam, honestam, meritoriam, quàm si fiat per modum orationis.

743 Ratio est *quarta*, quia Subdiaconi, & Beneficiati obligantur reipsa ad ejusmodi intentionem, si se obligaverunt ex pacto ad illam, quando susceperunt beneficium, aut Subdiaconatum; videntur autem se obligâsse ex pacto; quia universalis illa consuetudo, de qua suprà, videtur satis indicare, quòd Ecclesia admittat homines ad hunc ordinem & beneficia Ecclesiastica, sub, aut cum conditione, ut subeant prædictam obligationem, sintque Ecclesiæ legati ad tribunal divinum.

744 Nihilominus tamen P. Joannes de Dicastillo, vir sanè doctus, ac sapiens, *in 1. Tom. in 3. Part.* atque adeò *Tract. 5. de Euch. disp. 5. dub. 7. num. 86.* cùm priùs generalissimè negâsset, posse ab Ecclesia imperari etiam *indirectè* ullum interiorem actum, qui non sit necessarius ad existentiam *physicam* exterioris, atque indè intulisset *num. 85.* Ecclesiam nec re ipsâ præcipere auditionem Missæ ex motivo Religionis, subinfert. *num. 86.* hæc verba. *Patet 2. intentionem vanæ gloriæ, aut vanæ curiositatis, aut intentionem addiscendi, vel quamcunque aliam, quæ non impediat externam actionem assistendi Missæ, quantum ad externum modum, ut fieri solet, quando impletur præceptum, nullo modo impedire, quò minùs per illam actionem externam impleatur præceptum sive audiendi Missam sive recitandi Horas. Ratio est efficax ex dictis, quia prædictæ omnes intentiones*, (tam bonæ, quàm malæ) *& actiones internæ, nec sunt necessariæ, nec repugnantes cum externa actione audiendi Missam, & recitandi Horas.* Hæc ille; proinde tradens apertè, expleri præceptum de Horis Canonicis ab eo, qui eas legit, aut ex memoria pronuntiat, sine ulla prorsus intentione orandi, sed solùm ad discendas illas, aut illarum aliquid.

745 Qui ita *absolutè* sit, post aut ante hunc authorem, locutus, vel scripserit, ignoro ego quidem, nec quisquam, quantum memini, est, qui referat, vel antesignanum, vel asseclam, licèt Ioan. Medina *Cod. de Orat. quæst. 16.* apud Suarez *cit. cap. 26. n. 12.* pronuntiet, posito, quòd Clerici non teneantur sub mortali attendere ad Breviarium, consequenter non obligari orare; hanc verò hypothesin pro probabili habet *q. 6.* videtur tamen (suppositio, quòd recitatio Breviarii sit merè juris *humani*) esse necessariò admittenda hæc doctrina ab omnibus illis, qui negant, posse ab Ecclesia imperari *directè*, aut *indirectè* actus ullos merè internos. Sanè negare videtur S. Thom. *1. 2. quæst. 91. art. 4. & q. 100. art. 9.* & apertè Gabriel *in Can. Miss. lect. 62.* hanc ob causam negans, posse ab Ecclesia præcipi attentionem

in

in recitatione Breviarii: apertè quoque inficiatur Navarrus *De pœnit. disp. 17. num. 19. & seqq.* fusè probans, non posse ab Ecclesia præcipi id, quod nequit ab ea puniri. Apertissimè, & ex instituto Dicastillo, Coninck, Comitolus & Lugo, locis expressis *in hoc Alphabeto num. 230.* Item Vasquez *Tom. 4. in 3 p. quæst. 90. art. 5. dub. 4* referens *num. 1* Durandum, Paludan. S. Anton. Angelum, Castro, Cajetanum, Sotum, Sylvestrum; sed hi tres non ita amplè loquuntur, dum agunt de attentione in horis.

746 Probatur itaque sententia Patris Dicastillo *inprimis* generali illâ ratione de Ecclesiæ impotentia ad imperandos actus merè *internos*, non necessarios ad existentiam *physicam* exteriorum. Probatur 2. inde, quòd non debeamus ullam gravem obligationem asserere, sine apertâ vel lege, vel consuetudine obtinente vim legis, sicuti testimoniis Theologorum, Canonistarum, legum, demonstro in *Clypeo Clem. Indicum*, tenente primam sedem *in Quinario*, seu *altero Tomo meorum operum*, recusso hoc Anno 1679. etiam Monachii per totum; quibus adde pulchram sententiam, referendam ex Arragonio infrà *num. 778.* Atqui nulla Lex scripta potest exhiberi, quæ præcipiat intentionem orandi, omnes enim Canones, qui imperant, ut Clerici pensum suæ servitutis persolvant *cap. 1. De celebr. Missæ* divinum officium devotè persolvant *Cap. Dolentes. eod.* sacrificium Laudis, fructum labiorum suorum Deo offerant. Clement. *eod. tap. 1.* divinas Laudes non festinanter persolvant. Concil. Basileensi *Sess. 21. §. quoscunque*, in hymnis Dei nomen devotè, & reverenter laudent. Concil. Trident. *Sess. 24. De reform. cap. 12. in fin.* & aliæ ejusmodi quà præceptiones, quà admonitiones, acceptæ in proprio sensu, possunt etiam intelligi de sola vocali laudatione, persolutione, id est, de vocali, decentéque pronuntiatione verborum, atque sententiarum significantium Laudem Dei. Sanè sicut nos laudamus Deum pulsu Organorum, nihil utique cogitantium de oratione, ita etiam potest Ecclesia per suos ministros, Clericos, orare, & laudare Deum, etsi hi careant intentione laudandi, orandi, modò proferant, qua par est decentiâ exteriore, sententias significantes Dei magnalia, itémque Ecclesiæ vota, & gemitus ad Deum.

747 Consuetudinem quod attinet, quandoquidem intentio orandi est merè *interna*, quis erit ejus testis? Quis etiam testis conditionis adjectæ in concessione beneficii, aut Ordinis Sacri? de qua in argumento *quarto*. Et qui secuti fuerunt opinionem tot antiquorum DD. quot nominabimus *Disp. seq.* pro sententia negante necessitatem *internæ* attentionis inter psallendum, an non plerique, aut omnes inferebant ex illa sua opinione unà cum doctissimo Medina: *Ergo nec mihi potest imperare Ecclesia, ut habeam intentionem orandi?* Sanè hæc consequentia est valde obvia, & non irrationabilis, cùm præsertim sint non pauci DD. qui censeant, attentionem esse de essentia orationis etiam *vocalis*, ut videbimus *Disp. seq.*

Augetur difficultas inde 1. ac sumitur *tertium* 748
argumentum contra communem sententiam, quòd, ut alia præteream, si expendamus psalmos, qui in festis Sanctorum præscripti sunt, pro Matutino, & Vesperis, eósque colligamus cum Lectionibus, Capitulis, & Canticis, fateri cogamur, non quintam, non sextam partem harum duarum horarum posse vocari orationem, id est, precationem, etiam *reductivè*, & *dispositivè*, nisi *remotè*. Quin illæ ipsæ precationes, seu petitiones, quæ exhibentur in psalmis, jam magnam partem non sunt preces, id est, jam non potest peti id, quod petebant ii, qui illas conscripsêre; psalmographi enim in iis psalmis partim in sua propria, partim in Christi persona postulârunt plurima bona concedi sibi, aut mala averti, quæ jam literaliter nequeunt postulari. An ergo vult Ecclesia, ut mutem sensum literalem? & quid ea imperatà me peti iis versiculis, de quorum sensu digladiantur doctissimi interpretes?

Quæso, pro quo templo debeo supplicare 749
Deo, quando lego in Dedicatione Basilicæ Salvatoris, aut alterius Romanæ Basilicæ recito, seu peritus, seu imperitus linguæ latinæ, communem orationem: *Deus qui nobis per singulos Annos hujus sancti templi &c.* An pro Romano? Atqui demonstrativum *hujus & hoc*, non designat mihi existenti Constantiæ templum distans centum leucis, imò nec ullum planè templum, quando sum in medio lacu Acroniano.

Augetur ergo difficultas inde 2. & sumi- 750
tur *Quartum* argumentum contra communem persuasionem, quòd ex ratione immediatè præcedenti sequi videatur, omnia planè, quæ comprehenduntur Breviario, recitare licere *materialiter*, & *recitativè*, non autem oportere *formaliter*, & *significativè*, adeóque sufficere recitare eò modo *interno*, quo actor in pia aliqua comœdia proloqueretur ejusmodi sententias; nam & imperiti latinæ linguæ non videntur posse aliter pronunciare, & quando dicis cum, seu potiùs ex Propheta Regio: *Benedicam Dominum in omni tempore: Iuravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ: Adhæreat lingua meæ faucibus meis, si non meminero, &c. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua?* Quando, inquam, hoc etiam deliberatissimè, id est, tibi præsentissimus dicis, nequaquam intendis significare ea, quæ indicantur his versiculis Grammaticaliter sumptis, alioquimentireris, si non haberes animum laudandi Deum in rebus tam tristibus, quàm lætis, si non jurâsses, te nullum peccatum mortale unquam admissurum &c. at non mentiris, si hæc recites perinde, ac faceres in aliqua, vel comœdia, vel concione, quando solemus citare Sacram scripturam, tunc enim ejus verba proferimus solùm *materialiter*, & *recitativè*, non verò *formaliter*, & *significativè*; ergo sufficit, si rectè *materialiter*; ergo sufficit, si habeas intentionem recitandi *materialiter* duntaxat, ergo non requiritur intentio orandi, ergo nil obest, si adsit sola intentio mandandi memoriæ. Propter hasce rationes.

751 Dico II. Sententia illa Patris Dicastillo videtur mihi non penitus improbabilis. Ratio est, quia & allata argumenta sunt non levia, & responsiones ad fundamenta contraria videntur nequaquam spernendæ; addendo pro solutione *tertii* fundamenti, quòd attentio *exterior*, quam omnes fatentur imperari, sit sufficiens ad faciendum opus ex indifferente bonum *moraliter*.

752 Nihilominus tamen est constanter adhærendum communi opinioni, utpote conformi, quantum quidem puto, menti totius Ecclesiæ; certè est conformis menti Ecclesiæ Germanicæ; dum enim de recitatione Breviarii loquimur Teutonicè, dicimus: *Iste orat Breviarium, nondum oravit Vesperas &c.* Tametsi Galli, atque Itali soleant uti verbo: *Dico: Dicam meas Horas. &c.*

753 Et verò ad intentionem addiscendi quod attinet, eam sufficere, negant præter Suarez in terminis Arragonius *in 2. 2. quæst. 83. art. 13. vers. Sed dubitabis* dicens: *Qui recitat officium divinum non animo orandi, sed aut legendi, aut psalmos addiscendi, tenetur illud reiterare, siquidem talis tenetur orare, & non orat.* Azor *Lib. 10. cap. 8. quæst. 2. in fin.* loquens de animo præcisè legendi. Lessius *Lib. 2. De just. cap. 37. num. 67.* loquens de legente, & addiscente. Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 13. num. 3.* loquens de attentissimè quidem legente, sed ex sola voluntate legendi, vel addiscendi. Reginald. *Lib. 18. num. 145.* loquens de legente tantùm animo capiendæ recreationis, in legendo Breviario, vel intelligendi gratiâ, vel memoriæ mandandi, vel alium docendi illud ipsum officium: Gavant *in Rubr. Breviar. sect. 1. cap. 5. Tit. 4.* loquens de tantùm legente, & non orante.

Adferunt autem omnes rationem, quam Arragonius, quòd scilicet recitatio Breviarii, imperata ab Ecclesia, sit Oratio.

754 Qua opinione ante omnes istos imbutus Navar. *De Orat & Hor. Can. cap. 13. num. 15.* dat hanc *practicam* resolutionem: *Qui accipiens Breviarium in manus, & expectans socios, sine proposito recitandi, vel satisfaciendi suo muneri, legit in eo easdem Horas, quas recitare debebat, vel earum partem, compellitur postea denuò recitare, etiamsi socii non advenerint.*

755 Ad *primam* rationem allatam *num. 746.* respondeo id ipsum, quod, pro tuenda intentione audiendi Religiosè Missam, dixi *in ipso Alphabet. Cas. VII. num. 189. & seqq.*

Ad *secundam* dicitur, communi sensu DD. cum S. Thom. *2. 2. quæst. 83. art. 13.* sufficienter probari ipsam consuetudinem generalissimam, antiquissimam, quæ vel ita est interpretata Sacros canones, vel induxit obligationem orationis. Posse autem à consuetudine præstari hoc utrumque, id est authenticè explicari leges, aut novas constitui, constantissimum est ex jure Canonico *Tit. De consuetud.* Ex Civili. *ff. De Legib.*

Ad confirmationem duplicem allatam *num. 748. & 750* petetur responsio ex mox sequente conclusione, & ejus appendicibus, interim observando, non videri repugnare menti Ecclesiæ illum, qui ideo adhibet majorem attentionem, ut possit tantò felicius aliqua imprimere memoriæ pro instante concione, aut qui facit reflexionem aliqualem super lecta, ut eorum sit memor in concione; si autem se reflectat ideirco, ut vel tunc, vel pòst magis proficiat in spiritu, merebitur laudem, ne dum viuperium.

Dico III. Per intentionem orandi requisitam 756
in *prima* conclusione, non intelligitur sola intentio orandi, vel *generalissimè*, vel *specialiter*, sed *generaliter*. Me explico. Ut satisfacias præcepto de penso canonico non sufficit, si dicas: *Volo recitare Breviarium solùm, ut exerceam aliquod bonum opus.* 2. Nequeetiam requiritur, ut dicas *Implicitè* vel *explicitè: Volo totum Breviarium orare per modum supplicis, petentis à Deo illa, quæ Ecclesia vult, ut per verba in eò contenta petantur*; sed 3. sufficit si *expressè* dicas: *Volo jam partim laudare Deum, partim gratias agere, partim precari.*

Prima pars hujus conclusionis, & explica- 757
tionis videtur esse contra Cajetanum *in Summa. verb. Hora Canonica n. 8. & seqq.* ubi ad executionem hujus legis non exigit, nisi intentionem *vacandi Deo.* Sed refutatur inde, quòd hinc sequatur, illum satisfacturum, qui diceret: *Nolo per hanc recitationem dicere Deo laudes, gratiasve, aut quidquam ingenere, vel in specie postulare ab illo, sed volo præcisè idcirco legere Breviarium, quia est lectio rei Sacræ, aut Deò grata*; atqui non videtur hoc admittendum. Minor probatur in primis authoritate; etenim omnes passim DD. cum S. Thoma *2. 2. q. 83. a. 12. in Corp.* vel apertè dicunt, ut Cotonius *loc. cit. num. 105.* vel manifestè supponunt, recitationem Breviarii esse propriè, & verè orationem, seu precationem, supponunt, inquam, hi, aut exprimunt, dum quærunt: Utrùm peccetur graviter negligendo attentionem *exteriorem*? Probatur deinde authoritate tum Canonum, tum Conciliorum id ipsum supponentium. Certè id clarè supponit Concil. Basileense *Sess. 21. §. Si quis.* Probatur tertiò rationibus mox adferendis.

Fateor tamen, non esse ullum scrupulum 758
moven-

movendum illi, qui se accingens ad persolutionem pensi Horarii, format duntaxat intentionem expressam his verbis: *Volo jam colere Deum: Vacare Deo: Honorare Deum*; qui enim ira *expresse* loquitur, habet nihilominus absque dubio *generalem* intentionem implendi præceptum Ecclesiæ, ergo & verba Breviarii proferendi eo sensu, & fine, quem præscripsit Ecclesia.

759 *Altera* pars positæ conclusionis videtur esse contra Navarrum *De Orat. & Hor. Canon. prælud 5. num. 9. & 10.* ubi tradit, Laudes Dei, gratiarum actiones, & alia, quæ ultra propriè dictas preces exhibentur in Breviario, esse quædam præambula, media, & præparamenta, quo petitiones nostras attentiores, ferventiores, & efficaciores reddamus, & consequenter sint partes petitionum: sed negandum est, illa omnia esse partes orationum propriè dictarum, quia neque ex sua natura, neque ex institutione, & præcepto Ecclesiæ; hæc enim est contentissima, ut quando proferimus versiculos continentes, vel præconia divina, vel gratiarum actiones, vel humiliationes, vel bona proposita, aut desideria, exprimamus illos ipsos actus, qui indicantur iis versiculis, exprimamus, inquam, sine ulla relatione ad Orationem, seu sine intentione permovendi Deum, ut tantò faciliùs nos exaudiat in precibus propriè dictis; nam illi actus sunt seorsim, absolutè, & sine tali relatione honestissimi, & Ecclesia non utique præcipit, ut eos exerceamus tanquam mercenarii.

760 Inde fit, ut omnes psalmos claudamus cœlesti illo versu: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, præmittamúsque *τὸ Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* itémque Psalmum 94. *Venite exultemus Domino jubilemus Deo &c.* & denique exsolutio pensi canonici soleat absolutè à Sacris Canonibus vocari Sacrificium laudis, Clement. *De celebr. Miss. cap. 1.* Divinæ laudes, Concil. Basil. *Sess. 21.* Hymni, & Cantica, Trident. Concil. *Sess. 24. de Reform. cap. 12.* Opus Dei, sæpissime in Regula S. Benedicti. Et utique illi alteri parti nostræ conclusionis, qua etiam confirmatur *prima* pars adversus Cajetan. adstipulatur Bellarm. *Lib. 2. de bon. oper. in particul. cap. 10.* definiens, officium Canonicum esse certam rationem publicè laudandi, precandíque Deum. Lessius *De just. cap. 37. num 67.* ideo damnans de peccato mortali recitantem cum solo animo discendi, quòd talis non oraverit, nec laudaverit Deum, quod tamen ei præceptum erat. Tannerus *Tom. 3. disp. 5. quæst. 1. num. 152.* scribens, sufficere intentionem laudandi, colendi, & orandi Deum. Filliucius *Tract. 21. num. 251.* Palaus *P. 2. tract. 7. disp. 2. p. 3. num. 4.* dicentes, sufficere intentionem laudandi. Escobar *Tract. 5. exam. 6. num. 55.* dicens: Officium Canonicum esse laudes. Et maximè Cotonius infrà *num. 766.* Roboratur hæc eadem doctrina argumento proposito suprà *num. 748.*

Quare est pro praxi notanda doctrina, quam 765
Suarez *Lib. 3. de Orat. cap. 2. num. 14.* tradit, dicens, illas partes Breviarii, quibus narrantur nonnulla, esse habendas pro lectione Sacra, præscripta, vel ad præparationem orandi devotiùs, vel ad renovandam fidei memoriam, vel *ad aliquam fidelium institutionem.* Si ad institutionem fidelium, quidni ad tuammet legentis? Ergo ages conformiter menti Ecclesiæ, si omnes illas particulas, & partes Breviarii, quæ continent expressas instructiones, adhortationes, narrationes, interpretationes, admirationes, comminationes, recites cum reflexione ad te ipsum; nec delinques, licèt nihil horum referas aliò, quàm ad te ipsum; & interea, dum hæc legis, nil aliud volvas animo, quàm tuum fructum spiritualem. Idcirco meritò dixi superiùs *num. 755.* te meriturum laudem, si, dum legis ejusmodi verba, sententias, integras lectiones, integras homilias, facias reflexionem ad te ipsum, applicando tibi: & consequenter eris immunis à peccato, si etiam tunc cogites, te illis verbis, sententiis, historiis usurum ad institutionem tuorum parochianorum &c.

Ex his sequitur 1. Veram esse *tertiam* par- 762
tem conclusionis positæ *num. 756.* quòd videlicet sufficiat, si quis Breviarium pronunciet animo venerandi quà laude, quà gratiarum actione, quà precatione Numen. Nullum sanè fundamentum habemus exigendi plus, nec, ut exigamus minus permittunt Canones, & DD. communiter. Censeris autem reipsa laudare Deum, quando cum attentione *Virtuali*, vel *Actuali* profers verba significantia laudem divinam: propriè gratias agere (quod sanè est quoddam genus laudandi) quando verba precatoria, dummodo præcesserit, aut comitetur intentio *Explicita*, vel *Implicita*, *Actualis*, vel *Virtualis*, utendi illis verbis ad laudem, gratiarum actionem, petitionem. Porrò ne dubites, quin præcesserit hæc intentio, si cœpisti orare, ut satisfaceres quàm optimè tuo officio, non ignorans, in libro, ex quo solvis tuum debitum, contineri verba, ac sententias tendentes in hunc triplicem finem; esto non scias, in quo folio, aut qua parte tui libri legantur. Unde Leander testatur, esse certum, atque communiter receptum, quòd ad debitè, & attentè recitandum sufficiat, habere illam intentionem *Implicitam*, seu *Virtualem* recitandi, quam ex eo descripsimus suprà *num. 734.* adductis exemplis, quæ ipse pro legitimis habet adeóque modò habeas *generale* saltem, & *Implicitum* propositum satisfaciendi tuo muneri Sanctgallenses *loc. cit.*

Unde ulteriùs sequitur 2. Nos non obligari 763
exercere, seu elicere illos actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, humilitatis, bonorum propositorum, admirationis &c. qui indicantur

tur verbis psalmorum, hymnorum, lectionum, capitulorum, Antiphonarum, responsoriorum, &c. sunt enim distincti ab actu precationis, laudationis, gratiarum actionis, forétque gravissimum onus etiam doctis, prorsus intolerabile indoctis, Clericis, & Monialibus, si adigerentur ad tales actus exercendos. Licèt igitur nullum propositum habeas benedicendi Dominum in omni tempore, semperque habendi laudem ejus in ore tuo, non tamen mentieris dicendo deliberatissimè: *Benedicam Dominum in omni tempore*, id est, inter prospera, & adversa laudabo Deum, esto initio Matutini *expresse* dixeris, te velle eo sensu proferre, & prolatas esse omnes, & singulas sententias Breviarii, quo intendit Ecclesia; etenim non intendit, seu exigit Ecclesia, ut eo planè sensu promas illam propositionem de futuro contingente, quem indicant verba *Grammaticaliter* sumpta, sicut nec illum de præterito: *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.*

APPENDICULA.

VIde alia, quæ hanc in rem dixi *Tract. 3. n. 822.* & *823.* atque adde, perpendum esse, ut quivis conetur imitari Illustrissimum doctrinâ, virtute, dignitate Dominum Alanum de Solminihac Episcopum, & Abbatem Ordinis Canonicorum S. Augustini, atque instauratorem in Gallia, utpote, qui, interprete Dominico Bisselio (de quo nos *Tract. præced. n. 442. in App.*) *in Lib. 1. c. 10.* præclarissimæ Vitæ illius Abbatis; *Id, quod concinens ore promebat, eodem etiam tempore gerebat in animo suo. Si psalmus de bonitate Dei loquebatur, eum amare totis viribus fatagebat; si de misericordia, grates rependebat, &c.* Titulus illius lectu dignissimi libri est: *Idea Boni Prælati.*

764 Sequitur 3. Responsio ad difficultatem tactam suprà *n. 750.* utrùm videlicet verba Breviarii sint necessariò recitanda *formaliter*, & *significativè*, an verò sufficiat *materialiter*, & *recitativè*. Existimo enim in primis, illas partes Breviarii, quæ continent historias, seu narrationes, posse recitari merè *materialiter*, & *recitativè*, ut quando in psalmo 77. quem multi vellent esse breviorem, cùm sit suâ prolixitate jucundissimus, legis repetitionem mirabilium, quæ fecit Deus in terra Ægypti, in campo Taneos, &c. vel in lectionibus post Pascha, & Pentecosten, pulcherrimas historias excerptas ex Actis Apostolorum, & libris Regum. Etenim illud judicatur dici solùm *recitativè*, & *materialiter*, quod proferatur sine animo significandi; atqui quando lego in meo Orario: *In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis. Zacheus quærebat videre Jesum, quis esset. Primum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile. Cucurrit David ad pugnam ex adverso Philistæi &c.* nihil volo significare. Hæc ferè omnia verba ex me non *citato* describit P. Neusser *Disp. 9. De Hor. Canon. n. 30.* Licèt enim hæc omnia credam per Dei gratiam, non usurpo tamen hæc verba ad significandum assensum, quem verbis illis præbeo, unde non mentirer, etiamsi non crederem, ea esse vera; nec enim sunt instituta ad significandam mentem repetentis ea jam descripta ab alio. 765

Idem esto judicium de partibus Breviarii 766
continentibus minas, increpationes, adhortationes, bona proposita; nec enim jubemur talia proferre eâ intentione, ut nostram de iis mentem, nostrúmque animum demonstremus. Satisfacis ergo legi Ecclesiasticæ, modò illas promas attentè, reverentérque, reverentiâ, inquam, *interna*, vel *externâ*. Et nonne perspicuum est, esse solùm *materialiter* pronuntiandas has, hísque similes sententias: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia; Abi post me Sathana: Crucifige, Crucifige?* Quare justo rigidior est Anton. Cotonius, dum *Controversiar. Lib 3. cap. 5. n. 106.* ita scribit: *Hæc intentio completitur voluntatem adorandi, orandi, laudandi, credendi, sperandi, amandi, confitendi, & omnes alios actus faciendi, qui verbis exprimuntur ex propria persona, cùm recitatur* Confiteor, Credo, &c. *Hos enim omnes actus Ecclesia potest præcipere, & censenda est de facto præcipere.* Sed sufficienter refutavimus ista suprà *Tr. 3. Cas. nl. n 822. & seqq.*

Quòd si opinio Patris Dicastillo, relata su- 767
periùs *n. 744.* quidquam probabilitatis habet, tum sanè habet respectu horum, ac singulariter historiarum, præceptionúmque, quòd scilicet culpâ careat, qui cum proposito satisfaciendi suo muneri talia legit solo animo discendi, aut docendi alios; cùm enim historiæ, atque præcepta *moralia* inserta Breviario sint ad institutionem fidelium, ut tradit Suarez, relatus *n. 761.* quidni sit mihi fas, ea legere eo solo fine, ut memoriæ mandem, ad meam, aliorumve institutionem?

Alia est ratio hymnorum, psalmorum, an- 768
tiphonarum, atque cæterorum continentium preces, laudésque divinas in actu *signato* vel *exercito*, aut proximè *dispositivo*. etenim saltem istas partes esse *significative* recitandas, docent nos Canones indicati, aut relati *n. 740. & 760.* sufficienter autem *significativè* recitabuntur, si formata, nec revocata sit Intentio, de qua *n. 762.* & sine qua non erunt preces; oratio enim *vocalis* cùm sit verbale colloquium cum Deo, debent verba precatoria necessariò dirigi ad Deum, Suarez *cit. Lib. 3. cap 3. n. 3.* ex communi, sicuti, & laudativa, Eucharisticáque, seu gratiarum activa, debent proferri ex intentione laudandi, gratias agendi, id est, demonstrandi per illa nostram æstimationem de excellentiis, beneficiisque divinis, siquidem laus est *essentialiter* manifestatio nostræ æstimationis de excellentia alicujus facta per verba. S. Thom. *2. 2. q. 103. art.*

art. 1. tunc autem actum laudis exercet reipsa, dum deliberatè profers verba laudatoria ex intentione seu *actuali*, seu *virtuali* pangendi præconia divina. Plura de materia hujus totius tertii Corollarii intelliges ex conclusione sequenti.

769 Dico enim IV. Qui ex instituto, atque ordinatione Ecclesiæ peragunt in choro officium divinum, peragunt illud pro Ecclesia, seu nomine Ecclesiæ. Conclusio est omnium, tradita etiam à S. Thoma *2. 2. q. 83. a 12. in Corp.* & declaratur. Etenim rectè observat Suarez *Lib. 4. c. 26. n. 16.* posse quem tripliciter dici orare pro altero 1. Offerendo preces pro illo. 2. Orando jussu, aut suasione illius. 3. Orando in persona illius, ita ut tanquam legatus, aut interpres voluntatis, ac petitionis alienæ proferat verba precatoria. Hoc tertio modo orare in choro Canonicos (ut de secundo notissimo nihil dicam) fert unanimis sensus DD. teste Suarez *loc. cit.* itémque Bonartio *Lib. 2. De Hor. Can. Cap. 24.* post S. Thom. *cit. art. 12.* Unde suprà *n. 554.* dixi, omnes Christianos non excommunicatos fieri participes talium publicarum precum; nam ut loquitur S. Thom. *loc. cit.* communis oratio est, *quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi offertur.* Quia verò sic fidelis populus offerens suas preces Deo per suos ministros habet primam, ac potissimam rationem sui ipsius, cùm charitas incipiat à seipsa, vel, si magis à seipso, ideo preces fidelis populi sunt precationes pro ipso populo, adeóque tenentur tales ministri Ecclesiæ offerre Deo recitationem sui Breviarii, pro populo fideli, seu pro Ecclesia.

770 Sed oritur hinc dubium valde practicum: *An ergo non liceat tali ministro Ecclesiæ offerre Deo recitationem Breviarii pro se ipso, aut pro aliquo particulari homine?* Si enim est legatus Ecclesiæ, debet hujus, non autem alterius causam agere apud Deum, cum præjudicio sui Principalis; intervenit autem hîc præjudicium ejus Principalis, seu Ecclesiæ, à qua mittitur, si enim applices totum Breviarium tibi, aut alicui alteri, nullus fructus redundabit in cæteros Christianos, cùm tamen oporteret, illud emolumentum spirituale dividere in omnes.

771 Hoc valde practicum dubium, qui expediat, neminem legi; aperiam tamen meum sensum, consistentem in punctis *seqq.* quibus præmittere debeo memorationem communis doctrinæ, quòd omne opus sanctum, factum in statu gratiæ, habeat vim applicabilem alteri, tum satisfaciendi proponis admissorum criminum, tum impetrandi varia bona, siquidem offeratur Deo in finem obtinendi illa. Cùm igitur certum sit, recitationem Breviarii piè peractam esse opus sanctum, & quidem valde sanctum, quia est actus Religionis. S. Thom. *2. 2. q. 83. a. 3.* quæ quidem omnibus *moralibus* virtutibus eminet. S. Thomas *q. 81. a. 6.* & obedientiæ, ac probabilissimè justitiæ in beneficiatis, fit, ut habeat vim tum satisfaciendi etiam, quatenus est oratio. S. Thom. *q. 83. a. 2. ad 2.* tum impetrandi, etiam secundùm eas partes, secundùm quas, seu in quibus nulla continetur oratio, ut sunt e. g. lectiones. Ergo quæro ego hîc, utrùm lectionem partium Breviarii, quæ non sunt preces, possim validè, & licitè applicare, cui volo? 2. An orationes, quæ expressè comprehendunt plures homines, adeóque integram communitatem, aut Ecclesiam totam, licitè, & validè uni soli homini applicare possim? Ad utramque quæstionem respondeo.

I. Aliquas ex precibus, in Breviario contentis, potes tibi soli applicare, illas nimirum, quibus ex præscripto Ecclesiæ petis gratiam rectè fungendi tuo officio, ut cùm dicis: *Domine labia mea: Deus in adjutorium*; hunc enim secundum versiculum (eadem est ratio primi) pronuntiari, ut persoluturus preces canonicas exoret sibi à Deo gratiam, rectè eas persolvendi, notat inter reliquos Antonius Molina *in instruct. sacerdot. fol. 385.* Unde potes utique tuis collegis applicare benedictiones, quæ præmittuntur lectionibus, ideo enim pronuntur in numero plurali, ut indicetur, fundi nomine plurium. 772

II. Fas quoque tibi est, molestias corporis, aut animi accidentales, quas persentiscis in eo munere, offerre pro te, aut alio; sicuti etiam omnem illum fervorem, omnem devotionem, quam, & quem adhibes ultra debitum, hæc enim talia non spectant ad substantiam tuæ legationis, ergo sunt integre tua. 773

III. Quin imò potes donare tibi ipsi, aut alteri stationem, genuflexionem, vocis contentionem, privationem recreationis, & libertatis, adeóque attentionem exteriorem. Ratio est, quia concessum intelligitur, quidquid prohibitum non reperitur. *L. Nec non. §. Quod ejus, ff. In quibus caus. major.* Non reperitur autem prohibita ejusmodi donatio, seu applicatio. 774

IV. Potes etiam alteri donare, seu applicare illum fructum spiritualem, qui in te redundat, quatenus exerces, fungendo fideliter officio Legati, actum obedientiæ, seu justitiæ, quia & hi duo actus sunt utique *impetratorii, satisfactoriique*, & proinde quoad hoc accidens transferibiles in alterum; & Respublica permittit suo legato liberum dominium honorarii, quo à Principe, ad quem destinatus est, insignitus domum repetiit. 775

V. Quia affirmanti incumbit probatio *L. Actor. ff. De probat.* nequeo autem probare, Ecclesiam vetare Canonicis, ne recitationem etiam publicam Breviarii *quoad vim satisfaciendi* reservent totam sibi ipsis, aut largiantur alicui vivo, aut defuncto; & certum est, satisfactionem esse separabilem ab impetratione, ut ostendo *in Alph. Sacrif. Cas. V. Sect. 3.* ideo etiam

etiam huc applicanda est Regula ex *L. Nec non* paulò antè producta, quamvis Azor *P. 1. l. 9. c. 32. q. 2. in fin* velit, applicari Ecclesiæ etiam *quoad vim satisfactivam.*

777 VI. Tametsi in *Alph. Sacr. l. c.* negavi, esse in potestate sacrificantis, privare fideles portione *generalissimâ*, scilicet illâ, quæ debetur fidelibus, quatenus sacerdos sacrificat nomine Ecclesiæ, non tamen necessaria, sed solùm probabilis est hæc consequentia: Ergo etiam Canonicus psallens nomine Ecclesiæ, nequit privare fructu Horarum fideles, applicando omnem alicui alteri. Etenim illud primum nequit fieri, quia sacerdotes sunt jure *divino* constituti, ut offerant dona & Sacrificia pro peccatis populi. *Hebr. Cap 5.* Atqui Clerici constituti sunt solo jure *humano* ad laudandum Deum in Hymnis, & Canticis bene sonantibus, ab Ecclesia præscriptis.

778 VII. Non audeo damnare peccati mortalis Canonicum, aut alium choro adstrictum, qui intendit æquè totum fructum Breviarii, adeóque etiam *quoad vim impetrandi* applicare alteri, atque intendit Laicus recitans illud ipsum officium, aut tria, vel quatuor Rosaria Itame *citato* sentit etiam Neusser *d. §. n 31.* Ratio est, quia assentior Aragonio, *2. 2. q. 83. a. 12. concl. 3.* sic pronuntianti: *Certè videtur valde durum, & à pietate Christiana alienum, mittere aliquem in infernum, aut dicere, quòd peccet mortaliter, sine evidenti, & certa ratione.* Hanc majorem propositionem fulcio sufficienti autoritate *in Clypeo Clem. Judic. P. 1. Sect. 8.* Atqui fatebor, me non perspicere evidentem, certámve rationem
779 constituendi hîc noxam lethalem. Licèt enim tanquam prævaricator gravissimè sit multandus legatus, qui à Republica ablegatus ad Principem pro causa communi, agit solùm suam privatam, aut alterius, non tamen est paritas inter hunc & ministros Ecclesiæ; etenim Ecclesia non pollet tantâ potestate in actus meré *internos* suorum ministrorum, quantâ Respublica in *externos* suorum, & proinde mihi certum est, ejusmodi noxam negatum iri à negantibus Ecclesiæ omnem potestatem in actus purè *internos*; neque tam clarum est, quòd Ecclesia velit tam rigidè obligare ad *internos*, quàm Respublica ad *externos*, & officium istud publicum est etiam institutum idcirco, ut populus fidelis conveniat certis horis in Ecclesiam, sicuti satis indicat S. Thomas *cit. art. 12* & testimoniis SS. PP. constat, fuisse primis sæculis magno concursu factitatum. Sciunt quoque Prælati Ecclesiæ, etsi non prohibeant sub mortali talem donationem, fore nihilominus innumeros, qui non sint eam facturi.

780 Non tamen satis video, quomodo possim à veniali culpa cujusdam seu inobedientiæ, seu infidelitatis excusare solitos facere illam applicationem; & præsertim peccant, qui orationes expressis verbis indicantes communitatem fidelium, restringunt mente ad unum, aut alterum hominem; ut e. g qui dicens orationem pro Dedicatione Ecclesiæ, ac pronuntians illa verba: *Quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur*: vellet per τ: *Quisquis* intelligere duntaxat quemlibet ex sua privata domo, hic enim etiam peccaret contra veracitatem.

Certè id repugnaret singulariter instituto DD. Canonicorum Regularium Divi Augustini, utpotè de quibus Dominicus Bisselius loco, quem nominavi suprà *n. 677.* expressè scribit, ut interpres: *Nos* (Canonici Regulares) *officia divina efferimus nomine omnium, & pro omnibus.*

Ex his omnibus breviter concludo, posse 781
quidem quemlibet etiam Choro adstrictum dicere: *Domine Deus recitationem hanc Breviarii offero, quoad possum, tuæ divinæ majestati pro hoc particulari homine*, & hac oblatione factâ profuturam recitationem illi particulari homini plus, quàm alteri; attamen dici non posse, quarumnam præcisè partium Breviarii sit ei peculiariter profutura; consultum quidem esse, ut in pronuntiandis communibus orationibus sis peculiariter memor illius, cui promisisti, attamen ad id te non teneri vi promissionis, recitantes privatim habere clarius jus donandi, quàm qui in choro; fructum precum factarum ab ipsamet Ecclesiæ, difficilius à toto genere posse alteri applicari, quàm psalmorum, lectionum, homiliarum, ut patet vel ex sensu, seu significatione.

Est verò observandum hoc discrimen inter 782
orationes ab Ecclesia compositas, insertásque Breviario. Aliæ enim exprimunt in numero singulari illum, pro quo oratur; aliæ in plurali, quandoque illimitato. Quando est illimitatus numerus, debet intentio orandi esse illimitata. Hujus generis sunt illæ orationes & Hymni, in quibus exprimitur prima persona numeri Pluralis, vel pronomen: *Nos, Nobis, Noster, &c.* At quando oratio est circumscripta, debet etiam circumscribi intentio orantis. Hinc non laudarem, qui recitans orationem: *Deus qui nobis per singulos, &c.* diceret in fine etiam solâ mente: *Quisquis hoc templum, & omnia in toto Orbe ingreditur, &c.* & in oratione de S. Ignatio: *Certantes in terris*, adderet tanquam partem illius Collectæ: *Et in purgatorio.*

At interrogabis, quale templum intelligere 783
debeam, quando existens Constantiæ, celebro Dedicationem Basilicæ alicujus Romanæ, sicuti eo ipso 18. die Novembris Anni 1662. quo hæc parabam primo prelo, colebamus officio Dedicationem Basilicæ SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Resp. Absque dubio Romanum. Obstricti enim Breviario Romano non adigerentur ad celebrandum illum diem 18. Novembris si non hoc ipso deberent unà cum Romanis colere

Basilicam SS. Apostolorum. Accedit duplex alia ratio, quam memoro propter juniores, seu minùs peritos recentium Rubricarum, & cujus utriusque praxis occurrit illo ipso hodierno die, & Anno.

784 Siquidem nos celebravimus in Ecclesia nostra diem septimum Dedicationis nostræ propriæ Ecclesiæ, qui utique cedere debuit duplici de Dedicatione Basilicæ Apostolorum. Debuimus autem tam in Missa, quam officio canonico, accipere pro prima Oratione communem collectam: *Deus qui nobis per singulos Annos, &c.* non autem illam: *Deus qui invisibiliter, &c.* eò quòd nimirum in Breviariorum reformatorum Rubrica pro festo Dedicationis, post Antiphonam ad *Magnificat* primarum Vesperarum, legantur hæc verba: *Quando varianda est oratio ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiæ* (dicitur) Oratio: *Deus qui invisibiliter, &c.* erat autem varianda illa Oratio; *Deus qui nobis*, quia accessorium sequitur suum principale; ergo sicut officium infra Octavam cedit Duplici, ita & oratio ipsa cedere debet. Undè patet, exactè recitantem illam Orationem, debuisse dicendo: *Hujus sancti templi*, cogitare de Ecclesia Romana.

785 *Romana* inquies? Atqui demonstrativus: *Hujus, & Hoc, non designat rem distantem centum milliaribus Germanicis?*

Resp. Tametsi *in Alphab. Sacrif. Cas. II.* explicans formulam consecrationis, notavi ex communi doctrina, per illam denotari rem ad sensum præsentem; attamen quatenus sacerdos profert hæc verba in persona Ecclesiæ, sicut certè facit hoc, tum in Missa, tum in choro, non observatur hæc notatio. Ecclesia enim potest per, seu in multis suis membris, propriè dicere: *Hujus sancti templi, &c.* scilicet per illa membra, quæ sunt Romæ in illis Basilicis, sicuti quando in eadem Missa Dedicationis Ecclesiæ, in secunda Collecta Postcommunionis: *Quæsumus omnipotens Deus*: dicit sacrificans: *Hoc loco, quem nomini tuo indigni dedicavimus*, loquitur apertè in persona Ecclesiæ, quæ illum locum per unum aliquem Episcopum consecravit Deo ante Annos 100. 200. &c.

786 *Altera* ratio, quam propter rudiores promo, petitur ex eadem Missa Dedicationis Ecclesiæ. Memini enim, fuisse ante multos Annos dubitatum, cur in illius Missæ Secreta: *Annue quæsumus* includantur parenthesi illa verba: *Ut quicunque intra templi hujus, cujus anniversarium Dedicationis diem celebramus, ambitum continemur, plenâ tibi atque perfectâ corporis, & animi devotione placeamus*; & scio fuisse, qui existimârunt, ideo includi, ut indicetur, illa verba omittenda esse, quando Missarum solennia peraguntur non intra muros ipsius templi, cujus Dedicatio celebratur, sed in cœmeterio. Verùm decipiebantur illi boni viri; etenim Congregatio Rituum, præsente atque postea attestante Gavanto *in Rub. Missal. Part. 2. Tit. 16. n. 9.* mandavit fieri illam parenthesin, (nec enim reperitur in Missalibus antiquioribus, e.g. Plantinianis de Anno 1590.) ad indicandum, illam sententiam omittendam esse, quando Sacerdos celebrat de Dedicatione non suæ, sed alienæ Ecclesiæ, sicuti etiam solent nunc notari ad marginem illius Collectæ in Missalibus Urbani VIII. non autem in Missalibus Clem. itidem VIII. e.g. Monacensibus de Anno 1609. Hæc altera ratio manifestè convincit, verum esse, quod dixi *n. 764.*

787 At, inquies: *Quid ergo agendum nostris Patribus, qui infra octavam Dedicationis nostræ Ecclesiæ, habent suam liturgiam in aula Gymnasii? Aut forte in prædio suburbano, vel aliqua æde parochiali, aut privato Oratorio?* Eadem est quæstio de Clericis incorporatis alicui Ecclesiæ, qui infra octavam, aut forte ipsomet die Dedicationis illius, sacris operantur in sacello domestico, vel alia Ecclesia dissita uno, pluribúsve milliaribus? An omittent illa: *Quicunque intra, &c.*

788 Resp. Fateor, me nunquam omisisse; idem fatentur de se complures PP. ex hoc Collegio à me interrogati. Ratio est, quia in ejusmodi casu potest inprimis demonstrativum *Hujus* æque aptè, si non aptiùs usurpari, ac usurpatur à me, quando Constantiæ celebrans de Basilica Romana, recito Orationem: *Deus, qui nobis.* Deinde nihil frequentius, quàm ut pars pro toto accipiatur, & quod verum de parte, enuntietur in plurali de toto. Quia igitur una pars illius totius, cujus, & ego pars esse pergo, etsi alibi existens, continetur intra ambitum talis templi, rectè possum dicere: *Continemur*; sicuti hodiéque loqueretur non minùs figuratè, quàm glorioscè civis Constantiensis, qui diceret: *Nos Constantienses Annis ab hinc quadraginta fortissimè contudimus cornua Hornii Sueici Generalis, mœnia nostra quatientis grandine tormentorum bellicorum*, esto, qui hoc factum, Spartanum ita recenset, fortè tunc vagierit in cunis, cùm cives exerebant suos Martios spiritus in mœniis.

789 Dico V. Probabilius est, illos, qui non sunt adstricti choro, dum privatim exsolvunt debitum Ecclesiasticæ obligationis, *per se loquendo*, non facere id nomine Ecclesiæ, juxta tertiam significationem hujus locutionis, propositam suprà *num. 767.* contra Suarez *Lib. 4. De Hor. Can. Cap. 26. num. 17.* citantem pro se Molinam, Gabrielem, & Navarrum *De Orat. & Hor. Canon. Cap. 19. n. 59.* Sed certè Navarrus tantùm refert hanc sententiam, non approbat. Fatetur tamen idem Suarez, esse qui contrarium sentiant, & quidem rectè; sentit enim, & facit pro nobis S. Thomas *2. 2. q. 83. art. 12. in Corp.* ubi expressè tradit, orationem, quæ fit in persona Ecclesiæ, debere innotescere toti populo, pro quo offertur; atqui oratio, qua de

de loquimur, nec innotescit, nec innotescere debet toti populo, pro quo offertur. Habeo igitur perspicuam autoritatem S. Thomæ, & ejusdem rationem; cui addo hanc, quòd non debeamus restringere libertatem hominis, nisi gravis ratio nos ad id adigat, siquidem libertas est res inæstimabilis, *Leg. 106. ff. De Reg. jur.* & rebus omnibus favorabilior *Leg. 117. eod.* restringitur autem libertas per illam sententiam, quia aufertur potestas applicandi liberrimè cuivis capaci totum fructum Breviarii, & quia scio, à plurimis viris, piis simul atque eruditis, fieri hanc applicationem, sine metu ullius prorsus peccati, vel imperfectionis, ideo confirmo meam responsionem horum quoque judicio.

790 Dixi in conclusione: *Per se loquendo*: videntur enim id facere posse *per accidens*, si videlicet ipsi sponte & ultro se sistant Deo tanquam legatos, seu Oratores totius Christianitatis; cùm enim constet ex utroque Jure, posse quem in multis casibus utiliter gerere rem alterius, sine hujus expresso mandato, & tamen ejus nomine, non video, cur non possint prudenter existimare, esse hunc *tacitum* consensum Ecclesiæ, ut quisque bonus Christianus hasce tam publicas preces & laudes fundat, si velit non solùm pro toto populo fideli, de quo nullum est dubium, sed etiam loco, seu in persona, & proinde tanquam legatus, Orator, interpres universæ Christianitatis. Et his jam descriptis video, hoc ipsum expressè doceri à Navarro *De Orat. Cap. 20. numero 40.*

Dices: *Si Clerici omnes tanquam per se legati persolverent hoc officium suæ servitutis nomine Ecclesiæ, forent preces eorum multò efficaciores, quia etiam* ex opere operato *prodessent?* Resp. Non est æquum, ut propter hanc incertam sequelam, de qua paulò pòst, spoliemus eos suâ naturali libertate.

791 Quæres autem ulteriùs: *Quid censendum, 1. De beneficiatis privatim solventibus pensum. 2. De monachis, & monialibus?* Resp. Cùm illi primi sint propriè Ecclesiæ Ministri publici, & proinde per se obligati ad Chorum. Clement. *De Celebr. Missarum*, sicuti & saltem in majoribus constituti Regulares, ut patet ex eadem Clementina; satis credibile est, etiam, dum privatim offerunt Deo Sacrificium laudis, fructum labiorum suorum, ut loquar cum Apostolo, ad *Hebr. 13.* eos etiam extra Chorum esse privatos illâ suâ libertate. De Monialibus, itémque Religiosis Choristis, nondum promotis ad sacros Ordines major causa dubitandi suppetit, cùm non constet ex jure, hos esse ministros, illas esse ministras Ecclesiæ, juxta disputata *in Alphabet. ipso Cas. XXIII. n. 568. & seqq.* Absque omni dubio pronuntiabit P. Suar. idipsum de iis, quod de Canonicis, sicut exprimit Navarr. *loc. cit.* loquens etiam de Novitiis, & Minoristis addénsque, Laicos quoque posse, si velint, fungi Officio legatorum, tum in his, tum in aliis precibus approbatis ab Ecclesia, & proinde plus prodesse recitationem harum, quàm aliarum, cæteris paribus.

Dico VI. Incertum est, utrùm recitatio Breviarii, peracta à Clericis, habeat aliquem effectum *ex opere operato*. Habere censet P. Azor. *Part. 1. lib. 9. cap. 32. quæst. 2. in fine.* faventibus utcunque Gabriele, *in Can. Miss. Lect. 57.* & Navarro *De Orat. Cap. 19. n. 59. & 60.* eò quòd Ecclesia sit sponsa Christi, adeóque ipsi gratissima, charissima, & consequenter preces, quæ ab ipsa funduntur per suos ministros, sint efficaciores, quàm si quis privatus, vel per se suo nomine, vel per alium offerret Deo, nihílque obsit improbitas ministri, etiamsi sit malus, sicut obest juxta Azorium, quando das cæco improbo eleëmosynam, ut pro te supplicet Deo. Hæc ratio facit, ut hanc sententiam habeam non solùm pro non impia, ut loquitur Gabriel, sed etiam pro pia, imò & pro utcunque probabili, nihil tamen determinare volo. Saltem non est certum, quòd preces peccatoris, non habeant vim impetrandi infallibiliter. 792

Claudò hanc prolixiorem, ac intendebam, Disputationem, hortando, quoad possum, omnes meos lectores, ut nunquam auspicentur recitationem Matutini, quin piè, reflexè, & tractim legant, vel ex memoria pronuntient utramque precatiunculam, quam reperire est in calce Breviariorum Urban. VIII. videlicet illam: *Aperi Domine os meum*, &c. atque illam; *Domine in unione, &c.* utraque enim est potentissima cùm ad impetrandam à Deo, tum ad imprimendam veram devotionem. Persolutio pensi Canonici est una è præcipuis functionibus Clericorum, ut meritò vocetur in Clement. *De Celebr. Missarum* Sacrificium laudis, *& in Cap. Presbyter De Celeb. Miss.* Pensum servitutis Ecclesiasticæ; quidni ergo omni vi, & ratione connitamur efficere, ut Angeli, qui nos offerentes illud Sacrificium laudis, & vitulum labiorum, circumstant, perspiciant à nobis altè imbibitum illud Distichum Glossæ, *in c. Cantantes, Dist. 92.* 793

Non vox, sed votum: non cordula musica, sed cor:
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

DISPUTATIO SECUNDA
Problematica.
DE ATTENTIONE.

An mortaliter delinquat Clericus, negligens Attentionem, dum recitat Horas canonicas.

SUMMARIUM.

Quinque diversæ opiniones de necessitate attentionis in persolutione pensi Canonici referuntur. num. 794. *& seqq.*

Prima damnat absolutè *peccati mortalis foventem longas distractiones.* Ibid.

Altera talem absolutè *excusat à mortali.* 795.

Tertia damnat evagantem, dedità operâ, excusat evagantem ex sola negligentia. 796.

Quarta est contenta attentione superficiali. 797.

Quinta exigit literalem, *aut* spiritualem. 799.

Attentio alia est exterior, *alia* interior. 800.

Attentio virtualis *quænam sit.* Ibid.

Interior *est triplex;* superficialis, literalis, spiritualis. 801.

Quomodo intelligendi sint autores exigentes intentionem interiorem, *interim & contenti* superficiali, *& dissidentes à negantibus necessitatem interioris attentionis? 802.*

Alia est attentio solius phantasiæ, alia intellectûs, eáque deliberata. Ibid.

Peccat mortaliter, qui inter recitandum occupat se diu actionibus exterioribus impedientibus attentionem interiorem. 806.

Utrùm, ut illæ actiones exteriores causent peccatum mortale, debeant esse ex natura sua, an verò respectu solius subjecti incompatibiles cum attentione interiore? *807. & seqq.*

Indicantur aliquæ ex natura sua incompatibiles, aliæ non incompatibiles cum attentione. 810. & 817.

Proferuntur rationes in utramque partem. 811. & 812.

Nec peccat mortaliter, qui fundens preces arbitrarias, occupat se actionibus exterioribus etiam ex natura distractivis. 813.

Deus sub mortali prohibet subjectis penso horario illas omnes, & solas actiones exteriores, quas Ecclesia. 814.

Ecclesia directè *interdicit illas solas, quæ sunt naturâ suâ incompatibiles cum attentione. 815.*

Cùm quid prohibetur, omnia prohibentur, per quæ proximè ad illud pervenitur. Ibid.

Aptatio calami, & compositio lecti an ex natura sua repugnent attentioni? 817.

Quas actiones licitè *exerces tempore orationis arbitrariæ, easdem etiam* licitè *exerces tempore orationis præscripta.* Ibid.

Faciendum discrimen inter actiones festinanter, & lentè exercitas. 818.

Non est opus repetitione, si non advertas, te distrahi per actiones exteriores. 820.

Probabilius est, essentiam orationis vocalis *consistere cum perpetuis distractionibus etiam voluntariis. 821.*

Probatur ex definitione orationis. 822.

Probatur etiam à simili. 824.

Et ex formula Extremæ Unctionis. 825.

Et ex principio admisso ab adversariis. 826.

Et ex alia doctrina admissa ab adversariis. 827.

Quo sensu dicatur, orationem esse ascensionem mentis ad Deum? 828.

Non est hypocrita, qui flectens orat distractè. 829.

Nequit negari, quin sit probabile, immunem esse à peccato mortali, qui Horas recitat cum perpetuis voluntariis distractionibus. 831.

Respondetur ad objectionem ex Cap. Dolentes. 834.

Item ad alias plures objectiones. 835.

Et ad objectionem petitam ex obligatione recitandi preces votivas, & pœnitentiales. 836.

Sufficit omnino attentio superficialis. 837.

Et est probabilius, hanc saltem requiri sub mortali, dum funduntur preces imperatæ. 838.

Sensus Capituli: Dolentes. 839.

Attentio superficialis *ita requiritur, ut obliget, ne quis non solùm non deditâ operâ, sed etiam ne ex supina negligentia distrahatur. 840.*

Nec sufficit intentio habitualis *attendendi.* Ibid.

Deus graviter prohibet illas solas distractiones, quæ causantur per actiones suapte naturâ incompatibiles cum attentione. 841.

Non tenetur ad restitutionem fructuum, qui orat cum perpetuis voluntariis distractionibus. 842.

Et consequenter nec ad repetitionem, modò omnia pronuntiârit. 843.

Quamdiu scrupuloso non constat, quòd mutârit propositum recitandi attentè, credere debet, distractiones fuisse involuntarias. 844.

Modò adhibeas mediocrem diligentiam ad expellendas distractiones, satisfacis. 846.

Imò licitè *quandoque admittis levem distractionem. 847.*

Aut etiam annotas aliquid breviter, ne obliviscaris. 848.

Describuntur ex P. Surquet documenta practica multum facientia ad conservationem attentionis. 850. & seqq.

Describuntur quoque ex P. Nicolao Avancino insignes considerationes, quas Archidux Leopoldus Guilielmus adhibebat ad collectionem, fervoremque augendum. 856.

NOrandum est I. Quinque diversas opi- 794
niones circa præsentem dubitationem hodiéque existere. *Prima*, eáque communior inter scriptores hujus sæculi, damnat *absolutè* peccati mortalis, fovente animo deliberato, per notabilem partem Breviarii, distractiones, cogitationésque avertentes animum ab attentione ad res pias. Hanc post Navarrum *De Orat. cap. 13. num. 18.* atque alios, seriò propugnat P. Eranciscus Suarez, *Tom. 2. De Relig. Lib. 4. De Orat. & Horis Canonicis cap. 26.* Ut *num. 5.* pronuntiet, eam esse *moraliter* certam, ac *num. 13.* consequenter addat, contrariam esse *practicè* improbabilem. Ei, quoad rem ipsam, non verò quoad censuram adhærent Ludov. Beja *In suis Responsis part. 2.* plerique Theologi Societatis nostræ, ac nominatim Lessius *Lib. 2. de justit. cap. 37. num. 63.* Laymannus *Lib. 4. Tract. 1. cap. 5.* Fagundez *De præcept. Eccles. prec. 1. lib. 2. cap. 7.* Alloza *in Floxib. verb. Horæ. num. 43.* Oliver. Bonart. *De Hor. Canon. Lib. 2. cap. 35.* atque alii, quos cum exteris referunt & hi, & alii, ac nominatim Barbosa *in Cap. Dolentes. De celebr. Miss.* Diana *Part. 2. Tract. 22. Resol. 2.* Sanctgall. *Tom. 7. fol. 60.* Leander à Sanctissimo Sacram. *Quæstion. Moral. Part. 1. Tract. 8. disp. 4. quæst. 2. num. 7.* & Ascanius Tambur. *De jur. Abb. Tom. 2. d. 10. q. 2. n. 7.* nominans triginta duos. At malè in his Comitolum. Rationes ac fundamenta proferam *num. 828. & seqq.*

795 *Secunda* opinio talem *absolutè* absolvit à noxa lethali. Ita plerique antiquorum, ut Gloss. Vmbertus, Gerson, Pisanus, Angelus, Rosella, Antoninus, Abbas, Hostiensis, Astensis, Ancharanus, Turrecremata, Gabriel, Durandus, Tabien. Sylvest. *Verbo Horæ q. 11.* & alii, quos ipsimet contrariæ sententiæ auctoras, à nobis relati, citant cum Diana, Barbosa, Ascanio Tamburino *ll. cc.* quibus etiam adhærent è Recentioribus Comitolus *Respons. Moral. Lib. 1. quæst. 63.* fusè, Ægidius Coninck *in 3. Part. q. 83. a. 6. num. 292. & seqq.* fusè; Cardin. de Lugo *Tom. 2. in 3. part. disp. 22. sect. 2.* fusè, Valer. apud Dianam. *Cit. Resol. 2.* Ioannes Caramuel *in Theolog. Regulari num. 1375.* Dicastillo *Tom. 1. in 3. part. tract 5. De Euchar. d. 5. dub. 7. & 8.* fusè, Thomas Tamburinus *in Decal. Lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 21.* Cotonius *Lib. 3. controv. 3. num. 180.* probabilem reputantibus Lessio, Bonartio, Laymanno, *loc. cit.* itémque Azorio *Instit. part. 1. lib. 10. cap. 16. quæst. 1.* Tiberio *quæst. 52.* Alcanio Tambur. *l. c. n. 8.* Bassæo *Verb. Horæ 2. n. 21.* & contentiosè Diana *P. 17. T. 11. Res. 30.* post Caspensem Capucinum. Hujus quoque opinionis fundamenta producemus infrà *num. 831. & seqq.*

796 *Tertia* sententia, media inter duas priores extremè dissidentes, utitur distinctione, assentiendo scilicet *Primæ* opinioni, quando Clerici deditâ operâ, ex proposito, & ex industria patitur mentem evagari; secùs, quando solùm ex crassa negligentia permittit animum abripi ad objecta impertinentia. Est hæc mens Cajetani *2. 2. quæst. 83. art. 13. in fin. & in summa verb. Horæ Canonicæ, num. 11.* Emanuelis Sa *num. 19.* testantis, contentire aliquos Iuniores valde doctos, & exprimentis, licèt in aliis multis materiis negligentia crassa æquipararetur voluntario, in hac tamen non æquiparari, eò quòd alioquin orirentur nimis multi scrupuli.

Quarta Classis Doctorum contenta est at- 797
tentione *superficiali*, seu ad sola verba; eam tamen saltem requirens. In hac classe reperiuntur Cajetan. *loc. cit.* Armilla *Verbo Horæ num. 19.* Binsfeldius *in Enchir. Part. 4 cap. 11. num. 5.* Toletus *in Summ. Lib. 2. cap. 13.* Sa *loc. cit.* Suarez *cit. Cap. 26. num. 23.* Beja *Part. 2. de Hor. Can. Cas. XXXIII.* Gauger. *in Summa Cajet. verb. Horæ, lit. F.* Gavantus *in Rubr. Breviar. sect. 1. cap. 45. Tit. 4. num. 1.* Navarrus *De Orat. cap. 13. num. 23.* Sanch. *loc. cit. num. 16.* referens Angelum; Henriquez *Lib. 9. cap. 25. num. 5. lit. O.* Tiberius *Quæst. 92.* referens Bonacinam, Tannerus *Tom. 3. disp. 5. quæst. 1. num. 153.* Laymannus *loc. cit. num. 9.* Reginaldus *Lib. 18. num. 155.* sequens Suarezium, etsi videatur *num. 152.* dissentire. Filliucius *Tract. 23. num. 258.* re ipsâ sentiens cum Suario; Escobar *in Theolog. Moral. Tract. 4. Exam. 6. num. 59.* Alloza, & Sanctgallenses *loc. cit.* Et denique tam multi ultra nominatos pro *secunda*, & *tertia* sententia sequuntur hanc quoad sufficientiam, ut P. Lessius *loc. cit. num. 69.* eandem amplectens, fateatur, cæteros ferè cum Cajetano consentire, P. Sanchez omnes, P. Bonartius eam vocet communem Doctorum.

Limitant tamen illam Cajetanus ipse *cit.* 798
art. 13. Navarr. *num. 33.* Sanchez & apud ipsum P. Henriquez ab eo consultus, itémque Angles, ut vera sit tunc solùm, quando quis non cupit sistere in attentione *superficiali*, sed hanc adhibet, ut eâ se disponat ad sublimiorem, ac perfectiorem, adeóque ad *literalem*, vel *spiritualem*. At hanc limitationem excludunt idem Cajetanus *in Summa loc. cit. num. 11. vers. Qui verò.* Lessius *num. 69.* Suarez, Filliucius, Bonart. Escobar, uterque Tamburinus Palaus *Tract. 7. disp. 2. p. 3* Tiberius, alii permulti. Adde, quòd Cajetanus ipse, atque Sanchez, ut dixi suprà *num. 797.* fateantur, illum non peccare graviter, qui admittit distractiones *voluntarie*, modò eas non procurèt; ergo multò minùs, si *voluntarie* se occupet in attentione *superficiali*.

Quinta denique sententia exigit *absolutè* at- 799
tentionem, vel *literalem*, vel *spiritualem*. Gregorius de Valent. *Tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 4.* Antonius Molina *in Instruction. Sacerdot. in Appendice Tract. tertii cap. 9.* aliique; volúntque hi duo scriptores, & alii apud Suarez *Lib. 3. cap. 4. De Orat. num. 15.* cum alterutra harum jungi superficialem.

Quò meliùs intelligatur & discrimen, & veritas harum quinque sententiarum,

Notandum est II. Duplicem esse posse ge- 800
neratim attentionem in Clerico, pronunciante aliquem psalmum, hymnum, orationem

&c. scilicet exteriorem, & interiorem. Attentio exterior, ut jam dixi in ipso *Alphabeto Casu VIII. num. 219.* nihil est aliud, quàm vitatio, exclusio, absentia actionum externarum, seu sensu aliquo exercitarum, impedientiúmque attentionem *interiorem*, id est, animi advertentiam ad objectum hîc & nunc considerandum, seu advertendum, & notandum. Contingit autem non rarò, ut sola per se phantasia, cujus directione lingua movetur inter orandum *vocaliter*, apprehendat verba psalmi, hymni, orationis &c. Fit è diverso longè creberrimè, ut intellectus ipse *per se primariò*, & non duntaxat *per accidens*, seu *concomitanter* apprehendat eadem verba, apprehendat, inquam, seu cogitet de illis, & tunc dicitur adesse attentio *Actualis*, vel tantùm *Virtualiter* apprehendat; & tunc pronunciatur adesse attentio *Virtualis*; quæ quidem conformiter communiori doctrinæ apud Suarez *cit. cap. 4. num. 7.* tunc solùm reperitur, quando quis *involuntariè* distrahitur; at secundùm Cajetanum, Sa, & Sanchez relatos *num. 797* tunc etiam, quando *voluntariè* quidem, at non deditâ operâ quis evagatur. Vnde licèt Leander *Disp. 4. quæst. 2.* disertè negâsset, satisfacere illum præcepto de Sacra psalmodia, qui recitat advertenter sine ulla interna attentione, nihilominus tamen postea *quæst. 14.* utens suâ solemni phrasi scribit: *Longè multò probabiliùs, veriúsque respondeo, non peccare mortaliter, qui ex negligentia crassa mentem, dum recitat, evagari permittit*; cùm tamen eâdem *Disp. 4. q. 5.* describens intentionem *Virtualem* dicat tunc dari, *dum quis initio operis, aut actionis habuit attentionem* actualem (*qua quis actu advertit ad id, quod agit*) *postea tamen involuntariè distrahitur.* Quæ verba si velis haberi pro vera, adeóque reciproca descriptione intentionis *virtualis*, negabis, *virtualem* permanere in *voluntariè* divagante.

Idem autor *cit. quæst. 5.* rectiùs cum, & ex P. Pellizario nostro in Manuali Regularium *Tract. 5. cap. 8. sect. 1. quæst. 14.* describit attentionem *habitualem* his verbis: *Nomine habitualis attentionis venit illa, qua quis ex habitu, vel usu facit aliquid, non advertens ad id, quod agit, idque nulla præcedenti advertentiâ à principio.* Etenim multa facimus, dicimus, ex usu, & habitu, quæ tamen non directè dicimur facere cum intentione, vel attentione *habituali*, prout loquuntur autores de hac, quando inficiantur, eam sufficere ad constitutionem actûs humani meritorii: Sacramentalis &c. etenim talis *per se* sumpta reperitur sæpe in plane ebriis, phreneticis, dormientibus; at verò, quando operationem, aut locutionem continuatam ex habitu, longóque usu præcessit advertentia, adeóque libera applicatio ad ejusmodi operationem, licèt in decursu, & continuatione illius operetur habitus, & longus usus, haud tamen dicendum est, continuari ex mero habitu, sed simul ex vi præcedentis liberæ applicationis, & attentionis, intentionisque, vel semper actu, etsi insensibiliter, permanentis; ut contra alios contendit P. Dicastillo *Tom. 1. in. 3. part. disp. 3. num. 131.* vel extinctæ quidem quoad propriam suam totam entitatem, permanentis tamen ineffectu, ut communiùs sentiunt autores. Unde obiter observo, quo sensu explicandi sint Doctores, quando negant laudem, & meriti rationem actibus de se bonis, exercitis tamen ex mera consuetudine. Si enim per meram consuetudinem intelligant illam, cujus exercitium non præcessit aliqua libera, adeóque attenta applicatio, atque advertentia, tunc sanè rectè loquuntur, sentiúntque. Sin designent illam, quæ in exercitium prodit, seu erumpit excitata à deliberato actu voluntatis nolentis e. g. recedere à sua pia consuetudine, aut tendentis in alium pium finem, non eis adstipulor, nisi *absolutè* negare velim, te augere tua merita, tuásque satisfactiones tunc quoque, quando aut gestans rigidum cilicium, quod deliberatè, optimáque mente induisti ejus tamen rigorem, aut asperitatem non sentis (ob assuetudinem) nisi rarò de die, quando te reflectis. Aut pronuncians ex memoria, & usu Litanias, vel Salve Regina, quæ exorsus es cum deliberata, optimáque intentione, abriperis tamen totus aliò, sed *involuntariè* prorsus. Absit verò ut negem *absolutè*, atque adeò in eo quoque frequentissimo eventu, quo aliis licitè, vel *inculpabiliter* intentus pateris illas animi exerrationes. Religiosi viri exercent innumeras oris, manuum, cæterorum sensuum actiones ex se difficiles naturæ corruptæ: at sine ulla prorsus difficultate, vel molestia, eò quòd longus usus sustulerit difficultatem, induxerit quandam suavitatem, ut sic loquar; quis horum sit Iudex tam inclemens, ut censeat, meritum esse minuendum, imminutâ, sublatâ molestiâ? Imminutum, sublatum est, si hæc sint inchoata sine advertentia, sine libertate; secùs, si liberè, scienter, nec deinde mutata *formaliter*, vel *interpretativè* voluntas. Volui hæc adjicere, quia fortè pauci ex meis futuris lectoribus meminerint, se ita explicatè reperisse alibi,

Notandum III. Interiorem attentionem 802
ex mente S. Thom. *2. 2. q. 83. a. 12.* dividi ab omnibus ferè (nullo repugnante) 1. In illam, quæ est ad sola verba. 2 In eam, quæ est ad sensum verborum. 3. In eam, quæ est ad Deum, & ad rem, pro qua oratur. Ad verba, inquam, ne scilicet quis dicat unum verbum pro alio, ne confundat, aut collidat verba, ut distinctè, ac reverenter dicat. Cajetan. *in Summa. verb Horæ num. 9.* Ad sensum verborum, ut percipiat mente, & applicet affectum ad id, quod verbis significatur. Cajetan. *ibid.* Ad Deum

Deum ipsum seu Iesum Christum crucifixum, &c. & ad rem, seu gratiam petitam, puta castitatem, humilitatem, fidem, spem, divinam amicitiam, cœlestem patriam, & alia hujusmodi, quæ sola (ut patet intuenti) petuntur communiter in divino officio. Cajetan. *ibid.* qui utique poterat addere, pacem, unionem, liberationem à tentationibus, & etiam terrenis hostibus, utpote & quorum mentio non rarò fit in officio canonico, & ad quorum obtentionem, aversionem, possumus dirigere recitationem verbalem.

Primam ex illis intentionibus vocant post S. Bonaventuram, Suarez *cit. cap. 4.* Laymannus, & alii plures RR. *superficialem*, alteram *literalem*, tertiam *spiritualem*. Utemur & nos hac triplici nomenclaturâ.

802 Notandum IV. Authores exigentes sub mortali attentionem *interiorem* interim tamen contentos *superficiali*, si quidem re & non solis verbis differiant ab assectis secundæ, intelligendos esse de attentione non solius phantasiæ, sed intellectûs, deliberatè, *formaliter*, & *actualiter*, (nisi impediat distractio *involuntaria*, vel attentio *spiritualis*, aut *literalis*) attendentis ad verba; etenim doctores secundæ nec negant, nec negare possunt, necessariò adesse attentionem saltem phantasiæ, quando verba proferuntur; nec enim potest lingua promere ullam syllabam, nisi eam priùs apprehendente, ac repræsentante vi potentiæ imaginatricis, utpote sine qua appetitus non appetet prolationem, & consequenter non movebit linguam; siquidem nihil est volitum, quin præcognitum. Et proindè P. Thomas Sanchez *cit. Lib. 7. Consil. Moral cap. 2. dub. 29. num. 9.* suam hanc, aliorúmque sententiam expressè explicat, & intelligit de actu non tali, qualem possunt habere etiam pecudes, sed de tali, qui ex deliberato, & attento animo procedat; sicuti & Navarrus *De Orat. cap. 20. num. 28.* reflexè dicit, oportere de verbis cogitare tantum, quantum est necesse, ne quis erret in iis; consentit Leander *loc. cit. q. 11.* & Antonius Molina *loc. cit.* per *superficialem* attentionem intelligens illam solam, qua quis sufficienter intelligit, se bene, sine errore pronuntiare, addens, hanc esse necessariam etiam illi, qui habet *literalem*, aut *spiritualem*.

803 Quia verò Cajetanus & plerique relati pro *quarta* sententia, non satis clarè, & expressè indicant hoc discrimen inter suam, & secundam sententiam, ideo pronuntiat Card. Lugo *cit. Disp. 22. num. 41.* post Coninck, multos illorum solis verbis dissentire à *secunda* sententia; Gregor. de Valent. relatus *num. 799.* illos videri pugnare secum ipsis, & cum veritate; Lessius *num. 69.* nisi explicentur, non videri differre à secunda sententia. Itaque *se-*
804 *cunda* sententia convenit in hoc cum reliquis, quòd Clericus teneatur sub mortali habere intentionem recitandi, integre, & ordinatè Breviarium per modum orationis, & non tantùm ex intentione mandandi memoriæ, fallendi temporis &c. sicuti adversùs Dicastillo ostendimus *Disp. præced.* At in hoc differt à *quarta*, quòd *quarta* velit, ut Clericus deliberatè conetur attendere ad verba, tanquam ad quid sacrum, ne Deo irreverentiam irroget pronuntiando indecorè; adeò ut quamvis unà cum phantasia operetur tenuiter ipse intellectus, scriptores tamen illi nolint esse contenti hoc tenui, remissóque actu intellectûs, sed requirant intensiorem, fortiorem. Ita sanè explicat hos autores Cardinalis de Lugo *loc. cit. num. 14.* Nec dubium est de Sanchez, & Antonio Molina, ut liquet ex verbis ipsorum; sicuti neque de Lessio dubito, conferens ea, quæ *loc. cit. num. 62.* habet, cum iis, quæ *num. 69.* ubi etiam censet, cæteros autores *quartæ* sententiæ esse sic intelligendos; *secunda* verò sententia est contentissima illâ etiam tenuissimâ advertentiâ intellectûs, ac proinde non horret tanquam mortaliter malas ullas distractiones interiores, avertentes à vegeta attentione ad verba, nisi eæ aut sint secundùm se *moraliter* malæ, aut efficiant, ut verba proferantur cum defectibus sufficientibus ad mortale.

His notatis, decidam breviter sequentes 805
quæstiones 1. *An, & quæ attentio exterior requiratur ad recitationem Breviarii? 2. An attentio interior sit de essentia orationis vocalis? 3. An, & quæ interior attentio sub mortali exigatur ad recitationem precum canonicarum? 4. An repetere, aut fructus beneficii restituere teneatur, qui distractè recitavit Horas?*

Dico I. Peccat mortaliter, qui volens sa- 806
tisfacere obligationi de persolvendo penso Canonico, occupat se exterioribus actionibus impedientibus illam *interiorem* attentionem, quam à *quarta* sententia exigi, diximus *num. 800.* atque adeò *exterior* attentio adhibenda est sub mortali. Ita omnes. Ratio est, quia ut minimùm de hac attentione intelligendus est celeberrimus ille in hac materia Canon *Ex cap. Dolentes. De celebr. Missarum.* quo quum reprehensi essent beneficiati Chori, *flentium in choro fugientes, effundentesque auditum ad sermones indebitos*, fertur hæc sententia: *Districtè præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter ac devotè.* Etsi verò hic Canon, hócque præceptum sit directum immediatè ad solos beneficiatos, celebrantes in choro divinum officium, attamen constantissima praxis, maximúsque consensus Doctorum, indoctorúmque declarat, omnes astrictos Breviario ligari hac ipsâ lege. Ex qua lege inferunt doctores, delinqui mortaliter, ab exercente actiones incompatibiles cum attentione inferiore.

807 At nemo illorum, quantumscio, pertractat hanc sanè non levem quæstionem: Utrùm scilicet illæ actiones debeant esse ex natura sua incompatibiles cum attentione *interiore*, an verò sit necesse, aut sufficiat ad gignendum peccatum mortale, ut sint incompatibiles ratione subjecti. Etenim nonnulli præditi sunt intellectu adeò debili, & angusto, ut nequeant ad verba Breviarii nisi tenuissimè attendere, quando exercent minimam actionem exteriorem, e. g. quando lavant etiam modestè manus; aut tollunt humo lapillum; alii autem pollent tam perspicaci, atque amplâ intellectûs vi, ut valeant perfectè attendere ad duo diversa objecta, sicut e. g. Iulius Cæsar, de quo audi testimonium Plinii *Lib. 7. cap. 22. Scribere, & Legere, dictare, & audire solitum accepimus: Epistolas verò tantarum rerum quaternas pariter Librariis dictare, aut, si nihil aliud ageret, septenas.*

808 Quæritur igitur, si quis prædituς tam felici ingenio, quàm Cæsar, valeret, dum recitat Horas Canonicas, vel scribere, vel notare, utrùm sui septem librarii, aut amanuenses rectè excepissent dictata, quæritur, inquam, an esset ipsi nihilominus sub mortali vetita illa scriptio, & revisio tot scripturarum? Si enim est aliqua exterior actio, quæ mentem avertat ab attentione ad verba prolata, tum sanè vel maximè est mentalis lectio materiæ diversæ à verbis, quæ pronuntiantur. Idem quæritur de scriptore, & pictore; an scilicet, si quis polleat vi attendendi simul ad scripturam, seu picturam, & ad verba Breviarii, sit excusandus pingendo, & scribendo, dum dicit: *Domine labia mea aperies*, & reliqua usque ad: *Tu autem Domine miserere nobis*, in fine primæ, aut nonæ lectionis, vel etiam usque ad *Benedicamus Domino*? Equidem omnes passim Doctores proponunt exemplum scriptionis, tanquam Ideam actionum exteriorum repugnantium attentioni internæ, incompossibiliúmque cum illa.

809 Silvester *Verb. Horæ quæst. 11.* sic loquitur: *Mortale est, dicendo officium se occupare in exterioribus, quæ non compatiuntur attentionem ad officium.* Sic etiam loquitur Gregor. de Valent *loc. cit.* Distinctiùs mentem suam aperit Dom. Sotus *Lib 3. De justit. art. 5. quæst. 5.* pronuntians: *Nemo censendus est attentione ex professo distrahi, nisi, dum Horas pendit, alio negotio occupetur, quod suapte naturâ attentioni orationis adversetur. Rursus requiritur &c.* Arragonius *2. 2. quæst. 83. art. 13. concl. 2.* utitur phrasi Soti, Card. de Lugo *Tom. 2. in 3. part. disp. 22. num. 25.* consentit, dum ait, actionem illam exteriorem *debere ex se* distrahere ab auditione Missæ. At verò Navarrus *De Oration. Cap. 13. num. 49. & 50.* Sanchez *Lib. 7. Consil. Moral. Cap. 2. dub. 32. num. 2.* Ludovicus Beja *in suis Responsis Part. 2. Cas. 33.* Suarez *Lib. 4. de Hor. Canon. cap. 26. num. 22.* volunt, illam incompossibilitatem desumi ex respectu ad orantem, ita ut Sanch. *loc. cit.* statuat hanc resolutionem generalem, & notandam: Solus & omnis iste actus *corporalis* ad implementum præcepti impedit, qui repugnat & est incompatibilis attentioni, *habilitate ejus, qui recitat, inspectâ*; quam clausulam: *habilitate ejus*, exprimit etiam Navarrus *loc. cit.* ac Beja *loc. cit. vers. Hoc autem.* Testans, etiam Durandum ita sentire. Unde idem Navarrus *num. 23.* expressè à mortali excusat illum, qui legendo, aut scribendo aliud attenderet ad recitationem tantum, quantum esset necessarium ad evitandum peccatum mortale, licèt frequenter venialiter peccaret talis. E diverso scri. ut Suarez *cit. num. 21. Si homo jam expertus sit, se solvere similibus actionibus* (pingendi, se vestiendi, lavandi &c.) *omnino impediri, & distrahi, sive ob incapacitatem, suam, sive ex consuetudine, tunc potest esse peccatum grave.*

Vides, lector, ingens discrimen morale inter hasce duas sententias. Si enim sequeris priorem Soti, damnabis peccati mortalis omnem illum, qui toto tempore Tertiæ, vel Sextæ scribit aut pingit; hæ quippe duæ actiones reverà suaptè naturâ impediunt maximopere attentionem; at adhærendo posteriori Navarri, illum solùm, qui non potest attentionem *interiorem* conjungere his duabus actionibus. Vice versâ Sotus, Arragonius, & Lugo agent reum moxæ lethalis illum, qui est tam debilis phantasiæ, ut, dum se se etiam modestè, ac sine properatione induit, calceat, lavat, pedibus, vel equo iter facit, ita occupetur animo in hisce actionibus, ut ad nihil aliud nisi tenuissimè possit advertere animum; at è contrario hunc omni gravi noxâ absolvent nominati triumviri. 810

Si quæras apud eos rationem sentiendi tam contraria in re quotidiana, frustra quæres, nisi sis fortunatior me. Adfero autem pro *prima* sententia hanc; *quòd scilicet leges dentur pro, & de iis quæ sunt per se, & non de iis, quæ sunt per accidens L. Nam ad ea ff. De Leg.* etenim *moralia* accipiunt speciem ab iis, quæ sunt *per se*, non autem ab iis, quæ sunt *per accidens.* S. Thom *2. 2. Quæst. 150. art. 2.* Et quia de interioribus seu occultis non potest divinare Papa. *Text. cap. Ut benef. eccl. sine dimin.* nequit rescire Prælatus, quòd scriptio te non impediat ab attentione, cùm impediat ferè omnes alio, sergo eris æquè culpabilis, ac si revera distrahereris. 811

At verò pro *secunda* opinione occurrit hæc ratio, quòd Ecclesia non videatur *exteriorem* attentionem, adeóque abstinentiam ab actionibus exterioribus prohibere rigidiùs, aut latiùs, quàm interdicat lex *divina*, & *naturalis*, atqui 812

atqui lex *divina*, & *naturalis* inhibet illas solas, quæ prævidentur re ipsâ parituræ distractiones repugnantes necessariæ attentioni internæ; quando enim ea prohibet aliquid solùm propter periculum mali, illa prohibitio cessat casu, quo cessat periculum, ut ostendo *in Theologia Iuridico-Moral.* seu *Tract. 5. Quinarii c. 6. n. 40.* Ideo non contrahet grave peccatum, qui expertus, se à scriptione non impediri, quò minùs attentè pronuntiet verba Breviarii, scribit toto tempore, quo psallit.

813 Dico II. Qui sine obligatione recitat Breviarium, non videtur delinquere mortaliter negligendo omnem *exteriorem* attentionem, se occupando in negotiis exterioribus, attentionem *interiorem* impedientibus, sive ex sua natura, sive ex infirmitate recitantis. Ratio est, quia talis non tenetur sub mortali vitare distractiones interiores, ut suppono ex communissima sententia; ergo nec causam illarum tenetur vitare; nam qui non tenetur ad finem, non tenetur ad media, spectatâ rei naturâ; atqui attentio *interior* se habet, ut finis, vitatio exteriorum occupationum est quoddam medium.

814 Ex quo infero, videri à Deo prohiberi sub mortali Clericis subjectis penso Canonico, omnes, & solas illas actiones exteriores, quas lex *Ecclesiastica* interdicit. Ratio est, quia accessorium sequitur naturam, & qualitates principalis. Cùm ergo Ecclesia *principaliter* ac *primariò* veret actiones has exteriores, Deus autem tantùm *secundariò* & *per accidens*, utpote qui solùm ideo illas graviter arceat, quòd velit observari legem Ecclesiæ, videtur sanè Deus illas omnes & solas nobis vetare graviter, quas vetat Ecclesia. Vnde

815 Dico III. Ecclesia *directè* interdicit illas solas actiones externas, quæ sunt naturâ suâ incompatibiles cum attentione *interiore*; at probabiliter *indirectè* omnes incompatibiles, spectatâ habilitate subjecti. *Prima* pars probatur Ex *Cap. Dolentes. De Celeb. Miss.* ubi vetatur solùm effusio auditûs ad indebitos sermones, & *huic similia.* Atqui talis effusio est actio suâpte naturâ incompatibilis cum attentione, seu impediens, quò minùs *aures intenta porrigantur ad divina*; ut loquitur Pont fex. *Altera* pars probatur tum autoritate Navarri, Suarez, Sanchezii & aliorum, tum inde, quia, sicut, cùm quid prohibetur, omnia prohibentur quæ sequuntur ex illo; *Reg. 39. in 6.* ita etiam cùm quid prohibetur, omnia prohibentur, per quæ proximè pervenitur ad illud *L. Oratio. ff. De Sponsi.* Sanchez *Lib. 9. De Matrim d. 3. n. 31.* Atqui prohibentur sub mortali distractiones interiores, ut discemus *num. 838.* Vnde hîc locum habet lex *Qui potest. ff. De Reg. jur.* quæ ex lumine naturali, sic pronuntiat: *Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur.* Atqui is, qui libere exercet actiones, per quas tollitur attentio *interna*, potest revera parere conditioni, seu legi, præcipienti illam attentionem; ergo si non pareat, censebitur tamen posse attendere, & consequenter ei imputabitur distractio *interna*, quidni ergo hoc ipso *externa*?

Quòd si supponamus sententiam probabiliter negantem, delinqui mortaliter à negligente omnem attentionem *interiorem*, tum sanè dicendum videtur, vetari ab Ecclesia, & consequenter solùm sub veniali à Deo actiones duntaxat illas, quæ suâ naturâ graviter repugnant attentioni *interiori*; cur enim interdicat illas, quæ non ita repugnant? Et fortè erit, qui dicet, interdici ab Ecclesia solas distractiones, quæ causantur ab actionibus exterioribus per eam *directè* prohibitis, de quo infrà. Ita Suarez *c. 26. n. 13.* 816

Porrò quænam actiones censeantur repugnare graviter, aut leviter attentioni interiori, indicavi in ipso *Alphabeto Cas. VIII. num. 234. & 238.* Quo loco dixi, me non assentiri Navarro, quatenus actionibus *per se* non graviter repugnantibus attentioni *interiori* accenset aptationem calami, quod etiam facit Beja *loc. cit.* Cajetan. *2. 2. q. 83. art. 18.* addens etiam cum eodem illum laborem famularem, quo quis domum verrit; sicut & Barbosa *in Capit. Dolentes. De celeb. Miss.* ex Bonacina illum, quo quis mensam, & lectum sternit. Ego autem saltem non auderem me non accusare in tribunali sacro, si aptâssem duos calamos toto tempore, quo percurrissem Tertiam. Faciliùs cum Sanchez *loc. cit. Lib. 7. cap. 2. dub. 32.* Leandro *Disp. 4. q. 11.* & aliis post Navarrum, excuso ab omni peccato illum, qui etiam sine necessitate recitat unam, vel alteram Horam eo tempore, quo se modestè, seu absque festinatione exuit, induit, calceat, lavat manus, aut faciem, quippe subscribo Regulæ morali traditæ à Sanch. *loc. cit. n. 8.* in hunc modum: *Quas actiones exerceo licitè, dum recito preces non debitas, easdem licitè exerceo recitando debitas*; atqui si ego ejusmodi Horam, aut alias preces ex sola devotione, & nulla obligatione tunc funderem, non peccarem ullo modo ut patet tum inde, quòd & sacerdotes ex præscripto debeant orare vocaliter, dum se induunt vestibus sacris, vel manus lavant ante, aut in ipso Sacro, & PP. Prædicatores, ut testatur Sotus suprà *citatus*, ex suis statutis teneantur orare vocaliter, seu dicere officium Beatæ Virginis, dum se vestiunt surgentes; quod etiam libri ascetici monent faciendum à quovis Christiano; ergo etiam non pecco venialiter exercendo tales actiones sub recitatione præcepta Breviarii: certè non reperietur textus juris interdicens id genus actionibus. 817

Addit autem idem Sanch. cum Navarro, venialiter peccari, si festinanter obeantur hæ actiones, eò quòd hæc festinatio communiter adversetur reverentiæ, & attentioni in recitan- 818

do preces debitas. Ego non dubito de venialibus; timeo apud multos mortale in recitando debitas; multi enim, si non plerique, fiunt planè tori distracti, quando festinanter, ac properanter peragunt talia. At leniter ambulans, modestè equitans, colligens hanc, aut illam herbam, prospiciens in prata, hortos, aut vineas inter orandum, non peccat, testibus Navarro *De Orat. cap. 13. num. 50.* & Sanchez *loc. cit.*

819 Vice versâ sicuti *num. 239.* omni culpâ absolvi facientem, tempore Sacri, necessaria ad Sacrum, ita etiam cum Navarro, Silv. Sanch. excuso facientem necessaria ad recitationem Breviarii, ut pluribus specificavi suprà *num. 706.* exprimendo *num. 704.* organœdum non obligari ad repetenda, quæ ipse organo concinit.

820 His adde, si exercens actiones exteriores, non notes, per eas impediri attentionem interiorem, non esse opus repetitione. Sotus referendus *inf. Concl. 8.* Navarrus, Valentia, Lairuelz, quos tres nominat, ac sequitur Diana *Part. 5. Tract. 11. Resol. 30.* contra Caramuelem *in Theolog. Regul. num. 1379.* fatentem tamen, probabilem esse sententiam illorum 4. DD. quorum tres posteriores etiam ipse citat.

821 Dico IV. Probabilius multò est, essentiam orationis vocalis consistere cum perpetuis voluntariis, distractionibus, seu evagationibus mentis quàm non consistere. Ita Cardin. de Lugo ex instituto *Tom. 3. in 3. part. d. 22. sect. 2.* Tamburinus *Lib. 4. in Decal. cap. 2. §. 1.* Coronius *Lib. 3. cap. 5. num. 108.* atque omnes, qui concedentes, recitationem Breviarii imperari ab Ecclesia per modum orationis, excusant à mortali foventem perpetuas distractiones; excusant autem omnes relati suprà *num. 765.* Dissentiunt ab hac conclusione Lessius, Laymann, Tanner. Bonac. Bonart. relati suprà *num. 794.* Alloza, Sanctgallenses, atque maximè Suarez *De Orat. Lib. 3. cap. 4 num. 3. & lib. 4. cap. 26. num. 13.* volens, suam opinionem haberi pro certa, & evidente. Quam priùs quàm refutem, observo, non esse hic sermonem de distractionibus illorum præstantium ingeniorum, quæ possunt attendere simul ad verba, vel sensum Breviarii, & ad res profanissimas; nemo enim prudenter negabit, cum talibus distractionibus consistere essentiam orationis. Est ergo sermo duntaxat de illis, quæ auferunt sive ex natura sua, sive propter debilitatem capitis, & intellectûs, attentionem *internam* requisitam ad evadendum peccatum mortale.

APPENDICVLA.

a SEntentiam, quam teneo hoc *num. 821.* scilicet de essentia orationis consistente cum voluntariis distractionibus, tradidi in *prima, secunda* & *tertia* editione his ipsis verbis formalibus. Attamen optimus P. Bruno Neusser in toties allegato *Tract. de Horis Canon. Disp. 9. num. 15.* scribit, contrariam huic, adeóque Suarezianam haberi à me pro probabiliore. Sed vel festinatio, vel mentis in alia conversio induxit illum insignem Doctorem in errorem. Etenim eo *num. 538.* quem ex *prima* editione citat, cæteroquin circumspectus autor, & ubi scribo, videri mihi probabiliorem sententiam illam, quam ibi ratione firmo, loquor de obligatione jungendi attentionem cum oratione Canonica, ostendóque esse probabilius, eam sub mortali requiri, quàm non requiri.

b Addo tamen in aliquod robur sententiæ, quam contra me tuetur Neusserus, referri ipso teste, à Thoma Hurtado quinquaginta authores, pugnantes pro incompossibilitate voluntariarum distractionum, cum oratione Canonica, & omni alia. Quæ quinquagena firmat sententiam, quam defendo de peccato mortali contracto ab omni deliberatè fovente longas distractiones, dum persolvit pensum Canonicum, aliásve preces ex voto, aut lege Ecclesiæ præceptas.

822 Hoc observato, ac notato, probo positam conclusionem, & simul refuto oppositam. 1. Quia oratio vocalis est vocalis petitio rerum decentium à Deo; sicuti describit ipse P. Suarez *Lib. 1. De Orat. cap. 1. num. 8.* atqui possum revera petere *vocaliter* à Deo res decentissimas, esto sim longè distractissimus; cùm enim sciam, petitionem panis quotidiani contineri in oratione Dominica, si inchoem illam orationem cum expressa intentione, & totam pronuntiandi, & petendi, quidquid in ea exhibetur petendum, ac nominatim panem quotidianum, profectò quando efferam illa verba: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, repræsentabo Deo desiderium panis quotidiani, licèt tunc nihil deliberatè cogitem de his verbis, eorúmve sensu; nam nihilominus censebor proferre illa verba humano modo, quandoquidem multi, teste eodem Suar. *cit. cap. 4. num. 17.* & rectè probante, nec suam probationem improbante, existimant, verba Breviarii humano modo proferri etiam ab illo, qui expresse dicit: dum recitabo hunc psalmum, nolo quidquam planè, cogitare de verbis, sed de solo Deo, cujus laudibus est totus plenus his psalmus.

823 Confirmatur 1. allata ratio, quia etiamsi deliberatè distrahar orans cum alio, attamen inchoo meum versiculum, quoties me ordo tangit, tacens illa, quæ sunt à socio dicenda. An non est hoc agere humano, & morali modo? Idem Suarez *cit. cap. 4. num. 19.* & maximè *Lib. 4. cap. 26. num. 4.* contendit, naturam orationis *vocalis* permanere in eo, qui inter orandum deditâ operâ cogitat de rebus piis, etsi nullo modo significatis per verba; cur non etiam in eo, qui de profanis? Nam & hic æquè humano modo effert verba, atque ille;

ille; & quando per primam, aut secundam operationem mentis apprehendo resurrectionem mortuorum, interim dum dico: *Panem nostrum, &c.* non magis tunc exprimo desiderium obtinendi à Deo escam corporis mortalis, quàm si mediter Æneam confligentem cum

824 Turno. 3. Nemo facilè negabit, me à Principe aliquid petere, quando cum intentione manifestandi meum desiderium, & indigentiam, ex proposito recito coram illo verba, quæ scio esse petitoria, esto recitem mente abreptus ad alia. 4. Quia excommunicationem fortè latam in invocantes dæmonem, in blasphemantes Deum, incurret utique is, qui cum animo invocandi, blasphemandi recitat carmen continens verba invocatoria, & blasphema, sciens hæc contineri in illo, esto, quando perveneri ad sententias propriè continentes invocationem, & blasphemiam, nil prorsus cogitet de iis, eorúmve significato, dummodo inchoârit illud carmen cum prædicta nequissima intentione; sicut & excommunicationem decretam in loquentes cum excommunicato incurrit loquens etiam distractè; & utique veram professionem emittit coram Deo, qui coram circumstantibus eam cum animo profitendi recitat distractus; *validè* etiam absolvit, *validè* Matrimonium contrahit distractissimus, & tamen verba, quibus utuntur hi omnes, diriguntur, vel ad Deum, vel ad homines.

825 Probatur II. Nostra conclusio. Etenim formula Extremæ Unctionis est vera oratio; ut probo ex communi *in Alphab. Ordinis, & Extremæ Unctionis Cas. XXI. n. 802. & seqq.* Atqui nemo hactenus requisivit ad hoc Sacramentum attentionem ministri, sed intentionem, juxta literas Eugenii IV. *post Concil. Florent.* Quamquam fateor, ab Illustrissimo Dom. Reding *Theolog. Scholast. Tom. 5. q. 11. art. 2. Controv. 3. n. 10.* adfeuri subtilem rationem, ob quam existimat, essentiam orationis consistere cum voluntariis distractionibus, esto, ponamus attentionem esse de essentia orationis *vocalis*.

826 Probatur III. Ex communi consensu SS. PP. Theologorum, & ipsiusmet Suarii, ac sequacium; etenim omnes malitiam voluntariarum distractionum constituunt in eo, quòd sit valde indecens loqui cum Deo, & interim mentem aliò avertere, ergo revera supponunt omnes, etiam voluntariè distractum loqui cum Deo, ergo & orare. Et quis hactenus dixit, ut primùm quis admisit voluntarias distractiones in percurrendo psalmo quinquagesimo, desiisse orare?

827 Adhæc, si ponamus hominem, qui existimet, non peccari ullo modo per voluntarias distractiones, an dicemus, nunquam orare, dum distrahitur voluntariè, nihilque impetrare? Denique, cùm ipse P. Suarez *cit. Cap. 4. n. 19.* fatetur, vix posse fieri orationem *vocalem* cum tanta attentione ad Deum, quin revera attendatur ad verba; & P. Henriquez *Lib. 9. cap. 25. n. 5. lit. O.* pronuntiet, omnes, qui libere orant, habere communiter attentionem ad verba, idem etiam Suarez *cit. Cap. 4.* non semel neget, requiri quasi *reflexivam* attentionem, sed sufficere illam, quam quis habet quasi aliud agendo, ut loquitur *n. 2. in fine*, planè videtur ad essentiam orationis *vocalis* exigere, vel diversam à *superficiali*, vel ignotam hominibus.

828 Objicies 1. Oratio definitur ascensio mentis ad Deum. Resp. 1. S. Damascenus, ex quo adfertur hæc definitio orationis, vel loquitur de sola oratione *mentali*. Suarez *Lib. 1. De Orat. Cap. 1. n. 6.* vel de quovis pio motu in Deum, indicans, omnem pium motum in Deum esse orationem, Laymann. *Lib. 4. Tract. 1. cap. 1. n. 1.* Resp. 2. Sufficere, si initio orationis *vocalis* ascendatur mente in Deum, & ex vi hujus ascensionis, bonæque intentionis proferantur verba precatoria.

829 Objicies 2. Cum Suar. *cit. Cap. 4. n. 5.* Qui habet genua flexa, & nullo modo attendit ad Deum, nullo modo adorat Deum; ergo nec orat, qui non attendit saltem ad verba. Resp. Hoc exemplum est pro me; qui enim flectit genua coram idolo, proponens flectere per horam in ejus honorem, certè dicetur adorare idolum, etsi postea nil cogitet de idolo, ergo, & is orare, qui cœpit verba proferre cum *explicita*, vel *implicita* intentione petendi aliquid à Deo. Instabis: *Talis est merus hypocrita.* Nego, quia non necessariò vult per genuflexionem, aut per verborum prolationem sensibilem, indicare se attendere ad Deum, aut ad verba.

830 Objicit 3. Suarez, orationem esse nostri desiderii directionem ad Deum, quæ nequeat consistere cum *voluntariè* distracto. Sed jam ostendi superiùs, posse optimè consistere.

831 Dico V. Non potest negari, quin sit probabilè, immunem esse à peccato mortali, qui officium divinum recitat cum perpetuis distractionibus voluntariis. Est hæc conclusio quidem contra Suarium, negantem omnem probabilitatem etiam *practicam secundæ* sententiæ, indicatæ suprà *n. 795.* sicut & negant tredecim scriptores, teste Hieron. Garcia apud Leandrum *Disp. 4. q. 2.* sed probatur hoc *moraliter* certissimo argumento: Illa enim de moribus agens sententia, est verè probabilis, quam à pluribus jam sæculis in hodiernum diem tradiderunt permulti viri clarissimi eruditione, sapientiâ, pietate, & quidem perspectis argumentis partis adversæ, nullo novo decreto Ecclesiæ munitæ. Atqui ita se res habet in proposito. Pro Majoris propositionis probatione laborare pudet, quia est actum agere, & soli facem accendere. Minoris veritas, quoad *primam* partem, manifesta est legenti nomina Doctorum, expressa *n. 795.* *Altera* pars de perspectis argumentis

etiam debet haberi pro indubitata, quandoquidem nulla afferuntur, quæ non venire soleant in mentem cujusque ex similibus eorum, quos nominavimus *cit. n. 795. Tertia* pars de nullo novo decreto, est certissima. Accedit, quòd sententia Patris Suarez potissimùm nitatur, ut ipse quidem fatetur *Lib. 4. De Hor. Can. Cap. 26.* eâ ratione, quòd attentio sit de essentia orationis *vocalis*; atqui hoc fundamentum eversum est conclusione præcedente.

833 Confirmatur statuta conclusio inde, quòd non sit asserenda obligatio mortalis, nisi adigat ratio, vel autoritas convincens, Suprà *n. 778.* atqui neutrum convincit in proposito, ut ostendo respondendo ad argumenta.

834 Objicitur enim 1. A multis sanctio Canonis *Dolentes. De Celebrat Miss.* descripta suprà *n. 806.* in qua per adverbium *devotè*, videtur designari attentio *interna*. Sed respondeo, ipsummet Suarezium fateri *loc. cit. n. 12.* non posse firmum argumentum desumi ex hoc Capitulo; vix enim fuit promulgatum, cùm nobilissimi Canonistæ nominati suprà *n. 797.* fuerunt illum interpretati de devotione externa; alii cum Hostiensi dixerant, eo adverbio contineri consilium, non præceptum, quandoquidem Pontifex addit: *Quantum eis Deus dederit*; quam clausulam si velis habere pro præcepto, debebis asserere, omnem possibilem devotionem, attentionémque esse sub præcepto rigidissimo; hoc autem nemo sanus dicet; ergo nequè tu. Equidem Clerici, de quibus, & contra quos lata est à Concil. Lateran. ac Pontifice Innoc. III. illa sanctio, memorantur effudisse auditum ad indebitos sermones. Et in proœmio proprio ejusdem præceptionis, est sermo de illis solis, *eorúmque similibus*: ergo & ipsa decisio est intelligenda de illis solis, atque eorum similibus, id est, agentibus graviter contra exteriorem attentionem; nam ex proœmio statuti interpretanda est intentio statuentium. Bartolus, Abbas, alii referendi *Diff. seq. n. 881.*

835 Objicitur 2. Oratio cum voluntariis distractionibus. 1. Non est Oratio. 2. Est mera hypocrisis. 3. Est merum peccatum. 4. Nil impetrat. Resp. *Duo* priora meritò negavi superiùs. *Tertium* quoque negatur; est enim actus secundùm substantiam bonus, & per circumstantiam malus. Ad *quartum* dicitur, eâ nihil impetrari, quatenus est distracta, at quatenus ex obedientia, justitia, reverentia in Deum, proferuntur verba modestè, integrè, ordinatè, & cum refrænatione sensuum circa objecta distractiva, sine dubio potest per talem recitationem impetrari non una, sed multiplex gratia. Unde Laymannus *Lib. 4. Tract. 1. cap. 5. n. 10.* rectè scribit, negari non posse, quin cantu, aut prolatione externa precum ab Ecclesia institutarum & populus ædificetur, & quatenus nomine, & imperio Ecclesiæ funduntur, aliquid à Deo impetrari possit, non minùs, quàm si Sacræ cantiones organo personent, & demique Caramuel *in Theol. Regul. n. 1379.* jure asserit, esse improbabile, quòd quis in statu gratiæ constitutus nil mereatur apud Deum, satisfaciendo legi Ecclesiæ.

Objicitur 3. Qui ex voto, pœnitentia sacramentali, stipendio manuali, obligatur sub mortali fundere certas preces, utique tenetur sub mortali expellere alienas cogitationes, ergo & obligatus persolvere pœnum Canonicum. 836

Resp. 1. Negando antecedens; quia hæc tria obligant eo modo, quo leges, ut in materia de legibus docent Sanchez, Bonacina, Palaus; ergo ut probes, enasci ex his obligationem lethiferam, priùs demonstrandum tibi est, talem obligationem esse annexam precibus canonicis. Atque ita respondi à viro gravi, ac docto per literas interrogatus Anno 1661. 17. Februarii addendo tamen, standum esse expressâ intentione voventis, &c. si de ea constet. 2. Potest concesso antecedente, negari consequentia; quando enim lex divina imperat precationem, imperat sub mortali attentam. Sanchez *Lib. 7. Consil. Moral. Cap. 2. dub. 28. n. 8.* post Paludanum, & alios. Huic legi divinæ potest se accommodare vovens, pœnitentiam injungens, stipendium præbens. Et verò puto, ita re ipsâ fieri. Certè quando in sacro tribunali injungo preces, intelligo devotas, devotione interiore, sicuti & Bonacina *De Hor. Canon. Disp. 1. q. 3. p. 2. §. 2. n. 4.*

Dico VI. Utique sufficit attentio *superficialis* ad explendum totum præceptum Horarum Canonicarum. Etenim in primis ejusmodi attentio juncta bonæ intentioni, de qua in præcedente disputatione, facit orationem pergratam Deo. Deinde non probatur, quòd vel Deus, vel Ecclesia plus exigat. Adhæc, qui religiosè, & cum intentione prædicta attendit ad verba, hoc ipso etiam saltem confusè attendit ad Deum; ergo gratis requiritur plus. Sanè qui ab attentione *superficiali* non ascendit distinctè ad literalem, vel spirtualem non videtur magis peccare, quàm qui recitatter salutationem Angelicam, cùm posset facilè quater. Hinc ergo refutata manet sententia, & limitatio Cajetani, de qua *n. 798.* Nec dictis obstat, quòd in superiùs *citato* Canone: *Dolentes*, districtè præcipiatur, ut Clerici nocturnum, diurnúmque officium, *quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, & devotè*: nemo quippe dicet, præcipi sub mortali tantam animi devotionem, ad quantam quis, juvante Dei gratiâ, ascendere potest, alioquin non possent confessarii, nisi fortè de uno ex centum; aut prudenter judicare, quòd non peccâsset mortaliter quotidie in exsolutione sui servitii Ecclesiastici, ergo illa clausula debet haberi pro mero consilio, pro quo etiam multi, teste Suarez *citato Cap. 26. num. 13.* habent ipsummet adverbium: *devotè.* 837

Dico

Dico VII. Omnibus consideratis existimo, esse probabilius, attentionem interiorem sub mortali requiri in recitatione precum Canonicarum, quàm non requiri. Autores pro hac conclusione non nomino, præter expressos *n. 794.* etenim nemo, nisi admodum rudis, ignorat, longè plures è scriptoribus hujus sæculi stare pro hac conclusione, quàm pro contraria. Catalogum illorum ante Dianam dedit Bonacina *De Horis Can. Disp. 5. q. 3. p. 2. §. 2. n. 4.* Ratio est hæc fundamentalis, quòd ex una parte sit probabilius, posse ab Ecclesia præcipi *indirectè*, & *concomitanter* actus *internos*, facientes ad honestatem *externorum*, *directè* ab eadem præceptorum, ut ostendi in ipso *Alphab. Cas. VII. n. 189.* Ex altera autem parte mihi videatur valde rationabile, ut, si quos ejusmodi actus præcipere potest, præcipiat attentionem in persolutione pensi Canonici; tum quia, qui non curant attentionem interiorem, communiter ita luridè, scurriliter, incuriè deblaterant verba precatoria, ut in tales planè conveniat illud, quod ex S. Gregorio refert, atque approbat S. Thom. *2. 2. q. 83. art. 13. Illius orationem Deus non audit, cui, qui orat, non attendit.* Tum quia, qui aliena deliberatè tractat animo, dum orat, exponit se periculo committendi turpes errores, transiliendo verba, & versus. Unde existimo cum eruditissimo Canonistarum Navarro *De Orat. Cap. 13.* atque aliis permultis, quos refert, & sequitur Barbosa *in Cap. Dolentes. De celebr. Miss.* per adverbium *devotè* omnino designari devotionem interiorem, hæc enim sola est devotio propriè; exterior autem duntaxat simulacrum devotionis. Et confirmatur inde, quia Concilium verbis illis: *Hæc & similia sub pœna suspensionis inhibentes*; jam satis imperaverat devotionem exteriotem, dum prohibuerat actiones ei repugnantes; ergo non iterum præcepit, cùm nihil superfluum debeat esse in rescripto, aut

839 Lege, ut notant passim interpretes Juris. Neque dicas cum multis, apud Suarez *cit. Cap. 26. n. 13.* illa adverbia *reverenter*, *& devotè* esse tantùm consilii, non præcepti; præceptum enim Concilii cadere super ipsam recitationis substantiam, non super modum. Etenim Concilium non dicit, se audisse querelas de neglecto penitus officio Canonico, sed de attentione ad profana colloquia. Deinde jam satis constabat omnibus, omnes beneficiatos esse astrictos Breviario, ergo & rursum frustra fuisset hæc tam seria, severáque sanctio.

840 Hæc ipsa ratio probat, istam conclusionem esse veram, non solùm respectu illorum, qui dedicâ operâ, consultò, ex industria distrahuntur, ut quidem restringunt Cajetan, Sa, & Sanchez relati *n. 769.* cum Leandro *Q. 14.* sed etiam respectu illorum, qui per supinam negligentiam non expellunt distractiones; etenim & his deest devotio interior. Quamquam si *deliberatè* quidem foveant alienas cogitationes, attamen non advertant, se per illas planè deficere à requisita attentione, meritò excusantur à mortali. Sanchez *Lib. 7. Conf. Mor. Cap. 2. dub. 18. n. 11.* post Cajet. Sotum, Armillam, Suarez, Navarr. & alios doctos, ut loquitur, Recentiores, assentiente Leandro *Q. 15.* & addente Filliucium, Bonacinam, atque alios. Ratio est, quia ei, qui non advertit, se distrahi, potest quidem ipsa inhæsio in alienis cogitationibus esse voluntaria perfectè, in quantum est inhæsio in illis, at etiam potest esse involuntaria, in quantum per eam quis avertitur ab attentione ad rem, ad quam deberet attendere; certum enim est, posse à se invicem separari hæc duo, scilicet cogitationem de rebus profanis, & inadvertentiam ad res sacras, adeóque conjungi advertentiam ad profana, & advertentiam ad sacra. Cùm ergo ita possint separari, non censebitur conjunctio illorum esse voluntaria, nisi præcognoscatur, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum; ferè sicuti non imputatur tibi scandalum passivum illius, qui ex tuo facto malo impulsus est in ruinam spiritualem, te non prævidente periculum. Interim tamen negamus cum omnibus, ut testatur Leander *Disp. 4. q. 6.* nostræ *septimæ* conclusionis asseclis, intentionem attendendi merè *habitualem*, prout eam descripsimus ex Pellizario suprà *n. 800.* sufficere ad evadendum crimen lethale; at non habemus pro improbabili judicium P. Thomæ Sanchez *Consil. Moral. Lib. 7. cap. 2. dub. 28. n. 14.* scribentis, licèt in aliis materiis contigerit negligentia *crassa* haberi pro actu verè voluntario, non tamen debere pro tali haberi in præsenti materia. Præivit Sanchezium Cajetanus *2. 2. q. 83. art. 13.* secutus est utrumque Leander *Q. 14.* ut vidimus suprà *n. 800.* ego *absolutè* neutrum.

Dico VIII. Probabile est, illas solas distractiones prohiberi ab Ecclesia, & consequenter graviter à Deo, quæ causantur per actiones externas suapte naturâ incompatibiles cum attentione *interiore*. Illas solas prohiberi ab Ecclesia, admittit ipse Suarez *Cap. 16. n. 13.* & probavi, declaravíque superiùs *n. 815. & seqq.* easdem solas ab Ecclesia, & à Deo interdici, docet Sotus *De justit. Lib. 10. q. 5. art. 5. versus finem*, expressè ita differens: *Nemo censendus est attentione ex professo* (id est, cum culpa mortali, ut patebit legenti antecedentia, & consequentia) *distrahi, nisi hæc concurrant, videlicet, ut, dum Horas pendit, alio negotio occupetur, quod suapte naturâ orationis attentioni adversetur, ut si tunc legat, scribat, pingat, &c. Deinde, ut, qui aliquid facit, aut cogitat, quod ab orationis attentione extraneum est, advertat, se per illud ab eadem oratione dilabi.* Ita oppidò sagax Dominicus Sotus; & probatur, quia sic satisfacimus verbis, contextui, adeóque sensui Canonis *Dolentes*, si priora cum posterioribus conferantur reflexè, & studiosè. 841

842 Dico IX. Probabilius est, non teneri ad ullam restitutionem, qui cum voluntariis, & perpetuis distractionibus recitavit Horas omnes, aut unam, modò integre, & cum intentione orandi. Ita contra Suarez *Lib. 4. De Hor. Canon. Cap. 26.* Sanctgall. & plures alios, apud & cum Sanch. *loc. cit. dub. 30.* ac Barbosa *in cit. Cap. Dolentes. De Celeb. Miss.* tenent S. Anton. Hostiens. Major, Gerson, Corduba, Medina, Malderus, Sotus, *loc. cit. sub. fin.* Toletus *Lib. 2. cap. 12.* ac plures alii, relati à citatis, & à Navarro *De Orat. Cap. 20. n. 31.* Ratio optima est, quia leges odiosæ, & præsertim pœnales, non sunt extendendæ ultra proprietatem verborum, sed potiùs intra eandem restringendæ, quoad fieri potest, juxta plurimas leges utriusque Juris, quas congero *in Clypeo Clement. Judic. Sect. 4. & 5.* Atqui in primis Canones præcipientes attentionem, non faciunt ullam prorsus mentionem restitutionis; deinde leges mandantes restitutionem fructuum ob neglectum pensi Canonici, disertè loquuntur de non *recitante*, *non dicente*, *intermittente* divinum officium, ut fatebitur, qui in recente memoria habet ipsa verba Concil. Lateranens. sub Leone X. *Sess. 9. §. statuimus*, & B. Pii V. in Bulla: *Ex proximo*, quam inter cæteros multos refert Navarr. *in Manual. Cap. 25. n. 122.* Atqui impropriè, imò ineptè dices, illum non recitâsse, sed intermisisse officium, quem agnoscis recitâsse cum distractionibus voluntariis; quomodo enim dicetur recitâsse distractè, si non recitavit? si intermisit? Adde, quòd onus restitutionis non sit à confessario injungendum, nisi quando cogit indubia veritas, ut post Graffiis, ac Polancum, ostendi alibi. Habeo itaque sententiam Suarezii probabilem ob authoritatem, sed parùm illi defero, spectatâ ratione, & jure, cùm præsertim suprà ostenderimus, essentiam *vocalis* orationis consistere cum perpetuis voluntariis distractionibus.

843 Ex his ritè inferes, talem non obligari ad repetendum quidquam eorum, quæ mente aliorsùm sponte evolante pronuntiavit; etenim revera implevit, & explevit totam substantiam legis de recitatione; ad cujus legis iterandam expletionem nullum jus eum compellit, quidquid etiam, & consequenter ad sua principia, dicat P. Suarez, nonnullique alii contrarii conclusioni præcedenti, hósque inter Navarr. *De Orat. Cap. 20. n. 31.* citans pro se Paludanum, Gabrielem, & Majorem; at pro nobis Hostiensem, Antoninum, Joannem Medinam. Hîce postremis triumviris tutò adhærebis, etiam postquam, perpensâ indignitate tuæ culpabilis, meritóque castigabilis divagationis, dixisti: *Nolo, ut valeat hæc persolutio pensi Canonici, sed volo à capite ad finem rursus auspicari, & pertexere, néque obligo sub mortali citra Votum ad repetitionem.* Rationem attuli *in ipso Alphabeto suprà n. 206.*

Hîsce ultro citróque disputatis, subjicio fine 844
ulla concertatione quædam documenta *practica*, profutura partim plerisque, partim singulariter scrupulosis.

I. Quamdiu non constat evidenter scrupuloso, quòd mutârit propositum recitandi attentè, vel volens, sciens, advertens inhæserit cogitationibus planè alienis, dum proferebat verba contenta in suo Breviario, credere potest, se suæ obligationi fecisse satis. Suarez *cit. Lib. 4. De Horis Canon. Cap. 26. n. 20.* Ratio generalis est, quia, qui sunt à suis confessariis declarati pro scrupulosis in aliqua certa materia, non debent credere, se circa eam deliquisse mortaliter, seu cum plena advertentia, nisi sint certi de hac plena advertentia. & sæpe nisi possint sine scrupulo per sacro sancta Evangelia jurare, se scire, quòd cum pleno, deliberato consensu malè fuerint operati, ut alibi ex Valq. & aliis doceo.

II. Modò quis inceperit Horam cum intention 845
tione orandi, quoties deditâ operâ mentem non divertit, licèt per totam orationem distractus, non delinquit mortaliter. Sanchez *Lib. 7. Consil. Moral. Cap. 2. dub. 28. n. 10.* referens multos; & intelligens de quovis Clerico ego de scrupuloso quovis, & de quovis solito recitare piè.

III. Dummodo adhibeas mediocrem dili- 846
gentiam, pro dispellendis distractionibus te vexantibus, eris excusatus apud Deum; nam neque ipse, neque Ecclesia exigit à te plus. Sanchez *cit. dub. 8. n. 13.* post Navarrum, & alios, meritò non restringentes hanc Regulam ad solos scrupulosos.

IV. Quin imò poterit absque omni culpa 847
admitti alia parva, & brevis evagatio mentis, ad refocillandum cerebrum, vel cor. Idem Sanchez *n. 10* post Gersonem. Quæ doctrina tutò in usum deducetur à convalescentibus, melancholicis, obnoxiis alicui debilitati capitis, stomachi, cordis.

V. Non delinquis, si, interrumpendo Horam 848
cœptam, aliquid breviter annotes calamo, aut cretâ, vel mandes tuo famulo, quia nimirum animadvertis, te non posse aliter conservare interiorem quietem, quam turbat cogitatio identidem te stimulans ad notandum, aut mandandum chartæ ne forsan obliviscaris. Suar. *cit. Lib. 4. De Hor. Can. Cap. 24. in fine.* At cave, assuescas parere ejusmodi importunis solicitationibus.

VI. Quia multis meorum lectorum non 849
suppetit ullus author, qui suggerat documenta *practica*, quorum observatio perquam utilis sit ad collectionem mentis, evitationémque, & refrænationem evagationum tempore orationis canonicæ, & tamen quisque filialiter timens, amánsque Deum, operam dare debet, ut omni collectione, atque ad res divinas applicatione, conversionéque animi persolvat pensum tam Sacrum, sanctúmque exi-

æstimavi, me de compluribus bene meriturum, neminí autem molestiam, aut fastidium facessiturum, si hoc loco repræsentarem partem eorum, quæ hanc in rem conscripsit noster P. Antonius Sucquet, vir apprimè doctus, pius, sapiens, in præsigni libro, cui Titulus: VIA VITÆ ÆTERNÆ valde charo utique omnibus piis mentibus, ac singulariter iis, qui octiduanâ Arcesi navant operam reformationi sui interioris, exterioríque hominis (sicuti quot Annis propè vicies experimur in hoc Collegio Constantiensi) idcirco huc transcribo bonam partem eorum, quæ author ille conscripsit *Lib. 1. illius operis. Cap. 12. in praxi ad Horas bene recitandas.* Sic ergo ille.

850 *Primò*, locus aptiùs quærendus, & tempus de- »
signandum. *Tu autem cùm oraveris, intra in cu- »*
biculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in »
abscondito. ait Dominus. Quòd si id fieri ne- »
quit, saltem collige pauliſper animum occu- »
pationibus distractum, deinde situ decenti u- »
tere. Varium imitari privatim potes. Publicè e- »
um, qui in Ecclesia ordinatur.

851 Variæ industriæ à viris piis excogitatæ sunt, »
ut animum in divino servitio collectum ser- »
varent, ne, ut D. Thomas loquitur, Deum deri- »
dere viderentur. Triplex autem est attentio »
1. Ad verba; quæ necessaria. 2. Ad sensum; »
melior. 3. Ad personam, & rem; quæ petitur; »
præstantissima. Quidquid hîc dicetur, ad ali- »
quam harum ordinatur. Ego pauca suggeram, »
non præscribo. Unctio quemque docet, & spi- »
ritus ubi vult, spirat, & quomodo vult, spirat: »
quem sequi oportet. Qui enim Spiritu Dei a- »
guntur, hi filii Dei sunt. Tria autem sunt, quæ »
ad collectionem animi conferunt; *Primum* est »
præparatio; *Secundum* memoriæ, & imagina- »
tionis stabilitas; *Tertium*, post Horas recolle- »
ctio.

852 Ad præparationem valet *primò*, legisse pium »
aliquem in psalmos Commentarium, qualis »
certè est Illustrissimi Cardinalis Bellarmini; »
plus tamen, de iisdem meditationem sensuum »
instituisse. *Secundò*, valet meditatio matutina, »
& cum Deo communicatio perpetua. Semper »
enim, maximè sacerdotes, oportet orare, & »
non deficere, atque animum collectum servā- »
re. Mirum certè est, quot ex affectu orationis »
matutinæ sensus pii in psalmorum recitatione »
à Spiritu Sancto, ut venæ aliquæ auri, sugge- »
rantur. *Tertia* est, & magis propinqua, *primò* »
conscientiam excitere, contritionem excita- »
re; *Non est enim speciosa laus in ore peccatoris.* »
Secundò omnia negotia seponere, & de iis co- »
gitationem velle excludere, Deo omnia tribu- »
endo. *Tertiò* locum, situm, tempus definire. »
Si enim locuturi cum homine, quid, & quomo- »
do, attendimus; quantò magis causam coram »
Deo nostram acturi?

853 In ipsa lectione tria item fac. *Primò* memo- »
riam præsentiæ Dei, & Christi Domini in Ve- »
nerab. Sacramento exerce; *Secundò* uti in me- »
ditatione dictum est, compositionem loci, fac, »
vel unam, vel ad psalmos singulos; *Tertiò* pete, »
gratiam aliquam singularem, vel in singulis »
psalmis, uti exponetur, vel universis.

Nota, quod dicitur, præsentiam Dei *primò*, » 854
excitandam in singulis Psalmis renovari posse, »
idque valde expedire, omnino enim oratio vix, »
est oratio absque ea, sive cum Deo colloquium, »
quis enim absenti loquitur? *Secundò* quod ve- »
rò ad compositionem loci, qua & memoria, & »
imaginatio alligatur, attinet, nota, eam variis »
modis fieri, ut ex iis, quæ de meditatione my- »
steriorum (eadem enim ratio est) dicta, consta- »
re potest. Mysteria, quæ respondent septem »
Horis, sunt; pro *Matutino & Laudibus* gesta in »
horto, usque ad domum Caiphæ. *Prima*, nox, »
in domo Caiphæ, & prima condemnatio. *Ter- »*
tia, Flagellatio, & coronatio. *Sexta*, condem- »
natio, & bajulatio Crucis. *Nona*, exaltatio in »
Crucem. *Vesperis*, depositio. *Completorio*, se- »
pultura. Hæc autem ante eas breviter, jam »
antè meditata, (neque enim tunc meditandum »
est, sed quasi in contemplatione, ac Dei præ- »
sentia orandum) recolantur, & Christo Do- »
mino præsenti cum variis affectibus compun- »
ctionis, contritionis, gratiarum actionis, ad »
mirationis, compassionis, gaudii, spei, amo- »
ris recitentur. Non enim applicari omnia »
possunt, sed recitari Domino Jesu præsenti, qui, »
cum Sancta Catharina Senensi etiam Horas a- »
liquando recitare dignatus est. Hoc verò spe- »
ctat ad *tertiam* intentionem. Huc pertinet, »
quòd aliqui coram Deo cum aliquo Sanctorum »
choro recitant Horas, aut etiam psalmos, su- »
mque affectum & vocem conjungunt. Hi »
numerari possunt decem. B. Virgo enim *unum*, »
per se facit, *secundum* Angeli, *tertium* Patriar- »
chæ, *quartum* Prophetæ, *quintum* Apostoli, »
sextum Evangelistæ, *septimum* Martyres, *o- »*
ctavum Pontifices, & Confessores, *nonum* Sa- »
cerdotes, & Levitæ, *decimum* Virgines & Vi- »
duæ. Alii ex charitate pro septem statibus »
Ecclesiæ orant. Hi sunt: *Primus*, Prælatus, »
& Clerus. *Secundus*, Princeps. *Tertius*, Religi- »
osi. *Quartus* Doctores. *Quintus* sæculares, cæ- »
libes, conjugati. *Sextus* pueri & infantes. *Se- »*
ptimus defuncti; ut Deus omnium misereatur, »
omnium pericula avertere dignetur. Alii sic, » 855
dividunt, ut orent *primò* pro Ecclesiâ univer- »
sa; *secundò* pro Superioribus; *tertiò* pro sub- »
ditis, aut commendatis; *quartò* pro Benefa- »
ctoribus; *quintò* pro adversariis; *sextò* pro con- »
versione infidelium ad fidem, & peccatorum »
ad pœnitentiam; *septimò* pro defunctis; & hoc, »
quasi coram Christo crucifixo, cujus Corpus, »
est Ecclesia, in cujus Capite superiores, dex- »
terâ subditos, sinistrâ benefactores, in corde, »
adversarios & amicos, in dextro pede pecca- »
tores, in sinistro defunctos locant. Atque ita »
etiam salutantur membra Christi Domini. Alii, »
pro se septem Virtutes, capitalibus peccatis, »
contrariis, per septem Horas petunt. Poterit, »

„etiam quis capita illa meditationis suprà po-„sita applicare,& imagines libris inserere,iisque „se excitare.

Verùm quò anima magis ad unum tendit „Deum,utilius est,& oratio ea sublimior,qua a-„liqui quasi in unitiva se se exercent, & sanctis-„simæ Trinitati,ac tribus personis ejusdem,sin-„gulos psalmos offerunt, Secundæ tamen per-„sonæ,hæc cùm geminas habeat Naturas,gemi-„nos etiam psalmos. Huc spectat *primò*, Horas „singulas in gratiarum actionem Deo offerre „pro septem beneficiis præcipuis; *Matutinum* „pro creatione, *Laudes* redemptione, *Primam* „vocatione,*Tertiam* justificatione,*Sextam* con-„servatione, *Nonam* glorificatione, *Vesperas* & „*Completorium* pro Ven. Eucharistiæ institutio-„ne. *Secundò* perfectiones divinarum laudum „per Horas dividere; ut in *Matutino*, & *Lauda-„bus* potentia; *Prima* sapientia; *Tertia* bonitas; „*Sexta* justitia; *Nona* providentia, *Vesperis* a-„mor, *Completorio* liberalitas extollatur. *Tertiò* „considerare Deum,per essentiam, præsentiam, „& potentiam;*primò* in inferno, *secundò* in ter-„ra,*tertiò* aqua,*quartò* hominibus,*quintò* nobis „ipsis,*sextò* aëre,*septimò* igne, *octavò* cœlo,*nonò* „astris,*decimò* Angelis,& Beatis.

Hactenus descripsi ipsa verba formalia P. Antonii Sucquet; quibus partim addi, partim substitui possunt in primis monita, quibus P. Pellizarius *in Manual. Regular. Tom. 2. Tract. 10. n. 292.* censet, quemvis meritò induci ad pensum canonicum piè,devotè, reverenter persolvendum; deinde industriæ illæ, quibus reipsa fuêre usæ variæ animæ Deo addictæ, ac nominatim P. Leonardus Lessius ut videre est in ejus Vita *Cap. 10. n. 48.* atque P. Ludovicus de Ponte, sicuti refert in ejus quoque Vita *Lib. 2. cap. 8. §. 2. ac 3.* P. Henricus Lamparter;& singularissimè hîc memorandus Serenissimus, ac Reverendissimus Dominus Leopoldus Guilielmus Archidux Austriæ,Patruus Augustissimi Leopoldi Imperatoris,qui tametsi supremus Belli dux,atque Belgii (in quo quoque ductabat exercitus) Gubernator implicitus politicis, militaribúsque negotiis planè continuis,quia tamen Episcopatus,quos boni publici causâ admiserat,imponebant ipsi legem pensi horarii,ut hoc ritè defungeretur, præscripsit sibi ipsi & religiosè observavit considerationes, quibus animum cæteroquin facilè vagum, divinis applicatum contineret,quas inter secretas ejus devotiones repertas, quia excitandæ plurium inertiæ servire possunt, transmisit optimo consilio in posteros R. P. Nicolaus Avancinus Præpositus Provincialis Austriæ in libro manibus omnium,singulariter autem Ecclesiasticorum Principum terendo,cui Titulus: *Leopoldi Guilelmi Archiducis Austriæ virtutes*,hisce omnino verbis, ac methodo.

***

Considerationes, quibus pensum Divini Officii comitari possis.

Tempore Adventûs.

AD Matutinum. *Considerabo infelicem mundi statum, qui ante adventum Filii Dei jacebat in tenebris infidelitatis, & peccati. Dolebo de tenebris meis, & misero animæ statu, ex mea tepiditate orto.*

Ad Laudes. *Considerabo viva, & ardentia desideria Sanctiss. Virginis, & SS. Patrum, quibus adventum Domini præstolabantur. Viam cum illis ea, quæ me excitare decet, ad remedium, vitæ emendationem, æternámque salutem obtinendam.*

Ad Primam. *Considerabo divini consilii decretum, non differendi ultrà generis humani salutem, adeòque & miseræ, ingratæque animæ meæ; unde in me ipso illius spem excitabo.*

Ad Tertiam. *Considerabo legationem Angeli, colloquium cum Virgine in meam confusionem, & demissionis exemplum.*

Ad Sextam. *Considerabo promptissimum, ac submississimum consensum Virginis, eodémque instanti temporis sanctissimam animam, ac perfectissimum Christi Corpus hypostaticè unita Verbo, Secundæ in Trinitate Personæ, quo factus est Deus homo, & homo Deus in utero Virginali, ut omnes salvos faciat si homo, suæ libertatis usu, non obsistat.*

Ad Nonam. *Considerabo visitatam à Sanctissima Virgine Elisabetham, sanctificatum in utero Joannem Baptistam; idque trahar mihi in exemplum, & profectum.*

Ad Vesperas. *Considerabo suspicionem de innocentissima Virgine subjectam Josepho, & hujus afflictionem: intelligámque, afflictionem esse securam sanctorum viam, quæ ad Deum pertingitur.*

Ad Completorium. *Considerabo iter Virginis in Bethlehem; non repertum ibi diversorium: Invitabo in cor meum; recipiam; dolebo totics exclusum; proponam emendationem.*

Tempore Nativitatis Christi.

AD Matutinum. *Considerabo electum à sanctissima Virgine stabulum: ingressum in illud: affectum, quo desideratum partum præstolabatur: parabo cor meum, &c.* 856

Ad Laudes. *Considerabo felicissimum ortum divini infantis, de thalamo virginali exceptum à terra: fletum ejus, frigus, & tremorem, ac initium patiendi pro nostro amore. Animabo me, ad afflictiones amore ejus tolerandas.*

Ad Primam. *Considerabo agnitum, adoratum, amatum, & cum gratiarum actione exceptum à Beatissima Matre, & S. Josepho Christum. Concipiam devotionem, gaudium, & dolorem, expetendo, quid, & pro quo patiatur*

Ad Tertiam. *Considerabo resumptum in brachia, fasciis involutum, lactatum, reclinatum in præsepe filium, tum quia non erat honestior in stabulo locus, tum quia majorem voluit in peccatoribus fiduciam excitare.*

Ad Sextam. *Considerabo Angelorum cantu promulgatam gloriam Dei, pacem hominibus, annuntiatum pastoribus Christum; horum ad adorandum adventum. Promptus ero ad divinas inspirationes.*

Ad Nonam. *Considerabo internas, & externas operationes sanctissimi infantis in mundum ingressi, ignoti, humilis, támque asperа tolerantis & illi me associabo.*

Ad Vesperas *Considerabo exhibita Filio à Matre interna, externáque obsequia, tam suo, quàm omnium nostrum nomine; gratias illi referam, & imitabor.*

Ad Completorium. *Considerabo vile illud mapale transisse in Paradisum, quo clauditur regia Jesu præsentia, Maria. & Ioseph: destinabo idem fieri in anima mea, quamvis indigna, quoties Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento reficiar.*

Tempore Passionis.

AD Matutinum. *Considerabo orationem, agoniam, sudorem, Sanguinem Christi in horto, incredulitatem, & meam longè majorem.*

Ad Laudes. *Considerabo Jesum à Iuda traditum, à cohortibus captum, à discipulis desertum, ad Annam protractum, ubi, alapâ cæsus est; inde ad Caipham, ubi calumniosè accusatus, à Petro negatus, & totâ nocte indignissimè tractatus.*

Ad Primam. *Considerabo Jesum, exoriente die, ad Pilatum conductum, examinatum ut reum, & stultum remissum ad Pilatum, filium Dei Barabbæ homicidæ postpositum.*

Ad Tertiam. *Considerabo exutum vestibus Jesum, nudum columnæ alligatum, crudelissimè flagellatum in conspectu omnium, fortè & Sanctissimæ suæ matris.*

Ad Sextam. Considerabo denuo vestibus spoliatum, vestitum per ludibrium purpurâ, & coronatum spinis, percussum cannâ, illusum, derisum, monstratum populo: Ecce Homo.

Ad Nonam. *Considerabo damnatum ad mortem Crucis: bajulantem Crucem: obviantem sanctissimæ suæ Matri.*

Ad Vesperas. *Considerabo crudelibus clavis affixum cruci, ex ea inter duos latrones cum extremo cruciatu in conspectu matris pendentem, orantem pro nobis Patrem, remittentem peccata latroni, nobis suam Matrem consignantem, & exspirantem.*

Ad Completorium. *Considerabo apertum lanceâ latus ejus, depositum de cruce corpus, sepultum: extremum dolorem, ac solicitudinem sanctissimæ Virginis ejus Matris.*

Hactenus piissimus Episcopus Galeatus, quibus junge ea, quæ ex ejus adversariis descripsi *Cas. VIII. num. 242.*

Fatcor, fuisse me multò prolixiorem in narrandis, exscribendis tam multis exemplis, paradigmatis, institutionibus ad obeundum dignè, ritè munus susceptum ab omnibus promotis, quoad beneficia Ecclesiastica, quoad ordines majores, me, inquam, prolixiorem esse quovis meorum, in hoc genere scriptionis Sacramentalis antecessorum, spero tamen, hanc insolitam prolixitatem excitaturam in aliquibus saltem meorum lectorum animis pias cogitationes, pios motus, repræsentaturos decuplum, centuplum operæ huic descriptioni impensæ pretium.

DISPUTATIO TERTIA
Problematica.
DE MUTATIONE.
An, & quando graviter delinquant Clerici, qui loco Divini Officii assignati certo diei, recitant aliud.

SUMMARIUM.

Referuntur duæ de mutatione officii doctrinæ admissæ ab omnibus. 857.
Referuntur quinque controversæ opiniones de eadem mutatione. 858.
Prima *omnem unius officii in alterum mutationem damnans peccati mortalis. 859.*
Altera *excusans in solo casu parvitatis materiæ. 860.*
Tertia *sine distinctione expressa excusans omnem mutationem. 861.*
Quarta *damnans mutantem pro lubitu; secùs, si rarò. 864.*
Quinta *damnans illum solum, qui vel mutat in defraudationem, aut officium in notabili quantitate. 866.*
Omnes hæ sententiæ sunt probabiles, saltem si ex tertia *eximas officia Paschatis, & Pentecostes. 868.*
Mutatio potest esse venialis ex parvitate materiæ. 869.
Ante Bullam B. Pii V. nullum jus scriptum imperavit omnibus majoribus clericis observationem distributionis factæ per dies, & tempora. 872.
Explicantur varii canones. 873. & 874.
Viguit tempore B. Pii V. consuetudo faciendi mutationem etiam absque justa causa. 876.
Pendet adhuc sub judice lis, an B. Pius V. mandârit, servari distributionem in ejus Breviario factam per dies, & tempora. 877.
Quid possit intelligi per voculam Formula? *879. & 880.*
Obligatio siqua est, observandi prædictam distributionem, oritur ex sola consuetudine 883.

Multò probabilius est peccari, quàm non peccari mortaliter mutando pro lubitu. 884.
Eligitur quarta *sententia ex enumeratis superiùs. 885.*
Ratione hujus electionis proponuntur num 885. & seqq.
Solvuntur argumenta. 890. & seqq.
Primum, *quòd mutans agat solùm contra modum. 890.*
Alterum, *quòd si non liceat pro lubitu, etiam non liceat vel semel. 891.*
Tertium, *quòd detrahendo ex officio Dominicali novem priores psalmos, peccaretur utique mortaliter. 895.*
Quartum *ex verbis B. Pii V. 896.*
Quintum *ex absurdo, si quis die Palmarum recitaret officium de Ascensione. 897.*
Sextum *ex indecenti mutatione officii alterius in Paschale, & Pentecostes. 898.*
Ad hoc argumentum respondetur, à nobis non admitti hanc mutationem 898.
Probatur, ne quidem esse probabile, hanc mutationem fieri sine mortali. 899.
Confutatur Caramuel, dum suspicatur, Patrem Suarez solitum fuisse facere hanc mutationem. 901.
Refertur Patris Suarez summum studium orandi. 901.
Hispani, & Itali scriptores per verbum: consulo *intelligunt sæpe idem, quod*: respondeo, resolvo. *902.*
Evertuntur reliqua fundamenta Caramuelis, & Leandri pugnantes pro mutatione in officium Paschale. 903. & seqq.
Illa opinio Caramuelis est recenter damnata ab Alexandro VII. saltem, quatenus extenditur ad officium Dominicæ Palmarum. 908.
Disquiritur, an etiam sit damnata respectu aliorum dierum & festorum? 909. & 910.
Referuntur causæ quindecim, ob quas potest sine mortali fieri mutatio. 911. & seqq.
Examinatur opinio Leandri de officio Resurrectionis in carentia alterius. 914.
Et de eodem officio, casu, quo quis ex defatigatione nequit aliud recitare. 913.
Cur officium Paschale sit tam breve ex opinione Cotonii? Ibid.
Religiosi Mendicantes possunt ex privilegio anticipare prolixiora, quando sunt liberiores à laboribus. 914.
Quando Ecclesia aliquid prohibet sub peccato saltem veniali, quælibet honesta causa tollit omne peccatum. 915.
Casus singularis, quo Confessarius potest pœnitenti Clerico suadere mutationem officii longioris in breve. 916.

857 NOn dubitatur hac ætate, quin saltem venialem culpam contrahat, qui absque rationabili causa facit ejusmodi mutationem, tametsi Cardin. Toletus *in Summa Lib. 2. cap. 13.* referat Cajetanum, Silvestrum, Armillam, quasi docentes, distributionem officiorum factam, observandam esse potius ex quadam decentia, quàm vero præcepto. Non ambigitur etiam, quin sit extra culpam, qui facit illam ipsam mutationem, inductus causa legitimâ. Atquæritur 1. *Quanta sit culpa mutantis sine justo titulo?* 2. *Quis justus titulus?* Vigent autem hodiéque circa *primum*, præcipuúmque quæsitum duæ extremæ sententiæ, tres mediæ.

858 *Prima* harum damnat peccati mortalis omnem, qui vel semel ex desidia facit mutationem etiam in æquivalens Officium. *Altera* illam omnem, & ferè solam mutationem, quæ fit aut semel in notabiliter brevius, aut sæpe in æquale. *Tertia* non agnoscit grave peccatum in ulla variatione cujusque etiam perpetuâ. *Quarta* agnoscit in omni, & sola frequenti variatione. *Quinta* in aliquorum sola frequente, aliorum etiam non frequente. Posset pro *Sexta* numerari illa Angeli quæ mortalis damnat peccati beneficiatos facientes mutationem, absolvit alios. Verùm quia hæc distinctio nullo fundamento nititur, & ab omnibus deseritur, eam prætereo; applicans ipsi illam censuram Baldi *Lib. 2. Consil. 112. Qui contra omnes loquitur, non bene loquitur.* Ergo omnes hæ sententiæ, *exceptâ tertiâ*, agnoscunt, mutationem esse ex suo genere peccatum mortale; quandoquidem per illam eorum opinionem potest peccari mortaliter, tametsi nulla alia circumstantia superveniat mutationi. Ita autem hoc agnoscunt, ut *prima* neget, illam variationem esse posse venialem ob parvitatem materiæ. Iam videamus patronos singularum.

859 *Primam* igitur ex illis quinque opinionibus, omniúmque rigidissimam, primus omnium lectorum à me, tradidit Cardinalis Totus *Lib. 2. cap. 11. vers. Qualitas*: quam postea laboriosè propugnavit Nicolaus Garcias, *De benef. Part. 3. cap. 1. num. 20.* citans pro eadem Albertum de Ferrariis, Plorie, Sandoval; addens, & rectè quidem, ut liquet ex verbis, quæ describit, Philiarchum, Summam, Coronam, & Corradum. Eidem adhærent Bonac. *De Hor. Canon. q. 3. p. 1. num. 17.* Castropalaus *Tract. 7. disp. 2. punct. 2. num. 18.* Gavantus *in Rubr. Breviarii Sect. 1. cap. 5. Tit. 2. num. 7.* Busenbaum *in Medulla Lib. 4. cap. 2. dub. 2. art. 4.* Antonius Cotonius *in Controv. celeb. l. 3. contr. 3. c. 3. n. 59.* addens Lezanam, sicut & Stephanus à S. Paulo *Tract. 4. disp. 12. num. 17.* addit Homobonum, & Franciscum Bonæspei, quibus jungo nunc Petrum Marchant, *Tom. 2. fol. 398.* & Neusserum *Disp. 5. quæst. 1.* referentem pro se Alcolcam, Bordonum, & Bartholom. à S. Fausto. Referunt quidem Garcias, Bonac. Pala. Bellarminũ pro hac sententia sua, sed nec verbulum habet pro illa. In loco enim, quem citant, scilicet *Lib. 1. De bon. operib. in particulari cap. 18.* tantùm loquitur de mutatione non unius officii, sed unius Breviarii

viarii in aliud, seu unius formulæ in aliam, ut est manifestum. Malè quoque pro hac opinione adducuntur à Bonac. & Palao Filliucius, Reginaldus, & Suarez; stant enim pro *secunda*. Eandem Toleti sententiam videtur pro probabiliore habere Pellizar. *in Manual. Regul. P. 1. Tr. 5 cap. 8. num. 74.* Plures authores, vel fautores hujus rigoris absoluti non reperio, nec enim scio, utrùm pro hac, an sequente opinione stent alii, quos citat Diana *1. P. Tra. 12. resol. 3.*

860 *Secunda* sententia est Suarii *Tom. 2. de Relig. Lib. 4. de Hor. Canon. cap. 23.* damnantis mortalis delicti omnem deliberatam mutationem, nisi excuset parvitas materiæ; quæ parvitas secundùm ipsum *num. 14. & 15.* tunc solùm reperitur, quando mutatio fit in æquivalens, aut ferè, idque sine contemptu, & animo sæpe faciendi pro lubitu; quamquam hic autor non sentit, esse semper parvam materiam, quando fit rarò in æquivalens, sed *num. 14.* committit judicio prudentis, attendentis ad imminutionem parvam, aut magnam Divini cultûs. Sentit cum eodem authore Filliucius *Tra. 23. num. 228.* describens, & approbans illum; Reginaldus *Lib. 18. num. 72.* addens, tunc etiam peccari mortaliter per mutationem in æquale, vel quasi, quando mutatio est ridicula valde, ut si quis Officium Nativitatis Domini mutaret in simplicissimum feriale, aut lugubre Dominicæ Palmarum in hilare Resurrectionis. Ejusdem mentis est Bonartius *De Horis Canon. Lib. 2. cap. 14.* loquens ferè ut Reginaldus, Plures hujus ita temperati rigoris asseclas non invenio.

861 *Tertia*, hisce duabus, & aliis duabus postea indicandis, extremè oppositа sententia, sine expressione ullius limitationis, negat, reperiri plusquam veniale peccatum in mutatione, & substitutione. Pro hac opinione nominantur triginta quatuor scriptores, & quidem inter illos, quos ipse legi, sic sentiunt hi septendecim, videlicet S. Antonin. *P. 3. Summæ Tit. 14. cap. 4. §. 2.* & clariùs *§. 5.* ut etiam agnoscit Onuphrius, referendus pro *quarta* sententia. Item Silvest. *Verb. Horæ quæst. 11. num. 1.* Cajetan. *in Summ. verb. Horæ num. 7.* Sotus *De justit. Lib. 10. quæst. 5. art. 4.* negans, se audere dissentire à Cajetano; Tabiena *Verb. Horæ num. 16.* describens Antoninum; Fumus *Eod. verb. num. 7.* Et hi quidem sex ante Bullam B. Pii V. præfixam Breviario. At post illam Bullam id ipsum senserunt, ac scripserunt Zerola Episcopus *Verb. Horæ. num. 6.* Emman. Sa *Eod. verb. 12. edit. correctæ Anno 1599. & 1603.* licèt hanc controversiam, nec verbulo attingat *in edit. Anno 1615.* Binsfeldius *in Enchir. Part. 5. cap. 9. concl. 7.* Gregor. de Valent. *Tom. 3. disp. 6. quæst. 2. p. 10.* Jacobus de Graffiis *Lib. 2. cap. 53. num. 22.* Azor *P. 1. Lib. 10. cap. 10. quæst. 1.* Lessius *De justit. Lib. 2. cap. 37. num. 77.* dicens, substantiam præcepti servari, quodcunque Officium Breviarii concessi dicatur, Becanus *De Relig. quæst. 15.* describens Lessium, Caramuel *in Theolog. Regul. disp. 190. num. 1383. & seqq.* ac rursùm *in Theol. Fundam. num. 1100. & seqq.* & Diana *Part. 1. Tract. 2. Resol. 3.* Leander de Sanctissimo Sacramento, *Parte 1. Tract. 8. disp. 8. quæst. 42.*

862 De his 7. Doctoribus non est ulla prudens ratio dubitandi, quin negent mortalem malitiam in ea mutatione. Etsi enim S. Antoninus agnoscat in ea peccatum grave, attamen *cit. quæst. 5.* opponit expressè peccatum grave mortali. Licèt etiam Zerolæ typus referat sensum omnino contrarium huic sententiæ, certum tamen est ex antecedentibus, & consequentibus, esse mendosum, & pro: *Negativè* impressum esse: *Affirmativè*. At verò inter authores, quos non legi, referunt pro hac eadem sententia Caramuel Servatium Lairuelz, & utrumque Medinam; Sanchezius infrà nominandus Victoriam, Barthol. Medinam, Pedrazam, Nievam; Diana Vegam; Tiberius *quæst. 104.* Anglem; Zerola Innocentium; S. Antoninus Vmbertum; Silvester Laudan. Zabarellam, Archidiaconum; Suarez ipse Joannem Majorem; Garcias ipse Fusium; Onuphrius Viguerium, Leander Verricellum. Verbo, tam multi in hanc abière sententiam, ut Azor *loc. cit.* testetur, omnes, præter Angelum (debebat addere Navarrum, & Toletum) qui ante ipsum scripserunt, ita sensisse, Laymann. *Lib. 4. Tract. 5. cap. 5.* fateatur, esse communiorem. Nec est multùm alienus Tannerus *Tom. 3. disp. 4. quæst. 5 num 150.* dicens, minimùm culpam venialem admitti per mutationem unius Officii in aliud, aliquorum autem sententiâ mortalem.

APPENDICULA SANCT-GALLENSIUM.

CLariùs loquitur P. Alloza *in Floribus*, seu *in Alphabeto morali verb. Horæ sect. 2. n. 34.* ita resolvens. *Qui recitaturus de uno Sancto, de alio recitavit, si fiet ex negligentia, erit veniale*, citátque pro se Azorium, quem etiam unà cum Cajetano, Silvestro, Lessio, pro suâ opinione allegantes doctissimi Sanctgallenses *in Cursu Theologico Tom. 7. Tract. 1. quæst. 2. sect. 2. dub. 4. conclus. 6* sic scribunt: *Qui scienter, & absque justa causa divinum officium unius diei permutat cum officio alterius. v. g. dicit de Sancto, cùm deberet de feria, vel contra peccatum, sed non nisi veniale committit, contra Toletum, & Angelum, quorum sententia tunc saltem verosimilis est, si non semel, atque iterum commutatio fiat, sed frequenter, atque perpetuò mutetur, vel ita mutandi propositum concipiatur.* Ita illi, ex quorum verbis repræsentatis apparet, eos quidem pro verosimili habere opinionem contrariam Silvestrinæ, attamen

men *absolutè* præferre Silvestrinam. Adde hisce apprimè cautum Canonistam Ludovicum Engel *in Manual. Paroch. Part. 2. cap. 6. numero 9. subscribentem Lessio.*

863 Sunt autem plerique hi authores, si eorum nudis verbis, ac rationibus stetur, intelligendi de mutatione in qualecunque officium, & quocunque tempore, adeóque semper; nam non solùm non apponunt ullam restrictionem suæ thesis, sed insuper Silvester, cui plerique posteriores ipso, sese adhærere profitentur, disertè loquitur de illo, qui mutat *ad libitum, & in fraudem*; ideóque Layman. *loc. cit.* rectè ipsum interpretatur de mutatione etiam in minus, sicut & Zerola loquitur de illo, qui mutat *ad libitum*; Emmanuel Sa excipit solum contemptum; Leander *quæst. 46.* includit expressè mutationem in officium Resurrectionis: Vega autem apud Dianam *loc. cit.* pronuntiat: *Si non licet frequenter, non licet etiam semel*; nam rationes horum autorum proponendæ infrà *num. 890.* si quid probant, probant propositionem illimitatam ad qualitatem, & quantitatem etiam temporis, & propterea etiam Suarez *loc. cit. num. 14.* intelligit illos, veluti defendentes suam assertionem, sine limitatione. Fallitur ergo graviter Onuphrius, dum negat, fuisse sensum illum plerorumque ex citatis, miratus, quòd Azor scripserit, sententiam illam fuisse communem.

864 *Quarta* opinio, media, ut suprà dixi, inter extremas, fatetur, admitti crimen lethale ab illo, qui pro lubitu recitat unum officium pro alio; secùs, si non pro lubitu, sed rarò. Ita Navarrus *De Orat. cap. 19. num. 217.* revocans in terminis, quæ aliàs dixerat in favorem *primæ* sententiæ. Arragonius *2. 2. quæst. 83. ar. 2. dub. 5.* Miranda *in Manuali Prælat. Quæst. 37. art. 13.* Rodriquez *in Summ. cap. 143. num. 3.* Sanchez *Lib. 7. consil. Moral. cap. 2. dub. 25.* Onuphrius *in Opusc. De præsente controvers.* quod Gavantus attexuit epilogo suorum commentariorum *in Rubr. Breviar.* expressè testans, hanc esse communem sententiam. Loquuntur autem hi sex authores sine ulla distinctione inter longum, & breve: Solennissimum, & Feriale, collocantes totum discrimen in frequentia; & ita quidem, ut Navarrus & Sanchez agant reum peccati mortalis illum, *qui tam sæpe mutat, ut arbitrio prudentis censeatur notabilis audacia; secùs, si rarò fiat, ut non videatur viro prudenti, & docto notabilis audacia*; inquit Navarrus, seu si semel, bis, aut rarò, ait Sanchez & Arragonius; seu si *semel, bis aut ter*, ut limitant Rodriquez, Miranda, Onuphrius. Ejusdem opinionis sunt Vasquez *Opusc. de benef. Eccl. Cap. 4. §. 1. a. 2. dub. 2. n. 59.* damnans mortalis delicti solùm illum, qui sine delectu, & communiter, seu, ut loquitur Arragonius, crebrò, ac frequenter facit muta-

865 tionem. Ita Layman. *loc. cit.* inquiens, esse vero simile, quòd is culpam mortalem contrahat, qui *frequenter*, aut *perpetuò* mutare cogitat, non autem, si semel, atque iterum. Quamquam nihilominus videtur assentiri Suario quoad illum, qui mutat etiam semel in notabiliter brevius. Hanc eandem sententiam tuetur ex parte P. Tamburinus *in Decalog. Lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 20.* excipiens à doctrina solùm Officium Resurrectionis: eandem magna ex parte sequitur Escobar *Theol. Moral. Tract. 5. Exam. 6. num. 56.* sic loquens: *Unum Officium pro altero recitantem, venialiter peccare, assero, modò Officium Paschatis, & Pentecostes non sit quoad Matutinum, nec Dominica Officium frequenter omittatur.* Eandem priùs tradiderat Petrus de Ledesma apud Garciam *num. 148.* damnans de peccato mortali ex frequenter mutantibus illum solùm, qui mutat in multò brevius. Denique hanc ipsam pro verosimili habent Sanctgallenses verbis descriptis suprà *n. 862.*

866 *Quintam* classem dissentientium constituunt Raphael de Torres, & Bassæus *Tom. 2. verb. Hora 2. num. 7.* damnantes de mortali illum solùm, qui vel mutat *in defraudationem, aut Officium in notabili quantitate, ut si quis in Dominica recitaret Officium feriæ tertiæ; vel mutat in gravem defraudationem cultûs divini, in celebritatibus colendis, ut si in die Natalis Domini recitaret de tempore Paschali*, inquit Torres, quem totum post Garciam *num. 164.* describit Bassæus, illum sequens, utrosque ejus exemplis, & exprimens, non delinquere mortaliter, qui, quando esset recitandum de feria, recitat de Sancto, *quia defraudatio est in parva quantitate, secùs, qui omnibus feriis diceret Officium feriæ tertiæ*, inquit *ibidem* Bassæus. Ex quibus verbis apparet, hos duos authores esse laxiores autoribus *secundæ* sententiæ, rigidiores verò patronis *quartæ*.

867 Volui distinctè referre hæc discrimina Theologorum in re tanti momenti, fideliter unumquemque nominans pro sua classe, ut lector tantò prudentiùs judicare valeat, an, & quid probabilitatis habeat unaquæque sententia, si stetur præcisè autoritate; gravitas tamen rei exigit, ut proferam in medium fundamenta harum omnium sententiarum, meumque de iis judicium aperiam.

Judicium Authoris, de Quinque expositis Sententiis.

868 Dico I. Omnes, & singulæ harum quinque sententiarum sunt probabiles, *speculativè*, & *practicè*, saltem si ex *tertia*, & *quarta* sententia excipias utentem Officiis Paschatis & Pentecostes. Ratio est, quia singulæ fulciuntur, & magnâ Authoritate, ut agnoscet relegens nomina productorum Theologorum, & rationibus non levis momenti, ut patebit inferiùs.

Dico

869 Dico II. Est probabilius cùm ab autoritatem, tum ob rationem, mutationem posse esse venialiter malam ex parvitate materiæ, adeóque non omnem, qui absque rationabili causâ mutat scienter unum totum officium in aliud, peccare mortaliter. Ita omnes Patroni quatuor posteriorum sententiarum, adversùs *primam*. De autoritate non est ullum prorsus dubium. *Primæ* enim sententia non habet nisi circiter 18 fectatores; reliquæ facilè 50. eósque magna ex parte celeberrimos sapientiâ, pietatéque. At verò quòd etiam ratione præstent illæ 4. sententiæ, in quantum omnes, & singulæ admittunt hîc parvitatem materiæ, probatur hoc generali principio, quòd nulla lex, præsertim humana, sit interpretanda cum summo rigore extensionis, quando potest prudenter, seu rationabiliter intelligi sine illo rigore; atqui omnes leges, quæ hanc in rem afferuntur à Garcia, præcipuo quoad accuratam, laboriosámque probationem, patrono *primæ* sententiæ, possunt prudenter, rationabilitérque intelligi sine illo summo rigore, quem intendit Garcias; ergo non sunt interpretandæ cum illo.

870 Major propositio est mihi jam pridem persuasissima, perpendenti illa effata utriusque Juris: *Benignùs Leges interpretandæ sunt, quò earum voluntas servetur* l. Benignùs, *ff. De leg.* Item. *Cùm de obligando quæritur, propensiores esse debemus, si habeamus occasionem, ad negandum.* text. *l. Arianùs, ff. De oblig. & action.* Item. *Quoties dubitatio moratur, justis decretis* (interpretationibus) *temperanda est*, text. *l. In ambiguis, ff. De Reg. Iur.* Item: *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt*, text. *l. Semper, ff. De Reg. jur.* Item: *In his in quibus non invenitur jus expressum, procedas æquitate servatâ, in humaniorem partem semper declinando.* text. *cap. fin. de transact.* Subsumpti veritatem demonstrabo resolvendo sequentem dubitationem.

871 Dubitatur enim, & controvertitur: *Virùm extet aliqua lex, seu aliquis Canon, præcipiens sub mortali, ut omnino semper recitetur officium Canonicum, juxta distributiones dierum, & temporum expressorum in Breviario?* Et

872 Dico III. Ante Bullam S. Pii V. præfixam Breviario, nullum jus scriptum imperavit omnibus Clericis observationem distributionis factæ per dies, & tempora. Etenim à Suarez, & Garcia, ferventissimis propugnatoribus severiorum duarum opinionum, producuntur solùm quinque antiqui Canones; scilicet cap. *De his*, seu *De iis*, *cap. fin.* seu *Placuit, dist. 12.* Item *cap. Convenit; & cap. In die. De consecrat. dist. 5.* ac denique Clement *De celebr. Miss. cap. Dignum.* In tribus prioribus Canonibus sancitur conformitas in psallendo; at in quarto Canone est statutum de qualitate Officii observanda in festis, Dominicis, & feriis; denique in Clementina fit potestas domesticis Cardinalium, atque Episcoporum, dicendi illud ipsum Officium, quod dicit eorum Dominus, quod privilegium foret frustra, si non esset præcepta observatio distributionis Officiorum.

873 Verùm nihil admodum præsidii est in his Canonibus reperire in favorem Garciæ, aut Suarii. *Primò*, quia tres primi Canones editi sunt à Conciliis duntaxat Provincialibus, Toletano, Bracarensi, Agathensi, ac proinde non obligant totam Ecclesiam. Obligent sanè Hispanos, & Gallos; non ligant Italos, & Septentrionales. *Deinde cap Placuit*, & *cap. Convenit.* indicant solam decentiam, non necessitatem. Adhæc universim hæc tria Capitula solùm agunt de Officiis publicis, ut agnoscit etiam Suarez, & persuadet ipsa litera *Cap. De his*, in quo est sermo de Rectoribus Ecclesiarum. Denique nullus horum Canonum disponit disertè quidquam de præsente controversia, sed de conformitate in ipsa substantia, & quibusdam integrantibus partibus Officii, ut liquet *ex Rubric.* & contextu *Cap. Placuit*, & singularitet *Cap. Convenit.* Hæc omnia ex me, etsi non citato, descripta reperies apud Neusserum *loc. cit.* non dissentientem.

874 Canon *In die* est quidem editus à Gregor. VII. in Concil. Generali; sed in primis solùm illic statuitur, quid fieri soleat, ac debeat in urbe Roma, non quid alibi, ut demonstrat ipsa litera, & confitetur Suarez; deinde illic præcisè statuitur, quot psalmi, & quot lectiones sint dicendæ diebus Festis, ac ferialibus; unde contra hunc Canonem non ageret, qui omnibus feriis totius Anni, recitaret Officium feriæ tertiæ: aut omnibus festis Officium de uno Martyre; quod est omnium brevissimum post Paschale & Pentecostes. Præterea est tantùm illic mentio de numero Psalmorum, & Lectionum in Dominicis, Festis, & Feriis, quando scilicet re ipsa fit officium de his, non autem illic præcipitur, ut in Dominicis fiat de Dominica, in festis de festo &c. Denique Concilium utitur solo verbo *statuendi*, quod verbum solitariè sumptum non indicat rigidum Præceptum. Vasq. Suar. Bonac. Tanherus, Layman: *in Tract. de legib.*

875 Postremò, Clementina absolvit omni peccato; etiam veniali, Clericum Cœnensalem Episcopi, & Cardinalis; recitantem cum his *qualecunque officium*; & quidem *semper*, atque adeò officium prorsus alterius formæ; pro tam ampla facultate exercenda oportuit sanè habere privilegium; nos autem non disserimus de tam amplo jure.

Ex his apparet veritas Minoris propositionis, expressæ in argumento pro *secunda* conclusione. Hinc.

876 Dico IV. Probabile est, viguisse usque ad tempora B. Pii V. generalem consuetudinem, faciendi *saltem privatim* quandoque etiam

abs-

absque justa causa mutationem Breviarii, sine conscientia, aut metu mortalis. Ratio asserendi est primò, quia ex una parte omnia sunt concessa, quæ non reperiuntur lege prohibita *l. Nec non §. Quodejus. ff. In quib. caus. major.* ex alteraautem parte consueverunt homines ea factitare, quæ & levant eos onere, notabilique molestiâ, & sunt eis concessa, seu non prohibita à Iure. Deinde nihil communius in Orbe, quàm quòd homines usurpent libere eas doctrinas *morales*, quas noverunt proponi, ac defendi passim in omnibus Scholis, in omnibus Provinciis, si quidem eæ doctrinæ tollant obligationem, dilatent libertatem. Si enim dictum unius facilè sequitur multitudo, ut habet textus *Cap. In juventute. De purgat. canon.* quantò faciliùs omnium doctorum canentium: *Placebo*? Atqui, teste literatissimoP. Azorio suprà *num. 862* omnes Doctores ante S. Pium V. dictabant, scribebant, nullo jure scripto, aut non scripto, graviter esse vetitam privatam mutationem unius communis Officii in aliud. Huic tam plausibili dogmati conformabant se tum in faciendis de hac mutatione Confessionibus, tum in excipiendis,

877 Dico V. Pendet adhuc sub judice lis, utrùm Pius V. in Bulla præfixa Breviario, mandaverit observari illam distributionem officiorum per dies, & tempora, quam videmus in Breviariis reformatis. Mandâsse, contendunt Suarez, Garcias, Onuphrius, ac nonnulli alii; at negant Valentia, Azor, Vasq. Miranda, Lessius, Becanus, alii, relati *num. 861.* Tota dissensio consistit in interpretatione verborum, quibus ille duplici nunc titulo Sanctissimus Pater Præcipit, *in omnibus locis observari Novi Breviarii, & psallendi, præcandique formulam*: Item: *omnes Breviario adstrictos omnino teneri ad dicendum, & psallendum posthac ex Romani Breviarii Præscripto, & ratione*: Item: : *neminem ex iis, quibus hoc dicendi, psallendique onus necessariò impositum est, nisi hac solâ formulâ satisfacere posse.*

878 Ex his verbis Pontificis conficitur hoc argumentum: S. Pius V. mandat officium recitari juxta *Modum, Rationem*, & *Formulam* à se præscriptam; atqui distributio psalmorum, lectionum, hymnorum &c. per certos dies, & certa tempora, est vel *Modus*, vel *Formula*, vel *Ratio* præscripta ab ipso, ergo mandat recitari juxta illam distributionem. Quòd ea distributio sit quædam seu *Ratio*, seu *Modus*, seu *Formula*, psallendi, precandique, est evidens; quòd autem sit formula, aut modus, aut ratio Præscripta ab illo eodem, patet inde, quòd Rubricæ tam generales, quàm speciales, & individuæ exprimant, quibus diebus observanda sit hæc distributio, quibus alia.

879 Hoc sanè argumentum non est nullius ponderis. Potest tamen ad illud non absque ratione responderi, concedendo Majorem propositionem, si intelligatur de Formula *Substantiali*, negando, si de *Accidentali*; quia verò distributio illa est formula solùm *Accidentalis*, ideo negatur Consequentia. Ratio Distinctionis est duplex. *Prima*, quòd idem Pontifex in Bulla descripta ad initium Missalis reformati, etiam mandet *in virtute S. obedientiæ*, ut Missæ dicantur secundùm *Formulam, Normam, Ritum*, & *Modum* illius sui Missalis, & tamen nemo rectè dixerit, peccari mortaliter à celebrante de Feria, vel de *Requiem*, quando esset de Simplici, Semiduplici, aut etiam Duplici, sicut ex communi observavi *in Alphab. Sacrificant. Cas. XXI.* Ergo nemo rectè intelligit illic, nomine formulæ, & modi, distributionem Missarum per dies, & tempora, ergo nemo etiam debet hîc intelligere distributionem, quandoquidem jura juribus concordare debent *Cap. Cùm expediat. De electione in Sexto.*

Et verò cùm longè maxima pars DD. qui 880
post illam Bullam scripserunt de præsente controversia, scribant, mutationem in æquale vel ferè, non esse mortaliter malam, si fiat rarò, non possunt prudenter intelligere nomine *formulæ* &c. prædictam distributionem; hanc enim non servando non satisfit obligationi pensi Canonici, ergo peccatur mortaliter, non servando etiam semel: sicut peccatur mortaliter etiam semel non satisfaciendo muneri Breviarii. Equidem Suarez ipse *cap. 24. num. 7* agnoscit, vocâlà *Formula* positâ in Bulla ante Missale, non indicari nisi Generale præceptum obligans ad utendum illo Ritu, & non introducendum alium; quod etiam dicit Filliuc. *Tract. 5. num. 140.* & Præpositus apud Dianam *Part. 4. Tract. 4. Res. 39.* Ergo etiam in Bulla præfixa Breviario non intelligitur nomine *Formulæ*, distributio per dies & tempora.

Altera Causa, ob quam est valde verosi- 881
mile, per *Formulam, Modum, Rationem*, non designari assignationem dierum, ac temporum, est hæc, quòd scilicet ex præfatione statutorum intelligatur mens statuentium, inquit Bartolus apud Rodriq. *Tom. 1. quæst. Regul. q. 11. art. 5.* Nam procemia causam continent finalem *L. fin. ff. De hæred. instit.* & Bartolus, Baldus, Angelus, atque Imola, apud eundem Rodriquez ac proinde ex verbis Procemii intelligitur mens disponentis. Abbas *in cap. Adversùs. De immun. Eccles.* Atqui manifestum est, non fieri in præfatione Bullæ B. Pii V. ullam etiam *indirectam* mentionem mutationis unius officii in aliud ejusdem Breviarii, sed esse duntaxat sermonem de Breviariis, *in quibus vel aliqua Constitutio turpiter mutilata, vel incertis & alienis immutata, vel multis psalmis, & lectionibus truncata continentur, vel quæ denique Romanis quàm dissimillima, ac cuivis Episcopatui propria erant*, ut fatebitur, qui ipsam Bullam attentè legerit, & perpenderit hæc ejus verba.

Quare P.

882 Quare P. Gregorius de Valentia *Tom. 3. disp. 6. q. 2. p. 10.* rectè scripsit, illud vocabulum: *Formulam*, expressum in Bulla Breviarii, referendum esse ad formam aliorum Breviariorum, quæ pontissimùm volebat B. Pius V. excludere; & Ludovicus Miranda *in Man. Pralat. Tom. 1. q. 87. art. 19.* jure asserit, per Bullam B. Pii V. plus non vetari, quàm libertatem recitandi per Breviarium aliud à Romano. Proinde mihi perquam verosimile est, id juris, quod circa mutationem, de qua hîc disceptamus, fuit ante Bullam B. Pii V. idipsum nunc quoque magna ex parte manere; quod sanè senserunt inter Theologos Vasq. inter Canonistas Jacobus de Graffiis, dum ille *in Opusc. De Benef. Cap. 4. §. 1. n. 2. n. 59.* hic verò *in suis Decisionibus Lib. 2. cap. 53. n. 22.* post illam ipsam Bullam rotundè negârunt, extare ullum præceptum (scriptum) de præsente materia: Quod & ego, omnibus consideratis, verosimilius judico.

883 Dico itaque VI. Probabilissimum est, obligationem gravem, si qua est, solvendi officium Canonicum consentaneè distributioni dierum, ac temporum, provenisse non tam ab ullo jure scripto, quàm à consuetudine. Ratio est, quia versatissimi in jure DD. quos laudavimus pro *tertia* sententia, & quorum magna pars scripsit post Bullam B. Pii V. negant, extare tale jus, DD. adducti pro *prima*, aut *secunda* sententia rigidissima, non promunt nisi illos quinque Canones, de quibus suprà, unà cum Bulla B. Pii. Atqui certum est, illis quinque Canonibus non contineri ullum, saltem universale jus de hoc argumento, sicut etiam probabilissimè nullum comprehenditur Bullâ B. Pii. Ergo, si qua est gravis culpa interveniens in mutatione, provenit à consuetudine, sola.

884 Dico autem VII. Probabilius est multò, peccari mortaliter mutando ad libitum, & semper, quàm non peccari. Ita omnes autores quatuor sententiarum oppositarum *Tertiæ*. Ratio est 1. Quia infrà ostendam contra Caramuelem, illum utique mortaliter peccaturum, qui toto Anno, totâ vitâ, non diceret, nisi officium Resurrectionis. 2. Quia Congregatio Rituum jussu Urbani VIII. prohibuit, ne *in tota diœcesi, aut urbe celebretur Festum cum Officio, eò quòd sit in loco Ecclesia Abbatialis Parochialis, &c.* Sicut & Anno 1605. respondit, non esse relinquendum officium debitum pro officio devotionis. Gavant. *in Rubr. Brev. Sect. 1. cap. 5. Tit. 2. n. 1.* 3. Gregor. XIII. restrinxit Bullam, qua B. Pius V. fecerat Hispanis potestatem celebrandi de Sanctis Naturalibus; ut videre est apud Quintanad. *Sing. Tract. 7. sing. 9. 4.* Urban. VIII. vetuit, ne festa nondum Canonizatorum celebrentur cum octava. Sicut & 5. Congregatio Rituum, ne Regulares celebrent Octavas Festorum Diœcesanorum. Suprà *n. 79. 6.* Quidam Religiosi Ordines fruuntur privilegio orandi de Venerabili Sacramento feriis v. & de Immaculata Conceptione in Sabbato; sed cum restrictione ad tempora extra Adventum, & Quadragesimam. Sanè hæc, & alia acta Summorum Pontificum demonstrant, graviter illicitam esse arbitrariam mutationem unius Officii in aliud. 7. Accedit fundamentalis ratio pro sequente Conclusione.

Dico enim VIII. Mihi hodièque videtur 885
Quarta Sententia relata *n. 864.* præferenda cæteris omnibus, atque adeò peccari mortaliter, faciendo ad libitum, & perpetuò, aut quasi perpetuò mutationem, at non nisi venialiter, si mutatio fiat rarò. Hanc sententiam docui decies in scholis, *fundamentaliter* idcirco, quòd ex una parte non potuerim à me impetrare, ut crederem, integre, & quasi toto cœlo errare in materia quotidiani, pretiosissimique usûs, tam multos, summâ pietate, sapientiâque excellentes viros, qui tuentur *tertiam* sententiam, relatam *n. 861.* Ex altera autem parte mihi persuasissimum fuerit, & sit, omnes Superiores Regulares, ne dicam Sæculares, severè animadversuros esse in subditum, quem scirent, totis Annis ex desidia recitâsse Officium, ut ita loquar, Quodlibeticum, adeóque communiter unum è tribus, quatuórve Brevissimis.

Existimo quoque, esse paucissimos Confes- 886
sarios, qui non ægerrimè impertirent absolutionem ejusmodi Clerico, confitenti quidem suam illam culpam, at præseferenti animum non serium sese emendandi. Unde mihi videor ex hac consideratione, junctâ rationibus Conclusionis proximè præcedentis, formare Conclusionem verè Theologicam, cùm infero: Ergo reipsa viget nunc saltem, in Ecclesia Dei consuetudo, vetans sub mortali usum *tertiæ* sententiæ, intellectæ eo sensu, quem præseferunt verba Silvestri, & Zerolæ, qui omnium clarissimè ante, & post Caramuelem, ac Leandrum loquuntur pro illa. Ex hac consequentia, & primo membro antecedentis, ulteriùs concludo: Ergo est necessariò faciendum aliquod temperamentum inter *primam*, *tertiámque* sententiam, seu inter rigidissimam, lenissimámque; ergo standum illo temperamento, quod offerunt numero plures, gravitate, atque eruditione præstantes viri, perspectis, perpensisque rationibus contra sententium. Atqui ejusmodi qualitatibus præditi sunt autores, atque assectæ *quartæ* sententiæ. Superant enim notabiliter in primis numero *secundam* sententiam; & proinde haud immeritò iis applico illud ex *Cap. Prudentiam. De Offic. judic. deleg. Integrum est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur*; præsertim cùm vera decisio controversiæ pendeat ex consuetudine, quæ cùm sit aliquid *facti*, probari debet per testes; ubi autem testibus agitur, præferuntur plures paucioribus, ut adeò vel hîc maximè locum habeat illud effatum Justiniani

L. fin. Cod. De fideicomm. Per ampliores homines veritas revelatur.

887 Nec est mihi dubium, quin multi ex assecl*is tertiæ* sententiæ probaverint aliquod ejusmodi temperamentum, licèt scripserint sine distinctione, seu indefinitè: *Non peccat mortaliter, qui unum officium pro altero recitat.* Sed quidquid sit de illis, quia res hæc, ut dico, pendet ex consuetudine; standum est judicio maximè idoneorum testium; maximè autem idonei testes consuetudinis, vigentis hoc sæculo, sunt ii, qui scripserunt hoc sæculo; consequenter maximè idonei posteriorum Annorum, qui postremissimis Annis vixêre; omnes autem, quantum quidem scio, qui ab hinc 50. Annos pertractârunt hanc materiam, omnes, inquam, præter Dianam, Caramuelem, Lairuelz, Leandrum, Verricelli, Allozam, Sanctgallenses dissentientes, Tannerum, & Stephanum à Sancto Paulo nihil decernentes, constituerunt malitiam mortalem in arbitraria, aut irrationabili mutatione. Ergo habemus justam causam credendi, *tertiam* sententiam à parte rei repugnare modernis moribus, esto fuerit conformis moribus superioris sæculi. Rursum, quia plures stant pro temperamento *Quartæ* sententiæ, quàm pro *Secundæ*, vel *Quintæ*, suppetit prudens ratio existimandi, illud temperamentum esse conformius consuetudini præsentium temporum, quàm sit vel Suarii, vel Bassæi. Denique hac ætate multò plures recipiunt temperamentum rigoris, quàm respuant; ergo non temere credo, esse nunc admittendum aliquod; illud scilicet, quod nunc primùm probavi.

888 Confirmatur conclusio facta; etenim sententia, quam defendimus, est media inter extremas, non concedens videlicet summam libertatem, & non auferens omnem, sed nitens valde rationabili æquitate inter Ecclesiam, & Ministros ejus; æquitas quippe est justitia dulcore misericordiæ temperata. Abbas *in Cap. Ex parte. De transact. n. 6.* seu benigna interpretatio. Marta *De jurisdict. Part. 4. Casu 162. n. 2.* & esse æquitatis potiùs, quàm stricti Juris habendam rationem, liquet ex Lib. 90. *aliàs 91. ff. De Reg. Jur.* pronuntiante: *In omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas spectanda est.* Postremò, quia finis Canonum, qui videntur repugnare nostræ conclusioni, est conformitas unius membri cum cæteris; hæc autem conformitas non læditur graviter sequendo nostram sententiam, ideo per hanc non peccatur graviter contra illos Canones; si tamen, quod ego non puto, peccatur contra eos.

889 Porrò, quia hæc sententia constat duabus partibus, *Affirmativâ* scilicet, & *Negativâ*, quatenus nimirum asserit, peccari mortaliter frequenti mutatione: negat, peccari mortaliter infrequenti, habet autem potentes adversarios utriusque partis, ideo sunt proponenda, ac dissolvenda eorum argumenta.

Objicies igitur I. Nulla lex vetat arbitra- 890
riam mutationem; aut si vetat, tum vetat illam solùm ut modum, & circumstantiam objecti *principaliter* prohibiti, ergo non peccatur mortaliter mutando ad libitum.

Resp. Negando consequentiam; sufficit, quòd eam mutationem interdicat consuetudo vim legis habens: & utique peccatur sæpissime mortaliter, agendo duntaxat contra modum præcepti, ut quando in admiaistratione sacramentorum negliguntur notabiles Cæremoniæ.

Objicies II. Si est peccatum mortale mutare 891
pro libitu, ergo & mutare vel semel; nec enim mutatio facta nudius tertius continuatur cum hesterna, hodierna, crastina, sicuti e. g continuatur hesternum rei parvæ furtum cum hodierno; atqui, sublatâ illâ continuatione, non potest mutatio venialiter mala causare mortaliter malam, nisi dicamus, ex pluribus peccatis venialibus, non continuatis in uno aliquo, fieri mortale, quod est contra omnes; ergo, si mutatio continet mortalem malitiam, tunc sanè omnis continet; atqui non omnis, ergo nulla.

Hoc argumentum proposuerunt Vega, & 892
Suarez, urgent autem singulariter Garcias *cit. Cap. 1. n. 166. & seqq.* itémque Caramuel, *in Theolog. Fundam. n. 1108.* ac Leander. Sed respondetur 1. Certum esse, quòd multi DD. censuerint, tum ebrietatem, tum transgressionem præceptorum humanorum, non esse mortaliter malam, si non sit assidua. De Ebrietate ita aliquando ipse S. Thom. Abbas, Gregor. Tolosanus, alii præstantes viri, locis à me indicatis *in Theolog. Juridic. Moral. Cap. 6. Sect. 2.* De transgressione legum humanarum ita etiam sentit Onuphrius *loc. cit.* expressè scribens: *Ut malitia sit lethalis in iis, quæ fiunt contra præcepta Ecclesiæ, debet esse intentio aliqua formalis, aut saltem virtualis, contra faciendi præcepto Ecclesiæ, quæ tamen intentio ut sic nunquam moraliter interpretatur esse, nisi post aliquot actus perfectos, & consummatos.* Ita Onuphrius; cu- 893
jus tamen doctrinam absit ut usurpemus; est quippe apertè falsa; delinquit enim utique mortaliter, qui vel semel transgreditur leges de Breviario recitando, Sacro audiendo, jejunio, abstinentia à carnibus, Communione Paschali, Naturali jejunio ante Communionem, non suscipiendo Ordine, aut Beneficio cum hoc, aut illo impedimento, &c. Quarè non assequor causam, ob quam Gavantus *in Rubr. Breviar. Sect. 1. cap. 5. Tit. 2.* illud opusculum Onuphrii nuncupet *Aureum*, cùm contineat, & hunc gravissimum, & alios plures leviores errores.

Itaque non possum niti illo principio, ta- 894
metsi non ignarus, ei favere Richardum, Turrecrecrematam, & Angelum, relatos suprà *Cas. II. n. 51.* & citari pro illo à Navarro *in Man. Cap. 23. n. 55.* Imolam, Felinum, atque Cajetanum: quorum tamen opinionem vocat meritò hac ætate temerariam Gregor. de Valent. *Tom. 2. d. 7. q. 5. §. 3.* Potiùs respondeo, certum esse, quòd possit aliqua lex tàm scripta, quàm non scripta, ita ferri, & introduci, ut non obliget graviter, nisi agatur contra illam toties, ut frequentia censeatur continere contemptum. Unde suprà *n. 169.* retuli ex Azorio, non accedentes propriam parochiam posse puniri ab Episcopo, si frequenter non accedant, eò quòd videatur contemni proprius Parochus; & *n. 633.* retuli ex Lessio, fieri posse statutum, ut illæ solæ Canonissæ amittant partem Præbendæ, quæ frequenter negligunt vel Chorum, vel pensum Canonicum. Porrò rationes, & autoritates allatæ pro nostra Conclusione, satis probabiliter persuadent, legem, si quæ est de non mutando Officio, non esse aliter receptam, quoad obligationem gravem, quàm si ejus transgressio redundet in contemptum, seu evadat in notabilem audaciam, ut loquuntur Navarrus, & Sanchez illic citati, docétque apertè Onuphrius *loc. cit.* applicans illam suam improbabilem Regulam huic particulari materiæ. Non ergo sequitur ex nostra doctrina, ex pluribus venialibus peccatis fieri *formaliter*, sed solùm *dispositivè*, unum quoddam peccatum mortale, eo ferè modo, quo tunc peccas mortaliter detrahendo leviter famæ alienæ, quando ultima detractio, etsi in se levis, tamen suppositis pluribus similibus, minuit notabiliter famam.

895 Objicies III. Si quis ex officio de Dominica detraheret novem psalmos ex primo Nocturno, peccaret mortaliter, & tamen non demeret cultui divino tantum, quantum, si pro toto officio Dominicali recitaret officium de feria tertia: *Quomodo ergo est credibile, non peccare mortaliter, qui in Dominica recitat officium tertiæ feriæ, solùm ut brevius dicat?* Sic loquitur, & objicit Suarez *cit. Cap. 23. n. 14.* Sed facilè respondetur, illud posse esse credibile, eò quòd succidens novem Psalmos dicat tale Officium, quale non proponitur in toto Breviario, & proinde observet aliam formulam. Sed instabis ex Onuphrio, &

896 Objicies IV. Dicitur in Bulla B. Pii imprimis: *Hoc nostrum Breviarium*, &: *Horas ipsas diurnas, ac nocturnas*; deinde: *Hanc orandi, psallendique formulam*; & *Ex Romani Breviarii præscripto, & ratione.* Primis duabus locutionibus indicatur substantia Breviarii, duabus posterioribus modus; ergo discrimen inter substantiam, & modum in hac materia Bullæ non est emendicatum, & confictum.

Resp. Est omnino emendicatum, quia illa formula psallendi, nihil est planè aliud, quàm ipsum Breviarium; Breviarium quippe est ratio

orandi, ac psallendi. Suprà, *n. 554.* Et cùm dicitur: *Ex Romani Breviarii Præscripto, & Ratione*, est perinde, ac si loquens de Codice Justinianeo dicas: *Hujus Codicis leges*; quæ omnes sanè simul sumptæ sunt ipse Codex Justinianeus; utitur autem Pontifex diversis phrasibus eandem rem significantibus, ad tantò clariùs demonstrandam suam præcisam voluntatem de antiquis Breviariis penitus deserendis, novis autem amplectendis.

Objicies V. Videtur valde absurdum, si quis 897
in Natali Domini dicat Officium de S. Joanne Baptista, aut Dominica Palmarum Officium de Ascensione Domini. Ergo, licèt tantùm semel fiat hujusmodi mutatio, contrahetur noxa lethalis.

Resp. Ita quidem videri Reginaldo, relato *n. 860.* & Bassæo *n. 866.* Verùm respondetur, esto videatur ipsis hoc admodum absurdum, sagacissimo tamen Navarro, atque aliis ejus asseclis non apparuisse tam absurdum. Abundent Reginald. & Bassæus in suo sensu, ita tamen, ut non prohibeant, ne alii in suo quoque abundent.

Objicies VI. Saltem est perabsurdum, mu- 898
tare officium longissimum in Paschale, & Pentecostes; ergo saltem hoc respectu est falsa conclusio nostra *octava*; imò ob hanc ipsam instantiam debuit negari omnis probabilitas *tertiæ* sententiæ, non autem expressè concedi probabilitas.

Resp. Quia *in Cap. In die. De consecr. dist. 5.* omnino singulariter, ac nominatim reprehenduntur illi, qui *in quotidianis diebus tres tantùm Psalmos, & tres Lectiones celebrare volunt*, quia etiam Tambur. Paschale, Escobar Paschale, & Pentecostes officia excipiunt locis indicatis suprà *n. 765.* utpote singularissimè dissidentia ab aliis, præsertim Paschale; ideo & ego excipio à Conclusione nostra Octava. At verò quod spectat ad Conclusionem primam, qua confiteor, haberi à me pro probabili tertiam sententiam, relatam *n. 861.* resolvenda est difficillima mihi quæstio: *Vtrùm scilicet sit probabilis illa tertia sententia, si tam amplè intelligatur, ut comprehendat etiam officium Paschale.* Etenim D. Caramuel *in Theol. Reg. n. 1388.* non modò statuit hanc Conclusionem: *Licèt quispiam deditâ operâ quærat officium Brevissimum totius Breviarii, & illud recitet, peccabit solùm venialiter*, sed insuper citat pro hac conclusione Servatium Lairuelz, testans haberi pro probabili à Bassæo, & expressè doceri ab Azorio, Filliucio, Laymanno, Lessio, Rodriquez, Silvestro, ac præterea *in Theol. Fundamentali à n. 1100. ad 1112.* laboriosè simul, & ingeniosè conatur probare, id sequi necessariò ex verbis, & rationibus Authorum *tertiæ* sententiæ.

Ego tamen post Suarez *cit. Cap. 23.* profite- 899
or, me non posse vel impetrare, vel extorquere à me assensum, quo concedam practi-

eam probabilitatem illi Conclusioni D. Caramuelis. Et proindè si quis pœnitens mihi obringeret, qui inter cætera delicta confiteretur, se consuevisse facere communiter mutationem cujuscunque Officii in Paschale, non tamen cogitare de illa consuetudine abolenda, sed solùm aliquantulum minuendis mutationibus, dimitterem ipsum absque absolutione sacramentali: esto de cætero docuerim hactenus, Confessarium teneri accommodare se opinioni probabili pœnitentis. Ratio est, quia illa sententia non potest prudenter haberi pro probabili. Quæ 1. Cùm sit de objecto gravissimo, ab omnibus propè pertractato, ac versante in usu quotidiano, defenditur, aut traditur expressè ab uno solo Autore. Quæ 2. Nititur rationibus facilè solubilibus. Quæ 3. Repugnat & sensui omnium aliorum, & menti omnium Prælatorum, & praxi omnium timoratorum, 4. Quæ habetur pro improbabili à multis, à nullo pro apertè probabili. Atqui illa sententia D. Caramuelis est talis. Veritas Majoris Propositionis, etsi non videtur indigere probatione, si, quod intendo, omnia 4. membra simul sumantur, probabitur tamen sufficienter infrà. Minoris singula membra probo ordine.

900 I. Enim, ne unicus quidem autor, (excepto fortasse Lairuelz, quem non vidi) rectè allegatur ab ipsomet D. Caramuele. In primis namque Bassæus, qui citatur tanquam habens pro probabili illam sententiam, *in Florib. Tom. 2. Verb. Hora 2. n. 7.* concedit quidem sententiæ Silvestri generatim sumptæ aliquam probabilitatem: attamen disertè subdit, eam *sustineri non posse*, si intelligatur de mutatione in multò brevius. Deinde Rodriquez, Filliucius, Laymannus, qui asseruntur tradere expressè illam conclusionem, docent manifestè contrariam. Valentia, Azor, Lessius, ut summùm *implicitè* docent illam conclusionem Caramuelis. Non igitur rectè pronuntiantur docere expressè illam. Sanè Diana *in 1. Part. Tract. 12. Res. 3.* subscripserat opinioni Silvestri, & aliorum pro *tertia* sententia productorum, nixus fundamento, & usus verbis eorum. At ubi vidit, suam illam doctrinam à suo amico Caramuele extensam fuisse ad Officium Paschale, hanc extensionem non probavit, ut jamjam dicam: Ergo nec probâssent cæteri, si interrogati fuissent, propter rationem proferendam *n. 904.*

901 Porrò non contentus Caramuel, conciliare suæ sententiæ probabilitatem allegatione Scriptorum aliud sentientium, conatus est eam firmare exemplo nostri à summa pietate laudatissimi Patris Suarezii. Etenim *in Theolog. Reg. disp. 106. n. 1438.* ex eo, quòd Suarez aliquoties sit fassus (fidem Caramuelis sequor, & quidni hac in re?) amico ex Sacro Ordine Cistertiensium, *se ferè omnibus diebus studuisse octodecim horas*, suspicatur, eundem fortè singulis diebus recitâsse Officium Resurrectionis, addens, id ferì laudabiliter ab occupatissimis. At P. Suarez certissimò tantùm abfuit ab ista pessimè sonante laxitate, ut confessus sit ingenuè, se malle facere jacturam omnis planè suæ scientiæ, quàm omittere unicam horam Meditationis quotidianæ, præscriptæ in nostris Regulis, ad nullum peccatum obligantibus, ut testantur Philippus Alegambe *in Bibliotheca Societatis Jesu*, & alii multi scriptores Societatis fide dignissimi. Ergo suspicio D. Caramuelis caret omni verisimilitudine. Imò, cùm ego cupidus certò cognoscendi, an fallerer in meo judicio de ista suspicione, dedi literas in Urbem ad unum e primariis Patribus nostris, ejusmodi rerum scientissimum, à quo accepi 4. Novembris Anno 1665. hoc responsum: *Suspicio Reverendissimi Domini Caramuelis de nostro Patre Francisco Suarez semper visa est mihi ridicula, & indigna, quæ fidem inveniret apud ullum prudentem. Idem videtur hîc nostris Patribus Hispanis, & aliis.* Ita ille, quod idcirco etiam memoro, quia legi in Cotonio, ni fallor, mentionem, & propè assensum illius fabulosæ suspicionis.

Dianam quod attinet, ipse quidem *Part. 7. Tract. 11. Resol. 7.* scribit. *Ego in praxi difficulter consulerem, ut quis possit mutare alicujus Sancti, vel feriæ officium in Paschale*; sed his verbis minimè indicat, se suasurum, ut eum interpretatur Caramuel, faciens hac ratione è Diana (qui Anno superiori seu 1663. vitam cum morte commutavit) puerilem Solœcopæum. Quis enim Grammaticæ peritus unquam dixit: *Suadeo tibi, ut possis hoc, aut illud facere?* Ergo voce *Consulturum* non intelligit *Suasurum*, sed Resoluturum, Responsurum, &c. & quidem *Difficulter*, id est, non sine gravi, justâque causa, & quidem, etsi ageretur de rara mutatione; hoc enim indicant & verba Resolutionis, & rationes Dianæ. Quomodo ergo existimavit, posse absque mortali peccato fieri ad lubitum? Interpretationem verbi; *consulerem* non esse confictam à me (tametsi nullus è Septentrionalibus Theologis ita loquitur) inde etiam probo, quòd ipsemet Diana *Part. 1. Tract. 17. Resol. 25.* apertè sic accipiat illud verbum, sicut & Joannes Sanchez relatus à me *in Alph. Commun. Cas. XVII. n. 272.* Adde, quòd Jureconsulti afficiant sua responsa communiter nomine *Consiliorum.*

II. Rationibus, quas pro se adfert Caramuel, non adeò operosè satisfit. Objicit enim, tum quòd authores *tertiæ* sententiæ loquantur illimitatè de mutatione in aliud Officium; tum quòd eorum rationes, si quid probant, probent etiam, mutationem in Paschale posse perpetuò fieri absque noxa lethali; tum denique, quia Officium, quod Benedictini recitare solent feriâ tertiâ, & in æstate feriâ sextâ, vix superet numero versuum Officium Paschale, sicut ad oculum demonstrat idem Doctor, *in Theolog. Fundam. num. 1106.* faciens arithmeticam supputationem singulorum, universorúmque Versiculorum. Atqui hactenus nemo ex generali doctrina *tertiæ*, seu Silvestrinæ sententiæ, excepit illa duo Officia Benedictinorum; ergo nec Paschale excipiendum est.

902

903

904 Sed respondetur, Patronos *tertiæ* sententiæ scribere quidem illimitatè, non tamen immemores Regulæ 81. *in 6. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.* Diana noluit in specie concedere illam importunissimam mutationem, etsi antea usus tam generalibus terminis, quàm cæteri; usus quoque ratione fundamentali eorundem; ergo nec cæteri concessissent, si interrogati fuissent. Equidem, quæ speciali notâ digna sunt, specialiter exprimenda sunt, & proindè si non exprimantur specialiter, censentur esse non comprehensa. *Cap. Quamvis. De præb. in 6.* Abb. *in Cap. Si Clerici. De judic. n. 24.* Sunt autem illa duo Officia dignissima speciali notâ, tum quia Gregor. VII. *Cap. In die. De cons. dist. 5.* specialiter improbavit quotidianam recitationem trium Lectionum, totidémque Psalmorum, utpote provenientem ex sola desidia; tùm quia etiam usus specialiter improbat, teste Escobar *in Theolog. Moral. Tr. 5. exam. 6. n. 56.* tum quia inter illa, ac cætera diversitas intercedit tanta, ut non censeantur *moraliter* æquivalentia; tum denique, quia Ecclesia voluit ex omnino speciali causa Octavas Paschæ, & Pentecostes coli brevissimis Officiis. Unde nec Tamburinus, nec Escobar concedunt (deficiente justâ causâ) absque mortali, ut vel semel mutatio fiat in illâ; æquè parùm concessuri mutationem in duo Benedictina, de quibus paulò antè, si interrogati fuissent. Theologi; & Canonistæ ignorant; & probabiliter quidem, seu inculpabiliter, particularia statuta Regularium; sicut & Pontifex particularium locorum *Cap. 1. De constit. in 6.* nec volunt omnes suas generales doctrinas applicari illis.

905 Agnosco quidem, rationes, quibus *tertia* sententia sese tuetur, æquè militare pro mutatione in Paschale, atque in Feriale, aut aliud Festivum; si abstrahamus ab usu; contendo autem, non esse in usu talem mutationem, tum quia in dies magis, & magis deseritur *tertia* sententia, relata *n. 861.* tum quia Filliucius *Tract. 23. n. 226.* expressè, & in specie testatur, à nemine admitti hanc Paschalem mutationem; sicuti & Escobar suprà, eam esse contra usum; tum quia, ut jam suprà monui, nullus est Superior tam negligens cultûs divini, qui non graviter objurgaret, & gravi pœnitentiâ dignum judicaret eum, qui sequeretur doctrinam Caramuelis. Interrogavi complures sacerdotes, Religiosos, & sæculares, quid sentirent de illa conclusione hujus doctoris: Omnes dixerunt, videri sibi *practicè* improbabilem. Ex quibus patescit veritas etiam *tertii* membri, quod *n. 900.* posuimus in nostra probatione.

Quartum membrum ejusdem probationis facilè comprobatur. Etenim Suarez *cit. Cap. 23.* negat disertè, & in terminis illi sententiæ omnem probabilitatem: Negat re ipsa Bassæus *Tom. 2. verb. Hora 2. n. 7.* dicens cum Pellizario *in Manuali Tract. 10. cap. 6. n. 16.* sustineri non posse. Negat consequenter Filliucius, dum testatur, à nullo admitti, sicut in specie rejiciunt Torres, Escobar, Tambur. rursum Pellizar. *Tract. 5. cap. 8. n. 74.* nec scio vel unicum, qui ei tribuat probabilitatem ullam. Citat quidem pro se Caramuel Servatium Lairuelz, sed (pace ejus dixerim) timeo rationabiliter, ne Amanuensis ipsius etiam errârit in scribendo nomine Servatii, æquè atque aliorum plurium, quos perperam allegatos fuisse, dixi suprà. 906

At urgebis: Authoritas unius Doctoris celebris doctrinâ, prudentiâ, pietate, sufficit ad conciliandam probabilitatem alicui sententiæ, etiam contrariæ Communi, Azor, Vasquez, Villalobos, Palaus, alii, quos refert, ac sequitur Oviedo *in 1. 2. Tract. 6 controv. 3. p. 1. n. 3.* Resp. Absque omni dubio eminere in hoc doctore qualitates requisitas, ac sufficientes ad generandam probabilitatem in casu, quo sufficeret authoritas cujuscunque Doctoris excellentis, non extraordinariè clementis, & singularis. Quia tamen hic Doctor non profert aliam rationem, quam non præviderint oppositi autores; quia deinde ejus hæc doctrina notatur censurâ improbabilitatis non ab uno; quia præterea cluet (ut verbo Plautino utar) ipse nomine Extraordinariè Benigni, atque Singularis; quia denique hoc ejus dogma repugnat consuetudini Superiorum, & Inferiorum, Pœnitentium, & Confessariorum, ideo nequit concedi ipsi vera probabilitas, per ea, quæ disserit Oviedus *loc. cit. num. 4. & seqq.* & maximè Portel. apud Dianam *Part. 4. Tract. 4. Resol. 30.* 907

Cuperem sanè, esse probabilem, propter illos, qui ex humana infirmitate, vel causa insufficiente omittunt sat crebrò prolixa Officia, mutaturi ea in Officium Resurrectionis, si posset absque mortali fieri illa variatio; sed nondum credo, eam doctrinam pervenisse ad gradum probabilitatis; adhuc minùs attinget secuturis Annis illum gradum; quandoquidem videntur recentissimi scriptores conspirâsse contra Silvestrum, Cajetanum, &c. suprà *num. 861.* 908

APPENDIX NECESSARIA.

HÆc omnia (excepto rescripto Romano, de quo *n. 901.*) adversùs opinionem Caramuelis de officio Paschali jam proposueram in *prima* impressione præsentis lucubrationis, cùm Anno 1662. emanavit Decretum alterum 909

Congregationis, in quo vetitis propositionibus inseritur hæc: *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.* Certum igitur est, sententiam Caramuelis, quam reipsa secutus est, ac totis ingenii viribus propugnat Leander de SS. Sacramento *qq. Moral. P. 1.* & in ordine *sextæ Tract. 8. disp. 3. quæst. 45.* junctâ *q. 44.* non posse jam sustineri, saltem quatenus extenditur ad diem Palmarum. At *quid si ad quemcumque alium diem? Quid si officium Pentecostes recitetur loco officii præscripti pro Dominica Palmarum?* Sanè ad neutrum casum extendet se significatio, seu propria, seu communis, aut vulgaris verborum, quibus usa est Congregatio; atqui quod lex non dicit, non est ab homine præsumendum. Barbosa Axiomate *136. n. 7.* Imò neque fortassis ratio, quæ movit Congregationem, tangit alterum ex illis casibus. Quid si enim fuit hæc, quòd scilicet sit valde indecens, ut lætissimum totius Anni officium psallatur die tristissimo? Hæc quidem ratio comprehendet omnes dies hebdomadæ sanctioris, at nullos alios; & quamvis comprehendat, quia tamen decretum illud est pœnale, ut liquet ex intentato anathemate, nequaquam est ob rationis paritatem solam exorrigendum ultra proprietatem omnem verborum. Suarez *De Legibus Lib. 6. cap. 3.* ex communi; alioquin & censeretur damnatus, qui diem Palmarum coleret solo officio de lætissima Ascensione Christi, jucundissima Assumptione Deiparæ, Dominica in Albis resonante tot Hebraicis Alleluja.

910 Hæc sanè, & alia, quæ prudens involvo silentio, reddunt perplexam resolutionem dubiorum hîc insinuatorum, ut proinde existimem, ne quidem esse mihi tentandam eorum fundamentalem dissolutionem, quamvis ego revera non essem ausurus divinam aram accedere, non expiatâ per Confessionem conscientiâ, si aliquo die infra hebdomadam sanctam officium Paschale, aut Pentecostes recitâssem, non destitutus tempore, sanitate, &c. sufficientibus ad officium novem lectionum: imò, ne quidem, si alio die quocunque; etenim neque Caramuelis, neque Leandri authoritas gignit ullam probabilitatem *practicam* circa liberum usum illorum duorum officiorum, utpote quæ non censentur *moraliter* æquivalere ulli alteri officio, ideóque extremè displiceat omnibus communiter illorum in alia commutatio. Imò denique ita improbata fuit ipsimet Caramueli, ut teste Cotonio *in Controv. celebr. Lib. 3. Controv. 3. n. 58.* palinodiam cecinerit in recusa editione *n. 1489.* quem resipiscentem sequetur rectiùs Leander, quàm quòd *cit. Quæst. 45. vers. Secundò probat*, lamenteretur, haberi à scriptoribus Societatis pro fabula id, quod de P. Suar. vulgavit calamus Caramuelis, ideo autem lamentetur utendo solenni signo gementis: *Prob dolor*: quia *si hoc* (Suarezii factum) *probaret* (Caramuel) *esse verum, probaret certè efficaciter hanc partem*) de licita mutatione officii Paschatis in aliud) *esse probabilem, & mihi valdè profectò.* Ita Leander, non immeritò magni pendens exemplum P. Suarez, at immeritò ita impensè affectus erga illam mutationem. Nec adstipulor eidem, quatenus *Q. 43.* concedit, illum, qui ob occurrentem urgentissimam causam nequit dicere longius officium, teneri ad Paschale, si possit. Relege, si placet, Casum, quem *in Alphab. Sacrificant.* seu *Tract. 3. Casu XVI. n. 483.* retuli de sacerdote, qui memoriæ mandaverat officium Pentecostes, ut, quoniam cogitabat suscipere statum, in quo sine magno suo incommodo non poterat ordinario modo peragere officium Angelorum, sicuti psalmodiam describit S. Augustinus *in proleg. super Psal. 8.* saltem recitatione illius officii studeret compensare.

Dico postremò. Variæ sunt causæ, ob quas 911
licitum est, facere mutationem unius Officii in aliud. Earum nonnullas cùm indicavi, tum explicavi in hoc ipso *Alphabeto Casu XXIII. Sect. 3. & 4.* quas hîc insinuabo solùm; alias expositurus, quatenus fuerit necesse. Ergo mutationem facere potest. 1. Existens in aliena Diœcesi. Suprà *n. 635.* 2. Sæcularis habitans cum Religiosis *n. 636.* 3. Volens compensare Officium neglectum. *n. 639.* 4. Animadvertens, se inchoâsse officium, quod non debebat, *n. 642.* 5. Destinans esse cras in loco, ubi celebratur aliud Officium. *n. 650.* 6. His addi possunt, quæ *n. 644. & seqq.* dixi de pluribus casibus, quibus aut fas, aut necesse est conjungere partes diversorum officiorum. 7. Pressus necessitate repentinâ concionandi, studendi, prælegendi, seu docendi, juvandi ad recitandum uno die, aut altero infirmum, aut amicum, vel Prælatum. Navarr. *De Orat. Cap. 19. n. 217,* Sanchez *Lib. 7. Consil. Moral. Cap. 2. dub. 25.* 8. Faciens longum, & necessarium iter; nam talis potest officium, quod ferè totum memoriâ tenet, dicere loco præscripti non contenti memoriâ. Onuphrius *incit. Opusc. De mutat. Officii*, & maximè Silvester *verb. Hora Q. 11. n. 1.* ita *absolutè* loquens: *Qui mutat Officium ex majore commoditate, ut, quia hoc memoriâ tenet, non aliud, vel Veniale, vel nullum peccatum committit.* Ita ille; conformiter quidem suæ, id est, *Tertiæ* Sententiæ, relatæ *n. 861.* at non conformiter cæteris Quatuor. Etenim, qui faciunt mutationem, solent facere ob majorem commoditatem; ergo si major commoditas præbet generatim sufficientem causam mutandi, tum sanè mutatio ad libitum erit semper licita. 9. Excitatus devotione erga aliquem Sanctum, aut peculiare Festum. Onuphrius *loco citato* Laymannus *Lib. 4. Tract. 1. cap. 5. n. 3.* post Philiarchum, repugnante Tannero *Tom. 3. disp. 5. quæst. 1. n. 150.* & Caramuele; eò quòd non sit melior devotio, quàm obedire, sicuti insimili retuli ex Dicastillo *in Alphab. Sacrif. Cas. XXI. num. 712. edit. 2.* Equidem Gavantus *in Rubr. Breviar. sect. 1. cap. 5. Tit. 2. n. 1.* refert verba Congregationis Rituum, vetantis fieri mutationem ob solam Devotionem; contra quam declarationem non ages, meo judicio, si sentias, te singulari, magnáque devotione impelli; secùs, si solùm communi. 10. Quando quis gaudet privilegio orandi officium de Venerabili Sacramento e. g. posse te cum illo idem Domini suave jugum trahere, atque adeò cum eo recitare, docet *absolutè* Henriquez *Lib. 7. De indulg. cap. 30.* Diana *Part. 1. Tract. 12. Resol. 35.* & alii apud ipsum. Quæ sententia est probabilior, si addatur limitatio, quam exprimit Oliverius Bonart. *De Hor. Canon. Lib. 3. cap. 25. num. 24.* quando nimirum ipse privilegiatus ob debilitatem, aut aliam similem causam, difficulter utitur suo privilegio, nisi juvetur à socio. 11. Si verseris etiam ut viator in loco, in quo fiat officium diversum à tuo. Laymann. *loc. cit.* 12. Si per inadvertentiam, etiam culpabilem, recitâsti unum officium pro altero, ne quidem sub veniali teneris, cognito errore, dicere omissum. Leander *quæst. 46.* Excipio (etsi nequaquam excipiat Leander) nisi dixisses Paschale, aut Pentecostes; rationem exceptionis petes ex dictis suprà *num. 898. & seqq.* 13. Quintanadvenn. *Singularium Tract. 8. singul. 7.* ita argumentatur *num. 5* Capellanus principalis Monialium *licitè* celebrat Missam de Sanctis, de quibus Moniales officium recitant: ergo etiam ei licebit recitare de iisdem Sanctis, nam correlativorum, seu connexorum idem est judi-
912 »cium. Ita ille. 14. Si quis casu fortuito ca»rens Breviario Romano, & aliis memoriter »sciret officium de Resurrectione, non dubito, »quin satisfaceret præcepto recitando de Resur»rectionis officio, imò potiùs credo, ad id te»neri sub culpa gravi; nam casu, quo quis ca»ret Romano Breviario, ad quod adstringitur, »tenetur recitare per aliud quodcunque ap»probatum, quod præ manibus habet, ut pro »certo docuimus *quæst. 21.* ergo similiter, »qui careret dicto Breviario, & memoriâ te»neret (quasi in alieno Breviario) offici»um de Resurrectione, de illa recitare tene»retur.

Hactenus repræsentavi verba, ac sententiam Leandri *Cit. Disp. 3. quæst. 43.* non verò meam, quia nego illam obligationem ob causas productas *num. 603.* nego & satisfactionem, *in rigore loquendo*, juxta quem rigorem deberet ille omnino, me judice, recitare præscriptum officium, si jam dicto officio Paschali, nanciscereturcasu ordinarium. At verò censeo tam benignè de mente cujusque Pontificis, ut esset (si interrogaretur) facturus gra-
913 tiam liberationis ab obligatione ejusmodi. *Si quis totâ die equitando sero accederet tandem ad hospitium, nimis defatigatus, quæ propter nequiret sine gravi incommodo recitare officium novem lectionum, bene tamen trium, tunc absque dubio posset, imò teneretur ad illud officium, cùm esset ex approbatis unum. Probatur, quia quis primò obligatur ad officium divinum, & postea admodum ejus, ergo si modum non possit implere, bene tamen substantiam, ad id tenebitur.* Ita rursum loquitur, ac resolvit Leander *quæst. 43.* statuens certitudinem, ubi adest sola probabilitas, si tamen probabilitas. Cùm enim officium Paschale sit adeò diversum à cæteris, & inductum ab Ecclesia pro solo tempore Paschali, ad aliquam Beneficiatorum, præsertim parochorum, respirationem post labores quadragesimæ, & hebdomadæ sanctæ, ut notat Cotonius *cit. controv. 3. num. 60.* non est, cur illud transferamus in aliud tempus ad faciendam suppletionem, compensationémve; & cùm tam multi inficientur, satisfieri substantiali recitationi Breviarii, quando unum pro alio dicitur, quomodo est certa illa obligatio, quam statuit Leander? Credo ego illam negari multò probabiliùs quàm asseri. 15. Licèt Religio- 914
sis officia prolixiora anticipare, diebus, quibus sunt otiosi, & officia Breviora reservare in illos dies, quibus se credunt occupatos fore concionibus, aut confessionibus audiendis, modò id non faciant in fraudem, sed ad melius studendum, prædicandum, & confessiones audiendas. Ita R. P. Yson Pfavv in suo pulchello Collectorio, seu *Summario Privilegiorum Ord. S. Benedicti per Helvetiam fol. 258.* scribit ex Rodriquez *Tom. 1. qq. Reg. quæst. 42.* & Ascanio Tambur. *De jure Abbat. Tom. 2. disp. 10. quæst. 4. num. 2.* nitentibus privilegio Leon. X. quod quia fuit solo vivæ vocis oraculo datum Fratribus Minoribus, an hodiéque subsistat, colliges ex dicendis in calce *Tractatûs Noni.* Nos tali privilegio nec utimur, nec Majores nostros fuisse usos, arbitramur; utimur autem illo commutandi unum officium in aliud, quod *implicitè* & à fortiori impertiuit Martinus V. dum fratribus S. Hieronymi *infirmis, senibus*, ac *valetudinariis* permisit Breviarii commutationem in aliquos psalmos, vel in id quod suis confessariis visum fuerit, qua de re vide compendium nostrorum privilegiorum *Verb. Infirmi §. 2. ubi §. 3.* in Glossa additur, omnes Superiores & etiam Confessarios, si Superiori videbitur, posse erga suos usurpare hoc indultum.

Dictis jungenda est generalis Regula, quam 915
subministrant Vasquez *De Benef. cap. 4. §. 1. dub. 2. num. 56.* Fagundez *De præcept. Eccles. prac. 1. lib. 3. cap 21. num. 32.* atque supponit apertè Palaus *Tract. 7. disp 2. p. 2. vers. Quartò dubitatur.* quòd videlicet, *quando Ecclesia aliquid prohibet sub peccato solùm veniali, qualibet Honesta causa sufficiat ad evadendam omnem culpam, agendo contra illam prohibitionem.*

nem. Quia igitur facere sine causa mutationem non frequenter vetat Ecclesiastica consuetudo sub noxa duntaxat veniali, ab hac quoque facilè excusabis mutationem factam, ob defatigationem magnam ex itinere, notabilem difficultatem legendi ad lucernam longos Psalmos; somnolentiam satis molestam &c.

916 Denique petes ex hactenus disputatis Resolutionem hujus

Casus utinam Ficti.

Fobenius Clericus omittit sæpe totum officium Dominicale, itémque Feriæ quintæ, & sabbati, præsertim in Adventu & Quadragesima, idque vel ex desidia, vel ex somnolentia, vel ex vinolentia, nec emendat se, quamvis monitus, increpitus, variis aphorismis munitus à Confessario. Quomodo tandem extricabitur à consuetudine peccandi mortaliter?

Resp. Prudens confessarius suadebit, ut, quando vehemens tentatio omittendi totum officium Canonicum, utpote prælongum, incesset ipsum, recitet unum è Brevioribus c. g. de uno Martyre, aut Confessore, sic enim evasurum (juxta *tertiam* sententiam, quam pronuntiavimus, esse probabilem) noxam lethalem, & præsertim obligationem restituendi fructus, ad quos restituendos, si quis confessarius compelleret Clericum, sequentem in praxi illam *tertiam* sententiam, ut eam limitavimus, haberet quidem patronum Garciam, *citatum supra num. 850.* at nos adversantes, propter illa effata juris: *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.* Et: *Semper favorabiliores rei, quàm actores habentur.* Laus Deo Soli.



TRA-

TRACTATVS SEXTVS.

SEU

ALPHABETVM CONFITENTIVM.

QUO

XXIII. Præcipuis Casibus Cardinalibus,

Atque aliis *FACTIS*, non *FICTIS*,

Edisseruntur Officia Confitentis.

INDICVLVS EDISSERENDORVM In hoc Opusculo.

Casu 1. *Proponuntur institutio, essentiáque Sacramenti Pœnitentiæ.* 2. *Natura pœnitentiæ generatim sumptæ.* 3. *In quo consistat vera contritio?* 4. *Quæ hujus conditiones?* 5. *Qui effectus?* 6. *Quæ obligatio?* 7. *Quæretur, possitne Sacramentum Pœnitentiæ esse validum, & informe?* 8. *Agetur de proposito emendationis.* 9. *De remissione venialium.* 10. *De præcepto Confessionis Divino.* 11. *De Ecclesiastico.* 12. *De Votivo, & Pœnitentiali.* 13. *De Regulari.* 14. *Explicabitur integritas Confessionis Specifica.* 15. *Circumstantifica.* 16. *Numerica.* 17. *Integritas cum* Circiter. 18. *Integritas dubia.* 19. *Integritas licitè omissa.* 20. *Examen præmittendum.* 21. *Confessio per interpretem.* 22. *Edisserentur reliquæ conditiones Confessionis.* 23. *Declarabitur, quando Confessio sit necessariò iteranda.*

SACRAMENTI POENITENTIÆ INSTITVTIO, ET ESSENTIALIA GENERATIM.

CASVS I.

Mariæ Deiparæ confitentis.

SVMMARIVM.

Quomodo fuerit Virgo Deipara, referente Alberto Magno, confessa? num? 1.
Sacramentum Pœnitentiæ quid sit? 4.
Ejus partes, seu materia. 5.
Quomodo & quæ peccata sint materia remota? 7. & 8.
Et alii actus proxima? 10.
Contritio est pars essentialis. 11.
Quid censendum de Confessione, quam Albertus Magnus assignat Deiparæ? 12. & 13.

Albertus Magnus excellentissimus, & sanctissimus Vir, Episcopus Ratisbonensis in illo aureo, & devotissimo opere super Evangelium: Missus est, *scribit* Cap. 69. 70. 71. & 74. *sequentia*: *Beata Vir-*

Virgo fecit Confessionem operis, probando purificationem, & essereædo oblationem statutam purificandis; ergo debuit facere Confessionem oris: & non obstat, quòd non habuit peccatum, quia dicit Gregorius: bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. *Cùm autem Beata Virgo esset specialiter Beato Joanni commissa, ab ipso debuit recipere Sacramenta. Est autem triplex Confessio: Accusatio peccatorum: Recognitio incongruitatis, vel magnitudinis beneficiorum Dei: Confessio de infusione meritorum. Et hæc fuit propriè Beatissimæ Virginis Confessio; quæ Beato Joanni Evangelistæ suo proprio Confessori confitebatur, quòd tantam gratiam recepit, quam nunquam cum condigno meruit, vel quam omnis creatura mereri potuerit.*

Hæc omnia leges in hujus Sancti Doctoris
2 Operum editione Venetæ Anni 1524. in qua quidem *prima* periodus non profertur ab hoc Doctore ut resolvente, sed, ut fit, ante resolutionem, in utramque partem dubitante. At in editione Lugdunensi Anni 1651. suam mentem aperit *Quæst. 43. §. 2.* his verbis: *Item triplex est confessio, scilicet accusatio peccatorum; recognitio incongruitatis, vel ingratitudinis beneficiorum, & confessio insufficientiæ meritorum. Et hæc fuit propriè Confessio Beatæ Virginis, quæ confitebatur Deo, quòd tantum gratiæ suscepit, quam nunquam cum condigno meruit &c.* Et in fine: *Hæc, & similia confessa fuit B. Virgo sancto Joanni, suo proprio Confessori.*

Quæret non immeritò Lector meus, sitne hic Marianus Casus *Fictus*, an *Factus*? Ad quam quæstionem respondebo *num. 12.* ubi videlicet explicavero 1. *Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ.* 2. *Quænam generatim ad illud requirantur.*

3 Dico I. *Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens*: Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita loquitur Sacra Synodus Trident. *Sess. 14. cap. 1.*

4 Dico autem II. *Sacramentum Pœnitentiæ est, in quo sacerdotalis absolutio à peccatis, quæ detestatus, ritèque quis confessus fuerit, impenditur.* Sic describit Venerabilis P. Petrus Canisius in Cathechismo majore *Tit. de Pœnit. Sacramento §. 1.* seu, est Sacramentum, *quo sacerdos sibi subditum, peccata sua cum justo dolore confitentem absolvit ab iisdem.* Martinus Bonacina *De Pœnit. q. 3. p. 2.* Vterque conformiter iis, quæ eadem Synodus Tridentina *Definitivè* tradit. *Sess. 14. cap. 3.*

5 Dico enim III. *Sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsum pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, satisfactio; quæ quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hæc ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Ita iterum Tridentinum Concilium *Sess. 14. cap. 3.* Cuius Doctrinæ brevis sensus continetur sequentibus §§.

I. Per contritionem intelligitur verus dolor de peccatis, & quidem supernaturalis. *Infrà num. 45.* Per confessionem accusatio peccatorum eò facta, ut virtute clavium veniam impetremus. Auctor Cathechis. Rom. *Part. 2. num. 39.* Denique satisfactio est persolutio pœnæ injunctæ à Confessario. De his tribus actibus erit nobis plenior sermo, & quidem de *Primo in Cas. III. IV. V.* De *altero* in *Cas. X. & seqq.* usque ad finem. At verò, quia est proprium munus Confessarii, imponere pœnitentiam, seu satisfactionem, idcirco hujus tractationem exequemur in *Alphabeto Confessariorum.* 6

II. Materia *remota* Sacramenti Pœnitentiæ 7
sunt peccata (*actualia*) Pœnitentis, *non acceptanda, sed detestanda, & destruenda* S. Thomas *3. P. q. 84. a. 2. in Corp.* Ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur, ita peccata, quæ pœnitentiâ delentur, rectè hujus Sacramenti materia dicì possunt. Author Catechismi Romani editi jussu B. Pii V. *loc. cit. num. 14.* qui immediatè antè rectè præmiserat, illos tres actus, quos *num. 5.* dixeramus esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, non ideo *quasi materiam* appellari, *quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materiæ non sunt, quæ extrinsecùs adhibeatur, ut aquain Baptismo, Chrisma in Confirmatione.*

III. Peccata ita sunt materia Sacramenti 8
Pœnitentiæ, ut inprimis nihil, nisi propriè dictum peccatum, seu vera coram Deo culpa, sit materia idonea hujus Sacramenti. S. Thomas *cit. a. 2.* cum omnibus Theologis; proindéque trademus *in Alphab. Confessariorum Cas. XV.* imperfectiones propriè dictas non esse materiam idoneam Confessionis, nisi quatenus adjunctam habent *per accidens* aliquam culpam. Rursum omnes. Ut proinde, si nihil aliud confitearis, quàm peccatum, quod falsò existimas, esse patratum à te, revera non existat Sacramentum. Expressè Cardinal. de Lugo *De Pœnitentia disp. 12. sect. 1. num. 22.* nam quando pro materia Sacramenti Pœnitentiæ assignatur dolor, & confessio, intelligitur de peccatis veris, non autem fictis. Idem *n.* 9
23. Ita *tertiò*, ut non omne peccatum sit materia Confessionis, sed solùm actuale, non autem originale. *Omnes DD.* Ita quartò, ut solùm peccatum mortale nunquam ante legitimè detectum sit materia hujus ejusdem Sacramenti *necessaria*, nam sola mortalia sunt necessariò Confessori aperienda. Trident. Concil. *Sessione 14. c. 7.* & quidem ea sola mortalia, quæ post baptismum admissa sunt. Rursum omnes DD. At verò materia non necessaria, sufficiens tamen ad impetrandam absolutionem, sunt peccata venialia. Trident. *loc. cit. cap. 5.* itémque illa lethalia, quæ quis jam legitimè aperuit, obtentâ illorum vera absolutione, Trident. Concil. *loc. cit.* post Benedictum XI. *in Extravag. de privileg.*

10 IV. Actus pœnitentis, de quibus dixi, sunt materia *proxima* hujus Sacramenti, ita quidem. ut contritio latè accepta, itémque Confessio sint partes *essentiales* illius, satisfactio solùm *integralis*. Et verò quòd satisfactio sit pars *integralis* duntaxat, non verò *essentialis*, rectè probat inde communis sententia, quòd hoc Sacramentum *essentialiter* perficiatur per absolutionem datam ante executionem operum injunctorum à Judice arcano. Sicut è diverso fatendum est, Confessionem esse veram partem *essentialem*, sine hac enim saltem imperfectè facta nequit hoc Sacramentum consistere, utpote consistens in accusatione, & ab-
11 solutione Rei, tanquam verum judicium. Trident. Concil. *cit. Sess. 14. cap. 5.* Denique quòd contritio *perfecta*, vel *imperfecta*, eáque *supernaturalis* sit etiam pars *essentialis*, est ferè communis consensus Theologorum, inquit Suarez *Tom. 4. in 3. Part. disp. 20. sect. 3.* post S. Thom. *cit. Quæst. 84. art. 1. ad 1. & quæst. 86. art. 6.* repugnantibus non paucis, quorum aliqui, ut Silvester V. *Confessio 1. q. 24.* Rosella, Angelus, alii apud Tannerum *Tom. 4. in 3. part. disp. 5. quæst. 6. num. 72.* existimant, etiam ad effectum hujus Sacramenti sufficere voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum; alii, ut Cajetan. Victoria, Ledesma, apud Suarez *loc. cit. sect. 4.* dicunt, ad valorem sufficere displiccentiam quamcunque, cum velleitate non peccandi; alii demum, ut Navar. *Cap. 9. num. 13.* Henriquez *Lib. 4. cap. 26.* Filliucius *Tract. 7. num. 154.* Bonacina, & plerique antiqui, ut testatur Filliucius, scribunt sufficere dolorem naturalem, intelligentes per hunc tristitiam, qua doles à te offensum Deum solitum per pœnas temporales punire peccata, adeóque ob offensam Dei tanquam Vindicantis crimina per morbos, bella &c. Sed *primam* opinionem pronuntiat Suarez *Sect. 1. num. 2.* & Tannerus *num. 73.* esse hoc tempore temerariam, ob nimis perspicua verba Tridentini Concilii relata *num. 5.* & exigentia contritionem. De *altera* opinione quid sentiendum, dicemus *num. 46. & 185.* sicut & de *tertia Casu III. n. 47.*

12 Priùs tamen resolvendus est noster Casus Marianus, & dicendum in primis, purissimam Virginem non agnovisse eo sensu, quem ante resolutionem indicat Sanctus ille Doctor, peccatum, ubi non erat, etenim falsa judicia abfuisse ab illa, præsertim circa materias morales, bene inter reliquos ostendit P. Franc. Suarez *Tom. 2. in 3. part. disp. 19. sect. 6.* Et sententiam S. Gregorii non esse literaliter intelligendam eo sensu, quem supponit idem author, liquet ex dictis in *Clypeo Clement. Indic. num. 175. edit. 2. & 3.*

Deinde negandum est, illam, quam S. Jo- 13
annes Evangelista noverat esse immunem ab omni labe peccati, fuisse *sacramentaliter* absolutam ab ipso; nam formula sacramentalis: *Absolvo te à peccatis tuis.* supponit vera peccata. Adhæc defuit Beatissimæ Virgini dolor de peccatis. Denique divisio Confessionis in tria membra relata ex eodem S. Doctore, est divisio confessionis nimis impropriè sumptæ, seu sumptæ in sensu alieno ab usu Theologorum, & Conciliorum loquentium de confessione, prout est pars Sacramenti. Itaque si quis hodiéque nihil aliud aperiret Confessario, quàm sua dona cælestia, veraciter addendo, se nullatenus fuisse ea promeritum, nequiret cum ejusmodi, seu confessione, seu narratione consistere essentia Sacramenti.

Quid si autem talis adderet: Imò sumi potiùs 14
eommeritus infernum, quam gratias tam speciales?

Resp. Ne tunc quidem reperirentur *essentialia* hujus Sacramenti, quia hæc verba non indicarent ullum dolorem de peccatis: si tamen proferret hæc verba cum dolore, & per modum accusationis, nihil *essentiale* deforet, quamvis malè ageret Confessarius absolvendo sine specificatione ulla mortalium præmissa.

Porrò de illa asserta Confessione B. Virgi- a
nis fert Didacus Nugnus (non habitâ ratione S. Alberti Magni) hanc censuram: *Ridiculum est, quòd aliqui* (S. Albertus Magnus) *asserunt, quòd Beatissima Virgo confitebatur S. Joanni; ubi enim nullum est peccatum actuale, non potest esse Sacramentum. Pœnitentiæ.* Qui scriptor, quia nec parcit honori ipsiusmet S. Thomæ, ut ostendam infrà *Cas. XV. num. 378.* haud mirandum est, quòd toties perquam inclementer habeat nostrum Patrem Suarez; qui est ipse fides in oculis, ut vidimus suprà *Tract 1. num. 146.*

APPENDIX VLA SALMANTICENSIS.

QVid Reverentiæ Vestræ de ea sententia vide- b
tur, quòd quidam studiosus ex Hispania huc veniens ait, à quodam Theologiæ Professore, in Salmanticensi Vniversitate doceri, validum nempe, & integrum esse Sacramentum Pœnitentiæ, ac proinde etiam augmentum gratiæ conferre alieni, etiamsi nullum omnino verum peccatum, sed tantùm putatitium à pœnitente adferatur, idque probari per paritatem civilium tribunalium. Hinc etiam Beata Virgo potuisset uti hoc Sacramento, & gratiæ augmentum recipere, si putâsset, se peccatum habere; cùm enim duo sint effectus Pœnitentiæ, remissio peccati, & collatio,

sen

QUID SIT POENITENTIA, ET QUOMODO SOLEAT ELICI.

CASUS II.

Iudaicus.

SUMMARIUM.

Casus ex actis Apostolorum declarans multa facientia ad confessionem. 16.
Recensentur ea. 17. & 18.
Septem significata vocabuli Pœnitentia. 21.
Recensentur actus, qui seriatim elici solent usque ad perfectum actum pœnitentiæ. 23.
Proponuntur novem motiva, ob quæ furs suspendendus moveri potest ad dolendum de furtis. 25. & 26.
Explicatur ad praxin, quodnam sit objectum veræ pœnitentiæ. 27. & 28.
Quid intelligatur nomine injuriæ in Deum commissæ, & reparandæ per pœnitentiam? 29. & 30.

seu augmentum gratiæ, poterit saltem posterior obtineri, etiam si prior per accidens *hic locum non reperiat. Foret hæc sententia opportuna Confessariis, qui materiam subinde vix extorquere possunt.*

c Ita ad me vigesimo sexto Februarii Anno 1674. post tres quæstiones *practicas* propositas quidam Superior Religiosus, qui quandoquidem facit mentionem praxis, & usûs, idcirco non est alienum à meo instituto, promere meum judicium circa hanc principaliter *speculativam* quæstionem. Ad quam proinde respondeo, non posse me assentiri illi Doctori Salmanticensi, tum quia in re tanti momenti, inque materia tam diligenter, & distinctè pertractata à summi, medii, infimi subsellii Theologis, periculosum est, aliquid novi, inauditique comminisci circa *essentialia* Sacramentorum; tum quia hæc opinio videtur omnino *positivè* repugnare communi sensui Doctorum commentantium in *citatam* paulò antè *quæstionem 84. S. Thom.* ac nominatim Didaci Nugni, ut evidens est ex verbis immediatè ante hanc Appendicem descriptis; & dum ipsemet S. Thom. *Cit. art. 2.* ejúsque interpretes tam disertè, & absolutè scribunt, materiam *necessariam* hujus Sacramenti esse peccatum *Actuale* NB. in terminis excludentes *Originale*, *putatitium* autem peccatum non est *actuale* peccatum, sed falsa illius umbra, hoc ipso declarant sufficienter, se nihil unquam cogitâsse de *putatitio* tanquam *sufficiente*.

d Quòd verò ad probationem aliquam in medium profertur de judicio forensi, non video, quid faciat ad rem; si enim accusetur tanquam reus is, qui est innocens, plus non acquirit per sententiam judicis, quàm quòd sit habendus ab omnibus pro innocente. Ad alterum de duplici effectu Sacramenti Pœnitentiæ, fateor, potuisse à Christo Domino ita institui, ut hîc proponitur; at verò argumentatio à potentia ad actum reprobatur à Philosophis, & Theologis. Unde concludo, non esse confessario, non valenti expiscari à pœnitente ullum individuum peccatum, confugiendum ad usum hujus novæ opinionis, sed potiùs amplectendum illud medium, quod proponam inferiùs, videlicet ut ipsomet confessario instigante, dirigente, dicat seriò pœnitens: *Confiteor me esse verum peccatorem, & sæpius Deum offendisse, licèt nullum in specie peccatum succurrat memoriæ.*

15 Dico IV. Ad essentiam hujus ejusdem Sacrament spectat vel maximè forma. Omne quippe compositum, seu *naturale*, seu *artificiale*, aut *morale* constat non solâ materia, sed etiam formâ. Est verò hujus Sacramenti forma hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis &c.* Tridentin. *Sess. 14. Cap. 3.* & nos pluribus *in Alphabeto Confessarior. Casu IV.*

16 *Beati Petri Apostoli primâ concione audita, compuncti sunt* (Judæi) *corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos, pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritûs Sancti, & appositæ sunt in illo die animæ circiter triamillia.*

17 Casum hunc apprimè facientem partim ad hoc caput, partim ad sequentia, describit S. Lucas *Act. 2.* Dico: *Apprimè facientem partim ad hoc, partim ad sequentia Capita,* exhibet enim quintuplicem quà doctrinâ, quà quæstionem de pœnitentia. 1. *Quid sit pœnitentia? 2. Quæ prima origo? 3. An necessaria ad obtinendam gratiam divinam, adeóque remissionem peccatorum? 4. An supernaturalis? 5. An necessariò de singulis seorsim peccatis?* In primis enim maximè petebat Petrus, ut dolerent de crimine, quod commiserant, dum per manus iniquorum interfecerant Christum, ut eis blandissimè exprobrat Petrus; ergo pœnitentia est propriè de præteritis, non de futuris, ut volunt hæretici. Deinde prima origo hujus pœnitentiæ fuit actualis recordatio admissi Deicidii, quam excitavit in iis Spiritus Sanctus per os Petri, cæterorúmque Apostolorum; ergo rectè dicemus *num. 23.* primum actum pœnitentis solere esse cogitationem de patrato crimine. 3. Patet ex transcriptis, illos Judæos quæsivisse, quid sibi

sibi necesariò agendum esset, ut consequerentur veniam tanti flagitii. Subjecit autem Petrus: *Pœnitentiam agite*, ergo clarè indicavit, necessariam esse Pœnitentiam ad placandum Deum. 4. Concio Sancti Petri erat de peccato Judæorum, quatenus fuerat admissum contra Filium Dei; ergo pœnitentia, ad quam hortabatur, erat supernaturalis, & non tantùm naturalis, ut volunt multi infrà referendi.

19 5. Per illa verba: *Appositæ sunt animæ circiter tria millia* indicatur, illa tria millia fuisse eo ipso die baptizata; nec dubitandum, quin statim post dimissam Concionem fuerit factum exordium baptizandi; non potuerunt autem omnes intra tam breve tempus revocare in memoriam omnia sua peccata, déque singulis mortalibus criminibus excitare singularem dolorem, ergò immeritò nonnulli à nobis referendi *Cas. IV. num. 74.* exigunt ad veram, fructuosámque pœnitentiam, de singulis peccatis mortalibus singulos seorsim actus pœnitentiæ.

20 Occasione hujus Casûs *Judaici*, quia narrantis conversionem Judæorum, edisseram nunc pluribus, quid sit pœnitentia: per quos actus, & ex quibus motivis soleat elici? At Casibus sequentibus tractabo de tribus posterioribus punctis controversis.

21 Notandum est itaque I. Nomine *Pœnitentiæ* potissimùm septem significari. 1. Licèt, ubi Latini utuntur verbo *Pœnitentiæ*, Græci utantur vocabulo Μετάνοια, quod vocabulum juxta etymologiam significat resipiscentiam, seu emendationem vitæ, attamen revera etiam significat tum detestationem peccati, tum dolorem de illo. Coninck. *To. 2. in 3. p. disp. 1. dub. 1.* Laymannus *Lib. 5. Tr. 6. c. 1.* & alii. 2. Generatim significat tristitiam conceptam ob aliquod opus perperam actum; quo sensu, quando mercator tristatur, se heri vendidisse centum aureis illam mercem, quam poterat vendere 150. si præstolatus fuisset hodiernum diem, dicitur ipsum pœnitere de tali contractu. 3. Strictiùs indicat detestationem,

22 & tristitiam ortam non ob qualecunque opus perperam actum, sed ortam ob opus peccaminosum. 4. Sumitur pro quolibet tum actu, per quem studemus placare Deum offensum nobis ob peccata nostra, tum habitu inclinante ad ejusmodi actum. 5. Pro Sacramento singulariter, per se, & primariò instituto ad obtinendam remissionem peccatorum, adeóque pro illo, quod descripsimus *n. 4. 6.* Pœnitentia creberrimè est idem, quod pœna, quam vel sponte, vel mandato Confessarij assumimus ad satisfaciendum Deo pro peccatis, in illum admissis. Denique hoc loco nomine pœnitentiæ intelligitur vera detestatio peccati contra Deum admissi cum proposito non relabendi.

23 Notandum II. Quando peccator se convertit ad Deum, seriòque resipiscit, solere hæc fieri. 1. Immittit Deus peccatori cogitationem suorum peccatorum, ita ut apud se dicat: *malè me gessi: planè graviter deliqui, Deum offendi.* 2. Mox oritur cogitatio bona de placando Deo, ita ut peccator dicat intra se: *Debeo me reconciliare cum Deo meo, seu illum placare.* Quia verò optima, imò unica ratio placandi est detestatio peccati, hinc secundum illum actum sequitur è vestigio tertius, quo peccator detestatur, execratur suam nequitiam dicendo: *Utinam, ò utinam tale, aut tale crimen non admisissem! Vellem utique, si fieri posset, ut nunquam offendissem Deum!* Tertio huic actui *immediatè* connectitur quartus, videlicet dolor, seu tristitia ob peccatum commissum; éstque illa tristitia nil aliud, quàm luctа, & inquietudo mentis conantis quodammodo expellere peccatum, & efficere, ut nunquam fuisset in rerum natura, solétque indicari hac phrasi: *Heu me miserum! quid* 24 *egi?* Et verò hæc tristitia animi est quandoque tanta, ut redundet in ipsum corpus, immutétque illud; hinc lacrymæ, singultus, deliquia; quæ tamen redundantia in corpus non tantùm non est necessaria, sed neque ejus defectus præstat aut certum, aut etiam probabile signum, rationémve judicandi, defuisse, seu deesse verum, & coram Deo sufficientem dolorem. Vbi peccator planxit, exsecratúsque est suam culpam, petit à Deo veniam dicens: *Miserere mei Deus*; éstque hic quintus actus pœnitentiæ, quem vel præcedit, vel sequitur propositum emendationis, quod propositum appellabimus sextum actum pœnitentiæ, septimum autem voluntatem satisfaciendi pro peccatis.

Notandum III. Licèt omnia motiva, ob 25 quæ detestamur peccata, & de iis dolemus, communiter reducantur ad tria capita, scilicet ad metum pœnarum, turpitudinémq; peccati, ut insinuat Tridentinum Concil. *Sess. 14 c. 4.* ac tertiò ad bonitatem Divinam, attamen majoris claritatis gratia statuo motiva novem, explanans ea exemplo furis jam jam affigendi patibulo. 1. enim potest is detestari sua furta 26 idcirco, quòd propter ea cogatur subire mortem infamem. 2. Ideo, quòd furtum repugnet rectæ rationi. 3. Quia furtum adversatur legibus statutis à Deo. 4. Quia Deus irritatus illis furtis permisit eum venire in manus carnificis. 5. Quia ob illa meritus est infernum. 6. Quia ob illa excidit jure cœlestis gloriæ. 7. Quia per illa offendit, exacerbavit, aut etiam injuriâ affecit Deum. 8. Quia per illa Deum à quo summa beneficia accepit, à quo creatus, & redemptus &c. ita graviter offendit, ac proinde exhibuit se tam ingratum. 9. Denique dolere potest, quòd offenderit Deum summum bonum summo amore dignissimum, cui servire debuerat propter summam suam

amabilitatem,seu infinitas perfectiones,etiamsi nihil prorsus beneficiorum accepisset ab eo, aut speraturus esset.

27 Notandum IV. Inter reliqua adjuncta, seu circumstantias,& proprietates pœnitentiæ, de quibus disceptant Theologi *speculativi*, huc singulariter facere ad mores, seu excitandos ferventiores, insigniorésque actus, quodnam sit objectum Virtutis pœnitentiæ, seu habitûs, quem innui *n. 22.* quarto loco, seu ob quam potissimum rationem exerceat virtus, habitúsque pœnitentiæ suos actus. Nam plerique Theologi teste Tannero *Tom. 4. disp. 6. q. 2. num. 27.* ita loquuntur, ut totam, adæquatámque rationem *formalem* pœnitentiæ constituant in compensanda, destruenda,& abolenda
28 per satisfactionem aliquo modo offensa, seu injuria illata Deo per peccatum. Ipse autem Tanner. *n. 28 & 29.* cum aliis tradit, si pœnitentia accipiatur sub proprio conceptu,& denominatione pœnitentiæ, veram esse illam communem doctrinam; at si spectetur secundùm integrum habitum, integrúmque objectum, latiùs patere, ita scilicet, ut pœnitentia sit peculiaris habitus justitiæ erga Deum, cujus objectum universim in omni materia sit conservare jus Dei illæsum, repararéque læsum, adeò, ut ipsum quoque generale debitum observandi præcepta Dei eâ ratione, ut jus suum servetur ipsi illæsum, spectet ad hanc virtutem, ut loquitur *n. 30.* post Suarez *Tom. 4. d. 3. Sect. 3. n. 2.*

29 At verò Joannes Cardinalis de Lugo *d. 2. de pœnit. sect. 1.* refutans hanc doctrinam docet *num. 49. & seqq.* pœnitentiam in eo *formaliter* consistere, quòd intendat vitare Dei offensionem, & si fortè ea contigit, eam tollere omni modo; adeóque ista virtus conetur efficere, ut Deus non sit rationabiliter infensus homini, sed servet pacem cum illo, aut rursum ineat pacem cum eo. Ab explicatione Tanneri vix differt illa, quam adfert Ægidius Coninck *Tom. 2. in 3. p. disp. 1. dub. 4.* quòd scilicet *formale*, & *adæquatum* objectum pœnitentiæ spectatæ secundùm suam denominationem, & descriptiones à SS. Patribus adferri solitas, sit peccatum, quatenus est detestabile, tanquam offensa, seu injuria Dei; per quam injuriam intelligit ipse *n. 12.* ac Tannerus *n. 38. & 39.* læsionem juris divini propriè dicti, ac proinde concedit Tannerus *n. 39.* reperiri in omni peccato injuriam Dei contra justitiam, & contra strictissimum jus (ut loquitur *num. 38.*) quod in nos, nostráque omnes actiones Deus habet longè magis propriè, quàm dominus in servum, herus in hominem mercede conductum; & dux in militem, ut ait *n. 34.* adeóque præter propriam, & specialem malitiam, quam quodvis peccatum trahit à suo objecto, vel aliunde, reperiri in omnibus injuriam propriè dictam, imò malitiam contra charitatem, obedientiam, religionem, gratitudinem; interim tamen negans, constitui per has tam diversas circumstantias pluralitatem specificam peccatorum, eò nimirum quòd sint transcendentes, generatim imbibitæ in omni omnino peccato, & ideo per eas non multiplicari peccata, nisi *formaliter* intendantur à peccatore. Idem tradit Coninck *de actibus supern. disp. 32. dub. 5.*

At verò idem Cardinalis de Lugo *n. 50. & 51.* 30 per injuriam, cujus ablationem, extinctionémque intendit pœnitentia, intelligit offensam, exasperationem, irritationem, seu indignationem Dei, seu quasi aliquod cordolium, & amarorem; quæ offensa, indignatio, cordolium potest utique existere sine vera injuria; etenim paris quidem indignationem, & cordolium, amarorémque, non tamen veram injuriam tuo singulari amico, quando poscenti à te in necessitate commodationem libri, quo tunc minimè indiges, negas ipsi id officii. Vicissim si fureris amico librum, inprimis afficis illum injuriâ propriè dictâ, quæ mox tollitur, postquam redhibuisti librum, aut postquam illum ipse tibi donavit, tunc enim posita est æqualitas, quam spectat singulariter justitia; deinde præter prædictam injuriam adest offensa; das enim ipsi causam, cur ejus animus magis avertatur à te, seu, cur ejus animus magis exacerbetur, quàm si alius id fecisset, juxta illud Psalmistæ: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu verò homo unanimis, &c.* & hæc offensio non tollitur mox, ut redditus est liber, sed tunc solùm, quando exhibes amico à te læso obsequia, petis veniam, & similia facis, pro quantitate offensæ, eâ enim satisfactione posità tollitur offensa, omnis indignatio; aut si non extinguitur, tunc sanè tuus amicus censebitur à quovis prudente, præsertim Christiano, manere irrationabiliter offensus. Ita ferè de Lugo; cæteri tamen autores, ut nominatim 31 Tannerus, & S. Thom. *q. 85.* confundunt nomè injuriæ cum nomine offensæ; sed planè mihi probatur allata doctrina, & distinctio, quam subdit Lugo, quòd scilicet illa virtus, quæ inter homines cavet, & tollit offensas, non sit virtus justitiæ, sed possit (imò debeat, quandoquidem non occurrit aliud nomen) nuncupari Pax, alio tamen sensu, quàm pacem definiat S. Thom. *2. 2. q. 29.* Et addo, me non dubitare, quin sit aliqua virtus, quæ detestetur peccatum, prout est injuria Dei propriè dicta, item, quæ illud detestetur, prout est offensa Dei: utrum verò hæc posterior sit propriè virtus pœnitentiæ, non disputo; sed hæc omnia memoravi eò solùm, ut submínistrem & mihi, & aliis peccatoribus varios modos apprehendendi deformitatem peccati, nósque ad hoc detestandum, fugiendum, abolendum moveamur jam hac, jam illâ consideratione, prout erimus nunc magis dispositi ad hanc, quàm ad illam.

No-

32 Notandum V. Peccati mortalis reum teneri ante mortem agere pœnitentiam veram & perfectam, id est necessariam ad se reconciliandum Deo, ut trademus *Cas. V.*

IN QUO CONSISTAT PROPRIE CONTRITIO, ET VERA POENITENTIA.

CASUS III.

Bodmannicus.

SUMMARIUM.

Paradigma perfectæ contritionis editum à laico Nobili. 33.
Bodmannica familia mirificè conservata. 34.
Contritionis nomine quid indicetur? 35.
Quid sit contritio perfecta? *37.*
Quomodo dolor, & detestatio sese habeant respectu contritionis? 38.
Dolor sequitur necessariò detestationem. 39.
Detestatio non est mera nolleitas. 40.
Voluntas satisfaciendi Deo quomodo includatur in contritione? 43.
Attritio quatenus intra, vel extra Sacramentum sufficiat ad remissionem culpæ? 45. & seq.
Singulariter, quando elicitur ob malum temporale, quandóque immissum immediatè à Deo. 47.
Vel illatum ab homine, ut ministro Dei. 61.
Vera attritio juncta Sacramento certò facit ex attrito contritum. 48.
Etiam si quis sciat, esse se solùm attritum. 50.
Nec peccas, etiamsi practicè sequaris hanc doctrinam in articulo mortis. 51.
Refertur in contrarium insignis sententia P. Vincentii Caraffæ. 53.
Perfecta *contritio delet peccatum. 54.*
Refertur sententia Silvii. 54.
Quid sit perfecta *contritio? 55. & 56.*
Est charitatis actus. 57.
Ejus definitio. 58.
Probabilissimum est, ad contritionem requiri, ut eliciatur formaliter *ex motivo summi boni offensi. 59.*
Ergo non sufficit motivum gratitudinis. 60.
An offensæ divinæ? Remissive. 59.

33 *Canutus Societatis Jesu Sacerdos evocatus Anno 1625. ex hoc Collegio Constantiensi ad arcem Meckingam, in qua decumbebat vir equestris D. Joannes Conradus ex antiquissima familia de Bodman dicta, Vir, inquam, laude sapientiæ, pietatis, atque sobrietatis clarus in paucis, cui etiam tres ipsas hebdomadas, adeóque ad ultimum usque agonem adfuit Canutus, eóque heroicæ virtutis adduxit virum illum equestrem, jam antea pronum ad omnem virtutem, ut è cordis sui meditullio proruperit semel, iterúmque in verba referentia hunc sensum:* O! amabilissime Deus, ita execror me ipsum, quòd sim toties ausus offendere te summum bonum meum; ita cupio jam, & per omnem vitam mortalem, atque æternitatem tibi infinito Bono placere, ut sim libentissimè defecturus vivus, aut mortuus in infernum, si id sine tua offensa fieri queat, indéque voluptatem accipias. *Quæritur, quid sentiendum de hoc actu pœnitentiæ?*

34 Eram illo ipso Anno incola hujus Collegii Constantiensis, cùm prænobilis ille D. Joannes (indico per Parenthesin, haud ingratam futuram Lectori, jam ab aliquot centenis Annis omnes planè mares è Bodmannico stemmate virili natos insigniri nomine Joannis, ob familiam, patrocinio S. Joannis Baptistæ, conservatam in unico hærede, per fenestram in præceps dejecto in olla ærea, ad arcendam eruciabilissimam mortem, è conflagrante arce certò imminentem) Conradus migravit è vitæ statione. Quod narro, audivi non semel ex ore illius è duobus domesticis, qui coram adfuerant, cùm proferrentur, ederentúrque illa animi dolentis argumenta; quæ quia sine dubio indicant veram, imò perfectam contritionem, idcirco aperiam nunc, in quo consistat vera contritio. At in Casu sequenti dicam, in quo sita sit perfecta contritio.

35 Notandum itaque est nomine *Contritionis* generatim significari detestationem, aut dolorem de peccatis, ut patet ex Concil. Trident. *Sess. 14. c. 3. & can. 5.* dividente Contritionem in *perfectam*, & *imperfectam*, quam contritionem *imperfectam* indigitari alio nomine Attritionem, testatur eadem Synodus; hæcque attritio meritò nuncupatur *imperfecta* Contritio, quia non detestatur peccatum super omnia, siquidem illud execratur, & horret ex motivo non perfectissimo, ut liquebit ex dicendis *num. 55. & 56.*

36 Quæritur jam I. *Quisnam ex actibus præcedenti num. 23. & 24. expressis sit propriè vocandus contritio generatim, id est, seu* perfecta, *seu* imperfecta? nomine enim contritionis *absolutè* sumpto utemur in hoc Casu, seu Capite, prout est genus ad *perfectam*, & *imperfectam*, sicut etiam utuntur Patres Tridentini; &

37 Resp. I. Id liquere ex definitione contritionis, quam adfert illa Synodus *cit. Sess. 14. c. 4.* his verbis: *Contritio est animi dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Qua de causa Ægidius Coninck

Tom. 2. in 3. part. disp. 1. num. 11. tradit, contritionem potissimùm, & *formaliter* consistere in dolore de peccatis, licèt *essentialiter* includat etiam detestationem. E diverso Suarez *Disp. 3. sect. 3. num. 7.* Navarr. *in Manuali cap. 1. n. 2.* Reginald. *Lib. 5. num. 2.* contendunt, contritionem *formaliter*, & *essentialiter* consistere in detestatione peccati, licèt eam necessariò, infallibiliter sequatur animi dolor.

38 Denique Cardinalis de Lugo *Hìc disp. 4. sect. 1 num. 6.* censet, detestationem, dolorémque simul requiri ad veram rationem contritionis, probátque inde, quòd pœnitentia, quæ idem est, quod contritio, ut notant Suarez, Tannerus, Coninck, Laymannus, non habeat locum in Beatis Cœlitibus, sicut expressè notat S. Thom. *quæst. 87. art. 1. ad 3. in Supplem.* habeat autem detestatio peccatorum admissorum olim ab ipsis. Licèt itaque SS. Patres relati à Laym. *Lib. 5. Tract. 6. cap. 1.* atque Lugone *Disp. 2. nu. 17.* pœnitentiam, seu contritionem maximè definiant per dolorem, non ideo tamen ita definiunt, quasi aut solo dolore, aut in eo *primariò* consistat ratio pœnitentiæ, sed quia dolor est notior, utpote sæpe redundans notabiliter in corpus; potiùs dicendum, *primarium* actum pœnitentiæ esse effectum, adeóque *secundarium* duntaxat actum. Unde Ezechielis 33. dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus* (id est, aversus, quod propriissimè fit per detestationem) *fuerit ab impietate sua*; proinde sunt homines tum à Concionatoribus, tum à Confessariis incitandi ad crebros intensósque actus detestationis, & odii erga peccata, perpendendo capita, ex quibus eorum turpitudo, & gravitas magis patescit, ac singulariter posteriora ex eis, quæ enumeravi *Cas. præcedenti n. 23. & 24.*

39 Nec debent pœnitentes esse scrupulosè solliciti de dolore, tristitiáve ob crimen perpetratum, modò enim illa verè serióque detestentur, execrentur, seu, modò iis animitus displiceant, sequetur *per se* hanc displicentiam dolor, etsi fortè non animadvertatur; etenim dolor ita naturaliter sequitur ex detestatione in homine Viatore, sicut in corpore diaphano lux ex præsentia corporis lucidi, inquit Reginaldus; seu tam necessariò, quàm gaudium ex vehementi amore boni, quod possidetur. Coninck *num. 10.* Laym. *num. 2.* observante Reginaldo ex eodem Navarro, dolorem de peccatis, non exoriri in nobis, nisi quando cogitamus de illis illorúmque fœditate, quare, ut ea detestemur, esse nobis in mentem vivaciter revocanda.

40 II. Ex descriptione detestationis infertur, eam non esse meram nolleitatem, prout hæc significat actum judicii ostendentis, quid in his, aut illis circumstantiis facturus non esses; ut cùm dicis: *Si non esses meus cognatus, non insti-*
tuerem te heredem: si non esses meus Princeps, non afficerem te tanto honore; sed est verus actus voluntatis, quia ipsa vult *sub conditione*, peccatum non esse commissum, & ita, ut jam *actualiter, absolutéque* se avertat ab eo, damnans illud actu absoluto. Ergo detestatio est secundùm unum objectum actus *conditionatus*, quia revera vellet, si fieri posset, efficere, ut nunquam extitisset peccatum, at secundùm alterum objectum est *absolutus*, quia revera jam prosequitur *actuali* odio crimen. Vide Suarez, Tannerum, Lugonem *Disp. 4. num. 16.* dicentem, actum detestationis esse ita explicandum: *Si ego nunc haberem potentiam perficiendi, ut peccatum non fuisset, sum actu ita dispositus, ut essem eâ usurus hoc momento.*

III. Cum detestatione, & dolore de præ- 41
teritis jungendus est necessariò *primus* actus ex enumeratis *num. 28.* adeóque tum recordatio criminis, tum ejus agnitio, imò præcedat, necesse est. An verò necessaria sit distincta agnitio singulorum peccatorum, & Confessio coram Deo quòd eum mortaliter (casu quo revera præcesserit culpa lethalis) offenderimus, dicam *Cas. sequent. num. 82.*

Secundus quoque ex enumeratis actibus 42
communiter, non tamen necessariò præcedit, sicut nec omnino necessariò *quintus*, jam enim petis *implicitè* veniam, dum detestaris, & doles; valde tamen expedit, precari *formaliter, expresse*, & *humillimè* condonationem culpæ, adeóque animitus dicere: *Miserere mei Deus secundùm magnam, maximam misericordiam tuam.*

Sextus actus, videlicet propositum emendationis exigitur utique ad veram contritionem, sicut patet ex definitione Contritionis descriptæ *n. 36.* ex Trident. Concil. At lis est, an exigatur *explicitè*, an verò sufficiat adesse *implicitè* propositum, sicuti revera involvitur, & implicatur in actu omni, quo seriò detestamur crimen lethale, quatenus est offensa Dei causa æternorum suppliciorum &c. Nos hanc difficultatem enodabimus *Cas. VIII.*

Septimus ex actibus recensitis *n. 24.* id est, 43
voluntas satisfaciendi Deo in hac vita pro commissis in eum delictis, non est in præcepto juxta Suarez *Disp. 15. sect. 7.* Coninck *Disp. 2. n. 60.* & alios communiùs, adversùs Canum, atque alios, nec enim videtur Scriptura divina nos ad satisfaciendum nunc Deo obligare aliter, quàm nos humiliando coram ipso, abominandóque nostram improbitatem; aut si exigit Deus, satisfit petitioni ejus, obeundo partim pœnitentiam injunctam à Confessario, partim opera indicta pro indulgentiis lucrandis, partim *sextum* actum, id est, propositum observandi omnia mandata ipsius, adeóque humiliter perferendi flagella, quibus fortè in nos animadvertet. Unde Suarez *l. c. num.*

rum, 8. habet suam opinionem pro verissima, ego alteram pro tutissima.

34 IV. Immiscentur prædictis actibus etiam actus tum fidei, dum creditur, Deum verè offendi peccatis, tum spei de venia consequenda, quæ spes reperitur in omni illo, qui more catholico dolet sincerè de peccatis, petítque à Deo veniam, nec enim peteret, si non speraret.

45 Quæritur II. *Utrùm contritio lat è sumpta, adeóque etiam attritio, sit sufficiens dispositio ad remissionem noxæ lethalis obtinendam, sive extra, sive intra Sacramentum?*

Resp. I. Contritio, seu attritio, dolórve elicitus ex *primo* illorum novem motivorum, quæ produxi *num. 26.* nequaquam sufficiens est extra Sacramentum ad impetrandam veniam, ut omnes tanquam fide certum tradunt, quandoquidem nequit solis naturæ viribus obtineri tam supernaturale donum, quàm est gratia sanctificans. Imò neque sufficere intra Sacramentum, seu junctum *reali* susceptioni cujuscunque Sacramenti, fert communis, vera, & teste Tannero *Quæst. 6. num. 86.* certa sententia Theologorum adversùs præcipuos Thomistas Cajetan. Victoriam, Canum, & Ledesmam; etenim Tridentia Synodus *cit. Sess. 14. cap. 4.* disertè ait, attritionem, quæ juncta Sacramento pœnitentiæ *impetrat Dei gratiam*, esse *donum Dei*, *& impulsum Spiritus S. moventis*; quæ sanè verba significant principium supernaturale, & consequenter indicant, ipsum opus, seu actum attritionis debere esse etiam supernaturalem ratione motivi; cur enim exigerétur principium supernaturale? Ita- 46
gitur rectissimè inferes, attritionem *necessariam* ad obtinendam remissionem peccatorum, debere esse supernaturalem ratione & principii *effectivi*, & objecti, seu motivi *formalis*, quale quidem motivum non est, dolere præcipuè idcirco, quòd propter admissum crimen oporteat fieri longam literam in patibulo; sicut & inferes, non quamlibet displicentiam huc sufficere, ut tamen voluit Cajetanus relatus *num. 11.*

47 II Si tamen ejusmodi seu fur, seu latro excitaret dolorem de suis furtis, seu latrociniis, id est grassationibus, ob infamem quidem mortem decretam à Latrunculatore, seu judice rerum capitalium, at decretam à Deo, tanquam supremo Vindice omnium scelerum, nequaquam dubitandum foret, quin foret vera, & supernaturalis attritio, & consequenter juxta ea, quæ concludemus *num. seqq.* proportionata obtinendo effectui Sacramenti Pœnitentiæ, cui jungitur. Siquidem optimè docet Caspar. Hurtado *De pœnit. disp. 6. difficult. 5.* post Coninck *Disp. 4. num. 39.* Ochagaviam, quos refert, generatim dolorem peccatorum ob malum *temporale* cum respectu ad Deum, à quo immissum, aut immittendum est in pœnam, id est, dolorem de peccato, quia Deus ob illud immisit, aut immittet dictum malum, sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ, non verò ob malum *temporale*, ut aliunde eveniens, aut eventurum absque respectu ad Deum. Et ratio est, quia dolor excitatus ex motivo ita respiciente Deum, sine dubio abstrerret, avertítque animum à peccato, ut fusiùs declarat Hurtadus.

III. Quando attritio ex motivo supernatu- 48
rali elicita conjungitur cum Sacramento pœnitentiæ, suscepto, non *in voto*, sed *reipsa*, tunc infallibiliter, si nil aliud è requisitis desit, exerit suas vires istud Sacramentum, efficítque è mancipiis Cacodæmonis Filios Dei altissimi. Less. *in Addit.* ad S. Thom. *Q. 1. d 5.* asserens, hanc resolutionem esse certam, sicut & post illum Gregor. de Rhodes *Hìc d. 2. q. 3. sect. 2.* non posse negari hoc tempore sine temeritate, Tanner. *Quæst. 6. num. 75.* appellans quasi certam; Palaus *Tract. 23. p. 7. num. 1.* Lugo *D. 5. num. 137.* vocans certam, & contrariam improbabilem, sicut & Dicastillo *D. 6. dub. 10. num. 146.* Nicolaus verò Ysambertus apud Rhodes *loc. cit.* eandem contrariam nominans temerariam, & erroneam; erroneam quoque P. Honoratus Fabri in Venusto Dialogo de *Opinione probabili fol. 7.* tametsi complures insignes DD. præsertim ante Concil Trident. 49
habuerint eam pro vera. Ratio nostræ conclusionis est, quia Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 4.* tam clarè hoc tradidit, ut cæcum esse oporteat, qui non vidit, inquit Rhodes *cit. sect. 2. §. 1.* etenim idem Concilium sic loquitur: *Contritio imperfecta, quæ attritio dicitur: Quoniam vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat &c.* & paulò post: *quamvis, sine Sacramento pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit.* Argumenta in contrarium solvit Rhodes; quare dubitandum non est, quin *valida* sit, quantum est ex parte doloris, Confessio facta cum hoc actu detestationis: *O maledicta peccata, quibus animam meam gratiâ divinâ privavi, & pœnis æternis addixi!* Sic loquitur Less. *in Auctario v. Confessio, Cas. I.*

IV. Præcedens responsio est vera etiam ca- 50
su, quo quis cognovit, se esse duntaxat attritum. Ita omnes citati post S. Thomam *q. 80. art. 4.* contra Sotum, Victoriam, alios apud Palaum *loc. cit. num. 7.* Ratio est, quia Concil. Trident. non distinguit inter *cognitam*, & *non cognitam* attritionem. Vide Reverendissimum Dominum Abbatem Rasserum in præclaro *Tr. De pœnit. cap. 4. §. 9.* perbene confirmantem hanc doctrinam.

Eadem doctrina est ita vera, ut nequa- 51
quam peccet etiam is, qui illam sequitur *pra-*

Ecclicè in articulo mortis. Lugo *Disp. 17. sect. 13.* Dicastillo *cit. dub. 10.* Rhodes. *loc. cit.* post multos, quos citant adversùs non paucos, ut Sotum, Suarium, Sanchez, &c. Adferunt illi tres priores DD. hanc rationem, quia scilicet quisque etiam in articulo mortis satisfacit Deo, & suæ conscientiæ, si desertâ sententia improbabili, sequatur *moraliter* certam; nec enim Deus nos obligat ad certitudinem *metaphysicam*, sed est contentus *morali*, quandoquidem hæc tollit omne *morale*, prudénsque periculum. Atqui eliciens etiam in articulo mortis solam attritionem cum perceptione Sacramenti, habet *moralem* certitudinem, quòd non peccet, quia est *moraliter* certum, sufficere at-
52 tritionem etiam *cognitam*. Et ego quidem censeo, hanc resolutionem esse, spectatis *intrinsecis* principiis, id est, definitione Ecclesiæ superiùs producta *moraliter* certam, nihilque *intrinsecæ* probabilitatis inesse opinioni contrariæ; verè enim est incertius, me proximâ nocte non morituum, quàm attritionem etiam *cognitam* non sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ ad impetrandum veniam, & tamen etsi patrarem (quod avertat clementissimus Deus), hodie aliquod crimen lethale, negarent ipsi Sotus, Suarez, Sanchez, me sub novo peccato mortali obligari ad Confessionem faciendam, aut contritionem eliciendam, priusquam cu-
53 bitum concederem. Nihilominus tamen, quia tanti viri etiam post Concil. Trident. scribunt, legem Charitatis propriæ exigere, ut in tali articulo mortis *moraliter* certæ sequatur quis etiam in hac speciali materia tutiora; ideo non ausim sententiam Lugonis *absolutè* vocare *moraliter* certam, demptâ contrariæ omni etiam *extrinsecâ* probabilitate. Igitur agerem reum damnandæ temeritatis, qui tunc cognoscens, se esse duntaxat attritum, non eniteretur scriò ad *perfectam* contritionem, habens conscientiam gravatam crimine lethali. *Minima dubitatio de aterna salute præferenda est cuivis certitudini de lucro temporali*, inquiebat R. P. Vincentius Caraffa Generalis noster.

54 VI. Sicut qualiscunque tandem attritio non sufficit extra omne Sacramentum ad obtinendam *primam* gratiam, seu remissionem peccati mortalis, ut tenent omnes DD. propter auctoritatem Concil. Trident. suprà descriptam, ita è diverso *perfecta* contritio sufficit extra omne Sacramentum ad eundem effectum. Rursum omnes: nam idem Concilium *Cit. cap. 4.* sic loquitur: *Contritionem aliquando charitate perfectam esse contingit, hominémque Deo reconciliare, prinsquam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur.* Et quidem omnem *perfectam essentialiter*, etsi remissam contritionem sufficere semper ad hunc effectum, sentiunt omnes prorsus Theologi, teste de Lugo *Disp. 5. sect. 8. num. 119.* ac præmittente *num. 115.* ab aliis, aliisque Theologis censeri temerariam, scandalosam, periculosam, erroneam sententiam Francisci Silvii Professoris Duacenſis, Viri cæteroquin perdocti, qui in Supplem. S. Thomæ *Quæst. 5. art. 1.* tradit etiam *perfectam* contritionem, tametsi junctam perfectæ dilectioni Dei, nec frequenter, nec ordinariè habere conjunctam remissionem peccati mortalis, antequam recipiatur Sacramentum, imò ne quidem vehementissimam, & conjunctam magnæ dilectioni Dei habere semper hunc effectum, sed eo potiri illos solos contritos, quibus Deus voluerit impertiri. Hujus Theologi fundamenta subruit idem Lugo; qui tamen Silvius, ut mihi scribit vir literatissimus, & postea negavit, se usum fuisse iis terminis, & in aliis editionibus ita se explicuit, ut quoad hoc reipsa non dissentiat à communi.

Quæritur III. *Quidnam sit perfecta contri-* 55
tio, & quomodo differat ab imperfecta, seu ab attritione?

Resp. Licèt nonnulli Theologi contritionem ab attritione distinguant ratione vel intensionis, ut Sotus, vel solius acceptationis divinæ, ut Cajetanus, vel formationis, quia scilicet contritio informatur gratiâ justificante, ut videre est apud Suarez *Disp. 5. sect. 1.* referentem, refutantémque omnes has opiniones, dicendum est, contritionem ab attritione differre in hoc, quòd contrito peccatum detestetur summo, & perfectissimo (*essentialiter*) modo, quo est detestabile, attritio verò detestetur illud alio modo *essentialiter* imperfectiore. Suar. *loc. cit.* atque unanimiter Recentiores. Etenim contritio debet procedere ex amore Dei. Suarez 56
Disp. 4. sect. 2. dicens, hoc esse certum; siquidem Joann. *Cap. 3.* dicitur: *Qui non diligit, manet in morte*, & Deuteron. 4. *Cùm quæseris Dominum Deumtuum, invenies eum, si tamen ex toto corde quæseris eum, & ex tota perturbatione animæ tuæ*, non autem quæritur ex toto corde Deus sine dilectione ex toto corde, seu sine tali actu, quo illum præferamus rebus omnibus Lessius *in Addit. ad 3. part.* S. Thomæ *q. 3. dub. 3.* Si autem contritio procedat ex amore Dei, procedit ex motivo omnium perfectissimo *essentialiter*; nihil quippe præstantius dici potest, quàm si peccator sincerè dicat: *Mi Deus! execror extremam nequitiam meam, & ideo unicè, aut præcipuè execror, quòd te Deum summè dilectum, summè bonum, amabilémque offenderim.* Et quia contritio *perfecta* (hanc 57
semper intelligam in decursu, quando utar absolutè nomine *contritionis*) procedit ex amore Dei, eam ob rem tradunt communiter Theologi, eam esse actum à Charitatis habitu (quando justus conteritur) elicitum. Suarez *sect. 2.* Tannerus *q. 6. nu. 9.* & alii communiter, interim rectè negantes, contritionem esse *formaliter* amorem Dei, cùm non sit actus

actus prosecutionis, sed fugæ potiùs. Quia tamen omnis *perfectè* contritus est dispositus ad diligendum *formaliter* Deum super omnia, tum quia contritio includit *implicitè* propositum diligendi *formaliter* Deum super omnia, tunc quando urgebit præceptum dilectionis *formalis*, tum vel maximè, quia, qui *perfectè* conteritur, peccatum execratur idcirco, quòd sit aliquod malum Dei *extrinsecum*, seu malum displicens Deo; aversari autem peccatum idcirco, quòd aversatio placeat Deo, est habere complacentiam in bono divino est actus charitatis divinæ, ideo rectissimè asseritur, contritionem esse *virtualiter* dilectionem Dei; ut proinde non sit ad obtinendam veniam peccati necessarium, præcedere, vel subsequi actum expressum charitatis, ut rectè post Vasquez, Tannerum, Coninck, & alios docet Cardinalis de Lugo *Disp. 5. n. 97.*

58 Sequitur hinc 1. Contritionem *perfectam* rectè communiter, ut testatur Dicastillo *Tract. 8. disp. 2. dub. 4.* ita definiri: *Contritio est detestatio, aut dolor de peccato propter Deum ex charitate dilectum.*

59 Sequitur 2. Esse probabilissimum, inter novem motiva doloris, quæ retuli *n. 23. & 24.* solum postremum sufficere ad contritionem, & proinde non posse per alia acquiri extra sacramentum gratiam sanctificantem, utpote ex quibus probabilissimè enascatur sola attritio, ut tradunt communiter Theologi cum Vasquez *Quæst. 85. art. 2.* Suario *Disp. 4. Sect. 2.* Tannero *cit. quæst. 6. dub. 4. num. 92.* Lugone *n. 10.* Et quidem id *per se* clarum est de quinque primis motivis, de *sexto*, quod est privatio beatitudinis inducta à peccato, inde probatur, quòd Tridentinum Concilium expressè attribuat nomen attritionis detestationi peccati provenienti ex metu gehennæ, qui metus utique continet etiam metum excidendi gloriâ cœlesti. De *septimo* quoque motivo, videlicet offensa, seu irritatione Dei sentiunt communiter Theologi, illud non sufficere ad contritionem, quæ de re agemus *Cas. seq.*

60 De *octavo* motivo, quod est gratitudinis, etiam tradunt passim omnes, illud non esse sufficiens ad reconciliationem cum Deo, adeóque nec ad *perfectam* contritionem; etenim qui eo solo motivo inducitur ad dolorem de peccato, non habet pro objecto bonum Dei, sed honestatem gratitudinis; & universim dici potest cum Lugone *n. 11.* quòd, qui prioribus octo motivis ducitur, non oderit, nec detestetur peccatum super omnia; vel enim plus odit pœnam damni, sensúsve, quàm peccatum, vel, licèt detestetur peccatum super omnia, quæ peccata non sunt, non tamen detestatur illud, in quantum est summè detestabile, est enim detestabilius, in quantum opponitur Deo, quàm in quantum contrariatur obedientiæ, religioni, justitiæ, &c.

Cæterùm licèt pro *quarto* motivo attritio- 62
nis, & doloris nominaverim pœnam temporalem; non tamen sequitur, sufficere ad veram attritionem quòd sit ex metu pœnæ, quam judex humanus infligere potest, nisi ea referatur ad Deum; attritio enim debet esse dolor de peccato cum aliquo respectu ad Deum, alioquin non foret conversio ad Deum; & tamen potest esse dolor cum respectu ad Deum in proposito casu, si videlicet consideretur prædicta pœna provenire à Deo, qui & eam, & atrocitatem infligere queat, ut cum aliis declarat Lugo *cit. Disp. 5. n. 140.* conformiter dictis *n. 47.*

Sequitur 3. Actum illum, quem proponit 63
noster Casus Bodmannicus, fuisse actum *perfectæ* contritionis, utpote cui convenit definitio contritionis allata *n. 58.* erat quippe detestatio peccati, quatenus displicet summo bono; seu contrarium est Deo tanquam summè amando, & ita amando, ut animus illâ detestatione imbutus, paratus sit subire summa mala propter Deum.

CONDITIONES CONTRITIONIS.

CASUS IV.

Regius.

SUMMARIUM.

David Rex proponitur ut paradigma perfectè *contriti. 63.*
Explicantur conditiones perfectæ, & imperfectæ *contritionis 66. & seqq.*
Examinatur ille actus: Non dolerem, si non esset infernus. 67.
Item ille: Non agerem pœnitentiam, nisi sperarem gloriam cœlestem. 68.
Quomodo contritio generatim debeat esse de omnibus mortalibus. 69.
Potest quis dolere de uno mortali, non dolens interim de altero formaliter. 72.
Paradigma dolentis de omnibus mortalibus. 73.
An eliciendus necessariò de singulis mortalibus peculiaris dolor? 74. & 75.
Casus confessarii reprehendentis pœnitentem, quòd carens copiâ confessarii fecerit Sacrum, elicito quidem actu contritionis, de mortalibus generatim, at non revocando priùs singula in memoriam. 77.
Referuntur Theologi damnantes illum pœnitentem. 78.
Rectiùs excusant alii. 79. & 80.
An, qui mortale commisit, teneatur expressè confiteri Deo, se peccâsse mortaliter? 82.
Quid si ex superbia nolit ita confiteri Deo? 83.
Proponitur verus actus contritionis. 85.

Describitur amor amicitiæ, *& amor* concupiscentiæ. 87.
Quid sit verè amare aliquem? 88.
Verus amor importat unionem affectivam. 89.
Amor amicitiæ *dividitur in amorem* obedientialem, *&* simplicis complacentiæ. 90.
Bonitas Dei sub quo respectu sit motivum perfectæ *contritionis, seu amoris. 91.*
Exhibetur formalis *actus amoris* obedientialis. 92.
Item actus simplicis complacentiæ. 93.
Hic actus, si sit solùm vulgaris, non sufficit extra Sacramentum ad remissionem mortalis. Ibid.
Sufficit, si sit excellens. 94.
Profertur paradigma hujus excellentiæ. Ibid.
Dilectio Dei super omnia in quo consistat. 95.
Paradigma amoris conflati ex obedientiali, *&* simplicis complacentiæ. 96.
Rursum exhibentur formales *actus contritionis* perfectæ. 97.
Formalis *amor probabiliùs non est necessarius, etiam extra Sacramentum ad remissionem mortalis. 98.*
Quid censendum de illa dolendi formula: Maledicta peccata, quibus Deum offendi? 99.
Est probabile, in ea contineri perfectam *contritionem. 100.*
Et proinde etiam probabile est, motivum offensæ sufficere ad contritionem perfectam. *100. & 101.*
In tota Sacra Scriptura non reperitur ullus actus dolentis de peccato perfectior, quàm sit iste: Summè doleo, quòd Deum meum tam graviter offenderim. 102.
Offenditur, Davidem Regem dicendo: Peccavi, *revera obtinuisse veniam adulterii, & homicidii. 103.*
Etiam verba filii Prodigi indicant perfectam *contritionem. 104.*
Explicatur affectus communis Christianorum sincerè dicentium. Doleo ex corde, quòd Deum, & Dominum meum tam graviter offenderim. 104. & 105.
Confessarii adstantes moribundis non debent cum horum molestia ipsos incitare ad expressiorem actum amoris, quam sit paulò antè propositus. 106.
Rursum adfertur actus indubitanter perfectæ *contritionis, quando fuit elicitus actus amoris perfecti. 108.*
Sitne facile, an difficile, elicere actum perfectæ *contritionis? 109. & 110.*
Quid censendum de dicente: Doleo ex animo, quòd non doleam, sicut deberem? 111.

63 *DAvidem Regem Israëlis, post patratum adulterium, necémque Uriæ, adiit jussu divino Nathan propheta, támque vivis coloribus státuit ante oculos ejus turpitudinem, gravitatémque horum criminum patratorum cum Dei contemptu, & in conspectu ejusdem, ut ipse quasi è quodam veterno excitatus mox dixerit*: Peccavi Domino; *Nathan autem confestim subjecerit*: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non moriceris. *2. Reg. Cap. 12.*

64 P. Theophilus Raynaudus incomparabilis Vir eruditionis *in Metamorphosi boni latronis Cap. 4.* recenset è Scripturis tum divinis, tum Ecclesiasticis plurima exempla illorum, qui è maximis peccatoribus planè subitò evaserunt in eximiè sanctos. Poterat iis accensere Davidem Regem, qui ad unius Prophetæ concionem brevem sanè, quatenus ipsum *directè*, & *expressè* petebat, ex adultero, homicida, concitatore ad ebrietatem, atque sepulto in hisce criminibus, evasit in tam eximiè sanctum, ut & momento temporis fuerit receptus in intimam Dei amicitiam, & postmodum exercuerit illos virtutum heroicarum actus, quos exhibuit in perferenda pœna, qua ejus peccata mulctavit Deus, usus extremâ prorsus nequitiâ ejus filii, servorúmque, ut instrumento suæ divinæ vindictæ.

65 Cùm autem illa in amicitiam Dei receptio fuerit pœnitentiæ, & contritionis fructus, *maturitas enim veniæ profundam regis fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit*, ut loquitur eleganter S. Ambrosius *in Apol. Davidis Cap. 2.* Congruit Casus Regius, seu potiùs hæc Casûs Regii erectio ad declarandas & conditiones, & actus contritionis.

66 Quæritur ergo I. *Quibus conditionibus prædita esse debeat contritio, seu* perfecta, *seu* imperfecta, *ut sequatur eam remissio peccatorum.*

Resp. I. Debet esse actus honestus, & omnis culpæ expers, alioquin non obtinebit remissionem. Suarez *Disp. 5. De Pœnit. Sect. 1. n. 2.* Tannerus *Disp. 5. q. 6. n. 74.* & alii; nec enim dispositio *per se* ordinata ad condonationem peccati impetrandam, debet esse infecta ullâ culpâ veniali. Alia est ratio voluntatis suscipiendi Sacramentum: Voluntas enim non est tunc propriè dispositio, sed tantùm conditio, unde non obstat, etsi sit venialiter mala. Tannerus *loc. cit. n. 81.* Lugo *Disp. 15. Sect. 9.* adeóque imperata ab actu venialiter malo. Lugo *ibid.*

67 Porrò actus, quo dicis: *Si non esset infernus, ego non dolerem*, potest esse *intrinsecè* bonus, adeóque proportionatus (si cætera adsint) exorandæ veniæ; potest esse & malus, & consequenter improportionatus. Si enim eorum verborum sit hic sensus: *Sum ita dispositus, ut nunc seriò vellem non dolere de meis peccatis, sed potiùs in eis mihi complacere, si non foret infernus*, talis actus est dignus novo inferno; manifestè enim sic loquens ostendis, offensam Dei, seu reconciliationem cum illo, à te postponi liber-a

liberationi ab incursu æternorum suppliciorum; si verò illa tua verba possis cum veritate exponere sic: *Ego quidem actu execror mea peccata, per quæ infernum merui, sum tamen adeò crudi, & infruniti ingenii, ut credam, me non adductum iri ad hanc execrationem, debitámque veniæ petitionem, nisi ad hunc actum me excitaret timor sempiternæ damnationis, valdéque doleo, me esse ita lapideum, ut nequeam perdomari alio motivo, quàm hoc planè servili*, si, inquam, illius superioris locutionis sensus sithic alter, tunc actus ille dicendus erit bonus, honestus, sanctus, sufficiénsque, ut unà cum susceptione Sacramenti pœnitentiæ veniam obtineat. Concil. Trident. *Sess. 14. cap. 4.* esto natus ex timore *servili*, ita vocato, quòd servi, id est mancipia plerumque sua munia obeant ex timore potiùs, quàm ex amore in suum dominum.

68 Similiter qui dolet de suis peccatis ideo, quòd per ea exciderit jure ad gloriam cœlestem, si ita sit actu dispositus, ut secundùm rei veritatem dicere debeat: *nollem agere pœnitentiam, si non sperarem æternam gloriam*, delinquit graviter, utpote declarans, spem æternæ beatitudinis pluris à se *positivè* fieri, quàm amicitiam divinam, seu offensæ divinæ deletionem, quámque Deum ipsum. Si verò possit sincerè dicere: *Ego sum habitualiter mei, meorúmque commodorum ita amans, & Deum meum, etsi summo amore dignissimum, ita adhuc tenuiter amo, curóque, ut judicem, me de meis peccatis, quæ revera execror, non esse doliturum, si non sperarem ab illo beatitudinem, & mihi ipsi revera displiceo, quòd non ducar actualiter nobiliore motivo*; si, inquam, valeas tua illa verba sincerè ita explicare, ostendes, actum tuum esse honestum *absolutè*, Deóque placentem, ac dignum nomine attritionis *propriè* dictæ; dignum quoque, qui *imperfectus* vocetur solùm *negativè*, non autem *positivè*. Et quamvis, quantum est ex vi illius præcisè actûs, plus amas Cœlum, quàm Deum, id tamen non est *positivè* vitiosum, modò non sis ita affectus, ut in aliquo casu velis potiùs Deum relinquere, quàm Cœlum. Coninck *Disp. 5. dub. 5.*

69 II. Contritio debet esse de omnibus omnino peccatis mortalibus, quibus conscientia est inquinata. Cùm enim ex una parte nequeat unum peccatum mortale dimitti sine altero. S. Thomas *Quæst. 86. art. 3.* dimissio enim non fit nisi cum infusione gratiæ sanctificantis, quæ nequit intrare in hospitium ullâ maculâ lethiferâ contaminatum; ex altera autem parte nequeat ullum peccatum dimitti sine pœnitentia, ut videbimus *Cas. V.* fit, ut dolor efficax, &
70 proficuus debeat esse de omnibus omnino criminibus animam sordidantibus. Potest autem ille dolor esse dupliciter de omnibus; *primò*, quando de uno quidem solo reipsa cogitas, at de illo sincerè doles inductus motivo communi omnibus mortalibus patratis à te; ut quando reus diversorum peccatorum contra septem prima præcepta Decalogi admissorum detestaris furtum idcirco, quòd vel per illud sis meritus infernum, vel offenderis Deum, vel ita ingratum te exhibueris erga ipsum; cùm enim illa ingratitudo, offensa, reatus inferni reperiatur in peccatis fornicationis, mutilationis, blasphemiæ in Deum, hoc ipso, quòd ob eam rationem doleas de Deo per furta offenso, doles quoque de cæteris *implicitè*. Suarez *De Pœnit. Disp. 7. Sect. 8.* ex communi, ut testatur Lugo *Disp. 5. n. 73.* rectè exprimens, esse impossibile, ut quis seriò, ac sincerè detestetur aliquod certum peccatum ob malitiam illi insitam, quin etiam alia polluta eadem malitiâ habeat odio, sicut est impossibile, ut ob authoritatem solam Evangelii credam, Christum esse filium Dei, & non simul *implicitè* credam, esse crucifixum, quandoquidem Evangelia æquè asserunt ejus crucifixionem, atque filiationem divinam. Unde consequenter est dicendum contra Nu- 71
gnum *in Suppl.* S. Thom. *Quæst. 2. art. 6. diffic. 2.* posse fieri, ut quis actu cogitans de duobus homicidiis à se commissis doleat *formaliter* de uno solo, non autem *formaliter* de altero, sed ad alterum habeat se, *formaliter* loquendo, solùm *negativè*, & tamen utriusque obtineat veniam.

Alia ratio est, si in casu, quem posuimus, di- 72
cas: *Domine Deus animitus doleo, quòd meis tam execrandis blasphemiis egerim contra humillimam reverentiam tibi debitam; atque meis lasciviis fecerim me similem equo, & mulo*; hæc enim motiva non extenduntur, nisi ad transgressionem *secundi*, & *sexti* præcepti.

Alius modus, quo elicitur dolor de peccatis 73
omnibus mortalibus est, quando quis expressè dicit: *Domine Deus detestor omnia peccata mea, quomodocunque te iis offenderim; Vel: summopere doleo, quòd quacumque tandem ratione, loco & tempore, ita malè me gesserim, ut pœnas æternas incurrere non erubuerim: non me puduerit, oculos tuæ divinæ Majestatis offendere, &c.* Hæc enim tam generalis, simul & expressa ratio dolendi, se se absque omni dubio extendit ad omnia omnino peccata mortalia, tam non venientia, quàm venientia in mentem; ut proinde rectissimè dicaris doluisse de peccatis à te admissis adversùs *quintũ, septimũ, decimũ* precepta decalogi, si illa verba protulisti, tametsi, quãdo proferebas, nõ cogitãris expressè de illis.

Hinc audiendi non sunt Angelus, Silvester, 74
alii apud Navarr. *in Manual. Cap. 1. num. 25.* quatenus negant, posse omnium peccatorum veniam obtineri, nisi de omnibus, & singulis eliciatur peculiaris dolor; id quippe onus imponunt miseris peccatoribus absque vero fundamento. Vide Dicastillum *Disp. 2. dub. 8.* Reginaldum, Lugonem, Tannerum *n. 27.* & alios. Equidem fuerunt planè subitò justificati illi, de quibus agit noster Casus *secundus*, seu *Judaicus*; item Magdalena, Zachæus, Bonus

nus

nus latro, Saulus, SS. Ardelio, Geneſius, uterque Gelaſius, Babylas; hiſtriones omnes, atque alii plures, quos Raymaudus commemorat *loc. cit.* nec ante ſuam perfectam converſionem ad Deum revocaverunt in mentem ſingula ſua peccata mortalia, conſequenter non potuerunt de ſingulis ſingulos doloris actus exercere; ſicuti etiam de facto rectè abſolvuntur à Confeſſariis illi etiam grandiſſimi peccatores, qui derepente obruti periculo inſtantis mortis nullum prorſus tempus habent cogitandi de ſingulis peccatis, nedum dolendi de ſingulis ſeorſim; & denique poteſt per *formalem* Dei dilectionem ſine ulla *formali* contritione obtineri remiſſio peccatorum, ut ex communi dicemus inferiùs. Igitur non eſt admittenda illa 75
tam rigida doctrina, ſingulariter, quando quis ante Confeſſionem excuſſit conſcientiam; hîc enim nullo modo eſt opus, ut poſt quodlibet peccatum dicas: *doleo: miſerere mei Deus: eſto mihi propitius peccatori, &c.* Sed ſufficit planè, ſi dicas: *De omnibus peccatis in hac charta ſcriptis, aliiſque forſan oblitis doleo, mi Deus, ex animo, deteſtans meam nequitiam, quòd toties, & quidem tam nefariè, tam graviter, & turpiter te Deum meum ſummo amore dignum, offende-* 76
rim. Quare rectiſſimè ſcripſit S. Thom. *De veritate Quæſt. 28. art. 5. ad 4.* hæc verba: *Omnia peccata conveniunt in averſione à Deo. Unde ad juſtificationem non requiritur, quòd in ipſo juſtificationis momento peccata ſingula cogitentur, ſed ſufficit, quòd peccator cogitet, ſe per culpam ſuam eſſe averſum à Deo; recogitatio autem ſingularis debet præcedere, vel ſaltèm ſubſequi juſtificationem.* Ita S. Thom. ideo dicens debere ſaltèm ſubſequi; quia utique ſunt omnia recogitanda pro confeſſione. Ex qua doctrina reſolve hunc

Caſum Sacerdotalem.

77 *Diethmarus Parochus aſſuetus conficere, adminiſtrarèque Sacramenta in ſtatu magnorum, permultorum peccatorum mortalium, tandem quodam Feſto Virginis Deiparæ ita potenter impellitur divinitus, ut ſaltem illo die ſe ritè diſponat ad celebranda Miſſæ ſolemnia. At, quoniam omnino deerat copia Confeſſarii, cogitans generatim, agnoſcénſque coram Deo, ſe reum plurimorum ſcelerum dixit ex animo: Mi Deus execror animitus vitam meam flagitioſam, dolens ſummopere, quòd te Deum meum infinito prorſus amore, ob tuas infinitas perfectiones, dignum toties, tam turpiter offenderim, poſtò humillimè veniam à te, proteſtans, me certò certiùs proximè confeſſurum, & potiùs mortem oppetiturum, quàm ut te optimum Deum meum ullo unquam mortali crimine laceſſam. Stetit promiſſis, acceſſit confeſſarium, narravit poſtremum factum, ratus, ſe feciſſe nuper omnia, quæ oportebat. Confeſſarius verò aliâ imbutus opinione ipſi dixit: Te quidem excuſat bona fides, at, per ſe loquendo, graviter deliquiſti, idcirco quòd illo ipſo feſto Deiparæ non inſtitueris examen conſcientiæ tale, quale inſtituiſſes, ſi habuiſſes copiam Confeſſarii; licèt enim non fuerit neceſſe elicere ſingulos dolores de ſingulis peccatis, oportebat tamen ſingula revocare in mentem, confitendo illa ipſi Deo, & de omnibus generatim dolendo. Quæritur, cuinam Magiſtro in Theologia dediſſe operam videatur ille Confeſſarius?*

Reſp. Didaco Nugno, Patri Tannero, aut 78
alteri aſſeclæ. Etenim Nugnus *in addit. ad 3. Part.* S. Thomæ *Quæſt. 26.* fuſè contra Suarez, breviter verò Tannerus *cit. Quæſt. 6. num. 28.* cum multis, quos refert ipſe Nugnus, cenſet, quoties lex naturalis, aut divina quempiam obligat ad eliciendum actum contritionis *perfectæ*, toties hunc teneri hoc ipſo cogitare, an, qualia, quot peccata mortalia patrârit, quorum veniam non ſit à Deo conſecutus per Confeſſionem, aut contritionem; eò quòd apud homines ſit in uſu, ut, qui aliquem graviter offendit, agnoſcat ſuam culpam, ſeu ſe malè feciſſe.

Et ego quidem judico, hanc doctrinam eſſe 79
probabilem ob authoritatem; ſed contrariam, quam (præter S. Thomam paulò ſuperiùs relatum, & alios multos, quos citat ipſemet Tannerus,) tenent Diana *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 118.* Suarez *Tom. 4. in 3. Part. diſp. 4. Sect. 6.* Lugo *cit. Diſp. 5. n. 9.* Dicaſtillo *n. 274.* Hurtadus *Diſp. 2. diſſic. 4.* atque alii apud hos, eſt unicè vera. Certè Vaſquez *Tom. 4. in 3. Part. quæſt. 86. art. 2. dub. 7. n. 6.* pronuntiat, illam Tanneri, aliorúmque ſententiam carere omni prorſus fundamento, eſſéque falſam. Ratio eſt, 80
tum quia exempla, & textus S. Scripturæ, quæ congerit Tannerus, ſolùm docent, quid fecerint aliqui peccatores, non autem probant, eſſe neceſſariò imitandos; tum quia mos ille hominum inter ſe, quo maximè ſuam ſententiam probat P. Tannerus, militat contra ipſum; nec enim niſi fortè rigidiſſimus, aſperrimus Dynaſta, vel Princeps, quem ſæpe variis modis graviſſimè læſiſti, tibíque eum reconciliare ſtudes, petit, ut recenſeas ipſi modos, & rationes particulares, quibus eum offendiſti, ſed eſt contentus, ſi generatim dicas, te revera ſæpe egiſſe in illum valde indignè. Et quis maritus, à quo profugit injuſtiſſimè uxor, interímque perpetravit multa valde injurioſa fortunis, honori, & famæ innocentis conjugis, unquam poſtulavit à tali, ut priuſquam in domum, & torum maritalem reciperetur, enumèraret ſigillatim injurias, quas intulit marito?

Et

Et quo argumento, niſi per petitionem principii probabitur, Davidem, cùm diceret: *Peccavi*: elicuiſſe peculiarem dolorem, quòd & fuerit uſus operâ famulorum ad vocandam Berſabee, & hanc induxerit ad adulterium, & bis mandârit famulis, ut inebriarent Uriam, & Joabo mandârit, ut exponeret evidenti mortis periculo Uriam, voluerit alienam prolem ſupponere Uriæ &c. Rurſum Philippus baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ, ut primùm credidit in Chriſtum, petiítque baptiſmum. Sanè non eſt credibile, quòd revocaverit priùs in memoriam omnia peccata, quæ patrârat totâ vitâ, ipſe homo aulicus, & Theſaurarius, multò minùs quòd de ſingulis elicuerit dolorem, cum ſine dubio ignorârit obligationem tantæ reflexionis. Idem judico de Zachæo, idem de Magdalena, quos doluiſſe ſigillatim de ſingulis impuritatibus, injuſtitiis &c. nemo, puto, aſſeruerit, ſicut nec illa totmillia, de quibus ſuprà *n. 16. & 19.*

81 Igitur ad obtinendam veniam à Deo, extra Sacramentum pœnitentiæ, non eſt, *per ſe loquendo*, neceſſe, revocare in mentem ſigillatim peccata nondum remiſſa; ſufficit, ſi dicamus cum Davide: *Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ ſuper capillos capitis mei. Per accidens* tamen eſt quandoque neceſſaria aliqua ſpecialis reminiſcentia, ut quando inveteratus malorum nequit ſe excitare ad neceſſarium pudorem, & dolorem, niſi ſtatuendo ante ſuos oculos multitudinem, & gravitatem, vel omnium, vel multorum peccatorum. Item quando rationabiliter quis dubitat, an non petrârit quædam, quæ faciant reum reſtitutionis &c. tunc enim debet habere propoſitum excutiendi, ſaltem poſt contritionem, ſuæ conſcientiæ latebras, ad veritatem perveſtigandam. Vide Suarez *Diſp. 4. Sect. 6. aſſert. 1. & 2.*

82 Dices: *Nónne, qui aliquod peccatum mortale commiſit, tenetur expreſſè Deo confiteri, ſe peccâſſe mortaliter? Se eſſe meritum infernum, aut ſaltem, ſe valdè graviter deliquiſſe?*

Reſp. Sufficit, ſi dicat cum Davide: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*: vel cum filio prodigo: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* Atque ita ſentit Suarez, ut patet ex ejus diſcurſu toto, & ex argumentis, quibus eum refutat Tannerus. Vide Hurtadum *loc. cit.*

83 Sed ex *ſuperbia non vult fateri, ſe peccâſſe mortaliter, putans ſufficere, ſi fateatur, ſe graviter deliquiſſe; cogitans etiam, veniale peccatum deliberatè patratum meritò vocari grave delictum?*

Reſp. Sicut nemo tenetur *per ſe loquendo* dicere Confeſſario, ſe mortaliter hîc, aut ibi deliquiſſe, ſed ſufficit, modò ſincerè ita narret ſuum factum, ut Confeſſarius poſſit formare judicium prudens de ejus ſtatu, ita non eſt neceſſarium aliud dicere, quàm: *Domine tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita*; agnoſco, me hoc aut illud feciſſe, quid, & quantum ſim meritus, tu nôſti. Utinam! ò utinam potiùs fuiſſem mortuus, quàm te offendiſſem tam nocenter:

At nónne illa ſuperbia eſt novo Tartaro di- 84
gna?

Reſp. Eſt, ſi ei jungatur hæreſis, qua nolit credere, eſſe à ſe peccatum mortaliter in iis circumſtantiis, in quibus peccavit, interim non ignorans, actionem in iis ipſis circumſtantiis obitam haberi ab Eccleſia pro mortaliter mala; idem dic, ſi illa ſuperbia habeat adjunctam veram vilipenſionem Numinis, quorum quidem neutrum reperire eſt in homine aliàs catholico, & ſolito horrere peccata manifeſtè mortalia; ſi verò illa ſuperbia, ex amore proprio orta non animadverſa, & verè *habitualiter* diſplicita, nil aliud cauſet, quàm cœcitatem quandam, ex qua fit, ut non agnoſcas, eſſe mortale, quod tamen eſt à parte rei mortale, fortè non aderit, ut ſic, univerſim defectus *ſubſtantialis* contritionis ſufficientis, dummodo vere illud peccatum ideo deteſteris, quia repugnat bonitati divinæ. Sanè non legi Theologum, ſaltem ex Recentioribus, qui neget, deteſtationem, & dolorem, de peccato veniali elicitum ex motivo vel præciſè offenſæ divinæ, vel offenſi Dei ſummi boni, ſufficientem intra vel extra Sacramentum ad deletionem culpæ venialis, ſufficere ſaltem cum Sacramento ad deletionem culpæ mortalis; ergo ſufficit, ſi dolorem aut præcedat, aut comitetur agnitio, ſeu confeſſio offenſæ Divinæ, abſtrahendo à mortalitate.

Hoc punctum præteritum ab aliis, ſubjici- 85
endum tamen judicio ſaniùs arbitrantium, exiſtimavi eſſe explicandum, ad pacandas nonnullorum ſcrupuloſorum, timidorúmve conſcientias. Patet autem ex hactenus diſputatis, Diethmarum ſacerdotem, de quo ſuprà, ſatisfeciſſe ſuæ obligationi, nec fuiſſe ab eo Confeſſario movendum ipſi quidquam ſcrupuli; alioquin eſſet movendus plurimis eorum, qui carentes, vel non carentes Confeſſario adminiſtrant varia ſacramenta dicentes ex toto corde duntaxat: *Benigniſſime Deus! execror, deteſtor animitus meam extremam nequitiam, qua ego te ſummum bonum meum, ſummèque amabilem, quacunque ratione, & quotieſcunque offendi ab ultima Confeſſione. Verè, mi Deus, ſubibo poſterum potiùs omnes ærumnas, quàm ut te Deum meum ampliùs mortaliter offendam.*

Tertia conditio contritionis eſt, ut ei ad- 86
jungatur propoſitum non peccandi inpoſterum; qua de re diſtinctè agam *Caſ. VIII.*

Quarta conditio eſt ſupernaturalitas, jam enim diximus *Caſ. III. n. 45.* nequaquam nobis probari contrariam opinionem Soti.

Quinta eſt, ut contritio extra Sacramen- 87
tum ſufficiens ad veniam culpæ mortalis, contineat vel *formaliter*, vel ſaltem *virtualiter* amorem Dei ſuper omnia. Ita omnes propter illam ſententiam Joannis 1. cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, ergo eſt certum, quòd con-

contritio *perfecta* debeat procedere saltem ex motivo dilectionis Dei super omnia. Diligimus autem Deum duplici amore super omnia; scilicet amore *Amicitiæ*, sive *Benevolentiæ*, quando illum amamus propter seipsum, seu propter suam solùm excellentiam, bonitatémve, & *Concupiscentiæ*, quando illum diligimus propter nos, seu quia nobis benefacit, aut benefacturus est, e. g. largiturus æternam gloriam. Hic amor *Concupiscentiæ* non sufficit ad *perfectam* contritionem; nec enim est amor Dei super omnia, quia illo amatur Deus, non quatenus in se, sed quatenus nobis bonus est, est autem in se longè melior, seu excellentior, amabiliórque, quàm respectu nostri, sufficit autem amor *amicitiæ*, si sit super omnia, id est si per illum faciamus tanti Deum, ut omnia *intrinseca extrinsecáque* bona ipsi optemus præ omnibus rebus optabilibus, simúlque parati procurare, quando, & ubi obligabimur sub pœna excidendi ejus amicitiâ.

88 Cùm enim amare aliquam rationalem substantiam, sit ei bene velle cum affectu unionis erga illam, amare aliquem super omnia, erit unitivo affectu omne bonum illi favere, optare, & procurare, quod quis vel potest, vel obligatur juxta leges amicitiæ. Dico autem inprimis: *procurare*; si namque ei, quem à te perfectissimè diligi asseris, non procures, nec conferas ea bona, quæ is à te summo tuo jure, rigidéque exigit, planè mentiris, dum illum à te effictim diligi jactitas. Quomodo enim illum amas, si adferas ingentem animo ejus molestiam, non optando seriò illum frui, & gaudere bonis omnibus, quæ & summo jure, & non minore affectu desiderat? Quomodo autem seriò optas, eum frui bonis, si ipsemet aut subtrahas nequiter, aut subtracta redhibere nolis? Unde Magnus ille Theologiæ Mysticæ Magister S. Ignatius de Loyola in aureo libello Exercitiorum spiritualium in meditatione, seu contemplatione *de amore divino* ex principiis Ethicæ Christianæ scripsit, amorem consistere *in mutua facultatum, rerum, & operum communicatione, puta scientiæ, honoris, & boni cujuscunque.*

89 Dixi deinde: *Affectu unitivo*; amor enim *importat unionem quandam secundùm affectum amantis ad amatum, quodammodo ut unum sibi, vel ad se pertinens, & sic movetur in ipsum, ut se ei uniat*, inquit S. Thomas *2. 2. quæst. 27. art. 3.* qua de re consule illum insignem Ascetæorum Magistrum, ac Theologum Patrem Zachariam Trinckellium *in Divinatorio fol. 341.*

90 Dividitur autem amor *Amicitiæ* erga Deum in amorem *simplicis Complacentiæ*, & *Obedientialem*; Amorem *simplicis complacentiæ* exerces, quando animitus gaudes, Deum esse talem, qualis est, tantum, quantus est &c. *Obedientialem* verò quando, tanto affectu illi conjungeris, ut paratus sis ipsi etiam cum periculo omnis mali perpetiendi obedire in omnibus, ubique, & semper, non ob mercedem, non ut ipsi placeas, sed ideo aut solùm, aut certè præcipuè, quòd ipse delectetur, voluptate afficiatur, & quodammodo ei melius sit, quando facimus, quæ præcepit facienda, adeóque propter ipsius infinitam bonitatem.

Ubi observa ex Suarez *de charitate Disp. 1.* 91
Sect. 2. n. 2. bonitatem Dei, ut est attributum distinctum ab aliis, & importans summam perfectionem in operando, seu significans principium sese communicandi, ut loquitur Trinckellius *loc. cit. fol. 340.* non esse *adæquatam* rationem *formalem* diligendi Deum, esse autem, quatenus sumitur pro plenitudine, & quasi cumulo innumerarum, infinitarum perfectionum; sic enim esse simplicissimam rationem, quæ specialem modum dilectionis requirat.

Ille porrò amor *Obedientialis*, quo de locu- 92
tus sum, est ille ipse, adquem nos divinæ scripturæ, primum præceptum Decalogi, SS. PP, toties, tam vehementer hortantur, utpote perfectissimum, nullíque deceptioni obnoxium; clarum enim est, includi saltem *virtualiter* in tali amore detestationem de peccatis mortalibus, propositúmque efficax nullum conscisendi; qui enim dicit: *O suavissime, amabilissime Deus! quia ita tibi placet, ego tibi toto affectu ita firmiter adhærere cupio, & decerno, ut nullâ unquam ratione me à te separari passurus sim*; *implicitè* quoque dicit: *Vtinam! o utinam nunquam permisissem me separari à te!* At amor 93
Complacentiæ, si sit solùm vulgaris, non ita includit abominationem peccati mortalis, propositúmve non peccandi; ille quippe amor exprimitur hisce verbis: *Gaudeo, Deum esse tam infinitè potentem, quàm est: Lætor, tam multos ad fidem Orthodoxam reverti: Vtinam totus mundus crederet in Dominum Jesum Christum!* At verò quot myriades hominum fert tellus, qui hisce, similibúsve verbis compellant, & seriò quidem, Deum, interim hærentes in luto peccatorum, déstituti omni proposito efficaci illinc eluctandi?

Aliud pronuntiandum est de amore *Com-* 94
placentiæ valde serio, singulari, & excellenti, qui videlicet indicatur sequenti modo loquendi. *O amabilissime, suavissime, infinitis perfectionibus cumulatissime Deus; medullitus lætor, atque exulto, quòd sis ita infinitè potens, infinitè sapiens, infinitè tremendus tuis hostibus, &c. gaudeo summopere, tibi ita serviri ab Angelis, & sanctis hominibus, sicuti servitur, & utinam ab omni creatura dignum tibi servitium præstetur!* De hujusmodi amore *Complacentiæ* pronuntio, convenire etiam ipsi illa privilegia, effectúsque dilectionis divinæ: *Ego diligentes me diligo.* Proverb. 10. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Joann. 5. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Ibid. *Cap. 1.* Etenim ejusmodi dilectio 95
est verè dilectio Dei super omnia, omnis autem dilectio Dei super omnia delet omnia peccata. Lugo, *Disp. 5. n. 25. & seq.* Hurtadus *Disp. 2. dif-*

difficult. 5. Tannerus *Tom. 4. disp. 6. quæst. 3. dub. 2.* Nam omnis talis amor debet esse absolutus quidam affectus, quo quis velit Deo velut amico bonum ex studio, & *complacentia* ipsius, & propter ipsum, quódque proinde absolutè quis velit Deo in omnibus, ne quid impedire possit amicitiam, placere, inquit Tannerus *Tom. 3. disp. 2. quæst. 3. dub. 3. n. 40.* Unde fit, ut posito tali actu amoris *Complacentiæ* perfectæ, homo non possit non detestari sua peccata, si eorum succurrat memoria. Vide Dicastillum *hic Disp. 2. dub. 12. n. 260.* loquentem in terminis de amore *Complacentiæ*, & omni vero amori *Complacentiæ* erga Deum tribuentem vim abluendi sordes mortalium criminum.

96 Cæterùm ille actus amoris est extra omnem controversiam sufficientissimus, qui constat ex amore *Complacentiæ*, simul & *Obedientiali* expresso, ut cùm dicis: *O amabilissime Deus, o bonitas, & perfectio infinita! ex intimo corde gaudeo, te esse tantum, quantus es, talem, qualis es &c. & quia tu summè delectaris nostro tui amore, ego tibi ita arctè semper & ubique unitus esse volo, ac decerno, ut neque vita, neque mors, neque instantia, neque præsentia &c. sint unquam me separaturæ à te, tuíque obsequiis; & utinam ego detestabilissimus homuncio nunquam te infinitum bonum meum ullâ ratione offendissem!* Hunc amorem *obedientialem* complectitur *virtualiter* contritio *perfecta*, cùm detestetur peccatum mortale ea de causa, quòd sit aliquod malum Dei *extrinsecum*, hoc ipso autem, quòd detesteris aliquod malum Dei, ut Dei, optas ipsi bonum oppositum, nam si doleam, te esse cœcum, utique ideo doleo, quia vellem, te esse præditum visu, & hoc pacto continetur amor tum *Complacentiæ*, ut jam dixi, tum *Obedientialis*; qui etenim dolet seriò, se admisisse culpam Deo displicitam, nequit cum illo dolore conjungere voluntatem patrandi quidpiam, quod ipsi extremè displiceat; idque patet ex phrasi, qua exprimitur contritio, sci-
97 licet ejusmodi: *O amabilissime Deus, utinam te summo amore, ob tuam infinitam perfectionem, dignissimum Deum nunquam graviter offendissem!* Vel sic: *Execror meam extremam nequitiam, mihique ipsi extremè indignor; O benignissime Domine! quòd ita crassus, & bestialis fuerim, ut meum pravum appetitum tuæ, qui infinitè perfectus es, voluntati, & quasi voluptati, & recreationi præponere non erubuerim.*

98 Plures modos *perfectæ* contritionis submínistrant tum alii, tum singulariter P. Thomas Tamburinus *in Methodo Confess. Lib. 1. cap. 1.* tum P. Matthæus Stoz *in Praxi Confessionis num. 741* tum P. Georgius Biegeisen *in Monte Myrrhæ fol. 206. & seqq.* in quorum nonnullis etsi amor Dei contineatur solùm *virtualiter*, sicut videre est in proximo paradigmate, non tamen dubitandum est de eorum sufficientia ad impetrandam veniam mortalium peccatorum; verè enim sententia Patris Coninck, & plurium aliorum contra Suar. Tannerum, Lugonem, alios communiter, requirentium *formalem* Dei amorem, caret sufficiente ratione; nam omnes textus Scripturæ, Conciliorum, exigentium dilectionem Dei, possunt intelligi de necessitate amoris *virtualis*; atqui amor Dei super omnia certò *virtualiter* continetur in omni actu *perfectæ* & *formalis* contritionis, ut liquet in exemplis adductis.

At quæritur, utrùm hæc formalia: *Male-* 99
dicta peccata mea, quibus Deum offendi! sufficiat ad remissionem mortalis? Ratio dubitandi est, quia exprimit solùm detestationem peccati, quatenus est offensa Dei, atque adeò sub motivo *septimo* inter ea, quæ retuli *n. 26.* hoc autem motivum non involvit ullum amorem Dei, cùm tamen nequeat esse *perfecta* contritio, & consequenter sufficiens detestatio ad obtinendam, extra Sacramentum, veniam noxæ lethalis, sine dilectione *virtuali*, vel *formali*, *explicita*, vel *implicita*, sicuti liquet ex allegato testimonio Sancti Joannis, sensúque SS. Patrum, atque Theologorum communi; propter quam causam P. Vásquez *Quæst. 85. art. 2.* pronuntiat, erroneam esse sententiam judicantium, dolorem elicitum ex illo *septimo* motivo esse ac- 100
tum *perfectæ* contritionis. Et ego quidem etiam judicò cum Cardinale de Lugo, non esse in re tanti momenti recedendum à communi persuasione Theologorum scribentium, tali actu non contineri *perfectam* contritionem, nego tamen cum eodem Cardinale *Disp 5. n. 4.* contrariam opinionem esse dignam ullâ censurâ. Imò addo cum Suarez *Disp. 4. Sect. 2. n. 13.* esse verè probabilem. In primis quia Lessius *in Auctario Verb. Confess. Cas. 1.* expressè scribit, hunc actum: *O maledicta peccata, quibus Deum meum offendi!* esse perfectam dispositionem ad Confessionem, eò quòd sit abominatio, & detestatio vitæ præteritæ, quatenus offendit Deum, & sic esse *veram* Contritionem; per *veram* Contritionem certò intelligens perfectam, & distinctam ab attritione, ut patet ex contextu. Similiter P. Tamburinus *loc. cit. §. 6. n. 13.* asserit *in actu signato*, & *reflexo*, hunc esse actum contritionis: *De peccato, quia est Dei offensa, & injuria super omne id, quod me pœnitere potest, pœnitet, & propono, me amplius mortaliter non peccaturum.* Loquitur autem certò de contritione, prout est distincta ab attritione, sicut est evidens ex *n. 16.*

Deinde videmus, plerosque è non doctissi- 101
mis Christianis censere, se perfectè dolere, quando dolent de suis peccatis, non idcirco, quòd per ea meriti sint pœnas infernales, jacturámque beatitudinis, sed quòd Deum suum offenderint, id est, irritaverint, animo ejus molestiam attulerint; hoc enim solent apprehendere, quando loquuntur de offensa Dei.

102 *Tertiò* P. Georg. Biegeiſen collegit in pulchello ſuo *Monte Myrrhæ* ex toto novo veteríque teſtamento pluſquam 50. aut etiam 100. phraſes, indices animi verè pœnitentis; inter eas nullam planè reperio, quæ apertiùs indicet, ſeu involvat amorem Dei, quàm illa: *Summè doleo, quòd Deum meum tam graviter offenderim*: eſt mihi autem propè incredibile, quòd, cùm Sacra Scriptura produxerit tam multos grandes peccatores plangentes ſua ſcelera, & inter eos Davidem Regem ſexcenties agnoſcentem culpam, petentem veniam, execrantem vitia, dolentem de iis; nullum tamen propoſuerit, qui expreſſerit in actu ſui doloris clariùs motivum amoris divini, quàm exprimat locutio relata à P. Leſſio, ſi quidem neceſſarium eſt aliquod clarius.

103 Denique, ut alia præteream, huc facit apertè actus ille pœnitentiæ, & contritionis, quem exhibet noſter Caſus *Regius*, & *Davidicus* contentum illis ſolis verbis: *Peccavi Domino.* Etſi enim Abulenſis *in cit. Cap. 12. lib. 2. Regum q. 12.* conetur ex verbo: *Tranſtulit*, quo mox uſus fuit propheta Nathan, evincere, non fuiſſe tunc remiſſam culpam, ſed pœnam temporalem, quam erat commeritus David, tranſlatam fuiſſe in ejus filios, & poſteros, attamen S. Ambroſius *in Apolog. Davidis Cap. 2.* S. Auguſt. *Lib. 22. contra Fauſtum Cap. 67.* item Suarez, & alii paſſim Theologi partim apertè docent, partim omnino ſupponunt, Davidem fuiſſe per ea verba reconciliatum Deo. Vide Jacobum Salianum *in Annalibus Tom. 3. ad Annum mundi 2999. n. 13. & ſeqq.* Illa autem locutio ſanè plus non indicat, quàm hanc paraphraſin: *Summè doleo, quòd offenderim Deum meum*: ſicut nec plus indicant illa lamenta filii prodigi: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* Dico igitur, licèt neque Davidis, neque filii prodigi verba, neque illa communiſſima Chriſtianis formula: *Doleo ex corde, quòd Deum, & Dominum meum tam graviter offenderim, grammaticaliter* ſumpta indicent ullum affectum amoris divini exiſtentis in pectore proferentium illa verba, etiam in ordine ad obtinendam remiſſionem, adeóque piè, ac ſeriò, attamen fortè inter centum, fortè inter mille non reperiri unum, qui ſine aliquo motu amoris divini

105 ea proferat in finem prædictum; non enim conſueverunt Chriſtiani conſiderare aut *formalem* injuriam, ſeu læſionem juris divini, aut diremptionem pacis cum Deo, quas nomine offenſæ deſignari, contendunt Theologi relati à nobis *n. 27. & 28.* ſed potiùs moleſtiam, & quaſi amaritudinem, quam quodammodo attulerunt animo divino; ſolent quippe apprehendere Deum tanquam Patrem, & offenſam illius ſicut offenſam patris carnalis ſub ſchemate perturbationis, moleſtiæ, amaritudinis, inquietudinis, qua exulcerârunt animum patentis, vel tantùm, ut non commiſiſſent quidquam tale; hæc voluntas, & inde ſequens dolor *moraliter* non exiſtit ſine affectu, & quodam impulſu amoris; ſi enim tales interrogarentur, cur doleant, ſe illam moleſtiam attuliſſe animo parentis, ſtatim reſponderent: Cur non doleam, cùm ſit meus pater, cui proinde potiùs omne gaudium, quàm moleſtiam ullam deſiderare, afferréque deberem? Profectò ſi Saul potuiſſet illud 106 verbum *Peccavi*, quo uſus fuit *1. Reg. cap. 15.* quando ex Samuele intellexit extinctionem ſuæ Regiæ familiæ, explicare, eo modo, quem expreſſimus, nemo, puto, negâſſet, fuiſſe elicitum ab ipſo actum *perfectæ* contritionis, atqui expliciti, & impliciti eadem eſt ratio. *L. Cùm quid. ff. Si certum petat.* Itaque cenſeo, non eſſe neceſſarium, ut quando quis eo tempore, quo urget præceptum contritionis juxta dicenda *n. 138. & ſeqq* protulit ſeriò illa verba: *Domine Deus doleo ex toto corde, quòd te Deum meum tam turpiter, tam graviter, atque indignè offenderim! propono quæque firmiſſimè integram emendationem*, ſe accuſet coram confeſſario, quòd non elicuerit actum contritionis, cùm deberet. Sicut etiam eſt quidem conſultiſſimum, ut, qui aſſiſtunt decumbentibus periculosè, hortentur illos ad exercendos actus vel *formalis* dilectionis, junctos contritioni, & ſimiles illi, quem propoſui *n. 97.* vel dilectionis expreſſiùs imbibitæ in actu contritionis, quàm imbibatur in actu, pro cujus ſufficientia jam pugnamus, ſicut utique imbibitur expreſſiùs, quando dicitur: *Summè doleo, quòd te Deum, ſummum, infinitum, ſuper omnia amabile bonum tam graviter offenderim!* attamen quando æger ille vel ob fractas vires, vel ob quandam hebetudinem nequit facilè vel proferre, vel prolata intelligere talia verba, non eſt, cur angatur Confeſſarius.

Hæc volui uberiùs, quàm cæteri tractatores 107 quæſtionum *moralium*, exponere, ut & defenderem praxin plurimarum optimarum animarum, & darem aliis occaſionem ſolertiùs adhuc examinandi præſentem controverſiam. Puto ſanè, omnes, qui contenti ſunt *virtuali* amore Dei, adſtipulaturos mihi loquenti non *in abſtracto*, ſed *in concreto*, adeóque ſecundùm affectum illorum communem, qui ſeriò, atque ardenter proferunt illa verba: *Summè doleo, quòd te Dominum Deum meum toties; & tam nequiter offenderim!*

Addo his omnibus, eſſe *ſpeculativè*, & *pra-* 108 *ctice* probabilem, tutámque ſententiam negantium, tunc eſſe neceſſariò exercendum actum contritionis, ad adipiſcendam remiſſionem peccatorum, quando eſt elicitus actus dilectionis Dei *Obedientialis*; etenim clariſſimè *1. Joann. 5.* dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Quæritur II. *Cùm ſint tot Conditiones neceſſa-* 109 *riæ ad veram, & perfectam contritionem, utrum ſit facile, hanc elicere, necne?*

Re-

Reſolutio vera hujus quæſtionis haud parùm facit ad praxin; ſi enim reſpondeas, difficulter elici, abſtrahes à conatu eliciendi eam nonnullos, qui impliciti gravibus peccatis, vocantur ex improviſo ad Sacramenta adminiſtranda; ſin aſſeras facilem, fortè ſument ex hac tua reſolutione nonnulli anſam exiſtimandi, ſe eſſe *perfectè* contritos, cùm plurimùm abſint. Et verò Navarrus *de Jubilæo, & Indulgent. notab. 17.* inde probat, paucos, ſuo judicio, lucrari Jubilæa, quæ offerri ſolent, quòd ſit admodùm difficilè, eſſe verè pœnitentem. E diverſo Diana lectus à me alicubi, itémque P. Matthæus Stoz *in praxi Confeſſ. n. 26.* multùm favente, ſi non clarè aſſentiente Dom. Reding (quatenus *Tom. 6. quæſt. 6. art. 2. Controverſ. 1.* ſcribit, contritionem eſſe actum inſtantaneum, atque adeò vix occurrere caſum, quo extra perturbationem, diſtractionem, ignorantiam, liceat conſcio peccati mortalis adminiſtrare Sacramentum, non præmiſſâ contritione,) *abſolutè* ſcribunt, contritionem etiam *perfectam* facilè

110 elici poſſe. Putem ego, utramque ſententiam eſſe veram diverſo reſpectu: Navarri quidem reſpectu valde habituatorum in uno, vel pluribus generibus peccatorum mortalium, nominatim laſciviæ, & vindictæ, ac ſingulariter, quando nondum deſeruerunt occaſiones proximas peccandi, quas tenebantur deſerere; tales enim ſolent ut ſummùm elicere actum attritionis: Dianæ autem opinionem habeo pro vera, reſpectu non profundè immerſorum in aliquod peccatum, ejúſque occaſiones voluntarias, qui proinde committunt illud perraró, & magis ex fragilitate aut propria, aut aliorum inſtigatione, quàm ex malitia, aut ſponte. Hanc diſtinctionem ſuggerit ipſemet Navarrus *n. 18. & 19.*

111 Quæritur ultimò: *Quid cenſendum de illo, qui dicit*: Doleo ex animo, quòd non doleam, ſicut deberem?

Reſp. Vel talis verè indicare vult, ſe carere verâ deteſtatione, & diſplicentiâ peccatorum, & potiùs ſentire complacentiam in, & de illis, quàm odium, ac proinde dolere ſe, quòd hanc complacentiam, & affectum nequeat jam ſuperare; vel ſolùm indicare vult, ſe de ſuis quidem criminibus dolere, at non tam vehementi affectu, ac deberet. In *primo* ſenſu loquens nequit potiri veniâ delictorum, utpote quæ non acquiratur per concupitum, ſed per reipſa exiſtentem dolorē de criminibus. Loquens verò in *ſecundo* ſenſu potiri poteſt illâ veniâ; etenim diximus *n. 54.* etiam remiſſiſſimum dolorem, ſi nihil aliud deſit, quàm intenſio, ſufficere hanc in rem. Quia verò plerique omnes utentes illâ phraſi intelligunt eam in ſenſu poſteriore, ideo Leſſius *in Auctario Verb. Confeſſio Caſ. 2. abſolutè* reſolvit, tales eſſe abſolvendos, modò non deſit in iis abſolutum propoſitum non peccandi de cætero. Vide Caſparum Hurtadum *Diſp. 6. difficult. 4.* referentem authores diſſentientes inter ſe.

CONTRITIONIS EFFECTVS.

CASVS V.

Quæſtionis Inexpectatæ.

SVMMARIVM.

Exemplum Religioſi Conſtantienſis, offerentis ſe heroicè ad ſervitium peſtiferorum. 112.
An attritio faciat ex attrito contritum illum, qui moritur in obſequio peſtiferorum? 114. & ſeqq.
An mors obita in tali miniſterio ſit propriè martyrium? 115. & ſeqq.
Cur etiam, conceſſo, quòd ea ſit verè martyrium, non ſequatur, quòd faciat ex attrito contritum? 118.
Quinam ſint effectus contritionis perfectæ, *& imperfectæ? 119. & ſeqq.*
An perfecta *deleat ex ſua natura mortale?* Ibidem.
An pœnæ temporales expientur per contritionem perfectam? *121.*
Quomodo per contritionem reviviſcant opera bona? 122.
Quid de operibus mortuis? 123.

EXitiali peſte urbem Conſtantiam, in qua 112 hæc ſcribo, depopulante (ſuſtulit capita 1450.) Anno 1611. P. Jacobus Stuzius, patriâ Conſtantienſis, Ordinis noſtri ſacerdos laudatiſſimus depoposcit ſibi, impetravitque provinciam navandi omnem operam Patriæ afflictæ. Quare unà cum Patre Socio totâ die paſſim percurſare, Noſocomium, plebeiáſque ægrorum domos petere, non ſolùm animas Sacramentis, ſed etiam corpora egentiorum paſcere cibis precariò quæſitis; ſolitus interim plagis, verberibus, cilicinâ veſte, atque jejuniis propitiare ſibi, civibúſque Numen, donec & ipſe peſte afflatus pretioſam animam reddidit illi, à quo acceperat, cùm priùs hanc provinciam impetrâſſet, literis adſuperiorem datis, quarum particulam delibo: Si mihi liceret pluribus adeſſe locis, in quibus, ſævit peſtis inque iis non ſolùm meam operam impendere, ſed iterum, & iterum mori, id mihi non tantùm peroptatum, ſed jucundum foret. Non dubitet Ra. Va. me ad quemvis ſimilem locum, atque etiam periculoſiorem libenter progreſſurum, imò pro

gratia habiturum, si mittar. Me Deo offero, & trado in mortem quotidie. Et utinam à Patre misericordiarum impetrem, ut sive peste, sive, aquâ, sive alio quovis modo, dummodo aliquo, immoler Deo, cui me tot modis debeo. Quod dum ex animi sensu scribo, loquuntur Deo defluentes in chartam lachrimæ, & misello mihi misericordiam poscunt. *Hæc & alia in hanc rem exhibent illæ literæ.*

113 Philippus Alegambe, inter alios è nostris Annalibus, archiviis, monumentis conflatos libros, edidit unum, cui Titulus: *Heroes, & Victimæ Charitatis.* In eo producit plurimos quà sacerdotes, quà alios de Societate, qui mortem oppetierunt ex peste contracta in obsequio seu *spirituali*, seu *corporali* infectorum eo malo. Inter hos fuêre plurimi, qui summis precibus exoraverunt à superioribus suis magnam illam, ut appellabant, & singularem gratiam, ut liceret sibi exponere vitam periculo in procurandis animis, corporibúsve domesticorum, vel externorum, quos maligna lues corripuisset; ac proinde obtulerunt sese Deo in veras victimas Charitatis, hos inter fuit & Pater Jacobus Stuzius, quem verbis tum illius scriptoris, tum hujus Constantiensis Collegii Annalium exhibet noster Casus *Quæstionis Inexpectatæ*; ideo autem Inexpectatæ, quia & prorsus novæ, & forsan potiùs aliò, quàm huc spectantis.

114 Quæritur enim I. *Vtrùm inter cæteros effectus contritionis* imperfectæ *sit, facere ex attrito contritum, in eo eventu, quo quis peccato mortali obnoxius decedit ex morbo, quem intulit pestis hausta in obsequio laborantium ex Epidimia, seu lue pestifera*, adeóque quid sperandum esset de æterna salute optimi P. Stuzii, si ex humanæ fragilitate lapsus in culpam lethiferam finivisset vitam, ereptam quidem vi morbi illius, at cum sola attritione clausam? Ratio proponendi hanc quæstionem est, quia fui de illa interrogatus literis, ut mox dicam. Ratio autem dubitandi est hæc unica, quòd P. Theophilus Raynaudus in *Aureo*, ut vocant plures eruditi, *libro*, quem scripsit de Martyrio per pestem, multiplici authoritate, rationéque probare contendat, omnes Victimas Charitatis, ut loquar cum Alegambe, adeóque omnes, qui ponunt vitam in obsequio (obito ex charitate Christiana) seu *spirituali*, seu etiam *corporali* peste afflatorum, esse non quidem in sensu rigidissimo, attamen in vero, & proprio Martyres Christi. Qui liber tametsi, agentibus æmulis, fuerit relatus in indicem prohibitorum, attamen non modò fuit postea approbatus calculo plurimorum Theologorum in diversissimis Universitatibus professorum Theologiam, sed ab ipsa quoque Congregatione Indicis postmodum absolutus omni censurâ, & edi permissus, dummodo adderetur, hæc ab illo duntaxat probabiliter disputata esse, ut videre est *Tom. 18.* Operum ejusdem authoris. Cùm verò esset de hoc ipso Titulo Martyrii aliquando alicubi exorta controversia scholastica inter Theologiæ Professores, unus è concertantibus solerti planè ingenio Vir, atque inclinans in opinionem contrariam Raynaudianæ perscripsit ad me varias, eásque non sanè spernendas rationes, ob quas minùs sibi probaretur illud P. Raynaudi placitum, atque petiit, intelligere meum de iis judicium. Obtinebat postremum inter illa argumenta locum hoc minimè obvium; quòd videlicet multi præstantes Theologi tradant, esse à Christo Domino collatam eam vim Martyrio *verò*, & *strictè* dicto, ut faciat ex attrito contritum, at neminem à se lectum, qui id privilegii tribuat Martyrio per pestem; ergo Martyrium per pestem non esse nisi *impropriè* & *similitudinariè* Martyrium, eo pacto, quo plures è SS. Patribus, & Doctoribus afficiunt nomine *Martyrii* vitam Religiosam. 115

Ego quidem habui hactenus illam sententiam P. Raynaudi pro verè probabili, fateor tamen, gigni ipsi difficultatem objectione illâ de effectu attritionis, directè enim respondendo ad quæstionem *num. 114.* propositam. 116

Dico. Licèt sit *moraliter* certum, quòd Sacramentum pœnitentiæ faciat ex attrito contritum. Suprà *n. 38.* Licèt quoque vel probabilissimè, vel probabiliter idipsum ab aliis atque aliis Theologis, quos retuli *Tract. 1. n. 18.* asseratur de cæteris Sacramentis, itémque de Baptismo sanguinis, seu strictè dicto Martyrio, ut retuli *in Alphab. Baptiz. Cas. XVIII. n. 617.* id tamen nolim primus asserere de Martyrio per pestem. Ratio est, quia, quod non est sanctorum Patrum Decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum. *Cap. 2. De Transl. Episc.* nullus autem, ut reor, SS. Patrum, aut Theologorum tribuit tantam efficaciam tali morti; & verò nec patiuntur, ut ego quidem, salvo meliore cujusque judicio, reor, tribui pronuntiata Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, exprimentia necessitatem & pœnitentiæ, & dilectionis Dei super omnia ad reconciliationem cum Deo. Nihilominus tamen videtur posse defendi illud ipsum placitum Raynaudianum, non admissâ illâ energiâ Martyrii per pestem; siquidem Baptismo sanguinis patrocinantur valde perspicuis verbis promissiones Salvatoris, quas collegit, expenditque Suarez *Tom. 3. in 3. Part. disp. 29. Sect. 3.* at nihil ejusmodi innuit de Martyrio per pestem; & insuper adferri potest hæc ratio, quòd similitudo magna intercedat inter Baptismum fluminis, & sanguinis; scilicet, quòd, sicuti infantes aspernguntur, abluuntur aquâ, ita etiam plerique omnes Martyres *strictè* dicti fuerint baptizati, id 117 118

id est loti, & nimis quàm liberaliter, crudelitérque aspersi, etiam aliquando propè inundati suomet cruore. Quia igitur similitudo dat sæpissime vel occasionem, vel etiam causam magnorum favorum, gratiarum, prærogativarum, ut sexcentis eventibus demonstrari potest, mirandum non est, quòd Salvator donaverit Martyrium strictè, & per antonomasiam dictum tam inæstimabili munere, negaverit autem Martyrio (tametsi vero) per pestem. Et ex his manet resoluta quæstio de P. Jacobo Stuzio, quibus addo, me hisce scriptis comperisse, non deesse viros doctos, qui censeant, Patrem ipsum Raynaudum videri, etiam Martyrio charitatis illud quasi privilegium attribuisse *implicitè*, eo ipso, quòd censeat, esse *verum*, & *proprium* Martyrium; certè nusquam, quantum memini, id negat. Fortè erit, qui hisce lectis adferet rationum momenta digna hujus controversiæ gravitate. Porrò de contritione

119 Quæritur ulteriùs II. *Quinam sint generatim, & speciatim effectus Contritionis* perfectæ, *atque* imperfectæ?

Resp. Sequentes. I. Per contritionem *perfectam* deletur omne peccatum. Omnes DD. suprà *n. 54.* licèt disceptent inter se de modo producendi hunc effectum, utrùm videlicet contritio peccatum deleat ex sua natura, quasi prorsus incompossibilis sit cum omni culpa lethali; an verò solùm ex liberali Dei acceptatione? Authores in utramque partem referunt Cardinalis de Lugo *de Pœnit. Disp. 8. Sect. 4.* ac Dicastillo *hîc Disp. 2. dub. 12.* Supersedeo terminatione hujus litis, utpote à qua non pendeat judicium de honestate, necessitate &c. actionis. At verò tam nobilis effectus nequit tribui attritioni, seu *imperfectæ* contritioni. Suprà *n. 49.* licèt juncta Sacramento adferat etiam gratiam sanctificantem, eliminétque omne peccatum; suprà *n. 49.* & sine dubio per eandem deleri possit peccatum quodlibet veniale, ut videbimus *Cas. VIII.*

120 Dixi superiùs: Omne peccatum mortale posse deleri per pœnitentiam, ut ex professo docet S. Thom. *Quæst. 61 art. 1.* probâtque tum ratione, tum authoritate Ezechielis *Cap. 18.* scribentis: *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius.*

121 II. Alter effectus contritionis est condonatio pœnæ æternæ, imò, si contritio sit valde intensa, & perfecta, crebrò per eam remittitur etiam illa pœna purgatorii, in quam æterna fuit commutata per contritionem, sicuti constat pluribus exemplis. Dixi: *Pœna purgatorii*, seu in altera vita; etenim pœna, qua decrevit Deus plectere in hac vita excessus humanos, non solet condonari propter contritionem, ut patet ex exemplo Davidis Regis, qui nequivit suâ qualicunque pœnitentiâ impedire mortem filioli suscepti ex adulterio, neque Absolonis impiam rebellionem.

122 III. Per contritionem etiam extra Sacramentum, per attritionem verò intra Sacramentum saltem pœnitentiæ reviviscunt opera mortificata, seu illa bona, vitæque æternæ meritoria opera, quæ antè lamentabilem lapsum in crimen lethale erant digna æternâ mercede, ut tanquam certum tradunt Theologi apud Tannerum *Disp. 6. quæst. 5. dub. 2.* tametsi dissentiant in modo illius reviviscentiæ. Plerique nostræ Societatis DD. teste Lugone *Disp. 11. n. 42.* ita explanant, ut dicant, reddi omnes omnino gradus gratiæ, & huic correspondentis gloriæ, atque insuper adjici unum, aut plures pro mensura ipsius contritionis; & proinde S. Rex David, priusquam patravit adulterium, erat præditus gratiâ *habituali* intensâ, ut quinque, huicque respondebat gloriæ cœlestis etiam intensa, ut quinque, tum respiscens, monente Nathane Prophetâ, donatus fuit gratiâ, ut septem, si fortè exercuit illum actum contritionis, cui Deus liberaliter promisit gratiam, ut duo.

Aliud sentiendum est de operibus *mortuis*, 123 id est, bonis quidem, & sanctis, & *secundùm se* meritoriis æternæ vitæ, attamen *per accidens* illam ideo non commeritis, quòd fuerint exercita ab hoste Dei, anima videlicet inquinata peccato mortali, omnes quippe post S. Thom. *Quæst. 89. art. 6.* negant, ea reviviscere, talis quippe inimicitia impedit, ne vivificentur, quamvis S. Thom. *ibid.* piè teneat, ea non abire solere sine aliquo præmio temporali.

DE NECESSITATE, ET OBLIGATIONE OBEVNDÆ POENITENTIÆ, ET CONTRITIONIS.

CASUS VI.

Confessarii nunc mirandi, olim non item.

SVMMARIVM.

Casus confessarii imbuti opinione, quòd adsit obligatio dolendi de mortali statim, postquam est patratum. 124.

Describuntur verba Summistarum, indicantium illam obligationem, 126. & seqq.

Præcepto divino *tenemur elicere* perfectam *contritionem. 131.*

At non statim, postquam peccavimus mortaliter. 132. & 133.

Multò minùs totics, quoties recordamur mortalis, etiam remissi. 134.

Sicut nec, quoties non remissum redit in mentem. 135.

At saltem in articulo mortis. 138.

Et probabiliùs etiam ante illum articulum. 139.

At quandonam præcisè? 140.
Casus ad Confessionem adferentis illum solum dolorem, quem pridie elicuerat. 141.
Quid de illo sentiendum? 142.
Confessarius adolescentum non satis tutò supponet, communem Confessionem: seu Confiteor *dici ab ipsis cum vero dolore. 143.*
Aliud dicendum de Religiosis. 144.
Dolor de peccatis debet moraliter *conjungi ipsi Confessioni. 147.*
Quandonam censebitur esse moraliter *junctus? 148.*
An necessariò præmittendus dolor Confessioni? 149.
An necessariò eliciendus ex proposito Confessionis? Ibid.
An Confessio habeat rationem accusationis, etsi dolor eam non præcedat. 150.
Quid si curriculo narrentur peccata, & postea eliciatur dolor? 152.
Proponitur quædam praxis confessariorum. 153.
Debeátne dolor ad Confessionem referri formaliter, *aut saltem* virtualiter. *155.*
Quatenus dolor heri conceptus sufficiat ad Confessionem hodiernam? 157.
Quatenus conceptus ante tres dies? 158.
Resolutio Casûs n. 124. propositi 160.
Et singulariter, si tunc non occurrebat memoria unius ex admissis mortalibus. 161.
Oblitus unius mortalis in Confessione, at memor statim post absolutionem, an ante novam absolutionem necessariò eliciat novum dolorem? 165.
An, si heri confessa confitearis rursus hodie, sit opus novo dolore? 168.
Hodie auspicatus Confessionem cum vero dolore, non necessariò novum eliciet cras, si cras finias cœptam hodie. 169.
Quid si confitearis non hesterno sed alii? Ibid.

124 *Fabianus Parochus cùm legisset Doctorem Angelicum, non potuisse ullo modo capere, qui fieri posset, ut reus noxæ lethalis componat se ad somnum, non expiatâ illâ noxâ, in eam venit sententiam, ut existimaverit, quemque reum peccati mortalis obligari ad eliciendam de eo contritionem statim, postquam erat patratum crimen; aut certè conari elicere contritionem perfectam. Quam ob rem, quoties excipiebat Confessiones accusantium se de una, vel pluribus culpis infernum meritis, sciscitabatur, quoties cubitum concessissent, non præmisso vero dolore, de hoc aut illo scelere. Quin imò nescio qua imbutus phantasiâ, sciscitabatur, tum quoties interea meminissent illius peccati, tum quot dies festi, ac Dominici intercessissent inter tempus perpetrati, & postea dolore deleti criminis? Ratus nimirum, esse necessario dolendum de mortali noxa, tum quoties hæc in mentem redit, tum singulis, omnibúsque festis, ac Dominicis. Quæritur, sequendúmne sit exemplum illius Fabiani, an reprehendendum, ridendúmve?*

125 Nolim jurare, hunc Casum esse ita confictum, ut improbabile sit, unquam repertum Confessarium sæcularem, aut Regularem similem huic ficto Fabiano. Audi enim, aut, si mavis, lege sis, mi Lector, sequentia pronuntiata maximorum Doctorum.

126 *I. Tenetur peccator dolorem de suo peccato concipere, quamprimum peccatum commissum occurrit sibi memoriæ.* Sic loquitur Sylvester *Verb. Contritio Quæst. 2.* cúmque illo Alex. Major, S. Bonaventura, Cajet, ac plures alii apud Suarez *hîc Disp. 13. Sect. 5.*

127 II. Tenetur idem peccator *dolorem de peccato conceptum in tota vita continuare actu, non simpliciter, sed sic, quòd nunquam actu placeat peccatum, & semper actu displiceat, quando practicè memoria occurrit, scilicet sub ratione detestabilis, vel delectabilis.* Ita rursum scribit Silvester *loc. cit.* post Alex. Bonavent. Richardum, Gabrielem, Paludanum, alios apud Suarez *loc. cit. Sect. 4.* & apud Vasq. *Quæst. 84. art. 9.*

128 *III. Quantum ad peccata mortalia, de quibus nondum quis habuit contritionem, videtur, quòd semper teneatur, quando peccatum menti occurrit, ad actu odiendum, & detestandum peccatum, aliàs peccat mortaliter peccato omissionis, quousque conteratur; dicit enim Thomas, Petrus* (de Palude) *& Bonaventura, & Durandus, quòd post mortale peccatum, etsi non tenetur quis ad statim confitendum, tenetur tamen ex necessitate ad statim conterendum, nec enim per momentum licet stare in peccato.* Descripsi hæc ex S. Antonino *in Summa Part. 3. Tit. 14. cap 18. §. 2.*

129 *IV. Die Dominico de præcepto est, ut conteratur, vel saltem atteratur* (quis) *de peccato commisso, in quo iterum est; & hoc probatur, quia de præcepto tenemur Deo vacare in aliqua hora diei festi, secundùm omnes; sed hoc facere non potest, qui est in mortali, nisi de eo conteratur, vel atteratur. Et quòd hoc sit de præcepto in eo, qui se esse in peccato mortali recognoscit, habeo pro indubitato.* Hæc verba leges apud Angelum *in Summa Verb. Feria, n. 40. & 41.*

130 Ex his colliges, esse non immeritò expressum in Titulo hujus Casûs, Fabianum illum non fuisse olim mirandum, quandoquidem agebat, quæ noverat, publicè doceri verbo, scriptóque à sui ævi Doctoribus. At verò nunc non solùm mirandus, sed etiam reprehendendus foret, qui talia facitaret, utpote prorsus aliena à persuasione, usúque plerorumque omnium æquè doctorum, atque indoctorum.

131 Dico enim I. Licèt revera extet præceptum *Divinum* imperans reo peccati mortalis contritionem, eámque *perfectam*, id tamen præceptum non obligat per se statim, postquam

quam deliquit quis mortaliter. *Prima* pars est communis apud Dicastillum *Disp. 3. dub. 1.* contra Navarrum, & Victoriam, fatentes esse quidem medium necessarium ad salutem, non tamen præceptum. Sed refutantur tum sententiis divinæ Scripturæ toties exigentis pœnitentiam, minantísque mortem impœnitentibus, tum inde, quòd quisque sine dubio obligetur ipsâ lege naturali usurpare medium necessarium ad salutem; qui enim obligatur ad finem, obligatur quoque ad media. Porrò communèm de necessitate contritionis doctrinam intelligit Dicastillo *loc. cit. num. 4.* contra Lugonem in eo solo casu, quo peccatum nondum est remissum; secùs, si remissum sit per actum dilectionis divinæ, aut per attritionem junctam Sacramento.

132 *Altera* pars est non solùm multorum antiquorum, quos referunt Tannerus *hîc q. 6. dub. 3.* Cardin. de Lugo *Disp. 7. sect. 10.* Dicastillo *Disp. 3. dub 1.* sed etiam omnium recentiorum, uno, alteróve excepto, ut testatur Lugo *ibid. num. 196.* Certè non constat mihi de ullo Doctore Societatis, qui dissentiat, scio autem etiàm ab aliis Recentioribus externis defendi, singulariter à Didaco Nugno *in addit. ad 3. p q. 2. a. 3. dub. 3.* contrariam vocante falsam, & improbabilem; item à Bonac. *Disp. 5. de sacram. q. 5. sect. 1. p. 2. n. 8.* à Joanne Wigers *in supplem. 3. p. q. 4. n. 4.* item à Stephano à S. Paulo *in Theol. Mor. Tr. 5. Disp. 5 §. 3. n. 129.* citante Franciscum Bonæ spei, ut nihil dicam de Caramuele, aliis.

133 Ratio est, tum quia, nullo urgente argumento, probatur illa tanta obligatio, ut videre est apud citatos, tum quia aliàs Sacramentum Pœnitentiæ non esset Sacramentum *mortuorum*, sed *vivorum*, tum denique, quia deberemus omnes pœnitentes hujus sæculi, omnésque Confessarios damnare de multis mortalibus peccatis; nullus enim (quantum ego usu Annorum plus quadraginta didici) aut confitens, aut Confessarius sequitur in praxi illam severam doctrinam, uti etiam observant Dicastillus, Lugo, Bonacina, Stephanus, Tannerus, & Wigers ex Tannero, quem novi fuisse in excipiendis Confessionibus diligentissimum. Adde, quòd Prælati Ecclesiæ deessent culpabilissimè suo officio in re summi momenti, si illa rigidior sententia foret vera, quandoquidem non dant ullam operam, ut ea prædicetur suis Diœcesanis.

134 Dico II. Multò minùs tenetur quis *actu*, & *formaliter* dolere de peccato jam per contritionem deleto, quoties occurrit pœnitenti eo modo, quem exprimit Silvester relatus *n. 127.* Ratio est, tum quia nulla lex *divina* nos jubet agere bis, ter, decies, centies pœnitentiam de peccato jam remisso, tum quia, licèt peccatum præteritum veniat alicui in mentem sub ratione delectabilis, vel detestabilis, potest tamen is suspendere omnem actum, ut videlicet neque delectetur *actu* de carnali e. g. peccato commisso, neque etiam illud detestetur *positivè*.

135 Dico III. Nec etiam adest obligatio toties detestandi peccatum nondum remissum, quoties id menti occurrit. Ita Recentiores, de quibus suprà *n. 132.* contra S. Antoninum, & alios. Probatur hæc conclusio iisdem rationibus, quibus *prima*; neque enim Patres Augustiniani, Dominicani, Franciscani maximè assiduè in excipiendis Confessionibus, neque nostræ Societatis sacerdotes censent, se obligari, ex pœnitente, qui intra Annum integrum, aut dimidium non stitit se arcano arbitro, & tamen commisit non unum, sed plura crimina, quærere, quoties intra Annum fuerit recordatus unius, aut plurium criminum, & quoties post eam recordationem omiserit penitus contritionem. Et verò quòd illi Religiosi non existiment incumbere sibi obligationem faciendæ illius interrogationis, probatur tum inde, quòd Confessarii dirigant suas actiones ad normam doctrinæ traditæ à suis Professoribus, atque posterioris ævi Doctoribus, tum quia singuli ex Confessariis longo usu doctis nôssent, vigere inter alios usum doctrinæ Antoninianæ, si revera vigeret, quandoquidem innumeri pœnitentes quotidie transeunt ab uno unius Ordinis Religiosi ad alterum alterius Confessarium. 136

137 Dico IV. Absque solido fundamento docuit Angelus, adesse mortalem obligationem eliciendi contritionem (casu quo habes conscientiam inquinatam labe mortiferâ) quovis festo, & Dominico die, Bonacina *l. c. n. 7.* cum aliis citatis pro *prima* conclusione. Refutatur eadem opinio indubitatâ prorsus praxi modernorum Confessariorum, & confitentium. Obligatio *sub mortali* asserenda non est, nisi ubi ratio, aut lex cogit. Suarez *T. 4. de Relig. Tr. 1. c. 4. n. 8.* hîc autem neutra cogit.

138 Dico V. Quivis reus peccati mortalis obligatur saltem in articulo mortis excitare actum contritionis *perfectæ*. Ita plerique. Ratio, quia vel non habet copiam Confessarii, vel habet? Si non habet, tum vel eliciet actum amoris Dei super omnia, vel non eliciet? Si non eliciat, carebit omni remedio apto ad dolendum peccatum mortale, cùm tamen præceptum pœnitentiæ *per se*, & *formaliter* obliget, ad se reconciliandum Deo in vita. Si eliciat, tum nihilominus tenebitur in eo articulo eniti ad contritionem; licèt enim probabilissimum sit, actum Contritionis *perfectæ* non esse in præcepto tunc, quando præcessit actus amoris Dei super omnia. Latè Dicastillo *tr. disp. 3. dub 1.* quia tamen opposita sententia Lugonis *d. 7. n. 255.* ac plurium aliorum est etiam probabilis, ideo omnino est sequenda in praxi, sicuti diximus *num. 53.* esse in eo ar-

ticulo dandam operam excitandæ *perfectæ* Contritioni, esto adsit Confessarius præditus jurisdictione prorsus indubitatâ. Et sic probata est nostra conclusio, etiam quoad *secundum* membrum disjunctionis allatæ in ipsa probatione.

139 Dico VI. Probabile quidem est, nullum extare præceptum de Contritione, *per se loquendo*, elicienda ante articulum mortis, contraria tamen (abstrahendo à perceptione Sacramenti) sententia est verisimilior, & in praxi sequenda. *Prima* pars probatur authoritate, & rationibus, quas pro ea adferunt Suarez *Disp. 15. sect. 6.* atque Dicast. *Cit. disp. 3. dub. 1. & ultimo*, qui Dicastillo mordicus defendit illam priorem partem, Suarezio habente eam solùm pro probabili. *Altera* pars, pro qua certat Nugnus *in addit. ad 3. part. q. 2. dub. 2.* Lugo *Disp. 7. sect. 11. n. 254. & seqq.* post alios communiùs, inde probatur, quòd, *moraliter loquendo*, censeatur Deus contemni; si compensatio injuriæ ipsi irrogatæ per peccatum, & reparatio amicitiæ per illud dissolutæ differatur ad ultimum articulum, ergo videtur ipsummet præceptum pœnitentiæ imperare *per se directè*, ut illa reconciliatio procuretur ante omne periculum mortis.

140 At *quamdiu licebit sine novo peccato mortali differre post admissum crimen?*

Resp. Secundùm Tannerum *Cit. q. 6. n. 65.* non ultra hebdomadem, aut mensem. Secundùm Laymann. *C. 2. num. 7.* non ultra Annum unum. Juxta Coninck & Lessium *in 3. part. in addit.* ad S. Thom. *q. 4. num. 7.* non ad tres, aut 4. Annos. Arbitris Suarez & Lugone, committenda est res judicio Confessarii attendentis ad circumstantias personæ, tentationum, occasionum. Reor ego, vix è mille vivere unum, qui apprehendat obligationem hujus præcepti, nisi quando vel cogitat confiteri, vel existit in periculo mortis, vel virtute alterius præcepti, seu virtutis adigitur ad contritionem, ut e. g. quando est administrandum, vel recipiendum aliquod Sacramentum; quando videtur non posse superari aliqua gravis tentatio, nisi priùs reconcilietur Deus; quando pestis grassatur in loco, in quo habitat ille peccator; quando communis aliqua calamitas impendet Ecclesiæ, non aliter avertenda, quàm per seriam pœnitentiam, de quibus casibus legi poterunt citati scriptores, omnes enim tangunt hos particulares casus.

141 Cæterùm, quia *Cas. 1.* diximus, contritionem, seu dolorem de peccatis esse partem *essentialem* Sacramenti pœnitentiæ, resolvenda sunt hîc duo, vel tria dubiola de contritionis conjunctione cum ipsamet narratione peccatorum, adeóque respondendum ad hunc

Casum Iuvenilem, fortè & Virilem.

Fulvius juvenis probus, ac Rhetoricæ alicubi studiosus, pridie Deiparæ in cœlos Assumptæ, priusquam cubitum concedat, conscribit in charta sua peccata, deferenda postridie ad conscientiæ moderatorem, elicitque tunc de iis syncerum dolorem, postridie accedit Ecclesiam, atque occasione Festi raptus in preces fundit jam has, jam illas de Regina Sanctorum Omnium, iisque persolutis, penetrat in sedem Confessionalem, ac recitat quidem suum de more Confiteor, *at sine vero dolore, quia veluti psittacus. Cùm verò non ita diu post didicisset in lectione Catechetica, quæ à nostris Professoribus consuevit haberi feriâ sextâ cujusque hebdomadæ, verum dolorem de peccatis eliciendum esse non pridie, sed ipsomet die Confessionis, moralitérque iungendum cum confessione ipsa, quæsiit ex suo Confessario, fueritne nupera Confessio valida, nec ne, ac proinde, an repetenda peccata? Respondit, fuisse invalidam, peccata quoque, si excesserunt culpam venialem esse repetenda.*

Quæritur, *quid sentiendum de illo responso?* 142

Respondeo ego, fuisse datum ex principiis Theologiæ partim certæ, partim dubiæ. Certum quippe est, recitationem Confessionis generalis, psalmi quinquagesimi &c. factam more psittaci, aut comœdi non esse verius signũ veri doloris, quàm sit, quando Ministrantes Sacerdoti sacrificanti deproperant illam Confessionem, aut jussi memoriæ mandare psalmum *Miserere*, illum recitant in schola, jubente Magistro. Est verò ita commune adolescentibus, atque rudibus dicere ex mera consuetudine, sine ulla prorsus attentione ad sensum verborum, in Confessionali illam Confessionem, etiam cum pectoris percussione, ut censeam, Confessarium non posse (deficiente peculiari aliquo signo) nisi temerè præsumere, eos recitare cum, seu ex vero dolore, seu sufficiente ad absolutionem; ergo debebit communissimè aliunde petere signum illius doloris. Quod quidem ego fortasse primus memoro, at habebo assentientes, quotquot facient diligentem reflexionem supra auditas ejusmodi confessiones, singulariter illorum, qui aut deblaterant, seu citissimè pronunciant illam confessionem, aut dicunt latinè, cùm sint imperiti illius idiomatis, sicuti e. g. Burgundi rustici.

Aliud sentio cùm generatim de hominibus 144 Religiosis, tum de viris gravibus, atque iis, qui eâ vocis moderatione, ac pectoris tunsione

ne utuntur, ut appareat, hæc longè aliter fieri, quàm fierent exercendæ solius memoriæ causâ. Unde probanda est

Resolutio Casûs hujus.

Fridolino homini Religioso dicenti, se planè dubitare, utrùm, priusquam accederet Confessarium, ordiretúrque Confessionem, excitârit ullum dolorem de peccatis, at se certò cum reflexione dixisse: Mea culpa, mea culpa, *cúmque eadem reflexione tundisse pectus. Respondi, non esse habendum scrupulum de sufficientia doloris: qui enim ex animo dicit saltem in tali occasione & circumstantia*: mea culpa, mea maxima culpa, *non solùm fatetur culpam, sed etiam habet displicentiam illius, eámque non ex* naturali, *sed* supernaturali *motivo.*

145 Vidimus hactenus, responsum Confessarii datum Fulvio fuisse ex principiis certæ Theologiæ, quatenus tangebat præcisè recitationem Confessionis generalis. Jam videamus, quo pacto asseruerim, fuisse datum etiam ex dubiæ Theologiæ fundamento. Est enim controversia inter Theologos, qualis, & quanta debeat esse doloris conjunctio cum ipsamet confessione, & singulariter, an pridianus dolor habeat sufficientem unionem cum confessione hodierna? Ego ad hujus, aliorúmque dubiorum huc facientium elucidationem dico sequentia.

146 I. Non est quidem necesse, ut *actualis* dolor de peccatis conjungatur *physicè* cum ipsa narratione peccatorum, est tamen opus, ut conjungatur *moraliter*. Ita omnes. Et *prima* pars inde liquet, tum quia nulla lex imperat illam realem conjunctionem, tum quia est ea conjunctio *moraliter* impossibilis illis, qui habent permulta peccata narranda, & tamen nequeunt, nisi ex memoria, edicere, cùm interim laborent debilitate aliquâ cerebri, sint obnoxii perturbationi, timori, &c. tales omittent quartam, tertiam, dimidiam partem suorum scelerum, si debeant esse soliciti de *realiter*, *actualiter*, *formaliter*, & *expresse* dolendo tunc, cùm singula enuntiant.

147 *Altera* pars de conjunctione *morali* est rursum omnium, & inde probatur, quia partes *essentiales* cujusque Sacramenti debent saltem *moraliter* inter se uniri, compositum enim *naturale*, vel *artificiale* non existit, nisi ex partibus saltem *moraliter* unitis.

148 II. Vt hæ duæ partes censeantur *moraliter* unitæ, adeóque simul (*moraliter loquendo*) existere, requiritur, & sufficit talis ordo, & conjunctio, simultásque inter eas, qualis necessaria, & sufficiens est ad unum actum judiciarium. Dicastillo *Tom. 1. de Sacrament. Disp. 1. dub. 6.* Ratio est, quia absolutio fit *essentialiter* per modum judicii, quod nequit subsistere sine tum confessione delictorum, tum dolore manifestato ipsi judici, & *moraliter* adhuc existente; si autem tam confessio, quàm doloris manifestatio ita existant, poterit ferri sententia judicialis; ergo requiritur, sufficitque ille ordo, quem dixi.

III. Proinde est quidem consultissimum, 149 ut peccator præmittat manifestationi suorum peccatorum dolorem de illis; est quoque bonum consilium, ut ex proposito confessionis faciendæ impellatur, & inducatur ad hunc dolorem, attamen neutrum est necessarium Vasq. *quæst. 84. art. 1. dub. 3.* Suarez *Disp. 20. num. 31.* Hurtadus *Disp. 6. difficult. 10.* Lugo *Disp. 14. sect. 4.* Bonacina *Disp. 5. quæst. 3. part. 2.* Filliuc. *Tract. 7. cap. 6.* Dicastillo *de pœnit. Disp. 6. dub. 9.* Tamburinus *in Method. Confess. Lib. 5. cap. 2. §. 4.* D. Christoph. Rassler *in Tract. de pœnit. cap. 4. §. 11.* P. Matthæus Stoz *in praxi confess. num. 23.* & plures alii *practici* Theologi contra Patrem Ægidium de Coninck *Disp. 4. sect. 6.* Layman. *Lib. 5. Tract. 6. cap. 4.* & alios quosdam. Ratio est clara; quia duplex causa, ob quam Coninck, & Laymannus exigunt, ut dolor præcedat ipsam confessionem, est partim, quia si non præcedat, confessio illa habebit rationem meræ, frigidæque narrationis, non autem accusationis; partim, quia si non præcedat, dolor ille, qui sequetur, non erit sensibilis, seu perceptibilis à sacerdote, siquidem sit sensibilis per solam manifestationem delictorum, hæc enim manifestatio facta in confessionali habetur inter Christianos æquè pro signo doloris, atque est tunsio pectoris; aut prolatio horum verborum: *Doleo ex animo, quòd Deum offenderim!* 150 Verùm neutra ex his duabus causis evertit nostram doctrinam; quia, licèt nullus planè dolor præcedat confessionem, habebit nihilominus hæc rationem veræ accusationis, manifestabitúrque sufficienter dolor subsequens. *Primum* probatur, quia, si placeat pœnitenti, fiet nihilominus in ordine ad absolutionem, ergo hoc ipso habebit rationem accusationis, nec enim absolvitur in hoc foro, nisi se se accusans, potest autem se se ipsum propriè accusare sine ullo præcedente, aut comitante *actuali*, seu *formali* pudore, dolore, dummodo saltem adsit *virtualis* (sicut semper adest, quando quis seriò intendit absolutionem, utpote sciens, irritam fore sine dolore) intentio doloris eliciendi.

Alterum etiam probatur. Quia, quamdiu pœ- 151 nitens flectit, præstolans sententiam sui judicis, perseverat in facta priùs confessione, atq; *implicitè* dicit: *Ita omnino est, commissi omnia, quæ primùm aperui; peto supplex eorum absolutionẽ, pœnitentiámque.* Durat autem ista perseveran-

tia,

tia, seu continuatio, & quasi confirmatio accusationis tamdiu, donec feratur sententia; si ergo paulò ante hanc latam eliciatur dolor, manifestabitur ipse per hanc continuationem, proinde evadet per eam sensibilis; imò erit causa ipsusmet confessionis, non quidem *quoad substantiam*, utpote quæ jam desiit existere *substantialiter, realiterque*, sed *quoad rationem accusationis*, si fortè non fuit priùs facta isto modo; verè enim fit per ejusmodi dolorem, ut prior confessio *realiter* quidem desita, *moraliter* autem adhuc perseverans dici queat humilis, dolorosa, & accusativa confessio. Dicastillo *l. c. n. 135.*

152 Quod quidem arbitror esse ita verum, ut assentiar eidem Dicastillo *cit. dub. 9.* sic scribenti: *Si priùs historicè, aut etiam vanè, & ridiculè explicuit quis sacerdoti seriem, & species peccatorum suorum, si tamen postea aliquâ ratione sufficienter explicet, velle illa subdere absolutioni, illa ultima explicatio, qua id significat, sufficit cum dolore conjuncta, ut illa prior confessio possit servire ad absolutionem.* Ita Dicastillo, minimè dubitans, quin P. Coninck, & omnes ejus asseclæ sint in hoc consensuri; sicut & Diana *l. c.* scribit: *Stando etiam in opinione, & Laymanni, & Coninck, si aliquis pœnitens eliciat actum doloris, post narrata peccata, si postea dicat*: Doleo de peccatis narratis, *vel petat absolutionem, hæc verba sufficiunt tunc, & habent veram rationem Confessionis, quæ sit pars Sacramenti.* Ita Diana; petit autem absolutionem quivis pœnitens, quamdiu nondum accepit.

153 Itaque Confessarii rectissimè facient, si factitent, quod longè plurimi, doctissimi, piissimi, quorum etiam usu confirmatur validè nostra opinio; id est, quando dubitant de contritione, vel de illa non dubitantes volunt ad majorem inducere, dicunt pœnitenti, *Nónne summè dolemus, quòd Deum tam bonum, tam sanctum adeò graviter offenderimus?* Etenim si pœnitens post illam interrogationem primùm dicat: *Omnino doleo ex animo*, non est ullus Confessarius tam absurdè rigidus, ut jubeat repeti narrata, esto sciat, non præcessisse alium dolorem. Vide Dicastillo *loc. cit. num. 135.*

154 Quid si *autem pœnitens eliciat contritionem primùm, dum sacerdos dicit: Absolvo te*? R. Probabiliter sufficiet. Nam D. Rasller *cit. c. 4. §. 12.* sic scribit: *Satis est probabile, Sacramentum etiam tunc valere, si quis legitimum dolorem initio absolutionis, vel in termino prolationis essentialis eliciat.* Atqui terminus prolationis essentialis est secundùm multos à me referendos *in Alphab. Confess. Cas. IV. num. 148*, illa clausula: *A peccatis tuis.* Sed, oro, cave omni modo, ne te redigas ad hasce extremitates. Certè Lugo *l. c. num. 48.* apertè negat illam doctrinam, nec sine ratione.

155 IV. Ex dictis inferes, non probari nobis doctrinam Bonac. *l. c. n. 17.* cum plurimis aliis docentis, dolorem debere ad confessionem referri *virtualiter*, vel *formaliter*. Etenim D. Rasslerus *cit. §. 11.* negans post Lugon. *cit. d. 14. n 39.* & alios hanc doctrinam, rectè observat cum eodem Lugone, si quis concione aliquâ permotus intensissimum dolorem eliciat, nihil adhuc de confessione cogitans, deinde verò ex desiderio consequendæ veniæ (statim) confiteatur, talem fore optimè dispositum ad confessionem, nec indigere novo dolore. Et certè Concil. Trident. *Sess. 14. c. 4.* explicans conditiones doloris, & attritionis nihil insinuat de ista relatione *formali*, aut *virtuali*. Ergo nequaquam est necesse, ut dolor 156
oriatur ex desiderio, propositóve confessionis, dicendo e. g. *Quia volo jamjam confiteri, debeo dolere, & doleo de meis peccatis, alioqui mea confessio erit nulla*; sed sufficit, si dicas: *Doleo summopere, quòd Optimum Deum meum tam graviter offenderim! ergo pro aliqua satisfactione, & tantò certiore reconciliatione, faciam paulò post exhomologesin.* Imò iste secundus modus procedendi, quo quis, stimulante dolore de peccatis, accingit se ad confessionem, est perfectior, & nobilior, quàm si eliciatur dolor, stimulante desiderio, seu proposito confitendi, ut observat rectè Lugo *n. 40.* addens, licèt Confessarius teneatur sua verba absolutionis referre ad conficiendum Sacramentum, pœnitentem tamen non teneri referre dolorem ad Sacramentum, quia non obit vices Christi, ut Confessarius. Si tamen Bonacina intelligit suam doctrinam in eo sensu, in quo eam latè defendit Dicastillo *l. c. Disp. 6. n. 175.* non displicet. Ait enim Dicastillo, dolorem illum, qui elicitus fuit primùm post narrationem peccatorum, rectè dici referri *virtualiter* ad confessionem, quia confessio durat tunc adhuc, non *physicè* quidem, sed *moraliter*, & ut *moraliter* existens incitat pœnitentem ad dolorem.

V. Dolor semel conceptus de peccatis in 157
ordine ad confessionem recogitatis, si quis ex vi illius, & proposito tunc concepto applicet se etiam postridie ad confessionem, sufficiens est ad fructum Sacramenti, etiamsi quis in actu confitendi novum dolorem non conciperet, manet enim ille dolor *virtualiter*, sicut, cùm quis ex vi propositi, quod facit hodie, crastinâ die se applicet ad aliquam peregrinationem, illud propositum tendendi ad talem terminum manet virtute. Ita resolvit, & rectissimè quidem Lessius *in Auctar. ad 1. 2. verb. Confessio Cas. 3.* propositam sibi illam quæstionem: *An dolor pridie excitatus sufficiat, & absolutionem consequar absque novo dolore*? Nec reor, quemquam dubitaturum de hujus resolutionis in his terminis veritate.

At, *quid si dolui quidem pridie vesperi de* 158
peccatis recogitatis, non tamen cogitavi tunc de confessione? An etiam in hoc casu potero

cras crastino die tutò omittere aliam contritionem?

Resp. Minimè juxta Coninck, & Laymann, maximè juxta Tamburinum *cit. c. 2. §. 3.* sic loquentem: Illud ad solamen timoratorum tacere non debeo: si in hoc Sacramento unum quid *moraliter* faciunt Confessio nunc v. g. exhibita cum satisfactione, quæ fortè tunc ad plures dies, & aliquando menses exhibetur; imò si esset certus Confessor, quòd pœnitens, quem abhinc quatuor diebus e. g. audivit, bene esset dispositus, illum nunc liceret absolvere; & sic illa confessio cum præsenti absolutione unum quid *moraliter* facere posset; & meritò, quia similis propinquitas satis, supérque est ad judicia profana constituenda, ad quorum normam hoc Ecclesiæ judicium est institutum; si hæc, inquam, ita se habent, cur etiam non poterit dolor abhinc quatuor, vel quinque dies animo conceptus, nec revocatus, unum quid *moraliter* cum confessione præsenti constituere?

159 Hactenus Tamburinus, cum quo proinde dico, si heri, aut nudius tertius discussisti tuam conscientiam pro hodierna confessione, & ante, vel statim post discussam excitâsti verum dolorem, minimè opus, sed duntaxat consultum esse, ut hodie renoves *physicè* dolorem, nisi fortè interea revocâsses hesternum, seu nuperum, quæ revocatio fit per peccatum mortale interim patratum. Imò si in pridiano ordinario examine faciendo doluisti debito modo de peccatis, nihil cogitans de confessione facienda cras, vero simile est, non esse opus alio dolore, sed hesternum illum cum hodierna Confessione habere sufficientem *moralem* simultatem, seu conjunctionem. Probatur tum verbis Tamburini primùm descriptis, tum exemplo, quod admittit Abbas Rasslerus suprà *num. 155.* tum ratione, quia, licèt tunc non cogitetur de confessione, quia tamen superiùs ostendi, conjunctionem illam *moralem* harum duarum partium posse fieri, sine *virtuali*, aut *formali* relatione doloris præcedentis ad confessionem, non apparet, cur nocti unius interjectio obsit *morali* conjunctioni. Nollem ego tamen sequi hanc doctrinam respectu mei, quia spectantia, ex institutione Christi, ad valorem Sacramenti sunt potiùs scrupulosè, quàm aliquantùm laxè observanda.

160 Ex his deduces in primis, Professorem Fulvii, de quo *num. 141* haud satis perite locutum, si *absolutè* dixit, dolorem hodiernum non sufficere ad crastinam confessionem; licèt enim id sit valde probabile, quando ille dolor fuit conceptus sine ulla omnino cogitatione; aliquantùm etiam probabile, quando fuit conceptus cum cogitatione de confessione, sed non ex vi, & intentione faciendi hanc eras, si tamen fuit elicitus ex hac omnino intentione, dicendo nimirum: Volo cras aperire mea peccata sacerdoti, ergo jam volo me examinare, & debito modo dolere, quia fortè cras non suppetet satis temporis; nullus Theologorum, quos legi, negabit, talem pridianum dolorem esse sufficientissimum, casu, quo, ex vi propositi de confessione hodie obeunda formati heri, peragitur hodie illa Confessio: modò non revocetur ille dolor per novum peccatum mortale, ut paulò antè dixi ex Tambur.

Quid si autem, *instituendo heri illud accura-* 161
tum, & dolorificum examen cum prædicto proposito, fui immemor unius peccati mortalis, hujus verò memoria occurrat cras ante confessionem, an non erit necessaria nova pœnitudo?

Resp. I. Si pridie non deprehendisti in tua conscientia, nisi venialia peccata, & proinde non doluisti de illis, nisi communi modo, quo solemus de venialibus, erit probabiliter necessaria cras nova pœnitudo; nam dolor de venialibus communiter non extenditur ad mortalia. Consentiunt à fortiori Jacobus à Graphiis, & Reginaldus mox citandi.

Respondeo enim II. Si in illo examine 162
occurrit tibi unum, aut plura peccata mortalia ultra oblitum, déque illis, aut illo doluisti ob motivum ne *virtualiter* quidem, sed tantùm *habitualiter* se extendens ad oblitum, necessariò debebis de revocato in memoriam dolere novo dolore, ut liquet ex dictis *Cas. IV. num. 70.* Idem est ex opinione Jacobi de Graphiis *Lib. 1. decis. aurear. c. 5. n. 23.* & Reginaldi *Lib. 5. c 4 sect. 3. n. 55.* pronuntiandum, tametsi dolor pridianus fuerit conceptus ex motivo communi de peccatis tam oblitis, quàm non oblitis, eò quòd nec sufficiat, esse ita dispositum, ut quis esset doliturus, si peccatum veniret in mentem, nec excusetur pauper, qui, cùm jam non sit solvendo, detrectat solutionem etiam postquam pervenit ad pinguiorem fortunam, ut argumentatur Graphiis.

Sed contra: non exigitur novus dolor de 163
peccato ante absolutionem oblito recurrente post absolutionem, ut paulò post dicam; ergo nec exigitur, licèt recorderis ante omnem confessionem; absolutio enim non absolvit ab obligatione dolendi, sed detestatio. Et nónne ex sententia ipsiusmet Reginaldi, eáque vera, ut ostendimus *n. 74.* dolor de mille mortalibus peccatis sub confusissima, indistinctissima repræsentatione apprehensis elicitus ex motivo omnibus communi ita sufficit ad confessionem, ut nequaquam requiratur peculiaris dolor de singulis postmodum memoriam subituris? Ergo consultum quidem, at 164
non necessum est, ut, quando memor decem duntaxat peccatorum mortalium, immemor autem trium aliorum dixisti: *Domine Deus doleo ex toto corde, quòd te unquam quacunque ratio-*

tione offenderim ! postea detesteris peculiariter illa tria, si ante, aut post exhomologesin occurrant animo. Imò nec tunc est opus, quando solùm dixisti: *Domine Deus doleo ex toto corde, quòd te tam graviter & indigno offenderim hisce decem sceleribus* ! ut facilè deduces ex dictis *num. 70.*

VI. Quando in confessione oblitus alicu-
165 jus peccati, illud paulò post datam absolutionem confiteris, non est opus, ut de illo habeas novum dolorem; prior enim se extendit *virtualiter* ad hoc, si processit ex motivo etiam huic communi. Lugo *Disp. 14. sect. 3.* Dicast. *Disp. 6. dubit. 12.* post Henriq. *Lib. 4. de pœnit. c. 16. n. 7.* cum aliis communiter, teste Dicastillo, contra Joann. Sanchez. Similiter si propter instans mortis periculum impertitus es alicui absolutionem, antequam omnia peccata narraret, potes ab iis, quæ fortè adhuc subdet, eum absolvere, tametsi novus dolor non
166 superveniat. Sicuti, si superiori es confessus sola reservata, & adeptus eorum absolutionem accedis inferiorem Confessarium, manifestaturus ipsi non reservata cum reservatis, opus tibi non erit novo dolore. Idem Card. *l. c. n. 27.* subdens *num. 30.* posse in casu, quo aliquem iteratò absolvis propter accusationem de peccato oblito ante proximè antecedentem absolutionem, eandem pœnitentiam à te imponi, quam imposuisti paulò antè, sicuti etiam observo *in Alphab. Confess. Cas. XXI. num 743.*

167 Nec dubium, quin Lugo, & Dicastillo sentiant, dolorem universalem, quem habuisti heri, aut nudius tertius tempore confessionis tunc peractæ, sufficere pro confessione hodierna, in qua nihil aliud confiteris, quàm peccatum nudius tertius omissum per oblivionem.

168 VII. Si hodie confessus tria peccata cum debito dolore, cras iterum eadem, nullo alio adjuncto, rursum confiteare, non fore eras necessarium novum dolorem, docent satis apertè Lugo, & Dicastilio *locis citatis*, quatenus *absolutè* ajunt, unum actum doloris posse esse materiam duarum confessionum, in quarum posteriore nihil aliud aperitur, quàm in priore, tametsi Joann. Sanchez, & Diana hoc negant apud Dicastillo *n. 166.*

169 VIII. Denique si hodie cœpisti facere confessionem cum verò dolore, sed absolvere nequivisti, non tantùm non erit crastino die, quo eam absolves, opus ullo novo dolore, sed si fortè de nocte tactus apoplexiâ nequeas post unum, duos, sex dies dare ullum signum doloris, absolvere te debebit, qui excepit partem confessionis; imò poterit alius, qui scit, te heri auspicatum esse tam sanctum opus, quia generatim Catholicus moribundus debet absolvi, etiam privatus omnibus sensibus, modò constet, dedisse aliquod signum pœnitentiæ directæ ad confessionem, ut trademus *in Alph. Confessar. Cas. XIX. n. 599.*

Nec obest, quòd tu cœperis confiteri alteri, 170
adeóque non habueris intentionem accipiendi absolutionem ab altero, nam illud tuum particulare factum nihil derogavit generali omnium Christianorum intentioni recipiendi à quocunque tandem sacerdote absolutionem in tali articulo.

APPENDIX INEXPECTATA ad Num. 146.

POrrò quia responsiones datæ in hoc *sexto* Casu supponunt id, quod expressi *n. 146.* scilicet *actualem* dolorem esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, infertur, quid fuerit à me respondendum ad hunc

Casum inauditum.

FAbricius narraturus sua peccata Sacerdoti, nec præmittebat, nec conjungebat ullum alium dolorem, quàm indicatum his verbis: Domine Deus syncerè cupio confiteri eo modo, quo Beata Virgo, S. Franciscus, atque alii Sancti fuêre confessi; *Confessarius, non ignarus hujusce consuetudinis, impendebat ipsi absolutionem. Quæritur, an valide?*

Quidam primæ vir authoritatis, non modò narravit mihi hoc factum utrumque, sed insuper seriò quæsiit, quid de eodem censerem, cùm diversa ferrentur judicia de illo. Respondi, absolutionem fuisse nullam; contritio enim est pars *essentialis* Sacramenti pœnitentiæ. Tridentinum Concilium suprà *Cas. 1. n. 5.* & quidem *actualis*, ut jam dixi ex sensu omnium Theologorum; atqui nulla *actualis* contritio, nullus verus dolor de peccatis indicatur verbis prolatis ab illo nimis albæ mentis homine; qui enim præcisè, quamvis syncerissimè, animitúsque dicit, se intendere confiteri eo modo, & cum iis conditionibus, cum quibus fuêre confessi S. Franciscus, Dominicus, Augustinus, & quas ipse Christus præcepit jungi cum vera Confessione, solummodò ut sic præcisè indicat, se habere desiderium, aut voluntatem adjungendi illas conditiones, & circumstantias; atqui certum est, neque tali desiderio, neque tali voluntati jungi necessariò, seu inseparabiliter ullum actum, aut doloris, aut propositi. Vnde fit, ut vel mentiatur, vel falsum dicat, qui utens illâ formâ loquendi omittit *actualem* dolorem, *actualem* propositum; atqui actus mendax, aut falsus nequit esse pars Sacramenti Pœnitentiæ. Denique nefas est, cogitare Beatissimam Virginem doluisse de peccatis. Suprà *Cas. 1. n. 13.* utpote de qua propter honorem Domini nulla prorsus est habenda quæstio, quando de peccatis agitur. S. Augustinus *de naturâ, & gratiâ*, adversùs Pelagianos.

UTRUM SACRAMENTUM POENITENTIÆ POSSIT ESSE VALIDUM SIMUL, ET INFORME.

CASUS VII.

Probabilissimè Fabulosus.

SVMMARIVM.

Casus de existimata adultera matre Petri Lombardi, Gratiani, & Comestoris. 171.
Illa existimatio est falsa. 174.
An, si illa mater non doluisset de illis tribus adulteriis, potuisset nihilominus ejus Confessio esse valida, *&* informis? *175. & seqq.*
Probatur, posse dari Confessionem talem. 178.
Confessus cum dolore non se extendente ad omnia peccata, an postea tenebitur ea omnia rursum confiteri? 179.
Alius casus, quo datur Confessio valida *&* informis. *180.*

171 *GRatianus celeberrimus ille Compilator Decreti, & eximium decus Illustrissimi Ordinis S. Benedicti, fratrem habuit Petrum Lombardum, Episcopum Parisiensem, vulgò Magistrum sententiarum dictum; habuit, & alterum germanum Petrum Comestorem historiæ laude clarum. Hos omnes susceperat ex adulterino complexu genitrix ipsorum. Quæ cùm multos post Annos videret, audiret, quantâ nominis celebritate sui filii excellerent, dictitare solebat, se quidem peccâsse, dum eos concepit; at cùm pepererit filios tam utiles Ecclesiæ, non posse dolere de illo peccato.*

172 Quæritur: *An, si revera omisisset in suis omnibus Confessionibus detestationem simul, & manifestationem hujus triplicis adulterii, inducta illâ falsâ persuasione, quòd nec detestandum, nec confitendum esset verum crimen mortale, ex quo tantum commodum in universam Ecclesiam dimanâsset, fuissent omnes illæ Confessiones invalidæ, & consequenter infructuosæ, videlicet sine remissione etiam illorum peccatorum, quæ syncerè aperiebat, & consequenter sine infusione gratiæ sanctificantis*; quæ cùm sit nobilissima illa forma, corona, & gemma, qua deformissimam peccatoris animam exornare semper deberet, ex Christi institutione, Sacramentum Pœnitentiæ, meritò tunc illud appellatur *informe*, quando re ipsa conferturquidem validè, sed tamen sine inductione formæ illius, & vestis nuptialis.

Est autem lis inter Theologos duplex circa 173
hanc deformitatis conjunctionem cum valore. Prima, *utrùm fieri queat, ut Sacramentum pœnitentiæ* (de cæteris dubitari non permittit quotidiana, pro dolor! quorundam sacrilegè ea recipientium perversitas) *sit planè validum, & tamen non adferat ipsa gratiam sanctificantem?* Secunda, *quibus in casibus possit esse* validum *&* informe?

Quia verò omnes, qui partem *affirmativam* 174
tuentur, ajunt, tunc saltem posse illam conjunctionem valoris cum informitate fieri casu, quo deest debitus dolor; idcirco proposui factum, in quo exprimitur defectus doloris. Descripsi autem ex Illustrissimi D. Joannis Caramuelis *Theologia Fundamentali*, in qua non modò illud factum refert, sed etiam testatur, describi in primo folio Decretorum, at non reperio in variis editionibus, quas submînistrat nostra Bibliotheca; invenio autem apud Tiraquell. *De nobilitate Cap. 15. n. 32.* ita scribentem: *Sunt, qui ferant, Gratianum, Petrum Lombardum, & Petrum Comestorem ex adulterio natos, cujus admissi cùm mater eorum pœnitere non posset, quòd tantos viros ita genuisset, idque confessori suo planè profiteretur*, pœniteas ergo, inquit, quòd pœnitere non possis. Ira Tiraquellus. At verò Cardinalis Bellarm. *in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Verb. Petrus Lombardus* testatur, fundamento carere quorundam opinionem scribentium, Gratianum, Lombardum, Comestorem fratres fuisse, cùm Gratianus fuerit Etruscus, Lombardus Novarinus, & Comestor Trecensis Gallus. Eam ob rem voco illum Casum *probabilissimè Fabulosum*. Posito autem, esse verum (certè fuit possibilis) sic eum breviter resolvo.

Si illa mater confidit, se concepturam filios 175
plurimùm profuturos bono Ecclesiæ, & insuper fuit adeò rudis præceptorum divinorum, ut ex ignorantiâ invincibili (negabunt hanc invincibilitatem Sinnichiani) existimârit, adulteria, ex quibus progignuntur proles perutiles bono publico, non esse crimina lethalia, ac proinde non deferenda ad Sacrum tribunal, tunc, si Confessionibus ipsius nihil aliud obfuit, quàm silentium trium adulteriorum, Confessiones illæ fuerunt *validæ* simul, & *fructuosæ. Validæ*, quia nihilominus adfuit integritas *formalis*, ut patebit ex dicendis *Cas. XIV. Fructuosæ*, 176
quia omissio inculpata peccati mortalis non privat fructu Sacramenti. Si verò ponamus, (ut posuimus) illam, dum violabat fidem conjugalem, existimâsse quidem, se gravissimè delinquere, confessionem tamen hujus criminis distulisse, donec intellexit, filium Petrum celebrari ore omnium Theologorum, filium Gratianum summo esse loco apud Jureconsultos,

nec Petri nomen esse obscurum; hoc autem cognito, ita gavisa fuit utilitate publicâ, quam adferre dicebatur ejus triplex proles, ut crederet, stultè acturam se, si doleret de conceptione talium liberorum, hæcque credulitas fuit inculpata, ei autem juncta Confessio cæterorum mortalium peccatorum, at non adulteriorum, junctus quoque verus dolor de cæteris peccatis, sed absque motivo se se *implicitè*, aut *virtualiter* extendente ad eosdem furtivos complexus juxta dicta *Cas. IV. n. 70.* tum' *valida* quidem fuit illa confessio, sed *infructuosa*.
177 Adeóque sentio cum S. Thoma *in 4. dist. 17. q. 3.* Suarez *De Pœnit. Disp. 20. Sect. 5.* Cardinale de Lugo *Disp. 14. Sect. 6. & 7.* atque Thomistis communiter, ut testatur Suarez, & Lugo, contra Vasq. Coninck, Fagundez, aliósque multos, Sacramentum pœnitentiæ posse ob præsentiam alicujus veri doloris esse *validum* quidem, at simul etiam *informe* ob defectum alterius doloris, probóque communi ratione in primis de
178 valore, deinde de informitate. Siquidem ad essentiam hujus Sacramenti non exigitur ex parte pœnitentis plus, quàm *supernaturalis* dolor, propositum emendationis, & confessio *formaliter* integra. Deinde probo de informitate; etenim hæc tria possunt revera inveniri in peccatore, cui tamen non infundatur gratia; siquidem ex una parte certum est, non dimitti ullum peccatum mortale sine pœnitentia, seu dolore saltem *virtuali*. Suprà *Cas. VI. n. 131.* ex altera etiam parte non minùs certum est, unum peccatum mortale sine altero non remitti. Atqui fieri potest, ut quis revera doleat de uno è duobus peccatis à se commissis, & sic caderit dolor sufficiens ad essentiam pœnitentiæ Sacramenti; re autem verâ non doleat de altero, quia videlicet motivum, ob quod dolet de priore veniente in mentem, est omnino particulare, proinde nullatenus se exporrigens ad alterum non occurrens memoriæ, ut quando reus hæresis, & furti dolet de primo præcisè idcirco, quòd infallibilem veritatem postposuerit suo judicio tam hebeti, tam stulto.
179 Suppositâ veritate *speculativâ* nostræ doctrinæ, sequitur hoc corollarium *practicum*, propter quod solum disserui de tacta controversia, quòd scilicet necessarium non sit, ut, qui confessus est sine alio defectu, quàm doloris dimidiati, ut ita loquar, seu restricti ad quædam, non extensi ad omnia mortalia, cognito defectu repetat Confessionem criminum, ad quæ se extendebat ille dolor, sed dun taxat illorum, de quibus revera non fuit dolitum.
Atque ita sentiunt, & meritò quidem post S.
180 Thomam patroni superioris doctrinæ, addentibus aliis apud Suarez *loc. cit.* Tann. *n. 114.* Aliòs casus, quibus Confessio possit esse *valida* simul, & *informis*, quos inter est ille, quem Henriq. *Lib. 5. cap. 11. c. 2.* admittit, dum assentiente & fusè propugnante Nugno *in addit. ad 3. Part. quæst. 9. art. 2. dub. 1. sub finem.* ait, si quis cogitans quidem omnia confiteri, attamen per mortalem negligentiam (quæ tamen non sit crassa, & accedens ad affectatam, ut ait Nugnus) se non sufficienter examinans confiteatur, & ob prædictam negligentiam omittat unum, aut alterum mortale peccatum, fore *validam*, sed *informem* Confessionem; & *in commentario* videtur non assentiri Melchiori Cano exigenti, sicut & exigit Nugnus, ut talis non advertat se peccare; nec requirit Henriquez ad valorem Sacramenti, nisi ut confiteatur istam suam negligentiam. At nec hoc postulat Nugnus, quia expressè supponit, eam negligentiam non animadverti. Inter illos eosdem casus est defectus propositi serii emendandi vitam; de quo jamjam.

DE PROPOSITO EMENDATIONIS.

CASVS VIII.

Vindicativi.

SVMMARIVM.

Casus ignoscentis imperfectè inimico. 181.
Difficillimè corriguntur coquentes Vindictam. 182.
Propositum efficax emendandi se requiritur ad effectum pœnitentiæ Sacramenti. 184.
Imò etiam ad essentiam ejusdem. 185.
Sitne probabilis opinio consentium, velleitatem sufficere loco veri propositi? 187.
Quomodo propositum debeat esse firmum? 188.
Huic firmitati non obest opinio futuri relapsus. 189.
Casus dicentis, se non posse vivere sine luxuria. 190.
An tali erat impertienda absolutio? 191. & 192.
Quomodo propositum debeat esse universale? 195.
Quomodo generatim tale, ut malit quidlibet potiùs pati, quàm peccare mortaliter? Ibid.
Reprehendendus confessarius, proponens pœnitenti in specie mala præ peccato eligenda. 196.
Quid faciendum, quando pœnitens dicit, se dubitare, utrùm potiùs esset peccaturus, quàm subiturus hoc, aut illud malum? 197.
Quid debuit confessarius dicere illi, de quo num. 181. actum est? 199.
Qui tractandus à confessario is, qui alteri non vult ignoscere? 200.
An quandoque teneatur accidere tali ad genua? 201.
Quarta conditio propositi est de deserendis occasionibus proximis. 202.
Propositum hactenus descriptum debet, per se loquendo, *esse* formale. 203.
Per accidens *tamen sufficit, si sit* virtuale. *104.*
Declaratur duobus eventis. 206. & 207.
Promittens confessario, se non amplius commissurum hoc, aut illud peccatum, si nihilominus relabatur, non ideo peccabit dupliciter. 209.
Proponitur difficillimus in praxi casus. 210.
Confitens sola venialia non necessario elicit formale *propositum non relabendi. 217.*
Nec necessariò tam firmum, quàm est habendum de mortalibus. Ibid.
Proponuntur nonnulla documenta circa propositum virtandorum venialium. 219.
Singulariter illud, quòd sufficiat propositum minuendi numerum. 224.

181 HErmogenes lacessitus ab Horatio gravi injuriâ, quærit omnes ulciscendi modos. At, dum quærit, corripitur morbo lethali. Sacerdoti seu accersito, seu sponte advenienti confitetur inter cætera iram gravissimam inflexibilémque propositum sumendi vindictam, tandem tamen inductus hortationibus Confessarii ait, se hosti ignoscere. At paulò pòst nescio qua occasione data explicat se se, ac dicit, se quidem ignoscere ipsi ex animo, si sibi nunc emigrandum sit è vita, si autem convaluerit, se par pari relaturum; nec potuit ullâ prorsus ratione adduci à Confessore, ut absolutè ignosceret; atque ita efflavit animam. Quæritur, an cum hoc proposito potuerit validè, & fructuosè? An verò saltem validè *recipi Sacramentum pœnitentiæ?*
182 Vivebat, dum hæc mandabantur prælo, sed jam vixit, ille I. V. D. qui hoc factum expresso nomine Urbis Italicæ, in qua contigit, mihi, ceu certissimum recensuit. Quod quidem inter reliqua confirmat duas doctrinas *morales*. *Primam* Navarri *de Jubilæo notab. 17. n. 14.* annumerantis difficillimè corrigibilibus eos, qui rancorem, atque vindictas fovent. *Alteram* nostri P. Alphonsi Rodriquez, non sine aliorum plurium suffragio scribentis, longè plures confessiones fieri sacrilegè ex defectu propositi emendationis, quàm integritatis; addente Cardinale de Lugo *de pœnit. disp. 15. Sect. 4. n. 53.* potissimam causam, cur, qui tantùm semel in Anno confitentur, toties, & tam citò relabantur in peccata pristina, esse conjiciendam in defectum propositi, nam ne tunc quidem, cùm faciunt annuam Confessionem, adferunt propositum, nisi infirmum.
183 Nos de proposito dissolvemus tres generales quæstiones; *primam* de qualitate, necessitate que illius, respectu Sacramenti Pœnitentiæ; *alteram* respectu peccatorum mortalium; *tertiam* itidem de necessitate, & qualitate illius, respectu venialium.

Dico I. Non tantùm ad effectum, sed etiam 184
ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur firmum, efficáxque propositum non peccandi de cætero mortaliter. *Prima* pars est omnium Recentiorum, & probatur autoritate Tridentini *Sess. 14. cap. 4.* definientis, non modò contritionem, per quam obtinetur remissio peccatorum, esse detestationem peccati *cum proposito non peccandi de cætero*, sed insuper addentis, attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ sufficere ad obtinendam remissionem, *si voluntatem peccandi excludat*; atqui ejusmodi voluntas non excluditur, nisi per propositum non peccandi de cætero.

Altera pars est communissima contra Victo- 185
riam, Ledesmam, Canum, Cajetanum, Covarruviam relatos à Suario *Disp. 20. Sect. 4. n. 1.* Vasq. *quæst. 92. art. 2.* Tannero *hic Quæst. 6. d. 4. n. 84.* ac ratos, ad valorem hujus Sacramenti sufficere quamlibet displicentiam de peccato cum velleitate non peccandi, quæ velleitas potest his verbis exponi: Utique vellem, ut non offenderem Deum, sed quia non possum desistere, seu tam ægre desisto à sectandis voluptatibus, lucro injusto, occasione sumendi vindictam, & aliis, quibus est inseparabiliter juncta offensa Dei, reatus pœnæ æternæ, jactura paradisi, &c. idcirco nequeo jam sine mendacio dicere: *Volo, & decerno inposterum, quantum per Dei gratiam potero, non admittere ullum crimen lethale, non offendere Deum mortaliter.* Ete- 186
nim velleitas nihil est aliud, quàm actus *conditionalis* voluntatis, versantis circa objectum, vel impossibile, vel possibile quidem, sed non nisi per media molesta, quæ quis proinde non vult adhibere: cujusmodi velleitas reperitur in literarum alumno valde pigro, qui vellet quidem facere in fine Anni gradum ad superiorem scholam, sed non nisi desidiosissimè terit tempus. Porrò cùm ejusmodi velleitas sit nimis imperfecta conversio, reversióque ad Deum, credibile non est, eam sufficere ad valorem Sacramenti, cùm præsertim possit habere adjunctam voluntatem absolutam peccandi.

Quia tamen neque Suarez *loc. cit.* neque 187
Vasq. *l. c.* neque Lugo *Disp. 14. Sect. 5.* referentes illam Victoriæ sententiam, ullâ censurâ eam notant, etsi Tannerus *l. c.* scribat, non videri probabilem, & *Quæst. 7. n. 102.* vocet fallam; quia eandem etiam è Recentioribus sequitur Thomas Hurtadus apud AmadæumGuimenium *Tract. De Matrim. propos. ult. n. 18.* itémque magnus in re morali MagisterSilvester *Verb. Confessio Quæst. 22. dicto 2.* ideo posset, ob tantorum virorum authoritatem, non nemini videri non adigendus ad repetendam Confessionem is, qui cum tali velleitate est confessus, modò

vel putaverit, talem velleitatem sufficere, vel si non putavit sufficere, attamen sit illam confessus, ut tradunt citati apud Tanner. *cit. n. 102.* vel non occurrerit ejus menti cogitatio de confitendo tali defectu, sicuti exprimit Silvest. *l. c.* & denique non habeat *formale* propositum peccandi mortaliter. Verùm obstat Silvestro clarè autoritas Tridentinæ Synodi. Nam propositum, quod ipsa, & nos exigimus ex communi, veróque Recentiorum judicio ad essentiam confessionis, nihil est aliud, quàm firma voluntas, & intentio non peccandi ullatenus mortaliter in posterum; ac proinde debet esse præditum quatuor conditionibus.

188 *Prima* conditio est, ut sit firmum, quale censetur esse, quando est ejusmodi, ut, quamdiu manet in animo, tamdiu nequeat homo scienter admittere crimen lethale. Quare te carere sufficienti proposito, non necessariò inferes ex eo, quòd post illud formatum relapsus sis perfrequenter in idem peccatum, sed ex eo, an, quando dicebas, te habere propositum non peccandi, fueris ita dispositus, ut, si, manente illo actu propositi, ac voluntatis, oblata tibi fuisset occasio aliqua conficiendi aliquod mortale crimen, fueris illam amplexurus. Si enim, stante eo statu animi, fuisses eam certò, vel sub dubio amplexurus, signum est, tuum propositum non fuisse firmum, fuisse autem firmum, si, permanente eo statu, fuisses illam ex-
189 secraturus occasionem. Hinc notant communiter autores, ac nominatim Valent. *Tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 2. in fin.* ac Laym. *hic Cap. 4. n. 8.* tametsi quis, consideratâ suâ fragilitate, meritò timeat, imò etiam existimet, se ad vomitum rediturum, id tamen nil obesse firmitati propositi; propositum quippe est actus voluntatis; illa verò existimatio est actus intellectûs, qui potest consistere cum priore voluntatis operatione. At fortè quæres, quid censendum de hoc

Casu Martini Navarri?

190 *Turpilius assuetus à prima adolescentia fœdissimæ turpitudini dicit Confessario, se non posse sine hisce voluptatibus vivere, an absolvet Confessarius?*

191 Ita quidam ejusmodi Turpilius de se ipso, respondit Navarro, hortanti ipsum ad seriam resipiscentiam, ut refert hic *Tract. De Indulg. & Jubil. Notab. 17. n. 13.*

Resp. Certò non absolvet, sequendo communem sententiam Recentiorum, quam defendimus; apparet enim ex his verbis, deesse aut absolutè propositum emendationis, aut propositum firmum. At verò probabile mihi est, propugnatores velleitatis, de quibus superiùs, resposuros in primis, si absolvatur, Sacramentum fore validum, modò Turpilius possit hac ratione interpretari sua verba: Ego quidem non habeo jam *explicitam* voluntatem me rursum inquinandi illis spurcitiis, imò vellem, ut carerem omni in eas inclinatione, & nunquam iis offenderem Deum; quia tamen ita sum profundè in eas immersus, tantámque ex iis persentisco voluptatem, nequeo in me excitare voluntatem eas, postponendi legi divinæ, illas prohibenti: Si enim Turpilius valeat syncerè sic interpretari sua illa verba, suúmque animi sensum, dicetur habere illam ipsissimam velleitatem, quam sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ, sustinent tot Thomistæ à nobis relati, & refutati.

Respondebunt deinde, ut reor, rectè quidem, non fuisse impertiendam absolutionem illi Veneris mancipio, *per se loquendo*, idcirco, quòd non sit administrandum ullum Sacramentum indispositò, atque incapaci fructûs principalis annexi illi. Quia verò *in Clavi Alphabetico - Sacramentali Sect. 6. n. 274.* seu *Tract. 1.* ostendi, posse occurrere circumstantias, quibus fas sit, conferre verum Sacramentum indigno, idcireo possent & hìc tales occurrere; nec falsificaretur ullo modo formula absolutionis, si, ut nonnullis placet, ea sit hoc modo explicanda: *Confero tibi Sacramentum, quod ex se vim habet remittendi peccata.* 192

Altera conditio propositi est, ut sit univer- 193
sale, id est, extendat se ad omnia mortalia in posterum vitanda, quale etiam tunc adesse censetur, quando tuum propositum formas quidem expressè de uno solo, at formas ex motivo communi cæteris peccatis. Sicut & ille habet sufficienter universale propositum, qui reus quinque mortalium diversæ speciei, syncerè dicit: *Potiùs moriar, quàm ut rursum admittam ullum ex his quinque peccatis*, dummodo non habeat vigentem affectum erga unum aliud.

Tertia conditio est, ut nullius mali metu, 194
nullius boni amore, velit quis in posterum peccare lethaliter; alioquin pluris fieret seu vita propria, seu voluptas, aut commoditas adjuncta peccato, quàm Deus ipse; quod utique est nefarium. Quare neganda est absolutio omni, qui non est *actualiter*, vel *virtualiter* ita dispositus, ut malit omne malum generatim perpeti, quàm crimine lethali lacessere Deum. Navarrus *in Manuali Cap. 1. n. 17.* ex communi.

Dixi: *Generatim*; est enim cavendum con- 195
fessario, ne pœnitenti proponat in specie aliqua mala valde acerba, ipsíque valde displicita; nam ex una parte sufficit, modò *generatim*, & *universaliter* sit quisque paratus, in nullo casu Deum offendere mortaliter; & *actualiter* non adsit animus eum ita offendendi; ex altera autem parte potest (ut Navarrus observat ex S. Thoma, & Innocentio) fieri, ut quis generaliter malit omnia perferre mala, quàm admittere noxam inferno dignam, nolit tamen hoc, aut illud malum speciale potiùs exantlare, quàm e. g. non sumere vindictam de improbo invasore honoris; eò quòd sicut jucunda multò potentiùs nos movent, quando speciatim, & sigillatim proponuntur, quàm quando generatim, sic etiam terribilia speciatim narrata majorem nobis horrorem incutiunt, & consequenter à bono eis contrario avertunt, quàm quando de illis generatim fit mentio.

196 Et quis ferat confessarium, qui ex virò illustrissimul, & militari, solito veris blasphemiis, injuriosis verbis, crudeli, & injustâ verberatione uxoris, ac famulorum offendere Deum lethaliter, sciscitetur, malítne osculari pedes carnificis in publico foro, quàm quidquam ejusmodi in posterum facere? Quare non solent, ut reor, prudentes confessarii quærere plus circa objectum propositi, quàm sítne pœnitens paratus mori potiùs, quàm relabi deliberatè. Quandoque tamen ad dandam occasionem majoris meriti propono etiam in specie aliqua gravia mala, quando scilicet cognosco, pœnitentem haud admodum ægre facturum tam generosam resolutionem.

197 Quòd si pœnitens nutet, aut etiam dicat, se dubitare, quid facturus esset casu, quo vel peccandum, vel hoc illúdve genus mali subeundum, tradit *absolutè* Navarrus *n. 19.* post. S. Bonavent. & Turrecremat esse donandum absolutione, quæ doctrina vera est, si illa dubitatio sit in solo intellectu, & nondum ullatenus in voluntatem redundet, si enim redundet, tunc est talis homo pessimè dispositus, cùm deliberatè dubitet, utrùm malit in ejusmodi eventu parere Deo, quàm cacodæmoni. Ergo talis debet vel *absolutè* se resolvere, quòd malletsubire id mali, quàm irritare Numen, vel dicere intra se: *Si hoc evenerit, habeo jam animum faciendi id, quod bonum Christianum decebit: quod Deus à me exiget, &c.*

198 Ex quibus apparet, incapacem esse absolutionis, tum qui satisfacere non vult pro injuria alteri illata in fortunis, honore, corpore, cùm possit, ac debeat, tum qui non vult remittere, sed potiùs ulcisci injuriam illatam.

Consequenter indispositus ad Sacramentum confessionis, veniámque à Deo impetrandam fuit Hermogenes relatus *n. 181.*

199 *At inquies, quid agendum fuit confessario Hermogenis?*

Resp. Debuit in primis ei rotundè dicere, non posse ipsi à se impertiri absolutionem, & proinde illum tam certò, quàm certò Filius Dei pro ipso, & toto mundo mortuus est, æternis inferorum suppliciis excarnificandum inter fures, latrones, veneficos, Judam proditorem, ipsos Christi crucifixores, nisi penitus remittat
200 injuriam. Debuit deinde verbatim ipsi recitare illam fulminatricem sententiam Salvatoris *Matth. 18. Sic & Pater vester cœlestis faciet vobis* (id est: tradet vos Tortoribus) *si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus*, de cordibus, inquam, vestris. Debuit, & illam cum emphasi jungere: *Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam: In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis deprecatur. Ipse, cùm caro sit reservat iram, & propitiationem petit à Deo. Quis exorabit pro delictis illius? Eccl. 28.* Debuit denique, si hæc, & similia non profecêre, accidere ad pedes indurati, exhibere ipsi imaginem Christi in crucem fixi, atque obtestari per innocentes Christi plagas, per coronam spineam, &c. ut si non hosti, saltem ipsi Christo remitteret eam injuriam. Hæc sanè fecêre è diversis Religionibus, nostráque Societate nonnulli, idque cum optato effectu.

At delinquerétne confessarius, si in consimili eventu non imitaretur hos nonnullos? 201

Respondeo *affirmativè*, si quidem speraret, expugnatum iri animam pervicacis hac ratione, & non aliâ faciliore. Ratio est, quia quilque tenetur, etiam cum aliquo incommodo suo, succurrere proximo versanti in præsenti periculo extremæ damnationis; versanti, inquam, ex fragilitate; tales autem versantur in ejusmodi discrimine potiùs ex fragilitate, qui ex vehementia passionis; est autem passionis vindicativæ vehementia apud nonnullos propriè indomabilis.

Quarta conditio propositi est Decretum de- 202
serendi, fugiendive occasiones peccatorum *proximas*, cùm sit *Matth. 5.* scriptum: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Consentiúntque in hanc conditionem universi DD. Explicationem hujus conditionis satis uberem trado *in Alphab. Confessar. Cas. XVI. n. 525. & seqq.*

Dico II. Propositum hactenus descriptum 203
debet, *per se loquendo*, esse *formale*, & *expressum*: *per accidens* tamen sufficit *implicitum*. *Prima* pars est communis Theologorum, teste Card. de Lugo *Disp. 5. n. 97.* eò quòd Concilium Trident. *Sess. 14. c. 4.* contritionem definiat esse detestationem peccati *cum proposito non peccandi de cætero*; idque indicent varii textus Scripturæ, & Patrum apud Suar. *Disp. 4. Sect. 3.* Dicastillo tamen *Disp. 2. dub. 6.* latè defen- 204
dit contrarium, casu, quo est elicitus actus, vel *perfectæ* contritionis, vel dilectionis Dei super omnia; tunc enim nunquam esse necessarium, ut propositum non peccandi in posterum sit actus distinctus à pœnitentia *perfecta*, tradit *n. 147.* non sine suffragio aliorum Theologorum; quam & ego doctrinam puto esse vero similem; non video tamen, quomodo reus graviumpeccatorum, & de iis perfectè dolens possit suspendere expressum actum propositi de illis vitandis in posterum, si dolenti, & exercenti, seu *imperfectam*, seu etiam *perfectam* contritionem occurrerent tentationes de non relinquendis occasionibus proximis, déque vita in longum adhuc tempus producenda; ergo tunc saltem erit necessarius actus propositi distinctus

ctus à contritione perfecta, tametsi Casparus Hurtadus *Disp. 2. diffic. 3.* hoc ipsum diserte neget contra Vasq.

205 *Altera* pars, quòd scilicet *per accidens* fieri queat, ut sine *expresso*, & *formali* ejusmodi proposito obtineatur, vel per attritionem unà cum confessione, vel per contritionem extra-Confessionem quoque remissio delictorum, est tam recepta à Recentioribus Theologis, tàmque firmis munita rationibus, ut non sit *practice* dubitandum de ejus veritate; habétque ea doctrina locum in duobus singulariter casibus: *primo* quo non occurrit, sicut sine dubio sæpissime non occurrit, ulla cogitatio de formando tali proposito; tunc enim singulariter valet doctrina Tridentini Concilii *cit. Cap. 4.* describentis conditiones attritionis sufficientis unà cum Sacramento ad dispositionem recipiendæ gratiæ, & inter eas conditiones nihil dicentis de pro-
206 posito *formali*. Certè nullus propriè, syncerèque de peccatis commissis dolet ob metum inferni, qui, si, durante illo dolore, interrogetur, an ergo non solùm mala præterita plangat, sed etiam plangenda iterum non committere velit, ut loquar cum S. Ambrosio, quem refert Magister *in 4. Disp. 14.* non continuò responsurus esset: *Quomodo possum ob hoc motivum serio antè acta peccata deflere, & flenda rursum committere velle?* ut verbis D. Gregorii utar.

207 *Alter* eventus, quo potest innoxiè omitti ejusmodi propositum *formale*, est, quando jam jam instat mortis inevitabilis periculum, adestque impossibilitas repetendi ullum ex peccatis conscientiam gravantibus; cur enim confessarius talem hominem hortetur ad propositum, seu *absolutum*, seu etiam *hypotheticum*, ex impossibili nimirum hypothesi mortis evadendæ, de non iterando ullo horum criminum? Quamquam minimè reprehenderem, qui expressè tali diceret: *Nónne ita detestaris tua furta, tuas spurcitias, & ebrietates: quas jam mihi manifestásti, ut, si Deus vitam tibi produceret ad multos, aut paucos Annos, nunquam esses relapsurus in hac tam dissolita Deo peccata?*

208 Ex his concludo, non modò esse juxta nostram, & Vasquezii contra Dicastillum sententiam præceptum, ut, quando volenti accedere Sacrum Cognitorem, seu Confessarium, & consequenter præmittenti, ut solet, detestationem peccatorum, succurrit cogitatio de vita emendanda, expressè dicat: *Omnino me integrè emendabo cum divino auxilio* sed etiam consultum (non tamen necessarium) ut quis excitet ejusmodi cogitationem, si possit, siquidem propositum *formale*, & *expressum* consuevit esse efficacius, quàm *implicitum*; & cùm hæc doctrina sit tum securior, ut ex se liquet, tum facilis in praxi, quidni quisque illam sequatur, *practicè?*

Cæterùm est etiam pro praxi notandum ex 209
S. Thom. Sanchez *Lib. 4. De voto Cap. 1. n. 31.* quando pœnitentes promittunt, quod sæpe fit, confessario, se non ampliùs hoc aut illud genus peccati peccaturos, hanc promissionem non solùm non esse votum, cùm non dirigatur ad Deum, sed neque obligare sub novo, & distincto reatu ad non relabendum. Memini quidem, unum, alterúmve pœnitentem mihi aliquando dixisse: *Promitto Deo, me imposterum penitus abstenturum ab hoc peccato*, at non statim credidi, edidisse votum obligans sub mortali infidelitate, sed priùs quæsivi, an sciret, oriri, per se loquendo, ex ejusmodi verbis deliberatè prolatis talem obligationem.

Dictis de necessitate propositi subjungo resolutionem hujus

Casus difficillimi in praxi.

Garcias Regni Congensis civis, & incola 210
petit à suo vicino hujus filiam in uxorem, quam & dat. Garcias secutus morem Patrium traducit illam in suas ædes, utitur eâ complures Annos tanquam uxore, at primùm postquam tot Annis experimento didicit, eam quadrare suo ingenio, celebrat cum ea nuptias in facie Ecclesiæ, repudiaturus eam, si non quadraret. Quòd agit Garcias, factitant plerique omnes Catholici in eo Regno. An possunt Confessarii eos absolvere tempore illius probationis, & quasi Novitiatûs Matrimonialis dicam, an Carnalis?

Locupletissimus testis hujus improbissi- 211
mæ, communissimæque consuetudinis est R. P. Joan. Franciscus Romanus Capucinus, *in Historia* stylo Italico scripta *de Regno Congo cap. 2.* postquam egit in eo Regno compluribus Annis Missionarium Apostolicum.

Non immeritò autem appello hunc Casum 212
difficillimum in praxi. Etenim ex una parte certum est, omnes ejusmodi sponsos, & sponsas, quibus totum Regnum est notoriè plenum, esse incapaces absolutionis, *per se loquendo*, & consequenter nec ad Eucharistiam admitti, nec extremè ungi posse. Ex altera parte videntur excusandi illi Congenses; nec enim possunt sibi persuadere, se delinquere, si per tres, quatuórve Annos experiantur, utrum saluti animæ, & bono fortunarum conducat inire fœdus indissolubile cum hac, aut illa Bertha; adeóque videtur quædam invincibilis ig- 213
norantia ipsis patrocinari. Quid facturi confessarii, & parochi circa administrationem Sacramentorum; quid circa permissionem ingressûs in Ecclesiam post non receptam (ob malam dispositionem) communionem Paschalem: quid circa morientes in tali statu: quid circa horum sepulturam, non explicat ille scriptor. Ego concludens ex tota narratione, omnes, aut plerosque ex taliter conditionatis sponsis carere proposito desistendi ab usu venereo concubinarum, potiùs quàm verarum sponsarum, videns quoque, administrationem Sacramentorum cessuram in majorem injuriam Creatoris, quàm negationem illorum, censerem esse repellendos ab omnium usu Sacramentorum, non obstante illâ fallâ persuasione, quæ revera est coram Deo inexcusabilis, utpote contraria judicio, & monitionibus pastorum, à quibus reguntur.

214 At, inquies. *Quid aget confessarius cum Juvene constituto in ea ætate, in qua solent Congenses accipere tales sponsas? Nónne meritò supponet, hunc quoque cogitare de sequendo exemplo suorum contribulium, & consequenter habere animum peccandi?*

Resp. Si Confessario non est aliunde notum ejusmodi propositum, dissimulet, cùm nequaquam teneatur supponere, juvenem ipsum esse *actualiter* (esto *habituliter*) dispositum ad tale quid suo tempore moliendum; si verò vel ex verbis ejus, vel aliunde comperit, eum destinare imitari populares, non poterit beneficium absolutionis concedere no-
215 lenti desistere à tali animo. Ita scribo in Europa de toto hoc argumento Congensi, ignorans, quid facturus essem in Africa, si versarer inter Congenses. Facerem utique, quod omnes alii confessarii; at, quid agant hi in ejusmodi casibus, tacet Historicus. Fortè utuntur circa jam *hypothetice* desponsatos, & desponsatas doctrinâ Doctorum contentorum velleitate, & penitius examinantium qualitates ignorantiæ invincibilis, & à confessario tolerandæ.

216 Dico III. Qui sola venialia confitenda habet, non utique necessariò format propositum expressum non delinquendi mortaliter, hanc quippe necessitatem nulla lex pro tunc indicat, tenetur tamen habere saltem *virtuale* propositum non relabendi in ea venialia. Etenim obligatur dolere de illis ex aliquo motivo *supernaturali*, cùm nequeat essentiâ Sacramenti subsistere sine tali dolore. Suprà *n. 46.* ergo hoc ipso, quòd sufficienter doleat de suis venialibus, habet propositum *implicitum* non iterandi illa eadem.

217 Quia verò Suarez *Disp. 4. sect. 3. assert. 1.* rectè tradit, necessitatem propositi *formalis*, & *expressi* respectu mortalium vitandorum simpliciter pendere ab ordinatione divina, ordinatio autem divina circa venialia, quoad punctum istud, non adfertur ulla, idcirco non ausim asserere necessitatem formandi expressum, distinctúmque propositum de venialibus non repetendis multò minùs dissentire à Coninck *Disp. 2. num. 130.* negante, exigi tam firmum propositum circa venialia, quàm circa mortalia fugienda.

Quia verò peccata venialia meritò vocan- 218
tur *quotidiana*, proindéque sunt materiæ quotidianarum confessionum, præsertim à personis Religiosis fieri solitarum, idcirco pro praxi quotidiana refero ex Cardinale de Lugo *Disp. 14. sect. 9.* & Dicastillo *Disp. 6. dub. 16. & 17.* sequentia.

I. Qui frequenter incidit in venialia vel 219
diversa, vel eadem, potest sibi proponere firmiter, se illam frequentiam emendaturum pro viribus; & hoc propositum sufficit, sicut & dolor de tam frequenti lapsu; item & confessio de illa frequentia, multitudinéque est sufficiens materia Sacramenti, eo modo, quo confessio de excessu in cibo, licèt non enumerentur singulæ buccellæ, quibus est factus excessus. Et in prædicto casu non remittuntur omnia peccata, sed tantùm posteriora, scilicet illa, ob quæ cœpit denominari frequens lapsus: nec est simile de intensione actuum, aut quantitate rei ablatæ; nam ista conficiunt unum aliquod individuum, ideóque non remittitur unus gradus, unus aureus nummus sine altero. Ita Lugo. Sed Dicastillo *num. 302.* rectiùs censet, etiam remitti omnia mendacia officiosa e. g. quando dicis Confessori: *Sæpe mentitus sum officiosè.*

II. Potest proponere non *absolutè*, sed *effi-* 220
caciter, quantum in se erit, se nunquam peccaturum venialiter, dicendo: Quantum in me est, volo procurare nunquam committere peccatum veniale; scio quidem, me recessurum ab hac voluntate, attamen pro nunc volo *efficaciter* non recedere; sicut qui diceret: si fuero damnatus, blasphemabo utique, ut cæteri, Matrem Dei; attamen jam & nunc habeo voluntatem illam non blasphemandi in inferno, quantùm in me erit.

III. Homo non tenetur habere proposi- 221
tum venialia omnia *collectivè*, aut etiam *distributivè* vitandi, imò nec potest rationabiliter habere hanc *absolutam* voluntatem, ut de omnibus *collectivè* tradunt omnes, propter *moralem* impossibilitatem; at potest de omnibus *divisim*, seu *disjunctivè* dicendo: *Imposterum abstinebo ab his, vel illis, vel illis peccatis venialibus, & sic numerum minuam.* Lugo *n. 140.* Porrò 222
qui plura venialia commisit, & dolet de omnibus, non omnia tamen confitetur, sed cùm fuerit e. g. mentitus leviter decies, dicit se aliquoties mentitum, remittuntur ei aliquot mendacia, licèt non determinaverit ipse, qualia ex decem vellet subjicere clavibus, remittentur verò tot, quot confessarius poterit ex circumstantiis personæ conjicere, vel si non possit quidquam de numero conjicere, remittentur tot, quot possunt intelligi per illam

223 confessionem, saltem duo. Ita Lugo *num. 142.* satis probabiliter, arbitrante Dicastillo *num. 312.* omnia tunc remitti, quemadmodum utique etiam *directè* remittuntur omnia mortalia, quando moribundus reus decem mortalium, asserit, se *generatim* de omnibus mortalibus dolere, ut observat optimè Dicastillo *num. 319.* sicut 100. hostias consecro, quando sunt 100. in pyxide, & habeo *generalem* intentionem cõsecrandi, quidquid est in illa, & quis dubitet, quin confessarius habeat *generalem* intentionem absolvendi ab omnibus venialibus mendaciis illum, qui solùm dicit: *Sum frequenter mentitus*?

224 IV. Qui ter est mentitus sine causa, habet sufficiens propositum confessionis, si constituat in futurum non mentiri sine causa, esto cogitet adhuc mentiri, cùm suppetat causa, & in suum, alteriúsve commodum; mendacium enim sine causa dictum turpius est officioso.

225 V. Quando habens mortalia, simul & venialia, detestatur utraque sub eodem motivo *formali*, cùm videri possit, *speculativè loquendo*, hanc detestationem *virtualiter* revocari per peccatum commissum ante ipsam absolutionem, aut post illam, ideo consultum est, dolere seorsim de mortalibus, & seorsim de venialibus
226 ob diversa motiva, quamvis in praxi non oporteat habere scrupulum, sicut nec tunc, quando habens sola venialia, & detestatus omnia sub motivo communi peccat de novo in confessionali ante datam absolutionem, licèt non doleat de isto novo peccato, attamen non revocavit *virtualiter* detestationem omniũ priorum, quia unum veniale est magis detestabile, quàm alterum; & quamvis etiam unum mortale sit atrocius, quàm alterum, qui tamen admittit unum mortale etiam levius, censetur revocâsse *virtualiter* detestationem necessariam ad absolutionem, quia revocavit detestationem, saltem peccati similis illi, quod patravit, cùm tamen detestatio debeat se extendere ad omne mortale.

Veniale remittitur per actum perfectæ *contritionis. 230.*
Et attritionis. 231.
Non autem per quodlibet bonum opus. 232.
Sed tantùm per illud, in quo continetur saltem virtualiter *displicentia peccati. 233.*
Declaratur variis instantiis. 234.
Proponitur difficile argumentum adversùs sententiam asserentem, veniale remitti per attritionem. 235.
An possit veniale tolli per Sacramentum pœnitentiæ? 237. & 238.
Quomodo veniale tollatur per Sacramentalia? 239.
An ex opere operato? *240.*
Quomodo tollatur per Sacramenta diversa à pœnitentia? 242.

QVOMODO PECCATA VENIALIA REMITTANTVR.

CASVS IX.

Verus, & Incredibilis practicè.

SUMMARIUM.

Deformitas minimi peccati ostensa S. Catharinæ Genuensi. 227.
Peccatum veniale non remittitur sine mortali, quo quis est infectus, 229.

227 *Illustrissimi, atque Principalis Monasterii Einsidlensis, seu Eremitani Professus, Admodum Reverendus Pater, ac Dominus Anselmus Bisling Theologiæ Doctor, ac Protonotarius Apostolicus, in commendando multis nominibus decemdialium exercitiorum spiritualium libello, cui ingeniosè, simul ac perquàm aptè indidit nomen* MONSTHABOR. *Digressione septima, n. 5. refert verba, quibus B. Catharina Genuensis describit animi consternationem, quam ipsi attulit ostensa, ad unicum temporis momentum, minima actionis Deo displicentis deformitas umbratilis. Verba autem sunt hæc: Quando mihi concessum fuit intelligere, quàm pavescenda sit umbraminimi actûs, qui sit contra Deum, nescio, cur è vivis non excesserim. Si hæc sola, sola, inquam, obscura visio, quæ non nisi momentanea fuit, diutiùs durâsset, licèt habuissem corpus adamantinum, interiissem. Adeò jam mihi terribilis apparet, vel umbra saltem venialis peccati, ut videatur mihi, quòd Deus multò minorem ipsi inferno horrorem indiderit.*

228 Hæc, & plura hanc in rem de peccati venialis inexplicabili turpitudine pronuntiavit sanctissima illa Vidua, quæ idcirco appello *Vera*, quia certissima, voco tamen *Incredibilia practicè*, quia ignoro, utrùm millesimus quisque Christianorum ostendat suis moribus, atque praxi, à se non haberi pro fabula, quæ se vidisse testatur illa Deo charissima anima. Sed & erit fortè, qui non habebit, aut certè difficulter, fidem Theologis, enumerantibus varios, eósque perfaciles modos obtinendæ à Deo remissionis venialium delictorum. Augebunt credendi difficultatem ea, quæ idem R.P. Anselmus non disertè solùm, sed ingeniosè, doctéque in medium profert de gravitate levissimæ noxæ venialis.

Quæ-

229 Quæritur ergo I. *An, & quomodo peccata venialia remittantur, extra Sacramentum, per actus bonos?*

Supponitur autem communis doctrina S. Thomæ *3. p. q. 87. a. 4.* negantis, peccatum veniale unquam remitti sine remissione mortalis, quando anima est utroque inquinata. Probat inde S. D. quia ne veniale quidem peccatum remittitur sine gratia; existens autem in mortali caret gratiâ. Accedit, quòd sit incongruum, ut Deus reconcilietur in re levi illi, qui graves inimicitias gerit cum ipso, gerit autem graves cum Deo inimicitias abjectissimus terræ vermiculus, quamdiu negligit remedia necessaria ad recuperandam gratiam divinam. At verò potest è diverso dimitti mortale sine veniali, quia potest haberi dolor, aut debitum propositum de mortali, cùm absit de veniali. Hoc supposito

230 Respondeo ad propositam quæstionem, peccatum veniale, extra usum omnis Sacramenti, deleri posse sequentibus actibus

I. Per actum *perfectæ* contritionis, perfectæque dilectionis *Obedientialis* Dei super omnia, quando scilicet doles de summo bono offenso à te quacunque ratione; si autem doleas de illo, quatenus offensus est tam indignè, seu tam graviter, quàm solet per mortale, hic dolor non extenderetur ad veniale.

231 II. Per actum quoque attritionis, si videlicet de illo doleas, quòd per id sis promeritus pœnas purgatorii, pœnas in hoc mundo temporales, imminutionem gloriæ cœlestis, quia scilicet poteras augere coronam gloriæ, si actum integre bonum exercuisses tunc, cùm obivisti venialiter malum.

III. Verior est communis opinio S. Thom.
232 *loc. cit. a. 1. in C.* adversùs Alensem, Gabrielem, & alios apud Suarez *Disp. 11. sect. 3.* & Cardin. de Lugo *Disp. 9. num. 21.* noxam venialem non expiari per quodlibet bonũ opus, sed per illa sola bona opera, in quibus involvitur, vel *formalis*, vel *virtualis* displicentia peccati. Cùm enim homo per quodlibet peccatũ, etiam quotidianum aliquo modo recedat à voluntate Dei, non est conveniens, ut condonetur ipsi hic recessus, nisi per reditum, qui quidem non est sine displicentia, & condemnatione
233 prædicti recessûs, adeóque non sine pœnitentia, saltem *virtuali*. Lugo *loc. cit. n. 23.* Censeris autem habere displicentiam *formalem* venialium, quando dicis: *Vellem, ut nunquam hæc venialia patrâssem! Doleo, me hoc aut illud veniale admisisse*; at *virtualiter* tibi displicent, tum quando exerces actum *directè* eis contrarium, tum quando petis à Deo veniam illorum, tum quando *absolutè* proponis non committere tale veniale, modò non perduret complacentia de commissis; tum quando exerces actum virtutis contrariæ veniali; adeóque remittuntur tibi omnia venialia mendacia, quando ex amore veracitatis loqueris quid verum; tum quando cujuscunque virtutis aliquem actum exerces eâ intentione, ut obtineas remissionem omnium delictorum; tum quando elicis actum dilectionis Dei super omnia, si ille ac- 234
tus ob suam individualem perfectionem sit talis, ut Deus per eum anteponatur omnibus rebus ipsi displicitis; tum quando elicis actum contritionis ex motivo optimi Dei, qualitercúnque tandem offensi, ut jam indicavi paulò superiùs, tum quando attritio excitatur ex motivo repugnante venialibus, ut si doleas generatim, quòd Deum offenderis; quòd pœnam aliquam ab eo sis commeritus, saltem si attritioni jungatur aliquod Sacramentum.

Hæc omnia reperies apud Cardin. Lugo *cit.* 235
Disp. 9. sect. 2. distinctè, sed adhuc distinctiùs, ac fusiùs apud Dicastillum *Disp. 2. dub. 16. & 17.* Porrò quod dixi de attritione sufficiente ad remissionem peccati venialis, patitur non parvam difficultatem ex eo, quòd, cùm debeat absolutioni à venialibus præmitti saltem attritio, utpote pars *essentialis* Sacramenti, consequenter dicendum sit, nunquam per Sacramentum pœnitentiæ remitti ullum veniale; quomodo enim peccatum jam remissum ante absolutionem potest propriè dici remitti per hanc? adeóque per Sacramentum? Atqui omnes pii homines ideo subjiciunt sua venialia clavibus, ut vi harum solvantur à vinculis delictorum quotidianorum. E diverso videtur esse per- 236
durum, si neges, attritionem extra Sacramentum sufficere pro absolutione, remissionéque venialium. Propter primam dubitandi rationem censet de Lugo *loc. cit. num. 29.* quamlibet quidem attritionem sufficere, ut per eam junctam Sacramentis Baptismi, Pœnitentiæ, aut Extremæ Unctionis, vel etiam Eucharistiæ, ut addit Dicastillo, deleantur culpæ veniales, at extra hæc Sacramenta non sufficere quamlibet attritionem, sed exigi, vel admodum ferventem, vel adjutam consortio aliorum piorum operum, jejunii, eleemosynæ, humilis petitionis veniæ ab iis, quos offendimus. Certè Vasquez *quæst. 87. art. 1. dub. 1.* requirit *perfectam* contritionem extra Sacramentum, vel actum amoris Dei super omnia. At Dicastillo *cit. dub. 17. num. 402.* post 237
Durandum, Henriquez, & alios defendit, quamlibet veram, & *supernaturalem* attritionem esse etiam extra omne Sacramentum sufficientem ad prædictum effectum; eò quòd omnis attritio sit vera retractatio prioris delicti, & consequenter in homine justo actus meritorius, satisfactoriúsque. Nec esse absurdum dicere, quòd veniale nunquam *directè* & *per se* tollatur vi Sacramenti Pœnitentiæ, sed sufficere, si tollatur quandoque *per accidens*; sicuti tollitur, quando unà cum mortali confiteris veniale. Vide explicationem formulæ *Absolvo te* adferendam *in Alphab. Confessar. n. 170.*

Quan-

Quanquam etiam *directè* tolli potest per
238 hoc Sacramentum, quando scilicet obnoxius mortali simul, & veniali, elicis attritionem communem utrique, sed confiteris solùm veniale, aut inculpabiliter immemor mortalis, aut memor quidem, at habens justam causam non aperiendi illud. Hæc tota doctrina, utpote valde conformis pietati divinæ, probatur mihi. Equidem S. Thom. *cit. q. 87. art. 3. in corp.* expressè scribit: *Universaliter, per omnia Sacramenta novæ Legis, peccata venialia remittuntur.*

239 Quæritur autem II. *An, & quomodo veniale remittatur per Sacramentalia?*

Respondeo ipsis verbis S. Thomæ *cit. a. 3. in corp. Peccata venialia remittuntur secundò, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; & hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remissionem peccatorum venialium; nam in oratione Dominica petimus: Dimitte nobis debita nostra. Tertiò remittuntur, in quantum sunt cum alio motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas. Et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.*

240 Hactenus S.D. quem Nugnus in hunc locum ita intelligit; ut in primis scribat, esse proximum errori in fide, si quis neget, per aquam lustralem verè & propriè remitti peccata venialia; ratus etiam id fieri *ex opere operato*, cùm multi alii asserant, fieri *ex opere operantis*; ratus quoque, id etiam *ex opere operato* fieri per illa quatuor, quæ S. Thomas jungit aquæ benedictæ, at solùm *ex opere operantis* remitti per alia recensita à S. Thoma. Hæc sunt ita probabilia, ut tamen omnia possint probabiliter, quatenus asserunt vim operis operati, negari, dicendo, quòd per preces Ecclesiæ junctas prædictis rebus moveatur Deus, etsi non infallibiliter, ut in nobis excitet, dum rebus illis religiosè utimur, illos pios motus animæ, quibus esse annexam remissionem peccatorum venialium, diximus suprà. Vide de his, si placet, quemvis è Theo-
241 logis tractantibus de remissione venialium; omnes enim etiam scribunt de Sacramentalibus, ita dictis, quòd vel soleant adhiberi ad Sacramentum conficiendum, vel æmulentur genium verorum Sacramentorum. At

Quæritur III. *An, & quomodo eadem venia-*
242 *lia tollantur per Sacramenta diversa à pœnitentiæ, de qua nostrum sensum exposuimus suprà.*

Resp. I. Per Eucharistiam, & universim per omnia Sacramenta novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Sic loquitur S. Thom. *loc. cit. in corp.* intelligendus de *immediata* remissione, ut intelligunt, & docent Suarez *Disp. 12 sect. 1.* Tannetus *Disp. 6. q. 4. n. 50*, Lugo *cit. sect. 3.* quamvis de Confirmatione, Ordine, & Matrimonio negent plures; & satis multi de Eucharistia; at non ego de hac, utpote quæ sit symbolum charitatis, & summæ liberalitatis, atque antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, ut liquet ex Trident. *Sess. 13. cap. 2.* nec vult de hoc dubitari Dicastillo *n. 434.*

II. Ut per Sacramenta remittantur venia- 24
lia, non requiritur ultra statum gratiæ sanctificantis alia dispositio ex parte suscipientis, quàm intentio suscipiendi hæc in remedium peccatorum, seu in eum finem, in quem instituta sunt, & reipsa recipitur absque affectu in illa. Tannerus *num. 56.* post Suarez atque alios. Quid peculiare habeat Sacramentum pœnitentiæ, dixi suprà. Sicut & *in Alphab. Sacrificant. Cas. V. n. 123.* explicavi, an, & quomodo per Missæ Sacrificium dimittantur venialia?

Cæterùm, quæ hactenus dixi de remissio- 24
ne, intellige de remissione quoad culpam, nam nullus ex Theologis audet scribere, omnem pœnam venialibus in purgatorio debitam remitti, quoties per actus bonos, Sacramenta, & Sacramentalia demittuntur culpæ veniales, quia scilicet nulla ratio id persuadet, & obnuntiant infinitæ apparitiones illorum, qui debuerunt igne purgante expiare parvas noxas, quantumvis in vita remissas per pœnitentiam.

At inquies: Si culpæ venialis venia dona- 24
tur tam facilè, quis credat, tantam esse deformitatem ejusmodi culpæ, quantam B. Catharina Genuensis insinuat verbis descriptis, exprimunt aliis gravissimi Doctores nominati ab eodem R. P. Billing *citatâ digressione septima?* quis dignam tam horrificis suppliciis, ut sunt ea, quæ graphicè, concionatoriòque modo, vero tamen describit idem Doctor?

Resp. Sunt hæc quidem omnia digna cre- 24
ditu, & proinde nulli sapienti incredibilia videntur, vulgus autem, adeóque longè maxima pars mortalium cunctatur fidem habere, quia nihil intelligit de mirabili mixtura divinæ misericordiæ cum justitia; non assequitur sensum verborum illorum: *Veritas, & misericordia obviaverunt sibi: justitia, & pax osculatæ sunt.* Misericordia, bonitásque divina elucet in præparandis tam multiplicibus remediis ad cavendà, & *quoad reatum culpæ*, expianda delicta venialia: veritas autem, seu justitia in plectendis, quæ tam parvo negotio plecti, detergi, penitus deleri poterant. Suadeo, ut vel Concionator, seu Ecclesiastes publicus, vel exhortator in Cœtu Religiosorum utriusque sexûs, aut sodalium Virginis Annuntiatæ, suscepto consilio de exornanda invectiva in peccatorum venialium incurios contemptores, legat totam illam digressionem, cum Meditatione eam præcedente, & consequente, cúmque digressione octava, ita dicet, ut cuivis ambæ aures tinniant,

tinniant. Præsertim si jungat iis, quæ Hautinus noster *Lib. 1. cap. 6.* patrocinii Defunctorum Theologicè, Historicè, & Arithmeticè quoque scribit de pœnis, quibus plectit Deus noxas Veniales.

CONFESSIONIS PRÆCEPTVM DIVINVM QVANDO, ET QVOMODO OBLIGET.

CASVS X.

Dilatæ plurimùm Confessionis.

SVMMARIVM.

Casus differentis Confessionem ad Annos quinquaginta. 247.
De qua Confessione sit hic sermo? 249.
Lex Divina *non præcipit* per se *Confessionem ullius venialis.* 250.
At quandonam mortalis? 251. & 252.
Declaratur hæc quæstio Casu notabili, & prodigioso, n. 252. in App.
Quid agendum cum eo, qui constitutus in articulo mortis non vult confiteri, allegans, se ante trimestre confessum, nec interea peccâsse graviter? 253.
An lex divina *obliget ad Confessionem illum, qui sine hoc nequit vitare aliquod mortale?* 256.
An sciens, se obliturum plura mortalia, si diu differat Confessionem, teneatur sub mortali non differre? 261.

247 *Kilianus variis, grandibúsque sceleribus oneratam conscientiam ipsis quinquagintà Annis, nunquam deposuit apud sacerdotem, tametsi & prævidens periculum obliviscendi multa, & non solùm non caruerit copia confessarii, sed etiam sese obtulerit ter, quaterve in Anno Presbyter Religiosus, paratus excipere ejus Confessionem, ac præsertim tribus vicibus: quarum unâ decumbebat ex morbo periculosissimo: alterâ indictum erat Iubilæum solennissimum pro gravissimis necessitatibus Ecclesiæ: tertiâ votum ediderat de conscientia tandem exoneranda.*

248 Quæritur, *An, & quot peccata lethalia admiserit Kilianus adversus legem de confessione faciendâ latam?*

Referam *in Alphab Confessar. Cas. V.* exempla duorum Anconensium, quorum primus nullum Confessarium convenit intra 20. alter intra 50. ipsos Annos; obtigerunt etiam mihi nonnulli, qui intra multos, aliis alii, qui intra plurimos, ne semel quidem sarcinam criminum deposuêre apud sacrum Cognitorem: quæritur, quoties ii, sicut & Kilianus noster, deliquerint lethaliter, præcisè ob dilatam tanto tempore Confessionem? Et consequenter, seu potiùs ante omnia explicanduni, an, & quando seu *per se*, seu *per accidens* obliget lex seu *Divina*, seu *Ecclesiastica* confitendi? De 249
obligatione ex præcepto *Divino* dicam necessaria hoc loco. De eadem ex *Ecclesiastico, Votivo, Pœnitentiali, Regulari*, Casibus proximè sequentibus. Priùs tamen observo, esse, & fore nobis sermonem de sola Confessione *Sacramentali*, eáque non omni, sed solùm legitima; quæ verò sit Confessio *Sacramentalis*, & quàm necessariò sit hæc dividenda in legitimam, & illegitimam, explico *in Tract. seq. Cas. I. num. 5. & seqq.* & idcirco ibi, quia illic definio confessarium, in cujus definitione, seu descriptione ponitur confitens *Sacramentaliter*, adeóque Confessio *Sacramentalis*. Cæterùm notat Reginaldus noster *in præfatione sexti Libri*, sui perquam elaboratè conscripti Operis, præter confessionem Sacramentalem fieri in sacra Scriptura, & statutis Ecclesiasticis mentionem alterius quintuplicis, ut quando per verbum *Confiteor* intelligimus vel professionem fidei, vel laudem Dei, vel gratiarum actionem, &c. adde his aliam duplicem Confessionem quam ex S. Alberto M. retuli *n. 1, & 2.*

Dico igitur I. Lex *Divina* non obligat, 250
per se loquendo ad confitendum ullum peccatũ veniale. Ita omnes, expressèque declarat Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 4.* Dixi: *Per se loquendo; per accidens* enim teneberis, si gravatus uno unico mortali crimine subitò voceris ad aliquod Sacramentum conficiendum, & tamen rationabiliter dubites, an sis perfectè contritus, nec adsit Sacerdos præditus potestate in ullum mortale, quia scilicet non est approbatus; tunc enim tenebris confiteri ipsi aliquod veniale, ut ex attrito fias contritus.

Dico II. At verò præcepto *divino* obliga- 151
mur manifestare sacerdoti omnia, per quæ nos mortaliter offendisse Deum, meminimus. Ita definit Synod. Trident. *cit. Sess. 14. cap. 5. & can. 7.* probántque fidei controversiarum tractatores.

Dico III. Consequenter hoc præceptum 252
urget in articulo mortis quemvis reum peccati mortalis nunquam confessi; nisi enim tunc confiteatur, nunquam implebit illud præceptum. Proinde tales tenentur confiteri in omni illo mortis articulo. Quo certum est, posse quemvis peccatorem à quovis non præciso sacerdote absolvi; quis autem sit ille articulus, indicabo *in Alphab. Confessar. Cas. III. num. 125. & seqq.* in quo etiam Alphabeto refero Casum perpetui prodigii, quo solet denuntiari mors cujusvis ex illustri familia Kanovvskiana, & consequenter debent tunc omnes gentiles metuere mortem.

APPENDIX.

At quid sentiendum de illis Religiosis, de quibus hæc certa Narratio?

a NOn possum hoc loco præterire, quod à viris gravibus, ac omni superstitione alienis, qui sese oculatos testes asserebant, audivi. In piscina cœnobii Mauritiani pisces servari, pro Fratrum numero notis insignitos certis; quorum si quis moritur, brevi Fratrum aliquem consequi, & omnino certissimam mortem alicui portendi, si piscis mortuus in aquis appareat.

Ita loquitur Josias Simlerus (Historicus Zvvinglianus) *Lib. 1. Descriptionis Vallesiæ* impresso Anno 1574. hæcque verba non solùm ex eo describit P. Sigismundus de sancto Mauritio Capucinus in Vita S. Sigismundi Regis *Actu*, seu *Cap. 31.* conscripta Gallicè, sed etiam firmat, quoad substantiam suâ authoritate, & quidem cum addito, scribit enim expressè, fuisse semper ab origine dicti Cœnobii Mauritiani, seu Agaunensis in Vallesia, fundati à S. Rege Sigismundo observatum, quòd quotiescunque unus è cœnobitis vitâ defungebatur, eodem ipso tempore extinctus fuerit unus ex illis piscibus, sepultúsque in loco, quem Martollet dicunt, & si quis piscis moreretur ante obitum alicujus è Religiosis, quod aliquoties accidebat, fuisse præsagium lethi imminentis cuipiam è Religiosis, qui mox tributum Parcæ pendebat. Quæ res causam singulis dabat, se probè parandi ad extremum agonem; idque probat tum authenticis instrumentis, tum exemplo unius sibi notissimi, qui priusquam ab hæreticis occideretur in ditione Bernensium, piscis unus fuit repertus mortuus, mirantibus omnibus idcirco maximè, quòd nemo tunc in Monasterio ægrotaret. Denique addit, hoc mirabile prodigium desisse sub Annum hujus sæculi 1618. omnibus ignorantibus causam hujus cessationis. Quæ tota narratio habetur à me pro verissima, quandoquidem ille P. Sigismundus est ortu Agaunensis, habitavit adolescens in Monasterio triennium, multis Annis egit percelebrem Concionatorem ejusdem loci, in quo etiam conscripsit librum illum; & ego ipse de morte Religiosi certò sequente mortem piscis audivi in eodem monasterio ex ore Religiosi. Incolunt autem id, olim præpotens Monasterium, Canonici Regulares S. Augustini. Denique Leon. Vairus scriptor Italus *Lib. de fascino cap. 14.* confirmat hanc narrationem authoritate sui Cardinalis Granvellani.

b Jam quæritur, *Utrùm præceptum divinum Confessionis faciendæ saltem in periculo mortis, revera obligârit aliquos, an etiam omnes illos S. Augustini alumnos?* Et

Resp. I. Illum saltem fuisse obligatum, qui aliquâ, etsi apparenter non lethiferâ ægritudine tunc, cùm mors piscis innotuit, laborabat. Ratio est, tum quia, ut mox dicam, omnes illi cœnobitæ tenebantur parare se ad felicem obitum, tum quia probabilissimè jam erat præ foribus Parca nemini parcens, quandoquidem testatur P. Sigismundus, eam consequi solitam fuisse mox post piscis mortem.

Resp. II. Si in eo Monasterio degebant ducenti, vel trecenti Religiosi, non incumbebat singulis ea obligatio, secùs si solùm decem, quindecim, viginti. Deducitur ex iis, quæ *Tr. sequenti*, seu *in Alphabeto Confessarior. Cas. 1. n. 37.* resolvo in simili de illo prodigioso tumultu, seu strepitu, quo in hodiernum diem consuevit portendi obitus alicujus ex illustri familia Kanovvskyana, seu Baronum de Longa Villa in Boëmia.

Dixi *num. 252.* quemvis reum peccati mortalis obligari præcepto Confessionis in *articulo mortis*, nec enim, *per se loquendo*, graviter delinqueret, qui nullius mortalis noxæ ab ultima ante trimestre Confessione admissæ, nolleret confiteri, sed præcisè diceret suo parocho. *Non volo confiteri, quia revera non deprehendo in mea conscientia ullum grave peccatum*; nec posset meo judicio negari huic homini seu viatico, seu Extrema Unctio. Ego tamen non desisterem, donec mihi talis aperiret cum voluntate percipiendæ absolutionis aliquod veniale; sicut & hortarer illum, qui triduo, vel quatriduo antè fuisset, nihil de morte cogitans, confessus, ac diceret, se ex eo tempore sibi diligenter caviſse ab omni gravi peccato. In utroque casu ita procederem tum ad *indirectam* remissionem mortalis, si quod fortè lateret in animo, tum ob gratiam Sacramentalem, tum ad satisfaciendum consuetudini universali fidelium, tum singulariter in primo casu ad evitanda scandala, & domesticorum tristitiam, timorémque. 253

Porrò utrùm, qui in tali articulo nequit confiteri, nisi per interpretem, aut scripturam, teneatur uti tali medio, dicam *Cas. XXI.* 255

Dico IV. Si quod determinatum peccatum mortale nequeas aliter cavere, quàm per Confessionem muniendo te contra illud, obligabit te lex *divina* ad adhibendum hoc alexipharmacum. Ita omnes. Ratio est, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad applicanda media, necessaria illi fini. Attamen Cardin. de Lugo *Disp. 15. de pœnit. sect. 4.* atque P. Dicastillo *Disp. 7. dub. 15.* apertè negant, dari casum, quo quis non possit hoc, aut illud crimen lethale declinare, sine Confessionis præsidio. His duobus consentire videntur communiter confessarii; etenim, si Confessio ulli est necessaria ad evitanda peccata, necessaria sanè est assuetis peccato libidinis, & singulariter mollitiei, ut refero ex Toleto *in Alphab. Confessarior. Casu XVII.* 256 257

XVII. atqui Confessarii non arguunt peccati mortalis illum, qui in Paschate confessus, se propè quotidie à festo nati Salvatoris patrâsse id scelus, redit in Pentecoste ad Confessarium emendatus, vel integre, vel propè integre; non, inquam, arguunt illum peccati admissi contra præceptum *divinum naturale* de Confessione; deberent autem arguere, si non esset vera opinio Lugonis. Imò quamvis talis non accessisset toto Anno confessarium, non tamen teneretur hic eum interrogare, an, & quoties neglexerit occasionem optimam faciendæ ex-
258 homologeseos. Aliis rationibus probant illi duo doctores suam doctrinam; occurrit mihi ista, cui tamen ita inhæreo, ut nihilominus summopere suadeam id, de quo dicam *Casu XII. num. 311.*

259 Hinc à fortiori verum est, quod concedit apertè P. Suarez *Disp. 35. de pœnit. sect. 3.* abesse necessitatem confitendi sæpius ex præcepto *divino*, quando, nisi fiat crebrior Confessio, aderit periculum peccati quidem mortalis, sed indeterminati, seu in communi.

260 Dico V. Lex *Divina*, aut certè *Ecclesiastica* præcipit Confessionem omnibus gravatis peccato mortali, si velint aut sacrificare, aut solùm percipere sacram Eucharistiam. Ita omnes, probóque, & declaro *in Alphabetis* tum *Communicant.* tum *Sacrificantium*, adferens causas excusantes.

261 Dico VI. Tametsi Confessionem differendo usque ad articulum mortis, vel Paschæ, certus sis, te ob hanc dilationem esse obliturum multa crimina lethalia, haud tamen inde oritur tibi obligatio confitendi citiùs. Ita sanè tenet communis sensus, ut reor, tum confitentium, tum Confessariorum probatus à Soto, Henriquez, aliisque apud, & cum Diana *Part. 3. Tr. 4. Res. 155.* ac Cardin. de Lugo *Disp. 15. num. 4.* contra Navarrum *in cap. Placuit. dist. 6. num. 159.* Nugnum *in addit. ad 3. p. q. 6. a. 5. diffic. 1. conclus. 4.* aliósque apud hunc utrumque.

262 Ratio est, quia tanta obligatio non est asserenda sine valde efficaci ratione; est autem inefficax illa, quam urget Nugnus, quòd scilicet Christus præceperit Confessionem omnium mortalium, ergo & præventionem, quando subest periculum oblivionis. Verùm respondetur, explicari à Concilio Tridentino *cit. sess. 14. cap. 4.* illud Christi præceptum eâ ratione, ut non obliget ad omnia *absolutè* mortalia confitenda, sed solùm ad illa, quæ post diligens examen venerint in mentem. Vrgebis: *Saltem talis tenebitur notare in charta suos graves lapsus* Resp. Non tenebitur, ut ostendam *Cas: XXI.*

263 Ex dictis infer, Kilianum, de quo *n. 247.* eâ vice, qua adductus in discrimen vitæ neglexit Confessionem, admisisse crimen lethale exprimendum in Confessione, siquam postea peregit, nullius autem fuisse ex eo capite reum, quòd se conjecerit in periculum certum oblivisendi multa. An verò ex illo duplici capite de voto non servato, déque neglecto Jubileo? Videbimus *Cas. seq. & XII.*

PRÆCEPTUM CONFESSIONIS ECCLESIASTICUM.

CASVS XI.

Implacabilis ad triennium.

SUMMARIUM.

Casus differentis ad triennium Confessionem, eò quòd nollet ignoscere. 264.
Proponitur præceptum Ecclesiasticum *Confessionis. 265.*
Nomine Fidelis *intelliguntur illic etiam hæretici. 267.*
Quid per Annos discretionis? 268.
Annuum spatium, intra quod est facienda Confessio, quando incipiat? 269.
An si hoc Anno 1673. sis confessus primo Ianuarii, licitè *differas Confessionem usque ad ultimum Decembris Anni millesimi, sextentesimi, septuagesimi quarti? 272.*
Oblitus in annua Confessione aliquod mortale, non tenetur ratione hujus confiteri, antequam sequenti Anno iterum urgeat lex Ecclesiastica. *274.*
Prævidens, defuturam sibi toto Anno sequenti copiam Confessarii, an teneatur prævenire? 278.
Damnata est sententia docentium, præcepto satisfieri per Confessionem voluntariè nullam. 279.
Quid agendum iis, qui tempore Paschali non habent conscientiam gravatam mortali? 282.
Explicatur constitutio Synodalis imperans Clericis in Majoribus Confessionem binam in mense. 286.
Diœceses exigentes à sacerdotibus schedas menstruarum Confessionum. 288.
Quid intelligatur nomine sacerdotis proprii? *290*
Casus parochi nolentis permittere, ut sui peragerent apud Privilegiatos Confessionem Paschalem. 292.
Quo privilegio fruatur hac in re Societas Iesu? 294.
Quid agat parochianus, si parochus neget ipsi facultatem confitendi alteri? 297.
Refertur, & explicatur doctrina S. Ignatii den egligentibus Confessionem in dictam pro Iubileo. 298. & 299.

LYsander homo rusticanus gravissimè, ut 264
sibi penitus persuadebat, à nonnemine offensus, nequit à quoquam persuaderi, ut condonet offensam, eáque de re tres ipsos Annos transegit sine ulla ex homologesi, aut sacra Com-

munione. Quæritur, utrùm ob neglectum Confessionis commiserit tria peccata mortalia; & si tria, utrùm tantùm tria, an verò plura?

265 Perdidi ego operam impensam, extra sacrum tribunal hortando illi Lysandro ad remittendam, quam asserebat, injuriam, séque cum supremo Judice reconciliandum per Confessionem; utinam sit ipse solus, & ultimus! Et verò deliquisse saltem ter, adversùs præceptum *Ecclesiasticum* de Confessione, liquebit ex verbis legis Ecclesiasticæ; an solùm ter, patebit ex dicendis infrà. Verba legis Ecclesiasticæ
266 statutæ *in cap. Omnis utriusque. De pœnit. & remiss.* sunt hæc: *Omnis utriusque sexûs fidelis postquam ad Annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in Anno cõfiteatur proprio sacerdoti.* Circa hæc verba noto brevissimè, ut tantò plura particularia dubia resolvam, sequentia.

267 I. Nomine *Fidelis* designantur omnes Baptizati, adeóque etiam hæretici. Lugo *Disp. 15. sect. 7. n.* 145. ex communi contra nonnullos; est quippe absurdissimum, eximere hæreticos ab obligatione legum Ecclesiasticarum sicut demonstro *in prima part. Alphab. Matrim.* seu *Tr. 9. hujus Voluminis Cas. 1.* ubi ex hoc principio deduco, connubia hæreticorum, inita cum impedimento juris, etiam duntaxat *Ecclesiastici*, esse irrita.

268 II. Per *Annos discretionis* indicatos *in cit. capit.* intellige ætatem, qua quis est (saltem secundùm communem cursum patriæ) potens ad peccandum mortaliter, ut tenent plerique Recentiores, loquentes de hoc præcepto, sicut de præcepto communionis Paschalis, & proindè huc faciunt ea, quæ de ætate requisita ad contrahendam obligationem communicandi semel in Anno tradidi *in Alphab. Communic. Cas. VI.* quamquam ibi dixi, faciliùs permitti dilationem Communionis, quàm Confessionis; & expressi, faciendum esse discrimen inter pueros, ac puellas; item Germanos seriùs obligari hoc præcepto, quàm Italos, aut Hispanos. Rusticos obligat in nostra Germania consuetudo, sicut & S. Antoninus, Sotus, alii solùm circa Annum ætatis duodecimum, at educatos inter nobiles citiùs; haud tamen (quantum scio) quemquam ante septennium, esto jam tunc sit capax doli; & propterea non est apud nos recepta doctrina Dianæ *Part. 10. Tr. 12. Res. 86.* cum aliis contra Pasqualigum, Trullenck, Palaum, alios, obligantis statim, ut sunt compotes rationis.

III. *Annuum Confessionis spatium*, de quo lo-
269 quitur *citatum cap. Omnis utriusq;* desumptum ex Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. non est *absolutè* inchoandum ab ultima Confessione facta; lex enim illa non dicit, Confessionem non esse differendam ultra Annum, sed ut singulis Annis fiat saltem semel. Lugo *l. c. num. 145.* adeóque incipit illa annua obligatio vel à prima die Januarii, mandanda executioni ante finem Decembris ejusdem Anni. Lugo *l. c. n. 117.* post Vasq. & alios, quos sequitur Diana *Part. 3. Tr. 4. Res. 81.* vel à Paschate, seu tempore Paschali usque ad aliud Paschale tempus. Suarez *Disp. 36. sect. 8.* Coninck *d. 5. dub. 5.* Laym, *L. 5. Tr. 6. c 5. n. 8.* Tannerus *Tom. 4. disp. 6. q. 7.* non quòd Ecclesia
270 præcipiat *per se* Confessionem tempore Paschali, cùm revera præcipiat tunc solùm *per accidens*, scilicet ratione Communionis tunc persolvendæ, sed quòd permittat, ut hoc præceptum impleatur quovis die Anni. Consequen-
271 ter si confessus es circa festum omnium Sanctorum Anni 1672. proximè elapsi aliqua mortalia (secùs, si solùm venialia) peccata, impediaris autem tempore Paschali hujus currentis Anni 1673. (quo hæc revideo) à sacra Communione, poterit secundùm hos Authores à te differri Confessio usque ad Pascha securi Anni 1674. si in illo es percepturus synaxin, si verò non sis percepturus ob aliquam impossibilitatem à te prævisam, obligaberis secundùm eosdem prævenire, sicut & teneberis prævenire, si hoc Anno esses confessus in Paschate, prævideréque, te in Paschate sequentis Anni carituram copiâ Confessarii, ut docent illi authores; at verò Lugo inhærens
272 suis principiis scribit, si sis confessus primo Januarii hujus Anni 1673. te *licitè* differre Confessionem usque ad ultimum Decembr. secuturi Anni 1674. ita ut duo integri Anni, uno die dempto, *licitè* transeant sine Confessione, nisi aliunde occurrat necessitas e. g. ratione Communionis, aut mortis articuli. Subdit idem Cardinalis, si per totum Annum es confessus sola venialia, ultimo autem Decembris cadas in aliquod mortale, obligari te illo ipso die deferre id peccatum ad Confessarium; secùs, si
273 vel semel duntaxat fuisses in decursu Anni confessus aliquod mortale. Ratio ejus est, quia, ut dicam inferiùs, Ecclesia annuam Confessionem præcipit solis obnoxiis peccato mortali: ergo ejus præcepto non satisfit per Confessionem venialium. Consequenter illæ bonæ animæ, quæ Annos & lustra, ætatémque transigunt sine gravi noxa, & tamen semel iterúmque per hebdomadem detegunt suos nævos arcanis arbitris, non sunt propriè dicendæ implere legem Ecclesiæ de Confessione, sicut nec pueri, die jejunii abstinentes à duplici refectione, dicendi sunt propriè satisfacere Legi de jejunio; non tamen rectè inferes, eos agere contra illam legem.

IV. Si ultimo Decembris, vel intra An-274 num sis confessus omnia mortalia, præter unum, cujus immemor fuisti, præceptum capituli: *Omnis utriusque*, te non obligat illud confiteri priùs, quàm urgeat illud tempus annuæ Confessionis. Diana *cit. Tr. 4. Res. 124.* cum

cum communi contra Medinam; etenim Ecclesia solùm præcipit Confessionem annuam, ut satisfiat præcepto Christi de Confessione, huic autem præcepto satisfacis manifestando omnia mortalia occurrentia memoriæ. Idem
275 dic de illo, qui ob justam causam omisit unum mortale. Lugo *n. 167.* aut qui confessus fuit cum venialibus unum duntaxat dubium mortale. Lugo *num. 169.* secùs sentiens *n. 174.* de illo, qui obnoxius uni mortali, illius autem oblitus, confitetur solùm venialia.

V. Qui toto Anno non est confessus, tene-
276 tur, quamprimum potest, confiteri, si quidem admisit illo Anno aliquod crimen lethale. Ita plurimi contra plurimos. Ratio est, quia Patres Tridentini *Sess. 14. c. 5.* testantur, Ecclesiam statuisse, ut *saltem semel in Anno* confiteamur; ergo sicuti *in Alphab. Communic. Cas. V.* diximus, illum, qui cujubiliter quoque omisit Paschalem Communionem, debere pro-
277 ximo quoque tempore supplere, ita & de Confessionis suppletione ratiocinandum. Quòd si uno, aut pluribus Annis non te præsentâsses ulli sacerdoti, te autem stitisses primo die hujus labentis Anni, valeret hæc tua Confessio tam pro hoc, quàm pro præcedentibus Annis transactis sine exhomologesi. Lugo *n. 180.*

278 VI. Tam multi negant, tam multi asserunt, reum peccati mortalis esse illum, qui prævidet, se toto sequenti Anno cariturum copiâ Confessarii, quia e. g. toto illo tempore erit in mari, vel in terris infidelium, obligari anticipatò peragere Confessionem, ut neutri parti audeam negare veram probabilitatem *practicam*; suadeo tamen tutiora. Vide Ferdinandum de Castro Palao *Tr. 23. p. 20. §. 2.* referentem authores pro & contra anticipationem, & suppletionem.

279 VII. Quandoquidem inter 28. propositiones interdictas Anno 1665. à Pontifice Alex. VII. collocatur hæc: *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, ideo jam non est ampliùs probabilis opinio Silvestri, & plurium aliorum, nobis nunquam, quoad hoc punctum, probatorum, qui docuêre, hoc præceptum impleri posse per quamcunq; Con-
280 fessionem, etiam quomodocunque *invalidam*, modò sit integra. Neque verò per istam prohibitionem reddita est improbabilis opinio docentium, dari posse Confessionem *validam*, & *informem*, quando quis non esset confessus integre ex negligentia mortaliter culpabili, & tamen hæc esset reipsa sacrilega, & nihilominus ad satisfaciendum præcepto sufficiens.

281 VIII. Per peccata, quæ jubemur confiteri semel in Anno, intelliguntur sola mortalia, tum quia Concilium expressè loquitur de *Omnibus* peccatis; omnia autem venialia fateri, est multis planè impossibile, certè longè difficillimum; tum quia communis sensus Theologorum tenet, non posse ab Ecclesia præcipi Confessionem venialium. An possit à Regularibus Superioribus? Videbimus *Cas. XIII.*

Nec obest, quòd Magistratus Ecclesiasticus 282
soleat etiam comminatione pœnæ compellere omnes fideles catholicos ad Confessionem Paschalem, adferendúmque testimonium factæ Confessionis; etenim sunt rarissimi sæculares, qui transigant Annum sine noxa lethali, & his, utpote justis, non est juxta Apostolum Lex posita, quia scilicet obeunt omninò sponte, & quidem sæpe per Annum Confessionem. 283
Quòd si proinde quis eorum, qui appetente tempore Paschali non reperiunt in sua conscientia ullum crimen lethiferum, sicuti plurimi inter eos, qui quot mensibus denudant suas conscientias sacris cognitoribus, non reperiunt, accederet confessionale, dicerétque suo parocho: *Mi Reverende Domine, non invenio me reum ullius mortalis noxæ commissæ ab ultima Confessione, seu oblitæ in illa, ideo nec peto absolutionem*, nequiret parochus cum imperio, sed dolo hortatu compellere ad aperiendum aliquod 284
veniale. Palaus *l. c. n. 5.* & Escobar *in Theolog. Morali Lib. 43. cap. 6. dub. 8.* Et verò tales tenentur saltem hoc modo se sistere parocho, ut notant Tanner *cit. q. 7. n. 148.* Sanctgall. suprà in simili, Barbosa *de parocho. part. 2. c. 19. num. 19.* Palaus *l. c.* observans, illum præbiturum non leve fundamentum sinistræ suspicionis, qui sub prætextu carentiæ peccati mortalis omitteret penitùs Confessionem; consentit Escobar *l. c.* tales obligans solùm ratione scandali.

Constitutiones quidem Constantienses sub 285
gravissima pœna interdicunt, ne quis vel Paschalem, vel aliam Communionem obeat, non præmissâ Confessione; sed quid de hac Sanctione, ejúsque sensu sit sentiendum, dixi *in Alphab. Communic. Cas. XV. num. 229. & seqq.* sicuti eodem loco *n. 234.* refero easdem Constitutiones, minantes gravissimas pœnas sacerdotibus, non confitentibus, saltem decimoquarto quoque die, cæteris verò clericis saltem quot mensibus, sed reverà non ausim de mortali damnare illos, qui non sunt sibi conscii ullius gravis offensæ in Deum, sicut per Dei gratiam Angeli Tutelares numerant plurimos ejusmodi.

At, *quid si quis Diœcesanus presbyter lapsus sit* 286
in casses cacodæmonis, an sub novo mortali peccato tenebitur saltem intra 14. dies expedire per homologesin? Resp. Vel tali incumbit obligatio sacrificandi, vel non incumbit? Si incumbit, peccat quidem mortaliter, non præmittendo Confessionem, & quidem contra duo præcepta, scilicet *Divinum*, & *Episcopale*; quia tamen multiplicitas præceptorum, contra quæ delinquis, non multiplicat peccata, quando illa præcepta sunt lata de eadem re ex eodem motivo, idcirco neque talis admittit duplex scelus. Si autem nec sponte velit, nec etiam obligatus sit celebrare, & tamen habeat animam inquina-

tam maculâ mortiferâ, tum illa verba constitutionis: *Contravenientes gravissimè puniemus*, videri queant supponere delinqui gravissimè, non confitendo; nec enim, nisi peccato gravissimo, est infligenda pœna gravissima. 287 Verùm, quia hæc, ut dixi, gravissima pœna intentatur etiam Diaconis, Subdiaconis, Minoristis, qui non deponunt quot mensibus sarcinam peccatorum apud sacerdotem; est autem in auditum, quòd quisquam horum menstruam Confessionem negligentium puniatur graviter, nedum gravissimè; & illa constitutio planè ignoratur, vel ab omnibus inferioribus sacerdotio, vel à ferè omnibus; nec memini, me totis his XIX. Annis, quibus hîc dego, inaudisse, quòd quisquam aut sacerdos, aut inferior sacerdote existimârit, à se delinqui mortaliter per voluntarium neglectum illius præcisè constitutionis, ideo ausim scribere, eam non esse receptam cum tanto rigore, etiam respectu eorum, qui sæpius labuntur in mor- 288 talia. Optandum foret, ut in hac quoq; Diœcesi locum haberet mos Augustanæ, Frisinganæ, & Ratisbonensis, in quibus omnes presbyteri tenentur exhibere suis Dominis Decanis schedas, testes peractæ menstruæ Confessionis.

289 IX. An semifatui teneantur lege annuæ Confessionis: item illi muti, aut surdi, qui nequeunt confiteri nisi per scripturam, indico *in Alphab. Confessariorum Cas. XI.* ubi etiam adfero casum unius, cui Confessio accidit acerbior ipsâ propè morte.

290 X. Nomine *sacerdotis proprii*, cui est facienda annua Confessio, probabilissimè quidem intelligitur *directè*, & *per se* parochus. Suarez *de pœnit. d. 26. sect. 2.* non tamen cum exclusione, sed potiùs cum inclusione superiorum parochi. Suarez *ibidem.* foret enim absurdissimum, negare Episcopo, qui est parochus parochorum, jus excipiendi Confessiones Paschales suorum Diœcesanorum. Quia verò 291 quivis ordinariâ potestate præditus potest eam alteri subdelegare, *cap. Cùm causam. De appell.* ideò Episcopus, & vel maximè summus Pontifex valet hanc delegationem facere, ideòque dicetur is sufficienter esse confessus suo parocho, qui suam conscientiam exoneravit apud aliquem ex permissu vel parochi, vel summi Pontificis, ergo fuit nimis tenax sui juris ille, quem exhibet hic

Casus Paschalis.

292 *Parochus A Licentiatus Theologiæ sub Annum hujus sæculi 27. minabatur privationem sacræ sepulturæ, & viatici iis, qui è suis parochianis obirent Confessionem Paschalem apud Regulares mendicantes. Quia verò quasi digito demonstrabat nostræ Societatis Sacerdotes, nec ullis volebat rationibus cedere, P. Rector Collegii misit ad eum P. Georgium Stengelium cum Bullis Pontificiis, facientibus nostræ Societati potestatem fungendi munere Confessariorum, erga quoscunq; Christi fideles, etiam tempore Paschali; exhibuit & illas, quæ minantur anathema omnibus conantibus impedire usum nostrorum privilegiorum, quibus visis, infremuit ille quidem, sed tamen cessit, quia debuit.*

293 Commorabar ego in eodem Collegio, scilicet Ingolstadiensi, in quo tunc P. Stengelius. Rationem illius nimii zeli, jam à permultis Annis reddidit supremo Judici Parochus A, evocatus ad alteram, atque, ut spero, meliorem vitam. Commendandi omnino sunt Beneficiati, qui pro suarum præbendarum juribus claris, & integris, tanquam pro aris, & focis decertant; ad id enim eos, ut alia pertranseam, compellit juramentum, quo in aditu beneficii se obstringunt ad conservanda, 294 quoad licebit, jura illarum. Dico: *Quoad licebit*: non autem licet in iis circumstantiis, in quibus superior magistratus circumcidit illa jura, cùm scriptum sit: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: Heb. 13.* Porrò privilegium, quo nititur nostra singulariter Societas, est illúd, quod nobis nominatim concessit B. Pius V. in Bulla incipiente; *Cùm indefesse*; & impertiente nobis omnia privilegia concessa aliis Ordinibus mendicantibus.

APPENDICULA PIANA.

FOvebat enim hic verè Sanctissimus, atque meritò nuper Beatorum classi insertus Pontifex, minimam Societatem nostram amore tam tenero, ut vulgò diceretur, esse potiùs Jesuita, quàm Dominicanus, sicut admodum Reverendus & Clarissimus P. Joannes Gross Ord. Præd. in hujus Constantiensis Collegii nostri Ecclesia die 23. Julii An. 1671. dum è suggestu exornabat pereleganti Panegyri solennem Apotheosin S. Francisci Borgiæ, palàm recensuit.

Atqui Leo X. in Concil. Lateran. IV. *Sess. 11.* declaravit, fideles satisfacere præcepto capituli: *Omnis utriusque* confitendo Fratribus mendicantibus. Vide Azor *P. 1. Lib. 13. c. 2. q. 2.* optimè pertractantem hoc argumentum, quod etiam edisserit Suarez *Disp. 26. sect. 2.* & Miranda *in Manuali Prælatorum Tom. 1. q. 45. a. 2.* Certè consuetudo universalis confirmat hoc privilegium derogans Bullis Sixti IV. & Martini V. relatis ab Azor, & Suarez. At sine dubio 295 Domini Parochi meritissimò exigunt schedas Confessionis factæ testes; at non solent uspiam, nec video, cur rationabiliter incepturi essent exigere à nostris Gymnasiis, cùm simus

296 mus ipsi hanc in rem attentissimi. Ego secutus doctrinam Azorii, & maximè Barbosæ *cit. cap. 19. n. 23.* soleo, quando se offert occasio, suadere hominibus rusticanis (verba perderem apud cives urbis instructæ pluribus Conventibus Regularium mendicantium) ut illam suam Paschalem Confessionem peragant, si commodè queant, apud suum pastorem proprium, & immediatum; rationes ex Lochmair suppeditat Barbosa. Tradit quidem idem Barbosa *num. 13.* post Piasecium *in Praxi fol.* mihi 146. *absolutè*, Confessionem posse peragi in Ecclesia Cathedrali, sicut & Communionem Paschalem, eò quòd Episcopus, & Ecclesia Cathedralis concurrant in cura animarum cum omnibus parochiis Diœcesis. *cap. Quacunque 10. q. 1.* Verùm hæc doctrina non habet ullum usum Constantiæ; nec enim parochus Cathedralis id juris sibi assumit, nec habemus Archipresbyterum repræsentantem vices Episcopi.

297 XI. Barbosa *cit. c. 19. n. 26.* habet quidem pro probabili opinionem Silvestri, Henriquezii, aliorum, censentium, quando parochus iniquè negat parochiano licentiam confitendi alteri, posse nihilominus absolvi per hunc alterum; at oppositam ipse præfert cum multis, rectè observans, malè agere parochum, quando absque rationabili causa negat hanc facultatem petenti: *peccaret sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi*, inquit S. Thom. *in 4. dist. 17. q. 3. art. 3.* Addit idem Barbosa *n. 27.* illum, cui parochus dat potestatem absolvendi in paschate suum parochianum, debere esse parochum ejusdem Diœcesis, at praxis ostendit contrarium; etenim cooperatores parochorum funguntur hoc officio ex permissu horum.

298 XII. *Adjussa superiorum reducuntur Diplomata, seu Indulta Pontificum pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace concedi, & promulgari solita, per quæ ad Confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sanctæ susceptionem Christi fideles invitantur: peccat siquidem non leviter, quicunque tam pias Rectorum Ecclesiæ cohortationes, sanctionesque aspernari audet, & transgredi.*

Sunt hæc verba, & sententia Sancti Fun- 299 datoris nostri, in libello spiritualium Exercitiorum *sub initium*, ubi subministrat aliqua documenta de peccatis. Eam sententiam explicat Suarez *Tom. 4. de Relig. l. 9. de Iustit. Societatis. c. 5. num. 14.* & ego ex ipso in tractatu de Jubilæo Quintuplici *c. 45.* Sanè licèt, *per se loquendo*, non delinquat etiam venialiter, qui præcisè omittit opera præscripta pro Jubilæis, & inter hæc Confessionem, qui tamen aspernatur, atque contemnit Bullas indicentes illa Jubilæa, non leviter peccare dicendus est, sed graviter saltem eo sensu, quem indicat hæc aurea gemmea sententia S. Anselmi *Lib. 1. Cur Deus homo cap. 21.* sic pronuntiantis: *Graviter peccamus, quotiescunque scienter aliquid, quantumlibet parvum, contra voluntatem Dei facimus: quoniam semper sumus in conspectu ejus, & ipse semper præcipit nobis, ne peccemus.*

DE CONFESSIONE DEBITA EX VOTO, ET PŒNITENTIA.

CASUS XII.

Duplicatus.

SUMMARIUM.

Casus adolescentis studiosi noventis binam Confessionem, si promoveatur ad classem superiorem. 300.

An finis, ob quem vovit Confessionem sit sufficiens ad fundandam culpam lethalem? 302. & 303.

Votum factum pro temporali bono quando obliget? 303.

Votum de una Confessione facienda obligat sub mortali. 305.

Et quid sit de solis venialibus? 306.

Peccat mortaliter, negligens Confessionem pœnitentialem. 310.

Sicut &, qui negligit imperata à sacra Pœnitentiaria. 312.

Minutius literarum alumnus, ac valde 300 *solicitus de promotione ad scholam superiorem, promittit sub finem Anni scholastici Beatæ Virgini, se in ejus honorem esse bis lavacro Confessionis abluturum sordes animi, si ejus patrocinio consequatur gradum optatum. At Micrologo injungit confessarius ternas Confessiones ob triplex peccatum venereum. Quæritur, an, & quantâ obligatione teneatur Minutius suum votum, Micrologus suam pœnitentiam exequi?*

Prima pars hujus duplicati Casûs est mini- 301 mè ficta, *secunda* veritatem adstruunt plurimi quà confessarii, quà confitentes. Quin Micrologus teneatur exequi pœnitentiam illam, nemo dubitare potest; at de Minutio haud immeritò dubites, sicut & fortè erit, qui vocet in dubium, utrùm, siqua incumbat ipsi obligatio, sit mortalis? Quod & de Micrologo quæri potest.

Dico I. Minutius peccabit certò, omit- 302 tendo promissam Confessionem, si promisit ob honestum finem vestientem illum ascensum, ut per se patet; fortè autem non peccabit, si honesta circumstantia non accedat. Ratio est, quia, licèt promissio illa non sit propriè votum, quandoquidem votum est pro-

missio facta Deo. S. Thom. *2. 2. q. 88.* est tamen simillima voto propriè dicto; & quia de similibus simile judicium ferendum est, ideo sicut promissio facta Deo de re bona quidem ex se, at ex motivo malo non obligat. Suarez *Lib. 1. de voto c. 5.* ex communi, ita neque facta alicui Sancto de re bona, ut est Confessio, sed ex motivo indifferente, nam & motivum tenens se ex parte materiæ pars est materiæ per votum promissæ. Suarez *ibid. n. 1.* & votum de re indifferente minimè obligat. Raynaudus *in Hetoroclitis pietatis l. 1. sect. 2. punct. 2.* pulchrè declarans hanc certam, & communem doctrinam, ut nos *in Alph. Quadrup. P. 1. Cas. 2.* Atqui promotio ad superiorem classem est res ex se planè indifferens, cùm neque laudem, neque vituperium mereatur apud Deum, imò mala, si intendatur ob malum finem, aut sit verè noxia ascensuro.

303 Hic discursus videbitur fortè nonnemini legitimus; at neque mihi, neque aliis, qui eum expenderunt, probatur. Quamvis enim certum sit, votum de re indifferente, ut sic, non obligare, neque votum factum ob finem indifferentem, quando hic est finis materiæ per votum promissæ, ut patet ex communi exemplo, quando nimirum te jejunaturum promittis solâ intentione parcendi sumptibus; attamen si finis indifferens non afficiat rem promissam, quæ v. g. ordinetur à promittente ad rem aliquam indifferentem, aut temporalem obtinendam, puta sanitatem, matrimonium commodum, &c. communis sensus esse videtur, conditione impletâ, promissionem obligare, etiamsi promittens sistat præcisè in illa indifferentia. Neque enim per hoc inepta redditur promissa materia, præsertim cùm (ut notat Laymannus) etiam bona temporalia à Deo, tanquam eorum authore petere, aut expectare, bonum & honestum sit. Videantur Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 7. n. 25. & 28.* Laym. *in Theol Moral. Lib. 4. Tr. 4. c. 2. n. 10.* Castropalaus *de voto puncto 8 num. 6.* ipse Suarez *c. 5.* superiùs allegato *num. 5.* sic loquitur: *Votum factum pro temporali bono obtinendo validum est, si aliàs votum sit de congrua materia, ut tradunt omnes. Cujus ratio est, quia ille finis non reddit malum actum promissum, quia non est finis ejus.* Ita Suarez, ita & ego.

304 At verò potest ille ascensus honestari aliquâ circumstantiâ; ut si ascensum ideo desideras, quia tantò citiùs suscipieris ad Religiosum Ordinem; aut patrem tuum valde inopem liberabis magnâ tristitiâ, quam afferes, terendo alterum Annum in eadem schola. Quo quidem casu dimanabit in illam promissionem obligatio confitendi. *At, an mortalis?*

305 Resp. Non ausim negare, tum quia finis illius ascensûs est res magni momenti, bonum, inquam, satis considerabile, tum quia, *per se loquendo*, votum de una Confessione facienda obligat sub mortali. Expressè Sanchez *Lib. 4. Mor. c. 12. num. 28.* ac Dicastillo *de pœnit. disp. 7. dub. 7. num. 118.* siquidem, *generatim loquendo*, votum de re aliqua editum obligat, *per se loquendo*, (seu abstrahendo à diversa intentione voventis) nec minùs, nec plùs, quàm obligat Lex Ecclesiastica lata de simili re. Sanchez *cit. c. 12.* & Diana *Part. 10. Tr. 16. Res. 50.* interim negante eodem Patre Sanchez *n. 17. absolutè* votum confitendi aliquod veniale peccatum, obligare sub mortali, eò quòd non sit difficile illi, qui cæteroqui confitetur, aperire aliquod veniale. At quid P. Sanchez diceret ad hanc

Quæstiunculam singularem?

306 *Emmanuel Rodriquez illustre sidus Ordinis Seraphici scribit de seipso, se non sine notabili pudore (& consequenter non sine notabili sui ipsius mortificatione) solitum confiteri, quando ad Confessionem adferebat identidem iteratas culpas veniales. Quæritur an si edidisset votum de illis manifestandis, potuisset tacere sine noxa lethali?*

307 Equidem vix admiserim. Etenim: *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris*, ait profundissimus Theologiæ mysticæ magister, seu Joannes Gerson, seu potiùs (ut persuasum ex Idiotismo Germanico, longissimè distante à Latino, simul atque Italico, habeo) Thomas à Kempis *l. 1. de Imit. Christi cap. ult.* multùm ergo proficit, qui multam sibi vim infert; ergo confiteri cum magno pudore est materia 308 voti sat gravis. Idem sentio de viro gravi, ac sene multùm venerabili, reo alicujus mendacii venialiter noxii; de puella valde pudica, & verecunda rea alicujus tactûs, aut aspectûs venialiter impudici, saltem si tales Confessionem peragant apud aliquem juvenculum sacerdotem. Excipe, nisi hi expressè intendant obligare se solùm sub veniali.

309 Igitur de voto Confessionis tenendum est, illud obligare sub mortali, *per se loquendo*, atque, quando vovens, vel non intendit se obligare solùm sub veniali, vel non emittit ex fine, seu motivo malo, indifferente, vel saltem exiguam bonitatem continente, consequenter id ipsum dicendum de Confessione promissa alicui cœlitum.

310 Dico II. Peccat *per se* mortaliter, qui non peragit Confessionem injunctam à confessario. Ratio est, quia præceptum confessarii, sicut & votum obligant, *per se loquendo*, tam graviter, quàm obligat, vel obligaret publica, & communis lex lata, vel ferenda de objecto voti, vel pœnitentiæ, ut sæpe repetunt Sanchez, Bonacina, Palaus. Consequenter tria lethalia crimina admisit Micrologus, de quo *altera* pars

nostri Casûs Duplicati, si neglexit tres il- 311
las Confessiones; unum, si unam. Verè Confessio sacramentalis est actus valde & gratus Deo, & proficuus animæ; quidni igitur seu votiva, seu pœnitentialis obligatio obeundi hunc actum sit de se gravis? Observo autem *in Alphabet. Confessariorum Cas. XVII.* Confessionem frequentem esse singulariter obscœnis injungendam à confessario. Utrùm verò iis, qui vitam turpem valde, ac libidinibus plenam traduxerunt, sit suadenda Confessio generalis, quando hi jam cæteroquin omnia legitimo modo manifestârunt sacerdoti, dicam Casu sequenti.

312 Ad præceptum pœnitentiale refertur illud, quo obtinens à Sacra Pœnitentiaria dispensationem matrimonialem jubetur quot mensibus confiteri, sicut explicò distinctè *in Theol. Juridico-Morali Cap. 37. Subsect. 4.* Nam etiam, qui solis venialibus gravatur, debet obire illam Confessionem. Escobar *in Theologia Morali Lib. 43. cap. 1. Sect. 1. n. 7.*

CONFESSIONIS PRÆCEPTUM REGULARE.

CASUS XIII.

Candidati.

SUMMARIUM.

Casus volentis ingredi religionem, & dubitantis, an esset mortaliter peccaturus omittendo in Confessione generali faciendam in Novitiatu aliquod mortale. 313.
Decretum Clementinum de tali Confessione. 315.
Et de menstrua pro nigris Monachis. 316.
Homines Societatis Jesu habent hebdomadariam. 318.
Quid de Statuto confitendi generaliter quot Annis proprio Prælato? 319.
Decretum de Confessione generali Novitiorum non obligat sub mortali. 320.
Et probabiliter nec illud de nigris Monachis. 322.
Potest quis ex hypothesi obligari sub mortali ad confitenda venialia. 323.
Non peccat mortaliter omittens aliquam in Confessione generali. 325.
Quomodo fuerit practicè agendum cum illo, de quo n. 313. est actum? 326 327.
Quibusnam dissuadenda Confessio generalis? 328.

313 *Nodgerus juvenis opifex candidatus Ordinis Religiosi à nostro diversi, e-*
jusque tyrocinium jam jam subiturus convenit me alibi existentem, ac dixit, esse se jam in procinctu ad eam Religionem. Intellexisse autem ex uno è Patribus, cum quo de Sacra vocatione contulerat, esse moris recepti, ut omnes tyrones suæ Religionis, priusquam veste verè nuptiali amiciantur, conscientiam emundent generali Confessione omnium noxarum, per universam vitam contractarum, id verò accidit mihi, inquiebat Nodgerus, difficillimum. Non enim possum sine ingenti meâ confusione recensere omnia, quæ patravi, quæque jam deposui apud alium virum Religiosum, an graviter offendam Deum, si nonnulla presserò silentio?

Ita omnino est. Nodgerus ille proposuit 314
mihi alibi locorum commoranti, & proindè ante complures Annos, hanc quæstionem. Probè memini, eâdem fuisse abhinc Annis plus quinquaginta tentatum à nostræ Societatis candidato Patrem de Societate. Occasione hujus utriusque facti memorabo hîc aliqua statuta partim Juris Canonici, partim Ordinum Religiosorum circa Confessiones suorum alumnorum, tum explicabo obligationem talium statutorum; dicam, quid videatur respondendum iis, qui proponunt quæstionem similem Nodgerianæ, & singulariter, quando patrârunt plurima fœdissima peccata.

Dico I. Clemens VIII. in Decretis editis 315
super educatione, & receptione Novitiorum statuit, ut statim, atque Novitii ad Habitum recepti, & in locum Novitiatûs introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum Confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent. Sic testatur Pellizarius *in Manuali Regul. Tom. 1. Tract. 2 cap. 5. num. 14.* adferens plures optimas rationes hujus Decreti, cui simile continent nostræ Religionis, pluriúmque aliarum Constitutiones, seu Statuta; ipsam Bullam Clementis describit Pellizarius *Tom. 2. Fol. 760.*

Dico II. Clemens V. in Clementin. *Ut* 316
in agro Dominico, De statu Monach. §. sanè sic loquitur: *Singulis mensibus tam in monasterio, quàm extra (sublatâ occasione quacunque) ad Confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi.* In cujus constitutionis proœmio, quia Pontifex expressè loquitur de Monachis *Nigris*, id est, Benedictinis. Liamas 317
in methodo Part. 2. cap. 3. §. 4. Rodriq. *Quæst. Regul. Tom. 1. quæst. 62. num. 1.* Sanctgallen. *Curs. Theologici Tom. 10. Fol. 194.* & legum intellectus desumi debet ex proœmio; idcirco tenent Rodriq. *loc. cit.* Sanctgallenses *loc. cit.* Pellizarius *in Man. Tract. 5, cap. 3. n. 12.* & alii contra Liamas *l. c.* & Barbosam *in cit. Clem.* solos Benedictinos teneri hoc præcepto, quod quidem ad omnes Moniales extendit Concil. Trid.

318 Trid. *Sess. 25. cap. 10. De Reg.* Verùm sicut nostra Societas habet Regulam de faciendâ Confessione saltè singulis hebdomadis semel à quovis, ita sine dubio plures aliæ Religiones factitant id ipsum, ut de Cistertiensibus in Hispania testatur Liamas ipse Cistertiensis. Nolim tamen prælentem Clementinam extendere ad non profitentes Regulam sancti Benedicti, præsertim si, ut mox videbimus *num. 322.* obliget ad mortale.

319 Dico III. In multis Religionibus est speciale statutum valde utile, & consuetudine observatum, ut ad finem Anni omnes Regulares subditi repetant Prælato monasterii omnia peccata mortalia, quamvis reservata non sint, quibus per hebdomadas, aut menses singulos fuerint *directè* absoluti à proprio Regulari confessario. Ita testatur, loquiturque Rodriq. *cit. Quæst. 62. n. 2.* describens verba Henriquezii *Lib. 5. seu 2. De Pœn. Cap. 16. n. 3.* Et verò nostra Societas obligat aliquos suorum ad repetendas apud designatum à superiore Confessiones factas per semestre quodlibet; alios factas solùm per Annum.

320 Dico IV. Decretum Clementis VIII. de Novitiis non obligat sub mortali; cùm enim sit dere multis difficillima, imò & parante viam ad multos scrupulos, non debet intelligi tam rigidè, nisi hunc rigorem exprimant ipsa verba; non censeo autem, ejusmodi verba contineri eo Decreto expressa; multò minùs obligant
321 sub mortali tales Novitios statuta Regularium; nam, *generatim loquendo*, Novitii non tenentur in conscientia observare (*per se loquendo*) Leges & Regulas Ordinis, in quem sunt recepti. Pellizarius *Tom. 1. Tract. 9. cap. 3. n. 31.* ex communi; licèt teneantur sæpe ratione, aut scandali, aut juris naturalis, ut e. g. non celare impedimentum grave.

322 Dico V. Decretum, seu Sanctio Clementis V. de nigris Monachis obligat sub mortali, judicibus Liamas *cit. Cap. 3.* Vasq. Azor. Dicastillo *de Pœnit. Disp. 7. d. 7. n. 118.* At verò arbitris Suario, Palao, *Tract. 23. punct. 10.* Escobar *in Theol. Moral. Lib. 43. cap. 7. dub. 19.* Sanctgallensibus, post Barbosam, non obligat strictiùs, quàm Regulæ Ordinis, esto quis infectus sit mortali maculâ. Ostendit autem Dicastillo *loc. cit. num. 115.* post alios contra Paludanum, Scotum, Escobar, & plures alios, intelligendum etiam de Monachis non habentibus nisi venialia, ita autem, ut, quando sunt obnoxii alicui mortali, non teneantur, nisi illud mortale, aperire. Religiosa Statuta similia illi Clementinæ non obligant magis cujusque Ordinis Religiosum quàm cæteræ Regulæ soleant obligare in suo Ordine.

323 Et quamvis daremus, Ecclesiam non habere jus obligandi sub mortali ad Confessionem illum, qui non est, nisi venialium reus, si tamen quis ingrediatur Ordinem, in quo vigeat Statutum ita graviter obligans, consequenter subibit & ipse hanc gravem obligationem de Confessione hebdomadaria, mensirua, annua, Suarez *Tom. 4. De Relig. Lib. 10. De Instit. Societat. Cap. 6.* Lugo *de Pœnit. Disp. 15. Sect. 6. num. 98.* Pellizar. *cit. Tract. 5. cap. 3. num. 15.* Utrùm verò existat Religio, quæ sub peccato 324
aut mortali, aut saltem venia li obliget ad ejusmodi Confessionem, me latet, etsi non ignoro, neutram reperiri in nostra Societate. Notant 325
autem plures excitatis authoribus, quando fit ex vi Regulæ Confessio aliqua generalis, licèt sit optimi consilii, ut quis aperiat omnia planè, quibus Deum graviter offenderit ab eo tempore, à quo confiteatur generaliter, attamen, *per se loquendo*, non delinqui omittendo unum, aut plura peccata; & delinqui solùm venialiter, etiamsi unum, aut plura omittat, etiam tunc, cùm *explicitè*, vel *implicitè* significavit, se velle omnia aperire, tenet Henriq. *cit. Lib. 2. cap. 16. num. 6.* quia non decipit confessarium in re, quam tenetur ad eum deferre, inquit ille.

Ex his apparet, quid fuerit respondendum 326
illis duobus, de quibus noster Casus Candidati. In primis enim oportebat eis dicere, non peccaturos, etiamsi omitterent multa, nisi fortè essent præ se laturi, se omnia aperturos. Hæc autem doctrina erat solùm tunc proponenda, si suberat aliquis metus, ne illi juvenes falsò rati, Regulam obligare sub gravi noxa, occultarent quædam contra erroneam conscientiam. Deinde oportebat eos suavibus rationibus inducere, ad integerrimè parendum tam sanctæ, etiam quoad hoc punctum, Regulæ; nam & iterata confusio sui ipsius est summi meriti, & notitia hausta ex tali Confessione juvat confessarium, ad tantò aptiùs dirigendum postea in foro pœnitentiali talem pœnitentem.

Quid si autem quis candidatum traduxisset for- 327
tè vitam in omni genere fœditatis fœdissimam, cujus imagines redibunt, si reminiscatur specierum, circumstantiarum, numeri, ac forte pertrahent in aliquam delectationem?

Resp. Obhanc causam noster P. Joannes 328
Suffrenus *in suo Circo Perfectionis, seu Exercitiis Spiritualibus Folio 342.* sic scribit: Alterum genus hominum (pro primo genere posuerat scrupulosos) ab usu generalis Confessionis excludendorum est eorum, qui turpem, & fœdam libidinibus vitam duxêre; nam recordatio talis vitæ anteactæ periculosa est, &c. Ita ut communiter utilius sit, peractâ semel seriâ horum Confessione, non ampliùs meminisse, nec loqui de illis, nisi generatim, & cum horrore, & detestatione; nihilominus in his omnibus obsequendum erit consilii prudentis, expertíque directoris. Ita Suffrenus. Et pro- 329
inde, si quis mihi notus de tam turpi vita, ac timens

timens ex ea repetitione periculum lapsûs, me consuleret, dicerem ipsi: Ergo priusquam præpares te in ipso Novitiatu ad generalem Confessionem, pete modestè accessum ad confessarium pro te designatum, atque in Ordine ad Confessionem manifesta tuum timorem, ejusque causam generatim; ubi manifestâris, sta-
330 integre ejus judicio. Verùm censeo, esse inter adolescentes, aut juvenes saltem Germanos rarissimum casum, quo prudenter timeatur id mali, adeóque communissimè suadenda est accurata discussio conscientiæ, & ejus detectio, ea etiam de causa, quam valuisse, sum expertus, ut scilicet obviam eatur scrupulis, qui possent oriri circa Confessiones peractas in sæculo: Jam constitutis in virili ætate, posset faciliùs, consultiùs suaderi illa præliminaris, ut ita loquar, conferentia cum confessario.

CONFESSIONIS INTEGRITAS SPECIFICA.

CASUS XIV.

Dexteritatis felicissimæ.

SUMMARIUM.

Casu memorandæ dexteritatis in inducendo obstinato ad integram exhomologesin. 331.
Confessionis integritas est duplex. 336.
Decretum Tridentinum de ea. 337.
Confitendæ sunt omnes species mortalium. 341.
Undenam desumatur specifica malitia? 342.
Paradigma confitentis ridiculè, & dantis occasionem seriarum quæstionum. 344.
Omnium mortalium Confessio est facienda apud unum eundémque confessarium. 346.
An Confessio possit defectu integritatis esse valida, & tamen informis? 347.
Sufficit quandoque confiteri voluntatem peccandi efficacem. 348.
Declaratur practicè. 349.
Si cui præbuisti venenum, ex quo extinctus est, quomodo tenearis confiteri? 352.
An tota actio, quæ legis librum hæreticum, sit peccaminosa? 356.
Exprimendæ sunt infimæ species mortalium. 357.
Quid confitebitur, immemor infimæ speciei? 359.
An nullus sit extra mortis articulum absolvendus, nisi confiteatur aliquam speciem infimam? 360.
Qui tractandi rudes non confitentes quidquam in specie? 361.

Odo vir potens peccatum commiserat, 331
cujus Confessionem ita horrebat, ut potiùs mortem, & damnationem eligeret, quàm Confessionem. Interim conscientia continuò eum angebat. Quodam die, cùm Antuerpiæ concionatorem audisset pronuntiantem, non esse obligationem confitendi peccata, quæ memoriâ exciderunt, omnia tentavit, ut illud oblivioni traderet. Sed frustra impendit gignendæ oblivioni omnem multorum Annorum industriam. Denique incidit in sacerdotem de Societate, qui sagacissimâ ratione expiscatus Consilia Odonis ei dixit, posse etiam sine Confessione consequi salutem, modo velit aliquot diebus sibi obtemperare. Obtemperavit, & cùm inter deam- 332
bulandum cæpisset Pater loqui de variis peccatorum speciebus, quæ mortales committunt, demum devenit ad illud ipsum, cujus manifestationem extremè horrebat Odo; quo nominato subdit hic: Ecce maledictum scelus, quo urgeor! *Dissimulat sacerdos; addit, longè graviora patrari ab aliis, Odonem jam esse confessum illud, quod tot Annis suppresserat, cætera in memoriam antè reducta ediceret, se impertiturum absolutionem. Captus hoc ar-* 333
tificio Odo flectit genua, cætera sua crimina sine horrore aperit (repetitâ utique memoratione illius, quod tot Annis illum averterat abhomologesi) *& absolutionem recipit, tanto verò cum gaudio, ut frequenter Patri huic postea repetiverit: O Confessio! quanam serenitatem, & lætitiam menti adfers! O mi Pater! à quot me angoribus Confessio liberavit?*

Casum hunc exscripsi (omissis haud pau- 334
cis) ex Candelabro Jacobi Marchantii *Tract. 5.* in fine *Lectionis septimæ*, quem fatetur se mutuatum à P. Joanne Crombecio *de studio perfectionis.* Sola integritas Confessionis illum à Confessione abstinebat: quæ quia est post dolorem, atque propositum emendationis præcipua conditio Confessionis, eam explicabo præ cæteris, quarum quidem numerum referam *Cas. XXII. n. 528.*

Porrò integritas Confessionis est generatim 335
duplex, scilicet *materialis* qua exprimuntur omnia, quæ sunt ex præcepto Christi, *per se loquendo*, exprimenda; *formalis*, qua illa, quæ conscientia ultimatò dictat, esse hic, & nunc aperienda, sive interim omnia omnino narrentur, sive aliqua omittantur, aut per inculpabilem oblivionem, aut deditâ operâ, ex causa, autem vel justa à parte rei, vel inculpabiliter habita pro justa, nam *integritas* formalis *consi-* 336
stit

stit cum quacunque ignorantia probabili juris, ratione cujus homo existimat se posse omittere peccatum in Confessione, inquit P. Suarez *De pœnitentia Disp. 23. Sect. 3 n. 2.* Porrò quænam sint necessariò deferenda ad tribunal Sacrum, pro-
337 ponit Synodus Tridentina *Sess. 14. cap. 5.* his verbis: *Constat, sacerdotes æquitatem, in pœnis injungendis, servare non potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim fideles sua peccata declarâssent. Ex his colligitur, oportere à fidelibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima sint, & tantùm contra duo ultima Decalogi præcepta commissa.* Et paulò pòst: *Colligitur præterea, eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quòd sine illis neque peccata ipsa integrè à pœnitentibus exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro il-*
339 *lis pœnitentibus imponere*: Et iterum aliquibus interjectis versibus: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, universim eâ-*
340 *dem Confessione inclusa intelliguntur.* Hactenus in rem præsentem Concilium Tridentinum, ex cujus verbis liquet, integritatem *materialem* posse subdividi in quatuor membra, scilicet *Specificam*, in qua peccatorum mortalium species: *Circumstantificam*, in qua circumstantiæ: *Numericam*, in qua numeri: *Dubiam*, in qua dubia mortalia continentur: De quibus quidem omnibus est nobis in decursu differendum, & primò de specifica.

341 Dico igitur I. Tenentur omnes rei peccatorum mortalium species *morali* differentium exprimere in Confessione singulas species. Patet ex verbis Concilii. Dixi inprimis: *mortalium*; nec enim reprehendendus, qui præcisè dicit; *peccavi venialiter contra justitiam: deliqui leviter contra cultum debitum Deo: leviter quoque contra temperantiam*; potestque probabiliter ejusmodi Confessio esse etiam extra casum necessitatis sufficiens ad absolutionem, ut dicam infrà; sed ne sequare in praxi hanc doctrinam, adde ergo aliquod veniale in specie infima.

342 Dixi deinde: *Species morali differentium*, per speciem *moralem* intelligendo illam, quæ refertur ad mores, id est, quæ moribus, seu actibus humanis adfert maculam, malitiámque specie distinctam. Quæ quidem maculæ, malitiæve specialitas desumitur in primis ab objecto *primario*, ac *principali*; etenim actus tam malos, quàm bonos *moraliter* accipere speciem ab objecto *principali*, seu ab eo specificari, fert communis, & verus sensus Thomistarum post S. Thom. *1. 2. quæst. 18. art. 2. 3. & 4.* adeóque causa, cur aliquis actus sit ex sua natura bonus, vel malus, cur *primariò* dicatur esse infectus hac, aut illa speciali turpitudine, est, quia fertur *primariò* in hoc, aut illud objectum *formale*, habens peculiarem repugnantiam cum recta ratione. Quare ratio, cur furtum c. g. seu actio furtiva habeat *per se*, & *primariò* malitiam repugnantem justitiæ; est, quia res invito rationabiliter Domino contrectabilis dedecet peculiariter rationem rectam. Desumitur deinde specialitas malitiæ ex circumstantiis, & præsertim ex fine, ut videbimus *Casu XV.* Porrò sicuti dicemus eodem *Casu XV.* illas solas circumstantias esse aperiendas, quas peccans apprehendit tanquam speciali fœditate inquinatas, ita etiam dicendum de specialitate malitiæ derivatæ ex objecto *primario*, & proinde, qui existimaret, gravem detractionem esse peccatum ejusdem planè malitiæ, cujus homicidium, aut furtum, commisisséque duplex hoc peccatum, non rectè diceretur patrâsse duo specie peccata. Hinc propono

Has ridiculas simul, & ferias Quæstiones.

344 *Quoardus homo plebeius Confessionem contexens ordine per præcepta Decalogi, pervenit ad quintum, atque ait. Non occides*: Domine. Ego quidem neminem occidi gladio, sed linguâ; quia alicui suum bonum nomen abstuli, seu furatus fui. *Quæritur*). *An, quia detractionem appellat homicidium, debeat à confessario plecti pœnitentiâ homicidio debitâ? 2. Quia detractionem afficit nomine furti, An detrahendo deliquerit in genere furti? 3. An, si gravi, injustéque denigrationi nominis junxit furtum decem aureorum, sufficienter confiteatur dicens*: Commisi duo furta mortalia, *posito, quòd reus decem aureorum sublatorum faciat Confessionem sufficientem dicendo*: patravi semel crimen mortale furti?

345 Resp. I. *Affirmativè* ad hæc tria quæsita, si supponamus, Odoardum tempore, quo ea crimina conscisceba, sincerè judicâsse, esse ejusdem malitiæ: *negativè*, si non ita judicavit. Et verò ex tam multis, quos audivi sic loquentes, non existimo, obtigisse mihi duos, aut tres, qui non conceperint diversitatem malitiæ, seu qui non judicârint, unum horum peccatorum esse altero gravius, & peculiariter aperiendum. Nec reor, esse Theologum, qui ausit extendere ad hujusmodi casum doctrinam de non necessariò confitendis circumstantiis aggravantibus intra eandem speciem. Praxis omnium, ut existimo, confessariorum repugnaret tali Theologo.

346 Dico II. Illa Confessio omnium specierum facienda est, *per se loquendo*, apud unum, eundémque confessarium, adeóque necessaria integritas Confessionis intelligitur respectu unius Confessionis, uniúsque confessarii. S. Tho. *in supplem. q. 9. art. 2. ad 2.* & omnes cum eo, éstque de fide, teste Suarez *Disp. 22. Sect. 1. Per accidens* tamen potest quandoque dimidiari Confessio. Infrà. Est porrò integritas *formalis* de essentia Sacramenti, non autem *materialis*. Nugnus *in cit. art. secundum* S. Thomæ, adeóque non recipit propriè Sacramentum Pœnitentiæ, qui sciens omittit manifestationem peccati, quod conscientia dictat esse hîc, &
347 nunc sub mortali confitendum. Quando autem falsò judicans, suppetere tibi causam sufficientem ad tacendum hoc, aut illud mortale crimen, taces, Confessio tua est nihilominus *valida*; *informis* quidem, si ignorantia sit *vincibilis* communiter dicta, *formata* verò, si ignorantia sit *invincibilis*. Si verò ignorantia sit *crassa*, vel *affectata*, nullum est Sacramentum. Ita Nugnus *loc. cit.* subdens hanc *septimam* conclusionem: *Quando quis cognoscens, aliquod peccatum esse mortale, & nullam esse causam ad omittendum, omittit illud, quia existimat, non esse necessarium confiteri omnia peccata mortalia, etiamsi ignorantia sit invincibilis, Sacramentum est nullum, quia talis non facit ullo modo integram Confessionem.* Ita rursum Nugnus, cui nequaquam assentior in hoc puncto. Etenim talis nihilominus facit Confessionem *formaliter* integram, ut patet ex hujus descriptione allata *n. 336.* sed neque eidem authori credo dicenti, aliquam Confessionem posse etiam tali defectu integritatis esse *validam*, & tamen *informem*; contrarium enim rectiùs tenent Medina, & alii cum, & apud Dicastillum *Disp. 8. dub. 13. num. 966.*

APPENDIX INGENII PRURIENTIS.

a NEqueo facere, quin hîc repræsentem inexspectatam quæstionem, quam mihi literis proposuit decimo sexto Novembris 1674. Præclatus Religiosus Theologiæ celebris Magister, hisce verbis: *Est, qui dicat, esse, qui doceant, illum, qui plura mortalia confessus est uno tantùm omisso, si quidem voluntariè omittat, nullâ justâ hujus reticentiæ causâ interveniente, satisfacere, si peccatum omissum in proxima Confessione exponat, absque eo, quòd rèliqua peccata mortalia explicet, posse enim illum absque omni scelere unum è prioribus reticere, & tamen* validè *absolvi; estne aliquis, qui tale quid doceat? Ego salvo meliore judicio existimo, ejusmodi sententiam esse falsissimam, nec habere speciem alicujus probabilitatis. Si enim unum ex priori Confessione sacrilegâ peccatum reticere licet in posteriore, cur non omnia? Quis autem hoc dicat, aut toleret? Frivolum est autem dicere, Concilium Trident. plus non requirere, quàm ut unum aliquod subjiciatur clavibus, sive* validè *id fiat, sive* invalidè, *hoc enim perinde esse &c. Quæso Reverentia Vestra &c.*

Respondi, nec lectum à me fuisse, qui ità b sentiat, nec quidquam probabilitatis, imò plurimùm apertæ falsitatis inesse illi novæ sententiæ, idcirco à me hîc refutatæ, quòd & evidenter repugnet communi doctrinæ S. Thomæ de necessitate aperiendi uni eidémque Confessario omnia mortalia, necdum absolutione sacramentali deleta; traditæ hoc ipso *n. 347.* & profitear, detestari me illos, qui audent circa *essentialia* Sacramentorum quidquam docere contrà sensum omnium doctorum, & indoctorum, Prælatorum, & subditorum, ut quidem est divinatio illius Neoterici.

Dico enim, illam prurientis ad inconcessas c novitates ingenii opinationem esse tenebris obruendam idcirco, quòd dogma relatum à nobis ex S. Thoma, appellatur à P. Suarez *De Pœnit. Disp. 22. Sect. 1. n. 4.* certum de fide, à Georgio Rhodes *De Pœnit. disp. 2. quæst. 4. Sect. 1.* dicatur esse constantissimus omnium Orthodoxorum sensus: Didacus verò Nugnus *loc. suprà cit. conclus. 3.* sic loquatur: certum est, ita ut oppositum sit *temerarium*, & *proximum errori*, quòd sit necessarium *necessitate Sacramenti*; imò est certum, ut oppositum sit erroneum, quòd sit necessarium *necessitate præcepti divini* talem integram Confessionem eidem sacerdoti fieri, & quòd hoc etiam sit necessarium *necessitate Sacramenti*, est ita certum, ut oppositum sit *temerarium & proximum errori*. Denique testatur Dicastillo *De Pœnit. Tract. 8. disp. 8. n. 106.* à se non visam ullam hac in re discordiam. Accedit, quòd cùm plerique exponant causas, ob quas liceat quandoque mediare Confessionem, attamen nullus verbulo tangat illum Casum sacrilegum, quem obtrudit Novator.

Dico insuper, impium esse sentire, quòd d Synodus Tridentina plus non requirat, quàm ut peccata mortalia *subjiciantur clavibus*, sive *validè* id fiat, sive *invalidè*, hoc enim perinde esse. Si quippe est illi Synodo perinde, repugnat ea præceptò *divino* de procuranda per Confessionem vera coram Deo absolutione, etenim idem Concilium *Sess. 14. cap. 5. & Canon. 7.* declarat, præcepto *divino* teneri nos omnia mortalia confiteri sacerdoti tanquam prædito clavibus ad ligandum, & verè coram Deo absolvendum; dissentirent autem ab infallabili hac doctrina Patres Tridentini, si ipsis perinde esset, sive *utiliter*, sive *inutiliter*, & *sacrilegè* peragatur à fidelibus Confessio. Confirmatur inde, quòd Alexander VII. disertè vetuerit usum hujus propositionis: *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Porrò ridiculum est cogitare, quòd liceat e in proposito Casu omittere unum è peccatis mor-

mortalibus in priore Confessione sacrilegâ nequiter omissis, si enim unum, quodnam illud, imò cur non omnia? re enim verâ licebit omnia, si licet unum. Rectissimè & ex omnium Orthodoxorum persuasione scripsit Rhodes *loc.* suprà *cit. Ex institutione Christi habetur, ut exprimantur peccata mortalia in ordine ad absolutionem atque ita ex eadem institutione habetur, ut deferri debeant omnia uni & eidem confessario, alioquin non posset pœnitens absolvi.*

Hisce adde alios tres, aut quatuor textus diversorum Conciliorum, quos adducit *loc. cit.* P. Suarez.

348 Dico III. Sufficit quandoque confiteri voluntatem efficacem peccati, quandoque non sufficit. Declaro, & probo. Etenim effectus malæ voluntatis est aliquando propriè peccatum, aliquando non est; quando est propriè peccatum, manifestari debet propter doctrinam generalem descriptam ex Synodo Tridentina; secùs, quando non habet rationem peccati, quia sola peccata sunt materia Confessionis. Rursum hoc declaro. Omnes actus externi tunc sunt propriè peccata, quando sunt ejusmodi, ut tunc, cùm producuntur, pendeant ab *actuali* influxu malæ voluntatis. Sicuti pendet tactus turpis, verbum contumeliosum, absscissio digiti; ut primùm enim voluntas dixerit manui: *cessa à tactu*: linguæ: *cessa*, seu *noli hoc*, *aut istud proloqui*; cessabit tactus, locutio, seu scissio.

349 At verò, illi actus, externique effectus malæ voluntatis, qui existunt, non permanente *actuali* influxu liberi arbitrii, non sunt peccata propriè loquendo, cùm sit de ratione peccati libertas, libertas autem desit, quando deest influxus voluntatis, seu liberi arbitrii, ut patet in exemplo homicidii parrati per emissionem, seu ejaculationem sagittæ, aut glandis. Etenim actio, qua laxas nervum sagittæ, aut admoves ignem pulveri impositio fistulæ æneæ, est actio quidem exterior, & dependens ab *actuali* influxu tuæ voluntatis; suppono enim, fieri à te cognoscente, quid agas, & libere volente id agere; consequenter si ea laxatio, applicatióque fiat in iis circumstantiis, in quibus cernis adesse periculum lædendi, occidendive hominem, quem tibi non liceret lædere, aut occidere, erit propriissimè peccatum juxta omnes, erit quippe liberrima actio contra legem Dei. 350 At verò glandis, aut sagittæ transvolatio ex arcu, vel fistula ænea usque ad hominem; item hujus hominis vulneratio, penetratio usque ad cor ipsum, vel cerebrum, indéque secuta alteratio humorum, suffocatio caloris naturalis, emigratio animæ, & consequenter mors, sunt quidem actiones simul, & effectus malæ, pessimæ voluntatis, nequaquam tamen peccata, quia, postquam est libere admotus ignis pulveri, laxatus arcus, seu chorda, volant, lacerant, penetrant, lethaliter alterant humores glans, sagitta, sitque separatio animæ, seu velis, seu nolis. Ergo ne- 351
quaquam tunc propriè peccas, cùm ista fiunt; alioquin posses propriè peccare & in somno, & in inferno, & in cœlo, cùm fieri queat, ut una, aut plures ex his actionibus, effectibúsque sequantur, & existant tunc primùm, cùm dormis, aut immediatissimè post laxationem moreris cum vel sine actu *perfectæ* contritionis. Ergo necesse non est, *per se loquendo*, deferre talia ad forum pœnitentiale; ad hoc enim nihil necessariò spectat, nisi peccatum propriè dictum. Atque ita sentiunt præstantissimi Doctores, quos referunt, ac sequuntur Diana *Part. Prima Tract. 7. Resol. 6.* Theophilus Raynaudus *in Morali disciplina Disput. 4. quæst. Prima, num. 119.* Lugo *Disput. 16. Sect. 9.* per totam, contra Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disput. 45. num. 30.* Palao *Part. Prima Tract. 2. disput. 1. punct. 3.* aliósque permultos. Quare si cui 352
præbuisti venenum, ex quo extinctus is est, satisfacis, *per se loquendo*, præcepto Christi de Confessione, dicendo præcisè: *Præbui voluntariè, seu studio alicui venenum animo illum necandi.* Et quando te vino planè inebriâsti, sufficienter confiteberis dicendo: *Bibi ex voluptate vinum, prævisо ebrietatis periculo.* Sicut & quando dedisti per diurnas turpes actiones causam pollutionis secutæ in somno, non te damnabo, etsi præcisè dicas, te has, aut illas causas dedisse prævidentem id periculum; secùs, si per turpem tactum, vel aspectum tui ipsius te polluas, in hoc quippe casu pollutio actualis, seu emissio seminis pendet à perseverante (ut suppono) tactu impudico, vel imaginatione impudica.

Quapropter non assentimur Sanchezio, atque aliis pluribus admittentibus quidem illam 353
nostram opinionem de data interdiu causa nocturnæ pollutionis, at verò addentibus, si, antequam moreretur is, cui propinâsti venenum, confessus es illam propinationem, te quidem pro tunc feciſſe satis tuo officio, attamen, si post hanc dolorosam Confessionem extinguatur ille miser, esse tibi recurrendum ad priorem confessarium, aliúmve, atque ei pandendam *actualem* extinctionem; quis enim non videt, imponi tibi absque justa causa onus gravissimum? Quare Laymannus *Lib. 1. Tract. 2. cap. 3. num. 5.* meritò negat eam recurrendi necessitatem. Plura hanc in rem trado *in Theol. Juridico-Morali Cap. 5. Sect. 2.* loquens in specie de malis patratis in ebrietate, & prævisis ante ebrietatem.

Fateor tamen cum Cardinale de Lugo *loc.* 354
cit. num. 460. regulariter expedire, ut illi actus exteriores manifestentur, quia ex eorum manifestatione magis intelligitur & perversitas voluntatis, & an subsit obligatio restitutionis, & an adsit censura, vel reservatio; quo quidem casu

casu non solùm expedit, sed necesse est, aperire effectum, alioquin non tolletur reservatio, nec censura reservata, si Confessio est facta non habenti potestatem in reservata.

355 Nec obest I. Quòd & tales effectus externi communissimè vocentur peccata, & plectantur potiùs, quàm actus interni. Respondetur enim, illam locutionem esse figuratam, seu impropriam; sicuti sæpissime nomen causæ tribuitur effectui: & quamvis mors *actualis* secuta ex præbito veneno sit verum homicidium, non tamen est verum peccatum; punitur tamen irregularitate, excommunicatione, &c. non tam propter se, quàm propter perversam voluntatem, à qua provenit; quæ tamen perversa voluntas, perversus conatus, perversa applicatio mediorum, vel non puniuntur, vel certè non tam severè, quia oporteret nimis frequenter pœnas, eásque graves irrogare, si plecteretur omne malum propositum, omnis malus conatus.

356 Non obest II. Quòd, qui incipit e. g. legere librum hæreticum, animadvertens, & cogitans actu, esse hæreticum, videatur peccare toto tempore, quo legit, esto in decursu non cogitet, esse hæreticum, & proinde non adsit *actualis* libertas respectu lectionis, ut malæ, licèt adsit respectu lectionis, ut est lectio. Rectè enim negat Card. de Lugo *loc. cit. n. 640.* totam illam actionem esse peccatum mortale, sed tantùm secundùm illas partes, secundùm quas habuit advertentiam, adeóque libertatem, quas tamen, quia nequit quis communiter satis dignoscere ab aliis, quibus abfuit plena libertas, ideo *absolutè* confitemur, nos legisse totum librum hæreticum, posito quòd totum legerimus, scientes, esse hæreticum; tunc enim scimus; lectionem fuisse planè liberam ab initio, esto illa libertas fuerit in decursu intercisa per distractionem. Plura circa Confessionis effectus, provenientes ex peccato trado *Tom. Secundo* meorum Tractatuum, seu *in Quinario Tract. 5. c. 9. Sect. 2.* ubi ago de malis patratis in ebrietate.

357 Dico IV. Non sufficit confiteri quascunque species peccatorum, sed oportet exprimere *infimas*, seu *ultimas*. Ita docent omnes moderni adversùs Cajetanum, Canum, & Navarrum ratos, non esse confitendas species ignotas mediocriter doctis, eò quòd tales non varient judicium confessarii, nec exigant specialem medicinam. Quam doctrinam Vasquez *Tom 4. in 3. p. q. 92. a. 1. d. 1. n. 9.* meritò vocat falsissimam, ac répugnantem verbis Trident. Concilii descriptis *n. 338.* falsissimam, inquam, nisi restringatur ad eos, qui illas *infimas* species non habent pro specialiter malis, seu non distinguunt.

358 Intelligitur autem conclusio de speciebus *infimis moraliter* sumptis, ut jam expressi *n. 342.* non autem *physicè* consideratis; nec enim, qui abegit nudius tertius vaccam, heri equum, tenetur exprimere has species; sufficit, si dicat: *commisi duo furta, quorum unum erat circiter sex aureorum, alterum circiter 12.* posito, quòd vacca, & equus tantum valuerint. Et quia actus specificantur etiam ab objecto *formali*, vel *virtuali*, fit, ut imperfectè confiteantur dicentes: *Exposui me periculo peccandi mortaliter*; deberent enim exprimere speciem peccatorum, cujus committendi occasionem non fugerunt, cùm debuerint, & potuerint.

Quòd si nequeas reminisci, cujusnam spe- 359
ciei crimen admiseris, satisfacies Deo, nominando genus proximum, e. g. *commisi peccatum mortale injustitiæ, at non memini, utrùm per detractionem, contumeliam, aut furtum; scio me præter jam narrata adhuc patrâsse aliquod mortale, at prorsus ignoro jam, in qua materia, seu contra quod præceptum.* Vide Laymannum *hìc Cap. 8. num. 7.* & Suarez *hìc Disp. 23. Sect. 1.* addentem, illum, qui non habet aliud peccatum mortale, quàm quòd *in genere* sciat, se peccâsse mortaliter, non obligari addere illi mortali *generico* ullum *specificum* etiam veniale; subdentem quoque *num. 10.* hæc verba: *Licèt homo absolutè non teneatur species peccatorum venialium confiteri, tamen supposito, quòd velit confiteri, tenetur ad exhibendam materiam certam, si potest, & ideo debet aliquod peccatum veniale in particulari suo arbitrio confiteri.* Con- 360
sentit Vasquez *loc. cit. dub. 2. inf.* & Laymann. *Cap. 8. num. 7.* negans, esse extra mortis articulum absolvendum, qui nullum in specie peccatum confitetur, sed tantùm dicit: *Peccavi cogitatione, verbo, & opere*; ac proinde, si tempore Paschali obtingat tibi rusticus, ex quo nihil possis extorquere, seu emungere, quàm quòd dicat, se esse miserum peccatorem, debere ipsi à te dici: *Ergo si nolis aliud edicere, non possum te absolvere.* Dicastill. *d. 9. n. 761.* apertè scribit, esse omnino probabile; quòd talis *licitè* absolvatur; cùm & Suarez, & Coninck *Disp. 7. n. 6.* aliique plures post Alensem, & Silvestrum fateantur, talem absolutionem esse *validam*, quidni ergo sit *licita*?

Ego cum Coninck valde dubitarem, utrùm 361
homo rudis, è quo nihil aliud emungi posset, non esset ita hebes, ut ne quidem intelligeret, quid sit peccare, seu Deum offendere, & proinde vel dubitarem, vel crederem, eum non dolere de peccatis, consequenter non esse capacem absolutionis. Aliud censerem de viro docto, qui productâ autoritate Doctorum tueretur suam ejusmodi Confessionem, tali enim denique non negarem beneficium absolutionis; sicut omnes sciunt, non esse negandum agonizanti non valenti exprimere ullum in specie peccatum.

Dico V. Ut species peccatorum, de qui- 362
bus locuti sumus, itémque circumstantiæ, &

numerus, de quibus inferiùs, manifestari queant modo, & ratione præscriptis à Christo, necessum est, præmittere ipsi *actuali* Confessioni examen, seu discussionem conscientiæ. Hanc conclusionem probabo, & declarabo *Casu XX.*

AN, ET QUATENUS MANIFESTANDÆ CIRCUMSTANTIÆ PECCATORUM.

CASUS XV.

Confitentis, & Confessarii.

SUMMARIUM.

Casus intricatus ob omissam circumstantiam. 363.
Non teneris confiteri damnum illatum alteri ab eo, cui prudenter confidebas. 364.
Confessarius potest sæpe procedere ex solis præsumptionibus. 365.
Circumstantiæ mutantes speciem *quæ? 367.*
Quid sit circumstantia aggravans *intra eandem speciem? 368.*
An mulier, quæ fuit causa fornicationis, teneatur confiteri, se fuisse causam? 370.
Circumstantia faciens è veniali mortale est aperienda. 372.
Quid si confessarius apprehendit pro veniali, quod à parte rei erat mortale? 374.
Circumstantiæ aggravantes *intra eandem speciem non sunt necessariò confitendæ. 375. & seqq.*
Declaratur exemplo confitentis: sum furatus rem notabilem. 378.
Si tamen Confessarius quæret, quantum sis furatus, teneris edicere. 379.
Quid si furatus centum, dicas: clepsi Nonagintà? 380.
Declaratur eadem conclusio permultis particularibus casibus à n. 381. ad 389.

363 PIrminius *administrator quarundam rerum, spectantium ad Pantaleonem, hominem satis locupletem, ita confitetur Pomponio: Fui, per meam nimiùm fidentis diligentiæ alterius mihi subordinati incuriam, causa damni notabilis, illati rebus à meo Domino commissis meæ curæ. Pomponius præsumens, illam incuriam non fuisse mortalem, etsi circa rem verè notabilem,* inprimis *non interrogat Pirminium, quanta fuerit illa ejus incuria, adeóque negligentia;* deinde *nec quærit, quanti ipse æstimet id damnum;* tertiò *non obligat ad ullam restitutionem;* quartò *imponit pœnitentiam solùm levem, atque absolutum dimittit. Aliquanto tempore post redit Pirminius ad Pomponium, atque post cætera nova peccata ait: Accuso me, quòd nuper accesserim cum remorsu conscientiæ sacram Synaxin, eò quòd in nupera Confessione solùm dixerim, me fuisse per incuriam causam damni notabilis, cùm hoc damnum ascendat facilè ad decem, vel duodecim imperiales thaleros, sive quinque, vel sex ducatos. Hoc audito, imponit quidem Pomponius graviorem pœnitentiam, quàm antè, sed nihil ulteriùs interrogat. Quæritur, an, & quantum deliquerit hic confitens? hic confessarius?*

Hunc casum communicavit mecum ipse 364
Pomponius, atque quæsiit, an & ipse, & Pirminius fuerint rectè functi officio. Ego probè cognitis circumstantiis ad individuum, solidúmque responsum facientibus, respondi, neutrum deliquisse, saltem graviter. Non Pirminium, utpote, qui & gnavus erat in fideli procuratione rerum sibi creditarum, & tunc usus erat operâ hominis, cujus peritiæ fimul, & diligentiæ quisque plurimùm confisus fuisset. Ergo non tenebatur eam confiteri; ergo nec in prima, aut secunda Confessione exprimere quantitatem damni; ergo nec se accusare de illo scrupulo, cum quo perceperat divina mysteria; nec enim scrupulus ille erat rationabilis.

Non etiam peccavit, saltem graviter, Pom- 365
ponius; erat enim ipsi ita perspecta fides, ac diligentia Priminii, ut omnino prudenter sibi persuaserit, suppositerítque, illam incuriam minimè fuisse mortalem; atqui videbimus *in Alphab. Confessar. Cas. VII. n. 338.* confessarium sæpissime *licitè* procedere ex solis prudentibus præsumptionibus, nominatim ex iis, quas gignit notitia, quam habet de pœnitentis ætate, judicio, doctrina, constanti timore Dei, &c. ergo non erat, cur necessariò aut inquireret de negligentiæ, damnive magnitudine, aut imponeret onus restituendi, aut gravis pœnitentiæ. Nihilominus consultò egit, injungendo postea recitationem Rosarii, ut sese aliquatenus accommodaret indoli pœnitentis scrupulosi.

At, *si incuria illa fuisset mortalis, atque esse* 366
mortalem agnovisset uterque, fuissétne necesse, aut exprimere sponte, aut exquirere ex non exprimente quantitatem illius damni?

Hæc quæstio est omnino propria hujus loci, in quo differemus de circumstantiis tum *speciem mutantibus*, tum *aggravantibus minuentibúsve* intra eandem speciem.

Dico quippe I. Necessariò exprimendæ sunt 367
peccatorum mortalium circumstantiæ, *mutantes* mortaliter *speciem.* Sic definit Synodus Tridentina verbis descriptis *Casu præcedente*

dente n. 338. ubi etiam adfertur causa hujus definitionis. Nomine circumstantiarum intelliguntur accidentia, superveníentia actui spectato secundùm suum præcisè objectum *principale*, adferentiáque ipsi malitiam specie diversam ab ea, quam contrahit ex prædicto objecto; sicuti e. g. actui, quo furaris alienam rem, supervenit circumstantia loci sacri, scandali, 368
intentionis pessimæ, ob quam furaris. At verò circumstantia *aggravans* intra eandem speciem est accidens, seu conditio, cujus præsentia, & conjunctio efficit, ut actus sit quidem deterior, indecentior, quàm esset sine ea conditione, attamen illa deterioritas, indecentiáque non differat specie ab ea, quam haberet actus spectatus sine eo accidente. Pro exemplo adfert Laymannus *Lib. 1. Theol. Moral. Tract. 3. cap. 9.* sanctitatem, & sublimitatem personæ: nam cæteris paribus gravius est peccatum hominis fidelis, quàm infidelis: Deo accepti, quàm non accepti: Episcopi, Clerici, Religiosi, quàm sæcularis, & laici; sicut & illius, cui jam aliquoties est remissum aliquod peccatum, quàm cui nunquam, aut qui injuriam facit homini sancto, aut qui peccat cum perfectissima deliberatione, contra perpetem remorsum conscientiæ, &c. Verùm harum circumstantiarum 369
aliquæ addunt novam speciem, ut Religiosus, Clericalísve status; at major libertas, major actûs intensio, duratióque augent communiter solùm intra eandem. Plura exempla tradam *n. 381. & seqq.* Earundem intra eandem speciem, vel *aggravantium*, vel *minuentium* nonnullæ notabiliter admodum augent, minuúntve malitiam, aliæ non notabiliter, ut declarabimus inferiùs, præmittendo tam *mutantes*, quàm *non mutantes* speciem comprehendi hoc versu:

Quis: quid: ubi: quibus auxiliis: cur: quomodo: quando.

370 Quorum vocabulorum significationes adferam inferiùs.

Cæterùm ex eo, quòd circumstantiæ mortaliter *mutantes* speciem, (secùs, si tantùm venialiter, ut quando furaris cum parvo scandalo) sint aperiendæ, deducit Joannes Sanchez *in Select. d. 1. n. 14.* fœminam, quæ virum invitavit ad fornicationem, teneri explicare circumstantiam scandali, non autem, quando vir invitavit, quia quòd vir invitavit, præsumitur ex fatente suam fornicationem, & *d. 6. n. 6.* teneri te dicere, utrùm blasphemia, quam vomuisti, fuerit in Deum, an Sanctos, & ibidem *n. 1.* an malum, quod imprecatus es alteri, sit malum corporis, an fortunarum; at hoc negat Lugo *d. 16. n. 275.*

371 Dico II. Circumstantiæ, quæ *augent* quidem, *minuúntve* intra eandem speciem malitiam mortalem, at tantùm leviter, non sunt necessariò confitendæ. Ita omnes; quia alioqui onus Confessionis esset intolerabile. Licèt itaque se inebrians die jejunii, aut cum parva aliqua læsione valetudinis graviùs delinquat quàm si extra diem jejunii, & sine tali incommodo biberet usque ad privationem rationis, haud tamen est necessariò in Confessione exponenda alterutra ex his circumstantiis; & multò minùs illæ, quæ se habent prorsus impertinenter ad actum *principalem*, ut si fureris, aut te inebries die veneris, aut postridie Sacræ Communionis, aut cum sacerdote; aut non altero duntaxat, sed utroque oculo aspicias rem turpem.

Dico III. Circumstantiæ ita *aggravantes* in- 372
tra eandem speciem, ut ex mortali faciant veniale, vel ex veniali mortale, debent necessariò ita exprimi, ut confessarius possit prudenter judicare, utrùm fuerit à parte rei, & coram Deo mortale, necne. Ita omnes, teste Sanchez *de Matrim. l. 7. d. 34. n. 15.* licèt nonnulli apud Tanner. *q. 7. n. 46.* videantur dubitare de *prima* parte hujus doctrinæ; sed refutantur, quia alioqui decideretur confessarius in re gravissima, utpote in 373
ea, quæ *per se* spectat ad Confessionem. Itaque sacrilegè confiteris, tum si in vespertina collatiuncula Quadragesimali sariatus bellariis simul, & piscibus frigidis dicas sacerdoti: *semel aliquantùm excessi in collatione vespertina die jejunii*; etenim illud adverbium *aliquantùm* solet in hac materia ita intelligi, ut designet excessum duntaxat venialem; tum si aliquantùm excessisti, & tamen dicas, te notabiliter excessisse, 374
aut te non jejunâsse. Observo quidè *in Alph. Confess. Cas. V. n. 280.* nequaquam generatim exigi, ut pœnitens expressè dicat, se inhac, aut illa materia peccâsse mortaliter: peccâsse duntaxat venialiter; attamen delinquit graviter in primis, qui deditâ operâ ita loquitur, ut confessarius culpam lethalem apprehendat pro veniali, aut vice versâ. Deinde & is, qui non quidem deditâ operâ ita loquitur, attamen prævidet fore, ut ex suo modo loquendi confessarius formet falsum judicium de mortalitate, sicuti ex Lessio referam *cit. Cas. V. n. 279.* ubi etiam observo, non esse repetendam Confessionem, quando, eâ peractâ, datáque absolutione, advertis, fuisse à confessario habitum pro non facto, quod tamen erat factum, aut pro veniali, quod tamen erat à parte rei mortale; modò sit processum bonâ fide, & res ita proposita, ut ex modo proponendi potuerit confessarius facilè, & prudenter formare debitum judicium.

Dico IV. Negandum est cum S. Thoma *in* 375
4. dist. 16. q. 3. a. 2. dist. 22. a. 2. & alibi, S. Bonaventura, Scoto, plurimis aliis præstantissimísque Doctoribus, quos nominant, sequuntúrque Vasquez *q. 91. a. 1. dub. 2.* Diana *Part. 1. Tract. 7. Resol. 1. & 14. & Part. 5. Tract. 14. Resol. 59.* Joannes Sanchez *in Sel. disp. 11. n. 6.* Cardinalis de Lugo *Disp. 16. Sect. 3.* Dicastillo *d. 9. dub. 3. n. 180.* Stephanus à S. Paulo *Tract. 5.*

Disp. 1. n. 140. contra Suarez *Disp. 12. Sect. 3.* ac permultos alios, circumstantias intra eandem speciem etiam notabiliter *aggravantes* esse necessariò, *per se loquendo*, aperiendas in Confessione. Ratio fundamentalis est, quòd Synodus Tridentina *Sess. 14. cap. 5.* accuratissimè agens de materia necessaria Confessionis, non meminerit circumstantiarum *aggravantiũ* intra eandem speciem, imò hoc ipso, quòd loquens de circumstantiis meminerit solùm de iis, quæ *mutant* speciem, satis indicat, eas, quæ *non mutant*, haud esse necessariò exprimendas.

376 Unde omnino censeo, habere hîc locum Axioma Jureconsultorum, desumptum *ex Cap. Nõne de præsumpt.* cùm ajunt: *Qui è duobus unum affirmat, tacito altero, censetur hoc alterum negare.* Accedit, quòd & taciturnitas talis circumstantiæ non variet substantiale judicium confessarii. Joann. Sanch. *loc. cit.* & tantum onus non sit imponendum pœnitentibus sine clara autoritate scripturæ, vel Ecclesiæ *Cap. Legatur. 24. q. 2.* & ex sententia adversariorum sequatur, etiam notabiliter *minuentes* intra eandem speciem esse manifestandas, quod tamen negat meritò Suarez *loc. cit. n. 16.* cum aliis, & Christus Dominus solùm mortalium peccatorum Confessionem præceperit; circumstantia autem *aggravans* non est peccatum mortale, saltem à toto genere; & denique S. Thom. *ll. cc.* tam manifestè docuit nostram sententiam, ut Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. a. 4.* §. *Alia autem*, & Canus *Relect. De Pœnit. p. 6.* §. *Sed enim gravissimum*, tametsi inviti fateantur, ita omnino ipsum sensisse.

Et verò ita sensisse clarissimum evadit ex quatuor textibus ipsiusmet S. Thomæ, quos hanc in rem descripsit in suis modestissimis simul & solidissimis vindiciis, adversùs Gregorii à S. Laurentio Theses nonaginta quinque noster P. Jacobus Illsung Anno 1677. in lucem datis.

377 Objiciunt quidem Suarez, atque alii plures ex adversariis varia argumenta, non planè spernenda, adversùs hanc sententiam; sed Vasquez, Lugo, & Dicastillo respondent ad illa tam solidè, ac sapienter, ut appareat, iis non obstantibus, nostram conclusionem esse, manéreque tam *speculativè*, quàm *practicè* probabilem, imò & probabiliorem. Illis omissis, deduco ex eadem conclusione sequentia *practica* Corollaria.

378 I. Furatus mille aureos sufficienter confitetur dicens: *commisi furtum mortale.* Navarrus, Vasquez, Bonacina, Megala, Zanardus, Thomas à Jesu, Joannes Pontius, quos referunt, sequuntúrque Diana *cit. Tract. 7. Resol. 14.* Lugo, Dicastillo, & Leander à Sanctissimo Sacramento *Tom. 1. Tract. 5. disp. 8.* extendens hanc doctrinam cum Vasquez, Lugone, Dicastillo, Velasco ad casum, quo illi mille aurei uno actu sublati spectabant ad plures Dominos. Certè S. Thomas *in 4. dist. 22. q. 1. ad 4.* sic scribit: *Ad secundum dicendum; quòd quantitas culpæ, quæ est ex specie peccati, debet innotescere sacerdoti per Confessionem, non autem oportet quantitatem, quæ est ex circumstantiis quibuscunque, ut dictum est.* Quare ignoro, qua ratione ductus Didacus Nugnus *Tom. 2. in 3. p. q. 9. art. 2.* sententiam de circumstantiis notabiliter *aggravantibus* necessariò confitendis probet hoc uno unico argumento: *Stultum est, asserere, quòd ille, qui furatur mille aureos, satisfaciat Confessioni dicendo: se furatum fuisse*; cùm enim sub illo verbo: *furatum* intelligat notabilem quantitatem; alioqui nihil prorsus probaret; sequitur, quòd sui Sancti Doctoris opinionem afficit stultitiæ notâ.

Dices: *Quid si confessarius ita confitentem in-* 379
terroget, ad quantam quantitatem pervenerit illud furtum, tenebitúrne aperire?

Resp. Id quidem negari à Joann. Sanchez *cit. Disp. 11. n. 6.* Hurtado *De Pœnit. disp. 9. diffic. 4.* Dicastillo *cit. dub. 3. n. 194. & disp. 6. dub. 21. n. ult.* & Joanne Pontio *in cursu Theologico Disp. 45. q. 7.* casu, quo pœnitens non indiget directione confessarii; at verò existimo, esse in praxi standum judicio Lugonis *cit. Disp. 16. n.* *123.* censentis, esse candidè tunc aperiendam veritatem; est enim confessarii judicare, quam pœnitentiam injungere, quod remedium præscribere oporteat. Hoc est mihi certũ, quòd graviter 380
delinqueret, qui reus mille aureorum furto surreptorum diceret confessario interroganti: *sum furatus solùm nongentos*, aut: *sum furatus nongentos*; secunda enim hæc locutio ex usu communi æquivalet priori. Dicastillo *cit. n. fin.* seu 377. Unde infert Lugo *n 657. & 660.* illum, qui per inadvertentiam, ignorantiam, aut oblivionem fassus est, se sublegisse solùm sexaginta, cùm clepserit centum, debere in posteriore Confessione exprimere illos centum, nec satisfacturum, si exprimat solùm quadraginta; nam in neutro casu confitetur aut distinctè, aut confusè illud numero furtum, quod patravit.

II. Qui uno actu peremit sex, vel octo inno- 381
centes; qui pravo exemplo, aut verbo induxit simul plures ad maledictiones, turpia desideria, &c. sufficienter confitebitur dicendo: *Occidi iniquè nonnullos uno actu: aliquos induxi in hoc, aut illud peccatum verbo, vel exemplo.* Lugo *n. 135. & seqq.* meritò *n. 141.* negans, illum homicidam satisfacturum dicendo: *patravi homicidium*; licèt enim verè fecerit non plura, sed solùm unum homicidium, hoc tamen homicidium non fuit simplex, sed conflatum ex interfectione plurium; confessarius autem audiens vocem homicidii, in singulari, concipit (secutus communem usum loquendi) unum simplex homicidium, adeóque aliud ab eo, quod patravit pœnitens.

III. Satis probabile est, impleri præceptum 382
integræ Confessionis *in seqq.* casibus, quos huc brevissimè transfero (etsi nonnullos eorum jam indicaverim alibi) ex Diana *cit. Tract. 7.*

apud

apud quem poterit, qui volet, videre autoritates, & rationes. Ego designabo solùm numerum Resolutionum. Igitur ex opinione Dianæ, atque plurium ab ipso nominatorum, sat perfectè confitentur sequentes peccatores, & peccatrices.

383 I. Mulier, quæ peccavit cum sacerdote Religioso, si dicat: *commisi carnale sacrilegium cum sacerdote*, seu: *cum initiato sacris Ordinibus. Resol. 3.*

II. Sacerdos, vel Religiosus Professus reus fornicationis, si dicat: *sum fornicatus, cùm tamen sim ligatus voto castitatis. Resol. 4.*

III. Sponsus, vel etiam sponsa fornicati cum alio, si aperiant fornicationem, tacendo sua sponsalia. *Resol. 5.*

IV. Religiosus Professus, qui emisit votum de non committenda mollitie, vel fornicatione, si post lapsum nihil dicat de hoc peculiari voto. *Resol. 9.* Idem dic de initiato sacris Ordinibus. Idem *ibidem.*

384 V. Sponsus, & etiam sponsa, quando primâ vice peccárunt carnaliter, si non exprimant, se tunc primùm spoliatos virginitate. *Resol. 11.*

VI. Confessarius carnaliter cognoscens filiam Confessionis, & tacens hanc circumstantiam. *Resol. 12.* Excipe, nisi confitearur non habenti potestatem in reservata, ipséque patravit hoc nefandum scelus in Diœcesi, e. g. Constantiensi, ubi hic casus justissimè annumeratur reservatis. Hanc exceptionem generaliter applica resolutionibus datis, & dandis, quando circumstantia *aggravans* gignit reservationem.

385 VII. Qui unico actu voluntatis desideravit, vel proposuit occidere decem homines, aut peccare cum decem mulieribus, si dicat: *Habui propositum occidendi aliquos, desiderium quoque fornicandi. Resol. 17.* nisi fortè inter illos decem homines sit, e. g. unus, aut alter clericus; inter illas mulieres aliqua ligata, Monialis, cognata, &c.

VIII. Qui Sacrum neglexit die Dominico, in quem incidit festum fori, si præcisè dicat: *semel neglexi Sacrum die Festo, seu die Dominico. Resol. 22.* Idem proportionaliter dic de illo, qui carnes comedit feriâ sextâ, in qua occurrebat vigilia, aut alia dies Jejunii; aut licèt ea feria sexta fuerit dies Parasceves.

386 IX. Qui in loco Sacro exercuit, citra periculum pollutionis, tactus impudicos, si in Confessione circumstantiam loci omittat. *Resol. 25.* Imò licèt cum pollutione, modò occultè, & non publicè. Vasquez & Pontius apud eundem *Resol. 26.* habentem pro probabili. Ego præfero contrariam.

X. Qui in loco Sacro furatur rem privatæ personæ, non depositam in eo; tanquam in custodia. *Resol. 27.*

XI. Qui uno impetu iræ, tribus gravibus convitiis afficit innocentem. *Resol. 28.* aut tres homines petit verbo multùm contumelioso. *Resol. 29.* si prior non exprimat numerum convitiorum, nec posterior numerum personarum; quod ipsum afferes de illo, qui seriò dixit: *cacodæmon auferat omnes incolas hujus domûs, hujus urbis, &c.*

XII. Qui in Confessione non exprimit aut 387
gradum proprium cognationis, vel affinitatis in incestu. *Resol. 31.* aut circumstantiam diei, quando peccavit carnaliter die Jovis sancti, vel die Communionis. *Resol. 32.* cum communi contra Medinam; nisi fortè statim post Communionem, aut suam Missam patraret illud scelus turpitudinis; nam censeretur tunc inferri Sacramento mortalis injuria, ut alibi observat Lugo.

XIII. Qui aliquem jam paratum peccare in- 388
ducit ad peccandum, si non aperiat inductionem. *Resol. 34.* sed ego cum Sanchez, Bonacina, aliis teneo contrarium, nisi justa causa excuset hanc inductionem.

XIV. Qui multum temporis impendit alicui peccato *interno*, vel *externo*, etsi non exprimat diuturnitatem; nisi fortè illa diuturnitas causârit diversa numero peccata *Resol. 39.*

XV. Qui in peccato mortali existens minis- 389
travit in una Communione, multis Eucharistiam, aut multorum successivè confitentium Confessiones excepit non tenetur exprimere numerum *Resol. 41. & 43.* sed de Confessionibus sic auditis enucleatiùs disseram *in Alphab. Confessarior. num. 197.* Hæc, & alia Diana *loc. cit.*

CONFESSIONIS INTEGRITAS NUMERICA.

CASUS XVI.

Communis de Communi.

SUMMARIUM.

Casus fornicantis sæpe unâ nocte. 390.
Lupanaria exulant à Germania. 391.
Fornicationes ante somnum differunt numero ab habitis post. 393.
Imò & duæ habitæ ante somnum. 395.
Intentio non semper impedit multiplicationem numericam. Ibid.
Referuntur in gratiam confessariorum multæ actiones; quarum exactus numerus non est necessariò manifestandus. 397. ad 413.

Quinctianus cum meretrice peccavit, 390
& fornicatus est ante somnum aliquoties, post somnum iterum aliquoties,

tics, idque, antequam concumberet, intendit facere. Quæritur I. An fornicationes ante somnum sint numero distinctæ? II. An omnes ante, & post somnum habitæ sint numero distinctæ? Rogatur P. Georgius suam edicat sententiam: De Zanardo enim, Caramuele, Patre Pragensi constat, uti etiam de aliquorum sententia, ut ait Lugo.

391 Nostri Germani consuevêre immundas etiam res mundis, honestisque, vocabulis appellare, dum patrio utuntur idiomate. Eam ob rem mulieres, quæ vulgant obvio cuique suum corpus, frequentissimè non appellant eonomine, quod *expressè*, & *formaliter* respondet vocabulo meretricis, sed cum de una tali loquuntur, frequentissimè vocant absolutè, & sine addito *communem*: Casus, quem unà cum aliis tribus ad me perscripsit ex quadam Provincia Italica vir doctus, gravis, Anno 1658. est verè communis, quia communiter discutitur à scriptoribus Italis, & Hispanis, tametsi rariùs à Germanis, idcirco fortè, quòd, nec tolerentur ulla prorsùs lupanaria in ulla parte Germaniæ, quà catholica est, nec etiam facilè fiat, ut mulierculæ vagis implicitæ amoribus permittantur pedem figere in ullo oppido, ne dum urbe; si enim id permitteretur, mox concionatores detonarent, & meritò quidem, in magistratum tam pernicioså, vecordíque dissimulatione utentem. Idem Casus est de *com-*
392 *muni*. Priusquam proponam, quæ solent de *numerica* peccatorum Confessione quæri, aut resolvi, referam, quid ex mea opinione responderim ad propositam quæstionem illam individuam, quidque ex aliorum mente potuerit responderi.

393 Rescripsi igitur, inprimis minimè gentium dubitandum, quin fornicationes, exercitæ ante somnum, fuerint numero sicuti *physico*, ita etiam *morali* distinctè à secutis post somnum. 2. Quin imò longè probabilius censendum, si bis ante somnum habuit copulam perfectam, & toties post somnum, non modò duo, sed quatuor peccata mortalia fuisse admissa, adeóque exprimenda in exhomologesi quatuor forni-
394 cationes. Ratio *primæ* responsionis est, quia & pro hac militat ratio, quam pro *secunda* responsione mox adferam, & singulariter circumstantia somni interjecti facit, ut nequeat dici, actiones ante, & post illum exercitas esse *moraliter* unum ens numero. Licèt enim somni interjectio non multiplicet *numericè* omnes actiones ante, & post illum factas, ut adversùs Vasquez *Tom. 4. in 3. p. q. 91. a. 1. d. 5.* atque alios rectè docent Arriaga *Tom. 3. disp. 43. num. 28.* aliíque permulti: attamen tunc saltem multiplicat, quando actiones obitæ ante somnum sunt aliquid in suo genere perfectum, nec tendunt ex se ad secuturas somnum. Atqui quælibet copula, præcedens somnum, est aliquid perfectum in genere, seu specie fornicationis, nec ullo modo tendit ex se, seu naturâ ad aliam, imò potiùs repugnat alteri, cùm subtrahat materiam alteri. Et quis damnet unius duntaxat peccati mortalis illum, qui ex vi propositi ad initium Quadragesimæ facti, ne semel quidem jejunat, nisi fortè sabbato sancto? Quo sanè exemplo demonstratur nostram responsionem *primam* esse habendam pro omnino certa.

Ratio *secundæ* responsionis, quam tradunt 395
Palaus *Part. 1. Tract. 2. disp. 3. punct. 1. in fine*, Lugo *Disp. 16. num 557.* Dicastillo *Disp. 9. d. 2. n. 78.* cum communi nostræ Societatis, & cæterorum Theologorum contra Zanardum *in Directorio 1. Part. De Sacram. Pœnit. cap. 18.* Berarducium, & alios, etiam inde probatur, quòd, quando actiones *physicè* plures sunt totales, & completæ, nec earum una ex se ordinatur ad alteram, intentio eas certò exercendi intra aliquod certum tempus non sufficiat ad efficiendum, ut eæ sint una *moraliter* actio, nisi superveniat alia insuper unio. Lugo, & Dicastillo. Et verò Diana *Part. 3. Tract. 4. Resol. 67.* rotundè scribit, falli Zanardum.

Cæterùm quia omnes confessarii usu periti, 396
testari possunt, homines sæculares, tametsi sexcenties audierint, legerint, esse ob expressam authoritatem Tridentini Concilii *Sess. 14.* sub novo mortali peccato exprimendum, quoad *moraliter* potest, numerum peccatorum mortalium, nihilominus tamen rarissimos reperiri, qui quando rei sunt diversarum specierum, exprimant numerum peccatorum circa eas admissorum, & longè plurimos censere, se valde multum præstare, si dicant: *Feci aliquoties*: *Feci sæpe*: *Feci sæpissime*; éstque iis, & confessario ipsi perquam molestum, toties ingeminare *Quoties?* ideo referam hoc loco complura exempla, ultra ea, quæ leges *in Alphab. Confessar. num. 588. & 589.* peccatorum mortalium, de quibus disputant Theologi, an in eorum patratorum manifestatione sacramentali opus sit necne, exprimere numerum aliquem. Et quia noster Casus *Communis* tangit peccata carnis, primum exemplum erit de turpitudine carnali.

I. Itaque, quando quis decubuit cum ali- 397
qua, animo explendi libidinem, quoad posset, licèt fortè unâ nocte sexies, vel octies habeat copulam cum illa, sufficienter secundùm Zanardum, Berarducium, & quosdam alios contra communem, & veram confitebitur dicendo: *totâ nocte in lecto impudicè versatus sum cum una, cum qua feci, quod potui.*

II. Verba, oscula, tactus impudici exer- 398
citi in ordine ad copulam subsecutam, non sunt necessariò exprimendi, sed sufficit, modò manifestetur copula, esto fuerint illæ præcedentes turpitudines sæpius repetitæ. Navarr. *in Man. c. 6. n. 17.* communissimè receptus. Imò quia immediatè sequentes copulam sunt hujus complementum, & quasi approbatio, ideo non improbabiliter tradit Lugo *cit. Disp. 16. num. 517.* earum mentionem non esse necessariò faciendam; sicuti nec est necessariò facienda mentio jactantiæ de peccato mortali, quando ea est secuta statim post peccatum. Idem *ibid.* At verò illi tactus impudici, qui præcesserunt copulam non intentam, sed *per accidens* secutam, aperiendi sunt seorsim à copula. Diana *P. 4. Tr. 4. Resol. 202.* etenim in tali casu non possunt dici facere unum quid cum copula.

399 III. *Sæpe satis est absque aliquo numero suum statum manifestare sufficienter, veluti, si quæ publica meretrix parata & exposita ad fornicandum tam cum Clericis Religiosis, & virginitate præditis, quam laicis & conjugatis, & solutis, post conversionem confiteretur, exprimeret quis, se toto illo temporis spatio in eo statu fuisse.* Descripsi hæc verba ex Navarro *in Man. cap. 6. num. 15.* constanter defendente hoc suum Judicium post Cajetanum, sequente utrumque Valentiâ *Tom. 4. Disput. 6. q. 11. p. 1.* at dissentiente Tannero etiam *Tom. 4. Disp. 6. q. 7. dub. 3.* ac rectiùs scribente, talem Confessionem haud esse sufficientem, cùm fieri queat, ut ex duabus ejusmodi lupis una centies peccârit cum clericis, & conjugatis, altera tantùm decies, ut etiam ostendit Vivaldus *in Candelabro de Confessione* verbo *Sextò dixi n. 8.* ubi testatur, se excepisse triginta generales Confessiones ejusmodi miserrimarum fœminarum; recensens insuper peccata, quæ admittere solent. Itaque ex probabiliore (oppositam non voco improbabilem) sententia Tanneri tenentur tales exprimere, quoad possunt, numerum peccatorum externorum, aut saltem principaliorum specierum.

IV. Qui domi habet concubinam, suffi-
400 cienter confitetur, vel dicendo duntaxat, quanto tempore illam habeat. Valentia *loc. cit.* vel expressè addendo, se eâ fuisse velut uxore usum per tot menses, tot Annos. Lugo *Disp. 16. num. 575.* ubi & approbat sententiam Tanneri paulò antè relatam, & præmittit *num. 574.* illum, qui solet passim concupiscere obvias mulieres, satisfacere aperiendo suam consuetudinem, & species principales, an frequenter conjugatas, an aliquando cognatas, vel sacras: sicut &, eodem teste, satisfaciunt illoti oris homines, qui consuevêre toto ferè die colloqui de rebus turpissimis, sine ullo delectu circa materiam, vel socios. Vide, si placet, P. Matthæum Stoz *in optima Instructione, seu praxi Confessionis num. 244. & seq.* bene refutantem nimis laxam Navarri doctrinam circa inveteratos in uno, vel pluribus sceleribus, & meritò dissentientem à nimis exactè exprimentibus hîc numerum. Certè Lugo, & alii multi sapientes absolverent furem, qui præcisè diceret; *sum à quinquennio deditus ita perditè furtis, ut, cùm se offert occasio, sicuti sæpissime offertur, furripiam, quæ possum, & quidem res sacras, notabilis pretii, decies quinquies, aut ni fallor, sexies*; si videlicet arbitretur, se quinquies, aut sexies harpagâsse res Deo consecratas. 401

At illi, de quibus *in hoc*, & *præcedenti* §. 402
factus sermo, postea magis distinctè recordantur de numero, & speciebus peccatorum admissorum, atque ita confusè indicatorum, *an non oritur obligatio confitendi postea distinctiùs*? Resp. *negativè* cum Vasquez *cap. 1. q 91. a. 1. dub. 5. n. 3.* & Cardinale de Lugo *num. 583.* quia videlicet fuerunt sufficienter illâ confusâ narratione intellecta, cùm potuerit Confessarius formare de illis *morale* judicium. Lugo *num. 587.* loquens de solo numero, & intelligens etiam de iis, de quibus locuti sumus *n. 399.*

V. Unum numero peccatum committit, qui 403
pluribus Juramentis continuis confirmat rem falsam, vel in eadem iracundia pluries blasphemat, vel incipit detrahere Petro, & continuato sermone, occasione novæ interrogationis, rursus detrahit eidem in alia materia, vel centum hominibus præbet sub una communione sacram hostiam, existens in peccato mortali, vel in eodem statu peccati mortalis audit, sine notabili interruptione, plures confessiones. Cardinalis de Lugo *loc. cit. sect. 14. §. 2.* cum Diana *P. 1. Tr. 7. Resol. 43.* itémque *P. 5. Tr. 7. Resol. 7.* & nos superiùs; quod ipsum meritò dicendum putat P. Ferdinandus de Castro Palao, Diana, & ipse Lugo de eo, qui octo, vel decem verbis contumeliosis uno impetu prolatis virum bonum afficit, aut mulierem eodem tempore sæpius lasciviè tangit; tria, vel quatuor vulnera eodem tempore *successivè* uni, eidémque infligit in eodem impetu iræ. Ratio est, quia hæ omnes actiones continuantur, seu uniuntur in aliquo opere exteriori, ut in eadem rixa, in eodem convivio spirituali, in eadem conversatione cum fœmina; & multæ sacrilegæ Confessiones censentur *moraliter* una, tum propter intentionem audientis in eodem loco, tum propter unitatem irreverentiæ illatæ eidem Christo Domino potiùs, quàm Sacramento. Hæc pleraque exempla admittit etiam, & examinat P. Joannes de Dicastillo *cit. Disp. 9 dub. 2.*

VI. Qui tres homines unum post alterum 404
vulnerat, aut tres fœminas unam post alteram turpiter cognoscit, aut duobus furatur uni post alterum, admittit plura numero distincta peccata secundùm probabilem opinionem Lugonis, & aliorum contra Zanardum.

VII. Qui rem alienam culpabiliter diu 405
retinuit, non est censendus admisisse tot pec-

cata mortalia, quoties neglexit occasionem restituendi, sed tantùm unum numero peccatum, etiamsi facultas restituendi fuerit interrupta per somnum, & impotentiam; secùs, si voluntas non restituendi fuit interrupta per pœnitentiam, seu voluntatem contrariam. Joannes de Lugo *num. 594.* contra P. Gabrielem Vasquez, docentem, peccatum retentionis interrumpi etiam per somnum, distractionem, & impotentiam.

406 VIII. Qui sæpius habuit delectationes morosas, & desideria fornicationis; vindictæ, &c. nō est semper censendus admisisse tot peccata, quoties habuit illa desideria, illas cogitationes, sed oportet attendere, quoties has actiones repetierit, postquam libere constituit ab iis discedere, non autem, quoties re ipsâ discesserit casu, vel aliquâ naturali distractione. *Nam quando cogitas rem turpem, vindictam & similia, instituis quasi congressum cum objecto malo, sicuti instituis cum illo, quem incipis contumeliis petere; sicut ergo non censeris hîc toties multiplicare numero contumelias, quoties eadem repetis, aut consimiles ingeris, sed solùm tunc, quando repetis, postquam libere cessasti, ita etiam non multiplicas peccata desideriorum, nisi libere cesses à congressu cum objecto desiderato.* Ita Cardinalis de Lugo *n. 569.* vocans suam sententiam communem, et-

407 si non pauci ab ea dissentiant. Addit idem Cardinalis, & utique rectè, *moraliter loquendo*, vix fieri, ut quis ultra duas, vel tres horas perseveret in eadem *moraliter* mala voluntate merè *interna*; quare si mora sit longior, oportebit in confessione dicere, quamdiu inhæserit quis talibus cogitationibus. Nota bene hanc doctrinam. Dixi: *merè interna*, si enim voluntas tendat ad opus *externum* re ipsâ procurandum, ut e. g. deliberata voluntas, ac propositum aliquem occidendi, quibus identidem æstuat animus armantis se, ad aliquem necandum, agentisque iter necessarium ad necem inferendam, si, inquam, prava voluntas ita tendat ad opus *externum*, ejus repetitio, multiplicatióque non multiplicat peccata, sed sufficientissimè aperitur, cùm dicitur: *commisi deliberatè homicidium.*

408 IX. Auferens furtivè cistam plenam rebus pretiosis ad diversos homines spectantibus, aut unâ continuâ actione expilans totam aliquam domum, reus est unius numero peccati. P. Suarez *Tom. 4. in 3. p. dist. 5. sect. 3* nisi fortè inter illas sint aliquæ sacratæ Deo, ut calices, &c. At si sex diebus continuis fureris etiam uni, eidémque homini quotidie centum, ducentos aureos cum intentione non desistendi, donec pervenias ad summam millenorum, incusabit te de sex peccatis mortalibus P. Laymann. *Lib. 3. Tr. 3. cap 3.* nemine dissenti nte ab eo in casu, quo illa sex furta patras circa diversos.

409 X. Qui uno turpi colloquio fuit causa, ut viginti peccarent, satisfacit confitendo: *sum turpia locutus semel cum scandalo multorum*; sicut & quando unâ hortatione induxisti simul decem homines ad re juvandum in auferenda re aliena, sufficienter confiteberis dicendo: *meâ cohortatione fui causa, ut aliquot me juvarent in auferenda re aliena magni momenti.* Lugo *n. 135 & 476.* sicut necesse non est, ut, qui infamat aliquod monasterium, exprimat numerum personarum id incolentium, aut qui ex animo dicit: *Diabolus auferat omnes hujus pagi incolas.* Et qui uno actu voluntatis statuit non jejunare totâ Quadragesimâ, nunquam toto Anno vel recitare Breviarium, vel audire Sacrum, reus est tantùm unius peccati. P. Vincentius Filliucius *Tr. 27. n. 87. & Tr. 21. n. 320.* contra Dianam *P. 3. Tr. 4. Resol. 164.* ideóque rectè confitebitur dicens: *habui propositum non jejunandi, non audiendi rem divinam, non recitandi Breviarium.*

410

411 XI. Si hodie statuisti perimere Cajum, ut primùm tibi occurrerit, committis tantùm unum numero peccatum, si statim te accingas ad paranda omnia opportuna necì inferendæ, ut si sclopetum oneres, gladium acuas, equum conscendas, iter ingrediâre, esto identidem iteres tium malum, pessimum propositum, & semel iterúmve obdormiscas, priúsquam exequâre. Si autè post illam obfirmatam voluntatē occurrat tibi occasio multiplex tollendi hostem è medio, negligas tamen non cogitans de meliore, censeberis revocâsse propositum, proinde conscisceres novū numero scelus renovando eam voluntatem; sicut & tunc maximè conscisceris, si te pœnituit illius barbari consilii, post pœnitudinem autem incipiat iterum tibi arridere; pœnitudo enim, mutatióque propositi solet tollere unitatem, quamvis non semper; qui enim feriâ sextâ assidet mensæ oneratæ carnibus, tametsi iis fartus cogitet claudere prandium Lutheranum, non tamen novo peccato onerabit conscientiam, licèt ex allato novo ferculo voret quid notabile. Lugo *num. 552.* sicut nec ille qui injustæ vindictæ causâ aliquem percussit ferro, ligno, aut pugno, cum animo non ampliùs verberandi, statim tamen, quia percussus ostendit fortassis adhuc contemptum, ipsum adhuc bis, térve percutit; imò nec ille, qui statim, postquam decrevit rem ablatam restituere, mutat suum animum; quæ duo exempla leges apud Cardinalem de Lugo, subdentem, committendum esse judicio prudentis, quando reditus ad mutatum malum propositum multiplicet, aut non multiplicet peccata.

Pleraque ex his omnibus particularibus exemplis reperies etiam apud P. Dicastillo *cit. Disp. 9 dub. 2.* examinantem ea, approbantémque ferè omnia; quæ quidem retuli singulariter in gratiam Confessariorum, utpote, qui fre-

412

frequentiore, quàm par est, usu didicerunt, quàm ægre adducantur rei plurium peccatorum mortalium ad edicendum numerum; poterunt etiam ipsi pœnitentes accommodare se iis, saltem quando accidit ipsis perdifficile, omnia aperire tam exactè, quàm præcipiant rigidiores, & probabiliùs sentientes Theologi. Vide omninò Sanctgallenses *Tom. 10. fol. 146. & seqq.* producentes decem Regulas huc facientes.

413 Adde his ex Lugone *num. 587.* & Anton. Cotonio *Lib. 2. controvers. 6. cap. 1. n. 21.* quando rudes dixerunt, se hoc, aut illud mortale specificum sæpè commisisse, si Confessarius possit ex hac ratione confitendi, & circumstantiis prudenter concipere numerum verosimilem, tales manere liberos onere confitendi distinctè numerum, si postea occurrat distinctè; quam doctrinam insinuavi jam superiùs.

CONFESSIONIS INTEGRITAS CVM CIRCITER.

CASVS XVII.

Nec frigidorum, nec calidorum.

SVMMARIVM.

Casus ineptè confitentis cum Circiter. *414.*
Peccat mortaliter, certus de numero, & tamen dicens: Circiter. *417.*
Tutò sequeris opinionem negantium, esse postea confitendum certum numerum, si is occurrat post Confessionem factam cum Circiter. *419.*
Excipe: nisi numerus certus, qui occurrit, notabiliter sit major indicato per Circiter. *420.*
Quousque se extendat clausula: Plùs minùs? *421.*
Quid si dixisti, te circiter vigesies pejerâsse, at postmodum deprehendas contigisse tricies? 422.
Quid si absolutè dixisti, te vicies id fecisse, & reperias postmodum contigisse vigesies bis? 423.

414 *Romedius à bimestri non confessus recitat è charta sua Confessario hæc crimina hoc modo:* Inebriavi me circiter decies: Sacrum neglexi circiter bis omnibus diris devovi meum vicinum duodecies, plùs, vel minùs: atrociter verberavi uxorem circiter quater: perpetravi adulterium bis, vel ter: blasphemavi per mille Sacramenta decies, vel vigesies plùs, vel minùs; quater, aut sexies decertavi ferro cum altero, cúmque graviter læsi.

Quæritur 1. *Utrùm hæc Confessio sit legitima?* 415
2. *An, quando deprehenditur, illud peccatum, quod cum clausula*: circiter decies, vel vigesies *erat detectum, fuisse revera vigesies. aut revera solùm decies patratum, necesse sit, postea confiteri hunc certum, determinatúmque numerum?*
3. *An, qui novit, fuisse certò admissum quinquies, non peccet dicendo: circiter quater, vel quinquies: vel: circiter quinquies, aut sexies?*

Deprehendere est plures, qui existiment, 416
se præclarè defunctos suâ obligatione, modò octies, decies &c. iterent particulam *Circiter*, parùm omninò soliciti de repericndo, edicendóve præciso numero. Quin nonnulli, tametsi ferè sint certi, se tantùm quater patrâsse aliquod crimen mortale, attamen pro majore, ut loquuntur, securitate ajunt, esse à se admissum quater, aut quinquies. Hos posteriores vocâris meritò *nimis calidos*, priores *nec calidos, nec frigidos*; non calidos, quia non fervet in iis diligentia in excussione conscientiæ; non etiam frigidos tunc, quando negligentia, & torpor non est mortalis. Incipiendo autem à tertia, adeóque postrema è tribus propositis quæstionibus.

Dico I. Reus est mortalis criminis, qui 417
certus de contracto majore numero peccatorum mortalium, illum confitetur addendo minorem cum particula *Circiter*. Ita sentiunt à parte rei Authores citandi in decursu. Ratio est, quia talis peccatum omnino certum confitetur, ut dubium; qui enim dicit: *peccavi circiter quater, vel quinquies*, loquitur perinde, ac si diceret: *peccavi quater, vel quinquies.* Notum autem in scholis Grammatices, & Jurisprudentiæ est, particulis disjunctivis *Vel*, seu *Aut*, effici sensum alternativum, dubiúmque. Idem esto Judicium de fatente, se aliis imprecatum pessima quæq; duodecies plùs, vel minùs, cùm meminerit, factum verè duodecies. Sed & ta- 418
lis delinquit, si dicat, se duodecies, vel tredecies id fecisse, cùm liquidò novit, quòd solùm duodecies; etenim mentitur tunc *implicitè*, decipítque Confessarium; siquidem τὸ *Circiter*, & τὸ *Vel* ex communi usu indicant, ut paulò antè dixi, animum dubium, & incertum. An verò ejusmodi culpa sit lethalis, intelliges ex dicendis *Cas. XXII.* Hoc certum est, quòd rarissimè delinquant *formaliter*, & coram Deo addentes sub ejusmodi formula numerum aliquantò majorem debito, id quippe faciunt ex scrupulositate, & nimio majoris securitatis studio.

Dico II. Tutò stabis opinione inficianti- 419
um, opus esse, ut, postquam deprehendisti, te certò contraxisse illum numerum peccatorum mortalium, de quo te accusa veras sub dubio per particulam *Circiter*, seu *Plùs minùs*, dicas Confessario quidquid ampliùs de illo numero. Ratio est, quia id inficiantur gravissimi DD. Sotus, Vega, Ledesma, Suarez, Vas-

quez

quez, alii, quos nominat Cardinalis de Lugo *cit. Disp. 16. num. 78.* testans, esse hunc communem sensum, tametsi ab iis recedant P. Casparus Hurtadus *de pœnit. disp. 9. diffic. 5.* Dicastillo *Disp. 9. num. 141.* atque in re ipsa Lugo *loc. cit. n. 79.* Hujus communis sensûs, cui resolutè adhæret Antonius Cotonius *celebrium Controversiarum Tom. 1. lib. 2. Controversia sextâ, n. 19.* fundamentalis ratio est, quia ille major numerus fuit sufficienter inclusus in priori Confessione, adeóque in vocula: *Circiter*: seu: *Plùs minúsve.* Suarez *Disp. 22. sect. 5. num. 38.* nam qui est fassus, se pejerâsse duodecies, plùs, vel minùs, hoc ipso dixit, se confiteri, quòd duodecies, imò decies ter comiserit id crimen, si fortè commisit; & ideo adjicitur illa clausula: *Circiter*, ut in incertitudine humanæ notitiæ explices peccata humano modo, prout sunt in tua conscientia, quo pacto Confessarius te bene percepit, & absolvit, & ideo manes solutus onere ampliùs confitendi, inquit Cotonius *loc. cit.* contradicente post Franciscum Bonæ Spei, Stephano à S. Paulo *in Theolog. Moral. Tr. 5. Disp. 5. dub. 3.*

420 Notant tamen citati pro mitiore hac sententia, si postea certò occurrat tanta multitudo peccatorum, ut notabiliter excedat numerum priùs expressum, oportere postmodum eum manifestare; quia re verâ tunc nequit dici, fuisse priùs sufficienter explicatum. Suarez *loc. cit.* atque alii longè communiùs, & probabiliùs, ut patebit ex exemplis adferendis *num. 422.* Addit pro praxi Suarez, si priorem Confessionem præcessit diligentia mediocris in examinanda conscientia, *moraliter* non contingere, ut postea veniat certò in mentem tantus excessus, ut oporteat in posteriore Confessione illum memorare.

421 Licèt autem Diana *Part. 4. Tr. 4. Resol. 204.* testetur, communiter authores, quos legerit, asserere illa verba: *plùs vel minùs* extendi tantùm ad duo, rectiùs tamen idem Diana *Part. 3. Tr. 4. Resol. 94.* Dicastillo *cit. disp. 9. num. 113.* atque alii ajunt, esse judicio viri prudentis committendum, quousque se extendat illud *Circiter*, seu *Plùs minùs*: qui quidem vir prudens judicabit, extendi ad parvum numerum. Lugo *loc. cit. num. 96.* addens, esse in eo judicio servandam hanc Regulam, ut, quò major est numerus, qui exprimitur, eò etiam major possit intelligi, seu subaudiri verbis illis: *Plùs minùs*, procedendo secundùm proportionem Geometricam.

422 Vnde licèt utcunque probabile sit ob authoritatem P. Tanneri *q. 7. dub. 3. num. 45.* non satis bene referentis pro se Sotum, & Valentiam, illum, qui confessus est, se vicies *Circiter* pejerâsse, si postea liquidò deprehendat, id factum tricies, non teneri quidquam repetere, aut dicere de illis decem perjuriis superantibus numerum vigesimum, nihilominus contrarium, ut est communius inter DD. ita etiam longè probabilius, sicut & contra Vivaldum *in Candelab. Confession. num. 7.* negandum est, illum satisfacere suæ obligationi, qui confessus, se circiter centies blasphemâsse, postea verò probè memor, contigisse id ducenties, non redit ad confessarium. At non compellerem ad iterandum quidquam, si deprehenderet, se pejerâsse vigesies quater, sicut nec, si cognosceret, se centies decies Juramento confirmâsse falsa, cùm priùs bonâ fide dixisset sacerdoti: *pejeravi, seu falsum sciens juravi centies plùs, minùs*; uti nec talem obligat Lugo *loc. cit. num. 97.* approbans regulam Menochii tradentis, verba illa: *plùs minùs* posse verificari de quinque pro quolibet centenario, maximè si addatur numero millesimo. Et præmiserat idem Lugo *num. 86.* qui vicies blasphemavit, sed confessus fuit, se decies quinquies circiter blasphemâsse, haud debere postea scrupulis angi, secùs autem, si postea recordetur, se centies quinquagies blasphemâsse, cùm priùs se accusârit solùm de centum circiter blasphemiis. Verricelli *Tract. De Apostol. missionib. Titul. 18. q. 32.* fusè corrigens seipsum.

Quid si *autem dixi absolutè, & bonâ fide, me blasphemâsse decies octies, cùm postea liquidò cognoscam, id factum vigesies, an ero liber à confitendo postmodum illo binario, perinde ac si dixissem Circiter decies octies, aut: circiter vigesies?* Respondet Tannerus *cit. n. 45.* Franciscum Victoriam scrupulosè censere, esse postea supplendum numerum, idque, etiamsi pro triginta vicibus expressisset (bonâ fide) absolutè viginti duntaxat. Verùm ignoro, quis ultra Christophorum Delgadillo *de pœnit. cap. 17.* assentiatur huic judicio, & censuræ, ego sanè non assentior. 423

Ex dictis sequitur, quid respondendum sit ad *primam* è tribus quæstionibus propositam. *n. 415.* scilicet illam Confessionem Romedii fuisse legitimam, si post mediocrem diligentiam impensam lustrandis conscientiæ latebris nequiit comperire ullum certum numerum; illegitimam, si certum. Et verò credibilissimum est, illam diligentiam non fuisse adhibitam circa omnia, e. g. circa atrocem verberationem uxoris; item circa adulteria. 424

Inducor ad hoc dicendum observatione, & doctrinâ præteritâ à scriptoribus nominatis in decursu, quòd scilicet, quando pœnitens à longo tempore non confessus nominat cum illis particulis: *Circiter, plùs minúsve*, magnum, aut maximum numerum peccatorum mortalium quidem, at non valdè singularium, meritò præsumat Confessarius, non potuisse mediocri diligentiâ deprehendi ab eo certiorem, videlicet propter difficultatem, unde unde provenientem; sicut sæpissimè provenit ex mul- 425

multùm obliviosa memoria; at verò quando pœnitens dicens, se ab una, duabus, quatuor hebdomadis non expurgâsse conscientiam ullâ homologesi, exprimit sub prædictis clausulis, seu particulis parvum numerum, & quidem valde palpabilium criminum, debet esse suspectus de defectu examinis.

Et verò, quis toleret Clericum dicentem: *Omisi hoc octiduo bis, vel ter breviarium? comedi his decem diebus Quadragesimæ bis, aut ter carnes?* 426
Quis laicum fatentem, se infra mensem peccâsse bis, vel ter carnaliter cum aliqua Moniali? quis similiter civem dicentem: *conscendi de nocte bis, tèrve domum alienam, súmque furatus, quidquid potui; idque intra dies quindecim?* clarum enim est, ejusmodi peccatores facilè posse reminisci præcisi numeri horum tam notabilium criminum, si vellent; ergo si non sunt onerati valde multis aliis, adigendi sunt à Confessario, ut faciant reflexionem, sicut, & studiosus, qui diceret: *Circiter bis me pollui voluntariè hac hebdomade. Ter plùs, aut minùs ferro decertavi cum aliquo, hoc bimestri sum confessus quot hebdomadis, sed bis circiter sacrilegè: & semel, aut bis communicavi sumpto jam cibo, idque scienter.*

427 Dixi autem paulò antè: *si non sint onerati valde multis aliis criminibus*; magna enim multitudo aliorum facilè, & delet perfectiorem memoriam aliquorum, & adimit partem temporis debiti, & cæteroquin, seu secundùm se adhibendi discussioni aliorum. Quia igitur dira verberatio uxoris, item adulterium sunt in primis crimina valde palpabilia, fuerunt deinde non sæpè commissa à Romedio, & quæ his addidit, non erant valde multa, tempus autem ab ultima Confessione non longum admodum, idcirco nisi Romedius sit penquam fluxæ memoriæ, potuit facilè venire in recordationem veri, justíque numeri illorum duorum specie distinctorum scelerum.

CONFESSIONIS INTEGRITAS DVBIA.

CASVS XVIII.

Mariani Sodalis.

SVMMARIVM.

Casus dubitantis, an sit confessus certum peccatũ, quod scripserat quidem in scheda, sed minuto charactere. 428.
Rẽmanens post omnia considerata dubius rationabiliter, an quid substantiale defuerit suæ Confessioni, debeat hanc repetere. 430.
Quid sit dubitare rationabiliter? 432.
Quid intelligatur per integritatem dubiam? 434.
Romedius, de quo num. 428. non tenebatur repetere homologesin. 436.
Refertur de dubitantibus notabilis sententia ex S. Thoma. 437.
Quid Diana denique sentiat de illa quæstione: An peccata dubia sint confitenda? 440.
An confessus dubium, ut dubium, at postea deprehendens esse certum, teneatur confiteri ut certum? 441.
Proponitur difficile argumentum adversùs asserentes necessitatem repetitionis. 442.
Describitur notabilis doctrina Dianæ circa illud argumentum. 443.
Cur Theologi non ita rigidè urgeant expressionem numeri, quàm speciei? Ibid.
Notabilis Doctrina ex P. Ludovico de Scildere de confessis cum Circiter. *444.*

Sidonius referendus in syllabum sodalium Marianorum parat se ad illum solemnem actum Generali ut laudabilissimè fieri solet, Confessione, seu relegendo totam vitam apud sacrum cognitorem, atque evoluto libello, in quo texitur longus, distinctúsque catalogus peccatorum committi solitorum, conscribit, quidquid tunc post seriam reflexionem veniebat in mentem, atque coram Confessario legit eam chartam fide, quàm optimâ. Post aliquot menses oritur ipsi permolestum dubium, an revera omnia recitárit, quæ signaverat in illa charta? Ratio dubitandi erat, quia unum è peccatis mortiferis exaraverat, & verbulo, & minutiore charactere, quàm cætera, unde facilè fieri potuit, ut transiliret id peccatum, nec poterat ullo modo recordari se memorâsse illud. Quæritur, an Lex Christi compellat Sidonium ad subjiciendum id peccatum clavibus? 428

Imò occasione hujus Casûs quæritur generatim: *Quid agendum, quando dubitatur, utrùm peractæ Confessioni defuerit integritas, sive hìc defectus provenerit ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarii?* Ubi respondero ad hanc generalem quæstionem, eámque explicavero, resolvam dubium de Sidonio, minimè dubitans, quin lector sit præsumpturus, me, dum refero hunc individuum Casum, esse probè memorem eorum, quæ de licito, illicitóque usu notitiæ ex Confessione haustæ, atque ſig illi Sacramentalis religione scribo infrà *in Alphab. Confessariorum Cas. XXII. & XXIII.* 429

Igitur ad illam generalem quæstionem respondeo hac generali Conclusione: Quisquis consideratis omnibus utriusque partis principiis intrinsecis, arque extrinsecis rationabiliter, seu prudenter dubitat, utrùm Confessioni, quam peregit, defuerit aliquid *essentiale*, necne, debet repetere narrationem omnium 430

mer-

mortalium in ea manifestatorum, nisi fortè jam priùs fuerit ea confessus legitimè. Ratio conclusionis est, quia rationabiliter dubitans, an satisfecerit legi ipsum obliganti, tenetur ei satisfacere, cùm Lex sit in possessione, in dubio autem existat melior conditio possidentis; atqui reus peccati mortalis, & dubitans, an aliquid essentiale defuerit Confessioni, quam de illo peccato peregit, dubitat rationabiliter, an satisfecerit legi obliganti ipsum ad Confessionem legitimam, ergo.

431 Dixi autem *primò*: *dubitans*, id est, ita fluctuans, ut nequeat, vel affirmare, vel negare, defuisse quid *essentiale*. Si quippe possit formare opinionem probabilem, nil tale defuisse, haud obligatur iterare Confessionem, esto occurrat ipsi in contrarium aliqua ratio, quæ videatur ipsi sufficiens ad inducendum aliquem alium prudentem, ut opinetur defuisse aliquid *substantiale*. Vide infrà *n. 454.*

432 Dixi *secundò*: Dubitans *rationabiliter*, id est, ob rationem non futilem, & vanam, sed prudentem, & firmam, quia sicuti vani timoris ratio nulla habenda est. *L. Vani timoris, ff. De Reg. jur.* ita nec rationum futilium, ut ex P. Martino Bressero observo *in Alphab. Confessar. Cas. V. n. 212.*

433 Dixi *tertiò*: *spectatis omnibus principiis intrinsecis, & extrinsecis, quæ occurrunt*, quia bonum est ex integra causa, S. Thom. *1. 2. q. 11. a. 4. ad 3.* ergo ut quis bene, rectèque dicatur dubitare rationabiliter, debet anceps reddi, non ex consideratione unius, duarum, aut triùm rationum, sed ex comparatione omnium contrariorum occurrentium suæ menti. Ex quibus deduco sequentia.

434 I. Cùm per Confessionis integritatem *dubiam* intelligamus hîc omnem illam, cujus dubietas oritur ex quocunque defectu *substantiali*, qui omnibus consideratis dubitat, utrùm vel præmiserit dolorem, propositúmque essentialiter requisita, vel manifestârit omnia mortalia, vel an confessarius fuerit præditus legitimâ potestate, instructus debitâ intentione, prolocutus verba formulæ essentialia, tenetur, stante, perseverante dubio de aliquo ex his punctis iterare Confessionem omnium mortalium priùs expositorum. Ita omnes, quia scilicet præceptum est in possessione.

435 II. Tametsi, considerando præcisè has, aut illas rationes, aut circumstantias, propriè ambigas, an non intervenerit hic, aut ille defectus *substantialis*, & proinde, stante illâ solâ consideratione, incumbat tibi obligatio repetitionis faciendæ, illâ quippe solâ stante, stat, permanétque dubium; nihilominus tamen potes communiter huic soli considerationi adjungere aliam, videlicet hanc; quòd in dubio debeat pro valore actûs præsumi. *L. Si pars, ff. De inoff. testam. cap. Si quis justo. De elect. in 6.* item hanc, quòd delictum non sit præsumendum. *L. Meritò, ff. Pro socio*; item hanc, quòd Confessio non sit necessariò iteranda, nisi quando constat evidenter de obligatione iterandi. Filliucius referendus infrà *num. 563.* Fieri tamen utique potest, ut, non obstantibus illis, præsertim duabus prioribus præsumptionibus, quæ præcipuè serviunt pro foro *externo*, obversentur animo tuo ejusmodi rationes, petitæ ex principiis *particularibus*, & *extrinsecis*, permaneas nihilominus prudenter dubius, an reipsa contraxeris, aut detexeris hoc, aut illud crimen, juxta ea, quæ pulchrè disserit P. Dicastillo *De pœnit. Tr. 8. Disp. 11. dub. 6. n. 92. & seqq.*

III. Sidonius, de quo noster Casus, haud 436
tenebatur repetere Confessionem illius peccati, quia ex una parte sciebat, se & habuisse intentionem omnia legendi, quæ scripserat, & legisse suam chartam non festinanter, ut multi meritò corrigendi, sed lentè; & locum, in quo legerat, fuisse minimè obscurum. Hæ sanè rationes sufficiebant ad gignendam opinionem, & *positivum* judicium de lecto re ipsa illo peccato. Ratio autem in contrarium petita inde, quòd & non meminisset, se legisse illud peccatum, & facilè potuerit ob duas indicatas circumstantias fieri, ut transiliret illud verbulum, debebat haberi pro non prudente, sed falsâ notâ, adeóque pro insufficiente ad gignendum dubium prudens, consequenter pro insufficiente ad inducendam obligationem repetitionis.

Quid si autem utcunque festinanter legisset suam 437
schedam? Resp. Ne tunc quidem fuisset dicendus dubitare prudenter, si tantùm ideo dubitat, quòd non recordetur, se legisse; ille quippe solus dubitat prudenter, qui ob rationes utrinque apparentes, seu occurrentes ita hæret anceps, ut nequeat prudenter assentiri alterutri parti; atqui Sidonius potest, stantibus his solis circumstantiis, prudenter assentiri parti *affirmativæ*, seu formare prudens judicium, quòd nihilominus aperuerit illud peccatum. Cùm enim multò rarissimum sit, ut aliquod peccatum scriptum transiliatur penitus à seriò volentibus omnia dicere, & non valde festinantibus, est vehemens præsumptio, adeóque tam potens ratio credendi, quòd nec ipse transilierit, ut ratio in contrarium allata non sit ullius momenti, cùm præsertim S. Thom. *in 3. part. q. 83. art. 6. ad 5.* sic scribat: *Si quis non recordetur, se aliquid ad Missam* (ad Confessionem) *pertinens dixisse, non ideo turbari debet, eò quòd, qui multa dixit, non possit recordari omnium.*

Quòd si tamen poneremus, & locum fuisse 438
perobscurum, & peccatum illud non fuisse aliquod commune peccatum, sed tale, ut nequiverit manifestare sine singulari rubore, & ipsummet Sidonium probè meminisse, quòd omnia cætera legisset, certè oblivio tam ruboris

boris singularis, quàm manifestati illius peccati juncta festinationi, obscuritati loci, atque characterum tenuitati, brevitatique scriptionis, subministraret tam potentem rationem in partem *negativam*, ut Sidonius meritò vel *absolutè* judicaret, se transiliisse, vel certè prudenter dubitaret, omnibus consideratis, adeóque teneretur consequenter rursum confiteri.

439 IV. Namque omnes DD. tractantes illam communissimam quæstionem: *Virùm peccata dubia sint necessariò confitenda*? conveniunt in eo, quòd, qui scit, se patrâsse aliquod mortale crimen, at omnibus consideratis *propriè*. & *positivè* dubitat, utrùm sit confessus, obligetur ad confitendum, sicuti refero *Tr. seq.* seu *in Alphab. Confessariorum. Cas. V. n. 209.*

440 Quo loco, dum de Confessione peccatorum dubiorum disserò in ordine ad confessarium, etiam aperio, quid sentiam de alia duplici quæstione circa dubietatem Confessionis, ventilata ab omnibus, an scilicet ille quoque debeat confiteri, qui revera prudenter dubitat, seu an reipsa commiserit hoc, aut illud peccatum mortale, seu an commiserit cum perfecta animadvertentia, perfecto consensu; illic non planè extra rhombum dicta non repeto; hoc solùm addo, quòd, licèt Diana *Part. 10. Tr. 1. Res. 79. in fine* scripserit, sententiam, quæ negat, esse necessariò confitenda peccata, de quibus prudenter dubitatur, an sint commissa, male vocari probabilem à Bossio; attamen postea cognito, haberi à tot sapientibus viris pro vere probabili, aut *absolutè* vera *Part. 11. Tr. 8. Res 44.* profitetur, se jam abstinere velle ab ea censuranda, quamvis prorsus adhæreat contrariæ. Legum illum, & non pigebit.

441 V. Quando confessus es aliquod mortale, verè dubitans, & propterea veraciter exprimens, te dubitare, an admiseris, sed tamen te confiteri, si postmodum certò cognoscas, fuisse illud à te patratum, debes necessariò illud iterum subjicere clavibus, accusando te *absolutè* de illo. Ita DD. tanto consensu, ut Dicastillo *Disp. 6. dub. 2. n. 141.* diserté scribat, contrarium esse *inauditum in Ecclesia Dei*. Sed Dicastillus non legerat Tamburinum *in meth. exped. confess. c. 1. §. 4.* Pellizarium *in manuali Regularium Tr. 5. c. 3. n. 56.* Caramuelem *in Theol Fundam num. 1324. in fin.* Coronium *de Confessione cap. 1. num. 2.* Leandrum, Verricelli, Martinum à S. Josepho, Vidalem apud Dianam *Part. 10. Tr. 16. Res. 79.* & alios plures, habentes oppositam pro probabilissima, sicut & pro probabili habuit Nicolaus Richardus apud Lugon. *l. c. n. 92.* Ratio communis, atque in praxi sequendæ sententiæ est hæc fundamentalis, & verè firma, quòd scilicet teneamur peccata confiteri, prout sunt in nostra conscientia, quia ergo illud prius dubium erimen est jam non dubium in conscientia, sed certum, fit, ut fatendum sit tanquam certum.

Opponitur huic doctrinæ argumentum, 442
cui succubuêre Lugo, & Dicastillo, quòd scilicet ex communiore opinione DD. ille, qui dixit, se circiter duodecies pejerâsse, si postea recordetur, se decies ter falsum jurâsse, non tamen teneatur quidquam ampliùs repetere; ex hac enim communi doctrina formatur hoc argumentum: Quando quis dicit, se duodecies circiter, seu plùs minùs pejerâsse, est perinde, ac si dicat, se pejerâsse quidem novies, aut etiam decies, attamen dubitare, an non forte undecies, duodecies, aut decies ter, vel quater decies jurejurando affirmârit falsum, ergo revera sub solo dubio confitetur decimum tertium perjurium, ergo, si postea deprehendat, se revera prorupisse in decimum tertium falsum juramentum, debebit rursum se accusare de illo *absolutè*, & non *sub dubio*, si vera est communis doctrina *numero præcedente* proposita; atqui *n. 419.* nominavimus gravissimos authores inficiantes, esse necessariò referendum ad tribunal illud decimum tertium perjurium.

Resp. Quandoquidem neque Lugo, ne- 443
que Dicastillo potuerunt concordare illas duas doctrinas, censuerúntque, esse potiùs asserendam necessitatem confitendi illius decimi tertii perjurii, quàm ullo modo negandam obligationem confitendi peccati, priùs sub dubio manifestati, postea verò positi extra dubium, nec ego, etsi diu, multúmque me fatigans in vestiganda solida disparitate, ullam reperio, idcirco sententiam de Confessione cum *Circiter*, seu: *Plùs minùs* non approbavi *absolutè num. 419.* sed solùm dixi, esse tutam, seu probabilem *practicè* propter authoritatem tam multorum, gravissimorúmque Doctorum, qui fortasse perspexerunt, quod ne quidem perspicacissimi Lugo, & Dicastillo valuerunt cognoscere. Nolo tamen meum Lectorem celare solutionem, quam Diana *Part. 10. Tr. 16. Res. 79.* adfert ad illud argumentum, & quidem hisce verbis: *Respondeo majorem requiri exactionem in explicanda substantia peccati, quàm in numero, sufficereq; numerum circiter declarari, quantus occurrit post diligentiam sufficientem. ut communiùs receptum est, ex quo magis, quàm ex principiis metaphysicis de Confessionis integritate judicandum est. Quò pertinet id, quod ait Cardinalis de Lugo n. 588. differentiam esse inter speciem peccati, & numerum, quoad necessitatem explicandi, & determinandi, & explicandi in Confessione. Nam fere omnes dicunt, eum, qui confitetur se ter, vel quater fornicatum esse, non teneri postea ad confitendam quartam fornicationem, quamvis certò illius recordetur; at verò, si pœnitens dicat, se certum esse de consensu carnali contra castitatem, non tamen recordari, an circa solam, vel conjugatam, omnes dicunt, debere postea*

determinatè explicare speciem, si postea recordetur fuisse conjugatam, seque id advertisse; nimirum quia species peccati debet explicari determinatè, multò magis, quàm numerus peccatorum. Atqui differentia inter peccatum mortale dubium, & certum, est moraliter specifica in ordine ad Confessionem, & judicium ferendum in foro pœnitentiæ; ergo debet magis determinatè explicari, quàm numerus peccatorum. Hactenus Diana, de cujus discursu Lector ipse judica; hoc certum est, Doctores non esse in omnibus casibus tam rigidos circa obligationem, onúsque aperiendi distinctè numerum mortalem, quàm speciem. Unde Vivaldus *in Candelabro de Confessione. §. sexto dixinu. 3.* negat quidem generatim necessitatem repetendi numeri mortalis, quem in præcedente Confessione per oblivionem meram omiseras post debitum examen, haud tamen id aut pronuntiat, aut, si viveret, pronunciaturus esset de *specifica* circumstantia per oblivionem omissa, ac deinde in memoriam redeunte.

444 Dictis *num. 419.* adde singularem Doctrinam traditam à P. Ludovico de Scildere in erudito opere *de principiis conscien. Tr. 6. n. 48.* his verbis: Qui numerum peccatorum incertum confessus est, *e. g. decies plùs minùs*, & postea meminit, se certò peccâsse duodecies, non debet postea confiteri, se certò peccâsse duodecies, nam qui dicit: *Decies plùs minùs*, confitetur certò peccata octo, & dubiè novem, decem, undecim, vel duodecim, quare postea confiteri debet, se certò peccâsse quater, perinde, ac si ea peccata nunquam esset confessus, tanquam certa, licèt addere possit, si velit, se confessum esse, ut dubia.

Item impotentia moralis. *456.*
Et periculum imminens Confessario. 457. & 463.
Et damnum imminens ipsi pœnitenti. 460.
Et singulariter privatio Communionis. 465.
Et reatus Casus reservati. 466.
Et periculum violandi sigilli Sacramentalis. 467.
Et infamatio complicis 468. & seqq. distincte usque ad n. 478.
Quid censendum de opinione P. Coninck, negantis tempore magni festi esse fas dare absolutionem dimidiantibus Confessionem? 479.
Quid agendum, imminente naufragio, aut prælio? 480.
An, quo casu licitè *omittis unum mortale*, licitè *omittas totam Confessionem? 482.*

CONFESSIONIS INTEGRITAS RECTE OMISSA.

CASUS XIX.

Pharisaicè Pii.

SUMMARIUM.

Casus Jansenistæ adigentis pœnitentem ad fatendum coram testibus adulterium. 445.
Confessionis integritas formalis *consistit cum quacunque ignorantia probabili juris. 447.*
Refutatur Nugni improbabilis opinio de ignorantia circa materiam Confessionis. 447.
Is, de quo actum n. 445. tenebatur, per se loquendo, *adulterium dissimulare, si putabat, sibi nolenti palam edicere negatum iri absolutionem. 449.*
At in certo casu aperire. 450.
Probabilis opinio quandoq; excusat non confitentem integrè. 454.

445 *Timophilus nuper ad Lutetiam, novæ illius Theologiæ* (quòd scilicet publica pœnitentia pro occultis criminibus obeunda, &, nisi mulcta à sacerdote imposita, ut digni pœnitentiæ fructus fiant, executioni priùs mandetur, sit *invalida* absolutio) *fermento turgens. Equitem ad extrema deductum non priùs peccatorum absolutione donare voluit, quàm publicè coram non paucis testibus, in eum finem advocatis expromeret dolorem suum de turpi commercio cum muliere conjugata, bonæ apud omnes famæ, reipsa clam omnibus sapiùs adulterio polluta. Quod Eques, quamvis gravatè, ne æternùm periret, ac peccatorum absolutione in mortis procinctu non fraudaretur, denique præstitit magno omnium scandalo, & mulieris perpetuo dedecore?*

446 Refero verba P. Theophili Raynaudi ex Libro *de Bicipiti Ecclesia pag. ult.* qui Tractatus continetur *in Tom. decimo* operum hujus incomparabili eruditione viri, satis clarè indicantis, illum parochum fuisse unum ex iis, qui Jansenisticas hæreses mantelo pietatis contegere satagunt.

Quæres fortè, mi Lector, perquam appositè ad factum, titulúmque præsentis *Casus decimi nomi primò*: Utrùm, si Eques ille prævidisset, negatum iri eo in articulo absolutionem ante publicam manifestationem sui, alienique peccati, potuisset salvâ conscientiâ premere silentio illud crimen, adeóque non observare integritatem Confessionis? Quæres fortè *secundò*, utrùm, si idipsum prævidisset, licuisset nihilominus illud manifestare Timophilo? Quæres fortè *tertiò*, utrùm postquam aperuit, ac vidit, esse sibi sine omni absolutione sacerdotali migrandum è vita, nisi panderet id scelus, *licitè* panderit, & consequenter, an Timophilus non præcipitârit tunc in orcum illum miserum Equitem, dum videri volebat eum inde certò eripere. Hæc tria forsan scisitabitur meus Lector, ad quæ non solùm respondebo nunc, sed proferam in medium causas, ob quas est fas, aut nefas, dimidiare Confessionem, ut loquuntur DD. seu non integre confiteri omnia, quæ, *per se loquendo*, essent proponenda in eodem foro Sacramentali.

447 Suppono autem priùs, integritatem Confessionis statui duplicem à Doctoribus, scilicet *materialem*, & *formalem*, explicatam *Cas. XIV. num. 336.* ubi etiam retuli ex Suario, integritatem *formalem* consistere cum quacunque ignorantia probabili juris; ipsámque integritatem *formalem* esse de essentia hujus Sacramenti, dixi ibidem *n. 346.* dissentiens etiam à Didaco Nugno, quatenus sic scribit: *Quamvis cognoscens aliquod peccatum esse mortale, & nullam esse causam id omittendi, omittit illud, quia existimat, non esse necessariò confitenda omnia peccata mortalia, etiamsi ignorantia sit invincibilis, Sacramentum est nullum, quia talis non facit ullo modo integram Confessionem.* Ita Nugnus meritò ibidem refutatus, cùm utique possit dari ignorantia *invincibilis* circa necessitatem manifestandi e. g. morosas delectationes

His præmissis, respondeo ad *primam*, &
448 *secundam* ex propositis quæstionibus, Equitem illum non solùm potuisse, sed etiam debuisse silentio premere suum adulterium, si prævidit, negatum iri absolutionem sibi nolenti publicam facere Confessionem. Potuit silere, quia, ut paulò pòst dicam, inter reliquas causas *licitè* dimidiandi Confessionem, est probabilis metus notabilis mali eventuri ex manifestatione, metus autem negandæ nequissimè absolutionis, est utique metus gravis mali; & quidem
449 tam gravis, ut ne quidem fuerit fas confiteri illud adulterium, si fuit in eo articulo neganda absolutio: cùm facilè potuerit fieri, ut sine ea actu damnaretur æternùm, utpote non valens excitare actum contritionis. Adde, quòd manifestando id crimen erat daturus occasionem illi Timophilo grandis peccati, scilicet contra jus, & fas adigendi ad faciendam publicam Confessionem, & quidem cùm summa injuria tertii, scilicet adulteræ.

Ad *tertium* quæsitum respondeo si nobi-
450 lis ille vir nec valuit elicere contritionem, nec potuit habere alium sacerdotem, tenebatur parêre impio quamvis mandato prædicti, & pellibus ovinis tecti pastoris, quatenus tendebat ad suam præcitè confusionem; at nec tenebatur, nec licebat, quatenus concernebat infamationem mulieris. *Prima* pars inde mihi persuadetur, quòd è duobus malis, quorum alterutrum inevitabile est, vel à parte rei, vel judicio nostro, eligendum sit id, quod est infinities minùs; atqui qualiscunque tandem infamatio sui ipsius, atque confusio, est infinities minus malum, quàm æterna damnatio.

Altera pars inde etiam persuadetur, quòd 451
non sint facienda mala, ut veniant bona *Rom. 3.* id est, nulla actio de se *moraliter* mala sit eligenda, ad procurationem ullius boni *moralis*, si permaneat *moraliter* mala etiam tunc, cùm eligitur solùm ad procurandum illud bonum, seu evitationem mali contrarii illi bono; atqui infamatio illius mulieris erat actio non solùm mala *moraliter*, *per se loquendo*, ut facilè quisque videt, sed etiam ita mala, ut non desineret esse mala etiam casu, quo assumebatur ad evitationem damnationis æternæ; nullus enim, puto, Theologus imponeret ejusmodi mulieri obligationem permittendi in tali casu suam infamationem tam probrosam, ac redundaturam in alios innocentes, cùm ille nobilis revera non fuerit constitutus in extrema, sed solùm in pergravi necessitate spirituali; poterat enim absque dubio vel ex se, vel ex aliorum adhortatione cum divino auxilio elicere actum perfectæ contritionis; Nobiles enim Galli, eorúmque familiares discunt à teneris modum, ac rationem exercendi ejusmodi actus.

At *ponamus, fuisse ita imperitum, ut ignorârit* 452
modum exercendi, nec fuisse ad manus, qui edoceret? Resp. Tunc debuisset permittere illa miseram publicationem suæ turpitudinis; quivis enim tenetur vitam exponere periculo pro extrema necessitate spirituali proximi. DD. relati à me suprà *Tract. 2. Cas. VII. n. 225.* si vitam, ergo & famam, siquidem hæc est minus bonum, quàm vita; sicut contra nimis politicos Jureconsultos ostendo *in Theol. Iuridico-morali c. 18. num. 12.*

Sufficiunt hæc ad elucidationem nostri 453
Casûs Jansenisticis; nunc proferendi sunt in medium præcipui eventus, quibus *fas*, júsque est, truncare, seu dimidiare Confessionem, adeóque tantùm unam partem peccatorum manifestare in una Confessione, cùm cæteroquin, *per se loquendo*, & ex institutione Christi sint omnia mortalia aperienda in una eadémque Confessione, ut jam monui *Cas. XIV. num. 346.*

I. Eventus est opinio probabilis, quando 454
scilicet est verè probabile, vel quòd non admiseris hoc, aut illud peccatum, vel quòd jam sis confessus, vel quòd non tenearis hîc, & nunc illud aperire. Sanchez *L. 1. Moralium c. 10. n. 75.* Suarez *Tom. 4. in 3. part. disp. 22. sect. 9.* & alii communiter, contra nonnullos. Ratio est, quia huc apprimè facit communissima doctrina de licito usu, & sectatione sententiæ, seu opinionis certò probabilis. Idem dic de illo, qui ex ignorantia probabili juris ratus, aliquid non esse necessariò confitendum, omittit confiteri. Suarez relatus suprà *num. 447.* adversùs Didacum Nugnum Capezudo.

II. Est impotentia *physica*, vel *moralis*, ut 455
quando, jam cœptâ narratione aliquorum

mortalium, obruitur quis tali debilitate sensuum, ut vel nullo prorsus modo, vel non nisi summa cum difficultate, aut cruciatu valeat aperire cætera; est tunc enim mox absolvendus, etsi putaretur adhuc alterum diem supervicturus. Tannerus *Tom. 4. Disp. 6. q. 7. num. 66.* post Jacobum de Graffiis.

456 At *redit ad se, & vix uno, alteróque peccato expresso, rursum obruitur symptomate?* Resp. Ergo rursum dona illum absolutione, & quidem quater, aut sexies, si toties deducatur ad extrema, etenim summo jure exigit toties iteratam.

457 Huc refer ea, quæ *in Alph. Confessarior. Cas. XIX.* tradam de moribundo confitente per signa. Huc quoque reduc impotentiam, aut periculum ex parte Confessarii ipsius, quando videlicet hic, ob imminens periculum mortis, nequit nunc, aut paulò pòst audire totam Confessionem, tunc enim auditâ unâ parte absolvet meritò pœnitentem. Tann. *l. c. num. 68.* quia videlicet auditio unius partis peccatorum tribuit pœnitenti jus, ut bene dispositus percipiat absolutionem, non secùs, ac si illa impotentia proveniret ex parte ipsius pœnitentis.

458 Et quamvis subdat Tannerus, esse tutissimum, ut nunquam in hoc casu imperfectæ Confessionis petatur absolutio, quando sine ullo periculo, aut damno potest pœnitens confiteri alteri, non tamen ad id obligat ipse P. Tannerus, sed potiùs contra P. Valentiam permittit ejusmodi absolutionem, & meritò; est quippe difficile admodum, confiteri bis idem peccatum mortale.

Ex quo apparet, idem dicendum, quando

459 non potuisti intelligere omnia peccata blæsi, naso truncati, utentis dialecto tibi ignotâ, &c. *licitè* enim nihilominus absolventur tales, cum onere se sistendi pro cæteris peccatis alteri, si qui meliùs percepturus sit ea, sicut liquet ex dicendis *in Alph. Confessariorum Cas. XI. & seqq.* Et verò tales teneri tempore præcepti perficere Confessiones, tametsi imperfectas, rectè docet post Navarrum, atque alios P. Layman. *Lib. 5. Tr. 4. c. 8. n. 5.* permittente eodem Tannero *n. 76.* contra Henriq. *l. 5. c. 12. n. 3.* ut tales etiam extra tempus præcepti confiteantur ex sola devotione illa peccata, quæ possunt, at negante Antonino Dianâ *Part. 5. Tr. 6. Res. 3.* cum Naldo, Megala, & aliis apud ipsum, esse admittendos, extra articulum mortis, & tempus Paschale eos, qui nequeunt ullum in specie peccatum indicare sacerdoti. Ego admitterem etiam in magnis Jubilæis, ductus eâ certâ ratione, quòd *validè* absolvatur, qui tantùm in genere fatetur, se esse peccatorem, cùm nequeat plus dicere. Vide dicta suprà *Cas. XIV. n. 360.* & dicenda *in Alphab. Confessarior. Cas. V. n. 230.*

460 III. Est periculum damni ex ipsamet Confessione, seu ex hujus, aut illius in particulari peccati detectione imminens. Vt in primis, quando nequit fieri secretò juxta dicenda *Cas. XXII.* Deinde, quando, licèt fieri queat secretò, est tamen probabile, fore, ut confessarius revelet, ut fatentur omnes, alioqui præceptum Confessionis esset intolerabile humanæ fragilitati. Unde, quando est periculum, ne sacerdos sit ipsimet pœnitenti impositurus onus manifestandi illud, casu, quo lex divina, aut humana non imperat, *licitè* premet silentio peccatum, sicuti suprà diximus de pœnitente.

At inquies: *Extátne Lex humana imperans, ut* 461
peccatum, quod secretissimè confiteor, pandam alteri? Resp. Extat omnino, scilicet illa, quæ lata est in masculos, aut fœminas in actu Confessionis solicitatas ad venerem, si acquievêre solicitationi; etsi enim non teneantur *directè*, & *per se* manifestare suum crimen, tenentur tamen *indirectè*, quando nequeunt aliter denuntiare solicitantem. Vide, quæ de hac materia refero *in Alphab. Confessarior. Cas. XVIII. n. 578. & sequentibus.*

Rursus periculo damni, de quo suprà *n. 460.* 462
sum locutus, junge periculum animæ, ut si puella prudenter formidet, ne, si aperiat crebras carnis tentationes, quibus succubuit, solicitetur à confessario ad turpitudinem, ipsáque fortè consentiat. *Quid si verò nullum prorsus subsit periculum consensûs in solicitationem?* Resp. Poterit nihilominus, imò fortè debebit dissimulare suas turpitudines, ob naturale præceptum de proximo non scandalizando.

Junge & aliis periculis discrimen ipsius- 463
met confessarii, ut, si nequeat totam pestiferi homologesin excipere, sine singulari periculo contagionis. Omnes communiter, dissentiente improbabiliter Hauckio *in Epinomia verb. Absolutio n. 17.* proinde non tenetur tunc accedere tam prope pœnitentem, ut nõ possint, qui in eodem conclavi proximè jacent, exaudire peccata decumbentis, Tannerus *num. 70.* tunc etiam excusat periculum confessarii, quando e. g. obtruncabitur, vel pessimè habebitur ab hæreticis, probabiliter superventuris illi adjui, si totus peragatur; nec enim tunc obligat Lex Christi, aut charitatis, ad procurandam integritatem *materialem.* Vide Tannerum suprà *n. 457.*

Dixi: *Probabiliter*; etenim DD. differentes 464
(ut omnes interpretes hujus Sacramenti facere consueverunt) de hoc periculo, notant, esse debere *prudens* periculum unius è malis, quæ indicavi; non tamen dicunt, esse debere *certum, & infallibile*; foret enim nimis dura sors pœnitentium, & singulariter confessariorum, si eos non excusaret nisi certum, & inevitabile discrimen tantorum malorum.

Addit hisce P. Granadus (quem semel sum 465
in praxi secutus absolvendo) apud Dianam *Part. 5. Tr. 14. Res. 53.* si nequeas omittere sacram

cram Communionem absque gravi scandalo, & tamen sis oneratus tam multis peccatis, ut non valeas omnia exonerare apud sacerdotem, haud peccaturum hunc, si, post depositam tantæ sarcinæ partem, impertiat tibi absolutionem, sed utique cum onere redeundi ad ipsum, aut alium pro altera parte sarcinæ deponenda. Vide infrà *n. 479.*

466 IV. Est, quando obnoxius casui reservato non habes, qui te absolvat ab eo, & tamen urget necessitas Sacrificii peragendi, aut obeundæ sacræ Communionis, tunc quippe multorum Judicio erit tibi fas, sola non-reservata confiteri tuo ordinario. Verùm quid tunc agendum, dico *in Alphab. Confessarior. Cas. VIII. n. 378. & seqq.* referens diversa Theologorum hac de re judicia.

467 V. Est, quando certum aliquod peccatum nequis fateri, nisi violando sigillum Sacramentale, ut docent omnes Neoterici Doctores cum Coninck *Tom. 2. in 3. part. disp. 7. n. 95.* & observatum reperies *in Alphab. Confessar. Cas. XXIII.* contra nonnullos superiorum sæculorum.

468 VI. Est, quando non potes integram perficere Confessionem, nisi manifestes Confessario complicem, & socium criminis, tunc enim vel licet, vel, ut plerique volunt, necesse est, omittere illud peccatum, si nequeat adiri alius Confessarius. De hoc sat frequenti eventu aliqua tradam *in cit. Alphab. Confessarior. Cas. V. n. 242. & seqq.* loquendo in specie de sponsa, quæ peccavit carnaliter cum sponso; mox post ipsam confessuro. Cætera, utpote propria hujus Alphabeti, exhibebo sequentibus §§.

469 1. Graviter delinquit pœnitens, si absque legitima causa manifestet complicem cum notabili jactura boni nominis; secùs, si cum levi; nam si persona, & culpa sit talis conditionis, ut ferè pro nihilo reputetur, quòd de tali persona tale peccatum reveletur tali homini, non erit grave peccatum, illud revelare. P. Suarez *Disp. 34. sect. 2. n. 1.* Censetur autem in materia detractionis sufficienter ille revelari, & nominari, qui propter circumstantias narrationis vocatur in vehementem suspicionem patrati criminis.

470 2. Meritò monet P. Laymannus *L. 5. Tr. 6. c. 8. num. 13.* si Confessarius notet, pœnitentem esse paratum ad nominandum (*directè*, vel *indirectè*) complicem circa peccata, quæ sine complicis ulla manifestatione, & indicatione possunt sufficienter explicari, debere prohiberi à Confessario.

471 3. Haud dubiè tenetur pœnitens non nominare complicem, quando huic immineret à Confessario unum ex malis suprà enumeratis, nec de hoc est lis inter Theologos, sed tantùm de hoc puncto, utrùm, quando nullum prorsus aliud damnum impendet, nisi quòd Confessarius cogniturus sit illius nequitiam, eúmque minoris facturus, quàm antè, ut notat Lugo *Disp. 16. sect. 8. num. 391.*

4. Si haberi commodè possit alius Confes- 472
sarius, qui æquè profuturus sit spirituali saluti, & non novit complicem, oportet hunc accedere. Ita omnes teste Tannero *q. 7. n. 8.* & nominatim Suarez *cit. sect. 2.* sic loquens: *Si pœnitens possit vel ei confiteri, qui non cognoscat personam complicis, vel sita confiteri, ut non cognoscatur ipse, vel denique aliam diligentiam adhibere, ut sine notitia personæ in particulari totum peccatum cũ omnibus necessariis circumstantiis dicatur, tenetur id facere; & in hoc omnes conveniunt.* Ita Suarez, id ipsum testantibus P. Vasquezio *q. 91. a. 2. dub. 3.* Coninck *Disp. 7. dub. 9. n. 88.* Lugone *l. cit.* Quare miror, cur P. Stephanus Fa- 473
gundez *de Præcept. Eccles. præc. 2. l. 5. c. 1. num. 3.* scribat, sine dubio tenendum esse, quòd nullum de hac re detur præceptum. Certè ratio naturalis docet, ne quidem coram uno esse quemquam sine causa aliquo modo gravi infamandum; & illud non caret dubio, quod in dubium revocatur à tot sapientibus. Nihilominus tamen refero *in Alphab. Confessarior. Cas. V. n. 244.* ex Dicastillo, S. Thomam, Cajetanum, Gabrielem negantes, & quidem non improbabiliter, teste Dicastillo, intervenire gravem culpam, si præter infamationem apud Confessarium nihil aliud sit timendum.

5. Si pœnitens nequeat commodè nanciscí 474
Confessarium, cui integre suum peccatum ita confiteatur, ut complex non adeat magnam nominis jacturam apud Confessarium, *licitè* aperit suum scelus cum infamatione complicis. Suarez, Coninck, Tannerus, Lugo *ll. cc.* post S. Thomam contra Navarrum, Valentiam, ac multos alios ratos, esse in hoc eventu omittendam Confessionem illius peccati, ac differendam, donec reperiatur Confessarius, cui illud manifestetur citra ullam infamationem complicis, quin imò debere omitti, licèt existimetur nunquam reperiendus talis. Ratio horum Doctorum est, quòd jus *positivum* debeat cedere *naturali*; atqui integritas Confessionis provenit ex solo jure *positivo* Salvatoris; obligatio non infamandi alterum ex jure *naturali*; ergo habenda est major hujus ratio, quàm illius.

Ego quidem valde propendeo in hanc sen- 475
tentiam Navarri in eo casu, in quo nullum aliud incommodum sequitur, quàm quòd Confessio mutiletur, præsertim, quando complex ab illo pœnitente fuit seductus; idque mihi persuadet ratio allata pro sapientissimi Navarri opinione; non verò, si ultra mutilationem adveniant alia incommoda, ut e. g. quòd oporteret valde diu differre Confessionem illius criminis, faciendam postea cum multò majore incommoditate pœnitentis, quia præceptum non infamandi definit tunc obligare; ergo poterit tunc aperiri illud peccatum; imò

oportebit, judice Vasquezio *l. cit.* & Sanctgallensibus *Tom. 10. fol. 173.* quia si licet, tunc oportet, cùm integritas *materialis* sit servanda, quando *licitè* potest. Verùm negatur ista & consequentia, & ratio, quia non tenemur semper tunc integre confiteri, quando possemus salvâ conscientiâ, ut liquet ex suprà dictis.

476 6. Censetur quis non posse commodè nancisci Confessarium, cui integre pandatur peccatum sine infamatione complicis, quando pro illo inveniendo oporteret differre Confessionem cum jactura Communionis Paschalis, Reginaldus *l. 6. num. 159.* aut jactura Jubilæi, vel Indulgentiæ. Fagundez *l. c. n. 2.* non dissentiente Cardinale de Lugo *n. 416.* vel quando sacerdos solitus quotidie ex devotione celebrare, non posset differre Confessionem, nisi cum jactura trium sacrificiorum. Lugo *ibid.* asserens idem de illo, cui est tam grave privari suâ ordinariâ Communione, quàm communiter grave est sacerdoti abstinere triduo à Sa-
477 cro. Item quando quis deberet per triduum vivere in tali peccato, nec *directè*, nec *indirectè* remisso per absolutionem. Idem Lugo; seu si nequiret vel intra paucos dies habere aliam confessarium, Sanctgall. *Tom. 10 fol. 173.* re quippe verâ est id non leve incommodum. Item quando quærendus esset cum magno labore, aut molestia alius confessarius, ut notant omnes.

478 Et addo ego cum Lugone, & Dicastillo *num. 943.* illam molestiam debere esse multò majorem pro excusando pœnitente, qui complicem induxit in crimen, præsertim per injuriam, quàm pro illo, qui non induxit; & *in Alphab. Confessarior. Cas. V. num. 243.* ostendo, sponsam non delinquere confitendo, se peccâsse carnaliter cum suo sponso, etsi confessarius hunc nôrit. Et quis confessarius occludet os mulieri conjugatæ dicenti, se hoc, aut illud peccatum carnale commisisse cum marito, vel occasione mariti, esto confessarius hunc noverit? modò nequeat illa sufficienter aperire suum peccatum sine indicatione mariti, & illud peccatum non sit valde singulare. Vide authores *n. 473.* relatos, & *absolutè* negantes, culpam mortalem inesse revelationi complicis in Confessione. Equidem omnes nôrunt, negari à Cajet. & aliis quibusdam, delinquere mortaliter, qui uni soli pandit alienum grave peccatum. Suadeo tamen tutiora sine vera necessitate.

479 7. Negat P. Coninck *l. c. num. 98.* esse probabilem opinionem arbitrantium, quando adest tanta multitudo confiteri volentium, pro aliquo celebri festo, ut sacerdos nequeat omnibus satisfacere audiendo omnes integre, posse singulis dicere, ut aperiant solùm graviora è mortalibus, reliqua differant in aliud tempus. Censeo ego, salvo meliori judicio, eam opinionem posse probabiliter sustineri casu, quo multi è longinquo advenissent obtinendæ alicujus grandis indulgentiæ, Confessionem, & Communionem requirentis causâ. Certè, si probè examinentur causæ, ob quas hactenus diximus ex omnium, aut multorum sensu, posse dimidiari Confessionem, & singulariter, quòd ordinariæ occupationes Superioris præbeant ex multorum opinione sufficientem rationem audiendi, absolvendique sola reservata, remittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reservatis, apparebit, non posse consequenter negari probabilitatem *speculativam*, & *practicam* huic meæ restrictivæ opinationi. Vide, quod ex Granado retuli suprà *num. 465.*

480 8. Illud verò est communissimo calculo receptum, quòd, imminente prælio, aut naufragio sufficiat, unum, alterúmve peccatum aperire, quando alioquin esset aliis decedendum sine omni Confessione. Imò, si instet præsentissima mors, sufficiet, si singuli dicant, se esse miseros peccatores, & petere absolvi, & tunc Confessarius dicat: *Absolvo vos omnes ab omni censura, omnibúsque peccatis vestris in nomine Patris, &c.*

Et verò R. P. Ambrosius Randing in Vita B. Pii V. *n. 38.* post alios describens pugnam ad Echinadas à viginti octo millibus Christianorum adversùs centum, & triginta millia Turcarum felicissimè precibus (ut testatur idem scriptor) ipsius Pii V. quatuor horarum spatio pugnatam, ita in rem præsentem scribit: *Peractâ oratione in qualibet triremium generalis peccatorum instituta Confessio, omnesque absoluti, sicuti in articulo mortis positi.*

481 Dictis hactenus adde, quæ *in cit. Alphab. Confessarior. Cas. V. n. 247.* dicam de illa quæstione, an, & quando liceat Confessario pœnitentem interrogare de complice; & an hic corrigendus à Confessario *n. 254.* & quid nomine *complicis* intelligatur in materia Sacramentali *eod. Cas. n. 255. & Cas. XXII. n. 791.*

482 Adde quoque, quibus in casibus omittis *licitè* unum peccatum mortale, iisdem posse à re omitti totam Confessionem, judice Suarez *Disp. 23. sect. 2. n. 6.* nisi aut existas in articulo mortis, aut sis oneratus alio adhuc mortali. Verùm censeo cum Lugone *loc. cit. num. 526.* & Dicastillo *Disp. 9. dub. 11. n. 880.* esse saltem tunc in genere confitendum illud crimen, cujus specifica explicatio pariet incommodum. Addo insuper cum eodem Suarez, quando est omissa manifestatio, non esse necessariò supplendam proximâ occasione, sed sufficere, si suppleatur, quando aliàs fiet Confessio alia ex causa; nec enim ulla lex mandat maturiorem suppletionem.

483 Adde denique, quando sacerdos operatus criminibus Annorum multorum, nequit & omittere sine nota quotidianum Sacrificium, & ob vertiginem impendere executiendæ integre conscientiæ diligentiam, ex se necessariam, posse hodie absolvi à peccatis, quæ hodie venerunt in mentem, esto sit certus, multa alia, quæ non occurrunt tunc, supereſſe, posse nihilominus cras, atque perendie similiter absolvi ab iis, quorum cras, & perendie memor erit, esto interim operetur sacris, atque ita aliquando respondi hinc multùm distito confessario meconsulenti.

CONFESSIONI PRÆMITTENDUM EXAMEN.

CASUS XX.

Miserandi.

SUMMARIUM.

Lamentabilis casus examinantis anxiè conscientiam pro Confessione. 484.
Examen serium est præmittendum Confessioni? 486.
Sufficit tamen mediocris diligentia. 487.
Unde desumenda illa mediocritas? 490.
Casus confessarii soliti examinare se, quomodo tractàsset singulos è pœnitentibus. 492.
An imitandus? 493.
Quomodo ergo se examinabit? 494.
An ratus, occursura sibi plura peccata, si se examinet diligentiùs, teneatur se diligentiùs examinare? 496.
Unde cognoscet quis, utrùm examen fuerit sufficiens? 497.
Quomodo examinabunt conscientiam soliti rarò confiteri? 498.

484 *Vivaldus cùm Confessionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies se ad illam paravit, & plurima folia de suis peccatis scripsit, quibus legendis multi dies non sufficerent; sed neque his contentus novum examen instituit; quo facto cùm jam per dies aliquot confiteri cœpisset Vallisoleti, ubi tunc curia Regia morabatur, in eas tandem angustias, Confessionis ratione, redactus est, ut ipsemet pugione se lethaliter percusserit, Deo tamen providente, ut ante mortem posset iterum confiteri.*

485 Dedi verba Cardinalis de Lugo exarata *in Tom. 3. in 3. Part.* seu *De Pœnit. Disp. 16. Sect. 15. n 591.* do, & sententiam: *Certum est*, inquit ipse, *quòd juvenis ille non tenebatur ad tantum studium adhibendum circa examen, licèt illa nova, & assidua recogitatio nova peccata, vel majorem illorum distinctionem in mentem revocaret; minùs ergo tenebitur confessarius ad eas interrogationes, & examen; quod ex se aptum sit ad generandum tædium, & horrorem circa hoc Sacramentum.*

Ita sapientissimus Cardinalis; cujus ratiocinationis consequens spectat *directè ad Alphaberi Confessariorum Casum septimum*, ubi ex professo dissero de confessarii industria in examinando pœnitente; at verò antecedens hujus discursûs est propriè hujus loci; etenim consentaneè Titulo præsentis *Casus vigesimi.*

Dico I. Certum est, esse Confessioni actua- 486
li, *per se loquendo*, præmittendum examen, & quidem serium, seu accuratum. Patet ex verbis Tridentini Concilii relatis suprà *Cas. decimo quarto n. 337. & 339.* patétque inde, quòd, cùm obligemur præcepto *divino* aperire omnia, per quæ mortaliter offendimus Divinam Majestatem, nequeamus autem hoc præstare, com-
352 muniter loquendo, nisi probè excutiamus latebras conscientiæ nostræ, omnino necessarium sit, hasce excutere, *per se loquendo*; at *per accidens* necesse id non est, tum quando nimirum unâ, alteráve horâ post peractam Confessionem relaberis in mortale crimen, móxque accurris ad confessarium; tum quando quotidie annotas, quæ quovis die deliquisti, nec enim nisi de ultimo die est instituendum examen.

Dico II. Illud tamen examen non exigit 487
summam diligentiam, sed sufficit mediocris; eáque saltem requiritur. Suarez *Disp. 22. Sect. 11.* Valentia *Tom. 4 disp. 7. q. 11.* Tannerus *q. 7. n. 37.* atque alii; scilicet talis, qualem viri prudentes adhibere solent in negotiis magni, non tamen summi momenti. Quod intellige 488
de iis, qui sciunt, vel qui prudenter dubitant, an non offenderint lethaliter Deum; in timoratis enim, & frequenter confiteri solitis sufficit modicissima diligentia, ii enim, si peccâssent mortaliter, ob oculos certè peccata semper haberent, inquit peraptè P. Thom. Tamburin. *in Decalogum Lib. 1. cap 3. §. 8. n. 9.* cui subscribo, saltem respectu illorum timoratorum, qui solent quotidie conscientiam diligenter bis, aut semel examinare, hos enim fortiter, & crebrò vellicat conscientia, quando exorbitârunt.

Quamvis autem nôrit pœnitens, se à con- 489
fessario esse diligenter examinandum, nihilominus communiter tenetur priùs ipse ingredi in cubiculum suum; alioquin exponet se magno periculo vel omnino perperam respondendi, vel aliqua omittendi penitus; potest nihilominus talis esse contentus minore, præsertim quoad species communes hominibus sui statûs, diligentiâ, quàm si nôsset, se se non examinatum iri. Suarez *loc. cit.* adeóque minore, quàm sit mediocris; sicut & rudissimi,

qui cæcutiunt, nisi facem præferat confessarius.

490 Porrò mediocritas illa desumenda est ex circumstantiis pœnitentis, negotiorum, quæ tractavit, occasionum, in quibus extitit, consuetudinis, qua est, vel non est inquinatus, temporis, ab ultima Confessione facta; peccatorum generatim, & in confuso pulsantium conscientiam; etenim examen durans uno horæ quadrante censebitur mediocre, adeóque judicio prudentis (quod tamen utique fallere potest, ut singulariter in hac materia notant P. Valent. *p. 2.* atque Tannerus *n. 119.*) sufficiens, respectu adolescentis timorati, & ab octiduo non confessi, esto nequeat nominari mediocre, adeóque nec sufficiens respectu variis, gravibus criminibus, præsertim cogitationum,
491 impliciti. Quamquam, si hic ipse valde collecto animo impendit illum totum horæ quadrantem, fieri poterit, ut pronuntietur usus mediocri diligentiâ, etiam respectu sui, seu excussisse omnes conscientiæ latebras; secùs, si sit mentis admodum vagæ. Verè cui conscientia testatur, esse à se adhibitam mediocrem diligentiam, quam suprà descripsimus, & hîc explicavimus, potest se solari illo veteri verbo, quod Pater Joannes Strenius noster refert *in commentario de Regulis Juris Canonici. Regul. 6.*

Ultra posse meum non le xme justa coëgit:
Nec putat esse reum, qui totum posse peregit.

492 At fortè percontaberis, an necessariò sit imitandum exemplum, quod exhibet hic

Casus confessarii multùm accurati.

Qui, quando peragebat quotidianum examen conscientiæ, faciebat, quantam poterat, reflexionem circa omnes, & singulas Confessiones, quas eo die exceperat, imbutus eâ persuasione, quòd facilè contingant graves in eo ministerio defectus.

Resp. Non necessariò, nec satis laudabiliter imitaberis hunc. Non necessariò, quia nihilominus poteris præmittere sufficiens examen secuturæ Confessioni. Non satis laudabiliter, quia operam utiliùs impendes eliciendo dolori de peccatis, firmóque emendationis proposito; his enim duobus punctis esse tribuendum in quotidiana discussione conscientiæ (quam faciendam horis ante & pomeridianis præscribunt nobis nostræ leges) plus temporis, quàm reliquis docet, probátque P. Alph. Rodriquez, *De Perfect. Part. 1. Tractat. 7. cap. 1.*

493 At: *Estne necessarium, ut saltem, priusquam confessarii accedant suum confessorem, recogitent de singulis Confessionibus priùs auditis?*

Resp. Non puto vivere, qui id vel faciat, vel necessariò faciendum arbitretur. Ratio est, quia etiam sine hoc descensu ad tam particularia, & singularia potest consistere diligentia verè mediocris, adeóque magna; alioquî negabimus, mercatorem satisfacere muneri boni Christiani, si non studeat revocare in memoriam omnes singulares actus emendi, ac vendendi.

Sufficit ergo, si cogitet apud se aliquantu-494 lùm, an non deliquerit in illo ministerio die Solis, die Martis, &c. Quòd si sciat, se solere admittere graves defectus, tunc sanè debebit descendere ad particularia, etsi ne quidem generatim tenebitur se examinare super illa functione, si ipsum, & conscientia non remordeat, & nôrit, se omnino esse in ea accuratum, ac sufficiente doctrinâ, prudentiâque præditum.

Utrùm verò timens, se obliturum nonnul-495 la, si non statim annotet in charta, teneatur annotare, dicam *Cas. seq.* sicuti, & *in Alphab. Confessarior. Cas. VII. num. 331. & seqq.* disseram de dexteritate confessarii in examinando pœnitente. An verò possit Confessio esse *valida*, licèt fuerit mortaliter peccatum in desidiosè examinanda conscientia. Vide *numero 180.*

At verò hoc loco, & occasione Casûs *Mi-*496 *serandi* observo, licèt existimes, fore, ut occurrant tibi plura peccata mortalia, si plus temporis impendas lustrationi conscientiæ; infirmam tamen fore hanc consequentiam: *Ergo teneor plus impendere*, ut rectè observavit Lugo verbis descriptis *n. 485.* atque Bonacina *q. 5. p. 2.* etenim etiam cavendum est, ne pœnitens obligetur ad diligentiam tam accuratam, ut ob illam Sacramentum reddatur grave, & odiosum, detúrque occasio hæreticis vocandi illud carnificinam conscientiarum. Lugo *loc. cit. n. 590.*

Sed & observat P. Matthæus Stoz *in Instru-*497 *ctione Confessionis n. 320.* atque ante illum Nugnus, & Diana *Part. 2. Tract. 3. miscell. Res. 31.* an præparatio fuerit sufficiens ad valorem Confessionis, ita ut non sit iteranda postea, hoc ferè indicio posse deprehendi: *Si post Confessionem plura peccata mortalia memoriæ occurrant, quàm in Confessione fuerint explicata, non fuit diligentia sufficiens. Si autem occurrant aliqua, sed multò pauciora, quàm confessa, credendum est, diligentiam fuisse sufficientem ad valorem Sacramenti; unde homo obligatus non est ad Confessionem iterandam; satis est, si de commissis* (fortè omissis) *se accuset, & de negligentia ad cautelam.*

Sic

498 Sic ille; qui *num. precedente* attulerat praxin examinandi conscientiam, aptam iis, qui non nisi ter, quatérve in Anno adeunt secretum tribunal, eos enim posse juvari hoc compendio, *si videlicet inspiciant tria tempora. 1. Vnum diem profestum; quid in illo per singulas horas facere consueverint, eadem enim erit cæterorum ratio. 2. Similiter unum diem festum. 3. Dies extraordinarios, ut itinerum, nuptiarum, conviviorum &c. ubi peculiares peccandi occasiones occurrere potuerunt: quo peracto (ad id autem longo non est opus tempore) ac quiescent tanquam officio suo bene functi: quin etiam ipsa conscientiæ quies, peracto examine, consecuta testimonium perhibet officii ritè peracti.* Hactenus optimæ Instructionis doctus fabricator.

CONFESSIO PER INTERPRETEM, AUT SCRIPTURAM AN FACIENDA?

CASVS XXI.

Peregrini Galli.

SUMMARIUM.

Casus interpretis correpti contagione. 499.
Nullo casu teneris facere Confessionem, audiente alio præter confessarium. 501.
Nisi fortè tuum crimen jam sit notum alteri. 503.
Consequenter nec teneris confiteri per interpretem. 504.
Nec alius tenetur cum periculo contagionis agere tuum interpretem. 505.
Et quando confiteris, per interpretem, non est opus, ut confessarius tunc adsit, quando interpreti enarras tua peccata. 506.
Casus hanc in rem practicus. 508.
Casus alius Indico-Europæus. 510.
An oblivioso teneatur scribere sua peccata? 513.
Casus extraordinariæ accurationis. 514.
Legens alterius Confessionem peccat mortaliter. 517.
Iudex fori externi nequit procedere ex tali scripturâ. 518.
An peccet, qui tali scripturâ utitur in damnum alterius, etsi non injustum? 519.
An, qui scripsit sua peccata, satisfaciat suæ obligationi, dando confessario legendam chartam ea continentem? 520.
Casus verus hanc in rem. 521.
Quid de illo, & similibus censendum? 522.
Nequit Confessio absenti fieri per scripturam, nec per scripturam dari absolutio. 526.

499 *XYstus homo Gallus rediens sub Annum hujus sæculi 1615. Româ per Tirolim in Galliam, corripiitur morbo lethali simul, & contagioso; ex quo dum decumbit eniponte, accersitur è Collegio Societatis Jesu sacerdos, qui excipiat homologesin ægroti; at, cùm esset hic imperitus linguæ, quam solam callebat infirmus, id est, Gallicæ, accipit secum è domesticis M. Philibertum Nicolai, ortu Bruntrutanum, ut fungeretur officio interpretis pro præparatoriis, seu præambulis ad Confessionem, & etiam pro ipsa Confessione, si laboraret infirmo; cui etiam placuit, animi nævos detegere huic Magistro, non nisi quatuor Minoribus initiato, suggerenti autem fervenier & amanter necessaria ad supremam luctam. Mercedem hujus sacri operis tulit hancà Deo hic interpres, ut contractâ contagione ex halitu animam agentis intra tempus haud longum fuerit evocatus ad percipiendam immarcessibilem gloriam, relicto sui summo desiderio propter lectissimas naturæ, gratiáque dotes.*

Quæritur I. *Virùm ille æger fuerit obliga-*500 *tus ad ejusmodi Confessionem peragendam? 2. An M. Philibertus fuerit obligatus fungi officio interpretis, & singulariter, imminente periculo contagii? 3. An Confessarius debuerit esse tunc præsens, quando æger narrabat interpreti sua peccata?* Ubi expediero has quæstiones, explicabo & illam communem de Confessione per scripturam.

Dico igitur I. *Nullo casu tenetur quis Con-*501 *fessionem de peccatis occultis facere publicam, aut alio audiente, quàm confessario, adeóque nec per interpretem.* Ita docent Cajetanus *Verb. Confessio. Condit. 11.* Victoria *in Summa num. 171.* Henriquez *Lib. 5. cap. 8.* quidquid Silvester, Canus, Petrus Sotus articulum mortis excipiant. Sic loquitur Tannerus *Disp. 6. quæst. 7. num. 26.* rectè probans inde, quòd nusquam colligatur, Christum Dominum tanto cum onere præceptum Confessionis *positivum* imposuisse.

Ego inde confirmo efficaciter, quòd *in Al-*502 *phab. Confessarior. num. 852.* ostendam, esse ob authoritatem probabile, quòd interpres confitentis possit, ad evitandum ingens malum, revelare Confessionem; sicuti ergo non tenemur confiteri confessario peccatum cum probabili periculo revelationis, ita nec interpreti aperire. Vide Cardinalem de Lugo *Disp. 15. Sect. 5.* referentem plures authores pro hac sententia, quam vocat & communem, & probabilissimam, licèt ipse dissentiat ab ea, at consentit Dicastillo *Disput. 7. num. 222.*

Dixi

503 Dixi autem: *de occultis*, quia periclitantem in procella maris, vel in subita peste teneri confiteri etiam coram aliis ea, quæ jam antè sunt manifesta, si omnia secretè manifestare non potest, valde probabile est. Ita rursum Tannerus, quem meritò audies in tali articulo, etiam idcirco, ut hac tuâ humiliatione expies partem pœnæ jam jam luendæ in igne, ad quem mox transibis per aquam.

504 Unde inferes, Xistum nostrum, constitutum in articulo mortis, non fuisse obligatum confiteri per interpretem ullum peccatum, nisi, si quod commisisset coram ipso interprete, vel rescitum ab interprete. *Ergo potuit migrare è vita sinè omni absolutione*? Resp. Non potuit in casu, quo non habuit *moralem* certitudinem; se esse verè contritum. Dicast. *loc. cit. n. 223.* sed debuit fateri se revera esse reum unius, aut plurium peccatorum, quorum, & omnium petat absolutionem.

505 Dico II. Ille Religiosus Societatis nequaquam obligabatur vel *absolutè*, vel *cum periculo contagionis* fungi illo charitatis officio. Non *cum periculo contagionis*, quia nemo tenetur cum periculo gravis mali proximo succurrere in rebus spiritualibus non necessariis ad salutem. S. Thom. *2. 2. quæst. 25. art. 5. ad 3.* & DD. ibidem. Jam autem ostendimus, Confessionem per interpretem haud esse necessariam ad salutem. Nec auderem damnare de mortali, qui etiam extra contagionis periculum negaret id officii, etenim, qui non sunt superiores, aut pastores animarum, non obligantur sub mortali præstare, etiam sine suo incommodo, aliis beneficia spiritualia, non necessaria, sed solùm utilia ad salutem, ut videre est apud Doctores commentantes in citatam quæstionem Doctoris Angelici.

506 Dico III. Opus non erat, ut confessarius esset tunc præsens, quando aperiebat interpreti sua peccata, sed sufficiebat, modò confessarius superveniret, & ipsi præsenti, existentique coram infirmo narraret interpres peccata à se audita ex ore morientis. Ita singulariter, & expressè contra Cardinalem de Lugo docet, optiméque probat, P. Dicast. *cit. Disp.*
507 *9. De Pœnit. dub. 8. num. 810. & 811.* Ratio est, quia sicuti nos *in Alphab. Confessarior. Cas. XIX. num. 599.* cum ipsomet Lugone trademus, confessarium posse absolutionem conferre moribundo, qui signa doloris exhibuit, ipso absente, modò ex assistentibus infirmo intelligat, eum edidisse talia signa; ita etiam de verbis clarè exprimentibus singula peccata dicendum est, cùm hæc sint valde luculenta signa. Unde apparet, quid respondendum ad hunc

Casum Fictum, & quidni Factum?

Vincentius miles lethaliter vulneratus dicit commilitoni: Oro, cures actutum advocari sacerdotem, qui me absolvat; & quia est in mora periculum, pandam tibi omnia peccata. Si supervenerit, dum ero adhuc in vivis, tu ei omnia enarra. Paulò post adest sacerdos. Narrat, quæ audiit, commilito, auditis dicit sacerdos infirmo omnibus adhuc sensibus prædito. Absolvo te ab omnibus peccatis tuis. *Quæritur, an validè?* 508

Resp. *Invalidè* juxta Lugonem, *validè* juxta Dicastillum, & rei veritatem. Ego tamen pro majori securitate monerem interpretem, ut, quoniam infirmus supponitur, esse adhuc loquelæ compos, huic diceret: *Quandoquidem adest sacerdos, vis, ut eirecenseam, quæ mihi manifestâsti?* Respondente infirmo *affirmativè*, existimo, ne quidem Cardinalem de Lugo plus esse exacturum; quandoquidem illa *affirmativa* responsio data coram ipso est *implicitè* repetita narratio omnium criminum; & proinde locum etiam hîc habet Juris peritorum Regula: *Expliciti, & impliciti* eadem est vis, ac ratio. 509

Sed ecce, omnibus his scriptis, dignatus est me convenire quidam Religiosissimi Ordinis Prælatus, ipse Religiosissimus, qui solitus lectitare mea Alphabeta recensuit ex occasione hunc

Casum Indico-Europæum.

Antippe Solodorana, ac proinde Catholica mulier nupsit Zvvingliano cuidam Bernensi, atque successu temporis vixit ritu Zvvingliano, retinens tamen in animo fidem orthodoxam. Deducta in supremum vitæ articulum accersit ad se fœminam Catholicam, familiariter sibi notam, relegit apud ipsam peccata totius vitæ transacta in publica professione hæreseos, cum precibus, & mandato, ut mox excurreret ad vicinum parochum, recenseret audita, impetraret absolutionem Catholicam. Paruit hæc: narravit illa peccata sacerdoti. An rectè? 510

Ita mihi Prælatus ille retulit, & quidem ex ore illiusmet presbyteri, ad quem amandata erat fœmina Catholica; quid autem egerit ipse parochus, ignorare se. Et quidem graviter, *per se loquendo*, deliquit utraque mulier, si voluit (voluisse quis dubitet?) inducere sacerdotem 511

tem ad impertiendam absolutionem absenti, contra apertam declarationem Clementis VIII. de qua *in Alphab. Confessarior. Cas. IV. num. 166.* Ignorantia, optimáque fides *per accidens* exemit à peccato coram Deo utramque, & singulariter moribundam, etiam quatenus se infamabat coram altera muliere, contra doctrinam tradendam *in Alphab. Confessar. Cas. I. num. 20.* Voco autem hunc Casum *Indico-Europæum*, quia memini, me legere similem in historiis Indicis.

512 His adderem resolutionem vulgaris quæstionis, utrùm interpres obligetur lege sigilli Sacramentalis? Sed jam *affirmativè* respondi *in Alphab. Confessar. Cas. XXII. n. 855.*

513 Vulgatæ quæstioni de Confessione per interpretem jungo aliam haud minùs celebrem, utrùm scilicet, qui nequit integre confiteri peccata, nisi ex charta legat, teneatur scribere, & legere? Ac proinde quæri potest, an homini memoriæ multùm labilis necessariò sit aliquatenus imitanda summa solertia, quam exhibet hic

Casus Monasticus.

514 *Xenocrates metuens, ne quid oblivisceretur eorum, quæ ducebat esse operæ pretium cognosci à conscientiæ intimo arbitro, gestabat (more priscorum Anacheretarum) è collo tabellam, in qua stylo notabat omnes propriæs cogitationes, mox ut has ipse deposuerat, notatarum rationem reddebat illi suo cognitori.*

Quæri ergo possunt duo. *Primum*, an, qui memoriæ est adeò fluxæ, ut sit certò in sua Paschali Confessione per oblivionem multa præteriturus, nisi quotidie referat in chartam ea, quibus eo die graviter Divinum Numen offendit, teneatur referre? *Alterum*, an saltem, postquam excussâ diligenter conscientiâ paulò ante Confessionem Paschalem, si aliàs deprehendit tantam farraginem criminum lethalium, ut certò sint è memoria elapsuræ multæ species, multi numeri, nisi itidem annotet in charta, aut membrana, debeat necessariò annotare?

515 Respondeo breviter ad utrumque *negativè*. Ratio *prima* partis, quia hæc diligentia est, & nimis extraordinaria, & exposita nimis manifesto periculo infamationis propriæ. Vide dicta *Cas. 10. Conclus. 5.* Ratio *secundæ* partis est ferè eadem, quia scriptura, *per se loquendo*, præbet seu causam, seu occasionem manifestationis, infamationisque. Tannerus *cit. quæst. 7. num. 27.* post Cajetanum, Sotum, Valentiam, Henriquez, alios; contra Dicastillum *cit. Disp. 7. num. 239.* & alios, singulariter suam sententiam defendentes cum Vasquez *Quæst. 91. art. 4. dub. 5.* pro articulo mortis. Ego con- 516
fiderans, præceptum Confessionis integre faciendæ esse latum non minùs pro agricolis, & Analphabetis, quàm civibus, & literatis, non minùs pro Indis Orientalibus, Occiduisque, quàm pro Europæis cultioribus; agricolarum autem, seu pagos incolentium pars decima, vigesima, in multis mundi provinciis, aut regnis, præsertim Indicis quinquagesima, centesima, milleſima non est, aut superioribus sæculis fuit perita scribendi; sicuti certum est, legem de Confessione per scripturam non extendi ad hoîce prorsus hospites in hac arte, ita nec ad peritos. Equidem, si enumeremus omnia præcepta divina *positiva*, non reperiemus ullum, quòd obliget solùm vigesimam partem mortalium ad aliquod certum medium pro ejus observatione adhibendum; cur fingamus hîc aliquid peculiare?

Quòd si tamen quis, ut fit sæpissime, con- 517
scribat sua peccata in charta, alius legens hanc, peccabit mortaliter esto, in ea contineantur sola peccata venialia, ut noto contra Laymannum *in Alphab. Confessar. Cas. XXII. num. 286.* esto insuper, illam chartam laceraverit in multas partes pœnitens, ac projecerit foras, túque collegeris, & combinaveris fragmenta, & combinata legeris. In *eodem Alphab. n. 858.*

Item si judex devenit *mediatè*, vel *immedia-* 518
tè per hanc scripturam in notitiam alicujus flagitii, víque ejusdem extorsit à reo Confessionem, & propterea tulit in eum sententiam mortis, aut mulctationis pecuniariæ, tenebitur rescindere sententiam, ubi cognoverit, totum processum fuisse fundatum in lectione talis chartæ. Diana *Part. 5. Tract. 11. Resol. 27.* post Fagundez, quibus adde Laymannum *cit. Tract. 6. cap. 14. num. 9.*

Adde quoque, quòd, licèt *in cit. Alphab.* 519
Confessar. Cas. XXVIII. num. 886. negaverimus, illos, qui præter confessarium venerunt in notitiam peccati confessi, generatim æquè peccare utendo illâ notitiâ absque ulla revelatione secreti, ac peccat confessarius, attamen vix à mortali excusandum (si tamen excusandum) videri, qui notitiâ haustâ ex illicita lectione talis schedæ utitur in pœnitentis damnum, esto non injustum ex se, ut, si ex ea cognoscas, illum pœnitentem esse valde alieno à te animo, non præstes ei Beneficium, quod cæteroqui præstiturus eras. Nihilominus tamen excusarent omnes, qui in eodem Casu relati à nobis faciunt ipsimet confessario potestatem utendi notitiâ extra casus injustitiæ.

Porrò occasione hujus de scriptura argu- 520
menti expedienda est hîc illa quæstio, utrùm Confessio fieri debeat voce, an sufficiat peragere scripto? tradendo videlicet sacerdoti legenda omnia peccata, ac dicendo generatim; *confiteor omnia, quæ hîc scripta sunt*? Respondeo

deo verò ad hanc quæstionem, licèt Confessio, seu sui accusatio Sacramentalis facienda sit communiter voce articulatâ, quando id fieri potest, ut docet communis Ecclesiæ praxis, ac proinde videri queat esse communiter illicitus ille, quem induximus, consitendi modus, inprimis tamen is ipse modus articulatâ voce utendi nec est de essentia, ut patet in muto, nec ita necessarius, quin valeat defendi hic

Casus Constantiensis.

521 X *Averiades juvenis universæ vitæ peccata omnia post exactissimum examen retulit in chartam, hánque confessario legendam exhibuit, ut, si quæ non essent satis explicata, aut forent necessariò monenda, confessarius tantò certiùs posset promovere defectûs suppletionem. Legit confessarius, atque redeunti ad se Xaveriadi, quærentique, an omnia essent ritè scripta? Respondit ille:* Omnino. Ac si ita vis, flecte genua; dic cum dolore, te jam confiteri mihi illa omnia, peteréque eorum absolutionem, mox impertiar. *Noluit hac indulgentiâ uti Xaveriades, sed quia jam peregerat cætera necessaria, recitavit è sua charta, quidquid in eam retulerat. Quæritur, an illa indulgentia confessarii non excesserit limites præscriptos?*

522 Quæ scribo, habeo ex ore ipsiusmet Xaveriadis, qui & nominavit confessarium, videlicet P. Melchiorem Deggenhart, primum, eúmque laudatissimum Rectorem hujus Collegii Constantiensis; quem, quia scio fuisse virum insignis probitatis, ac prudentiæ; ei quippe convixi Anno integro, nec dubito, quin etiam hîc prudenter & consentaneè piæ, veræ Theologiæ egerit.

523 Ratio est *primò*, quia Lugo *Disp. 15. Sect. 5. n. 80.* rectè probat contra Vasquez, non extare ullam obligationem confitendi voce, & distinctè, seu sigillatim omnia peccata, sed, *per se loquendo*, sufficere, si tradantur legenda sacerdoti, & post lectionem dicatur: *Accuso me de omnibus, quæ hîc scripta leguntur*, sicuti, quando, heri factâ apud me sacrilegâ Confessione, tactus hodie dolore ad me redis, satisfacis dicendo: *Me rursùm accuso de omnibus heri tibi confessis, & præterea de isto, quòd malitiosè omisi.* 524 Ratio est *secundò*, quia Suarez *Disp. 21. Sect. 3.* Vasquez *Quæst. 91. art. 4. dub. 4. num. 7.* & alii fatentur, saltem ejusmodi Confessionem sufficeram, quando pœnitens sentiret magnam difficultatem ex verecundia, si omnia deberet nominare. Quid si igitur Pater Deggenhart, ut erat vir sagax, & tamen valde rectus corde, notavit ejusmodi verecundiam? Ergo processit vel ex sententia, quam retulimus ex Lugone; vel ex ea, quam ex Suarez, & Vasquez, à nemine, ut existimo, negatâ.

At quia idem Lugo *num. 86.* testatur, esse 525 communem sensum Doctorum, quòd sub gravi obligatione teneamur uti saltem illis generalibus verbis: *Me accuso de omnibus hîc scriptis, & lectis.* Nisi impediat impossibilitas aut *physica*, aut *moralis*, qualis quidem *moralis* vix fingi potest, idcirco rectè exegit P. Deggenhart illam locutionem generalem. Ex cujus locutionis sufficientia inferes cum Cardinale de Lugo *num. 80.* me satisfacere meo officio, si tibi, qui vidisti me heri patrantem sex grandia peccata, confitear hodie præcisè dicendo: *Confiteor tibi illa sex peccata, quæ heri vidisti à me commissa; præter illa verò adhuc commisi hoc, vel illud.*

Hisce de scriptura adde, esse à Clemente 526 VIII. damnatam sententiam existimantium, Confessionem posse per scripturam fieri absenti, aut ab absente sacerdote mitti in literis absolutionem.

CONFESSIONIS RELIQUÆ CONDITIONES EDISSERUNTUR.

CASUS XXII.

Imperfectè confitentis.

SUMMARIUM.

Casus committentis multas imperfectiones in Confessione. 527.
Recensentur genericè *conditiones Confessionis. 528.*
Superfluitas damnatur in ea. 530.
Sicut & à Joanne Sanchez recitatio Confessionis generalis. 531.
At laudatur præcisè dicens: Per signum crucis; *& præcisè subdens*: Peccavi, 532.
Damnatur ab eodem dicens: Accusò me de omnibus eo modo, quo Deus me scit commisisse. 534.
Confitens ex vana gloria qui peccet? 535.
Et mentiens in Confessione. 537.
Ac proinde se accusans de mortali; quod non patravit. 540.
Aut accusans se de uno solo, eóque confecto veniali. 541.
Secùs, si huic addat aliquod verè commissum. 542.
Quomodo Confessio debeat esse nuda? 547.
Quatenus pœnitens teneatur parere confessario? 556.

Judicium de Confessione. numero 557. descriptâ. n. 588.

527 Y *Sonita confitetur: 1. Habeo pessimam uxorem, quæ me propè quotidie ad blasphemias incitat. 2. Bis crapulam bibi. 3. Semel non rectè jejunavi. 4. Quater fui minùs honorificè locutus de alio. 5. Loquor quandoque crassa verba cum exigua ædificatione domesticorum. 6. Semel impudicè me gessi cum aliena uxore. 7. Occidi aliquos non gladio (quod Deus avertat! nec mihi unquam in animum venit) sed linguâ. 8. Aspexi bis aliquod objectum minùs honestum. 9. Confessario tussiente, dixi unum, vel alterum peccatum, quod ipse non intellexit. De his, & omnibus peccatis corde, ore, aut opere contra Dei, aut Ecclesiæ præcepta, scienter, vel ignoranter, sive post ultimam Confessionem, sive per totam vitam commissis doleo, me accusans de iis, prout Deus me novit, petóque absolutionem, & salutarem pœnitentiam. Quæritur.* Quid pronuntiandum de hac Ysonis Confessione?

528 Resp. Esse valde imperfectam, quia peccat contra plures conditiones perfectæ Confessionis. Etenim Summistæ post S. Thomam *in 4. dist. 18. q. 4.* consueverunt conditiones ad legitimam simul & exactam Confessionem requisitas comprehendere sequentibus hexametris:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis:
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda;
Integra, secreta, lachrimabilis, accelerata;
Fortis, & accusans, & sit parère parata.

529 *Duas* omnino præcipuas jam explicavimus superioribus Casibus, seu capitibus, *alteram*, quæ est integritas, *alteram* indicatam adjectivo *Lachrymabilis*, adeóque dolorem, seu contritionem, aliarum etiam quasdam indicavimus superiùs; nunc singulas percurremus, indicando etiam locos, quibus jam sunt nonnullæ satis, vel utcunque explicatæ; ac supponendo, aliquas ex conditionibus descriptis esse de *necessitate* Confessionis, quasdam *de bene esse* ipsius, ut loquitur S. Thom. *loc. cit. ad 4.*

530 Itaque Confessio tunc dicitur *simplex*, dum est talis, ut omnia superflua omittantur. Joannes Sanchez *in Select. Disp. 1. num. 4. & seqq.* fusè urgens hanc explicationem, eámque roborans multiplici authoritate. Certè S. Thom. *loc. cit. ad 4.* sic loquitur: *Confessio dicitur simplex, ut non recitet in Confessione, nisi quod ad quantitatem peccati pertinet.* Et Suarez *Disp. 12. Sect. 10. n. 1.* sic loquitur: *Generaliter verum est, omnia illa, quæ materia Confessionis non sunt, nec ad finem ejus quidquam conferunt, esse à Confessione resecanda.* Vult quoque Possevinus *de officio curati Cap. 7.* ut Religiosi, soliti facere longas Confessiones, non permittantur narrare, nisi graviora venialia.

Insuper ipse Joannes Sanchez *loc. cit. n. 24.* 531 non probat morem illorum, qui præmittunt Confessionem generalem, seu totum *Confiteor*, secùs, si dicant: *Confiteor DEO, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere.* Hanc ego rationem valde probo, & cuperem, ut juniores Religiosi assuefierent illi, atque uterentur saltem tunc, cùm solent octo. 10. &c. deinceps confiteri.

Quin conatur Joannes Sanchez *loc. cit.* per- 532 suadere, ut signando te signo crucis præcisè dicas: *Per signum Crucis.* Et mox subdas illud solum verbum: *Peccavi.* Tum subjicias narrationem peccatorum, nisi fortè videatur ex peculiari causa præmittendum tempus ab ultima Confessione; censétque, vim remittendi venialia, quam S. Thomas, & alii adscribunt Confessioni generali, totam consistere in illo verbo: *Peccavi.* Notat etiam, singulariter corri- 533 gendos, qui dicunt e. g. *peccavi unâ hebdomade carnaliter cum tribus solutis, cum singulis semel, alterâ hebdomade cum duabus, sed tertiâ cum singulis*, quandoquidem oporteret solùm dicere: *Fornicatus sum octies.* Denique *n. 25* im- 534 probat illos, qui, postquam explicaverunt sua peccata eo modo, quo putabant, esse commissa à se, subdunt. *Accuso me de omnibus eo modo, quo scit Deus, me commisisse.* Nam Confessio non est facienda secundùm id, quod Deus cognoscit, sed juxta id, quod peccator. Ita ille.

Humilis erit Confessio, si fiat in spiritu 535 contrito, & humiliato. Sicut & *Pura*, quando non ex intentione vanæ gloriæ, alteriúsve pravi finis; qui, si sit solùm venialiter malus, non efficit Confessionem mortaliter malam. Dicastillo *Disp. 8. n. 81.* cum communi contra Silvestrum, & alios paucos, at si sit mortaliter malus, e. g. ad seducendum confessarium, reddit Confessionem irritam; fit autem longè rarissimè, ut præfigatur tam detestandus finis.

Qui confitetur præcisè, ne incurrat pœnam 536 statutam in non confitentes, interim non excludens *positivè* finem principalem Confessionis, tunc solùm peccat, ut sic, mortaliter, quando lex imperans Confessionem obligat sub mortali, sicut obligat *Ecclesiastica* ad annuam omnes Christi fideles ratione utentes, & Clementina Nigros Monachos ad menstruam, juxta nonnullos relatos *Cas. XIII.*

Nomine *Fidelis* Confessionis intelliguntur om- 537 nes illam, quæ est expers omnis mendacii. Quia verò Suarez *Disp. 22. Sect. 10.* Lugo *Disp. 16. Sect 2. §. 6.* Dicastillo *Disp 8 dub. 3.* atque alii nonnulli copiosè disserunt de mendaciis in Confessione dictis, tanquam de re permultùm referente ad mores, idcirco repræsento se-

quentibus §§. summam eorum, quæ ipsi tradidêre.

538 I. Itaque mortaliter peccat, *generatim loquendo*, qui mentitur circa rem spectantem ad substantiam Sacramenti Pœnitentiæ; venialiter verò, qui mentitur circa rem nullo modo spectantem ad substantiam Confessionis. Censetur autem tunc semper, & solùm committi mendacium circa rem spectantem ad substantiam, quando illud mendacium aut efficit, ut Sacramentum sit irritum, aut per illud graviter decipitur confessarius, redditúrve absolutio falsa in re gravi.

539 II. Proinde, *generatim loquendo*, mentiris tunc mortaliter, cùm *implicitè*, vel *explicitè* negas peccatum mortale, quod hîc, & nunc tenereris confiteri; at solùm venialiter, quando negas veniale, aut mortale, cujus aperiendi hîc, & nunc obligatio tibi non incumbit.

540 III. Delinquis quoque mortaliter accusans te de mortali, quod tamen non petrâsti. Suarez, Lugo, Dicastillo post Navarrum, Coninck, Reginaldum, alios adversùs Silvestrum, & alios. Ratio est, quia judicium confessarii variatur per illam additionem in re gravi, ut apparet in illo, qui absque debito examine auget contra veritatem notabiliter numerum mortalium. Censétque Cardinalis de Lugo *Disp. 14. Sect. 8. n. 125.* Dicastillo *eit. Disp. 8. n. 57.* hanc responsionem esse veram: etiamsi talis addat, se jam esse confessum illud mortale. Nam hoc addendo addit mendacium mendacio, decipit in re gravi confessarium, redditque formulam absolutionis in re gravi falsam.

541 IV. Tunc quoque mendacium est lethale, quando tota Confessio constat, vel meris venialibus confictis, vel uno solo veniali, eóque conficto, nam formula absolutionis redditur tunc integre falsa; sicut & redditur, quando cum illo falso veniali confiteris, quæ aut coram Deo non sunt peccata, quia e.g. commissa sine ulla deliberatione, aut ex causa tollente omnem malitiam, aut sunt quidem verè peccata, sed de illis vel non doles, vel non habes ullum propositum emendandi.

542 V. At verò standum est communissimâ opinione citatorum autorum contra Cajetanum, Armillam, alios apud Suarez *loc. cit. n. 6.* negantium mortalitatem culpæ, quando quis affingit sibi veniale, modò antè, vel pòst exhibeat aliam materiam sufficientem pro absolutione. Ratio est, quia tunc nihil planè agitur contra substantiam Confessionis, ut patet ex allata explicatione *n. 538.* Unde à fortiori infertur, in allato casu non peccari mortaliter, etsi vel unum, aut plura venialia narrentur sine ullo prorsus dolore, vel confessario interroganti, utrùm hoc, aut illud veniale admiseris, *absolute* negas. Imò nec venialiter delinques, si neges nō absolutè, sed *cū apta æquivocatione*, ut notant Suar Lugo, Dicast. meritò supponentes, esse quàdoque fas etiam hîc uti æquivocatione, ut etiam deducesex *Alphabeti Quadruplicis Part. 3. Cas. XVIII. n. 601. & seqq.* ubi fusè de usu æquivocationum.

543 VI. Ad præsentem materiam refer, quod ex Lugone, & pluribus *Cas. XV. n. 379* retuli contra Joannem Sanchez, multas peccatorum mortalium circumstantias posse taceri à pœnitente, quando non interrogatur à confessario, at quando interrogatur, peccari mortaliter negando.

544 VII Mendacium, quod committitur adversùs substantiam Sacramenti, continet semper duplicem malitiam, scilicet mortalem oppositam virtuti Religionis, adeóque sacrilegii furfure contaminatam: alteram adversùs veracitatem, & quandoque adversùs legem d infamando indebitè, quæ utrùm, ut sic, sit etiam mortalis, non est opus discutere. Vide Dicastillum *n. 53.* Item venialem malitiam sacrilegii continet falsa accusatio de veniali juxta dicta *n. 542.* sicut & fortè falsa negatio delicti venialis. At quando mentiris nullo modo in ordine ad Confessionem, sed solùm in ipso confessionali ante, aut post absolutionem, circumstantia confessionalis, vel Confessionis non affricat suo mendacio pravitatem ullam sacrilegii; certè non affricat mortalem. Lugo §. 6. asserens, hoc esse certum.

545 *Frequentiæ* Confessionis, de qua alter versus ex descriptis *n. 528.* satisfacies confitendo iis temporibus, quibus imperat lex *Divina*, *Ecclesiastica*, *Votiva*, aut *Regularis* juxta explicationes allatas suprà *Cas. X. XI. XII. XIII.*

546 *Nuda est Confessio, quando non est velata verborum obscuritate, sed ita clara, ut confessor patenter intelligat peccati speciem, & gravitatem; quamvis hic discretione opus sit, ut in peccatis lasciviæ verba sint rara, & pudica, & sobria, & honesta, quantum est possibile, ita tamen, quòd factum clarè intelligatur, ne sacerdos tangatur motu sensualitatis.* Hæc omnia descripsi ex Silvestro *Verb. Confessio. q. 1.* nullo sapiente dubitante, quin turpissimè se ipsos decipiant, qui omnia quidem necessaria dicunt, sed vel tam submissâ voce, vel tam obscuris, fucatísque verbis, vel sacerdote ita tussiente, ut non possit percipere omnia substantialia. Sed nec illi satis nudè confitentur, qui, cùm alios scandalizârint loquendo, irascendo, &c. dicunt, se hæc fecisse cum exigua ædificatione proximi; aut, cùm pensum canonicum recitârunt distractè, ajunt, se cum exigua devotione recitâsse.

547 *Discretio* servatur, quando & quæritur confessarius aptus, aut majora peccata majori pudore dicuntur, teste Silvestro, aut à cogitationibus ad opera fit progressus, aut majora è venialibus dicuntur potiùs, quàm minora.

548 *Libenter* confitetur, qui non invitus, qui non metu solius pœnæ, de quo suprà *n. 67.* Sicut, & ille *verecundè*, qui coram Deo erubescit, & Religiosi tunc singulariter meritò erubescunt, quando unum, idémque veniale sine ulla, aut vix ulla emendatione identidem confitentur.

In-

551 *Integritatis* requisitæ conditiones abundè explicavi *Cas. XIV. & seqq.*

552 *Secreta* debet esse, *per se loquendo*, Confessio, quia non licet absque rationabili causa se se infamare. Item ita secreta, ut nullo in casu obliget Confessionis præceptum ad faciendam publicam (id est, audiente aliquo alio præter confessarium) Confessionem peccati non antea noti. Patet ex iis, quæ de Confessione per interpretem dixi *Cas. præced.*

553 *Lachrimæ* sunt sæpe dispositio, sæpe effectus contritionis, intensíque doloris; at sine piaculo possunt omitti, etiam quando patrata sunt gravissima crimina.

554 *Acceleras* Confessionem, quando statim post gravem lapsum recurris ad medicum spiritualem; ad id tamen te non teneri sub gravi præcepto, etsi fortè differendo sis obligurus illud peccatum, probavi *Cas. X. n. 261.* Interim expedit sæpe meminisse sanctum Thomam Aquinatem (ut alibi quoque refero) solitum dicere, se non posse capere, qui fieri queat, ut quis reus noxæ lethalis, nec per Confessionem, nec per contritionem deletæ, possit capere quietum somnum.

555 *Fortis* Confessio dicitur tunc, quando superatur terror, aut pudor revocans à manifestatione debita: *Accusans* verò, quando te, non alterum accusas, rejiciendo culpam in eum; quamvis utique non sit per se malum, si precibus, aut minis inductus peccâsti atque in Confessione dicas, te ab alio inductum, tacendo nomen hujus.

556 Denique ille pœnitens ritè dicetur *paratus parêre*, qui acquiescet vel declarationi, vel mandato confessarii, justis de causis. Et verò *in Alphab. Confessarior. Cas. ult.* probo, pœnitentem obligari ad suscipiendam pœnitentiam injunctam à confessario. Item ratio naturalis dictat, esse ei parendum, quando declarat pœnitenti hanc, aut illam minimè controversam obligationem restitutionis, solutionis, culpæ condonationis, fugiendæ occasionis, &c. Quando autem illa obligatio est controversa, negantibus videlicet probabiliter aliquibus, eam adesse, haud tenetur pœnitens sequi declarationem confessarii, cùm potiùs confessarius teneatur accommodare se opinioni probabili pœnitentis, ut probabo *in eodem Alphab. Confessarior. Cas. IV. n. 178.* Excipe: nisi confessarius injungat pro pœnitentia æqua, & justa objectum illius declarationis.

557 Ex his omnibus apparet, esse verum, quod superiùs retuli ex S. Thoma, scilicet aliquas ex enumeratis conditionibus esse *de necessitate Confessionis*, alias *de bene esse ipsius.*

558 Apparet quoque, quid censendum de Confessione Ysonis, descripta *n. 527.* Pronuntiandum quippe est, fuisse multis modis vitiosam, defectuosam. Etenim 1. Cœpit Yson ab accusatione uxoris. 2. Usus fuit voce apud plurimos valde æquivocâ; plurimi enim nomine *blasphemiæ* intelligunt imprecationes, & gravia juramenta. 3. Nec expressit ullum numerū illarum blasphemiarum. 4. Nomen *crapulæ* multis significat plenam ebrietatem, multis semiplenam. 5. Quid, oro, est *non rectè jejunare*? 6. Minùs honorificè loqui, loqui cum exigua ædificatione; aspicere objectum minùs honestum, non est *nudè* confiteri; tolerandum tamen id est in timoratis conscientiis. At in perversis haudquaquam, quia nescis, utrùm per hæc verba intelligant gravem detractionem, grave scandalum, rem valde turpem. 7. Impudicè se gerit, tum qui turpiter tangit, tum qui fornicatur, ergo nequit confessarius esse contentus hac accusatione. 8. Ille occisor addit superflua. 9. Exprimenda erant illa duo peccata, quæ, tussiente confessario, erant narrata; imò tota illa Confessio erat reperenda, si Yson notavit vitium, & non emendavit mox. 10. Joannes Sanchez locis suprà relatis oppessulâsset os illi Ysoni, paranti suam Confessionem claudere tam prolixo, superfluo epilogo.

Denique apparet, illum, *per se loquendo*, non delinquere, qui solet alteri è suis confessariis aperire solùm venialia, alterum autem accedit pro mortalibus; talis enim non agit contra ullam ex productis conditionibus, nisi aucupetur bonam æstimationem apud priorem.

CONFESSIO QUANDO ITERANDA.

CASUS XXIII.

Vulgaris.

SUMMARIUM.

Casus rudis hominis soliti confiteri rudi parocho. 562.

Non est obligandus pœnitens ad iterandam Confessionem, nisi constet evidenter de obligatione. 563.

Repetitio quorundam alibi indicatorum. 564. & seqq.

An repetenda tota Confessio, in qua intercessit mortalis negligentia? 568.

Aut, quando confessarius non est memor ullius peccati auditi? 570.

Quomodo te geres, excipiendo generalem Confessionem illius, qui est tibi ordinariè confessus, sed sacrilegè? 571.

Quomodo pœnitens confessus substantiam peccati, at oblitus circumstantiæ? 573.

Judicium de iteratione Confessionis, n. 562. propositæ. 576.

562 *Zosimus homo rudissimi, crassissimi ingenii, Parochianus sacerdotis etiam perquam rudis, & segnis, bis in Anno peregit suas Confessiones apud hunc suum parochum decennio integro, atque ab hoc absolutus, licèt vix unquam ullum certum, aut vero similem numerum peccatorum mortalium exprimeret; demum cùm in ejus pagum delatus quidam Religiosus exciperet publicè festis Natalitiis Confessiones, accedit & Zosimus; confitetur more suo, id est sine numero ullo; quare increpitus ab illo Religioso, dicit, se semper ita fuisse confessum, nec à parocho reprehensum; jubet ergo Religiosus, ut repetat Confessiones decennii proximè elapsi. Quæritur:* An jure? Et universim quibus sit repetenda Confessio?

563 Repeto pro fundamento dicendorum sententiam è Filliucio *Tract. 7. n. 151.* & *154.* à me alibi relatam his verbis: *Non sunt obligandi fideles ad iterandas Confessiones, ubi non constat evidenter de obligatione.* Atqui non constat *evidenter*, id est, certò, de obligatione, quando aut verè dubium est, an adsit talis obliga-
564 tio, aut verè probabile est, non adesse. At tunc constat certò, quando certò constat, interceſſisse in priore, aut prioribus Confessionibus defectum *substantialem*; vel omnibus omninò consideratis, dubium remanet, an intercesserit talis defectus, juxta dicta suprà *Cas. XVIII. n. 430.* Qui quidem defectus quandoque provenit ex vitio pœnitentis, quandoque ex confessarii; modos & rationes indicabo *in Alphab. Confessar. n. 276. 277. 278.*

565 Nominatim dicam, non esse te adigendum ad repetendam Confessionem, quando es confessus peccatum à parte quidem rei mortale, at habitum à te, vel confessario pro solùm veniali *n. 285.* vel à confessario pro non facto, cùm sit verè patratum *n. 280.* vel quando confessarius fuit rudissimus *n. 281.*

566 Dicam & quoque *n. 293. & seqq.* an repetenda, quando confessarius aut non interrogavit numerum, vel speciem; aut quando non docuit necessariò docenda; aut dedit *invalidè* absolutionem. Item quando Confessio est facta confessario, aut non habenti potestatem in sua omnia peccata *n. 384.* aut non bene intelligenti Idioma pœnitentis *n. 479. & seqq.* aut dormitanti *n. 489.* aut facta à dubitante, an sit mortale, non confiteri omnia mortalia *n. 277.* aut ab excommunicato, qui fuit absolutus à peccatis, priusquam à censura *num. 168.* Rursum quomodo corrigendus defectus absolutionis penitus omissæ *n. 286.* & quando ante decennium cœpisti sacrilegè silere aliquod crimen, an repetendæ omnes Confessiones peractæ illo decennio. *n. 155. n. 260. & seqq.*

His & quibusdam aliis *in citato Tract.* seu *Alphabeto* quà sufficienter indicatis, quà etiam explicatis, probatisque addo pro praxi sequentia. 567

I. Tametsi rectè asserunt Medina, Suarez, 568
Vasquez, alii cum, & apud Dicastillum *Disp. 9. dub. 13. n. 466.* esse repetendam Confessionem, in qua omissum est ex mortaliter mala negligentia vel ignorantia aliquod peccatum mortale; est quippe valde difficile capere, quomodo possit Sacramenti hujus valor, seu essentia consistere cum peccato *formaliter* mortali; quia tamen contraria opinio Cajetani, Soti, Victoriæ apud Dicastillum *l. c.* & plerorumque Thomistarum, ut testatur Diana *Part. 2 Tract. 3. miscel. Res. 31.* eos sequens, ac defendens, nequit adhuc vocari improbabilis, ideo non immeritò dixi *in Alph. Confess. n. 278.* non esse facilè quemquam adigendum ad repetendam Confessionem ob culpam negligentiæ admissam in excutienda conscientia.

II. Non est ullo modo probanda praxis 569
nonnullorum injungentium necessitatem repetitionis, quando pœnitens non implevit pœnitentiam, aut per oblivionem, aut per socordiam; fuit quippe nihilominus *valida* Confessio præcedens, nec potuit irritari per subsequentem defectum culpabilem, Lugo *Disp. 16. Sect. 15. n. 660.*

III. Nec repeti debet, quando confessa- 570
rius planè immemor peccatorum auditorum, aut statûs pœnitentis absolvit jam impositâ, aut non impositâ pœnitentiâ; nihilominus enim fuit *valida* talis absolutio. Suarez *Disput. 23. Sect. 6.* Coninck *Disp. 12. dub. 7.* Bonacina *Disp. 5. q. 5. Sect. 2. p. 7. n. 15.* Lugo *l. c. n. 628.* Si tamen nondum imposuit pœnitentiam, tunc, ut *licitè* imponat, debet esse memor saltem statûs pœnitentis, alioquin imponeret imprudenter.

IV. Quando tuus ordinarius pœnitens o- 571
misit sacrilegè per tres, quatuor, aut plures Annos aliquod peccatum mortale, denique autem tactus divinitus aperit tibi ulcus, nequaquam opus est ut repetat omnes Confessiones peractas toto illo quadriennio, seu, ut clariùs loquar, distinctè explicet species, & numeros omnium peccatorum patratorum illo quadriennio, sed solùm inprimis illorum, quæ fortè alteri confessario interea aperuit; deinde illorum, quæ detexit cum *formali* sacrilegio; id est, advertens, à se omitti non omittenda. Si enim unus, vel duo Anni ex illo quadriennio fluxerunt, quibus sæpe accessit Confessionem, sed prorsus immemor præteriti sacrilegi silentii, non erit necesse, quidquam dicere, aut de peccatis illo biennio Confessis, aut de numero Confessionum; Communionúmve. Quantum verò ad tempus, quo dura- 572
vit sacrilegium silentium, satis erit in primis exprimere peccatum *sacrilegè* omissum, deinde *in genere* serurium accusare de omnibus antea detectis illi eidem confessario, speciatim autem de iis, quæ fortè idem pœnitens alteri est interea cum pravo silentio fassus; denique de numero Confessionum Communionúmque obitarum *sacrilegè*; qui numerus communiter exprimitur sufficienter dicendo; *solitus sum illo biennio circiter bis in mense: ferè singulis mensibus confiteri, & communicare.*

573 V. Quando es confessus aliquod peccatum mortale vestitum circumstantiâ mutante speciem, quam tamen omisisti per oblivionem, aut culpabilem negligentiam, in discutienda conscientia, est, & non est opus, ubi proximè confiteberis, exprimere unà *cum circumstantia* actum *principalem*. Suar. *Disp. 22. Sect. 2.* quia nimirum quandoque fieri potest, ut in secunda Confessione manifestetur integre malitia circumstantiæ, quandoque autem, ut non fa-
574 tis explicari queat. Declaro: Si obstrictus voto non edendi carnes toto tempore Adventûs, comedas aliquo die veneris, exprimásque in Confessione duntaxat, te die vetito edisse carnes, nihil per oblivionem dicens de voto tuo, satisfacies Legi de Confessione, si dicas in proxima Confessione, *Transgressus sum semel votum graviter obligans*; at si patrâsti adulterium, confessus duntaxat, te cum aliqua esse fornicatum, necessariò te facies in proxima Confessione rursum reum adulterii, quia scilicet injustitia, quam admisisti utendo uxore alienâ, revera nequit intelligi in sua specie sine nominatione adulterii, seu copulæ cum aliena, quandoquidem injustitia est genus continens infra se multas species, quia verò transgressio cujusque voti est ubique ejusdem speciei, ideo cùm dicis, te esse transgressum votum obligans ad mortale, dicis *specificam* malitiam circumstantiæ, vestientis esum carnium usurpatarum die vetito.

575 Porrò quandonam specifica ratio *circumstantiæ* possit, aut non possit sufficienter exprimi, non expresso actu, cui ipsa *per accidens* adjungitur, nequit certâ Regulâ definiri. At bene potest ex allata doctrina inferri, haud delinquere, qui in ea Confessione exprimit seorsim *principalem* actum malum, & seorsim *circumstantiam* sufficienter intelligibilem ex se, ut si in primo exemplo dicas: Edi carnes feriâ sextâ semel: Juravi bis: prævaricatus sum aliquod votum obligans sub mortali. Vide plura hac de re apud Cardinalem de Lugo *Disp. 16. Sect. 16.*

Denique ex dictis palàm est, Zosimum, *per* 576
se loquendo, fuisse obligatum repetere omnia mortalia admissa toto decennio, exceptis pauculis; quorum numerum expressisse narratur; quia tamen dicitur fuisse rudissimi ingenii, potuit ipsi singulariter patrocinari doctrina, quam Laymannus meritò à capite ad calcem legendus, relegendúsque à parochis, præsertim Teutonibus, expressit *Lib. 5. Tract. 6. cap. 9. n. 4.* his verbis: *Interdum, si appareat magna hominis ruditas, confessarius contentus esse potest enarratione peccatorum à proxima Confessione commissorum, præcedentium autem rudi aliquà cognitione, præsertim, si aliorum præsentium copia adsit. Quandoquidem rudis ille propter obligationis ignorantiam non crassam capax est absolutionis, ut pono; ad perfectiorem autem dispositionem hùc, & nunc facilè adduci non potest, ut ponimus.* Ita P 577
Paulus Laymannus, loquens de rustico solito sine numero confiteri apud parochum, & meritò supponens, quòd, *per se loquendo*, debuerit Zosimus examinari distinctiùs, si spes fuit explicandi quid distinctiùs, juxta dicenda *in Alphab. Confessar. Cas. IX. n. 436. & seqq.*

Atque hæc sufficere visa mihi sunt ad expli- 578
cationem eorum, quæ necessaria judicantur ad officium, obligationémque pœnitentis, & confitentis, ipsámque rationem, & conditiones Confessionis Sacramentalis; obligationes, officiáque confessarii proponemus *Alphabeto*, seu *Tractatu sequente*; quod Alphabetum quia conscripsi non solùm ante præsens, sed etiam absque animo subjungendi istud, mirum non est, quòd illi inseruerim sat multas quæstiones, quæ magis convenissent præsenti, seu huic sexto.

TRACTATVS SEPTIMVS,

SEU

ALPHABETUM CONFESSARIORVM.

QUO

XXIII. Præcipuis Cardinalibus Casibus,

Atque aliis multis *FACTIS*, non *FICTIS*,

Edisserunt Officia Confessarii.

DISPOSITIO TRACTATUS.

Explicabo 1. *Quid sit Confessarius; & quæ generatim ejus munia?* 2. *Quomodo debeat esse approbatus?* 3. *Quomodo jurisdictione præditus?* 4. *Quid ei observandum circa formam substantialem, accidentalémque Confessionis?* 5. *Quibus præcipuè modis errare soleant confessarii, dum vacant excipiendis Confessionibus?* 6. *Quomodo emendare debeant commissos errores?* 7. *Qua prudentiâ, industriâque iis utendum?* 8. *Quæ circa Casus reservatos iis scienda?* 9. *Quæ singulariter notanda in excipiendo Confessiones rustici?* 10. *Quæ in pueri?* 11. *Quæ in fatui, surdi, & muti?* 12. *Quæ in utentis linguâ ignotâ?* 13. *Quid si ipse confessarius dormitavit in confessionali?* 14. *Quid si obtigit ipsi homo scrupulosus?* 15. *Quid si confitens solas imperfectiones?* 16. *Quid si identidem recidens in idem peccatum?* 17. *Quid si deditus obscœnitatibus?* 18. *Quid si inquinatus variis delictis?* 19. *Quid si moribundus?* 20. *Quid si Religiosus?* 21. *Quænam observabit circa pœnitentiæ injunctionem?* 22. *Quænam circa sigilli obligationem?* 23. *Quænam circa usum sigilli?*

QUID SIT CONFESSARIUS? ET AD QUID OBLIGATUS?

CASUS I.

Mirificorum Confessariorum.

SVMMARIVM.

Casus militum confitentium aliis militibus, pusillúmque terræ porrigentium pro Communione. num 1.

Quid sit confessarius? 3.

Confessionis Sacramentalis *definitiones toto cœlo secundùm verba differentes. 5.*

Debet necessariò statui duplex definitio Sacramentalis. 11.

Qui censeantur confiteri cum intentione absolutionis? 12. & 13.

Quid sit subjicere clavibus hanc, aut illam actionem? 15.

Potestas clavium est duplex. Ibid.

Nullum extat præceptum, quo quis non habens copiam confessarii teneatur aperire alteri sua peccata. 18.

Non est per se *licitum, confiteri non sacerdoti. 19.*

Indicantur tria munia confessarii. 22.

Graviter peccat confessarius, non cogitans de remediis emendationis. 23.

Describitur pulchra sententia S. Chrysostomi. 24.

Quomodo confessarius fungatur officio Iudicis? 25.

Quomodo teneatur audire Confessiones? 26. & 27.

Et quidem cum periculo mortis? 28.

Declaratur casu patetico. 29.

Quid si parochianus velit, nullo obligante præcepto, confiteri? 32.

Casu continui prodigii declaratur obligatio confitendi in articulo mortis. 35. & seqq.

Item in alio. 39.

1 *Angliæ Rex Henricus Anno Christi 1415. ingressus cum exercitu Galliam, captis aliquot locis, Gallisque prælio victis, at non multò post ab iisdem undique cinctus pollicetur se si cum exercitu incolumi dimittatur, restituturum loca, quæ de iis cœperat. Negantibus Gallicis* (refero verba, quæ ex Ænea Sylvio describit Nauclerus *in sua Chronologia Generat. 48. ad An. Salvatoris 1415. fol.* mihi 1050.) *noctu* (*ita enim impetraverat induciis*) *vocatis ducibus*: Neque fugere, *inquit*, commilitones, neque pacem ex hostibus consequi possumus, quamvis cedere regno Galliæ voluerimus; sola nos arma tueri possunt; non est, cur tantum exercitum formidetis; justam causam justus Deus adjuvabit. Ite, & alter alteri vestra peccata confitemini*, pusillúmque terræ ob memoriam Sacramenti Eucharistiæ Salvatoris alter alteri porrigite, crastinâ die liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum. *Sic dimissâ concione peractis, quæ jusserat, curare milites corpora præcepit. Orto die commissum est prælium, ceciderunt Gallorum millia quatuor genere illustri. Omnes captivos Henricus in Angliam duxit, &c.*

2 Refero, ut dixi, verba Æneæ Sylvii, postea Romani Pontificis, insigniti nomine Pii II. quæ exhibent nobis confessarios sanè *mirificos*, sagatos, non togatos, conjugatos, non cœlibes, magnam partem vel Alphabetarios duntaxat, vel etiam analphabetos, omnes sine sacerdotali non solùm corona, sed etiam characterе. Quærendum igitur, *an & quo jure licuerit ipsis excipere suorum Confessiones commilitonum?* Patebit responsio *n. 21.* ubi scilicet dissolvero alteram ex sequentibus tribus quæstionibus. *1. Quid sit confessarius, seu quæ ejus definitio? 2. An, & quo pacto possit laicus quandoque fungi officio confessarii? 3. Ad quid sit obligatus confessarius?*

Quæritur ergo I. *Quid sit Confessarius?* 3

Resp. Non reperiri à me apud DD. seu definitionem, seu descriptionem illius expressè, & reflexè datam. Dabo ergo ego, quia omnis rei institutio à definitione proficisci debet, Judice M. Tullio *Lib. 1. de Officiis.* Dico itaque: *Confessarius est sacerdos præditus potestate ligandi, atque solvendi in foro Sacramentali*, id est, confitentem *Sacramentaliter* absolvendi.

At quid est confiteri Sacramentaliter? Resp. 4
Est facere Confessionem *Sacramentalem.*

Quid verò est facere Confessionem Sacramentalem? Respond. Propè mihi hîc aqua hæret. Si miraris hoc, Lector, mirare priùs, exhiberi à magnis Theologis duas toto cœlo, si nudis insistas verbis, differentes descriptiones tantæ, támque quotidianæ rei, quàm est Confessio. Ajo: *Differentes toto cœlo*: qui enim 5
confessarius sequetur sensum *grammaticalem* prioris, mercabitur orcum, qui posterioris, cœlum, siquidem Joannes Wigers *in 3. p. S. Thom. q. 6. a. 1.* non solùm describit Confessionem *Sacramentalem* hisce verbis formalibus: *Confessio Sacramentalis est suorum peccatorum legitima, & voluntaria accusatio sacerdoti facta, ut virtute clavium Ecclesiæ remissionem impetremus*, verùm etiam mox subdit; *Sacramentalem* Confessionem ita ferè describi à Scholasticis, & nullam aliam *Sacramentalis* Confessionis descriptionem uspiam proponit. Eodem sensu definit Confessionem expressè *Sacramentalem* Silvester V. *Confessio 2. n. 1.* P. Reginaldus *l. 2. c. 1. n. 1.* P. Dicastillo *de pœnit. disp. 7. dub. 1 n. 2.* P. Georgius Rhodes *Tom. 2. disp. Theol. Scholastica disp. 2. de pœnit. q. 4. sect. 1. §. 1.* asserens, esse *certum*, Confessionem *Sacramentalem* rectè sic definiri: *Est accusatio peccatorum in specie facta sacerdoti ad obtinendam illorum remissionem beneficio clavium Ecclesiæ.* Huc refer Bonacinam *de Sacramentis d. 5. q. 5. sect. 1. p. 1.* Stephanum à S. Paulo *in Theol. Mor. Tr. 5. d. 5. dub. 1.* & alios plures, qui Confessionis, de qua Theologi differunt, unam unicam descriptionem, eámque similem hîc productis afferunt, omnes enim intendunt definire tunc Confessionem *Sacramentalem.* Atqui definitionis productæ ex 6
Wigers verbis si insistat confessarius, non existimabit, violari à se sigillum Confessionis, propalando crimen illius, qui est ipsi sacrilegè confessus, sic enim ratiocinabitur ipse: Sigillum Confessionis oritur ex tota Confessione *Sacramentali*, sicut olim audivi, scripsique in scholis; atqui Confessio sacrilega non est legi-

tima, ergo nec *Sacramentalis*, ergo nulli culpæ affinis ero, si ad avertendum grave aliquod, publicúmque malum, manifestavero crimen revelatum mihi in Confessione, ex quocunque defectu sacrilega. *An talis Confessarius non mercabitur orcum?*

7 Dices: Mercabitur, quia nimis ruditer intelligit, vel potiùs non intelligit mentem illorum Doctorum, ipsi enim nomine *Sacramentalis Confessionis* designant solam illam, quæ à Christo Domino est instituta, veráque pars Sacramenti pœnitentiæ, qualis non est sacrilega. Resp. Hoc scio; sed quæro 1. Cur hoc non exprimant? 2. Cur non scribunt Confessionem *Sacramentalem* esse duplicem? 3. Cur, quando pronuntiant, obligationem sigilli Sacramentalis emanare ex sola Confessione *Sacramentali*, non dicunt, per hanc intelligi non solùm illam, quam ipsi describserunt, sed insuper aliam, aut generaliorem, aut specificam? Cur non præivêre exemplo Patri Dicastillo, & Christophoro Rassero, qui ad occurrendum (ut interpretor) argumentationi Confessarii à nobis introducti, locis mox citandis tradidêre aliam abstractiorem, generaliorem, minùs limitatam, cum suo definito convertibilem, ac minimè captiosam, simi-
9 lem huic veræ, verissimæ: *Confessio Sacramentalis est accusatio peccatorum facta sacerdoti vero, vel probabiliter existimato, in ordine ad absolutionem.* Ita P. Suarez *de Pœnit. disput. 33 sect. 2.* P. Coninck *Tom. 2. in 3. p. d. 12. dub. 1. num. 4.* Dicastillus *de Pœnit. d. 12. d. 2. n. 24.* P. Filliuc. *Tr. 7. cap. 11. num. 319.* & reipsa idem D. Rasserus Monasterii Zvvifaltensis Abbas in insigni Tract. *de Pœnitent. cap. 9. §. 2.* atque Sanctgallenses *Tom. 10. fol. 281.*

10 Positâ hâc definitione facillimè perspicietur veritas illius, hâc ætate usitati Axiomatis: *Sigillum Confessionis emergit ex omni, & sola Confessione Sacramentali*, adeóque etiam ex illa, quæ non est legitima, neque pars Sacramenti, cujus Axiomatis confirmandi infrà *n. 787.* veritatem non defendes sine Confessionis *Sacramentalis* descriptione diversa à superiore, allatâ *num. 5.*

Sequitur ergo 1. descriptionem illam superiorem, seu *num. 5.* exhibitam vel esse vitiosam, vel solùm specificam, non autem universalem, seu generalem. Absit, ut vocem vitiosam, cùm sit suppar illi, quam ipse S. Thom. *in suppl. q. 7. art. 1.* & Catechismus Romanus authoritate Conc. Tridentini editus, tótque DD. tradunt, explicántque.

Ut igitur liberetur ea vitio apparente, & simul occurratur consequentiæ superiùs expressæ, atque à me solùm idcirco (quemadmodum satis clarè, ut fatebitur quivis Lector, immodicæ philodoxiæ vitio liber, etsi nonnemo graviter carpsit, expressi in *prima* excusione hujus Alphabeti) amandatæ ad Orcum, quòd contineat consequens valde perniciosum, ac nimis ruditer, imperitéque deductum ex principio à parte rei vero, malè autem intellecto, seu potiùs non intellecto, dico quidem primus, sed necessariò, Confessionem *Sacramentalem* esse in genere ita definiendam, sicut descripsimus ex Suarez; ita autem generatim sumptam dividendam esse in duas species, scilicet in *legitimam, & illegitimam*; *legitimam* esse illam omnem, & solam, quam designârunt Doctores. *num. 5.* nominati; *illegitimam*, quæ cùm sit accusatio peccati facta sacerdoti vero, vel probabiliter existimato in ordine ad absolutionem, attamen ipsi deest aliquid *essentialiter* requisitum pro obtinenda reipsa condonatione, scilicet vel integritas *formalis*, vel dolor, aut propositum, aut legitimus sacerdos. Ratio hujus doctrinæ est, quia & reipsa admittitur ab omnibus, tametsi ab iis non tradatur *formaliter, doctrinalitérque*, & sine hac divisione non salvabitur veritas illius Axiomatis: *Obligationem sigilli gignit sola Confessio Sacramentalis.*

Porrò pro vero intellectu nostræ generalis definitionis observa, non esse ullatenus *Sacramentalem* Confessionem, quando quis aut confitetur alicui piæ imagini, tanquam sacerdoti, sicut eventu piissimæ simplicitatis declarabo *Cas. XXII. num. 822.* aut convenit etiam in confessionali confessarium, eíque tanquam sacerdoti detegit unum, pluráque peccata, sed sine ulla etiam implicita, confusáve intentione percipiendi absolutionem *Sacramentalem*, sed præcisissimè, ut petat consilium pro salute animæ suæ, usurpandum extra confessionale; hanc tamen ipsam manifestationem esse *Sacramentalem*, ut notat ipse Suarez, Confessionem, quando sit cum animo accusandi se coram illo sacerdote, tanquam judice constituto à Christo, ut ab eo vel absolvatur, vel curetur, seu juvetur eo modo, quo ipse judicaverit expedire; hoc enim satis est, ut talis Confessio sit *aliquo modo Sacramentalis*, & ordinetur ad absolutionem, saltem sub conditione, si Confessarius judicaverit, vel certè si Deus per ministerium ipsius disposuerit pœnitentem; nec potest negari, quin talis Confessio sit saltem inchoata Confessio *Sacramentalis*, inquit Suarez.

Addo ego, illum sufficienter confiteri *Sacramentaliter*, seu cum intentione absolutionis, qui sincerè (secùs, si fictè, ut providè notat Rasserus) se accusat de uno peccato, omittens nequiter alia, si quidem se accuset, ut impetret pronuntiationem formulæ *Sacramentalis*, seriò factam à confessario, atque schedam Confessionis. Ergo ex omnium mente exigitur ad Confessionem *Sacramentalem*, ut aperiatur saltem unum verum, aut dubium, existimatúmve peccatum, idque cum intentione saltem *implicita*, aut *confusa* percipiendi absolutionem *validam*,

validam, invalidámve, adeóque subjiciendi clavibus. Vidi verè perspicacem Doctorem P. Coninck *l. c. num. 4.*

15 Sed fortasse quæret nonnemo ex rudioribus, *quid sit subjicere clavibus hanc, aut illam actionem; hoc, aut illud dictum, vel factum, &c.* Resp. Subjicere *clavibus* est subjicere potestati ligandi, & solvendi illum, cujus mentionem fecimus in descriptione Confessarii, ita ut illa potestas vocetur *clavis* idcirco, quia sicut *clavis* referat domum, aut cistam, ita etiam potestas, tradita sacerdotibus, & confessariis, aperit cœlum; quia verò illa insuper potestas est duplex, scilicet solvendi, & ligandi *Matt. 16.* adeóque claudendi, aperiendíque cœli, idcirco nuncupari solet potestas *clavium*, & non tantùm *clavis*. Quæ potesta s cùm præterea exerceatur intra, & extra Confessionem, ideo forum aliud est *internum*, aliud *externum*; & quidem *internum* duplex, scilicet *internum Pœnitentiale*, seu *Sacramentale*, de quo suprà, & *internum Conscientiæ*, qua de re nos in sequentis Voluminis *Tract 5.* seu *Theol. Iurid. Moral. c. 37. n. 260.*

16 Quæritur II. *An non vel oporteat, vel certè liceat quandoque confiteri non-sacerdoti, adeóque, an non-sacerdos nequeat fungi officio confessarii?* Rationem dubitandi subministrat noster Casus *Mirificorum Confessariorum*, ortus forsan inde, quòd *Cap. 1. de pœnitent. dist. 6.* expressè scriptum sit. *Tanta vis Confessionis est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo.*

Resp. I. Certum est de fide, solum *verum*
17 sacerdotem esse idoneum ministrum Sacramenti pœnitentiæ sic enim, ut alia omittam, definitur à Concil. Trident. *Sess. 14. de Sacrament pœnit. can. 10.*

18 II. Certum quoque est, nullum extare præceptum, quo quis, non habens copiam confessarii, aperiat alteri sua peccata. Unde verba, quæ retuli *ex cap. 1. de pœnit.* fallò adscripta S. Augustino, vel continent solum consilium, vel projicienda sunt ultra columnas Herculis.

III. Ne licitum quidem est, *per se loquen-*
19 *do*, confiteri non sacerdoti, aut cum animo accipiendi *Sacramentalem* absolutionem, cùm hanc talis dare nequeat, aut quando ille non sacerdos est homo imprudens, garrulúsve, nec enim fas est, *per se loquendo*, sese infamare.

20 Reginaldus *Lib. 1. c. 1. n. 8.* ex Navarro. At verò alicui laico viro prudenti, tenacique silentii detegere vulnera animæ, vel ad sui salutarem confusionem, vel ad petendum consilium fas, & quandoque laudabile est. Reginald. *loc. cit.* post Franciscum Victoriam; laudabilissimum autem, si tuo Religioso Superiori denudes totam tuam animam.

21 Ex his deduces, mandatum, aut etiam consilium Henrici Regis, de quo noster primus Casus, itémque illas Confessiones non posse excusari à peccato, nisi ob ignorantiam, seu bonam fidem, intentionémque; nam & sese diffamabant illi milites absque sufficienti causa, & inducebant illos personatos confessarios ad fungendum *sacrilegè* munere confessarii, & jaciebant semina multarum discordiarum, quæ facilè poterant secuturis Annis oriri ex revelatione, vel etiam exprobratione criminum cognitorum ex tali Confessione.

Quæritur III. *Quæ sint munia veri confessarii,* 22
seu ad quid obligatus sit ipse?

Resp. Generatim tria munia incumbunt ipsi, scilicet Medici, Doctoris, Judicis. *cap. Omnis utriusque. de pœnit. & rem. Medici*, ut præscribat remedia necessaria curandis morbis animi, *superfundens vinum, & oleum vulneribus sauciati*, inquit Innocentius Papa III. *in cit. cap. Omnis utriusque. eod.* Ita ut graviter delinquat non præscribendo opportuna remedia, quando rationabiliter credit, pœnitentem indigere ad suam de mortali aliquo peccato emendationem ejusmodi præscriptione, quæ quidem fieri potest vel *imperando* per modum pœnitentiæ, vel solùm *ostendendo* necessitatem utendi hoc, aut illo antidoto. Et absque du- 23
bio funguntur vel admodum imperfectè, vel etiam admodum malè, & culpabiliter suo officio illi confessarii, qui vix unquam faciunt vel *explicitè*, vel *implicitè* hanc reflexionem: *Quo pacto curabo hunc pœnitentem? Quod, aut quæ remedia erunt huic animæ maximè proficua?* Certè hos petit illa de pastoribus Israel apud Ezechiel. *cap. 34.* querela: *Quod infirmum fuit, non consolidâstis.*

Ergo audiendus S. Chrysostomus *hom. 30.* 24
ita monens: *Imitandi sunt boni medici, qui non uno curationis modo utuntur, sed cùm viderint, primis remediis non esse depressum morbum, alia, atque alia rursus excogitant.* Sed de his plura *Cas. VII. num. 310. & 311.*

Doctoris officio fungi tenetur confessarius 25
in iis Casibus, quos indicabo *num. 311. & seqq.*

Denique obit partes *Iudicis. 1.* dum examinat pœnitentem, juxta dicenda *n. 307. 2.* dum judicat de ipsius peccatis, sintne mortalia, an venialia; qua de re *Cas. V. n. 189.* & *Cas. XVI. n. 458. 3.* dum impertitur, vel negat absolutionem, ut explicabo *Cas. IV.* & *V.* Postremò dum imponit pœnitentiam, ac satisfactionem debitam aut soli Deo, aut hominibus, prout dicam *Cas. XVIII.* & *XXI.* Hoc tertium officium, *judicis* videlicet, præcipuum est inter tria enumerata, indicatúrque apertè verbis Salvatoris apud *Ioan. cap 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Quæritur IV. *Quandonam teneatur confessa-* 26
rius fungi suis officiis, seu quando sit obligatus excipere Confessiones?

Resp. I. Qui non ex justitia, ut parochi,

eorúm-

eorúmque adjutores, sed ex sola charitate, ut Religiosi, excipiunt Confessiones, non tenentur sub gravi peccato obire hoc munus, nisi deficientibus aliis in extrema, vel gravi necessitate spirituali moribundi. Patet ex communi doctrina de obligatione diligendi proximum quoad *spiritualia*; declaravique *Tr. 1. sect. 4. n. 157. & seqq.*

27 Resp. II. Ordinarius pastor tenetur per se, aut per alium excipere Confessiones suorum, quoties hi tenentur confiteri, ut tradunt omnes, quandoquidem stipendio constitutus est potissimùm ad hoc ministerium obeundum in necessitate. Et quidem tenetur id præstare etiam cum periculo mortis, quando pœnitens existit in *extrema*, vel in *gravi* necessitate salutis. Cardin. de Lugo *de pœnit. disput. 22. sect. 1. n. 10.* post P. Valent. Reginald. Bonacin. Dicitur existere, seu versari in *extrema* necessitate, quando morti vicinus implicitus est peccato mortali, & ignorat, aut quid sit *perfecta* contritio, aut an, & quomodo elicienda; versatur autem in *gravi* necessitate salutis, quando non sine magna difficultate potest elicere contritionem perfectam. Lugo *ibid.* Certè tenetur quivis confessarius in primo casu succurrere tali, quantò magis prius?

28 At *quomodo sciam, ipsum versari in hac, aut illa necessitate?*

Si nôsti, esse hominem flagitiosum, præsumes existere in gravi necessitate; etenim tales rarissimè, nisi à Confessariis edocti, & inducti, eliciunt actum *perfectæ* contritionis, sed solùm *attritionis* ex metu gehennæ.

Si compertum tibi est, esse vitæ perquam bonæ, & honestæ, confessúmque paulò ante ægritudinem, prudenter confides, operam tuam haud esse ipsi necessariam. P. Suarez *de pœnit. disp. 44. sect. 3. n. 15.* perperam à Ferdinando Hauckio *in Epinomia Paroch. verb. Sacramenta in genere n. 18.* citatus in contrariam ipsi Hauckio probatam sententiam. Sin est unus è neque calidis, neque frigidis, atque ab uno mense non expiatus Confessione *Sacramentali*, rursum rectè præsumes indigere absolutione sacerdotali; rarienim sunt inter ejusmodi sæculares, de quibus imprudenter formides, ne intra tantum temporis offenderint Deum lethaliter cogitatione, verbo, vel opere. Atque ita sentiunt à fortiori Suar. *l. c.* Didacus Nugn. *in addit. ad 3. part. S. Thom. q. 33. a. 2.* idem Hauckius *l. c.* atque alii, nemine, quem sciam, apertè dissentiente. Unde Joannes Caramuel *in Theologia præter-intentionali* (ita nuncupatâ, quòd in eo volumine perquam subtiliter ventilet longè plurimas actiones, seu effectus præter intentionem evenientes) *num. 2595.* non modò generatim scribit, parochum teneri pro spirituali ovium suarum salute vitam exponere, quotiescunque ea sunt constitutæ in *gravi* quoque necessitate spirituali, sed etiam mox speciatim ad præsens propositum subdit expressè, eundem obligari administrare cum mortis quoque discrimine Sacramentum Pœnitentiæ, nisi certus *moraliter* sit, infirmum non existere in statu peccati mortalis, aut certè non esse tunc occubiturum: citátque pro hac altera doctrina meritò Nugnum, utpote qui loco allegato exigit omnimodam certitudinem de bono statu moriturientis, addit Nugno Sylvium, Molfesium, Villalobos, Filliucium *Tr. 3. cap. 5. num. 99.* ac Dianam *Part. 5. Tr. 3. Res. 93.* Præmiserat autem idem Doctor hunc

Casum planè Pateticum.

29 *Anselmus flagitiosus Vir, & in peccatis suis induratus ad Sylvæ-Ducis* (Sylva-Ducis seu Herzogenbusch Germanicè est præclara urbs sub jugo Batavorum) *territorium confugit, ibique propter novum scelus capitur, & damnatur capitis. Salutis terrenæ exspes æternam desiderat, & confiteri exoptat. Vocat Petrum* (*Pastorem suum*) *& se esse in extrema necessitate protestatur; affirmans, se esse lapidei cordis, malis moribus imbutum, contritionis actibus eliciendis omnino inassuetum, adeóque diffidere sibi, & ipsi soli considere, velléque per Sacramentalem Confessionem ab omnibus peccatis liberari. Petrus Anselmum esse in æternæ damnationis periculo videt, an sit in proximo, & extrema necessitate? dubitat: & quia suam vitam exponeret, si ibi caperetur, teneatúrne adire ad illius audiendam Confessionem? rogat.*

30 Sic loquitur D. Caramuel *l. c. n. 2493.* ac respondet, in primis Valentiam, Lorcam, Suarez, Sylvium apud Dianam *P. 3. Tr. 5. Res. 50.* asserruros, Anselmum versari in *extrema* necessitate. At Coninck *Tr. de fide disp. 25. dub. 89.* id negaturum, cùm supponatur in Casu, illum scire, quid sit contritio, quámque necessaria ad salutem. Deinde loco directæ responsionis ad illum Casum Pateticum subjicit *num. 2515.* illas duas doctrinas, de quibus superiùs. Atqui supponitur in specie facti, Anselmum esse in peccatis mortalibus, & jam damnatum capite, ergo, judice Caramuele, obligabitur Petrus Parochus, etiam cum periculo *certo* mortis, adire Anselmum, eique præbere aures confitenti, cùm certò versetur in gravi saltem periculo sempiternæ combustionis. Plura hanc in rem *Tract. 1. num. 114.* & *Tract.* proximè *præcedent. n. 111.* ubi dissero de facilitate, & difficultate eliciendi contritionem *perfectam.*

Sed

31 *Sed peste laborat unus è meis subditis, quam si mihi afflet, privabuntur cæteri parochiani omni confessario?*

Resp. In primis ad vitandam contagionem utèris illâ cautelâ, quam subministro *in Alphab. Communic. Cas. XXI. n. 412. 2.* Si periculum imminet solùm ex integra, non autem ex dimidiata Confessione, audi solùm partem illius; si enim pœnitens *licitè* dimidiat suam exhomologesin ob imminens sibi periculum mortis, quid ni, & confessarius ob idem suum periculum? Vide P. Laymannum *Lib. 5. Tract. 5. cap. 13.*

32 Idem curatus tenetur præbere aures suis, confiteri volentibus, non solùm quando hos urget præceptum Confessionis, sed etiam quando ex sola devotione volunt suam exonerare conscientiam. Laymannus *loc. cit.* Bonacina *De pœnit. quæst. 7. punct. 4. §. 2.* & alii communiùs contra alios, minimè gentium audiendos, saltem quando est tempus Jubilæi; nullus enim Episcopus non graviter plecteret

33 parochum, qui id temporis nollet exhibere illud ministerium. Sed parochus tunc dicit. *Ite ad meum cooperatorem, mihi non est commodum, vos audire.* Resp. Loquitur quidem tunc, ut *mercenarius*, non ut bonus pastor, at nolo illum idcirco damnare de mortali; damnarem autem, si carens cooperatore nollet vacare illi muneri festis solennibus, quibus multi expetunt ipsius operam, quia hanc negando præberet ansam non levis scandali. Consule de his omnibus Rallerum *c. 8. §. 15. & seqq.* non pœnitebit.

34 Porrò obligantur parochiani sub mortali confiteri tum semel in Anno, tum in *probabili* periculo mortis, tum quando Eucharistiæ Sacramentum (sufficit si conscius peccati mortalis præmittat cæteris *perfectam* contritionem) est suscipiendum. Casus, quibus Confessio non est necessariò præmittenda Communioni, explicavi non perfunctoriè *in Alphab. Communicant. Cas. XVI.* sicuti, & *Cas. XV. num. 234.* monui, licèt non adsit obligatio confitendi pro Sacra Synaxi, quando conscientia non est gravata ullo peccato mortali; attamen generali consuetudine esse receptum, ut obituri Communionem Paschalem se sistant sacerdoti proprio, vel delegato; si se mortaliter peccâsse, negent, super hoc ipso confessarii judicio sese subjiciant. Periculum mortis quod attinet, quæri potest, utrùm illud subsit in hoc

Casu continui prodigii.

35 *Est in stemmate Equitum Bohemorum de Longa Villa donum quoddam divinum, planè admirabile, quod videlicet cistam quandam bene magnam habebant olim in castello Oselez sacris pro Sacrificio Missæ vestibus asservandis adhiberi solitam; nunc in arce Rabii depositam: quæ à sæculis compluribus mortem cujusvis ex illa familia personæ grandi quodam strepitu prænuntiat; quo per totam arcem resonat, quasi magnâ aperiretur, & clauderetur violentiâ, rebus tamen omnibus ei superpositis* (*ut quandoque stanneâ supellectile, ollis fictilibus, aut etiam lapidum superingestâ congerie*) *illæsis, immotis; solétque quamprimum cista illa personuit, ab Arcis Rabii incolis admoneri personæ illius familiæ omnes, ut cuipiam illorum sepulchrum, cistámque mortualem à Deo jam parari sciant, seque ad mortem piè obeundam disponant.*

36 Verbatim exhibeo hunc *continui prodigii* Casum ex vita Venerabilis Patris nostri Alberti Chanouusky, ex illustri familia Equitum Chanouuskiorum, jam tenentium arcem Rabii in Bohemia, orti, viri verè Apostolici, ad cœlos evocati Anno 1643. conscripta à Patre Joanne Tannero *Cap. 15. fol.* 145. ubi etiam supponit manifestè, illam cistam edidisse consuetum strepitum, ad indicandam mortem corporalem viri Apostolici.

37 Oritur ergo hæc curiosa, nova, nec inutilis quæstio: *An omnes ex ea illustri familia obligentur præcepto Confessionis, ratione periculi mortis, & consequenter, an singulorum parochis incumbat onus illos monendi de hac obligatione, aut eis præbendi aures volentibus ultrò confiteri?*

38 Resp. Si in ea familia existant, sicut olim in Fabiorum, ducenti, vel trecenti (quod esset instar miraculi) tunc non incumbit cuiquam eorum obligatio faciendi necessaria ad mortem Christiano ritu obeundam; secùs, si solùm decem, quindecim, aut viginti. Nam in *primo* casu nemini eorum generatur *morale*, prudénsque dubium de morte jamjam impendente, at generatur in *secundo*. Rationem simul & declarationem hujus utriusque responsionis, & fundamenti pro illa allati, petes *ex Alphab. Bonizan. Casu XX. num. 600.* Quamquam fortasse quispiam [illegible] casu dicet, posse sine temeritate Confessionem differri usque ad initium mortis prodrom, seu morbi. Plura de hoc *in Alphabeto Confiten. Cas. X. in Append.* ubi retuli mirum prognosticon mortis imminentis cuivis è cœnobio Agaunensi.

***

CON-

CONFESSARIVS APPROBATVS; SEV DE APPROBATIONE CONFESSARII.

CASUS II.

Religiosi.

SVMMARIVM.

Casus Religiosi non approbati, & tamen excipientis Confessiones famulantium Monasterio. 40.
Referuntur verba Tridentini de necessitate approbationis. 42.
Quid, & quotuplex sit approbatio? 43. & 44.
In Constantiensi Diœcesi approbari debet etiam, qui habet beneficium curatum. 45.
Quid sit propriè beneficium parochiale? 46.
An competat Superioribus Religiosis? Ibid.
An jus approbandi competat Abbatibus, habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem? 47. *fusè.*
Referuntur 29. *jura Abbatum potientium ejusmodi jurisdictione. Ibid.*
An Episcopus possit Abbates compellere ad constituendos Vicarios perpetuos. 48.
Invalidè *absolvit Religiosus, cui approbatio est iniquè negata.* 49.
Potestas absolvendi à venialibus an competat etiam non approbato, & excommunicato? 51.
Capucini quo pacto declinent examen? 55.
Quis Episcopus approbet? 56. & 57.
In Germania non solent Religiosi approbationem petere, nisi semel. 58.
At parochi sapiùs. 60.
Casus de parochis excipientibus Confessiones alienorum. 61.
Religiosi nequeunt sine approbatione excipere Confessiones sæcularium famulantium etiam illi Monasterio, cujus Moniales audiunt ipsi confitentes. 63.
An longa consuetudo tollat necessitatem approbationis? 65.

40 BAbylas *Confessarius Monialium excipit etiam sæcularium, Monasterio famulantium confessiones, idque ex vi privilegii concessi à Sede Apostolica suo Monasterio; excipit autem sine approbatione Episcopi; partim quia censet, privilegio audiendi Confessiones etiam sæcularium excludi necessitatem approbationis; partim quia jus, & potestas audiendi Moniales videtur esse instar beneficii parochialis, ad cujus functiones non exigitur alia approbatio peculiaris; partim denique, quia neque Babylas, neque ejus antecessores postulaverunt unquam ullam approbationem, & tamen nullus Episcopus unquam eos monuit. Quæritur ergo, an sit, fueritque opus eam procurare?*

Casum hunc non finxit, qui resolutionem 41
petiit à P. Leonardo Lessio, ut videre est *in ejus Auctar. ad 1, 2. verb. Confessarius Cas. 3.* Quid & quàm *fundamentaliter* responderit, videbimus *n. 63.* postquam addensatâ synopsi fuerimus complexi, quæ de approbatione certa, vel dubia tradidêre scriptores, & imprimis Synodus Tridentina, cujus sanctionem hac de re, veluti fundamentum omnium dicendorum repræsento ex *Sess. 23. c. 15.* propriis verbis: *Quamvis presbyteri in sua ordinatione potestatem* 42
absolvendi à peccatis accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si ita illis videbitur, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemoriali, non obstantibus. Hactenus Concilium; circa cujus verba notanda sunt sequentia.

I. Approbatio non est gratia, aut privile- 43
gium, dependens ex libera concedentis potestate, sed est authentica, seu authoritativa declaratio, testificatióque, personam, quæ approbatur, esse instructam qualitatibus necessariis ad fungendum officio Confessarii, dummodo accedat jurisdictio, quæ nil aliud est, quàm potestas sententiam ferendi in subditum. Et proinde *approbare* aliquem, est declarare, illum esse dignum, cui à legitimo Superiore possint re ipsa, & in actu *secundo* committi subditi, in quos exerceat potestatem clavium, descriptam suprà *n. 15.* at dare jurisdictionem, est assignare ipsi re ipsa subditos, in quos prædictam exerceat potestatem. Ex quo apparet, non modò posse approbationem concedi sine jurisdictione, sed etiam non posse sine injustitia negari iis, qui verè digni sunt. Laymann. *Lib. 5. Tr. 5. c. 11.* Diana *Part. 4. Tr. 4. Res. 210.* atque alii plures contra Hurtadum.

II. Approbatio est duplex, *Expressa* scilicet, 44
vel *Tacita*; qualis *tacita* est, quando Episcopo constat, hoc, aut illud genus sacerdotum libere excipere in sua Diœcesi, sine sua *expressa* approbatione, Confessiones, & tamen dissimulat, cùm posset se opponere, juxta ea, quæ de jurisdictione *tacitè* concessa trademus *num. 85.* atque indicat P. Lessius *cit. Cas. 3. n. 4.* Tunc etiam adest *tacita* approbatio, quando habens potestatem approbandi dicit cuipiam nondum approbato: *Audi hunc pœnitentem; audi, si velis, omnes volentes confiteri tibi*; nam approbatur in *primo* casu respectu unius, in *secundo* respectu omnium,

omnium, adeóque *absolutè*. *Tacitè* quoque, seu, si mavis, *implicitè* approbatur, cui confertur beneficium parochiale, approbatur autem, vel ab Ecclesia. Lugo *de pœnit. d. 21. sect. 3. num. 63.* vel à Prælato conferente illud beneficium. Fagundez *de Præcept. Eccles. præc. 2. l. 7.*
45 *c. 2.* Quamquam constitutiones Synodales hujus Constantiensis Diœcesis *P. 1. tit. 11. n. 2.* leriò vetant parochis, ne, obtento beneficio curato, se ingerant ad Confessiones excipiendas, priusquam legitimè fuerint approbati. Approbati ratione beneficii possunt in tota Diœcesi, si placeat aliis parochis, audire Confessiones, ut declarat praxis hujus Diœcesis, & aliarum Germanicarum, non verò in sua sola parochia, ut vult Barbosa *in Trid. sess. 23. c. 15 n. 19.* cum aliis, rectiùs, & conformiter mori hujus Diœcesis notans cum communi *n.* 21. quamprimum quis desinit esse parochus, desinere & ejus approbationem, adeò ut ne quidem tempore Jubilæi possit sine nova approbatione absolvere pœnitentes. Idem *ibid.* contra Rodriquez, Villalobos, Joannem Crucium, & Avendanno *in Thesauro Indico part. 2. tit. 12. n. 159.* Nisi fortè fuisset priùs approbatus independenter à beneficio parochiali.
46 III. Dicuntur hìc omnes illi, & soli habere beneficium *parochiale*, qui ratione hujus *primariò* habent curam animarum respectu sæcularium. Lessius *cit. Cas. 3. n. 3.* adeóque Episcopi, & eorum Vicarii Generales in Spiritualibus, imò & in Pontificalibus, seu Episcopi *Titulares*, ut vocant, notátque Lugo *in consil. seu Respons. Moralibus Lib. 1. dub. 15. n. 3.* nam liberaretur jugo Turcico urbs, à qua titulum habet Episcopus, posset sine ulteriore approbatione audire confitentes cives illius urbis. At verò Abbates, Guardiani, Rectores tametsi obtineant veram in suos Religiosos subditos jurisdictionem, etiam *quoad forum externum*, haud tamen sunt dicendi habere beneficium *parochiale*, hoc enim respicit sæculares subditos; ergo nequeunt hos audire sine approbatione, ut fert communis contra Valerum, & alios apud Dianam *P. 2. Tr. 16 Res. 46.* quam approbationem exigunt etiam illi Religiosi, qui veluti Vicarii Abbatis procurant parochialem Ecclesiam unitam monasterio. Fagund. *l. c.* sicut etiam, licèt ante Concil. Tridentin. potuerit parochus facere sacerdoti non approbato potestatem audiendi suos parochianos, jam tamen nequit. Lugo *cit. disp. 21. n 6.* Diana *P. 3. Tr. 4. Res. 146.* cum communi contra multos Thomistas. Etenim & verba Tridentini exigentia approbationem Episcopalem, sunt nimis clara, & usus communis firmat nostram doctrinam. Et his omnibus scriptis in prima editione hujus Alphabeti, accipio ex Urbe impressum Decretum S. Inquisitionis, in quo 24. Septemb. Anno 1665. propositionibus viginti octo damnatis, vetitisque doceri, aut ad praxin deduci, accensetur hæc: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum in Ordinario.*

Huic authenticæ declarationi jungo proba- 47
biles responsiones, quas dedi ad literas cujusdam præstantis Theologi Episcopalis, Provinciæ cujusdam Gallicanæ, quibus occasione litis tunc adhuc pendentis inter Ordinarium *A*, & Regularem Prælatum *B*, exigebatur meum judicium super hisce

Quatuor Quæstionibus.

VTrùm Prælatus Religiosus præficiens Ecclesiæ parochiali, incorporatæ suo cœnobio, sæcularem sacerdotem, ad nutum amovibilem, non teneatur hunc præsentare Episcopo saltem ad examen; utpote non approbatum prò illo loco? 2. Vtrùm non etiam ad institutionem ab Ordinario faciendam post Tridentinum? 3. Vtrùm ille Prælatus habeat potestatem constituendi Vicarium sæcularem, ad nutum amovibilem, absque consensu Ordinarii post Tridentinum? 4. Vtrùm non penes Ordinarium sit, constituere tali Vicario competentiam: Prælatus enim non vult dare, nisi tenuissimum salarium.

Ita ille Theologus. Cujus quidem sola *primâ* quæstio est propriè hujus loci, quia tamen multis meorum Lectorum accident gratæ, ut opinor, cognitu resolutiones trium sequentium, attingúntque hæ præfectos Ecclesiis parochialibus, adeóque ordinarios Confessarios; idcirco non erit penitus abs re, si etiam hìc expressero meum de iis animi sensum.

Ad *primam*, & præcipuam quæstionem quòd attinet, respondeo cum distinctione. Aut enim ea Ecclesia est ita incorporata illi Cœnobio, ut Prælatus *B*, obtineat in eam jurisdictionem *Episcopalem*, seu *quasi*? ut est visitare, jus dicere, excommunicare. Flores Diez de Mena *variar. quæst. Lib. 1. p. 10. n. 21.* aut ita, ut non habeat ejusmodi jurisdictionem? Si *primum*, examinabit ipse designatum vicarium. Si *secundum*, submittet scrutinio Episcopi. Primam responsi partem quod spectat, videntur quidem ei repugnare tum Cardinalis de Lugo, quatenus *Disp. 21. de pœnit. sect. 1. n. 13.* apertè asserit, beneficium parochiale, cujus possessor legitimus non subjicitur examini pro cura animarum, debere fuisse collatum vel ab *Episcopo*, vel ab hujus superiore; tum Barbosa, quatenus *in Trident. sess. 23. de Reform. cap. 15. num. 54.* ex, & cum Rota resolvit generatim, neminem, nisi approbatum ab *Episcopo*, esse idoneum excipiendis Confessionibus sæcularium. Nihilominus tamen probatur illud *primum* membrum distinctionis tum au-

thoritate P. Suarii *de pœnit. disp. 28. sect. 5. n. 3.* & Ascanii Tamburini *de jur. Abbat. Tom 3. d 6. q. 11.* ex professo tribuentium jus examinandi Abbatibus, jurisdictionem *Episcopalem*, (etiam in sæculares) obtinentibus post, & cum P. Reginaldo, Campanili, aliis apud Tamburinum *loc. cit.* & Barbosam *de offic. & potest. Episc. alleg. 25. num.* 6. non dissentientem, tum variis instantiis apud Suarez, & Tamburinum. Et verò Illustrissimus D. Abbas Sanct. Gallensis, in hac Constantiensi Diœcesi, examinat *privativè* ad Illustrissimum Episcopum sacerdotes etiam sæculares præficiendos à se Ecclesiis, in quas exercet jurisdictionem *quasi Episcopalem*. Id ipsum factitant Cardinales non nitentes alio jure, quàm quòd sint præditi jurisdictione *Episcopali*, eam ipsis concedente capitulo: *His, quæ de major. & obed* juxta explicationem Abbatis in id capitulum. Probatur deinde illud ipsum membrum ratione, ut ita dicam, à priori; etenim referens est in suo relato cum omnibus suis qualitatibus. Menoch. *cons. 838. n. 3.* siquidem per relationem omnia, quæ in priore dispositione continebantur, censentur repetita. Expresè Barbosa *in opusculo de clausulis, in clausula: Ad instar*, & reipsa consentiens Tuschus *v. Privilegium concl. 763.* per totam, Parisius *cons. 122. lib. 1.* Bartholomæus Socinus *consil. 89. num. 9.* & inter Theologos P. Suarez *de legib. lib. 8. c. 15. num. 2.* citans Navarrum, atque alios, & loquens, sicut & Tuschus, *de privilegiis ad instar*. Atqui, quando agitur de juribus habentis jurisdictionem *quasi Episcopalem*, referens est verus Episcopus, relatum est habens *quasi Episcopalem* jurisdictionem, talis quippe habet jurisdictionem instar Episcopi; ac eò ut Diez de Mena *cit. q. 10. & lib. 3. q. 24.* Abbates præditos jurisdictione *quasi Episcopali, absolutè* vocet Abbates *habentes jurisdictionem Episcopalem* quod & factitant multi alii; atqui certum est ex Trident. *cit. cap. 15. de Reform.* examen promovendorum spectare ad Episcopos, ergo etiam spectat ad habentes jurisdictionem *Episcopalem*, adeóque etiam in sæculares, quandoquidem jus examinis competit Episcopo non ratione Ordinis, sed juri dictionis, alioqui neque is ante consecrationem, neque Capitulum Cathedrale vindicaret sibi, *Sede vacante*, jus examinandi. Unde Abbas *in cit. cap. De his, quæ.* ex eo, quòd Cardinalibus competat jurisdictio *Episcopalis*, deducit, omnia Episcopalis jurisdictionis jura esse eis impertita, sicut & Diana *P. 5. Tr. 2.* permulta iisdem Cardinalibus addit, motus illo eodem principio; & Nicolaus Garcias *de benef. p. 9. cap. 2. num. 136.* testatur, ab Abbate S. Facundi nominari examinatores pro beneficijs eo titulo, quòd habeat jurisdictionem *quasi Episcopalem*; quod jus confirmavit adversùs Episcopum Legionensem Rota, teste Diez *cit. q. 24. num. 21.* atque generatim subdente Garciâ *n. 139.* hæc verba: *Eo ipso, quòd quis habet jurisdictionem quasi Episcopalem, videtur habere jus congregandi Synodum, cùm sit jus Episcopale.* Confirmatur hic discursus illis triginta quà prædicatis, quà juribus, quæ enumerat, & Abbati habenti jurisdictionem *quasi Episcopalem*, adeóque in Regulares, & sæculares competere testatur, probátque prædictus Flores Diez de Mena in pererudita *q. 24. & ult. cit. Libri tertii*, quorum indicem texo in gratiam laudabiliter curiosi Lectoris, 1. Itaque talis Abbas, inquit Diez, est verè ordinarius. 2. Potest interponere authoritatem in alienationibus. 3. Potest omnia (jurisdictionalia) facere, quæ Episcopus. 4. Comprehenditur appellatione Diœcesani. 5. Potest præscribere omnia jura Episcopalia, & certam partem Diœcesis, & ordinationes Clericorum. 6. Deputat vicarium, tribunal erigendo. 7. Habet eandem jurisdictionem, quam habet Episcopus electus, confirmatus, & nondum consecratus. 8. Potest indulgentias dare, & exercere per alium, quæ sunt Ordinis Episcopalis. 9. Visitat per se, vel per suos visitatores. 10. Confert Ordines minores, unit Ecclesias. 11. Ecclesias commendat ad tempus, quemadmodum Episcopus. 12. Dispensat pro non residentia in casibus, in quibus potest Episcopus. 13. Dispensat in occultis irregularitatibus, suspensionibus, impedimentis Matrimonii, in quibus Episcopus. 14. Dispensat, ut quis studendo non ordinetur usque ad septennium. 15. Dat licentiam prædicatoribus ad prædicandum in suo districtu, eósque examinat, & approbat. 16. Examinat quæstas, & indulgentias, quas prædicatores nolunt publicare, ipséque eas publicat suis subditis. 17. Confert beneficia simplicia, & curata, interponítque suam authoritatem in permutationibus, & resignationibus simplicium. 18. Providet Ecclesiæ parochiali vacanti, ut Episcopus. 19 Ponit edicta, admittit concursum, & nominat examinatores. 20. Est ordinarius executor omnium ultimarum voluntatum, ut Episcopus. 21. Visitat Collegia pia, & Fraternitates. 22. Commutat ultimas voluntates, ut Episcopus. 23. Visitat suos subditos; at nequit visitari ab Episcopo; ut Apostolico delegato. 24. Cognoscit de causis matrimonialibus, criminalibus, beneficialibus, ut Episcopus. 25. Remittit ex causa monitiones, seu denunciationes matrimoniales. 26. Dat alieno Episcopo licentiam exercendi Pontificalia in suo districtu. 27. Debet, sicut & Episcopus, admitti ad Concilium Generale, seu Provinciale, in eóque habet vocem decisivam. 28. Facit Synodum, & Constitutiones Synodales. 29. Ipse & Episcopus comparantur ad hoc, ut in eorum locis debeant haberi studia, & lectiones Sacræ Scripturæ. Denique

nique dat suis probabiliter dimissorias. Hactenus Diez, probans illo ordine, quem hîc texui, omnia ista authoritate quà juris; quà Doctorum: quæ, an, & quatenus sint omnia vera, non disputo, nec definio; solùm dico, iis simul sumptis multùm fulciri illud responsum de jure examinandi pro parochiali beneficio, quod suprà indicavimus. Et verò ex horum jurium enumeratione, conjunctióque deducit idem Diez, esse probabile id, quod ultimo loco retuli ex ipso, quòd scilicet ejusmodi Abbas concedat literas dimissorias pro Ordinibus.

Nec videtur illi nostro responso obstare, quòd Concilium Tridentinum *cit. cap. 15.* deroget omnibus privilegiis datis ad declinandum examen *Episcoporum*, etenim per *Episcopos* intelligi illos, qui sunt vel *propriè*, vel *participativè* Episcopi, convincunt ea, quæ in medium protuli, indicátque Suarez *de pœnit. disp. 28. sect. 5. num. 4.* Aut certè dicendum est, derogari privilegiis *seorsim*, & quasi *solitariè*, & *per se* datis, non autem concessis *consecutivè*, aut per inclusionem in generali, & Sedi adhærente gratiâ. Consuetudo est legum interpres optima *text. cap. Cùm dilectus. De consuet.* atqui hæc in diem hodiernum ita interpretatur illam clausulam derogativam privilegiorum, ut nihil obsit illi, de quo loquimur. Equidem P. Joannes Præpositus *De Sacram. pœnit. q. 8. absolutè* scribit, tales Abbates omnes, quoad curas sibi tali jure subjectas, examinare, & curam animarum conferre sine recursu ad Episcopum. Nihilominus tamen addo, *practicam* resolutionem hujus disceptationis pendere maximè ab usu.

Cùm jam imprimerentur præcedentia, incidi in Consultum XLVI. Joan. Bapt. Lezanæ, quod totum conscriptum est pro declaratione potestatis, & jurium competentium Prælatis Exemptis, habentibus jurisdictionem *Episcopalem*: lege illud, & non pœnitebit; ubi etiam *num.* 13. tradit, talem Prælatum, & personas ipsi subditas, dici esse *nullius* Diœcesis.

Alterum nostræ distinctionis membrum erat, quòd Clericus, quem præfecit Prælatus *B.* debuerit se sistere, ut appenderetur in Episcopali statera, si ipse Prælatus non gaudeat jurisdictione. Probatur verò tum perspicuis verbis Synodi Tridentinæ, tum inde, quòd tam in hac Constantiensi, quàm in cæteris, ut reor, Diœcesibus usu receptum sit, ut Abbates non præficiant parochialibus Ecclesijs, quantumvis pleno jure, id est, quoad spiritualia, & temporalia (extra jurisdictionem *Episcopalem*) unitis suo Monasterio, nisi approbatos ab Episcopis, atque ita etiam practicari in Hispania, testis est Flores Diez de Mena *Lib. 1. cit. q. 10. num. 26.* rectè subdens, eandem esse rationem Regularium, quos exponere juxta Tridentinum vult talis Prælatus. Vide Barbosam *in cap. 7. sess. 7. de Reformat. num 27.* & *in citat. cap. 15.* ejusdem Concilii *n. 49.* loquentem de ijs, quos Religio Hierosolymitana summè privilegiata exponit.

Ad *alteram* quæstionem, de adeundo Episcopo propter institutionem, est etiam cum distinctione respondendum, ac dicendum, haud fuisse illum clericum præsentandum Episcopo pro institutione, si Prælatus *B.* est præditus hâc potestate *Episcopali*, ut liquet ex dictis superiùs; at si non est præditus hâc potestate, nec ullo privilegio peculiari, debuit utique ille Vicarius petere institutionem ab Episcopo, etsi ponamus, illam parochiam esse pleno jure incorporatam suo Monasterio. Cùm enim de jure communi institutio omnium beneficiorum infrà Diœcesin spectet ad Episcopum *Cap. 1. De Capell. Monachor.* proindéque Episcopus prætendens jus conferendi, seu instituendi habeat intentionem fundatam in jure. Panormitanus *in cap. Cùm ex injuncto, n. 2. De hæret.* meritò prætendet jus in institutionem illius, de quo loquimur; nec enim prætextus pleni juris competentis illi Prælato involvit jus *instituendi*, sed solùm administrandi spiritualia, ac temporalia cum communi jure constituendi Vicarium, quem si velit, & possit idem Prælatus constituere solùm ad tempus, debebit quidem Episcopus illum approbare, eique dare licentiam administrandi Sacramenta, at nulla præterea requiretur institutio, aut collatio, inquit Diez *cit. q. 10. n. 26.* quia scilicet illa institutio, quam solemus hîc locorum vocare *Investituram*, respicit solos perpetuos Beneficiarios. Vide plura in hanc totam rem *in fin. seq. Casus III. in Append. prima.* 48

Ad *tertiam* quæstionem est etiam adhibenda distinctio, hujúsque triplex membrum. Etenim si Prælatus *B.* pollet jurisdictione *Episcopali*, constituet libere Vicarium temporalem, sine consensu Episcopali, quandoquidem par in parem non habet imperium *cap. Innotuit. De elect.* & ita declaravit B. Pius V. apud Barbosam *loc. cit. num. 28.* E diverso debebit instituí curare perpetuum, si nec *Episcopali* jurisdictione, nec pleno in eam Ecclesiam jure est præditus, quandoquidem saltem ad hunc casum se extendunt verba Concilii Tridentini *Sess. 7. cap. 7. de Reform.* permittentia Episcopo, ut beneficia Ecclesiastica curata, unita Ecclesijs aliis, aut Monasteriis, per Vicarios *perpetuos* procurari provideat. At verò tertiò si prædicta parochia sit pleno jure unita Cœnobio Prælati *B.* nonnulli quidem, teste Diez *cit. q. 10. num. 21.* negant, posse eum ab Episcopo compelli ad Vicarium *perpetuum* nominandum, ipse autem Diez tenet mordicus contrarium, addens *n. 26.* esse respectu tam Ordinum Mendicantium (habentium talia beneficia sibi unita) quàm Monachorum ita declaratum à B. Pio

Pio V. Ut apparet, inquit, *ex motu proprio, qui est in libro Collectionis Bullarum.* Et verè in hac Constantiensi Diœcesi viget usus conformis illi motui, opinionique illius Doctoris; nec dubito, quin consentiat etiam Barbosa *in cit. cap. 7.* qui tamen Barbosa probabiliter non repugnaret, si ille Prælatus habuisset ab immemoriali tempore ex vi privilegii Pontificii consuetudinem faciendi deserviri per Vicarios temporales, nam ille autor cum Garcia concedit id juris Capitulo Cathedrali, nitenti tali privilegio.

Ad *quartam* quæstionem responsio clara est ex Trident. Concil. *Sess. 7. cap. 7. de Reformat.* ubi expressè committit arbitrio Episcopi, ut deputet majorem, aut minorem partem fructuum parochialium pro sustentatione parochi.

Sed, ut revertar illuc, unde me abduxit illa quadruplex quà opportuna, quà huic loco importuna quæstio literaria, Dico

49 IV. Qui non est reipsa approbatus *tacitè*, vel *expressè*, absolvit *invalidè* à mortalibus quemcunque sæcularem, extra articulum mortis.

Dixi imprimis. *Re ipsâ approbatus*, nam & Diana *Part. 11. Tr. 4. Resol. 16.* inficiatur, esse probabile (quidquid de valore *coram Deo* insinuet Mathias Corona *De dignit. & Potest. Episcopi. Tr. 2. cap. 13. n. 4.* post Stephanum Dalvin.) valere absolutionem datam ab eo, qui falsò putatur approbatus, nisi habeat titulum coloratum, e. g. quia putabatur communiter esse parochus, cùm non sit, aut quia revera fuit approbatus, at revocata fuit approbatio, ignorantibus plerisque hanc revocationem. P. Sanchez *Lib. 3. de Matrim. d. 21.* cum aliis contra alios apud P. Fagundez *Lib. 7.* & Cardin. de Lugo *de pœnit. disp. 11. n. 50.* testatur, esse omnium sententiam, quòd ille sæcularis *invalidè* Confessiones audiat, qui petiit quidem approbationem, at negata fuit, etiam ex injusta causa; secùs de Religioso, cui sine justa causa est negata, sentit cum plurimis contra multos, atque eruditè defendit Abbas Rasserus *de pœnit. c. 6. §. 26. & seqq.* cui tamen adhærere nequeo propter Decretum Inquisitionis, de quo paulò antè; damnatur enim ibidem *num. 13.* hæc propositio: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, & ab eo injustè reprobato*: cui Decreto integrè concordat recentissima Bulla Clementis X quæ incipit: *Superna*: Adhæreo autem Laymanno *Lib. 5. Tr. 5. cap. 11. n. 2.* asserenti, *nullam* veritatis speciem habere id, quod tradit Hieronymus Liamas cum quibusdam, scilicet Licentiatum Theologiæ, aut Juris Canonici esse ipso jure approbatum. Vide Barbosam *in Trident. sess. 23. c. 15. n. 16.* Certè Antistites Germaniæ non tolerant ullatenus praxin hujus sententiæ, & tamen norunt, promotiones ad gradus Theologicos haud paulò difficiliùs fieri in Universitatibus *Germanicis*, quàm in nonnullis aliis, nam in Germanicis *donantur* meritis, non *venduntur* gradus.

Dixi deinde: *Approbatus tacitè, vel expressè*; alteruter enim approbationis modus sufficit ex omnium sententia. Vide suprà *n. 44.* 50

Dixi 3. *Invalidè*, etenim Suarez *de pœnit. disp. 28. sect. 4.* testatur, esse hoc certum, & indubitatum in Ecclesia, propter Decretum Tridentini Concilii suprà descriptum; & Diana *Part. 10. Tr. 16. Resol. 5.* vocat *improbabilem* (hanc censuram improbant apud ipsum Crucius, & Leander) opinionem contrariam Marci Alterii *de cens.* Sed certè censura illa conformis est Decreto Alexandri, de quo *n. 49.* 51

Dixi 4. *A Mortalibus*, nam absolutio à venialibus (sicut & à mortalibus jam legitimè confessis) non requirit approbationem. Lugo *Disp. 18. sect. 3.* cum communi, quia Christus ipse confert cuivis sacerdoti *immediatè* hanc potestatem, arbitrio P. Vasquez *de pœnit. q. 93. a. 1. dub. 8.* ut proinde remaneat etiam in sacerdote excommunicato. Idem Vasquez cum Cajetano, Soto, aliis apud Tiberium *q. 122.* contra alios ratos, eam quoque potestatem tradi ab Ecclesia. 52

Dixi 5. *Quemcunque sæcularem*, nam Religiosorum *virorum* (de Monialibus aliud statuit Gregor. XV. ut dicam *num. 64.*) Confessiones excipit *validè* quivis sacerdos, etiam non approbatus, ut liquet ex verbis Concilii, loquentis de solorum sæcularium Confessionibus, declarátque inter reliquos P. Suarez *de pœnit. d. 28. sect. 4.* Debet autem ille Religiosus habere potestatem à Superiore confitendi tali, propter doctrinam adferendam *Cas. XX. n. 636.* 53

Dixi 6. *Extra Articulum mortis*, quia in hoc absolvit quisque *validè*. Infrà *n. 129. & seqq.* 54

V. Examen quod attinet, potest Approbator remittere, ut satis indicat ipsum Concilium Tridentinum, si videlicet ipsi sit aliunde satis cognita idoneitas approbandi. Et verò Celsissimi Domini Episcopi Germaniæ, eorúmque Reverendissimi Domini Vicarii imbiberunt eam opinionem de habilitate illorum, qui è nostra Minima Societate præsentantur ipsis, ut eos non examinent, sed contenti sint examine, quo cribrantur domi, priusquam præsententur promovendi ad presbyteratum.

Similiter testatur P. Bonagratia Habsensis Capucinus *in Summula Quæstion. Regul. verb. Confessarius num. 100.* esse moris in suo per Helvetiam Ordine, ut, cùm quis novus Episcopus eligitur, vel novum Episcopatum incolere incipiunt Patres Capucini, adeatur à P. Provinciali, vel alio Episcopus, rogetúrque, ut de ejus consensu, more, & facultate hactenus usitatâ, *sæcularium* Confessiones ipsis excipere liceat. 55

liceat. Ejusmodi consensu obtento, examinari à deputatis Patribus illum, qui necdum approbatus est pro sæcularium Confessionibus, *cúmque sufficientem invenerint, admissum pronuntiant*, inquit P. Bonagratia, rectè probans, hanc approbationem nequaquam repugnare Decreto Tridentini, subdens tamen *num. 102.* ex *Collectore Privileg. Mendic. verb. Præsentatio, conces. 1.* esse conveniens, ut Provincialis, per se, vel per alium, accedat ad Episcopum, rogans eum, ut admittat *tot Confessores, quot ipse* (Provincialis) *determinatos habebat in sua intentione*, supplicans ipsi, ut eos admittere dignetur, *ac si in omnibus, ac per omnia esset observata forma juris*: si autem Episcopus noluerit annuere, servandam esse formam à Tridentino præscriptam.

56 VI. Nomine *Episcoporum*, quibus ex decreto Concilii Tridentini competit jus approbandi, intelliguntur tum Illustrissimi Domini Nuntii Apostolici in sua Nuntiatura. Lessius *in Auctario verb. Confessarius Cas. 1. & 4.* certóque probavit suo facto hoc Anno 1671. D. Nuntius NN. tum vel maximè proprius *Episcopus* approbationem petentis, ejúsque Vicarius in spiritualibus Generalis, tum Capitulum, Sede vacante; succedit enim in plenam jurisdictionem Episcopi demortui; qua de re vide inter cæteros P. Laymann. *Lib. 1. Tr. 4. c. 7. §. 4. num. 12.* tum denique etiam multi Abbates, seu Prælati Religiosi habentes jurisdictionem *Episcopalem* in sæculares sicut habent multi in Germania, sed non omnes hi pollent reipsa jure approbandi; multos eorum potiri in Hispania, testantur Suarez, Henriquez, Fagundez, notante Barbosâ *in Trident. Sess. 23. c. 15. num. 28.* hos esse intelligendos de illis solis Prælatis Regularibus, qui sunt nullius Diœcesis, non autem de illis, qui non sunt *nullius*; sed hæc limitatio non placet Suario, & aliis, quos secuti sumus suprà *n. 47.*

57 *At cujusnam Episcopi approbatio est mihi necessaria* Anne mei Diœcesani? ut placet Suario *d. 28. sect. 7.* & aliis. An illius, in cujus Diœcesi excipio Confessiones? ut volunt cum aliis Tannerus *q. 9. num. 31.* Laymann. *cit. cap. 11. num. 9.* An illius, cujus Confessionem audio? ut malunt Gutierez, Filliucius, & alii apud Barbosam *loc. cit. num. 29.* An denique sufficit mihi approbatio legitimè data à qualicunque Episcopo, & ita quidem, ut data sine limitatione loci, & personarum, ab illo uno unico sufficiat mihi ad excipiendas *validè* Confessiones in toto mundo, quamdiu expressè non repugnant Ordinarii locorum? Sicuti placuit Henriquezio *Lib. 6. cap. 5. & lib 7. cap. 12. num.* 58 *4.* pluribúsque aliis. Quorum doctrinam defendunt post Bullam, seu Decretum Urbani VIII. non obstante censurâ Lugonis *Disp. 21. n. 29.* Illuminatus Moronus, Bauny, Gallotius & maximè Dicastillo relati à me *in Quinario Tract. 5.* seu *Theolog. Iurid Morali cap. 37. num. 164.* Sed quidquid sit de illis Doctoribus, nequit jam defendi eorum opinio, utpote improbata ab Alexandro VII. in Decreto 3. *num. 3.* quam improbationem non habebam in memoria, quando hoc Alphabetum paravi *primæ* editioni; alioquin etiam tunc meminissem de illa censura Alexandrina, postmodum confirmata in actu exercito à Clemen. X. *in Constitut.* incipiente: *Superna.* Non videtur tamen improbatus usus variis Diœcesibus receptus, & permanens, ut nimirum Religiosi Mendicantes approbati ab uno Episcopo censeantur *tacitè* ab aliis, ad quorum Diœceses mittuntur, approbari, quamdiu hi non repugnant. Possem ego multos, præsertim Germaniæ, Episcopatus nominare, in quibus ea viget notoria consuetudo, sive ob Diœceseon amplitudinem, cœnobiorúmque à Sede Episcopali distantiam, sive aliis de causis istorum locorum propriis.

Equidem P. Ægidius de Coninck à nemine, quantùm memini, improbatus jam abhinc Annos plus quinquaginta scripsit *Tom. 2. in 3. part disp. 8. num. 57.* quamdiu Episcopus non prohibet suis Parochis, aut Superioribus Religiosorum, ne Sacerdotes alibi approbatos ad audiendas in sua Diœcesi Confessiones exponant, hos *validè* ad id assumi, eò quòd habeant omnes conditiones requisitas à Tridentino Concilio. Vide etiam, quod de approbatione *tacita* dixi *n. 44.* Et adde recentissimum Mathiam Coronam *de dignit. & potest. Episc. cap. 13. §. 1. n. 1.* cum multis contra multos docere, Episcopum existentem extra Diœcesin posse confiteri sacerdoti alieno, aliàs non approbato, nam ei confitendo approbat hoc ipso talem. Ita ille, cujus resolutio videtur non stare cum Decreto Alexandri VII. de approbatione confessarii danda à proprio Episcopo. 59

Porrò censetur, in hac Constantiensi Diœcesi, Illustrissimus Dominus Ordinarius sufficienter inhibere id, de quo paulò antè, curam animarum habentibus, respectu sacerdotum sæcularium hoc ipso, quòd in continuo usu vigeat Synodalis Constitutio, *Part. 1. tit. 11. num. 2.* expressè vetans id ipsis; at non est in usu, quatenus respicit Regulares saltem Mendicantes; fortè etiam idcirco, quòd *in cit. tit. 11. num. 3.* clarè supponatur, eos non consuevisse subjici examini Ordinarii, quamvis utique possent singularissimè ob recentem Bullam Clementis X. concordantem cum Decreto Alexandri VII. de quo *numero 58.* 60

Quod dixi de Confessariis sæcularibus in hac Diœcesi Constantiensi, reddit perplexam resolutionem hujus 61

Casûs Vicinitatis Diœcesanæ.

INter cætera loca, quibus Constantiensis, & Basileensis Diœceses sunt conterminæ, unus est in extremo hujus Episcopatûs, clarus Miraculis, ad quem proinde confluunt è Basileensi expansis vexillis, conveniúntque uno, atque eodem die multa centena capita, volentia conscientias expiare Confessione. Qui autem non sufficiunt omnibus iis Religiosi, consæverunt Pastores, qui suas pias oviculas illuc deduxerunt, excipere earum, alienarúmque Confessiones. Quæritur, an valide?

Quæsitum, inquam, fuit ex me illo ipso die, quo hæc refero Ac respondi, nullam esse difficultatem circa absolutionem *proprium* parochianorum, etsi datam in aliena Diœcesi, quandoquidem jurisdictio fori *Sacramentalis* erga proprium subditum non arctatur loco, cùm non sit contentiosa, sed voluntaria; at videntur posse revocari in dubium absolutiones impertitæ alienis ovibus, cùm videantur esse datæ à confessario non approbato pro hujusmodi actu, sicuti aut certò, aut probabiliter deducitur (*per se loquendo*) ex antè dictis. Nihilominus respondi, non esse movendum scrupulum illis Sacerdotibus, utpote nitentibus longâ continuâ, notoriâ consuetudine utique non ignoratâ omnibus Ordinariis, ac proinde *tacitè* approbatâ: nec dubito, quin multis locis aliis extra hanc Diœcesin ipsum proportionaliter, seu in similibus eventis fiat, necessitate quâdam *morali* extorquente, vel impetrante consensum *expressum*, vel *tacitum* Ordinariorum, satis manifestatum tam diuturnâ dissimulatione. Foret verò tutissimum, & consultum, si præsides talium locorum peterent expressè à Reverendissimis Dominis Ordinariis approbationem.

62 Hæc sufficiant de approbatione sæcularium, Regulariúmque confessariorum; requirenti plura, suggerent ea Lugo *Disp. 21 sect. 2.* Dicastillo *cit. disp. 10.* atque Rasserus *cit. Tr. de pœnit. cap. 6.* differentes etiam in ejusdem limitatione, revocatione, extinctione. Limitatio ad certum genus hominum non est usitata *in Teutonibus*; Revocatio non solet apud nos fieri, nisi *indirectè* per censuram privantem munere excipiendi Confessiones, aut quando quis dimittit, amittitve beneficium curatum, cujus intuitu erat approbatus, quo casu si dixeris, extingui priorem approbationem, non certabo de nomine; hoc certum, quòd non extinguatur per mortem concedentis, nisi hic expressè limitârit ad suam vitam.

63 Cæterùm ex hactenus disputatis petenda est resolutio *Casûs* descripti *num. 40.* ac dicendum cum P. Lessio *ibid.* relato, Babylam *invalidè* absolvisse, si stetur primis solis duabus rationibus, quæ productæ fuerunt in narratione illius Casûs; *valide*, si consideretur *tertia*. Nam neque privilegio audiendi Confessiones etiam sæcularium contineatur privilegium audiendi sine approbatione, ut satis liquet ex verbis Tridentini relatis *num. 42.* praxíque Ordinum Mendicantium, quorum omnes alumni tenentur petere approbationem; neque ordinarium munus audiendi Moniales in sacro tribunali debet ullatenus appellari beneficium parochiale, cùm tale munus respiciat solùm *secundariò*, & accidentalissime sæculares. Adde 1. quod Congreg. Concil. Trident. 64
apud Ascan. Tambur. *loco* mox citando *num. 5.* ita declaret. *Prælati Regulares, seu alii confessores non possunt audire Confessiones sæcularium, qui sunt de familia, & deserviunt ipsorum Monasteriis, absque approbatione, vel licentia Episcopi; secùs, si illi sint verè de familia, & continui commensales.* Adde 2. quòd repræsentet idem Tambur. *de jur. Abbat. Tom. 2 Disp. 6. quæst. 16.* Bullam Gregorii XV. & declarationem Congregationis, ubi absolutiones illæ Monialium vocantur *nullæ*, & *irritæ*, quas post publicationem, & *scientiam*, (nota bene hanc clausulam: *scientiam*) Bullæ Gregorianæ excepe-
runt confessarii non approbati ab Episcopo.

Quòd verò *validè* absolverit Babylas non 65
approbatus, casu, quo ejus antecessores, etiam sine approbatione, absolverunt, non contradicente Episcopo, à tempore Concilii Tridentini, rectè respondet Lessius, tam longa enim consuetudo, etiam post Concilium continuata, vel induxit in illo Monasterio præscriptionem contra Concilium, vel fuit causa, testísque erroris *communis*, qui junctus titulo *colorato* supplevit defectum juxta dicta *num. 49.* Addit Lessius (favente doctrinâ, quam 66
attuli *num. 44.*) illum Babylam posse sine ulteriore approbatione pergere in excipiendis illis sæcularium Confessionibus, quoad se opponat Episcopus, eo autem se opponente, petendam esse approbationem; quod utique est necessarium.

APPENDIX NORBERTINA.

HUjus Appendicis causam dedit venerabilis senex Ord. Præmonst. Præpositus loci, siti in hoc Episcopatu, dependentis autem à a
suo Monasterio constituto in Diœcesi Basileensi, in qua, & pro qua *sola*, ut loquebantur ejus ad me literæ, fuerat approbatus. Quærebat igitur: *Virùm fas sibi esset, Confessiones adventantium ad eam Præposituram excipere absque ulteriore approbatione, illa etiam de causa, quòd ejus sacra Religio gaudeat privilegiis Mendicantium.*

Respondi: Quia fuit priùs approbatus cum expressione *restrictivæ* particulæ: *sola* dicendo:

do: Approbamus te pro nostra *sola* Diœcesi, hæc approbatio habet se respectu aliarum Diœceseon perinde, ac si nunquam penitus fuisset data, quandoquidem *taxativæ* particulæ? *Solus, Solùm, Tantùm* sunt *negativæ* particulæ, & quando junguntur dispositioni *affirmativæ*, ut est: *Approbo te*, habent *implicitam negativam*, ut tradunt alii, atque alii apud Barbosam *in Dictionibus, solus, solùm, tantùm.*

c 2. Idem dicendum, *per se loquendo*, tametsi non fuisset addita, vel subaudita vocula: *Sola.* Ratio est, quia monui suprà *n. 58.* non posse jam sustineri opinionem ante hac arbitratorum, approbationem datam *illimitativè* ab uno Episcopo, valere pro toto mundo.

d 3. Participatio privilegiorum Mendicantium nihil prodest hoc loco, nec enim hi gaudent ullo *positivo*, & *formali* privilegio ad excipiendas Confessiones absque approbatione Ordinarii loci, in quo sunt audiendæ, sed solâ dissimulatione habitâ pro approbatione *tacita*: quamvis autem iidem Religiosi Mendicantes approbati alibi, atque ad hanc Constantiensem Diœcesin translati, non consueverint omnes se sistere pro nova approbatione ignoro tamen, utrùm vitam monasticam profitentes, qui non solent de uno monasterio transferri in aliud, ne dum de uno in alium Episcopatum, se se præsentent pro nova approbatione. Quapropter ipse procuravi, misíque approbationem illi Domino Præposito, & satis mihi noto, & testatus de sufficientia doctrinæ.

e Quod verò attinet assertum de communicatione, qua potiri dicitur sacratissimus Ordo Præmonst. id ipsum admodum Reverendus & eruditissimus P. Norbertus Augiæ Candidæ Ord. itidem Præmonst. Prior non modò confirmat literis ad me exaratis, sed insuper testatus est, Patrem Thomam de la Cruz Ord. Præd. *De statu Relig. & Privil. Cap. 4. De communicat. Privil. n. 1.* ponere hanc expressam conclusionem: *Omnes Religiones etiam non Mendicantes communicant in privilegiis.* Vide tamen, quæ hanc in rem scribit Emanuel Rodriquez *Quæst. Regular. Tom. 1. quæst. 55.* per plures articulos, & quæ nos infrà in hoc ipso Alphabeto *in Append. ad Cas. VIII.*

f Priùs tamen observa, à Virginio Alvisetscriptore & erudito & cordato, *in Murenulis Vermiculatis*, seu *Lib. De Privil. Regul. Sect. 3. cap. 5.* tradi sequentia.

I. Esse probabile, quòd etiam post Trident. Concilium, & recentiores Bullas, ille Religiosus haberi possit pro sufficienter approbato ad sæcularium quoque Confessiones excipiendas, qui approbatus est à suo superiore Religioso, eò quòd Prælati Regulares sint præditi Jurisdictione *quasi Episcopali. n. 13. & seqq.*

II. Quòd iidem Prælati nullâ indigeant alià approbatione etiam respectu sæcularium pœnitentium, eò quòd Prælatura Religiosa habenda sit pro beneficio parochiali, & Sixtus V. Anno 1585. declaraverit respectu Cassinensium, quod privilegium puto ego esse commune omnibus Religionibus Jure communicationis. *n. 18.*

III. Si Regularis rejectus ab uno Episcopo petat ab alio approbationem, hic autem alius etiam neget, posse nihilominus talem Religiosum exponi à suo superiore per Clementin. *Dudum. De sepult.* non revocatam efficaciter à Trident. *n. 23.*

IV. Non posse ab Episcopo revocari ad exg
amen illum Regularem, quem ejus antecessor approbavit, sicut nec potest Episcopus omnes & singulos Regulares unius Monasterii suspendere simul ab audiendis Confessionibus. *n. 23. & 23.*

V. Parochum posse pro sua parochia approbare sacerdotem, eò quòd ipsi id permittatur *Cap. Omnis, De Pœnit. & Remiss.* quod capitulum non abrogavit Tridentina Synodus, cùm abroget solùm consuetudines & privilegia suo Decreto adversantia, refértque pro hac doctrina Thomam Hurtadum, Machadum, & alios *n. 25.*

Hæc & alia idem Doctor, quæ relinquo in medio, nisi quatenus adversantur, aut patrocinantur hactenus assertis à me.

CONFESSARIUS
JURISDICTIONE PRÆDITUS.

CASUS III.

Irrisi, non Irridendi.

SUMMARIUM.

Casus rustici volentis alieno confiteri tempore non Paschali. 67.
Distinctio inter approbationem, & jurisdictionem. 69.
Ordinaria jurisdictio quæ? 70.
Jurisdictio quot modis acquiratur? 74.
Quando liceat sine facultate parochi confiteri alteri? 76. & 77.
Cui confitebitur parochianus, mortuo suo parocho? 78.
Jurisdictio in venialia cui competat? 79.
Consuetudo quando, & quibus det jurisdictionem? 81. & seqq.
Singulariter respectu peregrinantium. 82.
Jurisdictio quomodo detur implicitè? *85.*
Tacita *licentia nil valet, nisi exprimatur signo externo. 87.*
Licentia Tacita *propriè quomodo differat à* Præsumpta? *90.*

Cur licentia pro aliis Sacramentis sufficiens non sufficiat pro Sacramento Pœnitentiæ? 93.
Expenditur doctrina Navarri de duobus vicinis parochis, quorum parochianni confitentur utri libet. 95. & seq.
Regulares Mendicantes à quo accipiant jurisdictionem? 99.
Etiam tempore Paschali valet illa jurisdictio. Ibidem.
Delegare quis possit? 100.
An pœnitentiarius Diœcesanus? 101.
Quo pacto Capucini possint in suis festivitatibus assumere etiam pro Casibus reservatis Sacerdotes sæculares? 103.
Privilegia non sunt extendenda ultra proprietatem verborum. Ibid.
Privilegia, concessa festivitatibus unius Ordinis Mendicantium, sunt etiam concessa aliis. 104.
Benedictini in Helvetia gaudent privilegiis Mendicantium. 105.
Error quomodo tribuat jurisdictionem? 106. & seqq.
An exigat titulum coloratum? 108.
Declaratur casu simplicium hominum. 111.
An, & quomodo probabilitas opinionis tribuat jurisdictionem? 112.
Quid si habeatur probabilis solùm ab uno? 118.
An dubius de jurisdictione absolvat licitè? *119. & seq.*
Quis absolvat validè *in articulo mortis? 122. & seq.*
Quinam censeatur esse in articulo mortis? 125. & 126.
In hoc sunt sequenda tutiora. 133.
Refertur aurea sententia P. Vincentii Caraffa. Ibid.
Mortuus quomodo absolvendus? 134.
Quomodo expiret jurisdictio? 139.
Et singulariter cooperatorum parochialium? 141.
An Religiosi Mendicantes possint absolvere extra forum conscientiæ? 143.
An absolutus ab excommunicatione in foro interiore se licitè *gerat pro non-excommunicato. 144.*
Parochus nondum sacerdos an validè *constituat Vicarium? 145. App. 1.*
An Parochus admittendo præsentationem ad aliam parochiam, excidat jurisdictione. App. 2.

67 *Crispinus Parochianus pagi A. accedit extra tempus paschale Chrysologum pagi B. Confessionis gratiâ. Sed quærit ex eo Chrysologus, feceritne ipse suus parochus copiam confitendi alieno parocho? Respondet Crispinus: Non petii quidem ab eo facultatem manifestandi alteri meam conscientiam, est tamen moris in hac tota vicinia, ut quisque extra tempus Paschale petat à quolibet alieno parocho beneficium absolutionis. Chrysologus ignarus (nec dum enim diu illic habitaverat) ejusmodi consuetudinis, ratúsque non esse in re tanti momenti facilè adhibendam homini agresti fidem, dicit Crispino: Mi bone vir, ut tantò certiùs consulam tuæ animæ, cujus emaculandæ gratiâ huc venisti, peto, redeas domum, poscas à tuo D. Parocho facultatem faciendi apud me exhomologesin; ubi annuerit, revertere ad me, habebis me promptum ad te audiendum. Paruit Crispinus, rediit cum expressa sui pastoris facultate; illum suis vinculis exsolvit Chrysologus, sed exsolvit non sine aliqua sua mortificatione. etenim nonnulli riserunt, irriserúntque supervacaneam, ut ajebant, scrupulosámque cautelam Chrysologi, aliquibus apertè dicentibus, sufficere, si quis peragat Confessionem Paschalem apud proprium parochum, reliquas per Annum posse, per se loquendo, peragi apud quemvis seu approbatum, seu saltem jurisdictione præditum. Quæritur, utrùm Chrysologus fuerit ridendus, an potiùs illi, qui illum irrisêre?*

68 Refero, quæ mihi de se recensuit ab hinc Annos aliquot Chrysologus: factum ejus, qua ratione queat optimè defendi, ostendam *n. 97.* Ad cujus facti objectum, adeóque necessitatem, & rationem jurisdictionis compendio intelligendam.

Quæritur I. *An, & quæ jurisdictio exigatur in confessore?*

69 Resp. I. *Quoniam natura, & ratio judicii id exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Dei Ecclesia fuit, nullius momenti eam absolutionem esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem* ordinariam, *aut* subdelegatam *non habet jurisdictionem.* Ita pronuntiat Synodus Trident. *Sess. 14. cap. 7.* ubi & responsionem, & fundamentalem responsionis rationem perspicis, quam sic declaro. Quando Episcopus dicit Neomystæ: *Approbamus te*, est perinde, ac si dicat: *Declaramus, te esse idoneum excipiendis Confessionibus illorum, qui aliquando tibi legitimè subjicientur in foro Sacramentali*, at quando dicit: *Damus tibi jurisdictionem in hos, aut illos*, est perinde, ac si dicat apertiùs: *Impertimur tibi jus audiendi hos, aut illos*, seu *volumus, aut permittimus, ut hi, aut illi se tanquam arcano judici humiliter subjiciant*; quæ duo sunt valde diversa, ut per se patet.

70 II. Requiritur itaque in confessario Jurisdictio vel *Ordinaria*, vel *Delegata*. *Ordinaria* est, quæ alicui competit ratione officii ordinarii, habentis curam annexam animarum, ut habet

habet Episcopus, ejus in spiritualibus Vicarius, Parochus, Abbas, seu Prælatus Regularis. *Delegata*, seu *extraordinaria* est, quæ per commissionem delegatur, vel conceditur illi, qui non habet officium, cui per se sit annexa jurisdictio, ut sunt plurimi Capellani, itémque Religiosi ex privilegio Apostolico excipientes Confessiones sæcularium. Potest autem utraque jurisdictio esse vel in solam personam pœnitentis, vel in ejus etiam peccata, quia sci-
71 licet ea non sunt reservata. Et utique non quivis sacerdos habet jurisdictionem in quemvis pœnitentem, imò multi nullam habent. Et quamvis, quando consecrantur sacerdotes, dicatur iis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, per hæc tamen verba non tribuitur cuiquam jurisdictio *actualis*, & *formalis*, sed tantùm *fundamentalis*, id est, potestas absolvendi omnes, qui se ei legitimè subjecerint.

72 III. Præditus potestate, seu *ordinariâ*, seu *delegatâ* excipiendi Confessionem aliquorum, potest *licitè*, *validéque* eam circa eosdem exercere ubique terrarum; cùm enim absolutio peragatur sine strepitu forensi, non turbat cujusquam jurisdictionem.

73 IV. Sine fundamento dixêre nonnulli apud P. Ægidium Coninck *De Sacrament. Part. 2. disp. 8. n. 22.* sicut, si in alieno territorio sæculari patres aliquod publicum delictum, potes puniri à judice loci, ita, si in aliena Diœcesi committas peccatum *internum*, vel *externum*, posse te à loci Episcopo absolvi. Nam fortiris quidem ratione delicti forum causarum, non autem forum conscientiæ. Navarr. *in Cap. Placuit. De Pœnit. dist. 6. n. 83.* quia forum causarum ordinatur ad externam pacem, quæ non conservatur, sed turbatur, si non puniantur delicta in loco illius fori. Vide omnino Rasllerum *Cap. 6 n. 9.*

74 V. Jurisdictio acquiritur tribus modis, scilicet à *Jure*, à *Consuetudine*, ab *Homine*: explico sigillatim hos modos.

Quæritur quippe II. *Quanam circa jurisdictionem à Jure datam sint pro praxi singulariter notanda?*

75 Resp. Seqq. I. A *Jure* habent jurisdictionem ii, quibus Jus scriptum impertitur eam; ut sunt in primis omnes ordinarii pastores, seu *ordinariam* jurisdictionem obtinentes respectu suorum subditorum.

76 II. Quando Parochus est ita rudis, ut nequeat suo fungi officio, habet probabiliter quisque sacerdos approbatus potestatem audiendi, absolvendique ejus subditos, faciente *probabiliter* (nam alii negant) hanc potestatem Urbano II. *Cap. Placuit. De Pœnit. dist. 6.* nec oportet ullam à tali parocho petere facultatem DD. apud Cardin. de Lugo. *De Pœnit. d. 19. Sect. 1.* quibus assentior casu, quo non adsit alius, qui saltem per privilegium, aut per commissionem Episcopalem habeat jus absolvendi. P. Tannerus *Tom. 4. disp. 6. quæst. 2. n. 5.*

III. Quin Navarrus *in cit. Cap. Placuit. n.* 77
144. & Toletus *Lib. 3. cap. 13.* post Silv. Palud. alios, censent, si nequeas proprio sacerdoti, id est, parocho, vel Episcopo confiteri sine gravi periculo animæ, famæ, aut corporis, aut si proprius sacerdos nolit, aut non possit excipere tuam Confessionem, negétque tibi facultatem exonerandi conscientiam apud alium, posse te nihilominus cuicunque aliquam audiendarum Confessionum potestatem habenti aperire *Sacramentaliter* tua peccata. Quod tamen meritò communiùs negant DD. cum, & apud Dicastillum *De Pœnit. Disp. 10. dub. 21.* ac Tannerum *loc. cit.* nisi deberes diu differre Confessionem. Dicastillo *ibid.* sicut eti- 78
am rectè post Suarez *De Pœnit. Disp. 27. Sect. 4.* notat P. Laymann. *Lib. 5. Tract. 6. cap. 13.* tametsi parochus vel æger, vel etiam mortuus sit, non ideo tamen permissum esse subditis accedere alienum confessarium non privilegiatum, sed exspectandum reditum, sanitatémve, vel donec Episcopus alium designet. In primo casu Tannerus permittit vel dimidiationem Confessionis, vel non confesso Communionem, si desit privilegiatus.

IV. A jure vel *Divino* ut putat Vasq. *in 3.* 79
Part. quæst. 93. art. 1. dub. 6. vel *Humano*, seu *Ecclesiastico*, ut mavult Suarez *Disp. 26. Sect. 3.* accipit quivis sacerdos in sua ordinatione potestatem absolvendi à *venialibus*, ut plerique omnes contra Medinam, itémque *mortalibus* jam semel confessis, ut itidem plerique contra Sotum, & alios tradunt, addente singulariter (at dubito, an probabiliter) Valero apud Dianam *Part. 2. Tract. 2. Res. 64.* etiam ab iis mortalibus, quæ quis oblitus est confiteri, eò quòd sint *indirectè* remissa. Porrò totam hanc potestatem aufert Ecclesia excommunicatis, & degradatis, sicut & aufertur aliter Regularibus à suis Superioribus, ut dicam infrà.

Quæritur III. *Quomodo Jurisdictionem det* 80
consuetudo?

Resp. Cum Tannero *cit. Quæst. 9. n. 55. & seqq.* aliisque in hunc modum.

A *consuetudine*, accedente nimirum simul 81
tacito consensu Superioris scientis, & tacentis, (*nullâ enim consuetudine introduci potest, ut, quis præter sui Superioris licentiam sibi confessorem eligere valeat. Text. Cap. 2. De Pœnit. & Remiss.*) jurisdictionem accipiunt. 1. Cardinales ad suorum familiarium Confessiones excipiendas. 2. Sacellanus Imperatoris ad excipiendam Confessionem Imperatricis. 3. 82
Quivis sacerdos approbatus, ad absolvendum quemvis sacerdotem sæcularem. 4. Quivis parochus, & multò magis Regularis expositus (non autem alius, qui in eo loco nullam jurisdictionem habet) ad cuivis vagabundi, & peregrini (sive is devotionis, sive mercaturæ, cau-

„causâ peregrinetur) in ejus parochia, seu ter-
„ritorio existentis Confessionem excipiendam;
„idquenon solùm tempore præcepti, sed etiam
„aliàs, ut contra Cajetan. tradunt alii, At-
„que ita, vi consuetudinis, accedente simul
„parochorum *tacito* consensu, excusari possunt
„Confessiones, quæ fieri solent à peregrinanti-
„tibus ad loca etiam non valde remota alienis
„sacerdotibus, quamvis in hac re cautos opor-
„tet esse pœnitentes, ne id faciant in fraudem
„parochi, vel sine ejus facultate, ubi id non
83 „est *notoriè* concessum, præsertim locis propin-
„quioribus, adquæ spatio diei itur, & reditur,
„cùm respectu talium locorum propriè pere-
„grini dici non possint, qui tamen semper in
„parochia habitare, & residere censentur. Ita
Tannerus loquitur *cit. n. 55.* à quo tamen dis-
sentit inprimis quoad vagos probabiliter Lay-
man. *loc. cit. Cap. 10. n. 7.* tradens post Navarr.
Cap. Placuit. De Pœnit. dist. 6. n. 79. contra
Tanner. & Coninck *loc. cit. n. 62.* esse iis libe-
rum, confiteri cuivis approbato, eò quòd nul-
lum proprium habeant parochum. Deinde
Bonacina *De Pœnit. quæst. 7. p. 5. & 6.* tradit,
viatorem posse absolvi à quocunque parocho
loci, per quem transit, aut ad quem venit, mo-
dò non eat ad vitandum proprium parochum,
eò quòd nec consuetudo, nec Pontifex hoc per-
mittat. Consentit Basilius Pontius referendus
in 1. Part. Alphab. Matrim. seu *Tract. 9. Cas.*
18. n. 484.

Quòd si quopiam festo die sit in pago remo-
to à te, aut etiam vicino proposita Indulgen-
tia plenaria, poteris illuc te conferre ad eam
lucrifaciendam, præmissâ Confessione apud pa-
rochum illius loci, nisi manifestè constet, pro-
prium tuum parochum nolle ratam habere ta-
lem Confessionem. Ratio est, quia in obscu-
ris inspici solet id, quod plerumque fieri solet;
censeo autem, non tricesimum quemque paro-
chum esse tam durum, quin faciat tunc suis co-
piam aperiendi alteri suam conscientiam. Hæc
notoria consuetudo est signum sensibile ratiha-
bitionis de præsenti, quamdiu se non opponit
expressè tuus plebanus.

84 Quæritur IV. *Quomodo detur jurisdictio ab*
Homine?

Resp. I. Is dicitur habere jurisdictionem
Ab homine, qui sine scripto, aut consuetudi-
nario jure accipit illam per delegationem ali-
cujus ordinarii pastoris, idque sive *explicitè*, &
directè, sive *implicitè*, & *indirectè*.

85 II. *Implicitè* jurisdictionem confert is, qui
videns, suos subditos confiteri velle, aut rei-
psa confiteri alieno, tacet, cùm facilè possit
impedire, si velit. Ita omnes; nam qui tunc
tacet, non solùm consentire, sed etiam suum
consensum exprimere suo silentio, adeóque si-
gno externo videtur. *Quid si autem revera dis-*
sentiat in animo, non verò impediat actu ipso,
quia scilicet vel timet rixas, vel putat, illum ali-
unde habere potestatem, vel jussit quidem per suum
capellanum, vel adituum moneri illum con-
fessarium. At neuter monuit?

Resp. Tunc erit invalida absolutio. Dica-
stil. *Disp. 10. Sect. 7. n. 172.* post Snarez, Co-
ninck, Lugonem, alios, quia præsumptio qua-
liscunque debet cedere veritati. *Cap. Nuper.*
De bigam. Quidsi verò ignoret, ame audiri tas- 86
les Confessiones, attamen ubi intellexerit, dicere
se jam esse contentum? An tunc censebo, valuisse
absolutionem?

Resp. Vel ideo dicit, se jam esse conten-
tum, quòd eo tempore, quo præbebas aures
confitenti, fuerit ita bene erga te affectus, ut,
si sciviſſet, te fungi illo officio, approbaturus
fuisset; vel ideo utitur illâ phrasi, quòd, te
audiente Confessionem, non fuerit ita bene af-
fectus erga te, attamen, auditis tuis ration-
ibus, approbet tuum factum; in hoc *secundo* ca-
su est omnino certum, in *primo* propè certum,
non valuisse absolutionem à te impertitam.
Primæ resolutionis causa est, quia omnes ne-
gant, valere absolutionem datam sub ratiha-
bitione de futuro, & ideo negant, quia nulla
essentialis pars Sacramenti potest pendere à fu-
turo, nec humanâ voluntate suppleri id *essen-*
tiale, quod abfuit ab initio vera absolutio, cùm
abfuerit tunc potestas illam dandi. *Alterius* 87
partis ratio est, quia *in secunda parte Alphab.*
Matrim. seu *Tract. 10. Cas. XIV. n. 551.* dice-
mus ex communissimo sensu Theologorum,
tacitum licentiam pro administratione valida
Sacramenti, pendentis à jurisdictione, vel qua-
si, nihil valere, nisi signo externo demonstre-
tur; idque esse certum, loquendo in specie de
tacita licentia absolvendi, asserit bis Suarez
De Pœnit. Disp. 26. Sect. 1. n. 16. consentien-
tibus in re ipsa omnibus, quos ibidem nomina-
vi cum Lugone *Disp. 19. Sect. 2.* Tambur. *De*
Sacram. Lib. 5. cap. 4. §. 6. n. 8. atque aliis re-
centioribus; ita ut non sciam, ullum ex iis no-
minari, qui neget.

Ratio est, quia voluntas *interna* non mani- 88
festata exteriùs, est impotens ad dandam juris-
dictionem, ut tradunt passim DD. in materia
tum Confessionis, tum Indulgentiarum. Si-
gnum autem *internè* approbantis auditionem
Confessionis est tùm silentium, seu taciturni-
tas, si absit ignorantia, timor rixarum &c. ut
paulò superiùs dixi; tum annutus capitis, ut
quando, te petente facultatem, moveo caput,
vel oculos eo modo, quo soleo, quando peti-
tioni alicujus annuo; tum, quando Episcopus
Sacerdotem constituit in Vicarium parochi, vel
in ejus Capellanum parochialem, vel tribuit
illi munus, cui annexum est munus confessarii.
Tamburin. *loc. cit.*

Adde, quòd nequaquam sufficiat, te esse 89
ita bene affectum erga alterum, ut, si à te pe-
teret facultatem, esses ipsi largiturus, vel ul-
tro concessurus, si veniret tibi in mentem. Et
enim

enim licentia *præsumpta* supponit necessariò ac-
tum *positivum* voluntatis, quia jurisdictio non
delegatur sine actu *positivo* voluntatis deleganti-
is P. Suarez expressè *Disp. 27. Sect. 4. n. 61.* cum
DD. hactenus citatis, adeóque non sine con-
sensu Superioris, vel *actuali*, vel *habituali*, sci-
licet, qui jam quidem non amplius extat, exi-
tit autem prius, & revocatus non est, P. Tam-
90 bur. *loc. cit. n. 6. & 7.* Confirmantur dicta de-
finitione, qua, tacentibus plerisque aliis, li-
centiam *tacitam* describit Suarez *De Relig. Tom.*
3. lib. 8. cap. 11. n. 6. sic loquens: *Licentia ta-*
cita in rigore, & proprietate verbi est, quæ in a-
liquo actu expresso juxta legalem, vel rationabi-
lem interpretationem virtute continetur: præ-
sumpta verò propriè dicitur, *quæ per conjectu-*
ras, vel probabiles rationes creditur futura fuis-
se, si Superior conveniretur, de præsenti verò nul-
lo modo existit, nec per specialem, nec per genera-
lem voluntatem. Ita Suarez, & ferè Sanchez *De*
Matrim. Lib. 3. disp. 35. n. 123. sic differens:
91 Licentia *tacita*, seu ratihabitio de præsenti est,
„quando tempore, quo administratur Sa-
„cramentum, adest, consensus *tacitus*, & *in-*
„*terpretativus* parochi, aliquo externo manifesta-
„tus, ut quando duo parochi sunt tantâ chari-
„tate conjuncti, ut alter sciens, suos parochia-
„nos alteri confiteri, & coram altero inire Ma-
„trimonium, gaudeat, & admittat Confessio-
„num schedulas. Ergo horum, aliorúmque
judicio *tacita* licentia exigit actum *positivum*
voluntatis.

92 Dices: Ut *validè*, imò & *licitè* administrem
Eucharistiam, aut Extremam Unctionem alie-
no, sufficit *præsumpta* rationabiliter voluntas
proprii parochi, esto revera nunquam consen-
serit actu; sufficit quoque ad me excusandum
à peccato furti, aut proprietatis, si usurpem
rem alienam, aut mei Monasterii, dummodo
usurpem ex *præsumpta prudenter* voluntate
Superioris, aut Domini, qua scilicet foret mi-
hi concessurus rem illam, quam usurpo, esto ac-
tu nihil cogitet de concessione. *Ergo etiam*
jurisdictio pro Confessionibus audiendis dari potest
sine actu, & sine signo requisitis à nobis.

93 Resp. Negando consequentiam, quia in-
primis valor administrationis illorum duorum
Sacramentorum existit etiam contra expres-
sam, manifestámque voluntatem Superioris,
non item valor absolutionis, ut fatentur o-
mnes. Deinde usurpatio rei alienæ etiam po-
test esse vera usurpatio illius, etsi contradicat
Dominus; verè enim, & *validè* utor libro fur-
tivo; verè, & *validè* emo furtivis pecuniis e-
quum; at sicuti ego, si non sim negotiorum ge-
stor, non *validè* vendo equum alienum, licèt
prudentissimè (falsò tamen) præsumam, ejus
Dominum sic velle, ita *invalidè* absolvo, si ab-
solvam ex prudentissimè quidem, falsò tamen
præsumpta licentia Superioris, seu proprii pa-
94 rochi. Item concessio facultatis utendi re a-
lienâ, non est actus jurisdictionis, sicut facul-
tas absolvendi; & quamvis *absolutè* non vale-
at venditio rei alienæ facta ex falsò *præsumpta*
voluntate, seu permissione Domini, potest ta-
men per hujus ratificationem ex *invalida* transi-
re in *validam*, eò quòd sit integre subjecta
voluntati Domini, ut absolutio non est ita
subjecta voluntati Superioris, nec enim valet
eam, quæ fuit ante dimidium horæ quadran-
tem *invalida*, facere *validam*, ob rationem al-
latam suprà *n. 86.* ergo rectè requiritur ad va-
lorem hujus tum actus *positivus* voluntatis, tum
signum *externum*, esto, non ita requiratur in
aliis actionibus pendentibus à mera voluntate,
& arbitrio hominum, quia in plurimis harum,
ut *licitè* fiant, sufficit non repugnantia Domini,
aut Superioris, ut ex Cardin. de Lugo declarat
Dom. Reding *Tom. 6. quæst. 5. art. 1. Controv. 2.*
Quare est cum grano salis intelligenda doc- 95
trina *practica* Navarri *in Manuali Cap. 9. n. 5.*
absolute scribentis, quando duo parochi adeò
sunt familiares, & vicini, ut uterque illorum
tam velit, ut sui parochiani alteri confiteantur, quàm sibi; in eo casu absolutionem im-
pensam parochiano unius, qui alteri parocho
confitetur, absque alia licentia, *validam* reputari, vi licentiæ *tacitæ*, seu præsentis ratificati-
onis. Hæc quippe doctrina non est vera, nisi
signo *externo* prodita sit hæc licentia erit au-
tem prodita, si, postquam intellexit ille vici-
nus, aliquos suorum ita esse confessos, appro-
bavit factum; etsi enim hæc approbatio *tacita*,
vel *expressa* non efficiat, ut valeant Confessio-
nes tunc primùm approbatæ ab eo, facit tamen,
ut valeant secuturæ, illæ autem priores non
valuerunt, nisi ante auditionem illarum fuerit
usus talibus verbis, aut factis, quibus manife-
stare vellet, fore sibi gratam illam fraternam
confidentiam, atque operam; aut nisi dicas,
concessionem licentiæ latere, & contineri in-
illo mutuo amore, qui cùm manifestetur exte-
riùs, hoc ipso etiam manifestatur concessio li-
centiæ. Hanc explicationem dat Lessius *De*
justit. & jure Lib. 2. cap. 41. dub. 9. n. 79. in fi-
ne. loquens de *tacita* licentia benigni Superi-
oris in materia paupertatis.

At quando viget in aliquo districtu *notoria* 96
consuetudo confitendi alieno, extra tempus
Paschale, non est opus aliâ jurisdictione ad a-
lienum audiendum; cùm enim sit *notoria*, &
non se opponant parochi, meritò præsumun-
tur *positivè* consentire, ut pergatur in ea con-
suetudine, hujúsque consensus signum *exter-*
num esse taciturnitatem aut etiam usum, quo
ipsimet solent alienos audire, non petitâ aliâ
facultate. *Quid si autem unus illorum paracho-*
rum injusta, aut injusta ex causa nollet consentire
in illam consuetudinem? Resp. *Invalidè, per se*
loquendo, absolverentur ejus subditi. Suar. *Disp.*
27. Sect. 3. n. 6. & 7. at *per accidens validè* ob
errorem communem.

Quia

97 Quia verò constat, permultos parochos reperiri, qui non patiantur, ut sui accedant alienos parochos, nisi petitâ expressâ licentiâ, idcirco non est confestim habenda fides cuivis agresti homini, asserenti, vigere in suo pago generalem licentiam, sed ex circumstantiis ætatis, judicii, constantiæ in dictis, probationum, quibus firmat suam assertionem, dijudicandum, an verum loquatur necne. Quare nequaquam ridendus fuit ille D. Chrysologus, de quo *n. 67.* quandoquidem circumstantiæ pœnitentis potuerunt meritò illum reddere dubium, & ancipitem. Ridendi verò erant illi, qui pronuntiabant, esse jure communi, aut consuetudine universali permissum, ut omnes Confessiones, exceptâ Paschali, fiant cuivis alieno parocho, aut cooperatori; est enim hoc pronuntiatum alienissimum, non solùm à vero, sed etiam à specie veri.

98 III. *Indirectè* datur jurisdictio *ab Homine*, quando quis alioquin approbatus, sed non habens jurisdictionem in hunc pœnitentem, eligitur in confessarium ab hoc pœnitente, utpote habente facultatem concredi cuivis approbato, sicut habent *Magni* Principes, teste Tannero *cit. quæst. 9. n. 54.* ex Sotò.

99 IV. Regulares Mendicantes accipiunt à Summo Pontifice jurisdictionem ad excipiendas Confessiones cujusvis fidelis, quamprimum à suis Superioribus deputantur ad munus audiendi confitentes, modò sint legitimè approbati. Laymann. *Cap. 10. n. 7.* adeóque irrequisito parochorum (extra horum Ecclesias) aliorúmve Superiorum (nisi pœnitens sit Religiosus, ut ostendam *Cas. XX.*) consensu, ut constat ex Bullis Pontificiis. Ex quibus liquet, certò errâsse nonnullos, quos in diversis locis novi, parochos, qui contendebant, suos parochianos æquè peccare faciendo apud Religiosos Privilegiatos Confessionem Paschalem, atque peccant obeundo apud illos Communionem Paschalem. Etenim Privilegia Regularium excipiunt Communionem Paschalem, at nullo modo Confessionem, & etiam ideo non excipiunt, quia nemo tenetur, *per se loquendo*, confiteri tempore Paschali, sed sufficit, modò semel in Anno, sicut è nostris Catechismis didicimus in pueritia. Plura de hoc *in Alphabeto Confitentium Cas. XI.*

100 Quæritur V. *Quis possit delegare facultatem audiendi Confessiones?*

Resp. I. Omnis, qui est prædituς *ordinariâ* jurisdictione; nam, generatim loquendo, habens *ordinariam* jurisdictionem, *validè* delegat eam alteri; sed in hac præsenti materia delegat eam alteri; sed in hac præsenti materia debet hic alter esse approbatus.

II. Licèt *absolutè* delegatus non possit subdelegare jurisdictionem *Cap. Cùm causam. De appellat.* quia tamen hæc doctrina varias habet exceptiones, ut videre est apud Coninck *Disp. 8. dub. 4* aliósque, & nominatim illam, quòd omnis delegatus ad *universitatem causarum* (cui scilicet est concessa facultas, omnes causas, in hoc aut illo loco occursuras, expediendi) possit suam potestatem subdelegare alteri, ideo dico cùm hoc authore, & aliis communiter, illum, cui est tanquam Vicario commissum officium, habens annexam curam animarum in parochia, posse alteri subdelegare, non quidem totum *officium* Vicarii, nisi consuetudo faveat, sed tamen facultatem, seu *exercitium* audiendi Confessiones. At verò illum, cui non ipsum *officium*, sed solùm *exercitium* ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ demandatum est (sicuti demandatur Religiosis privilegiatis) non posse hoc *exercitium*, seu ministerium, ac facultatem communicare cum altero, nisi itidem, vel consuetudo vel expressa declaratio delegantis, vel alia quæpiam causa interveniat.

APPENDIX.

a His de Religiosorum potestate delegandi, vel non delegandi jurisdictionem jam pluries excusis, proponitur mihi scripto à quodam Theologo dubium de jurisdictione, hujusque delegatione competente Religiosis: & quia videtur ille P. Theologus dissentire aliquantum à me, placet huc transferre compendium sapientis discursus, quem de hac ipsa materia legere est apud P. Suarez *Tom. 4. De Religione Tract. 8. lib. 2. cap. 15. num. 2.* & consistentem in his punctis.

b Primò, certum est, habere Prælatos Religionum Ordinariam jurisdictionem ad absolvendum suos subditos Religiosos à peccatis. Patet, quia sunt ordinarii pastores animarum suorum subditorum, & in eos translata est cura, quam Episcopi, vel Parochi habent circa suos subditos sæculares, ergo habent prædictam jurisdictionem ex vi sui muneris, quod est habere illam tanquam ordinariam. Denique hoc est per se notum ex usu, & institutione ferè omnium Religionum exemptarum, sequitúrque necessariò ad ipsam exemptionem, ut suprà dictum est.

c Secundò. Hæc jurisdictio est in pluribus Prælatis Regularibus inter se subordinatis respectu ejusdem seu eorundem subditorum. Nam Prælati Conventuales habent hanc jurisdictionem circa Religiosos sui Conventûs, & circa eosdem habet Provincialis eandem jurisdictionem de se æquè immediatam quoad usum absolvendi subditos, si velit etiam invito Prælato Conventuali, sicut & Generalis in subditos totius Religionis suæ; omnes enim hi sunt proprii & ordinarii pastores talium animarum. Unde Prælati Conventuales solent Parochis comparari in hoc foro, quia sunt proximi pastores ordinarii talium animarum: Provinciales autem sunt tanquam Episcopi; Generales verò

verò non habent tantam proportionem cum Pontifice respectu suorum subditorum, quia Pontifex est simpliciter supremus, & ordinarius pastor, etiam in hoc foro ipsorum Religiosorum: Generales autem sunt sub ipso Summo Pontifice, & ideo solent comparari Archiepiscopis vel Patriarchis. Sed in hoc differunt ab eis, quòd Archiepiscopus non habeat ordinariâ jurisdictionem in hoc foro in Diœcesibus suffraganeorum, nisi dum visitat: Generalis autem semper est ordinarius pastor, & ideo ipse etiam uti potest immediatè tali jurisdictione.

d Tertio. Hinc certum est, quemlibet ex his Prælatis posse hanc jurisdictionem pro suis subditis aliis delegare, quia quicunque habet potestatem ordinariam, potest illam delegare; neque in præsenti est ulla ratio limitandi hoc generale principium, seu faciendi exceptionē, imò est moraliter loquendo necessarium, ut superior Religiosus deleget uni, aut pluribus, quamvis ipse debeat esse paratus ad Confessiones subditorum audiendas, si ipsi velint ei confiteri, non tamen debet ordinariè ad hoc illos cogere; éstque in hac re magna differentia inter Superiorem Regularem & sæcularem Parochum; verba autem Clementis Octavi in Decreto *de reservatione casuum pro Regularibus* sic statuentis: *Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint*, sunt ita intelligenda, ut etiam subditi dicendi sint, *sponte* confiteri Superiori, quando ex ejus consilio ipsi confitentur.

e Hæc & plura P. Suarez, qui sine dubio agnoscit in confessariis, quos immediatus superior nominat, seu constituit, reperiri jurisdictionem solam delegatam, & proinde non delegabilem per hos, cùm delegatus nequeat ordinariè subdelegare, ut observavi paulò antè. Et inde patet, quia confessarius talis non habet aliquod officium, cui per se adjuncta sit jurisdictio. E diverso autem Vicarius Generalis Episcopi, Vicarius parochiæ constitutus ab Episcopo, Vicarius Prælati Regularis, adeóque Vice-Guardianus, Vice-Rector, &c. *validè, licitéque* subdelegant aliis potestatem, quam habent in suos subditos Regulares. Tannerus *cit. quæst. 9. num. 48.* ex communi; testante Laymanno *Cap. 10. num. 13.* ex Chapeaville, esse ubique receptum, ut Vice-Curati absentes ad tempus, delegent alteri sacerdoti munus pastorale, idque maximè pestis tempore observandum esse.

101 Undè ulteriùs observo, Pœnitentiarios Episcopales (sicuti ex clementissima voluntate Illustrissimorum Dominorum Diœcesanorum fuit hactenus semper unus aliquis ex hoc nostro Collegio Constantiensi pro hac Diœcesi) haud egressuros esse fines suæ delegationis, si ad se directos cum patente charta à Reverendissimis Dominis Vicariis Generalibus pro absolutione à reservatis, curent interdum absolvi per alium è Collegio, quem ipsi nominant. Expertus ego sum, esse id conforme saltem *tacitæ* voluntati Reverendissimorum Dominorum Vicariorum Generalium, & meritò; tales enim pollent generali potestate, ut liquet ex Constitut. Synodalibus hujus Diœcesis *Part. 1. Tit 11. n. 17.* Atque ita docet Pellizarius *in Manual. Regul. Tom. 1. Tract. 6. cap. 2. Sect. 2. n. 87.*

Nec videtur officere huic doctrinæ, licèt in 102
literis, quibus Episcopus, vel creat, vel confirmat aliquem Pœnitentiarium, exprimatur (ut in Diplomate ad Patrem Pœnitentiarium ex hoc nostro Constant. Collegio expressit Anno 1646. Reverendissimus, & Illustrissimus Princeps, atque Episcopus noster Franciscus Joannes) hæc clausula: *Præter Vicarium nostrum in Spiritualibus Generalem, te quoque adid* (scilicet absolvendum in foro conscientiæ ab Episcopalibus casibus, dispensandúmque in suspensionibus, & irregularitatibus, ad forum contentiosum non deductis, vigore Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 6.*) *specialiter deputamus.* Etenim vocula *specialiter* significat idem, quod *expressè*. Barbosa *Diction. 381.* vocula autem *expressè* non est restrictiva ad individuam personam. Et saltem tunc illa clausula *specialiter* non inhibet subdelegationem pro singulari aliquo actu, quando facultas absolvendi, & dispensandi impertitur Pœnitentiario cum clausula: *Volumus autem, ut hæc specialis concessio tibi, & successoribus tuis, usque ad nostram, vel successorum nostrorum, expressam revocationem competat*, sicuti loquitur nominatus Reverendissimus, & Celsissimus Episcopus Franciscus Joannes; tunc enim clarum est, illam facultatem annecti ipsi officio, adeóque esse propriissimè *Ordinariam*, & consequenter pollere jure subdelegandi Executionem, seu *Ministerium*, esto non *Officium*. Utrùm verò Pœnitentiariis generatim competat potestas absolvendi à reservatis Episcopo, vide infrà *n. 403.*

Huc refero solutionem quæstionis à Reverendissimo quodam Prælato propositæ mihi non ita pridem circa quoddam

Privilegium Capucinicum.

V*Trùm videlicet Superiores Seraphici Ordinis Patrum Capucinorum possint, die Portiunculæ, asciscere Sacerdotes sæculares, qui eos juvent in audiendis Confessionibus, absolvendo à casibus etiam Papalibus, commutandis omnibus (præter quinque reservata) votis quorumcunque Christi fidelium, illo die Confessionis, & indulgentiæ gratiâ confluentium ad Ecclesias prædicti Ordinis Sacri non instructæ Patribus sufficientibus satisfacere pietati omnium.* 103

Ratio dubitandi, imò *affirmativè* respondendi, afferebatur ante *primam* excusionem hujus Alphabeti, hæc unica, quòd Leo X. ut videre est apud Augustinum à Virgine MARIA *Verb. Casus Reservati n. 4.* hanc gratiam fecerit Correctoribus, seu Superioribus Sacri Ordinis Minimorum, pro festivitate Omnium Sanctorum, Annuntiationis, Pentecostes, & Assumptionis Deiparæ; quia igitur totus Seraphicus Ordo communicat in *omnibus* aliorum universim Ordinum Mendicantium, & speciatim Minimorum privilegiis, videbatur nonnemini, posse hanc gratiam propter paritatem rationis, extendi ad Reverendos Patres Capucinos pro festo Portiunculæ. Censui tamen, spectatis præcisè verbis Bullæ Leoninæ, illam extensionem fieri non posse, tametsi utique communicatio prædicta habeat vires, respectu illorum ipsorum quatuor festorum, quæ exprimuntur in ea Bulla Ducebar tum autoritate *Cap. Sanè. De privilegiis*, ubi *implicitè*, quia à fortiori, vetatur, ne quis utens alieno privilegio extendat hoc ad alios casus, quàm fuerit primitus permissum; tum eâ ratione, quòd privilegium nequeat ob solam paritatem rationis extendi ultra omnem verborum proprietatem. Bartholus, Baldus, alii communiter cum, & apud P. Suarez *De Legib. lib. 8. c. 28. n. 11.* tum quia, si non esset communicatio privilegiorum expressè impertita Mendicantibus Ordinibus, nemo illam assereret ob paritatem rationis; tum quia, si prædictum privilegium exporrigi potest ad festum Portiunculæ, nil obstabit, quò minùs quilibet Ordo ex participantibus privilegia Minimorum valeat addere quatuor festivitatibus in Bulla Leonina nominatis duo, tria, quatuor, alia, atque adeò plura, quàm sit permissum ipsismet Patribus Minimis; quod equidem adhuc magis re-
104 pugnaret citato capitulo *Sanè*. Hæc, & plura hanc in rem scripseram, typóque vulgaveram tunc, cùm præsens Alphabetum *primam* lucem vidit; quæ ut legit P. Bonagratia Habsensis Franciscanus Capucinus, ut se ipsum indigitat in fronte suæ perutilis *Summulæ Quæstionum Regularium* Definitor Provincialis, atque Custodiæ Constantiensis Præses, tum literis humanissimis ad me datis, tum etiam coram, docuit me perquam modestè, & verè charitativè quidpiam, quod si perspectum habuissem priùs, respondissem verbo, & scripto, illam, qua de loquimur, extensionem legitimè fieri posse, non quidem vi Bullæ Leoninæ, quæ tunc sola nominabatur, sed virtute posterioris Clementinæ. Siquidem Clemens septimus mediatus successor Leonis sustulit probabiliter limitationem numeri quaternarii, superiùs expressi, atque ampliavit *Anno 1532.* in Bulla incipiente *Devotionis augmentum*, quam, teste P. Bonagratiâ, refert Peyrinis, atque ego postmodum reperi apud Confettium *in privilegiis Ordinum Religiosorum Fol. mihi 171* Cùm enim hic Pontifex confirmâsset Bullam Leonis editam in favorem RR. PP. Minimorum, & Ecclesiarum simul ad eos spectantium, nominâssetque illa sola quatuor festa, quæ Leo, & Julius secundus: postmodum subjecit idem Clemens hanc clausulam: *Ac tempore ipsarum Indulgentiarum Correctores domorum hujusmodi tot, quot juxta multitudinem populi necessarii fuerint, Confessores* (sæculares) *deputare posse, & sic ab omnibus censuris absolvere debere definimus, & declaramus.* Quæ clausula (*tempore ipsarum Indulgentiarum*) ita clara visa est prænominato Patri Bonagratiæ, ut, in scripto ad me transmisso expresserit, omnem dubitationem de controversia à me agitata sublatam esse per eam clausulam. Idipsum verosimiliter sentit Admod. Reverendus, & Clarissimus Pater Yson Pfaw, Principalis Monasterii ad S. Gallum professus. Etenim hic in suo concinno Collectario, seu Summario Privilegiorum concessorum Monasteriis Ordinis Sancti Benedicti per Helvetiam *lit. C. Verb. Confessarii sæculares* absolutè scribit: *Ut devotioni Christi fidelium personarum ad Ecclesias* Monasteriorum (Gloriosissimi Ordinis S. Benedicti) *in Helvetia in festivitatibus occurrentium pro lucrandis Indulgentiis satisfiat, quando Regulares Confessarii sufficientes non adsunt, habent Abbates potestatem etiam sæculares presbyteros sex, aut plures ad audiendas Confessiones idoneos, & approbatos instituendi, qui confitentes absolvere possint in singulis casibus, in quibus potest Episcopus, nec non vota, &c.* & tamen hic doctus compilator non refert pro se, nisi Bullam Leonis X. Sed haud dubiè subintellexit confirmationem, & adjectionem clausulæ: *Tempore ipsarum Indulgentiarum* postea factam à Clemente VII. Accedit, quòd Julius secundus in Bulla: *Aliàs ad supplicationem*, quæ est postrema hujus Pontificis apud Confettium, decernat Pontifex, gratias omnes, ac indulta concessa festivitatibus Ordinis Prædicatorum, esse etiam impertita festivitatibus Ordinis Minorum, *etiamsi essent in minore* (Rodriquez *To. 1. qq. Regul. q. 55. a. 20.* rectiùs ponit, *majore*) *numero*; ergo etiam gratiæ, impertitæ Patribus Minimis pro eorum festivitatibus, derivantur per communicationem ad sanctissimum Ordinem Minorum, etiamsi hæ sint in majore numero, videntur autem illæ omnes festivitates, in, & pro quibus specificè datur alicui certo Ordini Religioso publicum, rarúmque indultum, meritò vocari festivitates ejusdem *Ordinis*, & nominatim, atque indubitanter festum Portiunculæ, tametsi Clemens eo tacito enumeret plura, est propriè festum Ordinis Minorum. Sicut & dies Sanctorũ nostrorum Ignatii, & Francisci Xaverii, itémq; Circumcisionis, sunt festa nostrę minimę Soc. Confirmat rectè P. Bonagrat. suã opinionẽ autoritate Barbos. *in cit. C. Sanè. De privilegiis*, ubi scribit Barbosa *n. 9.* admitti ex-

tensionem privilegii ob paritatem rationis, quando privilegium est quidem datum personæ, ita tamen, ut causa *proxima* concedendi non sit ipsa persona, sed causa existens in persona, sicuti læsio est causa *proxima*, & *principalis*, cur jura in quibusdam, personis, seu certo generi personarum concedant restitutionem in integrum. Atqui causa illius insoliti sanè indulti est, ut satisfiat devotioni affluentium ad lucrifaciendum Indulgentiarum Thesaurum, ut liquet ex tribus Bullis à me allegatis. Denique confirmatur hæc doctrina praxi notoriâ Reverendorum Patrum Capucinorum, præsertim per Helvetiam, in cujus meditullio, Lucernæ, inquam, commorari solent Illustrissimi Domini Nuncii Apostolici, haud utique ignari illius, atque ideo *tacitè* approbantes, saltem suâ dissimulatione indicatam extensionem.

105 Video quidem posse non sanè improbabiliter responderi ad clausulam: *Tempore ipsarum Indulgentiarum*, per ipsas indulgentias non intelligi quaslibet, seu cujuscunque temporis, sed tantùm eas, quæ cadunt in festa indicata à Clemente, eò quòd clausula posterior sit communiter intelligenda juxta sensum priorum, & vocula *ipsarum* sit *relativa*, proindéque videatur respicere solùm priora, attamen nec possum, nec volo improbare ejusmodi extensionem, inprimis respectu totius Ordinis Seraphici, utpote specialissimè nominati in Bullis Pontificiis, deinde etiam respectu omnium omnino Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, gaudentium omnibus, & singulis privilegiis concessis uni aut alteri Ordini, sicuti gaudent Illustrissimi Reverendissimi DD. *Abbates*, & *Monachi Monasteriorum Ordinis S. Benedicti Reformatorum nuncupatorum*) utor glorioso Epitheto, quò Urbanus in Bulla descripta à Clarissimo Patre Ysone *loc. cit. Fol. 13.*) *in Helvetia*. Unde infero, illos Dominos parochos, qui, ut retuli suprà *Tract. 3.* seu *in Alphab. Sacrificant. Cas. XIII. n. 343.* in excipiendis Confessionibus adventantium ferunt bis in Anno auxiliarem operam nostris Patribus Helveto-Friburgensibus excurrentibus ad nostram Marsensem Ecclesiam, posse etiam hoc Titulo exponi à PP. Rectoribus dicti Collegii; quamquam etiam duplex alius Titulus iis suffragatur, quòd scilicet locus ille sit tunc locus peregrinationis ad lucrifaciendam indulgentiam plenariam, & insuper parochi locorum, è quibus adventant illæ piæ animæ, sint omnino, & notoriè contenti, ut eæ tunc suos nævos deponant eo loco apud quemque expositum. Infero deinde, cùm iidem nostri Patres Friburgenses nequeant per se excipere Confessiones omnium confluentium ad ipsorum Ecclesiam triduo antecineralium ultimo; utpote ad *novem millia* excurrentium; item etiam nostros Olysiponenses, Panormitanos, Bononienses, Bruxellenses, quorum templa Communionis *Generalis* ergò, nonnunquam *12. 20. 30. 50.* millia uno die, ut refero *in Thesauro Ecclesiastico Indulgentiarum*, seu *Tract. 3. Quinarii Cap. 27. n. 189. & 200* frequentant, posse ascíscere sæculares sacerdotes approbatos, qui præstent ipsis auxiliatrices aures.

Porrò dum Clemens septimus verbis suprà descriptis dat potestatem sacerdotibus sæcularibus, quos occasione Indulgentiarum assumpsêre Patres Minimi, absolvendi ab omnibus peccatis Papæ reservatis; hæc enim non reservantur, nisi ratione censuræ. Layman, *Theol. Moral. Lib. 5. Tract. 6. cap. 11. n. 2.* ex communi; ab omnibus, inquam, peccatis extra *Bullam Cœnæ*; horum enim remittendorum potestas non censetur concessa, nisi clarè exprimatur. Rursùm quia Leo X. in allegata Bulla ait, ejusmodi sacerdotes posse etiam *in singulis casibus Episcopalibus* absolutionis beneficium impendere, infert Pater Yson, eos posse absolvere ab omnibus casibus, à quibus Episcopus, imò à pluribus, quia Episcopi ex vi Tridentini Concilii *Sess. 24. cap. 6. De Reform.* non absolvunt à Papalibus, nisi sint occulti.

Quæritur VI. *An, & quomodo error* com- 106
munis *tribuat jurisdictionem*?

Resp. I. Error *communis* dicitur, quando in loco, in quo excipit quis Confessiones, omnes, aut plerique existimant, eum esse verè *habitualiter* præditum jurisdictione, seu legitimâ potestate absolvendi, cùm tamen careat tali *habituali* potestate. Ad hunc autem errorem *communem* accedit quandoque titulus *coloratus*, quia videlicet accepit quis à legitimo Superiore Titulum, sed *invalidè*, propter vitium occultum, ut quando Episcopus contulit tibi beneficium parochiale, sed *invalidè*, utpote excommunicato, aut præsentato à non legitimo patrono, aut eras quidem antè approbatus, at revocata est approbatio, ignorantibus omnibus, aut ferè omnibus illam excommunicationem, præsentationis illegitimitatem, exauctorationem, & approbationis revocationem. Vide P. Sanchez *De Matrim. Lib. 3. disp. 22.*

II. Quando intervenit ejusmodi *commu-* 107
nis (nam *privatus* non sufficit) error respectu veri sacerdotis, tribuit Ecclesia, id est. Summus Pontifex, aut, Sede vacante, Collegium Cardinalium, *actualem* jurisdictionem pro singulis Confessionibus, idque ideo, ut prospiciatur saluti animarum inculpabili errore laborantium, sequendo decisionem *Leg. Barbarius Philippus. ff. De Offic. præt.* Atque ita sentiunt, proportionaliter loquendo, de errore *communi* circa judices sæculares communiter Jureconsulti, apud quos viget Axioma, quod Antonius Gabrielius *Communium Conclus. Lib. 1. Conclus. 8. De probation. n. 1.* refert: *Communis error facit jus & veritati præfertur*; & ideo sufficit, quem habilem reputari communi ho-

minum opinione, inquit Gabrielius *loc. cit.* adferens more suo, suorúmque Symmystarum multas ampliationes, & restrictiones. At verò judices Ecclesiasticos, & nominatim Confessarios quod attinet, doctrinam à nobis allatam tenent apud Gabrielium *loc. cit. n. 36.* Jureconsulti Bartholus, Baldus, Abbas, Felinus, Glossa, & Innocentius; cum P. Sanchez verò ferè omnes Theologi hujus sæculi, quorum multos nominat Diana *Part. 8. Tract. 1. Res. 93. & 94.* Oviedus *in 1. 2. Tract. 5. Controvers. 3. punct. 4. n. 33.* dissentientibus ex parte Canonistis quibusdam apud Gabrielium *loc. cit.* & Sanchez *cit. Disp. 22. quæst. 6. & 7.* distinctissimè dissentem de hac materia, & inter cætera observantem, quando tua communitas laborat hoc errore, tu autem scis, esse merum errorem, te nihilominus *validè* absolvi. Sed & Joannes Sanchez *in Select. disp. 44 n. 10. vers. Unde optimè*, observat cum Mascardo, & aliis, hanc doctrinam intelligi de errore solius *facti*, non autem *juris*, quia jura detestantur ignorantiam *juris*. *At quid si sacerdos ne quidem habeat titulum coloratum? quia e.g. existimatur esse parochus, cùm non modò non sit verè parochus, sed nunquam aut verè, aut apparenter sit ab ullo legitimo patrono præsentatus, ab ullo legitimo Superiore Ecclesiastico* validè, *vel* invalidè *instituitus: censetúrne esse approbatus, cùm nullus Episcopus cogitárit de illo approbando?* Resp. Communior, & probabilior sententia Thomæ Sanchez *loc. cit.* negat, valere absolutiones impertitas à tali; valere asserunt Joannes Sanchez *loc. cit. n. 3.* Pontius, Molfesius, Bordonus, alii apud Dianam *loc. cit.* habentem unà cum Caspensi, Silvio, Machado pro probabili opinionem Pontii, sicut & habet reflexè P. Tambur. *De Pœnit. lib. 5. cap. 4. §. 7. n. 17.* & pro probabiliore Diana *Part. 11. Tract. 2. Res. 69.* citante sedecim autores. Quare si quis simplex sacerdos, Capellanus alicujus Colonelli, se in castris gerat pro approbato, aut pro habente jurisdictionem ab Episcopo, cùm tamen neque *validè*, neque *invalidè* fuerit unquam approbatus, ac munitus potestate Confessiones excipiendi, valebunt (supplente defectum Ecclesiâ, seu Pontifice) juxta Pontium omnes absolutiones, quas legionariis impertietur, nisi aliunde irrepat defectus, modò vulgò credatur in ea legione (esto alibi notum seu contrarium) esse legitimum confessarium, ideóque milites absoluti ab eo non tenebuntur repetere Confessiones factas tali homini. Sed *est solùm Diaconus, cùm fingat se sacerdotem?* Resp. Ergo nil juvat communis opinio, nam Ecclesia nequit supplere defectus repugnantes legibus divinis, at potest repugnantes humanis. Vide P. Laym. *loc. cit.* inferentem varia *practica* corollaria consequentia ex vi erroris *communis*; infer tu resolutionem hujus

Casus Rudium.

III *Cevallo parocho oppidi N. absente, creavit, seu constituit propriâ autoritate senatus oppidanus Cornejum parochum, qui veluti legitimus parochus administravit toto biennio omnia Sacramenta. Interrogatus P. Thom. Sanchez, an valerent Sacramenta pœnitentiæ, & Matrimonii, quæ administravit, aut suâ præsentiâ honestavit? Respondit, non valuisse, idcirco quòd ille Cornejus non haberet titulum* coloratum, *seu collatum* (invalidè) *à legitimo Superiore, adeoque illas Confessiones, & Matrimonia esse repetenda.*

Ego non jussissem repeti in Casu, de quo optimè Illustrissimus D. Reding *De Iure & Iustitia Fol. 577.* Confessiones, extra articulum mortis, nec illorum Matrimonia, de quibus prudenter dubitâssem, an, cognito illo errore in nominatione parochi, cognitâ quoque communi doctrinâ de necessitate tituli *colorati*, non essent divortium facturi cum incommodo notabili.

APPENDIX SCRVPVLOSI.

a *Crescentius electus est in Prælatum sui Monasterii, atque ab Episcopo benedictus, ideo jam re ipsâ gerens se in omnibus tanquam legitimus possessor dignitatis Abbatialis. Inter electores est unus per quàm scrupulosus, qui timet, electionem non esse canonicè factam. Hic timor, seu dubium illegitimitatis exortum est ex certis, ac variis quibusdam vitiis, cui timori associantur quotidie nova dubia & timores, quæ timentur electioni intervenisse. An verò certum sit, quòd vitia intervenerint, vel esto intervenerint, talia sint, quæ faciant, ut electio suum valorem consecuta non sit, hoc dicto Religioso incertum est, & intervenisse talia vitia, forte nunquam probare poterit. De hoc autem dubio, seu timore nemo quidquam scire putatur ex toto Conventu, præterquam ille Religiosus, & unus alius. An verò præter hos duos ipse etiam Prælatus, de cujus electione Canonica dubium est, sciat, quòd quidam de electionis legitimitate dubiter, ignoratur, timor tamen est, eum dubitationem animadvertere.*

b *Quæritur jam ille Religiosus 1. casu, quo verum sit, quòd electio non sit Canonica, an Religiosi, qui de hoc dubio cognitionem habent, sicut & omnes reliqui subditi Monasterii, cui præest dictus Prælatus, tam diu, quàm diu illegitimitas electionis non probatur, teneantur tali Superiori per omnia obedire, ac tutò petant abillo omnia, quæ legitimè electus impertiri potest, ut e.g. absolutionem à peccatis, censuris &c. item an* validè *dispenset, Ordines Minores, & professionem rite conferat, officium judicis tam in spiritualibus, quàm tem-*

poralibus, quæ fori Abbatialis sunt, validè *præficiat subditis sæcularibus parochos, an officiales domesticos* validè *creet, ac generatim an certò* validè, *ac* licitè *administret, & exerceat omnia, quàmdiu illegitimitas electionis non probatur.*

c *Quæritur 2. Solicitùs, an parochi parochiis tam extra, quàm intra Monasterium præfecti: item P. Prior, Magister Novitiorum, Confessarii Conventûs, Cellarius, Ludimagister, cæteríque tam animarum, quàm corporum curam habentes, quisque suam potestatem, jurisdictionem &c. quas à tali Prælato habent, certò* validè, & licitè *suis quisque subditis administret &c. ut proinde subditi talibus officialibus subordinatis, sicut certò legitimis, &, ut verbo dicam, sicut Deo, in iis, quæ cujusque officii sunt, obedire, ac subjacere teneantur, & ab iis administrationem officii petere; eadem per omnia intelligo de iis, qui forte potestatem subdelegatam à subordinatis prædictis officialibus, vel curatis habent, an acta, gesta, jurisdictiones &c. eorum subsistant.*

d Hactenus literæ (omissis pluribus adhuc superfluis specificationibus) scrupulosi, missæ ad me ab ejus immediato Superiore, id est Decano, vel Priore, ex loco dissito facilè quinque dierum itinere, ad quas perspicuè referentes genium scrupulis inanibus agitati, atque dantes occasionem magis etiam ad praxin declarandi doctrinam, hoc loco traditam de vi *communis* erroris, in ordine ad jurisdictionem, quò respondeam accommodatiùs ad vulgus mediocriter doctorum, quorum vix ullus fundamentalem notitiam habet decantatissimæ, & à nobis paulò antè superiùs allegatæ, inque præsenti materia ab omnibus allegari solitæ legis: *Barbarius*, exhibeo hîc omnibus ejusdem Legis argumentum, proferendo in medium hunc

Casum Romani Mancipii.

e *Barbarius Philippus cùm servus fugitivus esset*, ac proinde jure Romano incapax omnis jurisdictionis, *Romæ Præturam petiit*, atque obtinuit à populo Romano, servilis conditionis ignaro. Eo in officio sæpe jus dixit, varias pronuntiavit sententias, perinde, ac legitimi Prætores. Denique cognito illo *substantiali* vitio, dubitatum fuit, *an ea, quæ edixit, quæ decrevit, nullius essent momenti?* Respondit I. C. Ulpianus, *nihil eorum reprobari, hoc enim humanius esse, cùm etiam potuit populus Romanus decernere hanc potestatem.*

Ita Ulpianus, id est, cùm vitium servitutis sit tale, ut populus Romanus potuerit, etiam eo cognito, conferre Barbario prætorium Officium. Unde inferunt plerique Theologiæ, ac juris periti, actus jurisdictionis pendentes à potestate, & voluntate senatûs, Principis Episcopi, Capituli, Parochi, Vicarii Parochialis, Confessarii &c. subsistere, etsi sint exercita ab aliquo destituto habituali potestate, ob impedimentum inductum solâ Lege humanâ, saltem dummodo & adsit Titulus coloratus, id est, sit ei collatum officium annexam habens de more illam jurisdictionem, & id vitium sit occultum, seu non notorium, sicuti conditio servilis reddebat, stantibus legibus Romanis, Barbarium Philippum penitus incapacem Præturæ, & consequenter jurisdictionis. Quia tamen una ex parte omnes latebat ille defectus, ex altera poterat populus Romanus, eo defectu non obstante, quantumvis cognito, conferre ipsi verum Præturæ officium, annexam habens potestatem dicendi jus, hanc ob rem censuerunt (ad evitanda gravissima incommoda, quæ provenissent, si rescissæ fuissent omnes sententiæ, quas larvatus ille Prætor pro tribunali sedens tulerat) Pomponius, atque Ulpianus jureconsultorum coryphæi, fuisse *tacitam* voluntatem populi Romani, ut exigente humanitate haberentur pro validis singuli actus jurisdictionales.

f Sicut autem voluntas *tacita* populi Romani, à cujus arbitrio pendebat dignitas prætoria, omnísque jurisdictio ei adhærens, fuit sufficiens ad dandum robur, singulis actibus jurisdictionalibus, aliísque dependentibus à vera Prætura, ita ex mente non minùs Theologorum, quàm jurisperitorum communiore, aut certè probatiore, sunt pro validis habendi, absque ullo scrupulo, actus omnes, quos quis laborans defectu idoneitatis requisitæ à legibus merè humanis, exercet ex vi officii, collati sibi ab aliquo, jus habente id officium conferendi, etsi nullo modo contulisset, si perspectum habuisset impedimentum, &, ut ita loquar, irregularitatem dicti officialis. Confirmatur argumento à contrario ex *Cap. Ad præbendam 14. Desent. & rejud.* ubi cassatur sententia lata à judice *notoriè* excommunicato, ergo non fuisset cassata, si excommunicatio fuisset occulta, cùm tamen excommunicatio *per se loquendo* privet jurisdictionis usu excommunicatum non toleratum. *Cap. Pastoralis. De appellat.*

g Et quidem Doctores Theologi ita amplè intelligunt hanc doctrinam circa casus juris Ecclesiastici, ut censeant, eam habere locum non solùm in officiis, quorum immediati collatores, electores, potuissent ea conferre, dispensando propriâ, vel delegatâ potestate circa impedimentum occultum, sed etiam iis, circa quorum impedimenta, inhabilitates, irregularitates &c. tollenda, suspendendáve nihil juris competit immediatis collatoribus, electoribus, vicariis &c. dummodo impedimentum sit merè juris humani, tunc enim legitimus Papa, aut in defectu Papæ legitimi (ut in-

ter reliquos exprimit Diana *locis n. 107. & 108.* relatis) Ecclesia ipsa, à quibus manat omnis ejusmodi potestas, sese accommodant legi à nobis recitatæ, genioque populi Romani, habentes proinde pro indisputabiliter ratis omnia acta exercita ab illis vitiosis, & defectuosis ministris, de quibus hîc loquimur, acta, inquam, illa, quorum valor pendet ab autoritate Ecclesiæ, seu Papæ.

h Hisce diffusiùs, distinctiúsque, ac solent alii, propositis, & positis, clarum est, quòd si ponamus, ut ponimus, Prælatum illum fuisse numero suffragiorum sufficiente ad legitimam electionem, juxta statuta debitè approbata, electum, atque virtualis electionis iniisse prælaturam, præmissâ benedictione Episcopali, eandémque prælaturam quietè possidere, imò & sæpissimè jam exercuisse publicè actus jurisdictionales per se non competentes nisi Canonicè, & citra errorem *substantialem* electo, & insuper ab omnibus communiter haberi pro vero, & legitimo Prælato, clarum, inquam, est *primò*, quòd hîsce suppositis, valeant omnes omnino actus tam temporales, quàm spirituales, qui tam distinctè, & scrupulosè enumerantur, exerciti, seu *immediatè* ab ipsomet Prælato, seu *immediatè* ab iis, qui vel *mediatè*, vel *immediatè* acceperunt potestatem ab eodem Prælato; licèt *substantialis* defectus ex parte vel electi, vel unius, alteriúsve electoris intervenerit; etenim hujus resolutionis veritas evidenter sequitur ex illo, hac ætate receptissimo principio de Ecclesia *tacitè* simul, & *verè*, *efficaciterque* supplente defectus contra juris *communis* dispositionem intervenientes in *actuali* exercitio talium actuum.

i Clarum est *secundò*, Religiosos, ignaros illegitimitatis, siqua fortè intervenit, certò teneri tali Prælato per omnia obedire perinde, atque si *positivè* nôssent, omnia fuisse ritè gesta in electione. Ratio est, quia cùm sint ignari, ut supponitur, omnis defectûs immixti electioni, debent eam habere pro legitimâ; & nisi velint haberi pro stultis, ac rebellibus, supponere, & *practicè* credere, electionem illam esse *validam*, quia pro valore actûs solenniter gesti stant omnia jura, & DD. adeò, ut nolint ullam præsumptionem admitti contra valorem ejusmodi actûs, ut non semel observo in hoc meo Opere.

k *Tertiò.* Ille quoque unus, aut alter, qui novit (si tamen sit, qui noverit, species enim *facti* indicat non tam notitiam, seu scientiam, quàm suspicionem, aut dubium) esse dubium de electionis valore, non solùm *licitè* obedit ejusmodi Superiori in omnibus non excedentibus potestatem veri, & legitimi Prælati, ut deducitur ex Sanchez *supra citato*, sed etiam tenetur præstare illam obedientiam; quia nequit aliter cavere summum scandalum, & confusionem in Monasterio. 2. Quia in dubio melior est conditio possidentis jus imperandi. Sicut possidet ille Prælatus, si jure imperat, ergò subditus tenetur parêre, alioquin daretur bellum utrinque etiam *materialiter* justum. Confirmatur ex eo, quòd ille subditus, de quo agitur, sit extremè scrupulosus, quemadmodum suis ad me datis testatur ejus seu Prior, seu Decanus, qui rogatu ejusdem Religiosi ad me transmisit hunc Casum, & etiam tacentibus aliis, ipsa propositio speciei *facti* clamat, se esse constructum à summè scrupuloso, summè anxio, & trepidante, ubi non est timor. Igitur ex communi doctrina Theologorum, de scrupulosa conscientia scribentium, tenetur illos timores, ac dubia habere pro inanibus, ut noto *infrà n. 500.* & sine omni dubio delinqueret mortaliter, si detrectaret obedientiam in casu mandati obligantis ad mortale. Quare debet ille scrupulosus cuneum cuneo, scrupulum irrationabilem, rationabili, certóque repellere.

Quartò. Utrùm talis Abbas *licitè* faciat ea, l quæ enumerantur *lit. m.* non est subditi examinare, cùm non sit judex sui *præsumptivè* Superioris, & in dubio debeat in meliorem partem interpretari, juxta capitulum secundum *De Reg. Iur. in 6.* quod capitulum quia Glossa, & alii Doctores intelligunt etiam de valore actûs, idcirco debet etiam hoc argumento convictus D. scrupulosus pro validis habere omnia, quæ enumerantur. Si autem ponamus, dictum Prælatum nôsse, se esse *illegitimè* electum, tenetur utique proximâ, qua potest, occasione, vel petere confirmationem defecto vitio, vel *absolutè* detegere cum integra resignatione. Utrùm autem hæc detectio facienda sit coram Capitulo, an coram Generali Ordinis (si quem ipse habet Generalem) petendum est ex statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, experimentibus illud jus, quod in similibus casibus competit Generali. Fortè Generales Ordinum Monachalium gaudent hac in re potestate haud paulò minore, quàm Mendicantium.

An verò quamdiu non revelabit defectum, m exerceat *licitè*, & *validè*, seu requisitus, seu non requisitus jurisdictionem, petendum est magnam partem ex resolutione illius generalis quæstionis: *An Tyrannus licitè, & validè quandoque administret justitiam*, de qua vide Lessium *De just. Lib. 2. cap. 29. dub. 9.* Quòd si ponamus, Prælatum duntaxat ambigere de sua legitimitate, debebit se proportionaliter gerere eo modo, quo tenetur maritus in dubio de valore sui Matrimonii carnalis, orto postillud initum, bonâ, vel malâ fide; siquidem Prælati copulatio cum sua Ecclesia est quoddam Matrimonium spirituale. *Text. in Cap. Sicut alterius. 7 q. 1.*

In hunc ferè modum respondi illi dubitanti, n sed brevissimè, quia miserat chartam exhibentem illa dubia cum lato margine vacuo, in quo debebam succinctè per *fta*, vel *Non* respondere, eandémque remittere chartam, alioqui fuissent novi scrupuli, nova dubia oborta. Quæ-

212 Quæritur VII. *An, & quomodo probabilitas opinionis tribuat jurisdictionem?*

Resp. I. Quandocunque est ob rationem, Doctorúmve authoritatem verè probabile, quòd alicui sacerdoti competat facultas, seu potestas absolvendi, *validè* absolvit, etiamsi illa opinio sit falsa à parte rei, modò non versetur circa jus *Divinum*. Plurimos, & sapientissimos DD. referunt pro hac sententia Card. de Lugo *Disp. 19. sect. 2.* Diana *P. 4. Tr. 4. Res. 4.*

213 Joann. Sanchez *cit. disp. 44. n. 3.* Ratio est, quia plerique DD. per totum orbem ita sentiunt, & illorum sensui se accommodant confessarii; ne ergo infinitæ animæ, vel damnentur, vel cogantur repetere confessiones bonâ fide factas sacerdoti, qui non habebat quidem *per se* jurisdictionem, attamen ob probabilem DD. opinionem putabatur habere, fatendum est, quòd Ecclesia, seu Caput Ecclesiæ tribuat tali presbytero *actualem* jurisdictionem pro singulis confessionibus, sicuti dixi de illo, qui ex errore *communi* putatur esse legitimus confessarius, & fusiùs ex P. Sanch. declarabo *in Alphab. Matrim. P. 2.* seu *Tract. 10. Cas. XXI. n. 737.* Vide etiam P. Thom. Tambur. *De jure Divino Lib. 5. c. 4. §. 8. n. 3.*

214 II. Tametsi data responsio est probabilissima, haud tamen possum integre assentiri Rasserо *de pœnit. cap. 6. §. 19.* pronuntianti, esse *moraliter* certam, opposita enim est verè probabilis, propter numerum, gravitatem, & rationes autorum, vel adhærentium illi, vel habentium illam pro probabili. Adhærent oppositæ Glossæ, Joannes Andr. Anchar. Imola, Garcias, Gutierez, Beja, Rodriquez, Sorbo, Vasq. Coninck, Zerola, relati à Joan. Sanchez *cit. disp. 44. n. 10. vers. Per Principia, & vers. Præterea*, quam etiam pro probabili habent ipse Joann. Sanchez, Suarez, Lessius, Salas, Bardi, Spinola, Oviedus, Marchantius, Diana *P. 9. Tr. 7. Res. 59.* referens hos authores, & addens, *non esse in praxi deserendam.*

115 III. Hinc infero, peccare, *per se loquendo*, saltem contra charitatem, illum confessarium, qui absolvit pœnitentem, sequendo opinionem de sua jurisdictione minùs tutam, si opposita sit probabilis, nisi prudenter credat, talem absolutionem esse non ingratam ipsi pœnitenti, aut alia peculiaris ratio suadeat sectationem mitioris. Atque ità sentiunt Marchant. Bardi, Joann. Sanch. Oviedus, contra plures alios. Ratio est, quia nequit adferri causa, cur ex omnium sententia delinquat graviter contra charitatem proximo debitam, qui in cæteris Sacramentis administrandis utitur materiâ, aut formâ probabiliter ineptis, dum potest adhibere certò idoneas, & non etiam delinquat

116 in hoc nostro casu. Dixi autem: *per se loquendo* tunc peccari, nam *per accidens* sit, ut Deus talem administrationem non reputet in peccatum, quia scilicet permulti DD. probabilissimè negant, intervenire ullum hîc delictum; atqui non peccat coram Deo exercens actionem, quam probabilissima sententia non sit esse peccaminosam, seu asserit, esse licitam, omnibus consideratis, sicuti authoritate plus centum octoginta DD. ex P. Terillo remissivè firmavi *in Clypeo Clement. Iudic. sect. 1. n. 5.* quibus alios plures addere possem. Unde se- 117
quitur, singulariter non peccare, qui absolvit à casu, quem alii contra alios probabiliter censent, non esse reservatum, aut qui audit Confessiones, aliquibus contra alios consentibus, non esse excommunicatum, &c. etenim permulti excusant hos omnes à peccato.

At *estne illa nostra generalis doctrina vera, etiam casu, quo aliqua opinio habetur pro prob. b li non communiter à doctis, sed tantùm ab aliquo privato?* Respondet contra Salas, & Aversam *affirmativè* P. Tamburinus *l. c. §. 8. n. 9.* cum Verricelli. *Verane est etiam tunc, quando probabilitas versatur circa solum factum?* Ut quando est probabile, Episcopum dedisse mihi facultatem absolvendi à reservatis, cùm tamen ne cogitârit quidem? Respondent iidem Tamburinus, & Verricelli post Mascardum contra Aversam, ac Salas rursum *affirmativè* ob paritatem rationis cum probabilitate juris. Ego nequeo negare probabilitatem illis duobus responsis assertivis, abstineo tamen ab absoluta approbatione. 118

Quæritur VIII. *An, qui dubitat, utrùm habeat veram jurisdictionem in peccata pœnitentis, possit salvâ conscientiâ præbere illi confitenti aures?* 119

Resp. Ex Suar. *Tom. 4. in 3. p. d. 26. sect. 6.* & Coninck *Tom. 2. in 3 p. disp. 8. dubit. 6.* clarè expedientibus hoc dubium; in hunc modum:

I. Si propriè dubites, an sis præditus ullâ jurisdictione in ulla peccata pœnitentis, *illicitè* extra necessitatem absolvis illum, quia sine causa sufficiente exponis Sacramentum periculo nullitatis, decipisque pœnitentem, qui, saltem communiter loquendo, nollet tibi detegere sua intima, si nôsset tuam dubitationem. In extrema tamen necessitate, si non adsit instructus indubitatâ potestate absolvendi, *licitè* absolves; tum quia est in necessitate melius conferre dubium, quàm nullum Sacramentum; ut nominatim de Baptismo tradidi *in Alphab. Baptiz. n. 36.* tum quia in ea necessitate cessat omnis reservatio. Infrà *num.* 122.

II. Sciens, te habere jurisdictionem in 120
aliqua peccata pœnitentis; dubitans autem, an in *omnia*; peccabis absolvendo, nisi te excuset aliqua necessitas; ut quando, postquam cœpisti bonâ fide audire confitentem; oritur tibi dubium circà unum, alterúmve peccatum; aut quando pœnitens deberet, nisi absolvas, communicare sine omni Confessione, aut omittere Confessionem annuam, vel diu manere in statu peccati mortalis. In his tamen eventibus erit

monendus pœnitens, ut poſtea accedat alium confeſſarium habentem certum jus abſolvendi. Vide plura *Caſ. VIII.*

121 III. Si bonâ fide cœpiſti poſſidere beneficium, habens annexam curam animarum, at poſtea incipias dubitare, an jure illud poſſideas, perge in excipiendis tuorum Conf ſſionibus; in dubio enim eſt melior conditio poſſidentis. Vide plura *Caſ V. n. 270.*

122 Quæritur IX. *Quiſnam abſolvat* licitè, & validè *in articulo mortis?*

Reſp. *Piè admodum, ne hac occaſione* (Reſervatorum Caſuum) *aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio caſuum in articulo mortis, atque ideo omnes ſacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.* Sunt hæc verba Concil. Trident. *ſeſſ. 14. c. 7.* quorum veriori explicationi præmitto hunc

Caſum Parochialem.

123 *Detinetur in vinculis adoleſcens, convictus de ſceleribus beſtialitatis, atque probabiliſſimè intra breve tempus extremo ſupplicio afficiendus. Habeo quidem à Reverendiſſimo Domino Vicario Generali poteſtatem abſolvendi à caſibus Epiſcopalibus, (quos inter eſt nefandum crimen,) etiam publicis, at non deductis ad forum externum; an ſi ſententia capitis feratur in illum reum, ego* validè, licitéque *eum abſolvam ſine ulteriore commiſſione? Rogo R. V. pro benigniſſima reſponſione mihi ſubmittenda.*

124 Ita ad me Anno N. vir Clariſſimus, parochus loci, in quo detinebatur juvenis ille. Et verò interrogati nonnulli alii viri docti cenſuêre, fuiſſe recurrendum ad Reverendiſſimum Dominum Ordinarium pro facultate abſolvendi; egò verò conſtanter id negavi; rationes *num. 137.* adferam, ubi circa illam ſanctionem Tridentinam obſervavero leqq.

125 I. Nomine *mortis articuli*, quo utitur Tridentinum, intélligitur tum ſtrictè dictus articulus mortis, ſeu tempus, & ſtatus, quo mors proximè inſtat; & eſt *moraliter* certa, neque inevitabilis; tum latè dictus, ſcilicet periculum mortis probabile, id eſt, ſtatus, & occaſio, in qua, ſpectatâ rerum naturâ, & ſpectato eo, quod ſolet in ſimili occaſione evenire, mors etſi non proximè, ſequetur, ſeu probabiliter, & prudenter poteſt, & debet timeri, ut pluribus deſcripſi hoc periculum *in Alphab.*

126 *Communicant. Caſ. XII. n.* 3. Et verò ejuſmodi periculum etiam hoc loco intelligi, tenent contra alios plerique Recent. apud Dianam *Part. 5. Tr. 3. Reſ. 59.* cum Cardin. de Lugo *de pœnit. diſp. 18. n. 21.* & P Dicaſtillo *diſp. 10. dub. 13. n. 357.* meritò ſcribente, hoc eſſe ferè certum, quia certum eſt, articulum mortis accipi ab ipſomet jure Canonico pro ipſo periculo, ut oſtendunt hi DD. Et proinde exiſtunt in articulo mortis, tum ad mortem juſtâ, aut injuſtâ ſententiâ damnati. Diana *l. cit. Reſ. 61.* Dicaſtillo *l. c. n. 413.* Mendoza, & alii; tum ita banniti, ut detur cuivis poteſtas, eos impunè occidendi. Diana *Reſ. 64.* ac Dicaſtillo *l. cit.* 127
tum inituri periculoſam navigationem, aut periculoſum prælium, ut notant omnes de præſente materia diſſerentes, (quorum alii contra alios hanc doctrinam limitant ad caſum, quo quis coactus, non autem, quo ſponte adit hoc periculum; item ad caſum, quo jam incipit periclitari navis, non quo illam quis conſcendere vult;) tum omnes exiſtentes in urbe infecta gravi peſte, ut placet Marchino contra Dianam *Part. 9. Tr. 7. Reſol. 12.* monentem tamen, Epiſcopum debere in tali caſu omnem ſuam poteſtatem impertiri cuivis à ſe approbato; tum prægnantes propinquæ partui, ſi aut ſint expertæ partus difficiles, ut fatentur communiter DD apud Dianam *Part. 5. Tr. 3. Reſol. 63.* aut nunquam peperêre; ut tradit apud eundem Pater Fagundez, & alii, addente Mendozâ apud eundem Dianam, omnes omnino prægnantes, quæ uterum jam octo menſibus geſtaverunt, aut ſaltem, quæ jam ſentiunt dolores partus, ut limitat Belochius, verſari in articulo à nobis deſcripto. Confirman- 128
tur pleraque ex his inde, quòd omnes, aut plerique ex his obligentur præcepto Confeſſionis, obligante conſtitutos in articulo mortis, ergo revera exiſtunt in illo. Vide P. Tamburinum mox citandum, & enumerantem decem talia pericula.

II. Plerique omnes Recentiores rectè con- 129
tra pauculos tenent, quemvis omnino ſacerdotem, adeóque etiam degradatum, hæreticum, excommunicatum, &c. *validè* abſolvere in hoc articulo quemlibet pœnitentem, ſaltem ſi non adſit ſacerdos, carens iſtis vitiis. Ratio eſt, quia verba Tridentini Concilii exprimunt: *Omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes abſolvere poſſunt.* Si verò præſto ſit alius liber his vitiis, *invalidè* abſolvet excommunicatus, degradatus, ſuſpenſus, &c. ita enim ſaltem declaravit Congregatio Cardinalium Decreto, quod deſcribit Proſper Fagnanus *in cap. Non eſt nobis. de Sponſ. & Matrim.* etſi P. Dicaſtillo *n. 688.* & P. Tannerus *Tom. 4. in 3. p. diſp. 6. q. 9. num. 64.* referens pro ſe multos authores, defendat contrarium, conſentiente recentiſſimo D. Franc. de Arauxo *Deciſion. Moral. Tr. 2. q. 18.* & quidem probabiliſſimè, ſi abſtrahamus ab illa declaratione, de qua ipſis nihil conſtitit.

III. Nullo modo eſt dubitandum, quin 130
conſtitutus in periculo mortis poſſit etiam pro„ Caſibus reſervatis eligere ſuum parochum„ prætermiſſo privilegiato, quia parochus pro„ priè,

„priè, & ex officio obligatur tunc maximè ei „omnia Sacramenta ſaluti opportuna miniſtra„re. Unde etſi privilegiatus tunc haberi poſſit, „non tamen eſt dubitandum, quin Concilii „mens ſit, ut parochus tunc omnem poteſta„tem habeat. Plura adferri poſſent, ſed nulla „mihi videtur ratio dubitandi. Sic ſcribit, ſic „reſpondet P. Leſſius *in Auctario ad 1. 2. verb. Abſolutio Caſ. II.* cui integre ſubſcribo, & ſubſcribunt ii, quos indicabo pro ſequenti puncto.

131 IV. Probabiliſſimum eſt *ſpeculativè*, & *practicè*, quemvis ſacerdotem non excommunicatum &c. *validè* impertiri cuivis in articulo mortis exiſtenti abſolutionem ab omnibus omnino peccatis, & cenſuris, etiam à quibus non poſſet extra hunc articulum, eſto ſit ad manum unus, aut plures, qui polleant ordinariâ, vel delegatâ poteſtate in ejuſmodi peccata & cenſuras. Ratio eſt, quia ita ſentiunt plu- 132
rimi, graviſſimi DD. quos ſequuntur, citántque Barboſa *in cit. cap. ſeptimum* Concilii Trident. *num. 12.* Tannerus *loc. cit. num. 63.* Dicaſtillo *n. 368.* accuratè urgens, defendénſque textum Concilii Tridentini; Pellizarius *Tom. 1. Tr. 8. cap. 3. n. 108.* loquens de non approbato; Tho. Tamburinus inſigniter *de Sacram. lib. 5. c. 11. §. 1.* de Arauxo Epiſcopus *loc. cit.*, Pax Jordanus Epiſcopus *Elucubrat. volum. 1. lib. 3. tit. 4. num. 24. & 37.* approbans hoc dictum: *Confeſſarius libere abſolvit* (in articulo mortis) *ab omnibus Caſibus & cenſuris, etiam Papæ reſervatis, quia nulla eſt reſervatio.* Equidem in Rituali Pauli V. ſub titulo: *Ordo miniſtrandi Sacramentum pœnitentiæ* dicitur expreſſè: *In periculo mortis ceſſat omnis reſervatio.* Quid clarius? Et hanc ſententiam ſi quis non approbatus ſequeretur, ſuffragaretur ei ſpecialiter hæc ratio, quòd quilibet habeat poteſtatem in venialia, ſi ergo pœnitens confiteatur unicum veniale, abſolvetur *directè* ab hoc, & ſaltem *indirectè* ab omnibus mortalibus, tam quæ confitebitur, quàm quæ ex oblivione tacebit, quia, ſicuti *indirectè* remittuntur oblita, ita etiam *indirectè* remittuntur mortalia, quæ bonâ fide confiteris non habenti poteſtatem *directè* abſolvendi.

133 V. Nihilominus tamen ſuaderem tali pœnitenti, ut in praxi ſequeretur contrariam plurimorum cum, & apud Cardin. de Lugo, volentium, ut, ſi adſit copia parochi, neceſſariò præferatur aliis, qui, extra articulum mortis, non habent poteſtatem in pœnitentem; item ut non approbato præferatur approbatus, alieno non privilegiato privilegiatus, ſi pœnitens laboret Caſu reſervato, & ſic de aliis; etenim ſuadendum, ut quiſque in hoc ultimo articulo ſequatur tutiora, & communi uſui conformia; uſus autem modernus firmat hanc tutiorem doctrinam. Unde noſter Pater Ludovicus Scildere *in Libro de principiis conſcientiæ formandæ Tr. 2. c. 9. n. 114.* vult, omnino ſtari hoc conſilio, ſi poſſit facilè recurri ad præditum juriſdictione indubitatâ, eſto moribundus aperiat unà cum aliquo mortali reſervato, aut non reſervato, unum aliquod veniale, aut jam aliàs confeſſum mortale; quandoquidem non eſt omnino certum, quòd quiſque ſacerdos abſolvere poſſit à venialibus, & mortalibus jam confeſſis, adeóque abſolvere *indirectè* peccatorem à peccatis aliis, inquit Scildere ex P. Bardi: Omnino eſt altè menti imprimenda, & opere ipſo demonſtranda veritas aurei, gemmei apophtegmatis, quo fuiſſe ſolitum uti Admodum Reverendum Patrem Vincentium Caraffam ſeptimum noſtrum Præpoſitum Generalem refert in ejus Vita, ſummarum virtutum exemplis illuſtriſſima, P. Daniel Bartholi *Lib. 2. cap. 13.* his verbis: *Minimum dubitationis de ſalute æterna, debet homini eſſe pluris certiſſimo, ingentique rerum temporalium lucro.* Dixi ſuperiùs: *Si adſit copia*; in confeſſo quippe eſt, ſi deſit, *validam, licitámque* eſſe abſolutionem à quovis ſacerdote impertitam, propter nimis clara verba Tridentinæ Synodi, quidquid de excommunicato, aut hæretico ſacerdote negent nonnulli apud Cardin. de Lugo *n. 18.* de quibus ſuprà *n. 129.*

Etſi autem Franc. de Arauxo *Tract. 3. De* 134
Eccleſiaſtico ſtatu q. 32. Caſ. IV. num. 22. rectè reſolvit, fuiſſe poſt mortem ab Epiſcopo abſolvendum, quoad excommunicationem, illum procerem Hiſpanum, qui nominatim, & publicè excommunicatus acceperat, datis veræ pœnitentiæ ſignis in articulo mortis, abſolutionem à quodam P. Dominicano, fuiſſe, inquam, poſt mortem vinculo excommunicationis (*quoad forum externum*) exſolvendum ab Epiſcopo, ut poſſet gaudere ſepulturâ Eccleſiaſticâ, haud tamen ſatis video, quo jure idem Doctor ſubdat, eundem procerem fuiſſe etiam *directè* abſolvendum per Epiſcopum à Caſibus non reſervatis ipſi Epiſcopo, ut poſſet *indirectè* abſolvi ab excommunicatione reſervata; etenim *directa* abſolutio à peccatis propriè dictis ſupponit juriſdictionem in abſolvente, verámque ſubjectionem in abſolvendo. Trident. Concil. *Seſſ. 14. cap. 7. de Sacrament. pœnit.* & argum. notiſſimæ legis: *Extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Atqui certum eſt, mortalibus non ſuppetere veram juriſdictionem in mortuos, quia, qui ligare non poteſt, etiam abſolvere non poteſt, *text. in l. Nemo qui condemnare. ff. De reg. jur.* eadem enim eſt poteſtas ligandi, atque abſolvendi, *Cap. Cùm verbum. diſt. 1. de pœnit. cap. Cùm inferior. De major. & obed.* nemo autem poteſt propriè ferire, ſeu ligare anathemate jam mortuum, ideo nec propriè talem abſolvere ab excommunicatione, ut eſt evidens ex effectibus excommunicationis, tametſi poſſit utique Papa, vel Epiſcopus permittere, ut liceat defunctum

ctum in excommunicatione honorare pompâ funebri, juvare publicis precibus, & Sacrificiis, tegeréque sacrâ glebâ, nullus tamen horum actuum habet rationem jurisdictionis respectu defuncti, sed vivorum duntaxat.

135 VI. Porrò in superioribus eventis tunc dicetur non adesse copia alterius, e. g. Superioris, quando aut adest quidem, sed renuit audire confitentem, aut constitutus in periculo nequit Superiorem ipsemet accedere commodè, nec commodè accersere, quia vel non venit, vel non sine nota. Sic omnino sentit Dicastillo *loc. cit. num. 391.* Rasserus *De pœnit. cap. 6. n. 35.* post Palaum, Henriquez, Valentiam, Cordubam, Azor, alios addentes, talem pœnitentem non teneri mittere confessarium ad Superiorem, aut per literas petere ab hoc facultatem confitendi huic, aut illi, nec enim id præcipit Ecclesia, ut rectissime Abbas Rasserus.

136 VII. Nequaquam sunt audiendi illi etiam celebres DD. qui volunt, ut, si confessarius talem pœnitentem absolvat legitimè à censura, à qua non potuisset extra talem articulum, ipse pœnitens, superato illo periculo, se sistat Superiori absolvendum ab hac, propter expressam decisionem *cap. Eos qui. De sent. excommun. in 6.* etenim huic Capitulo derogatum esse à Tridentino, notat optimè Jordanus *cit. n. 24. in fin.* illam necessitatem se sistendi negantibus Marchantio, Texedâ, aliis, quos refert Diana *P. 9. Tract. 6. Resol. 36. & part. 10. Tr. 14. Resol. 63. & part. 12. Tract. De conclavi Resol. 34.* meritò vocans probabilem opinionem Marchantii. Si tamen illa censura esset vel deducta ad forum *externum*, vel *notoria*, oporteret, se præsentare Superiori pro satisfactione congrua foro *externo*, ut distinctè explicat Rasserus *loc. cit.* scriptor accuratus simul, & brevis. Porrò quando censura censeatur deducta ad forum *externum*, dicam *n. 375.* & ibid. *in Append.*

137 VIII. Ex his liquet, nullo modo fuisse opus, ut ille Nobilis, & Clarissimus vir, de quo *num. 123.* peteret à Reverendissimo Domino Vicario Generali potestatem absolvendi captivum ab illo peccato enormi, quia omnis reservatio cessat in articulo mortis. Suprà *num. 122.* ille autem captivus erat in articulo mortis, ut liquet ex specie facti, & ex dictis *num. 126.* nec enim solent confessarii admitti ad excipiendas reorum confessiones in nostra Germania, nisi uno, alteróve die priùs, quàm vel feratur capitalis in eos sententia, vel afficiantur extremo supplicio. 2. Singulariter, quia ille confessarius erat parochus, Lessius autem relatus *num. 130.* non vult ullo modo dubitari de potestate parochi in tali articulo. 3. Quia nullus DD. hactenus citatorum tradit, incumbere ipsi confessario onus petendi facultatem absolvendi, sed rigidiores ajunt, hoc onus impendêre ipsi pœnitenti; atqui pœnitens, vel non poterat, vel non tenebatur petere juxta dicta *num. 135.* Quam ob rem die 17. Februarii Anno 1674. literis ad perquam cautum parochum redditis respondi, cum posse sine ullo prorsus scrupulo absolvere etiam adolescentem, omnino similem illi, quem produxii *num. 123.* eundémque fidelem; ac solicitum pastorem remisi ad hunc numerum seu §. *137.* Ex dictis petenda etiam solutio 138 hujus

Casûs Antiquioris.

Cassius, patrato homicidio in loco hæretico, in quo defecerat à fide vera, profugit in suam patriam, cámque catholicam, ejurátque hæresin; cognitâ fugâ Magistratus, in quo erat commissum delictum, deposcit, vi concordatorum, Cassium ad suum tribunal; traditur, valde rationabiliter formidato relapsu in hæresin; priùs autem, quàm traderetur, Confessionem ritu catholico peregit apud vicinum quendam parochum; absente videlicet proprio. Quæritur 1. Vtrùm Magistratus catholicus potuerit Cassium dedere hæreticis, etiam præviso periculo relapsûs in Lutheranismum, sicut prò dolor! relapsus fuit? 2. An parochus ille vicinus potuerit eum absolvere ab homicidio, & hæresi?

Has duas quæstiones proposuit scripto 13. Martii Anni 1667. sedulus quidam parochus; quarum *prima* tametsi non spectat ad hunc locum, refero tamen, me respondisse, quandoquidem in eo loco, sicut in plurimis aliis est usu, & concordatis receptum, ut, qui admisso capitali crimine in territorio A. fugiunt ad vicinum (non si ad remotum) territorium B. dedantur Domino territorii A. reposcenti illos, debuisse, *per se loquendo*, dedi dictum Cassium, potuisséque fieri, ut Dominus territorii B. prudenter timeret ex negatione deditionis tanta publica incommoda oritura, ut etiam, prævisò illo periculo apostasiæ, *licitè* staretur concordatis; potuisse quoque fieri, ut tam exigua incommoda ex eadem negatione timerentur, ut contra charitatem Christianam egerit Dominus territorii B. acquiescendo postulationi factæ. Quia verò tanta est judicialis authoritas, ut semper pro judice præsumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur. *Text. ex 1. cap. In præsent. De renunc.* in iis autem literis nihil legitimè contra illum Dominum comprobatur, ideo præsumo pro illo judice Catholico. Certè, sicut fuit ille Catholicus Acatholico deditus, cum manifesto periculo relapsûs, ita fieri potest, ut

ut proximè debeat Catholico Magistratui tradi hæreticus, cum maxima spe lucrandi hujus animam.

Alteram partem casûs propositi quod attinet, potuit vicinus parochus absolvere utroque illo crimine; ab homicidio quidem, quia, licèt in hac Diœcesi homicidium occultum accenseatur casibus reservatis, quia tamen cessat omnis reservatio in mortis articulo, ut vidimus in decursu, ideo cessavit & hîc; re enim verâ existebat ille Cassius in articulo mortis, quia in summo periculo amittendi, & quidem brevi, vitam, non factâ potestate alterius homologesis.

139 Quæritur X. *Quomodo expiret, vel amittatur jurisdictio?*

Resp. Expirat 1. quando quis privatur officio, cui illa jurisdictio erat per se annexa, ut quando parochus resignat parochiale beneficium. 2. Quando quis excommunicatur, aut suspenditur ab officio, ut tradi solet in materia de Censuris. Si tamen illa excommunicatio, aut suspensio maneat occulta, valebunt absolutiones propter errorem *communem*. Suprà *num. 107.*

140 3. Singulariter notandum est, non expirare, etiamsi is, qui eam concessit, vel excommunicetur, vel etiam moriatur. P Sanch. *Lib. 8. de Matrim. disp. 28. num. 71. & seqq.* Lugo *de pœnit. d. 19. sect. 2. §. 2.* D. Rasserus *de pœnit. cap. 6. num. 15.* & alii communiùs contra S. Antoninum, Navarr. alios; nam gratia, & privilegium non finiuntur morte concedentis, sicut finitur jurisdictio contentiosa, seu ad lites, de qua sola loquuntur jura, quæ contra nostram sententiam adferunt citati. Hinc P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 6. cap 10. n. 22.* (nescio, an satis memor illius, quod de cooperatoribus tradiderat *Lib. 1. Tr. 4. cap. 29. n. 18.*)
141 subscribit Conincko scribenti: *Quin videmus, Capellanos, & cooperatores à parochis ad audiendas Confessiones assumptos, iis mortuis, suo officio adhuc fungi.* Et præmiserat *ibid.* Laymannus: Si parochus alicui sacerdoti absolvendi suos facultatem *absolutè* concedat, durat post mortem, sicut docent DD. citati contra Philiarchum; secùs, si dixit: *Facio tibi copiam audiendi meos, quoad vixero*; aut: *quamdiu mihi placuerit.*
142 Rasserus *loc. cit. num. 16.* Unde infero pro quotidiana praxi, quando duo parochi ita se mutuò amant, ut permittant suis parochianis facere Confessiones apud alterum, posse post obitum alterutrius ex his parochis parochianos ipsius pergere in Confessionibus faciendis alteri, quia facultas data tali parocho videtur esse data *absolutè*, éstque gratia *facta*, non autem *facienda*, id est, facta præcipuè in amorem parochi, non parochianorum. Spectanda tamen est consuetudo regionis, sicut ex Suarez notat idem Laymann. *cit. n. 18. in fin.* subdens *cit. n. 22.* si est tibi à tuo Episcopo (& quidni sit à parocho?) facta facultas generalis confitendi, cui volueris, eam persistere, etiamdefuncto Episcopo.

Quæritur XI. *Vtrùm Religiosi Mendicantes,* 143 *qui habent potestatem absolvendi à censuris in foro conscientiæ, possint id facere extra Sacramentum pœnitentiæ, & an absolutus ab excommunicatione in foro interiori, possit se gerere exteriùs tanquam non excommunicatum?*

Respond. ad *primum* Potestas absolvendi à censuris non est ita Mendicantibus Religiosis concessa, ut non possint eâ interdum uti, extra Sacramentum pœnitentiæ, neque enim absolvere in foro *interiore* idem est, quod absolvere in foro *pœnitentiæ*, sed absolvere ita, ut non habeat necessariò vim in foro *externo*, si lis moveatur.

Respond. ad *secundum.* Qui absolutus est in foro *interno* (nisi fuerit nominatim denuntiatus) non tenetur se gerere tanquam excommunicatum, præsertim si constet, illum esse absolutum. Neque id in Belgio tantùm habet locum ob consuetudinem præscriptam, sed etiam in Italia, & Hispania. Ubique enim possunt Religiosi Mendicantes absolvere etiam publicè excommunicatos *à Iure*, vel *ab Homine* generatim, modò denuntiatinon sint nominatim. Et hoc illis valet ad publicè versandum cum hominibus, & Divina officia, Sacramentáq; frequentanda; absolutio enim in foro *interiore* valet quoad omnia, præterquam quando lis movetur in judicio, tunc enim judex secundùm juris rigorem posset non habere rationem hujus absolutionis, eúmque condemnare, tamen secundùm æquitatem deberet hæc absolutio etiam ibi valere, ut docet Henriquez *cap. 27. de Excomm.* Non tamen existimo, eum, qui post absolutionem in foro *interiori* factam celebravit, posse jure tanquam irregularem condemnari, quia hæc irregularitas non contrahitur sine culpa lethali, quæ hîc præsumi non potest.

Hæc omnia verbatim descripsi ex Lessio *in Auctario verb. Absolutio, Cas. VIII.* quibus non inutiliter junges tum Constitutionem Clementis X. incipientem: *Superna*, ubi expressè declarat, illas absolutiones nil prodesse in foro *externo*, & *contentioso*, tum ea, quæ hanc ipsam in rem tradidi *in Tractatu de Iubilæo Quintuplici*, seu *in Tr. 3. Quinarii cap. 35. n. 273. & seqq.* Vide etiam infrà *Cas. XX. n. 642. & num. 645.* & junge responsum ad hoc

Quæsitum, tacitúmque postulatum.

Perlegi ultimum Alphabetum R. V. sed 144 *nec in illo reperi, quod jam per biennium quæro in variis autoribus: An non sit probabile, quòd sit sufficiens propositum firmum pœnitentiæ, quando DD. ex cap.* Ex tenore de sent. excommun. *docent, ad absolutionem*

nem

nem ab excommunicatione contracta ob enorme, aut valde pernicioſum aliquod crimen e.g. incendiarii: aut manifeſti percuſſoris Clerici; hæreticè blaſphemantis, &c. requiri, ut præmittatur juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ; item excommunicatum ob injuriam alteri illatam non poſſe abſolvi, antequam parti læſæ ſatisfaciat, aut ſaltem, ſi non poſſit ſtatim ſatisfacere, præſtiterit cautionem pignoratitiam, aut fidejuſſoriam, &c. Hujus reſolutio poſſet inſeri Alphabeto Confeſſariorum quando id unà cum aliis uno Tomo comprehenſum prodibit.

Jam erant magnam partem deſcriptæ Additiones pro *ſecunda* (præſens eſt *quinta*) editione hujus Alphabeti, cùm accepi à perquam accurato Theologiæ Moralis Profeſſore in celeberrima civitate literas clauſas hoc quaſi auctario, cujus amicæ poſtulationi, & nonnullorum è meis Lectoribus pleniori inſtructioni, ut ſatisfaciam, obſervo, decerni *in cap. Parochianos. Cap. Ex tenore. cap. Adhæc. cap. 1. Ea noſcitur. extra. De ſen. excomm.* itémque *cap. Eos qui. eod. in 6.* partim, ut, qui ob inſtans mortis periculum, aliámve legitimam cauſam nequeunt accedere Sedem Apoſtolicam pro impetranda abſolutione ab excommunicatione reſervata Papæ, abſolvantur quidem ab inferiore, ſed non niſi præſtito juramento, quòd, ſublato impedimento ſint præſentaturi ſe Pontifici, & parituri ejus mandato; partim ut, qui eſt excommunicatione innexus, ob injuriam alteri illatam, non donetur beneficio abſolutionis, niſi ſatisfactâ parte; quæ etiam clauſula ſolet exprimi in Bullis Jubilæorum. Etſi autem Barboſa, & communiter DD. quos ipſe permultos refert, ſuis *in citata* Capitula commentariis, intelligant hoſce Canones eo ſenſu, quem præ ſe ferunt verba hîc à me expreſſa, nihilominus tamen poſſunt circa ea dici, vel certò, vel probabiliter ſequentia.

145 I. Juramentum de accedendo Sedem Apoſtolicam pro recipiendo ejus mandato non obligat, quando poteſt conveniri delegatus Papæ, quales delegati ſunt tum in pleriſque Caſibus Pontificiis Religioſi Mendicantes, ut dicam infrà *Caſ. XX. num. 635. & 636.* tum quilibet approbatus Confeſſarius tempore Jubilæi, ut cum aliis explico in *Quinario Tract. 3.* ſeu *de Jubilæo Quintuplici cap. 33.* nec videtur quiſquam hoc negare poſſe.

II. Etſi mandatum de comparendo coram Sede Apoſtolica (ejúſve delegato) intelligatur à nonnullis eo ſenſu, ac ſi oporteat comparere pro nova abſolutione, etiam quando fuit quis in articulo mortis abſolutus, id tamen non eſſe verum, patet ex dictis ſuprà *num. 136.* ubi probavi, nullos caſus poſt Tridentinum Concilium eſſe in articulo mortis, reſervatos; ergo illa comparitio eſt præcepta ſolùm, ut audiatur, quid Pontifex, ejúſve delegatus velit in pœnitentiam, ſatisfactionémve injungere, eíque mandato ſatisfiat. Barboſa *in cit. cap. De cætero. num. 5.* poſt Henriquez, & Suarez.

III. Quamvis Corduba, aliíque nonnulli tradant, juramentum de comparendo eſſe injungendum pro qualibet excommunicatione Papali; Diana verò *P. 5. Tr. 9. Reſol. 68.* pro illa omni, & ſola, quæ inſligitur ob magna crimina, ut hæreſis, incendiarii, falſarii, percuſſoris Clerici; rectiùs tamen tenet Avila *de cenſuris p. 2. cap. 7. diſp. 3 dub. 4.* Tamburin. *in Method. expeditæ confeſſion. lib. 3. cap. 6. n. 4.* P. Bonagratia Capucinus *in Summula verb. Abſolutio generaliter num. 11. §. 3.* citans etiam Dianæ Summam (cùm ipſe tamen Diana loco nunc primùm à me indicato teneat, quod dixi) ſolos percuſſores Clericorum eſſe obſtringendos hoc jurejurando. Ratio eſt, quia Canones non loquuntur, niſi de tali percuſſore.

IV. Quamquam Barboſa innitens verbis *cap. Ea noſcitur. De ſent. excomm.* unà cum communiore abſolutè ſcribit in idem *cap. n. 7.* eſſe reipſa præſtandam ſatisfactionem parti læſæ, priuſquam lædens abſolvatur ab excommunicatione lata propter hanc injuriam, nihilominus tamen probabile eſt id, quod nos cum Suarez tradidimus *in cit. Tractat. de Inhil. Quintuplici cap. 35. num. 269.* quòd videlicet ſufficiat in caſu, quo nequit ante abſolutionem præſtari debita ſatisfactio e. g. pro percuſſione Monachi, de qua ſingulariter loquitur Canon *Parochianos. De ſent. excomm.* modò præſtetur cautio pignoratitia, fidejuſſoria, vel juramentum.

V. Canones quidem hactenus relati, ſicuti, & communius Doctores nominati à Barboſa in citatos Canones, itémque Palaus *Tr. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 5.* exiſtimant, Juramentum de ſatisfaciendo parti læſæ eſſe neceſſarium non ſolùm pro foro *externo*, ſed etiam pro *interno*; at contrarium tenet expreſſè Lezana *in Summa verb. Abſolutio à cenſur. n. 15.* teſtans ita haberi in Rituali Romano edito juſſu Pauli V. Conſentit P. Bonagratia Habſenſis *cit. num. 11. §. 5.* itémque Valerius, atque alii apud Dianam (apud quem tamen nihil tale reperio) ab eodem P. Bonagratia relatum. Et ratio eſt, quia pœnitenti etiam non jurato creditur in foro Sacramentali. Quare probabile eſt, ob horum Doctorum authoritatem, qua ſemel ſteti in dando reſponſo, id, de cujus probabilitate reperienda fuit per biennium ſolicitus ille Theologus; probabile, inquam, eſt, quoad ſufficientiam firmi propoſiti in caſu præſtandæ ſatisfactionis, an verò in caſu comparendi coram Papa, vel ejus delegato, æquè ſit probabile, dubitari poteſt, eò quòd Canones *abſolutè* loquantur etiam in hoc caſu de præſtando juramento, & nemo, quem

quem legerim, exprimat, ſufficere in hoc eodem eventu propoſitum. Quia tamen ratio, quam Lezana, atque alii pro ſatisfactionis caſu adferunt, æquè militat pro caſu comparitionis, ideo videri queat, hoc poſterius eſſe æquè probabile, atque illud prius. Ego tamen in re tanti momenti nolim quidquam definire ſine autoritate; addo nihilominus, me unà cum P. Tamburino *loc. cit. numero 2.* dubitare, an non ſit deſuetudine derogatum citatis Canonibus; equidem nunquam audivi, fuiſſe quemquam à Confeſſario Germano compulſum, ut obligaret ſe juramento, ſeu in hoc, ſeu in priore caſu. His addo, à me non inveniri Canonem, quo crimen incendiarii plectatur excommunicatione reſervatâ Pontifici. c

Quæritur XII. *Quiſnam ſit præditus juriſdictione ad excipiendas Confeſſiones illorum, qui habent duo domicilia?*

Reſp. Ille ipſe, qui habet jus tales jungendi Matrimonio, quis autem ille ſit, tradam infrà *Tract. 9. Caſ. XVIII. n. 497.*

APPENDIX I.

Occaſione doctrinæ generalis *n. 101.* traditæ de jure delegandi juriſdictionem propono hunc

Caſum frequentem, & rarum.

a *Cyprianus nactus beneficium parochiale, anno ætatis vigeſimo quarto, vix dum inchoato, initiatúſque ſolis Minoribus Ordinibus conſtituit ſibi Vicarium, quoad attingat ipſe legitimam pro ſacerdotio ætatem; at ſunt, qui ajunt, nominationem Vicarii non eſſe penes parochum, ſed penes hujus Superiorem? Quæritur, quid juris?*

Quidam Reverendiſſ. D. Prælatus expetiit meum judicium ſuper hoc caſu ſatis frequente, quatenus decernit promotionem talis ad beneficium parochiale, at rarò in libris Theologorum, Canoniſtarúmque, nec enim reperio vel unicum, qui in terminis reſolvat hanc quæſtionem: *Cujuſnamſit, nominare Vicarium Parochi, ante legitimam ætatem ſine charactere ſacerdotali promoti ad beneficium parochiale.*

b Videbatur mihi initio id juris certò ſpectare ad Epiſcopum, 1. Quia omnium beneficiorum in Diœceſi exiſtentium collatio ſpectat ad Epiſcopos Ordinarios loci *Cap. Omnes baſilicæ. Cap. Nullus omnino 16. q. 7.* Barboſa *De offic. & poteſt. Epiſc. Part. 3. alleg. 57. n. 1.* conſequenter & Vicariatus; cui enim licet, quod eſt plus, licet & id, quod eſt minus. 2. Quia Abbas *in c. Extirpandæ. De præb. §. Qui verò in ſolenni repetitione n. 12.* querens, an curat ex juſta cauſa abſens poſſit delegare curam ſuorum parochianorum, reſpondet, non poſſe, ſed id ſpectare ad Epiſcopum, niſi fortè ille parochus ſit ad modicum tempus, *circa tres ſeptimanas* abſens ex juſta cauſa, refértque pro hac deciſione plures Canoniſtas. 3. Huc faciunt omnia, quæ ſuprà *n 48.* ad *alteram* quæſtionem protuli; facit quoque Concilium Tridentinum *Seſſ. 7. cap. 5.* facit & P. Pirhing *Tom. 1. in Ius Canonic. Tit. 28.* reſtringens ad *breve* tempus.

Nihilominus habeo pro probabili, hanc c poteſtatem conſtituendi Vicarium in propoſito caſu, eſſe penes parochum, niſi obſtet alicubi legitima conſuetudo. 1. Propter generalem Regulam *numero 100.* productam, quòd omnis ordinariâ poteſtate, & juriſdictione præditus poſſit alteri delegare. *Cap. Cùm Epiſcopus. De offic. ordinar. in 6.* atqui Regulâ ſtandum eſt, donec de fallentia conſtet, Menoch. *De arbitrar. jud. Lib. 3. cap. 99. n. 119.* 2. Propter hanc rationem, quòd parochus ægrotans etiam per Annum, poſſit conſtituere Vicarium, ut videtur probare uſus. Unde Prælatus non debet ei coadjutorem obtrudere, niſi morbus videatur incurabilis *Cap. 2. & ſeqq. De Cleric. ægrot.* 3. Eruditiſſimus P. Thomas Sanchez *Lib. 3. De Matrim. Diſp. 31. n. 11.* tanquam ſingulare, & extraordinarium habet, quòd *Cap. Cùm ex eo. De elect. in 6.* ſtatuatur, ut quando curatus cum facultate Epiſcopi eſt in ſtudiis commoraturus per ſeptennium, nominatio Vicarii ſpectet ad Epiſcopum, non autem ad parochum. Ergo ubi conſuetudo contraria non invaluit, poterit in noſtro Caſu parochus præſentare Vicarium, qui & admitti debebit, ſi ab Epiſcopo reperiatur idoneus.

Et fortè non diſſentit Abbas, & alii ab ipſo d relati, ab hac reſolutione; ipſe enim loquitur de parocho ſe abſentante, nos de præſente, at ob defectum Ordinis non præſtante officia parochialia: meritò autem Jura plus permittunt præſentibus, quàm abſentibus, cum, aut ſine culpa ſua. Cæterùm dubium non eſt, quin talis parochus poſſit hunc aut illum actum hîc, & nunc exercendum delegare approbato. Concilium Tridentinum non obſtat (ſi intelligatur, ut debet, juxta ſenſum verborum, in ſimili expreſſorum *allegata Seſſ. 7. cap. 7.*) Reſolutioni datæ ſecundo loco, quam ſubmitto judicio Lectoris.

APPENDIX II.

Ad hunc Caſum III.

Dictis breviter *n. 140. & 141.* de ceſſatione e juriſdictionis, jungo ſpeciem, reſolutionémque

Hujusce quæstionis.

PArochus Parochiæ A. *supplicem libellum mittit ad collatorem Parochiæ* B. *qui simul est collator parochiæ* A. *obtinétque ab hoc collatore præsentationem ad parochiam* B. *ambitam à se. Censeo intercedere hic contractum innominatum permutationis, qua efficit, ut cessârit jurisdictio, eo nimirum tempore, quo Parochus beneficii* A. *accipit præsentationem à collatore utriusque parochiæ. Rogo suam &c.*

f Ita nonnemo ad me 21. Mart. Anno 1670. qui utique erravit, si existimavit, jurisdictionem parochialem desiisse per acceptationem præsentationis: Beneficium quippe Ecclesiasticum non vacat per alterius nudam præsentationem ad illud, cùm ne quidem vacet actu ipso per nudam acceptationem alterius etiam incompatibilis; ut docet usus quotidianus, patétque ex Notatis *in Cap. In cunctis. §. Cùm verò De elect. & Cap. De multa. De præbend.* sicuti nec vacat per resignationem, nisi hæc acceptetur à legitimo Superiore, Laymann. *in Theolog. Moral. Lib. 4. Tract. 1. cap. 17. num. 1.* Cùm igitur ex hac specie *facti* nequeat plus probari, quàm factam fuisse aut acceptationem Parochiæ *B.* incompatibilis cum Parochia *A.* per *citat. Cap. De multa*, aut renuntiationem prioris, fit, ut is, de quo est quæstio præsens, non exciderit beneficio parochiali, ergo nec jurisdictione ei annexâ ex juris dispositione.

g Suppono autem, illum Collatorem dici impropriè Collatorem, id est propriè Patronum, est enim Patroni, non autem Collatoris præsentare. Quamquam data resolutio subsistit etiam respectu illius propriè dicti Collatoris, qui non est superior, si quippe non sit superior, deerit licentia, consensúsque Superioris, & consequenter perseverabit possessio legitima prioris parochiæ cum annexo jure administrandi Sacramenta. Garcias *De beneficiis Part. 1. cap. 3. numero 262.* secùs, si ille Collator sit etiam superior, seu Episcopus, cujus est, resignationes admittere, vel recusare, quamvis non nisi ex causa justa. Layman. *cit. Cap. 17. num. 4.* ex Bulla B. Pii V.

* * *

CONFESSARIUS BENE ABSOLVENS.

CASUS IV.

Indiscussus.

SUMMARIUM.

Casus non determinantis se, dum pronuntiat hæc duo verba: Absolvo te. *146.*
Quæ sit forma hujus Sacramenti? 148.
Quid censendum de illo, qui dum dicit: Te Absolvo &c. *nondum se resolvit, utrùm velit à peccatis absolvere, an à censuris? 151. & seqq.*
Quæ sint accidentales formæ, & cæremoniæ hujus Sacramenti? 158. & seqq.
Quænam possint omitti sine peccato? 161.
Quale sit peccatum, absolutionem à censuris non præmittere absolutioni à peccatis? 167.
Quo sensu dicatur absolvi is, qui non confitetur, nisi jam priùs confessa? 170.
Quando liceat, aut non liceat repetere formam Sacramentalem? 171. & seqq.
An quando enuntiâsti distractus? 175.
Quantum sit peccatum illa distractio? 177.
An confessarius teneatur sequi opinionem pœnitentis? 178.
Et singulariter, quando hic dicit, se peccâsse in hac, aut illa materia, sed non graviter. 182.

D*amianus solitus sæpissime omittere absolutionem à vinculo excommunicationis, Suspensionis, & interdicti; quandoque, dum effert verbum*: Absolvo, *nondum habet expressam & actu determinatam intentionem absolvendi, aut à censuris, aut à peccatis, sed actu, & expressè se determinat primùm tunc, quando dicturus est*: A vinculo excommunicationis, *aut*: A peccatis tuis, *at vix eo verbo*: Absolvo *prolato, intendit expressè, & formaliter absolvere à peccatis. An, priusquam pronuntiet illa verba* A peccatis tuis, *teneatur in conscientia repetere enuntiationem*: Absolvo te? *An etiam teneatur repetere, si fortè protulit animo ad alia distracto?* 146

Damianus ille diu mecum egit de argumento hujus Casûs, fortè frequentis, attamen à nemine, quem legerim, propositi: Quid respondendum censuerim, exprimam *num. 155.* ubi nimirum expediero primam ex his sex quæstionibus. *1. Quæ sit forma necessaria ad essentialiter bene absolvendum, ejúsque sensus? 2. Quænam ad accidentaliter bene? 3. Quale sit peccatum, non præmittere absolutioni à peccatis absolutionem à censuris, casu, quo pœnitens est irretitus aliquâ? 4. An, & quando liceat, vel non liceat repetere essentialem formam absolutionis, nominatim, quando distractus protulit formam absolutionis? 5. Quantum sit peccatum, proferre formulam cum voluntaria distractione? 6. An Confessarius teneatur absolvere pœnitentem, adhærentem sententiæ contrariæ illi, quam tenet ipse confessarius?* 147

148 Quæritur ergo I. *Quænam sit forma* essentialis *absolutionis?*

Resp. Hæc: *Absolvo te.* Ita præter alios tenent quadraginta tres DD. nominâti à Diana *Part. 11. Tract. 6. Res. 11.* iis ita favente Concilio Florentino, dum in lit. Eugenii pro forma *substantiali* non assignat, nisi illa duo vocabula, ut P. Suarez *De censuris Disp. 10. Sect. 2.* scribat, hanc responsionem esse certissimam. Ego autem ajo, esse tantùm multò probabiliorem, etenim negari nequit probabilitas sententiæ dicentium, illa verba: *A peccatis tuis.* etiam spectare ad substantiam formæ; sic enim sentiunt Durandus, Petrus Sotus, apud & cum Joanne Wigers *Quæst. 84. art. 3.* item Paludanus, Major, Gabriel, Basilius, & Martino apud Dianam, *cit. Res. 11.* multùm favente Conc. Trid. *Sess. 14. cap. 3.* ubi dicit, Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis Ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo &c.* frustra tanè adderet *tò &c.* si non exigeret *essentialiter* 149 saltem illa verba: *A peccatis.* Accedit, quòd illa duo verba: *Absolvo te*, etiam, dum pronuntiantur in ipso confessionali, sint indifferentia ad absolutionem à peccatis, & censuris, saltem quando pœnitens attulit casum censurâ notatum; atqui forma absolutionis à peccatis debet *determinatè* significare remissionem peccati, quia non plus efficit, quàm *determinatè* significet, cùm sit forma *practica*, non verò *speculativa.*

150 Ob quam rationem inferò in primis, delinqui mortaliter ab eo confessario, qui omittit illa tria (secùs, si tantùm omittat: *Tuis*) verba: *à peccatis tuis*, saltem casu, quo pœnitens confessus est peccatum mortale; ut contra nonnullos, cum Sylvio, & aliis tenet Stephan. à S. Paulo *in Theolog. Moral. Tract. 5. disp. 5. dub. 5. §. 1.* tum quia sunt ex omnium, ut testatur Tannerus *Tom. 4. disp. 6. quæst. 1. dub. 2. n. 39.* opinione certò necessaria *necessitate præcepti*, tum quia talis confessarius exponit Sacramentum probabili periculo nullitatis, sine necessitate, & contra justissimam voluntatem pœnitentis.

151 Infero deinde, confessarium, qui priusquam diceret: *Absolvo te.* non se determinavit, utrùm vellet tunc absolvere à censuris, an à peccatis, nequaquam delinquere, etsi, quando post illa verba se determinat, repetat eadem verba, eò quòd sit verè probabile, iis solitariè prolatis non contineri condonationem peccatorum; sit quoque probabile, contineri, quando non constat de contraria intentione, sicut non constat quando non adest, nisi defectus prædictæ determinationis sit tertiò certum, non delinquere, qui inter probabiles utrinque opiniones sequitur tutiorem, sequatur autem tutiorem, qui repetit, cùm sit certissimum, illâ repetitione nihil offici valori Sacramenti, sit autem probabile, offici, si non repetatur; docet quippe P. Dicastillo *De Pœnit. Disp. 5. dub 2.* 152 doctè differens de essentia, & accidentibus formæ absolvendi, inter cætera post alios, si quis incipiat proferre formulam cum intentione quasi indifferente, seu non determinata ad efficiendum Sacramentum cùm illis solis verbis: *Absolvo te.* aut simul cum verbis: *A peccatis tuis*, sed relinquendo, seu differendo determinationem ad tempus, quo (post verba: *Absolvo te*) cessandum sit, vel pergendum, in tali casu non valere Sacramentum, eò quòd oporteat intentionem requisitam adesse tunc, cùm dicitur: *Absolvo.*

Subinfero, nec illum esse damnandum re- 153 petitæ superstitiosè formulæ, qui, quando sine determinatione dixit: *Absolvo* (subdens: *à vinculo excommunicationis &c.* nihilominus dicit: *Deinde te absolvo à peccatis tuis*; ratio enim, quæ excusat illum, de quo paulò antè, excusat & hunc.

At nunquid talis tenetur iterare: *Absolvo te*, 154 priusquam dicat: *A vinculo excommunicationis*? Resp. Si repetat, non damnabo, quia probabilissimum est, quando talis non habet intentionem *positivè* contrariam verbis illis solitariè prolatis, significari, efficíque absolutionem à peccatis; ergo, ut per illa fiat remissio censurarum, repetenda est in casu proposito. Equidem Suarez *De censur. Disp. 10. Sect. 2. n. 7.* eúmque secutus P. Thomas Tamburinus *in Meth. exped. Confess. Lib. 2. ultima pag.* habent pro certo, si, te intendente absolvere à censuris simul, & peccatis constitutum in agone extremo cum proposito dicendi: *Absolvo te ab omnibus censuris, & peccatis tuis* evolet anima ægroti, postquam dixisti: *Ab omnibus censuris*, at priusquam dicas: *A peccatis tuis.* fore nihilominus absolutum à peccatis, quia illa verba: *Absolvo te*, significant determinatissimè, efficiúntque remissionem peccatorum, nisi videlicet adsit contraria intentio.

Infero denique responsionem ad Casum 155 propositum *n. 146.* videlicet certò sequi ex doctrina Suarii *n. 148. & 154.* quòd Damianus ille non teneatur in assignato eventu repetere, sicut è diverso ex doctrina Dicastilli producta *n. 152.* manifestè infertur, teneri repetere. Ego adhæreo sententiæ Suarezianæ, ea etiam de causa, quòd existimem, (perpendant eruditi hoc meum judicium) contra Dicastillum, nequaquam opus esse, ut, quando dico: *Absolvo te*, habeam tunc seu *virtualiter*, seu *formaliter*, seu *tacitè*, seu *expressè* determinatam intentionem absolvendi à peccatis, nec enim credo, verba indicativi modi, quibus

conficiuntur Sacramenta, debere tunc habere *determinatè* suam Sacramentalem significationem, quando proferuntur, sed sufficere, (posito, quòd absit contraria intentio) si illam habeant, quando effertur ultima syllaba *essentialiter* requisita ad valorem Sacramenti; nec enim apparet, cur ultima illa *essentialiter* requisita syllaba, sicut efficit Sacramentum, non etiam sufficienter determinet confusam, indeterminatámque significationem; & proindè quando, postquam dixisti: *Absolvo te.* hæres, utrùm velis subdere: *A peccatis tuis*, an: *A vinculo excommunicationis*, licèt illa hæsitatio ostendat, te, cùm dicebas: *Absolvo te*, non habuisse determinatam intentionem tunc absolvendi à nexu peccatorum, attamen, quando subdis: *A peccatis tuis.* dicetur verbi *Absolvo* significationem esse satis (modò absit contraria mens) per *tè peccatis tuis* determinatam ad remissionem culpæ, non autem ad remissionem censuræ.

156 Confirmo hoc meum judicium autoritate P. Georgii de Rhodes *Disp. Theol. Tom. 2. Tr. 10.* seu *De Euchar. Disp. 1. quæst. 2. Sect. 3. concluſ. 1.* ubi de pronomine *Hoc* initiante formam Consecrationis Eucharisticæ sic loquitur: »Pronomen *Hoc* necessariò importat in recto »aliquid confusum, vagum, & indifferens se»cundùm rationem ad panem, Corpus Christi, »aut aliam substantiam quamlibet, quæ in fine »prolationis esset sub talibus accidentibus«; »possum enim, cùm dixi *Hoc.* addere: *est pa»nis meus*, vel: *est corpus meum.* Ubi vides, »pronomen *Hoc*, tunc quando dicitur, signi»ficare *indeterminatè* gradum substantiæ, qui »tamen in fine propositionis determinatur ad »Corpus Christi. Sic loquitur ille autor post hæc verba visus à me. Ergo similiter rectissimè dicitur, significationem verbi: *Absolvo.* posse manere vagam in principio enuntiationis, determinatam verò reddi in fine.

157 Ad tollendos autem scrupulos dico in primis, illum, de quo *num. 155.* non delinquere, si non repetat, rectiùs autem facere, si repetat. Patet hujus dicti veritas ex paulò antè dictis. Dico deinde, quando quis aut semper, aut ferè semper solet absolutioni à peccatis præmittere absolutionem à censuris, si, postquam dixit *Te absolvo.* Seu: *Absolvo te.* quandoque hæreat, utrùm velit dare absolutionem à censuris, necne, non teneri quidquam repetere, sive post illam hæsitationem proferat verba significantia relaxationem censurarum, sive proferat indicantia condonationem peccatorum; similiter, si consuevit omittere absolutionem à censuris, hæsitet autem post verbum: *Absolvo*, utrùm rectà ad peccata, an ad censuras, progredi velit, progredietur ad utrumlibet horum *licitè*, sine repetitione verbi *Absolvo*: haud tamen delinquet repetendo, utpote sequens non absque autoritate tutiora; at verò *illicitè* repetet, si nullus præter distractionem animi, subsit defectus, ut ostendam *n. 175.*

Quæritur II. *Quænam sint accidentales formæ, cæremoniáque absolutionis?*

Resp. Juxta Rituale, seu Obsequiale Con- 158
stantiense præmittitur à confessario hæc precatiuncula cum efformatione S. Crucis. *Deus sit in corde tuo, & labiis tuis, ut dignè, & competenter annunties omnia peccata tua. In Nomine Patris &c.* juxta Mechlinienſe hæc: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis ad dignè confitendum peccata tua. In nomine Patris &c.* Rituale Romanum nullam indicat precationem, nos in Societate dicimus: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut ritè confitearis omnia peccata tua. In Nomine Patris &c.* Post enarrata peccata præscribuntur in Rituali Romano tres Oratiunculæ, scilicet: *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.* Deinde dexterâ versùs pœnitentem elevatâ hæc: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen.*

Dominus noſter Iesus Christus te absolvat, & 159
ego authoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges; deinde ego te absolvo à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Passio Domini noſtri IESU Christi, merita B. MARIÆ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Circa has precatiunculas notanda sunt se- 160
quentia. 1. Omnes exprimi his ipsis verbis in Obsequiali Constantiensi *Fol. 87.* quod quidem ultimis verbis Oratiunculæ: *Passio Domini &c.* subdit hanc monitiunculam: *Vade in pace, & noli amplius peccare.* 2. Non tantùm nullam ex iis esse de essentia absolutionis, sed etiam posse omnes taceri sine omni piaculo, nam in brevibus Confessionibus, sicut & in illorum, qui sæpe confitentur, sufficit, modò dicatur: *Ego te absolvo à peccatis tuis.* inquit Emmanuel Sa *Verb. Abſolutio. n. 1.* imò præstat, ut hæc sola verba proferantur in talibus Confessionibus, & tunc etiam in longioribus, quando multi adsunt pœnitentes, teste P. Thoma Tamburino *in Methodo expedit. Confeſſ. Lib. 3. cap. 1.* & Cardinalis de Lugo *De Pœnit. Disp. 13. num. 9.* scribit illas preces dici ex consue- 161
tudine libera. P. Polancus quoque *in Directorio* ait, omnia, quæ ante, & post absolutionem dicuntur, esse solùm de decentia, non tamen omittenda. Concil. Trident. *Seſſ. 14. c. 1. De Sacr.* plus non edicit, quàm illas precatiunculas laudabiliter ex more Ecclesiæ usurpari; Rituale Romanum ait: *In Confeſſionibus frequentioribus, & brevioribus omitti poteſt: Misereatur &c. ſatis erit dicere: Dominus noſter Ieſus Christus, ut ſuprà, uſque ad illud: Paſſio Domini &c.* Ita Rituale, addente Filliucio *Tract. 7. n. 65.* saltem verba illa:

Paſſio

Paſſio Domini &c. secundùm omnes non esse necessaria, & posse omitti ex qualibet rationabili causa, ut quando est multitudo pœniten- 162
tium, qui se reconciliant: Ita ille. Ego servo hunc morem (& sine dubio plures alii) u., quando plures pœnitentes stipant sedem confessionalem, postquam dixi: *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c.* dem pœnitenti signum recedendi, eóque lentè, ut fieri amat, recedente proferam oratiunculam: *Paſſio Domini &c.* ea etiam de causa, quòd magni Theologi nominandi *Caſ. XXI.* censeant, per pronuntiationem illius precis à confessario elevari omnia secutura bona opera pœnitentis ad satisfactionem Sacramentalem, eáque de causa posse minui pœnitentiam aliàs imponendam.
163 3. Singulariter absolutionem à censuris omitti communiter innoxiè, præsertim in Germania, in qua nominatim à læcularibus plebejis contrahuntur multò rarissimè, si fiat reflexio ad conditiones necessarias incurrendæ re ipsâ censuræ. Et utique absolutio à suspensione omittenda est, quando pœnitens est laicus, hujus enim pœnæ incapaces sunt laici; imò & rectè omittitur, quando initiatus Minoribus est absolvendus, hac quippe ætate merè laici obeunt omnia officia, quæ consuevêre Minoristæ. 4.
164 Licèt, quando pro solo foro *interno* absolvitur quis ab excommunicatione, sufficiat proferre illa verba: *Abſolvo te à vinculo excommunicationis*, ut expressè tradit Rituale Romanum *Fol. mihi 46.* quando tamen est absolvendus quis pro foro quoque *externo*, dicendum est: *Dominus noſter Ieſus Christus te abſolvat, & ego authoritate ipſius, & Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, vel Reverendiſſimi Epiſcopi* N. (quando scilicet absolvit ex delegatione aut Papæ, ut e. g. Regulares Ordinum Mendicantium, aut Episcopi) *mihi conceſſâ abſolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurriſti* (vel incurrisse declaratus es) *propter tale factum, vel cauſam, & reſtituo te communioni, & unitati fidelium, & Sacramentis Eccleſiæ.* Si autem agatur de censura suspensionis, dicet: *Abſolvo te à vinculo ſuſpenſionis, quam propter tale factum & cauſam incurriſti*, seu *incurriſſe declaratus es, in Nomine Patris &c.* sicuti, quando agitur de irregularitate tollenda, dicitur post absolutionem à censuris: *Eâdem authoritate diſpenſo tecum ſuper irregularitate, in quam ob talem cauſam* (nominando hanc) *incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni Ordinum, & officiorum tuo-*
165 *rum in nomine Patris &c.* Hæc omnia leges in Rituali Romano sub Titulo *De Sacramento Pœnitentiæ*; servet quisque notorium, constantémque morem suæ Diœcesis, & erit tutus coram Deo, hominibúsque. Et verò est ubique receptum in Germania, ut confessarius detecto capite impertiatur absolutionem, quem morem defendit Tannerus *De Pœnit. quæſt. 9. n. 4.* adversùs Emanuelem Sa. *in edit antiqua*, non tamen damno peccati, qui absque scandalo (non facilè timendo à senibus, catharrosis, calvis in hieme) absolvunt tecti pileolo plicatili. Sicuti jam non obligat mos imponendi manus capiti absolvendi, ut imponebatur olim, eámque ob rem Sacramentum Pœnitentiæ nuncupatur Sacramentum *impoſitionis manuum.*

Interrogabis: *Sitne probabilis opinio* Joan- 166
nis Pontii apud Dianam *Part. 11. Tract. 6. Reſ. 14. rati, ſi homini animam agenti nequeat adesse, niſi ſacerdos mutus, hunc posse, imò teneri illum abſolvere, aut nutibus, aut ſcriptis in charta verbis.*

Resp. Cum Diana, me non audere vocare *practice* probabilem, quia nequit ullum ex aliis Sacramentis (excepto Matrimonio, quod, cùm sit verus contractus, sequitur indolem contractûs in genere sumpti) impertiri alterutro horum modorum; & nominatim de hoc Sacramento pronuntiant Concilia Florentinum, & Tridentinum, relata suprà *num. 148.* ejus formam esse hanc: *Ego te abſolvo.* Et denique Clemens VIII. damnavit opinionem consentium cum Navarro, posse in aliquo casu, saltem extremæ necessitatis, *licitè* alicui mitti in scripto absolutionem Sacramentalem. Vide Tanner. *Diſp. 6. quæſt. 9. dub. 1.* referentem verba Clementis, atque rectè probantem tum ex illo Decreto, tum ex particula *Te*, nullo casu posse absolvi absentem, consentiúntque Recentiores. De absolutione distantis, quando oblitus es eam impertiri, dicam *Caſu VI. num. 287.*

Quæritur III. *Quale sit peccatum, non præ-* 167
mittere abſolutionem à cenſuris abſolutioni à peccatis ipſis.

Resp. I. Si pœnitens adfert censuram excommunicationis majoris, delinquit mortaliter confessarius, non præmittens absolutionem ab hac, absolutioni à peccatis. Suarez *De cenſur. diſp. 10. ſect. 2.* quia irretitus hac censurâ peccat mortaliter recipiendo qualecunque Sacramentum. Si tamen ipse excommunicatus agat animam, ita, ut sit periculum, ne evolet, priusquam impertiatur absolutio à peccatis, proferes illa duntaxat verba: *Abſolvo te* cum intentione tollendi tam censuram, quàm culpam, tunc enim priùs naturâ tolletur censura, quàm culpa, teste eodem Doctore; vel potiùs dic: *Abſolvo te à cenſuris, & peccatis*; licèt enim contingat eum emori, priusquam dicas: *A peccatis*, erit tamen certissimò juxta Suarez relatum suprà *numero 154.* absolutus ab his.

Resp. II. Si ea censura sit suspensionis, vel 168
interdicti, rectiùs ages tollendo as (si potestatem habes) antè, quàm pòst, non tamen aut ullum, aut grave peccatum admittes postponendo. Sicut &, quando per oblivionem non præmisisti debitam absolutionem ab Excommunicatione, teneris (si præditus sis tali potestate) subjicere, non tamen repetere absolutionem à peccatis; excommunicatio quippe

non officit absolutioni à peccatis, nisi quatenus excommunicatus recipit hanc in affectu peccati mortalis. Navarrus *in Summa Cap. 9. num. 3.* adhuc laxiùs loquens. Suar. *loc. cit.* & *De Pœnit. Disp. 31.* & alii apud Suarez, & Joannem Sanch. *in Select. Disp. 32. num. 11.* frustra contradicentem cum multis; atqui pœnitens non perseverat in affectu peccati mortalis, quando ignarus, se nondum esse absolutum ab anathemate, restituúmque Sacramentis Ec-
169 clesiæ petit, percipítque absolutionem. Hæc probè nota, quia non obvia, & iis adde, quæ superiùs dixi de modo absolvendi à censura, in foro etiam externo.

170 Interrogabis: *Quo sensu sacerdos dicatur absolvere à peccatis illum, qui non adfert nisi venialia jam integrè delcta per contritionem, aut non nisi mortalia jam alias legitimè remissa per Confessionem?*

Resp. Hoc sensu: Ego hac meâ judiciali sententiâ confero tibi, si capax es, gratiam Divinam, quæ, quantum ex se est, vim habet dimittendi peccata quoad culpam, & pœnam. Suarez *De Pœnit. Disp. 14. Sect. 13.* Vel: Tibi remitto offensam Divinam, cedendo jure illo, quod Deus, & ego loco Dei, à te offensi habui ad non remittendam offensam, conferóque tibi novum Titulum, ob quem prohibeor de novo esse tibi offensus ob peccata. Lugo *Disp. 13. Sect. 3. num. 27.*

171 Quæritur IV. *Quando liceat, aut non liceat repetere formam Sacramentalem?*

Resp. I. Est ex suo genere grave peccatum, repetere illam, respectu eorundem omnino peccatorum in eadem Confessione, nisi adsit rationabile dubium de valore prioris absolutionis. Hanc responsionem expressè jam tradidi *in Alph. Bapt. Cas XIII. num. 379.* loquendo etiam de absolutione sub conditione, probavíque inde, quòd DD. relati *ibid. num. 318.* gravis criminis reum agant sacerdotem, qui etiam sub conditione rebaptizat alterum ex inani du-
172 bio, levíque scrupulo. Plurimi tamen ex talibus repetitoribus excusantur ab omni, aut certè à gravi peccato, ideo, quòd non apprehendant vanitatem sui scrupuli, dubiíve inanis, aut in eas compingantur angustias, ut apprehendant peccatum, sive repetant, sive non repetant; & quia non habent otium examinandi (quis enim prudens deliberet diu cum tædio, vel rubore pœnitentis?) utrùm liceat, an non liceat; oporteat, an non oporteat facere iterationem, faciunt (depositò dubio *practico*) hanc, & rectè quidem tunc; est quippè è duobus malis minus eligendum, est autem minus malum iterare Sacramentum, quandò non esset à parte rei iterandum, quàm non repetere, quando esset à parte rei repetendum, sicut ostendi in citato Tractatu *num. 381.* non enim *temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis*, inquit S. Leo *ibid.* relatus *num. 380.* Quin meritò P. Thom. Tambur. *De Sacram. Lib. 1. cap. 1. §. 3. absolutè* damnat de 173
solo veniali, qui laborans dubio levi, meróque scrupulo animi pusillanimis, an formam *substantialem* ritè protulerit, repetit illam sub conditione solùm idcirco, ut amoveat à se scrupulum illum, nam non irrogat gravem, sed solùm levem imprudentiæ injuriam Sacramento, dum repetit ex metu offendendi Numinis, & nocendi proximo. Et citat idem P. Tamburinus Leandrum extendentem hanc doctrinam ad Sacramenta imprimentia characterem, ipse verò non vult absolutè extendere ad ista, ego autem extendo ob identitatem rationis.

Resp. II. Quoties rationabiliter dubitas, 174
utrùm protuleris formulam necne, toties teneris repetere (sub conditione expressa mente, vel verbis) eandem. Ratio est, quia jura, & DD. relati à me *in eodem Alphab. cit. Cas. XIII. num. 356. & seqq.* ita statuunt de baptismo; est autem pœnitentia secunda post naufragium tabula, sicut baptismus prima. Trident. *Sess. 6. cap. 14.* ideo existimo, delinqui mortaliter non repetendo in tali dubio, saltem quando pœnitens est confessus aliquod mortale peccatum; si autem solùm veniale, sciatúrque esse innocens anima, non ausim injungere obligationem mortalem, ea etiam de causa, quòd talis pœnitens nolit in tali casu graviter urgere jus, quod fortè habet ad absolutionem, singulariter in casu, quo dubitas rationabiliter, an dixeris: *A peccatis.* propter dicta suprà *num. 148.*

Resp. III. Ex eo præcisè, quòd formulam 175
protuleris voluntariè, involuntariéve distractus, non habes rationabilem causam dubitandi, an revera integre protuleris; quare non habes ex hoc præcisè Titulo aut obligationem, aut jus repetendi. Cùm enim Suarez relatus suprà *num. 148.* pronuntiet esse certissimum, Tamb. autem *in Method. Confess. Lib. 2. cap. 10. num. 57.* esse certum, quòd hæc duo verba: *Absolvo te.* contineant totam essentiam absolutionis, nemini potest, stante hac doctrina, oriri prudens dubium, aut scrupulus de errore in forma.

Sicuti nec ille jure dubitat de prolata forma; 176
qui ob distractionem ignorat, utrùm ullum verbum essentiale absolutionis protulerit, esset autem advertenter illa verba. *In nomine Patris, & Filii &c.* si enim talis jam præditus sit habitu præmittendi his verbis formam essentialem, inadvertentia, seu distractio non præbet rationabilem causam dubitandi de prolata vera formula; si autem nondum est habituatus, suppetit ratio dubitandi, ergo & repetendi. Porrò *n. 267.* enumerabo casus, quibus ob dubium pronuntianda est formula sub conditione.

Quæritur V. *Quantum sit peccatum, pronunti-* 177
are formulam Sacramentalem cum distractione voluntaria?

Resp.

Resp. Nondum me pœnitet scripsisse *in Alphab. Baptiz. Cas. VI. n. 202.* sicut non habemus sufficiens fundamentum damnandi de mortali proferentem cum voluntaria distractione formulam baptismalem, dummodo sit bene exercitatus, ita à fortiori non suppetit ratio agendi reum noxæ lethalis, qui usu bono, longóque præditus admittit distractiones in prolatione formæ pœnitentialis; at quis excusset à gravi veniali? His scriptis video consentire, aut certè inclinare P. Tambur. *de Sacram. l. 1. c. 2. §. 1. n. 5.*

178 Quæritur VI. *An Confessarius teneatur sequi opinionem probabilem sui pœnitentis, nolentis ab ea recedere?*

Resp. Si judicet ipse quoque Confessarius, esse probabilem, nequit negare absolutionem pœnitenti, nolenti recedere ab ea. Ita plerique Theologi cum, & apud Lugonem *Disp. 22. n. 39.* ac Dicastillum *disp 10. dub. 28. n. 556. & seqq.* fusissimè, quidquid repugnet Ferro Manrique *quæstion. Vicarial. p. 2. q. 2.* nequit enim Confessarius negare absolutionem benè dispósito, sequens autem opinionem probabilem est bene dispositus. Estque hæc responsio vera, licèt Confessarius, judicet, eam sententiam pœnitentis esse falsam, modò simul judicet, esse probabilem. Sanchez *in Summa l. 1. c. 9. n. 28.* Diana *P. 2. Tr. 13. Res. 7.* Dicastillo *cit. n. 556.* atque alii contra Sairum. Quamvis enim confessarius judicet, esse falsam, non tamen ideo judicat esse improbabilem, ergo nec judicat, pœnitentem esse hîc, & nunc malè dis-
179 positum. Idem dic, quando confessarius putat, illam sententiam esse improbabilem, modò sciat, haberi ab aliis doctis pro verè probabili. Lugo *loc. cit. n. 46.* Dicastillo *n. 569.* post Sanchez, & alios contra alios; potest enim confessarius ita ratiocinari: Sæpe fui deceptus tunc, cùm existimabam, esse me planè certum, ergo fieri potest, ut etiam nunc fallar, dum habeo illam opinionem pro improbabili, quam liquidò novi, poni à viris emunctæ naris
180 in censu probabilium. Quòd si autem solus pœnitens cum uno, alteróve imperito habet illam pro probabili, nequaquam tenetur confessarius procedere juxta illam. Vide Layman. *Lib. 1. Theol. Mor. Tr. 1. c. 5. §. 2. num. 10.* Idcirco quando pœnitens judicat, se habere sufficientem dispositionem, feciísse debitum examen, confessarium habere jurisdictionem, haud rectè stabit hic ejus Judicio, si censeat, illum planè deceipi. Lugo *n. 45.* Dicastil. *n. 567.* nam tenetur pœnitens illius, utpote judicis judicio stare in ejusmodi eventis. Filliuc. *Tr. 7. n. 366.* nisi vel confessarius judicet, opinionem pœnitentis esse probabilem, vel hæc diversitas opinionum oriatur ex diversis fundamentis probabilibus. Plura hanc in rem Lugo, & Dicastillo, rectè ex communiore addentes, hanc totam doctrinam esse veram respectu confessarii excipientis Confessionem, seu ex officio, seu ex mera charitate; quamvis, qui ex mera charitate, possit dicere pœnitenti: Si ampliùs mihi venias cum tali sententia, te non absolvam. Denique concludit Lugo cum Suarez 181
De pœnit. d. 35. sect. 5. Sanchez, Sangallensibus referendis infrà *n. 599.* & Diana contra Montesinum, atque alios, non tantùm venialiter (nisi fortè Confessio sit de solis venialibus) sed mortaliter delinqui à sacerdote quovis, negante absolutionem, quando potest imperiri juxta probabilem opinionem; quia est magnum onus pœnitenti, confiteri bis idem crimen lethale. Quod si pœnitens prævideatur non esse desertirus suam opinionem, etsi improbabilem, urgendus, & non urgendus erit juxta ea, quæ de necessitate docendi ignorantem tradam *Cas. VII. n. 313. & seqq.* notántque hîc Lugo, & Dicastillo. Claudam hanc materiam hoc

Casu quotidiano, at indiscusso.

Dionysius ultro confitetur dicens: Sum 182
bis furatus, sed tantùm res parvas; detraxi alteri honorem, sed tantùm leviter, imprecatus sum alteri malum, sed non grave; bibi ad crapulam, sed non puto me mortaliter deliquisse. An potest, an tenetur confessarius credere tali pœnitenti?

Resp. *Absolutè*, & in rigore non tenetur, quia usus docet, pœnitentes sæpissime perquàm malè judicare de malitia, gravitatéque peccatorum, communiter tamen, id est, nisi habeat peculiarem rationem dubitandi, an Dionysius non erret in suo judicio, potest esse contentus tali accusatione sine ulteriore interrogatione, partim quia ejusmodi pœnitens meritò præsumitur habuisse de malitia suæ actionis tale judicium eo tempore, quo eam exercebat, quale habet in ipso Confessionali; ergo non peccavi mortaliter coram Deo, esto fortè illa actio *materialiter* sumpta non vacaverit gravi culpâ, partim quia experientia me, & utique multos alios docuit, pleróque omnes, qui sic confitentur, bene etiam *materialiter* confiteri.

Unde P. Laym. *Lib. 1. Tr. 2. c. 4. n. 7.* pro 183
praxi *absolutè* scribit, confessarium præsumere posse, quòd pœnitens judicaverit de objecto, circa quod peccavit, illo modo, quo se habebat; quam doctrinam ego communissimè sequor, quando adest numerus confitentium magnus, quando autem parvus, non sequor, si suppetat minima ratio dubitandi, an pœnitens non fallatur in suo judicio, qualem rationem dubitandi non agnosco, quando pœnitens est

vel doctus, vel mihi antecedenter notus de sanitate judicii.

CONFESSARIUS MALE ABSOLVENS.

CASVS V.

Non simplex, sed compositus, non Fictus, sed Factus.

SVMMARIVM.

Casus complectens ferè omnes defectus Confessarii. 184.
Quæ scientia sit necessaria Confessario? 188.
Confessarius constitutus in statu peccati mortalis, quando eliciet necessariò contritionem? 196.
Quid si nequeat? 197.
Quot peccata committit excipiens multas Confessiones in malo statu? 199.
Quid si utatur convitiis? 203.
Qui peccet non interrogans numerum? 205.
Dubia peccata an confitenda? 208.
Dubia irrationabilia non sunt curanda. 212.
Quomodo possit deponi dubia conscientia? 215.
An repetenda absolutio, quando confessus mortale sub dubio, & absolutus mox certus sit de commisso? 215.
An repetenda formula, quando post absolutionem narratur aliquod veniale? 220.
An absolvendus confitens aliquod peccatum generícum? 229.
Aut confitens actus indifferentes non relatos ad bonum finem? 231.
Quatenus teneatur confessor interrogare, quæ non percepit? 235. & *seqq.*
Et singulariter, quando est certus, illud, quod non percepit, fuisse solùm veniale? 238.
Quomodo se singulariter geret cum sponso, cujus sponsa est immediatè *antè confessa fornicationem cum sponso, ipse autem nihil dicit de hoc?* 240.
Declaratur casu vero. 241.
An & quatenus licitè, *aut ex necessitate urgeat pœnitentem, ut nominet complicem?* 248. & *seqq.*
Casus Confessarii curiosè scisciantis stemma pœnitentis. 256.
Quomodo tractandi, qui deprehenduntur fuisse sacrilegè *confessi à plurimis Annis?* 259. & *seqq. distinctè.*
Declaratur facto P. Colnagi. 266.
Absolvens sub conditione *sine rationabili causa peccat.* 267.
Quando sit absolutio danda sub conditione? 268.
Adfertur singularis doctrina de dubio tollendo, quando dubitatur de sufficientia dispositionis. 269.
An conditio, sub qua datur absolutio, sit verbis efferanda? 171.
An sufficit subaudire implicitè? 172.
Casus, quibus imperanda est repetitio Confessionis. 277. & *seqq.*
Singulariter, an, quando pœnitens dicit, se dubitâsse, an graviter peccaret tacendo hoc, aut illud crimen? 277.
Et quando notavit, haberi à confessario pro veniali, quod ipse scit esse mortale? 280.
An pœnitens teneatur dicere? peccavi mortaliter. *Ibid.*

E*Ligius Sacerdos indoctus* a *& imprudens* 184
b *nec approbatus* c *nec Iurisdictione præditus* d *insuper censurâ irretitus* e, *atque in statu peccati mortalis existens* f *excipit Confessiones, solitus confessionale accedere sine ulla præparatione* g, *nec benedictionem impertire pœnitenti* h, *ex quo ut primùm intelligit aliquod atrox crimen, statim graviter illum increpat* i, *imò convitiis petit.* k *Crebrò absolvit à reservatis* l, *crebrò non interrogat confitentem sine specie, sine numero peccata aut certo* m *mortalia, aut dubiè* n *mortalia, multò minùs circumstantias* o, *nisi fortè sint peccata carnalia, in quorum circumstantiis, & modis exprimendis est nimius* p, *singulariter è puella, manifestante fornicationem, sciscitatur, an tunc primùm amiserit virginitatem* q, *an non sit alteri desponsata* r, *& à confitente, se carnaliter commixtam fuisse cum aliquo proximo cognato, fuerítne hic frater, an patruelis?* s *à dicente, se deliberatè inhæsisse turpibus cogitationibus absque tamen desiderio* t *non quærit de statu ipsius pœnitentis, seu personæ, de qua tunc cogitavit. Sicut, &* 185
ex illo, qui dicit: Sum furatus notabilem quantitatem, non sciscitatur determinatam u, *nec etiam ex fatente, se valde turpia* x, *& detractoria* y *locutum, coram* z *aliis, quærit de numero auditorum. Impertit absolutionem à censuris dicens tu solùm: Absolvo te* a 2. *sine ullis precibus* b 2. *totus distractus* c 2. *oculis vagabundus* d 2. *cum repetitione formulæ sine causa* e 2. *Et impertit ignaris articulorum fidei* f 2, *multa peccata committentibus ex ignorantia, & non edoctis veritatem* g 2. *sicut, & nolentibus restituere* h 2. *nec abstinere ab occulta compensatione* i 2. *nec inventa dare pauperibus* k 2. *nec salutare illos, à quibus offensi* l 2. *nec census annuos pendere* m 2. *nec occasionem peccandi deserere* n 2. *nec à maledicendi consuetudine desistere* o 2. *nec confiteri*

ri blasphemias, aliáque in ebrietate patrata crimina p 2. *identidem recidentibus in idem scelus* q 2. *pueris, de quibus dubitat, an peccare queant* r 2. *adultis adferentibus aut solùm peccatum in genere* s 2. *aut actus indifferentes non relatos in honorem Dei* t 2. *aut imperfectiones* u 2. *Religiosis confitentibus sibi sine facultate Prælati* x 2. *Quoties non interrogat ea, quæ non intellexit vel ob distractionem, & somnolentiam? Vel ob pœnitentis vocem nimis submissam, ignotúmque idioma?* y 2 *Quoties nec ea, quæ novit commissa à pœnitente, & tamen tacerit?* z 2. *Quoties adigit pœnitentem ad nominandũ complicem, sponsúmque?* a 3. *Quoties dimittit pœnitentem sine remedio salutis, sollicitus potiùs absolvere*
186 *multos cursim, quàm unum bene?* b 3. *Quoties fatentem, se per 10. 20. annos sacrilegè confessum absolvit ex stapede?* c 3. *Quoties impertitur absolutionem, aut sub conditione?* d 3. *aut ante injunctam pœnitentiam?* e 3. *aut etiam moribundo, qui nullum pœnitentiæ signum dedit?* f 3. *Denique quoties, aut non corrigit defectus commissos in suo ministerio?* g 3. *etiam absentem absolvens* h 3. *atque jubens repeti Confessiones antiquas sine necessitate?* i 3. *ut nihil dicam de gravissimis pœnitentiis, quas injungere solet* h 3. *An non annumerandus est hic Eligius absolventibus malè, pessimè?*

187 Multi è Theologis moralibus præmittunt, more Jurisconsultorum, capitibus, seu articulis suorum librorum Summaria, ut vocant; erit hic Casus instar Summarii Casuum secuturorum cum repetitione pauculorum è jam priùs explicatis, ut videlicet sub unum conspectum dem indicem conditionum requisitarum in bono confessario, quia, dum *directè* exprimo defectus, *indirectè* indico virtutes, seu qualitates; contrariorum enim eadem est disciplina; quos quidem defectus non omnes explicabo in hoc Casu, sed tantùm partem magnam, reliquos edisseram locis in decursu indicandis, priùs tamen observato, præsentem Casum à me eo sensu vocari *Non Simplicem*, sed *Compositum*; *Factum*, non *Fictum*, quo vocavi Casum præfixum tractationi *de Horis Canonicis n. 547.* observato prætereà, per confessarium *malè Absolventem* intelligi etiam illum, qui malè fungitur officio confessarii.

(*Indoctus.*) De doctrina, & scientia ne-
188 cessaria confessario notanda sunt sequentia 1.
A Debet universim eâ scientiâ esse præditus, ut pœnitentis morbos spirituales cognoscere, eis aptas medicinas præscribere, ignorantiam ejus possit docendo expellere, atque justam ferre sententiam, quandoquidem Confessarius est Medicus, Doctor, Judex. Suprà *Cas. 1. n. 22.* Debet itaque 2. ejus peccata intelligere secundùm speciem, & numerum. Infrà *n. 205* qua de re ita speciatim differit Lugo *De pœnit. disp. 21. sect. 4. num. 70. & 71.* Satis est, si sciat in iis, quæ communiter occurrunt, sintne mortalia, an venialia; item quæ habeant excommunicationem, aut reservationem adjunctam, in quo melioris conditionis sunt habentes facultatem absolvendi à reservatis. Item non est necesse, ut in dubiis, quæ occurrunt, possit, ipse omnia resolvere, satis si communia sciat, de difficilioribus autem sciat saltem dubitare, & peritiores, librósque consulat. Debet etiam scire qualis dispositio in pœnitente requiratur, ut possit absolvi: Hinc infero (hanc 189
totam illationem admittit quidem ut probabilem Dicastillo *d 10. dub. 12. n. 340.* sed *absolutè* mavult restringi ad Casus dubios) non exigi, ut confessarius de omnibus, quæ audit ex pœnitente, judicet, an sint gravia, vel levia, imò neque, an sint, vel non sint peccata, sed de communioribus; reliqua verò audiat, & intelligat, posteà absolvat cum debita intentione. Quando verò est dandum consilium in futurum, aut faciendâ restitutio, vel contractus dubius prohibendus, erit bonum consilium, quærere à pœnitente, an sit paratus ad consulendum peritos, & ad standum eorum judicio circa illud dubium; quòd si promittat pœnitens, absolvat eum confessarius dicendo illi obligationem, quam habet, consulendi aliquem, vel aliquos. Quòd si Religiosus dubitet de suâ aptitudine, & sufficientia ad istud ministerium, poterit deponere dubium, quando Prælatus, qui illum bene novit, judicat illum aptum, & ideo imponit tale onus.

Hactenus Cardinalis de Lugo, rectè subdens, 190
graviter delinquere, qui se exponit ad confessiones audiendas sine scientia requisita, etiamsi sit Religiosus.

Eidem Cardinali, quatenus negat, esse necessarium, ut confessarius semper judicet, suúsne pœnitens hîc & nunc deliquerit mortaliter, an venialiter solùm, concordat expressè Joannes Wigers *in supplement. S. Thom. q. 8. n. 22.* qua doctrinâ aliquando solatus sum nonnullos, nimiùm circa hoc objectum anxios.

3. Quia maximi DD. quos contra alios 191
adfert, sequitúrque Dicastillo *cit. dub 12 num. 350.* dicunt, valere absolutionem impertitam, etiam extra articulum mortis, ab adeò indocto, ut nesciat distinguere inter venialia, & mortalia etiam communiter occurrentia, interque peccatorum unitatem, & pluralitatem, ideo vix reperietur sacerdos sanæ cæteroqui mentis, qui destitutus sit scientiâ *essen-*

tia-

tialiter requisitâ, & ideo, qui bonâ fide est tali confessus, non tenetur, cognito illo defectu confessarii, repetere Confessionem. 4.
192 Quando pœnitens est ita doctus, ut possit, velitque docere suum indoctum confessarium, huic sua insciti non obest, P. Tanner. *q. 9. n. 99.* subdens *num. 100.* confessarium debere esse ita peritum, ut possit pœnitentem docere necessaria ad salutem, ut sunt articuli fidei, & Sacramentorum digna receptio; si enim horum ignorantiâ laborat pœnitens, debet eum instruere, prout permittit ratio loci, & temporis, vel certè mittere ad alium instruendum. Plura de scientia necessaria confessario tradimus *in Fiadiciis Theologicis*, obtinentibus secundum locum in nostro *secundo* Tomo, *sect. 11.*
193 *n. 237. & in Alphab. Ordin. n. 373. & seq.* His adde, mortalis delicti damnari illum, qui deditâ operâ quærit confessarium indoctum respectu sui statûs; nequit enim utiliter mederi. P. Tambur. *de Sacram. lib. 5. c. 6. §. 1.*

194 (*Et imprudens.*) Explicabo *Cas. VII. n.*
B *305* & *seqq.* prudentiam requisitam in Confessario.

C (*Nec approbatione, & jurisdictione præditus.*)
D De his duabus qualitatibus satis disseruimus *Cas. II. & III.*

195 (*Censurâ irretitus.*) Excommunicatio maE jor privat jurisdictione, nisi aut error *communis* suffragetur. Suprà *n. 107.* aut periculum mortis. Suprà *n. 122.* At excommunicatio minor nil officit, officit autem suspensio ab officio, non autem à solo beneficio; hæc enim per se solùm privat jure administrandi redditus beneficiales. Layman *Lib. 1. Tr. 5. Part. 3. cap. 1.* ex communi notans, nomine *suspensionis* absolutè prolato intelligi suspensionem totalem, id est, ab officio simul, & beneficio.

196 (*Atque in statu peccati mortalis*, &c.) EtcF nim eliciendus est necessariò à tali actus contritionis, priusquam absolvat pœnitentem, non autem necessariò, priusquam incipiat excipere peccata pœnitentis. Diana *Part. 1. Tr. 7. Resol. 47.* contra Possevinum; nam in sola absolutione est minister gratiæ Divinæ.

197 At *quid si nequeat ob brevitatem temporis, ut contingere potest cùm moribundo pœnitente, elicere contritionem?* Respondet rectè P. Dicastillo *De pœnit. disp. 10. dub. 8. num. 232.* non fore reum sacrilegii, eò quòd necessitas absolvendi talem, præponderet necessitati eliciendæ contritionis. *At ipse confessarius innocens ingressus confessionale sit ibi nocentissimus, nam ex occasione data tunc admittit ibi aliquod crimen lethale, nec potest, ante absolutionem, elicere contritionem, nisi post jam enarrata omnia peccata detineat pœnitentem, miraturum hanc detentionem, absolutionisque inconcinnam dilationem?*

198 Resp. Licèt Navarrus *de Iubil. & Indulg. not. 17.* eruditè probet, esse perquam difficile elicere actum perfectæ contritionis sicuti pluribus declaravi *in Alphab. Confitentium Cas. IV. num. 109.* non modò tamen id *absolutè* negat alicubi Diana à me lectus, itémque P. Matthæus Stoz in valde enucleata *Praxi Confessionis num. 26.* sed etiam videtur, non posse hîc fingi tale incommodum ex dilatione absolutionis, ut præponderet præcepto eliciendæ contritionis; certè non est opus longo tempore ad id, ut confessarius, ita recenter, graviter, & præter intentionem, cum qua accessit exhomologeterium, lapsus dicat syncerè, & ex corde: *Quid miser feci? utinam, utinam te ò Summum Bonum meum non ita nequiter offendissem? Absit, ut quidquam ejusmodi admittam in æternum!* Saltem hoc videtur certum, quòd, si omisit in actu illius Confessionis audiendæ, & perficiendæ contritionem, non sit coram tribunali Divino excusandus à sacrilegio, si ex aliis adgeniculantibus aliquem absolvat, nondum reconciliatus Deo; nec enim necessitatem obtendere potest ullo jure.

At posito, quòd inquinatus nave lethali emacu- 199
let animas decem, viginti, centum aliorum accedentium sine intermissione? eritne reus 10. 20. 100 sacrilegiorum? Resp. Non erit, quia illa continuata administratio Sacramenti in eodem loco, temporéque continuo se habet perinde, ac prandium die Veneris sumptum ex carnibus, in quo nemo dicet, te toties esse reum novæ culpæ, quoties carpis è diversis cibis interdictis. Cardin. de Lugo *de pœnit. disp. 16. sect. 14. §. 2. n. 558.* Ergo talis Confessarius satisfaciet Deo, si confitendo dicat: Excepi aliquot Confessiones continuas in peccato mortali, sicut in simili diximus *in Alphab. Communic. Cas. XXI.* de illo, qui existens in statu peccati mortalis præbuit sub eadem Communione multis Sacram Synaxin. Nec damno novi peccati 200
mortalis prædictum confessarium, licèt, postquam audivit aliquos, cesset aliquamdiu otiosus, præstòlans, si qui fortè alii adveniant. At si migret ad aliud confessionale, videbitur nonnemini multiplicaturus sacrilegia, nam unitas Confessionalis multùm facit ad unitatem moralem peccati, ergo & multiplicitas ad multiplicitatem.

(*Solitus sine præparatione*, &c.) Nos in So- 201
cietate solemus sequi doctrinam à P. Polanco G
in Directorio c. 2. §. 1. propositam his verbis: *Sacerdoti paranti se ad audiendas Confessiones renovandum est desiderium salutis animarum, & honoris Divini per orationem brevem, qua petat à Deo gratiam pœnitentibus, ut ad ipsum verè redeant per Confessionem, ac Sacramenti finem consequantur; & sibi, ut suo munere rectè fungatur, & ne confessarii negligentia impediat vim, & efficaciam sanguinis Christi, & divinæ liberalitatis influxum in pœnitentes; Quin potiùs suppleat summa Bonitas ipsius, & Potentia defectus vilis instrumenti; in ipso etiam confes-*

Confessionis decursu pœnitens semper, ut imago Dei reparata Christi sanguine, & eo perfusa, oculis mentis objiciatur.

202 H (*Nec benedictionem impertire*) qua de re su-
I prà. *num. 106.*

(*Graviter increpat,*) ipse sanè dignissimus increpatione, utpote qui possit hac ratione facilè præbere efficacem occasionem repetendi sceleris, quod exhibet Casus tristis, & lætus, quem delcribam pro *Casu VII. hujus Alphab. n. 302.* Ergo abstinendum omni verbo, omni signo indignationis, admirationis, impatientiæ, donec pœnitens evacuaverit totum pectus; tunc enim primùm usurpanda doctrina Polanci *in Directorio §. de pœnitente juvando* &c. sic monentis: *Reprehensio etiam cum asperitate ingeniis durior, ne contemnant, est adhibenda. Sapientiores, & in dignitate eminentiores blandè, & cum dexteritate sunt reprehendendi.*

203 (*Imò convitiis petit,*) At malè. 1. quia neK fas est, notitiâ Confessionis sive extra, sive etiam intra ipsam Confessionem uti cum injuria pœnitentis. Lugo *d. 23. sect. 5. num. 123.* convitium autem est injuriosa exprobratio vitii veri, aut falsi. S. Thom. *2. 2. q. 72. a. 1. ad 3.* ergo si Confessarius pœnitentem petat grandi *respectivè* convitio aliter, quàm in ordine ad ejus emendationem, peccat mortaliter 2. Quia convitia reddunt Confessionem valde odiosam. 3. Quia confessarius debet perpetuò esse memor versiculorum à S. Thom, *in 4. d. 17.* aliisque relatorum:

Confessor dulcis, affabilis, atque suavis;
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.

204 (*Crebrò absolvit à Reservatis.*) Quo jure,
L aut injuriâ, intelliges *Cas. VIII.*

M (*Sæpe non interrogat confitentem sine specie, sine numero, aut crebò mortalia.*) Sacrum Concil. Trident. *Sess. 14. c. 5.* sic loquitur definitivè: *Constat, Sacerdotes æquitatè in pœnis injungendis servare non potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim fideles sua peccata declarâssent.* Ex quibus verbis deducunt omnes Recentiores Theologi, negari non posse, quin fidelibus incumbat, *per se loquendo*, onus aperiendi in Confessione tum species infimas, tum etiam numerum peccatorum certò mortalium,
205 ut latè declaravi *Tr. 6. Cas. XVI.* Unde etiam Filliuc. *Tr. 7. n. 344. junct. n. 369.* Diana *P. 1. Tr. 15. Res. 7.* Palaus *Tr. 23. p. 18. n. 3.* Dicastillo *d. 10. n 525. junct. titulo illius quæsiti* notant, iis, quæ confessarius necessariò quærere (si omittat pœnitens) tenetur, esse accensendam speciem, & numerum peccatorum, adeòque consequenter damnant de peccato mortali, *per se loquendo*, illum, qui sine ulteriori interrogatione impertiret absolutionem ita confes-
206 so: *Fui ebrius: Habui quater turpia desideria: Sæpe falsò juravi.* Nam non solùm non indicatur numerus *primi*, & *tertii* peccati, sed insuper nomen *ebrietatis* est apud vulgus hominum ita æquivocum, ut eo vocabulo fortè æquè sæpe designent solùm venialem excessum in potu, atque mortalem; creberrimè quippe indicare volunt solùm levem, non autem gravem turbationem rationis secutam ex potu; in *secundo* verò ex illis peccatis non explicatur species infima turpis desiderii, nec enim indicatur, utrùm illa turpia desideria versata sint circa solutas, an circa ligatas. Imò, si pœni- 207
tens ille manifestâsset, se quater commisisse peccatum contra naturam, & ter fornicationem, oportet scisciatari ex eo, illáne quatuor desideria fuerint cupiditates peccandi contra naturam, an cum muliere soluta, quia confessarius nequit probabile ullum judicium tunc ferre de ultima specie, sicuti posset, quando pœnitens fassus, se decies peccâsse cum soluta, subderet, aut *immediatè*, aut etiam *mediatè* post, se habuisse turpia desideria, prudenter enim tunc judicaret confessarius, illa tetendisse in solas solutas, prudens autem judicium sufficit hîc, nec requiritur certitudo, alioqui redderetur confessio nimis odiosa. Cæterùm de instituendo examine accuratiùs agam infrà *Cas. VII.*

(*Aut dubiè mortalia.*) Omnes, quos legi, 208
applicant *directè* solis pœnitentibus resolutiones de peccatis dubiis: ego hîc *directè*, & *per se* solis confessariis, quia ita exigit meum institutum: *in priori Alphab Cas. XVIII.* disserui de hac materia, quatenus præcilè tangit confitentem. Ergo vel ex omnium, vel ex plerorúmque opinione peccas, *per se loquendo*, lethaliter, si absque ulteriore interrogatione absolvas confitentem, aut *primò*: *Memini quidem quorundam mortalium peccatorũ à me commissorum, at rationabiliter dubito, an sim unquam confessus?* Aut *secundò*; *Scio, me aliquoties fuisse alicui imprecatum grave malum, at dubito, an plenè ne deliberatè: me delectatum fuisse turpi desiderio carnali, at dubito rationabiliter, an cum plena advertentia?* Aut *tertiò*: *Dubito rationabiliter, an non defraudaverim aliquos graviter emendo: an non aliquoties pejeraverim sciens; non sæpius egerim contra varia vota, quibus sum graviter obstrictus?* Ratio, cur, *per se loquendo*, pecces mortaliter in his tribus casibus absolvendo pœnitentem absque ulteriore examine, est, quia non interrogans de numero confitentem sine numero peccata necessariò confitenda peccat, *per se loquendo*, mortaliter. Suprà *n. 205.* atqui in his tribus Casibus non interrogas de numero confitentem peccata necessariò ex omnium, aut plerorumque opinione confitenda.

Inprimis enim tradunt omnes, aperienda 209
esse omnia mortalia, quæ dubitas rationabiliter an fis confessus, interim minimè dubius, an patraveris. Dico: Omnes Doctores, nec enim legi tractantem hanc materiam, qui non asserat,

asserat, stante dubio, secùs, si dubium expellatur. Infrà *n.* 213. Hinc à fortiori est meritò damnata à Sede Petri die 24. Septembr. Anni 1665. sententia, in quam, me mirante, propendebant quidam viri sanè docti, ac sapientes, consentium post Vivaldum *in Candelab. de Confess. verb. Sextò dixi*, peccata etiam certò mortalia, quæ post diligens examen ea oblitus in Confessione, haud necessariò esse deferenda ad sacrum tribunal, esto liquidò postea redeant in memoriam.

210 Deinde receptissimum est, esse etiam necessariò confitenda ea mortalia, quæ nôsti, esse à te perpetrata, sed dubitas, an cum plena advertentia, pleno consensu, &c. Nam ipse etiam P. Coninck præcipuus patronus sententiæ oppositæ illi communissimæ, quam mox exprimemus, consentit quoad hoc punctum. Denique non est quidem omnium, ut vult P. Sanchez *in Summa lib. 1. cap. 10.* attamen ferè omnium opinio, aperienda esse generatim illa peccata ex se mortalia, de quibus rationabiliter dubitas, an ea commiseris; ergo, suppositâ hâc communissimâ sententiâ, peccat ille confessarius, de quo hîc disserimus.

211 Dixi autem 1. *Dubitans*, id est, ita vacillans, ut neque possis dicere: *puto, me hoc feciſſe*, neque dicere: *puto, me hoc non feciſſe*. Si enim non dubites propriè, sed probabiliter judices, te esse confessum, defuisse perfectam advertentiam, te non patrâsse illud crimen, non obligaris confiteri, esto videatur tibi probabilius, quòd non sis confessus: quòd perfectè consenseris. Dixi 2. *Rationabiliter dubitans*, id est, dubitans ob aliquam rationem positivam, quia dubitare sine ratione positiva est irrationabiliter dubitare, irrationabilium autem dubiorum ratio nulla habenda.

212 Dixi rursum 2. *Rationabiliter dubitans*, id est, anceps propter rationem prudentem, non autem ob levem duntaxat, ut singulariter notat, declarat, probat P. Bresserus *de Conſcientia lib. 4. cap. 18. n. 18.* si enim cogeremur actiones nostras instituere juxta normam rationum levium, & futilium, etiam in casu, in quo non occurrunt in contrarium aliæ, essemus multò miserrimi. Ergo ille solus dicitur in præsenti materia dubitare, qui potest dicere: *Habeo tam bonam rationem arbitrandi, me non esse Confessum: me consensisse perfectè, &c.* ut planè id censerem, nisi occurreret in contrarium alia ratio, quæ, perpensis omnibus principiis *intrinsecis*, & *extrinsecis* mihi occurrentibus, impedit, ut in neutram partem possim formare judicium, seu me determinare.

213 Quando igitur videt confessarius, pœnitentem ita hærere circa unam è tribus materiis suprà expressis, & cum ista hæsitatione confiteri sub dubio, sine certo numero, tenetur, *per se loquendo*, exquirere numerum, at *per accidens* non tenetur semper. 1. quando ejus pœnitens est scrupulosus, juxta ea, quæ dicam *Cas. XIV.* 2. Quando pœnitens per principia ipsi occurrentia dubitans, an in priore Confessione detexerit peccatum certò commissum à se, spontè, aut interrogatus dicit, se in excutienda ante illam Confessionem conscientia (certò) adhibuisse diligentiam saltem mediocrem, est enim teste Dianâ *P. 3. Tr. 4. Resol. 107.* solennis Regula, quòd talis, etsi non sit scrupulosus, non habeat obligationem iterum confitendi, sicuti nec ille, qui scit, se solere facere integras Confessiones. Caramuel *in Theol. Fundament. n. 1322.* uterque enim potest tunc deponere suum dubium, adeóque præsumere, se confessum. 3. Quando idem confessarius novit, suum pœnitentem non meminisse, quòd soleat cum plena deliberatione committere crimen simile illi, de quo sub dubio se accusat, sed potiùs meminit, se non semel strenuè restitisse, quando clarè advertit; sicut enim in tali casu potest pœnitens præsumere in dubio, se non feciſſe, se non consensisse perfectè: ita etiam confessarius, pronunciaturus ob diversam rationem aliud de illo, quem novit solere bibere velut aquam iniquitatem; dum enim se accusat de decem fornicationibus aut actu commissis, aut certò, perfectéque desideratis, subdens, se dubitare, an non præterea aliquoties adhuc desiderârit, præsumet confessarius desiderâsse, & consequenter petet certum numerum, si sit spes comperiendi.

Postremò nequeo negare veram probabi- 214
litatem sententiæ minùs tutæ, minùs communi negantium obligationem confitendi in *tertio* ex casibus *num. 208.* indicatis, quando scilicet dubitas, an à parte rei commiseris tale quid, id est homicidium, blasphemiam, omissionem Breviarii, &c. Etenim contra longè communiorem aliorum ita sentit Henriq. *Lib. 8. cap. 45 num. 3.* Præpositus *1. 2 q. 19. art. 6. dub. 4. in fin.* Coninck *Tom. 2. in 3. p. disp. 7. dub. 8. n. 69.* Caramuel *in Theolog. Moral. lib. 3. d. 4. n. 1748.* probabilem habentibus Lessio *in Auctario verb. Confeſſio Caſ. 7. num. 10.* & apud Dianam *Part. 10. Tr. 12. Reſ. 2.* Caramuelémque Marchantio, Martino de S. Josepho, de Januario, aliisque multis, atque etiam Censoribus Romanis, ut ad longum refert Diana *Part. 11. Tr. 8. Reſ. 44.* qui eandem doctrinam haud temere extendunt ad secundum ex Casibus indicatis *cit. n. 208.* seu, quando est dubium de qualitate actûs; nam reus criminis dubii est in omni judicio ut innocens absolvendus, teste Lessio *l. c.* Qui tamen auctor post Henriq. loquens de solo *tertio* casu satis insinuat, talem dubitantium posse, *per se loquendo*, deponere suum dubium, opponendo suis dubitandi principiis hoc generale: In dubio reputatur quisque bonus, seu innocens, nisi videlicet quis assueverit deliberatè committere hoc, aut illud crimen, aut occurrat omnino aliqua tam potens

tens ratio dubitandi, petita non ex præsumptionibus, sed ex accidentibus personæ, tentationis, & aliis aliquo modo *intrinsecis* actionis, ut, non obstante viva recordatione allatæ juridicæ præsumptionis, cognitáque hujus energiâ, nihilominus tamen fluctuet adhuc animus, & quidem prudenter; quod sanè quandoque fieri potest juxta ea, quæ sapienter differit P. Dicastillo *hîc Tr. 8. disp. 11. dubit. 6.* ostendens, quo pacto non sit semper in foro *interno* standum præsumptione fori *externi*. Denique his scriptis video recentissimum Antonium Cotonium *celebr. controv. lib. 1. controverſ. 16. cap. 1. & lib. 2. controv. 6. n. 23.* constanter adhærere opinioni Caramuelis, at æquè constanter ab ea abhorrere Franciscum Bonæ spei apud, & cum demum assentiente huic suo Magistro Stephano à S. Paulo *in Theol. Morali Tr 5. disp. 5. n. 146.* Insistendo autem seu huic, seu illi opinioni: Quæres cum nonnemine, qui scripto expetiit meum judicium, *quid faciendum fuerit in hoc*

Casu dupliciter Dubio.

215 *Emericus confeſſus mortale dubium ſub dubio, percipit abſolutionem, qua vix acceptâ, plenè recordatur, ſe certo illud, de quo dubitabat, commiſiſſe; cámque ob rem manifeſtat eidem Confeſſario tanquam certum. Quæritur, utrùm fuerit neceſſario danda nova abſolutio, etiam poſito quod Emericus non exigat novam, ſed habeat ſe indifferenter?*

Verè hic Casus est *objectivè*, & *formaliter*, adeóque dupliciter dubius; nec enim videtur posse dari omnino certum responsum, seu quia DD. inter se disceptant, an sit necessariò postea id, ut certum, confitendum, quod priùs aperueras bonâ fide, ut dubium, sicuti videre est *in Alphab. Confitent. Caſ. XVIII. n. 441.* seu quia, licèt ponamus, esse rursum Clavibus subjiciendum, ut certum, attamen, quia fuit priùs *directè* absolutum, non videtur egere novâ absolutione, postquam è dubio evasit certum. Econtra indigere ejusmodi novâ absolutione inde quis inferet, quòd id, quod est necessaria materia Confessionis, sit etiam necessaria absolutionis; nam & Confessio fit in ordine ad absolutionem, & quod de uno correlativorum dicitur, de altero quoque pronuntiandum videtur, *L. Curatorem, Cod. De interd. matrim.* cum notatis à Gloss. Cyno, & aliis.

Hæ rationes efficiunt, ut credam, esse probabilius, quòd sit in prædicto casu repetenda absolutio. Nec obest, quòd peccatum illud fuerit jam priùs *directè* absolutum. Etenim quando existens in extrema necessitate non confiteris plus, quàm te peccatorem esse, quia plus nequis dicere, remittuntur tibi per absolutionem omnia tua, etiam mortalia, & quidem *directè*, nec enim suppetit ratio dicendi, quòd solùm *indirectè*, ut liquet ex descriptione absolutionis *indirectæ*, quam exhibeo infrà *Caſ. XX. n. 690.* & tamen debes, superato periculo, aperire distinctè omnia lethalia. Non etiam obest, quòd pœnitens fortè cedat jure exigendi absolutionem, suppositâ quippe sententiâ de necessitate iterandæ confessionis, quam sententiam fuimus secuti *in Alphab. Confitentium cit. n. 441.* nequit pœnitens *valide* cedere illo jure, quia nequit derogare integritati Sacramenti præscriptæ à Christo.

(*Multò minùs circumſtantiæ*) Quæ *mutant* 216
ſpeciem, sunt interrogandæ, at non omnes, O
sed illæ solæ, quas prudenter existimat Confessarius fuisse à pœnitente, dum peccabat (non autem primùm post jam perpetratum crimen) ipse, saltem sub dubio apprehensas tanquam speciali malitiâ vestitas. Infrà *n. 327.* De *aggravantibus* intra eandem speciem etiam notabiliter, semper & verbo & scripto docui cum sapientissimis viris, non esse positam legem eas manifestandi in tribunali sacro; igitur neque confessario est posita lex quærendi, an, aut quoties, aut quamdiu fuerit per eas peccatum? ut pluribus declaravi *in Alphabeto Confitentium. Caſ. XV.*

(*Niſi fortè ſint peccata carnalia*, &c.) De exa- 217
mine horum loquar ex instituto *Caſ. XVII.* P
interea observa, illum, qui fortè solet levi brachio, & quasi per transennam examinare circumstantias peccatorum admissorum circa materias diversas à turpitudine carnali, excutere autem solerter annexas peccatis venereis, esse debere sibi suspectum de intentione minùs recta, minùs casta, ac proinde probè examinare illam suam intentionem, & in dubio non facilè pro se pronuntiare.

De hisce materiis vide dicenda, aut refe- 218
renda *cit. Caſ. XVII.* Q R
S T
De materia designata his tribus characteri- V X
bus Alphabetariis dicam aliquid *Caſ. XVIII.* Y
num. 571. Z

(*Impertit abſolutionem à peccatis ante abſolutionem à cenſuris.*) Ergo peccat per ea, quæ dixi *Caſ. IV. num. 164.*

(*Abſolvit dicendo ſolùm: Abſolvo te.*) Ergo & A a
hîc delinquit Suprà *num. 150.*

(*Sine ullis precibus.*) Vix delinquit. Suprà B a
num. 160.

(*Totus diſtractus.*) An graviter delinquat, C a
& an repetere teneatur formulam, relege dicta *n. 175.* & *177.*

(*Oculis vagabundus*) Ergo in primis scan- 219
dalizat videntes ipsum. Deinde præbet sibi D a
occasionem distractionum tum mortaliter culpabilium, quando per eas fit, ut nec intelligat peccatum aliquod grave pœnitentis, nec

interroget hunc de non intellecto; si enim interroget sine notabili molestia pœnitentis, illa evagatio non videtur fuisse mortalis, at fuit in suo accidentario effectu mortalis, si superveniat interrogatione, juxta dicenda infrà *num. 237.*

220 (*Cum repetitione formulæ sine necessitate*) Di-
E 2. ctis de repetitione suprà *n. 171.* adde, quando post jam impertitam absolutionem pœnitens superaddit peccatum, quod erat oblitus, repetendam esse utique absolutionem, solùm dicendo: *Absolvo te à peccatis tuis*: quando illud peccatum est certò, aut probabiliter, aut sub dubio mortale; item *licitè* fieri, quando est solùm veniale; at semper necessariò fieri non credo, quia non credo, esse semper intentionem pœnitentis, ut velit obligare confessarium, sed committere ejus arbitrio; ergo nec illi, nec Sacramento fit injuria.

F 2. (*Et impertit ignaris articulorum fidei.* Hac de re infrà *num. 311. & 455.*

G 2. (*Multa peccata committentibus ex ignorantia*, &c.) De utroque hoc puncto infrà *Cas. VII.*

221 (*Sicut & nolentibus restituere.*) Peccat uti-
H 2. que dando absolutionem nolenti restituere, casu, quo certum (non autem, quo solùm probabile, aut dubium,) est, teneri pœnitentem restituere. Non tenetur autem, quando vel intulit damnum injustum quidem, sed sine malitia mortali coram Deo, quia scilicet ex inadvertentia, ignorantia, passione non mortaliter malis; vel intulit cum peccato mortali, at nequit restituere sine jactura aut famæ, aut status honestè acquisiti, aut bonorum multùm excedentium valorem illorum, quæ cæteroqui restituere teneretur. Sicut nec secunda vice solvere obligatur, quando solutionem misit per aliquem nominatum, designatum à creditore, etsi in itinere perierit pecunia missa in solutionem.

222 (*Abstinere ab occulta compensatione.*) Quæ
I 2. tunc solùm fit sine injustitia, quando debitum est 1. certum, seu liquidum, ut volunt plerique contra Dianam *Part. 3. Tr. 5. Res. 36.* volentem, sufficere probabilitatem debiti. 2. Quando est ortum ex justitia, ut fert communis opinio contra Petrum Navarrum, opinatum sufficere, si debeatur ex charitate, pietate, religione, adeóque generatim, si alter nequeat negare sine peccato, sicut utique potest id, quod debetur ex sola gratitudine.

223 (*Nec inventa dare pauperibus.*) Ne quæso
K 2. adigas invitum pœnitentem ad eroganda in pauperes, aut alias pias causas, ea, quæ amissa invenit, nec eorum dominum post adhibitam *moralem* diligentiam reperire valet. Verè enim probabilissima est sententia Laymanni *Lib. 3. Tr. 2. cap. 9. num. 2.* & aliorum, quòd scilicet nulla lex vetet, quò minùs post talem diligentiam convertas in tuos usus res inventas, modò habeas animum compensandi, si tandem compareat dominus.

(*Nec detrectantibus resalutare illos, à quibus offensi sunt.*) Crebrius est hoc peccatum, quàm 224
L 2. deccat Christianos, qui sunt indigni absolutione, quando resalutationem, seu gratiarum actionem negant ob memoriam illatæ injuriæ, nam & præsumuntur non remisisse injuriam *ex cordibus* suis, quod tamen fieri mandat Salvator *Matth. 18.* & dant alteri gravem causam iræ, malevolentiæ; quod tamen non facilè dixerim de eo, qui non salutat prior; salutatio enim est signum speciale affectûs erga alterum; est autem Regula S. Thom. *2. 2. q. 25.* quòd offensus non teneatur exhibere offendenti specialia signa charitatis. Sed dicit ille: *Ego quidem ignosco illi, at nec unquam ædes ejus subibo, nec nuptias, ad quas me invitabit, adibo.* Resp. Communiter neganda est talibus absolutio, quia communiter retinent in animo rancorem mortaliter malum, utpote originem gravium malorum, si videlicet illa non comparitio in nuptiis sit *morale* signum latentis rancoris, ut est, quando frater, aut consobrinus vult negare id officii, non habens aliam causam, quàm offensam nuperam. Vide, quæ *præcedente Alphabeto* refero de nolente ignoscere, ejúsque remedio *Cas. VIII. n. 181. & 199.*

(*Aut census pendere,*) An hi sint impertien-
M 2. di absolutione, intelliges *Cas. XVIII. num. 561.*

(*Occasiones peccandi deserere.*) Quatenus
N 2. neganda sit talibus absolutio, dicam *Cas. XVI. num. 525.*

(*Maledicendi consuetudine desistere.*) Pro 226
praxi notet confessarius, sufficere, si interroget,
O 2. an pœnitens talis soleat maledicere ex animo, id est, verè optando, ut eveniat malum? Si neget hic, poterit confessarius abstinere ulteriori interrogatione. Si asserat, ergo quærendum, an grave malum? Si fateatur grave, quærendus numerus. Porrò confessarius sæpissime non sciet, utrùm grave malum sit imprecatus, nisi exigat speciem mali, nec rarò deprehendet, illum, qui negavit, se optâsse grave malum, reverâ optâsse, ut Cacodæmon auferret alterum. Porrò de peccatis ex consuetudine commissis scribam infrà *Cas. XVIII. num. 586.*

(*Confiteri blasphemias, aliáque in ebrietate* 227
commissa crimina.) Hoc argumentum copiosè
P 2. simul, & distinctè tracto *Volumine 2.* seu *Quinario Tr. 5.* seu *in Theol. Iurid. Moral. cap. 9.* ubi generatim quæro, an, & quando mala, quæ tempore ebrietatis patrantur, imputentur ebriis, aut sint peccata? *Capite* verò 19. per varias sectiones ediffero, an, & quantum peccet, qui se inebriat sciens, se solere 1. in ebrietate alios verberare, eorúmve rebus damnum inferre. 2. Admittere varia castitati repugnantia crimina. 3. Alios contumeliis lacessere. 4. Absentium famæ obtrectare. 5. Maledictis impetere. 6. Blasphemare. 7. Verba hæretica proferre, 8. Fal-

8. Falsa firmare Juramento. 9. Secreta pro-
Q 2. dere. Generatim verò trado, nonnulla esse 228
ejusmodi, ut etiam in ebrietate patrata retineant suam malitiam *objectivam*, ut sunt verberatio, damnum fortunarum, fornicatio; alia eam non retinent, sicut non retinet perjurium, verbum hæreticum, imprecatio, & blasphemia. Mala, seu errata *secundi* generis, non sunt quidem propriè peccata, quando patrantur à verè ebrio, cùm de ratione peccati sit *actualis* libertas, qua caret ebrius, attamen illa mala *primi* generis (non autem *secundi*) imputantur ad culpam tunc, cùm voluntariè ebibitur illud poculum, ex cujus evacuatione prævidentur secutura mentis alienatio, & illa mala; sicut latè explico *ut. cap. 9. sect. 3. 4. 5.* Quare confessarius quærere tenetur quoties solitus sit patrare in una ebrietate illa mala; at non tenetur, si sint mala posterioris generis.

229 (*Identidem recidentibus in idem scelus.*) Quo-
Q 2. modo hi juvandi, ostendam *Cas. XVI.* ubi de recidivis.

R 2. (*Pueris, de quibus dubitat, an peccare queant.*) Erit de his sermo *Cas. X.*

S 2. (*Adferentibus aut solùm peccatum in genere.*) Potest illud genus esse vel summum, ut cùm dicit pœnitens: *Confiteor, quòd Deum non raro offenderim*; aut subalternum, ut: *Fateor quòd peccaverim contra justitiam, sed nescio, quomodo deliquerim: Contra castitatem, sed ignoro jam, qua ratione.* Utraque confessio est sufficiens in casu necessitatis extremæ, aut præcepti urgentis ad Confessionem, saltem si nullum in specie infima peccatum occurrat, si enim occurrat mortale in specie infima commissum, & nondum confessum, nemo dubitat, quin aperienda sit illa species autem. Si occurrat veniale, tunc censent Suarez *Disp. 23. sect. 1. n. 10.* ac plures alii, esse necessariò illi genericæ Confessioni addendam expressionem alterius in specie venialis, aut jam aliàs confessi mortalis, eò quòd absolutio exponeretur periculo nullitatis. Ego
230 cum Dicastillo *d. 9. n. 761.* censeo, esse saltem probabile, Sacramentum non exponi ulli periculo; ergo non peccabit etiam extra casum necessitatis præcisè dicendo: *Confiteor, quòd Deum offenderim cogitatione, verbo, & opere venialiter malis: mihi conscius non sum culpæ lethiferæ*; quia *per se* non est illicitum exponere periculo nullitatis Sacramenta non necessaria, si eorum *invalida* receptio nulli noceat, nisi recipienti, & ipse recipiens sciat, esse verè probabile, quòd nullum subsit periculum nullitatis. Plura circa hæc dixi *in Alphabet. Confitent. Cas. XIV.*

231 (*Aut actus indifferentes, non relatos ad hono-*
T 2. *rem DEI.*) Qui excipiunt Confessiones Religiosorum, & singulariter piorum sæcularium, non rarò audiunt hanc accusationem: *Non præfixi meis operibus bonam intentionem*; an adfecerunt sufficientem materiam absolutionis? Respondeo: adfecerunt; & non adfecerunt. Adfecerunt juxta communiorem sententiam Thomistarum, negantium, dari posse actus indifferentes in individuo. Si ergo tales pœnitentes indicare volunt, (ut sanè solent) se suis actionibus indifferentibus ex objecto, non præfixisse bonam intentionem, præbent materiam idoneam absolutionis. At verò non præbent, si velint (ut quandoque volunt) significare, se ejusmodi intentionem non præfixisse actionibus bonis etiam ex objecto, ut orationi, auditioni Sacri, Confessioni Sacramentali, Communioni &c. Nullus enim Theologus arguet peccati illum, qui hasce actiones non vestit intentione aliquâ peculiari, adéoque nec illum, qui in terminis diceret: *Non* 232
præfixi meis bonis operibus bonam intentionem. Ego pro majori securitate exigerem à loquente de actibus indifferentibus aliquam indubitatam materiam; si nollet addere, non negarem absolutionem, quam certè negare non possem, si scirem, illum imbutum opinione de necessitate præfigendi intentionem, omisisse hanc. At sæpissime contingit, ut confitentes hæc minutula non cogitârint quando operabantur, de ullo periculo peccandi, sed primùm, post jam peractam actionem, conscientia dictet, fuisse omissum inadvertenter, quod omittendum non erat ex eorum Judicio; & sic non dant materiam sufficientem absolutionis. Nota bene hoc.

(*Solas imperfectiones.*) Constat ex S. Thom. 233
3. p. q. 84. art. 2. ac cæteris Theologis, sola V 2.
propriè dicta peccata, id est, solas actiones, vel omissiones contrarias legi, aut præcepto obligantibus sub culpa (&, ut per parenthesin exprimam, solas post Baptismum admissas) esse materiam idoneam absolutionis; igitur imperfectiones propriè dictæ non sunt idonea materia absolutionis, id est, nequit impertiri absolutio confitenti solas imperfectiones propriè dictas; de quibus quidem disseram pluribus *Cas. XV.*

(*Religiosos confitentes sibi sine Superiorum* 234
licentia.) Peccare, & nihil agere eum, qui
X 2. Regularem absolvit sine facultate Superioris Religiosi, ostendam, & declarabo *Cas. XX.*

(*Quoties non interrogat ea, quæ non intel-* 235
lexit?) Vir quidam gravis, & perdoctus
Y 2. proposuit mihi scripto die 3. Augusti Anni 1665. inter quatuor Morales quæstiones hanc: *An Confessarius teneatur monere pœnitentem de repetenda Confessione, ut is veniat, in recordationem unius, alteriúsve peccati mortalis, cujus speciem, vel numerum interrogare oblitus est.* Ad quam quæstionem respondeo *affirmativè, per se loquendo.* Nam judiciaria potestas hoc postulat, ut, quod debet judicare, discernat. *Text. c. 1. De pœnit. dist. 6* §.

Caveat, non poterit autem discernere de numero, & specie, si ob qualemcunque causam non intelligat speciem, aut numerum, & generatim sensum verborum prolatorum à pœnitente. Ergo delinquit mortaliter non jubens repeti, si rationabiliter præsumat, non intellectam esse speciem, aut numerum peccati mortalis. Expressè Dicastillo *Disp. 10. d. 18. num. 529.* Quæ jussio repetitionis fieri communissimè debet statim, postquam confessarius animadvertit suum defectum, si quidem nihil planè percepit, etenim tunc differendo creabitur facilè pœnitenti magna molestia, si verò probè percepit genus illius peccati, at non speciem: vel speciem, at non numerum, faciliùs differet interrogationem, usque ad finem.

236 *Quid si autem, vel per socordiam, vel per naturalem incogitantiam meæ obligationis dilapsi usque ad finem necessariam interrogationem?* Resp. Si per socordiam, vix à mortali te excusabo in *primo* casu, quando est una ex longis Confessionibus, quia vix est tunc sine pœnitentis grandi molestia, periculóve hujus molestiæ, si ipsi dicas: *Nominásti aliquod peccatum, quod planè non percepi*, quæ quidem meo judicio potest esse tanta quandoque, ut pœnitens relinquendus sit in bona fide, qua credit, omnia esse ritè peracta, ut quando ex una parte oporteret propter illud unum peccatum, culpâ confessarii non intellectum, repetere alia octo, vel decem probè intellecta: ex altera parte pœnitens est multùm pudibundus, aut è diverso ferox, delicatus admodum. Faciliùs supersedebis repetitione imperandâ, quando dubitas rationabiliter (jam suprà *num. 212.* monui, irrationabilium, seu levium, futiliúmque dubiorum rationem habendam non esse) an, quod non percepisti, sit mortale, nam non debes ob dubium incertum creare certam molestiam pœnitenti. Quæ ratio etiam locum habet, quando dubitas, an perceperis, quo casu debes etiam præsumere; te intellexisse, eò quòd in dubio non sit præsumendus defectus *moralis*, sed potiùs omnia esse ritè gesta *per l. Meritò. ff. Pro socio.* Unde apparet, quid fuerit respondendum ad hunc

Casum Bavaricum.

237 *Evgenius Sacerdos excipit Confessionem Petri, quem, ne turbet, non interpellat; notat tamen unum alterúmve peccatum, quod absolutâ peccatorum narratione, decrevit interrogare, oblivíscitur deinde, nec, quid exquirere voluerit, ampliùs meminit. Quæritur: An confessarius exigere teneatur integram peccatorum narrationem, etiam à juvene valde verecundo, si putet, id quod interrogare decreverat, fuisse circumstantiam necessariam? Quid si dubitet, num fuerit hujusmodi circumstantia, an verò voluerit aliquid interrogare ad melius esse?*

Ita ex vetere Oettinga celeberrimo simul, & sanctissimo Bojariæ loco ad me scripsit nonnemo, cùm jam excusa essent priore editione, quæ paulò antè concluſi. Patet autem resolutio ex eadem resolutione, & quidem quoad utrumque membrum interrogationis.

Sed ex prioribus Confessionibus hujus pœnitentis sum moraliter certus, peccatum, quod non intellexi, esse solùm veniale. Resp. Non credo, esse inter viginti pœnitentes unum, qui velit te graviter obligare ad emendandum tuum defectum, nisi in casu, quo reliqua pars Confessionis tota caret materiâ sufficiente ad absolutionem, ut sunt imperfectiones, de quibus *Cas. XV.* Denique ne dubita, quin conformiter iis, quæ de advertentia *virtuali* habet Dicastillo *Tom. 1. in 3. p. d. 3. dub. 6. n. 121. & 122.* sæpissime eveniat, ut distractio ad alia sit tam tenuis, ut eâ stante, percipiantur verè verba pœnitentis, sed tam tenuiter, ut statim effluat memoria illorum, adeóque non est firma hæc consequentia: *Ignoro jam, quid hic dixerit, ergo non intellexi.* 238

Quòd si scias, tuum pœnitentem semper solere confiteri unum certum peccatum veniale, e.g. distractionem voluntariam, licèt, absolutâ unâ totâ confessione, non sis memor ullius peccati propter distractionem, præsertim involuntariam, poteris tamen absolvere, partim quia meritò suppones, illum revera etiam tunc fuisse confessum suam distractionem, partim quia etiam extra Casum necessitatis absolvi potest, qui se confitetur, esse peccatorem. Suprà *num. 230.* Loquor autem de confessione illius solius, quem expertus es, esse constantem peccati mortalis hostem; suadeo tamen, ut, si absque notabili molestia pœnitentis fieri queat, jubeas repeti unum e. g. ultimum è narratis peccatis. 239

Hæc nota, mi nove Confessarie, quia fortè non reperies alibi. Porrò quid censendum specialiter sit de Confessionibus mutorum, item linguæ ferè ignotæ, & illis, quæ factæ sunt confessario dormitanti, aperiam *Cas. XI. num. 476. Cas. XII.* atque *Cas. XIII.*

(*Quoties nec ea, quæ novit esse commissa à pœnitente, singulariter à Sponso, & tamen taceri?*) Confessarius non interrogans tunc excusatur certò in duobus casibus 1. Quando prudenter judicat; talem pœnitentem esse jam alteri confessum crimen, quod novit patratum ab ipso, ut e. g. quando scis, peccatum illud esse patratum ante sex hebdomadas, pœnitens autem tibi ab initio suæ accusationis dicit: Pater, non sum confessus ab hinc mensem 2. Quando nequis inrerrogare sine *indirecta* revelatione sigilli, ut declaro. 240 Z 2

Hoc

Hoc frequenti Casu.

241 *Euphemia desponsata Evaristo dicit confessario: Sum desponsata illi, qui post me confitebitur, feciquepsi ab ultima Confessione peracta ante mensem quater potestatem mei corporis. Doleo, petóque absolutionem. Absolvit confessarius: adest Evaristus; ait, effluxisse sex menses, ex quo pœnitentiæ Sacramentum non percipit; nihil contra castitatem aperit, nisi quòd aliquam semel, iterúmque turpiter tetigerit, an* licitè *absolvet confessarius?*

242 Respondeo, non unum, sed multos fuisse à me absolutos non quidem in his ipsis individuis circumstantiis, de peccatorum numero, & tempore Confessionis, sed aliis, non tamen *mutantibus* substantiam responsionis meæ, consistentis in hoc, quòd, quando sponsus, vel sponsa confitetur prior, dicens, se jam esse promissam uni, si nihil dicat de peccato contra castitatem, possit confessarius salvâ conscientiâ non interrogare quidquam de turpitudine, quia confessarius saltem tunc est liber onere interrogationis, quando non est ipsi verosimile, pœnitentem omittere aliquid substantiale; atque adeò, stante dubio, utrùm aliquod peccatum mortale fileatur *voluntariè*, aut *involuntariè*, potest superlederi interrogatione, cùm præsertim dubia interpretanda sint in meliorem partem. *Cap. 2. de Reg. jur. in 5.* Sin autem dicat, se peccâsse carnaliter cum aliquo, rectè quidem faciet Confessarius quærendo, an cum sponso, eò quòd magni DD. censeant, fornicationem sponsæ cum alieno differre specie à fornicatione cum sponso; quia tamen contraria opinio est probabilior, ideo neganda est hîc illa obligatio interrogandi de complice. Imò si confessarius novit sponsum, peccabit secundùm multos, si quærat, an cum sponso, quia quærendo incitabit ad peccatum, scilicet ad nominationem complicis junctam infamationi.

243 Ego tamen non agnosco hîc culpam, quia potest illa puella salvâ conscientiâ nominare sponsum; tunc enim complex nominatur *licitè*, quando ipse nequit rationabiliter ægre ferre sui nominationem, hîc autem nequit, cùm & sponsæ sit pergrave, si confessarius opinetur, eam peccâsse cum alio, & multi censeant, ut suprà dixi, differre specie fornicationes sponsæ cum sponso, & non sponso; & denique quia plerumque sponsi sunt causa ejusmodi fornicationis, quando autem complex induxit alterum ad peccandum, potest minùs rationabiliter ægre ferre talem manifestationem.

244 Porrò supponunt hæ responsiones, veram esse communem sententiam (à qua tamen non improbabiliter, teste Dicastillo *Disp. 6. dub. 12. n. 959.* S. Thom. Cajetan. & alii dissident) Vasquezii *De pœnit. q. 91. a. 3. dub. 3. num. 1.* contra Fagundez *de præcept. Eccles. præc. 2 lib. 3. cap. 1. num. 3.* pœnitentem non leviter peccare, si absque justa causa, seu aliquali necessitate nominet complicem cum periculo, ne confessarius concipiat de hoc notabiliter leviorem opinionem, quàm antè habuerit. Lugo *Disp. 16. de pœnit. sect. 8. n. 391.* adeóque tenetur confessarius impedire, si videat, pœnitentem esse paratum manifestare sine aliqua necessitate complicem, ut jam monui *in Alphab. Confit. n.* 470. ubi ex instituto tracto de nominatione complicis *licita*, & *illicita*.

Jam verò si quæras, quid agendum sit, aut fuerit confessario sponsi, de quo suprà *num. 241.* postquam ex sponsa intellexit fornicationem ipsius, eam negantis; utrùm *licitè* usus fuerit notitiâ Confessionis factæ à sponsa, dicam *Cas. XXIII.* Utrùm verò neganti constanter negare potuerit absolutionem, si interroges, dicam cum Toleto *in Summa lib. 3. cap.* 16. Diana *P. 5. Tr. 11. Res. 21.* & aliis, non potuisse, tum quia revelâsset peccatum sponsæ, tum quia esto, non revelâsset, non tenebatur credere magis sponsæ, quàm sponso, ut rectè citati, & denique rarissimè occurrit casus, quo Confessarius non possit fidem habere pœnitenti constanter neganti, se commisisse hoc, aut illud crimen. Si tamen aliunde, quàm ex complicis Confessione certò nôsset, eum mentiri, deberet inabsolutum dimittere, quia nefas est, ministrare Sacramentum ullum indigno. Quòd si verò suspiceris, omitti ab eo ex mera oblivione, aut ignorantia inculpabili aliquod mortale, probabile est, te non obligari ad eum interrogandum, modò tibi constet, illum diligenter excussisse conscientiam. 245 246

(*Quoties adigit pœnitentem ad nominandum complicem, vel edicendum suum nomen?*) Dixi ad priorem quæstionem *num. 242.* confessarium, *per se loquendo*, teneri non interrogare de complice, atque applicavi singulariter sponsæ. Attamen sunt eventus aliqui, quibus *licitè* interrogat; imò quibus tenetur interrogare. Declaro responsione ad hunc 247 A 3

Recentissimum Casum.

248 *Confessarius A. Dalilam fœminam confitentem, se cum Hortensio Religioso peccâsse carnaliter, jubet illud sibi extra Confessionem aperire, ut dictum Religiosum ejusdem scilicet Ordinis, ac loci, possit apud Superiorem accusare.* Quæritur. *An id ei liceat?*

His verbis fuit mense Septembri Anni 1665. ad me perscriptus hic Casus, ad quem

249 Resp. 1. Non licet id jubere, si quæratur sola punitio (ut indicat nomen *accusationis*) Hortensii; est enim id contra institutionem, dignitatem, reverentiam hujus Sacramenti. 2. Egit imprudenter, si ita repente jussit edi sibi nomen istius Religiosi, nec enim potuit sine diligenti examine rescire, utrùm salus istius Religiosi, atque bonum nomen Religionis versaretur in tanto discrimine, ut Dalila præcepto charitatis obligaretur eum denuntiare, cum periculo propriæ apud Superiorem illum infamiæ. 3. Et licèt fortè incubuisset ipsi hæc obligatio, non propterea tenebatur nominare suo confessario complicem, sed poterat per semet *immediatè*, vel *mediate* per alium accedere Superiorem. 4. Si Dalila dixisset: Sum certa, denunciationem redundaturam in meum, familiæque probrum; aut: Sum certa, illum Hortensium nec habere reipsa, nec posse habere occasionem peccandi cum alia, ego autem constitui certò certiùs mori potiùs, quam quidquam ei in me permittere, imò, si redierit, illum commonefacere de sua probrosissima vita, quis obligâsset Dalilam ad ullam manifestationem? 5. Nihilominus tamen potuêre intervenire circumstantiæ, ob quas confessario licuerit uti tali imperio, ut deducetur ex mox dicendis.

250 1. Supponunt hæ responsiones, totam illam confessarii monitionem, hortationem, jussionem, nihil esse aliud, quàm declarationem Divini præcepti de proximo corrigendo. 2. *Per se loquendo*, est convenientius, salutem complicis procurare per alium, (si fieri queat,) quàm per confessarium; illa enim prior via non reddit ullo modo Confessionem odiosam, at secunda via reddit aliquo modo; atque idcirco Diana *P. 5. Tr. 11. Resol. 39.* post Malderum scribit, esse prorsus tenendum, quòd confessarius nequeat propter correctionem fraternam extorquere complicem. 3. Attamen satis probant Cardin. de Lugo *Disp. 16. sect. 8. dub. 12. num. 946. & seqq.* & alii, posse
251 occurrere casus, quibus præceptum charitatis fraternæ adstringat pœnitentem, ut suo confessario pandat intra, vel extra Confessionem nomen sui complicis, eò quòd nequeat aliter averti gravissimum simul, & iniquissimum malum impendens à complice; ut si iste complex fingat se sacerdotem, cùm non sit; solicitet ad turpia pœnitentes, hæresim disseminet, nec tamen possit alius, quàm confessarius informare illum, cujus est, occurre-
252 re tantis malis. 4. Cautissimè debet se gerere confessarius, quando petit sibi notitiam complicis, qua possit uti ex tua Confessione. Proinde expedit, ut pœnitens edat potiùs extra, quàm intra ipsammet Confessionem, & quidem, si fieri queat, scripto nomen, & crimen complicis, ne videatur esse violatum sigillum, & ne pœnitens postea neget, quæ asseruerat. Lugo *num. 432.* & Dicastillo *n. 950.* atque adeò non expedit, ut intra ipsammet Confessionem fiat potestas loquendi, sed post jam imperfectam absolutionem. 5. Singula- 253
riter autem est Prælatis, intelligentibus ex Confessione crimen sui subditi complicis, legendus Lugo *loc. cit. n. 433.* & Dicastillo *num. 948. & 949.* ubi etiam notant, si subditus nolit prodere complicem, haud licere illum adigere comminatione excommunicationis, aut sub præcepto obedientiæ, nec enim Superior regularis, aut sæcularis gerit in Confessionibus audiendis plus, quàm personam privati confessarii. 6. Quamquam confessarius ha- 254
bens duos pœnitentes, quorum unus ultro dicit, se itentidem ab alio pertrahi ad scelus, haud malè agat, *per se loquendo*, si petat à seducto facultatem reprehendendi seductorem, atque seriò monendi, ut desistat à solicitatione volentis resipiscere; rarissimè tamen id expedit, quare & rarissimè adhibendus hic correctionis modus; potiùs ad scrupulos de fractione sigilli tollendos dic seducto: Ergo, si ita vis, quando advenerit ille corruptor, tantò enixiùs corrigam, ita tamen, ut quantum fieri poterit, non dem ipsi justam causam suspicandi, se esse mihi à te nominatum. Dixi: *Ultro*, re enim verâ rarissimè est vel necesse, vel, omnibus consideratis, consultum exquirere nomen complicis. Vide P. Reginaldum *Lib. 3 cap. 6.* per totum pulchre explicantem illam quæstionem: *An confessarius* 255
possit cum licentia pœnitentis corrigere ejus complicem? 7. Licèt, quæ dixi, *directè* tangant complices propriè dictos, id est, illos, qui sunt cooperati peccato pœnitentis, eadem tamen applicanda sunt complicibus impropriè dictis, ut sunt solicitantes ad flagitium, non secuto tamen effectu; quamquam quia horum manifestatio non est communiter conjuncta cum probro pœnitentis, ideo ex hac parte fieri potest, ut confessarius tantò confidentiùs hortetur ad manifestationem. Dant Lugo, & Dicastillo exemplum honestæ matronæ, quæ ab intimo amico sui mariti commorante in ipsorum domo ità solicitatur ad turpia, ut sit proxima lapsui, nisi vel ipsa rem indicet marito, certo occisuro lenonem, vel ab ipsomet confessario moneatur tentator ille.

Dictis de manifestatione complicis jungo hunc casum.

Confessarii multùm curiosi.

P*Gonsalvus Silveria, teste Philippo Alegambe* in Mortibus illustribus, *adolescentulus adhuc, confessus ignoto confessario* 256
interrogatur ab hoc, qui genus, unde domo; hic volens ex mera modestia celare suum genus perillustre, detrectat editionem, idque constanter, & idcirco eum inabsolutum dimittit confessarius. An meritò?

Resp.

257 Resp. Immeritò; nam, ut reliquos intenotat Malderus *Tractatu de sigillo Cap. 17.* nequit confessarius compellere pœnitentem ad indicandum suum nomen. Ubi nota, conducere sæpe, vix unquam obesse, si confessarius petat nomen proprium pœnitentis, si hic sit adolescens, aut vir quidem, sed plebejus, nam nominis cognitio, & usurpatio sæpe conducit ad tantò suaviùs persuadendum id, quod intendit confessarius; at respectu honoratarum personarum rarò expedit inquisitio nominis; cognomen cujusquam ne exquiras facilè ad initium Confessionis, in fine autem nunquam, saltem si pœnitens est fassus unum, alterúmve peccatum grave, nec enim talis interrogatio fiet sine molestia, rubore, timore, aut saltem admiratione pœnitentis; debet autem confessarius cavere, quoad potest, causam omnium horum incommodorum.

258 (*Quoties dimittit pœnitentem sine remedio salutis? &c.*)

B 3. Observant quidem Reginaldus, & plures alii, esse confessario dandam majorem operam, ut accuratè exerceat erga unum pœnitentem officium boni Medici, & Doctoris, quàm utdecem, aut viginti cursim audiat, absolvátque; verùm ignoro, quàm multi observent hanc doctrinam, quæ tamen necessariò est saltem eatenus observanda, ut propter properationem ad alios, qui sciuntur non laborare speciali necessitate, non omittantur vel necessariæ, vel perutiles medicinæ, doctrinæque.

259 (*Quoties fatentes, se per decem, viginti, qua-*
C 3. *draginta annos sacrilegè confessos esse, absolvit è stapede?*) Aut horum aliqui suas conscientias toto illo tempore aperuerunt (exceptis, quæ sacrilegè velabant) illi Eligio, aut nulli; si aliqui, poterit hos expedire brevi tempore, si videlicet sponte, vel moniti dixerunt: *Confiteor rursum Re. Va. omnia, quæ toto hoc vicennio fassus sum, & præterea me accuso de furto trium aureorum, quos statim post primam Confessionem factam Re. Va. sublegi. Interim fui primo decennio circiter duodecies annuatim confessus, & propè toties Eucharistiâ refectus: At posteriori decennio solitus sum hæc duo Sacramenta frequentare bis in mense.* Quòd si ille furunculus solùm primo quadriennio sensit remorsum conscientiæ, ante Confessionem, & Communionem, reliquo toto tempore inculpabiliter oblitus, non fuit opus facere mentionem Confessionum, & Communionum obitarum post primum quadriennium, in iis quippe non peccavit. Et, universim loquendo, taceri possunt omnes, in quibus, etiam post diligens examen, non occurrit memoria furti.

260 Quòd si autem nanciscatur confessarius sacrilegum silentiarium, nunquam antè auditum à se, tenetur non modò exquirere numerum Confessionum, & Communionum cum recordatione furti obitarum, sed etiam species, & numeros omnium aliorum mortalium toto vicennio admissorum, admonendo expressè, subjicienda esse clavibus etiam illa, quæ integre, sed cum sacrilego silentio unius, aut plurium fuêre declarata; multos enim tales observavi laborare eo errore, ut censerent, non esse repetenda, quæ in sacrilegis Confessionibus manifestârunt.

At. amabo, quis speret, posse à tali, præsertim 261
si fuit multis speciebus, innumeris numeris scelerum gravissimorum perditissimè deditus, edici species, & numeros?

Resp. Quia tales nequeunt, nisi prorsus temere, exprimere ullum numerum, & non nisi paucas species, idcirco foret, *per se loquendo*, necesse (loquor de illis, qui sine prævio examine præteritorum Annorum accessêre Confessionale, sicut non unum habui) dimitti ad se parandos, ut decet, sine absolutione, quamprimùm dicunt, se per tam multos Annos feciss sacrilegas Confessiones: *per accidens* autem vix unquam sunt dimittendi, quia proh dolor! nimis frequens experientia docet, tales haud so- 262
lere redire. Nisi ergo specialia indicia habeas, ob quæ omnino credas, talem filium prodigum reversurum ad te, vel ad alium pro integra Confessione, aut nisi præsumas, illum bene agnoscere, quòd revera teneatur differre ad aliud tempus petitionem absolutionis, suadeo, ut secutus meum ordinarium modum permittas eum dicere, quæ, & quo modo veniunt in mentem; si nullum numerum mortalium exprimat, tu ipse, perpensis diligenter circumstantiis occasionum, negotiorum, exprimas dicendo: *Nonne circiter vicies in mense*, e. g. si dicat: *Dominenon toties*; ergo solùm sexies circiter? respondente illo: *Domine mi sæpius*, ergo, mi bone vir, inquies circiter duodecies? Experieris, illum dicturum. *Ita, Domine Parochе.* Debes autem illi dare aliquale spatium faciendi aliquam reflexionem. Circa species probabiliter divinandas (verè enim oportet divinare) erit minor difficultas, oportebit tamen præter eas, quas expressit pœnitens, etiam alias interrogare, descendendo ad decem præcepta Decalogi, &c. Et quamvis *mo-* 263
raliter sit certum, plura dictum, & omissum iri, quàm oporteret; attamen oportet in vigente memoria habere auream doctrinam sapientissimi P. Lessii *in conf. seu Auctario in 1. 2. Verb. Confessarius. Cas. 7.* sic scribens: *Hæc est Regula,* 264
qua confessarius uti debet circa pœnitentem in absolvendo, vel remittendo (id est dimittendo sine absolutione) *in magnis, vel parvis pœnitentiis injungendis, ut spectatà conditione pœnitentis faciat id, quod judicat ei fore magis salutare.* Atqui ego, aliique sunt experti, esse (quando pœnitentes sunt in bona fide) magis salutare plerisque, si ita examinentur è stapede, ut ita dicam, donenturque beneficio absolutionis,

quàm si dimittantur ad se penitius excutiendos. Monendi tamen sunt, ut si quæ peccata, quæ in hac Confessione fugerunt eorum memoriam, rediverint in mentem, ea deponant sigillatim apud confessarium, esto fortè sint ea confessi in decursu illarum Confessionum
265 sacrilegarum. *At bóne consultum, aut necessum est monere, ut prædictam reflexionem instituant post sacram Communionem, si fortè tunc statim sunt eam sumpturi, aut ante illam, si aliquantùm dilaturi sunt, ut videntur facere debere, per se loquendo?* Resp. Esset quidem, *per se loquendo*, id necessarium; illa enim discussio conscientiæ, quæ fit ita improvisò in confessionali, est longè imperfectior eâ, quam exigunt phrases Theologorum, & Concilii Tridentini, loquentium de conditione examinis præmittendi tantæ rei, quanta est Sacramentalis, satisfactoriáque declaratio tot, támque variorum criminum, tanto lapsu temporis admissorum; frustra tamen erit monitio talis apud rudes, & plebejos, noxia *per accidens* valde anxiis, meticulosis, & verecundis; ergo adhibenda erga solos animos sereniores, & prudentiores qui faciliùs parebunt, si in terminis doceantur ita postmodum vacuare conscientiam: *Feci nuper generalem Confessionem, in qua sum oblitus dicere, me e. g. fuisse decies planè ebrium.* Ad tam particularia, mi Lector, descendo, præter morem aliorum, quia tibi magis expediet, talia discere legendo, quàm errando.

266 Dicta de facili expeditione à plurimis Annis, vel non nisi sacrilegè, vel penitùs non confessorum firmo hoc

Casu, & facto viri sanctitate simul, & sapientiâ conspicui.

P *Bernardus Colnagus laudatâ* (in æde S. Mariæ Anconensis) *inter concionandum Sacræ Confessionis energiâ, de inexplicabili Dei clementia multa fatus*; Si quis, *inquit*, præsto est, qui solidos viginti Annos in summis quibusvis criminibus defossus, nunquam ad Sacrum tribunal se stitit, intrepidus ad me veniat; faxo, ut tantorum mole scelerum deoneratus sentiat, proniorem esse Numinis ad ignoscendum facilitatem, quàm conscelerati hominis impetum ad peccandum. *Divinatio hæc videri potuit; siquidem, dimissâ concione, cùm pro tribunali sederet, inter cæteros, qui bene multi de noxis apud P. Bernardum se accusabant, duo adrepsêre, quorum alter viginti quinque, alter ipsos quinquaginta Annos non expiatâ mente sceleribus obrutus, sine pœnitentiæ animi signo, atque à Confessionis consilio semper alienus ætatem contriverat.*

Refero verba nostri P. Joannis Paulini, de tot centenis alumnis Domûs Gregorianæ Monachii Bojorum præclarè meriti, in vita Venerabilis P. Bernardi Colnagi *Lib. 1, cap. 9. §. 3.* viri excellentis sanctitatis, doctrinæ, sapientiæ. Qui utique censendus est (consideratis circumstantiis, quæ exprimuntur) non detinuisse in confessionali singulos ex his duobus plus unâ horâ, aut sesqui, & tamen quia in urbe maritima vixerant tot Annis inexpiati, pronum est cogitare, quantam sentinam scelerum conflârint. Tunde, mi Confessarie, ferrum, dum candet.

(*Quoties impertitur absolutionem sub conditione?*) 267
D 3. Si absque rationabili dubio, peccat eo modo, quo explicui suprà *num. 171.* Sicuti & generatim delinquit, si absolvat *sub conditione de futuro*, ut si dicat: *Te absolvo, si restituaris*; nulla enim Sacramenta *licitè*, aut *validè*, conferuntur *sub conditione de futuro*, nisi fortè Matrimonium, de quo *Tract. 10. Cas. XII.* Potest autem rationabile dubium oriri in his casibus. 1. Quando rationabiliter dubitatur, an persona absolvenda adhuc vivat, an verò jam expiraverit? 2. An sit prædita sufficiente usu rationis ad peccandum? 3. An sit bene disposita quoad dolorem, propositum, integritatem? 4. An verè peccârit? 5. An Confessarius habeat jurisdictionem in ipsam? 6. An in ejus peccata? 7. An forma sit rectè pronuntiata? In *primo* casu est adhibenda *sub conditione*: *Absolvo te à peccatis tuis, si adhuc vivis*: In *secundo*, si talis in periculo mortis constitit, & reipla petiit, vel suppetit sin utramque partem 268
ratio dubitandi, an signo externo petierit Confessionem, danda est ipsi, ut in *primo* casu: idipsum dic, quando tempore præcepti confitetur, aut quando etiam extra istud tempus adfert materiam de se mortalem, ut repetemus infrà *Cas. X.* In *tertio* si, adhibitâ confessarii diligentiâ, nequeat tolli dubium, absolvatur in nomine Domini etiam *sub conditione*, ut primùm enim cœpit aperire Sacerdoti unum peccatum, acquisivit aliquod saltem imperfectum jus ad absolutionem; fructu hujus certi juris non debet integre privari ob solum dubium, ergo saltem *sub conditione* danda. Certè expe- 269
rientia quotidiana docet, è centum dubiis casibus tam *juris*, quàm *facti*, vix unum, alterúmve reperiri, in quo, si propriè dubitent unus, duo, tres, non reperiantur totidem, qui tanquam probabilem sustineant partem *affirmativam* illius dubii: totidem, qui *negativam*. Ut proinde, quando dubitas, an tuus pœnitens sit satis dispositus, possis prudenter ita ratiocinari: *Ego quidem propriè dubito propter hanc, aut illam rationem, meritò tamen credo, vivere prudentes viros, qui, si adessent, dicerent, meum dubium*

dubium esse inanem scrupulum; quidni igitur me accommodem illorum, etsi ignotorum, sensui? Nota hanc doctrinam pro plurimis aliis casibus. In *quarto* eventu quid faciendum, dicam *n.*
270 *449.* In *quinto*, aut novit, se habuisse aliquando jurisdictionem in ipsos, jam autem ambigit, an adhuc habeat; aut denique nescit, utrùm aliquando habuerit, necne? In *primo* horum eventuum absolvat, quia mutatio non præsumitur, sed probanda est; in *altero* abstineat absolutione, propter eandem causam, sicut & in *tertio*. Loquor autem non de extrema necessitate; in hac enim, sicut, deficiente materiâ necessariâ, oportet adhibere dubiam, ita & dubium ministrum. In *sexto* casu quid agendum, dixi *Cas. III. n. 120.* In *septimo* est utique repetenda *sub conditione.*

271 Quæres: *An in hisce eventis conditio, sub qua conceditur absolutio, sit necessariò verbis efferenda?*

Resp. Authores, quos *in Alphab. Baptizant. Cas. XIII. num. 411.* retuli suadentes, ut in *conditionali* Baptismo exprimatur verbis conditio, sub qua ille confertur, ita suaderent in *conditionali* absolutione; at in rigore sufficit, si in mente retineatur. Diana *Part. 10. Tract. 11. Resol. 55.* post Palaum, & Bardi contra Caramuelem.

272 At, *oportétne in mente expressè illam habere? an sufficit, si* virtualiter, *aut* implicitè?

Resp. Esse consultius, ut expressè in animo dicas: Te absolvo, *in quantum possum, & indiges* quia tamen quisque confessarius incipit excipere Confessiones cum intentione aut *expressa*, aut *implicita virtualive* faciendi id, quod facit Ecclesia, seu quod statuit Christus; Christus autem statuit, ut in talibus casibus fiat absolutio *sub conditione*, ideo facit illam sub conditione *implicita*, aut *virtuali* omnis non sceleratissimus confessarius, etsi non cogitans expressè de conditione, quia omnis probus habet intentionem satisfaciendi intentioni Christi.

Nota & hoc, quia nec obvium in scriptoribus, nec inutile ad scrupulos reprimendos.

273 (*Aut ante injunctam pœnitentiam*:) Nul-
E 3. lo præcepto tenemur injunctionem pœnitentiæ præmittere absolutioni, quare oblitus injungere, déque sua oblivione monitus à pœnitente, sicuti fateor, me quandoque fuisse monitum, cavere debet, ne repetat formam absolutionis.

274 (*Aut etiam moribundo, qui nullum signum*
F 3. *pœnitentiæ dedit.*) Delinquere talem, ostendemus *Cas. XIX.*

G 3. (*Denique quoties ineptè corrigit defectus commissos in suo munere?*) Necessitatem, modúmque corrigendi exhibebo sequente *Cas. VI.*

(*Etiam absentem absolvens.*) Vide dicenda H 3.
eodem *Cas. VI. n. 287.*

(*Jubens etiam repetere absque necessitate pri-* 275
stinas Confessiones.) Igitur facit alteri, quod si- I 3.
bi fieri nollet. Me necdum pœnitet, descripsisse alibi ex P. Filliucio hæc verba: *Non sunt obligandi fideles ad iterandas Confessiones, ubi non constat evidenter* (id est, certò) *de tali obligatione.* Non constat verò, quando aut dubitatur propriè, non tamen, omnibus consideratis, juxta dicta *Tract. præced. num. 434.* an priores Confessiones fuerint legitimæ, aut solùm probabile est, priores Confessiones fuisse illegitimas; at è diverso constat de obligatione repetendi, quando suppetit firma ratio ad credendum, interveniisse talem defectum, nulla firma ad opinandum, non interveniisse.

Substantialis autem ille defectus, impor- 276
tans obligationem iterandi factas Confessiones, provenit quandoque ex parte ipsius pœnitentis, ut quando confessus est sine ullo dolore, sine proposito emendationis; aut omisit ex damnanda verecundia aliquod vel à parte rei, vel juxta ejus opinationem falsam mortale; quandoque autem ille *substantialis* defectus proficiscitur ab ipsomet confessario. Et verò, quando rudis pœnitens tibi aperit, se in prioribus Confessionibus omisisse manifestationem alicujus criminis ex objecto mortalis, est pro praxi observandum, expedire, ut statim ex eo sciticeris, utrùm existimârit, se mortaliter delinquere, subticendo illud peccatum? Negantí (& quoties mihi negârunt rudes, de quibus hîc loquor?) se habuisse talem existimationem, adhibe fidem, saltem si dicat: *Si scivissem, me peccare mortaliter per illud silentium, certissimè non tacuissem*; & tunc ne compellas repetere Confessionem criminum jam alias detectorum, sed tantùm illorum, quæ omisit. Quære tamen præterea, an non saltem dubitârit, peccarétne mortaliter silendo? Negantí rursus habe fidem, quia si quæres, cur ergo jam aperiat illud peccatum, cùm utique sæpius audierit, delinquí graviter non omnia dicendo? respondebit, se, quando committebat illud peccatum, quod siluit, non putâsse, esse mortale, at postmodum aliter informatum jam confiteri.

At si fateatur, se verè dubitâsse, an morta- 277
liter peccaret silendo, rursum interroga, an putârit, delinqui mortaliter petendo absolutionem cum prædicto dubio? Si negat, ne petas repetitionem; verè enim plurimi ignorant, esse grande nefas, operari cum conscientia dubia. Si asserit, mone, ut fateatur omnia illa mortalia, quæ confessus est in illa sacrilega Confessione, & in omnibus interjectis, si quidem illas interjectas obiit omnes cum opinione à se sacrilegè obiri. At si quas perfecit absque tali opinione, quia e. g. non occurrebat tunc ipsi peccatum toties sacrilegè suppressum,

ne

ne examines de criminibus detectis in illis Confessionibus.

178 Ob defectum examinis præmittendi ne facilè quemquam adigas ad aperienda illa, quæ aperuit in Confessione secuta illud defectuosum; & nimis perfunctiorum examen Est quippe ob autoritatem Soti, Victoriæ, Henriquez apud Layman. *Cap. 9. num. 1* probabile, si quis non ex industria, sed ex sola desidia, quamvis mortali, omisit confiteri aliquod peccatum mortale, reliquorum peccatorum Confessionem esse quidem *informem*, seu absque gratia remissionis, *validam* tamen adeóque non necessariò repetendam, sed tunc potituram gratiâ remissionis, quando proximè fiet vera absolutio aliorum peccatorum.

179 Nec ille meritò jubebitur quidquam repetere, qui confessus est peccatum à parte rei mortale quidem, at à se, vel à confessario habitum pro solo veniali; modò sit confessus cum debitis circumstantiis, Dicastillo *Disp. 10 n. 354.* Lessius *in Auctario Verb. Confessio, Cas. 5. & 6.*

180 At *pœnitens notat illum errorem Confessarii in ipsamet Confessione?*

Resp. Ergo monendus est à pœnitente. Lessius *cit. Cas 5.* Si videlicet indubitanter cognoscat, errare confessarium; secùs, si solùm aut timeat, aut dubitet, aut suspicetur, aut ob leviculam causam opinetur; levicula autem causa est, quando adest hæc sola, quòd Confessarius imposuerit parvam pœnitentiam.

At: *estne necesse, ut pœnitens dicat Confessario expressè: omnino puto, me peccâsse mortaliter?*

Resp. Nequaquam. Sufficit, si illum instruat, ut bene judicare possit, P. Lessius *loc. cit.* qui *Cas. IV.* resolvit hanc *practicam* quæstionem: *An tenearis repetere, si Confessarius apprehendat, ut scrupulos, quæ verè sunt mortalia; aut ut non facta à pœnitente, quæ tamen revera fecit.* Resolvit autem, esse bonam Confessionem, modò tamen pœnitens se ex sua parte satis explicârit, & Confessarius conferat absolutionem in omnem eventum, se posse decipi, & ideo ratione tum illorum, tum aliorum, quæ constat esse peccata, dandam censet absolutionem: *Nam confessarius factum ipsum satis intellexit, quamvis errore privato putârit, non esse factum, quod erat, intenditque absolvere ab omnibus peccatis confessis.* Vide P. Palaum *Tract. 23. punct. 16. n. 6. & 8.* consentientem quoad *primam*, & *secundam* partem hujus doctrinæ.

181 Defectus *substantialis* provenit, ut dixi, quandoque ex parte confessarii. 1. Quando vel non protulit formulam absolutionis *substantialem*; vel protulit quidem, sed non habuit aut voluntatem, aut potestatem absolvendi; si enim in nulla mortalia habuit potestatem, debent omnia repeti; si tantùm in aliqua habuit, non sunt hæc rursum confitenda. 2. Quando est ita hebes, ut ne quidem intelligat discrimen inter peccata etiam ordinaria, utrùm sint de se mortalia, an venialia. Vasq. *quæst 93 art 3.* & alii, à quibus meritò dissentiunt plures, nam talis Sacerdos utique *valide* absolveret moribundum, ergo & sanum. 3. Quando ob animi distractionem non percepit mortalia pœnitentis 4. Quando non interrogavit speciem, aut numerum necessarium. 5. Quando idem Confessarius dormitavit excipiendo Confessionem, aut non intellexit idioma pœnitentis. De utroque defectu distinctè differam *Cas. XII. & XIII.* sicuti *Cas. sequenti* ostendam, quomodo emendandi sint omnes priores defectus, exceptis duobus his ultimis.

(*Ut nihil dicam de pœnitentiis gravissimis, quas injungere consuevit.*) 182 De hoc puncto erit copiosus sermo *in Cas. XXI.*

CONFESSARIVS ERROREM EMENDANS.

CASVS VI.

Inculpatè oblivioſi.

SUMMARIUM.

Casus absolventis è platea jacentem domi in lecto. 283.
Quid censendum de hoc facto? 284.
An, & quomodo repetenda absolutio omissa per oblivionem? 286. & seqq.
Quid si recorderis primùm post sex horas? 289.
Casus absolventis sub ipsa communione. 291.
Quomodo corrigendus defectus circa omissas interrogationes ex se necessarias? 296.
Aut commissus in docendo non docenda: in non docendo docenda? 298.
Aut in imponenda nimia pœnitentia? 301.

183 *Robenius excipit Confessionem decumbentis lethaliter, vix autem habentis materiam absolutionis; qua nondum impertità, disserit cum moribundo volente, petente, de nescio quo testamentario negotio, hácque occasione obliviscitur absolutionis, cujus tamen non impertitæ memor tunc factus, cùm ab ædibus decumbentis distaret circiter viginti passus, quare se eodem in loco obvertit versus illam domum, atque pronuntiat formulam absolutionis. dirigens eam ad infirmum. Paulò pòst, adeóque die 20. Martii, anni 1660.*

1660. me convenit Superior illius confessarii, ex Ordine Religioso, diverso à nostro, scisciatur, quid esset ad hæc (nec dum enim exhalârat æger animam) agendum; quidve fieri debuerit? Quid responderim, accipe.

284 1. Non valuit illa absolutio, utpote directa ad eum, qui non erat *moraliter* præsens. Infrà *num. 287.* quemadmodum nec valebit, si vocatus ad ægrum, constitutum in prorsus extremo agone, jámque proximus ædibus ipsius pronuntiet formulam, metu, ne decedat priùs, quàm ad ipsum pervenias. P. Tamburinus *De Sacrament. Lib. 1. c. 3. §. 1. n. 10.* post Leandrum, dicentem contra aliquos doctos Recentiores, hoc esse certum. 2. Conveniebat sanè redire ad ægrum, atque candidè (nullum enim fuberat periculum ullius scandali, aut offensionis) fateri suam inculpabilem oblivionem, cujus causam dederat ipsemet infirmus. 285 3. Quia tamen altè imbibi illud generale Apophtegma Arragonii, descriptum à me *in Alphab. Sacri audiendi, & Breviarii recitandi n. 778. Certè videtur valde durum, & à pietate Christiana alienum, mittere aliquem in infernum, aut dicere, quòd peccet mortaliter, sine evidenti, & certa ratione*; ego autem non perspiciebam evidentem rationem obligandi sub mortali ad revisendum ægrum pro supplendo defectu, non enim solùm constabat, esse vitæ integerrimæ, sed etiam præsente ipsomet Frobenio, munitus erat Sacro Viatico, recepto magna cum pietate, & paulò pòst extremè ungendus; idcirco respondi, me non audere injungere mortalem obligationem faciendi illam visitationem, sicuti à fortiori excusarent Silv. Navarr. Valerus apud Cardin. de Lugo *Disp. 22. num. 55.* valde tamen conveniebat facere; certè ego feciſſem, ut etiam fecit ille Confessarius, suadeóque cuivis, ut faciat in simili etiam casu, ob perfectionem quoque Sacramenti. At in casu, quo vel pœnitens confessus est aliquod certum, dubiúmve mortale, vel non est tam integræ vitæ, quàm ille, de quo disserimus, aut denique nullum aliud Sacramentum recepit, non modò valde consultum, sed necessarium quoque est, facere emendationem; cùm in talibus circumstantiis meritò timeri, queat, ne absolutionis defectus æternum noceat tali pœnitenti, & quivis talis esset instanter petiturus suppletionem, si nôsset, præcessisse illum defectum.

286 Quia verò omissio absolutionis inculpata non est rarissima, ideóque Theologi speciatim quærunt, an, quando, & quomodo sit supplenda, idcirco nota de ea sequentia, 1. Quando es oblitus absolvere ab excommunicatione, aliáve censura illum, quem poteras, & debebas absolvere, absolves etiam procul distantem, quia absolutio à censura non exigit præsentiam absolvendi, & proinde, si nequibas tunc absolvere, petes postmodum à Superiore potestatem, qua impetratâ uteris in absentem. P. Suarez *De Pœnit. Disp. 32. Sect. 6.* Lugo *De Pœnit. Disp. 22. Sect. 3. num. 51.*

2. Quando es oblitus absolvere à peccatis, à 287
quibus poteras, aut non poteras, lateré lavabis, si vel formulam scriptam mittas pœnitenti (ignoti scio, non ita pridem factum esse alicubi) vel proferas, eo *physicè* simul & *moraliter* absente, nam & certum est, esse de essentia hujus, aliorúmque (extra Matrimonium) Sacramentorum, ut formula proferatur verbis. P. Tanner. *Tom. 4. disp. 6. quæst. 9. dub. 1. num. 7.* & post Decretum Clemen. VIII. nec tuta, nec probabilis censeri debet opinio multorum, qui ante illud Decretum docuêre, absolvi posse penitus absentem, Tannerus *loc. cit. num. 9.* certè vocula *Te* designat ex communi usu præsentem.

3. At verò præsentia moralis sufficit ad va- 288
lidam, licitámque absolutionem. Leander. Molfesius, P. Thomas Tambur. *De Sacrament. Lib. 1. cap. 3. num. 10.* Quam præsentiam moralem censet Bonacina *De Pœnit. Disp. 6 quæst. 7. punct. 6. num. 2.* cum Leandro & Molfesio apud Tambur. *loc. cit.* adesse quamdiu aliquo sensu percipis pœnitentem, adeóque etsi distet viginti passibus, Molfesius. Ipse autem Tamburin. rectè censet, hæc nimis laxè dici, sed tunc solùm adesse moralem præsentiam, quando tam parùm distat pœnitens, ut posset exaudire loquentem voce aliquantò altiore, tali scilicet, quali solet uti judex forensis, pronuntians sententiam in curia contra aliquem Reum. Quamvis autem Bonacina *loc. cit. absolutè* scribat, posse absolvi, qui nondum recessit à conspectu Confessarii, seu, quando non est ita remotus, ut Confessarius non dubitet de ejus præsentia, ut idem loquitur, attamen P. Reginald. *Lib. 8. num. 32.* exprimit, consentiente Leandro, Tamburino, si possit pœnitentem sine incommodo revocare ad confessionale, esse revocandum. Ego sine scrupulo absolverem illum, qui est adhuc intra cancellos confessionalis, nec arbitrarer, esse necessariò jubendum iterum flectere, tametsi tutiora secutus aliquoties jusserim; at jam distantem 10. aut 20. passibus revocarem ad me, si sine notabili incommodo fieri posset, ut potest, quando vix quisquam præter pœnitentem existit in templo, & mihi non esset perspectum, esse innocentem animum; & si illum videre nequirem, attamen prudenter credens existere adhuc in templo non procul à me, esto illum non viderem, sequerer in his circumstantiis doctrinam Bonacinæ, viri sanè prudentis; etenim necesse nullo modo est, oculis usurpare illum, cui peccata dimittis.

4. Quando autem oblitus absolutionis re- 289
cordaris primùm post aliquot horas, fitque tibi

bi ille pœnitens tunc præsens, tutissimè ages, si candidè fassus tuam oblivionem dicas, te jam velle eam impertiri, si velit; absolutè tamen non est necesse monere hac de re. Coninck *cit. num. 143.* quia pœnitens censetur tamdiu servare intentionem percipiendi absolutionem sibi debitam, quamdiu ea differtur. Coninck *num. 142.* Lugo *num. 52.* Sanctgallenses *Tom. 10. Fol. 273.* contra Suarez, Vasq. Filliucium; nec enim verum est, illum etiam, qui falsò putat, se absolutum, amittere desiderium absolutionis; quis enim credat amitti ab illo, qui censet, vim formulæ consistere in illis verbis: *Absolvo te à vinculo excommunicationis?*

290 Ob quam rationem dicerem, posse etiam post quatuor, aut sex dies suppleri à te defectum sine illa monitione, si post tot dies incideres in talem pœnitentem; nisi fortè timeres, sicut timeri non immeritò volunt Sanctgall. *Fol. 274.* rationabiliter, ne isinterea incidisset in mortale peccatum, tunc enim deberet moneri non solùm de eliciendo dolore, sed etiam de facienda mox illius Confessione; quia tamen hæc monitio singulariter juncta certitudini de omissa per oblivionem absolutione, accidit pergravi sta ibus hominibus, gignítque periculum malè sentiendi, loquendique de Confessariis, existimo, esse plerumque totam rem committendam Deo, cùm etiam Lugo *n. 57.* ex communi Suarii, Vasquezii, aliorum testetur, hanc monitionem faciendam non esse, quando timetur scandalum, id est, ut explicat Lugo, grave detrimentum proprium, vel alterius, seu, ut exponit Coninck, & Bonacina, gravis offensio pœnitentis, cùm præsertim per alia Sacramenta possint remitti peccata mortalia, &, ut addit Lugo *num. 18.* jactura gratiæ, quæ recipi poterat, non videatur esse tanti, ut saltem, quando pœnitens confessus erat sola venialia, ac sæpe solitus hoc Sacramento conscientiam emaculare, velit confessarium obligare ad talem monitionem, & suppletionem. Ex his deduces judicium ferendum de hoc

Casu memoris in tempore opportuno.

291 *Pronto Sacerdos scrupulosus paulo ante officium Divinum die quodam Dominico rogatus excepit Confessionem mulieris gravidæ, quæ, postquam omnia sua peccata recensuit, injunctâ pœnitentiâ, & datâ absolutione, recensuit & aliud novum peccatum per modum dubii an sit peccatum, quod verum erat; hoc dubio soluto, abiit Sacerdos sine absolutione; post consecrationem recordatus est, quod non impertiverit absolutionem ab hoc peccato; dum itaque vult pœnitentem communicare, dicit priùs:* Egote absolvo à peccatis tuis. *An ritè absolvit, etiamsi primam absolutionem non fecisset?*

Hunc, & alios Casus scripto comprehensos ad me misit è Venerabilibus Dominis Decanis unus, qui utique facilè cognovit ipsemet, ritè egisse illum Frontonem, & ritè acturum fuisse, licèt oblivio absolutionis, etiam respectu aliorum priorum peccatorum, intervenisset. Fuit sanè ille Sacerdos in tempore valde opportuno memor doctrinæ Casuisticæ, non quotidie occurrentis. 292

Præter oblivionem absolutionis committuntur quandoque à Confessariis. 4. Alii defectus. 1. Quando datur quidem absolutio, sed *invalidè*. 2. Quando Confessarius non interrogavit numerum, aut speciem necessariam. 3. Quando non docuit necessariò docenda, non monuit necessariò monenda. 4. Quando docuit non docenda, suasit, vel mandavit non mandanda. De his omnibus generatim notandum, si quis talium defectuum possit corrigi ante datam absolutionem, esse corrigendum, ut per se clarum est. Si autem tunc non est correctus, sed pœnitens discessit, illo defectu inemendato, emendari non debere, si nequeat absque fractione sigilli Sacramentalis. His generatim dictis. 293

Quæritur speciatim 1. *An, & quomodo corrigendus primus ex indicatis 4. defectibus?* 294

Resp. Quando Confessarius protulit quidem formulam absolutionis, sed *invalidè*, eò quòd esset ipse excommunicatus, suspensus, &c. debet petere à pœnitente facultatem loquendi cum eo de Confessione nuper facta, eò quòd in absolutione commiserit aliquem defectum; quòd si vel id fieri nequeat sine gravi scandalo, vel pœnitens nolit quidquam audire, urgendus non erit. Nec assentior ullatenus Patri Suario cum aliis apud Dianam *Part. 5. Tract. 11. Resp. 18.* contra communiorem, Bonacinæ, Lugonis, Dianæ, & aliorum docenti, posse Confessarium in prædicto casu loqui etiam cum invito de peccatis confessis; etenim hæc locutio est contra religionem sigilli. Si autem permittat, dic ei: Ergo si te iterum accusas in genere de iis, quæ nuper mihi fassus es, te absolvam rursum, modò ab illo tempore non offenderis Deum; graviter. Si enim offendisti, debes jam cum requisito dolore aperire. Quòd si ante omnem defectûs emendationem 295 factam redeat idem pœnitens ad tuum confessionale, opus non erit plus dicere, quàm: *Nonne doles, & rursum te accusas de omnibus, quæ unquam es mihi confessus?* post pœnitentis responsum *affirmativum*, absolve, non factâ mentione prioris defectûs. P. Dicastillo *Disp. 10. dub. 27. quæst. 1. num. 509.* cum aliis communiter

niter, censens esse omnino supplendum defectum; cùm tamen Joannes Valerus ab eodem *ibid.* relatus non sine suffragio S. Antonini, Navarri, & Silvestri scribat *absolutè*, Confessarium, sive scienter, sive ignoranter admiserit talem defectum, ad nihil teneri, nisi ad agendam debitam pœnitentiam. Hac lenitate uterentur ii DD. adhuc faciliùs respectu illius, qui absolvit à reservatis, à quibus nequibat. Cæterùm circa totam hanc materiam perutiliter leges *Cursum Theolog. Sanctgallensem Tom. 10. quæst. 5. dub. 3.*

296 Quæritur 2. *Quid remedii adferendum, quando Confessarius advertit, se non sufficienter interrogâsse numeros, aut species peccatorum mortalium, & proindè pœnitentem non fuisse integre confessum.*

Resp. 1. Si suæ oscitantiæ recordetur ante impertitam absolutionem, tenetur emendare defectum eo modo, quo dixi suprà *n. 237.* Si autem post jam dimissum à se pœnitentem, probabiliter ad nil aliud tenetur, communiter loquendo, quàm ad agendam pœnitentiam de sua socordia. Suarez *Disp. 32. Sect. 6.* Lugo *Disp. 22. n. 73.* Dicastillo *Disp. 10. n. 529.* nam postquam est prolata sententia, judex functus suo officio est, ergo non tenetur ampliùs causam examinare, & statum rei cognoscere, inquit Lugo, & Dicastillo, interim rectè addentes, si idem pœnitens postea redeat pro alia Confessione ad eundem Confessarium, monendum esse de defectu, eò quòd omnis Confessarius teneatur dare operam, ut pœnitens confiteatur omnia confitenda; inter hæc autem sunt numeri, & species omissæ in priore homologesi. Hanc tamen additionem fortè negaret Fagundez, dum referendus *Cas. XXIII. n. 874.* generatim ait, Confessarium unius Confessionis debere se in posteriore gerere, perinde ac si totâ vitâ
297 non excepisset ullam. Quid si autem erroris culpabiliter, vel inculpabiliter admissi conscientia urgeat Confessarium, dum pœnitens adhuc existit in confessionali, jam tamen absolutus? *eritne locus sententiæ Suarezianæ?* Resp. Erit propter rationem allatam ex Lugone, & Dicastillo.

At quid si illa stimulatio conscientiæ accedat, dum Confessarius dicit *Passio Domini?* Resp. Secundùm illos, qui dicunt, licere de rebus in Confessione auditis loqui cum pœnitente, quamdiu adhuc flectit, expectans dimissionem à Confessario, non erit locus sententiæ Suarezianæ, erit autem secundùm negantes licentiam talis collocutionis. Vide *Cas. XXII. n. 828.*

298 Quæritur 3. *Quid faciendum, quando Confessarius non docuit docenda, non monuit monenda;* vel etiam *docuit non docenda, suasit non suadenda?*

Resp. 1. Quid speciatim sit facto opus, quando non commonefecit de restitutione præstanda, declarabo *Cas. XVIII. n. 564. 2.* Alia quod attinet, si silentium, aut dissimulatio confessarii non habetur à pœnitente pro signo suasionis, aut dissuasionis malæ, seu pro *tacita* suasione, vel approbatione mali, quod tamen patrabit pœnitens, non patraturus, si fuisset à Confessario seriò monitus, seriò increpitus, plus à tali Confessario non petit Deus, quàm seriam pœnitentiam. Suarez *cit. Sect. 6.* Filliuc. *Tract. 7. cap. 12. n. 374.* alii cum Lugone, atque Dicastillo. Ratio est, quia obligatio, contra quam egit, non se extendit ultra ipsum actum Confessionis.

3. Sin autem silentium Confessarii habetur 299 à pœnitente pro approbatione operis mali, quod ipse sit patraturus, tunc locum habet generalis doctrina Cardin. de Lugo *l. c. n. 72.* tradentis, quando Confessarius fuit per commissum à se defectum causa *positiva*, ut pœnitens sit facturus aliquid, quod facere non deberet, aut non facturus, quod deberet, Confessarium ipsum teneri impedire illud malum, si absque scandalo, vel gravi detrimento possit; & quidem, quando culpabiliter fuit causa *positiva*, obligari ad emendationem illam cum majore suo incommodo, quàm si non intercessit culpa mortalis coram Deo. Quare sicut, quando di- 300 xisti pœnitenti, non esse necessarium confiteri aliquid, quod tamen lex Christi præcipit aperiri sacerdoti, obligaris illum dedocere hunc errorem, si valeas sine ejus scandalo, aut tuo magno incommodo, ita etiam, quando interrogatus à pœnitente, hicne contractus valeat, necne, siles, videns, tuum silentium haberi à pœnitente pro signo, quòd judices, ejus interrogationem esse merum scrupulum, incumbet tibi obligatio quærendi occasionem emendandi errorem ejus; quæ emendatio erit facilis, si tibi non fuit fassus, se illum contractum iniisse, sed solùm quæsiit, an liceret. Si verò fuit fassus, se iniisse, non poteris cum eo loqui de illo contractu nisi *tacitè indirectè* loquendo de ejus peccato, quo quidem tibi nefas est extra Confessionem, nisi det ipse tibi facultatem. An verò tenearis tunc reparare damnum secutum 301 ex tuo responso, disces ex dicendis *n. 564.* Ergo si imposui ipsi nimis magnam pœnitentiam, prævidens, non executurum, adeóque omissurum cum remorsu gravis peccati, non licebit occurrenti in templo, vel alio loco dicere: *Mi bone vir, imposui nuper tibi nimis magnam pœnitentiam, fac solùm hanc parvam?* Respond. Non licebit, sed potiùs dices: Vellem, si permittas, aliquid tibi dicere circa nuperam Confessionem, quod nullo modo molestum tibi erit audire; ubi subdiderit, se permittere, subdes tu: *Ergo loco gravioris pœnitentiæ, quam injunxi, recita duo rosaria, audi tria Sacra,* &c.

CONFESSARIUS PRUDENS, ET INDUSTRIUS.

CASUS VII.

Tristis, & lætus.

SUMMARIUM.

Casus Confessarii sua imprudentia causantis Confessionem sacrilegam. 302.
Pœnitens non est increpandus sub initium Confessionis. 303.
Enumerantur partes prudentiæ requisitæ in Confessario. 304.
Debet hic magis incumbere in excitandam contritionem, quàm integritatem Confessionis. 307.
Quandonam censebit, pœnitentem sufficienter detestari sua peccata. 308.
Quomodo excitabit in eo propositum emendationis? 309.
Quid se geret circa non valentem formare conceptum de SS. Trinitate? 312.
Qui circa ignorantem, esse mortale peccatum id, quod crebrò committit? 313.
Et singulariter ignorantem gravitatem mollitiei? 315. & seqq distinctè.
Aut ignorantem, Tauffent Sacrament esse gravem blasphemiam? 319.
An quandoque differet absolutionem sat dispositi ad illam? 320.
Refertur hanc in rem notabilis doctrina S. Francisci Xaverii. Ibid.
Traduntur duodecim Regulæ, seu aphorismi pro Confessario. 322. & seqq.
Singulariter explicatur, & defenditur doctrina S. Ignatii de veniali culpa in resistendo tentationi. 328. & seq.
Traditur praxis audiendi Confessiones. 331.
Singulariter rudium hominum. 333.
An interrogationes sint differendæ in finem? 334.
Quomodo instituendum examen pœnitentis? 335. & seqq.
An Confessarius licitè procedat nixus solis præsumptionibus? 338. fusè.
Declaratur casu practico. 339.
Traditur modus comparandi prudentiam, & industriam necessariam Confessario. 343. & seqq.
P. Mancinelli pulchra ars venandi peccatores. 346.

302 *Gorgonius sceleribus insueverat, nec interim Pœnitentiæ Sacramento unquam bene usus, istud suâ culpâ semper vitiaverat. Hic, tandem serio resipiscendi proposito concepto, cùm enumerationem peccatorum exorsus justo severiùs increparetur, aliquam peccatorum partem consueto sibi silentio involvit, non jam pudore præpeditus, sed ejus, qui pro sacro foro considebat, nimio zelo absterritus. Verùm non deseruit tam bonam mentem, cultuique suo cæteroquin devotum caput, Deus, & Misericordiæ Mater: fusis námque aliquamdiu ad se precibus animum addidit, ut, cùm alium accessisset, præfatúsque prioris arbitri importunam correptionem mitiùs haberetur, omnem vitam magna cum doloris significatione relegeret, quámque vitæ novæ telam bene orsus fuit, pergat modò tenere.*

Hæc verba exscripsi ex literis huc destina- 303
tis Anno 1665. Nec sanè extra rhombum; pars enim prudentiæ, qua judex arcanus pollere debet, quámque sum hoc loco expositurus est, uti quandoque severitate, increpationibúsque, sed accommodatis indolí simul, & dispositioni pœnitentis; est autem vel omnium, vel certò plerorumque hæc indoles, aut assuetudo, ut perægre ferant reprehensiones factas ante omnium peccatorum enumerationem, quare *Cas. V. n. 202.* monui cum Navarro, esse etiam admirationis signis abstinendum, donec sit expectorata conscientia, esto ante hanc expectorationem recenseantur atrocissima, indignissima. Porrò speciatim de prudentia requisita 304
in confessario sic loquitur Innocent. III. *in Cap. Omnis utriusque. De Pœnit. & remission. Sacerdos sit mansuetus, accautus, ut more periti medici superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati; quibus prudenter intellectis intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & ejusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.* Licèt autem P. Filliucius *in fin Tract. septimi in Instructione Cap. 3.* atque P. Valerius Reginaldus *Lib. 2.* toto enumerent complures quasi partes prudentiæ necessariæ Sacro arbitro, ego tamen reduco ad hæc 8. capita. 1. Ut dum ipse aliis 305
medetur, non vulneret seipsum. Sanctus Greg. *Lib. 7. Mor. Cap. 16.* 2. Ut per dexteritatem examinandi perducat pœnitentem ad enumerationem omnium criminum. *Cap. Qui vult, De Pœnit. dist. 6.* 3. Ut excitet in eo veram detestationem vitæ malè transactæ, atque serium propositum corrigendæ. 4. Præscribat remedia vitiis emendandis opportuna, consideratâ sui pœnitentis conditione *cit. Cap. Omnis utriusque.* 5. Doceat quidem, at non nisi necessaria, vel valde utilia hîc & nunc. 6. Ut dispiciat, sitne absolutio danda, an neganda, differendáve? 7. In eo ut injungat pœnitentiam, verè salutarem. 8. Ut habeat in promptu, memoriáque nonnullas Regulas, Aphorismos, seu documenta, peculiaria, ad quo-

quorum amussim dirigat sui ministerii functionem.

306 *Primum* punctum quod attinet, ejus ratio singulariter habenda est in excipiendis Confessionibus obscœnorum peccatorum, de quo proinde erit sermo *Cas. XVII.* Interim ponderanda illa duplex monitio Divina: *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? Eccl. 14. vers. 5.* Et: *Quid enim prodest homini, si mundũ universum lucretur, animæ verò suæ detrimentũ patiatur? Math. 16. v. 26.*

307 De examinandi dexteritate paulò pòst videbimus. De *tertio* puncto generatim observanda est doctrina, quam exprimunt P. Suarez, P. Reginaldus, Tannerus, Lugo, & alii, majus studium Confessarii esse debere, ut in suo pœnitente exciter veram peccatorum detestationem, efficáxque propositum ea corrigendi, & consequenter fugiendi, deferendive occasiones proximas, quàm ut intelligat omnia ejus mortalia peccata; certum enim est, inculpabilem omissionem unius, pluriúmve peccatorum etiam lethalium, nihil prorsus obesse saluti æternæ pœnitentis, nam peccata talia involvuntur ipsâ verâ Confessione. Trident. Concil. *Sess. 14. cap. 5.* At etiam inculpabilissima omissio doloris repugnat totaliter remissioni, quia peccati venia non datur, nisi correcto, *Cap. Peccati, De Reg. jur. in 6.* idcircò valde consultum est, ut, auditâ Confessione mortalium, quæras ex pœnitente, an non valde doleat, quòd Deum tam bonum, à quo tot bona acce-
308 pit &c. tam graviter offenderit. Quandoque autem, & singulariter apud viros graves omittenda ista expressa interrogatio, ac potiùs dicendum: *Utique, mi Domine, vehementer dolemus, quòd Deum nostrum, judicem nostrum tam graviter offenderimus; & utique habemus in animo potiùs omnia perdere, quàm tantam Majestatem ampliùs ad iracundiam provocare.* Notet autem probè Confessarius, suum pœnitentem sufficienter detestari sua crimina, si ex animo dicat: *Utinam, ò utinam optimum Deum offendissem nunquam! Utinam potiùs essem mortuus, quàm peccâssem in Deum meum, Redemptorem meum! Vellem utique, si fieri posset, nunquam offendissem optimum Deum meum!* His enim, aut consimilibus verbis exprimi dolorem confessioni sufficientem, tradunt Navarrus *in Manuali Cap. 1. n. 2.* Lugo *De Pœnit. Disp. 4. Sect. 2.* & alii.

309 Propositum emendationis quod attinet, & de quo distinctè egi *Tract. præced.* seu *in Alphab. Confitent. Cas. VIII.* quamvis illud *essentialiter* includatur in vera, seriáque detestatione peccatorum, attamen cavendum, ne omittatur illius expressio *formalis*: quam expressionem exprimet Confessarius commemoratione vitæ brevitatis. mortis incertitudinis, ac subitaneæ, iræ Divinæ, pœnarum æternarum, impossibilitatis obtinendi veniam sine novæ vitæ studio &c. item quandoque narratiunculâ historiolæ ex Sacra Scriptura, piis scriptoribus, &c. Adde, ad propositum emendationis quàm maximè spectare voluntatem devitandi occasiones peccatorum proximas, quæ autem illæ sint, dicam *Cas. XVI. n. 525.* Spectat quoque ad propositum lyncera voluntas, & Decretum restituendi ablata, solvendi debita, condonatio injuriarum &c.

De remediis submini- 310
strandis, adeóque de vino, & oleo superfundendis, de quibus loquitur Pontifex *cit. Cap. Omnis utriusque, De Pœnit. & Remiss.* repetenda, quæ dixi in hanc rem *Cas. 1. n. 22. & 24.*

Speciatim verò contra septem peccata capitalia, atque alia multa instructam apothecam reperies apud P. Joannem Busæum *in Panario*, P. Franciscum Costerum *in Libello Sodalitatis*, P. Martinum Fornarium *in Directorio sub. fin.* P. Reginaldum *in Libello de prudentia Confessarii Cap. 19.* Specialissimè autem de remediis recidivorum, atque obscœnorum dicemus *Cas. XVI. & XVII.*

Circa *quintum* caput prudentiæ Confessa- 311
rii, quod est instructio discreta pœnitentis, notandum inprimis est, si hic ignoret necessaria ad utilem perceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, esse ante absolutionem edocendum à Confessario. Inter hæc necessaria numeranda est inprimis vera, expressáque fides, esse unum verum Deum, illum Deum esse trinum in personis, hæc enim esse necessariò *necessitate medii* credenda, fert communis opinio Doctorum; observat tamen P. Lessius *in Consil. Verb. Confessarius Cas. 5.* cùm sit probabile, explicitam, & distinctam fidem Trinitatis, & Incarnationis non esse necessariam *necessitate medii*, sed *solius præcepti*, posse eos absolvi, qui ignorant hos duos articulos modò promittant, se daturos operam, ut discant primo quoque tempore.

Et P. Tannerus *Tom. 3. disp. 1. q. 7. n. 49.* providè monet, siquí adeò sint hebeti ingenio, ut nullam propriam notionem de his mysteriis formare queant, esse quoad hanc rem annumerandos fatuis, & infantibus; nec enim credibile esse, quòd Deus à quoquam exigat majorem notitiam, quàm per vim intellectûs potest consequi. Dixi: *Propriam notionem*; hallucinaris enim, si credas, te habere Divinam fidem de illa re, cujus nomen tenes, at rem non intelligis ullo prorsus modo; si enim est hoc credere, tunc etiam infantes credunt.

Deinde necessaria est cognitio doloris, pro- 312
positique, de quibus suprà, itémque finis, ob quem instituta est Confessio Sacramentalis, atque etiam cognitio necessitatis confitendi omnia mortalia, perficiendíque pœnitentiam injungendam: de quibus quidem punctis non debet anxiè solicitus esse Confessarius, nisi respectu puerorum, itémque valde rudium adultorum.

Occasione autem dictorum de fide Trinitatis observo, esse meritò veluti scandalosam damnatam à Summo Pontifice Alex. VII. doctrinam, quæ negat, hominem Christianum obligari præceptis fidei, spei, & charitatis *per se* ad eliciendos aliquando in vita actus harum virtutum.

313 Notandum deinde circa prædictam *quintam* prudentiæ hîc requisitæ partem, Confessarium videntem, suum pœnitentem laborare ignorantiâ causativâ unius, aut plurium peccatorum, seu formalium, seu duntaxat materialium, eáque, vel culpabili, vel inculpabili, teneri, per se loquendo, dedocere errorem, ut quando cognoscit, pœnitentem cogitare inire Matrimonium illegitimum ob impedimentum ignoratum culpabiliter, aut inculpabiliter à
314 pœnitente ipso. Hanc omnium doctrinam probavi, & declaravi distinctè *in Theol. Iurid. Moral. Cap. 37. n. 59.* seu *Tract. 5. Quinarii*, loquens in specie de cogitante inire Matrimonium cum impedimento, & excipiens casum, quo ex monitione timetur grave scandalum aliorum, aut ruina spiritualis pœnitentis, utpote quem prævideam nihilominus perrecturum in suo proposito, aut mala consuetudine, etsi ipsi ignoranti dicam, illum gravissimè (*materialiter*) peccare. Verè, verè debet singularissimè Confessariis vivaciter inhærere illa, in meis opusculis sæpius memorata, aurea sententia, quæ ex S. August. refertur *Cap. Si quis 2. De Pœnit. dist. 7. Si scirem, tibi non prodesse, te non monerem, nonte terrerem.* Vidè, quæ in hanc rem tradidi *in Clypeo n. 241. edit. 3.* & accipe resolutionem quæstionis *secundæ*, quam à me literis expetiit is, de quo superiùs *Cas. V. n. 248.*

315 *Quid faciet* (inquit ille) *Confessarius, si videat, pœnitentem ex invincibili ignorantia obnoxium v.g. mollitiei, cujus gravitatem edoctus ob habitum pravum vix abstinebit?* His ipsis verbis
316 proposita fuit illa quæstio, applicatáque huic peculiari vitio, cùm posset pluribus. Respondi autem ex scriptis illo *cit. Cap. 37. num. 61.* si, probè consideratis circumstantiis illius pœnitentis, omnino judicetur, nihil planè profuturam monitionem, sed cognito, à se committi grave scelus, nihilo rariùs patraturum illud, quàm fecit ignarus turpitudinis tantæ coram Deo, dissimulandam esse manifestationem veritatis. Censeo tamen, fortè nullum Confessariorum esse tam sagacem, ut prudenter judicare queat de quoquam, suam monitionem nihil planè profuturam, ad imminutionem tot peccatorum contra naturam, vix enim ullus Catholicus est tam conscelleratus, ut non saltem aliquoties, ipsis diebus Communionis, Confessionis solennissimis, abstineat hac cognitâ fœditate, non abstenturus, si ignoraret, esse dignam æternis rogis. Et verò non semel didici, esse, qui inculpabiliter ignorarent mortalem (in omni Casu) malitiam hujus flagitii, adfértque unius exemplum P. Theophil. Rayn. *in Prato Spirituali Tom. 17.* suorum operum *Casu 14.*

Quod exemplum, præmisso alio ex nostro quoque P. Tobia Lohner, verbatim descriptum exhibeo infrà *n. 553.* ubi rursus erit ex instituto sermo de hoc genus miserabilibus hominibus.

Igitur, *practicè* loquendo, non tam quæ- 317
rendum est de illo, qui planè nunquam peccatum illud omittet, ob cognitam turpitudinem, quàm de illo solo, qui vix omittet, seu *vix abstinebit*, ut loquuntur illæ literæ, id est, qui quandoque, etsi rarissimè, abstinebit, sicuti proh dolor! gemunt Confessarii, se nactos complures hujus fœdissimi, simul & fœtidissimi furfuris. De hoc quoque censeo intelligendam sententiam D. Augustini, *moraliter* enim non tam prodest, quàm obest illa monitio, quæ tantùm impediet sex, octo, decem peccata *formaliter* mortalia, causabit autem ducenta, trecenta itidem *formaliter* mortalia.

At non habebit locum illa sententia S Au- 318
gustini in eo, quem probabilissimè quidem judico esse adhuc sæpe *formaliter* peccaturum, intellectâ veritate, longè tamen id rariùs, quàm esset *materialiter* peccaturus, si relinqueretur in sua ignorantia. Undequia nescio, an quisquam Confessarius non debeat potiùs sperare hanc tam notabilem, quàm illam valde exiguam emendationem, idcirco in praxi censeo, esse communiter proponendam talibus obscœnis suam coram Deo obscœnitatem, ea etiam peculiari de causa, quòd & inveterata turpitudinis consuetudo reddat incorrigibiles, & reperire sit paucissimos, qui hoc peccatum diu patrent sine gravi remorsu conscientiæ, adeóque cum conscientia propriè dubia, an non peccent graviter; paucos quoque, qui monuti non emendent se valde notabiliter, aut pro emendatione transeant ad statum matrimoniale, Religiosúmve. Accedit, quòd ignari hujus summæ malitiæ faciliùs alios innocentes corrumpant. Porrò quibus remediis curandæ sint hæ scabiosissimæ oves, dicam *Cas. XVII* Interim ex his deduces, illum, qui invincibiliter ignorat, peccari mortaliter confirmando rem falsam, levem tamen, juramento, item illum, qui ignorat hac formulâ: *per meam animam res ita se habet*, contineri juramentum, esse, vel non esse veritatem edocendum à Confessario, prout videlicet speratur, aut desperatur magna, parva, nulla emendatio, etiam post cognitam veritatem.

At *Cajus blasphemat, identidem jurando per Sa-* 319
cramenta, ratus non esse blasphemiam? Resp. Sacramentum non est utique aliquid sacratius, quàm Deus. Sicut ergo non blasphemas dicendo in ira, & sine causa: *Deus*, ita neque si dicas tunc: Sacrament. *Quid autem consuevit dicere*: Taussent Sacrament (mille Sacramenta) *ratus non esse crimen lethale*? Resp. Licèt noster P. Adamus Burghaber in suis concinnis Centuriis *Cent. 1. Cas. 44.* rectè neget, contineri his verbis blasphemiâ, si pro-

tur sine *directa*, & *indirecta* vilipensione Dei, Sacramentorúmve, sicuti sæpissimè proferuntur, saltem sine *directa*, *practicè* tamen est solitis hæc verba proferre in ira, ut consueverunt, injiciendus scrupulus culpæ mortalis, eò quòd plerique hanc phrasin habeant pro gravi inhonoratione Dei, seu Sacramentorum, quibus jungunt millenarium numerum minimè competentem. Vide plùra *in Alphab. Quadruplin. 736.* ubi ex instituto de hac re.

320 *Sexto* loco prudens Confessarius dispicere debet, sítne absolutio tunc danda, an penitus neganda, an differenda; duo enim sunt hac in re certa, alterum controversum. *Primò* certum est, petenti absolutionem non posse *absolutè* negari, si sit capax. *Secundò* esse *absolutè* negandam, si sit incapax, ut quia non vult facere necessaria ad salutem. At quæritur, an quandoque possit differri absolutio illius, qui expetit, & verè est capax, id est, si ipsi impertiatur, dimittenturne ipsi tunc à Deo sua peccata? Resp. Autem cum communi Theologorum apud Dicastillo *Disp. 6. n. 368.* contra Joannem Sanchez *Disp 6. n. 13. affirmativè*, quia Confessarius potest quandoque prudenter credere, multùm profuturum pœnitenti identidem relabenti in idem crimen, si ipsi dicat: *Quandoquidem tot tentatis mediis parum, aut nihil profecimus, nolo jam te absolvere, sed redi ad me post sex dies, & interim certa viriliter.*

Verùm quia fortè ex centum Confessariis non est, qui utatur hoc medio emendationis, & probabilissimè plerique, qui sunt usi, usu ipso didicerunt, parum aut nihil profuisse, idcirco doctus ipse experientiâ nollem adhibere, nisi in casu perraro. Nihilominus tamen censeo, esse considerandum, an non sæpius, ac videtur plerisque, sit usurpanda instructio, quam S. Indiarum Apostolus scripto Lusitanico tradidit uni è nostris, atque à P. Petro Possino itidem nostro latinè reddita constituit partem Epistolæ *nonæ* inter novas Xaverianas *Lib. 5.* hisce verbis: *Cum sub manum venient, qui & egeant, & capaces opis sint, & alioquin vitæ statum satis habeant compositum, ut & lubeat, & curent dare operam excolendo animo, auditis eorum culpis, ipsos jube sustinere per aliquot dies comparando se ad veram detestationem peccatorum ex dolore Dei summè amabilis offensi. Hoc maximè in iis observandum, quibus inter irritamenta peccandi, & bene operandi obstacula vitam agentibus pro humana fragilitate, non tutò creditur sine pignore pollicentibus in futurum meliora. Ejusmodi sunt: qui graves inimicitias exercuère cum nondum reconciliatis adversariis: qui flagitiosi amoris commercia nondum sic abrumpunt, ut in lubrico redituræ occasionis, tuti à lapsu putentur; denique qui rem alienam detinentes reddendi moras hactenus neglexerunt. Hos omnes post Confessionem exercebis meditationibus ascéticis, ad statum ipsorum accommodatis, & sic demum, ubi satisfecisse videbuntur, absolves &c.* Et paulò pòst: *Peccata confessis cum significatione pœnitentiæ, & absolvi poscentibus ne annuas, antequam satisfactionem repræsentârint in triplici præsertim genere, odiorum, amorum, & injustæ detentionis rerum alieni juris. Iube priùs reconciliari palam cum inimicis gratiam; procul amoveant offendicula pudicitiæ: iniquè occupata dominis reponant; expleant denique, si quid aliud præverti ad securitatem expediat; nec solâ promissione defungantur; nam cum hominibus horum tractuum tam promptis, & liberalibus ad obligandam fidem, quàm ad exsolvendam tardis ac segnibus, cum arrha in manu transigendum est.* Ita S. Franciscus Xaverius, interprete, quem nominavi, & accommodatè ad ingenium Indorum, diuturnámque vitam gentium in Indiis.

Septimò, quæ pœnitentiæ sint ex Regu- 321
lis prudentiæ imponendæ, videbimus *Casu XXI.*

Octavò. Plurimùm juvat ad prudenter administrandum hoc Sacramentum, habere in recenti memoria & usu quasdam Regulas, documenta, seu aphorismos, sparsa hinc inde per libros sapientissimorum Theologorum, ad quæ se crebrò reflectat Confessarius, præsertim novitius; horum nonnulla hîc exhibeo.

I. *Aliquà Confessione auditâ, præsertim in* 322
principio, Confessarius apud se consideret, num in re aliqua deliquerit, ut postea caveat. Hoc documentum nobis reliquit in suis Constitutionibus S. Fundator noster *Part. 4. cap. 3.*

II. Cùm nullum in Evangelica Lege sit tam grave præceptum, quàm Confessionis, tantò magis pœnitentium conscientiis consulitur, quantò illud levius redditur. Sunt hæc verba Ludovici Bejæ *in responsis Part. 1. cap. 10.* intelligenda cum grano salis, ne malè sapiant, ut loquar cum Pace Jordano, alibi laudato à me, si videlicet illa levitas nitatur verâ, certâque, & non solùm apparente, vel dubiâ probabilitate, ut sæpe reflexè repeto *in Clyp. Clement. Iud.* occupante primum locum *in Quinario*, in quo tamen libello seu tractatu, *num. 49* contra Pasqualigum observo, rectiùs agere Confessarium, si nactus pœnitentem paratum sequi tutiora *juxta Cap. Ad audientiam. De homic.* dirigat illum ad amussim rigidiorum sententiarum. Eodem sensu, quo Beja, scribit P Jacobus Granadus alibi quoque à me laudatus: *Cùm ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere sit unum ex difficilioribus, quæ in lege gratiæ præcipiuntur, reddantur, quoad fieri potest, minùs difficilia, quæ ad ipsius usum, seu susceptionem spectant.*

III Hæc est Regula, qua Confessarius 323
uti debet circa pœnitentem in absolvendo, vel remittendo, in magnis, vel parvis pœnitentiis, ut spectatâ conditione pœnitentis, faciat id, quod judicat, fore

fore magis salutare. Sapientissimus P. Lessius suprà relatus *n. 264.*

IV. Caveat Confessarius facilè pronuntiare, aliquid esse mortale, quod certò nesciat. P. Polancus *in Direct. Cap. 1. Fol. 5.*

V. In dubiis quoad restitutionem, & similia onera imponenda benigniorem partem eligat Confessarius. Idem *ibidem Fol. 8.*

VI. Præsumere debet Confessarius posteriorem, priorem esse bene functum suo officio. P. Fornarius *Tract. 1. cap. 2. num. 4.* Itaque quando tibi obtingit pœnitens, qui alii jam confessus est, crede, hunc alium satisfecisse quoad examinationem numeri, & specierum restitutionis & nuntiationem, & similia alia, nisi deprehendas errâsse.

324 VII. Non contrahitur, adeóque confitenda non est malitia circumstantiæ *mutantis* speciem, nisi pœnitens, quando peccatum committebat, saltem dubitârit, an non adesset circumstantia talis, & an non contraheretur propter illam peculiare peccatum. Ita fert communior sensus Theologorum. Utere, mi bone vir, frequenter hac Regulâ, præsertim in excipiendis confessionibus rudium, & nominatim, quando malitia circumstantiæ est nota soli doctorum vulgo.

325 VIII. Quandoquidem *in Clypeo Clem. Iudicum* ostendimus, esse *moraliter* ferè certum, *per se loquendo*, licere utramlibet ex duabus opinionibus *verè*, & *practicè* probabilibus sequi, & tamen certum est etiam, quandoque, ratione variarum circumstantiarum, incumbere Confessario obligationem unâ potiùs, quàm alterâ utendi, idcirco notent Confessarii verissimam doctrinam P. Lessii, quam tradit *in præfat. sui operis de jure, & justitia*, scilicet contrariarum opinionum *practicè* probabilium cognitionem esse commodissimam, & ferè necessariam conscientiæ foro. Quare non censeo, illos Confessarios sat bene suo officio fungi posse, qui sunt, ut dici solet, tantùm unius sententiæ Doctores, qui videlicet illam nôrunt solam, quam à primo suo Professore didicerunt. Longè minùs ritè suum officium obit Professor Theologiæ moralis, qui non plerumque indicat, utrùm opinio contraria illi, quam ipse tradit, habeat aliquid probabilitatis.

IX. Quando obtingit pœnitens, quem Confessarius videt salutis suæ admodum studiosum, valdéque cupidum perfectè adimplendi, vel in omnibus rebus, vel in certis quibusdam voluntatem Divinam, communiter consultum est, ut hic cum tali procedat secundùm doctrinas tutiores; adeóque rigidiores; censetur enim ita *tacitè* velle ejusmodi pœnitens; & quidni huic optimæ, laudabilissimæque voluntati acquiescat Confessarius?

326 X. Sicuti P. Coninck *Tom. 2. De Sacram. Disp. 10. num. 71.* de pœnitentiis loquens ait: *Quandoquidem Sacramentum Pœnitentiæ est institutum in bonum pœnitentis*, idcirco Confessarium debere eas mitigare, quando expedit ad bonum spirituale ipsius, aut ad illum invitandum ad frequentiorem, & utilem Confessionem, ut addit Bonacina *De Pœnit. Disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2.* post P. Vasquez; ita etiam propter eandem omnino rationem mitigandæ sunt, aut potiùs deferendæ opiniones severæ, quando ita expedit ad salutem ejusdem pœnitentis.

Et sicut idem Coninck *num. 73.* monet, Confessarium nunquam debere talem pœnitentiam injungere, quam credat pœnitentem non esse perfecturum, ita nec Confessarius debet pœnitenti aliquam è certò probabilibus sententiis tanquam necessariò sequendam proponere, si videat, illum eam repudiaturum. Quare dubitandum non est, quin Confessarius in legem charitatis possit quandoque impingere, dum Catonianam (ut loquar ex Tullio) severitatem imitatur, insuper habitâ lenitate Cæsarianâ, ut si præfractè neget absolutionem Reo confesso, cùm impertiri posset ex opinione probabili. Adde huic Regulæ auream sententiam, quam ex S. August. descripsi suprà *n. 314.* cui tamen cum discretione adjunge alteram S. Leonis *Cap. 3. De hæret.* descriptam: *Qui alios, cùm possit, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.*

XI. Confessarius non debet esse nimiùm 327
scrupulosus in interrogando, quæ possibile est pœnitentem commisisse, sed solùm debet interrogare ea, quæ ab eo esse commissa probabiliter credit. Ita docet Melchior Canus apud Reginaldum *Lib. 2. cap. 2. num. 15.* post Angelum, approbátque ipse P. Reginaldus. Et quia Confessarius non debet facilè formare opinionem, quòd suus pœnitens hoc, aut illud scelus, cum hac, aut illa aggravante circumstantia commiserit, timeat scrupulosus in examinando pœnitente Confessarius, ne, dum nimiùm hac in re vult esse diligens, peccet peccato judicii, aut opinionis temerariæ: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Prov. 30. vers. 33.*

XII. Quando pœnitens dicit, se constan- 328
ter restitisse tentationi, attamen negligenter, & tepidè, præsumat communiter Confessarius, eum tantùm venialiter deliquisse. P. Sanchez *Lib. 1. Mor. Cap. 1. num. 15.* loquens de quavis tentatione. At speciatim de tentatione delectationis sensualis ita sentit peritissimus animorum medicus, arbitérque S. Ignatius in aureo libello Exercitiorum Spiritual, *in Exam. Conscient. Generalis*, ac scribit: *Peccat leviter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur; quasi auscultando, vel quando obiter aliquâ sensûs delectatione afficitur, vel in ea retundenda se exhibet negligentem.*

Cujus

Cujus sententiæ pars ultima, quamvis nonnemini videri posset repugnare satis communi doctrinæ Theologorum, admittentium mortalem negligentiam in supprimenda delectatione morosa, est tamen, ut jacet habenda pro verissima, tum ob Autoris præcellentem sapientiam, tum quia fuit ea quoque pars doctrinæ cum toto libello creberrimè, acerrimè, variis in provinciis examinata à censoribus, quorum nonnulli erant admodum rigidi, & tamen ab iis approbata: tum quia Ecclesia *in Lect. 4.* ejus Officii singulari encomio illum condecorat; denique, quia Paulus III. in Bulla præfixa libello Exercitiorum ita pronuntiat: *Documẽta, & Exercitia prædicta omnia & singula in eis contenta ex certa scientia nostra approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, hortantes plurimùm in Domino omnes, & singulos utriusque sexûs Christi Fideles, ut tam pijs documentis* (est verò illa pars doctrinæ utique documentum) *& exercitiis uti, & illis instrui devotè velint*, qua etiam cohortatione utitur Alexand. VII. in Brevi, quo Indulgentiâ Plenariâ donat omnes obeuntes in nostris Domibus octiduanam ascesin.

329 Nemo itaque absque temeritate dubitare potest, quin illa tota sententia sit verissima; saltem communiter, & plerumque, sicuti esse solent *moralia* documenta sapientium, ipsiusque sacræ Scripturæ, præsertim in libris, quos vocant *Sapientiales*. Est autem extra omnem planè controversiam, si intelligas illam eo sensu, quo explicat P. Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 6. de instit. Soc. c. 5. n. 13.* quòd scilicet istic sermo sit duntaxat de negligentia *subreptitia*, & antecedente plenam Judicii, & rationis animadversionem, sicut indicare videtur ipsemet Autor voculis illis: *Obiter: aliquantulum*, referendis etiam ad *tertium* membrum illius doctrinæ.

Et quidni vel judicemus, vel suspicemur, sanctissimum, ac solidæ Theologiæ adeò peritum Autorem existimâsse cum S. Thoma. S. Bonaventura, Alensi, Gersone, Angelo, Cajetano aliis permultis à P. Thoma Sanch. *loc. cit. cap. 1. num. 13.* consentiente relatis, haud delinqui mortaliter à te, licèt planè deliberatè negligas supprimere motus sensualitatis, modò absit periculum illos *positivè* approbandi? Sanè est hic obvius sensus illorum verborum, fuítque ea doctrina ætate Sancti Fundatoris vulgatissima, ut constat authoritate illorum, qui magno numero citati à Joan. Sanch. *in select. disp. 21. n. 3.* id temporis, vel antè eam tradiderunt; quidni igitur illud, & ipse verum judicârit? Certè est probabilis, & Confessariis crebrò utilis, ideóque à nobis hîc indicata; nam, ut prudenter argumentatur Palaus *Tr. 2. disp. 2. punct. 10. §. 5. num. 3.* cùm hi motus à natura proveniant, & quidem longè facillimè exurgant in plurimis hominibus, sítque impossibile, omnes coercere, aliquos difficillimum, non est credendum de Divina Bonitate, quòd salutem æternam hominum pendere voluerit à conatu illos reprimendi sæpe inutili, ferè semper, aut difficillimo, aut perquam difficili.

Unde ulteriùs deducet confessarius, letha- 330
lis noxæ non esse damnandum illum, qui per actiones ex se vel nullo modo, vel tantùm leviter turpes dat occasionem his motibus, nec statim cessat, dummodo non sit periculum consensûs Less. *Lib. 4. c. 3. n. 102.* cum multis; suadenda tamen est vitatio talium actionum, quoad commodè potest: sicut è diverso practicanda sententia negans, delectationem venereamplenè deliberatè, aut quæsitam, aut admissam posse esse venialem, ob parvitatem materiæ.

Denique postremas ex hisce duodecim Regulis huc transtuli ex altera Editione *Clypei Clem. Indic. p. 2.* in qua poterunt, & aliæ legi, omisi autem in tertia, & ista ob causam expressam in Præfatione *Quinarii*. Ex eodem transferam ad *Casum XVII.* etiam nonnullas, singulariter pro confessario obscœnorum, sicut & paulò pòst de examine numeri.

Quæritur enim, *Quæ sint observanda circa in-* 331
dustriam confessarii?

Resp. seqq. 1. Quando pœnitens est ignotus, expedit seu sub initium, seu ex occasione in decursu Confessionis quærere, cujus sit statûs, & conditionis, quæ tractet negotia, à quo tempore sit confessus, num integre, & perfectâ pœnitentiâ. Estque quæstio de tempore ultimæ Confessionis ideo singulariter facienda, quia cognito eo tempore, poterit confessarius facilè inire numerum mortalium, quæ pœnitens dicit à se hebdomadatim circiter octies, decies patrata. 2. Communiter permittendus est pœnitens sua peccata, quoad potest, etiam ruditer dicere, nisi fortè copia pœnitentium urgeat, & appareat, nil esse dicturum nisi generalem Confessionem, tunc enim poterit confessarius statim procedere ad interrogationes. 3. Si pœnitens aut nullum, aut insufficiens examen præmisit, cùm tamen probabile sit, omissurum per oblivionem unum, aut plura mortalia, potest illum remittere confessarius, ad se penitius excutiendum, imò debet communiter illum dimittere, nisi ipsemet velit in se suscipere onus examinandi, quod onus tenetur communiter suscipere, si pœnitens non habuit tempus sese examinandi, nec facilè sit meliùs se præparaturus. Probat autem Cardin. de Lugo *de pœnit. disp. 16. sect. 14. n. 593.* praxin confessariorum illorum, qui nacti pœnitentem non satis paratum, examinant illum, proponúntque speciem peccati, ab ipso quidem probabiliter admissi, at tunc non cogitati, móxque petunt numerum, scientes interim pœnitentem non posse nisi *temere* aliquem certum edicere, nisi post diligentem reflexionem, & tamen hanc non exigunt, quia licèt diu exspectarent, aut à confessionali dimitterent, est tamen tam rudi in-

genio, ut non sit reperturus exactiorem, aut veriorem, quàm tunc dixit. Et tamen sine dubio sæpe fit, ut jubeatur ex improviso pœnitens repetere multorum Annorum sacrilegas Confessiones, in quo eventu quid agendum sit, dixi *Cas. V. n. 261. & seqq.*

332 4. Quando pœnitens se debito modo examinavit, attamen confessarius *intelligit*, ut loquitur Laymann. *cap. 13. n. 10.* seu *probabiliter* credit, ut ex communi loquitur Reginald. *Lib. 2. num. 15.* ipsum ex oblivione omittere unum, aut plura peccata mortalia, tenetur quidem juxta communissimam sententiam sub mortali examinare, communiter loquendo, attamen jam ostendi *in Clypeo n.* 221. contrarium non improbabiliter sustineri ab aliis; & saltem, quando peculiaris ratio urget celerem expeditionem Confessionis, ut e. g. multitudo pœnitentium, potest omitti illa excussio. P. Laymann. *loc. cit.* ignoro autem, quis sustineat casu, quo pœnitens non se sufficienter examinavit; certè Lugo *dub. 22. num. 17.* testatur, *omnes* convenire in eo, ut tunc necessariò examinetur. Porrò in iis, quæ confessarius tenetur quemlibet pœnitentem sese de mortali peccato accusantem interrogare, est tum species, tum etiam numerus, ut jam monui suprà *Cas. V. n. 205.*

333 5. Licèt rusticani, & rudis ingenii homines dicant, quòd se probè examinârint, nihilque eis occurrat ultra id, quod ultro fassi sunt, attamen communiter sunt iis proponendæ adhuc aliquæ quæstiones circa peccata, quæ id genus homines patrare consueverunt, & tum respectu ipsorum, tum etiam aliorum multorum, oportet crebrò esse *practicè* memorem illius instructionis, quæ de confessario refertur ex S. Augustino *in cap. 1. De pœnitent. dist. 6. §. Caveat* his verbis: *Oporter, ut sciat cognoscere, quidquid debet judicare; judiciaria enim potestas hoc postulat, ut, quod debet judicare discernat. Diligens igitur inquisitor, & subtilis investigator sapienter, & quasi astutè interroget à pœnitente, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine varietatem ejus non dubitet investigare; & locum, & tempus, & cætera, quæ supra diximus exponendo eorum qualitates.* Hactenus Author Libri *de pœnit.* adscripti S. Augustino.

334 6. Vasquez *q. 93. art. 3. dub. 7.* & Lugo *disp. 22 n. 15.* non probant praxin illorum confessariorum, qui in longis etiam Confessionibus habentibus multa quærenda circa numerum, speciem, restitutionem &c. differunt omnes has quæstiones, donec pœnitens absolverit totam Confessionem, hac enim ratione fit, ut vel multa mandentur oblivioni, vel eadem molestè rursum objiciantur pœnitenti; itaque *satius est*, inquit Lugo, seu *salubrius*, & *facilius*, inquit Vasquez, ut statim interrogetur, quod & facio, quando non est periculum, ne pœnitens hisce interrogationibus turbatus obliviscatur nonnulla, vel horrore, terroréque perculsus aliqua subticeat. Et præsertim, quando pœnitens confitetur ex charta, possunt cum minori incommodo pœnitentis intermisceri interrogationes, modò breviter, & suaviter fiat. Quòd si judices expedire, ut differantur interrogationes in finem, ut esse ordinariè differendas censet Laym. *cit. cap. 13. n. 9.* egóque sæpe sequor, juvabit praxis, quam ipse adfert, ut scilicet iis peccatis mortalibus, quæ communiter ad exhomologeterium, seu confessionale adferri solent, assignentur certi digiti, qui claudantur (nemine tamen animadvertente) quando nominatur delictum iis assignatum. Vide Casum, & doctrinam allatam suprà *num.* 237.

335 7. Examen, quod juxta hactenus dicta instituit confessarius, non debet esse curiosum, adeóque non interroganda, quæ numerum *substantialem*, speciémve non variant, vel certè intra eandem speciem non valde graviter aggravant, minuúntve. Debet verò esse ordinatum, ut scilicet examinentur præcepta capitalia, quando confessarius credit, aut prudenter suspicatur, pœnitentem esse implicitum variis peccatis, ita tamen, ut proponantur tantùm illæ species peccatorum, vel quas ejusdem conditionis, ætatis, educationis homines solent committere. Tannerus *cit. q. 9. n. 90.* vel quas pœnitentem admisisse, probabilitatem, aut certitudinem habet, Tannerus *Ibid.* & Layman. *cap. 13. n. 7.* monens, pœnitentes honestos, bene institutos, aut doctos non esse interrogandos facilè, nisi de iis peccatis, peccatorúmve circumstantiis, de quibus mentionem ipsimet faciunt, non tamen satis explicantes, Cavendum quoque, ne cum nausea, & tædio 336
pœnitentis numerum peccatorum quærat, si ex dictis pœnitentis *probabiliter*, & *moraliter* æstimari possit, inquit Tannerus *num. 83.* addente Fornario *in instit. Confess Tr. 1. cap. 2.* etsi suspiceris, interdum pœnitentem non dixisse numerum peccatorum, nec ipse de hoc se accuset, relinquendum esse in bona fide; exprimente quoque Fagundez de rusticis id, quod ex eo referam *Cas. IX. n. 436.*

Monet quoque sapienter Lugo *cit. disp. 16. n. 590.* minùs exactè quærendum esse numerum, 337
& species ex illo, qui multa peccata confitetur, quàm qui pauca, alioquí foret ipsi nimis molesta confessio. Nec valet hæc consequentia: Si proponerem hanc quæstionem pœnitenti, intelligerem distinctiùs hoc peccatum, ergo teneor illam proponere. Ita Lugo. Denique Lessius *in consil. verb. Confessio Cas. VIII. num. 13.* sic loquitur: *Si confessarius est dexter, minimè scrupulosus, facilè & speciem, & numerum à pœnitentibus eliciet, saltem quantum satis est, ut ejus statum agnoscat. Sanè in praxi non vidi hac in re tantam difficultatem.* Ita Lessius satis innuens, modò status pœnitentis innotescat confessario, non esse multùm laborandum pro

pro cognoscendo præcisè numero mortalium, quando hæc cognitio nequit impetrari sine tædio, & molestia pœnitentis.

338 8. Negat quidem expressè Sanchez *de Matrim. Lib. 7. disp. 14. n. 15.* sufficere, si confessarius nitatur solis circa mortalia præsumptionibus, quando potest certitudinem habere ex pœnitente. Verùm hanc doctrinam universaliter non admitto; nam & Laymann. relatus *Cas. IV. num. 183.* tradit, confessarium posse prudenter præsumere, suum pœnitentem judicâsse de objecto, sicuti exigit objecti natura, & consequenter posse procedere ex hac præsumptione, si non suppetat ipsi peculiaris ratio dubitandi, an non hîc & nunc fallat præsumptio: Et Tannerus paulò antè relatus scribit ex communi sensu sapientum, non esse cum tædio pœnitentis exquirendum numerum mortalium, quando ex dictis pœnitentis potest *prudenter*, *moraliterque* æstimari; & mulier confitens fornicationem, præsumitur seducta, non autem seduxisse. Joan. Sanchez *in Select. d. 1. num. 14.* cùm tamen sæpe contrarium contingat: & studiosus Academicus confitens fornicationem, præsumitur non esse illigatus aut Matrimonio de præsenti, vel futuro, aut voto castitatis, nisi adsit peculiaris causa dubitandi; sicut è diverso confitens se carnaliter peccâsse cum conjugata, non interrogatur, utrùm ante copulam sciverit, esse conjugatam; subdiaconus manifestans propriam pollutionem, vel turpitudinem exercitam cum aliquo, vel aliqua, non jubetur dicere, an noverit, esse à se patratum delictum mortaliter qualificatum; sicut notum mihi à castitate Religiosum fatentem, se semel locutum turpia, præsumo locutum scurrilia, seu repugnantia honestati, non autem castitati; secùs de juvene lascivo, vel ignoto. Et quotusquisque confessarius non supponit, illum vitæ communis pœnitentem rationabiliter dubitare, qui aperit, se dubitare, utrùm hoc, aut illud peccatum mortale admiserit? Postremò Confessio redderetur reverà nimis odiosa, si non deberet esse locus præsumptioni desumptæ ex notitia priorum Confessionum, frequentiùs contingentibus, ætate, conditionéque pœnitentis. Sanè quando mihi obtingit pœnitens, quem novi horrere peccata mortalia, si talis confiteatur, se turpi cogitationi, habenti adjunctum turpem motum, negligenter restitisse bis, aut ter, præsumo, negligentiam non fuisse mortalem, nec ulteriùs interrogo; at quando novi, esse valde lubricum, præsumo de mortalitate negligentiæ sine scrupuloso examine, an illa negligentia habuerit adjunctam complacentiam in ea voluptate.

339 At *quid videtur esse respondendum ad hanc*

Quæstionem novam?

Titius confitetur, se ab ultima sua Confessione peracta tempore Paschali singulis septimanis sexies fornicatum; quæritur, an sufficienter expresserit numerum suarum fornicationum, quandoquidem tempus Paschale durat juxta morem communem Ecclesiæ quindecim dies, aut alicubi quatuor, alicubi etiam septem hebdomadas.

Respond. 1. Præsumi potest à confessario, 340
pœnitentem loqui de illo tempore Paschali, quod, & quale observatur in loco, in quo confitetur. 2. Si itaque audias in Tiroli Tirolensem ita confitentem, præsumes, illum loqui de tempore quinque, vel sex hebdomadarum, nam illic incipiunt Confessiones, & Communiones Paschales primâ Dominicâ Quadragesimæ. 3. Igitur necessariò ex tali quæres, quâ parte temporis Paschalis confessus sit; numerus quippe fornicationum hebdomadatim sexies ab initio Quadragesimæ ad Pentecosten patratarum, differt non modò *arithmeticè*, sed etiam *Ethicè*, seu *moraliter* à numero patratarum à festo Paschatis itidem ad Pentecosten; & sic confessarii judicium de pœnitente multùm variatur. 4. Idem proportio- 341
naliter dic de commorante in loco, in quo tempus Paschale clauditur duabus hebdomadis, & Titius confitetur rursum in Dominica secunda, vel tertia post Pascha. 5. Si verò inter tempus Paschale, & illam sequentem Confessionem interjecti fuêre quatuor, vel quinque menses, judico, posse supersederi inquisitione præcisè diei, quo fuit peracta Confessio Paschalis; nam licèt confessarius fallo apprehendat, factam fuisse in medio illarum duarum hebdomadarum, haud tamen formabit notabiliter aliud de statu pœnitentis judicium, quàm esset à parte rei ferendum.

Suppono autem, & pœnitentem procedere bonâ fide, & non esse ejus verborum sensum, quòd nullâ hebdomadâ sæpius, aut rariùs, quàm sexies sit fornicatus, sed quòd circiter sexies quot hebdomadis. Ego pro majore securitate etiam hîc brevissimè quærerem, ipsóne die Palmarum, an Paschatis communicârit? dicentem se non meminisse, nullo modo urgerem ad reflexionem faciendam. 342

Quæres fortè postremò, *Qua ratione possit* 343
comparari prudentia, atque industria, qua de locuti sumus?

Resp. Præter Unctionem Spiritûs Sancti, quam ferventibus precibus exposcere necessum est, juvabunt sequentia. 1. Illa reflexio super auditis Confessionibus, de qua ex nostro Sancto Fundatore Ignatio suprà *num. 322. 2.*

Col-

Colloquium unum, aut plura cum perito hujus ministerij instituendum, priusquam auspicetur quis Neomysta hoc opus tam excelsum, ut animarum errantium reductio ad ovile Christi sit opus divinissimum, teste S. Dionysio *in Lib. de Eccles. Hierarchia. 3.* Lectio non
344 perfunctoria Authorum, qui breviter, atque *practicè* tractant de hoc ministerio, ut sunt Polancus, Fornarius, Loartes, Reginaldus *Lib. 2. fori pœnit.* & in peculiari libello, quem scripsit *de prudentia Confessarii.* Filliuc. *in instructione* annexa Tractatui *septimo* ipsius quæstionum moralium; Gregorius Teretius *in Confessione, & instructione Idiotæ*, atque insigniter P. Ludovicus de Ponte *Tom. 4. de Perfectione Christiana. Tract. 5.*

345 4. Expertus, se crebriùs delinquere in hac, aut illa ratione sui muneris, instituat examen particulare, & priusquam sedeat in tribunali Sacro, formet certum propositum cavendi sibi ab illo defectu, atque eodem die semet plectendi, si contingeret 5. Primis Annis hujus Sacri ministerii caveat, ne festinanter illud obeat, sed cum mora; sic enim facilius comparatur notitia illius admirandæ œconomiæ, quam Deus partim permittit, partim operatur, exercétque in hominum conscientiis; hæc autem notitia mirificè juvat prudentiam practicam. 6. Denique materiam totius hujus septimi Casûs locupletant varia documenta à nobis tradita *in Clypeo Clement. Ind. Dec. 1. 2. & 3. Edit. 1, & 2.* item illa, quæ speciatim inferiùs dicemus de confessario puerorum, recidivorum, obscœnorum, &c.

346

Dissertationem de confessario industrio coronabit specimen ingeniosum.

Venatoris Spiritualis.

NOstri, inquam, laudatissimi P. Julii Mancinelli, in cujus vitæ prorsus Mirificæ, & primùm hoc Anno 1677. latinitate donatæ Oeniponti in Tiroli *Lib. 1. Cap. 5.* legere est ea, quæ huc transtuli. *Utebatur P. Julius alio artificii* (ad reconciliandos Deo contumaces) *genere, cui nomen dabat Venationem Spiritualem. Quos magno cum labore jam converterat homines passim pro sceleratis habitos, adhibebat ad alios cicurandos Venatoris instar, qui efferatas feras per cicures mansuefacit. Hos à se invicem separatos collocabat inter obstinatos, & ad vocem divinam surdos, qua illos percellere ad pœnitudinem satagebat; perseverantibus his contumacibus esse, monstrabat illos recens ad Confessionem proclives, & alacres, ac si nunc primùm converterentur; hos ablegabat ad Confessionem, qui nutui Iulii obsequentes cæteros exemplo, & cohortatione ad idem faciendum inducebant; & isti, Sancti Stratagematis ignari etiam à Deo sperabant misericordiam consecuturos, quam viderent consecutos majores se peccatores. Ita ingeniosus amor non solùm Dei servos facit* Piscatores, *verùm etiam* Venatores *hominum.*

Sic loquentem Italicè Patrem Jacobum Cellesium Latinè reddidit P. Simon Mair, atque occasionem dedit monendi arcanos conscientiarum Judices posse utique cæteris industriis, de quibus nobis hoc loco sermo fuit, innoxiè quandoque jungi *pios*, ut vocamus, dolos. In scholis Jure consultorum celebratur distinctio inter dolum *malum*, & *bonum*; illo abstinendum, hoc utendum esse, ubi necessitas, vel utilitas deposcit, monent; utantur & confessarii (dummodo absque mendacio verbali, aut reali) quando non suppetit alia ratio eripiendi ex Venatoris Tartarei retibus inveteratum peccatorem. Retuli *Tr. 2. num* 243. ex nostro Hermanno Hugone, pependisse semper eximio Christi pugili Patri Ambrosio Spinolæ in animarum piscatum expeditum *hamum.* Habeant & illi singulariter, qui loca, vel maritima, vel mercimoniis plena incolunt; in ejusmodi enim reperire est plurimos similes illis, quos nacti fuêre vel P. Mancinellus, vel P. Colnagus, de quo exemplum perquam notabile retuli suprà *num. 266.*

CONFESSARIUS CASUUM RESERVATORUM.

CASUS VIII.

Fruſtra Cautorum.

SUMMARIUM.

Casus singularis de excommunicatione ob violentam manuum injectionem 347.
Discutitur ille Casus. 348.
Conditiones necessariæ ad reservationem Casûs. 349.
Singulariter, ut Casus non sit frequens. 355.
Et ut non sit dubius. 356.
Quid si post absolutionem deprehendatur fuisse minimè dubium? 358.
Quid si improbabiliter judicavit confessarius, non esse reservatum? 359.
An sit probabile, requiri ad incurrendam reservationem, ut habeatur notitia reservationis? 360.
Quisnam possit reservare Casus? 362.
Papales reservantur ob solam censuram. 363.
Quos casus soleant reservare Episcopi? 364.
Quos Superiores Regulares? 366.
Quomodo Episcopus absolvat à Papalibus? 367.
Quomodo post hanc absolutionem non oporteat comparere coram Papa? Ibid.
An Episcopus absolvat, quando patet aditus ad Nuncium Pontificis? 368.

An,

An, si nequeat adire ipse Pontificem, vel Nuntium ejus, tenearis mittere literas? Ibid.
An, si nec Episcopus adiri possit, absolvat parochus à Papalibus? 369.
Et ab Episcopalibus? Ibid.
Quid nunc per se liceat Episcopo circa Papales occultos? 370.
Qui, & quomodo Episcopi Germani absolvant ab hæresi? 371.
Quomodo confessarii tempore Iubilæi? 372.
Quomodo Religiosi Mendicantes à Papalibus? 373.
Quomodo post Bullam Alexandrinam ab Episcopalibus? 374.
Consuetudo tribuit jurisdictionem etiam in reservata? 375.
Refertur singularis doctrina Arauxi de Casibus deductis ad forum externum. *378.*
An oblitus confiteri peccatum reservatum, acquirat absolutionem à reservatione? 377.
Quandonam talis absolvatur directè? 384.
Quid agendum ei, qui pressus casu reservato nequit adire Superiorem? 378.
An tunc absolutus per alium, tenebitur se postea sistere Superiori? 384.
Quid aget confessarius inferior, quando pœnitens adfert Casum reservatum? 387.
Declaratur Casu lugendo? 389.
Explicatur difficultas illius Casûs. Ibid. & seqq.
In talibus eventis sectanda omnis probabilis lenitas. Ibid.
Declaratur Casu tristi. 392.
Qui debeat se gerere Superior, quando casus reservatus defertur ad ipsum? 393.
Describuntur Casus XLIII. reservati in Diœcesi Constantiensi. 394. & seqq.
Non reservantur ii (exceptis sex) quando sunt occulti. 397.
Quandonam censeantur esse occulti? 398.
Censentur in hac Diœcesi esse tripliciter publici. 399.
Instruitur parochus, cui proponitur Casus Episcopalis re ipsâ reservatus. 400.
Elucidantur varia dubia circa eosdem Casus Constantienses. 492. & seqq.
Singulariter circa percussionem Clerici. 402. in App.
Et violationem sigilli. 402.
Et potestatem Pœnitentiarii Diœcesani. Ibid.
Et fractionem sigilli. 408.
Et celebrationem in Altari portatili post elapsum tempus triennalis facultatis. 409.
Et dissolutionem sponsalium. 411.
Et Baptizationem propriæ prolis. 413.
Et homicidium voluntarium. 415.
Et furantem res spectantes ad Confraternitatem, vel imagines Mercatoris. 417.
Et percussionem enormem parentum. 420.
Aut Clerici. 423.

347 *HIacynthus Parochus videns, primores sui pagi destinâsse eligere adituum ingra-*

tum sibi, parocho, iniquum, claves Ecclesiæ impositas mensæ concavis, in quo convenerat cum illis, accepit, & in suam peram immissis parat egredi ex illo conclavi; cingunt ergo illum rustici, sine tamen propriè dicta manuum injectione, veriti fulmen excommunicationis, at negantes, se permissuros egressum, donec redderet claves; sed cùm adhuc detrectaret porrigere, ac diceret: Ich habs in meinem Sack / trutz / daß mirs einer herauß nemme: *habeo in mea pera, velim videre utrùm quis ausurus sit eximere; unus ex præsentibus audacior cæteris eximit, nullâ tamen vi adhibitâ, quia parochus veritus tumultum noluit manibus, aut aliâ parte corporis repugnare; defertur hic casus ad tribunal Ecclesiasticum; interrogor, quid sentiam?*

Respondi, videri esse in foro *externo* incur- 348
sum casum reservatum, causam adferam *num.* 424. postquam scilicet protulero in medium omniâ, quæ constitui hoc loco notare circa casus reservatos, observato, quod omnes nôrunt, scilicet casum reservatum esse peccatum, cujus absolutio non permittitur cuivis ordinario Confessario, etiam pœnitentis, sed ea reservatur, & remanet penes Superiorem illius ordinarii confessarii. Idcirco autem casuum reservatio fuit introducta, ut subditi intelligentes, hujus, aut illius sceleris absolutionem difficulter posse obtineri, magis exin ejus gravitatem apprehendant, & fugiant; sicuti excommuni sensu Doctorum, & Ecclesiæ loquitur in suo concinno de Casibus in specie reservatis libello *Cap. 1.* Georgius Kiene.

Permultæ quæstiones de hisce Casibus reservatis moventur à Doctoribus; ego, quàm brevissimè potero, proponam & communes, & aliquas particulares, dilatis tamen nonnullis ad *Casum XX.*

Quæritur ergo I. *Quot conditiones requiran-* 349
tur ad id, ut peccatum aliquod censeatur esse re ipsa reservatum?

Resp. Sex sequentes I. Ut peccatum illud sit mortale, nam venialia, vel nequeunt, vel certè non solent reservari, cùm nemo teneatur illa confiteri. Debet autem illud peccatum esse mortale non tantùm ex objecto, sed integre, & perfectè, adeóque cum tanta advertentia ad malitiam mortalem, quanta requiritur ad merendum finè ulla excusatione infernum. Quare si percutias quidem injustè Clericum, at cum tanto impetu iræ, cum tam parva negligentia in examinando periculo, ut ille iræ motus, & negligentia te excusent, sicut sanè quandoque excusant à peccato mortali coram Divina Majestate, esto non à magno

venia-

veniali, poterit quisque unius diei presbyter tibi impertiri absolutionem.

350 II. Ut sit peccatum *externum*; etsi enim peccata merè *interna* fortè valeant reservari, est tamen concors Theologorum sententia, non accenseri reservatis, nisi procedant in actum *externum*; Causam vide apud Georg. Kiene *P. 1. c. 1.* Hinc actus indifferentes, reservati autem, si fiant malo animo, non subjacent reservationi, tametsi pessimâ intentione exerciti, nisi illa intentio foris manifestetur. Pellizarius *in Manual. Regul. Tom. 1. Tract. 6. Cap 1. sect. 1. num. 26.* post Dianam, & alios. Rursum licèt dicas in tuo animo: *Nullus est infernus*; *Fides Papistica est nihilo melior Calviniana*, hoc tamen tuum mortalissimum crimen poterit tibi tuus Parochus æquè, ac Papa, remittere; secùs, si ex animo ita loquereris; nam verba, etiam nemine audiente, sunt de se signa animi concepti.

351

352 III. Ut illud peccatum sit non modò inchoatum, sed planè perfectum, & consummatum secundùm tenorem constitutionis illud reservantis P. Palaus *Tr. 23. P. 15. §. 2. num. 2.* Bonacin. *De pœnit. quæst. 7. p. 5. §. 2.* Franciscus Coriolanus *de Casibus reserv. p. 1. sect. 1. n. 5.* ex communi. Quare ut injuria corporalis annumeretur homicidio reservato in hac nostra Constantiensi Diœcesi, non sufficit inflixisse vulnus lethale, aut præbuisse lethiferum venenum, sed requiritur, ut reipsa sit inde secuta

353 mors. Item casum adulterii, aut incestûs reservatum non incurrit exercens etiam tupissimam turpitudinem cum uxore aliena, vel consanguinea, filiâve Confessionis, ni copulam carnalem exerceat cum ea perfectione, quam describo *in primapart. Alphab. Matrim.* seu *Tract.* hujus *Volum. Nono, Cas. 16. num. 390.* Ratio hujus, & plurium aliarum resolutionum ad reservationem spectantium, generalis est, quia reservatio est res odiosa, restringit enim Episcopis, & Parochis potestatem, quæ ipsis de jure communi competeret; ergo restringenda est ad solos actus perfectos, nec extendenda ad actus, aut circumstantias non clarè comprehensas proprietate verborum. Vide tamen, quod de machinatione dicam *Casu XX. num 687.*

354 IV. Ut illud peccatum mortale sit admodum grave; foret enim res intoleranda cum Religiosis, tum vel maximè sæcularibus, si pro quolibet peccato mortali etiam externo esset eis recurrendum ad Superiorem. Quare Clemens VIII. inhibuit Regularibus, ne extra Capitula generalia, vel provincialia ullos casus sibi reservent, præter illos undecim, quos ipse expressit.

355 V. Ut ille Casus non sit valde frequens, nam aliàs pareretur nimia molestia inferioribus, & Superioribus. Hanc conditionem non solent exprimere Authores, expressit verò illam P. Paulus Laymann, in quodam M. S. ubi in dubio 3. sic loquitur: *Plures rationes mihi* occurrunt, ob quas aliquis non sine probabilitate dicere posse videatur, facultatem absolvendi à lectione librorum hæreticorum maximè in his partibus septentrionalibus sublatam non esse. *Prima* est, quòd &c. *secunda* est, quòd lectio librorum hæreticorum propter nimiam in Germania frequentiam re ipsa, & in effectu non censetur hâc receptus, & Sedi Apostolicæ specialiter reservatus casus, ita interpretante consuetudine; quia passim legunt, omnes autem legentes pro absolutione Romam mittere impossibile est, prout suprà *dubit. 2.* ratiocinatus sum circa peccatum hæresis. Ita Laymannus etiam *in Disp. de Iurisdict.* typis excusâ, referendâ infrà *n. 371. in App.* cum Wangnereck *Ibid.* describendo; quibus adde, tum id, quod *Tract. 3. num. 607.* ex eodem Laymanno retuli de Indice librorum secundæ classis non recepto in Germania, tum ea, quæ Bonagratia Habsensis omnino singulari diligentiâ collegit eam ipsam in rem *in Summula verb. Casus Reservatus n 70. & 71.* ubi *num. 73.* addit, tametsi major pars alicujus provinciæ non observet Bullam Cœnæ, vetantem lectionem librorum æreticorum, haud tamen fas esse Religiosis, & nominatim Capucinis, eos legere sine speciali facultate, eò quòd in ejusmodi Casibus attendendus non sit Regularibus, (utpote profitentibus singularem observantiam erga Sedem Apostolicam,) mos sæcularium, inter quos degunt, sed Regularium. Adde quoque, à Diana *Part. 10. Tr 2. Resolut. 1.* copiosè & doctè, à Virginio Alvisèt *in Murenul. sect. 3. cap. 15.* succinctè & nervosè, ac meritò refutari Caramuelem, ejúsque argumenta, quibus conatur evincere, lectionem librorum hæreticorum licitam esse omnibus, qui credunt, se sine periculo perversionis eos lecturos. Equidem Constitutiones Synodales Constantienses. *Part. 1. tit. 2.* & lectionem librorum hæreticorum inhibent omnibus non exhibentibus in scriptis dispensationem Pontificiam, & insuper ita sanciunt §. 4. *Parochi diligenter advertant, ne subditi sui parochiani, ex malitia, aut simplicitate, libris Haereticis, vel de haeresi suspectis, aut bonis moribus, atque pietati Christianae repugnantibus utantur. Quòd si aliquos hujusmodi libros habere & legere deprehenderint, eos cum charitate, & discretione primùm corrigant, contumaces & rebelles ab Ecclesiae ingressu & Sacramentorum participatione arceant, & si incorrigibiles existant, nobis, aut Vicario nostro referant, ut in tempore, malo, ne fortè serpat ulterius, per competentia remedia subvenire valeamus.*

APPENDICULA NOTANDA.

Nihilominus tamen P. Ludovicus Engel Professor Salisburgensis perdoctus & cautus in suo

suo Manuali Parochorum *Part. 3. cap. 2.* referens sententiam Becani scribentis, ubi Bulla Cœnæ, vel Index Librorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos, addit: *Quæ sententia præsertim in illis locis deservire potest, ubi omnia scatent hæreticis, & hæreticorum libris; ubi enim facilis est peccandi materia, non expedit tam gravem censuram dictare, ne conscientiis laqueus injiciatur, cùm lex non debeat esse valde difficilis, sed utilis secundùm patriæ consuetudinem, loci & temporis conveniens cap. 2. distinct. 4.*

Ita ille, cui facilè assentior, si loquatur de incursu censuræ duntaxat, non autem de peccati mortalis, revera enim constituti in talibus locis faciliùs pervertuntur lectione ejusmodi librorum, quam remoti ab iis, eò quòd talis lectio juncta occasioni, facilè cum hæreticis loquendi de id genus materiis, augeat periculum perversionis. Illud autem absolutè probo, quod idem Doctor paulò pòst subdit his verbis: Inter alia etiam in hoc Indice prohibentur legi etiam Biblia Sacra, vulgari idiomate sine Episcopi, aut Inquisitoris licentia, sed & hoc non esse in Germania receptum testatur Laymannus *Lib. 2. Tr. 1. cap. 15. num. 8. Et optandum foret magnopere, ut praesertim Clerici, & Doctiores diligentius in lectionem Sacrae Scripturae incumberent, ne, quod frequenter cum magno scandalo Catholicorum accidit, à quibusvis etiam plebeis haereticis confunderentur.* Ita ille, ita ego, magnopere dolens, vix ullum in qualibet Urbe esse inter Orthodoxos Laicos, qui habeat: rarissimos inter Clericos curæ animarum non addictos, qui semel in mense, vel semestri studiosè lectitet Codicem sacrum. Multi etiam Parochorum, & Capellanorum curatorum vix unquam Sacra Biblia sumunt in manus, nisi cùm est concio paranda, aut perficienda; cujus summè probrosæ desidiæ conscius ego, dum profiterer Theologiam Moralem, persæpe, & perquam seriò monebam meos auditotes, ut saltem promoti ad Presbyteratum quotidie manè unum, alterúmve caput è literis Sacris attentè, reflexéque legerent, memores illius querelæ, quam S. Joannes Chrysostomus *in Praefat. in Epistolas S. Pauli* expressit his verbis: *Doleo & molestè fero, quòd virum hunc* (Apostolum Paulum) *non omnes, sicut par est, cognoscant, verùm illum ita a nonnulli ignorant, ut ne Epistolarum quidem ejus numerum planè sciant. Hoc verò non imperitia facit, sed quòd nolint beati Viri hujus scripta assiduè in manibus habere &c.* Ubi hanc ignorantiam exprobrat non solis Clericis, sed & Laicis.

356 VI. Ut illud peccatum non sit dubium; potest autem esse dubium vel *Iuris*, quando scilicet dubitatur, sitne revera lata lex reservans hunc, aut illum casum? vel *Facti*, ut quando scitur esse lata lex, aut statutum reservativum e. g. homicidii, at dubitatur, an sit verè patratum, an plenè deliberatè, utrùm omnes adsint aliæ conditiones, quas lex reservans illud exigit? Nos contra Armillam, & alios censemus cum Sanchez *Lib. 1. Moral. cap 10.* Bonacina *loc. cit. §. 4.* Coriolano *loc. cit.* Diana *P. 4. Tr. 3. Resol. 4.* singulariter Tambur. *in Method. Confess lib. 2. cap. 1. §. 4. num. 27. & lib. 5. Iuris Divini Tract. de Casib. reserv. cap. 4. num. 7.* Alviset *de privil. Regul. sect. 3. cap. 5. §. 2. n. 67.* post Suarez, Henriquez, alios, casum non esse reservatum, sive juris, sive facti dubium intercedat; res enim tam odiosa, quàm est reservatio, nequaquam extendenda est ad casus dubios, sed ad solos claros, & perspectos. Certè in nostra Societate non reservantur nisi *manifestè mortalia*, ut liquet *ex instruct. de casibus reservatis cap. 5. fol. 49. junct. c. 6. n. 7.* Unde licèt præsumptio sit in contrarium, ut si scias, te protulisse verba planè hæretica, dubites autem verè, an animo hæretico, non censeberis incurrisse casum reservatum. Lugo *De pœnit. disp. 20. num. 18.* Diana *loc. cit.* aliique plures contra Sanchez, & alios addente Rallero *Tract. de Confessione cap. 7.* etsi Clemens VIII. Anno 1603. die 9. Januarii prohibuerit absolutionem à Casibus non solùm *clare*, sed etiam *dubiè* contentis in Bulla Cœnæ, eundem tamen Pontificem Anno 1602. die 29. Novemb. omisisse in alio Decreto, eadem de re, illa duo adverbia: *Clarè* & *dubiè*, adeóque ex aliquorum probabili opinione revocâsse prius Decretum. Et verò P. Pellizarius *Tom. 1. Tract. 6. cap. 1. num. 16.* apertè ita docet, experimentibus apud Dianam *P. 10. Tr. 14. Res. 8.* Baucio, & Campanili, Clementem postea revocâsse illud prius Decretum ad terminos juris communis. Quæ loquendi ratio confirmat nostram doctrinam de certitudine requisita ad reservationem. Sed & P. Thomas Tamburinus *De Sacramentis lib. 5. de Casibus reservatis cap. 7. §. 2. n. 61.* ita scribit: *Cessavit jam declaratio* (pro Societatis Religiosis) *R. P. Claudii de casu murmurationis reservato in dubio, atque adeò idem judicandum est deinceps de ejusmodi, quòd de aliis communiter reservatis.*

357

At, peractâ jam Confessione apud carentem potestate in reservata, clarè deprehendo, me errâsse, adeóque adfuisse planè omnes conditiones necessarias pro reservatione; *quid tunc agendum?* Resp. Sola pœnitentia; etenim absolutio non fuit data sub conditione: *Nisi postea constet, peccatum esse verè reservatum*, sed impertita dato casu, quo verè esset patratum, Rallerus *cap. 7. §. 6.* post Dicastillo *loc. cit.* & alios, éstque pro confessariis Societatis quoad dubia facti declaratum *in citata Instructione fol. 52.* Lege, si placet, Rallerum *loc. cit.* subtiliter notantem, haud valere hanc consequentiam: Quando comperis, peccatum, quod ut dubium confessus es bonâ fide, non esse dubium, sed certum, teneris postea confiteri, ut

358

certum, ergo quando comperis, eſſe certò reſervatum, debes iterum confiteri, ſi reſervatio fuit priùs dubia.

Cæterùm quando DD. negant, reſervationem exiſtere in dubio *juris*, id eſt, quando dubitatur, utrùm ſit aliqua lex lata, quæ hunc, aut illum caſum reſervet, non intelligunt dubitationem unius cujuſvis privati hominis ambigentis, an lex reſervans verè comprehendat hanc, aut illam materiam, hunc aut illum caſum; ſed intelligunt communem, aut plurium conſenſum dubitantium, vel negantium; alioqui ſequeretur, valere omnes abſolutiones caſuum reipſa reſervatorum, quas impendunt indoctiſſimi confeſſarii, quod utique repugnat Tridentino Concilio *Seſſ. 14. cap. 7.* & videri poteſt Coninck *Tom. 2. in 3. part. diſp. 8. n. 83.* & 101. cum Laymann. *Tr. 6. cap. 12. n. 2.* Ergo tunc ſolùm impedit reſervationem hîc, & nunc dubium Juris, quando viri docti planè dubitant de tali lege, aut alii contra alios probabiliter cenſent, non extare talem legem; quo caſu Cardinalis de Lugo *Diſp. 20. De pœnit. ſect. 2. num. 151.* ait, extare dubium *improprium*, & *poſitivum*, adeóque diſtinctum ab eo, quod vocat *proprium* & *negativum*. Non exprimit quidem quiſquam Doctorum, à me nominatorum, hanc obſervationem, & ne quidem ipſe P. Tamburinus, qui tamen propemodum ſolus diſertè loquitur de dubio juris quoque *Lib. 5. de Sacramentis Tract. de caſ. reſerv. cap. 4. n. 7.* at revera ratio, quam produxi, perſuadet mihi hanc notationem, quam nec puto negari à quoquam. Hinc patet, rectè fuiſſe à me Anno 1650. reſponſum ad propoſitam mihi ſcripto ſequentem.

Intactam Quæſtionem.

359 *Hermolaus vir doctus, & Religioſus incidit, dum peregrinatur, in caſum reſervatum, confitetúrque Hermiſdæ Religioſo alterius Ordinis, aſſerens, ſe poſſe abſolvi ab hoc, cùm tamen Hermolaus ne quidem confitendi alteri poteſtatem haberet à Superiore ſuo. Hermiſdas fidem habet Hermolao, tanquam viro docto, atque enuntiat formam Sacramentalem. Quæritur an validè?*

Reſpondi: Minimè, ſi Hermolaus non detexit aliud peccatum, niſi reſervatum; verè enim huc facit illud Concilii Tridentini *loc. cit.* pronuntiatum: *Extra mortis articulum Sacerdotes* (inferiores) *nihil poſſunt* (directè) *in caſibus reſervatis.* Si tamen addidit reſervato veniale aliquod, tunc fuit *directè* ab hoc, *indirectè* à reſervato abſolutus, juxta ea, quæ de hoc argumento tradit ex communiore Recentiorum Coninck *cit. num. 101.* Dixi: *veniale*; cùm enim ſupponatur, non habuiſſe poteſtatem confitendi alteri extra ſuum Ordinem, non potuit Hormiſdas eum abſolvere *directè* à mortali, ut liquet ex dicendis infrà *Caſ. XX.* at quia quivis Sacerdos poteſt quemvis abſolvere à veniali, ut vidimus *Caſ. III. num. 76.* ideo potuiſſet Hormiſdas & Hermolaum. Quem miror, in iis literis ad me datis, vocari virum doctum, cùm erraverit in tam aperto jure. Eſto enim ponamus, cum non potuiſſe ſine notabili probro omittere Sacrum, haud tamen ſequitur, potuiſſe accipere ab Hormiſda *directam* abſolutionem à reſervato (ſaltem ſine onere ſe ſiſtendi ſuo Prælato) ut clarum eſt ex verbis Tridentini primùm deſcriptis. Fortè tamen haberet quis illam abſolutionem pro *valida*, nixus authoritate P. Tamburini, qui, ut retuli ſuprà *n. 118.* contendit poſt Verricellum, etiam tunc ſubſiſtere abſolutionem impenſam ex opinione probabili falſa, quando ſolùm alicui privato apparet probabilis. Ego autem conſtanter nego, illum valorem in caſu Hermolai noſtri, quidquid ſit de hoc judicio Tamburini, probaro mihi quoque tunc, cùm verſamur circa materiam, ſeu quæſtionem clarè deciſam, aut circa dubium *facti*. Vide tamen dicenda infrà *n. 380. 384. 385.* & refutatum à nobis infra *Caſ. XX. num. 509.* P. Quintanadvennam.

Pro *ſeptima* conditione requiſita ad *actua-*360 *lem, efficacémque* reſervationem ſtatuunt apud Dianam *P. 10. Tr. 14. Reſol. 63.* Navarrus, Graſſiis, Joſephus à S. Januario, quibus addo Quintanadvennam, ſcientiam reſervationis, adeò ut Quintanadvennas *Sing. Tr. 3 ſing. 11.* rotundè ſcribat: *Ignorantia reſervationis ſive Juris, ſive facti, etiamſi ſit vincibilis, excuſat à reſervatione*; & loquitur generatim de omnibus reſervatis; habétque Diana pro ſatis probabili, & pro veriſſima, ſi reſtringatur (de quo vide de Lugo *d. 20. ſect. 2.* conſentientem) ad caſus reſervatos in pœnam delicti, ſicuti ſunt, meo judicio, ſoli habentes annexam cenſuram; de aliis non aſſentior, videns, judicium Superiorum Eccleſiaſticorum, & Regulariuu, praxínque communem repugnare. Sciunt Superiores, nôrunt ſubditi, & horum confeſſarii, ignorari à pleriſque, ſi non ab omnibus expertibus Theologiæ, reſervationem impoſitam huic aut illi peccato, & tamen tam confeſſarii, quàm Superiores procedunt perinde, ac ſi compertum haberent, fuiſſe cognitam reſervationem. Nec cenſeo, confeſſarium Re-361 gularem præſtiturum fidelitatem, quam debet ſuo Prælato, ſi nactus pœnitentem implicitum tali caſu, ignarúmque reſervationis, abſolvens ex opinione Quintanadvennæ non dicat expreſſè: *Te quidem abſolvam hac vice, ſcito autem, te impoſterum non poſſe à me abſolvi ſine expreſſa facultate Superioris.* Vide Dianam *P. 6. Tr. 6. Reſ. 42.*

Vide

Vide etiam Virginum Alviſet *in Murenulis Vermiculatis*, ſeu *de privil. Regul. ſect. 3. cap. 5. §. 2.* bene explicantem allatas conditiones, & inſuper enumerantem novem cauſas, & Caſus, ob quos *licitè*, *validéque* abſolvit à reſervatis inferior, quibus *n. 58.* addit hanc generalem cautam: *Quando ſacerdos judicat, non expedire ſaluti pœnitentis, ſi remittatur* (in Caſibus Epiſcopalibus) *ad Epiſcopum, poteſt illum abſolvere, quamvis aliàs nullo privilegio ſit munitus. Nam eo caſu cenſetur pœnitens laborare juſto impedimento, atque ideo Epiſcopus conſentire per epijkiam, ut abſolvatur, vel nolle, ut ſit reſervatum pro illo ſuum peccatum. Si quis excuſatur ab eundo Romam propter impedimentum corporale, quantò fortiùs, ſi illud reſpicit animam? Et itatenent Angelus, Abbas, Dicaſtillo, Diana, Naldus.* Ita ille. Sed certè eſt circa *licitam* praxim hujus doctrinæ, quam ita generaliter poſitam relinquo in medio, opus magnâ diſcretione.

362 Quæritur II. *Quiſnam poſſit reſervare caſus?*

Reſp. I. Spectato præcisè jure communi, poteſt quilibet ordinariâ jurisdictione in foro pœnitentiali pollens; etenim poteſt ſuum jus cum altero partiri cum reſtrictione ſibi placita. Tannerus tamen *Tom. 4. diſp. 6. q. 9. num. 79.* poſt Henriquez *Lib. 6. cap. 14. num. 2.* & alios negat contra Suarez *Tom. 4. in 3. part. diſp. 29. ſect. 1. num. 4.* Bonacin. *de Sacrament. diſp. 5. q. 7. p. 5. §. 1.* & alios, parochis competere facultatem faciendi reſpectu ſuorum cooperatorum hanc reſtrictionem, ſed illos ſolos, qui obtinent jurisdictionem utroque in foro, quales ſunt quidam exempti Abbates, & Generales Religioſorum, reſpectu ſuorum ſubditorum Religioſorum. Nolim enim ulli parocho ſuadere in his partibus ſententiam Suarii, jam enim ſat multos caſus reſervârunt ſibi Epiſcopi, cur parochus inſuper alios? Vix me adduceres, ad ſerviendum tam rigido Parocho, niſi paupertas me adigeret.

363 II. Speciatim verò reſervandi jus obtinent Summus Pontifex, & Epiſcopi, ut loquuntur tot Bullæ, tot Diplomata, & Acta Synodalia.

Eſt autem pro praxi probiſſimè notandum, *ordinariè* nullum teſte Laymanno *Lib. 5. Tr. 6. cap. 12. num. 2. abſolutè* nullum teſte Henriq. *Lib. 6. cap. 12. lit. e.* (etſi olim, ut addit in margine, alius viguerit ſtylus circa atrociſſima) peccatum reſervari à Papa (aliud eſt de Epiſcopis) niſi ratione Cenſuræ excommunicationis, vel ſuſpenſionis annexæ illi. Ac proinde cauſas omnes excuſantes ab incurſu cenſuræ, excuſare quoque ab incurſu reſervationis Pontificiæ; atqui probabiliſſimè negant plurimi, contrahi reipſa coram Deo ullam cenſuram ab ignorante etiam culpabiliter, eſſe ſub cenſura vetitum crimen illud, quod patravit. An autem hinc ſequatur, reſervari ſolam cenſuram *directè*, vide Suarez *loc. cit. ſect. 2. num. 6.* negantem cum communiore Laymanni contra Durandum, & Cajetanum. Notandum quoque, Caſus, quos Papa ſibi reſervavit, appellari Papales, quos Epiſcopus, Epiſcopales *Abſolutè*; at illi dicuntur Epiſcopales *per accidens*, qui *per ſe* ſunt quidem Papales, at poteſt abſolvere Epiſcopus in caſu neceſſitatis juxta dicenda infrà *n. 367.*

III. Solent Epiſcopi communiter reſerva- 364
re ſeptem, vel octo crimina, ut notant Tannerus *num. 81.* Laymann. *Lib. 5. Tract. 6. c. 12.* & alii: Scilicet homicidium voluntarium, etiam occultum, crimen incendiarii domûs, aut frugum, ſacrilegium, quando ſcilicet locus ſacer ſanguine, ſemine, aut furto violatur; perjurium in judicio, itémque dictum falſum, teſtimonium, falſificatio literarum, ſortilegium; ſive magiæ exercitium, ut explicat Laymannus, ſeu divinatio, ut placet Tannero, adulterium, blaſphemia, & reliqua enormia ſcelera, ob quæ olim imponebatur pœnitentia publica.

Quia verò neque hæc omnia, neque hæc 365
ſola reſervantur in quavis Diœceſi, idcircò cùm te accingis ad excipiendas in hac, aut illa Diœceſi Confeſſiones, ſciſcitare, quænam peccata ſint illic reſervata. Equidem in hac Conſtantienſi *Part. 1 Tit. 11. num. 16.* Conſtitutionum Synodalium exprimuntur 43. *Caſus* reſervati partim Clericorum, partim Laicorum. *Satin multi?*

IV. Ex Decreto Clementis VIII. non li- 366
cet Superioribus Regularibus reſervare abſque facultate Capituli Generalis, aut Provincialis plures, quàm XI. Caſus relatos à Tannero *n. 80.* Laymanno *n. 6.* Kiene *l. c. Part. 3. in princ.* breviter explicante ſingulos per diverſa capita. Vide infrà *Caſ. XX. n. 670. & ſeqq.*

Quæritur III. *Quinam polleant poteſtate abſolvendi à reſervatis?* 367

Reſp. I. Tum omnis, qui reſervavit, tum hujus Superior, aut ſucceſſor, tum in articulo mortis quilibet charactere Sacerdotali munitus, juxta dicta *Caſ. III.* tum omnis præditus poteſtate delegatâ ſibi à reſervante, adeóque in primis Epiſcopi in Caſus Papales incurſos à valetudinariis, pauperibus, delicatis, mulieribus, impuberibus, & univerſim, quando nequit ſine magna difficultate adiri Pontifex, ita tamen, ut ſublato impedimento, pœnitens ſe ſiſtat Pontifici. *Cap. Mulieres.* & *Cap. Quamvis. De ſent. excommun.* ut explicat Suarez *Diſp. 30. Sect. 3.* teſtante Dicaſtillo *De Pœnit. diſp. 11. dub. 16. n. 265.* doctrinam horum Capitulorum extendi à pleriſque DD. ad omnes excommunicationes reſervatas Papæ, atque adeò ad contentas in Bulla Cœnæ, & exprimente Lugone *Diſp. 15. ſect. 6. num. 128.* illam com-

paritionem (cujus tamen necessitatem negat Diana,& alii *P.9.Tr.7. Resol.9.* legendus) coram Papa fieri solùm ad accipiendam pœnitentiam, & satisfaciendum Sedi Apostolicæ, non autem ad iterum confitendum Sacramentaliter. Idque potest Episcopus confirmatus, esto necdum sacerdotio insignitus. Rallerus *De pœnit.cap. 7. num. 22.* & licèt adsit Nuntius Apostolicus,testibus Avilâ *De cens.Part.2. cap. 7.dub.6.*Henriquez *Lib.6.c.9.*Dianâ *Part.9.Tr. 7.cit.Resol.9.*itemThom.Tamb. *De Sacram. Lib. 5.c. 12.§.2.* & aliis contra Lugonem *Disp. 20.*
368 *num. 221.* Dicastillum *loc. cit.num. 366.* atque alios plures, quibus adhærebis rutiùs, quàm aliis, addente tum generatim Texedâ apud Dianam *Part.10.Tr. 14. Resol.4.* quemvis præditum potestate in casus reservatos, pollere eâdem in censuras reservatas,tum Patre Emmanuele Sa *verb. Absolutio n.21.*si casus sit quidem reservatus in Diœcesi pœnitentis,at non in tua, posse à te donari absolutione; tum Dicastillo contra Tamburinum *Ibid.* Dianam *cit. Res.9.* & Boss. apud eundem, si nec Nuntius adiri queat, possit autem alius privilegiatus, hunc esse præferendum Episcopo; at deficiente tam Legato Pontificis, quàm privilegiato, si impedimentum sit perpetuum, ut e.g. perpetua paupertas, posse Episcopum etiam in casu hæresis (hunc Casum non admittit Diana *P.12.Tr. de Conclavi Resol.25.* saltem in Italia) absolvere eo modo, quo in articulo mortis defendit Dicastillo *num. 268.* contra Suarez, & Sanch. subdens meritò *num. 270.* cum Tamburino, Diana *cit. Resol.2.* Avendanno *in Thesauro Indico Tom.2.in Add.n.27.*& aliis pluribus contra Bonac. & alios, si nequeas in propria persona adire Pontificem, vel ejus Legatum, haud teneri remittere nuncium, aut literas ad illos, aut vocare ad te 5 quam doctrinam fui jam secutus suprà *Cas. III. n. 135.* post Rallerum, & alios ibi nominatos.

At *irretitus casu Papalis quidem Episcopum adire potest,& tamen urget necessitas prædicta.*

369 Resp. Ergo juxta Suarez, Palaum, Tannerum *d. 6.q. 10.dub.6* & alios relatos à Diana *cit.Tr.7.Resol.10.* cum Tamburino *loc. cit.n.36.* (enumerante *num.38.*decem Casus contra Vasquez, Bonacinam)adeat parochum, seu alium habentem potestatem in ejus alia peccata mortalia: poterit enim ab hoc æquè,ac ab Episcopo obtinere beneficium absolutionis. Quam doctrinam idem Palaus loquens de *directa* absolutione *Tr.23. P.v.§.4.n.4.* cum pluribus contra Vasquez extendit etiam ad parochum respectu casuum Episcopalium,si nequeat adiri Episcopus, ejusve Vicarius, & urgeat necessitas communicandi, sacrificandi, diu alioquin carendi absolutione. Vide infrà.*n.384.*

370 Adhæc stante Decreto Concil. Trid.*Sess.24. c.6. de Ref.* possunt Episcopi per se, vel per alium à se deputatum absolvere ab omnibus casibus reservatis Pontifici, quando sunt occulti, exceptâ hæresi, à qua etiam occulta nequeunt nisi per se immediatè absolvere. Quæ potestas utrùm hac etiam ætate locum habeat in casibus Cœnæ Domini, & in hæresi etiam occulta, decernere non vult Dicastillo *num.* 107. propter quoddam Decretum Inquisitionis, quo tamen non obstante, habet Rallerus *De pœnit. c.7. num.20. & 21. affirmativam* pro probabili. Sed ita judicavit ante Decretum Congregationis Anni 1665. quod anathemate percellit tradentes hoc pronunciatum: *Sententia asserens,Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis,& aliorum criminum,quando publica sunt,& non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Iulii in Consistorio S. Congregat. Eminent. Cardinalium, visa & tolerata est.* Quam tamen derogationem fuisse non temerarie, etsi à parte rei malè negatam à tam multis, disces vel ex responso

Sancti recèns Canonizati.

Videlicet S. Francisci Salesii, cui cùm Romæ fuissent in Examine Episcoporum propositæ triginta quinque quæstiones ex universa Theologia, utpote tunc designato Coadjutori Episcopi Genevensis, ipséque Summus Pontifex Clemens VIII. primam proposuisset, & insuper hanc postremam: Possèntne Episcopi ab hæresi absolvere? *Eruditissimus hic Candidatus respondit*: Possunt ex Tridentino Concilio. *Cùm autem Pontifex subjecisset: Non esse hanc suam mentem, antiquatum enim fuisse illum articulum recèns.* Quandoquidem, *inquit observantissimus filius Ecclesiæ*, non est mens Vestræ Sanctitatis, à me discedo, prorsus Pontificiæ acquiesco. Ita loquitur in versione vitæ hujus Sanctissimi Antistitis P. Franciscus Creuxius *P.3.c.7.*

371 Occasione hujus memoro, fuisse me literis à quodam Prælato Religioso datis Octobri Anni 1665.rogatum, ut sibi scriberem, quæ mihi constarent de praxi Episcoporum nostratium circa absolutionem ab hæresi publica.Respondi, Reverendissimos, & Illustrissimos Constantienses Præsules non solere tales absolvere sine expresso Privilegio ad quinquennium, & ad Octodecim Commissarios, seu subdelegatos, hócque completo peti confirmationem, vel ampliationem; Item modernum Serenissimum, & Reverendissimum Episcopum Frisinganum potiri etiam Privilegio expresso, & sine restrictione ad numerum Annorum. Postea comperi, Illustrissimos Augusta-

gustanos, Eichstadienses, Ratisbonenses, Lausannenses, Herbipolenses, Monasterienses, Moguntinos (quorũ postremus Anno 1673.solùm pro foro *interno* accepit Româ potestatem, ut mihi Moguntiâ nunciatum à Veterano Theologo) planè diversimodè hìc procedere ob diversam potestatem, limitatam scilicet respectu plerorúmque ex his Episcopis, illimitatam respectu aliorum.

APPENDIX I. NOVI CANONISTÆ.

a SEd placet ad longum referre ea, quæ P. Henricus Wangnereck Commentario Exegetico in omnes Decretales, luci dato Dilingæ Anno 1672.quo cœpi adornare præcedentem emendatam, lucupletatámque Editionem *Lib. 1.Tit.28. De off.Vicar in cap. Licèt in 6.* scribit hanc in rem.

b Circa crimen hæresis, inquit, certum est, »si lapsi in hæresin pœnitentes sint, & hæresin »abjurârint (*in foro judiciali, ut notat Laymannus mox citandus*) ab excommunicatione Pa»pali in foro *externo* per Episcopum absolvi »posse juxta Archidiac. & Francum *in cap. Ut »officium de hæretic. in 6.*Idque potiori jure dici »debet. De Episcopis Germaniæ,ubi inquisito»res hæreticæ pravitatis alii non sunt, atque a»deò in locum, & officium illorum succederet, »veluti delegati sedis Apostolicæ. Sublatâ »autem excommunicatione in foro *externo* »absolutus mitti potest ad quemvis sacerdo»tem, ut in foro *interno* à peccato hæresis ab»solvatur.

c » Certum est 2. Antequam hæreticus pœni»tuerit,& hæresin abjurârit, ut ab excommuni»catione in foro *externo* absolutus sit, si rectà »veniat ad Episcopum, vel ejus Vicarium, in »foro pœnitentiæ ab iis absolvi non posse,juxta »Laymannum *in Concluss. Canonic.*) de jurisdi»ctione) *c.4.n.74.*

d » 3. Dubium est, utrùm facultas Episcopis »à Concil Trid. concessa ab hæresi occulta, & »aliis Bullæ casibus per posteriorum Pontifi»cum Decreta sublata sit, ut videre est apud »Rodriquez *Tom.1.qq.Regul.q.20.art.4.* Suarez »*de censuris disput.21.sect. 3. num. 15.* Quod »ad Episcopos Germaniæ attinet, rectè memi»nisse jubet Laymannus *loc.cit. n.73.*doctrinæ, »quam Doctores uno ore non solùm æquam, »verùm etiam necessariam tradunt, casus Pa»pales, ob nimiam frequentiam, vel impedi»mentum adeundi Papam, fieri Episcopales; »quod vel maximè locum habet inter hæreti»cos in Germania, imò & in aliis casibus, ut »confidenter existimem, cum eodem Layman»no, securitatis potiùs,quàm necessitatis, si E»piscopi Germaniæ potestatem absolvendi hæ»reticos,quantumvis notorios à Pontifice spe»cialiter petant, quod probari potest *ex cap.1.* »*De temp.ordinat.* ubi Pontifex prohibet,ne E»piscopi Italiæ aliquem ultramontanum ordinent sine licentia Papæ, id solùm restringit ad »Episcopos Italiæ, & Suarez *De legib. lib.6.* »*cap.3.n.21.* negat, extendi posse ad Episco»pos Germaniæ, etsi videatur ratio similis, & »idem periculum, addítque, eam doctrinam »facilè applicari posse ad alia exempla, nam in »præceptis Ecclesiæ multa reperiri posse simi»lia, inter quæ sunt posteriora decreta Pontifi»cum, quibus videtur tolli potestas absolven»di ab hæresi occulta,concessa Episcopis à Tri»dentino *Sess.24.cap 6. de Reform.* ubi & ab a»liis casibus Bullæ Cœnæ, præsertim in Bulla »Cœnæ Gregor. XV. talia videlicet non exten»di ad Germanos, sed ejusmodi casus Papales, »propter multitudinẽ. & difficultatem adeun»di Pontificem fieri Episcopales, juxta com»munem DD. Urbanus verò VIII. articulum »de potestate ablata Episcopis mox omisit, a»deòque cum Gregorio exspiravit.

Hactenus neotericus ille Canonista, è e Theologica exedra ad Canonicam evectus, atque pro doctrinis *lit. c.* & *d.* descriptis rectè allegans Laymannum, quod verò subdit postremo versu sui discursûs, de exspiratione articuli, concernentis ablationem potestatis concessæ à Trident. Episcopis, non videtur mihi ita generatim dictum satis consentire cum interdicto Alexandri VII. de quo suprà *num. 370.*

II. Tempore Jubilæi extraordinarii, seu 372 extra Annum Sanctum impertiri consuevit cuilibet approbato Sacerdoti potestas absolvendi quemlibet à quibuscunque peccatis, & censuris etiam Sedi Apostolicæ reservatis, ut latè explico *in Tract. de Jubilæo Quintuplici*, edisserens omnes clausulas Bullarum Jubilæarum, id petentium. Qui Tractatus obtinet tertium locum *in Quinario.*

III. Singulariter verò delegatâ à Pontifi- 373 cibus, amplissimáque absolvendi facultate gaudent Religiosi Ordines Mendicantium, respectu omnium, extra Bullam Cœnæ, Casuum Pontificiorum, respectúque omnium personarum sæcularium, nam de Religiosis esse aliam rationem, ostendam infrà *Cas. XX.* Etsi autem Bullæ, quibus varii Pontifices concessêre illam potestatem, constent tam amplis, pinguibúsque clausulis, ut nullius imprudentiæ argui possint gravissimi, piissimi, Sedis Apostolicæ Reverendissimi Doctores, qui abhinc 20.30.60. Annos scripsêre, eandem potestatem extendi (extra Italiam) ad casus quoque Episcopales, postea tamen partim prodiêre, partim primùm innotuêre authenticè tam multæ Bullæ, & Declarationes in favorem Dominorum Episcoporum adversùs Mendicantes conscriptæ, ut iis expensis, Alexander VII. inter illas 28. propositiones, de quibus suprà *num.47.* etiam hanc velut *scandalosam* prohibuerit sub excommunicatione: *Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis,non obtentâ ad id Episcoporum facultate:*

te; quam censuram *in actu exercito* confirmavit Clemens X. in Constitutione : *Superna.* Censentur autem Episcopi concedere hanc facultatem, quando nôrunt, vigere apud Religiosos (sicuti re verâ verissimâ viget in Germania,) morem absolvendi à talibus casibus, & tamen non contradicunt, sicuti suprà *Cas. II. num. 65.* dixi de audiente Confessiones ex *tacita* approbatione Episcopi, & *Cas. III. num. 85.* ex *tacita* facultate Parochi.

374 Adde, quòd consuetudo possit ampliare, imò tribuere jurisdictionem *cap. Duo simul. de offic. ord. junct. Gloss.* Navarr. *in Manual. c. 27. n. 255.* loquens in specie de casibus reservatis. Plura de Regularibus dicam infrà *Cas. XX.* quibus junge dicta suprà *Cas. III. n. 85. & seqq.* Priùs tamen hîc notato; si quis casus Episcopalis habet excommunicationem ab homine latam speciatim, & Reus nondum satisfecit parti læsæ, absolvendum non esse Suar. *Tom.*
375 *5. in 3. p. disp. 7. sect. 5.* Adde quoque singularem doctrinam, quam exhibet Ftanc. de Arauxo *De Ecclesiastico Statu Tr. 3. q. 31. cas. 6. n.* 27. quòd videlicet censuræ, & irregularitates, quarum absolutio, & dispensatio inhibetur Episcopo à Conc. Trid. *Sess. 24. c. 6.* tunc, cùm sunt deductæ ad forum *externum*, possint tolli per Episcopum, si fuerunt quidem deductæ ad forum *externum*, at non probatæ intra terminum à jure præscriptum, eò quòd manere occultum, nec esse deductum ad forum contentiosum sit idem, quod esse quidem deductum, at non esse probatum. Quam doctrinam non solùm applicat hic Doctor casui, qui contigit, sed insuper addit, quando Episcopus, seu Papa citavit partem ream excommunicationis reservatæ, & convictæ pœnam indixit acceptatam ab ipsa parte, ejusmodi excommunicationem desinere post hanc acceptationem esse reservatam, atque ita de facto praticari Salmanticæ, ubi Vicarius, seu Officialis Capituli, Sede vacante, absolvit ab excommunicatione, quam incurrerant per egressum è Monasterio Moniales, & pro quo condemnatæ ad pœnam, acceptaverant hanc. Quia tamen dispensatio in irregularitate ex homicidio voluntario (aliud censet de Casuali) est omnino specialiter reservata Sedi Apostolicæ per Decretum Tridentinum *Sess. 24. c. 6.* ideo nequit in ea dispensare Episcopus, non modò lite pendente, sed neque finitâ per pœnæ acceptationem. Ita hic Doctor, cui facilè assentior, quoad hoc punctum irregularitatis; at, quoad censuras reservatas committo Lectoris judicio, veritus, ne ea doctrina adversetur communi sensui, & praxi Germanicæ.

***

APPENDIX II.

Dicta *Num. præced.* de Casibus Episcopalibus aliquantum illustro responso ad hasce literas.

UTomne trinum sit perfectum, velim, à Rev. V. aliquam annotationem addi in Alph. confessuriorum. Cas. 8. n. 375. circa Constitutionem Alexandri VII. negantem Mendicantibus facultatem absolvendi à Casibus Episcopo reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate; utrùm illa Constitutio intelligenda sit prohibere solùm absolutionem directam, *non verò* indirectam, *qualis esset, si pœnitens habens casum Episcopalem, existeret in necessitate communicandi, in qua non haberet copiam confessarii, habentis potestatem in casus Episcopales.*

Ita ad me die 26. Julii Anno 1668. quidam 376
Theologiæ Moralis Professor, idcirco utens illo vulgari Acroamate, quòd hæc quæstio sit *tertia* inter eas, quæ comprehenduntur iisdem literis, ac pertinentes ad alios Tractatus.

Respondi autem in hunc modum : Non caret specie veri, quòd Alexander loquatur solùm de *directa* absolutione, idcirco quòd videatur, quoad potest, vitanda correctio tot eruditissimorum, adde, & pijssimorum virorum, qui nixi valde emphaticâ clausulâ Bullarum Pontificiarum, docuerunt, competere Mendicantibus illam potestatem; re tamen verâ dicendum est, Alexandrum sustulisse etiam illam *indirectam*, de qua movetur quæstio; ita inquam sustulisse, quatenus extenditur ad vim tollendi necessitatem recurrendi post Communionem e. g. ad Episcopum, aut ejus Vicarium, quandoquidem generalis regula est, quòd, quando extra mortis periculum inferior ab Episcopalibus absolvit propter difficultatem conveniendi Superiorem, taliter absolutus debeat se postmodum præsentare per se, vel per alium Episcopo, aut ejus Vicario *directè* absolvendum. Laymannus *Theo. log. Moral. Lib. 5 Tract. 6. cap. 13. num. 6.* post Suarez, loquens in specie de reservatis Episcopo. Vide tamen dicenda inferiùs hoc ipso *Casu VIII. n. 389.*

IV. Quivis prædictus potestate in mortalia advenæ, vel peregrini, potest eum absolvere à reservatis in sola patria peregrini, quia confessarius judicat juxta leges sui, non autem alieni domicilii. Lugo *Disp. 20. n. 69.* cum multis contra multos, non audiendos propter Bullam Clement. X. incipientem: *Superna.*

Quæritur IV. *An qui confessus est habenti po-* 377
testatem absolvendi à reservatis, oblitus tamen est aperire peccatum reservatum, censeatur nihilominus esse consecutus relaxationem, ita ut, quando illud peccatum redibit in memoriam, possit remitti à quovis, qui in reliqua ipsius mortalia potestatem habet?

Resp.

Resp. *affirmativè* cum communiore doctrina apud Lugonem *Disp. 20. num. 85.* eò quòd Confessarii Privilegiati, aut tempore Jubilæi, quando proferunt formam absolutionis, dicant *expressè*, vel *implicitè* : *Absolvo te, in quantum possum*, &c. atqui potest Confessarius ita absolvere, ut si velit, tollat reservationem etiam obliti peccati, quam doctrinam porrigit Lugo *n. 106.* ad invalidam, imò nonnulli contra Lugonem, Comitolum, & alios ad casum, quo illa Confessio fuit sacrilega; sed contrarium tene, & vide Dicastillum *Disp. 11. dub. 8.*

378 Quæritur V. *Quid agendum ei, qui casu reservato pressus nequit adire Superiorem, & tamen necessitas confitendi urget, quia e. g. debet facere Sacrum?*

Resp. I. Probabile quidem est, talem non obligari facere ullam Confessionem, nisi soli Deo cum vera contritione, oppositum tamen, quòd scilicet debeat confiteri alicui inferiori, habenti potestatem in alia ejus peccata lethalia, est multò probabilius, propter præceptum Christi de Confessione mortalium præmittenda Communioni.

379 II. Posito, quòd præmittas Confessionem apud talem Confessarium, vero quidem similius est, esse cum non reservatis mortalibus aperienda etiam reservata, eò quòd in hoc casu non appareat ratio sufficiens ad dimidiandam Confessionem, opposita tamen est etiam probabilis, eò quòd nemo sit obligandus ad confitendum bis idem peccatum. Quæ ratio, & opi-
380 nio vera est in sententia illorum solorum, qui cum Tannero paulò pòst referendo ajunt, in similibus eventibus pœnitentem absolvi solùm *indirectè*, & cum onere se sistendi Superiori, pro *directa* Sacramentali absolutione, non autem in illorum, qui cum Marchantio, Diana, Palao mox citandis ajunt, onus sistendi se Superiori non esse impositum ad percipiendam ab ipso absolutionem Sacramentalem sed solùm ad accipiendam directionem, medicinam spiritualem, &c. Sed limitationem vide *Cas. XX. n. 692.*

381 III. Si inquinatus casu reservato habeat animam immunem ab aliis mortalibus, debebit necessariò manifestationi reservati addere manifestationem alicujus venialis, alioqui non aderit materia idonea *directæ* absolutioni, usus tamen Ecclesiæ non permittit, ut in tali casu confitearis simplici sacerdoti, seu illi, qui nequit te absolvere ab ullo mortali. Palaus *Tract. 23. punct. 15. §. 7.* contra Dicast. *citat. Disp. 11. n. 308.*

382 IV. Non sola necessitas Confessionis, aut Communionis, seu Sacrificii præbet justam causam ita confitendi, & obtinendi absolutionem, sed etiam casus, quo alioquin oporteret diu carere Confessione, & Communione. Marchant. Diana, Palaus *locis citatis, & citan-*
dis. Adeò ut Hurtadus apud Dian. *Part. 5. Tract. 13. Res. 8.* non ausit resolvere, utrùm spatium unius noctis sit in hac materia habendum pro diuturno, necne. Meritò tamen id negat Diana *loc. cit.* quidquid ingeniosè contra illum promat Caramuel *in Theol. fundam. n. 1301.*

V. Licèt verosimilius sit, doctrinas præce- 383
dentes non habere ita generaliter locum, quando casus non modò est reservatus, sed insuper habet adjunctam excommunicationem reservatam, eò quòd videatur, Confessionem non esse, nisi in solo casu extremæ necessitatis, faciendam inferiori; oppositum tamen non est planè improbabile.

VI. Quid agendum sit Confessario inferiori, quando pœnitens non vult, cùm posset adire Superiorem, aperiam *Cas. XX.*

VII. Tametsi P. Tannerus *Tom. 4. disp. 6.* 384
quæst. 7. dub. 4. referens pro omnibus responsionibus traditis varios autores, & rationes absolutè scribat *num. 74.* pœnitentem in casibus à nobis indicatis absolutum, habere onus, & obligationem se sistendi Superiori, & quidem, quàm primùm potest, *directè absolvendum* à reservatis, attamen Marchantius *in Tribunali Sacrament.* approbatus à Diana *Part. 9. Tract. 7. Res. 11.* & rursum *Part. 11. Tract. 8. Res. 40.* plures referente, Palaus *Tract. 23. punct. 15. §. 4. num. 3.* atque Pasqualigus *in Observationibus in Lauretum de Franchis Part. 1. num. 1456.* citans etiam Palaum tradunt, quando non patet aditus ad Superiorem reservantem, vel ejus delegatum, aut non nisi cum gravi difficultate, longa mora, aut detrimento, posse ab inferiori absolvi *directè* à reservatis, cum onere tamen comparendi, cessantibus impedimentis, coram Superiore, aut ejus delegato; loquuntúrque Marchant. & Diana generatim de casibus cuicunque Superiori reservatis, Palaus de solis reservatis Papæ, aut Episcopo. Hanc 385
eandem sententiam loquens etiam de Superioribus generatim habet pro probabili Dicastill. *Disp. 11. dub. 16. num. 306. & seqq.* tradens, esse probabile, quòd quando sine magno probro nequit omitti Communio, nec convenire Superior, casus ille desinat esse reservatus, ita ut ab illo *directè* absolvat inferior, attamen cum onere sistendi se Superiori, ut addit *num. 309.* non quidem ad rursum confitendum, sed ad alios honestos fines. Hoc certum est ex Decreto Clem. VIII. pro Regularibus, quòd Prælati Regulares teneantur quandoque in particularibus casibus permittere Ordinariis Confessariis, ut absolvant *directè* à reservatis, non tamen semper. Vide de nostra Societate infrà *Cas. XX. n. 688.*

VIII. Supponunt omnes Doctores, posse 386
à Superioribus tradi inferioribus Confessariis potestatem absolvendi à reservatis, ita tamen, ut absolutus teneatur, & quidem sub mortali

comparere coram Superiore vel per se, vel per Confessarium, saltem ut ei explicet animæ statum, accipiátque ab illo remedium. Hanc doctrinam fusissimè explicant, probántque Lugo *Disp. 15. Sect. 6. §. 3* & Dicastillo *cit. Disp. 11. dub 13.* ubi etiam nominatim hoc tradunt, & probant de Religiosis Societatis; qua de re nos infrà *Cas. XX.*

387 Quæritur VI. *Quid Confessario faciendum, quando casus reservatus, à quo nequit* directè *absolvere, proponitur ipsi solvendus?*

Resp. I. Si verè dubitet, an casus sit reservatus, absolvat juxta dicta suprà *n. 356.* secùs, si dubitet, an ipse habeat potestatem in peccata, quæ novit esse reservata, nisi fortè sciat, se antè habuisse, sed dubitet, an exciderit illâ. Etenim tunc propriè locum habet Axioma de meliore, in dubio, conditione possidentis, & quòd mutatio non sit supponenda, sed probanda; quod Axioma de meliore conditione possidentis ego ex instituto, & fusè declaravi suprà *Tract 4. n. 305.* ob novam quamdam illius impugnationem. Quòd si absolvat, falsò ratus non esse reservatum, non remittetur. Tamb. *De Sacram. Lib. 2. cap. 12. §. 3.*

388 II. Si novit, peccatum esse reservatum, séque carere potestate in reservata, tametsi, *per se loquendo*, deberet illum dimittere absque absolutione ulla, ut fert communis sensus, potest tamen communiter illi impertiri absolutionem, sicut tradit cum aliis Laymannus *Lib. 5. Tract. 6. cap 11. n. 13.* loquens, ut & ego, de pœnitente, putante se posse à tali Sacerdote absolvi, & declaro hoc

Casu Lugendo.

389 *Hirtacus reus homicidii occulti confitetur illud Sacerdoti expósito in loco peregrinationibus celébri: At hic destitutus potestate in tale crimen, ignarus quoque, se immemor hujus nostræ doctrinæ dimittit dolens summè tristem sine absolutione, dicens, se carere potestate absolvendi; iret ergo ad aliquem P. Capucinum, aut Reformatum &c. quid pronuntiandum de hoc facto?*

De hoc, inquam, facto, quod narravit mihi, qui ita egit cum Hirtaco. Factum probâsset (posito, quòd illi Religiosi essent prædicti in Casus Episcopales potestate) Vasq. quem refero *loc. cit.* ego improbavi nixus authoritate, & rationibus ibidem adductis. Ergo debebat dicere: Mi bone vir, summè dóleo, quòd nequeam te aliter absolvere, quàm cum onere, ut vel hoc peccatum rursum confitearis alicui P. Capucino, Franciscano, Dominicano, Augustiniano, aut Jesuitæ, vel (quod certius) te conferas Constantiam ad aliquem Jesuitam (Pœnitentiarium) cujus nomen dabo tibi scriptum, vel certè ad me redeas intra tantum, aut tantum temporis, donec ego Constantiâ accipiam ab Ecclesiastico Superiore meo potestatem te integre exsolvendi, ita tamen, ut nullus mortalium sit quidquam suspicaturus de te; vel denique accedas D. Parochum, aut Decanum N prædictum majore potestate, quàm ego. Frustra fuisset directus *immediatè* ad D. Vicarium Generalem; nec enim nostri Germani possunt facilè talibus Dominis confiteri sine manifesto periculo alicujus notæ, seu infamiæ.

Quid *si verò prævidisset ille Confessarius, Hirtacum nullo modo acquieturum verbis Confessarii?* 390

Resp. Si recusaturus erat ex pertinacia culpabili hanc monitionem, non poterat absolvi, utpote indispositus: si ex inculpabili, quòd Hirtacus non posset (ob tenuitatem judicii e. g.) sibi persuadere, Sacerdotem expositum in loco, ad quem fit tantus affluxus, ad exonerandas conscientias carere potestate, tum non video, cur generalis doctrina de absolvendo pœnitente, laborante ignorantiâ invincibili tradita suprà *num. 316.* non potuerit etiam hîc locum habere? Cur etiam non illa, quòd ignorans peccatum, quod admittit, esse reservatum, non incurrat? Suprà *num. 360.* Cur non illa, quòd, qui nequit accedere Papam, vel Episcopum (posito quòd Hirtacus nequiverit venire Constantiam) non teneatur mittere nuntium, vel accedere delegatum? Suprà *num. 368.* Denique si nequivit omittere Communionem sine nota, vel non venire Constantiam nisi post duos, trésve menses, poterat juxta Palaum, Marchantium, Dianam suprà relatos absolvi *directè*, sed cum onere comparendi coram Episcopo, Vicario, aut Pœnitentiario Diœcesano pro medicinali. Consentit Henricus Wangnereck loco, quem allegavi suprà *num. 354. in Cap. Audaudientiam. De offic. Vicarii*, loquens de non valente accedere prædictum ordinariâ jurisdictione.

Nota bene, mi Neoparoche, nove Confessarie, hos tam multiplices modos juvandi periclitantem fratrem tuum, pro quo mortuus est Christus, ut, quando imminet tale discrimen, revoces in mentem, quidquid verè probabilium opinionum ad illud periculum avertendum facientium unquam audisti, legisti, & applices illam, quam censes maximè profuturam animæ, ad te velut patrem confugienti, memor aureæ Regulæ, quam retuli ex P. Lassio *num. 325.* Plura de modo, & ratione agendi, quando Confessario carenti potestate in reservata proponitur unum tale, tradam *Cas. XX.* Interim repete, quod *num. 295.* dixi de illo, qui advertit, se absolvisse à reservatis, à quibus non poterat, & nota Casum, pro cujus resolutione Hermes, gnavus valde Confessarius 391

sæcularis, me utcunque anxius convenit pridie, quàm hæc inferenda alteri editioni scriberem.

Est autem hujusmodi.

392 *Hortensia conceptam ex adulterio prolem necavit in utero. Acta stimulis conscientiæ suscepit molestam peregrinationem Confessionis causâ, quam & peregit apud Confessarium prædictum potestate in reservata, sed abortum siluit pudore victa. Urgente tamen conscientiâ accedit Hermetem; nudat ipsi conscientiam, obtestans, ut se eripiat faucibus dæmonis. Negat hic, pollere se potestate in infanticidium, at se eam petiturum, rediret ergo Hortensia post quatuor decim dies, se certò impertiturum ipsi beneficium absolutionis. Sed cùm Hortensia nollet è confessionali sede recedere sine absolutione, eam impendit Hermes, at cum onere redeundi ad se designato tempore, dimisitque lætam, ac parere paratam. Priùs verò, quàm illuceret dies comparitioni dicta, me accessit consilii causâ Hermes, cui respondi: Rectè egisse.*

Et *primò* quidem rectè egit, quòd non fuerit secutus in praxi opinionem illorum, qui, ut retuli *num. 377.* censent, reservationem tolli per absolutionem etiam sacrilegè confitenti datam à prædito potestate in reservata; cùm enim videret, posse Hortensiam eò adduci, ut sequeretur tutiora, & probabiliora simul, curo, in re tanti momenti non conatus fuisset adducere? *Deinde* etiam rectè egit, quòd ad tantam instantiam absolverit cum onere rursum se sistendi: causam attuli paulò antè. *Denique* & fecit, quod conveniebat, dum, me suadente, petiit *immediatè* ab ipsomet Reverendissimo D. Vicario Generali facultatem reconciliandi integre illam propè perditam oviculam DEO, & quieti conscientiæ. Quòd si Hermes rationabiliter dubitâsset, essétne illa misera peccatrix reversura ad se, tunc sanè debuisset se accommodare sententiæ à nobis non approbatæ *cit. num. 377.* quia, *ubi est majus periculum, ibi est pleniùs consulendum Cap. 3. De Elect. in 6.* Adde quòd ego à cujusdam Monasterii Superiore, non habente potestatem absolvendi ab hæresi, interrogatus, utrùm potuerit Sacramentali absolutione donare personam, quæ in prima post reditum ad Ecclesiæ gremium Confessione aperuerat quidem legitimo Confessario hæresin, at sacrilegè siluerat aliqua? Respondi: Cùm hæresis non sit à Papa reservata, nisi ratione censuræ, possit autem tolli censura etiam in sacrilega Confessione, minimè ambigendum, quin prior Confessarius illam reipsa sustulerit, & consequenter absolutio, de qua tunc consulebar, fuerit & *valida & licita*, ac proinde abigendus sit omnis scrupulus, quandoquidem peccatum hæresis non annumeratur Casibus Episcopalibus.

APPENDIX PAROCHIANA.

Et quia facta hîc mentio absolutionis ab hæresi, indico me die 8. Maji, 1677. cùm antecedentia jam excusa essent in proximè antecedente editione, at necdum sequentia, conventum fuisse à quodam Parocho, qui proposuit duos Casus huc apprime facientes.

Primus erat hic.

Hilaria Lutherana nupta catholico militi accedit Parochum, confitens inter cætera suum Lutheranismum. Negat hic posse eam à se absolvi. Miratur Hilaria, asseritque, se revera, quando versabatur inter suos, existimâsse, religionem Lutheranorum esse Christi religionem, nunc autem aliter doctam velle se vivere & morì Catholicè, an potuit absolvi à simplici Parocho? a

Respondeo potuit in foro interno, nec fuit necesse deferre ad externum, seu ad Superiorem Ecclesiasticum, nisi fortè ratione alicujus scandali, propter quod debuit tamen, antequam absolveret Hilariam, petere ab illa facultatem, deferendi ad Superiorem.

Alter erat hic.

Habui, inquiebat ille, quatuor pœnitentes reos Casuum Episcopo reservatorum, quibus dixi, carere me potestate remittendi, redirent ergò ad me tali & tali tempore, petiturum interea potestatem absolvendi. Tres illorum condixerunt quidem, at non redierunt; quartus non potuit ullatione induci, ut promitteret se redi turum, quare dimisi inabsolutum. Antequam autem efflueret tempus indictum reversioni trium priorum, petii literis à D. Vicario Generali potestatem relaxandi illa vincula, & obtinui. Sed quia interea cognosco illos non redituros, quæro, an mihi sit fas potestate, quam obtinui pro illis, uti pro aliis tribus. Si quifortè se sistant? b

Ad primum dubium de tribus prioribus respondeo, non posse per se loquendo damnari illam dilationem absolutionis, si tamen potuerunt persuaderi, ut accederent Religiosum pollentem jure in reservata, fuisse hoc medium potiùs amplectendum. c

Ad alterum de iisdem dubium, si in suis ad D. Vicarium literis expressit individuum crimen, non videtur posse concessa facultate uti

erga

erga reos alterius criminis reservati, quia à tam diversis non fit illatio. Si autem in genere perîit potestatem tres absolvendi à casibus, seu casu reservato, sitque certum, nullum ex illis tribus rediturum, poterit, ut reor, impertitâ gratiâ uti erga alios, qui ante concessionem illius delegatæ potestatis inciderunt in idem delictum.

d Ducor, quia, cùm illæ tres personæ non fuerint utique nominatæ D. Vicario, sed duntaxat crimen, videtur illa gratia fuisse limitata duntaxat ad numerum ternarium indeterminatè jam tunc reorum talis criminis, non verò restricta ad tales individuas personas, ita ut illa potestas annumeranda sit potiùs gratiis faciendis, adeóque in gratiam Parochi, quàm factis, seu in gratiam reorum. Novi equidem, ipsam dispensationem, seu actum dispensandi esse strictè interpretandum, nec extendendum de casu in casum, at potestatem dispensandi delegatam constringi tam arctis terminis, negant communiter Doctores cum & apud Patrem Sanchez de Matrim: *Lib. 8. disp. 2.*

393 Quæritur VII. *Quì debeat se gerere Superior, quando casus reservatus defertur ad ipsum?*

Ad hanc quæstionem respondebo *Cas. XX. num. 701.*

Subjicio hisce omnibus, quàm possum brevissimam explicationem plerorumque peccatorum in hac Diœcesi reservatorum, sed præmitto omnium enumerationem.

Casus reservati Clericorum Constantiensium.

394 1. Fornicatio cum filia Confessionis. 2. Revelatio Confessionis. 3. Celebratio in Ecclesia interdicta. 4. In altari non consecrato scienter. 5. In altari portatili sine licentia. 6. Sine sacris vestibus. 7. Et à sacerdote non jejuno. 8. Reordinatio scienter suscepta. 9. Item celebratio, & ministratio non ordinati. 10. Diœcesani, qui ad sacros Ordines per alienum Episcopum sine proprii Diœcesani licentia promotus est. 11. Qui furtivè. 12. Qui per saltum. 13. Qui extra tempora à jure statuta. 14. Qui ante legitimam cujusvis sacri Ordinis ætatem promotus est. 15. In censura Ecclesiastica suscipiens Sacrum Ordinem. 16. Scienter sepeliens corpus excommunicati in Ecclesia, vel cœmeterio. 17. Vel etiam non excommunicati tempore interdicti.

Casus reservati Laicorum.

395 1. Matrimonium, conjuge adhuc vivente, scienter contrahens. 2. Antequam certificetur de morte conjugis. 3. Aut clandestinè. 4. Sponsalia de futuro contrahens, nec observans. 5. Machinatio in mortem conjugis, si mors sequatur. 6. Baptizatio propriæ prolis, excepto casu urgentis necessitatis 7. Vel ejusdem in Baptismo, & confirmatione suscepto.

Casus reservati Clericis, & Laicis communes.

1. Homicidium voluntarium facto, præcepto, consilio, vel consensu deliberato commissum. 2. Procuratio abortûs, vel sterilitatis. 3. Incendium Ecclesiarum, domorum, aut segetum malitiosè, & ex proposito factum. 4. Sacrilegium, seu furtum Sacræ rei. 5. Peccatum bestialitatis cum brutis commissum. 6. Coitus cum infideli, vel Judæa. 7. Commixtio carnalis cum Sanctimoniali. 8. Incestus cum consanguineis, & affinibus usque ad secundum gradum inclusivè. 9. Adulterium. 10. Raptus. 11. Perjurium in judicio factum. 12. Pollutio Ecclesiæ, vel cœmeterii effusione sanguinis, aut seminis. 13 Immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ violatio 14. Falsificatio literarum Episcopi, & Episcopalis Curiæ, vel monetæ. 15. Percussio parentum enormis. 16. Abusus Sacramentorum, & sacrarum rerum ad magicas artes, veneficia, & superstitiones. 17. Rebaptizatio scienter collata, & sulcepta. 19. Injectio manuum violenta in Clericos, Monachos, Moniales, vel quamcunque etiam personam Religiosam, aut Ecclesiasticam. 396

Ergo universim quadraginta, & tres casus reservantur in hac Diœcesi, ita tamen, ut Laicos ab iis, qui vel solos Laicos, vel Laicos simul, & Clericos concernunt (si occulti sint,) absolvere possit quivis proprius parochus, cooperator, &c. excepto voluntario homicidio, & majori excommunicatione judiciali, ut exprimitur *cit. Tit. 11. num. 17.* sicut, & Clericos à casibus vel propriis Clericorum, vel communibus cum Laicis *validè* quivis absolvit, *si occulti, vel non publici* (Basileenses Constitutiones reservant etiam occultos) *sint*, excepto homicidio, excommunicatione majore, peccato bestialitatis, coitu cum Sanctimoniali, revelatione Confessionis, *& si quis ab alterius Diœcesis Episcopo, aut furtivè, per saltum, extra stata tempora, & ante legitimam ætatem ordinatus esset, quibus casibus, etiamsi occulti sint, volumus, ut Clerici à nullo alio, quam à Nobis, aut Pœnitentiario nostro absolvi possint*, inquit ibidem illa Synodalis Constitutio, quæ expresserat: *Si Laici in suprà specificatis casibus publicè, & notoriè deliquissent, hujusmodi publica, & notoria delicta nostro foro pœnitentiali per expressum reservamus.* 397

Interrogabis jam *primò*: *Quandonam censeatur casus esse occultus?* 398

Resp Quando non est publicus, nam ipsamet Constitutio ita explicat (sicuti, & alibi Doctores) voculam *occultus*. Est autem publicum idem, quod notorium notorietate vel *Facti*, ut quando coram majori parte communitatis alicujus, aut loco, omnium oculis expósito, est commissum, vel *Iuris*, ut quando quis seu in judicio confessus, seu à judice condemnatus est; vel *Famæ*, ut quando fama publica de illo loquitur. Vide P. Kiene *Fol. 143. & 144.*

399 Et animadvertant Domini Parochi hujus Episcopatûs, casum reservatum haberi in suis Constitutionibus tripliciter pro publico. 1. Quando peccatum est commissum coram majore parte alicujus communitatis etiam imperfectæ, ut coram majore parte vel alicujus domûs, quam incolunt novem, aut decem personæ, vel alicujus seu pagi, seu urbeculæ, aut urbis, non autem, quando solùm coram tribus, aut quatuor. 2 Quando est quidem patratum occultè, id est, solùm coram duobus, tribúsve, attamen postea publicatum est per notorietatem *famæ*, juxta descriptionem antè allatam. 3. Quando per notorietatem *juris*. Quacunque harum trium rationum sint publica, nequit absolvere Parochus; potest autem, si
400 nullâ harum. Adeóque si quis Confessionis causâ illum accedens dicat. 1. Verberavi enormiter patrem. 2. Etiam sacerdotem. 3. Commisi adulterium. 4. Fregi sigillum Confessionis. Quæret parochus in *primo* casu, an vel coram pluribus, vel coram pauculis? Si dicat: *Coram pluribus, seu in publica platea*, agat cum illo, sicut mox dicam agendum cum reo divulgati criminis. Si coram pauculis e.g. matre sola, & fratre, vel vicino, quærat, an facinus non sit divulgatum? Si neget, absolvatur sine onere, nisi & petendi veniam, si nondùm petiit, & subeundi pœnitentiam injungendam ab eodemmet Confessario. Si autem dicat: *Proh dolor! jam innotuit nostræ viciniæ*: dicat Confessarius: Ergo, mi bone Vir, nequeo tibi impertiri absolutionem: sed proficiscendum est tibi Constantiam ad R. D. Vicarium
401 Generalem. At *nequit præ ægritudine?* Ergo, si ea ægritudo non est lethalis, absolvatur cum onere comparendi, redditâ sanitate; nec timeat mulctam pecuniariam, hæc enim non imponitur pro casibus cognitis dependenter ex Confessione Sacramentali; illa autem comparitio potest fieri etiam per literas parochi indicantes factum (tacito nomine pœnitentis) & petentes remedium spirituale.

402 In *secundo* casu esset idem faciendum, quod in *primo*, nisi enormis percussio Clerici etiam occulta reservaretur Pontifici; quia verò est etiam ipsi reservata hæc, non autem mediocris, nam ab hac absolvunt Episcopi, ideo videndum, an oporteat, expediátve erga illum procedere secundùm unam è rationibus, quas *num. 391.* attulimus adhibendas fuisse memorato Hirtaco. In *tertio* casu non est utique

scisitandum, an illud adulterium patratum sit publicè, seu coram multis? quis enim id ausit? Ergo duntaxat scisitandum, an in vulgum emanârit illud crimen? Si emanavit, aut non emanavit, tractetur is, sicut percussor parentis, de quo suprà *num. 400.* At verò ex sacrilego violatore Sacramentalis silentii quærendum illud ipsum, quod dixi de percussore parentis.

APPENDIX.

a POrrò doctrinam illam de percussione parentis, quam innuo hoc *num. 402.* lectam à secuti sunt duo sacerdotes oppidi Imperialis in hoc

Casu perbene specificato, probè resoluto.

Titius Clericus, & Cajus Laicus unà cum aliis honestioribus Dominis, & viris, in haustu vespertino vinum liberaliùs quidem, at non ad ebrietatem bibendo, dum illi soli domum redière, verbis in primis se mutuò lacessiverunt, sed mox Titius irà fervere incipiens Cajo viro cæteroqui honesto, colaphum infligit, quo Cajus vehementer commotus repercussit Titium, qui prehendens Cajum, cum ipso luctatus eum humi, utpote robustior, stravit, ibique tamen uterque abstinuit verberibus. Hunc actum nemo vidit, nisi una fœmina, & hujus ancilla supervenientes, ac Titii coqua; neque cuiquam alteri innotuit, nisi præfatæ mulieris spectatricis marito ex relatione ancillæ, & uxori Caji, cui ipse facti pœnitens sub secreto narravit. Exinde Titius ipse rem totam consilii capiendi causâ indicavit nostro parocho, à quibus deliberationis causâ vocatus sum etiam ego. Judicavimus juxta doctrinam à R. V. traditam in Experientiis Tract. 7. num. 402. *illam percussionem clerici esse adhuc occultam, & proinde non habendam pro reservata in nostris Constitutionibus, ideóque petente Domino parocho absolvi sacramentaliter Cajum. Nunc uterque quærimus ex R. V. an rectè?* Datum N. 29. Maji Anno 1674.

Respondi: rectissimè, cùm illa percussio, seu b potiùs repercussio sit habenda & pro minimè enormi, sed levi, adeóque ex se non reservata Papæ, & pro minimè notoria, ut liquet ex dictis suprà *num. 399. & 400.* adeóque & occulta, & consequenter pro non reservata Episcopo. *At quid si jam evadat notoria?* Respondeo: valebit nihilominus pro foro conscientiæ,

& co-

& coram Deo impertira absolutio, attamen citabitur ab Episcopali Fiscale, ablegabiturque ad Pœnitentiarium, cui si Cajus extra Confessionem dicat, quo pacto fuerit absolutus, solùm monebit illum Pœnitentiarius, ne quid in posterum ejusmodi ausit, dabitque publicum testimonium absolutionis legitimæ.

Non fuisse arcendum ingressu Ecclesiæ, rectè censuêre iidem Parochus & Capellanus, cùm nec fuerit denuntiatus, nec publicus, seu notorius percussor.

Interrogabis 2. *An planè nemo à reservatis Episcopo absolvat præter hunc?*

403 Respondeo. Absolvit in primis ejus in spiritualibus Vicarius Generalis vel jure ordinario, vel solo specialiter delegato, ut mavult noster P. Ernricus Pirhing *in Lib. 1. Decret. Tit. 28. num. 62.* post Barbos. *De potestat. Episc. alleg. 54. num. 116.* referentem Ugolinum & Sbroz. Et quidem in hoc Episcopatu Constantiensi consuevit Vicarius Generalis reos Casûs reservati convictos, & confessos mittere ad Pœnitentiarium absolvendos cum hac Forma impressâ: *Vicarius Reverendiss. in Christo Patris Illustrissimi ac Principis, ac Domini Domini NN. Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Constantiensis, Domini Augiæ Majoris & Oeningæ &c. in spiritualibus Generalis &c. Dilecto nobis in Christo Reverendo & Religioso P. N. N. Soc. Iesu Theologo, & Pœnitentiario nostro Ordinario salutem in Domino. Ut N. N. à percussione, aliisque peccatis Sedi Apostolicæ non reservatis, quæ tibi in Sacramentali Confessione deteget, impositâ illi pro modo culpæ, arbitrio tuo, pœnitentia salutari sub consueta Ecclesiæ forma, in utroque foro authoritate nostra absolvas; absolutum ut à prædicto, & aliis præsertim ejusmodi gravibus delictis, nisi graviorem nostram, & Dei gravissimam experiri velit ultionem, deinceps sedulò abstineat, seriò admoneas, atque ubi, quando, & quoties opus fuerit, eundem ritè, & legitimè absolutum esse denunties, & denuntiari facias, ac idipsum præsentibus manu tua subscribas, ex authoritate, qua fungimur, ordinaria, tenore præsentium, hac vice tantùm tibi committimus, & liberam in Domino damus facultatem. Datum Constantiæ &c.*

Ex his verbis apparet potestatem absolvendi in utroque foro hîc Constantiæ annexam dignitati Vicariatûs Generalis esse ordinariam, quo pacto autem se habeat in aliis Diœcesibus, viderint ii, quorum interest.

Absolvit deinde ab iisdem reservatis Episcopo Pœnitentiarius Diœcesanus, sed saltem quoad forum externum jure non ordinario, verùm duntaxat specialiter delegato, ut liquet ex descripta formula; at quoad forum internum lis est inter Doctores. Negat constanter Diana *Part. 9. Tract. 8. Resol. 11. & 12.* cum aliis, quibus addo Patrem Tambur *De Sacrament. Lib. 5. cap. 8. §. 1.* contrarium tenet post Homobonum P. Pellizarius *in Manuali Regul. Tract. 6. cap. 2. Sect. 2. num. 85* & ante illum Piasecius in Praxi *Part. 2. cap. 1. num. 15.* allegans etiam Chapeavillum. Adfert P. Pellizarius pro se unam declarationem, Diana pro se aliam. Tuti sunt illi Pœnitentiarii Episcopatuum, quorum constitutiones faciunt ipsis potestatem, sicuti faciunt Constantienses verbis descriptis suprà *n. 393.* ut proinde talibus competat ex jure scripto illa potestas, & consequenter possint ministerium illius pro hoc, aut illo particulari casu alteri subdelegare, sicuti jam monui superiùs *n. 101.* repugnante quamvis Piasecio.

Adhæc impertiri solet multis Decanis, & celebriorum locorum Parochis potestas absolvendi, tam ab iis occultis, quos suprà dixi manere reservatos, tum etiam à publicis, at non deductis ad forum. Vide Casum, quem retuli *numero 123.*

Interrogabis 3. *An verbis suprà descriptis condatur aliquod novum jus, id est, utrùm aliquid, ultra numerum tot reservatorum, vetetur, quod non erat priùs vetitum?* 404

Resp. *Negativè*, quia si alia entia non sunt sine necessitate multiplicanda, multò minùs prohibitiones. Ergo Domini Parochi diligenter notent, licèt quædam actiones *absolutè* accenseantur casibus reservatis, si tamen abstrahendo ab hac Constitutione reservativa desinant in aliquo casu esse malæ, hæc Constitutio non reddet illas malas, ergo nec reservatas. Declarabo inferiùs aliquot exemplis, excipiam tamen necessum à sponsalibus.

Interrogabis 4. *De quibusdam particularibus inter illa 43. peccata, quæ dixi esse reservata, quomodo sint intelligenda?* 405

Resp. Nullum ex iis haberi debet pro reservato, nisi concurrant speciales conditiones paulò antè indicatæ, atque illæ, quas ad *validam* peccati reservationem exigi, dixi suprà *n. 349. & seqq.* quâque omnis Confessarius debet firmiter complecti animo, ne vel Deum, vel miserum peccatorem per ignorantiam intolerandam graviter offendat; gravive afficiat molestiâ. Ergo habeo illas conditiones hîc pro *formaliter* repetitis. Atque adeò, licèt pœnitens commiserit peccatum carnale cum muliere aliena, consanguinea, moniali &c. & propter lasciviam, quam commisit, publicè sit diffamatus, tanquam adulter, incestuosus, &c. si tamen suo Parocho dicat in confessionali, se revera non consummâsse, sed solùm inchoâsse illos actus turpes, qui exprimuntur in Constitutionibus, poterit, & debebit illi dicere Parochus: *Ergo absolvo te à peccatis tuis*, nam, ut suprà dixi, ut peccatum censeatur in actu *secundo* reservatum, debet esse perfectum, & consummatum secundùm speciem, in qua, & sub qua est reservatum, ut præter illic citatos tradit ex communi Pellizar. *Tom. 2. Man. Regul. Tract. 6. cap. 1. n. 34.*

II. Ita-

406 II. Itaque, quia Constitutiones inter peccata carnalia non reservant, nisi adulterium, fornicationem cum filia Confessionis, coitum cum non baptizata, commixtionem carnalem cum Moniali, incestum, denique peccatum bestialitatis cum brutis commissum; per hæc autem vocabula (excepto ultimo) intelligitur ille solus actus, quo vas mulieris naturale penetratur à vase naturali viri cum seminis immissione, ideo si desit vel una ex his conditionibus, seu circumstantiis, decrit consummatio actûs indicata secundùm *tenorem Constitutionis*, ut loquitur Palaus *Tract. 23. p. 15. §. 2. n. 3.* post Silvest. Grassium, Henriquez, & consequenter, si sine immissione seminis in vas fœmineum est commissa qualiscunque turpitudo, non erit casus reservatus in foro *interno*; in *externo* proceditur secundùm præsumptiones. Vide, quæ de necessariis ad committendum adulterium, & contrahendam affinitatem, tradam *in Alphab. Matrim. Part. 1. n. 203. & 390.* item, quæ de incestu *in Part. 2. Cas. XV. n. 601.* quæ etiam intellige proportionaliter de peccato bestialitatis. Aliter de Regularibus philosophabimur *Cas. XX.* quia plura peccata carnalia vetantur iis sub conditione reservationis, quàm Laicis,
407 aut Clericis sæcularibus. Adde his, experientiâ constare, nomine *adulterii* in hac Diœcesi venire non solùm duplex, quando videlicet utraque pars adulterantium est illigata alteri connubio, sed etiam simplex, quando una est adhuc soluta; plures enim ejusmodi ad me pro absolutione fori etiam *externi* amandati sunt.

408 III. Confessarius, de quo *n. 400.* committit peccatum reservatum, licèt tantùm *indirectè* revelet Confessionem; nam Constitutio nihil distinguit, ergo nec nos debemus distinguere. Quomodo autem *indirectè* reveletur, intelliges *Cas. XXII. n. 799.*

Sacerdos, de quo ibidem, non dicetur celebrâsse aut in altari non consecrato, aut sine vestibus sacris, si celebravit in tali altari, aut vestibus, quale, & quales describo ex meo, aut aliorum sensu *in Alphab. Sacrificantium numero 276. 279. 351. & seqq.*
409 *editione 2. & seqq.* Nec dicetur celebrâsse sine licentia in ara portatili, si, postquam expiravit triennium, ad cujus exitum acceperat, ut solet, facultatem celebrandi, adhuc bis, tèrve celebret in necessitate, quia scilicet alioqui vel deberet populus carere Sacro die Festo, vel quis mori sine viatico. Sicut autem peccabit graviter, si non statim procuret novam licentiam celebrandi, ita nec excusandus, si agnoscens imminere finem sui triennii non supplicavit maturè pro gratiæ continuatione. Si maturè literas expediit, & tamen in tempore non veniat responsum, scribat rursum, &, donec veniat Gratiosum responsum, pergat sine scrupulo in Sacro faciendo, siquidem illa ara portatilis concessa sit pro publica Ecclesia; potest enim ita prudenter præsumere de benignamente Superiorum. Causas, ob quas non jejunus celebrare potest, videbis *in Alphab. Sacrif. Cas. XIII. n. 411.*

De casibus reservatis, ratione Ordinum 410
malè susceptorum, distinctè tracto *in Alphab. Ord.* & nominatim *n. 406. & seqq.* edissero, an censuram incurrerit Religiosus, qui bonâ fide secutus Calendarium sui parentis, seu Ephemerides, insignitus fuit Sacerdotio ante legitimam ætatem; ubi etiam quæro, an comperto errore *licitè* potuerit celebrare suas primitias ante completum Annum 24.

Non profanari Ecclesiam Germanicâ sepulturâ alicujus Lutherani, Calvinistæ, &c. tradidi suprà *Tr. 3. n. 265. in App. 1. lit. I.* ergo si Parochus tumulâsset absque peccato (quia ex gravi metu) aliquem Lutheranum Capitaneum in suo templo, non incurrisset casum reservatum.

Qualis certificatio de morte prioris conju- 411
gis exigatur, edissero fusè *in prima Part. Alph. Matrim.* seu *Tract. 9. Cas. V.*

In eodem Alphab. fusè dissero de clandestinè contrahentibus. Quia verò *in altera parte Alph. Matrim.* seu *Tr. 10. Cas. XIII. n. 476.* ostendo, Matrimonium dici etiam tunc clandestinum, quando fit sine denuntiationibus, ideo qui contrahit, iis *illicitè*, seu ex culpa mortali omissis, fortè reus est casûs reservati; sed nolim in re tam odiosa facere hanc extensionem.

At reus est ille, qui sponsalia de futuro contrahens non observat ea, ut loquitur Constitutio, intelligenda non solùm casu, quo sponsalia injustè non observas, sed etiam, quo sine injustitia, quia videlicet ex liberrimo consensu tuæ sponsæ, sicuti ex notoria praxi hujus Diœcesis observo in primùm allegatâ *secunda parte Alphab. Matrim.* seu *Tract. 10. n. 262. 264. 333.* Unde superiùs dixi, verbis hujusce Constitutionis Synodalis condi novum jus; nullâ enim lex Canonica vetat sub mortali dissolutionem fieri mutuo consensu, vetat verò mos Diœcesanus, innixus verbis præsentis Constitutionis, non tamen interdicit *absolutè*, sed solùm, si absque præscitu, & consensu Magistratûs Ecclesiastici, sicuti explico *in eod. Tr. 10. n. 263.* quam explicationem jam profuisse, in *facti* contingentia, didici ex literis unius insignis Parochi postea ad me scriptis.

De machinatione in mortem conjugis dicò 412
in prima Part. Alphab. Matrim. Cas. IX. in ordine ad dirimendum Matrimonium requiri, ut occisio fiat vel ex mutuo consensu, vel cum adulterio. At pro incurrendo hoc Casu Episcopali sufficit, modò vel vir uxorem, vel hæc illum perimat cultro, veneno, aliâ ratione, non autem, si maritus ideo extinguatur, quòd ei periculosè laboranti non succurrerit uxor, prout exigebat fides conjugalis; tale enim delictum nimis impropriè vocatur *Machinatio mortis*, seu *in mortem*.

Pro intelligenda ratione baptizantis propriam prolem audi hunc

Propè hesternum Casum.

413 *Hartmannus Parochus edicit feriò è cathedra, ne inposterum ulla mulier ullum infantem tingat aquâ lustricâ, si quis vir adsit præsens. Uxor Hilarii parit infantem, vitâ summè periclitantem, præsentibus duabus mulieribus, quæ memores concionis parochialis dicunt marito puerperæ*: Baptiza tu; nôsti enim, quid nuper dixerit Dominus Parochus. *Baptizat Hilarius. An obnoxius casui Episcopali?*

414 Resp. Si nequiit persuadere alterutri mulieri, ut fungeretur officio baptizantis, debuit ipse fungi, ergo non fuit obnoxius Episcopali Casui. Idem dic, si rationabiliter dubitabat, an utraque esset satis perita hujus muneris; secùs, si alterutri probè peritæ potuit persuadere; etenim Constitutio Synodalis intelligenda est de patre baptizante *illicitè*. Ego quidem *in Alph. Bapt.* seu *Tract. 2. n. 142.* tradidi, virum esse mulieri præferendum in ejusmodi casu necessitatis, at intelligo virum non laborantem alio defectu, ut laborat proprius parens; huic enim Sacri Canones prohibent & baptizationem propriæ prolis legitimæ, & etiam suceptionem, ut declaro *in eod. Alphab. Bapt. n. 568.* minimè dubius, quin, sicut non delinquit, qui in necessitate sit patrinus propriæ prolis, ita etiam sit immunis à Casu reservato.

415 Homicidii voluntarii reservatio extenditur expressè à Constitutione Synodali ad præcipientem, consulentem, præbentem consensum. At nisi expressè extenderetur, ego non exporrigerem, quia odia non sunt amplianda, ideóque negat expressè Palaus *cit. Tract. 23. p. 15. §. 2. n. 4.* communiter comprehendi præcipientes, negat & Lugo *De just. D 9. n. 14.* Unde Anno 1660. interrogatus literis à quodam nunc Reverendissimo, & laudatissimo D. Abbate, hortante me etiam, ut explicarem casus reservatos hujus Diœcesis, & singulariter, *an parentes, qui liberos cogunt ad resiliendum à sponsalibus legitimis, casum reservatum contraherent?* Respondi *negativè*.

416 Procuratio abortûs tunc reservatur, quando est fœtus jam animatus. Palaus *loc. cit. n. 12.* addens, in dubio, an sit animatus, non esse timendam reservationem, & quia procuratio jam animati morte secutâ est verum homicidium, ideo providè monet Kiene, etiam occultam cadere sub reservationem.

Circa incendium Ecclesiarum nil occurrit difficultatis, sicuti & pro peccatis carnalibus, quæ sequuntur, sufficiunt dicta suprà *n. 353.*

417 & quæ dicam *Cas. XX.* At circa furtum rei Sacræ assentior eidem Georg. Kiene *Fol. 181.* per rem sacram non intelligi nisi illam, quæ sit vel benedicta, vel deputata ad ornatum Ecclesiæ, Divinúmque cultum, intellige *Publicum*. Unde constitutio non loquitur aut de rebus profanis etiam asyli causâ repositis in templo, ut notat idem Kiene, aut de tapetibus: imò fortè etiam nec de imaginibus spectantibus ad Congregationem Rosarii, Annuntiatæ &c. hæc enim dicenda sunt spectare potiùs ad locum privatum, quàm publicum; & denique, licèt sublegeres alicui iconopolæ mille imagines, & sexcenta medallia, vocarem te quidem *furem*, at non *sacrilegum*; quia non autumo, esse praxin tribunalium aut prophanorum, aut Ecclesiasticorum, ut tales plectantur pœnis statutis in fures sacrilegos. Si non placet hæc doctrina, sequere illam, quam suprà descripsi ex P. Moquetio *in Alphab. Sacrif. Cas. XI. n 378.*

Raptum intellige hoc loco non aliter, quàm 418
explicabo *in Part. 1. Alphab. Matrim. Cas. XIX. n. 541.*

Perjurium interpretare ad literam, ut sonant verba descripta *n. 396.* At observa, Ecclesiam, aut cœmeterium non pollui effusione seminis privatim factâ, neque etiam effusione sanguinis, nisi notoriâ, simul junctâ injuriæ mortali, vel in personam, ut si homo privatus privatum vulneret graviter, vel ipsum locum, ut si reus afficiatur illic à magistratu extremo supplicio. Vide Kiene *Fol. 176.*

De violatione libertatis Ecclesiasticæ nihil 419
memoro, quia nequeo paucis aperire mentem: multa dicendi non est hic locus; sicut nec necessarium scribere de falsificatione literarum, aut monetæ, cùm res sit clara, & caliganti sit lucem affusurus D. Kiene *Fol. 202.*

Percussio enormis parentum (quales non 420
sunt vitricus, aut noverca, ut in contingentia *facti* resolvi) est enorme crimen. *Enormis* debet hoc loco intelligi eo modo, quo intelligitur Clerici percussio *enormis* reservata Pontifici, & opposita *mediocri*, à qua etiam absolvit Episcopus Clericos in communi societate viventes, & se mutuò percutientes, quia jura juribus debemus concordare. Non igitur omnis mortaliter injuriosa percussio parentum cadit sub reservationem. Et nimis rigidi sunt illi parochi, qui quandoque Constantiam pro absolutione mittunt filios, qui, ut se defenderent à patre invadente, protruserunt illum, cùm ne quidem deberent facere difficultatem in absolvendo illo, qui impatiens reprehensionis, aut calumniæ, illatæ à matre, eam ex ira protrudit in angulum; nullus enim Theologus hanc protrusionem vocabit *enormem* percussionem.

Sacramentis abuteris quidem, dum *sacrile-* 421
gè percipis, non tamen est hîc de te sermo, quia ille solus abusus Sacramentorum, uti & rerum sacrarum intelligitur hîc, qui adhibetur ad res magicas, veneficia, & superstitiones; ut quando jubes fieri ter missam ad reperiendum furem rerum tuarum, aut gestas sacram

eram hostiam ad id, ut fias, invulnerabilis. Haud tamen huc refero illas obstetrices, quæ, ut retuli *in Alphab. Bapt. Cas. V. n. 190.* Chrismate baptismali ungunt suas puerperas ad facilitandum partum.

422 Rebaptizando tunc solùm peccas, quando rebaptizas destitutus rationabili dubio, an præcesserit aliquis legitimus Baptismus, ut probo *in Alphab. Baptiz. Cas. XIII.* Ergo tunc solùm te tangit, & ferit præsens Canon; quod ipsum dic de Confirmatione iterata.

423 Injectiò violenta manuum in Clericum, vel Monachum est casus tum Papalis *Cap. Si quis suadente. 17. quæst. 4* tum Episcopalis, ut etiam dixi paulò superiùs. Conditiones hujus injectionis necessarias ad incurrendas pœnas Canonicas decretas in hanc actionem, & quid sit injicere manus, explicant omnes, qui differunt de censuris, bene notantes ex textu expresso *in Cap. Mulieres 4. Desent. Excomm.* incurri excommunicationem, adcóque reservationem, etiam à mandante iniquè illam injectionem, quam declarat Casus frustra cautorum rusticorum descriptus *n. 347.* nam per injectionem violentam manuum intelligitur quævis injuriosa, seu contumeliosa actio exterior, ac corporalis circa personam Ecclesiasticam, vel res ei adhærentes. Laymannus *Lib. 1. Tract. 5. Part. 2. cap. 5. n. 5.* enumerans varios modos hujus a-

424 ctionis. Obsidere autem aliquem invitum, atque in ejus inviti peram non modò immittere manum, sed etiam eximere quidpiam, quod servare cupit, est utique actio exterior, & injuriosa, contumelioságue, præsertim quando exercetur adversùs Superiorem à subdito; ergo fuêre in foro *externo* frustra cauti illi, de quibus *n. 347.* Ignorantia latæ pro tali casu censuræ potuit excusare ab anathemate, non à peccato mortali, & reservato Episcopo; licèt enim, cadente censurâ, cadat casus Pontificius, non tamen casus Episcopalis, ut ego quidem sentio, videns tam multos Episcopales liberos ab omni censura reservari.

Quamquam quia illa duplex actio rusticorum non fuit percussio, nec annumeranda est casibus Episcopalibus suprà expressis, si enim conditor Constitutionum voluit comprehendi, cur non fuit usus illo generali termino, quo Papa *in cit. Cap. Si quis suadente*, scilicet violentæ injectionis manuum?

APPENDIX. III.

Quæstionis indiscussæ.

a *AN Religiosus Præmonstratensis habens parochiam, possit cadere in casum reservatum Episcopo. uti & in censuras eidem reservatas: & an talibus irretitus debeat absolutionem ab Episcopo petere.*

Ita ad me hoc Anno 1674. sacri illius Ordinis Religiosus, hunc ipsum Ordinem fortè idcirco singulariter nominans, quòd Julius II. (verba referente inter alios Petro Marchantio *in Resolution. concernentibus Regulares Cas. 1.*) Præmonstratenses præfectos alicui Ecclesiæ pleno jure unitæ alicui Monasterio Præmonstratensis instituti, exemerit ab Episcopali jurisdictione.

b Nec dubito, quin de ejusmodi Religiosis i dem sit in expressa materia sentiendum, quod de cæteris Exemptis, cùm & Norbertini gaudeant privilegiis Exemptorum, Mendicantiúmque, ut mihi non semel conformiter iis, quæ retuli suprà *n. 65.* & referam infrà *n. 409. Tr. 8.* est ab ipsis scriptum, tametsi illum Ordinem non reperio in Exemptorum indice, quem texunt Sorbus, Confectius, Ascanius Tamburinus infrà referendi, & probabiliter non majoribus, amplioribúsve, quàm reliqui Exempti; ut proinde illa hypothesis reducenda sit ad hanc thesin. An Regulares Exemptorum Ordinum præfecti alicui Ecclesiæ parochiali incurrant, seu incurrere possint. *Primò Casus Episcopales. Secundò Censuras itidem Episcopales. Tertiò Quis ab iis, si incursæ sint, absolvat?* Qui vel ad has omnes tres quæstiones, vel saltem ad unam unicam respondeat in terminis, reperio neminem, etsi consulverim plurimos Theologos, & Canonistas locis, è quibus erui deberent resolutiones, ut est Tractatio de Casibus Episcopalibus, Legibus itidem Episcopalibus, Censuris, Controversiis inter Episcopos, & Regulares, Privilegiis Regularium, Praxi Episcopali, Thesauro fori Ecclesiastici, Jure Abbatum, & notatis in Trident. Concil. *Sess. 25. cap. 11. De Regul.* Et mirum, quòd ne quidem aut Virginius Alviset, aut Bruno Chassaing hasce quæstiones verbulo apertè, & *formaliter*, seu *explicitè* tetigerit, cùm tamen Bruno tam accuratè simul & ferventer proponat, propugnétque privilegia, & exemptiones Regularium, adversùs prætensiones Dominorum Ordinariorum, ut eam ob causam fuerit à Clero Gallicano notatus infamiâ, & damnatus ad carceres, ejúsque Ordo suspensus à munere audiendi Confessiones &c. at quia id factum contra formam juris, ut refertur in Edicto Regio Editioni Valentinæ Anno 1655. subnexo, at Venetæ, seu quartæ Anni 1658. præfixo linguâ, ut par erat, Gallicâ; idcirco suspensus effectus Gallicanæ Synodi, extra Galliam autem libere lectus, & in ipsamet Gallia, Hispania, Italiáque recusus idem liber. Quia igitur primus tento vadum c
hujus seu fluvii, seu torrentis, veniam facilè, ut spero, dabit lector, si fortè alicubi in latentem scopulum impegero, aut aliquantum respiravero.

Cùm verò quæstiones illæ tres possint in sex, d
imò septem, aut octo subdividi, utpote quæ valeant intelligi 1. De Ecclesiis pleno jure unitis exempto Ordini. 2. De non nisi semiple-

nè, aut nullo modo unitis. 3. De casibus, & censuris per Episcopalem legem. 4. De iisdem per sententiam itidem Episcopalem Decretis. 5. De Decretis ob delicta patrata in sola administratione Sacramentorum. 6. De statutis ob commissa à tali parocho, etiam extra ministerium Sacrum. 7. De absolutione horum omnium, & singulorum. Quò singulis faciam satis, statuo sequentes conclusiones, &

c Dico I. Regularis præfectus Ecclesiæ, habenti quidem annexam curam animarum, sæcularium quoque personarum, attamen spectanti pleno jure ad Prælatum exemptum, non incurrit aut casus, aut censuras Lege Episcopali, seu Diœcesanâ latas in reos malè administratorum Sacramentorum. Ratio mea est, quia semper docendo, & consulendo tenui, Regulares exemptos non subjici *directè* ullis legibus Episcopalibus, aut Diœcesanis, nisi iis, quibus eos expressè subjiciunt sacra jura. Probationem hujus verissimæ doctrinæ fundamentalem reperies apud P. Suarez *De Legibus Lib. 4. cap. 20.* atque apud Brunonem Chassaing *De privil. Reg. Tract. 2. cap. 2. & 3. propos. 5.* atqui nullum jus illos expressè subjicit legibus Episcopalibus statuentibus reservationem casuum, censurarúmque Episcopalium, circa malam administrationem hujus, aut illius Sacramenti. Quin imò capitulo *Nimis. De excess. Prælat.* annumeratur Episcoporum excessibus, quòd conentur exemptos subjicere suis constitutionibus; & concordat *Cap. 1. De privil. in 6.*

f At inquies: Ejusmodi Religiosi tenentur interesse Synodis Diœcesanis. Trident. Concil. *Sess. 24. cap. 2 De Reform.* Barbos. *ibid.* post Riccium, & alios, quos citat, igitur & observare statuta Synodalia, Diœcesanáque, ergo & subire pœnas decretas in transgressores. *Primam* consequentiam facit expressè ipsemet Innocentius III. relatus *Cap. Ex orè. De privil.* ubi etiam loquitur formaliter de exempto; *altera* consequentia videtur per se clara, quamtamen absque omni dubio inficiabitur dictus Chassaing, utpote mordicus ubique cum Alviset in Murenulis *Sect. 3. num. 8.* defendens, Religiosos exemptos nullis omnino pœnis posse ab Episcopo intra vel extra Synodum plecti, nisi in casibus, qui & diserte exprimantur in jure, Bullisve Pontificiis, & expressi sint cum derogatione privilegiorum specifica, ita ut non sufficiat illa communissima formula: *Privilegiis in contrarium penitus derogatis, & exclusis.* Vide illum autorem *Tract. 1. cap. 5. propos. 5.* eò quòd varii Pontifices varias Religiosas familias muniverint hoc clypeo, aut loricâ; sicuti est videre nominatim in Mari Magno PP. Prædicatorum, confirmato ab Urbano VIII. itémque in Bulla Pauli III. incipiente: *Licèt dudum*, ubi ait: *ipsam Societatem, & universos ejus socios, & personas, ab omni superioritate, jurisdictione, correctione, quorumcunque Ordinariorum eximimus, & liberamus*, quam Bullam confirmârunt Gregorius XIII. & Paulus V. similisque data erat jam priùs Prædicatoribus, & Minoribus. Certum est autem, nec in Concil. Trident. nec alibi exstare canonem, qui cum ejusmodi derogatione subjiciat exemptos pœnis Synodalibus.

Ob quam eandem rationem, verbáque Pauli III. hîc relata judico, & certò *implicitè*, si non *explicitè* judicat Chassaing, esse verosimilius, quòd ne quidem tales teneantur in conscientia, & extra scandalum easdem leges, etiam quatenus sunt directivæ, observare; etenim non modò illa consequentia, quam fecit Innocentius III. non est facta cum illa derogatione formali, & specifica, verùm insuper Bullæ posteriores facientes illam, quam expressi, exemptionem ab omni jurisdictione, enervant vim Innocentianæ Constitutionis; ergo non habet respectu exemptorum ullam hac ætate vim, esto habuerit superioribus sæculis.

h Dico II. Eadem nostra præcedens conclusio vera est respectu exemptorum, etsi Ecclesia, cui præsunt, vel ex parte, vel ex toto pendeat à jurisdictione Diœcesani. Chassaing *Tract. 2. cap. 2. propos. 3.* tum quialicèt Ecclesia non sit exempta, persona tamen pergit esse exempta, tum quia privilegiorum, toties tam emphaticis terminis, ob causas tam justas, & urgentes impertitarum derogatio, diminutióve, non potest non vocari perquam odiosa, ergo nec asserenda, nisi ob clariores, firmiores, magis clausulatos textus revocatorios, aut diminutorios, vel saltem ob æquè claros, speciatim nominatos illos articulos, in quibus derogant. Etenim in pari causa est melior conditio possidentis, sunt autem una ex parte Regulares in antiqua, justa, quieta possessione illius suæ tam graviter sanctæ immunitatis, ex altera non reperio derogatorias novas Bullas, quæ exprimant, exemptos obligari legibus Diœcesanis.

i At inquies: Quando etiam exemptus regit parochiam pleno jure spectantem ad Episcopum, & proinde sæculare beneficium, tunc Episcopus est talis Religiosi Abbas. Expressè Sanchez *Lib. 6. Mor. cap. 6. n. 36.* Suarez *De Relig. Tom. 4. lib. 3. cap. 19. n. 19.* ergo sicut Religiosus residens in suo Monasterio delinquit non observando statuta sui Abbatis, edita cum requisitis conditionibus, ita & idem Religiosus habitans in loco subjecto integræ jurisdictioni Episcopi, peccabit prævaricando statuta Diœcesana.

Respondeo negando consequentiam, sufficienter enim dicitur ejus Episcopus esse ipsius Abbas, si potiatur jure eum visitandi, corrigendíque circa administrationem Sacramentorum, & exequendi circa illum alia, quæ speciatim ipsi permittuntur. Vide P. Avendanno mox citandum *numero 65.* differentem, an

an talis Religiosus subsit suo Prælato, & Episcopo simul.

k Dico III. Probabilius est, utramque priorem conclusionem habere locum etiam in casibus, & censuris ab homine, seu per sententiam, interminationémve Episcopi decretis. Ita defendit P. Sanchez *De Matrim. Lib. 7. disp. 33. n. 22.* Lezana *in Summa Tom. 1. cap. 11. num. 11.* Ascanius Tambur. *De jur. Abbat. Tom. 3. disp. 5. quæst. 11. n. 63.* Portell. referendus *Tract. 10. Cas. IV. n. 242. in Append. lit. q.* Chassaing *Tr. 2. cap. 4. propos 2.* Alviset in Murenulis, seu *De Privil. Regul. Sect. 3. cap. 8.* (defendens etiam *n. 7.* exemptionem Regularium habere locum etiam respectu Nuntiorum Apostolicorum, & Legatorum) post Hostiensem, Anchar. Gambaram, Henriquez, Rodriquez, Villalobos, relatos à Sanchez, Tamburino, & Barbosa in Trident. *Sess. 25. De Regul. cap. 14 num. 10.* contra alios, quos citat, & sequitur idem Barbosa *ibidem*, & rursum *De jure Ecclesiastico Lib. 1. cap. 43. n. 139.* favente Patre Didaco Avendanno *in Thesauro Indico Tom. 2. lib. 17. n. 52.* Ratio est tum ea, quam attuli pro *præcedente* conclusione, tum illa, quam urget Sanchez, & alii, quòd, quando Concilium Tridentinum voluit Episcopis tribuere jus plectendi censuris Regulares delinquentes, fecerit censurarum expressam mentionem, sicuti variis instantiis declarat idem Sanchez, quare earum in aliis casibus omissio, habetur pro vera omissione conformiter *Cap. Nonne. De præsumpt.* tum denique quia Mendicantes gaudent expresso privilegio, ne quisquam absque speciali Sedis Apostolicæ authoritate, ullum ex iis feriat ullâ censurâ. Sorbus *Verb. Exemptio. num. 23.* Legatur Bulla B. Pii V. incipiens: *Etsi Mendicantes.*

l At objicies: *Igitur frustra erit visitatio, & correctio, cujus jus respectu Regularium saltem regentium parochiam non unitam monasterio, tribuit ipsummet Concilium circa administrationem Sacramentorum?* Respondeo, non erit frustra, quia & correctioni jungi potest acris objurgatio, etiam cum pudore coram aliis, verecundiáque delinquentis, quæ multis accidet gravior, quàm aliqua suspensio, & delictum deferri ad Prælatum Regularem, plectendum supplicio commerito, sicuti faciendum esse in aliis quibusdam excessibus nullam dependentiam à ministratione Sacramentorum habentibus, declarant Tamburinus, Barbosa, alii, addente post eosdem Brunone *Tract. 2. cap. 5. propos. 2.* e. g. Generalem privandum officio prælaturæ, & in Episcopum devolvi jus puniendi, de quo vide Trident. *Sess. 25. De Regul. cit. Cap. 14.* & Doctores relatos à Barbosa, si desit suo officio in puniendo, poterit & idem Religiosus privari potestate audiendi Confessiones, vel concionandi in illa Diœcesi. Portel *loc. cit.* Vide etiam Avendanno *loc. cit. n. 53.* & Glos. *Cap. 1. De privil.*

Dico IV. Quod *superiùs* statui de censuris, sentiendum quoque est de casibus reservatis statuto Diœcesano, nulla enim ratio probat, exemptos magis subjici legibus reservantibus casus, & peccata, quàm infligentibus censuram m

Dico V. Jurisdictio, & correctio, quam B. Pius V. & Gregorius XV. Episcopis permiserunt in parochos Exemptos pravè administrantes Sacramenta, usurpanda, & facienda est tolo tempore visitationis. Ita magnus Episcoporum patronus Augustinus Barbosa ipsemet infulatus, scribit *De Iure Ecclesiastico Lib. 1 cap. 43. n. 137.* adeò reflexè, & studiosè referens pro se Ascanium Tamburinum *To. 3. de jur. Abbat. disp. 5. quæst. 11. num. 59.* ut, tametsi nihil ejusmodi reperiam in hujus autoris editione Veneta Anni 1640. non dubitem tamen, quin ita scripserit in aliqua posteriore, quam non viderim, cùm ille liber correctior Barbosæ lucem aspexerit primùm Anno 1660. Probatur inde conclusio, quòd jura Canonica, & Doctores perpetuò clament, correctionem juris, & singulariter favorabilis, gravissimísque de causis inducti esse odiosam, proindéque restringendam, quoad proprietas verborum fert; atqui verba, quibus Pontifices volunt exemptos subjici Episcoporum jurisdictioni, visitationi, correctioni, circa delicta commissa in Sacramentis tractandis, retinent suam proprietatem, etsi restringantur ad articulum visitationis. Accedit, quòd Concilium meritò (utinam non sæpe fallò) supponat, visitationem ab Episcopis fieri frequentem secundùm Canones, cùm ea sit vel præcipua, vel una è præcipuis, & summè non tantùm utilibus, sed etiam necessariis, adeóque sub mortali mortalissimo præceptis functionibus Episcopalibus, ut alibi observavimus ex Barbosa, Alano, & aliis.

Dico VI. Tametsi nequeant communiter, ut dixi *lit. K.* exempti feriri ab Episcopis ullâ censurâ, etiam in casibus, quibus jura illos subjiciunt horum correctioni, sunt tamen eorum casuum nonnulli, in quibus id possunt, quia scilicet Pontifices & Concil. Trident. expressè id ipsis permiserunt. Illos casus refert Chassaing *De privil. Reg. Tr. 2. cap. 5. propos. 1.* exprimens septem ejusmodi, & subdens alios septendecim, in quibus exempti subjiciuntur quidem expressè jurisdictioni Episcopi, sed sine jure puniendi censuris. At verò Ascanius Tamburinus *De Iure Abbatum loc. cit. a num. 44.* ad 90. horum ipsorum casuum ferè ex solo Tridentino enumerat triginta quatuor, & à *num. 91.* ad 101. alios octo ex aliis pluribus, sicut & à *num. 103.* ad *num. 117.* recenset alios tredecim, & quidem in his septenos ex ipso Concil. Trident. quibus expressè fit permissio Episcopis percellendi anathemate quosvis exemptos. Videri etiam potest Pasqualigus

in Observationibus ad Controversias Laureti de Franchis. Part. 2. quæst. 6. Quæ eò memoro, ut Regulares hæc legentes, tantò studiosiùs caveant illos excessus; quamvis Virginius Alviset. *de privil. Regul. sect. 3. cap. 8. §. 4. n. 2.* singulariter, & *Sect. 4. dub. 7.* videatur negare hos omnes casus.

p Dico VII. Parochus Religionis Exemptæ commorans in parochia subdita Episcopo, si admittit, etiam extra Sacramenti administrationem, crimen notorium, & scandalosum, nequit è vestigio puniri ab Episcopo, sed hic debet monere ejus Superiorem, ut debitâ pœnâ coërceat, quam si negligat hic inferre, tum superior ejusdem Prælati movebit illum officio, atque Episcopus decernet castigationem sibi bene visam. Pasqualigus tum *loc. cit.* tum vel maximè *Part. 1. n. 4. & 5.* ubi distinctè hac de re, atque alii plerique relati, & observavi *suprà lit. L.*

q Dico VIII. Absolutionem Episcopalium, seu Casuum, seu censurarum, si quas fortè incurrant Regulares, de quibus hactenus, impertietur solus Episcopus, tum quia *per se loquendo* ejusdem est absolvere, cujus ligare. *leg. Nemo. ff. De Reg. jur. & ibi not.* tum quia Alexander VII. generatim declaravit, Regulares non posse vi suorum privilegiorum quemquam absolvere à reservatis Episcopo. Dixi: *A reservatis Episcopo*, quia si Religiosus, de quo loquimur, committat delictum subjectum censuræ Papali, à qua possit tam ipse, quàm Episcopus alios absolvere; porerit illum, de quo hìc est sermo, absolutione donare Prælatus illius. Ratio est, quia talis non eximitur à jurisdictione sui Prælati. Pasqualigus *loc. cit. Part. 1. n. 117.* nam jurisdictio semper censetur esse *cumulativè* concessa respectu judicis ordinarii. Idem post Baldum, Bartolum, alios; ergo quamvis Episcopus habeat jus absolvendi talem, si censura non est reservata, nihilominus poterit ordinarius Prælatus impertiri eidem illud beneficium.

r Finem impono huic prolixæ Appendici observando, causam unicam adeò magnæ dissensionis inter scriptores vigentis circa potiores ex articulis hìc discussis, exortam esse ex ipsorummet Pontificum contrarietate, seu vera, ut reor, seu vehementer apparente. Non enim solùm Julius II. donavit Præmonstratenses illâ immunitate, de qua suprà *lit. A.* verùm ipsummet Concil. Trident. approbatum à Pio IV. eandem gratiam diserte fecit in *Sess. 25. cap. 12. De Reg.* omnibus Monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in parochos, & parochianos exercent. At verò B. Pius V. immediatus Successor Quarti, atque etiam Gregorius XIII. subjecerunt expressè tales, etsi aliàs exemptos, non obstante Decreto Trident. jurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinariorum in causis concernentibus curam animarum, ut videre est apud Gallemart *in cit. Cap. 11.* & alios. Quin Gregorius XV. in Bulla: *Inscrutabili*, quæ est apud Cherubinum XVII. ejusdem Pontificis, subjicit omnes exemptos quoque Episcopis, derogando omnibus privilegiis, etiam in corpore juris contentis, quam Bullam confirmavit Urbanus VIII. Anno 1623. ut cernere est apud Barbosam *de jure Ecclesiastico Lib. 1. cap. 43. num. 36.* & Ascan. Tamb. *De Jure Abbatum Tom. 3. disp. 5. quæst. 11. n. 46. & 49.*

E diverso non modò Clemens VIII. referente Francisco Leone *in Thesaur. fori Eccles. Part. 1. cap. 8.* restituit Regulares exemptioni ipsis impertitæ à Concil. Trident. sed etiam ipse Urbanus apud Chassaing *in privil. Regular. Part. 1. cap. 2. propos. 2.* & Alviset *cit. dub. 7.* bis *implicitè* revocavit Bullam Gregorii, aliásque similes quoad illam subjectionem Regularium, dum videlicet in primis Anno 1625. die 7. Februarii suspendit omnes & singulos Bullæ illius Gregorianæ articulos, quatenus revocabant privilegia Exemptorum. Deinde Anno 1629. dum innovavit omnia, & singula privilegia unquam concessa Congregationi S. Mauri, cum qua Mendicantes Ordines integre participant. Quia igitur Clemens VIII. secutus est in sede Petri Beatum Pium V. plagam inferentem privilegiis Exemptorum, Gregorium autem XIII. & XV. id ipsum facientes erga eosdem Urbanus VIII. standum omnino videtur per *Leg. 4. ff. De Constit. princ. & Leg. Præcipimus. Cod. De appell.* hac postremâ Pontificiâ largitate, pro qua allegat quidem Bruno *propos. 3.* ejusdem Urbani Bullam. *In supereminenti*, at nullam ejusmodi inter Urbanas exhibet Bullarium Cherubini.

Idem Bruno *cit. Cap. 3. propos. 6.* atque Alviset *cit. dub. 7.* non modò probant, constitutionem Gregorii XIII. incipientem: *In tanta* (quæ multùm detrahebat privilegiis Regularium) fuisse quidem in scripta redactam, at nunquam promulgatam proindeque nullius esse roboris, verùm etiam ibidem expressè negat, fuisse unquam promulgatam Bullam B. Pii V. etiam adversantem immunitatibus Regularium, & insuper describit plagulam ex alia Bulla ejusdem Gregorii XIII. incipiente: *Ex benigna*, atque cum tam prægnantibus clausulis derogatoriis quarumcunque literarum Apostolicarum, repugnantium privilegiis quibuscunque Fratrum Minorum, ut ad ejus lectionem remittat idem Bruno Lectorem dicens: *Lege, Lector charissime, hanc Bullam, & videbis amplissimam privilegiorum Regularium confirmationem multorum capitum, cum amplissimis etiam literarum Apostolicarum, Conciliorum, juris communis & aliorum hujusmodi revocatoriis. Nec non etiam videbis quòd Pontifex omnib⁹ judicib⁹ etiã S.R.E. Cardinalib⁹ judicandi, & interpretandi Trident. decreta, & privilegia in dicta Bulla concessa facultatẽ aufert, nisi velint ea interpretari*

eo modo, quo ipse in dicta Bulla judicârat, & interpretatus fuerat, alioqui aliter judicata, & interpretata pro irritis habenda. Idem Bruno eodem *Tract. 2. cap. 2. propos. 3.* atque Alviset, ille Gallus, iste Galliæ vicinus Burgundus inficiantur, Bullam Gregorii XV. esse receptam in Gallia, & Hispania.

u Quin idem Alviset *cit. dub. 7.* defendit, esse probabile, quòd hactenus nulla privilegia Regularium fuerint debitis formâ & modo revocata; quam defensionem ego relinquens in medio, remittensque meum Lectorem ad ea, quæ nominatim de nunc efficaci, & inefficaci revocatione privilegiorum vivæ vocis oraculo impertitorum, referam infrà *Tract. 9. Cas. XXIII. n. 736.* Id nunc observo circa confirmationem privilegiorum frequenter datam cum clausulis: *Dummodo non adversentur Concilio Trident.* vel: *Dummodo non sint revocata à Concilio Tridentino.* adferri duplicem explicationem. *Prima* est hæc: *Non intendimus jam confirmare ea, quæ adversantur Concilio Tridentino, sed ea relinquimus in eo valore, in quo ex variorum Doctorum opinione erant ante Concilium* Illustrissimus Dominus Reding *Tom. 5. Theol. Scholast. q. 10. art. 4. Controvers. 4 num. 14.* ex & cum Patre Castropalao *De Ordin. Sacram. p. 12 num. 13.* *Altera* est hæc: *Dummodo non sint ita contraria Concilio Tridentino, ut ab eo expressè revocentur;* non enim intendit Papa per illam clausulam: *Dummodo* derogare privilegiis, quæ quoquo modo sunt quidem contraria Concilio Tridentino, sed ab eo in terminis non derogantur. Expressè idem D. Reding *loc. cit. n. 28.* referens pro se Suarezium *Lib. 8. de leg. cap. 18. num. 18.* ubi eam explicationem appellat *valde probabilem*; referens quoque pro eadem Portellum, Mirandam, & Rodriquez, quem etiam Suarez nominat. Rationem hujus suæ frequentem usum habentis doctrinæ adfert idem D. Abbas *cit. Controv. 4. num. 13.* hanc: quòd clausula derogatoria apposita à Concilio sit valde odiosa, ergo non extendenda ad omnia contenta, & disposita in illo Concilio, si enim id voluisset Concilium, non collocâsset eam clausulam *in cap. 22. Sess. 25.* sed potiùs in fine, seu ultimo decreto ejusdem Sessionis. Igitur vi prætactæ clausulæ non derogantur illa privilegia Regularium, quæ non adversantur Sessioni XXV. & ejusdem Sessionis capiti XXII. *De Regularibus*, plurima autem non adversantur, sicut nominatim illud, vi cujus possunt Mendicantes suscipere Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, ut videbimus infrà suo loco.

y Nos in hac Provincia Germaniæ Superioris administravimus plus 30. Annis varias parochias Palatinatûs Bavarici, & Neoburgici, quando videlicet eæ reducendæ erant ad fidem Orthodoxam, at fuisse unquam institutam illam visitationem, aut correctionem personarum præfectarum iis Ecclesiis, tametsi integre sæcularibus, audivi nunquam; imò dum hæc ipsa mandabam chartæ, fescitatus sum coram ex uno domesticorum, & mox literis ex alio itidem sacerdote nostro, qui id locorum diversas parochias multos Annis procuraverant quidem, at nihil vel visu, vel auditu unquam perceperant de ulla nostrorum visitatione, ulla correctione, intentatíve minis, tametsi unus ex duobus Dominis Ordinariis eos ad Synodum Diœcesanam vocârit, atque ab eis exegerit Cathedraticum, quod quia videtur annexum inseparabiliter perceptioni fructuum parochialium, non videtur ejus exactio repugnare immunitati Exemptorum. Vices Episcopalium Visitatorum ita strenuè obibant Patres toti Provinciæ præpositi, ut illæsa immunitatis conservatio nihil derogârit bono publico, aut privato.

z In hac amplissima Diœcesi Constantiensi è diverso multæ parochiæ reguntur ab Exemptis Cistertiensibus, Præmonstratensibus, Congregationis Helveticæ Benedictinis, hos rectores non semel visitatos fuisse ab Ordinariis, horúmve ministris, compertum habeo, sicut & scio, unam ex hisce singulariter Ecclesiis existentibus in ipso Monasterio summè exempto, fuisse lustratam, quoad Baptisterium, atque Eucharistiæ, sacrorúmque Oleorum pro sæcularibus assevationem. Quare in ejusmodi locis locum non habet doctrina quam singulariter de toties memorata Bulla Gregorii XV. expressit Barbosa *De jur. Eccles. lib. 1. cap. 43. n. 137.* atque Ascanius Tambur. *De jure Abbat. cit. q. 11. n. 49.* tradunt, quòd nimirum non obliget, ubi non est usu recepta, nam ubi non est usu recepta, si tentaret Ordinarius introducere nunc post tot Annos, videlicet quinquaginta, & ultra, illius usum, meritò non parèrent Regulares objicientes scutum legitimæ præscriptionis fundatæ in productis rationibus, & auctoritatibus.

CONFESSARIUS RUSTICI.

CASUS IX.

SUMMARIUM.

Paradigma Confessionis rusticanæ. 425.
Quid agendum iis, qui nullum in specie peccatum dicunt? 430.
Quid iis, qui edicunt numerum incertissimum? 435.
An interrogandi, utrùm semper fuerint imperitè confessi. 438.

Isidorus ruri natus accedit confessionale, efformatáque cruce dicit confessario: Do-

mine vis me audire confitentem? *Respondet* Volo; dic ergo, à quo tempore non fis confessus, & quid interea peccâris? *Subdit Isidorus*: *A Festo B. V. in æstate non sum confessus.* Quid autem interea peccâsti, *ait Confessarius*? *Domine, subdit Rusticus fateor quidem me esse miserum peccatorem, attamen nihil sum furatus, nunquam me inebriavi, nullum grave juramentum feci, omnibus festis, & Dominicis interfui rebus sacris, & diebus vetitis non comedi carnes. Domine, nihil aliud scio. Interrogat ergo confessarius, an nunquam fuerit iratus, nunquam malum alteri imprecatus, nunquam inter orandum cogitârit de rebus non pertinentibus ad orationem; non mentitus*? *Respondet ad omnia* negativè.

426 *Iodocus Isidoro non multùm absimilis respondet quidem ad aliqua* affirmativè, *at mox subdit, se jam esse confessum.*

Ianuarius itidem fatetur, se aliquot ex his peccatis commisisse, e. g. se & iratum, & sub oratione abreptum aliorsum, at iram fuisse necessariam ad correptionem filii, distractiones non posse evitari à se, etiamsi destinârit orare piè.

427 Quartò *Jordanus ita se accusat*: *Blasphemavi, aliquando in hebdomade ter, aliquando sexies, aliquando nunquam*: *Diabolum fui imprecatus alteri subinde quater in hebdomade, subinde sexies, subinde nunquam*: *Diabolus me auferat, fal'o subinde bis in hebdomade, subinde ter, subinde nunquam*: *habui turpia desideria his tribus mensibus aliquando quotidie per hebdomadem, aliquando tantùm bis, aliquando nunquam. Si quærat confessarius*, quot hebdomadas putas transisse, sine his desideriis? *Respondet*: *Domine, nescio*, quot ergo hebdomadæ transactæ sunt cum quotidianis desideriis impudicis? *Redit Jordanus cum suo* nescio, Domine.

428 Quintò *Jacobe post aliquot peccata narrata ait*: *Mi Domine, me premit adhuc conscientia duorum antiquorum peccatorum, quæ præ verecundia nunquam sum ausa confiteri, & jam vix audeo.* Primum, *quòd, cùm essem ptia æditui, furata sim duos crucigeros (seu Bijoux) positos supra altare, idque in ætate ferè infantili.* Alterum, *quòd jam juncta matrimonio semel die Sacræ Communionis* (*ah horreo dicere*) *die sacræ Communionis biberim unum poculum vini, quod me coëgit ad vomitum, ideque sex horis postquam accesseram mensam DEI.* Quid hisce quinque faciet confessarius?

Vix est confessarius usu longo peritus, qui 429
non meminerit, sibi vel aliquem, vel aliquos rudes homines obtigisse, quorum alii isto, alii illo, universi autem omnibus his modis sint confessi. Resolutiones, quas adferam pro his individuis confitendi modis, exporrigentur ad alios consimiles; *nam non possunt omnes articuli sigillatim legibus, aut Senatûsconsultis* (Resolutionibus Casisticis) *comprehendi. sed cùm in aliquo sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest* (& verò præsunt arcani judices) *ad similia procedere debet*, inquit Julianus relatus *in L. Non possunt, ff. De Legibus.*

Et ad *primum* ex quinque rusticis, seu ru- 430
dibus quod attinet, clarum est, Isidorum illum fuisse, vel esse, ut sic, absolutionis incapacem; ergo proponendæ ipsi aliquæ species communium peccatorum, quas omnes si neget, dici potest, imò juxta Laymann. *cit. Lib. 5. Tr. 6. c. 8. num. 8.* debet: Ergo, mi bone vir, quia nihil vis confiteri, non possum te absolvere, *abi in nomine Domini.* Nec dubitandum, quin complures ex his sint mundi ab omni gravi noxa. Et verò aliquoties id feci, sed aliquando cum eo fructu, ut metus excidendi jure absolutionis excitârit ad meliùs cogitandum de admissis, & nominârit unum, alterúmve. Communiter tamen vel quæro ex talibus, qua- 431
le nam peccatum sint confessi in postrema, aut prioribus Confessionibus, extorqueóque facilè unum, at non reor, me habere sufficientem materiam Confessionis, nisi iis dicam: *Ergo iterum te accusas de hoc peccato*? *& petis à Deo veniam*? Etenim præcisè dicere confessario: *Fui in ultima homologesi confessus hoc, aut illud crimen*, non est ullo modo facere Confessionem *Sacramentalem.* Vel scisciter, an nunquam in pueritia fuerit mentitus, convitiis alios affecerit, parentibus non fuerit causa iræ; & tunc ferè infallibiliter reperio materiam, modò subdat, se rursum taliâ confiteri. Gregorius Te- 432
letius, qui scripsit singularem, & verè pium, prudentémque libellum, cui titulus; *Confessio, seu Institutio Idiotæ*, scribit: *cap. 1. §. 2. q. 1.* Quando advertis, rudem illum esse bonæ mentis, & à non longo tempore confessum, posse elicito actu contritionis, (ad quem, ut illum quasi manu ducas, hortatur,) sine absolutione dimitti post *Misereatur*, & *Indulgentiam*, *&c.* Si verò diu distulit Confessionem e. g. per dimidium Annum, tutius esse, si impertiatur ipsi absolutio, priùs tamen interrogato, an non doleat, quòd, cùm sine dubio, multa saltem venialia peccata commiserit cogitatione, verbo, vel opere, ita tamen incuriè vixerit, ut ad

tam multa peccata nullo modo attenderit, non, inquam, examinârit sua verba, & opera, utrùm sint *licita*, an *illicita* &c. Si agnoscat, se planè incuriè vixisse, & imposterum meliùs ad suas actiones attenturum, censet rectè hic Theologus, posse donari absolutione; etenim talis incuria continet absque dubio aliquam culpam.

433 Iodocum quod attinet, facilè talis disponetur ad capacitatem absolutionis, si videlicet illi dicatur: Ergo, ut tibi possim dare absolutionem, dic: Domine Deus iterum doleo, & confiteor, quòd ante nuperam Confessionem te Deum meum offenderim immodicâ irâ &c. me emendabo cum Divina tua gratia.

434 Januario dixi ego: *Nonne fuisti iratus plus, quàm necesse erat, nunquam potuisses adhibere majorem diligentiam ad expellendas distractiones*? Respondit ad utrumque *affirmativè*. Ergo se reddidit dignum absolutione.

435 Jordano consimiles facessunt confessario magnam molestiam, re enim verâ nequit ullo modo prudenter conjici verisimilis numerus horum criminum, & tamen si instes, ut aliquem verisimilem exprimant, cantabunt eandem cantilenam: *Subinde ter in hebdomade, subinde quater, subinde nunquam.* Et verò sæpius mihi obtigit tam hebetis ingenii homo, ut desperârim de ullo alio numero prudenter emungendo. Quare absolvi. Aliquando autem eò adduxi, ut denique dixerit: Ferè tot hebdomadæ tranfierunt sine peccato, quot cum illo, & ferè tot hebdomadis blasphemo per mille Sacramenta quater, quot solùm bis. Non est quidem communiter habenda integra fides ejusmodi rudibus tam repente exprimentibus aliquem certum numerum utpote sæpe prorsus temere divinantibus. Marchantius *in Resolutionibus pastor. Tr. 5. c. 3.* non tamen etiam neganda omnis fides, quia inde saltem fit certior confessarius, fuisse persæpe commissum illud peccatum, qua certitudine debet is denique esse contentus. Marchantius. *Ibid.*

436 Et quia incidit hîc sermo de numero, non solùm repetenda sunt, quæ de examine numerico dixi suprà *Cas. VII. num. 336. & seqq.* verùm regulariter huc (id est, ad rudes, de quibus nunc tracto) applicanda doctrina pluribus placita, quam noster P. Stephanus Fagundez *de Præcept. Ecclesiæ Præcept. 2. Lib. 3. cap. 4.* eximit his verbis: Rustici homines, qui agresti modo confitentur sine numero, ac diligentia, cogendi non sunt repetere Confessiones indoctis parochis factas, cùm enim bonâ fide confiteantur, & uniformem vitæ rationem habeant, statim ex Confessione unius Anni conjiciet prudens confessarius, quantum reliquis Annis peccârint, & quem numerum
437 peccatorum commiserint. Ita ille; intelligendus de illo solo rustico, quem nescis, aut à pau- culis Annis contraxisse pessimam aliquam consuetudinem, qua erat liber prioribus Annis, aut posterioribus Annis fuisse in majore, vel notabiliter minore occasione peccandi, quàm prioribus comprehensis etiam in hac Confessione.

At inquies: Quando rusticus ita confitetur 438
mihi hodie sine ullo numero, *teneórne interrogare, utrùm soleat ita confiteri, necne*?

Respondeo. *Absolutè* non teneris, quia ut monui suprà *num. 326.* Confessarius posterior debet præsumere, priorem Confessarium esse rite functum suo officio, ergo & examinâsse de numero, etenim *num. 205.* retuli, ex communi sensu Doctorum, interea, quæ confessarius sub mortali tenetur quærere, esse numerum mortalium, quæ pœnitens aperit. 439

At si *interrogarem*, *fortè dicerèt*: *semper ita confiteor, fuitque noster D. Parochus contentus.*

Resp. Istud *fortè* non imponit tibi onus interrogandi. Quòd si tibi scisciranti det illud responsum rusticus, fidem habebis, & consequenter debebis interrogare de numero peccatorum detectorum in aliis Confessionibus, quia alioqui Confessio, quam apud te facit, jam erit manca. Dices: *Ergo, ne mihi imponam onus tam molestum, abstinebo ab illa quæstione; an fuerit aliàs solitus ita imperitè confiteri*? Resp. Peccabis, quia affectata ignorantia dicet sententiam contra te, ergo hic metus non debet te regere, sed ratio, quam attuli, de præsumendo, (nisi contrarium appareat) quòd prior confessarius egerit, quod erat sui muneris.

At, *novi, parochum illius Iordani esse valde so-* 440
cordem in hoc negotio: *ipse enim solet mihi confiteri, & quidem non rarò mortalia, attamen etiam sine numero, quem vix, aut ne vix quidem extorqueo.*

Resp. Me facilè tibi credere, & propterea suadeo, dicas illi, ubi ad te redierit; *Mi Domine, quàm miserabiliter audies tuos parochianos; cùm tu ipse confitearis tam imperfectè*? Nihilominus tamen quia & ignoras, utrùm ita egerit cum tuo Jordano, sicut cum quibusdam aliis, & non teneris notitiâ Confessionis uti aliter, quàm si totâ vitâ tuâ nullam excepisses. Infrà *num. 875.* idcirco nec in tali eventu te obligo ad proponendam illam quæstionem.

Postremò Jacoben, seu *quintum*, aut *quin-* 441
tam ex illis rudibus quod spectat, sine dubio interroganda est, an, & quoties venerit ipsi in mentem memoria hujus, aut alterius peccati veri vel existimati, quando volebat confiteri, & an siluerit, rata hoc silentio graviter offendi Deum; Responsioni ejus applicabis doctrinas datas *num. 259. & seqq.* Adjicies: Vide, quàm turpiter dœmon te naso traxerit, injiciendo tibi falsam opinionem de malitia mortali in iis duobus casibus, quos recensuisti; hac diaboli fraude e-

docta cave, inposterum quidquam ex rubore taceas.

442 Dictis de Rusticis, seu rudibus adde, complures ex iis planè ignorare multa, quæ nôsse deberent, patrare quoque non rarò ex mera ignorantia crimina, quæ ipsa naturæ lex, nedum quæ Ecclesiastica prohibet; ergo singulariter his applica doctrinas traditas *Cas. VI. n. 298. & seqq.* & *Cas. VII. num. 311.* ubi de Fide Trinitatis.

CONFESSARIUS PUERI.

CASUS X.

Verè Puerilis.

SUMMARIUM.

Paradigma Confessionis puerilis. 443.
An difficile sit, audire confitentes puerulos. 444.
Describitur Laymanni doctrina de Confessionibus, & absolutionibus talium. 447.
Item Lessii. 450.
Et traditur propria de pueris Germanis. 452.
Sicut & praxis expiscandi necessariam maturitatem judicii. 455.
Et alia doctrina de committentibus peccata, quæ tantùm in genere apprehenderunt esse mala. 458.

443 K*Arolus puerulus ferè octennis ingressus confessionale, & effecto signo crucis mox dicit*: Nequam: Nebulo, Trifurcifer: Mastigia: Nequam: Nebulo: *Non diligenter didici: non lavi manus, quando surrexi: saltavi per plateas; verberavi sororculam; matri mentitus fui; reperi sub mensa unum crucigerum, seu bajocum, & non ostendi matri; semel contra veritatem dixi: si hoc non est verum, non abeam hinc vivus; iterum semel juravi, dicens*: Verè, *& tamen non erat verum; nihil aliud. Dum autem hæc dicit, quandoque digitis fricat cratem interjectam inter ipsum & confessarium, quandoque nugatur circa suum rosarium, & pileum; quandoque etiam vultum, & oculos vertit versùs alios pueros adgeniculantes. Quæritur, quid confessario sit agendum cum hoc puero?*

444 Audii non semel nonnullos è nostris Patribus dicentes, se multò libentiùs excipere Confessiones etiam virorum, quàm puerorum octennium, novennium; idcirco quòd nimis frequens periculum sit, ne his absolutio negetur, cùm danda esset, & maximè ne detur, cùm esset neganda ob incapacitatem ortam ex defectu rationis, seu judicii requisiti ad dolorem, propositum, notitiam peccati, & fidem supernaturalem. Parùm abest, quin hoc ipsum profitear de meipso, tametsi videri queam, tot millibus Confessionum puerilium, quas excepi, lectione quoque tot scriptorum dissentium de hoc puerili argumento, utcunque edoctus modum, rationémque depellendi omnem scrupulum. Paradigma Confessionis puerilis injicere valentis aliquam anxietatem exhibet Casus propositus; in quo ponderandæ sunt sequentes peristases, seu circumstantiæ. 1. Ætas inter septimum, & octavum Annum. 2. Tam fatuum exordium Confessionis. 3. Repetita eorundem peccatorum nominatio. 4. Peccata non peccata. 5. Peccata duo secundùm se venialia. 6. Peccatum unum ex se mortale. 7. Nugæ, quas tractat cum crate, pileo, rosario. 8. Vultûs conversio ad socios. 445

Prima, quinta, & maximè *sexta* circumstantiæ videntur persuadere, impertiendam esse absolutionem; cum enim supponatur esse major septennio, præsumptio est de usu rationis præsenti. At *secunda, tertia, quarta, septima* indicant nimiam infirmitatem judicii. Porrò has circumstantias non fingo, sed non semel exhibitas refero. 446

Pro resolutione autem hujus, & similium dubiorum describo fusiùs, ac soleo, verba aliena, scilicet nostri P. Pauli Laymanni, qui *cit. Lib. 5. Theolog. Moralis Tr. 6. c. 5. n. 7.* sapienter sic scribit: De pueris, ac puellis, utrùm absolutionis capaces sint, debet confessarius judicare non ex sola ætate, utrùm scilicet septennium exegerint (post illam enim ætatem præsumptio esse solet de usu rationis) sed multò magis ex ingenii & educationis qualitate, quia multi post illam ætatem, alii ante, rationis discretionem æquiparantur, ita ut non tantùm venialiter, sed etiam mortaliter peccare possint; cujus rei exemplum habemus apud S. Gregorium de puero quinquenni in blasphemiis mortuo, & damnato. Verùm postquam confessarius, consideratis circumstantiis, judicavit, puerum verè, & deliberatè commisisse peccatum, quod confitetur, examinare debet, utrùm doleat de eo ex motivo non tantùm *humano*, quia à patre vapulabit, sed *supernaturali* per fidem cognito, puta, quia Deo contrarium est, pœnam æternam, vel purgatorii meretur, & idcirco à reatu virtute Sacramenti absolvi desideret; sunt enim à natura aliquando adeò vagi, & malè educati, ut, licèt satis dispositi fuerint ad peccandum, tamen non sint dispositi, nec satis à confessario disponi possint ad percipiendam pœnitentiam. Quare in hoc casu orationem, quasi pœnitentiæ loco, puero imponat, & crucis benedictione super ejus caput formatâ dimittat; expedit enim, pueros quamvis absolutionis nondum capaces audire, ut paulatim instituantur, & Confessioni assuescant. Quòd si, 447 448

449 omnibus consideratis, de pueri capacitate dubium maneat, tunc absolvi potest *sub conditione, ne*, saltem animo retentâ, imò in articulo mortis absolvi debet. Denique id moneo, si materia Confessionis, quam puer adfert, mortalis videatur, sed ob ejus incapacitatem non absolvatur, de hoc ipso monendum esse puerum, ut sciens, se absolutum non esse, majorem dispositionem adferat, ad iteratam Confessionem. Hactenus Laymann.

450 Quibus adde P. Lessium *in Auctar. seu conf. verb. Confessarius cap. 6.* sic breviter resolventem: Pueri videntur capaces rationis, si sciant, quid eventurum sit malè agentibus, quid bene, tunc enim concipiunt timorem Numinis, & affectum servitutis erga Deum. Itaque de hoc interrogandi. Si dubitetur, potest dari bona precatio, & benedictio, quæ magni æstimanda est, nec est, quare sacerdos se hìc implicet, aut vexet.

451 Rursum P. Dicastillo *d. 9. n. 758.* post Cardin. de Lugo *d. 17. n. 22.* docet, quando dubitatur de usu rationis pueri, ìsque confitetur aliquod veniale, absolvendum esse etiam extra articulum mortis, tum certè in Paschate, si tunc confiteatur aliquod mortale dubium, tum etiam extra tempus præcepti, esto fateatur solùm veniale, tum ne privetur gratiâ Sacramenti, tum quia fortè habet aliquod occultum mortale, quod *indirectè* absolvatur.

452 Hæc omnia probo, præter id, quòd P. Laymannus scribens in Germania, & Teretius in *supra citato Libello c. 2. §. 5. q. 2.* scribens in Polonia exprimant, quando puer explevit septennium, præsumi usum rationis, id est, potentiam peccandi coram Deo mortaliter adesse; ego enim censeo, me *in Alphab. Communic.* sufficienter ostendisse de Germanis (& cur potiùs de Polonis, Lithuanis?) hoc non posse rationabiliter præsumi ante Annum ætatis octavum, licèt fatear, permultos sub septimum esse verè doli capaces. Et præmiserat idem Teretius *cit. quæst. 2.* hæc verba: *Si parentes, aut Pastores viderint, pueros discernere bonum, & malum, pudefieri de mendacio, de aliqua impudicitia commissa, laudare obedientiam, concludent, illos ratione uti, quemcunque Annum ætatis attigerint.*

453 Ex his omnibus concludo, Karolum (ut superioribus sæculis scribebatur, imprimebatur) nostrum fuisse in his omnibus circumstantiis absolvendum, sed *sub conditione*: absolvendum, quia adferebat materiam ex se mortalem, scilicet Juramentum execratorium falsum; *sub conditione* autem, saltem animo retenta, quia tot actiones planè pueriles junctæ tali ætati, & tali subjecto, scilicet puerulo in Teutonibus educato, injiciebant dubium de sufficiente discretione. Expressi autem nominatim, imprimis inficetissimum illud exordium Confessionis, quo complures usos deprehendi, &, ut oportebat, correxi, quòd scilicet statim inceperit à convitio, non præmittens, se illud jecisse in alium. Fateor, quod res est, cùm ego olim audivi primum omnino puerum ita auspicantem suam Confessionem, orta mihi fuit suspicio, sed levis, an non ex quadam insania meipsum ita honorificè, scilicet, salutaret. Deinde repetitio, seu repetita 454 Confessio ejusdem peccati, signum est infirmitatis Judicii; sicut & Confessio tot non confitendorum, nugæque cum cratibus, & pileo. Sum expertus, prodesse ad cognoscendam maturitatem, si confessarius (ultra ætatis indicationem postea petendam) observet vultum, & gestus pueruli, dum adhuc flectit ante Confessionale, quæ observatio facillimè fit eo tempore, quo alius ingreditur Confessionale, & dicit suum: *Pater noster.*

Ergo, ut exsolvam me dubio, interrogo, 455 cur venerit ad Confessionem; nec desisto, donec dicat, se verè credere, quòd, quinolunt confiteri sua peccata, puniantur à Deo; veniant ad cælum, qui ritè confitentur. Ut autem eliciam ex iis verum, & *formalem* actum fidei, ex quo debet procedere dolor necessarius ad pœnitentiam, ut audivimus suprà loquentem ex communi Laymannum, quærere soleo, utrùm putet, Deum posse falli, & fallere; ex viginti octennibus vix unum reperio, qui non dicat: *Deus non potest fallere, nec falli.* Urgeo: Ergo credis, esse omnia vera, quæ dixit unquam Deus? Respondet: *credo*: Et semper credes? *Semper* subdit ille. Haud rarò etiam in majore dubio 456 de fide *actuali*, (quam sine dubio exercere debent ante Confessionem) ad depellendum hoc dubium dico: *Mi puer, quot digitos habes in tua manu?* respondenti: *quinque*, dico: numera bene; & ubi numeravit, attestans esse revera quinque, instо: *Si autem Deus mitteret aliquem Angelum, qui assereret, esse tibi tantùm quatuor digitos, quid tunc crederes?* Credat mihi meus Lector, cum pueris quandoque repuerascenti, me vix decimum quemque ex novennibus deprehendere, qui non animosè respondeat: *Ego crederem, me habere quatuor tantùm digitos.* Si quæras: eccur hoc? reddit puer responsionem è meditullio Sacrosanctæ Theologiæ depromptam: *quia Deus nequit mentiri; cùm omnia, quæ dicit Deus, sint vera.* Et non rarò efficiet solers confessarius ex his 457 minutulis animis Christi Martyres in proposito. Si enim ulteriùs scisciteturi: Si ergo carnifex Turcicus tibi diceret: vel dic; Gott hat liegen/ und betriegen: *Deus potest mentiri, & decipere homines*: vel demetam tibi caput, accipiet à plurimis hoc virile, & Martium responsum. *Mallem facere jacturam capitis, quàm dicere, quòd non sint omnia vera, quæ Deus locutus est.*

His

458 His omnibus adde pro praxi, tum pueros, tum adultos, præsertim rudes, plurima facere contra conscientiam, solùm generatim dicentem, esse malum, esse peccatum, quando hoc intelligit confessarius, sequatur, amabo, sæpe veram aliorum contra alios sententiam, quòd tunc peccârint solùm, venialiter, esto actio, quam exercuerunt, fuerit de se mortalis, ab iis autem nunquam habita pro tali; nisi enim confessarius hanc sequatur frequenter cynosuram, occidet se, & pœnitentes numero generalium Confessionum repetendarum. Quare Teretius citato libello *De Confessione Idiotæ cap. 1. §. 2. q. 5.* pro una ex regulis, observandis circa talium Confessiones, ponit ex Basæo, & aliis: *Peccatum in confuso apprehensum non excedit peccati venialis limites, præsertim si homo*
459 *sit timoratæ conscientiæ.* Ego pueris, & rudibus adultis, confitentibus mihi crimen à parte rei mortale, sed quod non apprehenderunt ullo modo ut mortale, subtiçuerúntque scienter multis Annis, deinde tamen manifestârunt mihi in Confessione, excitati vel aliqua concione, lectionéve, vel irrequieto morsu conscientiæ, adhibeo hunc quasi Lydium lapidem, & dico: quando accedebas Sacram Synaxin, nónne conscientia tibi dictabat, te à Deo punitum iri, quòd velles sumere Corpus Christi inquinatus tali peccato? Respondenti: Verè mihi nunquam venit in mentem, & si venisset, abstinuissem Communione, dico: Ergo spera, Clementissimum Deum non reputaturum tibi in gravem culpam, attamen pro majore securitate dic mihi, si placet, quoties circiter in vita per mensem, &c. patrâsti cum expresso aliquo remorsu conscientiæ? At verò quando talis peccator ait: Confiteor, quòd communiter fuerim ante & post Divinam mensam valde anxius ob non confessum illud peccatum, tunc procedo cum tali quoad repetitionem priorum confessionum perinde, ac cum manifesto criminis lethalis, nisi subdat, se revera non putâsse, committi sacrilegium, nisi dum tacentur, quæ quis certò scit, esse mortalia: Et multi sunt imbuti hâc opinione fallâ.

CONFESSARIVS FATVI, SVRDI, ET MVTI.

CASVS XI.

Semi-an planè stulti?

SUMMARIUM.

Casus morionis confitentis flexis genibus. 460. Examinatur ille casus. 462. & 463.
Praxis cognoscendi, utrùm tales sint capaces absolutionis. 466. & 467.
Indicium authoris de duobus aliis mente corruptis. 469. & 470.
Praxis agendi cum surdastris. 471. & seqq.
Item cum mutis. 476.

LOllius morio principis N. venit ad me lu- 460
dentem ludum conorum intra domesticos parietes, & ad partem vocavit me, ut esset à sociis segregatus, flexit ante me genua, & incipiebat peccata sat gravia confiteri. Vt ego stulto urgenti absolutionem satisfacerem, dedi loco illius benedictionem sacerdotalem, & dimisi. Quæritur, an talia peccata cadant sub sigillum Confessionis? & an sint vera peccata, à vero stulto patrata, licèt satis astuto, & perverso?

Ita descripsit ad me hunc Casum eximius qui- 461
dam Canonicus Bambergensis Collegiatæ, Parochus urbis sat celebris: qui poterat exprimere, an ille Lollius fuerit capax absolutionis? Si enim dubium est, an peccata, quæ Lollius narravit, fuerint vera peccata, sanè dubitari & potuit, & debuit, an potuerit in ea cadere absolutio Sacramentalis? Nam omne omnino propriè dictum peccatum baptizati est de se materia sufficiens absolutionis. Verùm, omissâ illâ quæstione de sigillo Confessionis, de quo *in Casu XXII. n. 821.*

Resp. Ad quæstionem illius Clarissimi Vi- 462
ri in iis terminis, in quibus proponitur, peccata à vero stulto patrata non esse vera peccata, nos enim nomine *veri stulti* intelligimus planè fatuum, seu impotentem ad discernendum inter bonum, & malum *morale*, cùm tamen sit in ea constitutus ætate, ut secundùm communem naturæ cursum jam deberet posse facere illud discrimen. Atqui de ratione peccati est discretio inter bonum, & malum. Unde fit, ut nec talis sit capax absolutionis, nec ejus ineptiæ cadant sub sigillum, cùm non peragat ullam Confessionem Sacramentalem.

At videtur non immeritò posse dubitari, 463
an ille Lollius nequierit discernere inter bonum, & malum. Rem dubiam reddunt tres istæ circumstantiæ simul sumptæ. 1. Quòd noluerit, nisi seclusis arbitris confiteri. 2. Quòd genua flexerit. 3. Quòd non recensuerit nugas, sed actiones ex objecto valde peccaminosas. Singula, quæ non prosunt, multa collecta juvant, teste senatu Jureconsultorum *ex leg. Instrumenta. Cod. De probat.* Eam ob rem ego tali homini impertirer in extremo agone absolutionem, nisi ego ex iis, qui eum probè nôrunt, discerem, ipsum non ex suo instinctu, sed ex aliorum ridiculorum hominum instigatione narrâsse, quæ narravit, etsi minimè reus
464 illorum. Et verò sicut providè monet Gregorius Teretius *in Confessione Idiotæ Cap. 1. §. 3. q. 2.* quando Confessario obtingit surdus, & mutus à nativitate, debere à domesticis petere aliquam instructionem, ut intelligat, an talis nôrit discernere bonum à malo, & quibus signis manifestet tum dolorem de peccatis, tum se hoc, aut illud patrâsse, ita omnino faciendum cum illo, in quo subest aliqua prudens ratio dubitandi de aliquo aut nullo usu rationis, si quidem res moram patiatur, vel sint, qui edocere queant, & servetur cautela debita si-
465 gillo. Utique autem prudenter egit ille Dominus, quòd non impertiverit absolutionem Lollio, jam enim aliunde noverat, esse mentis emotæ, & proinde peccata, quæ narrabat, vel non esse patrata ab ipso, vel non patrata cum usu rationis sufficiente ad absolutionem.

466 At *estne ille morio capax absolutionis, qui optimè distinguit status hominum, exhibet reverentiam Clericis, varia mandata exigui momenti excipit, & exequitur integre. At, quando urgetur ad peccatorum exhomologesin, horrendum in modum irascitur, vulnera, & mortem illaturus, si suppeterent arma?*

467 Resp. Standum hac in re judicio illorum, quibuscum agit, vivit. Si enim judicant, illum esse ita destitutum mente, ut revera nec Deum, nec infernum, nec cœlestem patriam esse credat, sed tantùm de his loquatur, ut psittacus, vel pica, censendus est non elicere ullos actus supernaturales, & proinde non magis, quàm infantem heri natum, esse absolvendum. Si verò existimetur, verè credere in Deum, hoc ipso potest edoceri modum seriò petendi veniam à Deo, & in articulo mortis absolvi, licèt putetur etiam tunc nihil prorsus velle audire de Confessione. Etenim præsumi potest, illum in hoc puncto planè inculpabiliter totum stultescere, esto in aliis quibusdam ad salutem spectantibus fruatur saltem semipleno usu rationis; qui semiplenus usus rationis, sicuti sufficit ad committendum peccatum veniale, ita etiam sufficit ad semiplenè intelligenda quædam mysteria fidei, exercendósque, imperfectos licèt, actus supernaturales.

468 Etsi verò semifatui non videntur Tannero admittendi ad frequentem Communionem, juxta ea, quæ refero *in Alphab. Communic. Cas. VII.* ubi ex instituto tracto de fatuis, non video tamen, cur negetur semifatuo ablolutio, tametsi quot mensibus eam petat ab illo, qui novit, esse semifatuum, & imperfectè exercere actus necessarios ad hoc Sacramentum.

469 Potuisse mortaliter peccare aliquos ex iis, quorum stultissimas persuasiones describit, noster Angelinus Gazæus in suis piis Hilariis, nominatim illum, qui se esse Archangelum Gabrielem arbitrabatur, vix dubito, propter plurimas actiones, quas obibat exactè, & sine umbra dementiæ; poterat ergo etiam & propriè peccare, & propriè de peccatis dolere. De eo, qui, referente eodem Gazæo, in aliis prudens, at in hoc totus demens, quòd se Deum Patrem esse sibi persuaderet, non sentirem tam bene. Licèt enim P. Tannerus rectè scribat, posse absolvi, qui præ hebetudine ne imperfecto quidem modo potest concipere mysterium Trinitatis, eò quòd in hoc puncto sit habendus pro verè stulto, attamen potest talis credere, esse unum Deum increatum, hoc autem non credit, qui seipsum esse Deum sentit. Prior carebat inculpabiliter verâ fide de Trinitate, nam in hoc puncto erat non malitiosè, sed miserabiliter stultus.

At *est Religiosus Sacerdos cæteraprudens, &* 470
probus, sed nullâ ratione adduci jam potest, ut confiteatur, apprehendens Confessionem, quam alias plus millies piissimè obiit, esse morte ipsâ duriorem, neque posse illam à se obiri sine sacrilegio ob defectum doloris, & intentionis. Estne adigendus saltem ad annuam?

Respondi consultus: Si nequeat miserandus ille vir, quem aliquando vidi, quíque vitâ functus est, post *tertiam* impressionem hujus Alphabeti, cohortationibus induci, non videri pœnâ ullâ urgendum. Cùm enim ex una parte deliret inculpabiliter in hoc puncto, ex altera ducat vitam innocentem, nec possit, obstante illo delirio, sperari, ut accedens Confessarium præstet necessaria ad Confessionem, aut certè non præstet sine prudenti metu majoris mali, non video, cur pœnis spiritualibus, aut corporalibus adigatur ad illud officium Christianum. Nemini laqueum injicere debemus, ait Canon *Cap. De viduis. 27. quæst. 1.* Junge his Catum phrenetici industriè dispositi, relatum *Tract. IV. Cas. VIII. n. 154.*

Surdastros quod attinet, qui scilicet exau- 471
diunt quidem verba, sed non nisi clamantis, vel ita altè loquentis, ut circumstantes necessariò percipiant, quæ à Confessario proferuntur, P. Lessius *in Consil. Verb. Confessarius Cas. XI.* de his interrogatus sic respondit: Non existimo, „ surdastros in magno populi confluxu, qui imperfectè confitentur, posse absolvi, sed esse in „ aliud tempus remittendos, quo possint examinari, nisi fortè essent in periculo mortis &c. „ multóque minùs id licèt, quando præceptum „ Confessionis non obligat. Ergo judicio Lessii, si quis accedens tuum confessionale tibi dicat: *Domine volo confiteri, sed valde ægre audio, debetis altè loqui*, teneberis ipsi altâ voce dicere: non possum tibi jam præbere aures, veni alio tempore. Possevinus *De Officio Curati Cap. 7.* observat, tales esse in loco remoto audiendos, interrogandósque de solis purè necessariis immortalibus, sine sua, aut illorum defatigatione.

Ego quando vel aliunde, vel ex propria 472

experientia didici, aliquem certum pœnitentem esse vitæ integræ, admitto ad Confessionem, & vel impono pœnitentiam levem, etiam aliis fortè audientibus, vel extra Confessionem convenio cum tali & dico: Quando tibi egredienti ex confessionali jostendero totam manum, erit signum e. g. quinque orationum Dominicarum, & totidem salutationum Angelicarum. Quando autem ostendero unà cum manu rosarium (quod etiam pro venialibus utiliter injungitur solitis quotidie, & ferventer recitare) tu recitabis illud. Item quando suppetunt mihi peculiaria signa ex sexu, ætate, conditione, quibus judicem, illum, vel illum surdos, quos antè nunquam audivi confitentes, esse innocentes animas, admitto ad Confessionem. Non admitto, si ob peculiarem rationem timeam, ne adferant talia, de quibus & debeam loqui, & non possim tamen, nisi audientibus aliis, & prudenter suspicantibus, agi de materia mortali. Quamquam
473 fortè erit, qui opinetur, tales, dum ultro pandunt sua peccata in tali loco, hoc ipso dare Confessario potestatem dicendi necessaria, esto audiant alii; quæ sanè opinatio mihi non displicet. Equidem Parochi deberent talibus prohibere, ne publicè confiteantur illi, cui nondum sint bene noti. Reperiuntur autem ex eis nonnulli implicati tot vel scrupulis, vel peccatis, ut meritò scribat Teretius *Cap. 1. §. 3. q. 2.* esse cum iis etiam seorsim confitentibus habendam patientiam magnam.

474 At, *est aliqua non surda stra, sed etiam surda, quæ proinde nesciens, utrùm altâ, an utcunque submissâ voce loquatur, propè instar Stentoris vociferatur, dum sua peccata aperit.* Novi ego talem, sed jam ita doctam, ut accederet Confessarium, nemine alio præsente, & clausis templi januis. Non tenebatur illa fortè quidem confiteri; eò quòd nequiret facere Confessionem, quæ non esset ex se publica, attamen, dum confitebatur, cadebat jure sigilli, quoad signa, quibus Confessarius necessariò utebatur ad ritè fungendum officio, id est, nolebat impedire, quò minùs Confessarius uteretur tunc illis. *Quidsi verò aliqua ex his novit*
475 *scribere? adigétne Confessarius ad scribenda peccata, ut det legenda Confessario?*

Resp. *Negativè* cum Diana *Part. 5. Tract. 6. Res. 3. & 4.* cum multis contra multos, quia non est verosimile, Christum Dominum hoc præcepisse.

476 A surdis transeundo ad mutos, non video, quomodo Confessarius possit cuiquam illorum, extra mortis articulum, dare absolutionem, nisi vel exhibeant scripto, ad quod tamen non tenentur, ut paulò antè de surdis dixi, & de mutis etiam tradit Diana *cit. Res. 3.* cum aliis contra alios, suam Confessionem, vel ab iis, qui eos nôrunt, sit doctus, quibus signis soleant ostendere, se & dolere de peccatis, & velle indicare se peccatores, adeóque petere Christianè absolutionem, & tunc poterunt etiam tempore præcepti, ut observat Fernandez apud Dianam *loc. cit. Res. 2.* cum Naldo, (& quidni etiam in Jubilæis, aliisque celebribus festis?) absolvi, si nequeunt ulla in specie peccata intelligi ex eorum gestibus, aut nutibus. Si autem possunt aliqua intelligi, tunc sanè debent interrogari (citra revelationem) domestici, quid velint hoc, aut illo signo indicare.

Supponunt autem hæresponsiones, mutum 477
teneri tempore præcepti confiteri, & quidem vel nutibus, vel scripturâ, cùm nequeat verbis, ita enim fert sat communis opinio DD. apud Dianam *cit. Res. 3.* Sed de scriptura negavi *n. 475.* Supponunt quoque, si quis alius Confessarius valeat probè intelligere nutum muti, ad illum debere hunc dirigi, & non audiri ab eo, qui solùm imperfectè percipit. Vide Dianam *ll. cc.* & infrà *n. 482.* & quæ de Communione talium disserui *Tract. 4. Cas. VII. in Append.*

CONFESSARIUS LINGUÆ PEREGRINÆ.

CASUS XII.

Succurrentis Necessitati.

SUMMARIUM.

Casus Germani Confessarii excipientis Confessiones Italicas. 478.
Et Lithuani Germanicas. 481.
Describuntur verba variorum Theologorum, loquentium de Confessariis non satis intelligentibus idioma pœnitentium. 481. & seqq.
Ea verba, & sententiæ applicantur praxi. 484. & seqq.
Singulariter discurritur de intelligentibus quidem probè idioma loquentium nitidè, at non item utentium barbaris dialectis. 486.

Micrologus Sacerdos, eatenus gnarus lin- 478
guæ Italicæ, ut eâ loquens intelligeretur probè ab omnibus, at non intelligeret nisi lentè, atque emendatè loquentes, mittitur à suo Superiore ad excipiendas Confessiones decem, aut 12. militum Italorum, vitâ periclitantium, è quibus nonnullorum barbaras dialectos cùm non perciperet, dixit, ubi paucula audiverat, singulis: non assequor satis, quæ loqueris; interrogabo te ordine, tu etiam mihi quærenti, hócne, an illud patrâris, respondebis: Padre sì, padre nò, &c. sciscitanti de numero respondes: Tante, ò tante volte, *toties, aut toties; ubi proposuero, quæ visa fuerint, si quid præterea tibi occurrat, edicito, aderit bonus*

Deus

Deus, ut cum animæ tuæ solatio percipias absolutionem. Dictum, factum. Nam mores id genus hominum erant Micrologo ita noti, ut posset aptè interrogare. Quæritur nihilominus, an non egerit temere, dum suscepit id officii?

479 Resp. Non temere, quia & jussu Moderatorum, & in vera necessitate, cùm non adesset peritior Italicæ, & denique, quia, *per se loquendo*, videtur etiam extra veram necessitatem quisque similis Micrologo, quem de se hæc narrantem audivi, aggredi id posse. Quia tamen perfrequenter contingit, ut Confessarius nequeat omnia pœnitentis peccata intelligere, vel ob linguæ, dentium, gutturis vitium, vel ob idiomatis ignorantiam, idcirco movent Theologi Morales peculiarem quæstionem de Confessione facta, vel facienda Confessario non satis gnaro idiomatis, in quo illa peragitur: An scilicet repetenda, & quid agendum tali Confessario?

480 Proponam ego ea, quæ Anno 1659. collegi ex variis scriptoribus, in gratiam cujusdam optimi Patris è Lithuania oriundi, ad quem excipientem Latinas Confessiones nostrorum discipulorum, ventitabant quandoque nonnulli Latinam ignorantes, ideóque proposuit mihi

Hanc Quæstionum.

481 *Cum non intelligam omnia vocabula Constantiensium incolarum, & accolarum, quæro, teneárne venientes ad me dimittere sine absolutione? & utrùm, bona conscientiâ, possim illos admittere ad meum confessionale?*

Itaque Navarrus *Lib. 5. Consil. De Pœn. & Remiss. cons.* apud alios decimo, apud me 13. »sic resolvit: Æthiops in Provincia Brasilica »potest absolvi, si solùm unum, aut alterum »peccatum intelligat Confessarius, esto alia »non intelligat. Henriq. *Lib. 5. cap. 11. n. 3.* »sic: Vir ignotæ linguæ tempore præcepti ab»solvendus est, si confiteatur, quæ potest, li»cèt Confessarius quædam non satis intelligat. »Emman. Sa *Verb. Absolutio n. 10.* Posse ab»solvi etiam sanum, qui ob linguæ ignorantia»am quædam solùm explicat, probabile est; fa»cit enim; quoad potest, integram Confessio»nem. Tannerus *Disp. 6 quæst. 7. n. 68.* Vir ig-
482 »notæ linguæ tempore præcepti potest confi»teri sacerdoti, etiamsi non omnino probè in»telligat, si non adsit interpres, nec Confessa»rius alius commodè haberi possit, qui omnia »intelligat. Bonacina *De Sacram. Disp. 5. q. 5. »p. 2. §. 4. n. 6.* sic differit: Mutus, qui sua pec»cata confitetur, absolvendus est, saltem tem»pore præcepti, quamvis Confessarius ipsius »peccata percipere non valeat. Idem dicen»dum puto de extraneo loquente eo idiomate, quod à Confessario non bene percipitur, modò non adsit alius Confessarius, qui percipiat »bene ipsius idioma. Apud Reginaldum *Lib. 6. n. 155.* leges hæc verba: *Recte docet Navarrus, ignarum linguæ, qua Confessarius loquitur, posse absolvi, si unum, aut duo peccata sua sic exprimat, ut a Confessario intelligantur, velitque omnia confiteri, & id facere conetur. Idem sentio de muto.* Sic Reginald. breviter dicente Laymanno *in Theol. Moral. Lib. 5. Tract. 6. c. 8. valide* absolvitur mutus, surdus, balbutiens, »ignotæ linguæ, si omnia peccata sua explicare »nequeat; & Palao *Tract. 23. p. 11. n. 2.* Potes »absolvi, si mutus, balbutiens, peregrini idio»matis nequeas omnia explicare, modò expli»ces, quæ commodè potes. Denique Ludov. Lopez, cui plerique se fatentur adhærere, & qui *in Instructorio P. 1. c. 27.* omnium fusissi-
483 mè tractat hoc argumentum, sic scribit: Licèt Medina dicat, Castellanum, qui planè Galli»cam non callet, non posse audire, nec absol»vere, extra articulum mortis, Gallum, si tan»tùm tria ejus peccata intelligere possit, sed si»ne absolutione dimittendum ad alium Con»fessarium plenè intelligentem, etiamsi quæ»rendus sit in alio oppido, puto tamen, posse, »etiam, extra istam necessitatem, audiri, & ab»solvi à Confessario semiperito in ejus lingua, »qui aliqua peccata ejus intelligit, aliqua non, »& non patet facilis accessus ad alium plenè »peritum, neque exspectatur commoditas al»teri, plenè callenti linguam ejus, confitendi. »Nam & muti possunt per nutus confiteri, ex»tra articulum mortis, & talis facit, quod po»test; & dimidiari potest Confessio, extra»mortis articulum, quando aliquod certum »peccatum nequit aperiri sine damno pœniten»tis.

Ita scribunt Authores citati, è quorum ali- 484
quibus, aut omnibus deduco pro praxi sequentia.

I. Pœnitens conscius sibi unius, aut plurium mortalium, de quibus propriè dubitat, utrùm possit Confessario, non satis perito sui idiomatis, & dialecti, ita clarè exprimere, ut hic intelligat species, & circumstantias *mutantes speciem*, accedendo talem peccat, si possit commodè nanciscialium, de cujus scientia non dubitet. Si autem nequeat commodè, urgeátque præceptum Confessionis, accedet *licitè*, esto liquidò sciat, non omnia intellectum iri, dummodo proponat eadem postea confiteri alteri. Et quia Navarrus, Sa, Reginald. Palaus, non restringunt suam doctrinam ad tempus præcepti, nec egó restringo.

II. Si verò habeat conscientiam nullo mor- 485
tali crimine oneratam, libere accedet illum semiperitum.

III. Quando tibi obtingit, talis pœnitens, qualem describunt citati authores, ac nôsti, non adesse, qui meliùs, quàm tu, sit intellecturus peccata ipsius, audi illum sine scrupulo, quo-

sunque tempore veniat; est enim permolestum sæcularibus, qui ad Confessionem, Communionémque se præparaverunt, recedere à confessionali inauditos, inabsolutos. Qui quidem si aliquid fateatur, de quo, consideratis circumstantiis personæ, meritò dubites, an sit mortale, & per nullam circumscriptionem, vocabulorúmque variationem intelligere queas, quid tandem illud sit, mone, ut ante Communionem, si sine notabili incommodo fieri queat, alium quærat, cui integre aperiat. Equidem Sa *v. Absolutio n. 9. absolutè* scribit, tales posse absolvi, etiamsi unum duntaxat veniale nutibus exprimant.

486 IV. Quia video, nostræ Societatis, aliorúmque Ordinum Religiosos libere, & sine omni scrupulo exponi à Superioribus ad excipiendas Confessiones rusticorum, accolentium urbes Friburgum in Nuithonia, Bruntrutum in Rauracia, utentium dialecto difficillimè intelligibili, nisi à doctis longo usu, & idipsum factitari per Bavariam, Palatinatum, terram Leodiensem, &c. ubi inter agrestes vigent verba, modique loquendi valde alieni à linguis, seu dialectis, quas solas nôrunt illi Confessarii, & excipiunt illas Confessiones etiam communibus per annum festis, cùm tamen sit certum, quòd primis mensibus quandoque errent, intelligentes quid pro quo, imò interdum nullâ ratione possint extorquere explicationem sufficientem nonnullorum, quia, inquam, video, audio ista factitari à tot Superioribus, tot inferioribus, virtute, & doctrinâ spectandis, judico, nullum inferiorem debere, non dico, detrectare, sed nec multùm deprecari, si peritus tantùm unius dialecti in illa lingua exponatur ad excipiendas Confessiones utentium aliâ admodum, non tamen extremè diversâ. Sicuti extremè à Germanica, & Italica distat Grisonica, conflata ex utraque, quemadmodum & Flandrica à Saxonica.

487 V. Quia ille Pater Lithuanus, de quo *n. 480.* ita callebat communem linguam Germanica m; à qua non in valde multis terminis differet Constantiensis, súntque Constantienses ita sciti, ut facilè ad captum audientis varient verba, ac sententias, idcirco potuit ille Pater intrepidè admittere adventantes. Siqua tamen probabiliter mortalia non percipiebat, debebat quidem impertiri absolutionem, attamen monere, ut non intellecta aperirent alteri. Idem dic de iis, de quibus *num. præced.*

488 VI. Micrologus, de quo noster præcipuus Casus, poterat utique accedere illos milites, cùm & urgeret necessitas, & abesset periculum probabile *essentialis* imperfectionis, ut jam superiùs dixi.

CONFESSARIUS DORMITANS.

CASUS XIII.

Dianæus.

SUMMARIUM.

Casus dormitantis Confessarii, dum excipiebat Confessiones Monialium. 489.
Dormitans Confessarius quando peccet mortaliter? 491.
Somnus Confessarii est rarissimè mortaliter malus. Ibid.
Quomodo possit pœnitens cognoscere, Confessarium dormisse sub narratione hujus, aut illius peccati? 492. 489

Nonnius Confessarius in quodam Monasterio Monialium inter audiendas Confessiones aliquando dormitabat. Unde non intelligebat aliqua peccata. Quæsierunt postea exme, an præcisæ Confessiones essent (totæ) repetendæ?

Sic scribit de seipso Diana *Part. 3. Tract. 5. Res. 109* ac respondet cum, & ex Laymanno *Theol. Moral. Lib. 5. Tract. 6 cap. 9. negativè*, eò quòd utique fuerint per illius dormitantis absolutionem verè dimissa peccata, quæ ipse, vigil intellexerat; illa autem, quæ dormienti narrata erant, fuisse rursum subjicienda clavibus, si quidem erant lethalia.

At inquies 1. *Unde potuit aliqua Monialis* 490
cognoscere dormisse Confessarium, quando hoc, & non aliud peccatum ipsa edicebat? Inquies 2. *Quid agendum fuit Confessario expergefacto ex somno?* Inquies 3. *Quantum peccet, qui suâ culpâ dormitat, vel dormit id temporis?*

Ad hanc *tertiam* quæstionem respondeo: 491
peccat mortaliter, si per ejus dormitationem fiat, ut aliquod mortale crimen nec intelligatur, nec possit ejus non intellecti repetitio exigi sine notabili molestia pœnitentis, juxta dicta superiùs *Cas. V. n. 237.* de fovente deliberatè distractiones. Puto tamen, nullum, nisi valde scleratum Confessarium, debere in dubio formare sibi scrupulum de plusquam veniali negligentia in dispellenda somnolentia: licèt enim plenè deliberata negligentia in discutiendo somno, qui obrepit, non sit excusanda à mortali, ob irreverentiam Sacramenti, & periculum non audiendi necessariò audienda, rarissimè tamen est ejusmodi negligentia plenè deliberata. Si verò pœnitentes sint antea noti de constante innocentia, minùs adhuc mala erit negligentia in discutienda somnolentia, quia & tales minùs ægre ferunt, & nullum subest periculum omittendi aliquid *substantiale*.

492 Ad *alteram* quæstionem dico, Confessarium expergefactum teneri facere id, quod *num. 238.* dixi de non intelligente ob distractionem.

493 Ad *primam* quæstionem respondeo, posse utique quandoque fieri, ut pœnitens notet ante absolutionem ex aliquo signo, utrùm Confessarius fuerit planè vigil in principio, medio, aut fine; & tunc non repetet illud, quod dixit tempore, quo scit, fuisse vigilem, sed solùm illud, quod narratum fuit post medium, e. g. si ante absolutionem notet dormivisse post mediam Confessionem. Si verò non possit cognoscere, quo tempore Confessionis dormierit, tunc meritò dubitat de singulis, an sint percepta; & tunc tenetur omnia mortalia repetere, quia certum est, quòd teneatur aliqua, cùm sit certus, non esse omnia percepta. Si aliqua tenetur repetere, ergo omnia, quia non est major ratio de his, quàm de illis; cùm æquè de his, atque de illis sit anceps. Vide Cardinalem de Lugo *Disp. 16, Sect. 15.* & Dicastillum *Disp. 8. num. 91. & seqq.* differentes de casu relato ex Diana.

CONFESSARIUS SCRUPULOSI.

CASUS XIV.

Scrupulosæ delirè.

SUMMARIUM.

Casus mulieris delirè scrupulosæ. 494.
Nomen scrupuli accipitur tripliciter. 496.
Remedia adversùs scrupulos varia proponuntur. 498. & seqq.
Nominantur authores, de his scribentes. 503.

494 *Olympia nobilis fœmina innumeris agitata scrupulis, totáque urbe talis cognita me accessit; spopondi, me illam pro virili parte directurum, modo mihi promitteret, se paratam esse obsequi meis consiliis, nec ad Confessionem iterum peccata delaturam quando ego non deferenda judicarem: ad sacram Communionem accessuram, quando præciperem, & alia ejusmodi. Noluit bona mulier hæc mihi promittere. Quare illam ut immedicabilem dimisi, veluti dimissam deinde cognovi à pluribus prudentissimis Patribus fuisse.*

495 P. Thomas Tamburin. *in Decal. Lib. 1. cap.*

3. §. 8. num. 4. refert hæc de se, dèque illa fœmina, quam *delirè scrupulosam* fuisse censet, & cui haud multùm dissimiles sunt utique alii experti, sicut & ego, sed feliciore aliquando cum successu. Tradam hoc loco remedia diversa, quæ sapientes judicant adhibenda scrupulosis, non quidem singula singulis, sed his hæc, aliis alia.

Priùs tamen observo, nomen *Scrupuli* accipi tribus modis. 1. Pro quodam timore, seu anxietate, ne fortè peccata præterita, etiam post adhibita, quæ Deus præcepit, remedia, non sint remissa. 2. Pro levi suspicione, aut existimatione ex levibus orta rationibus, qua credis, aliquid esse peccatum, quod non est. 3. Pro apprehensione, & timore nixis inani ratione, quibus times, alicubi esse peccatum, ubi non est. Habent omnes hæ actiones adjunctam animi anxietatem, inquietudinem & quasi punctionem. Unde vocantur *Scrupuli*. 496

Origines variæ scrupulorum enumerat singulariter inter Theologos Tamburinus *loc. cit. num. 1.* inter Ascetas R. P. Hugo Roth piissimæ memoriæ, primus meus in spiritu Religioso Magister, & dux verbo, exemplóque, proinde dignissimus encomiis, quibus illum jam vitâ functum exornat is, qui scripsit præfationem in *viam Regiam virtutis*, profunda cum sapientia exaratam ab eodem rerum spiritualium scientissimo Patre; hic, inquam, à me gratæ memoriæ ergo nominatus Pater *Part. 1. Sect. 3, cap. 17.* illius libri, digito demonstrat fontes scrupulorum cognoscendos iis, qui aptè mederi volunt scrupulosis; ergo legendus horum alteruter, aut alius. Ego ad medicinas proponendas me accingo. 497

Primum itaque, & summum remedium adversùs scrupulos triplici illo modo dictos, est, ut scrupulosus manifestet syncerè alicui viro pio, prudenti, rerum spiritualium intelligenti, statum suæ animæ, quatenus *directè*, vel *indirectè* tangit scrupulos, & ubi aperuerit, stet integerrimè judicio ipsius; certus, etsi fortè erraret vir ille prudens, haud tamen imputatum iri scrupuloso in ullam culpam à Deo. Melius remedium exhiberi non posse scrupuloso, scribit cum aliis P. Martinus Becanus in *Tom. 2. Tr. 1. cap. 4.* aliique plures, exprimente Sanch. *in Summ. Lib. 1. cap. 10. n. 87.* illum tutâ conscientiâ existimare, se esse scrupulosum, qui judicio Confessarii, alteriúsve viri pii, ac prudentis, illum perspectum habentis habetur pro scrupuloso. 498

At, inquit scrupulosus: *Ille me non bene* 499
novit: habet me pro longè alio, longè probiore, longè meticuloſiore, quàm sim, alioquin aliter resolveret. Ita sanè non semel fuit mihi ipsi responsum, seu replicatum. At ego triplicavi: Ergo me habes pro animæ tuæ proditore? utpote qui tam constanter, & apertè pronuntiem, tu-

as apprehensiones, suspiciones, judicia esse meros scrupulos, & tamen te non noverim? An ignoras, esse æquè à me reddendam Supremo Judici rationem de tua anima, de meis responsis, atque à te? Sanè expertus sum, valuisse haud semel hanc triplicam, at non semper.

500 *Alterum* remedium est adversùs scrupulos *secundo*, & *tertio* modo sumptos, ut in ea materia, in qua ipsum esse scrupulosum judicat Confessarius, dicat apud se: Ego quidem relictus privato meo judicio, aut apprehensioni censeo, aut apprehendo, hoc esse peccatum, hoc esse prohibitum, præceptum &c. quia tamen ego non clarè hoc video, meus autem Confessarius expressè mihi dixit, me posse sine metu offendendi Deum facere in hac materia ea omnia, de quibus non possem sine aliquo remorsu conscientiæ dicere, me clarè perspicere esse peccata, idcirco nolo stare meo privato illo judicio, & apprehensione, sed Regulâ traditâ ab illo, cui veluti interpreti voluntatis

501 Divinæ me subjeci. Sæpe usu didici, valuisse hoc antidotum, at nonnunquam non valuisse, nisi ille scrupulosus doceretur dicere: *Non audeo per sancta Dei Evangelia jurare, hoc aut istud esse peccatum*: Ergo hoc ipso est mihi scrupuloso licitum; imò hoc ipso, quòd mea scrupulosa (id est, stulta) conscientia suggerat, esse peccatum, faciam, alioqui non facturus. Re enim verâ sæpe monendi sunt scrupulosi, ut obsecuti doctrinæ traditæ à nostro sancto Fundatore, in aureo libello Exercitiorum, agant contra scrupulos, esto apprehendant, aut etiam judicent ex se, illud, quod agent, esse *materialiter* prohibitum à Deo.

502 *Tertium* remedium est contra scrupulos *primi* generis, qui proinde incitant hominem ad identidem repetendas Confessiones seu unius, seu plurium, seu omnium peccatorum. Postquam ego tales audivi semel generaliter confitentes, permitto, ut bis, térve etiam scrupulosè repetant aliqua, de quibus dubitant, aperuerintne illa *absolutè*, aut dubitant, an aperuerint debito modo; postmodum nullis precibus patior me adduci, ut præbeam aures volentibus aliquid circa illa priora addere, nisi mihi dicant, se liquidò scire, quòd non manifestârint hoc, aut illud. Imò aliquando (ubi videlicet deprehendo magnas scrupulorum furias) dico: *Jura mihi jam statim per Venerabile Sacramentum, te scire, quòd non sis confessus, seu confessa.*

503 Plura remedia adversùs scrupulos suggerunt Sanch. *Lib. 1. Moral. Cap. 10.* Tannerus, Laymannus, Bresserus, Palaus in materia de conscientia, & copiosè Tamburin. *cit. §. 8.* & inter Ascetas P. Francisc. Arias *De Orat. mentali Tr. 5. c. 2.* atque P. Hugo Roth *loc. cit.* plerique memorantes tria, quæ protuli: sed omnium inter Casistas exactissimè de tota materia scrupulorum novissimè scribit P. Matthæus Stoz noster in sua conferta, adipata *Instructione Confessionis Part. 5. §. 10.*

APPENDIX EX NOVO THEOLOGO.

Cui meritò junges ea, quæ recentissimus, & Theoria, praxique peritissimus Parochorum instructor P. Tobias Lohner in sua *Quinta Instructione Practica* luci data hoc ipso Anno 1677. quo accessionibus locupleto hanc Quintam quoque Editionem hujus Alphabeti, congessit ex usu proprio, aliorúmque in curam, directionémque scrupulosorum, de quibus parte posteriore *Cap. 13. §. 1.* proponit, ac resolvit ordine has quæstiones.

I. Quid sit scrupulus? II. Quomodo» Confessarius conscientias scrupulosas cog-» noscere queat? III. Quomodo se Confes-» sarius erga scrupulosos in genere gerere de-» beat? IV. Quænam sint illa media utilia,» quæ Confessarius scrupuloso suggerere debe-» at? VI. Quas Regulas Confessarius scrupu-» loso offerre debeat, ut iisdem se dirigere que-» at? VII. Quænam sint illa fundamenta scru-» pulosorum, quæ Confessarius evertere debet,» & quomodo id præstare possit? VIII. Quo-» modo in specie cum iis, qui de peccatis jam» in priori aliqua Confessione explicatis an-» guntur, timéntque ne ea non satis explicârint,» agendum sit? IX. Quomodo cum iis agere» debeat Confessarius, qui perpetuò timent,» ne Confessiones suas ordinarias ritè non insti-» tuant, & peccata sua satis non explicent? X.» Quomodo agere debeat cum illis Confessari-» us, qui variis tentationibus vexati immode-» ratè timent, ne assensum præbuerint, aut mo-» rosè delectati sint, sicque mortiferum pecca-» tum admiserint? XI. Quomodo cum illis a-» gendum sit, qui ob peccata gravia commissa» perpetuò timent, ne defectu competentis sa-» tisfactionis jacturam beatitudinis pati cogan-» tur? XII. Quomodo cum iis agere debeat Con-» fessarius, qui ob quotidiana, leviáque pecca-» ta nimium anguntur? XIII. Quomodo agere» debeat Confessarius cum iis, qui in oratione» perpetuis anguntur scrupulis, ne verba non» legitimè pronuntiaverint, aut non debitâ cer-» tè attentionem adhibuerint, timent? XIV. Quæ» adhortatio ejusmodi personis scrupulosis fa-» cienda sit in fine Confessionis?

Hasce, inquam, XIV. quæstiones proponit, resolvitque P. Lohner, ac monit tanta autoritate, támque aptè ad usum, ut censeam perutiliter lectum iri à nondum usu longo peritis rerum spiritualium Præfectis in aliquo Monasterio, Collegio &c.

***

CON-

CONFESSARIUS
CONFITENTIS IMPERFECTIONES.

CASUS XV.

Nimiùm Sapientis.

SUMMARIUM.

Casus confitentis varias imperfectiones. 504.
Quid sit propriè imperfectio? 508.
Exhibentur varia exempla imperfectionum. 509.
Confessarius non impediens confessiones imperfectionum, non est reprehendendus. 510.
Nominantur, qui singulariter piè agunt, confitendo imperfectiones. 511.
Potest absolvi Religiosus nihil aliud confitens, quàm voluntariam transgressionem unius Regulæ. 513.
Tutiùs tamen petitur adjectio alicujus defectûs manifestè peccaminosi. ibid.

504 *Pontianus inter confitendum dicit Confessario. Non auscultavi Divinis inspirationibus ad consilia vocantibus. Non condolui infelicibus eventibus proximi. Non fui sedulò addictus operibus mortificationis. Commisi varias imperfectiones in materia castitatis. Fui iratus filiis & famulis, non facientibus officium suum. Petii coram judice vindictam de iniuria accepta. Bibi, & comedi absque necessitate. Curiosè inquisivi ea, quorum cognitio nihil mihi prodesse poterat, nec obesse. Non oravi pro defunctis parentibus. Dum exercebam opus coniugale, locutus sum cum uxore de rebus venereis. Sum mentitus* cum plena animadvertentia. *Non adfero ad Confessionem tantum dolorem de peccatis, quantum deberem.*

505 Joannes Sanchez ratus, profuturum bono publico, si suam de eiusmodi Confessione mentem aperiret, scripsit: *Licèt narrare aliquem suas imperfectiones causa humilitatis, capiendi consilii, mortificationisve sit utilius, quàm ab illarum relatione abstinere, illas tamen* Sacramentaliter *confiteri, more, & animo, quo communiter à fidelibus in Confessione recensentur, minùs utile* (imò, si rationes ejus perpendantur, damnabile) *& est quidem virorum aliquorum spiritualium consilium confiteri imperfectiones, quæ peccata non sunt, at ignorantium, non literatorum, & proindè reprehendendos Confessarios, dum permittunt talia manifestari per modũ confitentis.* Quid censendum de hoc responso, de hac censura?

506 Nominatus Joan. Sanch. enumerat *in suis select. disput disput. 1. 2. 3. 4. 6. 7.* omnes hosce articulos Confessionis, atque fert *disp. 1. n. 4.* verbis, quæ expressi, sententiam de illis; an satis, an minùs sapienter, patebit ex dicendis.

Debuisset, me arbitro, hic author aliquam 507
partem chartæ, quam impendit confutandæ praxi optimarum animarum, confitentium suas imperfectiones, quas insectatur *cit. disp. 7.* tribuere definitioni, aut descriptioni illarum, sed neque ille, neque Lugo, aut Dicastillo, vel Suarez, de quibus paulò pòst, neque ipse P. Nicolaus Lancicius latè de imperfectionibus differens *Tom. 1. opusc. 3. c. 1.* adferunt ullam. Indicat aliquam noster P. Georgius Biegeisen in valde pio libello, quem inscripsit *Montem Myrrhæ. par. 6. c. 1.* cujus subtilia vestigia legens dico: Imperfectio *strictè* dicta est actio, 508
vel omissio repugnans suasioni, seu consilio sano in re ad mores spectante, & ex se nec vetita, nec imperata; atque adeò adversans aut consiliis, inspirationibúsve Divinis, aut Superiorum voluntati, etsi ad peccatum non obliganti, aut dictamini rationis impellenti ad honestiora, decentiora circa actiones *morales*. Cùm enim imperfectio non sit *propriè* culpa etiam venialis (ut demonstrat fusè Lancicius, breviter P. Biegeisen, & indicat Suarez *Tom. 4. De Relig. Tract. 8. lib. 1. c. 3. n. 14.* expressè scribens, imperfectionem esse quid latiùs patens, quàm sit culpa venialis.) & tamen digna sit reprehensione atque displiceat Deo, ut ostendit idem Lancicius, non videtur commodiùs describi posse, quàm descripserimus.

Exempla imperfectionum exhibet P Lanci- 509
cius è divina Scriptura, P. Biegeisen aliunde, sequentia 1. Contentum esse virtute vulgari. 2. Non parêre Deo vocanti ad sublimius vitæ genus. 3. Ea magni facere, ac multùm amare, quæ mundus impensè diligit. 4. Solatia honesta, atque commoditates *licitas* in victu, vestitu &c. quærere, optare, vel usurpare. 5. Non servare statuta communitatis, cujus pars est. 6. Incurium, aut perfunctorium esse in rebus agendis. 7. Dicere, aut facere adversantia civilitati, politiæ, ac decoro, ut loqui perturbatè, aut præcipitanter. Coram aliis sedere pedibus decussatis. Ambulare brachiis utrinque pendulis. Manu sinistrâ edere &c. Hæc & alia ipse ex Lancicio in *Opuscul. De cura minimorum*. Quibus adde, non parêre inspirationibus Divinis. Non præfigere bonum finem actionibus indifferentibus, vel infimæ virtutis. Non accuratè servare modestiam, mansuetudinem in omnibus. Exiguam, etsi *substantialiter* sufficientem præparationem adferre ad Confessionem, Communionem, Sacrificium &c. Item non facere pleraque illa, quæ superiùs retuli ex Sanchez. Adhæc non observare Regulas, præsertim Ordinis Religiosi, etsi ad nullum peccatum obligantes per se.

Circa non parentem divinis inspirationibus nota præterea ex P. Less. *in disp. de statu vitæ de-*

lig. n. 44. tunc peccari non parendo iis, quando conscientia dictat, te à Deo desertum iri, nisi hâc & nunc pareas e. g. vocationi ad Religionem, quando, inquam, conscientia probabilis, adeóque nixa bono fundamento id dictat.

510 Dico I. Confessarii non impedientes suos pœnitentes, ne confiteantur ea, quæ sunt meræ imperfectiones, non sunt reprehendendi. Ita expressè Card. de Lug. *disp. 16. de pœnit. sect. 2. n. 102.* & Dicastillo *disp. 9. n. 301.* Contra Joannem Sanchez *ll. cc.* loquentem singulariter de non correspondente inspirationibus Divinis, de quibus infrà *n. 513* Ratio est, quia licèt ex una parte certum sit, sola propriè dicta peccata esse materiam confessionis. S. Thom. *3. p. q. 8. a. 2.* Ex altera autem parte dixerimus suprà, imperfectiones *propriè* dictas non esse *propriè* peccata, quia tamen in iis communissimè latet aliquod peccatum, & communissimè in iis habet locum doctrina, (ad quam, ut per parenthesin dicâ, me in hac suprema ætate mea recipio, ut videbis in Monacensi editione mei Quinarii Tr. 5.) Thomistarum tradentiũ, omnia opera ex se indifferentia non directa ad bonum finem esse mala ob defectum hujus directionis, imperfectiones autem, consistentes seu in aliquo actu *positivo*, seu in omissione, utique non referuntur ad bonum finem, saltem hac ratione possunt esse materia confessionis. Lugo, atque Dicastillo *ll. cc.* Hinc fit, ut communiter ira, etiam justa ex se, quia tamen vehementior, aut importunior, quàm deberet esse, præbeat materiam absolutioni.

511 Dico II. Singulariter piè agunt tum omnes, qui confitentur, se vel contra expressum remorsum conscientiæ commisisse hoc, aut illud peccatum. Dicastillo *n. 295.* vel non paruisse Divinis inspirationibus allicientibus ad hoc, aut illud bonum opus (non præceptum) perficiendum. Idem cum Lugone; tum singulariter Religiosi, qui se accusant de transgressu Regularum etiam non obligantium ex se ad ullam culpam. Dicastillo *n. 298.* meritò asserens, *nullum, qui sapiat*, posse id inficias ire, tum quia est communissimus mos sanctissimorum quoque, & sapientissimorum Religiosorum, tum quia vix, aut ne vix quidem contingit, ut vir Religiosus, sciens, & volens, transgrediatur Regulam in casu, in quo obligat, quin aliqua intercedat deordinatio voluntatis ad aliquid non satis conforme rationi, aut prudentiæ, aut decentiæ operantis, & moveatur ad id non ex honesto, sed solo jucundo objecto se undùm sensum. Ita Dicastillo; atqui moveri solâ jucunditate, seu voluptate sensuali est juxta plurimorum opinionem peccatum, & nominatim, quando Religiosus suam Regulam non servat ex fine non honesto. Suarez *Tom. 4. De Relig. l. 1. c. 3. nu. 12.* Accedit, quòd nonnulli DD. apud eundem Suarez *num. 11.* negent generatim, transgressionem Regulæ posse esse sine peccato eò quòd membrum cujusque communitatis obligetur in conscientia, ob conformitatem partis cum toto, servare statuta suæ communitatis.

512

Hinc potest Confessarius Religiosorum absolvere nihil aliud confitentes, quàm transgressionem voluntariam unius aut plurium Regularum factam eo casu, quo illi obligabantur. 513

Ego tamen pro majore securitate peto, ut addatur aliquod peccatum exantiquis. Nec etiam permitterem, ut quis texeret catalogum illarum imperfectionum, de quibus sum in specie suprà locutus, est enim modus in rebus, habendáque ratio aliorum volentium confiteri, pretioſi quoque temporis aliquando meliùs impendendi à pœnitente ipso, aut Confessore.

CONFESSARIVS RECIDIVI.

CASVS XVI.

Quæstionarius.

SVMMARIVM.

Casus concubinarii emendandi à Confessario. 514.
Quis propriè vocetur recidivus? 517.
An Confessarius debeat esse difficilis in absolvendo recidivos? 519.
Describitur judicium Lessii de absolutione recidivorum. 523.
Quænam propriè dicatur occasio peccandi proxima? 525.
Et singulariter attentâ indole pœnitentis? 528.
Quale damnum pecuniarium tribuat causam non deserendi occasionem peccandi? 530.
Specificè declaratur, qui sit tractandus concubinus? 532 & seqq.
Et qui solitus peccare solis tactibus cum ancillæ metuens, ne, si illam dimittat, peccet cum alia? 534.
Proponuntur remedia pro recidivo. 535.
Casus Novitii Religiosi, identidem relabentis in mollitiem, & ideo jussi à Confessario petere dimissionem. 536.
Non videtur rectè egisse Confessarius. ibid.

QVoddam dubium liceat ad epistolæ calcem adnectere, scilicet de concubinariis tractandis, & curandis, quod me pridem intricatum reddidit. Scio, Joannem Sanctium docere, quòd possint toties absolvi, quoties verum dolorem de præteritis, & serium propositum de futuris ostenderint. Scio autem etiam, alios autores communiter esse ita contrarios, ut sententiæ Sanctianæ probabilitas ne quidem sub P. V. Clypeo subsistere possit. At simul adverto, homines in hujusmodi luto hærentes, 514

tes, non posse statim primis conatibus extrahi, nec fœminam perditè amatam, maximè, si aliqualiter rei domesticæ videatur necessaria, eripi. Memini quoque, S. P. N. Xaverium, licèt extra confessionale, remediis valde lenibus, & lentis hujusmodi exulceratos homines tandem perduxisse ad frugem. Sententiæ Sanctii non fido. Communem contrariam, quæ bis, ter permittit dare absolutionem, nimis violentam puto. Quis enim annosam arborem duobus, aut tribus ictibus prosternat? ertè moraliter videtur mihi fieri non posse, ut hac ratione tam præcipiti corrigantur concubinarii, maximè inveterati. Id potiùs fiet, ut illi nec ad Confessarium, nec ad Confessionem redeant, in desperationem acti. An non igitur liceat sententiam Sanctii saltem tamdiu, sequi, & toties quoties absolvere talem peccatorem, quamdiu Confessarius judicare potest, & sperare, secuturam tandem emendationem?

515

Ra. Va. dignetur quæso, &c.

516 Repræsento verba, simul & perspicax ingenium cujusdam Professoris Theolog. Moralis, ac sacrorum Canonum, qui 31. Octobr. Anno 1659. dignatus me fuit literis hac phrasi exaratis interrogare de hoc dubio. Ad quod quid seu responderim, seu responderi potuisse arbitrer, aperiam, ubi protulero in medium potiora, quæ de Recidivis in genere didici lectione, & usu.

517 I. Tametsi spectato etymo vocabuli *Recidivus* debeat hoc nomine appellari omnis, qui in idem peccatum recidit, vel relabitur etiam tantùm semel, & reipsa hoc vocabulum in causa hæresis, quando agitur de absolutione, aut pœnis *Relapsorum* in hæresin, intelligatur de illis, qui semel resipiscentes rursum profitentur errorem; & fortè illi Confessarii Regularium, qui habent specialem facultatem absolvendi à reservatis omnes præter *Recidivos &c.* nequeant absolutionem impertiri illi, qui saltem intra unam hebdomadem committit bis (interjectâ unâ Confessione) idem peccatum reservatum, ut videbimus *Cas. XX num. 695.* attamen, quando Theologi Morales tractant de *Recidivis*, quærentes, utrùm sit eis impertienda absolutio, necne, loquuntur solùm de iis *Recidivis*, qui idem peccatum mortale pergunt committere, etiam post propositum emendationis, póstque plures Confessiones, ut exprimit Joann. Sanch. *In sel. d. 10. num. 4.* & indicat Lugo *d. 14. sect. 10. n. 166.* atque Lessius *in consil. verb. Confessarius Cas. 7.* Filliuc. *Tr. 7. in Instruct. cap. 3.* de his est nobis hîc sermo.

518

519 II. Mihi semper placuit sententia, quam P. Filliuc. *ibid. c. 3.* tradit post alios, scilicet confessarios non debere esse admodum difficiles in absolvendis *Recidivis*, eò quòd nemo sub peculiari peccato mortali teneatur magis cavere, ne centies unum, idémque specie peccatum patret, quàm ne centum diversarum specierum.

III. Potest tamen, & debet negari ipsis (sicut & omnibus aliis) absolutio, quando, omnibus consideratis, judicat Confessarius, eos carere serio proposito correctionis, esto dicant, se dolere; nam defectus serii propositi est defectus *substantialis*. Sicuti utique deficit generatim in illo, qui, cùm facilè possit, non tamen deserit, aut declinat occasiones peccandi *proximas*, qui enim vult causam, ex qua necessariò, aut regulariter sequitur effectus, censetur *moraliter* velle ipsum effectum. S. Thom. *1. 2. q. 6.* & generatim occasio, quæ delictis viam aperitam, putanda L. *Illud. ff. De pact. dotal.* 520

IV. Quoties *Recidivus* edit particularia 521
signa doloris, aut jam adhibuit aliquam curam ad extirpandum suum inveteratum vitium, aut si jam adhibeat media, de quibus usurpandis non erat priùs monitus, signum est, adesse propositum sufficiens. Lugo *de pœnit. d. 14. num. 160.* Imò, quoties *Recidivus* dicit, se verè dolere, quòd rursum offenderit Divinam Majestatem, & proinde se promittere seriam emendationem, toties absolvi potest, modò Confessarius credat, illum seriò loqui. P. Lessius *in Consil. verb Confessarius cas. 7.* modò etiam sit paratus deserere occasiones *proximas*, quas potest, esto, nullus profectus hactenus apparuerit. Joann. Sanch. *disp. 10. n. 16.* quia revera tunc adsunt omnia à Christo requisita ad absolutionem. 522

Nihilominus tamen Confessarius formidolosus, qui scilicet timet, ne indigno conferat beneficium absolutionis, poterit quandoque in usum redigere aliam sententiam, quam Lessius *l. c.* etiam tradit his verbis: Qui ita crebrò relabuntur in eadem peccata, si post tres, vel quatuor Confessiones certis intervallis factas non appareat ulla emendatio, aut conatus resistendi, expedit ordinariè eos dimittere sine absolutione, explicato periculo, in quo versantur. absolutionem fore ipsis noxiam, cùm non videantur habere syncerum propositum. Ut conentur resistere, & adhibere remedia, quæ præscribuntur; si non rideant, committat illos Deo, nec se crucietur. Ita Lessius. Ego non semel talibus, sed primùm post octo, vel sex confessiones, sine ulla prorsus emendatione peractas, intra non longum tempus dixi ante datam absolutionem: Quandoquidem nihil tecum proficio, poteris, me non invito, quærere alium Confessarium, fortè tibi magis profuturum, quàm ego. Et verò quandoque rediére tales cum aliquo profectu, divertêre alii ad alios. Et sanè quando notatur aliquis profectus, seu adest aliqua imminutio peccatorum, habenda est patientia, ipsa enim imminutio peccatorum & est signum boni propositi, & præbet spem majoris, & majo- 523

ris

ris emendationis, adeóque perfectæ. Simus, omnino simus erga hos *misericordes, sicut Pater noster cœlestis misericors est. Luc. 6.*

525 V. Quia verò dixi, serio proposito emendationis jungi necessariò fugam occasionum relabendi in idem crimen, occasionum, inquam, *proximarum* (nec enim est imposita lex fugiendi *remotas*,) notandum est, per occasiones *proximas* intelligi eas solas circumstantias loci, temporis, personarum, &c. in quibus si sis constitutus, certum est *moraliter*, te esse peccaturum, novo peccato mortali, ut contendit Caramuel *in Theol. Regul. disp. 40. n. 1056.* seu quibus nunquam, aut ferè nunquam uteris sine peccato novo, ut, non contradicente Lugone *disp. 14. sect. 10. num. 148.* nec Dicastillo *Disp. 6. dub. 19 n. 329.* docent alii, & inter hos ex professo post multam reflexionem Navarrus *in Manual. cap. 3. num. 5. edit. antiq. seu 14. edit. correct. Ann. 1583.* consentiente quoad occasiones *permanentes* Tannero *Tom. 4. Disp. 6. q. 9. num. 106.* vel plerumque peccabis. Oviedus *in 1. 2. Tr. 6. contr. 3. p. 9. n. 146. & 149.* Palaus *Tr. 2. Disp. 2. p. 9 §. 3* vel probabile est,

526 te esse lapsurum in novum peccatum. Tannerus *loc. c.* loquens de sola occasione non *permanente*, cui ego non assentior, si loquatur de propriè probabili. Quando enim non certò, sed solùm probabile est, te succubiturum tentationi, etiam communiter probabile est, te non succubiturum. Atqui sicuti in plurimis aliis materiis fas tibi est, ex utraliber sententiarum *speculativè* probabilium deducere *practicam* conclusionem tibi gratam, ita licebit hîc ita argumentari: Occurrunt mihi graves rationes, ob quas vir prudens sapienter judicare poteſt, me lapsurum in novum crimen mortale si accessero hanc domum, vice versâ sunt aliæ rationes etiam graves, ob quas alius æquè prudens probabiliter pronuntiaret, me non lapsurum, ergo possum sine nota temeritatis, & imprudentiæ me committere illi occasioni, certò non commissurus, si liquidò scirem, me in illa admissurum istud grave peccatum. Adeóque fas est, *per se loquendo*, committere se periculo probabili peccandi mortaliter. Caramuel *l. c. num. 108.*

527 Unde Confessarius non judicabit, illum suum pœnitentem esse in occasione *proxima* se inebriandi, aut peccatum turpitudinis, occasione pravæ Societatis, patrandi, qui tentatus decies, acquievit solùm bis, térve. Secùs, si bis, térve superior evasisset, succubuisset autem septies, vel octies. Ergo illi priori nolenti recedere ab occasione non negabit absolutionem (Caramuel vult (at non ego) illi etiam non negari, qui toties fuit victor, quàm victus) negabit autem posteriori, nisi vel urgens causa illi pœnitenti faveat, vel mutentur circumstantiæ, inter quas est etiam propositi major corrobora-

528 tio, quàm fuerit antè. Caramuel *l. c.* post Joannem Sanch. *d. 10.* Quòd si Confessario non sit nota indoles, non noti mores sui pœnitentis, cogitantis de adeunda, vel admittenda hac, aut illa occasione aliquibus periculosa, aliis non, comparabit illum cum aliis ejusdem apparenter indolis, ætatis, fragilitatis, constantiæ, prudentiæ, imprudentiæ, judicabitque, illum adituram *proximam* occasionem, si alii ejusdem cum ipso conditionis soleant in ea tentati plerumque succumbere tentationi: solùm *remotam*, si plerumque soleant esse victores. Ideo si aliqua in urbe sit convictus studiosorum, in quo ferè omnes scholares faciant naufragium castitatis, censebitur, debere Confessarium alicui eum convictum subire volenti causâ habitationis, negare absolutionem *per se loquendo*: non negare, si unus, altérve tantùm incidit in casses Veneris.

Dixi autem suprà *num. 526.* in fin. *per se lo-* 529
quendo; etenim per accidens fas est permanere in occasione *proxima*, seu etiam adire occasionem *proximam*, quando grave, aut gravissimum malum corporis, honoris, fortunarum aliàs foret certò perferendum, ut notant omnes hactenus citati scriptores contra Lopez, & alios. Nam ipsummet periculum non est peccatum, sed tantùm occasio illius, ergo non apparet, cur certum diſcrimen honoris, fortunarum, sanitatis, nonpossit excusare immittentem se in id periculum.

Licèt autem Joann. Sanch. *cit. disp. 16. n.* 530
10. absolutè scribat, illum, qui suæ concubinæ dedit mutuos centum aureos, quos, si eam dimittat, non sit recuperaturus, haud teneri eam dimittere, esto versetur in proximo periculo relabendi in peccatum cum illa, si non dimittat, attamen Palaus *l. c. num. 15. absolutè* rejicit eam resolutionem casu, quo diu durabit illa cohabitatio cum gravi tentatione. Et Oviedus *l. c. n. 162.* loquens de illo, qui timet, se sæpe consummaturum peccatum cum concubina, admittit eam doctrinam solùm respectu hominis, qui habet tantùm necessaria ad parcè vivendum, non autem respectu mediocriter divitis.

Porrò Confessarius cupidus speciatim in- 531
telligendæ hujus materiæ legat Navarrum *in Manual. cap. 3.* referentem sedecim genera hominum, versantium in occasione peccandi. Singulariter autem refert mercatores, caupones, filios habitantes in domo paterna, & occasione hujus habitationis crebrò peccantes cum puella, &c. Confessarios, qui excipiendo confessiones mulierum labuntur in peccata venerea, concubinarios, &c. Quæ exempla edisserunt omnes etiam citati scriptores, adeóque omnes expressè loquuntur de concubinatu, è quorum verosimiliore doctrina respondeo ad nostrum Casum *Quæstionarium* sequentibus modis.

I. Si concubinus nequeat dimittere suam 532
concubinam sine jactura centum aureorum, seu ducatorum, poterit Confessarius pro re nata amplecti

amplecti sententiam vel Joannis Sanchez, vel Oviedi, paulò antè relatam.

II. Si ipsa est ita effrons, ut dimissa propalatura sit occultum concubinatum, retinere eam volenti patrocinabuntur plerique ex citatis, sed utique muniendus erit peculiaribus propositis, & aliis mediis, sicut & patrocinabuntur, si ipsa sit ejus ancilla, & nequeat aliam adipisci absque pari periculo, cùm tamen haud possit ullo modo carere ancillâ omni.

533 III. Si illa concubina sit tantùm *aliqualiter*, ut loquuntur literæ, necessaria rei domesticæ, & tamen perditè ametur à concubinario, ne quidem Joannes Sanchez inficiabitur, non posse absolvi concubinarium, qui sæpius absolutus sæpius rediit ad vomitum, sed debebit ante absolutionem dimittere illam, ut liquet ex doctrina illius Doctoris *num. 6.* nam *aliqualis* necessitas non censetur continere certum periculum gravis damni, quale solùm meritò admittit Sanchez. Itaque si ejusmodi inemendatum mancipium Veneris mihi confiteretur, se jam ter, quater promisisse Confessariis, se suam nefandi tori consortem ejecturum, & hactenus non stetisse promissis, dicerem cum Sanchez: Ergo abi, te non absolvam: nisi postquam actu dimiseris, quia meritò judico, te carere vero proposito dimittendi. Favet apertè doctrina S. Franc. Xaverij, descripta suprà *num. 320.*

534 At dicit talis. *Ergo faciam, quod hactenus nunquam, Iurabo Vestræ Re, per Deum vivum, me reverà quàm primùm illam dimissurum.* In hoc casu admitterem juramentum, atque impertirer benedictionem, at certò negaturus, si post illud juramentum ad me rediret, agens se reum & perjurii, & relapsus. Assentior quidem illi Patri Theologo, de quo noster Casus *Quæstionarius*, quatenus judicat, posse talibus impertiri beneficium absolutionis, quamdiu affulget spes emendationis, at omnes tractatores hujus materiæ negant, affulgere spem, quando quis sine gravi necessitate permanet ultro in *proxima* occasione peccandi mortaliter. His adde duo. *Primum*, esse post hæc jam semel data luci publicæ interdictam die 18. Martii Anno 1666. hanc propositionem: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis est ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illâ, nimis agre ageret vitam, & alia epula tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur. Alterum* dubium est, resolutio hujus.

Casûs impudici.

Quiriacus vacat impudicis tactibus cum puella, quam domi retinet, idque potiùs amore pollutionis procurandæ, quàm ex affectu ad illam, utpote cum qua nunquam copulam habere consuêrit. Quæritur, an Confessarius possit talem absolvere, nolentem dimittere illam puellam? Imò quæritur, an non satius sit, illum non obligare ad eam dimittendam. Primò *quidem, quia prudenter judicat, esse magnum periculum, ne, cùm eam dimiserit, aliámque ad res domesticas necessariam receperit, etiam alteram pervertat.* Secundò, *quia tali ita constituto, & affecto videtur potiùs propria imbecillitas esse occasio* proxima, *quàm prædicta puella.*

Novus quidam Confessarius quæsivit ex loco multùm hinc dissito meum de his duabus quæstionibus judicium, ad quas respondendum censui, & censeo, si tentatis emendationis remediis, quæ hactenus attulimus, & mox adferemus, ille Quiriacus non est correctus, jubendum esse dimittere illam, utpote quæ, per suum toties præbitum consensum, est ipsi occasio talium obscœnitatum. Nec obstat *prima* in contrarium ratio, quia periculum dubium debet eligi præ certo, utpote minus malum. Est autem valde incertum, quòd nequeat reperire ancillâ constanter restituram suæ impudicitiæ. Nec obstat *secunda*, quia imbecillitas propria, sive *proxima*, sive *remota* occasio nominetur, certè est incompleta, saltem respectu peccati alieni, atque seductionis, nec complebitur hoc respectu, si non adsit, quæ se patiatur seduci. Ergo sive adsit, sive absit periculum pollutionis, absente illecebrosâ puellâ, debet dimitti illa, cujus præsentia præstat, aut complet integram occasionem peccati *actualis* scandali, idque sive facilè, ut per se liquet, sive difficulter solita sit illa consentire nefariæ solicitationi, longè magis, si ipsa *directè*, vel *indirectè* solicitaret.

IV. Remedia ad præcavendum relapsum (casu, quo separatio *licitè* differtur) sunt tum 535
vitatio mutui colloquii, quoad fieri potest, tum votum subeundi gravem pœnitentiam, ut est jejunium in pane, & aqua, largitio notabilis eleemosynæ, quoties contigerit relabi, tum votum castitatis ad aliquod tempus, tum quotidiana expressa renovatio boni propositi elicita in Confessionali. Tum quando concubina non solet, nisi aliquo modo invita, consentire, si concubinus à Confessione rediens domum dicat: *Iam tandem firmissimè statui mutare vitam. Te ergo rogo serio, ut, si fortè tentatione victus te rursum lacessivero, renitaris omni possibili modo, revocans mihi in mentem hæc mea verba.* Hæc de concubinariis.

Jam transeamus ad alios obscœnos, priùs tamen observato, locutos esse nos hactenus de solis concubinariis occultis, nō de notoriis, & publicis, nam publici non debent ob scandalum absolvi. Navarr. *in Enchir. c. 16. n. 20.* & jubentur à Concil. Trident. *Sess. 24. c. 8. de Reform.* subjici excommunicationi, si post ternam admonitionem factam ab Episcopo non se emendent.

Sed

536 Sed ecce! his omnibus paratis, expeditis ad prælum, incidi aliud agens in Casum, non modò apprime facientem ad præsens, & sequens Caput, sed insuper resolutum cum multiplici doctrina à Cardinale de Lugo *in Responsis Moralibus Lib. 1. Dub. 28.* cujus proinde totum discursum, & Casum ipsum nullo verbo immutato repræsento.

Est autem Casus ejusmodi.

a *Novitius quidam in Religione observante, & perfectâ, patiebatur frequenter lapsus carnis voluntarios, quos Confessario in Confessione manifestabat, & postea sæpius reincidebat. Confessarius itaque judicans, eum non esse aptum Religioni, cujus alumni puritatem observabant, suadebat illi frequenter, ut ad sæculum rediret, vel Superiori fragilitatem suam extra Confessionem aperiret, imò ad id tandem pœnitentem obligare tentavit, significans, se deinceps, nisi obediret, absolutionem ei negaturum. Quæsitum fuit, an Confessarius jure id facere potuerit, an verò suæ potestatis limites fuerit transgressus?*

b *Suppono, Confessarium, quamvis ipse sit etiam Prælatus Novitii, & ad quem ex Officio spectat, Novitios inutiles, ineptos, vel noxios dimittere, non posse id facere ullo modo ex notitia, quam habuit in Confessione, nisi ex licentia expressa pœnitentis, ut ex Decreto Clementis VIII. & ex natura, & institutione hujus Sacramenti probavi latè* Disp. 23. de Pœnitentia Sect. 5. §. 1. *obligatio enim dimittendi Novitios inutiles non debet ullo modo dirigi à notitia Sacramentali, nec unum forum cum alio miscere: sed debet se habere Prælatus, ac si nihil prorsus sciret, & considere in Domino, quòd vel Novitius sese corriget, vel certè parum nocumenti Religio patietur ex eo, quòd ad vota Religiosa post Novitiatum admittatur, quia postea passiones illæ sese prodent, & materiam suggerent dimittendi eum (si sit in Societate) vel debito modo corrigendi, notitiâ aliunde habitâ. Omnino autem oportet, Sacramentale forum ab omni alio respectu, & regimine longissimè separare, atque ideo debet se Prælatus considerare eo casu, perinde ac si esset Confessarius aliquis secularis, qui casu in itinere audit Novitii Confessionem, & ita, & non aliter illi consulere.*

c *Hoc supposito, dubium esse potest, an, licèt Confessarius non possit uti notitiâ Confessionis ad dimittendum Novitium, vel ad aliquid extra Sacramentum operandum, possit tamen Novitium cogere ad manifestandam, extra Sacramentum, suam inhabilitatem, vel certè, ut ipse sponte sua redeat ad sæculum. Et quidem, in genere loquendo, Regula Generalis est, tunc solùm posse Confessarium Novitio negare absolutionem, quando videt, illum non esse sufficienter dispositum v.g. quia non vult relinquere occasionem proximam peccati gravis, quam ipse sine gravi incommodo relinquere potest, vel quia Religionem injustè deceperit in re gravi, & nolit fraudem tollere, vel propter similes rationes. An verò ejusmodi causæ de facto interveniant, ob quas negari possit, & debeat absolutio, pendet ex circumstantiis, ex quarum notitia Confessarius debet id prudenter judicare: nec frequenter fortasse casus ita continget, ut ob meram peccandi frequentiam debeat sub peccato gravi Novitius se extra Confessionem prodere, ut à Religione dimittatur, nec rationes, quas Confessarius ille afferebat, id verisimiliter probant.*

d *Primò enim arguebat ex obligatione relinquendi occasionem proximam peccati, qualis esse videbatur Novitio illi status Religiosus. Hoc tamen parum credibile est: nec facilè sibi pœnitens persuadebit, minorem se habiturum in sæculo occasionem peccandi contra castitatem, quam in Religione, præsertim, si non posset sine magno incommodo uxorem ducere.*

e *Minùs obstat, quod secundo loco pro se afferebat Confessarius, nempe pœnitentem debere sub peccato gravi obedire Confessario, atque adeò, dum non obediebat, manifestare, se non esse dispositum ad recipiendam absolutionem. Hoc, inquam, minùs probat, quia pœnitens solùm debet implere pœnitentiam, sibi à Confessario impositam: quoad reliqua verò potest quidem Confessarius declarare pœnitenti ea, ad quæ aliunde pœnitens sub peccato tenetur, v.g. restitutionem, relinquere occasionem peccandi proximam, abstinere à tali contractu usurario, & alia similia, quæ si pœnitens non habet animum observandi, non est dispositus ad absolutionem: non tamen potest Confessarius quidquam aliud sub peccato ei præcipere, nisi id, quod in pœnitentiam imponit, in qua imponenda habet se, ut judex; quoad alia verò se habet, ut Medicus, cujus non est præcipere, sed consulere, & declarare ægroto, quæ sint media necessaria, vel utilia ad sanitatem tuendam, vel recuperandam. Egressus autem à Religione non est materia apta, quæ imponatur pœnitenti pro pœnitentia suorum peccatorum, ut ex se constat, possétque meritò pœnitens ejusmodi pœnitentiam nolle acceptare, quam prudenter putaret saluti propriæ spirituali obfuturam magis, quàm profuturam.*

f *Dices*: Confessarius prudenter judicat, statum Religiosum non expedire illi Novitio, in peccata frequenter relabenti: potest ergo saltem in pœnitentiam imponere, ut statum illum relinquat.

Respondetur, posse prudenter credere Novitium, sibi expedire magis ad salutem statum Religiosum, in quo, transactâ vehementiâ tentationis illius, faciliùs poterit respicere, & corrigi, cùm habeat optima sociorum exempla, disciplinæ observantiam, exhortationes, & alia ejusmodi media, quibus in sæculo carebit, quare ex hoc capite non est, cur obedire teneatur Confessario.

g *Arguebat tertiò, quia Novitius debet impedire damnum, quod suo Ordini inferre potest, cùm una ovis malè infecta inficere possit omne pecus: quare*

quare exire debet, ne suo exemplo alios ad perditionem trahat. Respondetur facilè, inprimis pœnitentem non teneri cum tanto detrimento suo impedire, & prætavere damnum alienum, quod per accidens sequi posset, & præter ejus intentionem. Deinde, etiamsi ad sæculum redeat, non minus, sed majus poterit aliis nocumentum afferre, quò enim sæculares faciliùs pravis exemplis afficiuntur, quàm Religiosi observantes, eò magis poterit illis vitiosâ suâ conversatione nocere. Denique non videtur esse magnum periculum gravis hujus nocumenti; quia dum vitia ita sunt occulta, ut non nisi intra Confessionem manifestentur, non transeunt ad Sodales: si autem transire incipiant, jam tunc sese prodent, ita ut ex notitia illa possit debitum remedium, extra Confessionis Sacramentum adhiberi.

h *Ultimò allegabat pro se Confessarius, quod Novitius ille graviter, & injustè deciperet Religionem, tacendo, & occultando defectum, qui eum ineptum reddit ad statum Religiosum, quem defectum si Prælati scirent, procul dubio eum non admitterent ad vota Religiosa, nec ad professionem. Respondetur, hunc Novitium, de quo agitur, non decepisse Religionem, quia, quando ingressus fuit, vel fortè non habuerat in sæculo hæc vitia, vel conversione suâ mores correxerat, & spem habebat melioris vitæ: morbum autem spiritualem postea contractum non tenetur ex justitia manifestare Prælato, ut ejiciatur: sufficit aperire in Confessione ad quærendum remedium.* Hactenus Cardinalis cujus verbis non habeo, quod necessariò addam.

CONFESSARIUS OBSCOENORUM.

CASUS XVII.

Lamentandus.

SUMMARIUM.

Casus adolescentis turpissimè soliti se polluere. 537.
Scrupulosus Confessarius qui se geret circa examen peccatorum venereorum? 539.
Quinam rectè scribant de hac materia? Ibid.
Curiositas est hìc summè cavenda. 540.
Quomodo investigabit Confessarius, an adolescens fuerit pollutus? 541.
Notantur nonnulla de Sodomia. Ibid.
Traduntur plures instructiones circa examen obscœnorum. 543. & seqq.
Enumerantur, quæ non sunt necessario exprimenda in materia turpitudinis. 546.
Casus mulieris publicè effutientis interrogationes factas à Confessario. Ibid.
Remedia pro deditis mollitiei. 548. & seqq.
Casus lamentabilitèr dediti huic vitio. 553.
Quo plectendum supplicio hoc scelus. Ibid. in App. I. Lit. d.

An, quando fuit deliberatè patratum, sufficiat confiteri: Habui græve initium pollutionis? Ibid. Lit. b.

Recaredus adolescentulus ingenuè, pudi- 537
cèque educatus, inducitur à perditissimo juvene primùm ad tactus impudicos, tum denique ad ipsam pollutionem penitus sibi incognitam, & ita miserabiliter insuevit, partim priusquam noverit, esse crimen lethale, partim etiam postquam probè à Confessario edoctus detestandam malitiam, ut, etiam post plurima firmissima proposita desistendi, post adhibita varia media persistendi in bonis propositis, nihilominus relabatur bis, ter, per hebdomadem in idem fœditatis lutum. Quî denique juvandus? An negandaipsi absolutio? Quid peculiariter observandum circa Confessiones implicitorum variis criminibus repugnantibus castitati?

UTinam! ô utinam non centuriæ non myriades ejusmodi lamentandorum, & sanguinis lachrimis deplorandorum Recaredorum exhausissent pharmacopæa Confessariorum! Referam, quæ tum de his, tum de aliis obscœnis existimavi, post longam reflexionem, esse hìc memoranda.

Quæritur ergo I. *Qui debeat se Confessa-* 538
rius peculiariter gerere circa examen obscœnorum?

Resp. I. Quia ex una parte certum est, multa gravissima peccata carnis taceri sæpe in Confessione, vel ex damnanda verecundia, vel quòd non habeantur pro mortalibus; & tamen in illis pergatur, nisi Confessarius impediat, quærendo, examinando &c. Ex altera autem parte palàm est, tale examen prætermittendum esse, nisi aut necessitas, aut notabilis utilitas deposcat, eò quòd pœnitentes scandalizentur, quando Confessarius scisciatur sine necessitate res tam fœdas, ipséque est in periculo, ne det causam motibus carnalibus; aut etiam fœdioribus in suo corpore, & proinde meritò pronuntiat P. Reginaldus *Lib. 2. n. 34.* esse periculosissimum tam Confessario, quàm pœnitenti diu immorari in examine circa *sextum* præceptum. Ideo si ulla in re difficile est tangere medium, revera est in præsenti materia. Ut ergo illud medium tangant paulatim novi Confessarii, inservient inprimis doctrinæ illorum Theologorum, qui partim *generatim*, partim *speciatim* in hac materia tradunt, Confessarium non teneri ad instituendum tam accuratum examen, quàm putant multi. Inservient deinde ea, quæ nunc subjicio.

II. Itaque poterit scrupulosus Confessa- 539
rius sequi in praxi doctrinam ejusdem Reginaldi tradentis, Confessarium non teneri illa interro-

rogare, nisi quæ certò novit omitti à pœnitente: nec teneri interrogare, nisi consueta hujus conditionis hominibus & communiter nota, ut exprimit idem Reginald. *n. 34.* Leget autem peruliliter ea, quæ de quæstionibus circa *sextum* præceptum scripsêre Joann. Gerson *Tom. 2. in Opusc. in Tract. De arte, seu scientia audiendi Confess. à consid. 14 ad 21.* Angelus apud Reginald. *cit. Lib. 2. n. 35. & in Tract. De prudentia Confessarii Cap. 3. n. 19.* Henriq. *Lib. 6. Summæ Cap. 29.* Haud tamen quaquam proponet omnes quæstiones, quas hi exhibent, sed cum delectu magno, eáque verborum gravitate, modestia, & brevitate, ut pœnitens nihil mali discat, aut scandalizetur, sicut in Germania scandalizarentur multi, si Confessarius uteretur verbo familiarissimo scriptoribus Italicis, & Hispanicis, cùm vulgariter vocant *erectionem membri virilis* id, quod nos in Germania communissimè appellamus motum, seu commotionem carnalem, in Gallia commotionem, vel sentimentum inhonestum.

540 III. Si Confessario, dum hæc quærit, oriantur turpes imaginationes, motus, aut initia alicujus pollutionis, aut denique ipsa pollutio, ne idcirco desistat à debito officio, sed animum ad Deum erigat, protestando breviter; talia sibi displicere. Et quando dubitat, utrùm aliqua interrogârit ex sola curiositate (quæ sanè est hîc multum, licèt non utique semper mortaliter, culpabilis) an ex fine honesto, seu animo meliùs intelligendi statum pœnitentis, eúmque juvandi, attendat **ad doctrinam traditam** *Cas. V. n. 217.*

541 IV. Quamvis adolescens confiteatur, se exercuisse turpes tactus, si tamen Confessarius non sciat ex prioribus Confessionibus, illum solere pollui, non est utique statim interrogandus, utrùm sit pollutus, necne, præsertim quando est solùm sedecennis circiter, sed satius est, ut vel illam quæstionem penitus omittat, vel scisciteur primùm, an illi tactus fuerint diuturni, & an ad voluptatem quærendam? quorum alterutrum si neget, non est ulteriùs pergendum. At si utrumque fateatur, quæri potest, an fuerit illum tactum secutus aliquis humor corporis, aut humectatio, fœminis aut m longè rarissimè proponenda est quæstio de pollutione, quia vel rarò illis evenit, vel non advertunt. Itaque quando confitentur aliquæ, de quibus nôsti, utrùm sint solutæ, an ligatæ &c. tactus *activos*, simul & *passivos*, vel *passivos* duntaxat, communissimè solùm quære, quoties? Vide, quod de fœminis scribam *in Part. 1. Alphab. Matrim.* seu *Tract. 9. Cas. XVI. n. 391.* & quod *in Part. 2 Cas. XV. n. 585.* de viris confitentibus, quòd cum uxoribus congressi sint à tergo; & adde Reginaldum *Lib. 22. n. 49.* sic scribentem: *Non est Sodomia, si mares se mutuò complexi etiam uno alteri supposito sequatur seminis effusio, dummodo non fiat intra vas præpostetum, sed est solùm mollities, eáque gravissima, eámque ob rem explicanda in Confessione ad aperiendam malitiam effrænatæ libidinis.* Diana tamen *Part. 1. Tract. 7. Resol. 12.* censet expressè, sufficere, si talis dicat: *Sum pollutus tangendo alterum impudicè.* Tuta est hæc sententia, quia fatetur ipse Reginaldus, illam circumstantiam incumbendi non mutare speciem. Vide quoque, quæ *in Quinario Tract. 5. cap 37. n. 110. & seqq.* trado de Confessario sciente, pœnitentem vivere in Matrimonio invalido.

V. Cautissimè instituendum est examen, 542
circa res inhonestas, in quibus sine necessitate, non est descendendum ad particulares aliquos modos, & circumstantias, & maximè cavendum, ne Confessarius nimiùm interrogando, doceat pœnitentem aliqua peccata, quæ antea ignorabat, & ita sit occasio ea committendi, aut etiam ne huic, vel etiam sibi ipsi sit causa alicujus turpis tentationis, aut in eam consensûs, aut ne det pœnitenti aliquam occasionem scandali, aut suspicandi, ipsum delectari ejusmodi rerum cognitione, quod maximè juvenes Confessarii cavere debent. Quarecquoties aliquod hujusmodi periculum subest, leviter transeundum est. Nam præstat, pœnitentem non ita perfectè (modò bonâ fide procedat) confiteri, quàm aliquod ex prædictis incommodis accidere. Ita loquitur, ac differit P. Ægidius Coninck *Tom. 2. in 3. Part. disp. 3. n. 131.*

VI. Confessarius ne interroget eas circum- 543
stantias peccati, quas & sine magno rubore difficultatéque pœnitens non potest dicere, & Confessarius ex dictis, vel personæ circumstantiis probabiliter conjicere potest; eáque de causa puellam lapsam regulariter interrogare de circumstantia virginitatis non debet. Hanc Regulam tradit Pater Tannerus *Tom. 4 disp. 6. quæst. 7. n. 92.* Cui adde, regulariter necesse non esse, ut ex confitente incestum scisciteris, in quoto gradu sit commissus. Nam perrarò admittitur inter junctos *primo* gradu; admissos in aliis gradibus differre specie, negat probabiliter Cajetan. 2. 2. *quæst. 154. art. 9.* & necessitatem eos distinctè exprimendi in Confessione Diana *Part. 1. Tract. 7. Resol. 31.* cum aliis contra alios, idem negans de quocunque gradu. Sicut & probabilissimè, teste Cardinale de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp. 16. n. 47.* tradit P. Sanchez *Tom. 2. Moral. lib. 5. cap. 6. n. 14.* cum aliis adversûs alios, eum, qui vel voto castitatis illigatus, vel cum persona ejusmodi voto astricta peccavit carnaliter, sufficienter confiteri, exprimendo in genere votum castitatis, esto alterutra persona, vel utraque sit Religiosa, Sacris Ordinibus initiata. Quam utramque doctrinam sequêris in praxi, quando videbis, pœnitentem perægre plura exprimere, cui proinde dices, eum satisfeciisse suo debito. Si tamen non habeas potestatem absolvendi ab incestu *primi*, aut *secundi* gradûs, aut à copula cum Sacra persona, debebis esse hîc accuratior.

VII. Ne

544 VII. Ne facilè ad particularia peccata carnis descendat Confessarius, quando pœnitens nil ad generalia quæsita confitetur. Nec opera peccatorum interroget, si pœnitens in eodem genere peccata cordis nulla agnoscat, nisi fortè sit ea pœnitentis conditio, ut ob ruditatem vix alia peccata agnoscat, quàm opera, quales ferè sunt rustici, quos si de cogitationibus tantùm, non de verbis, aut factis interroges, non facilè quidquam exculpas. Sunt hæc verba Tanneri *loc. cit. n. 91.*

545 VIII. Ut modestiæ, ac honestatis rationem habeat, eáque etiam, quæ turpia sunt, & inhonesta, quoad fieri potest, verbis honestis, & decentibus indicet, maximéque cavet, ne in peccatis, præsertim carnalibus, descendat ad particulares nimiùm, easdémque impertinentes circumstantias peccati curiosè investigandas, ne aut sibi, aut pœnitenti, creet periculum peccati. Sic idem P. Tannerus *ibid. n. 93.*

546 IX. Meminerit etiam Confessarius tum communissimæ doctrinæ de non necessariò aperiendis circumstantiis *aggravantibus* intra eandem speciem, tum eorum, quæ circa tactus & oscula sponsorum inter se tradam *secunda in Parte Alphabeti Matrimonialis* seu *Tractat. 10. hujus Operis Cas. XVII.* quia eorum frequens est usus, sicut non infrequens eorum, quæ ibidem notavi de tactu conjugum mutuo cum periculo pollutionis. Item sciat, sponsam facientem alieno potestatem sui corporis, probabiliùs non admittere peccatum mortale injustitiæ. Nec maritum, aut uxorem, quæ sine ullo desiderio delectatur morosè imaginatione alieni, vel alienæ, probabiliter teneri in Confessione exprimere circumstantiam aut sui conjugii, (cùm tamen teneatur sui voti obligatûs voto castitatis), aut personæ tunc cogitatæ. Secùs de desiderante, & desiderato. Puellam quoque, quæ primâ vice commisit fornicationem, non teneri dicere: *Nunc primùm amisi sertum virginitatis*: sicut nec sponte indicare gradum affinitatis, aut cognationis, si fortè incestum commisit, sed ex probabili sufficere, si dicat. *Commisi incestum cum aliquo.* Nôrit quoque Confessarius, esse recenti Decreto Inquisitionis approbato à Pontifice Alexand. VII. damnatam hanc sententiam. *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt ejusdem speciei infimæ, ideóque sufficit dicere in Confessione, se procurâsse pollutionem.* In aliquam confirmationem cautelæ & moderationis adhibendæ, in hac tam lubrica materia, referre placuit perscriptum ad me à quodam insigni Domino Parocho hunc

Casum Garrulæ mulieris.

547 N. *Sacrosanctæ Theologiæ Professor, cujus ego ante aliquot Annos discipulus, semel in Confessione interrogavit infimæ sortis hortulanam circa debitum conjugale. Quæ ex confessionali mox rectà ad forum progressa narravit omnia, quæcunque fuerat ab arbitro conscientiæ interrogata, distinctè, coram honestis matronis, inter quas erat etiam uxor Consulis, quæ marito hæc ipsa domi narravit. Hic scandalizatus detulit rem omnem à conjuge sua auditam ad superiorem Ecclesiasticum, qui affabre respondit. Non esse, cur scandalizetur, tales enim fœminas esse pessimæ notæ: & cætera. Quæritur jam hic: Vtrùm fecerit bene decisum?*

Ita ille. Qui, ut arbitror, perspexit ipsemet, responsum illud fuisse prudens, ac rationem sui responsi haud temerariam. Non erat, cur scandalizaretur hic Consul, quia sine omni dubio suppetunt Confessariis non rarò justæ, atque necessariæ causæ proponendi quæstiones minimè pudicas. Ratio responsi non erat temeraria. Verè enim non nisi detritæ frontis, & pudoris, adeóque pessimæ notæ fœminæ effutiunt in aures aliorum hominum, & quidem publicè ea, quæ de illa materia conjugali intellexerunt ex aliis, seu mulieribus, seu viris, nedum ea, quæ perceperunt ex conscientiarum moderatoribus.

Quæritur II. *Quibusnam remediis curandi* 548
laborantes eâ infirmitate, qua Recaredus suprà descriptus?

Fui non semel hac quæstione pulsatus. Verè inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt tormenta, si replicantur peccata. Quia igitur totus mundus, & infernus, ut Sanctæ Christinæ Virgini ostendit Christus Dominus, hoc scelere est inquinatus, necesse omnino est, ut Confessarius, præsertim adolescentum, & singulariter otiosorum, habeat in promptu alexipharmaca, seu medicinas præservativas adversûs hunc exitialem morbum. Juverit ergo in primis habere in memoria ea, quæ tradit Cardinalis Toletus *in Summa Lib. 5. cap. 13.* Cornelius à Lapide *in Cap. 38. Genes. De Her, & Onan.* Drexelius *in Nicetade malis libidinis.* Et verò Toletus *loc. cit.* sic 549
pronuntiat: *Peccatum mollitiei est difficillimæ curationis, quia occasio semper est cum homine, & est adeo universale, ut crediderim, maximam partem damnatorum hoc infici peccato. Vix puto esse aliud efficax remedium, quàm frequentissimam Confessionem cum uno, eodémque Confessore, ut fiat ter in hebdomade, si fieri possit. Est enim hoc Sacramentum maximum frœnum, & qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum à Deo factum, vel rarissimum Privilegium.* Ita Toletus; ita ego; & Authores omnes periti, nisi quòd susceptio Matrimonii, aut Ordinis Religiosi (Clericatum in sæculo nulli omnino, qui juris sui, inque hoc vitio inveteratus sit, suaderem) longè plurimis,

si non plerisque profuerit, ad extirpandum hoc scelus.

550 *Primum* ergo, & universale remedium est frequens, & saltem octiduana Confessio 2. Exquire ex tali homine, in quemnam Cœlitum feratur singulari pietate, aut fiduciâ. Ubi cognoveris, expediet sæpe suadere, aut in pœnitentiam injungere, ut per tres, quatuor hebdomadas, quotidie manè, & vesperi dicat flexis genibus: *Domine Deus, qui flammas æternas præparâsti omnibus libidinosis, promitto tibi, me in honorem hujus mei fidelissimi Patroni hac die, hac nocte abstenturum omni turpi tactu mei ipsius.* 3. Itaque plurimis profuit mirificè, emisisse quotidie per mensem votum servandæ castitatis, seu non delinquendi illo die. 4. Prodest quoque obtulisse ante aram Virginis Matris manus suas, eique donâsse cum firmissimo proposito, aut etiam voto jurato, eas, ob reverentiam illius, non extendendi intra tot, aut
551 tot hebdomadas ad illicita. 5. Quin & quandoque dixisse tali homini: *Scio, esse te ita ingenuum, ut malles utique mori, quàm admittere peccatum bestialitatis, & tamen magni viri rati sunt* (non vetat Pontifex relationem, sed approbationem, & sequelam hujus doctrinæ) *hæc duo crimina esse ejusdem malitiæ, & verè si Magistratus nôsset, à te id committi, raperet te in carcerem, atque plecteret pro merito*, ut videre est apud Prosp. Farinac. *loc.* citando in proxima App. 6. Reperiemus in die extremi judicii multas myriades illorum, quos mirificè juvit sub initium tentationis invocata per suam *Immaculatam Conceptionem* Virgo verè immaculatissimè concepta, item hujus Castissimus Sponsus Josephus, Angelicus Doctor,
552 Angelicus Adolescens Aloysius. 7. Alii mutati in alios redière, ubi ad aliquam ædem Lauretanam missi à Confessario ediderunt illic votum castitatis ad tempus, sicut & qui decrevêre sibi gravem pœnitentiam, si laberentur, & relapsi persolvêre cum detestatione inconstantiæ. 8. Magna corporis maceratio est quidem efficax medium, at fabulam canes surdis, si coneris talibus eam persuadere, non item si aliqua jejunia, disciplinas &c. 9. Alia remedia suppeditant Filliuc. *Tract. 7. sub. finem in Instruct. Confessarii Cap. 3.* Busæus *in Panario*, P. Fornarius *in Instit.* P. Costerus *in libello Sodalitatis.* Porrò an ignorantes, hanc turpitudinem esse crimen lethale, sint docendi veritatem, dixi *Cas. VII. n. 515.* His junge Casum, quem *num. 536.* descripsi ex Card. de Lugo.

553 Meum judicium de magna corporis maceratione, non injungenda deditis inquinationi sui ipsorum, firmat suo calculo doctus Jacobus Marchantius *in Candelabro Tr. 5. lect. 7.* referens hunc alium

Casum Lamentabilem.

Miratus sum ego, & non sine stomacho, audiendo in Confessione juvenes ferè triginta Annorum, qui ob laborem diurnum nullum se peregisse jejunium fatebantur, interim vix diem præteribant, quin proprium polluerent corpus, libidinem in se provocando. Et dicebam ego; quò potest fieri, ut fractos laboribus diurnis vos dicatis, nec unius jejunium diei ferre posse ob corporis defatigationem nimiam, & adhuc quotidie ferè libidinosâ provocatione corpus enervatum magis defatigetis? In talibus si excusatio à jejunio ob labores toleranda videtur, intolerabilis est adeò frequens libido, & nec tam fragilitati adscribenda, quàm obfirmatæ consuetudini malitiosæ; & tamen nescias quam eis pœnitentiam debeas injungere, quia jejunia carnis mortificationi apta non adimplebunt. Ita Marchantius.

APPENDIX. I.

REmedium autem à me propositum *n. 551.* a legi postmodum apud Caramuelem *in Theologia Fundamentali*, at locus non ampliùs hæret in memoria; juvabit tamen energiam illius remedii à me, non nominato ullo autore, suggesti autoritas Prosperi Farinacii, utpote qui *in Practica Criminali Part. 5. quæst. 148. Tit. 16. n. 38. 48. & 49.* differens de hoc, contra naturam, proindéque summè abominando scelere, scribit, etiam illum appellari sodomitam, qui se ipsum polluit, ita quidem, ut licèt talis non sit quidem puniendus pœnâ mortis, attamen sit judicis arbitrio committendum, quo infrà ordinariam pœnam supplicio sit castigandus. Et fortè quis non haberet pro nimis rigido illum supremum judicem, qui abscissionem capitis, aut saltem manûs Lege statueret in eum, qui aut alium innocentem induxisset in hoc scelus, aut esset eidem vitio deditus per plures Annos.

Quod verò idem Caramuel *in eadem Theologia Fundamentali Quæst. 66. n 1296.* scribit, b illum, qui se polluit cum vera emissione seminis, sufficienter confiteri dicendo: *Habui initium grave pollutionis*, aut. *Habui gravem delectationem morosam*, non dubito, quin sit contra judicium, ac praxin omnium Confessariorum, communéque Doctorum, ac ipsam veritatem, nec satis à Caramuele probari eo argumento, quòd nemo teneatur explicare in exhomologesi, fuisse aut pollutionem, aut aliud crimen completum, sed sufficiat fateri, fuisse graviter inceptam, inceptúmque, cùm istud complementum sit mera circumstantia *aggravans* intra eandem speciem, & proindè non necessariò exprimenda. Illa, inquam, singularis, miniméque probanda opinio, non satis probatur allatâ ab eo ratione, alioquin, & is obligationi suæ satisfaceret, qui, cùm amputâsset alteri caput, diceret, se inflixisse ipsi grave, aut lethale vulnus.

c Negandum itaque est, ejusmodi complementum esse circumstantiam duntaxat *aggravantem* intra eandem speciem, cùm sit revera *intrinsecum*, & *immediatè* ab *actuali* voluntatis influxu pendens complementum homicidii, sicut & pollutio, de qua loquitur Caramuel, gravis delectationis morosæ, quo complemento non expresso, non exprimirur illud numericum peccatum, quod revera patratum fuit. Etenim cùm actus *exterior* sit tantùm complementum *interioris* voluntatis efficacis, an non sequitur ex discursu hujus Doctoris, illum, qui reipsa calcavit sacram hostiam, eámve indignè sumpsit, sciens, volens, sufficienter confiteri dicendo: *Habui efficacem voluntatem sacrilegè calcandi, sumendique sacram Hostiam.*

APPENDIX II. CAROLINA.

d VIde, quem hisce jam datis postremo prælo nactus sum, Verricellum *De Apost. Mission. Titul. 18. n. 306.* ubi refert quidem pro opinione Caramuelis sat clarè loquentes Vasquezium, Bonacinam, & Oviedum, à quibus tamen dissentit ipse cum Tancredi, & insuper addit, quandoquidem oculorum nimia libertas est obscœnis perfrequens causa fœdarum cogitationum, operúmque pudendorum, profuturum quandoque, si pœnitenti proponatur tum unum, alterúmve exemplum virorum, famâ sanctitatis in Ecclesia celebratorum, & continendi oculos summè studiosorum, tum nominatim S. Bernardi, & nostri B. Aloysii Gonzagæ, tum etiam bellicosissimi Caroli V. Imperatoris, de quo (docto suo malo) Jacobus Masenius *in Anima Historiæ Lib. 7. n. 152.* hæc memorat: *Prætereuntes mulieres aut oculis aversis, aut clausis speculis est visus excipere, ratus, cupiditatem ut flammam citiùs nascentem opprimi, quàm adultam. & anteverti facilius hoc incendium, quàm averti, pestilenti libidinem morbo similem, cujus semel in venas, & viscera recepti, difficillima sit curatio.* Ita Masenius ex sensu divinorum oraculorum, omniúmque usu peritorum.

APPENDIX III.

a NOster P. Tobias Lohner in sua Novissima Utilissima Instructione V. *Part. 2. cap. 3. quæst. 2.* differens etiam de spirituali cura deditorum fœdissimo crimini mollitiei, de cujus sanatione tam varia protuli superioribus §§. censet inter alia, quæ ibidem recenset, remedia profuturam etiam quibusdam commemorationem hujus

Casus desperati.

AD majorem terrorem poterit exemplum b *de illo juvene Canonico afferri, qui in juventute à Magistro quodam suo hoc vitium doctus quondam post cœnam cum consanguineis sumptam in lectum concessit, paulo pòst horrendum clamare, & auxilium implorare incipiens, cùm ad Confessionem à vocato Decano, & aliis Canonicis excitaretur, terribilibus oculis Decanum aspexit, dixitque:* Væ illi, qui seduxit me! Ad quid super me divinum adjutorium invocabo? Ecce jam video patulum infernum, præsentes Dæmones, & ad rapiendum me avidè inhiantes. *Tunc clausis oculis faciem avertit,* & cum diris clamoribus animam exhalavit.

Ita ille Theologus, qui præmiserat hæc ver- c ba. *Joannes Benedicti ait nullum, qui triginta tres Annos in habitu hujus vitii vixerit, ad frugem redire posse, nisi extraordinaria Dei gratia præveniatur.* Et verò novi ego alibi senem jam ab hinc multis Annis vita functum, qui fuit questus, se etiam in illa senili ætate non nisi summa cum difficultate resistere posse furioso impetui illius à prima adolescentia inductæ consuetudinis, & quandoque etiam succumbere tentationi.

Illi casui desperati jungendum duxi alium, eúmque

Spurcitiæ horrendæ per errorem invincibilem Illimis, ac innoxiæ.

F*Alluntur, qui putant naturæ lumen in nobis* d *nunquam cæcutire, quoad ea, quæ suapte natura sunt horrenda, aut detestanda. Verùm quid horribilius ac detestabilius scelere illo, quod ipsa scriptura rem detestabilem nominat agens de Onon* Genes. 38. *Incidere tamen aliquando memini in personam admodum piam, & aliquot jam Annis divino cultui mancipatam, quæ mori delegisset potiùs, quàm Deum violare contracta ultrò gravi culpa, cujus virulentiam perspectam haberet. Prò infelicitatem nostram! absque ullo conscientiæ morsu erro inculpatus, sed tamen in ea inscientia miser, levabat tetro illo modo naturam, & stimulos libidinis retundebat, interim Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ bona fide frequentans, donec sive audita censione super operis, quod patrabat turpitudine, sive ex horror pia persona, cùm in familiari colloquio de mollitiei illius fœditate sermo incidisset, de doctus errorem altè ingemuit, aditóque Confessario omnem illuviem exterfit. Et quamquam imperitus Confessarius duris-* e *simè habuit pœnitentem, tamen commiseratione (ob ignorantiam nullatenus sublucente rationis lumine offusam) potiùs, quàm inerepatione dignius fuit*

habendus, & verò cum pertioribus quibusdam rem totam communicavit, inter commiseratione dignus est habitus. Laborari quippe posse invincibili ignorantiâ etiam circa ejusmodi operum fœditatem, ratum est apud Doctores. Accommodari igitur huc non potest illud sufficientiæ Epist. 22. De Loth (*quid fecerit, ignoravit, & quamquam voluntas non sit in crimine, error in culpa est*) *at hîc ne error quidem fuit in culpa, quippe invincibilis. Fuerunt quidem jam pridem, quibus non est visum ignorantiam invincibilem purgare à noxa in iis, quæ sunt contra jus naturale, cujusmodi sunt spurcitiæ, de quibus hîc agitur. At eam Pseudo Theologiam pridem à gravissimis Doctoribus explosam, & pridem antiquatam recèns in Cornelio Iansenio Yprensi justâ censurâ proscriptam absque discussione ad hunc locum non attinente præstat dimittere.*

f Repræsentavi non modo narrationem, sed etiam judicium defœcatissimi Theologi P. Theophili Raynaudi, exhibentis hoc exemplum in Tract. cui Titulus: Centuria Historiarum *n. 14.* quem reperire est in decimo septimo Tomo. Hoc tanti viri judicio confirmatur illa doctrina, quam sine expressa (nisi Patris Raynaudi) autoritate tradidi suprà *n. 316.* quòd videlicet revera sit reperire nonnullos, qui invincibiliter ignorant, utrùm illa sui ipsorum turpissima, quamvis, commaculatio, contineat semper malitiam coram Deo mortalem.

CONFESSARIUS DIVERSORUM PECCATORUM.

CASUS XVIII.

Quodlibeticus, & Principalis.

SUMMARIUM.

Casus generosi Confessarii Principis. 554.
Qui se geret Confessarius Principis, oblivisentis nonnulla peccata? 557. & 560.
Quid facientis publicè nonnulla reprehensa ab aliis? 559.
Quò Confessarius nobilium non solventium census suo tempore? 561.
Aut alterius non solventis debita ex contractu. 563.
Obligatio Confessarii non indicantis, aut etiam negantis obligationem veram restitutionis. 564.
Quid propriè sit usura? 565.
Exprimuntur varii actus usuræ palliatæ. 568. & seqq.
Et confitentis indistinctè objectum. 571.
Et committentis duellum. 572.
Privatum non est reservatum in Germania. Ibid.
Traduntur nonnulla de Confessariis solicitantibus ad turpitudinem. 575. & seqq.
Bullæ de solicitatione non sunt receptæ in Germania. 576.
Referuntur de hoc verbæ Gregorii XV. 578.
Et extensio Alexandri VII. 580.
An liceat excipere Confessionem complicis in isto peccato? 581.
Qui se geret Confessarius facientis Confessionem generalem? 583. & seqq.
Quomodo confitenda peccata commissa ex consuetudine? 586.
Singulariter loquendi turpia coram aliis, aut concupiscendi obvias quasque? 588.
Aut quando juvenis opifex diu habitavit inter hæreticos? 591.

554 *Sophronius ex familia S. Francisci mihi notus Confessarius, & Capellanus existens cujusdam Magnatis, admonitus ab aliis Religiosis Beneficiatis, ut Domino illi faceret scrupulum de decimis, quæ illis Religiosis debebantur, candidè, & absolutè respondit:* Patres, *inquit*, videam vestra Privilegia, ut sim certus de vestris decimis. Ego in pervigilio festi, quo ipse Confessurus est, admonebo ipsum de isto debito. Si noluerit acquiescere, ego accepto meo Breviario, ipsum deseram, ne animam meam perdam, quam ut salvem, factus sum Religiosus. *Fecit, quod promisit, & illo suo zelo, ac prudentiâ effecit, ut ille Dominus sine strepitu juris (quod diutiùs protrahebatur) per sententiam pii, ac docti arbitri decimas traderet.*

555 Narratio hæc tota est Gregorii Tertii *in Confessione Idiotæ Cap. 3. §. 5. q. 2.* quam possem vocare *absolutè* Casum *Principalem*, sed nuncupo *Quodlibeticum*, quia sub ejus Titulo, & quasi umbra sequentibus Paragraphis resolvam, quæ libuerunt potissimùm ex tot speciebus peccatorum, pertinentium ad tribunal arcani judicis, cùm metus offendendi ipsâ multitudine, ac libelli (sic scribebam *in prima editione hujus VII. Tract.*) magnitudine Lectorem, non permittat, ut decimam partem proponam.

556 I. Itaque *sive Dux militiæ, sive Præfectus, sive Princeps diademate coronatus*, ut cum S. Chrysostomo loquar, manifestet in Confessione aliquod mortale peccatum sine numero, specie, aut modo, quo possit Confessarius prudenter judicare, peccaveritne mortaliter coram Deo, tenetur Confessarius illum interrogare, æquè ac plebejum, quia Christus non condidit pro Principum Confessionibus peculiarem Theologiam. Quòd si quid ex oblivione omittat, cognoscente Confessario hanc oblivionem, erit necessariò, aut non necessariò monendus juxta diversas sententias relatas superiùs. Si autem ex ignorantia non confiteatur, tum vel illud peccatum nocet soli Principi, & tunc docendus, vel non docendus est juxta ea, quæ *in Theolog. Iuridico-Moral.* trado *Cap. 37. num. 56. & seqq.* ad quæ lo-

557

ca me retuli suprà *num. 316.* vel nocet aliis ob publicum scandalum, &c. tunc monendus est, ut communi authoritate, & ratione probet *cit. cap. 37. n. 71. & 106.* & vel maximè, si dubius interroget Confessarium, ut *ibid. n. 74.* doceo ex communi, & certa, excipientibus contra Coninck, & Bonac. *ibid.* relatos Tannero, ac Morono casum, quo ex manifestatione veritatis imminerent gravissima mala.

558 At *quid si Confessarius judicet, aliquam legem, fœdus, bellum, indictionem tributorum, decretum, &c. differendi ad certum, vel incertum tempus persolutionem debitorum liquidissimorum, quæ à Principe, vel facta, vel facienda, vel tacitè approbata, dissimulatáve sunt, repugnare DEO, Princeps autem secutus judicia suorum Consiliariorum existimet non repugnare?*

559 Resp. Si consiliarii revera unanimiter existiment, illa omnia, aut singula esse juri conformia, non video, cur Confessarius non possit censere, inesse tali existimationi probabilitatem, saltem *extrinsecam*, ergo non negabit absolutionem Principi sequenti judicium consiliariorum, per doctrinam communem traditam suprà *n. 178.* Si autem & Confessarius, & consiliarii habeant persuasum, aliquid eorum esse contra Deum, & conscientiam, non apparet, quomodo Confessarius debeat postponere suum, illorúmque judicium persuasioni Principis, cùm præsertim totus mundus nôrit, consiliarios solere se, quoad possunt, conformare nutui sui Domini.

560 Sed *quid censendum de facto Sophronii suprà relati?*

Resp. Sine dubio potuêre adesse (& quidni præsumam, reapse adfuisse?) tales circumstantiæ, conditionésque ex parte tum decimarum, tùm ipsius Principis, ut Sophronius pronunciandus sit laude ac imitatione dignissimus: aliquæ, ob quas neutrâ dignus. Legat, oro, perpendátque sedulò quivis Magnatum Confessarius, quæ idem Teretius ad verbum describit ex Cardinale de Lugo, *de pœnit. disp. 22. sect. 2. num 27.* sed simul etiam caveat, ne, sicut aliqui Concionatores, ita etiam ipse nimis facilè præbeat credulas aures rumori, famæ, attestationibus seu plebejorum, seu etiam illustrium virorum. Potiùs, observet resolutionem, quam recentissimus, & Illustrissimus Franciscus de Arauxo Episcopus Segovienfis *in suis decisionibus de statu Ecclesiastico Tr. 1. q. 8. n. 30. & seqq.* dat ad hunc propositum à se

Casum Principalem.

a *Quidam Princeps supremus habet valde defectuosum regimen, quia scilicet plurima peccata tum omissionis, tum Commissionis; in regimine perpetrat, ut minùs dignis, vel etiam indignis officia, dignitates, Magistratus, & Episcopatus conferendo, & permittendo suis Ministris, ut Rempublicam tributis vexent, & similia, de quibus tamen ipse non confitetur, nisi de aliis, quæ ut homo, seu persona privata committit, ut de mendaciis, de juramentis sine necessitate, de odio, & similibus, habétque alias Confessarium doctum, & timoratum. An satisfacit suo muneri coram Deo, absolvendo hunc Principem à peccatis personalibus, servatis aliàs debitis conditionibus, nihil eum monendo, vel interrogando de defectibus, & peccatis in regimine perpetratis, nec minùs notoriis, quàm nocivis Reipublicæ?*

b Hactenus paradigma supremi Principis *imperfectè* confitentis, & fortè habentis plurimos ex Principibus inferioribus, Dynastis, Consulibus, Senatoribus, Potestatibus, (ut vocant Itali) Judicibus Politicis, Ecclesiasticísque æmulos sui exempli. Respondet autem ille Præsul, prædictum Confessarium minimè satisfacere suo muneri. Probat verbis Cajetani *in Summula verb. Interrogationes Confessarii*, & Navarri *Consil. Lib. 3. Tit. de præb. & dignit. aonsl. 15.* tradentium, Confessarium teneri interrogare, etiam quando solùm dubitat, an pœnitens omnia necessariò de se aperienda manifestârit. 2. *Ex Capit. Omnis utriusque sexûs. De pœnit. & remiss. 3.* Ex eo, quòd Confessarius sit Judex, Medicus, Consiliarius, Magister, Doctor, & Ductor Principis credentis sibi suam conscientiam. 4. Monitis Alphonsi sapientis, & factis S. Francisci de Paula. 5. Denique ex eo, quòd Rex quisque profiteatur triplicem artem, Ethicam, Oeconomicam, & Politicam. Ethicam in ordine ad se. Oeconomicam in ordine ad suam domum. Politicam in ordine ad populum, quem gubernat. Quia igitur potest in usu singularum ex his artibus graviter delinquere, tenetur ipsemet confiteri ut Ethicus, Oeconomus, & Politicus: Quod si non faciat, absolvi non poterit. Si non absolvatur, peribit æternùm. Ne ergo pereat, est necessario monendus ab ipsomet Confessario, ut aperiat sua illa delicta. nec aquiescat Confessarius, etsi Princeps rejiciat in suos ministros culpam malæ administrationis, etenim ministros malè suo fungentes officio corrigere, atque incorrigibiles exauctorare tenetur. Hæc & plura ille Episcopus, qui utinam habeat mortuus tot obtemperatores, quot habuit vivus in Salmanticensi Academia auditores.

APPENDIX MIRANDA.

ET fortè idem Arauxus fuisset, si resita tuliset, sectatus exemplum, quod exhibet hic

Casus propè stupendus, certè inauditus.

c *Reverendissimus Dominus Porcellus Tullensium Antistes, Præsul ob virtutem nobilitatem, atque sui gradûs eminentiam revera maximus, jam jam paratus ad aram accedere, sacris operaturus Mysteriis frequentissimo populo præsente, unum è suis ad templum abl gavit, ci cumspecturum de sacerdote, cui confit eretur Significatur illi Patrem de Mata incour* (Dominum, inquam, Fororium, vulgò dictum Patrem de Mataincour, quòd esset hujus celebris pagi Lotharingici Parochus) *ad se, q em ad se vocatum rogat, u Confessario præbeat aurem. Patet suam, ut domini sui judex esset, indigni tem præ texens, iter ito se excusat; perseverat nihilominus Præsul, asseverans, u o omnia verbo confestim expedienda; consentit igitur ille, sed q ia non semper ex parte pœnitentis stat, Confessio sit ne longior, vel brevior, cùm Præsul, quidquid memoria suggereret, dixisset, Pater non ignorans, in hoc tribunali se Jesu Christi, Angelorum, hominúmque supremi judicis vices gerere, sine respectu ad lituos, & mitras, pœnitenti suo tria, haud levis momenti capita objicit, quæ ex ipsomet c nistitis ore accepimus, cui hæc recensere collibuit, lætitiâ gestienti, & admiratione, quòd sacerdotem offenderit in sua Diœcesi adeò magnanimum. Primum concernebat inspectionem Episcopa us quod non singulis Annis fieret. Secundum pluralitatem beneficiorum, decretis Concilii Tridentini contrariam Tertium invete atum cum aliquo nobili ssidium. Super tria hæc maximi ponderis capita in omnem partem duûm horarum spatio versabat Episcopum, nihil de pronuncianda absolutionis formula loquentem audire, neque etiã abs se ex homologeterio dimittere volens, ni polliceretur, se proximè omnia tria compositurum, id quod tandem promisit, támque feliciter singula fuit executus, ut cum Nobili se reconciliavert, qui brevi pòst obiit uti & ipsemet gravi morbo correptus, omnia beneficia manibus sui Directoris consignavit, iisdem se non aliter usurum contestatus, quàm ut ipse ordinaturus esset, & in hac optima dispositione fatis concessit. n non speculum hoc est, ex quo Confessarii possunt addiscere, auctoritatem & p testatem, qua per Ministerii sui sanctitatem donantur, nequicquam mercenariâ quadam socordiâ temerandam esse?*

Descripsi hæc ex Libro, cui meritissimus ti- d tulus est: *Idea Boni Parochi, & perfecti Religiosi*, Reverendissimi Domini Petri Forerii &c. de quo nobis in nostro Alphabeto Quadrupl. & in hujus Operis hac postrema revisione haud semel sermo, ac reperiet lector in illius Ideæ *Lib. 2. c. 13.* §. Nemo. Gallicè compositeà R. P. Nicolao Bidel, Latinè redditæ à R. P. Bisselio, utroque Canonico Regulari S. Augustini, illo in Lotharingia, hoc in Germania Augustæ Vindelicorum, optimè de Germanis merito, quòd horum bono latinè reddiderit tam hanc *Boni Pastoris*, quàm aliam *Boni Prælati* ideam, de qua nos alibi etiam. Quò verò Confessarii fortiùs stimulentur hoc exemplo ad faciendos procul à se respectus, timorésque humanos, sciant velim, hunc Petrum Forerium fuisse summo apud omnes loco ob Theologiæ, Sacrorúmque Canonum excellentem scientiam, raram sapientiam, vitæ Sanctimoniam etiam miraculis contestatam, atque exstitisse anno hujus sæculi vigesimo tertio Reformatorem, Abbatémque Generalem Canon. Regular. S. August. in Lotharingia. Quare abst, ut præsens ejus factum ducam reprehensione dignum, quin potiùs in memoriam revocandum Confessariis magnorum virorum, sicut & illud, quod exhibet sequens.

Specimen Cardinalitiæ Obedientiæ.

e *Pater Mauritius Serpius Societatis nostræ Sacerdos, accersitus ab Henrico Infante Cardinale, qui Regnum* (Portugalliæ) *pro Sebastiano etiam tum impubere gubernabat, ut se quoque confitentem audiret, prorsus dissertéque abnuit, id sibi integrum esse dum ab Ecclesiasticis hominibus, contra Decreta summorum Pontificum, vectigalia repeterentur. Id se ignaro Princeps si factum sit accidisse professus, actis pro libera admonitione gratiis, quidquid peccabatur, promptè se correcturum, uti mox etiam præstitit, spopondit.*

Hæc ipsissima verba legere est in Libro, cui titulus *Mortes Illustres & gesta eorum de Societate Iesu, &c.* autore F. Philippo Alegambe *pag. 77. Edit. Roman.* quorum subjectum duobus veris, uni ficto exemplis junctum, exemplis inquam, quatuor Virorum è quatuor Religiosis familiis, videlicet SS. Augustini, Dominici, Francisci, Ignatii, perpendet prudens Magnatum Confessarius, & cum Religiosa, non verò Politica discretione vel ex toto, vel ex parte imitabitur, identidem memor duplicis oraculi divini. Primi: *Tempus tacendi, & tempus loquendi* Secundi: *Sanguinem ejus de manu tua requiram.*

II. Quando nobiles accusantur de defectu 561
solutionis, Confessarius non debet facilè iis »
»negare

»negare absolutionem, nisi constet, eos in ista »re iniquè agere. Suspiciones, & dicta credi»torum sæpe non sufficiunt. Et verò si agatur »de solutione redituum *personalium*, vel eti»am *realium*, faciliùs excusari possunt, etiamsi »aliquot Annos non solvant, quia verè consue»tudine receptum est, ut in pensionibus An»nuis non fiat in promptu solutio. Quòd si »in Confessione se accusent, quòd debita non »solverint, & putentur bonâ fide existimare, »se posse adhuc solutionem differre, posset Sa»cerdos dissimulare eam inquisitionem, si ani»mus eorum crederetur offendendus, & majus »bonum, quod intenditur, impediendum time»retur. Si tamen non putentur esse in bona fi»de, vel ignorantia videatur crassa, suaviter
562 »sunt monendi, & instruendi. Hæc omnia exscripsi ex P. Lessio *in Auctario verb. Confessarius Cas. XII.* Attamen Confessarius in Helvetia non supponet illam consuetudinem non solvendi in promptu Annuos census, si enim ulla gens est hac in re seu rigida, seu, ut malo loqui, seria, sunt Helveti. Quorum morem si sectarentur aliæ gentes, non tam multi redigerentur denique ad incitas. Verè rarissimè creditori, raró admodum debitori prodest accumulatio duorum, trium censuum. Cavendum tamen, ne extorqueatur solutio in iis casibus, in quibus Theologi tradunt, posse differi, etiam invito creditore.

563 »III. Quidam vir nobilis est in mora sol»vendi debitum unciarum ducentarum ex con»tractu, sæpius confitetur, & non solvit, ha»bet tamen animum solvendi: quærit Confes»sarius, an sit illi absolutio neganda, maximè »cùm creditor multoties ab illo petierit solu»tionem? Videtur mihi non ita rigidè proce»dendum esse. Nam quando debitor habet ani»mum solvendi, neque creditor patitur ex di»latione solutionis damnum, mortalis culpæ »minimè damnandus videtur. Talis enim dila»tio non est ipsi creditori adeò injuriosa, ut de»bitor judicandus sit lethalis criminis reus. »Non auderem sequi hanc sententiam, nisi pa»tronos haberem Molinam *de just. Tom. 3. Tr. 2. »disp. 753. num. 1.* & Bonac. *De Contr. disp. 1. q. »6. n. 4. Notent hanc decisionem Confessarii, »quia tollit multos scrupulos, maximè in Confes»sionibus Nobilium, qui per multos menses, sine »justa causa differunt restitutionem, sed urgeant »semper propter solutionem, maximè quando fo»ret magna, & commodè posset fieri restitutio.*

Hactenus repræsentavi formaliaDianæ *Part. 1. Tr. 17. seu 3. miscell. resol. 3.* Quibus addo, tales debitores (sicut & qui eodem modo differunt solutionem censûs, de quibus suprà *num. 561*) teneri in conscientia resarcire damna, quæ creditori orta sunt ex procrastinatione debitæ solutionis.

564 »Addo quoque, tuum Confessarium non teneri restituere, aut solvere pro te tuo creditori, quando tu ideo non solves, quia ipse ex oblivione, aut ignorantia crassa, & vincibili neglexit te commonefacere de tuo debito. Bonacin. *Disp. 1. de restit. q. 2. n. 13.* Filiuc. *Tr. 7. cap. 12.* atque alii multi contra alios. Ratio est, quia obligatio restitutionis non oritur, nisi ex violatione justitiæ, aut contractûs, ut alibi ostendo. Confessarius verò tuus non lædit justitiam, saltem respectu tui creditoris dum te non monet. Nec enim est huic, sed tibi obligatus. Quæ tamen ratio tunc illum non liberat eo onere, quando tibi interroganti, an tenearis solvere, aut restituere, negat ex ignorantia crassa. P. Laymanus *Lib. 3. Tr. 4. cap. 7. n. 6* P. Filliuc. *de Pœnit. Tr. 7. cap. 12.* & alii communiter. Nam tunc ejus responsum est causa positiva, & vera damni. Ergo tenetur ex justitia te monere, seu edocere veritatem. Si autem nequeat, satisfaciet ipse. *At est Religiosus?*

Resp. Monasterium non tenetur de culpa sui Religiosi. Ergo si hic nihil habet subjectum suæ Liberæ dispositioni, ad nihil obligabitur, nisi ad pœnitentiam, & ad monendum pœnitentem juxta dicta *Cas. VI. num. 298.* Sicuti etiam quivis Confessarius tunc tenetur ad hæc duo sola, quando illud falsum responsum provenit ex ignorantia, aut inadvertentia solùm venialiter malis. Coninck. *disp. 8. de Sacram. dub. 17. num. 144.* post Lessium, atque alios contra alios. Nam levis culpa non gignit gravem justitiæ obligationem, gignit autem sæpe gravis. His adde ex nostro *Alphab. Quadrupl. num. 558.* casum illius, qui pollicitus, se soluturum Cajo centum aureos debitos ex contractu mutui, noluit deinde aliter solvere, quàm remittendo etiam centum, quos debebat idem Cajus.

APPENDIX.

Alienæ Resolutionis.

a Quandoquidem & *n. 221.* dixi, Confessarium, quando absolvit nolentem; cùm possit restituere inique ablata, delinquere mortaliter: & hoc ipso *n. 564.* addo, eundem obligari ad restitutionem faciendam, quando ex crassa ignorantia pœnitentem liberat à debita restauratione, éstque frequentior, (ac optandum foret,) usus hujusce doctrinæ, placet eam illustrare casu particulari, quem in utramque partem adductis rationibus, & autoritatibus ventilatum, resolutúmque à se misit ad me quidam Theologiæ Moralis Professor novus quidem, sed eruditione superans nonnullos non novos. Misit autem petens meum de suo responso judicium. Verba ejus admetior.

Casus Restitutionis Dubiæ.

b Persona quædam ante aliquot Años cuidam »
Lutherano decẽ florenos furata, statim post »
factum pœnitentiâ ducta peregrinatum ivit, »
ibi suum crimen Confessa, simúlque insinuans, »
se sine infamatione vix suo Domino restitut o- »
nem, »

„ nem facere posse, jam aliqua suspicione in il-
„ lam concepta. Confessarius pœnitenti hoc
„ Consilium dedit, ut pro media parte, Sacra-
„ legi curaret, alteram partem in illa peregri-
„ natione B. V. Mariæ offerret, quod & fecit
„ secundùm Consilium à Confessario datum.
„ Illa autem non consolata aliis diversis Con-
„ fessariis Confessa est, qui omnes ei dixerunt,
„ quòd teneatur iterum ablatas pecunias Do-
„ mino per tertium restituere, præsertim cùm
„ facilè absque infamatione hoc fieri possit.

„ Quæro jam primò, utrum illa teneatur
„ iterum restituere suo Domino? Secundò, si re-
„ stituendum sit, utrum Confessarius primum
„ Consilium dans teneatur refundere, aut ex
„ propriis, aut ex redditibus illius peregrina-
„ tionis?

Ad primum quæsitum

An scilicet Persona furans sic Confessa, & restituens, iterum teneatur restituere?

c „ Dico. Persona furans, & dicto modo resti-
„ tuens iterum tenetur ad plenam restitutio-
„ nem. Ita videtur sentire P. Layman. *Lib. 3. Tr. 2. cap. 14. n. 9.* ad finem: pro se citat Les-
„ sium, Navarrum, & alios. Probatur, quia
„ juxta Doctores (secluso contractu) duo dan-
„ tur tituli restitutionis? Unus ex re accepta
„ (ut loquuntur) qua ditior sum factus. Alter
„ ex injusta acceptione, vel læsione. Prior in
„ nostro casu extinctus est, altero tamdiu re-
„ manente, quamdiu creditor non acceperit
„ suos decem florenos, ergo tenetur restituere.
„ Probatur secundò, quia debitor si per terti-
„ am personam quantumcunque fidelem VG.
„ amicum, aut Confessarium velit solvere cre-
„ ditori, illud suo periculo facit, postea actio-
„ nem contra suum malum negotiatorem ha-
„ biturus, ergo si decem floreni per Confessa-
„ rium, vel ipsius Consilium sunt perditi, dam-
„ num subibit debitor, & non creditor, ergo
„ fur Catholicus bona fide per Confessarii Con-
„ silium solutionem facturus, iterum tenetur
„ Lutherano restituere ablatos decem florenos.
d „ Probatur tertiò, quia bona fides, autoritas
„ Confessarii, & putata solutio ipsum non ex-
„ cusat, aut liberat à restitutione, quia sicut
„ realiter abstulit, sic realiter, cùm possit, te-
„ netur restituere. Confirmatur, quia sicut
„ audiens Sacrum, vel confitens apud Sacer-
„ dotem tantùm apparentem, postea sui erro-
„ ris certior factus tenetur die festo, si possit,
„ novum audire Sacrum, & sua gravia peccata
„ subjicere clavibus Ecclesiæ, sic fur noster ap-
„ parenter restituens, & sui erroris certior fa-
„ ctus, debet realiter restituere, ergo persona
„ Catholica juxta allatum casum restituens, ad-
„ huc solvere debet hæretico quia diversitas
„ Religionis nihil facit ad rem nostram.

Objicies primò; nemo tenetur idem de- „ e
bitum bis solvere, vel restituere, ergo fur no-„
ster, quia semel eo modo, quo potuit, ac de-„
buit, fecit restitutionem, non tenetur, ite-„
rum restituere. Resp. Duplicem dari solutio-„
nem debitorum; unam putatitiam, in effica-„
cem, vel intentionalem: & alteram rea-„
lem, & efficacem. Per Priorem debitor non„
satisfacit suæ obligationi, quia si fur pecuni-„
am per servum suum misisset creditori resti-„
tuendam, & servus illam in via perdidisset,„
Dominus utique pecuniam eo modo, quo„
potuisset, restituisset. Et tamen debitor ite-„
rum teneretur ad restitutionem. Ergo inten-„
tionalis, & ineficax solutio non tollit obli-„
gationem.

Objicies secundò. Si res alterius apud „ f
me sine mea culpa perit, Domino perit. Sed„
decem floreni ad Lutheranum spectantes sine„
furis culpa perierunt, ergo non furi, sed Do-„
mino, sive Lutherano perierunt, ergo fur ad„
nihil tenetur. Resp. Majorem esse quidem„
veram, si res sit determinata, & obligatio re-„
stituendi sit tantùm, ex re accepta, sive sine„
culpa præcedente. Falsam tamen esse, si obli-„
gatio oriatur ex injusta acceptione, aliàs si„
fur casu hos decem florenos perdidisset, ad„
nihil amplius teneretur, quod nemo conce-„
dit, quia fur per suam primam ablationem„
semper censetur causa vel occasio, cur pecu-„
niæ sint perditæ, ergo pecuniæ non casu, sed„
ex malitia auferentis absolutè perduntur.„

His tamen non obstantibus.

Dico secundò. Persona, postquam decem„ g
florenos furto ablatos applicavit ad pias cau-„
sas ita à Confessario persuasa, ad nihil ampli-„
ùs tenetur. Probatur I. Quia probabilis est„
sententia, furem ad nihil teneri, si rem abla-„
tam, vel illius pretium, per fidelem homi-„
nem VG. Confessarium restituerit, licèt res„
sic missa ad Dominum non perveniret. In„
hanc sententiam propendet Castro Palao„
Part. 7. de justitia commutativa *Disp. 1. §. 9.*„
n. 4. hanc expressè docet Thomas Tamburi-„
nus *Lib. 8. Tr. 4. cap. 1. §. 5. n. 8.* ergo licet„
opposita sententia sit communior, hæc ta-„
men in conscientia est tuta, sicut tutum est,„
sententiam probabilem sequi relicta probabi-„
liore; uti communior & probabilior docet„ h
sententia. Probatur II. Quia si fur dedisset„
ablatos decem florenos prudenti creditoris„
famulo; vel illius parentibus, aut superiori-„
bus, liber esset à restitutione, tametsi ad cre-„
ditoris manus non pervenissent, ergo idem„
dicendum est, si dedit Confessario juxta illius„
Consilium restituendos, quia sicut famulus,„
sic Confessarius censetur gerere personam„
creditoris, sive habere curam æquitatis. pri-„
us concedunt omnes, ergo etiam posterius„
concedi, vel dici potest. Probatur III. Quia„
creditor vel Dominus rei in causa tam pia„
non debuit esse invitus juxta Tamburinum„

Loc.

„ *Loc. cit.* ut illi non consenserit, fure ita do-
„ lente, & per optimam fidem restituente, sive
„ deinde creditor fuerit hæreticus materia-
„ lis, sive formalis. Uterque probè novit De-
„ um esse bonorum remuneratorem, & sic ali-
„ quo modo fieri hominis debitorem. Proba-
„ tur IV. Quia hic modus restituendi per Con-
„ fessarium, vel illius Consilium est frequens,
„ & usu ab omnibus receptus, consentientibus
„ etiam creditoribus, ergo fur noster usitatum
„ solvendi modum secutus ad nihil ampliùs
„ tenetur.

i „ Probatur V. Quia si ejusmodi restitutio
„ per Confessarium facta non liberaret ab onere
„ restituendi, tunc plerique fures excusaren-
„ tur à restitutione facienda. Fures enim, cùm
„ sæpissime non possint illis, quibus debent,
„ certâ facere restitutionem, ad nihil tenteren-
„ tur, non ignari solutionem à Confessario im-
„ peratam nihil valere, tota obligatione rema-
„ nente, sed hoc dicere esset furibus patroci-
„ nari, ergo fur juxta Confessarii Consilium re-
„ stituens ad nihil tenetur. Probatur VI. Quia
„ est contra justitiam creditori bis solvi, vel il-
„ li ultra debitum restitui, sed hoc in nostro
„ casu fieret, si decem floreni adhuc essent resti-
„ tuendi. Nam illud bonum Spirituale Sacro-
„ rum, & Eleemosinæ jam adæquant totum debi-
„ tum, ergo ad nihil tenetur.

k „ Probatur VII. Quia creditor, uti mox pa-
„ tebit, rectè præsumitur in hanc solutionem
„ consensisse. Si enim omnes creditores ante-
„ cedenter ante omnem casum interrogati re-
„ spondere debuissent, an quoad ejusmodi so-
„ lutiones velint stare judicio prudentis, hoc
„ est Confessarii, solutionem hoc vel illo mo-
„ do imperantis, omnes absolutè consensis-
„ sent, ergo noster hæreticus nolens volens de-
„ buit consensisse in solutionem à nostro Con-
„ fessario imperatam, ergo persona prædicta
„ modo restituens ad nihil ampliùs tenetur.
„ Vel si teneretur, tunc posset instituere actio-
„ nem contra suum incautum Confessarium,
„ aliquid extra Sacramentale tribunal consi-
„ tentem &c.

l Ad fundamenta contrariæ sententiæ pri-
„ ùs allata paucis respondeo.

Ad primum, nego, quòd obligatio restitu-
„ tionis, quæ orta fuit ex injusta acceptione,
„ nunquam tollatur, nisi facta reali restitutio-
„ ne, quia juxta omnes Doctores tollitur obli-
„ gatio restitutionis, si decem floreni furto ab-
„ lati restituerentur per prudentem creditoris
„ famulum, licèt ab illo in via fuissent perditi.
„ idem dic, si res sine culpa pereat apud furem,
„ æque peritura apud Dominum, uti testatur
„ Lessius *Lib. 2. cap. 12. dup. 15.* Ad secundum
„ dico. Licèt debitor suo periculo per multas
„ personas, præsertim per suos famulos mittat
„ pecunias ad creditorem perferendas, si tamen
„ illas dederit famulo creditoris, aut personæ
„ ita fideli, ut in illam creditor consentire de-
beat, sicut est Confessarius tanquam Vicarius„
Christi Sacramentaliter debitorem dirigens,„
aut absolvens ut sic, missio vel dispositio pecu-„
niarū fit cum consensu & periculo creditoris.„

Ad tertium jam respondi, quia debitor„ m
ab onere restitutionis non liberatur propter„
solam bonam fidem, & autoritatem Confes-„
sarii, sed propter absolutum consensum,„
quem creditor debet transfudisse in pruden-„
tem, hoc est approbatum Confessarium pæ-„
nitentes Sacramentaliter dirigentem. Neque„ n
allatæ instantiæ aliquid probant, quia nul-„
lus classicus autor & nulla ratio docet, Deum„
esse, vel esse debere contentum Confessione„
tantum nugatoria, vel apparente, sicut con-„
tentus esse debet creditor, licèt fur sit nocens,„
& creditor innocens, ratio est, quia quivis„
subditus debet bonum commune præferre suo
bono particulari, sed bonū commune requirit,„
ut creditores stent judicio prudentis, hoc est,„
approbati Confessarii, sicut suprà diximus &c.„

Ad secundum quæsitum paucis respondeo.

C „ Onfessarius suadens, vel imperans prædi-
„ ctā restitutionem non videtur obligandus„ o
ad restitutionem in foro conscientiæ. Ratio„
est, quia nullus ipsum ligat titulus restitutio-„
nis. Non ex re accepta, quia (uti suppono)„
rem alienam non habet, nec inde factus est„
ditior. Non ex injusta acceptione, quia„
nullam, vel certe non gravem commisit cul-„
pam sicut iterum suppono. Non ex contra-„
ctu, quia se Confessarius non obligavit dicen-„
do: Ego solvam, si tua restitutio à me tibi„
imperata non sufficiat, uti iterum suppono.„
Neque ex quasi-contractu, sive ex officio, quia„
licèt Confessarius incautum dederit consili-„
um, ipse tamen, cum possit credere, & ab il-„
lo audiverit, sine infamatione restitutionem„
fieri vix posse, ita secum discurrit: Probabile„
est bonum temporale, aut fortunæ, si non sit„
valde magnum, non esse restituendum cum„
damno præstantioris boni, sicut est vita & fa-„
ma. Deinde ne delictum prosit delinquenti,„
bona dari solent pauperibus aut piis causis.„
Quod quidem verum est, si bona sint incerta„
hoc est, quorum Dominus ignoratur, si verò„
bonorum Dominus sciatur, vel sciri possit,„
restitutio differenda est, donec opportuna„
occasione saltem per tertiam personam ad su-„
um Dominum pervenire possit: Licèt, in-„
quam, Confessarius incautum dederit con-„
silium, nimis credulus, & hîc non sufficien-„
ter doctus, non tamen videtur obligandus ad„
restitutionem ex quasi-contractu, sive ex offi-„
cio. Ratio est, quia dando Consilium juxta„
suam scientiam & illuminationem in allato„
casu non peccavit, sicut meritò præsumimus.„
Secundò, quia homines in susceptione vel„
traditione officiorum teste Tamburino *Lib.*„
8. Tr. 3. cap. 5. §. 2. non intendunt se vel ali-„
os obli-

„os obligare nisi ad moralem & humanam di-
„ligentiam in munere adhibendam; sed in no-
„stro casu Confessarius sibi visus est adhibere
„moralem, vel sufficientem diligentiam, imò
„putabat se valde prudenter, & piè operari,
„ergo in foro interno ante judicis sententiam
„ad nihil tenetur. Si teneretur, deberet re-
„fundere ex propriis bonis, nisi cerò probare
posset, ablatos florenos gazophylacio fuisse
„impositos.

p Hactenus verba, ménsque illius Patris Theologi, reddentia lectorem ancipitem, in quam partem ferenda sit sententia. Ego tamen existimo esse penitiùs discutiendam illam phrasin. Quæ sub initium ipsius casus exprimitur, dum asseritur, pœnitentem dixisse, se vix sine infamatione posse restituere suo Domino. Etsi enim, quod *vix fit*, fieri tamen dubium non existat, ut loquar cum Bonifacio VIII. *Cap. 2. De cognat. spiritual. in 6.* & repetit Glossa, *in cap. Hæc hujus 12. q. 2.* attamen in primis Vulpellus apud Barbosam in Opuscul. *Diction. 426.* rectè testatur, illam ipsam vocula quandoque accipi pro *Nullo modo*. Fortè autem illa persona fuit ea conformatione vultûs aut capitis usa, ut Confessarius non imprudenter judicârit non potuisse ullo modo fieri restitutionem absque famæ diminutione, idcirco potuit ut sic evadere omnem culpam, &
q consequenter restituendi obligationem. Deinde illa eadem particula, etsi denotet aliquid revera posse fieri, attamen involuit, seu indicat semper difficultatem, ut notum est ex communi usu loquentium, audientiúmque. Et utique potest quandoque illa difficultas esse tanta, & pœnitens esse tam pusilli, aut inconstantis animi, ut Confessarius prudenter judicet, eum mutaturum animum, quando offeretur occasio quidem restituendi, sed cum illa magna difficultate. In quo casu si arcanus judex faciat talem commutationem, qualis indicatur in casu, non est reprehendendus; siquidem sequitur exemplum, & doctrinam S. Augustini scribentis: *Si scirem tibi non prodesse, non te monerem, non te terrerem.* Et quia dubia sunt in meliorem partem interpretanda *Cap. 2. De. Reg. jur in 5.* malo ita interpretari responsum illius Confessarii, excusáréque pœnitentem, si non restituat, quàm condemnare; etenim in re dubia benigniorem interpretationem amplecti non minus justum, quàm tutius est, inquit, Christianè Jovis adorator Marcellus relatus *in L. Ea quæ in Partes ff. De Reg. jur.*

Si tamen ponamus illam difficultatem restituendi sine infamatione, seu periculum infamationis fuisse tam exiguum, ut nullo modo excusaretur apud Deum, si non seriò proponeret, restituere proxima (moraliter) quæ offerretur, occasione ídque comperit Confessarius, tunc in primis peccavit mortaliter ipse faciendo illam commutationem. Deinde præter peccatum habet onus præstandi id, quod præstare deberet pœnitens, si hic ideò non facit pecuniariam compensationem, quòd censeat se prudenter habere fidem Confessario, neganti esse opus restitutione, postquam pecunias expendit in usum præscriptum ab ipso. Quia verò alicubi in hoc ipso Opere post P. Filliucium monui, Confessarium non debere ad restitutionem compellere pœnitentem, nisi quando manifestum est, hunc obligari, eò quòd quotidie experiamur, illos quoque ægerrimè ad restitutionem adduci, qui cognoscunt se teneri: Confessarius autem, de quo hîc sermo, propter illam particulam *Vix* admodum dubiam non cognovit claram adesse hic & nunc ejusmodi obligationem, idcirco non autumo, ipsum teneri ad ullam restitutionem, esto, ponamus fuisse postmodum oblatam occasionem restituendi sine lasione honoris. Hic enim locum habet illa Felini *in Cap. Cùm adeò de rescript. n. 4.* Doctrina: *Res non judicatur ex eo quod erit, sed ex eo, quod est.* certè argumenta quibus ille Pater Theologus, qui me consuluit, utitur ad probandũ, illum furem non fuisse post furtum obligatum ad aliam restitutionẽ, sunt saltem in specie ita plausibilia, ut probent ignorantiam Confessarii, siqua intercessit, non fuisse crassam, sed quodammodo excusabilem, ergo non est obligandus ad ullam refusionem. Ignorantia crassa est illa duntaxat, qua ignoramus illas nostri officii res, quæ communiter evenire solent; Cardinalis de Lugo relatus suprà *num. 188.* præsens autem casus non est communis, seu communi resolutione liquidatus, elucidátúsve. Quod tamen attinet ipsum vel ipsam furem, si post commutationem à Confessario factam nactus est opportunitatem faciendæ pecuniariæ, vel alterius realis restitutionis, absque læsione famæ, haud immeritò dubitatur, in primis, si possit quidem sine notabili, at non sine aliqua infamia, deinde an si absque omni infamia? Et ad primum t respondeo, quandoquidem S. Antonin. atque alii multi cum Layman. *Lib. 3. Tr. 2. cap. 12. n. 2.* absolutè admittunt illam Regulam: *Bonum inferioris ordinis restituendum non est cum detrimento boni superioris ordinis in suo genere æque gravis*, sed etiam idem Navarr. in Manuali *cap. 18. n. 47.* admittit hanc: *Nemo tenetur restituere bonum inferioris ordinis cum jactura honoris superioris ordinis*, & insuper etiam *cap. 17. n. 89.* secutus Cajetanum dissentit à Dominico Soto hanc alteram Regulam restringente ad casum, è quo magna famæ jactura imminet ex reali restitutione, idcirco excusabitur ille fur, si nequeat restituere, nisi cum suspicione de furto. Fama enim minuitur non modo per judicium, publicámque assertionem patrati furti, sed etiam per suspicionem. Si autem res deducta sit ad id loci, ut restitutio fieri queat absque omni infamia, docui quidem publicè novies, pœnitentem, qui rem ablatam tradidit Confessario (arbitror esse eandem rationem,

tionem, quando ex Confessarii judicio ad alios usus, sibi ipsi non commodos, applicavit) restituendam, absolutum esse ab omni obligatione, quia tamen opinionem contrariam tenent apud Cardin. de Lugo *de justitia disp. 20. sect. 5.* Filliuc. Cenedo, Diana *Part. 2. Tr. 2. Miscell. Resol. 1.* quibus addo Petrum Navarrum, & P. Anton. de Escobar in Summa *Tr. 3. Exam. 2.* Eam ob rem existimo, si ille furquempiam rursum interrogâsset de obligatione faciendi aliam restitutionem, hícq; negâsset, posse ob extrinsecam probabilitatem id practicè negari, imò negandum, si Confessarius probabiliter timeat, ne ille fur superatus tentatione omittat restitutionem obnitente conscientia. Videtur quidem, hæreticum Dominum esse contemptorem compensationis factæ per Sacrificia, & oblationem pro templo Catholico, quia tamen aliæ rationes, quæ à Patre Theologo hic, & ab aliis alibi adferuntur, abstrahunt à Religione, eam ob rem non nego omnem omnino gradum probabilitatis datæ resolutioni, nec addo plus iis, quæ ingeniosè produxit ille P. Professor. Nisi quòd Ecclesia, in cujus commodum conversa est pars furtivarum pecuniarum, utique debeat restituere vel illas pecunias, quæ adhuc supersunt, vel alias, adeóque tantas in quantum est ditior facta, obligatur quippe ratione rei acceptæ. Si verò sunt expensæ in usus, in quos non fuissent facti ulli sumptus, non aderit onus restitutionis, cùm, ut sic, desit titulus tam injustæ acceptionis, quàm rei acceptæ.

565 IV. Usura *propriè*, & *Theologicè*, est lucrum ex mutuo vi mutui. Seu est contractus, quo ultra sortem) id est summam capitalem) aliquid pretio æstimabile, tanquam debitum ex justitia exigis, vel speras ideò *præcisè*, & *formaliter*, quòd rem quampiam dederis mutuam. Adeóque ille omnis, & solus est reus usuræ damnatæ legibus Divinis, Ecclesiasticis, Cæsareis, qui dans alicui mutuò pecunias, frumentum, vinum, &c. exigit, aut sperat aliquid pretio æstimabile ultra sortem, tanquam ex justitia debitum, non valens in sua conscientia aliam hujus exactionis, & spei rationem reddere, quàm hanc: Dedi Cajo mutuos centum aureos refundendos post Annum, quidni meritò post Annum exigam præter illos centum adhuc duos, aut quinque alios? debebo per tres Annos ca-
566 rere meâ pecuniâ. Ergo hoc ipso competit mihi jus petendi annuatim 2. 3. 5. per centum. Secùs, si talis possit coram Deo dicere: Lucrarer probabiliter his 100. aureis annuatim quinque alios, aut si hos 100. aureos dedero mutuos ad triennium, probabilissimè intra hoc triennium adibo damnum 15. aureorum, ergo meritò paciscor de quinque per singulos Annos. Adeóque vera, & non ficta spes lucri cessantis, verus, non fictus metus damni emergentis excusat ab usura pacíscentes de tribus, quatuor, quinq; annuis pro centum propriè mutuò datis.

V. Hæc cùm sint apud Theologos extra o- 567
mnem controversiam, sequitur, usuram propriè dictam committi in sequentibus Casibus. 1. Quando dicis: quia hæ pecuniæ jacent in arca sine emolumento, dabo illas mutuò: Ich wils außleyhẽ: ut in singulos centenarios recipiam quinarium annuum. Secùs, si non des propriè mutuò, sed emas illis censum annuum, ut solent Germani, & observat Layman. *Lib. 3. Tr. 4. Cap. 18.* vocans contractum *Germanicum*, qui quidem contractus censualis nequit celebrari cum persona, quæ neque ex bonis suis, neq; propriâ industriâ potest lucrari tantũ, quantum exigitur pro canone annuo, ideo qui ab hoc plus, quàm dedit, exigit, est veris usurariis ad æternos rogos destinatis accensendus. 2. Admittis 568
usuram, non quidem apertam, sed palliatam, & simul mortalissimè mortalem, cum quando vendens domum Cajo dicis: Si mihi pro illa exhiberes jam 1000. aureos contentus forem, at quia solves primùm post Annum, dabis 1050. est enim perinde, ac si diceres: Mille aureos, quos deberes mox mihi repræsentare, relinquo tibi per Annum, eâ conditione, ut post Annum solvas 1050. Layman. *loc. cit. cap. 16.* tum quando non solvi tibi censum Annuum 60. aureorũ, quem debebam ante Annum: non satisfeci pro victu Annuo excurrente ad 60. aureos, & ideo à me petis 62. aureos, est enim eadẽ ratio hujus, quæ prioris. Tum quando dicis: Depono apud te hos mille aureos, dans potestatem utendi iis pro libitu, ita tamen, ut in fine Anni restituas depositos unà cum aliis 20. 30. 50. Laymann. 569
ibid. tum quando dicis: Do tibi in censum Annuum hos 100. aureos, sed volo, ut statim mihi ex iis reddas quinq;, & imposterum Annuatim quinque. Lessius *in Auctario. verbo Census Cas. 2.* tum si ultra sortem aliquid exigas ideo, quòd te obliges ad non repetendam sortem usque ad certũ tempus. Nam Alexand. VII. die 18. Martii, Anni 1666. inter alias 16. propositiones damnavit contrariam huic nostræ resolutionẽ. Tum quando hodie repræsentas pro plaustro vini tradendi post tres menses solùm 30. aureos, cùm tamen hodie constet 34. & nemo pauperum prudenter timeat, nemo divitum prudenter speret, fore ut post tres menses excrescat ad 34. Laymann. *ibidem* in simili. Tum proba- 570
biliter, quando mihi debens post Annum pendere 100. aureos dicis: Pro illis 100. exhibeo tibi nunc 90. & non plus. Nam videris vendere solam exspectationem temporis, adeóq; habere solam rationem mutui, ut rectè Laymann. *loc. cit. cap. 17. num. 32.* ex communiore, vocans tamen non improbabilem contrariam opinionẽ Navarri, Toleti, & aliorum, eò quòd videamus quotidie, & maximè post pacem Imperio restitutam Chirographa mille aureorum, repræsentandorum post sexennium, decennium, emi nongentis, octingentis, aut etiam quandóque septingentis florenis, ac postea revendi alteri itidem mille florenis, damnante licèt hanc

practicam revenditionis Manzio I. C. Germano *in Disp. ad L. Anastasianam.* Observa autem ex Lessio *cit. verb. Census Cas. 3.* quando alicui e. g. mercatori das pecunias secundùm usum communem, & bonâ fide, te censeri dare eo modo, quo *licitè* fieri potest. Ergo si subsit justus titulus exigendi plus, quàm dederis, licèt eum titulum ignores, poteris tamen plus exigere. Hanc doctrinam, quæ est etiam Navarri contra alios, applica multis aliis casibus.

APPENDIX USURARIA.

a Quamvis autem scripserim paulò superiùs *n. 567.* Germanos non esse communiter pronunciandos reos usuræ, quando dicunt se huic, aut illi dare centum e. g. aureos cum conditione, ut post Annum illam summam, & & præterea quinos aureos pro censu restituant, non ausim tamen hoc dicere de aliis nationibus, nominatim Gallis. Legi enim his diebus in *Idea Boni Prælati*, vita, inquam, Illustrissimi Domini Alani (de quo suprà *Tr. 2. n. 592. in Append.* memini) *Lib. 2. Cap. 10.* hunc sapientissimum Episcopum & Abbatem (verè novum solem Canon. Regul. S. Augustí,) habuisse pro intolerabili cæcitate, *quòd Confessarii suæ Cadurcensis Diœcesis populos decerent, permissum esse exigere, & accipere ex proventu summæ creditæ ultra sortem principalem, tametsi non adesset lucrum cessans, aut damnum emergens dummodo non amplius, & quod exorbitet, accipiatur.* Videtur enim his verbis indicare, non esse in Gallia usitatum illum contractum pecuniarium, & censuarium, quem vocavi cum Laymanno *Germanicum*, ac proinde non attendi à Gallis id, quod nostris Germanis, si labem usuræ velint evadere, necessariò attendendum est, an videlicet is, cui dantur 100. aut 1000. aurei, certo tempore in eodem valore, & cum censu restituendi, aut habeat bona frugifera, aut calleat artem, scientiámve lucrativam, qua sanè reflexione omissâ, neglectáque, damnandi essent æquè Germani) nisi eos justificet recepta consuetudo, publicéque inducta in bonum Reipubl. cui expedit habere plures paratos ita succurrere egentibus, ut observat singulariter P. Haunoldus *Tom. 3. de justit. fol. 204. n. 418.*) atque Galli, & ubi ejusmodi usurarum mos publicè excrevisset, adducíque non possent usurarii ad restitutionem debitam præstandam, rem Deo pergratam præstarent concionatores illi qui secuti exemplum S. Francisci Salesii, & ejusdem strenuissimi imitatoris Alani, sub concione omnes fideles monerent, ut sibi invicem usuras quascunque absoluto dono dimitterent, dimitterent autem non coacti, sed moti Christianâ charitate, sicuti idem Alanus monebat.

571 VI. Potest ex probabili sententia Confessarius esse contentus Confessione, qua dicis: Commisi furtum mortale semel: Bis locutus sum de rebus venereis cum periculo, ne aliqui ex auditoribus inducerentur in graves tentationes. Etsi enim competat Confessario jus quærendi ex *primo*, quanta fuerit à parte rei illa summa? A *secundo* autem quot numero auditores fuerint scandalizati. Et interroganti, teneatur in conscientia respondere dissertè pœnitens, attamen Confessarium non obligari per se loquendo, interrogare, & pœnitentem non teneri ex se certam quantitatem, certum numerum exprimere, tradunt Lugo, & alii alibi à me relati.

572 VII. Committuntur in nostra Germania satis (respectivè) rarò per Dei gratiam duella solemnia, id est, decertationes factæ vi provocationis ad certum diem, locum, cum chartellis, coram testibus, & fidejussoribus, cum periculo mortis, aut mutilationis. At verò privata patrantur satis, supérque frequenter. Nam privatum duellum est concertatio duorum facta cum loci, & temporis determinatione, cúmque mutilationis, vel occisionis periculo. Attamen sine chartellis, testibus & fidejussoribus. Bonacin. *De Censur. Disp. 2. quæst. 6. p. 2.* enucleatè explicans hanc materiam, & Palaus *Tr. 6. Disp. 6. p. 7.* Licèt autem utraque sint sub reservata excommunicatione justissimè, sanctissimè vetita, & Concilium Valentinum hoc, aut illo duello decertantes nominet *latrones, & homicidas nequissimos*, & tanquam 573 homicidas plecti mandet Concil. Trident. *Sess. 25. Cap. 19. de Reform.* attamen Laymannus *Lib. 3. Tract. 3. Part. 3. Cap. 5.* testatur, Bullas privata duella vetantes sub excommunicatione reservata non obligare in Germania, & partibus septentrionalibus, tum quòd ignorentur, tum vel maximè, quia nunquam fuêre cum tanto rigore receptæ. Quod esse bene notandum, observat Doctor Suevus P. Gregorius Kiene Canonic. Regularis Ord S. Augustí, *in Libello de Casibus reservatis Part. 2. Cap 7. n. 3. in fin.* Diana quoque *Part. 5. Tr. 14. Resol. 103.* non diffitetur, Patres nostræ Societatis posse extra Italiam, vi suorum Privilegiorum, absolvere ab eadem excommunicatione, respectu duellorum privatorum, nec dubitat, quin Episcopus absolvat, quando duellum est occultum, & non deductum ad forum contentiosum. Saltem in nostra superiore Germania Mendicantes absolvunt sine scrupulo. Congrediuntur Ingolstadii persæpe studiosi Academici duello propriè dicto privato, nec tamen recurrunt, vel ad Sedem seu Pontificiam, seu Episcopalem. Atque ita respondi aliquando interrogatus literis à quodam Religioso Prælato. Tametsi Ludov. Engel *in Manual. Paroch. Part. 4. Cap. 2. num. 2.* tales privet sepulturâ, si occumbant in ipso duello.

Interrogatus verò etiam literis ab alio Superiore Religioso, quid ego hoc loco cum Diana intelligâ per casum *deductum ad forum externum, seu contentiosum?* cùm videatur aliquod delictum esse jam hoc ipso deductum ad forum contentiosum, quòd Episcopo innotuerit illud crimen, hoc autem ego negem hîc *implicitè*. Respondi,

respondi, me utique, hîc negare, cùm non omne delictum etiam spectans ex se ad forum Episcopi, cognitúmque ab eo visu, vel auditu dicendum sit, esse deductum ad forum contentiosum illius, sed ad hanc deductionem exigitur, ut vel intervenerit delatio, *juridica*, vel etiam citatio, quæ est principium & fundamentum judicii, §. *final. Instit. de pœn. temere. litig.* Imò plus requirit Arauxus à nobis relatus suprà *Cas. VIII. n. 375.*

APPENDIX DUELLARIS I.

a Si expertus non essem, hosce meos Alphabeticos Tractatus etiam extra Germaniam lectitari, nihil hîc adderem iis, quæ de duello nunc expressi, exprimámque infra *n. 636. in Append.* & ideo nihil additurus, quòd ut paulò antè indicavi, duella solennia sint in Germania, præsertim Superiore, perquam infrequentia, partim quòd Germani clariùs, quàm alii cognoscant, quàm nihil prorsus veræ generositatis, quàm multum summæ stultitiæ, coram Deo, & Christianè, id est verè sapientibus insit bestiali libidini duellandi, partim quòd iidem nec sint iræ tam præcipitis, quàm Itali, & Galli, nec utantur microscopiis, tubis, inquam, repræsentantibus muscas (parvas injurias, ajo, verborum, factorúmque) instar elephantum, partim quòd facilè acquiescant consilio amicorum, reconciliationem suadentium singulariter in aliquo Symposio, partim denique quòd Principes Germaniæ nequaquam toleraturi essent, quæ nonnulli alii, in quorum seu Regnis, seu Provinciis locum habere potest apud Episcopos industria, qua D. Alanus de Solminihac, de quo suprà *num. 570. in Append.* meminimus, scribitur in *Idea Boni Prælati*, seu ejus Vitæ *Lib. 2. Cap. 10.* usus magno cum operæ pretio. Videlicet in primis vetando duella etiam sub excommunicatione Episcopali, sibíque reservata. 2. Privando jure sepulturæ, ut etiam privat Synodus Tridentina, ingressúque Ecclesiæ tanti sceleris reos. 3 Inhibendo Confessariis, ne ullum Nobilem ad Sacramentum Pœnitentiæ admitterent, si priùs pollicitationem suam non obsignâsset, quòd nunquam cum alio in duello congredi vellet. Quod tertium remedium, tametsi fortè non omnes sint probaturi, probo tamen pro locis similibus illi, pro quo adhibuit Alanus, qui, si viveret, absque dubio damnaret gravissimi peccati Principem sæcularem, si hic aut sponte, aut inductus detestando in oculis Dei (quidquid tandem in contrarium judicet politica cæcitas) exemplo jam pridem ad supremum duellorum judicem evocati alterius etiam Principis, subditum equo generoso donaret, quòd hic ab alio petitus convitio levi, mox ad duellum provocâsset convitiatorem, recusantem verò exponere ob ejusmodi nugas, vitam utriusque periculo, percussisset, velut imbellem fœminam baculo. Manifestum enim est, hoc Principis factum inquinatum fuisse maculâ duplicis gravissimi peccati. 1. Quòd eum, qui recusavit comparere loco nominato, expoluerit certo, & diu duraturo ludibrio aliorum, cùm revera hic fuerit laude dignissimus, in illum verò quadrârit illud tritum ex Dasibodio. *Non est dignus equo, cui carior est equus æquo.* 2. Quòd illo suo dono, ac laude excitârit & eum, quem ita remuneratus est, & suos Aulicos ad non solùm admittenda, sed etiam offerenda duella. O cæcas hominum mentes, qui dicunt bonum malum, & malum bonum.

At fortè quæres, si Nobilis Aulicus de c quo hîc sermo; prævidisset, se recusato duello, ita contemptum iri à suo Principe, ejúsque Aula, sicuti innuit species facti, an licitum fuisset duellum? Responderet P. Christophorus Haunoldus *De Justitia Tom. 1. Tr. 2. Controv. 4. n. 649.* cum aliis, quos nominat, *negativè*, eò quòd ne quidem in his circumstantiis fuerit ad tuendum honorem necessaria acceptatio duelli propriè dicti, siquidem sufficeret, si provocatus dixisset: *Ut ostendam, te a me non timeri, comparebo in publico, méque defendam, si me aggrediaris.* Intelligit autem hic Neoterieus per duellum propriè dictum *num. 648.* pactum, & conventionem, qua duellantes vicissim cedunt juri suo, & affectant tribuere invicem facultatem in vitam, si possit alter prævalere, intendens unusquisque alterum spoliare vitâ suâ, & exigens ejusmodi intentionem reciprocam in altero, quæ conventio, intentióque sine dubio sunt in præjudicium Dominii, quod Deus habet in vitam cujuscunque mortalis, ideóque sunt *intrinsecè* mala. Idem perquam solidus Doctor *loc cit. n. 642.* refert ex nostro P. Andr. de Mendo duos Casus.

Casus I. Lucrovienſis.

d *Vir quidam Nobilis Lucrovio oriundus provocatus ad duellum respondit, à se multis in præliis ostensum fuisse animum imperterritum, duellum vero à se recusari propter legem Dei. Quo responso ingentem sibi gloriam comparavit.*

Casus II. Salmantinus.

e *In Vrbe Salmantina Vir Nobilis, & fortis, cùm è vita laxiore ad meliorem se frugem recepisset, provocatus ad duellum respondit: Ego tempore Superiore non recusássem duellum, nunc autem bene nosti, mihi gratiâ Dei curæ esse ejus legem, quod mirati sunt, & laudaverunt, quotquot rescierunt.*

Junge his ea, quæ de duelio scripsi in Quinario *Tr. 5. cap. 18.* atque de duellantium sepultura *cit. Tract. 5. cap. 50. num. 29.* ejusdem libri.

APPENDIX DUELLARIS. II.

Omnia, quæ de execrabili furore decertantium duello, repræsentavi hoc loco, jam erant mandata typis Einsidlensibus, videri quoque poterant omnino sufficere instituto meo, Nihilominus tamen quia alia de causa conscripsi plura hanc in rem, quæ existimo fore, ut aliquibus utilia, pluribus autem ob quandam novitatem grata, acceptáque lectu, eam ob rem illa huc tranffero.

f I. Existimo esse in Germania saltem, & Gallia hoc tempore incapacem absolutionis Sacramentalis Principem, qui audito quempiam suorum subditorum provocâsse ad duellum alterum aliquem, talem provocantem non punit valde graviter, esto non sit secuta pugna. Si autem secuta, necaveritque provocans provocatum, non ferat irremissibilem capitis pœnam, nisi ratio boni publici expolcat aliquam moderationem judicio prudentum non interessatorum, ut in hac *barbara*, certè *ferina* materia etiam barbarè loquar. Ratio est, quia inexplicabilia mala publica, & privata, quæ promanant ex duellis, sunt tam ingentia, ut coëgerint Augustissimum Imperatorem LEOPOLDUM, Christianissimos Reges Ludov. XIII. & XIV. severissimè vetare sub pœna capitis duella, & qui in his peremisset provocatum (saltem) morti addicere. De duobus hisce Regibus testantur Historici Gallici, de Augustissimo LEOPOLDO Deputati Plenipotentiarii Legati omnium Imperii ordinum, qui Anno 1668. Præsidente Reverendissimo & Celsissimo Marquardo Principe Episcopóque Aichstadiano, suum de hac animadversione arbitrium transmisere suæ Cæsareæ Majestati

g Confirmandum, quod & confirmavit. Unde formo hoc argumentum. Certissimum est Principem quemlibet sub pœna æternæ, mortis obligari adhibere media necessaria ad extirpanda, aut certè notabilissimè minuenda crimina gravissima, nocentissimáque Reipublicæ. Et nisi adhibeat illa media, esse incapacem absolutionis Sacramentalis, ex una autem parte Sapientissimi, rerúmque peritissimi testantur, ingentia mala exoriri ex duellis, ex altera non posse emendari, nisi indispensabili (extra casum boni publici moderamen exigentis) sententia mortis. Et quid potest esse exitialius illa consuetudine, ex qua fit, ut inferiores milites nolint parere Superiori, qui vel non paruit provocanti ad duellum, vel non provocavit eum, à quo fuit probro aliquo affectus? Hosce equidem Cajus Marius, Jovis, Saturni, & Martis Sacrilegus cultor olim in Valle Josaphat in ruborem dabit. Cùm enim hic bello Clarissimus imperator à Cnejo Pompejo etiam imperatote ad Monomachiam provocaretur, teste Plutarcho hisce verbis: *Si magnus es imperator ò Mari, descende in certamen*, retudit hunc factum hisce aliis: *Imò tu, Pompei, si magnus imperator es, coge me vel invitum decertare,*

h II. Nihilomin⁹ vera Theologia approbat Monomachiã, & duella inter hostes susceptа ad finem bell o imponendũ. Patet tum ratione, tum exemplis laudem promeritis. Ratione, quem enim fervente prælio licitè inuado stricto gladio, licitè eundem provoco ad singulare certamen, ergo etiam extra prælium, si adsit autoritas legitima.

i Quin imò, quando speratur bello impositum iri finem hac ratione, & non alia, laudandus est Princeps permittens, imò etiam suscipiens duellum, dummodo speret prudenter se fore Superiorem. Est enim longè minus malum ita confligere, quàm cum toto exercitu. Et cùm omnium sæculorum Historiæ testentur, Reges atque Imperatores Sapientissimos, imò & Sanctissimos prodiisse in aciem, ac plurimos illorum tulisse hoc Encomium: *Functus est omnibus officiis strenui militis, prudentis Imperatoris*, ac proinde invectos fuisse, qua ratione poterant, in ipsa capita oppositi exercitûs, ut Rudolphus I. duplici congressu in Ottocarum Bohemici: Albertus I. in Adolphum Germanici. Maximilianus itidem I. in Alexandrum Pontorium Gallici exercitûs duces, palàm est verum esse id, quod diximus, observantes esse de ense Alberti intelligendum illud apud Nauclerum hexametron.

In Julio mense Rex Adolphus cadit ense.

k Accedunt exempla tum gregariorum, Davidis cum Goliatho, tum Regum, ut Wencellai Bohemiæ Regis sanctissimi, ac proinde (agente piissimo in Regio Throno successore LEOPOLDO I.) cæpti Anno M. DC. LXX. coli ab Universa Ecclesia officio Canonico. Certè Angelus Tutelaris Wencellai ita probavit ejus Zelum, ut ipsemet susceperit ejus partes in hoc duello obeundas. Plures alii Summi Principes æmulati fuerunt eo fine, quo Wencellaus Radislaum, ut Petrus Arragonius cum Carolo Andegavensi, Cunibertus Rex Longobardorum cum Alachimo, alii cum aliis recensitis à P. Theophilo Raynaudo. Optem ego ut imitentur permulti Reges & Principes

Carolum Magnum.

l Imperatorem maximum, qui ut humani sanguinis magnæ effusioni parceretur, convenit cum Acigolanzio Saraceno, ut ex pacto pugna ad paucos utrinque ex ambobus exercitibus delectos restringeretur. At quid pronunciandum de illis verè fortissimis, sapientissimis Monarchis, de quibus Masenius noster in Anima *Historiæ Lib. 4. n. 266.* narrat hoc

Disputabile factum.

m Bello discordiis inter Carolum V. Imperatorẽ, atq; Franciscum I. Galliæ Regẽ crescentibus in dies

in dies finem impositurus Carolus Franciscum provocavit ad singulare certamen. Franciscus responso suo inter cætera hoc inserit: *Quid verbis, armisque inter tot hominum exitia contendimus? Nostro duorum, ad quem me provocabas gladio hanc litem dirimamus, duelloque, quod postulas experiamur, utri causa & æquitas faveat, huic locum, tempúsque designa.* Ita Masenius: Ego ad quæstionem perquam antipitem hic propositam respondeo ignorari à me, utrum illa provocatio, acceptatione duelli illorum duorum verè summorum, verè fortissimorum Monarcharum vestierint omnes omnino circumstantiæ, quæ rem in abstracto, & per se licitam, efficerent etiam in concreto, seu, ut loquimur, hic & nunc licitam, & ea etiam de causa non definio, quòd expendens ingenia tam Gallorum, quàm Hispanorum existimem, haudquaquam futurum fuisse, ut alterutro occiso rediret, firmaretúrq; alma pax.

n Quòd si voluerunt illi Reges, sicuti innuunt verba Francisci, cognoscere ex alterutrius nece, uter eorum justo titulo bellum gereret, tunc sanè jam pridem Nicolaus Papa *cap. Monamachia 2. q. 3.* tulit sententiam, etenim tentâssent Deum. Malo tamẽ illam Francisci locutionem interpretari in partem religiosiorem, addendo duellorum rabiem ita insanè varias gentes sub initia hujus sæculi corripuisse, ut in Gallia sola intra triginta Annos variis duellis perempta fuerint tot millia insignium virorum, ut ex iis potuisset conflari fortissimus exercitus, inferríque Turcæ non levia damna teste P. Raynaudo de Virtutibus *Lib. 5. sect. 3. cap. 3.*

o Utinam Deus excitet in singulis Regibus & Principibus ingens, prorsus immobile, extra causam gravissimam, propositum plectendi capitali, infamíque supplicio omnes quacunque prorsus dignitate fulgentes, qui super fuerint Monomachiæ, cùm cæteroquin jure communi solus provocans non secuta pugna, pœna arbitrariâ infra mortem plecteretur, ut testatur Burger, subdens & provocantem esse, si provocatum perimat, certò puniendum ut homicidam, & hanc pœnam non posse remitti à Principe. Additque, cùm quendam homicidam Rex quidam Galliæ morti addixisset objiciendo esse jam tertium homicidium, quod ipse patrâsset, replicavit: *Ignosce Domine, sum reus tantùm unius, tu duorum, nec enim perpetrasem secundum & tertium, si me, ut merebar, post primum jussisses capite plecti.* Ita Joachim Burgerus in suis observationib. Politico Militaribus, meritò insinuans, jure imputari Principi omnia duella, quæ commissa non fuissent, si Princeps usus fuisset debita severitate.

p Vecordem insaniam illorum imaginarii honoris mancipiorum demonstrat hoc prope.

Incredibile factum.

Cum videlicet vir militaris, cætera probus, provocatus obleviſſimam cauſam adcertamen ſingulare, ut illud declinaret, dixit denique provocanti: Si necesse est parere tibi, pergamus ad Cæmeterium, malo enim in Sacro quàm profano loco occumbere. *Vbi ventum ad Cæmeterium, ostendit exitiali fuimet ipsius, subque hosti calvarias mortuorum, sandapilam, ligonem Vespillonum*: En frater, *inquiens*, locum, quo alteruter nostrum, ni desistas à tua insaniâ, tumulabitur corpore, animâ ad infernum delcensurâ, *sperans mitigationem extremæ dementiæ. Sed surdo, (etiam, postquam communi opere effoderunt tumulum,) cecinit. Et secundo congressu, ut erat pugil dexterrimus, peremit obstinatum, devutúmque stygi caput.*

q Effluxere Anni circiter quadraginta, cum editum (certò certissimò) fuit in Provincia N. Germaniæ, sub Generali N. inscio meditati facinoris, mihíque ipsi primùm nuper recensuit vir Religiosus, qui interfuit illi, (quam tamen nullo modo putabat, fortituram effectum,) provocationi captæ sub ipso prandio. Plura non dico de his à vanæ gloriæ œstro, dementatis capitibus & infallibiliter ad orcum descensuris, nisi (quod longè difficillimum est talibus) eliciant perfectæ contritionis actum, & tracturis secum omnes illos Principes, ac Duces (nisi & hi Deum sibi reconcilient per pœnitentiam) qui non adhibent, quæ possent, deberéntque pharmaca consanando huic furiosissimo, & stultissimo morbo. Caveant autem curatores animarum, ne contra constitutiones Pontificias donent Sacrâ Glebâ peremptos in duello, nisi ediderint hi signum veri doloris de peccatis; verè enim tales, etsi claro genere nati, non sunt digni aliâ, quàm *asini* sepulturâ.

Certè Amplissimi Principum Imperialium legati Plenipotentiarii, de quibus superiùs, tulerunt de capitali supplicio Monomachorum, atque sepultura hanc *pragmaticam* sanctionem. Da es dann weiters nicht allein zu würcklichem Duell vnd Balgen / oder Kugel wechslen / sonder eardurch auch ein Entleibung erfolgt / so soll alsdann die ordentliche Straff deß Todtschlags wider den Thäter oder Entleiber ohne Unterscheid ob derselbe geforderet hab / oder auffgefordert worden / er / seye Beleydiger / oder Beleydigte / ohne Respect der Personnen / deß Stands vnd Freundschafft erkennet / vnd ohne Mittel vollstreckt / vnd da weder einiger Appellation, Intercession, oder Fürbitt nicht statt gethan / den Balgeren aber / welche im Duell todt gebliben / kein Begräbnuß in Kirchen oder Freydhöf zugelassen werden. Quam Teutonicam phrasin interpretor hac latina.

r Quod si insuper res devenerit, non modò ad actuale duellum, certamen, glandium ejaculationem, sed etiam secuta sit occisio, eo casu ordinaria pœna homicidii adversus interfectorem sine discrimine NB. inter provocantem, & provocatum, offendentem & offensum, absque respectu personarum NB. Statûs & propinquorum, judicati, & immediatè executioni mandari, nec adversus hoc judicium ulli appellationi, intercessioni NB.

vel *deprecationi locus: certantibus autem, qui in duello occubuerunt sepultura nec in ædeSacra, nec in cæmeterio concedi debet.*

f Hactenus illi Germani Areopagitæ. Quorum laudatissimo Zelo, & Gallici Cleri Illustrissimo Exemplo, ego tametsi non immemor meæ vilitatis, timens tamen, ne in meum, aliorúmque mihi meis chariorum oculis capita devolvatur pars iræ divinæ imminentis cervicibus Principum, Principúmque Consiliariorum, & Confessariorum, fortè non fungentium hac in re suo, ut par est, officio, ausim mutuari seu supplicationem, seu adhortationem, qua Clerus Gallicanus per Foulietum Episcopum Mompesolanum, referente Gabriele Grammondo ad Ann. Christi 1615. *fol. mihi 95.* usus fuit ad Ludovicum XIII. post alia hisce

t verbis: *Nemini dubium est, quin Principium huic (duello decertantium) lanienæ ab infero sit, cui Christianos velut victimas ab ipsis Christianis immolari, quàm est impium? quàm horrendum? Exiget aliquando Deus effusi tam crudeliter sanguinis rationem à Regibus, quorum est opponere impiæ feritati severitatem legis. Quam rationem iste Ludovicus in cæteris deliciæ humani generis, & cœli amor: quam rationem commissi sibi populi reddet coram Judice, scrutari corda, & renes solito? Infernus portio est tot hominum, quot auspiciis melioribus Deus cœlo creaverat: Vnde id factum scisciatanti severa fronte judici, quid respondebis, Ludovice, qui eo momento Rex esse desieris? Potuisti salvam habere gentem meam, & perdidisti. Objectioni occurre Rex, dum adhuc licet, nec diutius patere vanis hominum auspiciis deludi gentem tuam. Quis amabo, honorem hunc in duello constituit? quanta crudelitas? &* paucis interjectis: *Hinc factum, ut ipsi, quos inter nulla dissensio est, jugulent se invicem more gladiatorum. Indignatur Deus male sic perdi populum, cui liberando sanguinem ipse suum effudit: perditur impunitate & æstimatione delicti, per quam transit in magnanimitatem barbaries.*

u Hæc, & plura Foulietus Episcopus apud Grammondum, testantem fuisse postmodum à Rege promulgatum edictum, majore, quàm antè severitate in Monomachos: verùm majore post legem licentia grassatum fuisse furorem. Cur id? nisi quòd pœnæ à Rege statutæ in reos, non fuerint, ob varios prætextus, executioni mandatæ. Claudo hanc materiam Epiphonemate sancti Bernardi.

Infelix Victoria, qua superans hominem succumbis vitio.

VIII. *Quantum modestè audeo, rogo R. V. ut in Alphab. promisso Confessariorum non omittat materiam de solicitantibus in Confessione, pœnas latas, seu ferendas non omittat. Item quid censendum de Confessionibus complici Sacerdoti factis, & præsertim in rebus carnalibus &c. Et specialim, an obligatio pœnitentibus gravis incumbat solicitantem denuntiandi? Apud quos? Quantum fidei faciendum denuntiantibus?*

Sunt hæc verba pars Epistolæ à quodam Juvene Doctore Theologiæ, mihi singulariter charo ad me exaratæ 12. Octobr. Anni 1665. Et quidem non destinaveram initio quidquam de illo objecto scribere. Attamen, ut illi petitioni, & aliorum fortè desiderio aliquid dem, utque aliquid conferam ad stabilimentum timoris, & horroris, quo Confessarii Germani percelluntur adversùs hoc plusquàm diabolicum scelus, repræsentabo hîc ea, quæ post alios Pontifices statuit circa illud Gregor XV. Anno 1622. die 30. August. apud P. Ferdin. de Castro Palao *Part. 1. Tr. 4. Disp. 9. punct. 1.* Explicationem dubiorum reperiet Lector tum apud Palaum *P. 4. Tr. 5. toto.* referentem plures alios.

Ratio, cur abstineam explicatione, est, 575
quia puto, non sine causa abstinuisse Scriptores Germanos Tannerum, Laymannum, Dicastillo, Kiene, Busenbaum, Habsensem. An quia timebant, ne commentando docerent peccare? An quia sciebant, ejusmodi Bullas, tametsi verè sanctissimæ sint, non esse receptas in Germania, nec sperabant receptùm iri? An quia non videntur Germanæ mulieres induci posse, ut solicitatæ accedant vel Episcopos, qui sunt magni Principes, vel eorum Vicarios in spiritualibus Generales, qui sæpissime sunt vel simul Episcopi Titulares, vel Canonici Cathedrales, & hoc ipso majores Domini, quàm ut fœminæ sustineant cum iis loqui de ejusmodi? An verendum, ne si præscriptus processus observetur, sit fortè majus scandalum oriturum ratione tum pusillorum, tum vicinorum hæreticorum, quàm fructus, qui speraretur ex denunciatione? Hoc imprimis certum est, non esse apud nos receptam Bullam Urbani, quatenus apud Dianam *loc. cit.* mandat, ut approbandis Confessariis prælegatur, aut intimetur obligatio monendi solicitatas, ut denuntient. Deinde neque ego, qui in valde diversis Episcopatibus sum versatus, neque alii à me interrogati, audiêre quidquam de receptione, & usu illarum Bullarum, nisi fortè in uno Episcopatu.

Possem complures Vicarios Generales no- 576
minare, ad quos nihil unquam ejusmodi delatum, non nisi unum in unico casu, sed expedito sine ullo strepitu forensi. Publicatio illarum Bullarum nulla facta à nostratibus Episcopis, sed solùm à Prælatis Regularibus, qui Regulares fortè censent, se non obligari, nisi etiam sæculares sint obstricti. Constat enim, Regulares posse se moribus sæcularium in locis, in quibus habitant, accommodare quoad leges communes utrique statui, sicuti sunt illæ Bullæ.

APPENDIX.

CUm Pater Bonagratia Habensis Francis- 577
canus a

canus Capucinus legisset, quod proximis versibus scripsi de Regularibus, quòd scilicet ii possint se moribus sæcularium in locis, in quibus habitant, accommodare, quoad Leges utrique statui communes, expressit in concinna, utilique Ilagoge præfixa suæ *Summulæ Selectarum quæstionum Regularium, edit. secundæ n. 18.* illam meam doctrinam esse, *per se loquendo*, veram, at *per accidens* tunc non admittendam, quando aliqua lex etiam communis sæcularibus, & Regularibus recepta est ab his, non ab illis, tunc enim nefas esse Regularibus, sequi mores sæcularium. Quæ exceptio ab illa mea communi doctrina est omnino legitima, nec asserit à me negatam P. Bonagratia, providè tamen facio hîc ejus mentionem, addens, eam non officere resolutioni, quam de Regularibus dedi suprà circa Bullas de solicitatione. Etsi quippe post eas editas incolui sex diversas Diœceses hujus Provinciæ, nunquam tamen, etiam dum præfui uni alterive Collegio, inaudii, ullos Regulares ulla denuntiatione apud Episcopos, qui in his partibus tenent locum Inquisitorum, esse usos.

b Noto autem ulteriùs cum P. Bonagratia generatim attendendum esse Regularibus, an eorum Superiores, aut major pars suæ Religionis, aut Provinciæ servent has, aut illas Papales Constitutiones, eò quòd Papa, & Generales constituant Executores suarum legum inferiores Episcopos, & Prælatos. Ergo si isti vident, & tacent per tempus sufficiens, signum est, quòd Papa, vel Superior non velit subditos obligare. Ita ille. Ego pro elucidatione hujus doctrinæ refero id, quod scio factitatum fuisse in nostro Collegio Bruntrutano, unito huic Provinciæ Superioris Germaniæ. Cùm enim urbs

c Bruntrutum cum adjacentibus pagis accipiat in solis temporalibus jura à Reverendissimis, & Celsissimis Episcopis Basileensibus, Ecclesiastica verò à solis Dominis Archiepiscopis Bisuntinis, esus autem carnium sine ullo jejunio fit per totam Archidiœcesin permissus in Vigiliis SS. Apostolorum, Jacobi Majoris, Bartholomæi, & Mathiæ, de quibus vide inter cæteros Azorium *Part. 1. lib. 7. cap. 13.* eáque permissione utantur etiam Ecclesiastici, conformiter Glossæ *Cap. Ex parte. De observ. jejun.* generaliter pronuntianti: *Consuetudo regionis in esu carnium attendenda est.* factum fuit, ut nostri Patres Bruntrutani fuerint per multos Annos imitati morem Ecclesiasticorum, tametsi nullum Collegium in tota Provincia, utpote subjecta (suo modo) aliis Episcopis, id factitârit. Postmodum tamen mandato illius R. P. Provincialis, à quo fui indignissimus annumeratus Tyronibus Societatis, capessivêre nostri Patres Bruntrutani consuetudinem reliquæ totius Provinciæ; & quia illi mandato fuit jam ab Annis circiter sexaginta fideliter paritum à toto Collegio, consequenter recepta lex communis, quæ habetur *in cit. Cap. Ex Parte. De observat. jejuniorum*, idcirco ea nunc, & quidem sub mortali obligat nostros Patres Bruntrutanos, tametsi neque venerabilem ejus urbis Clerum, neque cives. Quapropter respectu horum, non autem nostrorum vim adhuc obtinent, etiam quatenus exclusivi sunt, duo versus relati à Gloss. *cit. Cap. Ex parte.*

Petrus, & Andreas, Paulus cum Simone Juda,
Ut jejunemus, nos admonet, atque Matthæus.

Jam redeuntes ad materiam tactam *n. 547.* 578
audiamus Gregorium Pontificem, qui quidem statuit, ut omnes, & singuli Sacerdotes tam exempti, quàm non exempti (Sæculares, & Regulares) qui personas, quæcunque illæ sint, *ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive antè vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsâ Confessione non secutâ, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones sive tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquisitionis severissimè puniantur.* Sunt 579
hæc verba *formalia* Pontificis apud Palaum *loc. cit. punct. 1.* qui Pontifex *ibidem* tribuit Episcopis jus procedendi contra tales solicitantes, sicut proceditur in causis Religionis; adeóque reos repertos tum privandi omnibus beneficiis, & potestate audiendi Confessiones; tum etiam pro gravitate delicti degradandi, ac sæculari brachio tradendi; cùm autem hoc crimen sit difficilis probationis, posse ad pœnam procedi ex testimoniis singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis. Denique mandat omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi solicitantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis: *Quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, ut suprà dictum, iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.* Hactenus Constitutio Gregoriana, quam 580
ex parte interpretando Alexander Pontifex inter 28. damnatas sententias expressit hanc: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit chartam, postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitâsse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.* Item hanc: *Modus evadendi hanc obligationem denuntiationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante* (id

est, solicitanti) *hic potest illum absolvere sine onere denuntiandi.*

581 IX. Nulla lex universalis (particularem habent Mediolanenses) prohibet, ne Sacerdos excipiat Confessionem sui in peccato confitendo complicis, attamen communiter id non expedit, præsertim in peccatis carnalibus, de quibus singulariter interrogat ille, de quo *n. 575.* D. Doctor; ne scilicet pro balneo ex hyssopo sordibus abluendis necessario, rursum adhibeatur sterquilinium.

582 **At** *illa, cum qua peccavit, est sanguine proximè juncta, & præ pudore non audet alteri manifestare sacrilegum incestum?*

Resp. Ob hanc ipsam causam respondi uni jam pridem ad plures evocato, posse ipsum omnino excipere Confessionem talis complicis, utpote & prætendentis illum pudorem, & valde seriò integre resipiscere cœptæ.

583 X. Varia utique peccata detegunt, qui Confessiones generales faciunt; & alii quidem necessariè, quia scilicet permultis Annis obivêre sacrilegè hoc Sacramentum, alii non ex necessitate, sed vel pro majore solatio, quietéque animæ suæ, vel quia recipiendi in aliquam Confraternitatem, Ordinémve Religiosum. Utrique, ac præsertim posteriores sæpissime confitentur sine numero, aut etiam specie mortalia: *Quid aget Confessarius?*

584 Resp. Quoad *primum* observabit, quæ de numero, ac specie dixi tum diffusè *in Alphab. Confit.* toto *Casu XVI.* tum superiùs in hoc *Tract. VII. n. 262.* & addam paulò pòst. Circa posteriores hanc sequor praxin, ut scilicet quæram sub initium, an non ab ultima Confessione offenderit aliquâ re graviter Deum? Annuenti dico: Ergo illud jam manifesta. Neganti, non sum ullo modo importunus circa enuntiationem numeri, ac specierum; utpote supponens, fuisse jam in prioribus Confessionibus Confessum, pro majore tamen securitate quæro, an priores Confessiones semper peregerit integre? 585 Verum quidem est, quòd pœnitens neque teneatur omnia mortalia rite Confessa aperire, licèt dixerit, se velle peragere Confessionem generalem de tota vita, neque generatim malè agat, licèt peccata mortalia post ultimam Confessionem ita misceat cum antiquis, ut Confessarius nequeat distinguere inter hæc, & nova, modò numerum, & speciem exprimat. Attamen quando Confessarius cernit, illum sine numero confiteri, necessariò debet, vel sæpissime ingeminare illud molestissimum pœnitentibus: *Quoties?* vel, ut effugiat hanc molestiam, monere pœnitentem, ut vel seorsim aperiat, quæ patravit à postrema Confessione, vel non seorsim, attamen cum expressione numeri, specierúmque. Junge his, si placet, ea, quæ ex Bassæo *Verb. Confessarius* §. 4. refert Teretius *Cap. 3. §. 5. quæst. 5.*

APPENDICULA

IMò nota, tametsi id, quod hîc repræsento ex prioribus editionibus de non illicita peccatorum mortalium post ultimam homologesin admistorum admixtione, & confusione cum jam antea legitimè absolutis, sit utique *per se loquendo* probabile, siquidem eam doctrinam tradunt pergraves Doctores cum, & apud Cardin. de Lugo *De Pœnit. disp. 16. sect. 2. n. 41.* Dianam *Part. 11. Tract. 6. Miscell. Resolut. 22.* nihilominus tamen oppositum sequendum esse, & quidem necessariò tunc, quando vel exigit Confessarius (quis enim negetipsi jus exigendi?) vel sunt post ultimam Confessionem patrata unum, aut plura peccata reservata, excedentia potestatem Confessarii, vel quæ patrata sunt, exigere videntur peculiarem pœnitentiam, seu merè vindicativam, seu medicinalem, alioqui non poterit satisfieri rationibus, quas adversùs eam nostram, Lugonísque opinionem proponunt P. Ferdinandus de Castro Palao *Part. 4. Tract. 3. punct. 10. n. 7. & 8.* P. Moya *in Select. Quæstion. Moralib. Tract. 3. quæst. 3. num. 9.* & justo quoad censuram rigidior P. Turrianus *in Opusculis Theol. Censur. 4. dub. 4.*

XI. Licèt, quando ex consuetudine committis sæpissime idem specie peccatum cum perfecta advertentia, non tenearis sponte exprimere, te laborare illâ pravissimâ consuetudine, sed solùm, si Confessarius te de illa interroget. Lugo *Disp. 16. n. 202.* cùm multis contra multos, attamen, quando illa consuetudo est in causa, ut inadvertenter, aut ex mera præcipitantia committas aliqua ex se mortalia quidem, at ideo solùm hîc, & nunc excusabilia à mortali, quòd desit perfecta advertentia, teneris sponte confiteri illam consuetudinem, non quidem exprimendo, quoties reipsa patrâris cum inadvertentia hoc, aut illud crimen, sed potiùs quoties illud committendi periculo te exposueris, adeóque aperire ipsammet consuetudinem, dicendo e.g. Laboro tam inveteratâ consuetudine blasphemandi, pejerandi e.g. inadvertenter, ut si offerretur in die decies, vicies occasio, essem eâ abusurus. Si tamen verè conatus es extirpare illam consuetudinem, & tamen post hunc conatum, firmúmque propositum rursum inadvertenter pejerâsti, blasphemâsti, non obligaris quidquam aut de illa consuetudine, aut de illis blasphemiis, perjuriis dicere. Lugo *ibid. n. 206. & seqq.* 586 587

XII. Qui passim turpiter concupiscit obvias mulieres, sufficienter confitetur dicendo: Se habere talem consuetudinem, & tempus, à quo non est Confessus, & principales species, ut si cognatas, vel sacras personas concupivit. Item qui communiter turpia loquitur, satisfacit exprimendo hæc tria, addente Verricello *De Apostol. Mission. Titul. 18. quæst. 307.* quando te 588

te loquente ex libidine turpia exoritur in te turpis motus, & tamen prosequeris sermonem, teneri te in exhomologesi exprimere etiam illum motum. Secùs si ortus sit primùm post colloquium, esto prævideris exoriturum, modò non habueris complacentiam in eo. Sed hæc examinent alii. Ego singulariter in hac lubrica materia centeo vitandam laxitatem. Item qui habuit domi concubinam, satisfaciet dicendo: Usus sum illâ tanto tempore tanquam uxore, posito quòd revera usus sit tanquam uxore. Idem dic de fure, qui quavis occasione harpagavit res profanas. Vide Lugonem *cit. Disp. 16.* 589 *sect. 14.* de his omnibus, & adde, sæpe sufficere exprimere pristinum vitæ statum, eo modo, quo declaravi *in Alphab. Confitent. sive Tract. VI. Cas. XVI. n. 399.*

590 XIII. P. Granadus apud Dianam *Part. 5. Tract. 14. Resol. 55.* sic loquitur: Licèt, *metaphysicè loquendo*, non satisfaciat dicens in Confessione: Anno integro omisi officium Divinum, vel: Non restitui fructus, etsi in Anno aliquoties proposuerim restituere, nec propositum implevi: *Attamen in Confessione non est servandus strictus rigor, & nimietas in explicando numero, quando sufficienter constat de statu* (nota bene hoc mi Lector) *pœnitentis, satis autem constat in casu proposito, ideo talis satisfecit absolutè.*

591 XIV. Quando juvenes opifices confitentur, se laborâsse apud magistros hæreticos, & cum iis edisse cibos vetitos, sufficit, si dicant: Solebat meus herus sine distinctione dierum vesci carnibus, quod & ego feci à tanto tempore. Quanquam si talis non habuit præter carnes quidquam nisi panem, & bellaria, non pec-
592 cavit vescendo carnibus. Et quando Lutheranus, Calvinista, &c. reversus ad gremium Ecclesiæ deponit sarcinam omnium peccatorum, quibus unquam oneravit conscientiam, sufficit, si exprimat, se à tot, aut tot Annis agnovisse (si revera agnovit) suam sectam esse falsam, & tamen ab eo tempore vixisse in esu carnium, contumeliis erga Sacerdotes, contemptu imaginum, & similibus Religionem concernentibus, ut solent communiter Lutherani.

593 Si verò, ut plerique, dicat, se primùm ab uno, alteróve Anno habuisse scrupulos de Religione, opus non est, ut interrogetur de transgressione præceptorum Ecclesiæ, aut fidei, facta ante illos Annos.

APPENDIX I.

Apta loco, & tempori.

LOco est apta hæc Appendix, siquidem ex instituto scribo hîc de Confessario *variorum* peccatorum. Quadrat & tempori, quo Mars Germanicus, Ungaricus, Polonicus, Suecicus, Danicus, Turcicus, Moscoviticus, Belgicus, Gallicus, Hispanicus præbet innumeras occasiones gaudii, & doloris, imprecationum, & apprecationum ob clades illatas & acceptas. Causam autem annectendi hanc Appendicem præbuêre literæ, quibus mense Octobri Anno 1676. Canonicus Regularis S. Augustini ad me datis petiit resolutionem hujus quæstionis: *An videlicet, & quatenus liceat gaudere clade illata hosti iniquum bellum gerenti.* Quam quæstionem propono hisce terminis distinctioribus.

An, & quatenus tam Religiosi, quàm sæcu- b
lares licitè optent, vel gaudeant victoria unius è Principibus Christianis belligerantibus, & vicissim optent, gaudeant, vel doleant clade alterius itidem Christiani Principis illata, vel ab itidem Christiano, vel ab infideli? Intelligo autem *hîc* per Christianos Principes solos *Catholicos.*

Resp. I. Quisque Catholicus licitè optat, „ suo Principi, bellum justum gerenti, victoriam, „ idque absolutè, & absque conditione, non qua „ tenus victoria est clades & eversio Catholici „ Principis, sed quatenus est bonum quietо, &, „ florentis status Reipublicæ, ad quam ipse per-„ tinent, conducturum interventu belli, quòd „ rationem justæ defensionis potiùs habeat com-„ parandum, nec splendorem justo auctiorem, „ sit Regno conciliaturum, sed in gradu, & tem-„ peratione convenienti. Extra eas circumstan-„ tias victoria de Christianis hostibus non nisi „ sub conditione potest appeti, & per orationem „ præsertim publicam postulari. Ita censet, ac scribit P. Theophilus Raynaudus, Opusculo *de Amore Nationum servis Dei temperando.*

Posse cum hisce conditionibus, seu moderamine optari, probatur tum illo Apostoli Pauli ad *Tim 2.* monito: *Obsecro fieri obsecrationes pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt.* Ubi Apostolum loqui de oratione facienda in ipsa quoque Missa, & quidem pro Regibus, seu Imperatoribus etiam Ethnicis, quales erant Nero, & alii ætate S. Pauli probant Raynaudus & Cornel. à Lapid. *in citatum locum Pauli.* Si licet, ut revera licet, pro propriis Principibus etiam Ethnicis fundere preces ad exorandam iis victoriam, clarum est posse tam à Regularibus, quàm sæcularibus optari, ut suus Princeps victoria de Christiano quoque Principe, quando bellum est justum, potiatur. Certè Apostolus ideo vult orari pro principibus, *ut quietam,* c
& tranquillam vitam agamus in omni pietate, seu probitate, si autem Princeps noster superetur in bello justo, peribit quies & tranquillitas, plurima quoque pietatis opera omittentur. Eam ob rem in Liturgiis SS. Marci, Basilii, Clementis, quas describit Raynaudus §. 1. oratur expressè pro exercitu proprii Principis, & debellatione, *contritione*, (quatenus hæc necessaria est ad tranquillitatem) hostium. Favet huic responso Collecta Secreta, quæ in Missali Romano habetur pro Imperatore, & in Litaniis pro Papa.

Con-

d Conditio autem, sub qua licitè optas tuo Principi Christiano victoriam de suo hoste etiam Christiano, est, ut hanc petas à Deo non prout est clades, & eversio hostis Christiani, id enim ferinum esset, ac dissentaneum illi præparationi animi ad orandum in particulari pro inimicis quoque, si ita postulet necessitas, qua urgeantur, de qua præparatione datur præceptum charitatis. Quia etiam nisi ejusmodi eversio, & clades inducat aliquem respectum spiritualem, inhumanè, & truculentur peteretur etiam. quoad hostes fidei, etiamsi maximè damnosos, c. g. Turcas, vel Tartaros, nulla quippe clades, & eversio etiam Turcarum, si illic præcisè sistatur, est aliquid honestè appetibile, quale debet esse objectum precationis, seu orationis. Ita P. Raynaudus *loc. cit. pronunt. I.* Si verò illa clades optetur aut petatur idcirco, ne hostis graviter turbet pacem, ac tranquillitatem mei Principis, turbaturus, nisi accidantur ipsi vires, meritò ipsi precor accisionem, & occisionem, etenim illa precatio habet rationem defensionis inculpatæ.

e Ex quo apparet specialiter. An, & quatenus hac ipsa ætate, qua, tria (prò dolor, prò dolor!) Christianitatis suprema capita inter se hostiliter commissa cum tam crebra, copiosáque sanguinis Christiani profusione, subditorum inexplicabili calamitate, dimicant, peccent, aut non peccent ii, qui extrema mala, omnes diras, intra & extra prælium vovent, exoptant parti adversæ. Plurimùm vereor, ne multa centena millia peccatorum stygem promerentium patrentur ab iis, partim quia non excipiunt eos, qui vel materialiter, & formaliter simul, vel formaliter solùm sunt innocentes, partim quia illa funesta optant seu ex odio propriè dicto, seu ex mera vindicta, cùm tamen lex divina inhibeat privatis personis vindictam.

f Resp. II. Quia juxta Aristotelem talis est delectatio, qualis operatio, ex qua promanat delectatio, & objectum honesti, inhonestive desiderii, est etiam honesti, inhonestive gaudii teste S. Thoma, potest quis salva conscientia gaudere de illa hosti illata clade, quam eidem juxta superiorem doctrinam licitè exoptat, & vice versa. Quare tot crimina mortalia admittuntur contra charitatem proximo debitam, gaudendo, exultando, quando adferuntur scriptæ, impressæ Novellæ de hac aut illa victoria relata de hoste, quot conscisciuntur, exoptando. Et utinam ipsi quoque Clerici tam Regulares, quàm sæculares essent omnes à delicto morrali immunes in hac materia, fortè Deus exercituum largiretur parti justis armis decertanti optatiorem successum, quàm reipsa sequatur.

g Refert P. Raynaudus *cit. Cap. 11.* esse à tribus Pontificibus concessas olim indulgentias omnibus Christianis orantibus pro Regibus Galliæ, dubitat verò, seu potiùs ignorare se fatetur, an ea gratia sit per communicationem derivata ad eos, qui orant pro aliis Principibus Christianis. Optem ego impertiri tam magnas fundentibus preces pro quocunque Principe Christiano Catholico, ut studium lucri faciendi eos absorbeat saltem in Religiosorum animis omne inordinatum desiderium, & gaudium in hac materia.

h Omnes & singuli Patres & Fratres cujusque Religionis, præsertim Mendicantis per totum orbem sparsi, sunt connexi inter se vinculo charitatis arctiori, quàm duo fratres carnales. Nullus extat ejusmodi Ordo, qui non acceperit olim, & fortè etiamnum accipiat magna beneficia à quolibet Christiano Principe. Ergo dum gaudeo, & quasi triumpho clade unius Principis Christiani, gaudeo malo meorum quoque fratrum illi Principi subjectorum, qui sine dubio tantò magis dolent ea clade, quanto major est, tantóque molestiores accidunt iis vexationes, seu calamitates, quæ tempora bellica consueverunt adferre ipsis quoque **Regularibus. Lætor & malo Principis, à quo, seu à cujus majoribus meus Ordo, meis mihi oculis charior est magnis beneficiis, & gratiis cumulatus.**

i **Nihil igitur prudentius, & Religiosius in hoc genere fieri potest, quàm si aut indifferentem, seu neutralem se habeat Religiosus ad Nova de cladibus illatis Catholico Principi ab itidem Orthodoxo, aut mox obsecret supremum Numen, ut dignetur illam victoriam activam & passivâ dirigere ad majus bonum spirituale, ac temporale partis victæ, victricísque.**

k Turcæ atque Acatholici sunt aperti hostes Dei, ac Religiosorum, lætemur & Hymno Ambrosiano, gratias agamus Deo pro victoria de iis (pugnantibus propriis auspiciis) ad internecionem deletis à Catholico exercitu relata: gaudium de Orthodoxo Principe debellato ab illo, sub quo vivimus, ita moderemur, ut Christianæ compassionis immemores non simus. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ajebat persæpe, &, teste Lampridio, etiam per præconem proclamari jubebat Alex. Severus, etsi Jovis Tonantis, Martis Fulminantis cultor.

APPENDIX II.

Quadragesimalis.

l PRompsi *numero. 591.* meum judicium de juvenibus opificibus, accusantibus se, quòd commorantes apud opifices hæreticos ederint cum hisce cibos prohibitos absque ullo dierum discrimine; quibus addo in primis, nos vi Septentrionalium Privilegiorum à Gregor. XIII. concessorum tum talibus dispensare, quando & negantur iis cibi Quadragesimales, & Patres Rectores communicant nobiscum illam potestatem; addo & dictis Appendicem hanc Quadragesimalem, utpote non semel rogatus etiam ex Provincia Austriaca, ut aliquid scriberem de dispensatione circa esum carnium in Quadragesima, quæ dispensatio, quia hisce bellicis temporibus est sæpe petita, & concessa ratione militum hiberna habentium in hac aut illa civitate, ideo præmittitur à me.

Supplex Libellus.

Pro impetranda dispensatione circa esum carnium in Quadragesima.

m *NOs consul, civésque Oppidi N. N. supplicamus humillimè Vestræ Reverendissimæ, & Illustrissimæ Celsitudini, dignetur Clementissimè nobiscum dispensare, qnatenus liceat nobis hac Quadragesima vesci carnibus unà cum militibus, qui stativa apud nos habent, & nolunt esse contenti cibis permissis usitatísque tempore Quadragesimali, quos etiam non nisi difficillimè possemus, si peterent suppeditare.*

n Ejusmodi literæ fuerunt proximis Annis, quando non pauca oppida Sueviæ fuêre à militibus infessa, non semel directæ ad Reverendissimum, & Celsissimum Principem, atque Episcopum Constantiensem, executio autem demandata ejus in spiritualibus Vicario Generali. At hoc ipso Anno 1677. quo Suevia fuit tertiùm passim infessa à militibus, impertivit D. Vicarius Generalis ad plurium instantiam generalem facultatem pro locis, in quibus stativa habebant milites, quam facultatem aliqui Parochi fuêre laxiùs interpretati quàm alii. Igitur

o Quæritur I. *An, & quatenus valeat Episcopus dispensare intra, & extra Quadragesimam cum militibus circa obligationem abstinendi tum à duplici refectione, tum à carnium esu?*

Respondeo I. Potest utique cum omnibus saltem gregariis ad cautelam dispensare, quoad alteram refectionem, quandoquidem potest quoad esum carnium, ut mox dicam, & omnes gregarii tam rarò habent justum prandium, habent etiam tot incitamenta ad frangendum jejunium, est quoque iisdem adeò insolitum abstinere à secunda, aut tertia, si offeratur refectione, ut inducineqeant à Confessariis ad illam abstinentiam, ergo tenetur, & non modò potest Episcopus consulere illorum conscientiis per dispensationem ad cautelam, si petant. *Dico ad cautelam*, quia censeo esse Universali, inter gregarios, consuetudine inductum, ut quamdiu sectentur militiam, licitè sumant alteram refectionem. Et hanc resolutionem intelligo tum ptincipaliter de iis, dum sunt in castris, tum etiam quando stativa, hibernáve habent in pagis, aut oppidis, nam etiam tunc militant pro iis sufficientes rationes priùs allatæ.

p II. Officiales tum minores, tum etiam majores quod attinet, existimo eos saltem dum sunt in castris esse exemptos à Lege inhibente alteram refectionem. Ratio est, quia videtur id ipsis revera nimis difficile resistere tot occasionibus frangendi jejunii, quot solet adferre consortium quotidianum, cum hominibus, quorum maximus hostis est jejunium. Hoc saltem est mihi certum, quòd Episcopus valeat cum iis dispensare, si non vult declarare eos non habere opus dispensatione; est quippe inauditum, quod Episcopi Germaniæ recurrant ad Sedem Romanam ratione hujus Legis Ecclesiasticæ.

q III. Quando autem milites sunt distributi per stativa, pérque pagos & oppida, si sermo sit de gregariis, militant pro iis eædem rationes, quæ pro prima responsione, quamvis non ita potenter, attamen sufficienter. At si de Officialibus, sicut non dubito, quin Episcopus valeat ob insinuatos in altera responsione rationes impertiri dispensationem, ita dubito, an non delinquant, si non servent legem jejunii præsertim majores officiales, quorum ferè singuli consueverunt in singulis urbibus habere stativa. Quapropter existimo, Confessarium interrogatum à talibus, an teneantur abstinere à cœna, debere scisciatari: Cur dubitent? Adferentibus aliquam ipsorum judicio rationabilem causam, ne moveat scrupulum, alioquin faciet è peccante solùm *materialiter*, peccantem *formaliter*; & hoc cui bono? *Si scirem tibi non prodesse, non te monerem, non te terrerem*, inquit S. August.

r IV. Etum carnium, ovorum, Lacticiniorum quod attinet, in primis certum est, esse passim in Germania consuetum, ut caseus, & butyrum, imò & in quibusdam Diœcesibus, ac nominatim in hac Constantiensi, & vicina Basileensi ova comedantur innoxiè, idque vel ex privilegio expresso, vel ex vi antiquæ consuetudinis, quam tamen non viguisse in hac ipsa Diœcesi Anno 1468. demonstro in Quinario *Tract. 5. cap. 23. n. 242.* ubi refero privilegium Pontificium impertitum Uberlinganæ civitati, quare etiam milites Itali, & Galli, qui merentur sub signis Germanorum Principum, item circum foranei Sabaudi, quorum plurimi hinc inde vagantur cum suis mercibus, possunt absque ulla dispensatione accommodare se usui talium locorum. Deinde ubi ova (de caseo & butyro nullum est dubium in Germania) non permittuntur Diœcesanis; potest Episcopus liberrimè militibus permittere, quia revera prohibitio foret frustra, est enim moraliter impossibile iis abstinere à carnibus simul & ovis. Si autem carnes permittuntur, quidni & ova?

s V. Et verò potest Episcopus militibus existentibus in castris permittere esum carnium per Quadragesimam, imò & stativa habentibus hinc inde sparsa. Primi membri ratio est, quia est moraliter impossibile eos aliunde alere. Secundi

cundi hæc, quia aluntur vel suis stipendiis, vel hospitum, apud quos morantur, impensis? Si primum (quod insuetum) stipendia sunt aut tam exigua, aut tam rara, ut nequeant iis comparare cibos Quadragesimales, & proinde habet in illo locum Regula quarta *in 5. Quod non est licitum in Lege, necessitas licitum facit.* Si secundum, cùm & subministrare alimenta ex cibis Quadragesimalibus accidat nimis difficile hospitibus *activis*, (ut cum Pacichellio, Burgero, & aliis loquar ad distinctionem à *passivis*, illis scilicet quibus præbetur hospitium,) & licentia militaris, eò jam excreverit, ut saltem ad evitanda majora mala, oporteat eorum tacitæ, vel expressæ petitioni satisfacere, hanc ob rem dispensabit licitè Episcopus.

t VI. Quia verò iisdem hospitibus activis difficillimum est parare cibos duplicis generis, ideo meritò sit ipsis potestas eadem, quæ militibus, & ita factum proximis Annis illis oppidis, quorum supplicationem proposui superiùs.

u Idem factitarunt eodem tempore Episcopi Augustanus, & Aichstadianus, idem superioribus bellis iidem Episcopi atque Frisinganus, ut nullo modo debeat dubitari de praxi; cujus justitiæ non officit, quòd nemo possit dispensare in Lege sui superioris, ut notant Doctores ex Cap. *Cùm contingat. De major. & obed.* est enim id verum per se loquendo, at contrarium est per accidens verissimum tunc, quando inferior præscripsit jus dispensandi, ut revera præscripserunt ob distantiam Germaniæ Episcopi, tum in hac ipsa individua materia, tum aliis actibus concernentibus solam honestatem, ut, nihil dicam de concernentibus ipsum quoque valorem. Causam inchoandi hanc præscriptionem, consuetudinémque dedit iis, ut insinuavi distantia ab Urbe, & ratio, ob quam Innocentius III. *Cap. Nihil. De elect.* fecit recèns electis Episcopis extra Italiam commorantibus potestatem administrandi ante confirmationem in spiritualibus & temporalibus; illa enim ratio exprimitur hæc: *Propter Ecclesiæ necessitates & utilitates*, intervenit autem hic magna necessitas & utilitas, quia impediuntur longè plurima peccata mortalia, quæ certò & publicè patrarentur, si exspectanda foret Romana dispensatio.

x VII. Quòd si accidat, ut eo ipso tempore, quo alendi sunt milites, valde difficulter & non nisi pretio majore, quàm aliis ordinariis Annis comparari possint cibi esuriales, tunc urget Episcopum duplex causa expediendæ talis dispensationis, ob quam nominatim Episcopus Frisinganus circa Annum 1645. dispensavit pro toto Episcopatu, adeóque etiam pro illis partibus Episcopatûs, in quibus tunc nulli versabantur milites. Quando autem abest illa singularis difficultas (nisi ordinaria sit revera magna, aut judicio Medicorum immineat vulgatio morborum ex tam diuturna carentia carnium) tunc non videtur posse Episcopus dispensare, nisi pro locis, in quibus habent stativa milites, illicitè enim, imò & invalidè dispensat in Lege Superioris Episcopus, quando abest causa rationabilis

At quid si tantùm aliqui ex hoc peculiari pago habeant armatos hospites, an, qui non habent, participabunt beneficium dispensationis Episcopalis? Resp. Si major pars sit onerata, videtur minor posse frui beneficio majoris, est enim nimis difficile servare inæqualitatem. Si minor pars gravatur milite, hæc sola fortè gaudebit, gratiâ Episcopali, at scio ita declarâsse quendam Venerabilem Decanum Ruralem pro sua Parochia, contrarium tamen expressè hoc Anno 1678. respondit interrogatus Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Constantiensis, quo etiam Anno dispensaverat pro omnibus, & solis pagis, oppidisve gravatis milite, quo discedente cessavit & facultas: cessante quippe causâ adæquatâ cessat & effectus. y

VIII. Dispensatio quam pro tota Diœcesi, aut tota urbe aliqua elargitur Episcopus ob penuriam ciborum Quadragesimalium, videtur extendi ad Regulares quoque. Et inprimis ad non Exemptos, siquidem hi possunt quoad observationem legum communium sese accommodare praxi Cleri sæcularis non adversanti eorum peculiaribus statutis, ut scripsi, & declaravi hoc *Tract. 7. n. 577.* nemo autem, ut reor, dubitabit, quin Clerus sæcularis in casu, quem ponimus, etiam licitè manducet cum manducantibus sæcularibus. z

Nihilominus tamen nostra Collegia Bavarica, & nominatim Monacense in quo morabar illo Anno 1645. de quo paulò antè memini, item Dilinganum & Bruntrutanum, ut nihil dicam de aliis, de quibus non interrogavi, servaverunt Religiosè Quadragesimam juxta cursum ordinarium. Ensisthemiani autem sub Annum 1630. ex necessitate, quam hostilis expilatio attulerat, extremam, comederunt carnes. aa

IX. Porrò consuevêre illæ dispensationes Episcopales restringi excludendo, in primis omnes illos dies, quibus est etiam extra Quadragesimam nefas vesci carnibus, si tamen nequeat hospes activus sine metu gravis mali negare passivis carnes, præbebit diebus Veneris. Excludunt deinde etiam totam hebdomadem sanctam & plerumque etiam Dominicam *Judica* cum sequentibus diebus. Sed & hic quoque sæpe necessitas exercet dominium. bb

X. Hoc ipso quòd Episcopus dispensat cum militibus quoad abstinentiam à carnibus, dispensat quoque quoad abstinentiam à secunda refectione, non quòd hæc secunda dispensatio per se, aut necessariò involvatur in prima generatim loquendo, sed quòd Episcopus esset respectu militum frustra facturus restrictionem ad unam refectionem per diem. Hoc ipso autem quòd militibus sit cœna quoque bacchanalis, seu carnea ministranda, videtur & hospes ex Episcopi mente implicita posse eandem sumere cœnam. Est enim valde difficile plerisque, seu propè omnibus Patribusfamilias parare duplicem cœnam, igitur poterit & hanc gratiam ipsi præstare Episcopus. Verè, verè inter arma silent, torpent, conculcantur multæ leges, quarum violatio quando nequit impediri alia ratione, quàm condescendendo humanæ fragilitati, videtur obligatio fraternæ providentiæ urgere, & mandare relaxationem. cc

dd XI. Tametsi Parochi extra locum Residentiæ Episcopalis, & vicinitatis, consueverint cum infirmis atque puerperis dispensare quoad aliquot dies, idque non sit improbandum in nostra Germania numerante valde multos Episcopatus peramplos, trium inquam, quatuor, aut etiam sex, (ut noster Constantiensis) dierum in longum, ignoro tamen, an pro tota Quadragesima. Non damnabo, si hac in re sequantur suorum laudabilium Antecessorum morem, & erunt tantò securiores, quantò frequentiùs stabunt suorum Decanorum Ruralium, seu exemplo, seu quod pluris facio, judicio.

ee His jam scriptis accipio à quodam Soc. Nostræ Sacerdote Castrensi literas concernentes hoc ipsum argumentum, & inter cætera hæc: „*Bonum esset, si à R.V. daretur Generalis Regula, tam de Officialibus, quàm gregariis de abstinentia à carnibus.* Quoad officiales maxima est „difficultas, hi enim subinde possunt diebus „piscium procurare cibos esuriales fortè eâdem „difficultate, qua carnes, sed contingit quandoque, ut diebus carnium propter itinera cogantur inordinatè, & minùs comedere, sequentibus autem diebus possint commodè habere cibos esuriales. An tales officiales teneantur præcepto abstinentiæ? Quæri item potest, an talis in campo officialis, aut etiam qui diebus præcedentibus carnium abundè comedit, si deveniat die Veneris, aut Sabbati ad tabulam alterius piscibus & carnibus æqualiter instructam, teneatur vesci piscibus? an verò possit universali Regula gaudere in campo, quæ sit de non abstinendo, cùm aliquando fieri possit, ut abstineas, aliquando non, & subinde contingat abstineri die Veneris, & Sabbati, diebus æquè Dominica, Lunæ, Martis &c. Itaque propter incerta tempora, & pericula famis, posset fortè certâ Regulâ, & universali omnis obligatio abstinentiæ tolli apud milites tam officiales quàm gregarios in campo actuali. Certè adverto, quòd multi hac universali Regula utantur pro die Sabbati. Atque hæc sunt in hac materia.

ff Ita ille Pater, cui certè nequivi ullam aliam generalem Regulam tradere, quàm insinuatam à me superiùs, ut videlicet consulatur Episcopus loci, in quo castra fixa sunt, qui perpensis, quæ & indicantur in hisce literis, & iisdem literis præmisi, judicabit, an expediat hîc & nunc generali dispensatione prævenire plurima peccata mortalia, quæ patrabuntur, si non fiat illa gratia, in qua involvi ipsos quoque dies Veneris, & Sabbati nolim, nisi subsit causa singularis, & extraordinaria. *Si gula peccavit, gulæ jejunet*, inquit S. Bernardus, jejunet, inquam, à carnibus saltem tribus per hebdomadem diebus.

Hisce omnibus addo ex P. Laymanno *Lib. 1. Tract. 4. cap. ult. n. 7.* & P. Ernrico Pirhing *Tom. 1. in Ius Canonicum Tit. 4. seu de consuet. n. 30.* Irrationabilem, & invalidam esse consuetudinem, per quam alicubi introductum est, ut universim, & quoad omnes saltem Laicos sufficiat ter in hebdomade in Quadragesima jejunare, quia per eandem consuetudinem antiquissima lex Ecclesiastica, quæ ex traditione Apostolica omnibus sæculis, & apud omnes populos Christianos observata fuit, & Ecclesiæ maximè utilis est, tollitur, vel saltem quoad notabilem partem ei derogatur, unde nulla apparet ratio necessitatis, vel utilitatis, quæ talem consuetudinem possit cohonestare, & ob quam Prælati Ecclesiastici ei justè possint, & velint assistere, eámque approbare, quamvis plerique in his frigidioribus regionibus causam aliquo modo probabilem adferre possint, ob quam excusentur, ne omnibus diebus jejunent, sed non vi solius consuetudinis, ut docet Laym. *Lib. 4. Theol. Moral. Tract. 8. cap. 3. n. 7.* gg

Ita hic recentissimus, & universi Juris Canonici plenissimus interpres Pater Pirhing, cui omnino assentior, quatenus scribit, pleroque in his frigidioribus regionibus excusari, etsi non jejunent quotidie in Quadragesima, plerisque enim accidit tum difficilis abstinentia à duplici refectione, ut propter hanc difficultatem videatur introducta illa apud laicos consuetudo non jejunandi nisi ter. Difficultatem verò observandi aliquam Ecclesiasticam consuetudinem de se obligatoriam, posse subministrare sufficientem causam continuandæ consuetudinis, quæ deroget priori, potest variis exemplis, & etiam hac ratione probari, quòd plurimæ leges scriptæ sint abrogatæ usu contrario fundato in sola omnino difficultate observandi illas leges. Et, ut non procul hinc abeamus, ubi diximus de Lege Quadragesimali, constat ex Concilio Cabilonensi quod refertur *c. Solent. De consecrat. distinct. 1.* nullo modo licuisse jejunium Quadragesimale solvere ante officium Vespertinum. Constat quoque nefas fuisse adhuc tempore S. Thomæ sumere collationem vespertinam. Utriq; huic Legi contraria est hujus & superioris sæculi consuetudo, inducta propter solâ difficultatem differendi ad serum justam refectionem, & carendi collatiunculâ vespertinâ. Igitur non omnis illa consuetudo, quæ ob difficultatem etiam non valde magnam introducta est adversus legem etiam graviter obligantem, haberi potest ab Ecclesia pro reprobanda, ejúsve sectatores damnari de mortali.

CONFESSARIUS MORIBUNDI.

CASVS XIX.

Judæi Viennensis.

SUMMARIUM.

Casus Judæi absoluti in extremis, & tamen non sepulti in loco Sacro. 594.
Referuntur sententiæ variæ Doctorum de absolutione Moribundi, dantis, aut non dantis signa doloris. 597. & seqq.
Proponitur, & explicatur sententia nostrorum Theologorum. 602. & seqq.
E diverso alia Patris Bonagratia. 603.
Societas non prohibet praxin cujusvis sententiæ, quam prohibet doceri. 604.
An possit eam vetare? 607.
Nova quæstio circa absolutionem rati, dati parvitatem materiæ in re venerea. ibid.
An teneatur Confessarius sequi sententiam benigniorem de absolutione Moribundi? 611.
Proponitur Casus Religiosi, nemine præsente, correpti apoplexiâ, & non absoluti. 613.
Item repertis sub arbore cum rosario, & Agno Dei. 614.
Et extracti ex aqua, in quam erat lapsus. 615.
Alterius, de quo S. Franciscus Xaverius. ibidem in Append.
Et tacti apoplexiâ statim post suum Sacrum. 616.
Et Lutherani moriturientis cum protestatione, quòd cupiat mori in vera Religione. 618.
Et alterius Lutherani confitentis Sacerdoti Catholico, quem putabat esse pastorem hæreticum. 619.
Et rursum alterius Lutherani eodem modo decepti. 620.
Rursum alterius eodem propè modo capti. 622.
Alii insuper Casus Moribundorum indicantur. 624. & 625.

594 *Tiburtius Viennensis Doctor, Eximius Dominus cùm per pontem, & Danubium transiret, vidit magnum hominum concursum, & accedens senem Judæum semimortuum (lapsus fuerat currus super ipsum, & comminuerat cerebrum.) Erant, qui dicerent, se audivisse à miserculo*: Domine Jesu Christe fave mihi! Virgo Maria ora pro me! *Quid hic Theologus deberet facere Quid? scio. Dicam, quid fecerit. Jussit effundi aquam in faciem, si fortè rediret ad se. Afferunt statim è fluvio alii Judæi, affundit eam Doctor, & formam Baptismi apposita conditione pronunciat, & statim formam absolutionis etiam sub conditione. Vix hæc facta, & ecce! Judæus* 595 *moritur, & Judæi illum ad suum cœmeterium transportant. Narravit Reverendissimo D. Abbati Eujerstallensi, & mihi hæc omnia Doctor. Et rogatus, cur baptizaverit? Illa ultima verba Judæi, ait, fuisse moralem quandam petitionem Baptismi. Et rogatus, cur & illum absolverit? Addidit, se suspicari, illum fuisse Christianum ad Iudæos relapsum, & absolutionis indigere. Et tandem cur permiserit à Iudæis sepeliri? Omnia facta esse dubia, & incerta, & in foro externo, quidquid sit de interno, debere tractari ut Iudæum. Quem conversum fuisse, probabiliter suaderi non potest &c.*

Phrasin, memoriam, ingenium D. Joann. 596 Caramuelis redolet hæc narratio, præsertim juncta antecedentibus, & consequentibus, quæ reperiet *in Theolog. Fundamentali fundam. 46. n. 1041. §. 11.* Et verò illum Eximium Dominum Doctorem Viennensem fecisse quoad absolutionem (de duobus aliis non est hic locus disserendi, quamvis de Baptismo prorsus adstipuler, de permissione sepulturæ profanæ dubitem) id, quod annulo Doctoratûs Theologici exornatum in florentissima Universitate Viennensi decet, liquidò constabit ex iis, quæ brevissimè proferam de absolutione moribundi, ideo autem brevissimè, & ferè sine autorum nominatione, quia omnes recentiores suppeditabunt cum rationibus autoritates. Varietas Casuum, quos producam, supplebit illum defectum. Priùs tamen suppono veritatem doctrinæ longè probabilioris, quam tradidi suprà *Cas. 3. n 131.* quòd videlicet quisque sacerdos, quocunque alio sacerdote præsente validè absolvat quemvis in articulo mortis. Qua doctrinâ suppositâ, & loquendo nunc directè de ipsomet moribundo, ejusque variis conditionibus, & considerationibus sic statuo.

I. Itaque *validè*, & *licitè* absolvis moribun- 597 dum, qui non potest quidem ullum in specie peccatum declarare, attamen ab ipsomet Sacerdote præsente petit absolutionem. Ita omnes.

II. Imò sufficit, si ille moribundus coram 598 te edidit signa solius contritionis & doloris in ordine ad absolutionem. Et verò præsumendum est, nisi in contrarium quid constet, signa contritionis, quæ ab eo tunc eduntur, edi in ordine ad absolutionem, seu Confessionem. Porrò signa contritionis sunt juxta Laymann. *Lib. 5. Tract. 6. cap. 8.* & Cardin. de Lugo *Disp. 17. Sect. 2.* quando æger percutit pectus, aut quando manus, oculósve in cœlum tollit, aut juxta Dianam *Part. 3. Tract. 3. Resol. 2.* quando aliquam imaginem intentè respicit, vel, juxta Card. de Lugo, quando dicit: *Miserere mei Deus.* Si videlicet hæc faciat, sciens adesse periculum mortis, sitque mentis compos, esto solitus sit hæc facere nil cogitans de morte. Quòd si, omnibus consideratis, dubitatur de talibus actibus, sintne exerciti in ordine ad Confessionem, & à compote usûs rationis, absolvendus est *sub conditione* dicendo: *Absolvo te, si materia sit sufficiens: si sis capax.* Ita rursum omnes.

599 III. Imò rectè absolves moriturientem, licèt prædicta signa dederit, te absente, sed aliis præsentibus, qui retulerunt tibi, vel juxta moribundum existenti. Lugo *loc. cit. Sect. 4.* Sanctgallenses *Tom. 10. fol. 166.* orco addicentes nolentem in praxi sequi nostram opinionem, & alii contra Thomistas: vel etiam non existenti juxta ægrum. Cardin. de Lugo *num. 85.* & alii contra Dianam, & alios. Re enim verâ si præsens præsentem absolvas, sufficienter diceris absolvisse confitentem tibi præsenti, quamdiu enim vivit, tamdiu continuat *moraliter* Confessionem suorum peccatorum, vivit autem adhuc coram te.

600 IV. Præcedens doctrina est vera, licèt, quando venis ad prædictum infirmum, reperias illum omni planè sensu destitutum. Card. de Lugo Sanctgallenses, & alii. Nam si, factâ tibi *formali* Confessione, invaderet illum ante absolutionem spoliatio omnium sensuum, capax foret nihilominus absolutionis, ergo & postquam fecit Confessionem *virtualem*, seu *implicitam*.

601 V. Vera quoque est, tametsi nemo expressè testetur, illum edidisse signa doloris, modò prudenter præsumi queat, dedisse reipsa. Non scio quidem, ullum ex autoribus præcedentium resolutionum hoc expressè docere. At innuit à sensu contrario Ordinatio, de qua mox: & probat ratio. Quia generatim fas est administrare, saltem in necessitate, quodlibet Sacramentum, quando, deficientibus aliis probationibus, prudenter præsumitur, adesse omnia *essentialiter* requisita. Etenim præsumptio habetur pro veritate, quamdiu ea non eliditur, & demonstratur hîc & nunc fallere. DD. *in Cap. Semel malus. De Regul. jur. in 6.*

602 VI. Meritò inhibuêre recentissimè Superiores Societatis nostræ suis, ne inposterum doceant hanc propositionem: *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeò ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam Confessionem, absolvi potest.* Nam & ab ea propositione dissentiunt plerique contra non pauculos, & Ritualia, Conciliáque, permittentia absolvi agonizantem, requirunt testes petitæ absolutionis, & denique materia cujusque Sacramenti debet esse sensibilis. Unde à fortiori negandum est, *licitè, validéve* absolvi, de quo constat, non edidisse ulla signa petentis absolutionem, esto constet, fuisse virum bonum, optimum.

Vide omnino Abbatem Rasserum *Tract. De Pœnit. Cap. 5. §. 34.* referentem illud Decretum nostræ Societatis, defendentémque latissimè, doctissimè materiam ejusdem Decreti, ac negantem probabilitatem omnem sententiæ oppositæ, pro qua tamen constanter pugnat Bonagratia, seu Habsensis tum *in Summula Quæst. Regul. post verbum: Votum. Fol. 725. & seqq. edit. 1.* tum rursum *in tractatulo*, cui Titulus est: *Additamenta Summulæ Verb. Absolutio. num. 3.* etiam *edit. 1.* extendens *num. 4.* suam opinionem etiam ad casum, quo ille Moribundus laborat infamiâ malæ vitæ; & volens singulariter (ut loquitur Titulus ejusdem opusculi) à suæ Seraphicæ Religionis Confessariis redigi in praxin. Favent equidem multùm isti sententiæ, abstrahendo ab additione de infami, verba S. Augustini quæ P. Bonagratia utroque loco describit *ex Lib. 1. De adult. conjug. in fine*, quia tamen idem S. Pater satis indicat, se non habere suam doctrinam pro certa, & insuper Canones, rationésque ex authoritate Concil. Trident. productæ à Rasiero, P. Dicastillo *Disp. 9. dub. 9.* atque aliis plurimùm patrocinantur illi Societatis nostræ Ordinationi. Idcirco meritò quivis alius eâ stabit. Et singulariter in casu, 603 quo idem Habsensis exprimit *in altera editione ejusdem Summulæ*, ubi *Verb. Absolutio* generaliter *n. 5.* persistens (sine ulla probatione, sine ulla mentione eorum, quæ in priore editione scripserat) in sententia de necessariò absolvendo, *saltem sub conditione* illo, *qui nullum penitus signum dedit*, & omittens (non tamen negans) extensionem ad infamatum, statuit aliam, nempe hanc: *Imò, si fortè actualiter peccando tam subitò destituatur sensibus quis, ut non possit, humanitus loquendo, atteri, regulariter sine absolutione dimittendus non videtur, cùm rarissimè contingat, ut morti vicinus non velit suæ saluti consulere per attritionem. Quia per conditionem cavetur injuriæ Sacramenti, & ex alia parte consulitur, quantum fieri potest, saluti Moribundi, qui per modos Christianos aliâ totâ vitâ notoriè peractos in tali articulo, & attritus, & satis superque Confessionem petere præsumitur.* Ita ipse ad verbum, subdens quidem, videndos esse ea super re Dianam *Part. 3. Tr. 3. Res 8.* & Tamb. *in Meth. expeditæ Confessionis Lib 2. c. 10. §. 1.* Sed Diana dissentit apertè. Judicet Lector, utrùm præsumi prudenter possit, illum esse reipsa attritum, qui, *humanitus loquendo, non potuit atteri.* Præsumptiones enim desumuntur à communiter contingentibus. DD. referendi *Tr. 10. Cas. II. n. 90.* non autem contingit communiter, ut fiant, quæ, humanitus loquendo, fieri nequeunt, utique enim per *rò humanitus loquendo* non intelligitur hîc idè, quod spectando solas vires humanas, id est, naturales, cùm per has solas, ne quidem extra subitaneum casum, quisquam possit nanciscì attritionem necessariam ad absolutionem *Sacramentalem.* Concil. Trid. *Sess. 14. c. 4.* sed censeo, hac loquendi ratione intelligi ordinarium procedendi modum in talibus eventis, contra quem esse aliquid factum non præsumitur, sed probandum est *C. Inspicimus. De Regul. jur. in 6.* Nec existimo, re-

repertum *iri* Confessarium, qui impertiretur absolutionem iis, qui sine ullis prorsus signis doloris subitò privarentur omnibus sensibus, perempti, vel in duello solenni, vel in tali actu, cujus vindicatio laudem æternam peperit Zelosissimo Phineæ *Exod. 25.* vel in *formali* blasphemia.

604 Porrò circa ordinationem illam nostri Ordinis, de qua *n. præcedenti* disseruimus, notanda sunt duo. *Primum*, quòd loquatur de casu, quo non potest prudenter præsumi, quòd ediderit signum. Atqui potest prudenter de quolibet boño Christiano, qui prævidit periculum instantis mortis, præsumi, quòd dederit signum contritionis in ordine ad Confessionem. Illud quippe prudenter præsumitur factum, quod plerumque fieri solet. DD. *in L. In obscuris, ff. De Reg. jur. Alterum*, quòd Ordinatio *expressè* solùm prohibeat, ne illa sententia doceatur, non autem *expressè*, ne practicetur.

605 At *prohibétne* implicitè, *aut* indirectè, *verè tamen nostris sacerdotibus praxin*?

Resp. Ita quidem videri nostro P. Adamo Burghaber *Centur. 1 Cas. 81.* tum quòd prohibitio ista maximè posita sit ad tollendam praxin. Tum quòd doctrina *moralis* in Societate sit quasi Regula praxis instituendæ.

Atlicèt hæc extensiva interpretatio sit probabilis, censeo tamen (salvo per omnia Superiorum judicio) cum aliis, contrarium esse probabilius. 1. Quia in Ordinatione interdicente nobis, ne doceamus illam sententiam, vetantur plures aliæ, quarum omnium usum nobis inhiberi nemo, puto, dixerit. 2. Quia indici sententiarum è nostris scholis eliminatarum expressè hæc declaratio subnectitur: *Porrò praditas propositiones omnes nullâ afficimus censurâ, sed* solùm *prohibemus* doceri *in nostris Gymnasiis, ad majorem uniformitatem, & soliditatem* doctrinæ *inter nos, & copiosiorem fructum in auditoribus faciendum.* Ubi notandæ illæ tres particulæ: *solùm*: *doceri*: *doctrinæ*.

606 3. Postquam Alexand. VII. vetuit, doceri *divisim*, vel *conjunctim* illas 28. & rursum illas 17. propositiones *morales*, de quibus feci sæpius mentionem, addit hanc clausulam: *Insuper districtè, & in virtute Obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxin deducant.* Atqui dictio *Insuper* importat diversitatem à præcedente. Geminianus; estque idem quod *ultrà*, & *ulteriùs*. Barbosa *in Opusc. Dictione 166.* ergo non includitur in præcedenti.

Ratio autem generalis, cur, dum Societas vetat, doceri à nobis aliquam sententiam ad mores spectantem, non intendat hoc ipso prohibere usum illius doctrinæ singulariter in foro Dei, est, tum quia Confessarius solus est in eo foro judex, tum quia Societas nec *directè*, nec *indirectè* damnavit unquam præcipuorum è suismet alumnis, & Doctoribus doctrinam, quòd Confessarius aut possit, aut etiam debeat se in foro conscientiæ accommodare opinioni, quam scit haberi ab ipso pœnitente, illustribúsque Doctoribus pro probabili. Vide tamen, quod dicam *Cas. XX. n. 689.* & interim examina, si placet, responsum, quod die 16. Iulii, Anno 1667. dedi ad quæstionem propositam mihi occasione hujus

Casus concernentis parvitatem materiæ in Peccatis luxuriæ.

607 *Torquatus confitetur Tranquillino Societatis Jesu Sacerdoti, se aliquoties quæsiisse parvam voluptatem carnalem. Tranquillinus scisciatur: Quoties? Respondet Torquatus, se non teneri aperire numerum, eò quòd assentiatur docentibus, dari in ipsis quoque carnalibus peccatis parvitatem materiæ, excusantem à mortali tam quærentes, quàm admittentes illam. Hoc audito Tranquillinus Torquatum donavit absolutione. Postmodum ex me quæsiit, an absolvendo non deliquisset adversùs Ordinationes nostræ Societatis?*

Respondi, ut sic præcisè, non peccâsse in eas. Hæ enim solùm vetant (sub excommunicatione, &c.) ne publicè, aut privatim ut *tolerabilem ullâ ratione* doceamus opinionem eorum, qui tradunt, *in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæsitam* (aut *deliberatè admissam*, ut addit R. P. Vincentius Carafa) *propter levitatem materiæ excusari à mortali, aut placere sibi significet, aut secundùm illam consilium cuiquam det*: Atqui præcisè absolvere imbutum illâ opinione, & fortè etiam carentem proposito integre desistendi à praxi illius opinionis, non est quidquam docere, aut ostendere complacentiam. Sanè concessi non rarò absolutionem aliquibus sectantibus sententias displicentes mihi *positivè*. Adde, quòd nemo, ut reor, sit judicaturus, teneri me defetre ad Superiores illum, qui ipse mihi fassus est (sine ullo prorsus ordine ad Confessionem) se ita processisse cum suo Torquato, & tamen obligamur in virtute sanctæ Obedientiæ aperire, si quem ex nostris contra prædicta deliquisse noverimus. Videtur quidem Tranquillinus impertiendo absolutionem carenti (si caruit tamen) proposito integre desistendi ab illo peccato, docuisse facto ipso tolerabilem aliquâ ratione sibi videri illam, meo judicio improbabilem opinionem, attamen inprimis Ordinatio loquitur de docente verbis, non facto, tam *indirectè* tendente in approbationem aliquam vetitæ sententiæ. Deinde potuit fieri, ut Torquatus habuerit firmum propositum integre emendandi se ab eo vitio, peccaritque solùm venialiter in eo committendo, quia nimirum persuadebat sibi, quamvis falsò, inesse illi suo turpi facto culpam solùm venialem.

608 Licèt autem P. Dicastillo *Disp. 9. dub. 9.* copiosissimè pertractans difficultates de absolutione moribundi scribat, se non legisse Doctorem Societatis, qui docuerit, absolvi posse moribundum ullum, qui nullum dederit signum contritionis, attamen P. Pellizarius *Tom. 2. Tract. 8. cap. 3. n. 114.* testatur, PP. Salmeronem, Suarez, Baldellum, Raynaudum ita docuisse, & ipsemet Pellizarius defendit multis illam sententiam tanquam non omnino improbabilem. P. Carol. Busart apud Caram. *cit. fund. 46. n. 1312.* docuit eandem. P. Tambur. *in meth. Confess. Lib. 2. cap. 10. §. 1. n. 2.* tenens oppositam, exprimit tamen, Confessarium teneri in praxi illam, pro qua Pellizarius citat Salmeronem, sequi.

609 Ad rationes P. Burghaber respondeo 1. Eas nimis multùm probare, ut ostendi suprà. 2. A diversis non valere illationem. 3. Finem legis non cadere sub legem. 4. Nos integre satisfacturos Ordinationi, si vel penitus abstineamus inter docendum à discussione illius quæstionis, vel nudè dictemus propositionem contradictoriam interdictæ ab Ordinatione.

610 VII. In quibus casibus dixi antè *n. 602.* esse fas impertiri absolutionem agenti animam, iisdem est danda non *sub conditione*, sed *absolutè*, ut fit in cæteris casibus, in quibus sani absolvuntur, sequendo verè probabilem opinionem de jurisdictione, materia, dispositione.

611 VIII. In iisdem casibus ita necesse est, illam saltem *sub conditione* impertiri, ut mortaliter delinquat sacerdos tunc negans absolutionem. Lugo *loc. cit. n. 87.* Sanctgallenses *loc. cit.* & alii. Ratio est, quia, generatim loquendo, Sacramenta saltem Baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis, utpote instituta ad peccatorum remissionem, debent ministrari, quando aliqua sententia verè probabilis docet, *validè, licitéque* conferri, saltem, si cæteroqui deberet homo decedere sine hoc remedio salutis, etenim in dubio, aut conflictu opinionum longè magis favendum est animæ periclitanti, quàm Sacramento, ut ostendo *in Alphab. Baptiz. Cas. XIII. n. 381.*

Ex dictis sequitur resolutio sequentium Casuum.

612 *Primus* est illius Judæi Viennensis, de quo *n. 594.* etenim, & verba, quæ protulit, & testes de illis prolatis præstant sufficienter illas conditiones, de quibus *n. 598.*

613 *Secundus* est Religiosi sacerdotis, *qui nemine præsente, tactus apoplexiâ repertus est spirans quidem adhuc, sed omni sensu captus*; puto enim vix tertium quemque ita subitò per apoplexiam spoliari omni ratione, quin à principio notatæ apoplexiæ relinquat hæc ante omnem exturbationem rationis tantum spatii, quantum sufficit ad dicendum ex animo: JESUS, MARIA: *Miserere mei Deus!* Ut patet pluribus exemplis illorum. Qui coram aliis correpti fuêre hoc malo, possémque ipse nonnullos nominare. Si hoc fit à potiori parte, ergo probi, ac sincerè timentes Deum (ut præsumuntur esse Religiosi) præsumuntur aliquid tale dixisse, adeóque dedisse signum doloris, in ordine ad Confessionem. Ergo singuli, de quibus in contrarium nihil constat. Ergo potuit prudenter præsumi, illum Patrem Religiosum edidisse tale aliquod signum, ergo & absolvi. Tametsi intelligam, fuisse omissam absolutionem.

614 *Tertius. Tempore belli Suecici repertus est Tullius rusticellus, sub arbore semimortuus, impósque mentis, habens autem in ore pirum silvestre, in sacco seu pera rosarium, & agnum Dei ad collum.* Dico inprimis, ex hoc utroque signo fuisse habendum pro Catholico, proindéque sepeliendum in loco Sacro. Dico deinde: tum ex illo piro crudo hærente adhuc in ore, tum ex vultu, & unius, qui illum antea viderat, testificatione, constabat, esse mortuum ex fame, ergo prævidit instantem mortem. Ergo dedit non unum, sed plura palpabilia signa volentis mori Christiano ritu. Ergo potuit donari absolutione, sicut jam ab Annis plus quadraginta resolvi.

615 *Quartus* est Terentii, *qui in aquam lapsus infans de semivivus eductus, at prorsus à mente alienus putabatur exhalaturus animam*: Dico, hunc fuisse dignum impositione manuum, (ut absolutionem vocant Patres,) saltem dumodo constiterit, fuisse Catholicum non valde flagitiosum. Ratio est, quia aqua suffocat lentè hominem, relinquítque multum temporis pro anima reconcilianda cum Deo, etiam per tunsionem pectoris & gemitus, ejulatúsque ex se sensibiles, quidni ergo prudenter præsumatur Terentius aliquid ejusmodi feciſse?

APPENDIX.

Confirmo hanc doctrinam particularem luculento exemplo, & Casu, quem interprete P. Possino describo a

Ex novis Epistolis Xaverianis.

Dum iter esset nobis adhuc per Italiam, rivus occurrit ingens incerti vadi: ad eum tentandum, sua eum temeritate perurgente progressus est unus è famulis D. Legati, qui conceptum propositum suscipiendæ vitæ Monasticæ suspenderat primùm segni, & ignavâ morâ, ad extremum omiserat. Non multùm processerat, cùm impetus ruentis amnis equi vires eluctatus, eum eum equite abripuit, spectantibus & miserantibus è ripa cunctis nobis. Sed Dominus Deus noster manifesto miraculo præsenti exitio perditum subtraxit. Quem, cùm præceps vorticibus ferretur, tum maximè scrupulus angebat, memoriam ingerens omissæ opportunitatis, quam tunc frustra quantovis redemptam cuperet. Hoc ipse mihi fassus postea est, affirmans, minùs se

in tam acerbo casu consternatum horrore periculi præsentis, quàm verbere conscientiæ acriter exprobantis vitam inconsultè actam, sine ulla provisione mortis, &c.

b Hic Casus gignit verosimilem opinionem, quòd, qui aquis hauriuntur, cogitent de suis delictis, doleant de iis, atque aliquod de iis signum edant, etsi nemo sit, qui observet Quamquam novi virginem adultam, & à singulari morûm integritate commendandam, quæ effusâ è navi in profundum lacum, ac diu sub aqua luctata cum morte, denique tamen inde educta professa est, se, postquam dixit: *In manus tuas: Domine commendo &c.* identidem animo volvisse hanc ferè unam cogitationem, aut votum *Utinam esset brevi finis hujus miseriæ.*

616 *Quintus* est Tiburtii sacerdotis, non procul dissiti Constantiâ, *qui dum facto Sacro exuit vestes sacras, invaditur ab apoplexia, sitque funus intra ter Pater & Ave.*

Dico *inprimis*, illum non potuisse ex eo Titulo absolvi, quòd in accessu dixerit: *Confiteor*, aut in Canone dixerit: *Agnus Dei &c.* hæc enim non est effatus in ordine ad absolutionem. Unde Dicastillo *n. 759.* post Laymann. Dianam, Marchantium inficiatur, esse ex eo solo Titulo dandam absolutionem. At verò *secundò*, si ædituus, qui adstabat, notâsset aliquod signum contritionis, potuisset à superveniente sacerdote absolvi. Non potuisset, si ædituus negâsset, esse à se quidquam observatum signi. Si enim Tiburtius aliquod præbuisset, quidnî incurrisset in oculos, vel aures sacristæ præsentis?

617 *Sextus, Septimus, Octavus* est tum illius, qui scriptâ suâ Confessione, quam parabat paulò pòst legere sacerdoti in templo, subitò domi privatur omnibus sensibus. Laymann. *cit. Tract. 6. cap. 3. in fin.* tum à fortiori illius, qui jam accessit Confessionale, sed priusquam ullum peccatum aperiat, amittit usum omnium sensuum. Tum vel maximè illius, qui jam narrato uno peccato derepente obruitur catarrho suffocativo, putatúrque jamjam extinguendus. Hi quippe omnes sunt absolutionis beneficio donandi.

618 *Nonus* est alter Casus Viennensis. *Nam Viennæ moriebatur vir dives, & probus, qui tamen fuerat in Religione Lutheri educatus. Adsunt Lutherani, & Catholici, & dum utrique illum ad se attrahere satagunt, ille inclamat:* Deus! in re tanti momenti non me possum resolvere. Moriar in vera Religione. Utra talis sit, nescio. Tu scis. *Et sic devixit.*

Sic, inquam, devixit, teste Caramuele *cit. fundam. 46. num. 1040.* Hic fuit incapax absolutionis, quia non apparet ex hac narratione doluisse de peccatis, nedum ostendisse exteriùs ullum dolorem. Si autem illis verbis subdidisset verba Publicani; *Propitius esto mihi Deus Peccatori!* videtur potuisse absolvi, verba enim illa superiora, quæ refertur protulisse, satis demonstrabant, non fuisse pertinacem in Lutheranismo, sed duntaxat *materialiter* hæreticum.

Decimus est tertius Viennensis: *Siquidem re-* 619
ferente ibidem *Caramuele, desertus à Medicis quidam mercator, jubet sibi advocari aliquem Ministrum Lutheranum. At famuli accersunt Catholicum. Hic ut venit, laudat aliquas dotes Lutheri (nam in ipsomet dæmone sunt aliqua bona naturalia) conciliat sibi ægrotum, instruit in Religione Catholica, audit ejusdem Confessionem, dat ipsi Communionem, & usque ad ultimum anhelitum ad actus contritionis hortatur.*

Hic mercator existimabat quidem, se confiteri Lutherano (nam in multis Lutheranorum urbibus viget adhuc usus *auricularis*, ut rectè, licèt contemptim, nominat Lutherus, Confessionis) præconi, erat tamen reipsa solùm *materialiter* Lutheranus. Unde falsa opinio de persona Confessarii non vitiabat Confessionem.

Undecimus est quartus inter eos, quos de- 620
scribo ex D. Caramuele, de quodam latomo, *qui, cùm cecidisset, vixque oculos aperire posset, aliquem prædicantem postulavit. Supervenit pientissimus senex N. & ut novit, esse Lutheranum, & Wirtenbergensem, curat statim vocari Patrem N. qui erat ejusdem patriæ. Hic consolatur latomum, & ait: Si esset hic ad manum aliquis Lutheranus, posset vocari. At ille non est, & tamen vis confiteri. Sumus amici, & ego possum te melius absolvere, quàm quicunque Prædicans. Sic Confessionem extorsit, & absolvit, latomúsque obiit, antequam Eucharistiam recipere-ret.*

Et qui præsentes fuerunt, dubitârunt, an 621
bona fuerit illa Confessio, inquit Caramuel, dissimulans resolutionem hujus dubii. Ego autem non dissimulo, sed dico, probabilissimè valuisse. Quia ex una parte ambigi non debet, quin optimus ille Suevus Religiosus induxerit suum patriotam ad eliciendos actus fidei communes saltem nobis, & Lutheranis, itémque ad actus spei, charitatis, contritionis. Ex altera autem parte (quidquid aliter fortassis sentient aliæ nationes) satis nobis constat, plurimos professorum absurdissimi Lutheri sectam esse duntaxat *materialiter* hæreticos, ergo non defuit illi latomo vera fides de Deo, Christo Cœlo, inferno, &c. consequenter potuêre adesse supernaturales actus spei, dilectionis, contritionis, fundati in ea fide.

Duodecimus, quem rursum suppeditat *ibid.* 622
Caramuel his verbis: *Erat in extremis quidam hæreticus, homo bene moratus, & qui videretur* materialiter *tantùm errare. Eum visitat Pater N. & ait: Fuimus amici, sumúsque, & volo, quòd syncerè respondeas. Nonne in Religione Lutherana permanes, quia illam veram existimas? nonne illam statim relinqueres, si falsam putares? nonne doles,*

doles, te Deum offendisse? Nonne confiteris Deo te peccâsse? Et vis confiteri homini, qui te possit absolvere? Nonne mihi confitereris, si scires, te posse, & debere hoc facere? Annuit adsingula æger. Et Pater ait; Si est sufficiens ista Confessio ego te absolvo &c. Et postea quæritur, an fuerit ista vera Confessio? Si vera, an integra? an Sacerdos prudenter concesserit absolutionem? an necessariò posuerit conditionem? an verò absolutè absolvere ægrotum potuerit?

623 Hactenus narrationes, & quæstiones notissimi toto orbe D. Caramuelis, ad quas quæstiones succinctissimè respondeo, illam Confessionem fuisse (si seriò talia dixit ille bene moratus) veram Confessionem, utpote cui nihil *essentiale* defuerit. Fuisse quoque integram *formaliter*, etsi non *materialiter*. Confessarium prudenter concessisse absolutionem, & quidem *sub conditione*, si habuit ex circumstantiis rationem dubitandi, utrùm Germano, id est, minimè fucato animo prolocutus esset hæc omnia æger, *absolutè* verò, si non occurrit ratio positiva dubitandi de Germanico candore.

624 *Decimus tertius* est Tranquillini *qui adolescentem notum sibi à probitate, & tamen ex mania recusantem confiteri, denique tamen absolvit* sub conditione. Hic quidem, *speculativè loquendo*, malè fecit, at practicè rectè juxta P. Tamburinum relatum *num. 608.*

625 *Decimus quartus* Casus est Timothei, viri multò piissimi, prudentissimi, *qui catarrho suffocativo nocte oppressus in lecto surrexit, Parochum advocari jussit, qui, licèt celerrimè accurrerit, attamen reperit Timotheum ita affectum, ut dubitârit, viverétne adhuc, an jam vixisset. Quare absolvit* sub conditione, *faciens sanè, quod decebat eâ doctrinâ, usu, prudentiâ Doctorem.* Si quos Casus ex omnibus contentis in meis Alphabetis cupio inhærere memoriæ invisentium ægros, sunt, quos hìc exhibui faventiores moriturientibus.

CONFESSARIUS REGULARIS, ET REGULARIUM.

CASUS XX.

Regularis Irregularis.

SUMMARIUM.

Casus Religiosi confitentis uni è domesticis, quem falsò putabat, esse præditum potestate absolvendi. 626.
Quæ sint necessaria, ut Regularis licitè, *&* validè *excipiat Confessiones? 620. & seqq.*
Tanguntur duo Casus de præsumpta facultate Superioris. 632.
Et singulariter circa casus reservatos. 634.
Quorumnam Confessiones audiant licitè, *Religiosi? 635. 636.*
Enumerantur quinque Casus, à quibus non absolvunt, etiam præditi facultate in Casus Papales? 636.
Elucidatur singulariter materia de absolutione duellantium. ibid. in App.
P. P. Capucini habent in Helvetia peramplam facultatem absolvendi, 637.
Et ampliorem Carmelitæ. 638.
Quid intelligatur per pœnas, *à quibus privilegiati absolvere posse dicuntur? 640.*
An irregularitates ortæ ex delicto? 641.
An valeant tollere reservationem, extra Confessionem? 642.
An excipere Confessiones in itinere? 644.
Eorum absolutio an valeat in foro externo? *645.*
Observanda circa Confessiones Religiosorum iter agentium. 646. & seqq.
Et singulariter hominum de Societate. Ibid.
Et Carthusianorum, & Capucinorum. 648.
An obiens piam peregrinationem possit absolvi à reservatis? 651.
An & missus ad Collegium Societatis pro faciendis Exercitiis Spiritualibus? 653.
An missus ad suscipiendos Ordines? 655.
Quid peculiare pro iter agentibus statuant Ordinationes Societatis? 656.
Quid de Confessario Monialium statuat Congregatio Regularium? 658.
Cui confiteantur Religiosi versantes in Academiis? 659. & 662.
Aut tempore Jubilæi? 666.
An Capucini in Helvetia validè, *absolvant quosvis Regulares? Ibid.*
Quem Confessarium eliget Superior? 663.
Abbatum non Exemptorum Confessarius quis? Et Societatis Superiorum? Ibid. (664.
Novitii cui confiteantur? 666.
Oracula vivæ vocis quæ sint? 668.
Enumerantur Casus ex Bulla Clementis VIII. reservati Superioribus Religiosis. 671. & seqq.
Singulariter lapsus carnis voluntarius. 677.
Speciatim respectu Societatis Religiosorum. 685.
Explicatur peculiare Decretum Societatis circa absolutum indirectè. *690.*
Absolutio indirecta *quid sit propriè? Ibid.*
Confessarii Societatis nequeunt hominem de Societate absolvere à Casu Papali. 694.
Explicatur facultas concessa nonnullis Confessariis è Societate absolvendi à reservatis præter recidivos. 695.
Quinam intelligantur hìc per recidivos? 696.
Confessarii Collegiorum quam potestatem habeant circa votorum commutationem, aut absolutionem censurarum? 698.
Quis dispenset cum Superioribus Societatis? Ibid.
Praxis observanda, quando Confessario Religiosorum proponitur Casus reservatus. 700.
Qui se geret, si pœnitens roget illum, ut adeat Superiorem? 701.
Quandonam Religiosus Societatis teneatur se pro casu reservato manifestare Superiori? Ibid.

Quandonam censeatur Superior non rediturus ad breve tempus? 704.
Potest quandoque pœnitens absolvi ab ordinario Confessario, Quando Superior negat facultatem. 705.
Quid agendum, quando Superior nequit commodè adiri? 708.
Explicatur clausula. Hac vice, 710.
Refutantur censentes, quando ipsemet Confessarius cecidit in casum reservatum, posse dicere Superiori: Peto facultatem absolvendi aliquem à Casu reservato. *& obtentâ hac facultate uti prosè. 711.*
Quandonam Vice-Guardiani, Vice-Rectores &c. possint absolvere à reservatis? 713. & seqq.
Superior sit facilis in dandâ facultate absolvendi à reservatis. 716.
Et minimè curiosus. 718.
Praxis observanda Confessario, quando est periculum, ne Superior veniat in notitiam pœnitentis. 722.
Resolvitur peculiare dubium pro Religioso Societatis, nolente se sistere Superiori. 625.

626 *VIgilius alter è duobus ordinariis Confessariis Monasterii N. abest domo cum legitima facultate. Vitus Religiosus ejusdem Monasterii certa de causa non vult confiteri alteri Ordinario confessario. Sed accedit tertium, qui fuerat aliàs constitutus loco unius ex ordinariis, ad aliquot hebdomadas absentis. Sequuntur exemplum ejus alii plures, errorem animadvertit primùm post triduum Superior, inquirit in authorem, deprehendit, atque ex illo intelligit causam errati. Quæritur, utrùm Confessiones factæ eo triduo apud tertium illum Confessarium fuerint validæ, necne?*

627 Quæsivit hoc ex me literis quidam Prælatus antiqui Monasterii 31. Octob. Anno 1661. Respondi. 1. Valuisse absolutiones à venialibus. 2. Non valuisse, *per se loquendo*, absolutiones à mortalibus. 3. Non planè improbabiliter tamen valuisse ob errorem *communem* illius Monasterii juxta ea, quæ de jurisdictione proveniente ex errore *communi* tradidi suprà *Cas. III. num. 107.* attamen. 4. Videri repetendas apud unum ex ordinariis Confessiones, siquæ de aliquo mortali (quod avertat Deus?) factæ fuêre.

628 Cautas harum brevicularum responsionum intelliges ex decursu in hoc Casu, sub cujus titulo expediam tres generales quæstiones. *Primam*: Quos, & à quibus possint absolvere Regulares? *Alteram*: Quis, à quibus, & quomodo possit eos absolvere? *Tertiam*: Quæ specialiter observanda circa absolutionem casuum reservatorum in ordinibus Religiosis? Patebit autem ex iis, illum nostrum Casum meritò vocari à me *Irregularem*, quia præter communes Regulas, & doctrinas egit Vitus.

Quæritur I. *Quæ sunt necessaria, ut Regularis* validè, *&* licitè *excipiat Confessiones?*

Resp. Præter approbationem (necessariam pro audiendis sæcularibus, & Monialibus, non pro viris Religiosis, ut vidimus suprà *Cas. II. n. 54.*) jurisdictionem, scientiam, probitatem, seu immunitatem à peccato mortali, & à censuris, de quibus punctis tradidimus suprà necessaria, exiguntur specialiter sequentia. 629

I. Facultas Superioris Religiosi. Ita ut, licèt valeat absolutio peccati venialis, aut jam semel legitimè Confessi mortalis, quam absque licentia ulla Superioris Religiosi, impertit inferior seu subditus, attamen non valeat mortalium nunquam ante Confessorum. P. Suarez *Tom. 4. de Relig. Tr. 10. Lib. 9. Cap. 2.* Imò in omnibus bene ordinatis Religionibus punitur is, qui (extra casum necessitatis) quamcunque cujuscunque Confessionem excipit, sine ulla etiam *tacita* facultate Prælati. Miranda *in Man. Prælat. Regul Tom. 1. quæst. 45. num. 10.* Censetur autem Superior dare licentiam pro mortalibus quoque delendis, quando aliquem mittit ad Confessionale, vel ei assignat Confessionale, vel ablegat illum ad aliquam missionem. Et quando aliquis Pater jam alibi functus Officio Confessarii venit ad aliud Collegium, ibi moraturus, licèt minimè deceat, ut excipiat Confessiones sine expressa facultate Superioris, si tamen ex improviso rogaretur ab aliquo, ut ipsum audiret, aut vocaretur à sacristano ad Confessionale, ob multitudinem pœnitentium absolveret non solùm *validè*, sed etiam *licitè* saltem ex consuetudine, aut *tacita* Concessione Provincialis. 630 631

At *ille Pater est Neomysta, & nunquam ab ullo Superiore accepit potestatem fungendi munere Confessarii?* 632

Resp. Caveat audire, donec Superior *tacitè*, vel *expressè* dederit facultatem, quam non censetur hoc ipso dare, quòd, eo ignorante, rogetur ab aliquo, etiam sacristano. Sic sentio de hoc, & priore puncto, libenter mutaturus judicium, si discordet à judicio sapientum.

II. Singulariter autem est sine facultate Superioris irrita absolutio illorum Casuum, quos relaxandi privilegium tribuit Pontifex. nec enim conceditur à Pontifice, nisi personæ designatæ à Superiore Religioso. Suarez *loc. cit.* observante Laymanno *Lib. 5. Tr. 6. Cap. 10. n. 16.* quando Superior solet obeuntibus aliquod certum ministerium, e. g. aliquam missionem, tribuere aliquam ampliorem facultatem, illâ eâdem uti posse eos, quos applicat ad id ministerium, esto non dicat e. g. *Impertio tibi omnes facultates, quæ dari solent Missionariis.* 633

III. Quòd si Superior dedit cuipiam facultatem Confessiones audiendi, non censetur eam vel generatim, vel in particulari revocare, quando præcisè dicit: *Prohibeo tibi, ne audias hodie, ne audias amplius Confessiones.* Sicut 634

enim lex prohibitiva non est hoc ipso irritativa actûs, ut in materia *de Legibus* fert communior Theologorum contra Juristas, ita neque mandatum inhibitorium. Ergo debet Superior manifestiùs loqui. Suarez *loc. cit. num. 7.* practicè hoc explicans. Aliud est, quando Superior quempiam ferit suspensione, excommunicatione, aut declarat ineptum ad munus Confessarii. Tannerus *Tom. 4. Disp. 6. q. 9. dub. 3.* 635

Quæritur II. *Quos, à quibus peccatis, & censuris, atque ubi possint absolvere Religiosi?*

Resp. 1. Religiosi Ordinum Mendicantium possunt absolvere (etiam pro foro *externo*, eo sensu, quem ex P. Lessio expressi suprà *Cas. III. num. 143.*) quoscunque Christi fideles ubique terrarum, à quibusvis peccatis, sententiis, pœnis, & censuris etiam Sedi Apostolicæ reservatis, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ Domini, ut liquet ex libris, seu libellis, aut compendiis Privilegiorum, & nominatim ex nostro *verb. Absolutio, & V. Hæresis*, in cujus annotatione exprimitur, hanc facultatem concedi omnibus nostris, à Superiore deputatis, quam tamen potest Superior limitare, Suarez *cit. cap. 2. n. 6.* explicans modum, sicut & in eodem nostro *Comp. V. Bulla Cœnæ* exprimitur, Casum hæreseos, etsi contentum in eadem Bulla, nihilominus posse tolli per nos. De quo vide etiam Ysonem Pfavv. *in Collectar. fol. 122.*

636 II. Excipiuntur tamen ex illa tam ampla facultate tum Religiosi, horum enim Confessiones nullus etiam Regularis *validè* excipit, nisi permittant Superiores volentium confiteri. Infrà *num. 658.* tum quinque casus, qui extra Bullam Cœnæ positi non comprehenduntur illâ tam generali, & illimitatâ potestate, ut sunt excomunicatio contracta. 1. Ob percussionem Clerici. 2. Ob violationem clausuræ Monialium, ob malum finem. 3. Ob provocationem ad duellum, secutâ pugnâ. 4. Ob Simoniam *realem* scienter commissam. 5. Ob confidentiam beneficialem. Vide Quarantam *verb. Casus reservatus.* Dicastillum *d. 11. dub. 15. num. 249. & seqq.* & Pellizarium *Tom. 1. Tract. 6. cap. 2. num. 18.* tum denique Casus Episcopales juxta ea, quæ dixi *Cas. VIII. num. 374.* Sicut vice versâ quidam Casus Bullæ Cœnæ cadunt sub potestatem quorundam Regularium ex speciali privilegio, ut est casus rapientium bona naufragantium. Item hæreticorum. Item legentium libros hæreticos.

APPENDIX.

a Cum Theologiæ Professor, de quo *Cas. VIII. in Append. ad num. 375.* legisset illa particularia, quæ hoc *num. 636.* scripsi de vetita etiam Mendicantibus absolutione à duello *pugnâ secutâ*, sic ipse ad me: Occurrit dubium circa reservationem Casuum Clement. VIII. de quibus R. V. facit mentionem *Cas. XX. num. 636.* inter quos ponit provocationem ad duellum, sed *secutâ pugnâ*. Verùm ab hac doctrina videtur dissentire Filliuc. *Tr. 19. Cap. 23. num. 171.* & Cardinalis de Lugo *Lib. 2. respons. mor. dub. 2 num 5.* ubi cum aliis, pro se citatis, asserit, vi Constitutionis Clementinæ esse reservatam provocationem ad duellum, quamvis non secutâ pugnâ. Deinde idem Filliucius, citans pro se viros doctissimos, concedit Religiosis, habentibus potestatem absolvendi à Casibus Papalibus, competere etiam potestatem absolvendi à duello etiam solenni. P. Laymannus. *Lib. 5. Tr. 3. Cap. 5. num. 4.* existimat, à censura in duellantes lata excusari, sed non satis explicat, an de privato solùm loquatur. P. Busenbaum *Lib. 7. Cap. 1. dup. 5 resol. 4.* apertè docet, extra Italiam, & in urbe Regulares posse absolvere duello concertantes sicut poterant ante Constitutionem Clementis VIII. atque idem ait dicendum de *similibus Casibus.* Non intelligo autem, quid per *similes Casus* intelligat. Ita ille.

Respondeo autem, esse probè notandum discrimen inter casus excommunicationi subjectos, à Clemente VIII. & inter ita reservatos, ut ne quidem Privilegiati possint ab iis absolvere. Etenim Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit. *Illius vices*, & est undecima apud Cherubinum *Tom. 3. Bullarii*, ferit quidem anathemate omnes milites, *qui justo bello indicto contra alium in hostium castris degentem privatas simultates privatæ causæ intermiscendo ex condicto ad singulare certamen descendunt, provocant.* At verò licèt alios quantumvis extra bellum committentes, seu privata, seu solennia duella, excommunicet, exprimit tamen, se renovare Constitutiones, & Decreta Gregorii XIII. & Tridentini Concilii. Atqui Gregorius in Bulla *Ad tollendam*, quæ est apud Cherubinum 78. disertè loquitur de iis, qui *in Loco convento Monomachiam commiserint.* Tridentinum verò Concilium *Sess. 25. Cap. 19. de Reformatione* de iis, *qui pugnam commiserint.* Idcircò non sunt censendi incurrere excommunicationem, qui extra bellum provocant ad qualecunque duellum, si non sequatur pugna. Ita etiam Lugo *in Respons Moral. Lib. 2. dub. 2.* post hæc jam luci data à me visus. b

Sed esto dicamus, ad excommunicationem c *actu* incurrendam, sufficere generatim provocationem, non tamen sequitur, esse Religiosis Mendicantibus ablatam potestatem absolvendi taliter excommunicatos. Etenim Quaranta *verbo Casus reservati. §. Cùm autem dubia*, testatur, eundem Clementem VIII. vivæ vocis oraculo declarâsse, quòd dubia orta circa absolutionem Casuum Pontificiorum inhibitam Regularibus, & nominatim in duello, intelligenda sint juxta Decretum Concilii Tridentini, & Constitutionem Gregorii XIII. quæ quia clarè loquuntur de *actuali* pugna, debet Constitutio Clementina superiùs adducta intelligi (in ordine ad

vetitam

vetitam absolutionem) de solis *actualiter* certantibus, quandoquidem Declaratio, quam retuli ex Quaranta, edita fuit Romæ Año 1602. at Constitutio ipsa Clementis jam emanârat 2. Septemb. Anno 1592. atqui *Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt*, text. *in Leg. 4. ff. De Constit.*

Atque ita sentit ipse quoque Cardinalis de Lugo *loc. cit n. 5.* Laymannum quod attinet, loco, qui nominatur in literis, loquitur satis apertè de solo duello *privato*, & propterea *Cas. XVIII. num. 573.* illum allegavi in favorem Germanorum, non habentium pro Casu specialiter reservato concertationem in duello *privato*. Quod præterea refertur ex Busenbaum, id ipsum tradit & Laymannus *cit. n. 4.* referens etiam pro se Filliucium, Reginaldum, atque Marantam. Verùm nihil ejusmodi reperio in Quaranta, seu, ut habet mendosa editio Laymanni, *Maranta*. Sed quidquid sit de Maranta, videntur mihi Germani sequi in praxi illam doctrinam Patris Busenbaum. Ego quippe censeo, non vivere è centum Religiosis Mendicantibus unum, qui aut legerit, aut lectam retinuerit in viva memoria Declarationem, seu exceptionem quinque Casuum, quos expressi post Quarantam, Dicastillum, & Pellizarium, quos quinque Casus designat Busenbaum, dum *loc. cit.* loquens expressè de solius duelli absolutione addit, esse idem dicendum de *similibus Casibus*.

637 Quamvis autem *quarta* sententia inter prohibitas 24. Septemb. Anno 1665. reservetur his verbis: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa*, nihilominus tamen describuntur à P. Bonagratia Habsensi *in Summula verbo Missio*, ampla sanè privilegia concessa à Congregatione de propaganda fide Reverendis Patribus Capucinis Missionariis in Helvetia (incommunicabilia, ut reor, aliis, ea etiam de causa, quòd, ut refert idem Autor, egeant de quinquennio in quinquennium novâ confirmatione) quæ inter *secundum* locum obtinet potestas absolvendi ab hæresi, apostasia à fide, & Schismate quoscunque etiam Ecclesiasticos, *tam seculares, quàm Regulares &c. Tertiò* potestas absolvēdi à Casib⁹ Sedi Apostolicæ reservatis etiāin Bulla Cœnæ Domini contentis primò conversos ad fidem Catholicam tantùm, remissis aliis ad Nuntium Apostolicum. Et quia idem P. Habsensis *ibidem* expressè scribit, totam provinciam ipsorum Helveticam esse Missionem, utpote quaqua versùs circumdatam, & permixtam hæreticis, idque asserit P. Ignatius Rheinfeldensis *in suo Itinerario Ierosolymitano pag.* mihi 249. sequitur, ipsorum Patrem Provincialem posse cuilibet è Provincia Helvetica (quæ ante divisionem Anno 1668. factam continebat ultra totam Helvetiam maxima ex parte Sueviam, Brisgojam, Alsatiam, Rauraciam) sui Ordinis Religioso sacerdoti conferre illam potestatem, est quippe P. Provincialis Præfectus Missionis, ut observat idem Scriptor.

Ampliorem absolvendi à prædictis casibus potestatem concessit Clemens VIII. Patribus Carmelitis Discalceatis, quia extensam à Regno Persarum ad Regna, & loca Galliæ, Flandriæ, Germaniæ, Poloniæ, & alias partes ubi hæreses grassantur, non obstante, quòd ibi morentur Catholici, ut videre est partim apud dictum P. Habsensem, partim apud Augustinum à Virg. MARIA *in Compendio Privileg. Regul. verbo Missionarii num. 17. in princ. & sub fin.* Hanc potestatem absolvendi ab hæresi, & cæteris casibus expressis in utroque Privilegio non designari per Congregationis verba prohibitiva, quæ descripsi superiùs, patet ex speciali exceptione, quam exhibet Habsensis in singulari *Advertentia* præfixa *Summulæ vers. Cùm Sanctæ Sedis in fin. edit.* 1. Hoc certum est, stante illo eodem Decreto, tot opinionum hactenus impunè defensarum inhibitorio, nefas esse docere, quòd generatim Prælati Regulares possint absolvere ad hæresi occulta, indéque secuta excommunicatione. At verò non repugnaret huic Decreto, qui scriberet, aliquos ejusmodi Prælatos, e. g. Missionariorum Præfectos, id juris habere ex speciali Privilegio, non fundato in Bullis, aut Congregationum responsis, quibus nitebantur ii, qui eam potestatem tribuebant indiscriminatim Prælatis Regularibus.

III. De pœnis, à quibus absolvunt Mendicantes vi Privilegiorum, refero, quod non nemo perdoctus ad me scripsit die 21. Octob. Anno 1664. his verbis: *Deinde* (nam proposuerat priùs Casum novissimum, petens meum de illo judicium) *multoties mihi jam molestus occurrit paragraphus primus in compendio nostrorum Privilegiorum, ubi conceditur potestas absolvendi ab omnibus peccatis, censuris*, & pœnis. *Scio, quòd dicant, hic non comprehendi irregularitates, quia hæ non absolvuntur, sed dispensantur. Scio etiam, quòd nullum verbum in dispensationibus legitimis, & maximè Privilegiis debeat esse frustra positum. Neque invenio, cur non verbum* Absolvo *potiùs, quam nomen* pœna *sumendum sit impropriè. Praxis, & usus obstat huic interpretationi, sed usui, & praxi jactatum, & ante memoratum passim celebre Axioma.* Ita ille.

Resp. Abundans cautela non nocet *L. Testamentum. C. De testam.* nec inutilis est clausula, quæ apponitur ad ostendendam enixam voluntatem statuentis. Glossa *Clement. 1. verb. Diœcesani. De jure patron.* Sanch. *Lib. 5. Summ. Cap. 4. num. 19.* Deinde per pœnas intelliguntur pœnæ non *medicinales* (ut sunt censuræ) sed *vindicativæ*, non quidem perpetuæ, aut ad tempus omninò determinatum, sed vel indefinitè ad arbitrium imponentis, vel licèt assignetur terminus, semper est tamen cum subordinatione ad arbitrium Superioris, ut si persona meruerit, possit antè personam absolvere à tali pœna. Suarez *cit. cap. 2. num. 46. & 50.* Palaus *Tr. 23. p. 14. num. 16.* vel, ut placet Pellizario *Tom. 1. Tr. 8. Cap. 3. num. 88.* etiam illæ pœnæ *Ecclesiasticæ*, quæ sunt privationes officiorum, dignitatum, graduum, vocis activæ, & passivæ, aliæque similes pœnæ in Bullis Pontificiis ferri solitæ contra Ecclesiasticos etiam Regulares. Vel denique etiam irregularitates ortæ ex delicto. 641 Thomistæ communiter apud Joseph. Gibalinum *De Irregular. Cap. 6. quæst. 5.* latè iis subscribentem. Item Henriquez & Gutierez apud eundem Suarez *loc. cit. num. 41.* contradicentem cum communi, & enumerantem *ibidem* irregularitates illas. Quæ explicatio etsi mihi nondum *absolutè* probatur, non video tamen, cur in casu necessitatis non possit esse ei locus, ut rectè Henriquez *Lib. 7. de Indulg. cap. 13. num. 6.* & sic verba *Absolvo* & *Pœnæ* accipientur satis propriè.

642 IV. Facultate absolvendi à peccatis non possumus uti, nisi auditâ diligenter Confessione, ut loquitur Paulus III. in Bulla *Cùm inter cunctas*, adeóque nec tollere (cùm simus solùm subdelegati) reservationem, nisi auditâ saltem parte (omissâ forsan, ob justam causam, integritate) Confessionis. Lessius *in auctario verb. Absolutio Cas. 6. & 8.* at possumus à censuris, etiam non præviâ Confessione. Suarez *loc. cit.* Lessius relatus suprà *num. 143.* Laymannus, alii communiter contra alios, sed sufficit, modò pœnitens fateatur suam culpam, & velit satisfacere. Quamvis Laymannus rectè notet, non esse facilè ita procedendum. Nec officit doctrinæ relatæ ex Suarez, quòd nequeamus, ut paulò antè dictum, absolvere à reservatis, nisi auditâ Confessione, casus autem Papales non reserventur, nisi ratione censuræ iis annexæ, seu ob annexam censuram, ut cum communi Laymanni *Cap. 12. num. 2.* dixi superiùs. Respondendum enim est, doctrinam de necessitate Confessionis, respectu reservatorum, intelligi de Casibus, qui sunt per se unicè reservati, non autem, qui ob, & unà cum reservata censura subjecti jurisdictioni solius Superioris. Adeóque locum habet illa Lessiana doctrina, respectu casuum Episcopalium, à quibus nos in hoc Episcopatu absolvimus ex speciali Privilegio. Etsi verò Pœnitentiarius Diœcesanus pollet jure absolvendi in foro conscientiæ, ut nos hîc Constantiæ, à Reservatis Illustrissimo Episcopo, illáque facultas concedatur sine limitatione *auditis Confessionibus*, eâ tamen nunquam fui usus extra forum *Sacramentale*. Et mallem impeditus ab audienda Confessione subdelegare designato à me (juxta dicta *n. 103.*) potestatem absolvendi etiam à reservatione, quàm ego ipse tollere.

643 V. Possumus autem ubivis locorum usurpare illud Privilegium, *sine alicujus præjudicio*, ut habet Privilegium Pauli III. *Ibid.* Fiet autem sine cujusquam præjudicio, si volentes extrà nostras Ecclesias hoc Sacramentum administrare petamus ab Episcopo, ejus Vicario, aut loci Parocho facultatem, ut declarat P. Laymann. *Lib. 5. Tr. 4. Cap. ult.* Et quamvis hanc facultatem negarent illi, censent tamen varii, haud idcirco fore irritas absolutiones, etenim probari nequit, illam clausulam: *Sine præjudicio alicujus*, spectare ad substantiam actûs. Hoc indubitatum est, quando transeuntes per 644 aliquod oppidum, pagum &c. etiam alterius Diœcesis (propter Privilegium Gregor. XIII. de quo Lugo *d. 21. n. 43.*) divertimus ad amicum, aut publicum hospitium, si quis petat, se in loco decenti audiri confitentem, *licitè, validéque* audiri à nobis. Nec potest rationabiliter ægre ferre Parochus, si postquam in ejus Ecclesia fecimus Sacrum ex ejus licentia, excipimus ibidem Confessionem unius, alterius ve casu adventantis, secùs, si sæpe. Eucharistiam ministrare nollem ex Ciborio sine expressa, vel rationabilissimè præsumpta licentia.

VI. Absolutio à censuris, quam dant Re- 645 ligiosi, valet etiam in foro *externo*, non quidem ita, ut Judex Ecclesiasticus nequeat, cognitum delictum plectere pœnâ commeritâ, etiam post Confessionem, sed ita, ut absolutum à censura, qui post absolutionem se gessit perinde, ac si nullam censuram incurrisset, non debeat punire propter tales actus, modò sint sine scandalo exerciti & constet testimonio Confessarii, fuisse absolutum. P. Suarez *cit. Tr. 10. Lib. 9. Cap. 2. 39.* tradens tamen, quòd in rigore possit idem judex plectere illos actus. Consentit P. Pellizarius *Tom. 2. Tr. 8. Cap. 3. n. 81.* sed utique pius, & clemens judex declinabit in partem humaniorem juxta *Cap. fin. De transact.* Vide P. Lessium relatum suprà *n. 144.*

APPENDIX.

Dictis de potestate absolvendi delegata Regularibus non importunè jungo responsum ad hoc

Quæsitum Majum.

Hoc enim mense Majo interrogatus literis à sacerdote nostræ Societatis commorante in Diœcesi multùm diversa ab hac: An quia Reverendissimus Ordinarius N. Anno præcedente, seu 1672. confirmavit nostris illic Patribus potestatem absolvendi ab omnibus casibus Episcopalibus, idemmet autem Ordinarius hoc Anno 1673. duos, vel tres novos casus per edictum publicum sibi reservavit, possint iidem nostri Patres vi præcedentis confirmationis absolvere etiam ab hîce tribus novis?

Respondi posse, tum quia sicut dispensandi, ita etiam vel maximè absolvendi potestas

stas est amplè interpretanda per Regul. XV. *in 6.* referendáque etiam ad futura. Tuschus *lit. C. conclus. 49.* adeóque reservandos. Tum quia Pontifices Romani posteriores reservârunt sibi, & reservabunt adhuc multos casus novos, pro quorum absolutione nec recurrunt ad Pontificem, nec recurrent ii Regulares, qui abhinc centum, ducentos Annos accepêre amplissimam facultatem absolvendi ab omnibus Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, nisi fortè aliquorum fiat limitatio, qualem circa nonnullos Papales expressi suprà *num. 636.* Vide Peckhium *in Regul. XV. in 6.* ubi ait, quòd lex correctoria, quia est odiosa, nequidem ob identitatem rationis admittat extensionem.

646 Quæritur III. *Quænam observanda sint circa Confessiones Religiosorum peregrinantium, absolutionesque eorundem.*

Resp. seqq. I. Quando plures ejusdem Religionis simul iter faciunt, estque unus ex iis Sacerdos, potest eos confitentes audire, ut ex communi consuetudine testatur Laymannus *Lib. 5. Tr. 6. Cap. 10. n. 20.* consentiúntque DD. citati, & citandi, referente P. Tamburino *de Sacram. Lib. 5. Cap. 11. §. 1. n. 34.* responsum, à R. P. Mutio ad Provin. Tolet. datum: quòd scilicet, si forsan in itinere unus Sacerdos de nostris occurrat habentibus secum socium Sacerdotem, non possint ii confiteri illi occurrenti. 647 Cæterùm Sacerdos, cui legitimè confitentur, potest eos *absolutè* absolvere ab omnibus peccatis, à quibus Ordinarius Monasterii, aut Collegii, ad quod spectant, Confessarius. At verò à reservatis non poterit, nisi cum onere se sistendi Superiori loci, vel à quo exiit ille peregrinus, si pergat adhuc pertinere ad illum locum, vel ad quem tendit, si in hoc est fixurus domicilium, ut habent nostræ Societatis Ordinationes, suadétque ratio. An verò debeant petere iteratam absolutionem, dicam *num. 691. 2.* 648 Si Regulares itinerantes non habeant copiam Confessarii ex suo Ordine, tunc plerumque *licitè, validéque* confitentur alteri Sacerdoti seu Regulari, seu sæculari etiam non approbato, ut itidem fert usus, & DD. consensus. Excipe *primò* probabiliter Reverendos Patres Carthusianos, etenim in statutis ipsorum *Part. 2. Cap. 7. §. 20.* leguntur hæc verba: *Nulli Sacerdoti extraneo sivè sæculari, sivè etiam Regulari poterunt aliqui nostrùm* licitè *confiteri, nisi Priorum licentiâ impetratâ, quam quidem licentiam Priores absque causa multùm rationabili* (pro qua sum ego expertus haberi missionem ad Sacros Ordines suscipiendos in loco distante à Carthusia non plus sex horis) *non concedant. Vel nisi quis ostenderit, se habere Privilegium sibi datæ potestatis à Domino Papa, expresso nomine Ordinis Carthusiani.* Excipe *secundò* certò Patres Capucinos, nam Pater Hablensis *in Summula verb. Confessarius num. 96.* testatur, fuisse sibi interroganti responsum à duobus Patribus Procuratoribus Generalibus, consuetudinem Ordinis ita habere, ut nec quidem, quando quis ex illa piissima Religione agens iter incidit in mortale, *validè* possit ab eo absolvi per Confessarium non Capucinum. Ac proinde, quando est illi itineranti necessariò faciendum Sacrum, posse, & debere se gerere perinde, ac si omnino abesset copia Confessarii, esto non desint alii aliorum Ordinum Religiosi, aut sæculares. Quare dissentit à P. Caspensi rato, Confessionem mortalis non reservati faciendam tunc esse apud externum Confessarium, si habeatur. Et revera ita loquitur P. Habsensis, ut videatur negare, faciendam esse Confessionem etiam venialis, ut, hoc *directè* absoluto, *indirectè* tollatur mortale. Quod quidem si revera negat, difficile mihi videtur, non tamen improbabile, modò constet ita vigere universalem Ordinis consuetudinem. Absit enim, ut imiter ulla ex parte eos, qui aulu planè temerario damnârunt nonnulla ex iis, quæ liquidò sciverant, esse comprehensa nostris Constitutionibus, probatáque judicio, ac praxi sanctissimorum, doctissimorum è nostris Patribus, totiúsque planè Societatis, & ipsorummet Summorum Pontificum.

Cæteros Regulares quod attinet, intelligunt communiter DD. superiorem doctrinam de libertate confitendi cuilibet sæculari quoque Sacerdoti, etiam casu, quo Religiosus itinerans incidit fortè in Confessarium sui Ordinis. Suarez *cit. Tom. 4. Tr. 8. Lib. 2. Cap. 17. n. 8.* Ascanus Tambur. *de Iur. Abb. Tom. 2. d. 6. q. 6. num. 7.* loquentes generatim. Quod nescio, an locum habeat in nostra Societate. Nam in Ordination. General. *fol. 31.* de peregrinantibus dicitur, eos posse confiteri etiam externis, *si desit Sacerdos de Societate approbatus.* Quidquid sit, talis Confessio fit communiter 649 in aliis Religiosis familiis sine jure petendi absolutionem à reservatis. Diana *Part. 3. Tr. 2. res. 119.* Miranda *in Man. Tom. 2. q. 33. a. 6. concl. 2.* aliique communissimè contra Peregrinum. etenim sub generali facultate confitendi, & absolvendi nequaquam intelligitur facultas reservatorum, utpote valde specialis. Quam specialem facit nobis Ordinatio, de qua paulò antè, sed cum onere, de quo *num. 691.* dicam. Si tamen Casus non sit reservatus in loco, in quo confitetur, & desinat Religiosus esse sub potestate Prælati Casum reservantis, utpote mutans Monasterium, reservatum tollet integre Confessarius novi Monasterii. Stephanus de Aluin *in Tract. de potest. Episc. Cap. 22. num. 7.*

At, *quid si Religiosus quispiam mittatur à Superiore ad sacratissimum opus? de quo secunda ex his.*

Duabus

Duabus Quæstionibus.

651 Quæro 1. *Virùm Religiosi, qui huc* (Oetingam, locum prodigiis Virginis Matris longè celeberrimum) *peregrinatum veniunt cum Superiorum suorum facultate, possint absolvi à reservatis? 2. An, qui obeunt ex iis apud nos Exercitia Spiritualia, itidem valeant percipere absolutionem reservatorum?*

652 De his duabus quæstionibus rogatus per literas sententiam; Respondi ad *primam* negando, ad *alteram* affirmando. Negavi *primam* partim ob communem doctrinam paulò antè traditam, partim quia revera timendum esset (si valeret talis absolutio) ne Religiosi aliqui liberiùs tantò peccarent, aut reservata subticerent, & post peccata repetita extorquerent etiam cum incommodo Monasterii copiam peregrinandi. Partim quia revera, qui multùm peregrinantur, rarò sanctificantur. Peregrinatio est plurimis vicem magnæ relaxationis, & gratiæ carnalis, ut ita dicam, cur igitur cumuletur privilegio confitendi *absolutè* reservata?

653 Ad *alteram* quæstionem, de cujus objecto aliquid adhuc proferam *Tract. seq. n. 864.* respondi, respondeóque *affirmativè*, quia sicuti, cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest *Leg. 2. ff. De Iurisd.* ita cui fit facultas specialis obeundi, extra suum cœnobium, tam eximiè salutarem animo, tam probatam Deo, & Cœlitibus functionem, id est renovationem integram sui ipsius, convenit, ut etiam concedantur necessaria, aut valde opportuna ad illam. Necessaria est autem integra expurgatio sui ipsius, quæ fit per Confessionem (præmittendam Communioni necessariæ ad lucrandam Indulgentiam oblatam Exercitantibus) omnium, quæ animum reddunt inquietum, ut vel maximè reddit conscientia onerata criminibus reservatis. Ob quam exonerandam, si quis postulet gratiam includendi seipsum carceri octiduano, quidni mereatur & illam, de qua loquimur?

654 Alia ratio est Religiosorum, qui intra proprii Monasterii (ut sanè hoc sæculo plurimi collætantibus Angelis (aut Collegii septa sese recolligunt quot Annis, habent enim ad manum Superiorem, à quo vel per se, vel per Confessarium facilè impetrabunt illud beneficium, ad quod se facillimos præstant, qui se Patres, non autem Despotas esse meminerunt. Nec uli culpæ affines erunt, licèt conscii sibi peccati reservati dicant pridie Exercitiorum præcisè Superiori: Peto pro majore meo solatio facultatem, ut per Confessarium possim absolvi, *Si fortè incidi in aliquod peccatum reservatum.*

655 His omnibus scriptis reperio in meis adversariis Responsum R. P. Claudii Aquavivæ Generalis ad Provinciam Neap. Ann. 1584. datum his verbis: *Cùm permittitur, ut nostri alibi faciant Exercitia, permittitur, ut ibi absolvi possint à reservatis, non consulto Superiore ejus loci. Debent tamen se sistere Provinciali, si habeant, quod illum scire oporteat.*

An verò missi ad suscipiendos Sacros Ordines *validè* absolvantur à reservatis, dubito; non ambigens quidem de saltem *indirecta* absolutione, at de *directa.* Quare interrogarem ego ipsos de facultate data. Asserentibus haberem utique fidem. Ignorantes, an habeant saltem *tacitam*, non absolverem sine onere te sistendi habenti in Monasterio potestatem in reservata.

Quando iter faciens divertis ad locum tui 656 Ordinis, teneris confiteri non cuilibet, sed aut tuo itineris socio, si etiam illuc tecum divertit aut uni ex ordinariis Confessariis illius loci. P. Suar. *cit. c. 17. n. 4.* Ascan. Tambur. *cit. q. 6.* tametsi P. Palaus *Tr. 23. Punct. 15. §. 5. num. 19.* negat, assentiente P. Tamburino *cit. §. 2. n. 23.* & approbante consuetudine nostræ Provinciæ, non sine suffragio Ordinationis Generalis, de qua suprà (nisi fortè Rector itinerans habeat secum socium sui Collegii, ut habet Declaratio facta Ann. 1572. cui adde id, quod *n. 698. §. 3.* refero ex P. Quintana devenna) posse) tunc confiteri socio itineris, è diverso addens, si nequit confiteri ordinario, posse cuilibet approbato ex illa domo, seu Collegio. Quidquid sit, nullus horum poterit à Casu re- 657 servato te absolvere, nisi cum onere sistendi te Superiori, ad quem iturus, aut rediturus es, ut nominatim de nobis traditur in nostris Ordinationibus Generalibus *fol. 51.* ubi tamen additur, peregrinum manentem per mensem in uno Collegio posse, & debere absolvi à Superiore illius Domicilii. Sicut integre absolves rerum reservati in suo, non autem in tuo Monasterio. Pellizarius *Tom. 1. Tr. 6. Cap. 1. n.* 657 *56. Invalidè* confiteri mortalia (venialium alia est ratio) cuiquam, nisi approbato ad id à suo Superiore, rectè ex communi tradit Tamburinus *de Sacram. Lib. 5. Cap. 7. §. 7. num 15.* demonstrátque Suarez *loc. cit. cap. 15. & seqq.* propter hanc generalem rationem, quòd, licèt Ordines Mendicantes potiantur Privilegio absolvendi *quoscunque Christi fideles*, attamen Pontifices nunquam illud extenderint ad Fideles Religiosos, qui à suis Moderatoribus non habent facultatem se subjiciendi alteri. Multò minùs eos *validè* audient sæculares. Notat verò Stephanus de Aluin *in Tract. de potestate Episcop. Cap. 24. num. 8.* esse à Congregatione Regularium Decretum, ut Episcopus possit dare Confessarium Monialibus, quæ Regularibus subjectæ sunt, quæque nullá ratione induci possunt, ut suis Regularibus confiteantur. Addit idem author *Cap. 25. num. 1.* Monachos simplices posse confiteri Abbati, aut Priori, aliive præscripto, innuens, & meritò, non exemptos Monachos *validè* confiteri, *per se loquendo*, Episcopo, quidni & Pœnitentiario Diœcesano?

Religiosi Academici, qui commorantur 659 (ita censuêre, & contingentiâ facti probavê-

reviri sapientes à me literis interrogati) in Academiis studiorum gratiâ, aut qui mittuntur ad Sacros Ordines suscipiendos. *invalidè* absolvuntur à Religiosis alterius Ordinis, quàm designavit ipsorum Prælatus. Sicut & *invalidè* omnes, qui, præter Prælatorum voluntatem, volunt uti Privilegiis Bullæ Cruciatæ implentis libros scriptorum Hispanorum, & ignoratæ quidem, Germanis sed sine horum damno. Vide singulariter de hoc puncto Cardinal. de Lugo *Disp. 20. Sect. 9.* fundamentalissimè hoc
660 demonstrantem contra aliquos. An verò tempore Jubilæi eligant sibi *licitè, validéque* Confessarium pro arbitrio etiam Alumni Ordinum habentium, sicuti nostra Societas minima à Sede Apostolica, speciale Privilegium, ut eorum subditi nequeant absque ipsorum consensu uti Privilegiis Jubilæorum, indicavi *in Quinario Tract. de Jubilæo Quintuplici Cap. 31.* Hìc noto, licèt *n. 638.* retulerim, Patres Capucinos in Provincia Helvetica gaudere, utpote Missionarios Apostolicos, continuâ potestate absolvendi *quasvis etiam Ecclesiasticas & Regulares* personas ab hæresi, aliisque peccatis, haud tamen posse exercere hanc potestatem in homines Societatis nostræ c. g. nisi hi à suis Superioribus impetrârint facultatem confitendi ipsis. Si enim nos nequimus frui Privilegio Bullæ Cruciatæ, munitæ tam exaggeratis clausulis, nisi permittant nostri Superiores, sicuti demonstrat Cardinalis de Lugo, & alii, quantò minùs poterunt se suopte solorum nutu subjicere hisce Missionariis? Et utique vergeret illud Privilegium in dispendium disciplinæ Religiosæ, si tam lata fieret ejus interpretatio. Idem dic de Patribus Carthusianis, dè quibus *num. 648.* quorum Privilegio gaudet Societas.

661 4. In facultate confitendi alteri non involvitur facultas absolvendi à reservatis, ut jam dixi suprà. Quare tali casu gravatus, & simul necessitate sacrificandi, aut communicandi pressus vel penitus omittet Confessionem, vel illi Confessioni, quam faciet, jungetur, aut non jungetur Confessionem reservatorum, juxta sententias relatas *Cas. VIII. n. 379.* in nostris Generalibus Ordinat. *fol. 51.* approbatur doctrina sentientium, esse faciendam Confessionem etiam reservatorum, sed cum onere sistendi se Superiori, eo modo, quem indicabo *num. 690.*

662 Utrùm verò Religiosi studentes in Academiis, aut aliàs commorantes extra Monasteria possint accipere absolutionem *directam* à reservatis, decidendum est partim ex dictis suprà *n. 659.* partim ex sola speciali facultate, etenim DD. citati tradunt sine distinctione, in facultate alteri confitendi non contineri jus petendæ absolutionis à reservatis. Expediret dare commorantibus procul à suis Monasteriis.

663 5. Superiores Regulares possunt quidem vigore *Cap. Ne pro dilatione. De pœnit. & remiss.* eligere sibi Confessarium quemlibet Regularem, vel sæcularem, cui capitulo non derogatur per Bullam, aut Statutum derogans *quibuscunque* Privilegiis, nam facultates insertæ Corpori Juris sunt quid excellentius Privilegiis. Diana *Part. 3. Tr. 2. Resol. 1.* ex communi contra Peregrinum, exprimente Stephano de Aluin *de potest. Episc. Cap. 25. num. 1.* Abbatum non exemptorum Confessarium esse quidem Episcopum, quia tamen Episcopi nequeunt ordinariè illos audire, ideo permitti ipsis, ut & Prioribus, electionem Confessarii. Spectanda tamen in his omnibus recepta consuetudo, atque statuta. Et quidem in nostra Societate locum non habet decisio illius capituli 664
quia deficit apud nos generatim illius ratio, scilicet periculum animarum, ut potest Suarez notat Dicastillo *Disp. 11. dub. 16. n. 281.* cùm nostri PP. Rectores, ac Provinciales habeant ad manum Confessarios deputatos à Generali, ac Provinciali pro casibus reservatis, non tamen privati jure constituendi etiam sæcularem Sacerdotem, qui ipsorum subditos *validè* absolvat tam à reservatis, quàm non reservatis. Diana *loc. cit.* loquens ex communi de Prælatis Religiosis generatim, & Lugo *Disp. 20. Sect. 5. n. 67.* speciatim de Societate. Aut qui eosdem Superiores quoq; absolvat, sed solùm à non reservatis. Idem Lugo *n. 66.* Thom. Tambur. *cit. cap. 1. §. 1.* in qua limitatione existunt deterioris conditionis quàm eorum subditi. Dicastillo *loc. cit. n. 289.* faciens etiam inhac materia, ut sæpe aliàs, cum Cardinale cæremonias tergiversati vas, tandem tamen jungens ipsi dextram. Singulariter autem est providentiæ immediati Su- 665
perioris, ut, si mediatus non designet utrique ordinario domûs Confessario tertium, ipse immediatus id faciat, si alteruter id petat. Cur enim ipsi habeant solùm unum: Conventus verò etiam Parvi, (ut contendit P. Thom. Tambur. *cit. Cap. 7. §. 2. n. 36.* contra Suarez) duos, conformiter Bullæ Innocentii X. ? non tamen ita amplè intelligendæ, ut, quando alter ex ordinariis abest domo sex, vel octo dies, oporteat mox alterum ei substituere. Cùm enim illa Bulla sit correctoria Juris nostri solenissimè confirmati à tot ipsius antecessoribus, est restringenda, non amplianda, sicut aliquando respondi cuidam P. Rectori, me literis interroganti, probátque praxis.

6. Novitii possunt æquè *validè* confiteri 666
alicui Sacerdoti, etiam sæculari, ac si non essent Novitii. Diana *cit. Tr. 2. Res. 4.* cum communiore contra Ascan. Tambur. *loc. cit. n. 11.* atque adeò accipere ab illo absolutionem à reservatis in Ordine (si non sint reservata in Diœcesi) Idem *ibid.* Vide Dicastillum *d. 11. dub. 7. num. 121.*

Dices: Gaudent Religiosi nonnullis vivæ 667
vocis oraculis pro absolutionibus impertiendis. Urbanus autem VIII. revocavit omnia Privilegia nitentia oraculis vivæ vocis: *Adquid prosunt nunc illa?*

Resp.

Resp. Ad nihil, si sunt merè oracula vi-
668 væ vocis. Secùs, si sint simul Bullata. Nam utile per inutile non debet vitiari. Porrò tunc censentur non esse oracula merè vocis vivæ, sed Bullata, quando sunt data alicui communitati, cujus omnia Privilegia, & facultates data & danda confirmavit Pontifex per aliquam Bullam, ut optime observat Dicast. *Disp. 10. dub. 11. num. 326. & 327.* addens *n. 325.* ex Suario, oraculum vivæ vocis esse Privilegium à Pontifice concessum, & ore prolatum, & (ut ita dicam) sufficienter dictatum, ut scribi posset, *per accidens* autem contigit, ut non scriberetur, vel certè non literis authenticis. Vide dissertationem de revocatione talium Privilegiorum, quam exhibeo *Tract. 9. Cas. XXIII. num. 727. & seqq.*

669 Quæritur IV *Quinam Casus reservati sint Regularibus, & quomodo breviter intelligendi?*

Resp. Clemens VIII. dedit facultatem Superioribus, ut reservarent sequentes. 1. *Sunt veneficia, incantationes, sortilegia.* 2. *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive relicto, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii fiat.* 3. *Nocturna, & furtiva è Monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta.* 4. *proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in judicio Regulari, seu legitimo.* 6. *Procuratio, auxilium, seu Consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.* 7. *Falsificatio manûs, aut sigilli officialium Monasterii, aut Conventûs.* 8. *Furtum de rebus Monasterii, aut Conventûs in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.* 9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 10. *Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ.* 11. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.*

Ita Clemens ad verbum.

670 Per *primum*, & *secundum* Casum quid intelligatur, facilè quisq; perspicit. In dubio tamen legi poterunt, quos mox citabo, Doctores.

671 Ut *tertium* casum incurras, debes egressioni jungere utrumque adjectivum, adeóque egressio tametsi furtiva, si tamen sit diurna, non reservatur. Furtiva autem censebitur, etiam quando fiet vidente, sed contradicente Prælato, Pellizarius *Tom. 1. Tract. 6. Cap. 1. num. 25.* Kiene *De Casibus reserv. Par. 3. Cap. 2. num. 10.* Palaus *Tr. 23. punct. 15. num. 17.*

672 Proprietarius eris, sive fureris aliquid de rebus Monasterii, ut dicetur in Casu *octavo*, sive de alicujus sæcularis. Item sive Monasterii sive sæcularis bona usurpes sine ulla facultate Superioris. Aut libere disponas de bonis, quorum dominium retinuisti ad tempus, modò hæc omnia sint tanti momenti, ut ascendant ad culpam mortalem contra votum paupertatis. Vide dicenda *n. 675.*

673 Perjurium debet fieri in judicio legitimo, non autem, ubi non servatur ordo judicialis.

Casus abortûs procurati mitiùs reservatur apud sæculares, quàm Regulares. Nam apud sæculares debet reipsa fuisse effectus abortus, ut vidimus suprà *n. 416.* at sufficit hìc, modò ita procuraveris consilio, auxilio, ut reipsa sint applicata media ad efficiendum abortum, esto ea nihil effecerint. Quòd si tamen dedisti Consilium applicandi media, attamen non fuêre applicata, evades reservationem. P. Palaus *loc. cit. n. 19.* Debet autem esse fœtûs animati. Animantur masculi die 40. post conceptum, fœmellæ die 80.

Ad falsificationis casum requiritur, ut tu 674
ipse reipsa subscribas furtivè nomen, aut Secretarii, aut Superioris, adeóque apud nos juxta Suarez, Patris Ministri (& quidni si Procuratoris, ut nos vocamus, aut Cellarii, aut Bursarii, ut appellant Ordines Monastici) vel sigillum illorum proprium, aut effictum apprimas ipse, & quidem probabiliter solis literis, quibus contineantur res spectantes ad regimen, bonâve Conventûs, non autem illis, quas Officialis aut Superior, tanquam privata persona, scripsisse fingitur. Palaus *l. c.* contra Suarez *Tom. 4. De Relig. Lib. 2. Cap. 8. num. 8.* cui tutiùs adhærebis, quàm Palao. Cùm præsertim in nostro Ordine sit absolutè decretum, incurri hunc Casum à falsificante sigillum Admonitoris

Furtum de rebus Monasterii etiam tunc e- 675
rit, quando erit de respectante ad totam Provinciam, vel applicata alicui particulari. Palaus *num. 21.* Perrinet quidem iste octavus Casus etiam ad quartum, sed quartus plura comprehendit, ut vidimus suprà. Testatur quidem P. Sanchez *Lib. 7. mor. c. 20.* Navarrum, & Cordubam censere, furtum unius, & multò magis duorum Regalium, qui apud nos efficiunt 20. crucigeros monetæ imperialis, esse crimen lethale reservatum. Sed inprimis hoc non credo de furto esculentorum, & poculentorum. Quia DD. cum Sanchez observant, non tam ægre ferri à Dominis furtum unius aurei in poculentis, & esculentis, quàm si esset unius aurei in pecuniis. Id etiam adhuc minùs cre- 676
do, quando furtum seu pecuniæ, seu alterius rei ascendens ad duos Regales est perpetratum non simul, sed successivè. Singulariter, quando post ablatum, absumptúmque unum Regalem, aut ejus valorem, te seriò pœnituit cum proposito non ampliùs faciendi, esto postea, mutato proposito, clepas alterum Regalem, seu Julium. Denique P. Sanchez *loc. cit.* testatur ex communiore sententia, exigi *in Hispania* ad mortale, furtum quatuor Argenteorum, seu Regalium.

Nonus Casus est, respectu aliorum communiter Regularium, voluntarius carnis lapsus, 677
ita consummatus opere, ut non sufficiat, esse inchoatum, sufficiat autem, esse perfectum in specie aliqua peccati mortalis carnalis. Adeóque voluntaria pollutio est certò (quidquid

nonnulli cõtradicant) crimen reservatum, pollutio, inquam, sui ipsius. Ita citati. At verò si aut permittas te turpiter tangi ab alio, aut tangas turpiter aliquem, sine tua, aut illius pollutione, adeóque inchoës copulam, at sine effusione seminis intra, vel extra vas, non incurres hunc Casum. Suarez *Tom. 4. de Relig. Tr. 8. Cap. 18. num. 12.* Pelliz. *loc. cit. n. 34.* Kiene *Part. 3. Cap. 6. num. 3.* nam tactus, aspectus, amplexus non continent speciem lapsûs carnalis opere consummati. Consummantur enim per solam emissionem seminis veram, at juxta Dianam *P. 11. Tr. 2. Res. 61.* non per distillationem. Qui addit cum Mendo, & Junipero, nec reservari, si tactu alterius procures in eo pollutionem. At difficulter credo.

678 Quòd si ex cogitatione mortaliter libidinosa exoriatur fortè pollutio, excusabit te, contra Suarez *cit. n. 12.* à reservatione Kiene *loc. cit. n. 4.* & Diana *Par. 4. Tr. 4. Res. 6.* sicut & quando orietur ex aspectu libidinoso partium honestarum alicujus mulieris, aut adolescentis, at non si oriatur ex aspectu partium inhonestarum, eò quòd reservatio in hac materia non incurratur, nisi effusio seminis procuretur per aliquem actum exteriorem, qui sit ex se mortaliter impudicus. Sicut neque si permittas te ab aliquo tangi turpiter sine tui pollutione, esto non sine illius. Bordonus apud Pellizarium *n. 34.* non contradicentem. Ego autem contradico in his mitioribus sententiis, saltem loquendo de personis Societatis, propter causam adferendam *num. 685.*

679 Pro *decimo* ponitur inprimis occisio. At an patrata etiam Consilio solo, aut mandato, tacent citati autores. Quintanadvennas *Singul. Tr. 3. Sing. 11. num. 1.* sic generatim loquitur: *Cùm Casus reservatur, non comprehenduntur sub illo consiliantes, cooperantes, auxiliantes.* Excipe: nisi exprimantur, ut exprimuntur suprà *n. 396. & 669.*

680 Vulneratio est apertura corporis ictu inflicta, quæ in homine Religioso vix à mortali excusabitur, nisi vel per defectum libertatis, vel per moderamen inculpatæ tutelæ.

681 Percussio injusta facta sine vulnere communiter censetur gravis, & mortalis, quando relinquit in corpore percussi aliquod vestigium, ut tumorem, livorem. Palaus *n. 13.* Quòd si nobilem, & rusticum injusta cædas alapâ, censeberis respectu rustici commisisse percussionem non gravem, esto mortalem, at respectu nobilis mortalem simul, & gravem.

682 Protrusio, aut interram prostratio sine percussione, non est percussio, cur ergo dicam esse reservatam, esto sit mortaliter mala? Unde hic Casus non contrahitur omnibus modis, quibus excommunicatio ob violentam injectionem manuum in Clericum, nam violenta injectio manûs patet latiùs, quàm percussio. Vide dicta *Cas. VIII. n. 420.*

683 Denique impedimentum, Retardatio, & Apertio literarum Superiorum ad inferiores, ac horum ad illos, debet inprimis fieri ex malitia id est, scienter, & non ex sola inadvertentia ignorantiáve, etiam crassa, P. Suarez *cit. cap. 18. n. 12.* patétque ex verbis Pontificis Deinde debent hæc fieri, graviter invito illo, qui scripsit. Si enim consentiat *aperte*, vel *tacitè*, non rectè vocabitur apertio *malitiosa*. Et utique, qui retardat idcirco, quòd prudenter timeat, ne intercipiantur, est immunis culpæ.

Præter hos Casus cõmunes omnibus Regu- 684
laribus (quos tamen scio, non omnes reipsa, reservari in omnibus Monasteriis) reservavit Congregatio Generalis Quinta Superioribus Societatis decem alios, quos etiam refert Suarez *cit. Tom. 4. De Relig. Tr. 10. Lib. 8. c. 5.* at fine explicatione. Exponunt autem soli, quos viderim. P. Palaus *cit. Tr. 23. p. 5. § 3.* & P. Tamburinus *de Sacrament. Lib. 5. Tract. de Cas. Reserv. Cap. 7. §. 3.*

Dictis adde quatuor huc facientia. 685

Primum. Plura peccata contraria castitati reservantur apud nos, quàm apud alios Religiosos, stantes solo Decreto Clementis VIII. Scilicet *lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat.* Ergo inprimis illa omnia, quæ superiùs *n. 677. & 678.* dixi vel ex omnium, vel ex aliquorum Doctorum sententia reservari per Decretum Clementinum, adeóque & distillatio mortaliter mala. Pollutio etiam, quam excitares in alio, esto non sequatur in te, aut quam alius in se, tangendo te turpiter. Item pollutio, 686
quam pateris cogitando deliberatè vel desiderando turpia. Item omnes actiones sensûs externorum mortaliter impudicæ esto non referantur ad ullum turpem actum. Imò & actiones externæ, etiá leviter repugnantes castitati, modò fiant ad ostendendum lascivum amorem. Secùs, si fiant ex turpi amore at non cum intentione illum prodendi. Palaus *loc. cit. n. 4.* secùs etiá de turpib⁹ desideriis non manifestatis ullo effectu, operéve externo. Ratio horũ omniũ est, quia omnis, & solus ille actus externus reservatur apud nos, qui continet malitiá mortalem contra castitatem, esto nullo modo consumetur opere.

Secundum. In Ordinationibus pro studiis eliminantur è nostris scholis duæ doctrinæ. Prima: *Nonnulla peccata, quæ reservantur in Societate, ut machinatio in Superiores, seminatio discordiarum, licèt attingant gravitatem peccati mortalis, non sunt reservata, nisi sequatur effectus.* Altera: *Is, qui à reservato peccato pro tali cognito ex necessitate aliqua est indirectè absolutus, non tenetur deinceps se Superiori sistere nec per se, nec per alium, sed manet simpliciter absolutus, & sine ullo onere quærendi directè à reservatis absolutionem* 687 688

Circa illam *primam* prohibitionem noto, 689
cùm ea nonnemini videri queat esse interpretatio authentica Decreti, reservantis machinationem, & alia ejusmodi, consequenter fortè nonnemines judicaturum (abstineo

ego omni judicio) Confessarium Societ tis obligari eam sequi respectu nostrorum, ar non aliorum, loquitur enim Decretum de Casibus, quatenus sunt reservati in Societate.

690 Circa *alteram* prohibitionem noto, vel voculam *indirectè* ibi sumi valde latè, vel eo Decreto interdici sententiam, quam nemo à me lectus docuit. Etenim *indirecta* absolutio, propriè, aut rigidè loquendo, tunc tantùm est, quando *directè* aliquod peccatum absolvendo remittitur aliud consequenter per gratiam remissionis mortalis *directè* remissi, quia scilicet ea gratia non patitur secum mortalia. Ita ex communi Dicastillo *Disp. 6. dub. 17. n. 319.* atqui nemo mihi lectus est, qui inficietur, mortale absolutum *indirectè* juxta hanc descriptionem necessariò subjiciendam esse *per se loquendo directa* absolutioni. Ergo ne dicamus, illud Decretum pugnare contra umbras, asserendum est, illos omnes ab autoribus prædictæ Ordinationis dici absolutos *indirectè*, qui sunt absoluti cum onere sistendi se Superiori. 691 Quorum quidem aliqui sunt propriè *indirectè* absoluti, ut quos domi constitutos absolvit Confessarius ob imminentem necessitatem Communionis, cùm non posset accedi Superior, juxta dicta superiùs *n. 661.* alii autem propriè *directè*, ut sunt itinerantes, nam formula absolutionis ita *directè* dirigitur in eorum reservata, ac in non reservata, ut indicavimus superiùs *n. 647.* dicuntur tamen etiam *indirectè* (impropriè) absoluti, quia solùm propter absentiam Superioris data ipsis est potestas accipiendi *directam* absolutionem cum onere se præsentandi Superiori pro accipienda iterata absolutione.

692 Quarè fortè quis putabit (an rectè, non judico) jam non licere nobis sequi doctrinam P. Dicastillo *d. 11. dub. 13. n. 208.* qui inhærens principiis illorum, quos retulimus *Cas. VIII. n. 385.* docuit nostri Ordinis peregrinantes, si in itinere absolvantur *propriè*, & *directè* à reservatis, teneri quidem post reditum eadem confiteri Superiori (vèl habenti potestatem expressam ab eo) at non *Sacramentaliter*. Sed quidquid sit de hac illatione, potest utique Superior remittere obligationem iteratæ Confessionis. Tamburin. *loc. cit. Cap. 11. §. 1. n. 37.*

66; Dixi *Nobis*: Nam authores prædicti Decreti usurparent certò illud Apostoli: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? 1. Cor. 5.* Et quidem quilibet P. Capucinus habet potestatem quemlibet è suis Patribus aut Fratribus, à quo est electus (potiuntur enim jure eligendi quemlibet Sacerdotem è Conventu, sine tamen potestate mutandi pro lubitu semel electum) in Confessarium, absolvendi *directè* à reservatis in Ordine, cum solo onere se postea sistendi Superiori. Bonagratia *in Summula verb. Confessarius n. 94 & 96.* Quid verò statutum sit, quando nequit intra breve tempus conveniri Superior, dicam infrà *num. 704. & 708.*

Tertium ex notandis est, quòd à Casibus Pontificiis possint quidem omnes nostri Confessarii absolvere sæculares cum limitatione indicata *n. 636.* at nostros illi soli, quibus Superiores comiserint, ut exprimitur *in comp. nostrorum Privilegiorum, verb. Absolutio. §. 6.* quare non est hîc audiendus P. Quintanadvennas *Singul. Tr. 3. Sing. 19 num. 4* optimè refutatus à Lugone *Lib. 1. Resp. mor. dub. 27.*

Quartum inter notanda circa Casus So- 695
cietatis est, quòd Patres Provinciales concedant nonnunquam usu longo exercitatis, probatísque Confessariis potestatem absolvendi nostros à reservatis, exceptis *recidivis*, & duobus, tribúsve aliis. Et meritò hanc potestatem fieri etiam ab aliis Religiosis in parvis Conventibus, notat Quintanadvennas *Singular. Tr. 3. Singul. 10. num. 13.* atque Tamburinus *de Sacram. Lib. 5. Cap. 7. §. 2. n. 31.* scilicet ob periculum, ne aliquo modo detegatur pœnitens, si Confessarius accedat immediatum Superiorem pro facultate absolvendi quempiam. Quæri ergo potest, quinam intelligantur per illos *recidivos?* An, qui ter, aut sæpius ante hodiernam Confessionem commiserunt crimen, quod antea nunquam patraverant?

Resp. Minimè. Quia verba sunt intelli- 696
genda juxta subjectam materiam, hæc autem materia est Theologica. Theologi verò tractantes de recidivis absolvendis, aut non absolvendis intelligunt *illos solos*, qui post Confessionẽ unius criminis relapsi sunt in illud ipsum: *Quid si ergo redeat post Confessionem illam primam ejusmodi peccati ad alteram cum repetitione illius?* Resp. Potestas dispensandi est latè interpretanda, ut alibi trado ex communi, ergo & absolvendi etiam à reservatis. P. Tamburinus *loc. cit. cap. 9 §. 1. num. 16.* cum Palao. Ergo saltem extenderur ad unam absolutionem recidivi *Theologicè* dicti. Certè non legi Theologum, facientem difficultatem in absolvendo illo recidivo, qui post unam duntaxat Confessionem unius culpæ recidit in eandem semel, bis, ter. An verò extendatur ad duplicem absolutionem post duplicem relapsum, non determino. Suadeo, ut quisque Confessarius exploret mentem illius, à quo accipit eam potestatem. Post hæc scripta video à P. Dicastillo *Disp. 11. dub. 19. num. 329.* non agnosci magnam necessitatem se manifestandi Superiori, quando est periculum relapsûs non admodum frequentis. 697

His addo ex P. Quintanadvenn. *cit. Tr. 3.* 698
breviter seqq. 1. Omnia, quæ Confessarii nostrorum facere possunt circa votorum commutationem, aut dispensationem, respectu externorum, possunt etiam respectu nostrorum, nisi expressè iis, vel in Privilegiis, vel à Superioribus sit inhibitum. *Singul. 19. num. 8.* 2. Licèt iidem Confessarii possint nostros absolvere ab excommunicationibus statutis in Congregationibus Generalibus, tales enim censentur statutæ esse à Jure, seu Lege, neque-

unt tamen ab iis, quas Provincialis, vel Rector ferret in violatores alicujus secreti, divertentes ad externos, transeuntes per aliquem locum &c. Hæ enim sunt censuræ latæ ab homine, à quibus non absolvimus, nisi ex speciali facultate. *Singul. 20. num. 5.* subdens tamen *Singul. 21. num. 1. & 3.* si Superior non reservavit sibi absolutionem illius censuræ, posse ordinarium Confessarium ab ea absolvere, imò etiam tunc probabiliter posse, cùm reservavit, eò quòd non videatur Rector, aut Provincialis sibi reservare posse ullam censuram, sicut non potest ullum casum, nisi in Congregatione Provinciali. 3. Confessarius nostrorum Collegii A. veniens ad Collegium B. si in hoc Collegio B. reperiat unum è nostris etiam spectantem ad Collegium A. poterit illum absolvere. Sicut posset, si uterque existeret in Collegio A. *cit. Singul. 21. num. 4.* si videlicet uterque adhuc spectet ad Collegium A. Vide dicta *num. 656.* 4. Licèt idem Confessarius rectè absolvat quemcunque ex nostris à suspensione lata, sive à Jure, sive ab homine, non tamen *validè* dispensat in irregularitate orta ex pravaOrdinum susceptione, aut malo usu, ex homicidio voluntario, bigamia, defectu natalium, mutilatione, vitio corporis &c. sicut nec dispensat in jejuniis, aut aliis præceptis Ecclesiasticis. *Singul. 22, 5.* Quamvis, *absolutè, loquendo*, posset Superior secum ipse dispensare in iis omnibus Casibus, quibus valet cum aliquo subditorum, tutiùs tamen id committet suo Confessario, aut alteri, ad id ab ipso diligendo. *Vnde R. P. Generalis noster in quadam Epistola ad Provinciam Bæticam decrevit, quòd Confessarii Superiorum in Societate dispensent cum iis in irregularitate, Horis Canonicis, jejuniis, & aliis.* Sic loquitur ex P. Granado P. Quintanadvenn. *loc. cit. Singul. 24. num. 4.*

Subjicio dictis

Practicas, & selectas observationes pro Regúlarium (& sæcularium) Confessionibus, & Prælatis quoad Casus Reservatos.

699 MUtuatus sum totum hunc titulum à P. Antonio de Quintanadvennas *Singularium Tr. 4. Singul. 11. 12. & 13.* at observationes ipsas nec ab eo solo, nec omnes ab eo.

700 I. Observatio. Quando gravatus casu reservato, atque erubescens accedere Superiorem, aperit tibi ordinario Confessario illum, rectè facies, si excipias totam ejus Confessionem, adeóque etiam alterius peccati mortalis, si fortè aliud ultra reservatum commisit: auditâ totâ Confessione dices, te non habere (si non habes, habés autem singulariter in nostro Ordine, quando excipis Confessionem itinerantis. Suprà *num. 647.*) potestatem absolvendi, sed petiturum à Superiore (quem ipse ita horret) facultatem, si quidem conveniri possit. Permittente, aut rogante pœnitente, ut id facias, poteris statim injungere totam pœnitentiam, imò quandoque debebis, quando scilicet erit periculum si tu & reus iterum conveniatis in aliquo conclavi, ne Superior te videat, suspicetúrque, te esse illum Reum. Etenim ad evitandam suspicionem poteris obtentâ facultate uti in medio ambulacro, horto, sacristia, dicendo duntaxat (postquam ille priùs à te doctus dixit: Accuso me iterum de peccatis ante Confessis) *Absolve te à peccatis tuis in nomine &c.* omissâ efformatione Sanctæ Crucis. Hanc observationem subministrat P. Dicastillo *Disp. 10. dub. 7. num. 175.*

II. Confessarius rogatus à pœnitente, ut 701
Superiorem ipse adeat, tametsi in rigore non tenetur, saltem graviter, ei præstare id officii. P. Tamburin. *in Method. Confess. Lib. 3. Cap. 9. §. 4. n. 17.* haud tamen debet ostendere se difficilem, multò minùs abnuere, nisi judicet, accessum Rei necessarium esse emendando Reo, impediendo damno Ordinis, aut alterius ruinæ &c. tunc enim non datur in Societate nostra (& cur in alis Religionibus?) inferiori communiter potestas absolvendi, nisi Reus se Superiori sistat *immediatè*, aut *mediatè* per Confessarium instructum facultate expressâ pœnitentis nominandi illum. Sic enim partim *expressè*, partim *implicitè* traditur in Ordinationibus Generalibus *Cap. 6. n. 2.* additúrque expressè *in fin. n. 8.* hæc explicatio: *Si Confessarius obtinere nequeat* (ut Reus hortatu ipsius aperiat sincere cor suum Superiori) *non erit tandem pœnitens nimis urgendus, nisi alioqui Casus esset ex iis, in quibus, ut dictum est, tenetur pœnitens rem manifestare, & alioquin non esset capax absolutionis.* Ubi observo, Reum non teneri sub mor- 702
tali manifestare se Superiori, nisi quando lex naturalis illum ad id obligat, quia nimirum non tenetur, nisi non volendo se manifestare esset incapax absolutionis, *juxta scita Doctorum*, ut dicitur in illa Ordinatione. Seu quando aliis remediis prædicta mala vitari non possunt, ut loquitur P. Palaus *Tract. 23. punct. 15. §. 5. n. 9.* recitans pleraque, quæ ego. Quia verò si delictum manifestetur Superiori cum debitis circumstantiis, potest Superior communiter mederi malis, etsi non nominetur Reus, ideo notat P. Tamburin. *cit. cap. 3 §. 2. n. 2* rarissimè esse (*absolutè*) necessarium, ut nominetur ipse reus, sicut utique est necessarium, quando pœnitens perget cum suo, aut aliorum damno peccare occasione loci, aut ministerii, cui applicatus est à Superiore. Aut nequit sine providentia Superioris evitari grave probrum, aliúdve malum imminens ex subditi gravi detractione de aliquo Principe, aut primario hujus Ministro, &c.

III. *Caveat Confessarius, ne, quando petit facultatem absolvendi nolentem notificari Superiori, quid elabatur, ex quo pœnitens cognosci possit.* 703

Qui

Qui, si timet, ne ex notitia alicujus rei possit Superior probabiliter suspicari, quis ille sit, sciat, se omnino eam reticere debere, & omnem cautelam adhibere debere in casu proponendo, ne ullâ ratione possit Superior probabiliter agnoscere autorem. In quo si viderit, proponendo casum in specie occasionem suspicionis Superiori dari, satis erit in genere dicere, aliquem in casum reservatum incurrisse, qui nec damnum Societati, nec alteri, nec ipsi pœnitenti afferre possit. Hactenus verba *citatæ Ordinat. Cap. 6.* quæ verba refert etiam P. Quintanadvenn. *cit. Tract. 3. Singul. 12.*

704 IV. Quando Prælati hujus Monasterii numerosi habentes insuper urum, aut alterum Conventum, quatuor, aut quinque personarum, dant, ut sanè dari debet, ac reipsa dandam pro nostris decrevit Congregatio V. *Can. 5.* potestatem Confessario ordinario absolvendi integre, seu sine onere à reservatis illum, qui non sit intra breve tempus venturus ad suum mediatum Prælatum, poterit Confessarius censere, illum non esse intra breve tempus venturum ad mediatum, qui ad hunc non veniet, nisi post integrum mensem, ut singulariter de nostris observat P. Pellizarius *Tom. 2. Tract. 8. cap. 2. n. 57.* ac patet ex dictis *n. 657.*

705 V. *Sanctitas sua deinceps declaravit, ut, si hujusmodi Regularium Confessarius Casûs alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illâ vice pœnitentes Regulares, etiam non obtentâ à Superiore facultate, absolvere.* Sunt hæc verba Congregationis Cardinalium edita jussu Urbani VIII. ut testatur Quintanadvenn. *Sing. 11.* & Pellizar. *cit. Tract. 8. cap. 2. n. 63.* non solùm intellecta, ut jacent, à citatis autoribus duobus, sed etiam exprimit Pellizarius *loc. cit.* & Dicastillo *Disp. 11. dub. 20. n. 339.* hoc
706 toties licere, quoties ita negat Superior. Id ipsum exprimit Cotonius *Lib. 2. controvers. 7. cap. 5. n. 152.* post Bordonum: Addit Quintanadvennas (& Pellizarius in casu, quo nequit sine infamia, quam bene explicat P. Joannes Præpositus apud Dianam *Part. 9. Tract. 3. Resol. 15.* omitti Sacrum, aut Communio.) non soli Confessario, sed cuivis viro docto, & prudenti, qui aptus sit, ut institui Confessarius Monasterii queat, seu Collegii illius, esse permissum, ut si sibi, pro aliquo petenti, hanc potestatem, denegetur, absolvat. Sed meritò id, quod ita *absolutè* asserit P. Quintanadvennas, negat P. Tamburinus *De Sacram. Lib. 5. cap. 7. Tract. 2. n. 41.* aliis sapientibus censentibus, tutum in praxi non esse. Loquuntur autem de absolutione sine onere se ullo modo sistendi, nam hoc onus est illud, quod maximè refugit pœnitens, inquit P. Pellizarius.

707 Ego video, *in cit. Ordinat. General. Cap. 5. n. 4.* denique concludi, ut, quando omnibus (salvo sigillo) cum Superiore collatis diligenter, Confessarius constanter judicat, cessurum in majus damnum spirituale pœnitentis, utpote nullatenus volentis edi suum nomen, si perurgeatur editio, aut comparitio, stetur judicio Confessoris, ideo assentior illis tribus Doctoribus (loquentibus de Confessario ordinario) si volunt se intelligi in sensu, & casu citatæ Ordinationis, seu Instructionis, sicut satis clarè intelligit P. Dicastillo, interim dissentiens à quibusdam aliis docentibus generatim, quando Superior etiam sæcularis injustè negat facultatem absolvendi *directe* à mortalibus, posse ex mediatorum Superiorum *tacita* licentia absolvi per inferiorem.

VI. Si Superior licentiam concessurus 708
commodè adiri nequit, & tempus urget Communionis, vel Celebrationis, notámque incurreret non sacrificans, vel communicans, tunc potest absolvi à reservatis quilibet Regularis à Confessore Monasterii, vel à quocunque approbato sine recursu ad Superiorem, hujus enim facultas tunc præsumitur. Ita scribit Quintanadvenn. *cit. Singul. 11. n. 7.* expressè volens, hanc observationem intelligi de absolutione simili illi, de qua loquitur Congregatio Cardinalium, relata in præcedente observatione. Sed ei non credo ullo modo, si- 709
cut nec credit P. Tamburin. *loc. cit. Cap. 12. §. 3. n. 13.* si enim iter agentes, aut in aliquo Collegio hospitantes per unam, alteramve hebdomadem nequeunt à reservatis absolvi, nisi cum onere se sistendi Superiori suo, cur possint ii, de quibus P. Quintanadvennas? nescio cur citans pro se Patres Henriquez *Lib. 13. cap. 15.* & Suarez *Disp. 13. Sect. 3.* cùm nec verbo tangant ibi hanc difficultatem.

VII. Quando facultas conceditur, ut pœ- 710
nitens eligat Confessarium, qui *pro hac vice* possit eum à reservatis absolvere, vel Confessario datur licentia audiendi illum, & absolvendi *hac vice* à reservatis, potest absolvi à commissis similibus post licentiam concessam, quia concessionis verba non significant limitationem. Ita Cardinalis de Lugo *Disp. 20. Sect. 8. n. 124.* approbatus à Quintanadvenna *Singul. 11. n. 8.* secùs si Confessarius præcisè petiit, & impetravit facultatem absolvendi aliquem ab aliquo peccato, in quod incidit. Lugo *loc. cit. n. 122.* & Dicastillo *Disp. 11. d. 19. n. 349.*

VIII. Sequenda non est opinio Leonis, 711
Floroni, Villalobos, & Dianæ *Part. 3. Tract. 3. Res. 126.* apud Quintanadvenn. *Sing. 12.* sentientium, quando ipsemet Confessarius admisit Casum reservatum, posse dicere Superiori: *Peto à Ra. Va. potestatem absolvendi aliquem è domesticis ab aliquo Casu reservato.* Obtentâ autem licentiâ posse accedere summet Confessarium, ac dicere: *Habeo à Superiore facultatem petendi à Ra. Va. absolutionem hujus Casûs.* Etenim Superior annuendo tali petitioni tribuit suam jurisdictionem ipsi petenti, non alteri, nec cum jure delegandi. Ita- 712
ferè Quintanadvennas *loc. cit.* addente Lugo-

ne *n. 119.* & Dicastillo *loc. cit n. 351.* in nostra Societate ne quidem tunc habere locum illam doctrinam, si Confessario dicenti : *Est in Collegio unus, qui indiget vestrâ facultate pro una vice, ut faciat se absolvi ab aliquo Confessario*, annuat Superior.

713 IX. Quando Abbas, Prior Claustralis, Guardianus, Rector in aliquem transtulerunt in sua absentia totum onus sui muneris, poterunt Vicarii illorum dare licentiam reservatorum. Censentur autem juxta Peirinis, Homobonum, Bejam, & Naldum apud Quintanadvennas *cit. Sing. 13. n. 2.* transtulisse, quando discesserunt ad locum distantem itinere diei, non verò, si in prædio vicino recreationis, aut visitationis causâ per unum, aut duos dies absint. Tunc enim dabit quidem potestatem absolvendi (*directè*) si urgeat necessitas sacrificandi, aut communicandi, sed cum onere sese sistendi Superiori reverso. Quintanadvennas *loc. cit.* ex declaratione nostri R. P. Claudii Aquavivæ Generalis, qui tamen non approbavit illam Naldi, & aliorum opinionem de distan-

714 tia unius diei. Certè repugnat & praxis, & Responsum ad Provinciam Bœticam Anno 1579. quod habeo in meis adversariis, datum his verbis: *Minister in absentia Rectoris non habet potestatem in reservata, nisi cum onere sistendi se postea.* Et P. Tambur. *cit. Lib. 5. De Sacrament. Cap. 12. §. 3. n. 11.* refert aliud rescriptum his verbis: *Absente Rectore non habet minister facultatem absolvendi à reservatis, (nisi specialiter ei concessum sit) quod expedit fieri, maximè si ad paucos dies absit. Potest enim quis con-*

715 *fiteri ordinario cum onere se sistendi.* Idem tamen P. Tamburin. *loc. cit. Cap. 8. §. 1. n. 8.* scribit cum aliis Sapientibus: *Si tamen relinquatur cum Titulo, ac potestate Rectoris, videtur habere ipsam potestatem.* Putem ego, esse hunc communissimum morem nostræ Provinciæ Germaniæ Superioris, ut, quando Rector relinquit vel Ministrum, vel alium Patrem cum potestate *tacita*, vel *expressa* occupandi ejus locum in refectorio, relinquat hoc ipso ei verum Titulum Vice-Rectoris, atque potestatem inreservata, saltem quando proficiscitur vel ad Congregationem Provincialem, vel ad locum sibi non subditum, distantem itinere diei, cum animo non redeundi, nisi post tres, aut quatuor dies. Cùm indignus præfui, nihil cogitavi de restrictione, scio nec alios cogitâsse: cur igitur angamur scrupulis? Cur non ita interpretemur præfationem nostrorum Privilegiorum.

At quid videtur respondendum ad hoc

Novum Dubium.

716 a *Cum videlicet Rector Collegii N. proficiscens ad locum distantem facilè itinere unius diei, nec rediturus ante quatuor, aut quinque dies, tradidit quidem suam Rectoralem (ut solemus in talibus eventis) clavem Ministro, at sine aliis verbis, quàm hisce :* Habet hîc Reverentia Vestra meam clavem. *Post discessum subijt animo Ministri dubium, an si illo quatriduo Collegialium quis incideret in casum reservatum, atque is per se, vel per Confessarium peteret absolutionem, an impertiri posset, singulariter autem, si ille P. Minister sciret, se esse suo Rectori adeò ingratum, ut fuisset negaturus eam facultatem, si Minister accipiendo claves interrogâsset illum de modo sese gerendi in tali eventu? Duo viri non indocti judicârunt, posse nihilominus exercere illam jurisdictionem, an rectè?*

b Respondi *primò* ex dictis, potuisse (abstrahendo ab illa alienatione animi) facere id, quod fecisset Rector, si domi mansisset. Cùm enim ex more nostræ Provinciæ soleant Vicerectoribus, qualem efficiebat traditio clavis cum animo tam longi itineris & emansionis, concedi ejusmodi facultates, debuit in dubio præsumi, esse impertitam *tacitè*, seu *implicitè*, nec debuit sine convincente ratione judicare, Rectorem fuisse negaturum delegationem, si interrogatus fuisset.

c *Secundò* tamen, si Rector erat ita dispositus, ut negaturus fuerit interrogatus, probabiliter nequivit Minister quicquam hîc facere. Ratio est, quia non potuit quicquam, nisi ex consensu *tacito*, vel *expresso* Rectoris, siquidem seu delegatus, seu etiam substitutus, nihil potest nisi ex consensu aliquo delegantis *Cap. Cùm olim. 32. De offic. judic. deleg.* Delegatio enim est strictè interpretanda. P. Pirhing *Tom. 1. Iuris Canon. Tit. 21. n. 76.* finésque mandati sunt diligenter custodiendi *L. Diligenter. ff. Mandati.* Huc faciunt ea, quæ de Confessarii delegata potestate protuli suprà *n. 89. & 100.* Nec dubito, quin Rector potuerit *validè* negare eam delegationem, ut liquet ex auctoritatibus relatis paulò superiùs, & notum sit, quemque posse rei suæ modum ponere infrà *Tract. 8. n. 585.*

d Nihilominus tamen quia ex una parte traditio clavis ad tot dies habetur apud nos pro signo delegationis tam amplæ, quàm ordinariè concedi solet, ex altera autem illa *habitualis* dispositio, seu voluntas superioris non videtur esse tantarum virium, ut argumentando à contrario deduces & ex dictis *in cit. Tract. 3. n. 89. & 93.* idcirco non est improbabile, quòd ille P. Minister fuerit instructus sufficienti potestate delegatâ. Excipio tamen illos casus exorbitantes, quos innuo suprà *n. 703.* & infrà *721.* Ita judico, salvo meorum Superiorum judicio, mihi hîc singulariter adorando.

Quòd

720 Quòd si P. Minister esset à Lege, seu vi legis, & non ab homine, seu dependenter ab arbitrio Vicarius Rectoris viventis, tunc diceret Joannes à SS. Sacramento *Tract. De Priore Claustrali Part. 3. n. 327. & seqq.* ne quidem potuisse Rectorem, aut negare Ministro illam potestatem, aut absolutionem, durante Vice-Rectoratu impertiri ulli ex suo Collegio. Siquidem Abbates, seu priores Conventuales à Monasticis Conventibus absentes tempore absentiæ suspensam habent jurisdictionem, sive *quoad exercitium* impeditam respectu suorum subditorum, ideóque non valent tum temporis præcepta imponere, dispensare, seu irritare vota, Monasterii bona alienare, aut quidpiam administrationis spiritualis, aut temporalis obire. Ita ille *cit. n. 327.* quæ omnia abludunt à Jure Societatis nostræ.

721 X. *Quando Confessarius, tacito nomine pœnitentis, à Superiore petit facultatem absolvendi à casu reservato, nullo modo difficilis esse debet, sed facilis potiùs, & promptus in ea concedenda. Imò eum persuadere sibi convenit, posse hac in re graviter offendere, si imprudenter, sine justa, gravique causa eam neget.* Ita ad verbum *in cit. Ordinat. General. Cap. 6. n. 1.* exprimente Quintanadvenn. *loc. cit.* post Fagundez, Coninck, Henriquez, & alios, Superiorem peccaturum mortaliter, non acquiescendo tunc tali petitioni, quod etiam post hæc à me scripta visus P. Tambur. *cit. Cap. 8. §. 2. n. 2.* non solùm

722 „scribit, sed etiam addit : Universaliter ex „communi sententia dicendum, quòd, quan„do ex licentia non timetur rationabiliter da„mnum pœnitentis, qui ob facilitatem absolutionis non emendabitur, nec timetur da„mnum boni publici, vel tertii, ut esset gravis „infamia communitatis, vel facilitas peccandi in aliis, qui casuum reservatorum legem „non curarent, Superior licentiam denegando „mortaliter peccaret, multò magis, si Con„fessarius testetur, pœnitentem esse in pericu„lo omittendi Confessionem. Ita ille, subdens, quando est dubium, an prædicta pericula adsint, Superiorem debere omnino concedere facultatem.

723 XI. *Caveat Superior, ne, dum petitur ab eo facultas, curiosè inquirat, aut aliud quid faciat, unde conjicere possit, quis ille sit, pro quo petitur, & circumstantias alias exquirat, quàm quæ ad rem pertinent.* Ita rursum illa Ordinatio. Addente Quintanadvenna, hoc ipsum observandum quoad notitiam vel leviter investigandam complicis, aut peccati circumstantiam, quæ aliquo modo ad Confessiones factas, vel faciendas vel longissimè conducunt.

724 XII. Tametsi Superior non excipiat Confessionem illius, qui se ipsi stitit, petens, vel *immediatè* per se, vel *mediatè* per Confessarium facultatem confitendi ipsi Confessario, aut alteri, attamen peccat contra sigillum, si cui dicat, hunc aut illum petiisse à se ejusmodi facultatem. Quintanadvennas *cit. Observ. 13. n. 19.* illa quippe petitio est etiam inchoata quædam Confessio. Hinc disertè traditur in totiescitatis *Ordin. General. Cap. 6. n. 2.* etiam incasu, quo inferior manifestat ex necessitate Superiori per se, vel per Confessarium suum lapsum, adhibendum esse remedium necessarium, *salvo tamen sigillo.*

XIII. Nequaquam vetitum est Superiori 725
excipere Confessionem habentis reservata, si hic sponte velit illi confiteri. Dicastillo *Disp. 11. dub. 7. n. 115.* contra Fagundez. Etenim ipsemet Clemens in Decreto, de quo suprà, facit eam potestatem.

XIV. Obligatio sistendi se superiori, seu 726
ad accipiendam medicinam spiritualem, seu ad Confessionem iterandam, est quidem gravis, & mortalis, ut tradunt P. Dicastillo, P. Pellizarius, & alii citati, adimplendáque quàm primùm fieri potest, ut dictum *Cap. VIII.* generatim, attamen necesse non est, ut illa Confessio fiat ipsi Superiori, aut ei manifestese pœnitens, sed sufficit, si tecto nomine Confessarius præcisè petat, obtinéatque à Superiore potestatem absolvendi aliquem à reservatis, *quæ neque Religioni, neque alteri, aut ipsimet pœnitenti sunt allatura damnum.*

XV. Cùm Confessarius petit solùm vices 727
suas à Superiore, petat solùm dicens : *Que le „de su veces para un subdito suyo* (det sibi suas „Vices, seu suam absolvendi potestatem pro „uno subdito suo.) Quòd si ille imprudenter, ne dicam crudeliter (etiam Suarez, & Tamburinus hoc duro utuntur vocabulo) personam, aut peccatum conjicere studeat callidè, æquivocatione illum Confessarius à no- „
titia quàm longissimè avocet, maximéque ad- „
vertat, ne vel minimum vestigium complicis deregat, imò nec ei dicat, an sit complex, „
nec ex modo eam facultatem petendi indicet, „
an sit pro sacerdote. Unde minimè petat 728
tempore, quo non sacerdotes pro Communione Regulæ, aut devotionis facienda solent „
confiteri, v. g. Sabbato pro nocturno tempore, aut pro matutino Dominici, sed aliis die- „
bus non festivis. Nec item petat in matutinis „
horis, in quibus solent sacerdotes ad cele- „
brandum confiteri. Omnia (exceptâ utra- „ 729
que parenthesi) contenta in hac observatione exscripsi ex Quintanadv. *Singul. 12. n. 5.* ex quibus, & aliis hunc in locum coacervatis deduces, quid respondendum sit ad hoc

Dubium Jesuiticum.

730 *Quid faciet Confessarius nostrorum, si pœnitens nolit manifestare Superiori se, prout in Ordin. Generalib.* Cap. 6. §. 6. *his verbis : Nisi casus esset ex iis, in quibus dictum nempe §. 6. ubi habetur : v. g. cùm prahabi-*

habiliter timeri poterit scandalum, aut recidivum pœnitentis, aut alterius?

731 Hoc dubium his verbis proposuit mihi is, à quo me oportuisset petere solutionem potiùs, quàm ipsum à me.

732 Resp. Tamen: Illud peccatum, ex quo probabiliter timetur scandalum, recidivum, aut damnum alterius, vel non est reservatum, vel est reservatum? Si non est reservatum, de illo non agit Ordinatio. Certum enim est ex principiis indubitatis apud Jurisperitos, ac Theologos Practicos, illa peccata, ex quibus ibi dicuntur timeri posse prædicta mala, debere esse de numero reservatorum. Omnes enim interpretes legum observant, intellectum clausularum, in aliqua dispositione expressarum, detumendum esse ex Rubrica, & fine dispositionis. Rubrica verò præsentis dispositionis est hæc: *Circa Casus reservatos.* Finis, seu intentio est hæc: *Pro Superioribus, & Confessariis Societatis.* Ergo si quis de Societate (quod Deus avertat!) soleret lædere gravibus contumeliis, aut convitiis præsentes, lascivis desideriis indulgere, verbo, & exemplo aliquos sæculares inducere ad seminandas discordias in Republica, aut familia privata, Confessarius tametsi rationabilissimè timens relapsum, damnúmque alienum, nequaquam obligaretur ex vi dictæ Ordinationis recurrere ad Superiorem, multò minùs pœnitentem remittere ad ipsum. Ratio est, quia peccata, quæ recensui, non sunt reservata. Dico: *Vi Ordinationis.* Nam vi præcepti *Divini naturalis* obligaretur recurrere ad Superiorem, si nequiret aliâ ratione emendare pœnitentem, ut quando e. g. pœnitens mortaliter, & scandalosè peccat ratione sui ministerii, pergéreque delinquere, nisi Superiori dicat per Confessarium, vel per se, non solùm se valde graves tentationes pati in suo ministerio, sed etiam addat, se reipsa illis semel, bis, ter &c. succubuisse.

735 Alia est ratio peccatorum reservatorum, in quorum absolutionem nolunt tunc consentire Superiores, quando ex iis probabiliter timetur recidivum, scandalum &c. nolunt, inquam, consentire, nisi Confessarius manifestet Superiori (permittente, ut debet, tecto tamen permanente Reo) delictum, & post manifestationem, seriámque conferentiam cum Superiore judicet, cessurum esse in majus damnum pœnitentis, si constanter, atque inexorabiliter negetur absolutio ipsi, per omnia sacra obtestanti, ne cogatur sese prodere. *Et verò quando subditus timet prudenter sibi damnum grave, & Sacramento extrinsecum, hoc est, præter famæ diminutionem apud Prælatum, quæ intrinseca est institutioni Sacramenti, v. g. timet Confessionis revelationem, scandalum, odium, vel ne eâ notitiâ utatur ad alia, extra illud forum in ejus damnum, pœnitens jus habet petendi alium Confessarium, & Prælatus ex justitia tenetur illum dare: & in hoc omnes conveniunt.* Ita ad verbum Cardin. de Lugo *Disp. 20. De Pœnit. Sect. 10. n. 235.* Ergo in tali casu Confessarius absolvet pœnitentem authoritate Urbani VIII. de qua suprà *n. 705.* Si verò pœnitens nihil prudenter allegare possit, nisi infamationem sui apud Superiorem, *intrinsecam* huic Sacramento, tum debent Confessarius, ac Superior simul comparare damnum spirituale pœnitentis ipsius secuturum ex constanti repulsa, partim cum ejusdem etiam spirituali damno imminente ex tanta ejus obstinatione, & defectu sinceritatis cum suo Prælato, partim cum damno aliorum, quod timetur, si cedatur pervicaciæ. Ex horum enim omnium inter se collatione ferendum est ultimum judicium, ut notat Lugo *n. 241.* præmittens *n 236.* esse hoc præ oculis habendum, quòd in dubio declinandum sit (excipio ego dubium de gravi malo publico) in partem mitiorem. 737

Hæc omnia reperies apud Suarez *De Pœnit. Disp. 30. Sect. 4.* post quem non citatum solvit Cardin. de Lugo *n. 239.* illam objectionem: Pœnitens recusans obstinato animo se præsentare Superiori, quando superior habet jus exigendi, ut se sistat, peccat mortaliter, hærétque in hoc peccato tamdiu, donec deponat contumaciam, ergo etiamsi Superior victus ejus pertinaciâ permittat absolvi, erit indispositus ad percipiendam absolutionem, quia, dum confitebitur inferiori, dicet vel *formaliter*, vel *habitualiter* apud se: *Si Superior non condescendisset mihi, ego non accessissem, nec accederem illum.* 738

CONFESSARIVS POENITENTIAM INJUNGENS.

CASUS XXI.

Rosarii frequentati.

SUMMARIUM.

Casus rati, se non peregisse pœnitentiam Sacramentalem, cùm tamen peregerit. 739.
Commendatur Congregatio Rosarii. 740.
Quid sit Pœnitentia Sacramentalis? *741.*
An Confessarius teneatur semper sub mortali injungere Pœnitentiam? 742.
Qualia opera injunget? 748. & seqq.
Casus Sacerdotis, volentis recitatione Hymni, contenti in Breviario, satisfacere oneri Breviarii, & pœnitentiæ Sacramentali. 750.
Pœnitentia injuncta pro defunctis etiam prodest ipsi pœnitenti. 751.
An pœnitentia possit injungi per modum consilii? 753.
Efficacitas illius formulæ: Quidquid boni feceris, vel mali sustinueris, &c. *754.*
Quas ob causas minui possit pœnitentia? 758. & seqq.
S. Xaverius peregit ipse pœnitentiam, debitam suo pœnitenti. 763.
Tenetur pœnitens agere pœnitentiam injunctam à Confessario. 764.
Qui peccet pœnitens non totam perficiens? 765.
Aut non perficiens designato tempore. 766.
An teneatur supplere, si tunc non perfecit? 767.
Refertur Decretum Alexand. VII. de substituente, qui pro se faciat pœnitentiam. 768.
Quid aget oblitus pœnitentiæ? 769.
Quid si existens in peccato mortali perficiat? 770.
Aut perficiat non cogitans de pœnitentia? 771.
Aut mutet propriâ authoritate in aliud opus? 773.
Quid si alius Sacerdos mutet extra Confessionem? 776.

739 X *Imagoras, jussus festo Pentecostes à suo Confessario percurrere quinquies pro sua salutari pœnitentia Sertum Marianum, acceptat hanc pœnitentiam. Recitat bis Rosarium expressâ intentione satisfaciendi pœnitentiæ, at sine ejusmodi intentione totum Psalterium quot hebdomadis. Redit ad forum arcanum sub festum Assumptionis Deiparæ, accusat se, quòd de quinque rosariis sibi injunctis tantùm duo recitârit. Scisitatur Confessarius, an ergo à Pentecoste nunquam nisi bis obiverit illam Virgini Deiparæ tam gratam precationem? Respondet Ximagoras.* Mi Domine, sum in Perpetua Confraternitate Sancti Rosarii, ideo oro diligenter quot hebdomadis meum parvum Rosarium ter. *Subdit Confessarius*: Ergo satisfeceristi obligationi pœnitentiæ tuæ. *Quæritur: An hæc responsio subsistat in foro Theologico?*

740 Nequeo sine probro id nunc negare, quia ipse ego frequenter, ob rationem adferendam *num. 771.* ita reipsa respondi in Confessionario, inque Lycæo. Possum autem, & volo ad Majorem DEI Gloriam scribere, referendam esse inter ea, quæ Sanctis Cœlitibus gratissima patravit Sacratissimus Ordo PP. Prædicatorum, institutionem Confraternitatum Sacratissimi Rosarii, atque nominatim illius, quam appellitant die Ewige Bruederschafft / *Æternam Confraternitatem.* O quot centeni milliones peccatorum lethiferorum incestarent oculos DEI, aures Confessariorum, nisi hæ Congregationes quà *occasionaliter*, quà *meritoriè* saltem *de congruo* impedirent! Hoc præmisso in honorem illius Illustrissimæ familiæ, promam-

Laconicè præcipua de pœnitentiâ *Sacramentali* injungendâ, implendâ, commutandâ.

Quæritur itaque I. *Quid sit pœnitentia* Sacramentalis, *de qua hic Casus; & an injungenda?* 741

Resp. I. Pœnitentia, seu *Sacramentalis* satisfactio est executio pœnæ, à Confessario injunctæ ob peccata legitimè confessa. Quæ pœnitentiæ executio ideo vocatur *Sacramentalis* satisfactio, quòd sit vera pars non quidem *essentialis*, attamen *integralis* Sacramenti pœnitentiæ.

II. Tenetur Confessarius ordinariè in omni Confessione imponere pœnitentiam, etenim Sacramentum istud non debet sine causa privari suâ parte integrali. Quamvis autem P. Adamus Tannerus *Tom. 4. disp. 6. quæst. 8. n. 6.* cum multis *absolutè* scribat, Confessarium teneri sub mortali injungere pœnitentiam legitimè Confesso, attamen Cardinalis de Lugo *De Pœnit. Disp. 25. Sect. 4. num. 49.* existimat cum aliis, quando pœnitens est commeritus solùm parvam pœnitentiam, posse absque gravi culpa omitti impositionem illius, nam tunc deest Confessarius suo officio in re solùm levi. Et proinde, quando adolescentes, aut alii seu scrupulosiores, seu conscientiosiores post jam impertitam absolutionem dicunt, se hoc, aut illud peccatillum oblitos, poterit Confessarius sine noxa impertiri absolutionem absque nova pœnitentia, extendendo *tacitè* priorem etiam ad illud unum, aut alterum peccatillum. Secùs, si ad peccatum mortale extenderet solùm *tacitè*, seu in animo. At sæpe excusabitur, si apertè dicat duntaxat pœnitenti,: *Fac pro hoc, & prioribus peccatis pœnitentiam priùs injunctam.* 742 743

III. Sed nec delinquis, si pœnitentiam non injungas, quando aut pœnitens nullam perficere potest ob ægritudinem, vel jam integrè expiavit sua peccata, vel Indulgentiam plenariam est mox lucraturus, aut paulò antè lucratus juxta dicenda *num. 760.* Est prudens consilium, ut, quando æger præsens sibi, attamen summè debilis est, dicat, præeunte Confessario, quinquies JESUS MARIA! sicut & pro variis circumstantiis dicendum: *Ubi convalueris, præstabis hæc & talia.* 744

Quæritur II. *Qualis pœnitentia sit injungenda?* 745

Resp. I. Generatim verbis Magistri, & discipuli. Magistri verba dedi *num. 264.* discipuli accipe: *Quia Sacramentum pœnitentiæ à Christo primò, & per se institutum est in bonum pœnitentis, ut animæ ejus vulnera curentur, sequitur sacerdotem nunquam debere talem injungere pœnitentiam, quam omnino credit, pœnitentem ex aliqua imbecillitate non impleturum.* Ita P. Ægidius Coninck *Tom. 2. De Sacram. Disp. 10. dub. 1. num. 72. & 73.* post Suarez, professus *in præfat. primi Tomi in 3. Part.* se operam dedisse P. Lessio.

Maxi-

746 Maximè autem ratio habenda est monitionis, quam suggerit Sacra Synodus Tridentin. *Sess 14. cap. 8.* his verbis: *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne, si fortè indulgentiùs cum pœnitentibus egerint, levissima quædam opera pro gravissimis delictis imponendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præoculis, ut satisfactio quam imponent, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam in præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & adligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt, & docent.* Hactenus Patres Tridentini.

747 II. Igitur taxatio pœnitentiæ permittitur non mero beneplacito, sed prudenti arbitrio Confessarii, regulato secundùm multitudinem, gravitatémque criminum, horúmque recordationem, saltem confusam, aut statûs ex una parte, ex altera autem secundùm pœnitentis vires corporis, & animi, commoditatem, incommoditatem, facultatem, aut impotentiam satisfaciendi aliter, & denique cum respectu ad pœnas purgatorii, quas, & quantas esset luiturus pœnitens, si mox à Confessione peracta extingueretur, tantam enim, quanta requiritur iis expiandis in hoc mundo, teneretur, *per se loquendo*, decernere Confessarius, ut reliquos inter observat Cardinalis de Lugo *Disp. 25. Sect. 4. num. 60.* quamvis *per accidens* idem non teneatur ita decernere, partim quia ignoramus, quot jejuniis e. g. opus sit ad satisfaciendum Deo in hoc mundo pro decem mendaciis, 20. blasphemiis: partim quia semper intervenit una, aut plures ex causis, ob quas *num. 758.* dicemus, minui meritò pœnitentiam.

748 III. Debent autem communiter injungi opera, diversa ab iis, quæ quis tenetur præstare ex vi legum ad peccatum obligantium. Etenim haud multùm curarent homines, si iis imperaremus auditionem Sacri festo die, abstinentiam à carnibus feriâ sextâ. Nihilominus sæpe consultum est, negligentibus facilè aliqua præcepta, ut jejunia quatuor temporum, vigiliarum &c. auditionem Sacri in parvis, ut vocant, festis, imperare hæc ipsa. Item & singulariter illa, quæ præscribuntur, at non sub reatu peccati, in Statutis Congregationis, seu Confraternitatis, cui est quis inscriptus, ac particulariter examen vespertinum, frequentationem piam, & quotidianam Missæ.

749 Quando autem Confessarius præcipit aliqua jam aliunde præcepta graviter, communiter censetur designare non debita ex voto, aut Lege graviter obligante, ut cùm dicit: *Jejunabis quater: sexies intereris rei Divinæ*; aliquando tamen ex qualitate temporis, & operis colligitur, fuisse mentem Confessarii clementiorem, ut cùm dicit: *Audies per mensem duo sacra singulis Festis, & Dominicis: aderis liturgiæ quotidie per mensem.* Nam in *primo* horum casuum censetur velle pœnitentem astringere solùm ad unum sacrum ultra ordinarium illorum dierum, in *altero* ad nullum in festis, & Dominicis occursuris illo mense, nisi ad injunctum ab Ecclesia.

Sed & providè aget subinde Confessarius, 750
si pressis paupertate, morbo, probro aliquo injungat pro pœnitentia, ut per unam, duas, &c. hebdomadas quotidie bis, ter, &c. offerant Deo illa mala, protestantes, se velle patienter perferre in castigationem delictorum. Observat autem rectè Laymann. *Lib. 5. Tract. 6. cap. 9. num. 11.* nec pauperi, aut filiofamilias eleemosynam, nec laborioso homini jejunia esse imponenda. *At non satis providè egit ille Sacerdos Religiosus, qui frequenter jussus à Confessario recitare pro pœnitentia gratissimam Virgini Matri Antiphonam* Salve Regina, *& alia ejusmodi præscripta Sacerdotibus, censebat, se satisfacere præcepto Confessarii, & Ecclesiæ simul, recitando talia, dum persolvebat pensum Canonicum. Quæsiit postea ex me, an teneretur repetere pœnitentias omnes hac ratione persolutas?* Respondi, non teneri, partim quòd jam esset interea lucratus multas Indulgentias. Partim quòd intentio Confessarii non fuerit, eum obligare ad repetitionem pœnitentiarum tam parvarum simul, & tam diu ex errore omissarum.

IV. Non est improbanda praxis Confessa- 751
riorum, qui secuti manuductionem Catechismi Rom. *De satisfact. sub fin.* jubent pœnitentes orare pro defunctis, aut pro iis offerre aliquod bonum opus. Nam inprimis Confessarius quandoque solùm intendit, ut illa oratio, aut bonum opus applicetur, quatenus habet vim impetrandi defuncto, non autem quatenus habet vim satisfaciendi. Deinde, licèt ipsum bonum opus applicatum defunctis, quatenus *satisfactorium*, non prosit, ut sic, pœnitenti ad expiationem suorum peccatorum, attamen sancta voluntas opitulandi miserabilibus animabus est multùm proficua ad hanc expiationem, quia valde sancta. Sed nec est intentio Confessarii, ut illa opera defunctis donentur, quatenus habent vim satisfaciendi *ex opere operantis*, sed *ex opere operato*.

V. Opera merè *interna* posse imponi pro 752
pœnitentia, satis contra nonnullos probat Suarez *De Pœnit. Disp. 23. Sect. 6.* sicut & nonnunquam, etsi rarò, potest in hunc finem imponi abstinentia à sacra Communione, & juxta Leandrum, atque alios apud Dianam *Part. 11. Tract. 7. Res. 3.* contra Fagundez, ac Laymann. *Tract. 6. cap. 11.* susceptio Matrimonii, ut quis eruatur è peccatis carnis, quibus est miserè deditus. Vide Lector, quæ ad hanc postremam doctrinam Laymanni facientia, pro-

profero *in Alphab. Quadrupl. Part. 1. Cas. VIII. n. 270. & seqq.* de castitatis voto edito ab homine lascivo.

APPENDIX NOVI QUÆSITI.

EX quibus jam pridem typo vulgatis patet responsio ad quæstionem 18. Junii Ann. 1677. literis mihi propositam à

Magno quodam Theologo.

a QUi non modo lectis, sed etiam descriptis iis, quæ nunc primùm tu quoque Lector legisti scribit: *Quæro nunc quid præsumere debeat pœnitens*, quando indefinitè, & indistinctè ei dicit Confessarius: *Oret pro animabus Rosarium, semel jejunet &c. an debeat tam impetrationem, quàm satisfactionem ex opere operantis illis applicare? Ratio dubitandi est, quia utrumque potest applicari, nec apparet ratio, cur unum potiùs, quam alterum præcipiat. Ex altera autem parte non videtur Confessarius posse imperrationis fructum pro animabus imperare, cùm ea applicatio non sit pœnalis, nec medicinalis, egeátque ea pro se in multis casibus pœnitens, maximè si sit consuetudinarius. Nec pro se compensabit per honestam & meritoriam applicationem factam ex obedientia, misericordia, & charitate. Quid si enim jam nunc omnia opera sua, & quidquid per illa potest, applicavit defunctis?*

b Ita ille in tribus diversis Academiis olim Theologiæ Professor, cui respondi ad primam quæstionem, videri quòd pœnitens debeat verosimiliùs censere se obligatum ad utrumque fructum, *satisfactorium*, inquam, & *impetratorium* applicandum defunctis. Ratio est, quia in Alphabet. Sacrificantium *Cas. 5. n. 153. & 154.* ex P. Vasquez, atque aliis scripsi, illum, qui ex stipendio tenetur pro aliquo sacrificare, obligari ad utrumque fructum applicandum defuncto. Atqui obligatio orta ex præcepto
c Confessarii est similis ortæ ex stipendio. Haud tamen damnarem peccati saltem gravis, si offerret solum fructum satisfactorium, tum quia Diana relatus à me *cit. Tract. 3. n. 634.* tenet contrarium huic responsioni de sacrificante ex stipendio, tum quia præceptum Confessarii potest videri simile præcepto ex obedientia Religiosa: atqui *n. 155.* illius Casûs, probo autoritate nostri S. Francisci Borgiæ, taliter obligatum satisfacere suo muneri, si Missam offerat præcisè, quatenus satisfactoriam. Et confirmatur inde, quòd animæ in purgatorio versentur formaliter in statu satisfactionis, ergo non videntur exigere plus, quàm ut alius pro aliis, quoad potest satisfaciat.

d Ad secundum respondeo: tum in primis esse actum insignis mortificationis, adeóque satisfactionis tali fructu privare se in gratiam animæ, in statu gratiæ constitutæ: tum deinde Confessarium indiscretè agere, si pœnitentem obnoxium gravibus pœnitentiis velit obstringere ad satisfaciendum pro aliis potiùs, quàm pro semet: tum denique illam generalem oblationem, de qua in fine Epistolæ, non obesse, quo minùs illorum ipsorum operum pars injungi possit hîc & nunc ad illam ipsam intentionem, siquidem suprà *n. 749.* dixi, posse imponi illa opera, ad quæ obligatur quidem pœnitens, at non sub gravi reatu, qualem certè non incurret ille, de quo hîc sermo, licèt post illam generalem donationem aliqua ex suis operibus offerret pro vivis.

VI. Etsi *speculativè* probabilior est opinio 753
tradentium, Confessarium teneri pœnitentiam injungere per modum *præcepti*, & non per modum *consilii*, sic enim videtur sensisse Concilium Trident. verbis suprà ex ibitis. Est tamen ob autoritatem contrarium docentium probabile, posse totam pœnitentiam imponi dicendo: *Jejunabis tribus Sabbatis, si tibi placet; bis te flagellabis, si etiam placet.* Hoc enim modo etiam ligat Sacerdos, quia vult, ut illa opera non prosint *ex opere operato* nisi dependenter à sua determinatione.

VII. Hinc, quia maximi DD. scribunt, 754
quando Confessarius profert illa communia verba: *Quidquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris*, enuntiando cum intentione *Sacramentalis* satisfactionis, planè ad hujus vim & excellentiam elevari, quidquid talis pœnitens boni fecerit in statu gratiæ, aut mali sustinuerit patienter, proindéque fieri posse, ut quis toto vitæ tempore satisfaciat *ex opere operato* pro suis delictis, seu obeat pœnitentiam *Sacramentalem*, ut notat Navar. *in Cap. Fallas. De Pœnit dist. 5. n. 11.* ideo monet Diana *Part. 3. Tract 4 Res. 82.* ex Villalobos, non esse à Confessario facilè omittenda illa verba: *Quidquid boni &c.* de quibus plura vide *Cas. IV. n. 162.* & adde ex eodem Diana *Part. 11. Tract. 2. Res.* 755
3. referente pro se Leandrum, Arnojum, Bassæum, Marchantium, Candidum, Remigium, alios contra Lugonem, jure imponi pœnitentias justo minores, quando à Confessore proferuntur hæc verba. Unde etiam ulteriùs infertur, esse perquam salutares pœnitentias, quæ injunguntur *sub conditione*, dicendo: Si recideris, aut quoties in hoc, vel istud peccatum recideris hoc mense, hoc semestri, erogabis talem eleëmosynam, osculaberis terram, orabis illo die quinque Pater & Ave expansis brachiis. Potéstque tota pœnitentia pro qualitate personæ, & aliarum circumstantiarum, injungi hoc modo. Suarez *Tom. 4. in 3. Part disp. 38. Sect. 4.*

VIII. Pœnitentia communiter indicitur 756
ante absolutionem, ne fortè pœnitens, accepto absolutionis beneficio, respuat onus pœnitentiæ, & perfici quidem potest ante absolutionem, si sit exigua, ut notat Lugo *cit. Disp. 25. n. 28.* potéstque interdum Confessarius imperare, ut perfici tur priùs. Lugo *ibid.* non tamen habebit vim satisfaciendi *ex opere operato*, nisi post Sacramentum Pœnitentiæ *essen-*

tialiter completum, seu impertitam absolutionem. Ibidem Lugo.

757 IX. An pœnitentias coram aliis perficiendas rectè injungat Confessarius, intelliges *Cas. seqq. n. 812.*

X. Diana *cit. Res. 3.* dissentit à Remigio negante, peccari à Confessore, non imponente pœnitentiam *medicinalem*, sed solùm *vindicativam*, eò quòd sit non solùm judex, sed etiam Medicus. Verùm nihil scrupuli circa hoc est habendum in Confessionibus venialium peccatorum, in mortalium solùm tunc, cùm videtur esse necessarium. Equidem bona opera facta in statu gratiæ habent vim etiam impetrandi auxilia opportuna ad superandas tentationes.

758 Quæritur III. *Quas ob causas sit minor pœnitentia injungenda, quam mereantur peccata Confessa?*

Resp. Ob has præcipuas. 1. Quando credit Confessarius, pœnitentem non esse, ob fragilitatem, impleturum justam cæteroquin pœnitentiam. Coninck relatus suprà *n. 745.* 2. Quando minuendo pœnitentiam allicitur pœnitens ad frequentiorem, utilémque Confessionem. Bonac. *De Pœnit. Disp. 5. q. 5. §. 3. p. 2. n. 18.* favente apertè Vasquezio *Quæst.*

759 *94. art. 2. dub. 1. in fin.* 3. Quando intervenit difficultas, qualis e. g. est in infirmis, quibus, cùm nequeant exequi meritas, indicuntur leviores, ut e. g. pronuntient aliquoties sacratissima nomina, tundant aliquoties pectus, offerant suos dolores, ipsámque vitam suo Creatori bis, ter de die, jubeant dari eleëmosynas, & denique ubi convaluerint, audiant tot Sacra, toties confiteantur, obeant hanc, aut illam peregrinationem parvam. Longas rarisimè injunge. 4. Quando pœnitens est jam re-

760 ipsa valde contritus, & compunctus, sic enim jam multùm expunxit ex syllabo debitorum. Attendat tamen Confessarius. Ne in hoc, & aliis casibus pœnitens ex levitate pœnitentiæ inferat, se leviter peccâsse, cùm tamen gravissimè deliquerit. Et singulariter quando idcirco notabiliter minuit Confessarius pœnitentiam, quòd vel noverit, pœnitentem ex sese solere præstare multa bona opera, vel esse lucratum paulò antè, vel proximè lucraturum Indulgentiam parem suis peccatis, quas duas causas minuendi meritò admittunt omnes, atque existi-

761 mo, multos mecum id observare. Unde Layman. *Cap. 15. absolutè* scribit, tempore Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ plenariæ, pœnitentem non teneri admittere, nisi leviorem pœnitentiam, quæ se habeat per modum medicinæ,

762 ad tollendas peccatorum reliquias. Quia tamen hac ætate, ut testantur Lugo *loc. cit. n. 60.* Layman. *Tract. 7. cap. 3. n. 2.* & alii, imponuntur pœnitentiæ perexiguæ, & quidem vix habentes rationem sufficientem medicinæ, ideo non debet pœnitens facilè minuere pœnitentiam ob spem Indulgentiæ plenariæ, nisi sit ita gravis, ut appareat esse imposita per modum satisfactionis, seu punitionis, addente eodem Laymanno post Henriquez, quando pœ- 763
nitens quæritur de gravitate pœnitentiæ, imponendam esse leviorem, monendúmque, ut curet lucrari aliquam Indulgentiam. Quæ doctrina est pro praxi noranda, cùm præsertim fere omnes incolæ civitatum, innumeri incolæ pagorum inscripti sint alicui Confraternitati, gaudenti multis, magnis Indulgentiis, quibus potiuntur etiam ii, qui aut illarum ignari, aut gnari quidem, sed non ex intentione adipiscendi illas, perficiunt opera præscripta in Bullis, seu Brevibus Congregationum, quemadmodum ostendo *in Thesauro Ecclesiast. Indulgent.* recuso in meo *Quinario.* Hæc & alia de Indulgentiis describit fideliter ex me citato Anton. Diana *Part. 10. Tract. 16. Res. 1. &c.*

Septima causa diminuendi pœnitentiam est, quando Confessarius reflexè dicit: *Quidquid boni feceris &c.* ut vidimus suprà *n. 745.*

Octava, eáque suavissima causa remittendi magnam, maximam pœnitentiæ promeritæ partem est, quando Confessarius ipse paratus est expiare in suo corpore peccatum pœnitentis. Prorsus illustre hujus suavissimæ, & paternæ commiserationis exemplum, ac paradigma nobis proponit P. Horatius Tursellinus, & P. Daniel Bartholi in vita S. Francisci Xaverii *Lib. 2. n. 44.* qui Apostolus militem (P. Ludovicus Janinus, floridus, ut esse solent Galli, interpres Latinus Patris Bartholi, vocat hunc *bellua nequiorem, ex omni flagitio, & sacrilegio concretum*) jam octodecim Annos impiatum, ac certum nunquam ullâ Confessione purgare animum, eò tandem suâ agendi suavitate adduxit, ut evomeret in suas aures collectum tot Annis virus; & pœnæ loco nil imperavit, nisi *Pater*, & *Ave* recitandum, reliquam persolvit ipse.

Quæritur IV. *An, & quomodo teneatur pœ-* 764
nitens exequi injunctam pœnitentiam?

Resp. I. Quia varii Scriptores vocant vel temerariam, vel erroneam, certè improbabilem opinionem sentientium, esse in arbitrio pœnitentis admittere, vel repudiare pœnitentiam indictam à Confessario, hæcque sententia est penitus ignota in nostra Germania, idcirco ne cedat Confessarius cuiquam, qui fortè, lecto Navarro, aut alio quopiam, recusaret absque justa causa parêre sibi injungenti hoc, aut illud opus pro satisfactione. Vide dicenda *n. 768.*

II. Peccat itaque pœnitens mortaliter: tum 765
qui magnam pœnitentiam: tum qui magnæ partem notabilem non persolvit, ut fatentur omnes, dissidentes ab inficeta sententia jam primùm indicata: tum juxta Tannerum *n. 14.* qui totam pœnitentiam, etiamsi levis sit, omittit, quod tamen ab omnibus negari, testatur Lugo *n. 59.* ratus nihilominus *n. 74.* contra Suarez *Disp. 38. Sect. 7.* quando ob peccatum veniale imposita est gravis pœnitentia, peccari mortaliter illam negligendo, at tantùm

tùm venialiter, quando omittitur levis, quæ
766 etiam propter mortalia erat imposita. Tum denique etiam peccatur mortaliter, quando differtur notabiliter ultra tempus præscriptum, ut ex communi tradit, distinctéque explicat Lugo *n. 89.* referens tamen Thomam à JESU docentem, hanc dilationem esse communiter tantùm venialem. Cui ferè consentit Antonius Fernandez. Res tota dependet ab intentione Confessarii. Si nactus es rigidum, cave tibi, & time. Si benignum, cave etiam, sed ne facilè timeas noxam lethalem. Addit Coninck *n. 84.* quando non est determinatum tempus, explendam esse proximâ commoditate, dicit tamen Lugo *n. 92.* in hoc casu non peccari mortaliter per dilationem, nisi sit nimium & longum tempus. Quale non est, nisi sit longius, quàm unius Anni, ut placet aliquibus apud Dianam *Part. 10. Tract. 12. Resolut. 42.* contra communem, & usu receptam, sequendámque.

767 Porrò licèt, quando Confessarius determinat tempus, censeatur communiter illudita determinare, (sicut perbene more suo probat Abbas Rasterus *De Pœnit. Disp. 10. §. 9.*) ut si pœnitens tunc vel ex desidia, vel justa ex causa non fungatur suo officio, teneatur proximè supplere defectum, aliud tamen sentiendum est, quando ex una, aut pluribus circumstantiis prudenter colligitur, illam pœnitentiam fuisse planè affixam certo diei, certo mensi, Anno &c. ut quando Confessarius dixit: Pro tua salutari pœnitentia jejunabis toto hoc Anno singulis diebus Sabbathinis? singulis festis Beatæ Virginis communicabis. Coninck *n. 83.* & Bonacina *n. 5.* cum aliis, tradens id universim in casu, quo injunguntur diuturnæ pœnitentiæ.

768 III. Alexander VII. in Decr. diei 24. Septemb. Anno 1665. inter alias 28. propositiones *morales* prohibuit hanc: *Pœnitens propriâ autoritate substituere alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Quamquam potest utique Confessarius dicere: Pro tua pœnitentia ibis ipse, aut certè alium solutâ mercede mittes peregrinatum ad hunc, aut alium pium locum.

769 IV. Oblitus injunctæ pœnitentiæ non tenetur quidquam aliud facere illius loco, quia quidquid substituerit, carebit energiâ *operis operati.* Ergo sufficiet confiteri oblivionem culpabilem, & sine repetitione prioris Confessionis, ut tamen repeti voluêre nonnulli antiqui, quorum imaginatione imbuti aliqui non semel me in ipso confessionali interrogârunt, an non esset sibi iteranda Confessio. Quòd si statim post Confessionem, & absolutionem oblitus pœnitentiam, existimes, Confessarium esse adhuc memorem illius, rogabis necessariò, ut revocet tibi in mentem, teste Coninck *n. 86.* at si memor non est, caret potestate injungendi aliam, quia jam expiravit ejus in te *coactiva* potestas.

V. Nec mortaliter, nec etiam secundùm 770
Lugonem *n. 32.* & alios contra Suar. & alios venialiter delinquis, perficiens pœnitentiam in peccato mortali. Quæ tametsi tunc tibi nihil prodest *ex opere operato*, attamen ejus vis satisfactiva reviviscet, ubi & tu quatriduanus Lazarus redieris ad vitam. Sicut etiam *substantialiter* satisfacis, tametsi opus præscriptum peragas ex vana gloria.

VI. Nec teneris quidquam repetere, si ip- 771
sam rem injunctam *materialiter* exequaris integre, esto non cogites tunc exequi, ut te exsolvas obligatione. Sanch. *Lib. 1. Moral. Cap. 13. n. 17.* Lugo *n. 35.* atque alii plurimi contra alios. Etenim & is satisfecit præcepto de Sacro audiendo in die festo, qui audiit ignorans, esse festum. Imò qui audiit expressè dicens, se nolle illâ auditione implere præceptum, sed velle alteri interesse, ut ostendi *in Alphab. audient. Sacrum Cas. VII.* Consequen- 772
ter etiam liber eris onere recitandorum trium Rosariorum injunctorum à tuo Confessore, si illa recites ex mera devotione, aut ideo, quòd sis membrum, Confraternitatis Rosarii, esto, dum evolvis globos virgineos, expressè dicas: Volo hoc psalterium hodie recitare, quia sum Sodalis Congregationis, at tribus proximis diebus dicam tres coronas, ut exsolvam me obligatione impositâ mihi à Confessario. Etenim præcepta particularia sunt interpretanda juxta normam universalium. *Ergo*, inquies, *si dicam*: Hodie recitabo psalterium, ad quod teneor ex voto, cras illud, ad quod ex Confessarii præcepto, *cro cras eximius*?

Resp. Non eris, quia & communiter non 773
satisfit uno actu duabus obligationibus, & suprà dixi, pœnitentias communiter imponi de rebus non aliunde sub obligatione culpæ debitis.

Ex hac ultima doctrina patet, Ximagoram, de quo noster hîc XXI. Casus, fuisse rudem hujus nostræ, & veræ Theologiæ.

Casus.

Abundius Confessarius multorum Clericorum sæcularium, Regulariúmque sæpe injungit, seu pro totali, seu pro partiali pœnitentia recitationem unius Hymni, seu ad parvas horas, seu ad laudes de communi tam Martyrum, quàm Confessorum. Dubitant aliqui ex his pœnitentibus, utrùm ultima illorum Hymnorum stropha sit pronuntianda conformiter tempori & diei, quo peragitur illa pœnitentia, e. g. *dicendo*: Jesu tibi sit gloria &c. *an verò consentaneè ritui per Annum seu extra tempus Paschale, & festa nihil speciale habentia.*

Resp. Mihi non videri ullum prudentem Confessarium velle suum pœnitentem adstringere ad hunc vel illum modum, siquidem in-

primis esset ridiculus, si injunctioni talis Hymni adderet: *Esse ultimam strophan recitandam juxta offitium hodierni diei.* Deinde scrupuli injicerentur pœnitentibus, nisi prudenter crederent esse sibi liberum sectari hanc, aut illam formulam. Hoc scrupulo illos libero, dum palam scribo, nullum esse Confessarium præsertim talium virorum, qui non velit haberi pro discreto, atque esset admodum indiscretus, si vellet hîc discerni inter officia de tempore, & per Annum.

774 Quæritur V. *Quænam scienda sint circa commutationem pœnitentiæ?*

Resp. seqq. I. Tametsi Card. de Lugo *cit. Disp. 25. n. 96.* testetur, esse certum ex communi persuasione fidelium, & Theologorum, *invalidè & illicitè* à pœnitente commutari propriâ authoritate pœnitentiam leviorem in excellentius opus, eò quòd præcepta sint alterius rationis, quàm vota, nihilominus Diana *Part. 11. Tract. 7. Resp. 3.* assentitur Navarro, Basse, & aliis octo, quos nominat, defendentibus contrarium. Imò refert Remigium asserentem, posse commutari in æquale. Sed ne, quæso, patere te inescari hisce novitatibus.

775 II. At verò potest tuus Confessarius commutare pœnitentiam non solùm injunctam à se in priore Confessione, sed etiam injunctam ab alio, saltem si ipsi recenseas, quæ priori Confessario, aut in priore Confessione, ut fert longè communior opinio Suarii *Disp. 38. Sect. 10.* contra Vasq. quin imò Navarrus *in Manual. Cap. 26. n. 22.* ac plures alii, etsi contra verosimiliorem, censent, non esse opus, ut iterum confiteare, quæ priùs eidem Confessario dixeras. Quod ego probo, si iste Confessarius habeat adhuc confusam memoriam tuorum criminum.

776 III. Exiguam autem speciem veri habet, quod aliqui relati à Diana *Part. 10. Tract. 12. Resol. 43.* tradunt, scilicet posse etiam extra Confessionem fieri abuno Confessario commutationem satisfactionis statutæ ab altero. Etenim jurisdictio Confessarii expirat, dum non sedet, ut judex, seu dum non audit Confessiones. Lugo *n. 110.* cum communi contra alios, quos inter Valerus apud eundem Dianam *Part. 4. Tract. 4. Res. 24.* testatur, se non semel id 777 fecisse. Testor ego., me nunquam. At existimo, me bis, térve fuisse ex causa non levi secutum *practicè* opinionem ejusdem Dianæ, atque aliorum censentium, id rectè extra Confessionem fieri circa pœnitentiam, quam ipsus injunxisti. Saltem si non ita pridem, & sis utcunque memor detectorum in Confessione. Hæc sufficiant de materia satisfactionis, tametsi haud paulò plura conscripsi in hanc rem.

* * *

CONFESSARIUS OBLIGATUS SIGILLO.

CASUS XXII.

Fidelitatis Prædicanticæ.

SUMMARIUM.

Casus duorum Prædicantium revelantium sigillum. 778.
Quid sit Sigillum Sacramentale? *781.*
An obliget, quando sit Confessio laico, habito pro Sacerdote? 783.
An præcones hæretici, de quibus n. 778. fregerint propriè sigillum Sacramentale? *785.*
Ex qua Confessione oriatur illud sigillum? 787.
Quænam generatim cadant sub sigillum? 788. & 789.
Enumerantur complura in specie ex iis, quæ cadunt sub sigillum. 790. & seqq.
Singulariter quomodo objecta peccati. 791.
Et virtutes. 795. & 796.
Et an illa, quæ panduntur dicendo: Manifesto hoc, & hoc sub sigillo Confessionis. *797.*
Et an illa, quæ in confessionali sine ordine ad Confessionem Sacramentalem. *798.*
Quibus modis frangatur Sigillum? 799. & seqq. distinctè.
Singulariter, quomodo indirectè? *801.*
Aut quando obscurè nominatur pœnitens, seditа, ut argutissimus possit devenire in notitiam. 809.
Aut quando in confuso aliqui de certa communitate. 810. & 811.
Aut quando Confessarius loquitur nimis altâ voce, vel injungit pœnitentiam publicam. 812.
Casus indiscreti Confessarii. 817.
Item alterius. 818.
Et rursum alterius. 820.
Item mulieris Peruanæ, confitentis imagini S. Ignatii, & petentis ab eo absolutionem. 822.
An in hac Confessione sit fas loqui de rebus auditis in alia? 825.
Aut statim post absolutionem loqui de auditis? 828.
An aliàs ex ejus expressa licentia? 830.
Quando censeatur dare expressam? 831. & 834.
Est mortale, revelare etiam veniale sine licentia. 836.
Et quidem in quocunque casu. 837. & 838.
Itaque tenendum est æquivocatione, quando nequit aliter declinari revelatio. 840.
Pœna frangentis sigillum. 842.
An possit esse pecuniaria? 843.
An sit arbitraria? 844.
Omnis pœna est nunc arbitraria ex causa. 845.
An Confessarius dicens, se habere facultatem revelandi, teneatur probare? 846.

An

An liceat instituere inquisitionem in illum, qui dicitur fregisse sigillum? 847.
An in aliquo casu revelare id, de quo dubitas, utrùm audieris sub sigillo Sacramentali; *an* Naturali? 848.
Quas personas obliget sigillum? 849. & seqq. distinctè.
Singulariter, an illas, quæ interfuêre concioni, in qua Confessarius publicè fregit sigillum? 860.
Et an licitè *parochus audiat parvos pueros, ante suum Confessionale narrantes altâ voce suas culpas? 863.*

778 *N. Opificio N. ex oppido N. duobus suis liberis venenum præbuit, ut eos interficeret. Quorum unus in impii parentis manibus ridendo obiit, alter virus ejecit. Hæc res cùm manifestari cœpisset, aufugit, sed, ut conscientiâ stimulante exoneraret se, cuidam Prædicantiex N. Confessus est, cujus operâ in vincula est conjectus, brevi afficiendus extremo supplicio.*

779 *Simile quid accidit in Oppido N. ante aliquot Annos. Nam persona quædam incarcerata, cùm adigi non posset, ut crimen fateretur, eam conveniens Prædicans persuasit illi, ut sibi tanquam Patri spirituali, & animarum Pastori verum ediceret, cui proinde Confessa est. Ac ille è vestigio accurrit ad Archi-Præfectum, refert, quæ audiit. Mulier morte crimen luit. Qui supplicio interfuit ex officio, nobis hæc referens dixit:* Der Teuffel beichte dem Prædicanten / ich nicht: *Diabolus confiteatur Prædicanti, ast non ego.*

780 Prælatus quidam Ordinis Religiosissimi, vicinus uni illorum oppidorum duorum, vicinissimus alteri perscripsit hæc ad me die 15. Januarii A. N. nominatis illis duobus oppidis, & opificio parricidæ. Quæret fortè nonnemo, utrùm uterque ille Prædicans extiterit sacrilegus, an solùm iniquus violator sigilli, seu arcani arcanissimè crediti; & respondendum est, peccâsse quidem gravissimè adversùs religionem sigilli, id est, secreti *naturalis*, illud quippe servandum est, quamdiu salvâ conscientiâ servari potest, singulariter quando ex ejus revelatione imminet mors illi, qui credidit, sicuti pluribus declaro *in Theolog. Iurid. Moral. Cap. 19. Sect. 10.* at verò non fuisse sacrilegum temeratorem secreti, sequendo doctrinam aliquorum Theologorum. Fuisse, sequendo aliorum, ut paulò post elucescet.

781 Quæritur enim de Sigillo *Sacramentali I. Quid illud sit? Quando obliget? Quidve cadat sub sigillum?*

Resp. I. *Sigillum* Sacramentale, *seu Confessionis, est obligatio servandi secreta, & tecta illa, quæ accepta sunt ex Confessione, tendente ad Sacramentum Pœnitentiæ, saltem secundùm intentionem pœnitentis.* Laymannus *Lib. 5. Theol. Moral. Tract. 6. cap. 14. num. 2.* seu *sigillum translatâ metaphorâ ab eo, quo secreta obsignantur, ne aliis palàm fiant, dicitur obligatio, qua res* Sacramentali *Confessione concreditæ Confessarium obligant ad eas perpetuò celandas,* ut optimè describit Rasserus *De Pœnit Cap. 9. §. 1.* ita ut illud omne, & solùm secretum, quod oritur ex Confessione *Sacramentali*, sit sigillum illud, de quo Theologi differunt, & de quo leges Ecclesiasticæ disponunt, dum explicant, quæ, & quanta obligatio servandi secretum Confessionis incumbat Sacerdotibus. Atque ita sentiunt omnes, qui explicant, ex quanam Confessione proveniat obligatio sigilli. Porrò 783 quid sit Confessio *Sacramentalis*, explicavi copiosè *Cas. I. num. 9.* ubi reflexè scripsi cum authoribus illic relatis, etiam tunc esse Confessionem *Sacramentalem*, quando in ordine ad absolutionem sit *existimato* sacerdoti, id est, illi, qui putabatur pollere potestate remittendi peccata loco Christi Domini, cùm tamen careret. Hinc obligatio sigilli reperitur etiam, quando laicus putans, vel fingens, se posse loco Christi remittere peccata, excipit Confessionem hominis idipsum sentientis de illo. Hurtadus *in 3. Part. Disput. 12. De Pœnit. difficult. 3.* faventibus à fortiori Adriano, Navarro, aliis apud Dicastillum *Disp. 12. dub. 3. num. 29.* contra eundem Dicastillum *num. 30.* & plures apud ipsum, negantes, oriri obligationem sigilli, quando confiteris illi, quem scis esse hominem laicum, at credis, posse absolvere in absentia Sacerdotis; & singulariter contra O- 784 nuphrium, quem refert Diana *Part. 5, Tract. 11. Res. 15.* (meritissimò contradicens,) scribentem post Toletum, duo requiri ad obligationem sigilli: *primum*, ut narratio peccatorum fiat jurisdictionem habenti. *Alterum*, ut fiat in ordine ad absolutionem. Nam hoc secundum utique exigitur, at nequaquam primum, alioqui Sacerdos carens omni potestate in reservata, aut in mortalia posset salvo sigillo evulgare, quæ audiit in Confessione.

E quibus deduces, meritò me dixisse *num.* 785 *780.* illos duos improbè garrulos Prædicantes peccâsse adversùs religionem sigilli *Sacramentalis* juxta nonnullos, non peccâsse juxta alios. Suppono enim, illum, & illam, de quibus facta mentio, verè existimâsse, sicuti plurimi è plebe acatholica persuasum habent, dimitti sibi aliquâ tandem ratione à suis Ministris crimina, quæ patefaciunt ipsis in Confessione secreta. Unde etiam exprimitur in nostro casu *Fi-* 786 *delitatis Prædicanticæ*, primum voluisse suam exonerare conscientiam. Quia verò de muliere non ita clarè exprimitur, sed potiùs videtur illa misera, seu stulta mulier suo fraudulentissimo Pastori aperuisse veritatem, solius aut consilii, aut patrocinii gratiâ, ideo saltem ex hoc capite verosimilius est, illum verum è phrasi Græca *sycophantam* violâsse solas leges sigilli, seu secreti *naturalis*, non autem *Sacramentalis*;

787 II. Itaque sigillum *Sacramentale* oritur ex omni, & sola Confessione *Sacramentali*. Dicastillo *cit. Disp. 12. num 24.* testans, hanc esse receptam, communémque sententiam, ac referens pro ea multos, ideóque sit ista *prima* generalis Regula.

788 *Omnia, quæ pœnitens manifestat Sacerdoti vero* (vel existimato) *in ordine ad* Sacramentalem *absolutionem* (saltem confusè, ut explicavi *cit. Cas. I. num. 12.* ex Suarez) *animo se accusandi, cadunt sub sigillum Confessionis. Nisi aliunde nota sint Confessario.* Bonacina *De Pœnit. quæst 6. Sect. 5. punct. 2.* ex communi, adeóque etiam illa, quæ hodie extra Confessionem aperis Confessario, sed solùm, ut te dirigat ad meliùs peragendam cras Confessionem. Ita rursum communis. Dixi: *Nisi aliunde nota sint Confessario*: hallucinati sunt enim olim nonnulli, rati, inviolabile prorsus pessulum ori affigi Confessarii, quando inter confitendum recèn scitur ipsi delictum, quod patrari viderat suis oculis.

789 III. His adde illam aliam generalem Regulam: *Omne illud cadit sub sigillum, cujus in sola Confessione* Sacramentali *cogniti revelatio possit meritò Confessionem reddere gravem, & odiosam.* P. Greg. de Valent. *Tom. 4. disp. 7. q. 13. p. 3.* cum aliis communiter.

790 Ex his duabus Regulis infero breviter sequentia.

I. Omnia tam præterita, quàm futura peccata pœnitentis in Confessione audita cadunt sub sigillum, esto sint tantùm aut venialia, aut omnibus aliis cognita. Igitur es fracti sigilli reus, tum si de furе mox suspendendo dicas: *O quanta cum contritione est mihi Confessus sua furia!* Diana *loc. cit.* contra Medinam. Tum si dicas, Cajum esse tibi Confessum aliquod mortale peccatum, esto non nomines illud, tum si exprimas certum aliquod veniale. Secùs, si generatim dicas, esse tibi Confessum aliquod veniale, aut juxta Lugonem *cit. Disp. 23. n. 50.* si solùm dicas: *Cajus est mihi Confessus venialia.* Secùs, si dicas: *plura venialia.* Hurtadus *cit. Disp. 12. diffic. 4.* sicut & es sacrilegus violator, si manifestes tui pœnitentis mala proposita, esto nondùm sint mandata, nunquam mandanda executioni, nisi fortè tibi manifestâsset animo te seducendi, non autem confitendi. Lugo *n. 53.*

791 II. Non solùm vera, sed etiam falsò existimata peccata sunt materia sigilli. Lugo *n. 58.* sicuti & omnes peccatorum circumstantiæ, imò & objecta, adeò ut frangas sigillum, si, postquam pœnitens tibi fassus est: *Dixi aliquibus nostrum D. Parochum blasphemâsse instar Gentilis*, alicui narres, illum Parochum ita blasphemâsse. Nam objectum quoque peccati, ut dixi, cadit sub sigillum. Expressè Filliuc. *Tract. 7. n. 321.* ergo etiam, quando ex sola *Sacramentali* Confessione scis, aliquem esse ob crimina conjectum in carcerem, sacrilegè dices, esse incarceratum.

Sunt & materia sigilli defectus naturales, 792
qui deteguntur ad explicandam rationem sui peccati, ut quando dicis, te suscepisse Ordines Sacros, cùm tamen sis illegitimus. Si tamen circumstantiæ sunt publicè notæ, & simul carent probro, potes innoxiè de illis loqui. Ut quando quis Confessus est, se peccâsse cum aliqua, cùm tamen sit Clericus in majoribus, aut conjugatus. Lugo *n. 57.* sicut & sine sacrilegio loquêris de defectibus, quos notâsti non ex Confessione, sed in Confessione pœnitentis, ut si ex modo loquendi notâsti, esse blæsum, surdastrum, solœcopœum, hebetis, aut pertinacis ingenii, naturæ irresolutæ, molestæ. Lugo *n. 601.* etiam negans post Navarrum, te esse reum sacrilegii, si ex tui pœnitentis Confessione cognoscens esse scrupulosum, suis næniis, impertinentiis, minutiis obtundere caput Confessarii, hæc ipsa omnia evulges. Quæ tamen doctrina etsi satis communis, meritò negatur à Coninck *Disp. 9. n. 11.* & ei contraria vocatur probabilis à Rastero *De Pœnit. Cap. 9. num. 5.*

Verè enim talis evulgatio, seu revelatio 793
reddit Confessionem molestam, odiosámque, saltem si hæc omnia dicantur de uno, eodémque (non item si duntaxat unum, alterúmve) aut si *absolutè* dicas, hunc, aut illum esse valde scrupulosum, valde sæpe ineptire, valde sæpe non obedire Confessario, cùm oporteret.

III. Complicis quoque peccatum ligatur 794
legibus sigilli. Tum quando complex est nominatus ad explicandam malitiam actûs, ut omnes tradunt, tum secundùm aliquos, quando illa nominatio fit absque ulla necessitate, aut etiam cum peccato, ut quando Confessario cognoscenti tuum fratrem Sempronium dicis: *Iuvi meum fratrem Sempronium in efferendo furtim vino ex cella.*

IV. Quin Turselinus in vita S. Francisci 795
Xaverii, Ceparius in vita B. Alosii scribunt, eorum Confessarios fuisse testatos, quòd virginitatem perpetuam servârint; & hoc ipsum tum universim de immunitate ab omni peccato mortali, tum sigillatim de intemerata virginitate multorum Cœlitum plurimi referunt ex ore Confessariorum ipsorum, & singulariter Ribadeneira scribit in vita nostri S. Fundatoris, hujus Confessarium dixisse, si vel paucas horas esset superstes illi Sancto, se mirabilia de illo palam facturum. Ideo videtur inprimis judicio, factóque talium, quà Confessariorum, quà Historicorum approbata sententia Patris Emanuelis Sa, *verb. Confessio n. 3.* aliorúmque *absolutè* negantium, virtutes, quas in, vel ex Confessione tui pœnitentis cognovisti, fixisse sedem in ejus animo, cadere sub sigillum, nisi, ut addit Lugo *n. 18.* eæ sint enarratæ ad indicandam suam ingratitudinem in servitio Divino post tot cœlestia dona accepta.

Tum

796 Tum singulariter, an mihi, qui hæc scribo, sit fas exprimere nomen.

Unius è Societate nostra,

Qui cùm in agone constitutus fecisset ultro Confessionem generalem, accuratámque totius vitæ, & ego clarè deprehendissem, eum nullâ graviore noxâ unquam offendisse Deum, quæsivi ex ipso, an per eum mihi liceret ad ædificationem nostrorum manifestare illum singularem Dei erga ipsum immeritum favorem, absolutè *negavit, sed id permittere. Quare hactenus celavi, etsi minimè dubius illum optimum Virum id mihi vetuisse inductum solâ animi demissione. Respondeo autem, me quidem videri posse usurpare illud Raphaëlis*: Opera Dei revelare, & confiteri, honorificum est. Tob. 12. *quia tamen censeo præstare, ut sileam, sileo, minimè taciturus, nisi indixisset silentium. Volui in petenda licentia esse cautior, quàm necesse erat.* Vide *numerum 942.* de Bellarmino.

APPENDIX VIRGINUM.

SEd observa priùs, scriptorem Vitæ Domini Alani *Lib. 3. Cap. 3.* de se ipso, déque hoc laudatissimo Abbate, & Episcopo ita scribere: *Iubilæo, quod proximè* (id est Anno 1651.) *præteriit, exomologesin apud me generalem summa cum accuratione, solicitudinéque deposuit, ut affirmare possim, quòd ne quidem ullam mentionem fecerit ullius impuritatis, tanquam Angelus cœlestis, non terrestris foret.* Similiter Reverendus P. Ambrosius Randing Ordin. Præd. in Vita Pii V. referta heroicis factis, hujus olim Beatissimi, nunc glorioſiore abbreviatione duntaxat Beati Pontificis, sic oritur §. 23. *Et integerrimam Virginalem puritatem, & purissimam ab omni lethalis noxæ vulnere mentis, integritatem, usque ad extremum vitæ halitum singulari Dei munere Beatum Pium V. conservâsse, plura sunt, quæ satis comprobent.* Postmodum hoc suum effatum firmat authoritate duorum Pii Confessariorum, subinde evectorum ad summos honores. Quod ego quidem hìc memoro, non modò ad robur doctrinæ paulò antè exhibitæ, sed vel maximè, quia existimo non esse negligendam mihi ansam conferendi pro meo modulo, & facultatula, próque re natâ aliquid ad promovendam religiosam venerationem hujus tam excelsi servi Dei, utpote cujus viventis paternum in minimam Societatem nostram studium ita luculenter effulsit, ut in ipsa Urbe Roma vulgò jactatum fuerit id, de quo suprà *Tr. 6. n. 294.* Equidem nominatus P. M. Ambrosius Randing §. 30. exhibet tria adeò singularia argumenta hujus propensissimi, clementissimi affectûs ut promereantur æternam, piissimámque in animis omnium posterorum memoriam. Exhibet autem hisce, Religiosam quoque in nos charitatem testantibus verbis: *Cernens* (B. Pius V.) *ingentes ac salutiferos fructus inclytæ Societatis Iesu & in utraque India & in Europa productos, magnopere eam fovere, & propagare cupiens, non solùm concessit, ut eisdem privilegiis, indultis, & gratiis concessis, & concedendis uti, frui, & gaudere possit, quibus utuntur & gaudent Fratrum Mendicantium Ordines, sed & aliis eam favoribus prosecutus est. Nam Collegio Avenionensi, ut contra frementes in vicinis Hugonotos, velut antemurale propugnaculum esset, ex proscriptorum ab Vrbe rebellium & hæreticorum bonis, per Legatum suum Cardinalem de Armeniaco, quingentorum aureorum reditus assignavit. Sigismundo Augusto Regi Poloniæ auctor & suasor fuit, ut Societatem in Poloniam receperit, eique tria magnifica Collegia extruxerit, ex quibus ingentia in eam gentem bona promanârunt. Andreæ Oviedo, Castellano, & Melchiori Carnerio Lusitano, ex eadem Societate à Iulio III. Æthiopiæ, Sinarum & Iaponum constitutis Pontificibus & Patriarchis, authoritatem novis privilegiis confirmavit & auxit. Sed & in Principe Vrbis Basilica ejusdem Societatis Patribus Pœnitentiariorum munus commisit.* Hactenus Admodum Reverendus P. Ambrosius.

V. Sigillo Confessionis nequaquam com- 797
prehenduntur illa, quæ quis etiam suo Confessario manifestat dicens: Hoc aperio Ræ. Væ. *sub sigillo Confessionis* nisi ea pandantur in ordine ad *Sacramentalem* absolutionem, sicuti ex communi Doctorum enucleatè declaro *in Theolog. Iurid. Moral. Cap. 19. Sect. 11.* explicans, quantam nihilominus obligationem secreti inducat talis manifestatio, & singulariter, quando, qui ita loquitur, falsò credit, enasci obligationem *Sacramentalis* sigilli.

VI. Quando pœnitens confitetur sine ulla 798
etiam confusa intentione absolutionis accipiendæ, non oritur obligatio sigilli, licèt ipse flectat genua, formet crucem, protestetur se committere sigillo *Sacramentali.* Si enim ex ipsius dictis, aut etiam factis constet, non accedere ad finem obtinendi absolutionem, sed appareat, accessisse solùm animo inducendi Confessarium ad peccatum, non est Confessio *Sacramentalis.* Lugo *loc. cit. n. 47.* Vide Dicastillum *cit. Disp. 12. n. 31.* & Tannerum *cit. q. 9. n. 137.* aut Sanchez *de Matrimon. Lib. 3. d. 23. n. 6.*

Quæritur II. *Quibus modis frangatur sigil-* 799
lum Confessionis?

Resp. Sequentibus I. Quando rem juxta dicta in *præcedenti* quæstione comprehensam sigillo ita manifestas verbo, vel facto, ut quispiam possit prudenti vel opinione, vel suspicione assequi, quisnam (in individuo) rem illam patrârit, aut quemnam res illa arringat. Ratio est, quia hoc loquendi, agendive modo 800

redditur Confessio odiosa. Dixi suspicione *prudenti*. Nec enim curanda imprudens, improbabilis, planè temeraria suspicio, cùm *moraliter* impediri non possit. Lugo *num. 106.* post S. Thom. & alios.

801 II. Itaque generatim frangitur sigillum, etiam, quando *indirectè* revelatur res cadens sub sigillum, ut fatentur omnes DD. patétque *ex Cap. Omnis utriusque. De pœnit. & remiss.* ita statuente: *Caveat omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.* Censetur autem *indirectè prodi*, seu revelari pœnitens, complex, aut objectum, quando quid dicis, facis, omittis, ex quo prævides futurum, ut, qui illud dictum factum, omissionem *immediatè* aut etiam *mediatè* cognoscent, sint probabiliter judicaturi, aut suspicaturi, quisnam in individuo sit ille quem tuum dictum, factum, omissio tangebat. Siquidem ex sola Confessione nôsti id, quod tuo facto indicas, aut nôsti quidem non ex sola Confessione, sed vel ideo magis affirmas, quia etiam certitudinem habes ex Confessione, vel ad narrandum moveris solâ notitiâ Confessionis, quia e. g. quando illud recenses, non meministi, te aliunde etiam comperisse.

802 III. Agis quoque tunc contra sigilli religionem, quando uteris notitiâ Confessionis, vel intra Confessionem ipsam juxta dicenda *Cas. XXIII. num 870.* vel extra Confessionem loquens cum tuo pœnitente, non consentiente, de rebus illis, de quibus non auderes sine ejusdem consensu loqui cum aliis. Tannerus *cit. q. 9. num. 132.* ex communi contra aliquos. Esto loquaris, ut eum consoleris. Sotus apud Dicastillum *dub. 7. num. 143.* nec assentiente, nec dissentientem.

803 Alia est ratio, quando vel intra hodiernam Confessionem loqueris de rebus auditis in Confessione antemensem, apud te ab eodem pœnitente peractâ, vel statim post finitam datámque absolutionem mones quidpiam, quod oblitus eras, ut dicam *n. 828.*

804 IV. Damnaris Sacrilegii, si dicas: *Cajus est mihi Confessus, sed negavi ipsi absolutionem.* Nam prudenter suspicantur homines, esse ideo negatam absolutionem, quòd Cajus vel attulerit Casum reservatum, vel caruerit proposito emendationis, nisi addas e. g. non absolvi, quia non est compos rationis, vel quia cœpit Confessionem generalem, perfecturus illam primùm eras. Lugo *num. 84.* Quod si interrogeris, utrùm absolveris hunc, aut illum publicum usurarium, publicum concubinarium, respondes: *Functus sum meo officio.*

805 *At ipse rem ultro, & publicè dixit, me negâsse ipsi absolutionem, cur non & ego?*

Resp. Ideo, quia tu, non autem ille, teneris lege sigilli. Nec facit hoc ipso tibi jus prodendi *indirectè* ejus nequitiam quòd ipse exultet in rebus pessimis. Hinc Lugo *num. 85.* asserit, falsum sentire scribentes, te tunc *licitè* aperire veritatem. Aut si solùm subdas: *Ipse dixit, quòd eum non absolverim.* Si videlicet cum ea conformatione vultûs, oris, oculorum &c. ut audientes facilè intelligant, te indicare velle, quòd talis concubinarius verum dicat, seu dixerit.

V. Ubi moris est, ut tempore Paschali tradantur à Confessario (uti fit in longè plurimis locis, & nunc quoque Constantiæ) omnibus Confessis schedæ Confessionis factæ testes, valde probabiliter negari nequit ob defectum contritionis, integritatis, aut propositi. Diana *cit. Tr. 11. Resol. 22.* Laymannus *num. 8.* & alii contra Bonacinam *p. 4.* Lugon. *num. 87.* & alios, si videlicet, ut fit communiter, ex ejus denegatione deveniri possit in notitiam defectuosæ Confessionis. Rallerus *cit. Cap. 9. §. 6.* notans, te dando schedam non cooperari aut mendacio tui pœnitentis, dicturi, se esse absolutum, aut indignæ perceptioni Venerabilis Sacramenti, præsertim si eum moneas, ut abstineat. Excipit Laymannus casum, quo quis simulato animo ad Confessionem accedit, ut vel hæresin tegat, vel infamiam vitet, nam tunc non fit ulla *Sacramentalis* Confessio. 806

VI. E diverso fieri potest, ut pecces contra sigillum dicendo, hunc, aut illum esse tibi Confessum. Si videlicet dicas in ea circumstantia, in qua colligi possit, fuisse factam Confessionem peccati reservati, aut alterius mortalis. Secùs, si hæretico domino quærenti, an suus filius, aut famulus sit tibi Confessus, fatearis, sciens, malè tractatum iri, etsi enim tunc pecces contra charitatem, non tamen contra reverentiam sigilli. 807

VII. At reus violati sigilli existis, si non nomines quidem personam Confessam, ejúsve complicem, attamen ita narres peccata, ut argutissimus quispiam possit devenire in notitiam. Ut quando dicis: *Audivi hodie peregrinum Sacerdotem multis horrendis criminibus coopertum.* Quid si enim quis ex occulto vidit illum Sacerdotem ingredientem, egredientem tuum Confessionale, & vultum probè notavit? Sicut & quando de duobus adolescentibus solitis tibi confiteri loquens laudas eximiè ab innocentia unum, de altero altùm taces. Aut quando duo filii unius civis solent, ut & ipse pater, suas conscientias tibi detegere, & datâ, vel arreptâ occasione dicis: *Quàm innocens, quàm alienus à ludo, quàm frequens in re divina est tuus Petrellus!* nihil memorando de Joannello. Ludov. Beja *in Casibus Lib. 3. Cas. XV.* 808 809

VIII. Idem crimen conscisci, quando ex sola Confessione notum habens, aliquos *parvæ* domûs Religiosæ, *parvi* pagi incolas esse valde flagitiosos dicis: *In hoc pago, in hoc Monasterio sunt aliqui valde scelerati.* Nam hoc modo infamatur totum Monasterium, totus pagus, & consequenter illi, qui sua tibi ulcera aperuerunt, infamantur, & pudore afficiuntur 810

coram

coram aliis. Suarez *sect. 3.* Lugo *n. 63.* alii contra Navarr. Henriquez alios. Sicuti & damnandus Abbas, Guardianus, Rector, qui suo Visitatori, Provinciali &c. diceret: *Mei Fratres sunt mihi molesti multiplicibus casibus reservatis.* Turrianus apud Dianam *cit. Tr. 11. re-*

811 *sol. 45.* & alii. Si tamen diceres quidpiam tale de aliqua magna urbe, Monasterio 500. aut mille Monachorum, ut olim numerabantur sub S. Pachomio, & etiam Isidoro, posses faciliùs non à sola detractatione, sed etiam à Sacrilegio excusari.

812 IX. Incuso adhæc ego Confessarium vel ita altè (citra necessitatem, aut cum plena advertentia, quæ facilè potest deesse) loquentem. ut præsentes intelligant unum, alterúmve peccatum, vel injungentem renitenti pœnitentiam faciendam coram aliis, si videlicet hi inde conjiciant, Confessum esse grave peccatum. Si autem peccatum erat jam notum aliis, & judicavit Confessarius, pœnitentiam publicam esse necessariam ad satisfactionem aliorum, eámque, ut tenebatur, acceptavit pœnitens, non adest violatio sigilli peccaminosa, quia facta, consentiente pœnitente. Vasquez *q. 94. a. 2. dub. 2.* latè hoc tractans, & Suarez *d. 83. sect. 6. absolutè* tradens, quando peccatum est publicum seu notum aliis, fas esse pœnitentiam imponere, ex qua cognoscatur, illum esse Confessum tale peccatum, nisi habeat pœnitens rationabilem causam, cur nolit accep-

813 tare. Sicut & sine Sacrilegio dices, te huic, aut illi imposuisse pro pœnitentia psalmum *De profundis.* Lugo *num. 89.* Secùs juxta Dianam *Resol. 31.* si dicas, te injunxisse rosarium. Nam in utroque casu manifestas quidem *indirectè* peccatum pœnitentis, sed in primo duntaxat veniale commune, in altero aut mortale, aut certè grave veniale. Quod ipsum ego cum Dicastillo *num. 123.* contra Dianam sentio de psalmo *Miserere.* Non enim injungitur nisi propter unum grave, aut multa venialia peccata.

814 X. Illum quoque damno, qui de suo pœnitente negat, eum esse sibi Confessum adulterium, furtum &c. si neget in ea circumstantia, ut audientes facilè, & verè conjiciant, omisisse ex verecundia damnata. Lugo *n. 60.* Etsi enim tunc non reveles furtum, revelas *essentialem* defectum Confessionis.

815 XI. Damno & illum, quide aliquo suo pœnitente dicit, vel eum esse spurium, pauperem, eunuchum, si pœnitens dixit, ut declararet suum peccatum. Dicastillo *num. 51.* Vel eum esse Confessum plura venialia, secùs, si solùm dicat: *Est mihi Confessus venialia.* Dicastillo *num. 50.* excusante Navarro *in cap. Sacerdos. Dist. 6. De pœnit. n. 73.* dicentem: *Vado ad audiendam reconciliationem Caji, qui suis minutissimis peccatis, ut solet, me onerabit, quia is solùm venialia peccata illius in genere revelat*, inquit Navarrus. Cui si adversaris, adversor & ego. Nemo enim minutissimis peccatis onerat, nisi sint valde multa. Vel illum commisisse hoc, aut illud crimen, dubitans, an sibi revelârit in ordine ad Confessionem, præsumendum enim est in favorem Confessionis, & pœnitentis, ne Confessio reddatur odiosa. Dicastillo *n. 62.* post Suarez, & alios, de quo infrà *n. 848.*

XI. Meritò à P. Fornario *Cap. 3.* scribitur, 816 esse optimum consilium, ut Confessarius nunquam temere (id est, sine justa causa) loquatur de rebus auditis in sola Confessione, adeò ut, quando ad petendum Consilium proponis dubia orta ex Confessione, non dicas, occurrisse tibi ratione Confessionis, sed potiùs quid agendum sit, si forte hic, aut ille casus contingat.

XIII. Denique inferes, quid censendum 817 de sequentibus sex

Casibus non fictis.

A Homo Germanus confitetur Italo in Civitate N. tempore Paschali se fuisse ebrium. Ratus Confessarius, ebrietatem illam contigisse in Quadragesima (evenerat in Bacchanalibus) exclamat aliis audientibus: O Jesu! An sine crimine sacrilegii?

Resp. Non utique. Nec enim nisi grave peccatum poterant sibi imaginari auditores. Narravit mihi de se ille optimus Germanus, nunc Juris Doctor, expresso nomine Urbis.

B. Cùm, me cernente, audivisset cujus- 818 *dam Confessionem, simul ac eum audivit, venit ad me consulendum de quodam casu Confessionis, & mox accepto consilio reversus pœnitentem absolvit. Quis non videt, hunc feciſſe aliquid, ex quo intelligerem, ab illo pœnitente fuisse illud commissum?*

Ita scribit, & de se testatur Navarrus *in Cap. Sacerdos. Dist. 6. num. 57.* meritò tradens illum B. errâsse.

C. Non revelavit Confessionem, dum, 819 *me audiente, dixit: Vado ad audiendam reconciliationem talis, qui suis minutissimis peccatis, ut solet, me onerabit.*

Ita censet Navarrus *loc. cit. n. 73.* referens hunc brevem Casum, ego autem censeo, revelâsse propter causam allatam *n. 815.*

D. Confessarius dicit viro Nobili: Tua 820 uxor est omnino prima ex iis, quarum Confessiones excepi. *Post unum, alterúmve Annum, eidem datâ occasione, & immemor priorum verborum dixit:* Prima, quam confitentem audivi, fassa est mihi adulterium. P. Tannerus *cit. quæst. 9. num. 129.* referens hunc Casum, & meritò annumerans Sacrilegis revelationibus.

E. Morie

821 E. Morio Principis flexis genibus aperit Sacerdoti gravia peccata. An cum obligatione sigilli? Hunc Casum retuli *Cas. XI. num. 400. & seqq.* & nunc nego cadere sub sigillum, si fuit planè amens in eo actu, ut quia fassus, quæ certò non commisit.

822 *F. Mulier Pervana videns, sibi inexpiatæ moriendum: quando, inquiebat, abest Sacerdos ignaviâ domesticorum, deponam apud Sanctissimum Ignatium sarcinam noxarum, atque ex suo strato exsiliens, Ignatii papyraceam imaginem deripit è pariete, procumbénsque optime mentis mulier in genua, dat se totam in lachrimas, Beatóque Ignatio quasi præsenti & audienti, quantum ab ultima pueritia commeminisse potest, noxas omnes exponit. Tum ad eum oratione conversâ,* Impetra, quæso, *ait*, peccatorum veniam, & mox impertire. *Sub hæc verba inclinavit caput, quasi exceptura formulam absolutionis, in eóque corporis positu placidissimè animam exhalavit, domesticis ex occulto explorantibus gesta.*

823 Sic refert P. Leopold. Mancinus noster in multùm laudato volumine *de Passione Domini Lib. 2. dissert. 5. morali doctrina 3.* inde volens docere, qua solertiâ defectus Sacerdotum, juxta ac Sacramentorum ab ipsismet mortis colluctatoribus valeat suppleri. Ego inde infero, 824 nullum ex ea Confessione *Sacramentale* sigillum fuisse enatum, eò quòd Confessio illa non fuerit *Sacramentalis*. Si hic Casus proponeretur Theologiæ Candidatis disceptandus in aliqua concertatione literaria, non deforent ingeniosis argumenta speciosa, quibus probaretur, definitionem Confessionis *Sacramentalis* convenire illi, ut ita loquar, papyraceæ, quam idcirco quoque nego esse *Sacramentalem*, quia cùm sit rarissimum, ut quis rei inanimæ, aut alicui cœliti confiteatur cum intentione *Sacramentali*, non videtur Christus Dominus voluisse comprehendi sigillo, aut definitione Confessionis *Sacramentalis*, casus enim tam extraordinarii non solent cadere, sub Regulas communes, ut liquet ex variis pronuntiatis jureconsultorum usurpatis etiam à Theologico Senatu.

825 Quæritur III. *An & quomodo liceat cum facultate pœnitentis loqui cum illo, aliisve de peccatis in Confessione cognitis?*

Resp. I. Non peccas in hac Confessione, loquens cum tuo pœnitente de peccatis auditis in alia ejusdem pœnitentis Confessione, si judices, expedire ad illum melius curandum, esto pœnitens non faciat tunc ullam mentionem 826 præteriti peccati. Ita docui, ac ratione, autoritatéque contra Fagundez, & Dianam probavi *in Theolog. Iurid.-Moral. Cap. 37. n. 29.* ac declaravi exemplo pœnitentis, qui ante Annum est tibi confessus, se carnalem copulam habuisse cum sorore Berthæ, hodie autem indicat tibi in Confessione, se velle post octiduum ducere Bertham, nihil memorans de priore fornicatione cum ejus sorore. Et nónne 827 optimi quique Confessarii dicunt recidivis, de quibus egimus *Cas. XVI.* quandoquidem toties, proh dolor! relabimur in peccatum, & nihil profuerunt priora remedia, volumus inposterum adhibere ista. Vel; *poteris, si placuerit, adire alium Confessarium, fortè juvabit melius, quàm ego.* Vide Dicastillum *dub. 6. n. 90.* latè hoc explicantem, nec dubita de hac nostra doctrina, quam etiam approbat recentissimè Christoph. Haunoldus noster *in Theolog. Scholast. Lib. 4. Tr. 4. num. 1033.* confirmans praxi, qua solemus suadere pœnitentibus, ut constanter utantur uno, eodémque Confessario.

II. Nec peccas, quando statim, finitâ 828 Confessione, & datâ absolutione, aliquid circa illam addis, aut significas pœnitenti, quod oblitus fueras. Lugo, Tannerus *n. 132.* & alii contra Dianam *cit. Tr. 11. Resol. 19.* & Fagundez, nam *moraliter* non censetur fieri extra Confessionem, quod in continenti fit. Dicastillo *n. 92. & 93.* fusè.

III. An, & quomodo liceat extra Con- 829 fessionem loqui cum pœnitente de defectu commisso in Confessione aliquamdiu antè peracta, exposui *Cas. XVI.*

Nunc autem observo, esse longè non modò communiorem, sed etiam veriorem opinionem, quam inter Theologos P. Suarez *cit. Disp. 33. sect 5. n. 8.* & inter Jureconsultos Covarruvias *in 4. Decretal. Part. 2. Cap. 8. §. 11. n. 34.* optimè probant, posse pœnitentem ex gravi causa dare suo Confessario licentiam manifestandi etiam alteri suum peccatum, sicuti probo in Quinario *Tr. 5. Cap. 42. n. 154.* contra Sotum & alios, eò quòd sigilli obligatio sit inducta directè, & immediatè in favorem pœnitentis, esto sit principaliter institutum in reverentiam Sacramenti. Et quamvis communiter loquendo non queat aliquis renuntiare privilegio concesso in favorem publicum. Sotus, Angelus, alii apud P. Suarez *loc. cit. n. 5.* id tamen tunc solùm est verum, quando concessio vergit in incommodum, & probrum publicum, sicuti revera redundaret in tale probrum si Clericus aliquis privatus se sisteret Judici sæculari singulariter in causa criminali. Excusaretur faciliùs, si in merè civili, siquidem pluribus id locis est usu receptum.

IV. Potiore jure fas est cum licentia pœ- 830 nitentis sermocinari cum eo de peccatis pridem cognitis in Confessione. Tannerus *num. 125.* post S. Thom. contra Scotum, quia obligationi sigilli potest renuntiare pœnitens, utpote instituti in ejus gratiam, vel integre, vel principaliter. Debet autem licentia esse *libera, & expressa*, nec enim sufficit vel *coacta*, vel *interpretativa*, ut notant communiter DD. dissentiente apud Dianam *Resol. 32.* quoad *interpretativam* Jacobo de Graffiis, in eo casu, quo ea revelatio est utilis pœnitenti. Ratio communis responsionis est, quia alioqui nimis multi imprudenter, ac falsò præsumerent, adesse *tacitam*, seu *interpretativam* licentiam pœ-
831 nitentis. Censetur autem pœnitens dare licentiam *expressam*, quando ultro ipse interrogat Confessarium, vel loquitur illi de rebus detectis in Confessione. Lugo *cit. Disp. 23. n. 131.* & Dicastillo *Disp. 12. num. 76.* dicens sufficere, quòd ex signis, & circumstantiis constet expressè, *moraliter loquendo*, dari facultatem, ut si dicat Confessario coram aliis: *Tu scis quid dixerim tibi tali, & tali die, si fortè sis oblitus alicujus circumstantiæ, poteris mihi revocare in mentem.* Exprimente etiam Lugone, esse nimiam cautelam aliquorum, qui, ad magis ostendendam fidelitatem sigilli, petunt in tali casu *expressam* facultatem.

832 V. Potest pœnitens prædictam facultatem dare non modò extra Confessionem, ut omnes fatentur, sed etiam intra Confessionem, tribuendo tunc Confessario jus, ut extra Confessionem, manente sigillo Confessionis, possit Confessarius notitiâ uti ad hunc, aut illum effectum. Suarez *sect. 5. num. 5.* cum aliis communiter, adversùs Scotum, & Durandum. Cùm enim sigillum sit inductum in favorem confitentis, ut dixi paulò antè, potest hunc favorem ampliare ex honesta causa, aut restringere pro lubitu nec fit ulla irreverentia Sacramento, præsertim si sponte consentit pœnitens. Cæterùm quando pœnitens loquitur extra Confessionem cum Confessario de peccatis manifestatis inter confitendum, tunc nec ipse Confessarius, nec, quibus iste narrat, obligantur lege sigilli *Sacramentalis*, sed tantùm naturalis, quia revera Confessarius propriissimè dicetur cognovisse illa peccata extra Confessionem. Lugo *num. 133.* nisi fortè pœnitens illam repetitionem fecisset in ordine ad aliam Confessio-
833 nem. Sicut autem, quando in ipsa Confessione dedit pœnitens licentiam Confessario loquendi extra Confessionem de auditis in illa, potest eam licentiam pro lubitu revocare, ita vice versâ, quando extra Confessionem dedit facultatem, eámque acceptavit Confessarius, spoliavit se jure revocandi. Laymann, *n. 16.* post Suarez *d. 3. sect. 5. n. 7.*

834 Et censetur dedisse prædictam licentiam, etsi non narret totam facti seriem, de qua loquendi jus facit. Sufficit, modò indicet verbo illud factum. Lugo *num. 136.* contra Vasquez rectè contra eundem negans, requiri licentiam complicis eo singulariter casu, quo nequit pœnitens se satis aperire, aut sibi prospicere sine complicis nominatione. Vide etiam dicta
835 *Cas. V num. 244.* Denique etsi pœnitens Confessus sit per interpretem, audientibus aliis, non tamen ideo censetur his concessisse faculta-

tem loquendi inter se, multò minùs inter alios, de peccatis auditis. Diana *resol. 23.* contra Medinam, & Henriquez *Lib. 3. de pœnit. Cap. 21. num. 1.* negantes, peccari ab iis contra sigillum.

VI. An, & quatenus liceat ex pœnitentis 836 voluntate permissiva corrigere complicem ipsius, dixi *Cas. V. n. 254.*

Quæritur IV. *Quanta sit obligatio sigilli, & quæ pœna statuta in violatorem?*

Resp. I. Licèt fractio sigilli possit aliquando esse culpa solùm venialis ob defectum advertentiæ, attamen nequit cum ulla probabilitate negari, quin sit per se mortalis, etsi per illam reveletur solùm peccatum veniale. Lugo *num 70.* subdens tamen, non videri damnandum mortalis culpæ, qui revelat aliquid ex Confessione cum valde remoto, & levissimo periculo manifestationis. Verùm non libenter hîc laxo cujusquam linquam.

II. *Est certum, obligationem sigilli tantam* 837 *esse, ut in nullo casu, & propter nullum bonum, etiam pro tuenda tota Republica ab ingenti malo temporali, aut spirituali, violare illud liceat.* Sic loquitur expressè Suarez *De Pœnit. Disp. 33. sect. 1. num 2.* de ipso Confessore, at volens *Sect. 4.* id ipsum intelligi de omnibus sigilli religione obligatis, ut patet ex Rubrica, atque addens, & omnes Theologos contra unum Altisiodorensem ita sentire, & à S. Thom. *in 4. d. 21. q. 3. a. 1.* contrariam opinionem vocari temerariam. Ego autem censeo, esse hac saltem ætate etiam scandalosam, licèt non ignorem, in uno, alteróve casu parcendum à quibusdam Theologis, partim à celeribus Canonistis teneri contrarium illi doctrinæ communissimæ, & rigidissimè observandæ. Cujus potissima ratio est, quia nisi Christus Dominus institutioni hujus Sacramenti, seu præcepto difficillimo sanè de omnibus peccatis mortalibus confitendis addidisset vel *implicitè*, vel *explicitè* istud lenimen de tanta Religione sigilli, pauci omnino in comparatione aliorum adduci possent ad manifestanda omnia sua peccata.

P. Martinus de Esparza *Lib. 10.* sui Cursus Theologici *quæst. 104.* postquam *art. 4.* scripserat cum multis aliis, quorum verba describo in altera, seu Monachiensi editione Quinarii *Tr. 5. Cap. 42. num. 246.* in longissima hac de re Append. *lit. u. In nullo prorsus imaginabili Casu* fas esse citra expressam facultatem pœnitentis revelare ullum illius peccatum, leniturus severitatem tam rigidæ prohibitionis ita sapienter occurrit mirantibus illam eandem severitatem *art. 1. ad 3.* Non videntur satis „ considerâsse, aut penetrâsse naturam notitiæ „ Sacramentalis, ejúsque discrimen ab aliis or- „ dinatis ad fines naturales, quibus perdura vi- „ detur, & irrationabilis doctrina de obligatio- „ ne, & amplissima, & incompensabili sigilli „ Confessionis. Pro tollenda autem ea seu ad- „ miratione, seu abominatione, ponantur in- „

„ primis

» primis ob oculos mendacium, & hæresis ex-
» terna, occisio innocentis (directa) & similes
» actiones illicitæ pro omni eventu ex omnium
» consensu, absque exceptione casuum simili-
» um casibus objectionis. Quidni autem tan-
tundem tribuatur sigillo Confessionis, usque
adeò necessario pro facilitate salutis anima-
rum. Ad quæ roboranda perquam sagaciter
simul & sapienter adducit cilia.

838 Itaque graviter errârunt Hostiensis Joan. Andr. Anchar. & ipse Abbas Panorm. dum re-
ferente, & meritissimè improbante Covarru-
viâ *in Epit. De Matr. Part. 2. Cap 8. §. 12. n. 23.*
docuerunt, fas esse, detegere malum perdendi
Rempublicam propositum, quod quis est Con-
fessus sine animo desistendi Non etiam au-
diendi Gabriël, Dominicus Sotus, & pauculi
alii, rati, quando nequit Confessarius suum
peccatum integre confiteri sine fractione sigil-
li, præsertim in articulo mortis, & quando ille
Confessarius est scrupulosus, fas esse frangere.

839 Multò minus fidei meretur ille, cujus Liber est
Anno 1665. damnatus à Congreg. Indicis,
quique, (ut Jesuitis summam, quam potest, in-
vidiam conflet,) non erubescit scribere, tradi à
Jesuitis doctrinam *scandalosam, erroneam, hæ-
reticam, atheisticam, & perniciosam, dispositam
ad subvertendum universum orbem, exscinden-
da regna, & evertenda imperia*: dum scribunt,
esse *traditionem Ecclesiæ, & aliqui de fide, quòd
nullo prorsus casu liceat sine facultate pœnitentis
revelare peccatum auditum in Confessione sola.*

APPENDIX COTONANA.

HUic veste Religiosâ recto, à penna Religio-
sa malè instructo calumniatori præivere
exemplo illi, de quibus in vita nostri P. Petri Co-
toni, nostram Societatem id temporis quà su-
stentantis, quà etiam attollentis in Gallia, *Lib.
2. Cap. 8.* Petrus Roverius noster mandavit po-
steritati ea, quæ repræsento cum solidissimo
fundamento adversùs Pseudopoliticos & Pseu-
dotheologos.

b „Hoc ipso tempore, *inquit Roverius*, quo
„ Cotonus erat gratiâ apud Regem (*Henricum
„ IV.*) quotidie magis ac magis confirmatâ, ma-
„ levoli quidam, ac parùm certò Catholici, ut
„ Cotono invidiam in Aula pararent, odiosissi-
„ mam quæstionem: *An liceat insidias contra Re-
„ gum incolumitatem structas, si per Sacramen-
„ tum pœnitentiæ agnitas fuerint, aperire*, in cir-
„ culis, ac colloquiis ingerunt: aures quin eti-
„ am Regis, & Ducis Bullionii, qui in Aula
„ adhuc hærebat, sermonibus ejusmodi obsi-
„ dent, adeóque rem urgent, ut inambulans ali-
„ quando Rex cum Bullionio accersitum ad se
„ Cotonum interrogaret: *Si quis contra Regis
„ vitam quidpiam se machinari in Confessione Sa-
„ cramentali ipsi aperuisset, numquidnam es-
„ set, quod ipsum prohiberet, rem Regi secretò
„ renuntiare.* Esset enimverò, inquit Cotonus,
Religio Sacramenti, quæ tota collaberetur „
si vel minima labefactandi secreti via esset „
aperta. Si enim Regis incolumitas, fateor, „
Regni bonum, sed tamen humanum, ac divino „
minus, satis justa causa esset secreti relaxan- „
di, multò certè id justius divini honoris, pro- „
tegendi gratiâ faciendum esset. Atqui hac „
semel patefactâ portâ, quidquid ab homine „
peccati designari Sacerdos in Confessione a- „
gnoverit, id videlicet ne divinus lædatur ho- „
nor, qui nunquam peccato non læditur, non „
erit secretò habendum. Jam cum secreto Sa- „
cramenti potiùs, quàm honori suo cautum „
esse Deus voluerit, ut ad ejus utilitates homi- „
nes prolectaret. Grave sanè videri non debet „
quòd eidem secreto Regum postposuerit in- „
columitatem. Addidit sub hæc, ne Regum „ c
quidem incolumitati satis provisum fore, si „
ejus causâ Confessionis arcanum effringere- „
tur. Postquam enim id inter homines con- „
staret, nemo eorum, qui perniciem Regibus „
machinaretur, adeò desiperet, ut vel Con- „
fessionem institueret, vel de eo scelere, quod „
tanto suo periculo statim enuntiandû sciret, „
verbum in Confessione faceret. Ita dissuasor „
deesset tanto sceleri, qui alioqui præstò esset „
in Confessione, si spe secreti scelus suum de- „
tegere nefarii proditores auderent. „

Hæc ille cùm disertissimè disseruisset. *Tu* „ d
ergo, inquit Rex, *enixè dissuaderes*? Sanè, in- „
quit Cotonus, quàm possem maximè. Nec „
illud tantùm, sed impunitatem etiam illi à „
Rege conarer impetrare, si prodere seipsum „
sceleriscque socios extra Confessionem in ani- „
mum induceret. Si id non auderet, lege „
Sacramenti adigerem, non tantùm ut ipse à „
sceleris cogitatione procul abscederet. Sed „
etiam socios terrore omni intentatò arceret. „
Quid si addidit Rex, *vel tu illi, vel ille aliis non* „
persuaderet? Scelus videlicet perfici sineres? „
Nequaquam, respondit Cotonus. Sed cor- „
poris mei objectu vulnus vel exciperem, vel „
impedirem. *Túne*, inquit Rex, *mihi intenta- „
tum vulnus exciperes*? Non vulnus, inquit il- „
le, sed mortem excipere millies malim, quàm „
ut Regio corpori malè eveniat, arrisit Rex, „
& placidè quæstioni modum imposuit. Quæ „
in tam lubrico, atque inter veritatem & pie „
tatem adversùs Regem tam ancipiti loco, so- „
licitum interim Cotonum habuerat non pa- „
rùm. Hactenus Roverius. „

III. Itaque Confessarius, à quocunque in- 840
terrogatus de auditis in Confessione, debet eti-
am cum periculo mortis dicere: *Nihil ejusmo-
modi audivi unqnam ex illo.* Subaudiendo:
Nihil audivi, *ut tibi.*, *aut alii referrem*, aut ali-
quid simile. Verbo, fas est tibi, uti quibuscunq;
æquivocationibus, aut restrictionibus menta-
libus, quas judicas opportunas ad tegendam
Confessionem, & quæ, si jungerentur illis ver-
bis exteriùs: *Nihil audivi*, facerent exteriùs
verum sensum.

Sed

841 Sed Judex hæreticus dicit: *Tu callide ne-
quam uteris æquivocatione.* Subde: *Deus est mi-
hi testis, me nullâ, nullâ, prorsus nullâ uti*, id
est: *Illicitâ.* Seu *ullâ Græcâ, vel Hebraicâ, &c.*
Cave autem dicas: *Nefas est mihi revelare, quæ
excepi in Confessione.* Sic enim videberis jam
indirectè indicare, esse tibi rem illam non igno-
tam. Lege de hoc argumento Patrem Dicastil-
lo fusè illud exequentem *cit. Disp. 12. dubit. 7.*
Nec dubita, quin sint in summa necessitate li-
citæ ejusmodi locutiones cum iniquo homine.
Secùs extra aliquam necessitatem, quemad-
modum demonstro, & declaro *in Alphab. Qua-
drupl. Part. 2. Cas. XVIII. n. 618. & seqq.* His
junge ea, quæ *in Quinario Tract. 5. Cap. 42. n.
197. & seqq.* dissero circa casum homicidæ
proditi à suo Confessario, absoluti verò à Se-
natu Tolosano.

842 IV. In *Cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6.* sta-
tuitur, ut Confessarius, qui fregit sigillum,
deponatur in perpetuum, & perpetuò peregri-
netur. At *in Cap. Omnis utriusque. De Pœnit.
& remiss.* ut in Monasterium perpetuum com-
pingatur. Hac autem pœnâ afficiendum esse
Confessarium, non autem alios, tradit Lugo
cit. Disp. 23. n. 147. testantúrque Majolus, &
Felicianus *Cap. 14. De degradat.* quandoque
tales garrulos Confessarios plecti capite. Quod
supplicium judico, aliquando esse justissimum.

843 Quæsivit autem non nemo hinc distans spa-
tio facilè septem, vel octo dierum primò, *An
esset excusandus judex Ecclesiasticus, qui puni-
verat solùm mulctâ pecuniaria, etsi gravi, Paro-
chum, qui pro concione cum iis circumstantiis ob-
jurgârat duos, ob peccatum ipsi ab iis non ita pri-
dem detectum in Confessione, ut plurimi ex au-
ditoribus facilè intellexerint, quosnam ille desi-
gnaret, qui etiam toti fuerunt in ruborem dati,
quando audivêre loquentem suum Parochum?*

Quæsivit secundò. *An pœna frangentis si-
gillum sit arbitraria?*

844 Resp. Ad hanc quæstionem utramque
breviter. 1. Pœnam non esse omnino arbitra-
riam casu, quo *directè*, plenè deliberatè mani-
festatur cum rubore, aut damno pœnitentis
peccatum, in secreto *Sacramentali* cognitum.
Ratio est, quia, *per se loquendo*, nequit inferior
judex pœnam à suo Superiore statutam com-
mutare pro arbitrio in aliam. 2. Pœnam re-
clusionis in claustro non videri posse facilè hac
ætate redigi ad praxin. 3. Non satis constare,
utrùm illæ pœnæ sint statutæ in eos quoque,
qui solùm *indirectè*, & ex zelo animarum, li-
845 cèt indiscreto, violant sigillum. 4. Illa mul-
cta pecuniaria fortè fuit tanta, ut quivis pru-
dens judicaret, fuisse gravissimam respectu
personæ. Ergo potuit esse sufficiens, præsertim
in homine cæteroquí valde bono, qualis an fue-
rit ille, de quo Casus, ignoro. Et verò testatur
Maranta *in speculo P. 4. d. 1. num. 65.* hodie *o-
mnem* pœnam, etiam à jure determinatam, ses-
se ita arbitrariam judici, ut possit eam minue-
re, vel augere ex causa, & singulariter, quan-
do quis ultro seipsum prodit, sicuti ex eodem
Maranta, atque aliis aliquando respondi in
causa, qua sæcularis Magistratus mihi ignotus
nolebat ullatenus esse contentus pœnâ etiam
pecuniariâ, quam judex Ecclesiasticus indixe-
rat nescio cui Parocho, nescio ob quod deli-
ctum, injunxerat tamen.

V. Quando Confessarius loquens de rebus 846
auditis in Confessione asserit, se facultatem
habuisse à pœnitente, multi *absolutè* asserunt,
incumbere ipsi onus probandi. Negant *absolu-
tè* alii, aliis distinguentibus. Judex, ad quem
deferetur ejusmodi casus, consulat vel P. Fran-
ciscum Suarez *Tom. 4. in 3. Part.* seu *De Pœnit.
dist. 33. sect. 8.* vel Cardinal. de Lugo *De Pœ-
nit. Disp. 23. sect. 5. n. 149.* vel Dicastillum
dub. 3. n. 63. vel Ignatium Lopez (miror vo-
cari ab his tribus Doctoribus, quorum fidem
secutus sum in quatuor prioribus Editionibus
Bernardum Diez) *in pract. crim. Cap. 109. n. 4.*
ubi censet, quando Sacerdos est probatæ vitæ,
esse ipsi credendum asserenti, se locutum ex li-
centia *expressa* pœnitentis. Vel denique P. Lu-
dovicum Scildere *De Princip. conscient. Tract.
6. §. 3. n. 49.* breviter, & pulchre differentem
de hac re.

VI. Lege, si placet, quæstionem à nullo, 847
quem legerim, discussam, quam ventilo copio-
sè *in Theol. Jurid. Moral. Cap. 42. sect. 7.* edita
Anno 1670. & copiosiùs in hac ultimâ editio-
ne: *An, & quomodo liceat instituere inquisi-
tionem in illum Confessarium, qui dicitur evulgâsse aliqua, quæ non potuit nôsse, nisi ex Con-
fessione?* Ratio dubitandi est, quia talis Con-
fessarius, si caret facultate pœnitentis, non
poterit fateri judici suam criminosam garruli-
tatem, alioquin iterum frangeret sigillum, &
illi, qui ipsum audierunt revelantem, neque-
unt sine scelere loqui de peccato revelato, ut
dicam paulò pòst. Ergo frustra, imò sacrilegè
inquiret judex.

VII. Obligationem sigilli oriri ex sola, & 848
omni Confessione *Sacramentali*, jam dixi suprà
ex omnium sententia, adeóque emergit illa ob-
ligatio etiam ex *invalida* Confessione, ut quan-
do Confessarius caruit jurisdictione, aut pœni-
tens vero emendationis proposito. Vel nolu-
it confiteri, quæ verè tenebatur, & ideo dimis-
sus fuit absque absolutione, &c. Repete defi-
nitionem Confessionis *Sacramentalis* allatam
suprà *Cas. 1. n. 9. & hoc Cas. XXII. n. 783.* & ad-
de ex P. Scildere *loc. cit.* Confessarium dubi-
um, utrùm aliquod crimen v. g. proditio-
nem (utor exemplo ipsius, & verbis) civita-
tis imminentem audierit sub sigillo *Sacra-
mentali*, an verò tantùm sub *naturali*, nullo
unquam casu id revelare posse, quia talis dubi-
us est, an teneatur ex illo secreti præcepto,
quod nunquam cessat, neque dispensatio-
nem admittit, cujus obligatio per consequens
tolli nunquam potest per potestatem huma-

„nam, in quo casu semper amplectendum est „id, quod est tutius. Ita Scildere referens pro se Reginaldum *in praxi, Lib. 3. cap. 2. n. 7.* Bonacinam *De Sacram. Disp. 5. q. 6. §. 5. p. 2. n. 4.* post Dicastillum suprà *n. 817.* contra P. Bardi *De conscient. discept. 6. cap. 11. p. 4. §. 11.* cujus opinio habet plus *speculativæ*, quàm *practicæ* probabilitatis.

849 Quæritur V. *Quas personas obliget sigillum?*

Resp. Duo sunt certa circa hanc quæstionem: alia valde incerta. 1. Certum est, Confessarium legitimum teneri propriè dicto sigillo, adeò ut etiam tunc tenearis, quando tibi nihil tale cogitanti occurrit moribundus, & dicit: *Accuso me de hoc, aut illo peccato. Absolve me.* Lugo *n. 44.* Dicastillo *n. 32.* subdens tamen, te non teneri, si quis tibi invito, & prorsus nolenti attendere, detegat cum *Sacramentali* intentione peccatum aliquod. 2.

850 Itidem certum est, alias quasdam personas, quibus innotuit Confessio, arctari strictissimâ Lege silentii, ita ut mortalissimè peccent, si quid manifestent. Dubium autem est, an ullus planè horum talium oneretur obligatione sigilli *Sacramentalis* propriè dicti, an verò solùm *naturalis*, & ita naturalis, ut nullo casu desinat illa obligatio contra voluntatem pœnitentis, an verò in casu summæ necessitatis desinat obligare. Est autem singulariter quæstio. 1. De interprete. 2. De Superiore, ad quem delatus est casus reservatus. 3. De illo, quem ex permissu pœnitentis consuluit Confessarius. 4. De eo, qui vel casu, vel nequiter audivit detegentem hoc, aut illud peccatum Confessario. 5. De eo, cui Confessarius revelavit alterius Confessionem sine hujus ulla li-

851 centia. Et verò Tannerus *Quæst. 9. num. 133.* post S. Thom. *in Supplem. quæst. 11. art. 3.* & alios apertè inficiatur, quemquam, excepto Confessario, teneri Lege sigilli *Sacramentalis* propriè dicti, eò quòd solus Confessarius sit propriè minister hujus Sacramenti. Alii, ut Suarez *Disp. 33. Sect. 4.* & Cardinalis de Lugo *cit. Disp. 23.* existimant, omnes, quos enumeravi, constringi Lege sigilli propriè dicti, atque universim omnes, ad quos *mediatè*, vel *immediatè* pervenit notitia Confessionis citra consensum pœnitentis, ut loquitur Fagund. Layman. *Cap. 14. n. 17.* & Sanctgallenses *Tom. 10. Fol. 284.*

852 2. In praxi parum (si abstrahas à crimine sacrilegii, quod certò incurrunt, qui sigillum frangunt illicitè) referret, utram prædictarum sententiarum sequereris, si omnes cum Tannero, & Valentia, & quibusdam aliis sectatoribus *primæ* sententiæ sentirent, illam Legem *naturalem*, qua solâ putant teneri ejusmodi homines, obligare prorsus inviolabiliter, & sub reatu sacrilegii. At verò, quia Vasquez, & Hurtadus apud Dianam *Part. 5. Tract. 11. Res. 11.* itémque Medina censent, posse ab aliquibus eorum, quos esse sigillo obstrictos dicemus paulò pòst, revelari, ob gravissimum malum avertendum, ideo plurimùm refert ad praxin, utrà sis opinione prorsus imbutus.

Ego defendo sententias severiores in hac 853 materia, ob rationem indicatam *Cas. VII. n. 322.* & proinde obligo, non sine maxima autoritate ad sigillum *Sacramentale* sequentes. 1. Illum, qui fingens se sacerdotem excepit Confessionem. P. Suarez *cit. dist. 33. sect. 2. n. 3.* & consequenter Prædicantes, de quibus *n. 778.* si finxerunt, se pollere potestate remittendi peccata, & hac intentione aperuerunt iis sua crimina illi duo Rei. Consequenter quoque il- 854 los Galeatos, hastatos, mirificos Confessarios, quos produximus in fronte hujus *Tractatûs*, si quidem, & putârunt se in absentia sacerdotis posse absolvere, & alii fuerunt iis Confessi cum intentione *Sacramentali*. P. Hurtadus *difficultate. 3.* Diana *Resol. 13.* & consentit Suarez *loc. cit.* dissentiente Dicastillo *n. 30.* cum aliis. 2. Interpretem, ut fert longè communior 855 opinio contra non paucos, quorum doctrina cùm sit probabilis, ideò etiam probabilior evadit illa aliorum, qui negant, &, me judice, rectè, quemquam in ullo casu, nisi quo nequiret elici contritio, obligari confiteri per interpretem. 3. Illum, qui legit chartam, in qua erant scripta peccata pro Confessione. Diana *Resol. 27.* cum multis contra P. Tannerum, P. Laymannum, aliósque. Nam illa scheda nimis 856 propinquè se habet ad Confessionem *Sacramentalem*, éstque quasi jam inchoatio illius. Quare non assentior Sanctgallensibus post Layman. innuentibus *Fol. 287.* posse quandoque talem schedam revelari ad servandam innocentis vitam.

Quod autem addit Layman. *Cap. 14. n. 19.* 857 & Sanctgallenses *loc. cit.* peccare solùm veniaaliter, qui talem schedam legit, quando est *moraliter* certus, contineri in ea solùm peccata venialia, & proinde nec peccari, nisi venialiter, vulgando talia aliis, ego cum Diana *Part. 3. Tr. 4. Resol. 112.* non admitto, quia vix est, qui non ægerrimè ferat talem lectionem, talem evulgationem. Unde nec credo, esse licitum 858 colligere, & conjungere fragmenta chartæ ejusmodi laceratæ à pœnitente, colligere, inquam, cum intentione legendi. Nullo enim probabili argumento probari potest, illam laceratione, & projectionem in publicum esse signum dantis publicam potestatem legendi. At valde bonâ ratione probatur, neminem, etsi valde labilis memoriæ, teneri ex charta confiteri, ut permulti contra alios docent.

4. Illum, quem Confessarius cum facultate pœnitentis consuluit in materia peccaminosa in ordine ad Confessionem jam cœptam perficiendam. Sicut Superiorem, quem Confessarius convenit pro absolutione à reservatis. Diana *Part. 5. Tract. 11. Res. 12.* cum multò communiore, & loquendo de Superioribus Societatis

tis dicitur hoc apertè in Ordin. General. *Cap. 6. §. 3.*

860 5. Illum, qui vel casu, vel dedità operâ auscultans audivit unum, aut plura peccata confitentis.

6. Illos omnes, quibus iniquè revelavit Confessarius materiam Confessionis, adeò ut si talis publicè pro concione detegat *directè*, vel *indirectè* peccatum alicujus, sicut *indirectè* revelavit ille, de quo suprà *n. 843.* ii, qui tali publicæ revelationi, & concioni interfuerunt, illicitè loquantur inter se de tali peccato, sicuti autoritate Doctorum expressè ostendo *in The-*

861 *ol. Iurid. Moral.* seu *Tractatu quinto Quinarii Cap. 42. n. 196. Sect. 7.* Nam pro certissima Regula, ut inquit P. Palaus *Tract. 23. p. 19. §. 3.* tenendum est, omnes illos, qui licitè, vel illicitè, mediatè, vel immediatè audierunt aliquam Confessionem *Sacramentalem*, ligari Lege sigilli. Plura hanc in rem vide eâdem *sectione septimâ*, in qua operosè discutio dubium de judice inquirente in famam & testes vulgantes esse à Confessario vulgatum certum crimen pœnitentis A.

862 7. At verò ipse pœnitens nullo modo tenetur Lege sigilli *Sacramentalis*, quidquid nonnulli in contrarium scripserint, rati, cadere sub sigillum ea, quæ facit, aut dicit pœnitenti Confessarius. Obligatio sigilli oritur ex Confessione pœnitentis, non autem ex verbis Confessarii ad pœnitentem directis. Attamen mortalissimè peccant, qui Confessarii verba, aut facta peccaminosa evulgant cum ejus notabili infamia. Secùs, si coram Superioribus in ordine ad correctionem necessariam. Aut si sit casus apertæ hæresis, vel solicitationis ad venerem, juxta dicta suprà *n. 578.*

Quæres denique, quid censendum de hoc

Casu Paschali?

863 *ANonymus Parochus tempore Paschali advocat in templum pueros septennes, octennes, exploraturus, an sint usu rationis sufficiente prædìti ad percipiendam absolutionem: quare jubet omnes adgeniculari ante suam sedem Confessionalem, examinátque singulos, audientibus aliis, circa mores, & peccata. Quæritur, quid censendum de illo?*

Fui ipsus ego, ni fallor, abhinc Annos sex & sexaginta sic examinatus à jam seniculo Parocho, cui det Deus requiem æternam.

864 Respondet Cardinalis de Lugo *n. 42.* post Navarrum *in Ench. Cap. 8. n. 13.* ejusmodi Parochos nequire excusari à mortali sacrilegio, tum quia Sacramento abutuntur ad risum, & jocum, tum quia peccata, quæ narrantur, exponunt periculo revelationis. Assentior his Doctoribus, si Parochus intendat absolutionem prudentulis impertiri immediatè solùm propter manifestationem delictorum, quam faciunt, aliis audientibus. Si verò Parochus solùm inde velit explscari discretionem judicii, & cognito ex modo recensendi, aliisque circumstantiis adesse judicium sufficiens, advocet hunc, aut illum ad ipsam sedem Confessionalem, ac rursum quærat, *an verè commiserit illa peccata, & doleat &c.* existimo excusari posse, siquidem jam priùs erant pueri informati, narrationem factam ante Confessionale non esse Christianam Confessionem, sed solùm examen. Hæc dixerim in defensionem illius, qui me Christianum fecit.

CONFESSARIUS
NOTITIA SIGILLI UTENS.

CASUS XXIII.

Cautum reddens.

SUMMARIUM.

Casus anceps de usu notitiæ Confessionis. 865.
Illicitè uteris intra ipsammet Confessionem notitiâ Confessionis cum molestia pœnitentis inutili. 870.
At licitè ad omnes actiones, non adferentes pœnitenti incommodum. 872.
Non est verum, quòd Confessarius teneatur in omnibus se gerere perinde, ac si nullam Confessionem unquam excepisset. 874.
Non tenetur tamen, ob res auditas in Confessione, quidquam agere, vel omittere, ad quod non obligaretur, si nullam Confessionem unquam audisset. 875.
Peccant Concionatores dicentes, se hæc, aut illa audisse in Confessione, esto absit certò omnè periculum revelationis. 878.
Omnis Confessionis usus ad gubernationem est illicitus Superioribus Regularibus. 880.
Sicut, & generatim omnis, qui Confessionem reddit odiosam. 881.
Parvitas materiæ an possit excusare à mortali usum illicitum notitiæ, si fiat sine ulla manifestatione pœnitentis? 887. & seqq.
Deducuntur ex dictis de licito & illicito *usu notitiæ viginti quatuor corollaria. 888. & seqq.*
Singulariter, an peccârit Superior, de quo n. 885. fuit actum? 888.
Et quid circa suffragia, Sacramentorúmve administrationem liceat, respectu pœnitentis, aut ejus complicis? 891. & seqq.
Et quando ex Confessione tua intelligo, aliquem in confuso esse raptum in carcerem, & quæro postmodum nomen captivi? 903.

Et proditionem imminentem Reipublicæ? 895.
Et quando non possum sine pudore Confessi, aut complicis declinare vel evacuationem poculi venenati? 908.
Vel insidias mihi structas? 911.
Aut quando cum pudore pœnitentis invehor, occasione Evangelii, inter concionandum in peccatum auditum in Confessione? 915.
Aut quando loquentem de peccatis aliquorum è certa communitate interrogo, quidnam dicatur de hoc, aut illo meo filio Confessionis? 920.
Aut quando dico, hunc, aut illum fuisse mihi confessum per decem horas continuas? 923.
Aut quando revelo votum castitatis cognitum ex sola Confessione? 931.
Aut quando committo aliquid ex quatuordecim multùm particularibus punctis, de quibus quidam Theologus scripsit ad autorem hujus Tractatûs? 934. & seqq.
Aut an denique non deliquerim, dum in hoc Tractatu toties, qua implicitè, quà etiam explicitè dixi, me in excipiendis Confessionibus hæc aut illa animadvertisse? 951.

865 *Zamorinus, cum bona pœnitentis venia, cupiebat, ratione casus sibi per Confessionem delati, consilium ab alio petere. at tamen pœnitens ita poestatem, ut Confessarius non id petat à sui Ordinis Superiore. Accidit tamen alia de causa, ut conveniat Superiorem is, à quo consilium petitum, & verbis dubiis suspicionem movet Superiori de admisso aliquo crimine à quodam subdito, instat ille, & cupit scire, ut remedium facere possit, & ita crimen intelligit, quod is occasione consilii intellexit. Petit ergo Superior ille auxilium à majore Superiore, quia ipse mederi non potuit inferiori. Is adhibet remedium. Hæc omnia fundamentum in Confessione habent.*

866 *Quæritur, quid quisque horum peccârit, aut bene, malève egerit? Dum R. V. nuper Theologiam Iuridico-Moralem lego Cap. 42. Sect. 7. & seqq. excitor ad exquirendum ipsius judicium de hac duplici quæstione.*

867 Sic ad me scripsit 8. Septemb. Anno 1661. quidam seu Prior, seu Guardianus celeberrimi Ordinis Religiosi. Ad quam utramque quæstionem respondendum est partim ex iis, quæ *in Casu præced. n. 849. & seqq.* dixi de personis obligatis sigillo *Sacramentali*, partim ex iis, quæ Doctores solent tradere de *licito*, aut *illicito* usu notitiæ, quam quis hausit *mediatè*, vel *immediatè* ex alicujus Confessione *Sacramentali*. De hoc usu *directè* differam hoc ultimo Casu, adeóque disquiram, an is, qui cognovit quidpiam *mediatè*, vel *immediatè* ex sola alterius Confessione, *licitè* aliquid faciat, vel omittat, quod cæteroqui non facturus, non omisturus erat? Omnes quidem explanatores Sacramenti Pœnitentialis edisserunt hanc materiam, sed solùm sub schemate Confessarii, quærentes, an & quatenus Confessarius absque licentia pœnitentis *tacita*, vel *expressa*, *licitè* vel *illicitè* utatur notitiâ Confessionis. Eorum institutum ita sequar, ut tamen sim etiam indicaturus *n. 886.* quid videatur sentiendum de aliis, qui præter Confessarium *licitè*, aut *illicitè* cognoverunt delictum in Confessione *Sacramentali* detectum. 868

Suppono autem ex dictis *Cas. præced.* fas esse, uti illâ notitiâ ad omnes illos usus honestos, ad quos utendi jus fecit pœnitens. Sicuti etiam ex dictis *ibid. n. 826.* liquet, fas esse intra ipsam Confessionem hodiernam uti notitiâ Confessionis peractæ ante mensem e g. si judicet, expedire ad bonum spirituale pœnitentis. Hisce suppositis, statuo sequentes Regulas. 869

I. Regula. *Confessarius* illicitè *intra ipsam quoque Confessionem utitur notitiâ cum molestia pœnitentis non utili, aut necessaria.* Etenim nefas est, intra Confessionem lædere, vel punire pœnitentem propter peccata tunc confessa, nisi per pœnitentiam *Sacramentalem*, vel correctionem &c. pertinentem ad integritatem, seu perfectionem Sacramenti. Cardinalis de Lugo *De Pœnit. Disp. 23. Sect. 5. n. 123.* Unde peccat graviter Confessarius, si pœnitentem gravibus convitiis petat in ipso confessionali. Aut si herus, cui furax famulus fatetur sua furta. Adigat hunc ad statim tradendam sibi furtivam clavem, mandétve, ut alium sibi dominum quærat. Etsi enim hæc fiant *materialiter* intra Confessionem, attamen sunt nimis extrinseca illi, prout à Christo Domino est instituta, faciúntque illam valde odiosam. 870 871

II. *Confessarius* licitè *utitur notitiâ Confessionis ad actiones non adferentes ullum prorsus incommodum pœnitenti, vel complici.* Tannerus *Disp. 6. q. 9. n. 140.* Lugo *loc. cit. n. 102.* post Suar. Vasq. alios, contra nonnullos immemores illius Divini moniti: *Noli esse justus multùm. Eccles. 7. 17.* Quidni enim merear cœlum, si sæpe supplicem Deo, ut mihi donet hanc, aut illam animam, quam novi hærere in faucibus lupi infernalis? Caveam mihi ipsi, ne labar in peccata, in quæ ipse? ne, ubi redierit rursum, committam imperfectiones, quas priùs? Et quidni habens filium Confessionis Deo, Superíque dilectissimum, ob eximiam vitæ innocentiam, ego mihi occurrenti exhibeam signum affectûs singularis, etsi hic Angelus terrestris notet, hunc amorem proficisci ex notitia Confessionis? 872

Nec obest, quòd, ut sic, videar *indirectè* loqui cum illo de rebus in Confessione auditis, nam neque ipsius innocentia est materia sigilli. Suprà *n. 796.* neque omnis *indirecta* locutio cum pœnitente est vetita, sed tantùm illa, quæ facit odiosam Confessionem. Lugo *loc. cit.* 873

III. *Ve-*

874 III. *Verum itaque non est, generatim loquendo, quòd teneatur Confessarius se post auditas mille Confessiones gerere in omnibus perinde, ac si nullam unquam audivisset.* Tannerus, & infiniti alii contra Armillam, Fagundez, & Bonac. Etenim prorsus nulla probabilis ratio hujus rigoris adferri potest. Rectiùs autem statuitur hæc.

875 IV. Regula. *Confessarius ex rebus in Confessione auditis non obligatur quidquam seu intra, seu extra Confessionem facere, vel omittere, ad quod non obligaretur, si totâ vitâ non excepisset nullam Confessionem.* P. Sanchez *Lib. 3. De Matrim. Disp. 16. n. 16.* valde copiosè, & distinctè pertractans usum notitiæ *Sacramentalis.* Excipe, nisi usus Confessionis prioris sit necessarius ad rectam ministrationem posterioris. Ut dixi de recidivis superiùs, & de impedimento Matrimonii cognito in priori Confessione suprà *n. 826.*

876 Nec obest, quòd *magnus ille vir* (ut honorificè compellat Diana *Part. 5. Tract. 11. Resol. 3.*) P. Claudius Aquaviva decreverit, *ut ita prorsus in omnibus casibus se gerant nostri Confessarii, ac si in Confessione nil prorsus audivissent.* Nam testatur P. Tanner. *n. 143.* à se visum responsum ipsiusmet P. Claudii Aquavivæ sapientissimi Generalis nostri, in quo declarat, se non plus voluisse prohibere, quàm intenderit Clemens VIII. de quo in Regula *octava* videbimus.

877 V. Neque concionatori, neque scriptori rerum ad mores spectantium *illicitum* est, uti notitiâ Confessionum auditarum, ad parandas tantò aptiores conciones, aut commentationes, modò non cedant in incommodum pœnitentis, aut complicis. Navarr. *in c. Sacerdos. De Pœnit. Dist. 6. n. 75.* Ludovic. Beja *in responsi. Part. 3. cap. 15.* ubi cum communi contra Panormit. *in Cap. Omnis. De Pœnit. & remiss.* sic loquitur: *Parochus, qui publicè ad altare dicit: in hac Parochia committuntur gravissima peccata, & ea reprehendit, dummodo id faciat cum tanta cautela, & prudentia, ut impossibile sit, quòd veniatur in notitiam illius, qui peccavit, non est revelator Confessionis.* Ratio est, quia nulla lex vetat ejusmodi usum.

878 VI. Communiter tamen graviter peccant concionatores, præsertim cùm sunt simul Parochi, quando dicunt expressè, se hæc, aut alia peccata percepisse in Confessione, esto nullum prorsus periculum subsit ullius revelationis, aut incommodi redundaturi in ipsos pœnitentes, aut complices. Ita Beja *loc. cit.* ac postea Diana *Part. 3. Tract 4. Resol. 75.* Ratio unica est, quia communiter homines, præsertim plebeji scandalizantur talibus verbis, & absterrentur ab integritate Confessionis, subéstque periculum, ne inter auditores quispiam coram aliis erubescat, ratus se peti, utpote qui aliquando sit ejusmodi crimen Confessus illi concionatori.

879 VII. *Omnis usus Confessionis, per quem indirectè revelatur peccatum aliquod certum pœnitentis, aut complicis, est sacrilegus.* Ita omnes, teste Cardin. de Lugo *n. 91.* quia revelatio etiam *indirecta* est fractio sacrilega sigilli. Ita rursum omnes, teste Suarez *Disp. 33 Sect. 7. n. 2.* & patet ex dictis suprà *n. 801.*

880 VIII. Regula. *Omnis usus Confessionis, quem Superiores Regulares adhibent ad externam gubernationem subditorum suorum, est illicitus.* Ratio est, quia & Clemens VIII. talem usum vetuit peculiari Decreto, quod referunt PP. Laymannus, Tannerus, alii, & habetur in nostris *Ordin. General Cap 5. n. 6.* quod Decretum existimat Dicastillo *Tract 8. disp. 12. dub. 7. n. 138* æquè spectare ad Confessarios omnes hominum Religiosorum. Excipe casum, quo illa gubernatio est pergrata pœnitenti, & nulli prorsus alteri incommoda, quia, ut sic, usus notitiæ est prudens, & remotus ab omni specie mali.

881 IX. Regula. *Omnis usus Confessionis, qui Confessionem reddit odiosam, est extra Confessionem semper vetitus.* Lugo *n. 102.* Dicastillo *loc. cit. n. 161. & seqq.* Sanctgallen. *Tom. 10. fol. 290.* atque alii multi, dissentientibus reipsa multis, ut patebit ex dicendis, censentes, tunc reddi Confessionem odiosam, quando redditur difficilior, & proinde absterrentur Christiani ab illa frequentanda. Adeóque etiam ille usus est interdictus, quo nec proditur pœnitens, nec ipse pœnitens scit, eum reipsa adhiberi, aut adhibitum iri, dummodo sit talis, ut si fideles nôssent, esse fas eum adhibere, essent abstenturi à Confessione, aut Confessionis integritate. Lugo *n. 98.* & Dicastillo post ipsum *n. 148.* Ratio est, quia nemo dubitare potest, quin Salvator potuerit inhibere talem usum, reipsa autem inhibuisse, inde liquet, quòd & ipsa Confessio sit res maximè difficilis humanæ fragilitati, ergo videtur Christus eam difficultatem sublevâsse vetando illum usum, sicut tolerabilem efficit in injungendo secretum *Sacramentale*, & non satis appareat, cur Clemens VIII. potuerit illo usu tam seriò interdicere Superioribus Regularium, si Christus reliquit omnibus liberum.

Denique cùm regimen animarum sit diversissimum à regimine externo, nequaquam sunt hæc duo inter se commiscenda, ut sapienter observavit Cardin. de Lugo relatus suprà *Cas. XVI. n. 536.* Sit igitur

882 X. Regula. *Decretum Clementis VIII. de Superioribus Regularibus est omnino intelligendum etiam de omnibus aliis aliorum hominum Confessariis. Ita ut nulli Confessario liceat, quoad externas actiones exercendas, omittendas, uti prædictâ notitiâ, cum aliqua seu injusta, seu secundùm se justa molestia, incommodo, damno, rubore, iracundia, indignatione pœnitentis.* Ita Cardinal. de Lugo *De Pœnit. Disp. 23.* Sanctgallenes *Fol. 291.* & Dicastillo *n. 140.* testans,

ita nunc sentire DD. communiter, seu in genere loquendo, licèt, quando descenditur ad casus particulares, sit magna inter eos dissensio, & longè difficillimè aliqui suas resolutiones sustineant, salvâ hac generali Regulâ, quam pluribus rationibus firmat Dicastillo, sufficiunt tres allatæ pro *præcedenti* Regula. Quia tamen nequeo negare probabilitatem *practicam*, & *speculativam*, negantibus hanc tam universalem Regulam, & potest non rarò fieri, ut quis in particulari casu non possit inducere, ob vehementiam passionis, in animum praxin hujus Regulæ, ideo hanc ita explanabo decisione variorum casuum, qui contingere possunt, ut simul indicem unum, vel plures distinctè, vel in confuso classicos autores dissentientes à responsis, quæ dabo consentanea præsenti Regulæ, ut jacet. Priùs tamen statuatur hæc.

883 XI. Regula. *Præcedens Regula non videtur extendenda ad aliud genus hominum, quàm ad ipsos Confessarios.* Ratio est, tum quia ignoro, an quispiam Doctor extendat, tum quia foret *moraliter* impossibile hominibus sæcularibus, & mundanis, eam observare, ut liquebit ex Corollariis mox subjiciendis.

Licèt igitur verum sit, quod suprà ostendimus, quòd etiam qui *mediatè* audiêrunt *licitè*, aut *illicitè* Confessionem alicujus, nequeant tunc uti ejus notitiâ, quando fieri nequit sine *directa*, vel *indirecta* revelatione pœnitentis, non tamen est verum, quòd non valens abstinere usu notitiæ sine suo, alteriúsve gravi damno peccet mortaliter contra religionem Sacramenti, aut contra justitiam usurpando (illæso tamen sigillo) notitiam.

884 Regula XII. *Licèt parvitas materiæ non excuset unquam à mortali Confessarium revelantem peccatum veniale pœnitentis.* Suprà *n. 836. excusat tamen illa parvitas quandoque utentem illicitè notitiâ Confessionis factæ de peccato veniali, si usus ille non contineat directam, vel indirectam revelationem.* Non memini quidem me legere, qui *expressè* tradat hanc, seu Regulam, seu doctrinam, sed nec scio quenquam nominare, qui neget. Probo tamen eam *primò* judicio illorum, qui apud Cardinalem de Lugo *cit. Disp. 23. n. 70. absolutè* (etsi malè) absolvunt à mortali narrantem peccatum veniale sui pœnitentis, modò non addat, se ex Confessione cognovisse illùd. Probo *secundò* authoritate Navarri negantis, ut retuli *n. 819.* revelari Confessionem ab illo, qui astanti dicit: *Vado ad audiendam reconciliationem talis, qui suis minutissimis peccatis, ut solet, me onerabit.* Quò spectat illud, quod ex eodem Navarro, & Lugone retulimus, & negavimus *n. 792.* quòd scilicet non sit reus sacrilegii, qui de suo quodam pœnitente verè, & ex Confessione dicit, esse scrupulosum, fuisque næniis, impertinentiis, &
885 minutiis obtundere caput Confessarii. *Tertiò* authoritate ejusdem Lugonis *n. 71.* scribentis, posse admitti levitatem materiæ, quando res, quæ narratur, est talis, ut sit periculum aliquod ingerendi suspicionem, at non sufficiat ad imprudentiam gravem, nec ad gravem irreverentiam contra Sacramentum, ut, licèt esset melius tacere, & possit esse veniale loqui, non tamen sufficiat ad mortale. Profectò si ne is quidem violat sigillum, qui evulgat, gigni sibi molestiam à socio confitente minutissima peccata, & næniis suis obtundente caput. Si quoque potest peccari solùm venialiter adversùs reverentiam debitam Sacramento pœnitentiæ, revelando aliquo modo peccata detecta in Confessione. Si denique eadem parvitas materiæ constituit quandoque reum noxæ solùm venialis illum, qui moverit in suo auditore solùm tenuem suspicionem peccati patrati à suo pœnitente, cognitique in sola Confessione, quidni vera sit nostra Regula, quatenus affirmat, parvitate materiæ quandoque excusari utentem *illicitâ* notitiâ Confessionis, factæ de peccato veniali, si usus ille non contineat *directam*, (Lugo, ut vidimus, admittit *indirectam*) revelationem? *Quartò* probo Ratione à priori. Qui enim non agit graviter contra finem Legis, non peccat graviter. P. Vasquez *1. 2. disp. 158. cap. 6. n. 59. & 60.* P. Sanchez *Lib. 1. Moral. Cap. 4. n. 2. & 6* P. Suarez *De legibus Lib. 3 cap. 15. n. 4. & 12.* P. Castro Palaus hos referens, & sequens *Tract. 2. disp. 2. punct. 7. n. 4.* Atqui revera fieri potest, ut indebitè, *illicitéque* utendo notitiâ Confessionis non agatur graviter contra finem Legis, interdicentis usu ejusmodi notitiæ, qui quidem finis est, ne peretalem usum reddatur Confessio odiosa, atque gravis, ut sæpius repetunt Lugo, Sanctgallenses, Dicastillo locis citatis. Ideo autem non graviter contra hunc finem agatur, quia videlicet ille usus nunquam retrahet quempiam à Confessione mortalium, nunquam quoque, aut vix unquam à Confessione venialium, ut
886 declaro hoc exemplo. Zephyrinus Scholasticus Confessus mihi est ante octiduum, se de nocte exercuisse in platea aliquas levitates, at sine cujusquam damno, aut gravi molestia. Hoc ipsum peccatum repetiit heri, ac deprehensus ductus est in custodiam honestam. Narrat mihi hodie Titius, quendam Musarum alumnum fuisse de nocte mancipatum custodiæ, at manè dimissum. Motus solâ Confessione, sciscitor ex Cajo, vel generatim, quisnam ille sit, vel speciatim, sed cum disjunctione. Sitne Zephyrinus, an Marcellus, aut Nicodemus, vel denique *absolutè*, an sit Zephyrinus? In *primo* casu est mihi propè certum, non peccari à me plusquàm venialiter. Ferè æquè certũ in *secundo*. In *tertio* perquã probabile. Clarum enim est, neutrâ priorum interrogationũ Confessionẽ reddi ullo modo odiosã, aut certè tam leviter simul, & respectu tam paucorũ, ut ista odiositas nõ videatur refundere malitiã mortalẽ in meã garrulitatẽ. Nec dubito, quin Cardin. de Lugo esset meũ judiciũ approbaturus, ut liquet ex verbis ejus *tertio* loco relatis.

Et

Et quia possum *tertiam* interrogationem itaformare, ut, quem percontor, nullo modo suspicetur (Lugo non curaret leviculam suspicionem) esse mihi ullatenus cognitam levitatem anteoctiduanam, præsertim si ipse ignoret, aut Zephyrinum esse mihi confessum, aut ab ipso jam fuisse semel peccatum in politiam, modestiámque debitam, ideo non apparet, unde præbuerim Zephyrino, aut alteri causam, vel occasionem *moralem* fugiendi Con-
887 fessionem. Idem esto judicium, quando Confessarius ostendit post Confessionem aliquantulò austeriorem vultum, vel quia difficulter se penitus cohibet, vel quia pœnitens ignorat, illam austeritatem provenire, ex dictis à se. Aliud exemplum, & casum minimè fictu proponam, atque ex nostra hac *duodecima* Regula sumam probationem responsi dati à me cuidam Laurentio infrà *num. 921.* Erit fortè, cui à me hîc disputata faciant animum pluribus declarandi, roborandi hanc Regulam. Ego illam firmo aliâ Regulâ *morali*, generali, quam P. Suarez *Tom. 4. de Relig. Tr. 1. Cap. 4 num. 8.* his verbis exhibet: *Peccatum mortale afferendum non est, nisi ubi ratio, aut lex cogit.*

888 I. Corollarium. Consiliarius, & immediatus Superior, de quo nostri Casus productus *n. 865.* videntur omnino peccâsse *directè* contra Religionem *Sacramentalis* sigilli. Licèt enim non exprimatur in literis, fuisse *directè*, vel *indirectè* editum nomen Rei, videtur tamen reipsa fuisse editum. Quomodo enim potuit Superior immediatus judicare, se non posse, quomodo mediatus, se posse mederi illi malo, si ignoravit autorem illius mali? Potuerunt tamen etiam excusari à tanta culpa, tum quia Sanctus Thomas negat, & multi alii, quemquam, præter ipsummet Confessarium, teneri lege sigilli. Et illud malum, quod impendebat, poterat esse tam grave, ut lex *naturalis* vetans proditionem confessi cessârit ex aliquorum sententia, & fortè ignorabat uterque Superior, illum consiliarium fuisse interrogatum
889 in ordine ad Confessionem. Et denique *absolutè* potuit illud malum esse ejus generis, ut sine nominatione pœnitentis etiam impediretur. Ut e. g. si ille Religiosus exibat de nocte per januam, ad quam habebat clavem furtivam, etenim potuit Superior mox curare mutari seram, aut secundùm nonnullos infrà *num. 909.* referendos, advigilare, ut deprehenderetur in conatu rursum aperiendi. At non cerno, quomodo tunc fuerit recurrendum ad
890 mediatum Superiorem. Non judico quidem, illos duos Superiores, dum etiam *illicitè* fuerunt usi notitiâ Confessionis, peccâsse in legem Clementis VIII, illa enim est pro solis lata Confessariis. Suprà *num. 886.* attamen non video clarè, quomodo excusem ab omni peccato.

891 II. Coroll. Si cognovi ex sola tua, aut complicis tui Confessione, te esse incapacem, aut indignum muneris, ad quod ante auditionem illam Confessionis cogitabam te promovere meo suffragio, aut aliâ ratione, nequeo ob talem Confessionem mutare mentem. Ita contra plurimos à Sanchez *citat. disputat. 16.* relatos, (quorum etiam multi cum Navarro addunt, me peccare, si non mutem meam inclinationem, seu propositum,) sentit ipse Sanchez, Suarez, Laymann. Bonacina, Sanctgallenses, alii & Dicastillo *cit. dub. 7. num. 142.* non imeritò asserens, sententiam illam priorem debere à Pontifice amandari à tota Ecclesia; re enim verâ redditur eâ ratione Confessio valde odiosa.

Nec obest, etsi fortè alter ignoret, me pro- 892
cessisse ex notitia Confessionis, satis est, si sciat, me credere, quòd possit ita procedi. Lugo, Dicastillo, alii. Est autem hoc Corollarium certum, si loquamur de Superioribus Regularium propter Decretum Clementinum.

III. Coroll. In eodem priore casu non mi- 893
hi licet eâ notitiâ uti ad investigandum, utrùm revera sis dignus, an indignus, nam etiam in hoc ipso facto usus notitiæ *Sacramentalis* est, odiosus, molestissimúsque tibi.

IV. Coroll. Teneor tibi præbere Sacramen- 894
tum, cujus te incapacem esse novi ex tua Confessione, & malè facio, tibi illud seu publicè, ut fatentur communissimè Doctores, seu etiam privatim petenti negando. Ita citati pro *primo* & *secundo* Corollario, adversùs negantes illud. Etenim non præbendo exprobo tibi tuum peccatum.

V. Coroll. Scienti mihi ex tua Confessio- 895
ne, vigere aliqua peccata, vel imminere grave malum, etiam Reipublicæ, non licet ad illa impedienda quidquam facere, ex quo tibi immineat manifestatio tui. Suarez *hic Disp. 34. sect. 9.* testans, esse communem, & insinuans, esse certam sententiam, contra Scotum, & Adrian. apud Lugonem *num. 109.* quamvis idem Suarez *in defensione Fidei Catholicæ dub. 6. Cap. 3. n. 11.* atque Bellarmin. *in Apolog. contra Regem Angliæ*, & alii plures apertissimè tradant, proditiones posse manifestari, modò non manifestetur (*directè*, vel *indirectè*) persona pœnitentis. Dicunt hi, & plures alii *posse*, non dicunt *debere*. & Gabrielius *commun. conclus. Lib. 7. concl. ultima num. ult.* post Innocentium Abbatem, & alios dicit: Confessorem teneri in genere revelare, non nominando personam. Scildere relatus *num. 848.* post Reginaldum, & Bonacinam negat, esse ullo modo fas nominare proditorem, etiamsi Confessarius non sit certus, se ex Confessione intellexisse proditionem, sed solùm dubitet, an potiùs ex solo secreto *naturali* Vide Suarez relatum suprà *num. 837.* atque Scildere etiam relatum à nobis *num. 748.*

VI. Coroll. Malè ageret Confessarius, qui 896
ex Confessione sola sciens, aliquos discipulos è Rhetorica e. g. esse valde addictos vetitis lusibus, persæpe negligere Sacrum quotidianum, id diceret professoti, etsi non nomina-

tis. Quid si enim professor excitatus hæc delatione advigilet ipse postridie, & deprehendat relapsos post illam denuntiationem in pristina illa delicta, puniátque?

897 VII. Coroll. Pecco contra reverentiam Sigilli *Sacramentalis*. Si ex tua, aut complicis Confessione sciens. 1. Te, aliósque tuos socios mihi struxisse insidias, fugiam, prævidens, socios cognituros, te mihi prodidisse illorum machinationem. Suarez, Lugo, Dicastillo, alii contra Coninck, Laymann. Sanctgallens. *fol. 295.* legendos, & alios, insuper ratos, id esse licitum mihi, etsi prævideam, te ab iis ideo occisum iri. Quod quidem minimè gentium credo esse verum.

898 Si sciens 2. Te, & tuos socios solere de nocte exire per aliquam januam ad mala patranda, ego ideo illam claudam cum tuo, sociorúmve rubore. Navarr. Graffis, Coninck apud Dicastillum.

899 Si sciens 3. Te, qui mihi famularis, esse furunculum, dimittam te è domo mea, nam inde sequitur pudor, & damnum pœnitenti. Bonacina *q. 6. sect. 5. p. 4. num. 15.* contra alios, tolerabiliùs permittente Medinâ cum aliis apud Dicastillum *num. 162.* repugnantem, ut ob hanc notitiam meliùs custodiam res meas, minus pecuniarum tibi credam, modò fiat sine pudore tuo.

900 Si sciens 4. Ex tui complicis Confessione, te commisisse fornicationem, quam nequiter neges, nego te ad aperiendam veritatem urgeam fortiùs, quàm alioquí facerem. Fagundez cum aliis contra alios, quod solùm tunc est certum, quando urgendo injicio tibi suspicionem de Confessione complicis. Suprà *n. 879.*

901 Si sciens 5. Te nolle facere necessaria ad legitimam Confessionem, vocatus tamen ad te audiendum detrectem, siquidem intelligatur in genere causa. Lugo *num. 117.*

902 Aut si 6. Sponsum, qui mihi negavit copulam cum sponsa, ego jam à me dimissum revocem ad meum Confessionale, postquam fuit sponsa fassa suum crimen cum illo. Quemadmodum respondi cuidam Confessario me interroganti de hoc ipso casu.

903 Si 7. Postquam Titius mihi dixit: *Confiteor, me judicâsse illam mulierem, quæ est carceri mancipata, esse veneficam*, ego alios postea interrogem, quæ & qualis sit mulier, quæ detinetur in vinculis. Vide dicta. *n. 791.*

904 Si 8. Sciens ex tua Confessione, te esse notorium Clerici percussorem, ego abstineam tuo consortio, aut quæram ex aliis, an revera sis talis. Lugo *num. 123.* aut te non esse Sacerdotem, desinam tibi confiteri, si desitio cedat in tuum probrum. Dicastillo *n. 158.* post Lugonem observans, esse priùs necessaria peccata confitenda alteri, venialia illi personato Confessori.

905 Si 9. Sciens, Ecclesiam esse pollutam, abstineam à Sacro illic faciendo, & abstinens dem causam efficacem suspicandi de illo, qui polluit. Dicastillo *num. 154.*

Si 10. Ob gravia peccata mihi à te detecta 906
ostendam egredienti tibi è Confessionali vultum austeriorem. Bonac. *num. 26.* Dicast. *n. 156.* Vide tamen suprà *n. 887.*

Si 11. Te in ipso Confessionali convitiis 907
petam ob peccata confessa. Suprà *num 876.* secùs, si ob tuam stupiditatem vocem te *asinum*. Quamquam ut sic etiam pecco, sed non contra religionem sigilli.

Si 12. Sciens ex tua Confessione, te misc- 908
isse venenum in vino ad Sacrificandum, desistam à proposito sacrificandi, si nequeam abstinere sine suspicione formanda de te. Bonacina *n. 28.* Diana *Part. 5. Tr. 11. Resol. 46.* Lugo *num. 111.* Dicastillo *num 161.* contra Scotum, Silv. Henriquez, Coninck apud Dianam.

Si 13. Sciens ex Confessione, te, vel alios 909
solere de nocte patrare hoc, aut illud crimen, ex quo impendeat malum Monasterio, moneam Prælatum, ut constituat excubias, cum periculo, ne deprehendaris tu, aut illi. Dicastillo *n. 165.* contra alios.

Si 14. Corrigam extra Confessionem illum, 910
quem ex tua scio fuisse tuum complicem. Suarez *d. 34. sect. 4.*

Si 15. Sciens, te esse Cajo confessum eadem peccata, quæ mihi, ego cum illo loquar de iis. Bonacina *n. 24.* post Suarez & alios communiter.

Si 16. Sciens, mihi parari insidias tali, aut 911
tali loco, aut te mihi illaturum necem, si reddam tibi tuum gladium, ego negem redditionem gladii, detrectem ire ad eum locum, ductus notitiâ solius Confessionis, prævidens pudorem, aut manifestationem illius, qui hæc mihi manifestabit in Confessione. Dicastillo *n. 157.* post Lugonem contra alios, apud Dianam *Part. 11. Tr. 8. Resol. 50.* meritò circa hosce particulares casus legendum.

Si 17. Post mortem tuam dicam ex tua Con- 912
fessione, te debere huic aut illi 20. 30. &c. aureos. Si videlicet dicam sine tuo permissu. Si autem cum permissu, non solùm *licitè* dicam, sed etiam tenebuntur hæredes credère mihi asserenti, te hoc mihi dixisse in Confessione, ac dedisse facultatem manifestandi. Diana *cit. Tr. 11. Resol. 28.* contra Majorem, & sequitur ex dictis *num. 846.*

Observavi autem alibi, Illustrissimum Se- 913
natum Urbis Lucernensis, tenentis primatum inter Catholicos Helvetos, tantum deferre testimonio Confessarii, ut ipsi plenam (nisi contrarium probetur) fidem habeant asserenti, fuisse à demortuo factam hanc, aut illam dispositionem. Helvetica gens celebratur singulariter à fidelitate, quidni ergo habeatur apud ipsos fides Curatoribus animarum?

Si 18. Audiens in agone confitentem pub- 914
licum peccatorem e. g. usurarium, dicas, illum verè respuisse. Malderus apud Dianam *Resol. 40.* subdens, si dicas ex licentia pœnitentis, non peccare quidem, at nihil ad sepulturam sacram prodesse solum testimonium tuum, sed priùs debere per famam constare de illa resipiscentia.

915 Pro Corollario 19. *vel potiùs vigesimo sexto* accipere responsum ad hanc

Quæstionem nov-antiquam.

PEccátne graviter Concionator, si graviter invehatur in vitium paulò antè Confessum, præsente, qui Confessus est, qui facilè cogitabit, se peti, etsi ipsum Evangelium e. g. causam præbeat de illo dicendi?

Resp. Peccat, si invehatur verè impulsus notitiâ Confessionis, & cum periculo confusionis pœnitentis. Secùs, si non impulsus tali notitiâ, nec enim peccavit contra sigillum, etsi fortè pœnitens existimet, se peti, & alii etiam hoc censeant, ipséque totus erubescat, & fremat. Nam ut dixi *num. 875.* audita Confessio non vetat, ne postea faciamus ea, quæ essemus facturi, si nullam excepissemus Confessionem.

916 Quia tamen discretio noscitur omnium virtutum esse mater. *Text. Cap. 1. De offic. Custodis*, si discretio hæc desit, deerunt aliæ virtutes, & earum loco scandalum pusillorum. Junge his dicta suprà *num. 878.* Et hoc esto vicem responsi ad quæstionem à viro gravi recitatis verbis mihi propositam 3. Augusti Anni 1665. Accipe & pro Corollario *vigesimo* resolutionem hujus

Quæstionis Parochialis.

917 *CAjus confitetur, se cum tribus sociis iniisse Societatem comburendi domum alienam, ac valde dolere de hoc suo peccato. Quæritur, & ad quid debeat Confessarius compellere Cajum? Et an ipsemet Sacerdos possit monere Dominum illius domûs, ut advigilet? Si monet, fractio fit sigilli, cùm ejus socii sint in mala suspicione, & fama, & si deprehendantur, hujus deprehensionis causa existet notitia Confessionis. Ut verò si non præmoneatur ille innocens, exuretur domus cum ingenti damno, ad quod avertendum videtur Confessarium obligare charitas Christiana.*

918 Appello hanc quæstionem *Parochialem*, quia ab insigni quodam hujus Diœcesis Parocho fuit mihi proposita scripto, unà cùm pluribus aliis. Partim respondi, partim respondeo nunc: Aut Cajus fuit author illius pravi consilii, aut solùm (ut indicant literæ) socius? Si author, non est absolvendus, nisi vel ante absolutionem dehortetur socios à facinore, vel sanctè, atque jurejurando (pro ratione circumstantiarum) promittat, se dehortaturum, modò subsit spes profectûs: qua spe posità, tenetur uti illâ correctione fraternâ, etiamsi immineret ipsi à sociis tantum malum, quantum erat ab iis destinatum alteri innocenti. Factâ illâ correctione, si nihilominus sequatur incendium, probabiliter ad nullam restitutionem obligabitur Cajus, juxta ea, quæ differit Petrus Navarrus *De restitut. Lib. 3. Cap. 4. num. 27.* non planè improbatus à Lessio *de justitia Lib. 2. Cap. 13. n. 18.* obligabitur tamen ex charitate impedire, si queat, aliâ ratione impendens malum, non tamen exponendo se periculo infamiæ, cùm ne quidem justitia, propriè læsa per *reale* damnum fortunarum, compellat ad reparationem cum detrimento famæ.

Jam verò si Cajus non extitit author illius 919
consilii, sed solùm approbator, promittendo operam auxiliarem, satisfaciet obligationi justitiæ, tum dehortando, tum vel maximè negando omne auxilium, omnem cooperationem. Sigillum *Sacramentale* quod attinet, violabit utique illud Confessarius *primò*, si suâ monitione effecturus sit, ut suspicio sinistra, quæ habetur de sociis Caji, augeatur, nam talis usus reddit propriè odiosam Confessionem. Violabit *secundò*, si propter manifestationem à se factam deprehendendi sint illi incendiarii. Liquet ex dictis *num. 897. & 898.* Charitas non obligat ad prævaricandam legem Divinam, & damnum unius domûs non est tanti faciendum, quanti proditio urbis, de qua nos suprà *num. 897.* Accipe & pro *vigesimo primo* Corollario responsum ad hunc

Casum Tortorem.

LAurentius Confessarius Leofridi audit 920
quempiam, recensentem sibi, solùm ex aliorum relatione, publicum aliquod vitium notorium, non tamen magnum, unius è familia non ampla, excusantem verò in eadem relatione duos, vel tres ex eadem familia, quos inter cùm non nominaretur Leofridus, affinis quoque illi vitio, sæpius in Confessione detecto, percontatur inductus solâ Confessionis notitiâ: Quidnam de suo Leofrido dicatur? An excusetur, aut laudetur? Hæc quæstio postmodum torsit (hinc tortoris epitheton) *acerbè conscientiam Laurentii perinde, ac si mortifere deliquisset eâ interrogatione. Interim memor ex una parte, se cum expresso remorsu suæ conscientiæ feciſse illam quæstionem: ex altera autem parte se suâ scisitatione nullam sinistram de suo Leofrido suspicionem movisse, imò nec fuisse ullum periculum movendi, etsi non abfuerit periculum, ne ille suus congerro responderet, cum æquè malè audire,*

dire, atque Leofridum. Quæritur, an hic conscientiæ Laurentianæ torpor fuerit justo crudelior?

921 Respondi ego *primò*, non videri ambigendum, quin à parte rei egerit Laurentius aliquo saltem modò contra doctrinam Regulæ *novæ* statutam *num. 881.* Etenim ejusmodi usus notitiæ Confessionis potest reddere aliquantulùm odiosam ipsam Confessionem. Respondi tamen *secundò*, probabiliter illum usum non fuisse mortaliter malum, tum quia asserebat Laurentius, se, cùm scisciteretur, *positive* judicâsse, non delinqui à se graviter scisciteando, etsi sentiret tunc aliquem remorsum conscientiæ, certóque certiùs fuisse ostium circumstantiæ posituram labiis suis, si habuisset dubiam (multò magis, si certam) opinionem de periculo peccati mortalis: Ergo vel inadvertentia *actualis*, vel ignorantia excusabat illum à reatu criminis lethiferi. Tum quia licèt parvitas materiæ non excuset revelantem *directè*, vel *indirectè* peccatum cadens sub sigillum, attamen eadem parvitas materiæ potest in usu notitiæ, præscindendo etiam ab ignorantia, aut bona fide, reperiri, sicuti ex instituto probavi suprà *num. 887.* Si potest in aliis particularibus casibus, potest probabiliter etiam in hoc non ficto, quia congruit illi ratio, qua stabilivimus *duodecimam* Regulam *num. 887.* Sanè nullum incommodum enatum, nulla molestia facta fuit Leofrido ex Laurentii curiosa interrogatione. Et quamvis nosset Leofridus, Laurentium vel reipsa proposuisse illam quæstionem, motum notitiâ Confessionis, vel non esse graviter prohibitum proponere in similibus circumstantiis, non idcirco difficiliùs, rariúsque aperiret in Confessione sua mortalia, imò nec venialia.

922 Ex hoc responso inferes ulteriùs, quanquam *num. 791.* egerim reum sacrilegii illum, qui ex sola Confessione cognitum habens, aliquem esse ob sua scelera conjectum in carcerem, alteri dicit, esse incarceratum, id tamen Sacrilegium non videri mortale, quando totâ urbe vulgata est illa incarceratio, & delictum parvum, simúlque nororium. Idem senties casu, quo itidem ex Confessione notum habens, aliquem esse in vinculis propter furtum Sacrilegum omnibus cognitum, percontaris ejus nomen, inductus ad hanc curiositatem eâ ratione, quòd haud ita pridem nonnemo detexerit tibi in arcano foro ejusmodi crimen.

923 Pro *vigesimo secundo* Corollario promo meum judicium de dubio, cujus occasionem præbet factum hujus

Sancti Pœnitentis.

Joannes Chanones celeberrimi Monasterii Monserratensis, Ordinis Sancti Benedicti Religiosus Sacerdos, demissione sui, & obedientiâ tam sublimi fuit, tótque aliis eminens dotibus ut ad instaurandam, Ordinis disciplinam multis per Hispaniam, Lusitaniámque domibus exemplar, & autor fuerit. Hic vir tantus peregrinis Sacra pro officio ministrabat, cùm in montem Serratum venit Ignatius. Quare apud illum vitæ omnis peccata deposuit, tam diligenti quidem exhomologesi, tam acerbo dolore, fletúque totes abruptâ, ut tres integras dies tenuerit.

Verba de hac tam prolixa Confessione nostri S. Fundatoris admensus sum ex vita, quam Latinam edidit Pater Ludovicus Janninus, ex Italica Patris Danielis Bartholi *Lib 1. num. 10.* cujus relationis occasione quæritur, utrùm Religiosissimus ille Confessarius non temeraverit Religionem sigilli *Sacramentalis*, si fortè ipsemet (quod non credo) uni, aut pluribus dixit, Ignatium peregrinum impendisse tres integros dies Confessioni suorum peccatorum, interruptæ plurimo fletu, frequentissimis singultibus? Et generatim dubitari potest: *An, & quatenus delinquant Confessarii quandoque dicentes, se huic, aut illi aures præbuisse facienti Confessionem generalem sex, octo, decem horarum.* 924

Ratio dubitandi est, quòd Confessarii possint hæc narrando gignere in audientium animis probabilem suspicionem non unius, sed plurium gravium peccatorum detectorum in ea Confessione. Suspicio enim probabilis seu prudens desumitur ex communiter contingentibus, communissimè autem fit, ut in exhomologesibus multarum horarum, quantò magis trium dierum? Recenseantur aliqua gravia peccata, id est, vel mortalia, vel mortalibus valde vicina. Atqui temerat Religionem sigilli *Sacramentalis*, qui notitiâ Confessionis ita utitur, ut in animis audientium ingeneret probabilem, prudentémque suspicionem patratorum gravium delictorum. Augetur inde difficultas, quòd suprà *num. 807.* ex communi sensu scripserim, fieri posse, ut pecces contra sigillum Confessionis præcisè dicendo, hunc, aut illum fuisse tibi Confessum, si videlicet dicas in ea circumstantia, in, & ex qua possit prudenter colligi, esse confessum grave peccatum, ut facilè quisque perspiciet. At reperire est nonnullos, qui libere quandoque dicant, se fuisse ab hoc, aut illo detentos in Confessionali unam, tres, sex horas. *An hi excusandi?* 925

Dico I. Nihil penitus agitur, *per se loquendo* contra secretum *Sacramentale*, etsi Confessarius dicat de suo quodam pœnitente, fecisse cum multis, longis gemitibus, ac suspiriis Confessionem de tota vita Etenim sub ejusmodi secretum, seu sigillum cadunt illa sola, quæ *ex* Confessione, non autem, quæ *in* Confessione sunt cognita, sicuti explicui superiùs. *n. 297.* 926

Dico jam II. Quando quis fecit extraordinariè longam exhomologesin flexis genibus in loco 927

loco publico, ut est Ecclesia, sacristia, conclave in Monasterio pervium cuilibet domestico, potest Confessarius ipsius absque ulla noxa id dicere aliis, *per se loquendo.* Ratio est hæc peculiaris, quia, quando talis Confessio fit publicè, dat pœnitens utique omnibus videntibus facultatem dicendi, illam factam tali loco, tempore. Atqui Confessarius est unus ex videntibus, ergo potest edicere idipsum, quod alii videntes, adeóque hunc, aut illum pœnitentem flexisse per modum confitentis tanto, & tanto tempore ante se, aut etiam fuisse tanto tempore confessum. Etenim nomine Confessionis durantis tres, octo, viginti horas nemo prudens (imprudentium rationem quis habeat?) intelligit continuam narrationem peccatorum, sed partim horum narrationem, partim dissertationem de statu animæ, ut liquet vel exemplo Episcopi Tullensis, de quo suprà *n. 560. in Append.* Quia verò animum exprimimus æquè factis, ac verbis, ut sæpissime inculcant, nec immeritò, juris periti, censetur quis illâ tam diuturnâ flexione, in, & cum ejusmodi circumstantiis æquè facere Confessario facultatem dicendi suam Confessionem tenuisse unum duos, tres dies, ac si verbis formalibus expressisset.

928 Dico III. Qui secreta loca quærunt ad faciendas valde extraordinariè longas Confessiones, obligant *inprimis* certò Confessarium ad secretum *naturale* servandum, adeóque non manifestandam diurnitatem Confessionis. Ratio est, tum quia illa tam studiosa electio loci arcani satis indicat voluntatem obligandi Confessarium, ad nihil dicendum de illo occulto congressu. Tum quia iis, qui ex *tacito* pacto tenentur ad secretum *naturale*, meritò accenset Confessarium Navarrus relatus à me *in Theolog. Iuridico-Morali Cap. 19.* ubi tracto de secreto *naturali.* Obligant Confessarium illi ipsi pœnitentes *secundò* probabiliter ad sigillum *Sacramentale.* Ratio est, quia, dum dicis, Confessionem Caji factam apud te duràsse octo, decem, viginti horas, dicis *indirectè*, aperuisse tibi multa peccata, aut gravia, aut levia. Hæc enim apprehendunt, vel omnes, vel plerique auditores. Atqui *expressè*, & *directè*, sine ulla licentia pœnitentis dicere; Hic pœnitens est mihi confessus multa peccata, est frangere sigillum. Suprà *n. 815.* ergo & hoc ipsum dicere *indirectè* citra voluntatem pœnitentis. Vellem, ut hæc controversia non esset cum aliis omissa à Scriptoribus.

929 Locum *vigesimi tertii* Corollarii obtinet resolutio Casus, quem *in Tractat. 9.* seu *prima parte Alphabeti Matrimonialis Cas. III. num. 82.* ad matrimonialem materiam spectantem proponam de Confessario, qui in arcana Confessione interrogatus à puella, an, non obstante voto castitatis, *licitè* nubere valeret, manifestavit illud votum cum magno rubore, & magno incommodo puellæ, jure quippe merito quærit potest, an Confessarius ille non fuerit reus violati *Sacramentalis* sigilli. Resolvo autem, fuisse, & non fuisse. Non fuit, si illa interrogatio proposita fuit sine ullo ordine ad ullum è peccatis indicatis tunc, vel indicandis, & consequenter sine ullo respectu ad absolutionem. Qui sanè respectus, & ordo defuit, si manifestatio voti nihil etiam ex judicio puellæ conferebat ad declarationem alicujus peccati. Si quippe nihil ad hanc conferebat, non erat materia sigilli, ut deduces ex dictis suprà *num. 782.* At verò si ideo aperuit Confessario suum votum, quòd videlicet habuerit propositum nubendi, non habitâ ratione fidei datæ Christo Sponso, tunc sanè circumstantia voti vestivit illud propositum, quod utique vel erat, vel apprehendebatur, ut illicitum, saltem dubiè, consequenter cadebat sub *Sacramentale*, sigillum per ea, quæ dixi suprà *n. 791.* 930

Quia verò facta, & dicta cujusvis viri boni, & consequenter Confessariorum interpretanda sunt in dubio in meliorem partem. *Cap. 2. De Reg. Iur. in 6.* statuitque noster S. Fundator in principio suorum Exercitiorum Spiritualium hanc generalem de meliori interpretatione Regulam, pro una ex casibus perfectionis, eam ob rem præsumo, defuisse illi detectioni omnem respectum ad absolutionem, consequenter abfuisse & reatum Sacrilegii in revelatione. At verò non perspicio, quo pacto, aut titulo purgem dictum Confessarium à vetita fractione secreti *naturalis.* Nam &, *per se loquendo*, obligabatur ipse ad illud, ut manifestissimum evadit ex iis, quæ de vinculo secreti *naturalis* statuo ex communi persuasione sapientum *in Quinarii Tr. 5.* seu *Theologia Iuridico-Morali, Cap. 19. sect. 10. & 11.* & non apparet ulla causa, seu ratio, quæ faceret ipsi *per accidens* jus propalandi cum tanto rubore, incommodóque puellæ, emissionem voti. Nec enim intentio impediendi peccatum *materiale* illius, qui mihi commisit rem quampiam in secreto, præbet mihi justam causam frangendi sigilli *naturalis*, ut liquet ex dictis *in cit. Cap. 19. n. 89. & 87.* percâsset autem tantùm *materialiter* illa puella, si secuta responsum sui Confessarii, de quo *in cit. Cas. III. num. 82.* iniisset Matrimonium. Imò nec intentio impediendi peccatum *formale* est, ut sic, præcisè causa sufficiens producendi in publicum arcanissima, quando horum revelationem sequetur probrum, & incommodum notabile. Grandius quippe damnum boni publici, & animarum formidandum videtur, si permittatur, aut permissa esse sciatur hæc manifestatio, quàm si persuasum habeatur, esse interdictam. Loquor autem de illo, qui bonâ fide consulit Confessarium, & ex fragilitate committit, (spreto hujus consilio, responsóque,) unum vel plura peccata mortalia nulli tertio noxia. Hoc autem damnum vel maximè exoritur, si propalentur, quæ consilii ergo tempore, & loco Confessionis 931 932

nis *Sacramentalis* proponuntur ab iis, qui sibi persuadent, obsignatum iri sigillo prorsus inviolabili, puro omnis doli, ac fraudis.

933 Pro *vigesimo quarto* Corollario exhibeo, & transcribo farraginem Casuum quatuordecim. Quos ad me post *primam* editionem hujus Alphabeti perscripsit doctissimus Pater Theodorus Moretus, tunc, cùm literas ad me dabat, miro connubio copulans publicam, pérque ingeniosam in scholis Vratislavienſibus Matheseos explicationem cum Theologiæ Moralis professura, nunc autem cœli, ut spero, incola. Sic ergo ad me scribebat 14. Junii Anni 1667.

Propono Ræ. Væ. examinandos aliquos
934 „ Casus in quibus Confessio fit aliis onerosa, etsi „ pœnitenti nec injuria fiat, nec reveletur sigil„lum debitum illi, qui confessus est, *indirectè* ta„men videtur revelari alterius confessi delictũ.

1. Cajus Confessarius comitatur reos ad „furcam, auditisque omnium Confessionibus „dicit Judici, aut populo post sumptum de o„mnibus supplicium, sibi constare, Petru„ non fuisse complicem, quia sic videtur dice„re, sibi, constare ex Confessione, omnes ali„os fuisse reos, *indirectéque* revelat aliorum „ Confessionem. 2. Præsentat Cajus plures ado„lescentes ad aliquod Beneficium, aut stipendi„um, & unum præ cæteris commendans dicit„ se scire ex tractatione conscientiæ ipsius, hunc „ esse innocentissimum &c. cùm tamen etiam „ reliquos habeat pœnitentes. 3. Confessarius „ rogatur à pœnitente, ut det huic, vel illi E„piscopo, aut Prælato testimonium innocen„tiæ, apud quem est accusatus: alteri petenti „ negat. Hæc negatio (si priori petenti de„ditt testimonium) videtur revelatio criminis „ in Confessione accepti, éstque secundo one„rosa. Potest hoc extendi ad uxorem Zeloty„pam, aut maritum, si uterque eidem Con„fessario confiteatur, & uterque petat testi„monium à Confessario, factâ potestate uten„di scientiâ Confessionis. 4. Confessarius „ domûs Religiosæ tribus in domo mortuis, dat „ testimonium de uno ex scientia Confessionis, „ illum caruisse tentatione vanæ gloriæ luxu„riæ &c. tenerrimæ fuisse conscientiæ, accura„tè, & nitidè sua explicuisse, caruisse sæpè „ materiâ absolutionis, &c. de aliis tacet. Et
935 „ hæc commendat literis &c. 5. Magister No„vitiorum auditis generalibus Confessionibus „ ingredientium in Ordinem, unum ex omni„bus laudat, quòd nunquam in sæculo peccâ„rit mortaliter, & hoc in vita defuncti impri„mendâ annotatur. 6. Confessarius dicit„ se magno solatio affici, quoties audit Con„fessiones Sempronii, de aliis tacet. 7. Con„fessarius dicit, sibi constare ex Confessionibus „ Teresiæ, illam habuisse revelationem, aut„ hæc, illâ ve Dei dona, quando Teresia non„ potuit suum peccatum explicare, nisi aperi„endo illam revelationem. 8. Confessarius „ dicit, se multum discere ex Confessionibus „ Joannis, se illi prohibuisse has, aut illas pœnitentias, orationes, &c. se eum monuisse, vi„deret, ne illuderetur. 9. Confessarius dicit, „ pœnitentem Cajum se de hac, aut illa re inter„rogâsse, quæ etsi ad peccati explicationem „ non faceret, odiosam tamen reddit Cajo, &„ onerosam Confessionem.

In sequentibus videtur violari sigillum „ 936
& non tantùm onerosam fieri Confessionem. „ 1. Confessarius dicit, se hoc Anno audivisse„ quinque Sacrilegas Confessiones, & hoc in„ serit literis annuis. Item: se dedocuisse tres„ magiam &c. 2. Confessarius Parmâ Bononi„am migrans dicit, illam minùs obnoxiam a„dulteriis &c. quàm hanc. Aut magiam gras„sari, cùm hæc nondum constent famâ publi„câ, aut extra Confessionem. 3. Eodem mo„do Confessarius Monasteriorum variorum, „ confert statum unius Monasterii cum altero, „ ex cognitione per Confessiones accepta. 4. „ Confessarius audito complice ex pœnitente„ obligat pœnitentem, ut sibi Confessario det„ licentiam admonendi Superiorem complicis, „ ut in complicem invigilet. Videtur illa ob„ligatio ad dandam licentiam esse aliquo mo„do ad revelationem Confessionis factæ, quia „ complex potest dicere, hoc non sciri, nisi ex „ Confessione sui complicis. Et hæc obligatio „ etiam aliunde videtur illicita, quia non tendit„ semper in bonum pœnitentis, sed alterius com„munitatis, in qua est complex. 5. Confessarius„ peccavit audiendo Confessionem, nec potest „ suum peccatum explicare, nisi explicando „ peccatum confitentis. Si ergo aperiat, Confes„sarius Confessarii veniet in notitiam prioris„ pœnitentis, & peccati ipsius in Confessione„ dicti. Videtur in hoc casu peccatum à Confes„sario primò sic commissum supprimi debere, „ donec alium Confessarium habeat, cui pœni„tens prior non sit notus.

Mihi videtur circa omnia illa, quæ intra „ Confessionem dicuntur, & fiunt à pœnitente, „ & Confessario, sic debere Confessarium tace„re, ac si inter lapides essent acta, quia alioquin„ semper Sacramentum fiet aut pœnitenti, aut „ alicui tertio grave, & odiosum. Sed hæc relin„quo Reverentiæ vestræ examinanda &c.

Ita Pater Moretus, cui inprimis nequeo 937
assentiri quoad epilogum suæ Epistolæ, tum quia non omnia, quæ fiunt, & dicuntur à pœnitente, & Confessario intra Confessionem, ullo modo cadunt sub sigillum, aut *Sacramentale*, aut etiam *naturale*, ut liquet ex dictis suprà *n. 792. & 795.* nec singulorum revelatio reddit ullo modo Confessionem odiosam. Tum quia fas esse, uti quandoque notitiâ Confessionis, etiam repugnante fortassis pœnitente, satis ostendimus suprà *n. 872.* & seqq. Equidem non video ullum præceptum *Divinum*, aut *humanum*, quod Confessarium ita arctè obliget, ac indicant ver. a hujus D. ergo non possum ire pedibus in ejus sententiam. Deinde tamen assen- 938
tior eidem in suo proœmio scribenti, dari casus,

sus, in quibus Confessio fit aliis onerosa, etsi nec reveletur sigillum, debitum illi, qui confessus est. *Indirectè* tamen videatur revelari alterius confessi delictum. Etenim ad hunc assensum me non invitum compellunt tum ea, quæ superiùs *n. 809.* scripsi ex Ludovico Beja, tum instantia *prima*, quam Pater Moretus inducit, sicuti, & *secunda*, si exprimat Confessarius, esse illam innocentiam sibi perspectam ex tractatione conscientiæ. Si autem non exprimat, non dat ulli occasionem prudentem suspicandi (imprudentium suspicionum rationem non esse habendam, monui superiùs) alios non esse innocentes. Quòd si idcirco omittat comendationem aliorum, quòd ex Confessione resciat, eos non esse innocentes, hæcq; omissio sit causa, cur ii postponantur Innocentio, tunc sanè annumeratur à me iis, quos damnavi suprà *n. 884. & 891.* Idem judicium fero de
939 utraque instantia producta in casu *tertio*. Et verò quando Confessarius prævidet, se non de uno solùm, sed de pluribus filiis Confessionis interrogatum iri, debet rotundè recusare omnem testificationem, tum propter incommoda, quæ innuuntur in hoc *tertio* casu, tum quia forum Sacramentale non est miscendum cum profano, seu non Sacramentali. Lugo relatus suprà *n. 536.*

240 *Quartum* casum quod attinet, arbitror, eâ narratione præcisè, ut sic, non temerari sigillum, seu respectu illius, qui sic laudatur, seu respectu duorum, de quibus tacetur. Non respectu prioris, quia non manifestantur, nisi virtutes ipsius, virtutum autem è sola Confessione cognitarum manifestatio non adversatur, *per se loquendo*, religioni sigilli. Suprà *n. 795.* non respectu aliorum, quia nec *indirectè* quidem revelatur ullum peccatum eorum. Nec enim tentari aliquando vanâ gloriâ, luxuriâ, &c. non esse tenerrimæ conscientiæ, non omnino accuratè, seu nitidè sua explicare, ponitur in numero peccatorum. Semper adferre materiam Confessionis sufficientem est quidem semper adferre peccatum, at quia communis doctrina relata superiùs *n. 816.* negat, frangi sigillum, etsi de tuo pœnitente dicas: *Est hic mihi confessus venialia.* Aut: *Sum huic impertitus absolutionem*, ideo non agit contra secretum, qui dicit: *Nunquam negavi huic absolutionem.* Et consequenter nec ille, qui ait: *Iste mihi semper attulit materiam sufficientem pro absolutione.* Adde, quòd, quando
941 Confessarius, saltem Regularis talia narrat de Religioso, nemo aut existimet, illum hæc omnia habere ex sola Confessione (quandoquidem notissimum est, Religiosos, præsertim valde pios, ac probos, solere etiam extra tribunal Confessionis prodere Confessariis animi arcana:) aut prudenter suspicetur, illos, de quibus nihil loquitur Confessor, carere omnibus gratiis spiritualibus, quæ recensentur de altero, sed solùm non esse præditos omnibus, aut in tali gradu. Adde insuper, & vel maximè, quia neuter illorum duorum ullo modo ægre ferret, licèt cognitam haberet illam sermocinationem.

942 Ad *quintum* Casum Respondeo. Si, dum Magister ille Novitiorum hæc dicit, omnes, præter illum unum, sunt ad huc superstites, non judicat ullo modo, eos non fuisse tam puros criminis, omnes enim nôrunt, laudem, quæ vitâ functis tribuitur, non cedere in ullâ vivorũ minorẽ, æstimationem & ante mortem non esse laudandã quemquã *Eccl. 9.* sicuti nec generaretur etiam de mortuis suspicio siniſtra, si multi è talibus Novitiis fuissent etiam elati, quisque enim cogitaret, tali Confessario suppetere causam rationabilem, cur unius solùm innocentiam faceret manifestam, etiam posito, quòd aut *absolutè* omnes, aut ferè omnes cæteri æquâssent alterum vitæ innocentiã. Si verò unus duntaxat præter ita commendatum excessisset è vivis, constarétque (secùs si non constaret) illum æquè, ac priorem posuisse totius vitæ sarcinam apud illum ipsum Magistrum Novitiorum, tunc sanè ferrem de eo judicium illud ipsum, quod tuli *n. 809.* cum Beja. Quod tamen non utique fuit meritus Robertus Cardinalis Bellarminus (de cujus inter Beatos relatione consultabatur, dum laborabatur in quarta editione hujus operis) dum in Sermone, quem Anno 1608. habuit in Anniversario B. Aloysii Gonzagæ, inter cætera hoc edixit: *Judicio Confessariorum qui generales Confessiones* (B. Aloysii) *audiêrunt, quorum unus ego sum, nunquam lethale crimen admisit.* Si autem in eodem Sermone suscepisset etiam laudandum alium, cujus, etiam excepisse Confessionem generalem, constitisset, nihil tamen memorâsset de tanta ejus innocentia, inhibitus notitiâ Confessionis solâ, tunc præbuisset auditoribus occasionem mussitandi inter se: *Si etiam iste fuisset semper immunis à mortali noxa, non dissimulâsset hic Orator.* Ergo non expressisset tunc illam enunciationẽ: *Quorum unus ego sum.*

Confessarius, de quo *sextus* casus, nullam 943
prorsus dat veram occasionem suspicandi quidquam mali de aliis, sed summum cogitandi, eos non esse tot Dei donis singularibus præditos, quot ille.

Septimus Confessarius excusabitur à Patre Sa 944
relato *num. 795.* condemnabitur à Cardinale de Lugo, quem ibidem retuli, quémque, etsi videri possim esse *absolutè* secutus, *absolutè* tamen non sequor, sed solùm in eo casu, quo est periculum, ne manifestatio virtutis vel pariat ruborem ipsi confesso, vel alios inducat in suspicionem delicti, e. g. ingratitudinis detectæ Confessario.

Octavus Confessarius non peccat in materiam 945
sigilli, nisi fortè in ultimo puncto, in quo videtur innuere, quòd suus pœnitens nimium, adeóque cum periculo gravis lapsûs credat imprudenter suis imaginationibus. De *nono* arbitror, non revelari ab ipso rem cadentem sub sigillum, non igitur dicit quidquam, quod Confessionem faciat odiosam, seu meritò difficiliorem.

Primus ex illis quinque, quorum mentio fit 946
in posteriori membro Epistolæ, si est Confessarius loci, ad quem confluunt multi Confessionis causâ, nullo pacto violat sigillum, quia ex tali narratione nemo concipiet vel minimam suspicionem de ullo ex iis, qui sunt ipsi Confessi Sacrilegia sua. Idem dic de tribus magis, nisi fortè quis illorum esset valde de hoc scelere suspectus auditoribus, qui etiam vidissent illum confitentem, diu hærentem in Confessionali, exeuntem

cum rubore, aut lacrimis. At verò si idem Confessarius loquens de aliquo pago, vel oppido, diceret, se excepisse incolarum Confessiones, intérque has fuisse quinquaginta Sacrilegas, tunc èquidem insurgerent in eum Suarez, atque Lugo relati à me *num. 810.*

947 *Alter* ex iis quinque damnaretur, ut reor, ab utroque hoc Doctore, si Parma esset valde infamis ab adulteriis, non autem Bononia. Non enim sine rubore possent Bononienses, quos confitentes absolvit iste alter, audire hanc comparationem. Idem judico de referente illam grassationem magiæ, saltem si periculum sit, ne talis attestatio Confessarii fiat notoria, tunc quippe facilè continget, ut molestia aliqua oboriatur uni, aut pluribus ex iis, qui se illius sceleris reos egerunt apud ipsum.

948 *Tertius* Confessarius instituit illam comparationem, vel præcisè quoad virtutes, vel quoad vitia, dicendo e. g. in Monasterio *A.* vigere ebriositatem, neglectum silentii, & chori &c. non item in Monasterio B. In hoc *secundo* casu notabitur, & meritò quidem, nigro Thetâ à Suarez, & Cardinali de Lugo suprà relatis. At quia *in priore* casu non revelat quidquam spectans ad materiam sigilli, non ausim damnare de Sacrilegio, damno tamen de non levi indiscretione, & garrulitate. Certè Religiosi Monasterii *B.* nollent in posterum ei suas detegere conscientias, si nôssent, illum talia effutiisse.

949 Si *quarto* suppetat ratio imperandi illam nominationem complicis juxta doctrinam traditam suprà *n. 251.* sit autem periculum, ne complex dicat, monitionem provenire ex sola Confessione præveniet ipse hoc malum, mandado, ut pœnitens prædictam nominationem faciat extra Confessionem, conformiter dictis suprà *n. 252.* Nec obest, quòd illud mandatum quandoq; tendat *directè* in solum bonum cõmunitatis, seu potiùs in aversionem mali impendentis illi communitati, si namq; obligatur, ut supponimus, palàm nominare (cùm non suppetat alia ratio impediendi mali) complicem, tunc *directè* cedit illa manifestatio etiam in bonum manifestantis, quia percipiet absolutionem *Sacramentalem*, quæ alioquin negaretur.

950 Denique *quintus* Confessarius facit id, quod nos *n. 838.* faciendum diximus, si differat Confessionem suimet peccati, casu, quo nequit sine fractione sigilli id aperire.

Hæc judicavi esse ideo reponenda ad illas 14. quæstiones, quia earum objecta sunt frequentia, nec tamen in specie ita declarata. Video equidem, posse replicari adversùs nonnulla ex his, sed non lubet immorari diutiùs hisce minutiis.

951 Itaque tam prolixam, tótque particularium dubiorum resolutiones complexam dissertationem de *Sacramentali* sigillo, usurpatáque *licitè*, vel *illicitè* notitiâ, claudo

Casu de me ipso.

Etenim fortè nonnemo albæ mentis, de me magis, quàm ego ipse solicitus timebit, ne fortassè quispiam canat de me illud vulgatum: Turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsum: *go verò superiùs scripsi, reprehensione dignos illos Concionatores, qui è pulpito detonantes in vitia dicunt, se hæc, aut illa non semel in ipsamet Confessione audivisse. Ipse verò etiam non semel, quà* implicitè, *quà etiam* explicitè *indicavi, esse à me in Sacro tribunali cognita, animadversa hæc, aut illa peccata, hos aut illos defectus non parvos. An non ergo, & ipse objurgandus videor?*

Resp. A me nullam agnosci culpam ea in re. 952 Quia nec quisquam potest vel tenuissimâ suspicione assequi, cujusnam mortalium culpam referam, nec si quis fortè illorum, quorum facta non laudanda refero, sit adhuc superstes, & hæc legat, poterit ulla cum probabilitate suspicari, se à me designari, cùm nec ego de quoquam in particulari cogitârim, dum probrosa scribebam, nec dubitem, quin facilè quivis habiturus mihi sit fidem asserenti, me non in uno, sed valde diversis Episcopatibus excepisse longè plus, quàm centum millia Confessionum, ac proinde fortasse plus, quàm centies animadvertisse, quæ refero. 2. Scandalizantur quidem auditores, cùm audiunt Parochum dicentem, se hæc, aut illa cognovisse in Confessione, sed in primis ferè soli imperiti, & indocti: scientibus autem Legem loquor. Deinde meritò timent, ne fortè adsint præsentes in tanto numero, quos pungat conscientia, & memoria patrati, inque Confessione manifestati peccati, atque idcirco erubescant in coram assidentibus. Nil ejusmodi hîc metuendum.

APPENDIX APOLOGETICA CONTRA ANONYMUM.

VIderi possim ductus præsago spiritu, quando priores impressiones hujus Tractatûs clausi verbis, jam primùm repræsentatis. Siquidem accepi mense Februarii Anni N. exemplum literarum, à quodam insigni Theologiæ Doctore datarum 24. Januarii, ad quendam alterius Diœcesis Prælatum, qui & illud exemplum ad me misit, conceptum his verbis formalibus: *An Patris Gobat Opera sunt prohibita? An item damnata sententia probabilitatis, quòd nempe liceat sequi sententiam* practicè *probabilem, relicta probabiliore? Attulit hæc nova, quorum veritas mihi extremè suspecta est, Religiosus quidam, ut se vendebat, Hispanus, vir stupendæ eruditionis. Rationem prioris dedit, quòd P. Gobat suis Opusculis varios ad se delatos è Confessionali Casus inseruerit, fuisse igitur Præconem quendam hæreticum, ad Rhenum (locus ab eo nominatus amplius non occurrit) qui ex omnibus Opusculis collectos Casus unum in libellum congesserit, tandémq; sic concluserit: Agnoscerent tandem Christiani, quam bellè sigillum Confessionis à Baptisticis servetur sacerdotibus, ut quæ Sacro eis in tribunali essent credita, in publicum etiam impressis libris effunderent. At ad hunc P. Gobat secundùm propriam, impressámque attestationem, à variis Diœcesis Constantiensis locis, Monasteriis, Ecclesiis Collegiatis, delatos esse Casus in confessionali auditos, à Monialibus ipsa patratos, à Monachis alia horrenda planè, diffamâsse igitur hunc virum Monasteria maximè illa, in quibus severior disciplina paulatim refrige-*

frigescebat, si enim talia patrata sunt à Monialibus Diœcesis Constantiensis, ut Gobat asserit, facilè nonneminem suspicari posse, ubinam, & à quibus id factum sit, dum ergo Gobat jactabundus typo vulgâsset, à quibus, & in quibus consultus, sigillum Confessionis fregisse, meritóque prohibitum esse à Sede Apostolica. Asseruit etiam dictus Religiosus, solam Lovaniensem Vniversitatem ab hac labe, nimirum à sententia probabilitatis fuisse immunem, perlibenter scirem, an ergo nullus professor Lovaniensis hanc docuerit?

b Hactenus verba illius admodum Reverendi, docti, pii, & prudentis, ut scribit memoratus Prælatus, Domini Parochi, quæ utiq; non referrem, nisi prudenter crederem, illum Viatorem alibi quoque jam passim effutivisse, quæ coram memorato Domino Parocho, atq; apud permultos invenisse fidem, propter suam stupendam (quam ego stupeo junctam esse tam portentosis figmentis) eruditionem. Quin suspicor, esse illum ipsum Præconem, qui conscripserit memoratos Casus, cogitétque iis dementare quàm plurimos. Equidem cognitis illis novis literis dedi ad duos Bibliopolas, unum Catholicum, alterum Acatholicum, notos mihi ex multo commercio, ut, quoniam profecturi erant ad Nundinas Vernales Francofurtum (universæ Germaniæ Bibliopolium) inquirerent, prostarétne illic liber contra me scriptus, ac repertum mihi mitterent persolvendum justo pretio, sed nec umbram deprehenderunt. Ergo non absque omni ratione suspicor id, quod dixi. Eam ob rem censui, providè acturum me, si alterum prævenirem ictum præmittendo hanc Apologeticam Appendicem.

c Dico igitur I. Me unà cum Doctore Angelico potiùs crediturum, bovem volare, quàm verum Religiosum (personatum fuisse, persuadent literæ huc translatæ) vomuisse tot, támq; crassa, indigestáq; mendacia, ut revera sunt, quæ ex illius ore scripsit memoratus Farochus.

d *In primis* enim cùm ego accepto illo, quod repræsentavi, apographo, scripsissem in Urbem, quę memoravi de inhibitione meorum Opusculorum, ac sententiæ clementioris de usu opinionis probabilis, respondit 6. Aprilis vir sapientissimus in hæc verba. *In R. V. literis Legi figmenta unius Religiosi, fuerit, credo, non satis sobrius, dum talia effutiit, sanus somniator, aut maledicus calumniator.* Falsum igitur utrumq; illud assertum.

e Falsum *secundò*, imò *tertiò* est, Lovaniensem Universitatem fuisse immunem à labe (si labes est, & non potiùs labis antidotum) mitioris sententiæ. Ornaverunt sanè illam Universitatem docendo præstantissimi viri Malderus Episcopus, Wigers, Mercerus, Molanus, Pontanus, Thomas Leonardi, Wermius, Framundus, Joannes Caramuel, Sinnichius, qui tamen omnes apertè docuerunt, fas esse, opinionem minùs probabilem, minúsq; tutam sequi. Locos, quibus hoc verissimum, & inexpugnabile dogma tradidêre ii Doctores, digito demonstrant partim Sarasa, & Terillus, (exprimentes nomina centum octoginta novem Theologorum, hujus & superioris duntaxat sęculi, quibus ego *To. 2. Tr. 1. n. 101.* addidi alios viginti tres, & nunc adjicio Joannem à SS. Sacramento *in Priore Claustrali Part. 1. n. 260.* & nostrum P. Tobiam Lohner *in suis lectissimis Instructionibus*,) partim eruditissimus Guilielmus le Maire *in sua era justissima* (nam de plurimis impostoris convincit Sinnichium) *Saulis Exegis Sect. 2. c. 2. §. 3.* quem Saulem dum parturiebat, biennio, inquam, priusquam pareret, Sinnichius, præledit ipsusmet defensioni Thesium ita loquentium: *Satis est, sequi opinionem verè, tametsi minùs probabilem, relictâ etiam propria probabiliore NB. & tutiore NB. imò quandoq; oportet NB.* ait idem in aliis Thesibus. Quin Boscus & ipse Lovaniensis Doctor *De Sacr. Part. 4. disp. 8. Sect. 8. n. 12.* negat, posse cuiquam esse dubium de veritate illius Thesis Sinnichianæ. Hos omnes Doctores & consequenter cum his se ipsum, quanto jure, quantáque latinitate appellant *Laxones* Sinnichius, Antidecalogista, & convitiis turgens Baronius, tanto ego, tantáque hosce tres, corúmque asseclas voco, vocito (mutatâ unicâ literâ) *Laqueones*, Latinè, *Tortores*, verè enim laqueis contra doctrinam *Cap. De viduis. 27. q. 1.* torquent (quia qui nimis emungit, elicit sanguinẽ) absq; sufficiente causa sæpissime conscientias, tanto quoq; jure nũcupo illos *Improbabilistas*, quãto nos per cõtemptũ, & sarcasmũ *Probabilistas*.

f Dico *secundò*. Falsum est *quartò* id, quod præco, de quo literæ, vel ille viator sub schemate, & habitu Regulari, venditat, scilicet à me asseri, delatos fuisse ad me è Diœcesis Constantiensis Monasteriis, & Ecclesiis Collegiatis Casus, eósque horrendos, patratos à Monialibus, Clericis, Monachis, & in Confessione auditos, siquidem in primis nusquam *implicitè*, vel *explicite* assero, me ab aliqua hujus, aut alterius Diœcesis Ecclesia Collegiata, Regularive fuisse consultum de ullo Casu probroso, seu horrendo, ergo neque de horrendo audito in Confessione, ergo geminum mendacium (utor idcirco hoc verbo, quòd mihi persuadeam, illum, de quo est sermo, viatorem, esse merè fictitium Religiosum) inest duobus hisce verbis. Rursum nullum probrosum factum ullius clerici refero in tota mea Experimentali Theologia, quod ille, quantumvis stupendæ eruditionis Viator possit cum ulla verisimilitudinis umbra ostendere, contigisse in hac Diœcesi, nedum fuisse mihi relatum in Confessione. Ergo *tertio*, & *quarto* mendacio incestavit aërem, & totidem aliis de Monialibus, totidem de Monachis. Unum unicũ proferat in lucem, si potest, nominet quoq; unũ unicum Monasterium hujus Diœcesis, inquo paulatim refrigescat severior disciplina. Nullum ego ejusmodi novi, tametsi egi in foro conscientiæ cum aliquot centenis Nigris, & Albis (ut loquar phrasi canonica) monachis. Quin imò possum permulta quasi digito demonstrare, in quibus non tantùm non refrigescit, sed incalescit severior disciplina. Quo igitur pacto infamantur meis libellis ea Monasteria, quibus affingit vagabundus calumniator turpẽ notam refrigescentię?

g Quin, dum relego Elenchum Casuum, hoc meo *primo* Tomo, quem designat Viator, propositorum, ac resolutorum, non reperio ullum Religiosis probrosum, vel quem non scripserim ex libris impressis, vel certissimum sit, nulli posse ullam adferre incommodum. Ut e. g. ruborem, famę imminutionẽ, adeóque nec ullã molestiã ulli mona-

sterio, ulli alteri cõmunitati, nedũ ulli sitæ in hac Diœcesi. Et qua fronte asserit dictus viator, publicari è me nefanda de Monialibus, singulariter Diœcesis Constantiensis cùm ne quidem semel in editione lectâ à Viatore memorem ullum, ullius Monialis delictum, nisi bis, térve, delumptum ex libris editis, atque patratum procul ab hac Diœcesi?

h Quapropter videtur mihi ille Viator, velle certare de palma inter nugivendulos, quam certè non invideo ipsi, etsi nolim obtingere cum ullius innocentis criminatione. Quòd autem ego proponam permultos casus, quos comperi ex Confessionibus auditis vel à me ipso, vel aliis, nequit mihi vitio verti ab ullo sapientum, nimirum, quia usus notitiæ ex Confessione *mediatè*, vel *immediatè* haustæ, vetitus est in eo solo casu, quo vel ipsi Sacramento, vel pœnitenti, vel alteri infertur incommodum. Nullum incommodum infero Sacramento pœnitentiæ, quia nullam injuriam, nullam irreverentiam, aut vilipensionis causam. Nullum quoque ulli pœnitenti, cùm certissimus sim, neminem suspicari posse, hoc aut illud delictum, quod narro, esse patratum ab hoc, aut illo individuo homine, ab hujus vel illius communitatis membro, nemo etiam erubescere possit, si fortè legat in meo libro quidpiam, quod ipse & patrârit, & in Confessione detexerit, quandoquidem conscribendo istos eventus, vel non cogitabam de ullo homine individuo, vel si cogitabam, tum vel noveram, jam satis concessisse, vel, utpote illiteratum, non esse hæc lecturum, vel plurima similia eventa contigisse in aliis., atque aliis Diœcesibus, in quibus ego Confessiones excepi, & quarum Diœceseon possem novem numerare, atque insuper alias plures his, Italicas, Gallicas &c. quarum Diœcesanis impertii beneficium absolutionis.

i Quis igitur poterit prudenti suspicione assequi, se à me designari in hoc, illóve loco meorum Alphabetorum? Quis Religiosus locus valebit obtendere, suum honorem, reputationémve à me obfuscari, dum aliqua de aliis malè sonantia refero? Deditissimâ enim operâ abstinui à circumstantiis aliquo modo periculosis. Verum quidem est, aliquos ex Confessariis, qui ad me perscripserunt, consilii causa, secretissimos Casus, revocaturos, dum hæc legent, in memoriam illas ipsas personas, de quarum peccatis me consulebant. Sed inprimis alii eorum petiêrunt à me consilium cum expressa facultate pœnitentium: alii non legent ista: alii ex talibus pœnitentibus excesserunt è vivis. Et denique sigilli Confessionis religio non inhibet Confessario, ne quid faciat, unde possit post quatuor, decem, viginti Annos reminisci peccati sibi detecti in arcano tribunali à Cajo, vel Caja, alioqui delinqueret Confessarius, qui faceret super Confessionibus totâ hebdomadâ auditis aliquam reflexionem in ordine ad instituendum conscientiæ examen circa modum, quem tenuit in hoc, aut illo pœnitente examinando, corrigendo, consolando, dirigendo. Sanè hoc consequens repugnaret saluberrimæ, & ab ipsa Sede Apostolica approbatæ doctrinæ, & institutioni, quam à nostro S. Fundatore traditam notavi *suprà Cas. VII. n. 322.*

Taceo, quòd, qui legerunt Annales, seu Annuas literas, atq; Chronica, gesta ve Ordinum Mendicantium, meminisse possint, permulta in iis referri admodum probrosa, quæ non nisi ex notitia Confessionis derivata sunt in eos libros. Id ipsum pronuntiari potest de libris Cæsarii, Cantipratani, Nyderi, de quo vide infrà *Tr. 10. n. 637. in Append. ad 2. Casum*: Antonii Dauroultii, ac vitis multorum illustrium operariorum in vinea Domini. Hos omnes scriptores, si Anonymus stupendæ eruditionis demonstraverit, temerâsse sigillum Confessionis, credam & ego, à me violatum, agámque pœnitentiam. Quia verò id probabit nunquam, idcirco illum ad pœnitentiam, resipiscentiámve Christianè invito, eáq; peractâ, precor ipsi æquè ac mihi, clementissimam supremi omnium Judicis sententiam. Amen.

Denique quod spectat gloriationem, seu jactantiam, cujus me idcirco insimulat Anonymus, quòd crebriùs ac ipsi placet, exprimam, hunc aut illum Casum fuisse ad me perscriptum, à viris magnis, est criminatio & carens fundamento, & æquè impingenda Navarro, Comitolo, Dianæ, Menochio, aliis. Conscripsi primus tantam varietatem Casuum, quos jure merito volo, paucissimis exceptis, haberi pro *Factis*, non *Fictis*. Hujus meæ intentionis causam exposui in Præfatione Operis. Quod intendi, faciliùs consequar, si Lectori in oculos incurrat tam frequens, verissimáq; nominatio, non obscurorum, à quibus seu interrogatus, seu etiam consultus sum, virorum.

m Et quid si me tuear illo Clypeo, quem commodat P. Nicol. Serarius. dum scribens in Cap. 7. Lib. 1. Machab. pronuntiat: Quærere gloriam non esse, magis (ratione objecti) peccatum, quàm quærere cibum, aut vestitum, quando est id necessarium, vel commodum. Quid ni illo ipso scuto, quo se usum fatetur modestissimus, quia verè Sanctus Augustinus *Epist. 264. ad Darium*, dicámq; *Docuit nos per Apostolum suum Magister bonus, propter ipsos homines, quærere laudes hominum.* Atque adeò à me quæri æstimationem (&, quis, oro, Bibliographorum, si sapit, non quærit?) mei libri, seu mearum resolutionum, non propter me, sed propter mediocriter doctos parochos (quorum præcipuè bono susceptum, exhaustúmq; esse à me hunc laborem, profiteor, & hîc & in ea Præfatione) cupidos proficiendi ex hisce lucubrationibus. Cadet sanè spes hujusce profectûs, si libri æstimatio cadat, quem proinde librum haberi aliquo loco dum audio, me delectat. *Neque enim mihi*, ut ait quidam, *cornea fibra est, ut hoc non sentiam, vel sine delectatione sentiam*, quemadmodum Augustinus *l. c. sub. init.* fatetur de seipso audiente, legente encomia suorum librorum. Et quid ni liceat mihi parva componere magnis, seu potiùs minima maximis? quid ni libere scribam, me, cùm hosce Tractatus conciñârim solius honoris divini propagandi causâ, studuisse aliquam eis autoritatem conciliare, agámq; humillimas Authori omnium bonorum gratias, quòd dignatus ipse sit tantam impertiri, ut intra tam paucos Annos fatigent jam ii omnes Tractatus quintum, aliqui etiam sextum prelum in Germania, Italia.

INDEX, ET COMPENDIVM, RERVM AC VERBORVM PERQVAM COPIOSVM, AD COMPLVRIVM INSTANTIAM CONFECTVM.

Primus numerus designat Tractatum. Secundus numerum marginalem illius Tractatûs.

A.

Abbas.

1 ABBAS non potest, grassante pestilentiâ, fugere, deserto Conventu. *Tract. I. num. 158.* Potest ex consuetudine esse Patrinus Baptismalis. II. 558. Singulariter si sit Abbas Ordinis Clericalis. 556. Non potest administrare Sacramentum Confirmationis, esto gaudeat antiquo privilegio exercendi omnia pontificalia, exceptâ collatione Ordinum &c. 750. Cassinenses Abbates consecrant ex privilegio altaria. III. 270. Quod privilegium non amittunt per non usum, aut renuntiationem. 270. Nequit tamen Episcopus ulli delegare potestatem consecrandi. 271. Abbas Infulatus consecrat calices, & omnia sacra, vasa. III. 308. Benedicit & vestes sacras. 357. & 364. An potestate Episcopali præditus possit suo Breviario inserere aliquem Sanctum? *num. 670.* Quivis Abbas licitè dispensat ex rationabili causa cum Choristis. V. 571. Cum aliis dispensat, sicut Episcopus. 730. Præditus potestate Episcopali approbat pro Confessionibus audiendis. VII 47. & 56. Imò triginta privilegia tribuunt ipsi nonnulli. 47. & 48. Enumerantur illa. *Ibid.*

Abbatia.

ABbatia non est beneficium Parochiale. *Tr. VII. num. 46.*

A. B. C. D.

A. B. C. D. Quomodo observanda in Missa? III. 812.

Ablutio.

ABlutio est de necessitate Baptismi. II. 43. Ablutio differt in Missali à purificatione. III. 852. Hæc enim est Calicis: illa digitorum. 853. Potest omitti sine peccato. 853 Olim effundebatur in locum mundum. IV. 24. Cur? 24. An in ea remaneat aliquid de Sanguine Christi? *Ibid.* Quomodo faciendа in die Natali Domini? III. 848. & 849.

Abortus.

ABortus quomodo reservetur in Diœcesi Constantiensi? *Tract. VII. num. 416. & 673.* Quomodo apud Regulares? 673.

Absolutio.

Absolutio in genere.

ABsolutio in foro *interno* valet quoad omnia, 1
præterquam quando lis movetur in Judicio. VII. 143. Absolutus in necessitate ab excommunicatione reservatâ quatenus teneatur se sistere Pontifici, sublato impedimento? 145. Et qualiter jurare, se compariturum? 145. Et priùs satisfacere parti læsæ? *Ibid.* Et cur obligari in foro *interno*? *Ibid.*

Absolutionis Sacramentalis forma consistit 2
in his duobus verbis: *Absolvo te.* VII. 148. Sub mortali tamen addendum *à peccatis.* 150. Si, postquam, dixisti: *Absolvo te*: primùm te determines, utrùm velis absolvere à peccatis, an à censuris, rectè faciès repetendo illam. 152. Id tamen non est necessarium. 155. Potest verbi *Absolvo* significatio manere vaga, donec determinetur per verba sequentia. VII. 156.

Ejus appendices accidentales referuntur *num. 158.* Omnes possunt omitti sine gravi peccato. *160.* Pleræque etiam sine veniali. 161. Et illa: *A vinculo suspensionis* debet omitti in absolutione initiatorum solis Minoribus Ordinibus. 163. Absolutio à Censuris est alia in foro interno, alia in, & pro externo. 164.

3 Absolutio à peccatis debet omnino proferri verbis, non nutibus, aut scripto, quidquid scribat Pontius. VII. 166. Debet absolutio ab excommunicatione respectu verè excommunicati sub mortali proferri ante absolutionem à peccatis. 168. Valet tamen non data antè. 168. Quo sensu dicatur absolvi, qui non adfert peccata, nisi priùs dimissa? VII. 170. Absolutionis Sacramentalis repetitio absque rationabili causa est graviter illicita. 171. At licita, quoties rationabiliter dubitas, an protuleris. 174. Et sufficit, si repetas sub conditione non expressa verbis. 174. imò in rigore non est necesse, ut etiam in mente exprimas illam conditionem. 272. Etsi distractè protuleris, non ideo tamen suppetit sufficiens causa repetendi. VII. 175. Quid si ob solam distractionem dubites, an non omiseris aliquid essentiale? 176. Cæterùm voluntaria distractio inter pronuntiandum hanc formulam non est per se moraliter mala. 177. Casus absoluti diu post narrationem peccatorum. *Tract I. num. 33.* An peccârit ita absolvendo? 37.

4 Absolutio jam data debet repeti, si de novo adferatur aliquod peccatum certò, aut dubiè mortale. VII. 220. Non autem semper, si solùm veniale. 220. Eventus varii, in quibus dari potest absolutio sub conditione. 267. Nunquam danda sub conditione de futuro. 267. Absolutio ab excommunicatione potest impertiri etiam absenti. VII. 286. At à peccatis non nisi præsenti. 287. Sufficit tamen præsentia moralis. 288. Declaratur respectu Confessarii obliti absolvere pœnitentem jam digressum à Confessionali. 288. Quid si ille pœnitens occurrat Confessario primùm post aliquot horas, aut dies? 289. Casus absolventis è platea existentem in domo. 283. Alterius absolventis immediatè antè, quàm præberet in ipso templo Sacram Hostiam. 291. Absolutio vix unquam prudenter negatur rectè dispositò. 320. *Directa*, & *Indirecta* propriè quæ sit? VII. 690. & 691. Accipitur utraque quandoque impropriè. 691. Etiam directè absolutus tenetur quandoque petere absolutionem directam. 691. Potestas absolvendi à reservatis est latè interpretanda. 697. Quanta competat Regularibus? Vide verb. *Confessarius n. 12.*

Absolutio Moribundi.

5 POtest hic à te Sacerdote absolvi, si coram te exhibuit signa doloris de peccatis in ordine ad absolutionem. VII. 598. Proponuntur aliqua ejusmodi signa. 598. Potest & ille, qui talia signa edidit, non quidem coram te, sed coram aliis, qui tibi retulerunt stanti apud Moribundum. 599. Et quidem licèt ipse fuerit tunc captus omnibus sensibus. 600 Et licèt nemo id testetur, sed tamen verosimiliter præsumantur fuisse edita talia signa. 601 Secùs, si nequeat id prudenter præsumi, esto constet, fuisse bonæ vitæ. 602. Multò minùs, si malæ, ut placuit P. Habsensi. 603. Et adhuc minùs, si fortè carnaliter peccando tam subitò destituitur sensibus, ut non possit, humanitus loquendo, atteri, sicut scribit idem Pater. 603. In casibus, in quibus diximus esse dandam absolutionem, in iis danda est absolutè, & sine conditione. 610. Peccatur mortaliter non dando. 611. Sedecim casibus declarantur dicta de absolutione Moribundi. 612. *& seqq.* Et quidem illorum, pro quorum dolore nullus aderat testis. 613. 614. & 615. Et trium Lutheranorum absolutorum à Sacerdote Catholico, quem putabant esse Lutheranum. 619. *& seqq.* Quid Societas Jesu statuerit de absolutione Moribundi? Vide infrà verbo *Societas Iesu num. 5.*

Absolutio à Casibus reservatis.

DE hoc vide in hoc ipso Indice verb. *Casus Reservatus generatim.* verb. *Casus Reservati Regularium.* verb. *Confessarius Regularium peregrinantium.* & verb. *Societas Iesu, num. 6.*

Actus. Actio.

ACtus indicati verbis Missæ, an eliciendi necessariò à Celebrante? III. 822. Refutatur nova de his opinio Cotonii. 823. Quatenus Ecclesia possit actus interiores præcipere? V. 189. Actio elicita ex habitu, aut consuetudine, quo sensu dicatur non esse meritoria? 800. Actio exterior proveniens ex mala voluntate aliquando non est peccatum, & ideo non confitenda. VI. 349. Actui indifferenti non præfigens bonam intentionem, an adferat materiam sufficientem ad absolutionem? VII. 232. Actus indifferens quomodo possit esse materia Confessionis? VII. 510.

Acroniani.

ACronianorum mos circa vecturam musti festis diebus. V. 3. Varia dubia circa illam edisseruntur. 6. *& seqq.*

Admiratio.

ADmirationis extituræ metus an, & quatenus liberet obligatione confitendi ante instantem Communionem? IV. 256. Cavendum, ne quis hîc se decipiat. 257.

Æquitas.

ÆQuitas est Justitia dulcore misericordiæ temperata. *Tract. V. num. 888.* Ejus habenda magna ratio. *Ibid.*

Æquivocatio.

SIngulariter tunc est licita, quando Judex interrogat reum, non servatâ Juris formâ. *Tr. II.* VI. 163. *in Append.* Et fortè, licèt servetur forma, attamen imminet reo periculum mortis ex candida confessione. *ibid.* Quomodo Confessarius utetur æquivocatione, ne prodat secretum Sacramentale? VII. 841.

Ætas.

ÆTas Patrini Baptismalis non est necessariò major, quàm filii Baptismalis. *Tract. II. num. 555.* Ætas pro præcepto Communionis quæ? Vide verb. *Pueri.*

Agni DEI.

NOn facilè damnandus Laicus eos reverenter tangens III. 330. At non facilè excusandus etiam Clericus, qui sine privilegio liquefaceret Agnos DEI, ut exiis aliâ cerâ mixtis confici possint plures. 332.

Alanus.

QUis, & qualis fuerit Alanus de Solmin hac? II. 592. Etsi Episcopus inserviebat pestiferis. IV. 402. Usurarios quomodo liberaverit à peccato? VII. 570. *in Append.* Quomodo emendârit duellantes? 573. *in Append.* Ejus summa puritas. VII. 796. *in App.*

Alba.

ALba amittit benedictionem, si avellatur manica. III. 367. Ex ea detrita *licitè* fiunt superpellicia. 370. Alba dicitur etiam tunica. 346 Cùm deficit alba benedicta, an possit adhiberi non benedicta? 323.

Altare.

1 ALtare nullum profanatur præcisè per exercitium heterodoxæ Religionis habitum in loco, in quo est id altare. III. 265. *in App. I. §. Ego singulariter.* Ara etiam portatilis præbet etiam extra Ecclesiam jus asyli. 266. Declaratur facto ingeniosо. 266. Nefas est celebrare sine altari. 268. Consecrant altaria ex Privilegio Pontificio etiam aliqui Abbates. 270. At non ex Episcopali. 271. Altare fixum nequit destrui sine facultate Episcopi. 272. Ejus forma, & materia. 273. Execratio. 274. 275. & 276. Non reconciliatur per subsequens Sacrificium. 279. Contrarium tamen est probabile. 280.

2 Privilegium celebrandi in ara portatili amittat, ampliato loco, pro quo erat concessum? III. 293. Reliquiæ non sunt ipsi absolutè necessariæ 277. Nec pro iis imponenda Sacra Hostia. 278. Non licet celebrare in altari, cui imposita est tabula lignea. 285. Declaratur exemplo. 285.

3 Forma Brevis Altare Privilegiatum concedentis. III. 639. Singulæ clausulæ illius Privilegii explicantur. 640. *& seqq.* Singulariter illa de septem Missis quotidie illic dicendis. 641. Confirmatur necessitas hujus numeri. 646. Quis illic dicatur esse Sacerdos Privilegiatæ Ecclesiæ? 647. Debeâtne necessariò dici Missa de *Requiem*? 650. Perit ejus Privilegium destructâ Ecclesiâ. 657. Septennium illius altaris quando incipiat? 660.

Amens.

AMenti à nativitate, sed jam adulto, an præbenda in agone Eucharistia? IV. 134.

Amor.

AMare propriè quid sit? VI. 88. Verus amor importat unionem affectivam. 89. Quid sit amor *Amicitiæ*, quid *Concupiscentiæ*? 87. Quid *Obedientialis*, & *Simplicis Complacentiæ*? 90.

Angelus.

ANgeli sæpe ministrârunt Sacramenta. I. 50. Et nominatim B. Stanislao Kostkæ Eucharistiam. 50. Et S. Amphilochium consecrârunt Episcopum. *ibid.* Habitâque fuit illa consecratio à cæteris Episcopis pro valida. 50. Sicut esset pro valido habendus Baptismus, quem contulisset Angelus. II. 158. Angelus fungitur officio ministri ad Missam. III. 405.

Anima.

ANimæ unius lucrum quanti fecerit P. Carolus Spinola? II. 243.

Anniversaria.

ANniversaria non persoluta ab hærede an sint compensanda? III. 636. *in App. I.*

Annus.

ANni discretionis: Usus rationis: Potentia peccandi mortaliter, & esse Capacem doli an differant? IV. III. *& seqq* Ex quibus indiciis possit colligi, adesse, vel non adesse annos discretionis? 127. & VII. 447. 450. 455. & 458. Exemplum proponitur *n. 443.* De variis obligationibus puerorum, Vide verb. *Pueri.*

Apollonia.

S. Apolloniæ dentes, multa miracula Oettingæ Veteris & alibi patrant. III. 684. Et ideo possunt coli Officio Semiduplici. *ibidem.*

Apologia.

APologia contra Stephanum à S. Paulo. I. 102. *in App.* Alia contra eundem. III. 448. Alia contra larvatum Religiosum. VII. 952.

Apoplexia.

APoplexiâ tacti absolvendi. VII. 613.

Apostoli.

APostoli sacrificabant cum, & sine vestibus sacris. III. 356.

Appellatio.

APpellatio non suspendit excommunicationem, sed denuntiationem. V. 399.

Applicatio.

APplicatio Sacri quando: quomodo: quibus facienda? Vide infrà verb. *Missa*, & verb. *Sacrificium*, & singulariter à *n. 520.* ad. *553. Tractatûs Tertii.*

Aqua.

QUæ sit necessaria pro Baptismo? Vide infrà verb. *Baptismus. num. 2.* Necessariò miscenda vino Eucharistico. III. *num. 58.* Etsi sciatur, cauponem miscuisse. 59. Quantò paucior, tantò potior miscetur. 60. Quanta Tirolensi? 61. Et Rhenano? *ibid.* Quanta Acroniano? 62. An immediatè convertatur in Sanguinem Christi? 65. Guttæ in calice abstergendæ. 64. Et quando? *ibid.* Quando dubitatur, an sit infusa pro vino, quid agendum? 765. Quid quando id rescitur? 769. Aquam pro Sacrificio refrigerans glacie non peccat mortaliter? 65. Imò nec venialiter. *ibid.* Aquâ benedictâ, an licitè utamur ad profana? III. 334. An licitè à laicis tangatur Baptismalis? II. 41.

Ara.

VIde suprà Verbo *Altare.*

Aranea.

ARaneâ lapsâ in calicem consecratum, quid, *per se loquendo*, agendum? III. *num. 864. & 865.* S. Norbertus sumpsit, & S. Conradus, 859. Sintne digni imitatione? *861.* Casus, in quo oportet illos imitari. 863.

Archidux Leopoldus Guilielmus.

ARchiducis Leopoldi Guilielmi praxis audiendi Sacri. *Tract. V. 242.* Studium orandi Horas Canonicas in summa mœstitudine. V. 710. Et solicitudine. 710. & 732. §. *Ita.* Nunquam omisit recitationem Breviarii. 732. Insignes considerationes, quas adjungebat persolutioni pensi Canonici, diversas secundùm diversitatem temporum, & horarum. *856.*

Articulus Mortis.

ARticulus mortis propriè est ultima quædam particula, non magna, temporis vitæ, quam mors immediatè sequitur. IV. 182. Accipitur in ipso jure Canonico pro ipso periculo. VII. 125. Vide plura infrà verb. *Mors.*

Asylum.

ASylo an gaudeant hæretici? III. *261. in App. 2. lit* e. An homicida voluntarius? *ibid. litera.* a. *& seqq.* An Rector Ecclesiæ teneatur aperire fores, quando Reus confugit ad Ecclesiam? *ibid. lit.* h.

Atramentum.

AN sit idonea materia Baptismi? II. 32. Quale? *ibid. in App.* Contra Stephanum. à S. Paulo. *num. 33.*

Attentio.

Attentio ad Missam.

ATtentio interna ad Missam est mentis applicatio ad hanc. V. 219. Attentio ad res indicatas verbis Missæ non est præcepta Sacerdoti. III. 820. Attentio interior est necessaria ad aliquid impetrandum à Deo. V. 220. Ea est triplex. 221. Attendere ad Deum sub Missa censetur omnis, qui tunc cogitat deliberatè de rebus quibusdam sanctis. 222. Una saltem ex tribus attentionibus est necessaria ad satisfaciendum sine culpa veniali præcepto Ecclesiæ 223. Sufficit autem qualiscunque ex tribus. 224. Refutatur Liamas exigens tunc commemorationem Divinorum Beneficiorum. V. 225. Attentio virtualis quando adsit? 226. Non est ad Missam tanta necessaria, quanta ad Breviarium, 227. Probabilius est, peccare mortaliter, qui toto tempore Sacri negligit omnem attentionem piam interiorem. 232. Et certum, illum, qui negligit exteriorem. 234. Secùs, si exerceat actiones solùm leviter impedientes attentionem. 237. Quales in specie possint admitti sine mortali? 238. Quænam sine omni veniali? 239.

Attentio ad Horas Canonicas

SItne melius, penitus omittere Horas Canonicas, quàm recitare sine attentione, cùm hæc est impossibilis? V. 716. Sunt quinque diversæ opiniones de attentione necessaria ad Horas Canonicas. V. 794. *& seq.* Alia est interior, alia exterior. 800. Actualis quæ? 800. Virtualis quæ? 800. Quæ ad sola verba? 801. Quæ ad sensum verborum? 801. Et quæ ad DEUM? 801. Hæ tres vocantur *Superficialis*, *Literalis*, *Spiritualis.* 801. Quomodo intelligendi autores, exigentes attentionem interiorem, & tamen contenti superficiali? 802. *& seqq.* Peccat mortaliter Clericus, negligens attentionem exteriorem, seriò occupando se in actionibus impedientibus attentionem interiorem. V. 806. Discutitur fusè, utrùm illæ actiones debeant, ut causent distractionem mortalem, esse ex natura sua impeditivæ attentionis interioris, an verò sufficiat, si sint impeditivæ respectu illius, qui eas exercet? 807. *& seqq.*

Recitans sine obligatione Breviarium, non peccat mortaliter, negligendo attentionem, seu *interiorem*, seu *exteriorem.* V. 813. Deus prohibet sub mortali Clericis illas solas actiones externas, quas Ecclesia, 814. Hæc autem *directè* illas solas, quæ sunt naturâ suâ incompatibiles cum attentione *interiore*, at probabiliter *indirectè* etiam illas, quæ sunt incompatibiles, spectatâ conditione orantis. 815. Quænam in specie actiones exteriores sint ex se impeditivæ attentionis *interioris*? 817. Et nominatim, an aptatio calami, & modesta accommodatio vestis? 817. Quid si festinanter te induas, laves? 818. Aut facias necessaria ad recitationem Horarum? 819. Aut vetitas quidem, sed non observans, te per illas distrahi? 820.

4 Essentia Orationis Canonicæ potest consistere sine attentione *interiori*, seu cum distractionibus voluntariis. V. 821. Solvitur *primum* argumentum. 828. Et *secundum.* 829. Nequit negari, quin sit probabile, Clericos non peccare mortaliter, tametsi negligant attentionem interiorem. 831. Solvitur argumentum peritum *ex Cap. Dolentes.* 834. Et secundum de hypocrisi, & inefficacia impetrandi. 835. Et tertium, petitum ex similitudine cum precibus promissis Deo, vel injunctis à Confessario. 836.

5 Attentio *superficialis* omnino sufficit ad honestatem precationis Canonicæ. V. 837. Et probabilius est, illam saltem imperari Clericis sub mortali. 838. Hósque delinquere mortaliter, non solùm quando deditâ operâ distrahuntur, sed etiam, quando ex supina negligentia non expellunt distractiones. 840. Si quidem illæ distractiones oriantur ex actionibus exterioribus. 841. Non tenetur restituere fructus, etiam qui mortaliter peccat per longas distractiones. 842. Nec sub mortali tenetur repetere, quæ ita inattentè legerit, nec habere scrupulum de sufficiente coram Deo attentione, quando cœpit orare cum intentione attendendi, & tamen postea advertit, se distractum fuisse. 844. Aut quando scit, se post illam intentionem non fuisse deditâ operâ distractum. 845. Vel adhibuisse mediocrem diligentiam in expellendis distractionibus. 846.

6 Quinimo potest quandoque absque culpa admitti aliqua mentis evagatio. V. 847. Vel abrumpi Oratio, ut aliquid annores, vel facias, ut post factum vel adnotationem sis collector. 848. Describuntur ex Antonio Sucquet remedia contra attentionis impedimenta. 850. *& seqq.* Inter quæ est tum delectus loci quieti. 850. Tum præparatio ad Orationem facta variis modis. 852. Tum excitatio memoriæ præsentiæ DEI, & Christi in singulis psalmis. 854. Tum imaginatio, quòd ores cum his, aut illis Sanctis. 854. Tum distributio statuum, & hominum, pro quibus psallis. 855. Proponuntur etiam insignes considerationes, quas Archidux Leopoldus Guilielmus præmittebat singulis Horis Canonicis per diversa anni tempora. 855.

Attritio.

ATtritio quid sit? *Tr.* VI. 35. Facit ex attrito contritum juncta Sacramento. 49 Etiam cognita. 50. Ejus distinctio à perfecta contritione. 55. *& seqq.* Ejus actus. 49. Ejus motiva. 49. An juncta morti obitæ in servitio pestiferorum faciat ex attrito contritum? 114. *& seqq.* Alia vide verb. *contritio.*

Augustinus.

SAugustinus censuit, infantes sine Baptismo decedentes pati pœnas Inferni II. 117. Quàm piè descripserit Horas Canonicas? V. 731. Non fuit sui Ordinis Autor, sed solùm Reformator. 628. Ejus Canonici recitant pro tota Ecclesia officium Canonicum. 780. Sunt hoc sæculo reformati à duobus præstantissimis Viris. II. 592. & VII. 560. *in Append.* Docuit laudes hominum esse quærendas. VII. 952. *in App. Apolog. lit.* m.

Aula.

AUlæ Gymnasiorum nostrorum an sint loca *Sacra*? III. 264. *in App. 1. lit.* t.

Aurora.

AUroræ nomine quid intelligatur in Rubricis Missalis? III. 197. Debet accipi moraliter, non physicè. 198 Germanis nullus movendus scrupulus etsi sacrificent ante auroram? 198.

Auscultо.

AUsculto cum casu Accusativo significat audio, & diligenter attendo. *Tract. V. 691.*

B.

Baculus.

BAculo licitè utitur inter sacrificandum infirmus. III. 385.

Baptismus.

Baptismi Divisio

ALius est *Solennis*, alius *Privatus.* II. *480.* Quæ definitio *Solennis*? 487. Etiam privatim collatus potest esse *Solennis.* 484.

Baptismus *Sanguinis* quis? II. 599. Ejus conditiones. 600, *& seqq.* Baptismus *Flaminis* quis? 637. Ejus conditiones. *ibid.*

Baptismi materia remota.

BAptismi materia *remota* est aqua vera, & naturalis. *Tr. II. 9.* Sine hac nec in extrema necessitate licet baptizare. 10. Per veram, & naturalem aquam intelligunt ferè omnes elementarem. 14. Ideóque admittitur aqua marina, pluvialis, sulphureorum balneorum, lixivium, jusculum, in quo decoctæ carnes. 18. Item aqua paludis, aut soluta ex nive, grandine, gelu, ac transfusa per venas acetosas, salsáve. 19. Sicut & collecta ex vaporibus densatis, cùm ex ore ollæ evaporantur, atque illa, quæ tempore hiberno fluit ex lapidibus, parietibúsve. 20.

At etiam in extrema necessitate rejiciuntur ab omnibus vinum, lac, urina, lacrymæ, saliva, pituita, aqua supernatans cruori, succus ex pyris, cerasis, &c. expressus. II. 21. E diverso in eadem extrema necessitate admittuntur ab aliquibus aqua rosacea. II. 23. Aut per Alchimiam educta. 24. Item sudor. 25. Aut ex sale resoluta. 27. Item cerevisia, ac mulsum. 28. Ac brodium. 29. Et meritò à Dicastillo aqua fluens ex arboribus. 26. Et quidni atramentum? 32. *& seqq.* Non autem colores jam attemperati ad pingendum. 31. Sicut generatim omnis materia, cui non est plus aquæ, quàm alterius materiæ admixtum. 30. Aut quæ non est apta ad abluendum *ibid.*

Peccat mortaliter, qui cùm possit habere elementarem aquam, adhibet aliam. *Tract. II.* 35. Et qui non adhibet aliquam è dubiis, cùm nequit habere elementarem. 36. & 37. Tunc autem est Baptismus conferendus, sub conditione. 38. Peccat, & is, qui utitur aquâ impurâ, turbidâve, aut qui non haustâ ex Sacro fonte. 41. Excipe: nisi Baptismus sit privatus. 41.

Baptismi Materia Proxima.

4 ESt vera lotio, seu ablutio hominis. *Tract. II.* 43. Adeóque requirens motum successivum aquæ. 43. Consisténsque etiam in aspersione. 44. Et quidem duarum, triúmve guttarum. 45. Non autem unius guttulæ. 47. Sed in efformatione crucis facta digito madefacto. 48. At non in applicatione panni madefacti sine tractione. 48. & 732. Secùs, si projicias infantem in flumen, esto non inde extrahas. 50.

Sufficit abluere illam particulam corporis, qua abluta possit dici lotus. *Tract. II.* 52. Consequenter si aut capilli. 53. Aut digitus pedis. 54. Aut brachium sint abluta. 54. Non itaque rectè exigitur ablutio capitis. 54. Cujus tamen ablutio est in necessitate præferenda ablutioni etiam pectoris. 55. At repetendus Baptismus, quo aspersum fuit caput infantis integre adhuc hærentis intra matrem. 56. Doctrina notabilis de modo baptizandi hærentes adhuc in utero. 57. Baptismus in secundinis, aut umbilico valet. I. 58. Sicut, & in veste tenuissima. 59. Aut tenti sub stillicidio. 60. Baptizans trinâ immersione absolvit Baptismum in prima, si in hac proferat totam formam. II. 61. & 82. Quàm graviter peccet, utendo adspersione contra morem Diœcesanum. 63.

Baptismi forma.

5 DEbet certò nunc exprimi in forma Baptismi Trinitas personarum Divinarum. *Tract. II.* 68. Vocula: *Ego*, non est apud Latinos de essentia, sed apud Germanos, & Gallos. II. 69. Quid de *In*, atque *Et*? 70. & 71. Debent tamen verba usurpari, quibus significetur unitas essentiæ Divinæ, trinitas personarum, baptizantis, baptizatíque persona, & actus baptizantis. 72. Quæ mutatio formulæ præscriptæ reddat Baptismum invalidum, aut illicitum? 73. & 74. Quando mutatio formulæ impedit, quò minùs, spectatis circumstantiis, reddatur idem substantialis sensus, quem intendit Christus, redditur Sacramentum irritum. 75. Octo modis potest fieri mutatio. 76. Et quidem sine peccato mortali, etsi baptices idiomate vulgari. 77. Licet quandoque uti formâ dubiâ. 79. At probabiliter non totam proferre ante, vel post totam ablutionem. 81. Si moriatur infans, inchoatâ, sed nondum finitâ formulâ, nihil ei prodest Baptismus. 85.

Baptismi necessitas: præceptum: dispositio Baptizandi.

6 BAptismus est omnibus adultis necessarius necessitate præcepti. II. 103. Jam non licet iis diu differre. 104. Et parentes graviter peccant, differentes diu Baptismum filiorum. 107. Etsi viguerit olim alia consuetudo. *ibid.* Rursum Baptismus est necessarius necessitate medii. 108. Conditiones requisitæ ad id, ut quid dicatur necessarium necessitate medii. Vide verb. *Necessarium.* Necessitas illa est, vel in re, vel in voto. 108. Cajetanus frustra fingit privilegium pro quibusdam infantibus, extinctis sine Baptismo. 116. Præceptum Baptismi suscipiendi non obligat cum periculo mortis. 122. Adeóque nec illum catechumenum, qui nec potest in extremo agone excitare contritionem, nec baptizari, nisi projiciatur in puteum. 262. Attamen potest juxta Dianam baptizari is, cujus mors etiam notabiliter accelerabitur per Baptismum. 126. Nec dubitandum, si non notabiliter acceleretur. 124.

Ad *validè* recipiendum Baptismum sufficit voluntas, seu intentio. II. 307. Qualis? Vide infrà verb *Intentio.* At ad *licitè* recipiendum requiritur in adulto fides, spes, & dolor de peccatis actualibus. 308. Nec obstat, etsi fides sit quandoque tenuissima. 308.

Baptismi Minister.

7 QUivis homo ratione præditus baptizat validè non baptizatum. *Tract. II.* 128. Non tamen se ipsum. 129. Ordinarius autem Minister est Papa per totum Mundum: Episcopus per totam Diœcesin: Parochus per totam Parochiam. 130. In terris barbaris nemo ex officio baptizat, nisi saltem mediatè destinetur à Papa. 131. Sicut nec alienæ Parochiæ pueros sine facultate Parochi loci, in quo habitant parentes baptizandi. 132. Quid de natis in propinquo loco? 132. Quid de Parocho, casu versante in aliena Parochia, in qua tunc peperit sua Parochiana? 135.

8 Baptizatio non est propriè actus jurisdictionis. *Tract. II.* 135. Eum, absente Parocho, exercet licitè solenniter alienus Sacerdos. 136. Et ex delegatione Parochi Diaconus, etiam extra necessitatem extremam. 136. *& seq.* In extrema necessitate tenetur quivis baptizare. II. 141. Servato tamen ordine inter digniores, si adsint plures. 142. Nec deferendus infans ad ministrum hæreticum. 142. Aut si putetur deferendus, est priùs baptizandus ritu Catholico. 142. An possint esse duo ministri unius Baptismi? II. 143. In extrema necessitate potest unus proferre formam, alio effundente aquam. 144. Baptizans solenniter in statu peccati mortalis est sacrilegus. 149. Secùs, si eliciat contritionem ante ultimum verbum formulæ. 150. Baptizans non est necessariò adultior baptizando. 151.

Gra-

9 Graviter peccat baptizans fictè. *Tract. II.* 153. Baptizatus à Christo, vel Angelo non est necessariò rebaptizandus. 157. Declaratur vero Casu. 158. An baptizans adigat licitè matrem innuptam ad nominandum patrem illegitimæ prolis? Vide infrà verb. *Parochus.*

10 Qua intentione debeat esse præditus minister? *Tract. II.* 199. *& seqq.* Debet ea esse aliquo modo determinata ad personam. 206. Debitæ intentionis defectus non suppletur à Deo. 207. Casus, in quo intentione ministri pereat mortem, aut retractationem desinente ante realem ablutionem infantis, valet nihilominus Baptismus. II. 209. Quivis rationabiliter timens, ne, si ipse hîc, & nunc non tingat infantem, sit hic moriturus absque Baptismo, licitè illum tingit. II. 247. An, si ministro defuit debita intentio, teneatur etiam cum periculo mortis manifestare defectum? 210. & 218. Et quid si defectus substantialiter fuit inculpabiliter admissus? 215. Modus inducendi ad detegendum defectum. 221. Ministrare Baptismum filiis Christianorum tenetur quivis in extrema necessitate, etiam cum periculo mortis. 225. Et probabiliter etiam non Christianorum. 227. Casus recens in hanc rem. 330. *in App.* Idem dic de quovis adulto ita rudi, ut nequeat ante mortem edoceri rationem veræ contritionis. 228. Idem secundùm nonnullos de quolibet existente in peccato mortali, jamjam moriturо. 229.

11 Quid aget Sacerdos vocatus uno, eodémque tempore ad baptizandum infantem, & absolvendum adultum agonizantem? II. 235. Quid si nequeat baptizare, nisi conjiciendo se in extremum periculum labendi in peccatum mortale? 237. Quando fervet persecutio infidelium in infantes Christianorum, ne quidem Parochus tenetur cum periculo mortis illos baptizare. 238. Vide plura infrà verb. *Parochus num. 2.*

Baptismi Locus.

12 PRoprius locus est Ecclesia, extra quam est baptizare nefas, per se loquendo. *Tr. II. 491.* Excipiuntur Filii Principum. 491. Quorum nomine intelliguntur etiam Comites, Barones, Legati Regum. 492. Et in Constantiensi Diœcesi etiam Nobiles. 492. Nec debent tunc licere negligi cæremoniæ, seu differri. 496. Etiam aliis est domi impertiendus Baptismus, quando adest quicunque prudens timor impendentis mortis. 493. Aut quando impendet parentibus probrum, si filiolus deferatur ad Ecclesiam. 500. Non autem quælibet Ecclesia est proprius locus Baptismi, sed sola illa, in qua est Baptisterium. 502. Adferuntur duo Casus, in quibus fuit licitè administratus Baptismus extra Ecclesiam Baptismalem. 503. & 504.

Baptismi Cæremoniæ.

13 SUnt eæ adhibendæ etiam, quando quis domi baptizatur. *Tr. II. 473.* Casus duo, in quibus fuerunt licitè omissæ. 503. & 504. Omissæ debent communiter postea suppleri. 505. Baptizati sine iis, & singulariter sine Chrismate, infestantur magis à Cacodæmone. 506. Declaratur Casu valde memorabili. *Ibid.* An exorcismi omissi supplendi sint? 507. An in rebaptizato etiam repetendæ cæremoniæ? 508.

Baptismi Effectus.

14 BAptismus tollit omnia peccata. *Tr. II. 643.* Et omnem pœnæ reatum. 644. Infunditur per eum gratia, & virtutes. 646. Et quidem omnibus infantibus æqualiter, inæqualiter adultis, ob inæqualem dispositionem. 646. Fictio, id est, mala dispositio illos effectus impedit. 647. Exceptâ Characteris impressione. 649 Recedente fictione, redeunt neglecti effectus. 648. Qui quidem proveniunt ex solo essentialiter perfecto Baptismo. 652. Sed, & Turcarum filios liberat Baptismus infestationibus Dæmonum. 651. Jus sepulturæ est etiam quidam effectus Baptismi. 653 Declaratur Casu infantis baptizati in umbilico. 653.

Baptismales Aphorismi.

15 QUomodo Parochus se disponet ad contritionem, si existens in peccato mortali vocetur ad moribundum, non baptizatum? *Tractat. II. 251.*

Habeat in recenti memoria sententias, quæ de valore Baptismi circa materiam, & subjectum traduntur à Doctoribus, & iis utatur, quando nequit sectari tutiora. 252.

Accitus ad parturientem nondum enixam, de qua dubitetur, utrùm sit editura prolem vivam, instruat obstetricem eo modo qui, refertur *n.* 252.

Et quando hæc dicit, infantem moriturum intra matrem, suggerat id, quod indicatur ibidem.

Quando est periculum, ne affusione promoveatur infantis mors, quid agat? 253.

Habeat in memoria ea, quæ de licita incisione matris adhuc vivæ traduntur *numero. 254.* Curet subitò secari matrem mortuam, si minima sit spes deprehendendi fœtum adhuc vivum. 260.

Quando parturiens agit animam, jubeat ejus ori aliquid imponi, ne infanti obstruatur via recentis auræ. II. 260.

Sit probè memor praxis relatæ ex P. Scildere. *numero. 57.* Sicuti & illius, quam refero, *num.* 499.

Baptizet Judæum sensibus jam captum, si vel unicus, aut unica testetur, petiisse Baptismum. 265.

Rebaptizet illum, cui collatus Baptismus cum ea remota, aut proxima materia, forma, intentione, aut in ea corporis parte, cum quibus, vel in qua unus, aut plures Doctores probabiliter negant, valere Baptismum. 374.

In vero dubio de Baptismo consulat Superiorem, vel alium virum doctum, & prudentem, si

Caput.

CApite carens infans baptizatus in Diœcesi Constantiensi. II 285.

Capite tecto non licet celebrare, *Tract. III. num. 383.*

Cardinalis: Cardinalatus.

CArdinalium Declarationes quanti faciendæ? III. 604. Quæ earum publicatio sufficiens? *ibid.*

Cardinales sunt in suis Titulis præditi jurisdictione quasi Episcopali. VII. 47.

Carnes.

CArnes non edens in quadragesima, cum periculo, ne occidatur ab Hæreticis, peccat. II. 630. Eas edens feriâ sextâ, quatuor temporum, vel quadragesimæ, sufficienter confitetur, dicendo: *Edi carnes die veriti.* V. 55. Lex Ecclesiastica de abstinentia à carnibus pluris fit, quàm de audiendo Sacro. V. 330.

Carolus V.

CArolus V. Curat pro se adhuc vivente fieri Sacra funebria. III. 633. Ejus continentia. VII. 553. *in Append. 2.*

P. Carolus Spinola.

P Caroli Spinolæ summum solatium ob baptizatum à se infantem pagani ignorantis. II. 243.

Carthusiani.

SUnt ii Stylitæ Mystici. I. 161. Nequeunt etiam in itinere confiteri, nisi Carthusiano. VII. 648. Quali Corporali utantur in Missa? III. 317.

Casula.

CAsula, & ejus dissectio. vide verb. *Vestes.*

Casus.

Casus Reservatus generatim.

1 CAsus reservatus quis dicatur *Tract. VII.* 348. Cur introducta Casuum reservatio? 348. Ut casus censeatur reservatus, exiguntur conditiones sex, & secundùm nonnullos septem. 349. *& seqq. Prima*, ut peccatum sit mortale. 349. *Secunda*, ut sit externum, aut saltem externo signo proditum. 350. *Tertia*, ut non sit inchoatum duntaxat, sed consummatum. 352. Quod singulariter notandum circa fornicationem reservatam. 353. *Quarta*, ut illud peccatum sit valde grave. 354. *Quinta*, non frequens. 355. *Sexta*, ut non sit dubium, neque dubietate juris, neque dubietate facti 356. Quid si autem Confessarius dubitet, ubi nullo modo dubitandum? 358. §. *Cæterùm.* Declaratur Casu Religiosi vero. 359.

Pro *septima* conditione immeritò statuitur à quibusdam hæc, ut scilicet committens peccatum ex se reservatum, sciat, esse reservatum. VII. 360. Potest casus reservare quilibet ordinariâ jurisdictione præditus. 362. Papa nullum peccatum reservat sibi, nisi ratione censuræ. 363. Episcopi communiter saltem septem, vel octo. 364. Regulares illos, de quibus paulò post *num. 4.*

Casus Reservati absolutio.

IN articulo mortis absolvit à mortalibus re- 2
servatis quilibet Sacerdos. *Tract. VII. n. 367.* Episcopi in necessitate à reservatis Papæ. Infrà Verb. *Episcopus.* Et Casus Papales fiunt ob frequentiam Episcopales. VII. 371. *in App. lit.* d. Absolutus tempore mortis à reservatis Papæ, aut alteri, non tenetur, recuperatâ sanitate, sistere se Papæ. 136. Secùs, si fuit in alio casu necessitatis absolutus. 367. Et tunc non debet se sistere pro nova absolutione, sed solùm pro excipiendo mandato Apostolico. 67 & 384. Nec tenetur mittere alium, si non possit per se. 368. Si irretitus casu Papali, ne quidem Episcopum, aut Privilegiatum adire queat, absolvetur per quemlibet habentem potestatem in ejus peccata. 369. Et quidem directè. 384. Recensentur Casus necessitatis. 382. & 385. Vide plura suprà verb. *Absolutio.* Quivis præditus potestate in mortalia peregrini, *valide* hunc absolvit à reservatis in ejus sola patria. 376. §. *IV.* Confessus habenti potestatem in reservata, poterit postea à quovis obtinere absolutionem à reservatis oblitis. 377.

Quid agendum habenti casum reservatum, 3
& non valenti tempore communicandi, sacrificandi, adire Superiorem? *Tract. VII. n. 378. & seqq. distinctè.* Quid aget Confessarius, quando pœnitens proponit ipse casum reservatum? 387. Ostenditur practicè, duplici vero Casu. 389. & 392. Casus reservati in Diœcesi Constantien. 394. Explicantur à *num. 398.* usque ad *num. 425.* Reservationem non tollunt Religiosi, nisi auditâ saltem parte Confessionis. 642. Facultas absolvendi à reservatis est latè interpretanda. 697. Episcopi Germaniæ absolvunt hæreticos. *Tract. VII. num. 371. in Append.*

Casus Reservati Regularium, & eorum absolutio.

IN facultate confitendi alteri non includitur 4
facultas petendi absolutionem à reservatis. VII. 661. Quid censendum de itinerantibus? Vide verb. *Confessarius. num. 13.* Quid de aliis morantibus extra Monasterium? *Tr. VII.* 662. Superiores Regulares possunt, *per se loquendo*, deligere sibi Confessarium pro Casibus reservatis. 663. Spectanda tamen consuetudo. 663.

Enumerantur undecim Casus, quos Cle- 5
mens VIII. permisit, non tamen præcepit reservari. VII. 669. inter illos examinatur, & explicatur egressio furtiva è Monasterio. 671. Vitium proprietatis. 672. Abortûs procuratio. 673. Falsificatio literarum. 674. Furtum de rebus Monasterii. 675. & 676. Voluntarius carnis lapsus. 677. Qui quidem non reservatur à Clemente VIII. nisi secutâ seminis effusione. 677. Et probabiliter nec tunc, quando ea sequitur ex sola turpi imaginatione. 678. Quomodo hîc intelligenda occisio? 679. Et vulneratio? 680. Et percussio? 681. Sub hac non comprehenditur hoc loco protrusio, & prostratio. 682. Quid intelligatur per apertionem, & retardationem literarum? 683.

Quando Superior negat ordinario Confessa- 5
rio potestatem absolvendi à reservato, potest ipse pro ea vice nihilominus absolvere. VII. 705. Non tamen, si petat alius pater, negétque ipsi Superior. 706. Non est verum, quòd, quando urget necessitas Communionis, aut Sacrificii, & nequit adiri Superior, possit quilibet Sacerdotum domesticorum absolvere à reservatis sine obligatione ulla se sistendi deinde Superiori. 709. Quomodo intelligenda facultas absolvendi cum clausula: *Hac vice*? 710. Confessarius lapsus in reservatum non potest alteri confiteri ex eo titulo, quòd ipse petierit à Superiore facultatem absolvendi à reservatis aliquem è domesticis. 711. Aut quòd dixerit Superiori: *Est aliquis in domo, qui indiget vestrâ facultate, pro hac vice.* 712. Quandonam Vicepriores, Vice-guardiani habeant jus in reservata? 713. *& seqq.*

Superior non debet esse difficilis in conce- 6
denda facultate absolvendi à reservatis, alioquin peccabit mortaliter. VII. 721. & 722. Caveat Superior, ne, dum petitur ab eo facultas absolvendi, inquirat nonnulla curiosè. 722. & 723. Aut ne dicat alteri, se Confessario dedisse facultatem absolvendi hunc, illúmve. 724. Poterit verò, si petat reus reservati, audire sacramentaliter hujus Confessionem. 725. Sufficit, si Confessarius petens facultatem præcisè dicat: *Peto facultatem absolvendi unum è subditis*, nec tenetur plus dicere. 727. Si Superior plus exigat, potest eludi æquivocatione. *ibid.* Obligatio sistendi se Superiori pro absolutione, aut medicina, est gravis, & statim exequenda. 726. Haud tamen est necesse, ut se quis ei sistat immediatè, sed sufficit, si per Confessarium. *ibid.*

Catarrhosus.

CAtarrhosis quatenus liceat sacrificare, vel communicare? IV. 170. Quanto tempore post Communionem spuere? 171.

Catechumenus.

CAtechumenis mortuis applicanda sunt suffragia Ecclesiæ. II. 634. Et ideo non neganda iis sacra sepultura. 640.

Censura.

1 NUlla Censura propriè dicta incurritur ab ignorante. *Tr. III.* 472. Quæ Censuræ arceant Sacerdotem à Sacrificio? *Tract. III.* 448.

Qui in censura sacrificavit, satis confitetur dicendo: *Feci semel sacrilegè Sacrum.* III. 471. Formulæ absolvendi à censura pro foro externo proponuntur. VII. 164. Potest etiam absens absolvi à censura. 286.

Causæ excusantes ab incursu censuræ, excu- 2
sant etiam ab incursione Casûs Papalis. VII. 363. Nomine censurarum, à quibus possunt absolvere Regulares Mendicantes, non comprehenditur excommunicatio contracta ob percussionem Clerici, vel violationem clausuræ Monialium ob malum finem, vel ob provocationem ad duellum, secutâ pugnâ, vel ob Simoniam *realem* scienter commissam, vel ob confidentiam beneficialem. 636. Peculiare dubium circa vetitam absolutionem à duello resolvitur *eod. num. in Append.* Censura est pœna medicinalis, & differt à pœna absolutè sumpta. VII. 640. Vide plura verb. *Confessarius num. 12.* verb. *Excommunicatio*, verb. *Irregularitas* & verb. *Suspensio.*

Census.

CEnsus non soluti an solvendi? III. 636. *in App. lit.* n.

Certitudo.

CErtitudo *moralis* quando habeatur? II. 315. Non requiritur ad id, ut *licite* quis rebaptizetur, sed ad id, ut quis *illicitè.* 366.

Chanowskiani.

CHanowskianæ Familiæ mirificum prognosticum imminentis mortis. VII. 35.

Character.

CHaracter Sacramentalis quid sit? I. 289. Semper imprimitur animæ, quando *validè* suscipiuntur Baptismus, Confirmatio, & Ordo. 290. Non est gratia sanctificans. 290. Ejus effectus, & energia. 291. *& seqq.*

Charitas.

BAldi singularis doctrina de Charitate adversarii. I. 168.

Chrisma.

CHrismate Baptismali an liceat uti ad promovendum partum? *Tract. II. num. 190.* Debet esse Anni currentis. 510. Quatenus liceat eo uti, antequam habeatur novum? 510. Mos Constantiensis. 511. Quomodo miscendum aliud oleum? 512. adhibendum etiam in agone. 513. Non tamen in fronte. 515. Ejus effectus. 506. & 513.

Chrisma Confirmationis quale? *Tr. II.* 743. mira mixtio, quam faciunt Græci. 745. Miraculosi effectus Chrismationis. 794. & 805. Alia vide verb. *Confirmatio.*

Christiani.

CHristianorum nomine intelliguntur soli Catholici in Capitulo. *Veniens. De presb. non bapt. II. 708.*

Christus.

CHristus Dominus baptizavit S. Philemonem Martyrem. II. 158. Et consecravit Capellam B. Virginis Eremitanæ. 158.

Ciborium.

CIborii materia, & benedictio. III. 335. An debeat necessariò poni super Arulam, aut Corporale? 336.

Cibus.

CIbi, & potûs nomine quid intelligatur in ordine ad Sacram Communionem? IV. 262. *& seqq. distinctè.* Vide etiam verb. *Jejunium.*

Cingulum.

SIne cingulo celebrans, per se loquendo, peccat venialiter. III. 348. At nullo modo, si careat, & tamen velit celebrare ex sola devotione, aut pro stipendio. 351. Aut si pro cingulo utatur, vel stola, vel funiculo exciso è Casula. 353. Vel duabus fracti cinguli partibus rursum colligatis. 354.

Cistertienses.

CIstertienses Abbates an possint suos Choristas obligare sub solo veniali peccato, ad recitandas Horas Canonicas? *Tract. V.* 569.

Claves.

CLavibus aliquid subjicere quid sit? *Tractat.* VII. *num. 15.*

Cœmeterium.

COemeterium venit nomine *Ecclesiæ.* III. 265. *in App. lit.* l. An profanetur sepultura infantis non baptizati? *lit.* i. Aut hæretici non denuntiati? *ibid.* An liceat in eo sacrificare absque facultate Ordinarii? *ibid. lit.* z.

Cognatio Spiritualis, & Legalis.

ORitur solùm inter baptizantem ex una parte, & baptizatum, ejúsque parentes ex altera, iterúmque inter patrinum ex una parte, & filiastrum, ejúsque parentes ex altera. II. 524. & 741. Conditiones requisitæ ad hanc cognationem. II. 535. *& seqq.* Consuetudo singulariter exerit vim suam circa hujus Cognationis ortum, & occásum. 540. 541. 542. Et non oritur ex Baptismo privato inter tenentem, & tentum. II. 577. Secùs de ipsomet baptizante. 578.

Collare.

COllare, in quod lapsa est Sacra Hostia, an lavandum? III. 798.

Collecta.

COllecta pro mortuis an necessariò inferenda Missæ de tempore, quando debet ex tenore fundationis, aut stipendii heri de Requiem? III. 625. An semper, quo die potest quis liberare animam è purgatorio? 620. An de diversis Sanctis, quando diversi fundatores petierunt inseri de illis? 627. An collecta denegnetur semper nomine commemorationis? 052. An prima sit semper claudenda cum *Per Dominum nostrum*, &c? 729. Oblitus unius collectæ ante Epistolam, quid faciet in Secretis, & Postcommunione? 780.

Columba.

COlumba apparet in Baptismo S. Basilii. II. 641.

Commemoratio.

COmmemorationis nomine intelligitur aliquando recordatio in Memento. III. 652.

Communio.

JUre *Divino* obligamur ad Communionem. *Tr. IV.* 3. Et nonnulli etiam particulariter ad superandam tentationem. 4. Vix refert ad praxin decernere, *Divinóne*, an solo *Ecclesiastico* jure teneamur communicare? 6. Finis Communionis est refectio spiritualis. 13. Delinquunt graviter nonnulli Catholici, qui dicunt, esse satius permittere hæreticis usum calicis quàm negare. 16. & 17. Nequit communionem suam quis donare alteri. III. 160. Non censetur communicare sub duplici specie is, qui bibit è calice Sacrificantis. III. 851. & *Tract.* IV. *num. 22.* Non tamen debet id fieri. 23. Referuntur casus, quibus Laici sumunt Sacrum Sanguinem. 26. *& seqq.* Qui neglexit Communionem paschalem, tenetur proximè compensare. 34. An liceat quavis die communicare? 45 *& seqq* Sacerdotes non tenentur feriâ quintâ in Cœna Domini communicare. 46. An cum stola? 47. An qualibet horâ diei permittatur sacra Communio? 48 Sacerdoti, qui in die Nativitatis fecit semel Sacrum, non licet deinde communicare more laico. 51. Communio potest pœnitenti injungi pro pœnitentia. 54. Et peccabit mortaliter pœnitens, si negligat. 55. Ac postea compensare tenebitur. 57.

Communio quotidiana an, & quibus permittenda, seu suadenda? IV. 58. *& seqq.* Quàm rara fuerit ante ortum Societatis? 60. Communio Paschalis non est obeunda in Ecclesia Cathedrali. 66. An per se loquendo, sumenda sit in Parochiali? 68. At per se loquendo, percipienda de manu Parochi. 68. Vel Episcopi. 66. An neganda absolutio nolenti Communionem Paschalem obire in Parochia? 72. An repetenda, si alibi est peracta? 73. Quid hîc faciendum ad-

advenis, & peregrinis? 75. Communicare an liceat bis in die ob superveniens periculum vitæ? 174. *& seqq.* An P. Claudius Aquaviva verè communicaverit bis in die? 177. An liceat Presbytero Cardinali post Communionem de manu Pontificis acceptam facere Sacrum in Natali Domini? 179. Quomodo Theologi varii loquantur de Communione permittenda mutis, & surdis à nativitate? IV. 145. *in App. lit.* l. m. n.

Communio sacrilega divinitus punita. IV. 208. Sicut & neglecta. 1. Sacrilega non est omnium peccatorum gravissimum. 210. Quomodo aggravetur malitia? 212. Quomodo Communio possit esse peccatum? 220. Communioni quatenus præmittenda Confessio? 222. *& seqq.* An Constantienses Constitutiones imperent Confessionem omnibus omnino communicaturis? 228. *& seqq.* Quatenus licita fatuis, & surdis? Vide verb. *Fatuus.* Quatenus energumentis, & furiosis? Vide verb. *Energumenus, & Furiosus.* Quatenus epilepticis? Vide verb *Epilepticus.* Et nauseabundo? Vide verb. *Vomitus.* Et ebrio moribundo? Vide verb. *Ebrius.* Et catarrhoso, ac tussienti? Vide verb. *Catarrhosus.* Et malè vestito? 350. Et accincto gladio? *ibid.* Et non habenti actualem devotionem? 352. Communionem accedens immediat post Confessionem non peccat. 351. Refutatur Novator Communione interdicens illis, qui post Confessionem peccati mortalis non egerunt pœnitentiam multis mensibus. 357. Quis Minister Communionis? Quæ ad hanc præparatio? Qui effectus? Vide verb. *Eucharistia. num. 7. & 8.*

Compensatio.

1 COmpensatio *occulta* quando sit licita? VII. 222. An generatim: quoties non potest obtineri id, quod salvâ conscientiâ negari non potest? VII. 222.

Complex.

2 PEccat graviter pœnitens nominando complicem, seu socium gravis peccati sine necessitate. *Tract. VII. 244.* Nisi complex irratio nabiliter ægre ferat nominationem. 243. Declaratur exemplo sponsæ, quæ peccavit cum sponso. 241. Quid si nequeat integre confiteri, nisi nominando complicem? VI 468. *& seqq.* Confessarius non tenetur integre stare nominatione complicis, quando hic negat factum. VII 245. Nec debet, nisi rarissimè, Confessarius petere complicis nominationem eâ intentione, ut hunc ipse emendet. 252. Et tunc debet complex nominari potiùs extra, quàm intra Confessionem. 252. Quomodo se geret, quando intelligit, unum è suis pœnitentibus seduci ab alio suo pœnitente? 254. Potest occurrere Casus, quo Confessarius meritò pœnitentem obligabit ad complicem nominandum sibi, vel alteri. 251. Narratur Casus, quo fuit imprudenter jussa illa nominatio. 248. Nulla lex universalis vetat, ne Confessarius excipiat Confessionem sui in aliquo scelere complicis. 581.

Conceptio.

COnceptionis Deiparæ Festum ornatum Octavâ. *Tr. V. 80.* Declarat Pontifex, fuisse hactenus pro Immaculata habitam ab Ecclesia. *Ibid.* Est jam secundæ Classis in Germania. 83. An liceat nunc in præfatione dicere. *Esse in Immaculata Conceptione? 84.*

Concio: Concionator.

COncioni Parochiali an sit necesse interesse? *Tr. V. 167.* Concio licitè quandoque præfertur Sacro. 515.

Concionator Quadragesimalis an sit liber onere Breviarii? V. 727. §. *Eadem.* Concionatori fas, & nefas uti notitia Confessionis Sacramentalis. VII. 877. Et singulariter, quando est simul Parochus. 878.

Concubinarius.

QUæstio singularis de absolutione concubinarii refertur. *Tr. VII. n. 514.* & 515. An teneatur dimittere concubinam, si ex dimissione immineat ipsi damnum centum aureorum? 530. & 532. Aut publicatio occulti concubinatûs? 532. Si ex dimissione impendeat tantùm aliquale damnum, non est absolvendus, ante peractam dimissionem, si quidem sæpius antea fallò promiserat, se dimissurum. 533. Nisi fortè tunc juret, se revera dimissurum. 534. Si autem sit concubinarius manifestus, & notorius, absolvi non debet, sed subjici excommunicationi. 535. Refertur Decretum Alexandri VII. Circa obligationem dimissionis. 534. Exhibentur practica remedia emendationis. 535. Sufficit pro integritate Confessionis, si talis dicat: *Sum à tanto tempore usus concubinâ, tanquam uxore*, si quidem fuit revera sic usus. 588. Judicium gravis Theologi de absolutione concubinarii. 523.

Conditio.

AN sufficiat, conditionem esse semel impletam? III. 642.

Conditio, sub qua repetitur aliquod Sacramentum, non est necessariò exprimenda verbis. II. *411.* & VII. 271. Et in rigore sufficit, si formata sit in mente virtualiter, aut implicitè. 272.

Confabulatio.

QUid Lessius senserit de Principibus viris confabulantibus sub Sacrificio Missæ? III. 285.

Confessarius,

Confessarius quis, & quæ ejus munia generatim?

1 CONfessarius est Sacerdos præditus potestate ligandi, & solvendi in foro Sacramentali. VII. 3. Solus Sacerdos potest fungi hoc ministerio. 17. Et, per se loquendo, illicitum est alii, quàm Sacerdoti confiteri. 19. Quare errârunt graviter milites integri exercitûs, dum unus alteri fuit tanquam Sacerdoti confessus, *n.* 1. & 21. Confessarius est Judex, Medicus, Doctor. 22. Singulariter debet obire officium Medici. 23. & 258.

Confessarii approbatio.

2 REfertur Casus controversus de approbatione Confessarii Monialium. VII. 40. Describuntur verba Tridentini de necessitate approbationis. 42. Ea non est gratia, sed testimonium authenticum debitum. 43. Quomodo differat à jurisdictione? 43. & 69. *Tacita* quo pacto detur? 44. Et Singulariter ratione Beneficii Parochialis? 44. Etiam itiquè negata sæculari reddit hunc inhabilem ad Confessiones sæcularium audiendas. 49. Sicut & Religiosum, cui injustè negatur. 49. Etiam Licentiatus Theologiæ indiget hac. 49. Et absolutiones impertitæ sine ea sunt invalidæ. 51. Nisi sint de solis venialibus. 52.

Episcoporum nomine intelliguntur pro approbatione Nuntii Apostolici, propriusve approbandi Episcopus ejus Vicarius Generalis, Capitulum Cathedrale, Sede vacante, & Prælati Regulares, præditi Jurisdictione quasi Episcopali. VII. 56. Ut sunt omnes Locales juxta Alvisetum relatum *num. 65. in Append.* Idem possunt se ipsos approbare. Idem. *ibid.* Hi enim sunt *participativè* Episcopi. 47. §. *Nec.* Utrùm verò requiratur approbatio data ab Episcopo approbandi, an ab Episcopo pœnitentis, aut loci, in quo excipiuntur Confessiones? necdum est ab Ecclesia clarè determinatum. 57. & 58. Regulares in Germania non solent nisi semel approbari. 58. An Episcopus extra Diœcesin possit confiteri non approbato? 59. Etiam Monialium Confessarius indiget approbatione. 64. Non item Prælatus Regularis pro confessionibus sæcularium, qui sunt verè de familia, & continui commensales. 64. Jus audiendi sine approbatione Confessiones, etiam post Tridentinum potest comparari præscriptionis jure. *num.* 65.

Confessarii jurisdictio.

3 REferuntur de hac verba Trident Concilii. VII. 69. Jurisdictio Confessarii est potestas, seu jus excipiendi Confessiones: Approbatio autem est tantùm testimonium, quòd quis sit idoneus ad eas audiendas. 69. Ordinaria jurisdictio est, quæ alicui competit ratione officii ordinarii habentis curam annexam animarum. 70. Delegata, quæ conceditur non habenti ejusmodi officium. 70. Quando novis Sacerdotibus dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*, datur iis jurisdictio solùm fundamentalis. 71. Si patres delictum in aliena Diœcesi, non acquirit hoc ipso in te jurisdictionem fori interni Episcopus loci. 73. Jurisdictio acquiritur à Jure, à Consuetudine, ab Homine. 74. Explicantur hi tres modi. *num. 75. & sequentibus.* Cui confitebuntur parochiani, qui vel nequeunt confiteri suo Parocho, vel nullum habent jam Parochum? 78. & 79. Quivis Sacerdos accipit in sua Ordinatione potestatem absolvendi à venialibus, & mortalibus jam confessis. 79. Et juxta Valerium etiam à mortalibus oblitis. 79

Jurisdictio *tacita* sufficit quidem, sed debet signo externo concedi. VII. 86. & 88. Illud signum externum potest esse quandoque ipsa benevolentia sæpe demonstrata. 89. 91. Quæ sit propriè *tacita*, quæ *præsumpta* licentia? 90. Præsumpta huc non sufficit, nisi à parte rei sit concessa. 94. Jurisdictionem Sacramentalem quis nominatim possit delegare alteri? 100. Generatim nequit ille, qui habet solùm exercitium audiendi Confessiones. 100. An Parochus nondum sacerdos possit constituere Vicarium? 145. *in App. 1.* 4

Error communis tribuit etiam pro foro *interno* jurisdictionem. VII. 206. & 107. Si quidem sit error solius facti. 107. *In fine.* Modò adsit titulus coloratus. 106. Imò secundùm nonnullos, etsi absit hic titulus. 108. Declaratur specie facti. 111. Opinio quoque probabilis, etsi falsa de jurisdictionis existentia, tribuit hanc existentiam. 112. Hæc tamen doctrina non est moraliter certa. 114. Singulariter quando illa opinio habetur pro probabili solùm ab uno, alteróve. 118. Dubitans, an habeat jurisdictionem, absolvit licitè, & illicitè. 119. & 120. Jurisdictionem in quemlibet habet quilibet Sacerdos pro articulo mortis. 131. Suadenda tamen hîc sunt tutiora. 133. Jurisdictio Confessarii non expirat morte concedentis. 140. Declaratur *practicè.* 142. Nec Beneficii resignatione nondum acceptatâ. 145. *in App. 2. lit. f.*

Confessarii aliæ qualitates, & specialia munia.

5 RECensentur duobus carminibus nonnullæ. VII. *203* Debet esse ita doctus, ut possit rite obire officia Judicis, Medici, Doctoris. 188. Satis est, si sciat in iis, quæ communiter oriuntur, sintne mortalia, an venialia, aut quæ habeant excommunicationem, aut reservationem adjunctam. 188. Nec opus est, ut de omnibus peccatis pœnitentis judicet, sintne levia, an gravia, sed de communioribus. 189. Vix reperietur Sacerdos tam indoctus, ut sit destitutus scientiâ *essentialiter* requisitâ ad ministerium Confessionis. 191. Inquinatus peccato mortali eliciat contritionem ante absolutionem, non autem necessariò ante auscultationem peccatorum. 196. Modus illam eliciendi subitò, quando Confessarius labitur in mortale, tempore hujus ministerii. 198. Non committit tot mortalia, quot pœnitentes successivè absolvit existens in mortali. 199. Quid si aliquantum interrumpat, vel mutet Confessionale? 200. Modus præparandi se ad Confessiones audiendas. 201. Quàm graviter peccet, increpando, vel corripiendo pœnitentem? 203. Tenetur interrogare numerum, & speciem mortalium, si non dicat pœnitens. 205. Et ideo tenetur curare repeti sibi Confessionem, quando numerum, vel speciem non intellexit. 235. Quomodo se geret erga pœnitentem dubia peccata fatentem? VII. 213.

Quomodo tractabit foventes odium in alium? VII. 224. Et imprecantes aliis mala? 226. Et nolentes resalutare illum, à quo sunt læsi? 224. Quomodo se geret, si ob distractionem non intellexit aliqua? 237. Quid si jam sit ipsi alias notus status pœnitentis? 238. Quid si distractio non fuit magna, & tamen non recordatur ullius peccati intellecti à se? 238. Quomodo se geret erga sponsum, nihil dicentem de fornicatione, quam cum eo commisisse fassa est immediatè antè sponsa? 242.

6 Regula qua Confessarius uti debet circa pœnitentem in danda, vel neganda absolutione, in magnis vel parvis pœnitentiis, est hæc, ut, spectata conditione pœnitentis, faciat id, quod judicat, ei fore magis salutare. VII. 264. Quomodo supplebit defectum absolutionis per oblivionem omissæ? Vide suprà verb. *Absolutio, n. 4* Quomodo, si illam quidem dedit, sed *invalidè*? VII. 294. Singulariter, quando idem pœnitens redit ad ipsum? 295. Quomodo quando non sufficienter interrogavit numerum, vel species peccatorum? 2. 6. Aut quando non docuit docenda vel docuit non docenda? 298.

Confessarii Prudentia, & Industria.

7 PRudentia confessarii in quibus punctis speciatim desideretur? VII. 303. Generatim faciet ea, quæ judicabit pœnitenti maximè salutaria. 264. Speciatim, quid aget cum rudi, qui nequit formare ullum conceptum de Mysteriis fidei? 311. Aut cum laborante ignorantiâ aliarum rerum? 313. Nominatim, quando solitus se ipsum polluere, ignorat esse id grave peccatum, perget autem nihilominus, post quam erit doctus gravitatem? 315. Aut cum, solito jurare per Sacramenta, & putante, se non blasphemare? 319. Traduntur Aphorismi perutiles comparandæ, vel exercendæ prudentiæ in Confessionali. 322. *& sequentibus* ac *num. 343.*

Industria Confessarii in quibus consistat? VII. 331. *& seqq.* Singulariter, quando probabiliter credit, aliqua omitti à pœnitente 332. Aut circa interrogationes in medio, vel fine Confessionis faciendas. 334. Quomodo tractabit singulariter cum eo, ex quo nequit extorquere ullum in specie peccatum? 425. & 430. An quandoque dimittet sine absolutione ad Communionem? 432. Quomodo cum eo, ex quo nequit ullum verisimilem numerum mortalium expiscari? 435. Aut quem cognoscit feciisse plures Confessiones, nullo numero indicato? 436. Aut pueros, de quorum discretione dubitat? 444. *& sequentibus*: traditur de his doctrina ex Laymanno. 447. Alia ex Lessio. 450. & Dicastillo. 451. Et ex Gregorio Teretio. 452. Alia praxis proponitur ex propria experientia Autoris. 455. *& seqq*

Quale judicium formabit Confessarius de puero, aut rudi, fatente, se bene cogitâsse, quòd malè ageret? 458. Quoties admittet semisatuos ad Confessionem? 468. Quomodo excipiet Confessionem surdorum, aut surdastrorum? 471. *& sequentibus, distinctè, & practicè.* Quomodo mutorum? 476. Quomodo aget cum iis, quorum idioma non satis intelligit? 480. *& seqq.* An obediet Superiori mandanti, ut excipiat horum Confessiones? 486. Vel balbutientium? 482. Quid si dormitavit excipiendo Confessiones? 489. *& sequentibus.* Quomodo se geret cum scrupulosis? 496. *& seqq.* Vide infrà verb. *Scrupulus.* Quomodo cum confitentibus imperfectiones? Vide verb. *Imperfectiones.* Quomodo tractabit recidivum? Vide verb. *Recidivus.* Nequit pœnitenti quidquam imperare, nisi executionem pœnitentiæ, in reliquis tantùm declarare obligationes aliunde ortas. 536 *lit.* e. Quomodo cognoscet ipse hanc aut illam occasionem peccandi esse respectu hujus pœnitentis proximam, respectu alterius remotam? 528. Et infrà verb. *Occasio.* Quomodo procedet cum luxuriosis quoad interrogationes? 539. *& sequentibus distinctè*, quibus antidotis curabit deditos peccato mollitiei? 548. *& sequentibus.*

Proponuntur variæ Regulæ observandæ 9
Confessario obscœnorum. VII. à *num. 538. ad num. 548.* Confessarius Principis quomodo se geret erga hunc? 556. *& seqq. Ubi proponuntur luculenta exempla.* Quid si consiliarii discrepent à judicio Confessarii? 559. Quomodo tractabit Nobiles, morosos in solvendo? 561. & 563. Quomodo aget cum facientibus Confessiones Generales? 583. Singulariter cum peccantibus ex consuetudine? 586. Passim concupiscentibus mulieres? 588. Cum indicantibus solum statum suæ vitæ? 589. Cum Hæreticis *ad fidem* recèns conversis? 592. Quomodo cum moribundis? Vide verb. *Moribundi*, quomodo se geret circa pœnitentiæ injunctionem? Vide verbo *Pœnitentia. nums. 3. & 4.* Aut sigilli usum? Vide verbo *Sigillum. numero. 3.*

Confessarius Regularis.

10 REgulares præpositi Parochiæ junctæ Monasterio indigent etiam approbatione. VII. 46. Jam certum est, si negetur etiam injustè approbatio Regulari, hunc non posse excipere Confessiones sæcularium. 49. Quamdiu Episcopi se non opponunt Regularibus, qui alibi approbati excipiunt sine nova approbatione Confessiones in ipsorum Diœcesibus, tamdiu Regulares erunt tuti in conscientia. 58. Nec egent approbatione respectu illorum sæcularium, qui sunt verè de ipsorum familia, & continui commensales. 64. Regulares Mendicantes accipiunt ab ipsomet Pontifice potestatem audiendi Confessiones, & ideo nequeunt subdelegare alteri. 100. Potestate absolvendi à Censuris possunt uti, etiam extra forum Sacramentale. 143. & 642. Absolutus autem ab eis in foro *interno* potest in *externo* se gerere pro non excommunicato. 145. Regulares jam nequeunt absolvere à Casibus Episcopalibus. VII. 373. Potest absolvi Regularis, non confitens aliud, quàm transgressionem Regulæ. 511. Ea transgressio vix unquam fit sine deordinatione voluntaris peccaminosæ. 511.

11 Prælatus Regularis nequit uti Confessionis notitia ad dimittendos Novitios ineptos. VII. 53. Nec aut ipse, aut Confessarius alius imperare Novitio, ut vel ipsemet petat dimissionem, vel manifester extra Confessionem, suam inhabilitatem, nisi fortè teneatur sub gravi peccato facere alterutrum. 536. Illicita est absolutio venialium, aut jam semel confessorum mortalium, quam dat Confessarius Regularis sine saltem *tacita* facultate Prælati sui. 630. Invalida autem, quam impertitur de aliis mortalibus. 630. *Tacitam* verò habet sui Superioris facultatem, qui mittitur ad aliquam missionem. 630. Aut qui jam alibi functus Officio Confessarii, in novo Conventu excipit unius, alterius ve Confessionem ex improviso. 631. Secùs, si Neomysta nullam adhuc excepit Confessionem 632. Applicatus autem alicui ministerio præsumat, se habere facultates communes omnibus tali ministerio fungentibus. VII. 633. Nec Superior censetur revocare datam à se facultatem dicendo præcisè: *Prohibeotibi, ne inposterum audias Confessiones.* 634; Secùs, si declaret ineptum. *ibid.* Possunt quidem Religiosi Mendicantes absolvere quosvis fideles à Casibus etiam Papalibus. 373. & 635. Non tamen vel sui, vel alterius Ordinis Religiosos sine facultate horum Superioris. 636. & 658. Sub generali potestate absolvendi *omnibus* censuris non comprehenduntur aliquæ censuræ, de quibus Vide *cit. num. 636. & in App. ibidem. lit.* b. De absolutione duelli, pugna non secuta, & inter milites.

12 Prælati Regulares jam non possunt absolvere ab hæresi occulta, nec ab excommunicatione propter eam incursa, VII. 637. Quanta potestate circa hoc, & alia communia polleant Capucini, & Carmelitæ? ide suprà verb. *Capucini.* Mendicantes Confessarii nequeunt tollere reservationem, nisi in Confessione. 642. Secùs de censura. 642. Explicatur utraque hæc doctrina. 642 Quandonam censeantur sine præjudicio Parochorum audire Confessiones? 643. Et singulariter, quando sunt in itinere? 6. 4.

Confessarius Regularium peregrinantium.

13 QUando inter peregrinantes unus est Sacerdos, potest communi jure audire illos. VII. *numero. 646.* Et absolvere à peccatis, à quibus ordinarius Confessarius Cœnobii, ad quod spectant. 647. Si autem nullus ex iis sit confessarius, confitebuntur cuilibet approbato, communiter loquendo. 648 Excipe Carthusianos, & Capucinos, de quibus Vide suprà verb *Capucini* & verb. *Carthusiani.* At illæ Confessiones communiter fiunt cum onere se postea sistendi Superiori quoad Casus reservatos. 648. & 691.

Nec hoc ipso, quòd aliquis Regularis habeat licentiam peregrinandi ad locum pium, potitur jure petendi absolutionem à reservatis. 651. *& seqq.* Secùs probabiliter de illo, qui aliquò concedit ad obeunda exercitia spiritualia, octo, vel decem dierum. *Ibid.* Non autem, si illa obeat in proprio Monasterio. 654. Modus petendi facultatem suggeritur eodem. *numero. 654.* An missi ad Ordines Sacros possint hoc ipso *directè* absolvi à reservatis, dubium est. 655. Mendicantes confitebuntur uni ex indicatis. *numero. 656.* Versantes in Academiis cui confitebuntur? 659. Nequeunt Mendicantes uti privilegio Bullæ Cruciatæ sine facultate suorum Superiorum. 659. An Bullis Jubilæorum? 660. Quando Casus, quem contraxisti in Monasterio A. non est reservatus in Monasterio B, ad quod inhabitandum migrâsti, potest te absolvere ordinarius Confessarius Monasterii B. 649.

De Confessario varia.

14 CONfessarius dubitans, an sit baptizatus, quid aget? II. *numero. 435. &* 439. An absolutiones ab eo daræ bonâ fide habeantur à Deo pro efficacibus? 209. An possit operam dare Confessionibus, & Sacro audiendis simul? *Tract. V. 269.* Ejus testimonio an standum in foro *externo*? VII. 912. *& seqq.*

Potest tempore Jubilæi, aut Paschatis omittere Horas Canonicas, si verè sint incompatibiles cum auditione Confessionum. *Tr. V.* 727. Quid teneatur facere cum pœnitente indurato? VI. 199. De confessariis solicitantibus ad turpia. VII. 575. *& seqq.* Quomodo se debeat gerere circa injunctionem pœnitentiæ? Vide infrà verb. *Pœnitentia. n. 3.* & 4. Quomodo circa obligationem sigilli Sacramentalis? Vide verb *Sigillum.* Et quomodo circa usum notitiæ hauſtæ ex Confessione Sacramentali? Vide verb.

verb. *Sigilli usus. num. 6.* An, si de aliquo defuncto dicat: *Dedit mihi facultatem indicandi, se debere Cajo centum aureos*, teneantur hæredes habere fidem? VII. 912.

Confessio.

Confessio quotuplex, & quid Sacramentalis.

1 CONfessionis impropriè dictæ tres species statuit Albertus Magnus. *Tract. VI. num. 1.* Quinque modis accipitur in Sacra Scriptura. 249. Sacramentalis est accusatio peccatorum facta Sacerdoti vero, vel probabiliter existimato in ordine ad absolutionem. VII. 9. Ea est necessariò duplex statuenda, scilicet *Legitima*, & *Illegitima, num. 11.* Cavillationi obnoxia est ea, qua Sacramentalem absolutè definiunt nonnulli dicentes, esse legitimam, & Sacramentalem accusationem de propriis peccatis ad eorum veniam obtinendam coram Sacerdote. *num. 5. & seqq.* Sacramentalis Confessio non est, quando quis confitetur alicui piæ imagini, tanquam Sacerdoti. 12. Aut convenit etiam in confessionali Confessarium, eique detegit peccata, sed sine ordine ad absolutionem, verùm solius consilii causa. 12. Quamquam & hic penitiùs inspicienda intentio. 12. Et dicendus confiteri Sacramentaliter, qui seriò aperit Confessario peccatum, solùm ut impetret absolutionem, & schedam Confessionis, interim nequiter subricens alia peccata. 13. Nullum in Evangelica Lege est tam grave præceptum, quàm Confessionis, ideo tantò magis conscientiis pœnitentium consulitur, quantò illud levius redditur. VII. 322. Sola peccata sunt materia Confessionis. VII. 510. Et quidem vera non falsò putata. VI. 15. *in Append. contra quendam Salmanticensem.* Confessionem instituit Salvator Joannis. 20. VI. 3. Quomodo eam debeat comitari dolor, seu detestatio? Vide verb. *Contritio. num. 3. & 4.* Quomodo Propositum? Vide verb. *Propositum.*

Confessionis obligatio ante Sacrificium, aut Communionem.

2 CONfessio præmittenda est celebrationi. III. 429. Etiam ab illo, qui nequit accedere Confessarium, modò possit hunc ad se advocare. 431. Declaratur Casu vero. 426. Quantum spatii excuset talem? 432. Non tenetur Confessionem præmittere, qui probabiliter censet, se esse in bono statu. *434.* Quid si dubitet? 434. Refertur Tridentinus textus de obligatione statim confitendi post Sacrum in malo statu peractum. 435. Refertur & Declaratio illius textûs data ab Alexandro. VII. 435. Solvuntur insuper duo alia dubia non satis clarè decisa à Pontifice. 436. & 437. Germani usu suo non probant explicationem Pontificiam. 438. Defenditur autor contra Stephanum à S. Paulo. 445. Adfertur coacervata explicatio, & resolutio totius difficultatis. 439. Inferuntur aliqua corollaria. 440. Recordans sub Sacrificio peccati mortalis non confessi quid aget? 443. Quid ante Communionem recordans dubii? IV. 214. & 223. Confessio venialium an imperari possit volentibus adire sacram mensam? 233. An sub suo Sacro recordans peccati non confessi teneatur ad se advocare Confessarium? 236. *& seq.* & 245. Casus, quibus secundùm nonnullos licet, non præmissa Confessione sacrificare. *n.* 238. *& seqq.* Et quibus censeatur deesse copia Confessarii? 242. Et quando laico sit fas non præmittere Communioni Confessionem de se necessariam? 246. Latè ostenditur, P. Joannem Præpositum non docuisse, esse fas communicare sine Confessione illi, qui potest redire ad Confessarium pro manifestando peccato, quod erat oblitus confiteri. 247. *& sequentibus.* Non cujusvis ignominiæ, aut scandali metus excusat illum, qui communicat sine Confessione perse necessariâ. 256. & 257.

Confessionis obligatio aliunde orta.

3 CONfessionem negligens Annis quinquaginta, etiam instante aliquoties periculo mortis. VI. 247. Quot peccata commisit? 263. Lex Divina de Confessione est omnium Divinarum difficillima. VII. 322. Non obligat per se loquendo, ad Confessionem venialium. VI. 250. Sed ad mortalium. 251. Et consequenter in articulo mortis. 252. In quo si reus solorum venialium nolit confiteri, nequit ei negari viaticum. 254. Si nequeas aliquod mortale vitare, nisi per Confessionem, teneris Lege Divinâ confiteri. 266. Non videtur tamen occurrere Casus, quo sine Confessione nequeat vitari mortale. 256. Eadem Lex Divina præcipit Confessionem ante Communionem, si conscientia sit gravata peccato mortali. 260. Non tamen ideo frequentiorem, quòd dilatio sit futura causa obliviscendi aliqua mortalia. 261.

Ecclesia præcipit Confessionem semel in 4
Anno. VI. 266. Qua ætate pueris in Germania? 268. Annuum Confessionis spatium quomodo sit computandum? 269. *& sequentibus.* Confessus hoc Anno primo die Januarii, an licitè Confessionem differat ad ultimum Decembris sequentis Anni? 272. Confessus ultimo Decembris hujus Anni, oblitus autem peccati mortalis, teneris quidem illud confiteri eodem adhuc die, si recorderis tunc, at si recordaris primùm post aliquot dies, poteris Confessionem differre, donec aliud præceptum urgeat. 274. Si omisisti hoc Anno Confessionem, teneris compensare, ut primùm potes. 276. Fortè autem non teneris prævenire hoc Anno, si videas, defuturam tibi toto sequenti copiam Confessarii. 278.

Certò non satisfacis præcepto Ecclesiæ, confitendo sacrilegè. VI. 279. Ecclesia non præcipit Confessionem, nisi mortalium. 281. Unde, per se loquendo, non peccat, qui Paschalem Communionem obit sine Confessione, si non sit sibi conscius peccati lethalis. 282. Debet tamen se sistere Confessario proprio, vel delegato. 283. & VII. 34. Confessionem debitam ex voto aut pœnitentia non peragens quatenus peccet? VI. 301. *& sequentibus.* Confessiones generales quibus dissuadendæ? 328. Confitens in templo sub Sacro potest probabiliter dici audire Sacrum. *Tract. V.* 258. *& seqq.* Et potiore jure ipse Confessarius. 269. Maximè si uterque habeat intentionem audiendi Sacri expressam. 270. In Sacristia vix potest id fieri. 208.

Confessionis integritas.

5 INtegritas una è conditionibus Confessionis est vel materialis, vel formalis. VI. 335. Formalis consistit cum quacunque ignorantia probabili. 336. Materialis est omnium peccatorum mortalium detectio. 335. Adeóque circumstantiarum mutantium speciem. 341. Quæ mutatio desumitur inprimis ab objecto primario. 342. Etiam illo, quod falsò apprehendit pœnitens. 343. Declaratur Casu facto. 344. Et Casu vero difficultas faciendi materialiter integram. 331. Quæ quidem facienda apud unum eundémque Confessarium. 346. Nec potest sine formali subsistere essentia Sacramenti. 346. Potest unum aut plura mortalia omitti in Confessione Generali. 325. Qui sacrilegè omisit unum mortale, debet omnia mortalia rursum confiteri. 347. *in App. lit.* a. *& seqq.* Contra aliquem Recentiorem.

Sufficit quandoque confiteri solam efficacem voluntatem, etsi re ipsâ sit securus malus effectus. VI. 348. & 349. Confitendæ sunt species mortalium ultimæ. 357. Aut si hæ ignorentur, saltem subalternæ. 359. Nec opus est subalternæ, aut generali mortali addere Confessionem venialis in specie. 359. Nec, improbabile, posse etiam absolvi extra necessitatem illum, qui solùm dicit: *Peccavi cogitatione, verbo, & opere.* 360.

6 Aperiendæ sunt etiam circumstantiæ mutantes speciem mortalem. VI. 367. Non tamen necessariò illæ, quæ aut non sunt à pœnitente apprehensæ tanquam præsentes, vel speciali malitia inquinatæ. VII. 324. Aut malitiam augent solùm intra eandem speciem. VI. 375. *& sequentibus.* Declaratur hæc doctrina enumeratione variorum peccatorum, quorum circumstantia aggravat solùm in eadem specie. 378. *& seqq.* Si Confessarius, quærat ex pœnitente, quantam summam sit furatus, tenetur hic fateri candidè. 379. Qui sæpius etiam eâdem nocte cum aliqua est fornicatus, tenetur exprimere numerum. 393. *& seqq.*

Referuntur varia peccatorum genera, quorum etsi multiplicatorum numerum certum dicere non est necesse ex certa, aut probabili doctrina. VI. 397. *& sequentibus*, & VII. 583. & 589. Peccas mortaliter dicendo, te circiter decies patrâsse aliquod mortale, si scias, te patrâsse undecies. VI. 417. Vel etiam solùm novies. 418. Si dubitas de præciso numero es confessus cum *circiter*, non teneris postea repetere præcisum, si illius recorderis. 419. Nisi valdè notabiliter excedas in numero. 420.

Clausulæ: *Circiter, Plus minus*, ad quot numeros extendi possint prudenter? VI. 421. & 422. Debet mediocris diligentia in examinando certo numero præcessisse, priusquam utaris clausula *Circiter. 420.* Quandonam possit Confessarius prudenter præsumere, præcessisse illam diligentiam. *425.* Dubia peccata an confitenda? Vide verb. *Peccatum. num. 3.* Non est semper tantus rigor adhibendus circa integritatem *numericam* observandam, quantus circa *specificam. 443.* Vide infrà verb. *Numerus.*

Causæ excusantes ab integritate materiali.

CAsus Confessarii improbè adigentis pœnitentem ad confessionem publicam, etiam 7
complicis. *Tract. VI. 445.* Potest dari ignorantia invincibilis de necessitate faciendi Confessionem *materialiter* integram. *347. & 447.* Ille graviter, *per se loquendo*, peccavit, parendo Confessario quoad nominationem complicis. *450.* Si tamen non aliter potuit impetrare absolutionem, quàm nominando publicè, potuit probabiliter, posito, quòd nec potuerit habere alium Confessarium, nec valuerit elicere actum perfectæ contritionis. *452. Licitè* omittitur integritas *materialis*, quando vel probabilis opinio docet, non esse hîc, & nunc fatenda omnia. *454* vel adest impotentia *moralis. 455.* vel periculum grave immineat ipsi Confessario. *457. & 463.* vel hic probabiliter non servabit secretum. *460.* vel seducet pœnitentem. *462.* vel hic omittet cum probro Communionem, si omnia tunc enarret. *465.* vel est oneratus Casu reservato. *466.* vel nequit sine violatione sigilli Sacramentalis aperire aliquod peccatum. *467.* vel non valet se sufficienter præparare ob vertiginem. *483.* Aut non valet integre confiteri sine manifestatione complicis. *468.* Declaratur hæc doctrina dilucidè *n. 470. & seqq.*

Confessarius videns, pœnitentem esse paratum nominare directè, vel indirectè (sine 8
justa causa) complicem; debet inhibere. *Tract. VI. 470.* Molestia, quam patieris, si non liceat nominare complicem, debet ad te excusandum nominando esse major, si illum seduxisti, quàm si ille te. *478.* Multitudo accurrentium pro Jubilæo dat quandoque potestatem Confessario absolvendi non confessos integrè. *479.* Sicut & imminente prælio, vel naufragio licitè omittuntur incognita aliis peccata. 780. Si sola *specifica* nominatio peccati revelabit pœnitentem, confitenda est *generica.* 482. Et quando ob unam ex enumeratis causis *licitè* taces aliquod peccatum, satisfacies, si illud confitearis, quando cæteroquin facies aliam Confessionem. 482. Quomodo integritas procuranda in illo, qui sine præparatione repetit Confessiones sacrilegas multorum annorum? *Tract. VII.* 259. *& seqq.* Declaratur Casu raro. 266. An, & quatenus confitens generaliter, teneatur seorsim exprimere mortalia post ultimam homologesin patrata? 584. & 585.

Confessionis Examen.

9 LUgubre exemplum unius anxiè facientis examen. *Tract. VI.* 484. Est quidem certò præmittendum Confessioni examen conscientiæ, 486. & 489. Sufficit tamen, si fiat cum diligentia mediocri. 487. Imò si cum modicissima, respectu timoratorum. 488. Mediocritas illa unde desumenda? 490. Et singulariter, an Confessarii, parantes se ad Confessionem faciendam, teneantur sese examinare circa singulas Confessiones auditas, an in singulis non errârint? 492. & 493: Etsi putes, occurrura tibi plura peccata, si te accuratiùs examines, non tamen idcirco semper teneris ad accuratius examen. 496. Traditur modus *practicè* excutiendi conscientiam. 498.

Confessio per interpretem, & Scripturam.

10 EXemplum interpretis mortui ex hoc ministerio. *Tract. VI.* 499. Nullo casu teneris facere publicam, seu per interpretem Confessionem de peccatis occultis. 501. Secùs de jam manifestis. 503. Nemo cum periculo mortis tenetur obire officium interpretis. 505. Et quando Confessio fit per interpretem, non est necesse, ut Confessarius adsit tunc, cùm peccata narrantur interpreti. 506. Declaratur casu militari. 508. Refertur & casus mulieris, confitentis alteri mulieri in ordine ad obtinendam absolutionem à Parocho absente. 510.

11 Non teneris tua peccata mortalia scribere statim, postquam ea patrâsti, etsi sis certus, te obliturum haud pauca, nisi ita scribas. *Tract. VI.* 515. Nec immediatè ante Confessionem, esto impendeat idem periculum. 515. Legens autem schedam Confessionis etiam in frustra conscisam peccat mortaliter. 517. Nec potest judex fori externi ea uti ad ferendam sententiam. 518. Quando autem scripsisti tua peccata, dedistique chartam legendam Confessario, sufficit, si postea solùm dicas: *Confiteor esse vera, quæ continentur illâ chartâ. 520. & seqq.* Non licet tamen confiteri per scripturam missam absenti Confessario. 526.

Confessionis conditiones reliquæ, & repetitio.

12 SIngulariter quomodo debeant superflua omitti? *Tract. VI.* 530. Et sine mendacio fieri Confessio? 538. *& seqq.* Et quantum sit peccatum mentiri in Confessione? 544. Proponitur Casus, quo continetur defectus multarum conditionum. 527. Et alius, quo continetur necessitas iterandæ Confessionis. 562. Non est necessariò iteranda, quando non constat certò de obligatione. 563. Referuntur eventus, in quibus constat, vel non constat de hac obligatione. 564. *& seqq.* ac *Tract. VII. n. 276. & seqq.* Nominatim quando aut non præcessit examen sufficiens. *Tract. VII.* 278. Aut quando habitum pro scrupulo, quod non erat scrupulus. 280. Sacrilegæ Confessiones quomodo repetendæ? VII. 259. *& seqq.* Singulariter quando sacrilegarum repetitio non fit apud ordinarium Confessarium. 260. Et quando illa eadem repetitio fit ex improviso. 265. Quomodo repetenda illa, in qua fuit omissa circumstantia mortalis? *Tract. VI.* 573.

Confirmatio.

COnfirmatio quid sit? *Tract. II.* 742. Quæ materia? 743. Confirmati solo oleo infir- 1
morum debent rursum confirmari. 744. An & illi, qui Græcorum oleo sunt confirmati? 745. Tactus confirmandi debet esse immediatus. 747. Quæ forma hujus Sacramenti? 748. Quis minister? 749. An potestas confirmandi involvatur in Privilegio quorundam Abbatum? 750. Confirmat validè Episcopus, etiam non confirmatus. 751. Peccat graviter differens nimis diu ministrationem hujus Sacramenti. 752. Alia spectantia ad Episcopum confirmantem, vide infrà verb. *Episcopus n. 1. 3. 5.*

Quæ dispositiones necessariæ ad recipien- 2
dum Sacramentum Confirmationis? *Tract. II.* 761. An dubius, utrum sit confirmatus, licitè petat hoc Sacramentum? 763. An validè conferatur etiam nescienti, qui nunquam, etsi baptizatus, petiit? I. 239. An dormienti? 242. An perpetuò amenti? II. 764. An infantulis? 765. An moribundis? 768. Cur Episcopi Germani non ministrent hoc Sacramentum damnatis ad necem? 760. Peccat venialiter negligens hoc Sacramentum. 771. Et alicubi non admittuntur ad Matrimonium, nisi confirmati. 772. Sicut nec admittendi sunt ad primam Tonsuram. 772. Nec cuiquam facilè est extra Ecclesiam conferendum hoc Sacramentum. 774. & 775. Aut extraneo. 777. At cuivis diœcesano, etiam non jejuno. 769. Etiam post prandium. 778. An vitâ, seu fasciâ sit cingenda frons confirmati? 779.

Patrinus hîc etiam tenetur tangere confir- 3
mandum. II. 781. Et debet ipse esse confirmatus. 782. Potest & esse Monachus. 783: Non autem plures, etiam laici. 785. At unus potest eadem die plures tenere, ubi abest suspicio mali. 786. At juxta commune jus nequit esse idem Baptismi, & Confirmationis patrinus. 787. Sicut nec potest esse idem confirmans, & patrinus. 790.

4 Confirmationis effectus prodigiosus. *Tr. II.* 794. Alii etiam prodigiosi. 797. Chrismate an liceat uti ad partum facilitandum? 799. Confirmationis proprius effectus quis? 800. Cur per eam dicamur fieri perfecti Christiani? 801. Facit ea ex attrito contritum. 802. Quomodo antiqui Christiani celebrârint diem suæ Confirmationis? 805.

Congregatio.

COngregationis Cardinalium Decreta quanti facienda? III. 604. Quanta eorum promulgatio necessaria? 604. An extendenda de loco ad locum? 605. Octodecim Congregationes Cardinalium sunt Romæ. 606. Congregatio Inquisitionis quæ? 606. Rituum quæ? 607. Indicis quæ? *Ibid.* Episcoporum quæ? *ibid.* Regularium, & De propaganda fide quæ? 608.

Congregationum, seu Confraternitatum loca an piis accensenda? III. 264. *in Append, I. lit.* x.

Constantiensis Diœcesis Stylus, Rituale, Constitutiones indicatæ, & quandoque explicatæ, confirmatæ in isto Opere.

1 MAndant obstetricibus asservare aquam benedictam pro Baptismo. II. 41. Non permittunt ejus usum, nisi ad depellendas diabolicas nequitias. *Ibidem.* Mandant, ut saltem pars formæ Sacramentalis pronuntietur cum applicatione materiæ. 80. Et ut obstetrices sint approbatæ ab utroque Magistratu. 167. Æquè examinentur, quomodo baptizârint in necessitate. 165. At viget in multis locis hujus Diœcesis mos rebaptizandi infantes baptizatos à talibus. 174. Non rebaptizantur hîc omnes baptizati ab hæreticis. 388. Quid Constitutiones statuant circa infantium expositorum Baptismum, & nomina? 397. Quam formam præscribant pro Baptismo conditionali? 411. Dubiè loquuntur de cæremoniis in Baptismo privato. 477. Volunt filios Nobilium baptizari in Sacello, vel Oratorio. 492. Omittunt exorcismos in suppletione cæremoniarum baptismalium. 507. Benedictio fontis peragitur oleo veteri, quando in Sabbato Sancto non adest novum. 511. Quomodo miscendum oleum profanum cum consecrato? 512.

2 Constitutiones non admittunt pro patrinis etiam Nobilium, nisi unum cum una. II. 524. Non vetant, ne masculus solus sit patrinus puellæ. 531. Mandant, ut solus patrinus infantem recipiat è manu baptizantis. 540. Solamatrina præbet Sacerdoti infantem. 543. Procurator Baptismi non contrahit hîc cognationem. 550. Nec ullus Regularis permittitur esse patrinus. 555. Sicut nec hæreticus. 559. Quid mandent à Parocho referri in librum baptizatorum? 587. Requirunt testimonium sæcularis Magistratûs pro Natalibus, & ætate Ordinandorum. 592. Imperant Confessionem adultis, volentibus suscipere Confirmationem. 767. Hæc administratur Candidatis Ordinum ipso die Consecrationis, si non sint priùs confirmati. 773. Confirmati cinguntur quandoque fasciâ, quandoquenon. 779. & 780. Non permittitur iis, nisi unicus patrinus. 785. Sæpe etiam sine ullo suscipiunt hoc Sacramentum. 780.

Circa Missam, & Eucharistiam.

PAnis ex spelta adhibetur pro Sacrificio. *Tr.* 3
III. 29. Eucharistia pro sepulcho Christi exponitur non Feria V. sed VI. majoris Hebdomadæ. 214. Festum Annuntiationis cadens in Cœnam Domini transfertur quoad solum chorum, & celebrantur tunc plura Sacra, quàm aliàs. 226. Quomodo intelligenda Constitutio de non celebrando extra Ecclesiam? 240. *& seq.* Et mos de celebrando in privatis ædibus pro infirmis? 244. Altaria execrata reconciliantur sine nova consecratione. 278. Prohibetur pactum pro stipendio Missæ. 560. Illud stipendium est Constantiæ exiguum. 563. Vicarius Generalis minuit, vel auget numerum Missarum præscriptarum in fundatione. 591. Vetatur acceptatio plurium Missarum non commodè celebrandarum. 592. Et celebratio solemnis Sacri, quando die festo adfertur funus. 624. Permittitur inseri collecta pro tali funere. 628. Et recipitur Missale Romanum. 627.

Cur Constantiense Concilium non permi- 4
serit laicis usum Calicis? *Tract. IV.* 18. Cur Synodales Constitutiones verent, nè laicis ablutio præbeatur ex Calice? 25. Negligens Communionem Paschalem quomodo puniatur? 49. Constantiæ quomodo examinentur pueri, an sint habiles ad Communionem? 108. Capite damnatis non datur ipso die mortis Viaticum. 204. Puniuntur, ut sacrilegi, qui communicant, non præmissâ Confessione. 228.

Constitutiones Synodales Constantienses commendantur. 314.

Quid idem Constantiensis stylus, & Constitutiones habeant circa materias spectantes ad Tract. V. VI. VII. hujus Operis.

REfertur, & explicatur consuetudo Constan- 5
tiensis, qua tempore vindemiæ vehuntur diebus etiam Dominicis nova vina. *Tract. V.* 1. 3. *& seqq.* Transferuntur festa incidentia in id tempus. 93. Festo S. Matthiæ cadente in diem Cinerum transfertur Vigilia in Sabbatum antecedens. 113. Novi Canonici carent Constantiæ fructibus primorum trium, aut etiam quinque annorum. 575. At post mortem fruitur hæres fructibus unius anni. 576.

San-

6 Sanctio Synodalis de gravissimè puniendis Majoristis, non consitentibus decimâ quartâ quaque die. *Tr. VI.* 286. Non licet omnibus Constantiensibus facere in Cathedrali Confessionem annuam, seu Paschalem. 296. Nec adire Beneficium, etiam Parochiale, sine approbatione. VII. 45. Regulares alibi approbati non petunt in hac Diœcesi novam approbationem. 60. Pœnitentiarius Constantiensis licitè subdelegat alteri ministerium audiendi Confessiones Casuum Episcopalium. 101. Sunt in hac Diœcesi reservati Ordinario Casus quadraginta tres enumerati. *num.* 394. Sed solùm (exceptis septem) quando non sunt occulti, sed publici. 397. Qui quidem tripliciter censentur esse publici. 399.

7 Quomodo Parochus Constantiensis tractabit fatentem, se perpetrâsse homicidium? 389. Quomodo fatentem adulterium commissum occultè, at deinde publicatum? 402. *Innocto, num.* 399. Notet singulariter, illas sex species peccatorum carnalium, quæ annumerantur reservatis, esse intelligendas de solacomixione carnali perfecta. 406. & 407. Nomine verò adulterii intelliget etiam simplex. 407. Quomodo speciatim incurratur reservatio fracti sigilli Sacramentalis? 408. Aut ob celebrationem in Ara portatili sine licentia? 409. Vel ob sepulturam indebitam? 410. Vel ob non observata Sponsalia? 411. Aut ob crimen uxoricidii? 412. Aut baptizatæ propriæ prolis? 413. Aut homicidii solo consilio commissi? 415. Aut procurati abortûs? 416. Aut incendii Ecclesiarum? 416. Aut perjurii? 418. Aut violatæ libertatis Ecclesiasticæ? 419. Aut percussionis parentum? 420. Aut Sacramentorum abusûs? 421. Aut rebaptizationis? 422. Aut injectionis manuum in Clericum? 423. Hujus exemplum satis rarum proponitur, *num.* 347. Resolvitur. *n.* 423. & 424.

Constat.

VErbum *Constat* quid significet in Jure? II. 366. & X. 261.

Constitutiones.

COnstitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt. VII. 636. *in Append. lit.* c.

Consuetudo.

COnsuetudo contraria juri Divino nullius 5
est momenti. *Tr. II.* 175. Et ideo licèt sit alicubi diuturna circa rebaptizationem aliquorum, non tamen facit jus. 175. Pulchra S. Gregorii sententia de consuetudine. *Tract. V.* 511. An ea patrocinetur quibusdam generibus hominum, solitorum non audire Missam die Festo? 512. An possit introduci à mulieribus? 570. *& n.* 513. Consuetudo tribuit & approbationem. *Tr. VII.* 65. Et jurisdictionem in personas, & peccata. 81. *& seqq.* Eáque reservata. 374.

Consuetudo *prohibitiva* non satis probatur per omissionem actûs. *Tr. III.* 202. Consuetudo Civitatis, & Provinciæ spectanda. 537. Rationabilis prævalet juri positivo. IV. 33. Contraria juri est odiosa, & restringenda. V. 5.

Consuetudini ut matri debetur reverentia. *Tr. V.* 560 *adfinem* Consuetudo committendi hoc, aut illud crimen, quomodo confitenda, & à Confessario excipienda? VII. 586.

Consulere.

COnsulere sæpe ab Italis, & Hispanicis Theologis accipitur pro *Respondere.* V. 902.

Contemptus.

COntemptus Legis humanæ quando censeatur adesse? *Tr. V.* 53. Nullo casu fas est parêre imperanti aliquid in contemptum Religionis. 332. Quandonam censeatur aliquid præcipi, aut cederein contemptum? 333 contemptus Legis potest esse venialiter malus. III. 738.

Contractus.

NOn est ad punctum, & unguem exigendus. III. 636, *in App. lit.* h.

Contritio.

COntritionis perfectæ exemplum in viro E- 8
questri. *Tr. VI.* 33. Contritio generatim dividitur in perfectam, & imperfectam, seu Attritionem. 35. Involvit dolorem simul & detestationem. 38. Describitur actus detestationis. 40. Qualis contritio, seu attritio sit sufficiens ad remissionem peccati intra, & extra Sacramentum? 45. *& sequentibus.* Imperfecta, etiam cognita, sufficit cum Sacramento. 50. Habetúrque à nonnullis hæc sententia tuta, etiam in articulo mortis. 51. Sed contra hanc doctrinam refertur notabilis gnome Patris Carraffæ. 53. At contritio perfecta sufficit extra omne Sacramentum ad deletionem peccati. 54. Mirum exemplum contritionis. 170.

Quid sit perfecta Contritio? *Tr. VI.* 55. 2
Ejus definitio. 58. Exempla. 56. 62. 75. 85. 94. 97. Et *Tr. VII. n.* 198. & 308. Motivum gratitudinis non sufficit ad perfectam contritionem. VI. 60. Explicantur enucleatè conditiones requisitæ ad perfectam contritionem. 66. *& sequentibus.* Explicatur sensus illius dicti: *Si non esset infernus, non dolerem.* 67. Et illius: *Non agerem pœnitentiam, nisi sperarem gloriam cœlestem.* 68. Licèt illo actu plus ames cœlum, quàm Deum, non tamen hoc ipso peccas. 68. Quomodo contritio debeat esse de omnibus peccatis? 70. *& seqq.* Non est necessarius de singulis singularis dolor. 74. Nec necessaria recordatio singulorum. 76. At necessaria formalis, vel virtualis adjunctio amori Divini. 87. sufficiátne ad perfectam contritionem hæc formula: *Maledicta peccata, quibus*

Deum offendi? 99. Sitne difficile elicere contrionem perfectam? 109. *& Tract. VII. num. 198.*

Contritionis perfectæ, & imperfectæ effectus. *Tr. VI. 119. & sequentibus*, non est necessariò elicienda, aut, quamprimum occurrit memoria peccati mortalis. 131. Aut quoties id venit in mentem. 135. Aut quovis Dominico die. 137. Atverò tum in articulo mortis. 138. Tum probabiliter ante illam. 139. Casus adolescentis elicientis contritionem pridie Confessionis, at non repetentis ipsâ die. 141. Adolescentes dicentes suum *Confiteor*, non sunt communiter censendi elicere tunc actum doloris. 143. Secùs de viris Religiosis, & gravibus. 144.

Contritio debet *moraliter* conjungi cum narratione peccatorum, eo iscilicet modo, qui requiritur, & sufficit ad actum judicialem. *Tract. VI. 148.* Sufficit in rigore, si sequatur ipsam narrationem. 149. Etiamsi hæc esset facta historicè, & ridiculè. 152. Et probabiliter licèt dolor eliciatur tunc primùm, cùm Sacerdos dicit: *Te absolvo.* 154. Nec necesse est, ut dolor eliciatur in ordine ad Confessionem, sed sufficit, si Confessio fiat ex vi contritionis. 155. Sicut & dolor hodie conceptus sufficit pro crastina Confessione, si quidem hanc peragas ex vi pridianæ contritionis, & propositi. 156. Et juxta Tamburinum, etiamsi peragas non ex vi illius pridianæ, aut alterius contritionis. 159. Dolor, quem heri elicuisti universalem, extendit se etiam ad oblitum. 161. *& seqq.* Etiamsi illius recorderis jam datâ absolutione. 165. Nec teneris hodie elicere novum dolorem, si hodie absolvas Confessionem cœptam heri. 169.

Ad Contritionem quomodo se disponet Sacerdos, qui in mortali peccato constitutus debet mox conficere aliquod Sacramentum? *Tr. VII. num. 198.* An, si ob brevitatem temporis nequeat elici contritio de se necessaria, possit sine illa confici Sacramentum? IV. 254. Quo temporis articulo teneatur illam elicere Sacrificans, constitutus in mortali? 254. Vel excipiens Confessionem? VII. 196. Recordans mortalis in Confessione obliti non tenetur elicere contritionem. VI. 165.

Contritio elicienda illi, qui sumit Eucharistiam, ut eam tueatur ab irreverentia. *Tract. IV. 353.*

Conversio.

Conversi subitò ad meliorem vitam. *Tract. VI. 74.*

Copula Carnalis.

Copula fornicaria, etiam ex intentione sæpius habita intra breve quoque tempus, est quoad numerum exponenda in Confessione. VI. 393.

Corporale.

Corporale ex qua materia debeat esse? III. 314. Potest usurpari pro palla. 317. Et tangi innoxiè post lotionem. 331.

Correctio.

Correctio fraterna probabiliter non est adhibenda sub præcepto, quando frater peccat ex ignorantia *Tr. V. num. 281.* Aut solùm venialiter. 293.

Crux: Crucifixus.

Crucis Caravacensis origo. III. *num. 286.* Est tantùm veniale celebrare sine Cruce. 296. Et potiùs sine illa est celebrandum, quàm omittendum, aut abrumpendum Sacrificium. 298. Debeátne esse in ea Crucifixus, an sufficiat sola Crux? 299. Quid si prostet Venerabile Sacramentum? 300. Nos in Germania etiam tunc exponimus. 301.

Crucifixus lachrimatur ob sacrilegam celebrationem. III. 96.

Custos pecudum.

Hic non tenetur deserere officium, etsi nunquam possit audire Sacrum. *Tract. V. 329.* At quando plures sunt, tenentur mutare vices, si fieri queat. 340.

D.

David.

Davidis verba: *Peccavi Domino.* Continebant perfectam contritionem. VI. 103. *& seqq.* Fuit per eam consecutus veniam à Deo. *ibid.*

Debitor.

Debitor morosus in solvendo an, & quatenus absolvendus à Confessario? VII. *num. 561.* & 563. Debita Chirographaria an licitè emantur minoris, quàm valeant? VII. 570.

Declaratio.

Declarationes Cardinalium quanti faciendæ? Vide verb. *Cardinales.*

Dedicatio.

An Dedicatio Ecclesiæ, nondum consecratæ honorari possit Officio, & Missa per Octavam? III. *696. in App. 3. lit.* a. 3. Dies Dedicationis, quem assignavit consecrans Episcopus, an possit à Successore mutari? 679. Dedicatio Capellæ sitæ intra Monasterium an celebranda annuatim? *696. in App. 2. lit.* cc. *& seqq.* An sitæ extra Monasterium? *ibid. lit.* qq. A quo utræque? *lit.* hh. ll. Quid si Capella sit intra ipsam Ecclesiam? *lit.* nn. Quid si omne jus alicujus Ecclesiæ Parochialis translatum sit in aliam, an nihilominus dedicatio annua celebrabitur? III. *696. in App. 3.* c. 3. A quo? *ibid. lit.* d. 3. *& seqq.* Quid si illa Ecclesia sit solo æquata? *ibid. lit.* c. 3. Quid si una Ecclesia sit unita alteri? *696. in App. lit.* tt.

Quando festum Apostolorum Petri, & Pauli occurrit in Dominica Dedicationis, an, & in quem diem transferendum festum? III. 969. *in App. 3. lit.* f. 3. & h. 3. Quo die celebranda sit dedicatio Ecclesiæ, eo anno, quo Dominica prima post Epiphaniam ei designata, incidit Octavam Epiphaniæ? *ibid.* k. 3. Quando celebranda Dedicatio eo anno, quo Dominica præcedens festum S. Margaritæ, ejus celebritati designata, incidit in festum S. Angeli Custodis habens Octavam? *ibid. lit.* n. 3. Dedicatio Cathedralis an à Regularibus celebranda cum Octava? *ibid. lit.* o. Quando Dedicatio alicujus Basilicæ Romanæ occurrit cum die infra Octavam Dedicationis propriæ Ecclesiæ, qualis oratio debeat poni primo loco? V. 784. Qualis Ecclesia intelligatur, cum dicitur: *Hujus sancti templi?* 784. *& seq.* Cur in Oratione Secreta pro Missa Dedicationis ponatur Parenthesis? 786. Quando distans unâ aut pluribus horis à sua Ecclesia, de cujus Dedicatione facit Missam, possit verè dicere, *Intra cujus ambitum continemur.*? 788.

Defectus.

Defectus substantialis in Sacramentis, an suppleatur à Deo *Tr. I. 96.*

Delectatio.

Delectationem sensitivam ortam in tuo corpore an tenearis supprimere? VII. 329. Quid si orta est ex causa solùm venialiter mala? 330.

Delegatus: Delegare.

Omnis ordinariâ jurisdictionis potestate præditus potest eam alteri delegare. VII. 100. Quid de Parocho necdum Sacerdote? 145. *in App. I. lit.* a. *& seqq.* At delegatus nequit ordinariè subdelegare. *ibid. lit.* e. Excipe singulariter Tum illum, qui est delegatus ad universitatem causarum. 100. Tum Vicarios Parochiæ constitutos ab Episcopo. *Tr.* VII. *num.* 100. Tum Vicarios Superiorum Regularium, quando his est relicta tota potestas, seu onus. 713. Quandonam censeatur esse iis concessa tota potestas? III. 358. & VII. 713. & 715. Singulariter autem nequeunt subdelegare, tum quibus est commissum solùm (sine officio) ministerium, ut sunt Confessarii Mendicantium. VII. 100.

Episcopi possunt ex indulgentia Pontificis delegare potestatem benedicendi Sacras vestes, at non quibusvis. III. 360.

Diabolus.

Diabolus quomodo exiterit in impiam mulierem carnifex Dei? V. *num. 48.*

Diaconus.

Diaconus ministrans in mortali, non peccat mortaliter. I. 54. Semel tamen talis est punitus divinitus. 56. Quatenus licitè baptizet solenniter? II. 137. Et nominatim tunc licitè, quando est jam Parochus. 138. At, si non sit Parochus, incurrit Irregularitatem baptizans solenniter sine commissione Parochi. 140.

Quatenus licitè præbeat aliis Eucharistiam? I. 435.

Digitus.

Digitus S. Viti colitur alicubi Officio Dupli. cl. III. 684. *ad finem.* An Eucharistia licitè ministretur digito non Canonico? IV. 412.

Dispensatio.

Dispensatio ad cautelam datur in solis casibus dubiis. III. *num. 462.*

Distractio.

Distractio in confectione Sacramenti quàm peccaminosa? I. 97. & II. 202. Est mortalis, si sit diuturna in Canone Missæ. III. 818. An etiam, si sub Communione Sacrificantis? 819. Distractiones duplicis generis occurrunt tempore Missæ. V. 22. An, si sint fœdæ, contineant duplicem malitiam? 240. Distractè absolvens quantum peccet? Vide verb. *Absolutio. n. 3.* Notabilis doctrina de tenuitate distractionis. VII. 238. Distractè audiens Missam quantum peccet? Vide verb. *Attentio num. 1.* Quantum & ille, qui distractè recitat Horas Canonicas? Vide verb. *Attentio. n. 2.*

Dolor.

Dolor de peccatis quid sit? VI. 23. Nascitur naturaliter ex detestatione. 39. Pœnitentia potiùs consistit in detestatione, quàm in dolore. 38. Dolor de singulis peccatis non est necessarius ad veniam. 74. Dolor materialis etiam cum Sacramento non sufficit ad remissionem peccati. 45. At sufficit elicitus ex motivo mali naturalis, ut immissi à Deo vindice. 47. Quid sentiendum de dicente: *Doleo, quòd non doleam sicut deberem?* 111. Doloris de peccatis paradigmata Vide supra verb. *Contritio. num. 2. & infra. num. 170. in App. inauditum.*

Domestici.

Domestici qui dicantur? III. 262.

Dominus vobiscum.

Dominus vobiscum, quo sensu dicatur in Missa, nemine præsente? III. *n. 398.*

Dormiens: Dormitans.

Dormitans quatenus possit audire Sacrum? V. 274. *& seqq.* An recitare Breviarium? 277. & 676. An propè altans teneatur excitare dormientem, vel dormitantem? 278. & 279. Quid circa hoc fecerit Ludovicus Granatensis? 272. An imitandum ejus factum rigorosum? 282. Quæ observanda circa Confessarium dormitantem, dum excipit Confessiones? VII. 489. *& seqq.*

Dubium.

Dubium, seu dubitare propriè est ita vacillare, ut nequeat in alterutram partem ferri judicium aliquod. VII. 211. Distinguitur à dubio impropriè dicto, quale est omne illud quod tollit certitudinem moralem.

lem II. 367. Est autem aliud dubium *Juris*; & aliud *Facti* VII. 356. Aliud Positivum, quod oritur ex oppositis rationibus insufficientibus ad assensum etiam opinativum, aliud Negativum, quando non occurrunt rationes pro, aut contra. II. 371. Aliud denique *Rationabile*, ortum ex ratione non futili, sed prudente, aliud *Irrationabile*, quod nulla, aut non prudenti ratione nititur. VI. 432. Et ille solus dicendus est rationabiliter dubitans, qui non uno, vel altero, sed omnibus principiis intrinsecis, & extrinsecis consideratis, adhuc fluctuat. 433. & 435. Proponuntur principia, quæ singulariter in materia de dubiis peccatis inserviunt ad tollendum dubium, seu formandam prudentem opinionem. 435 & VII. 213 & 215. Aliud generale, & novum, quod scilicet, quando unus dubitat, communiter sint duo aut tres qui non dubitant. 269.

2 Quomodo intelligendum illud: *In dubio melior est conditio possidentis? II.* 330. Et quando non sit melior conditio possidentis? *ibid.* In dubio magis est favendum animæ, quàm reverentiæ debitæ Sacramento. II. 381. Nec fit tunc irreverentia Christo, etsi tunc committatur materiale sacrilegium. 381. Dubium ortum ex sola oblivione, ob quam dubitas: *Utrum hoc, aut illud feceris, vel dixeris, prout debebas?* non est, *per se loquendo*, curandum. III. 781. Multi ignorant, peccari graviter operando cum conscientia dubia VII. 277.

3 In dubio præsumitur quisque bonus. IV. 151. Quandonam in dubio fiant præsumptiones in quibusdam particularibus materiis? Vide infrà verb. *Præsumptio*. Item quædam celebriora Axiomata circa dubium, Vide in Florilegio *lit.* d. Et quid faciendum sit in dubiis practicis circa particulares materias, ut e.g. in dubio de repetendo Baptismo, Confessione, &c. Vide sub propriis titulis in hoc Indice. Et nominatim: An & quatenus peccata dubia sint confitenda? Vide verb. *Peccatum. num* 3.

Duellum.

Duellum *Solenne* quod sit? VII. 572. *Privatum* quod? *ibid.* Quatenus vetitum sub anathemate? 573. Quatenus in Germania observetur prohibitio? *ibid.* An provocatio ad illud sit reservata, non secutâ pugnâ? 636. *in App.* Duello decertantes vocantur à Concilio Valentino *Latrones nequissimi*. VII. 572. Quomodo corrigendi? 573. *in Appen.* De eo recusato duo Casus. *in App. lit.* d.

Dummodo.

Clausula: *Dummodo*, designat formam necessariam. III. 643.

E.

Ebrius.

Ebrio moribundo an licitè præbeatur Viaticum? IV. 193. Casus singularis de hoc. 192. In dubio utrùm ebrietas fuerit Voluntaria, aut plena, præsumendum in meliorem partem. 197. & 198. An extincto in ebrietate neganda Sacra sepultura? 199. Ebrius nequit satisfacere præcepto de audienda Missa. V. 214.

Ecclesia pro Templo, & Cœtu fidelium.

Ecclesia propriè quid? III. 265. *in App. I. lit.* e. Quomodo profanetur? *ibid. lit.* f. Proferuntur hanc in rem duo recentissimi Casus. *ibid. lit.* b. & c. Varia, & nova circa Ecclesiæ Dedicationem, Vide suprà *verb. Dedicatio*. Alia Vide verb. *Festum*. Ecclesiam ruinosam quis reparabit? 265. *in App. 2. lit.* p.

Celebrare in Ecclesia non consecrata, aut exsecrata, non licet. III. 264. Nec celebratio facta in ea dat jus rursum sacrificandi sine benedictione, aut consecratione. 264. Privilegium in Ecclesia non consecrata celebrandi, donec consecretur, non amittitur, etsi magna fiat ad eam accessio. 283. Nec necessario rursum benedicenda illa, qua fuêre diu usi hæretici. 311.

Ecclesiæ Cathedralis festa jure celebrant omnes Diœcesani. V. 82. Ecclesia Cathedralis concurrit in cura animarum cum omnibus Parochiis Diœcesis. VI. 296.

Est Ecclesiasticæ magistra pietatis. V. 82. Non tamen est, *per se loquendo*, fas celebrare in ea Communionem Paschalem. IV. 66.

Fundamentum subjectionis erga Ecclesiam est Character Baptismalis. II. 104. Potest hæc imperare aliquos actus internos. V. 189.

Eleemosyna.

Eleemosyna propè incredibilis. III. 633. §. *Erat*. Ea tamen nihil planè imminutum. *ibid.* §. *At*. Compensatio ejus multiplex, & mira. *ibid.*

S. Emmeramus.

S. Emmeramus defenditur contra Cyrinum. II. 163. *in App. lit.* l. & o.

Energumeni.

Energumenis an, & quando præbenda Eucharistia? IV. 148. Quid si eam respuant etiam in extremo agone? 149.

Epileptici.

Epilepticis an liceat celebrare? III. 829. An, & quando communicare? IV. 157.

Epiikia.

Quando sit locus Epiikiæ? III. 413.

Episcopi.

Episcopi etiam Titularis palatium est domus publica. III. 246. *Juncto n. Præced. & 258.*

Episcopus debet sequi morem Romani Pontificis. III. 663. Potest in sua Diœcesi, quidquid Papa in toto Mundo. 666. Est Parochus Parochorum. IV. 66. *ad finem*. Vocatur à Valdensi *Pater Equestris*. V. 722. Approbat ipse Reliquias in ordine ad publicum cultum. III. 683. Qualem certitudinem debeat habere? *ibid.* Potest Episcopus separare partem reddituum beneficialium ad sustentationem Vicarii Parochialis. VII. 48. §. *Ad quartam*. An validè simplici Sacerdoti det potestatem benedicendi vestes altaris ministerio destinatas? III. 361. An licitè transferat, seu mutet diem Dedicationis statutum à Consecratore Ecclesiæ? III. 679.

3 Episcopus tenetur, deficiente Parocho, ministrare Sacramenta, tempore etiam pestis. I. 134. At non tenetur cum periculo vitæ Confirmationem impertiri, nisi eâ verè egenti. 140. *& seq.* Strictiùs extremam Unctionem, si deest Parochus. 143. Et consequenter Sacramentum Pœnitentiæ, *ibid.* potest tamen tempore pestis, populantis Episcopatum, conferre se ad locum vicinum Diœcesi. 147. & 149. at quomodo. *ibidem*. Nec obligatur obire vicos urbis infectæ peste. 147. ipse intelligens, unum è Diœcesanis reum capitis detineri in carcere hæreticorum, quid aget? I. 185.

Episcopus respectu Baptismi, & Confirmationis.

4 Episcopus dubius de sui Baptismi valore tenetur titulo etiam justitiæ petere iterationem Baptismi, si quidem velit obire munia Episcopalia. II. 437. Et conscius, esse à se non ritè baptizato aliquos initiatos Ordinibus Majoribus, tenetur cum periculo vitæ, & famæ detegere defectum. 442. Quid si initiavit ignarus invalidi Baptismi? *ibid.* & 443. An valebunt Matrimonia, quibus ipse fortè astitit? 444. Nequit Episcopus dare pro lubitu facultatem baptizandi extra Ecclesiam. 494. Nec permittere plures patrinos, quàm duos. 526. An ipse necessariò sit interrogandus, quando multi sunt rebaptizandi? 726.

5 Peccat Episcopus mortaliter, differendo nimis diu collationem Confirmationis. II. 752. Quænam dilatio videatur Jordano Episcopo non nimis longa? 753. cum quibus paramentis sit conferenda Confirmatio? 754. An Episcopus proficiscens ad locum Diœcesis ad conferendum hoc Sacramentum licitè petat procurationem? 752. Tenetur illud conferre morituri enti petenti? 768. Et Hispani Episcopi conferunt afficiendis extremo supplicio. 756. & 758. Cur Episcopi Germaniæ non imitentur eos, quando recens ad fidem Orthodoxam conversi damnantur capite? 760. Malè damnat Nugnus de peccato mortali Episcopos administrantes sine magna necessitate hoc Sacramentum extra Ecclesiam. 774. An incurrunt suspensionem à Pontificalibus, si extra Diœcesin suam suos confirment. 777. quid si in sua alienos? *ibid.* non peccant mortaliter, etsi constituti in malo statu conficiant Chrisma. I. *n. 55. juncto præced.* Alia vide suprà verb. *Confirmatio*.

Episcopus respectu Missæ Sacrificii, Oratorii privati, & Festorum.

6 Episcopi jam non dant pro lubitu facultatem celebrandi quovis loco honesto. III. 242. At possunt ipsi, & celebrare, & coram se celebrari facere ubilibet, etsi sint solùm Titulares. 245. Episcopo negata est potestas communicandi ad aliquod tempus suum jus circa altarium consecrationem. 271. Episcopi Constantienses faciunt imminutionem Missarum, etiam in literis fundationis præscriptarum. III. 591. An possit Episcopus facere alicui loco jus celebrandi Missam de aliquo Sancto Titulari præcisè ob translatam illuc Reliquiam ejusdem Titularis? 663. *& seqq.* Licitè transferunt Germani Episcopi festa *quoad forum*, & *Chorum V.* 102. Et quidem laudabiliter transferunt Vigiliam S. Mathiæ cadentem in Feriam tertiam Quinquagesimæ. 112. An etiam cadentem in Feriam secundam? 118.

Episcopus, an teneatur quotidie audire Missam? V. 125. Nequit cogere subditos, ut audiant conciones in propria parochia. 170. Potest quandoque dare potestatem erigendi in oratorio privato plures Aras portatiles. 349. Quantum restituet, quando omisit Breviarium? 586. Quatenus dispenset circa onus Breviarii? 729. Episcopus indirectè intelligitur nomine *Sacerdotis proprii* in Cap. *Omnis utrusque*. VI. 290. Episcopus creatus in Natali Christi licitè celebrat tria Sacra. III. 185. Et dat facultatem faciendi veram Missam in Parasceve, si in eum diem cadat festum Annuntiationis. 213. Et ipse etiam existens extra Diœcesin licitè celebrat in loco profano. 245. Et licèt sit tantùm Titularis. *ibidem*. Quid, eo absente, liceat ejus Capellano? 246. 7

Episcopus designat loca pro Oratorijs. III. 252. potest etiam Titularis in suo palatio rurali constituere oratorium pro sua commoditate. 257. Et in eo audiens Sacrum satisfacit præcepto. 259. Nequit dare facultatem celebrandi cum pileolo. 383. An, ut in sua Diœcesi fiat Sacrum de quovis Sancto posito in Martyrologio? 673. Nequit solus instituere festum. V. 72. Sed requiritur consensus populi, *ibid.* refertur hanc in rem Casus lepidus. 70. 8

Episcopus respectu Sacramenti Confessionis.

Episcopus etiam Titularis est verè approbatus pro Confessionibus. VII. 46. Quisnam Episcopus debeat, aut possit dare approbationem, est adhuc lis sub judice. 57. Episcopi communiter reservant sibi Casus indicatos. *num.* 364. Absolvunt à Papalibus omnibus tunc, quando nequit accedi Papa. 367. Esto possit adiri ejus Nuntius, aut Privilegiatus secundùm nonnullos. 367 & 368. Episcopus jam non absolvit à Casibus Bullæ Cænæ occultis. 370. Quinam Episcopi Germaniæ absolvant ab hæresi, etiam publica? VII. 371. An hæc potestas non competat omnibus? *ibid. in App. lit.* d. Episcopi quandonam censeantur concedere Regularibus potestatem absolvendi ab Episcopalibus Casibus? 373. Et quomodo ipsimet absolvant ab illis Papalibus, qui dicuntur nondum deducti ad forum externum? 375. Monialibus nolentibus confiteri Sacerdoti Ordinis sui potest alium præficere. 658. Est ipse ordinarius Confessarius Abbatum non exemptorum. 663. 9

Episcopus dispensans in lege Papali.

10 DIspensat in lege non celebrandi in loco profano. III. 242. & *seqq.* An in lege Sacri audiendi? V. 523. An in lege Breviarij? 729. Quando delictum occultum censeatur deductum ad forum contentiosum? VII. 375.

Epistola.

EPistola, & Evangelium, an in Sacro solenni legenda ab Officiatore? III. 759. An peccet solùm venialiter, qui festo die negligit Epistolam, & Evangelium? V. 135. & 136. Ultimum Evangelium innoxiè omittitur. 132.

Eremitorium.

ERemitorium jam non est tam procul ab omni Ecclesia struendum, ut nequeat diebus Festis audiri Sacrum. V. 519. & *seq.* Sola bona fides excusabat olim Eremicolas secùs facientes. *ibid.*

Error.

1 ERror circa fidem, Grammaticam, & Personam contingere solet in administratione Sacramentorum. I. 190. Primus declaratur casu Calvinistæ baptizantis secundùm autoritatem, quam ipsi tribuerat Calvinus. 191. Error ministri circa Sacramenta ipsa, eorúmve essentialia, aut effectus plerumque non irritat Sacramenta. 193. & *seq.* Irritat autem in quatuor præcipuis Casibus. 195. & *seqq.*

2 Error Grammaticalis, ut e. g. quando minister putat, demonstrativum *Hic* sumi adverbialiter in consecratione calicis, non officit valori. I. 199. & 208. Quid si sacrificans intelligat suum corpus, cùm dicit: *Hoc est corpus meum?* 205. Aut Baptizans in nomine *patria & filia*, intelligat veram filiam? 206. Aut pro *Filii* dicat *Fili?* 207. Aut si erret ex malitia? II. 87. §. *At.*

3 Error circa personam communiter non irritat Sacramentum. I. 214. Declaratur Casu Confessarij puellam habentis pro puero. 210. Declaratur, & exemplo Bisuntinorum confitentium Recluso, ut vocant. 221. Solatium pro errantibus ex inadvertentia in Sacramentorum confectione. III. 855. Error communis facit jus, & pro veritate habetur. VII. 107. Ideò qui errore communi habetur pro vero Confessario, absolvit validè. VII. 107. & 108. *distinctè.* Testis deponens de errore commisso in Baptismo præfertur neganti errorem. II. 386.

Evangelium.

VIde suprà Verbo: *Epistola.*

Eucharistia.

Eucharistiæ materiæ.

1 EUcharistia mutatur media ex parte in carnem. III. 1. Quatenus est Sacrificium, quomodo differat à se ipsa, quatenus est Sacramentum? 17. Quæ ejus materia proxima? 26. Quæ remota? 28. Quomodo panis triticeus? 29. siligineus sufficit in magna necessitate. 29. Ex spelta etiam extra necessitatem in Germania. *ibid.* At fortè non in Italia. 30 Missa est die festo potiùs omittenda, quàm ut pro Eucharistia adhibeatur panis ex avena, vel hordeo. 32. An etiam potiùs permittendus quispiam mori sine viatico? 33. In necessitate est probabiliter fas uti materia dubia. 34. cur nonnulla repugnent nunc reverentiæ Eucharistiæ, quæ non olim? IV. 450. In Germania repugnant aliqua reverentiæ Eucharistiæ, quæ non in Hispania. 453.

Eucharistiæ materia non debet esse permixta alteri rei. III. 35. Non tamen quævis minima permixtio est mortaliter mala. 35. Sed quando dimidia pars est alienæ materiæ. 36. Non autem, quando paucula grana hordeacea sunt permixta tritico. 37. Quid si bestiola sit in hostia? 38. An materia inepta permixta aptæ convertatur in Corpus Christi? 39. An sit permissum Latino Sacerdoti sacrificare in pane fermentato ad conficiendum viaticum? 41. Quid si etiam animo pereat æger, si non præbeatur ipsi tale viaticum? *ibid.* An *licitè* misceatur sal Pani Eucharistico? 42. An *validè* conficiatur Eucharistia ex pane mixto cinnabari? 43. Aut ex pasta, cui immixta aqua rosacea? 44. Potest, deficiente grandiore hostia, adhiberi parva. 45.

Succus ex uvis expressus est per se idonea 3
materia Eucharistiæ. III. 49. Mustum est materia illicita. 49. Et consequenter non licet ex sola devotione sacrificare in vino recens expresso ex uvis. 50. Nisi patrocinetur consuetudo. 51. Sitne satiùs affundere multum vini, quàm parum? 53. Aliquantùm accescens vinum *licitè* adhiberi potest. 54. Halitu non est solvendum id, quod in sacro calice congelatum est. 55. Nec immiscendus alius liquor consecrato. 57. An, si multum misceatur, desinat esse præsens Corpus Christi? 57.

Sine mixtione aquæ nunquam est fas sacri- 4
ficare. III. 58. Si ea sit tertia pars contenti in calice, est nimia in quibusdam locis, in alijs non nimia. 60. & 62. Traditur in hanc rem doctrina generalis. 63.

Quid agendum guttis per calicem dispersis? III. 64. & 89. An sit fas circumjecta glacie refrigerare aquam pro sacrificio adhibendam? 65.

Quomodo materia panis, & vini debeat esse præsens tempore Consecrationis? III. 81. Quid si hostiæ pro Laicis consecrandæ sint tectæ tempore Consecrationis? 183. Quomodo, materia Eucharistiæ debeat esse determinata? 84. Quid si particulæ ponantur, inscio Sacerdote, super arulam? 85. Quid si Post præfationem? 85. Quid si Sacerdos habuit intentionem generalem consecrandi, quidquid *licitè* posset? 87.

Eucha-

Eucharistiæ formula.

5 OLim decantabatur per plateas quoque. III. 66. Attamen divinitus puniti pastores proferentes eam irreverenter. 66. Quæ sint essentialia verba illius. 76. Quomodo intelligenda. 77. Quid significetur demonstrativis: *Hoc* & *Hic* 79. & I. 201. Quid operentur verba Consecrationis? III. 90 Et an proferantur recitativè solùm, aut recitativè, & significativè simul? 92. & 93.

Quid si quis solitus sit ea proferre solùm recitativè; an valeat Consecratio? 93. Quid si unum verbum notabiliter disjungatur ab alio, aut bis repetatur? 94. Quid si Sacrificans falsò existimet voculâ *Hic* designari locum? I. 199. Quid si voculâ *Hoc* putet designari hunc panem? I. 201. Aut per formulam *Hoc est corpus meum*, significari revera Corpus ipsiusmet Sacerdotis? I. 205. Ejus voculæ sensus determinatur solùm per nomen *Corpus* VII. 156.

Eucharistiæ species.

6 EUcharistiæ species quamdiu soleant incorruptæ manere in stomacho? III. 425 & IV. 162. Exemplum singulare. 425. B. Rosa conservabat eas octo horis. IV. 162. Quid si evomantur? Vide verb. *Hostia.*

Eucharistiæ Minister.

7 MAlè asseritur, quemlibet Sacerdotem habere jus etiam extra necessitatem ministrandi Eucharistiam. IV. 367. An in extrema necessitate teneatur quivis, etsi repugnante Parocho? 368. & *seqq* Idem dic de Communione Paschali. 369. Non peccat mortaliter ministrans eam in peccato mortali. 377. Aut sine lumine, vel non dicto *Confiteor.* 382. Secùs si præbeat Eucharistiam peccatori publico. 383. Nisi constet, esse emendatum. 385. At si ex Confessione sola nôsti, esse indignum, *illicitè* præbebis ipsi hostiam non consecratam. 387. Tenetur tempore contagionis exhibere cautelas necessarias vitæ conservandæ. 395. Nisi Spiritus Sanctus aliud inspiret. 397. Quas in specie cautelas corporales adhibebit? 402. An *licitè* in equo deferat Eucharistiam? 405. Tenebitur currere, etsi sit pro stulto habendus. 406. Quid aget, si sub suo Sacro audiat, aliquem periculosè decumbere? 410. An, si laboret digitis Canonicis, *licitè* præbeat hostiam non Canonicis? 412. Tenetur Parochus, etiam cum periculo mortis, ministrare suis Viaticum. 414. Eucharistiam an *licitè* ministret impositam chartæ, vel spatulæ? 423. 425. *Licitè* sibi ipsi ministrat Sacerdos Eucharistiam. 429. Quando possint Diaconi? 435. & 436. An absente Sacerdote sibi ipsimet in Festis solennibus? *ibid.* Et singulariter, quando ipse est Parochus? *ibid.* Imò Laicus defert *licitè* in extrema necessitate. 437. Docetur *practicè*, quando; quomodo: & à quo Laico posset deferri. 441.

Eucharistiæ effectus, & dispositio ad eam.

8 HAc ætate non est, sumenda Eucharistia in miraculosam approbationem innocentiæ. IV. 446. At excusandi, qui quandoque dicunt: *Non tibi credam, nisi tu cras in testimonium innocentiæ communicaveris.* 447. Et puella, quæ ultro dicit matri: *Quia mihi non vis credere, ego cras sumam Eucharistiam in confirmationem verborum meorum.* 449. An Eucharistia sit deferenda ad solum solatium? An ad ædes incendio correptas? Vide infrà verb. *Hostia.* An Eucharistia conferat refectionem spiritualem? IV. 13. Adeóque primam, & secundam gratiam? 458. & 459 Et remissionem venialium? 463 Et Castitatem? 340. & 466. & *seqq.* Et resurrectionem corporis? 469. Et quandam singularem unionem cum Christo? 470. Cur frequens sumptio illius in tam paucis operetur correctionem morum? 471. Adfertur causa terrifica. 472. Quæ dispositio necessaria ad perceptionem illius? Vide verb. *Communio.* Singulariter respectu sumentis Hostiam, ne profanè tractetur. IV. *num.* 353.

Examen.

EXamen conscientiæ quale præmittendum Confessioni? Vide verb *Confessio. num.* 9.

Exceptio.

EXceptio quomodo firmet Regulam in contrarium? II. 750.

Excommunicatio: Excommunicatus.

EXcommunicatus illicitè celebrat, licèt sit 1
per contritionem reconciliatus Deo. III. 466. Refertur hanc in rem Casus miraculosus. 446. Et Decretum Inquisitionis. 467. Excommunicatus celebrat *licitè* in eo casu, in quo non jejunus, aut non absolutus à mortali. 468. Excommunicatus peccat mortaliter audiendo Sacrum. V. 396. excipe Lutheranos, qui instruuntur pro Fide Catholica. 396. Et qui est injustè excommunicatus. 399. Et nominatim, quando legitimè appellavit contra sententiam. *Ibid.* & *405.* Declaratur Casu Siculo. 394. Quid agere debeant, qui intersunt Missæ, ad quam venit excommunicatus? 402. & 403. Quis dicatur nominatim excommunicatus? 404. Quis notorius percussor Clerici? 406.

Excommunicatus non tenetur ideo petere 2
absolutionem, ut habeat jus assistendi rei Divinæ. V. 410. Dubitans, an incurrerit Excommunicationem, tenetur assistere Missæ. 458. Tenetur non assistere, si dubitet, an sit absolutus à certò incurrâ. 458. Non rectè docuit Arauxus, excommunicatum posse post mortem absolvi directè à peccatis non reservatis, & indirectè ab excommunicatione reservata. VII. 134.

Excommunicatio per se non obest valori absolutionis. 168. Excommunicatus, si absolvatur in foro *interno licitè*, etiam se in *externo* gerat pro inexcommunicato. 143. Obligationes absoluti in necessitate ab Excommunicatione ob percussionem Clerici. VII. 384. Quid intelligatur nomine *percussionis*, seu violentæ manuum injectionis. 423. & 424. Proponitur singulariter Casus de hac re. 347. Excommuni-

catus, de quo testatur Confessarius illum respuisse, sitne donandus Sacrâ glebâ? VII. 914. Absolvit invalidè extra articulum mortis. VII. 129. & 195. Quatenus Regulares Mendicantes absolvantur ab excommunicatione Papali? Vide verb. *Censura*, & verb. *Confessarius*, *num.* 11.

Exercitia Spiritualia.

EXercitiorum Spiritualium S. Ignatii libellus approbatus, quoad omnia, & singula. VII. 328. Eorum usus omnibus commendatus ab eadem S. Sede. *ibid.* An vacans illis possit absolvi à reservatis? VII. 653.

Exorcismus.

EXorcismi cur non sint Sacramenta? I. 14. Per se loquendo, adhibendi Lutheranis ad fidem conversis. II. 506. §. *At.* Generatim omnibus, in quibus fuerant omissi etiam in vero Baptismo. 507. Baptizati sine his infestantur magis à Dæmone. 507. Probatur id Casu palpabili. 506. Et exemplo Turcarum, 325.

F.

Falsificatio.

FAlsificatio literarum quando sit Casus reservatus? VII. 674.

Familiaris. De Familia.

FAmiliaris quis dicatur? III. 262. Quis dicatur de familia hujus vel illius nobilis viri? III. 262.

Famulans. Famulus.

FAmulans hæretico, à quo per laborem non necessarium impeditur persæpe, ne audiat Sacrum, tenetur, quamprimùm commodè potest deserere famulatum. V. 321. Secùs si tales nequeant sine incommodo notabili deserere famulatum, modò non versentur in periculo defectionis. 322. Declaratur illa incommodi notabilitas. 324. Si labore solùm necessario impediuntur, non tenentur ex hoc capite mutare famulatum. 328. Idem dic de iis, qui serviunt Catholicis, ut Custodes pecorum, aut tabellarii ordinarii 329. Si in Religionis contemptum jubeantur domi manere, tenentur non manere. 332. Et vel maximè, quando versantur in periculo perversionis. 337.

Saluberrimum consilium est, ut, priusquam addicant suum famulatum, paciscantur de Missa, & carnibus. V. 335 Famulantes etiam Catholicis non excusantur, si Missam negligant præcisè ob laborem non necessarium, imperatum ab heris. 338. Qui quidem heri obligantur dare ipsis tempus pro re Divina audienda. 339. Quando sunt duo custodes pecoris, tenentur, mutatis vicibus, custodire, ne negligat uterq; Sacrum. 340. An quandoque herus etiam mutare vices cum famula? 494.

Fatuus.

FAtuis an præbenda Communio? IV. 134. Quid si tales se ingerant in turbam Communicantium? 135. An, quibus permittitur Communio, sit etiam impertienda Absolutio? 137. Semifatuis quid agendum? 138. Vide plura suprà verbo *Amens.*

Ferdinandus II.

FErdinandus II. Imperator obit Officium Patrini Confirmationis. II. 805. *&* *seq.*

Festum.

Festum cum respectu ad varia.

FEsta, an licitè transferantur, etiam quoad forum? III. 227. Quomodo variis locis fuerint aliquoties translata Festa Annuntiationis, & S. Georgii occurrentia in Hebdomada Sancta? 223. Festo sancti Titularis, an possit aliud de eodem addi ob translationem ejus Reliquiæ? 663. Translatio S. Antonii de Padua celebratur ter in anno à FF. Conventualibus. 667. Privilegium concessum pro festivitate unius Ordinis, communicatur etiam alteri Ordini Religioso, participanti in Privilegiis. 696. *ante Appendices.*

Festo die permissâ vecturâ vini, non censetur permissus neglectus Sacri. V. *num.* 5. *&* 59. At videtur permissa vectatio, etsi sine notabili incommodo differri queat. 10. Et licèt fiat ob solum lucrum. 10. Festo die occurrente in Dominica negligens Missam non committit duplex peccatum. 54. Tale peccatum repugnat Religioni. 54. Et sufficienter aperitur in Confessione, dicendo: *Semel non audivi Sacrum die festo.* 55. Qua horâ festi audiendum Sacrum? 56. An quandoque necessariò primo manè? 57. Nova de hoc resolvitur quæstio. 58. Sicut & communis de illo, qui est extra proprium territorium futurus ante ultimum Sacrum sui oppidi. 61. Quid si febris est aliquem invasura ante ultimum Sacrum? 65. Vesperis interesse festo die tenentur Galli sub veniali. 67. Non teneris audire Sacrum in festo indicto sine consensu populi. 72. Aut in festo instituto à Magistratu sæculari. 75. Etsi Magistratus talis potest punire laborantes in vero festo. 75. sicut, & Ecclesiasticus non audientes Sacrum in festo Votivo. 76.

Festum Immaculatæ Conceptionis cum Octava celebrari permisit ad instantiam variorum Principum Alexander VII. *Tr. V.* 80. II. Iam Octavam possunt etiam Regulares observare. 81. Possunt & omnes Clerici, subditi illi Cathedrali Ecclesiæ, quæ consistit in terris contentis Indulto Apostolico. 82. Quid agendum, si dies Infrà illam Octavam concurrat cum alio itidem infrà Octavam? 83. Omne festum cum Octava censendum est inter festa saltem Secundæ Classis. 83. An ex vi Indulti Alexandri liceat in Præfatione Missæ dicere: *Et te in Immaculata?* 84.

Festum S. Angeli Custodis cœptum celebrari cum Octava. V. 650. *in Append.* 5. Describitur Breve Pontificium de illo. *Ibid. lit.* e. Disquiritur, an quia est ad libitum, & concessum ad pias preces Leopoldi I. Imperatoris, petentis concedi pro prima Dominica Septembris per Octavam, possit graves ob causas ab Ordinariis locorum affigi alii Dominicæ alterius mensis? *ibid. lit.* g. *&* *seqq.* Item quid agendum, si in Dominicam assignatam incidat aliud festum, aut dies infra Octavam occurrat cum alio etiam infra Octavam? *lit.* l. Item quid intelligatur nomine Ditionum subjectarum Imperatori, ut Imperatori, Regi, ut Regi? *lit.* m. *&* n.

Festum fori non est hoc ipso Duplex majus per annum. V. 85. Octava festi est prorogatio festi. 83. Octavæ nobilitas unde desumenda? *ibid.* Par est, ut festa Ecclesiæ Cathedralis observent etiam aliæ Ecclesiæ. 82. Festa voto promissa à majoribus tenentur observare posteri. 86. Contra quam virtutem peccent non observantes? 86. At festa ex consuetudine inducta, sine approbatione Episcopi, non sunt necessariò colenda. 87. Festo incidente in Parasceven, si Episcopus det facultatem faciendi tunc veram Missam, debet hæc audiri. 88. Festa quoad forum transferuntur Constantiæ tempore Vindemiæ. 93. Festa quatenus colere teneantur viatores? 94. *&* *seqq.* Festa translata ab Episcopo debent coli à subditis. 95. & 102. Peculiaris est ratio, cur Festum Annuntiationis cadens in Hebdomadam Sanctam transferatur etiam quoad forum. 104. Plures Missæ sunt celebrandæ publicè quando aliquod Festum fori cadit in Feriam Quintam, vel Sabbatum Hebdomadæ Sanctæ. 106. & III. *num.* 223. An quando Festum S. Mathiæ cadit in diem Cinerum, debeat Vigilia transferri? V. 111. Festis etiàm dimidiatis est audiendum Sacrum. 121. Dubitans, an sit Festum, quid aget? 459. Quid si pater asserat, mater negat esse publicatum à Parocho? 460. Quando Parochus non publicavit Festum, potest communiter parochianus præsumere, esse nullum. 460. Omittens Sacrum ex pigritia, an peccet solùm venialiter? 462. & 464. Quædam valdè particularia de concursu & occursu quorundam Festorum. 650. *in Append.* 2. *lit.* c. *&* *seqq.* Item de festis translatis. *ibidem lit.* k. *&* *seqq.* Discrimen inter illa duo: *Meruit supremos, & meruit beatas &c.* 658. *lit.* n. Festo Assumptionis concurrente cum Festo Dedicationis quid agendum? *ibid. lit.* s. Unde desumenda major dignitas festorum. *ibid. lit.* u. Unde solennitas? *ibid. lit.* x. Festa Evangelistarum non cedunt Festis Apostolorum. *ibid.* Porrò nova festa non exigunt aliam promulgationem, quàm cæteræ res Ecclesiasticæ, 663. *in App. 1. lit.* b.

Fictio.

FIctè suscipere Sacramentum quis dicatur? I. 283.

Fides Bona.

FIdes bona quatenus excuset? V. 462.

Fides: Fideles.

FIdem Christianam dissimulare quando liceat? II. 240. Bona fides quomodo excuset à mortali omittentem Sacrum die festo? *Tr. V.* 462. *&* 464.

Fidelium nomine intelliguntur etiam hæretici in Cap. Omnis utriusque. VI. 267.

Forum.

FOri interni absolutiones quatenus valeant pro externo? VII. 143. Quandonam censeatur aliquod crimen esse deductum ad forum externum? 375. & 573.

Franciscus.

SAnctus Franciscus Assisias vetuit suis fungi officio patrinorum. II. 558. Cur id? *ibid.* Sancti Francisci Borgiæ Canonizationem quæ Bulla præcesserit? III. 696. *in Append. 1. lit.* h. Duo luculenta miracula illius referuntur. *ibid.* Explicantur aliqua obscura vocabula. *ibidem lit.* k.

S. Franciscus Salesius examinandus pro Episcopatu quid oraverit Deum? III. 607. Quomodo detulerit Viaticum per urbem hæreticam? IV. 408.

Sanctus Franciscus Xaverius baptizavit duodecies centena millia hominum. II. 44. Quomodo? *ibid.* Piè invocatus cicurat bovem ferocem. III. 118. Prædixit mercatori, eum præsciturum diem mortis propriæ, & duo adhuc alia valde rara. 633. §. *Erat.* Ejus Beatificationis, & Canonizationis Bulla. 696. *in App. 1. lit.* c. *&* d. Ejus peculiaris oratio, dum Missam legebat. 754. Quo jure etiam potuerit eam recitare? 755. An licitè nominetur in Missa cum addito: *Xaverius?* 758. Ducenta miracula patrata per ipsum in Calabria intra biennium. IV. 156. Ministrabat Eucharistiam flexis genibus non sine miraculo. 431. Ejus dies infrà Octavam cedunt diebus infrà Octavam Conceptionis Deiparæ. V. 83. Peculiaris difficultas circa translationem in urbe Constantia. 654. An cum ejus Festo transferatur, & Indulgentia? 655. An liceat in ejus Octava celebrare solenne Votivum pro privato beneficio? III. 731. *in Append. lit.* c. Respectu quorum distulerit absolutionem Sacramentalem? VII. 320. Quàm gravem pœnitentiam subjerit loco sui pœnitentis? 763.

Furiosus.

FUrioso an ministranda Eucharistia? IV. 150. Et quomodo? *ibid.* Quid si blasphemet? *ibid. ad finem.* Quid si in insaniam incidit in peccato mortali? 150. & 151. Modus dextre disponendi furiosum ad Confessionem. 154. & ad Communionem. 152. Discursus novus de furiosis. 154.

G.

Garrientes.

GArrientes sub Missa, etsi viri Principes, peccant. V. 287. Et quidem si diu garriant de rebus seriis, peccant mortaliter, si non velint audire aliud Sacrum. 288. Secùs, si diu quidem, sed mentem identidem convertendo ad Missam. 289. Sæpe tamen tales peccant mortaliter ratione scandali. 290. Hæc applica ridentibus. 287. 291.

Germanus.

Germanorum quædam consuetudines circa Sacramentalia, atque alia.

1 COmmuniter admittunt ad gremium Ecclesiæ hæreticos absque novo Baptismo. II. *num. 388.* Rebaptizant infantes expositos. 398. Speltam adhibent pro Sacrificio Missæ. 29. Sacrificant multò ante auroram. 198. Feriâ sextâ in Parasceve deferunt Sacram Hostiam ad monumentum Domini. 214. Est varia quantitas stipendii pro Missa 563. Communio Paschalis licitè in Germania obitur pridie Palmarum, quando in eum diem cadit Festum Annuntiationis. I V. 33 Feriâ quintâ in Cœna sacrificatur in multis locis, ab iis, quibus placet. 46. Sæpe transfertur Festum, etiam quoad forum. V. 104. Celebratur jam Festum Immaculatæ Conceptionis cum Octava. V. 80. Sicut, & Angeli Custodis. 650. *in Append. 2. lit.* e.

2 Vigilia S. Mathiæ cadens in Feriam tertiam post Quinquagesimam sæpe anticipatur ab iisdem. V. 113. Lutherani deliberantes de mutanda Religione admittuntur ad Sacra audienda. 397. Novi Canonici sæpe nihil percipiunt reddituum primis annis. 575. Liber est usus Officiorum B. Virginis editorum Germanicè. 697. Canonici non coguntur interesse de die, nisi uni, aut alteri Horæ Canonicæ. 701. Pueri Germani obligantur ad Confessionem seriùs, quàm Itali VI. 268. Lectio librorum hæreticorum non habetur pro reservata Pontifici. V II. 355. Habent Episcopi Germani singularem potestatem absolvendi ab hæresi publica. VII. 371. Germani rarò habent duella solennia. 572. Bullæ contra decertantes privato duello non sunt usu receptæ. 573. Sicut nec editæ contra Confessarios solicitantes. 574. & 576. Nec communium hæreticorum sæpultura profanatur Ecclesia. V II. 410. Iidem horrent perjuria in judicio. II. 163. *in Appen. lit.* n. *prope finem.*

Gladius.

GLadius cur potiùs, quàm alia instrumenta, potuit auferre vitam Martyribus? II. 633. Eo plectebantur olim soli Nobiles. *ibid.*

Gratianus.

GRatianus, & Magister sententiarum, an fuerint fratres? V I. 174. De illorum matre Casus excogitatus. 171.

H.

Hæresis: Hæretici.

HÆretici Ministri plerumque intendunt in Sacramentis facere id, quod facit vera Ecclesia. I. 194. Et ideo plerumque nihil obest particularis error, aut intentio contraria. II. 200. An, si Catholica mater videat, suum filium delatum iri ad Ministrum hæreticum pro Baptismo, licitè curet ea, ipsum Catholicè priùs baptizari? II. 142. Errores practici Prædicantium hæreticorum circa Baptismum. 389. 394. & 395. An omnes baptizati ab his rebaptizandi sint? Vide verb. *Rebaptizatio.* Hæreticus validè quidem, attamen illicitè fit patrinus. II. 569. In Casu necessitatis quid agendum cum tali? 559. *adfinem*, 560. *& seq.* Quid si etiam parentes sint hæretici? 563. Quid si Catholicus levet è fonte filium hæretici? 565. Ab hæresi qui absolvant. Vide verb. *Confessarius Regularis.* Et verb. *Episcopus, num. 9.* Et verb. *Capucini.*

Hic. Hoc.

HIc, & hoc, solent designare rem ad sensum præsentem, & definitam. II I. 80. Aliter tamen accipitur in Collecta Dedicationis. V. 785.

Homicidium.

QUo pacto sit Casus reservatus? V II. 415. Refertur de hujus absolutione Casus particularis. 389.

Horæ Canonicæ.

Horæ Canonicæ quid? & obligati ad eas.

QUid sint Horæ Canonicæ? V. 554. Cur dicantur Breviarium, & Orarium? *ibid.* 1
Cur preces Canonicæ? 554. Quàm piè describantur à S. Benedicto? 623. Et S. Chrysostomo? 662. *ad finem.* Et S. Augustino? 731. & 910. *ad finem.* A Sacris Canonibus? 746. A Cardinale Bellarmino? 760. Jam multis sæculis desierunt in Ecclesiis sæcularibus, & multis Regularibus recitari de nocte. 556. Confutatur recens Thomista sugillans non surgentes de nocte ad psallendum. 556.

Sunt tantùm septem Horæ Canonicæ. V. 2
557. Refértque ad praxin hoc scire. 558. Sola consuetùdo obligat sub mortali non Beneficiatos. 560. Defenditur vis hujus consuetudinis. *ibid.* Quæ quidem incipit primo die suscepti Subdiaconatûs. 561. Sed non nisi à Sexta. *ibid.* Peccat graviter suscipiens Subdiaconatum, ineptus ad discendam primis diebus rationem orandi. *ibid.* Frustráque dubitatum, an Subdiaconi teneantur primo anno? 562. Ac immeritò nega-

negavit Leander obligationem pro primo die. 563. Quid si debeat quis ferè totum diem impendere recitationi rectæ? 565. Minoribus initiati non tenentur sub gravi culpa orare, quæ præscripsit Ordinator. 567. Professi in Minoribus constituti quàm graviter obligentur ad Horas? 568. Itémque Moniales. 570. Confessarius Choristarum, & Monialium quomodo se geret erga confitentes, se non persolvisse pensum Canonicum? 571.

3 Beneficiati singulariter sunt adstricti Breviario. V. 572. Et peccant mortaliter omittendo, licèt priùs decernant restituere fructus. 573. Quid si quis nondum habeat possessionem Beneficii? 574. Aut primo anno nihil recipiat? 575. Vel relinquat suo Vicario omnes fructus? 596. *in App. lit.* c. Aut etiam nihil recipiat propter sterilitatem, vel vastationem. 577. Vel habeat nimis tenue Beneficium? 578. Quomodo loquantur varii Autores de summa sufficiente ad sustentationem, huiúsve partem? 579. Et singulariter Leander. 579. Quid si fundator Capellaniæ noluit suum Capellanum obligare ad Horas? 580. §. *V. Illum.*

Quomodo restituet, qui culpabiliter neglexit V. 581. Quid si tantùm decies in anno? 583. Aut habeat alias occupationes, ultra Beneficium? 584. Adfertur practica resolutio Laymanni de Parocho. 585. Non restituet, qui solùm omisit notabilem partem unius Horæ. 589. Quando, & quomodo facienda debita restitutio ob neglectas Horas? 501. *& seqq.* Non utique per eleemosynas erogatas ante omissionem. 592. Quid si deinde recitet bis? 593. Aut alia opera obeat pro defunctis? 595. Quid si nequit recitare ob infirmitatem ortam ex intemperantia? 596.

Horæ qua formulâ recitandæ.

4 EX quali Breviario recitandæ Horæ Canonicæ? V. 597. *& seqq.* An omnes possint privatim ex Romano? 598. An partim ex correcto; partim ex non correcto? 601. Si quidem sit impressum ante Bullam Vrbani VIII. 601. *in App.* Quo Breviario utentur non Beneficiati? 602. Quo Beneficiati? *ibid.* Refutatur Leander docens teneri ex quovis, qui nequit ex proprio. 603. 604 & 624. Et Neusserus damnans mortalis mutantem Duplex in Semiduplex. 607. §. *Quia.* Peregrinus, & Viator quale sectabitur? 604. 605. An ipse, & alius, illud, quod habet Lectiones approbatas non à Papa, sed solo usu antiquo Diœcesano? 630. 631. An licitè recites hodie Officium illius Sancti, qui erat hodie colendus? 638. Quid in hoc Constantiensi Collegio actum occasione S. Francisci Salesij? 639. Et occasione S. Nicolai Nolasci? 639. Quid agendum, quando die Festi A. orâsti de Sancto B. futuri primùm cras? 640. Aut quando multùm progressus, notas, à te dici unum Officium pro alio, an tutò perges in hoc errore? 642. An teneberis repetere de novo? 643. Varii sunt Casus, quibus jungis partem unius Officii cum parte omnino diversi. 644. *& seqq.*

Horas non recitantium reatus.

PEccat mortaliter omittens etiam unam Horam. V. 608. Excipe probabiliter omittentem Vesperas Sabbati Sancti. 609. Casus, quo potest quis per alium recitare Horas. III. 696. *in App. 2. lit.* m m. Majores Horæ quæ dicantur? *Tr. V. 610.* Quid si omittatur solùm pars ex Minore? 611. Aut ex Majore? *ibid.* Vel Litaniæ in Rogationibus? 614. Vel ad eas nihil respondeatur à præsentibus? 616.

Non nisi unius mortalis reus est, qui omnes Horas omittit. V. 617. Quomodo confitebitur, qui simul est Monachus, & Parochus? 617. Quid si in singulis Horis parum quid omittatur quotidie? 618. Si singulariter mutilando? 618. Quid si præ scrupulis vix possit totum dicere? 619. & 714. Quid si non meminerit, utrùm hanc, & illam Horam recitârit? 621. Potens solùm minorem partem recitare non tenetur ad eam. 622. Quid si ex pravo habitu nequeat, vel nisi imperfectissimè, vel nisi impendendo plurimum temporis orare. 623. Aut non nisi partem officij valeat dicere? 622. Refertur D. Caramuelis judicium singulare circa omissionem totius Breviarii inculpatam. 661. Refutatur. 662. An Symbolum S. Athanasii sit recitandum per totam Octavam, quando SS. Trinitas est Titularis alicujus Ecclesiæ? 623. *in Append.* Horæ Canonicæ quatenus licitè recitentur de Beatis? Vide verb. *Beatus.* Quatenus de Patrono Capellarum intra, vel extra Ecclesiam sitarum? Vide verb. *Dedicatio.* Et verb. *Patronus.* Quatenus de Ecclesia diruta, vel unita alteri? III. 696. *in App. 3. lit.* c. 3.

Horarum Canonicarum conditiones Accidentales.

POstponendo unam Horam alteri contra Rubricas peccatur solùm venialiter. V. 664. Et 6
nec venialiter, quando adest rationabilis causa. 664. Recensentur plures tales causæ. 664. Singulariter, quando non habes ad manum Lectiones, sed solùm Psalmos Matutinales; tunc enim licitè his psalmis junges immediatè Laudes. *ibid.* At miscendo partes unius Horæ cum partibus alterius facilè peccatur graviter. 665. Vix autem venialiter, si inchoas Officium hujus diei, nondum finito hesterno. 666. Sicut neque, si facias Sacrum, nondum dicto Matutino. 667. Secùs, si absque rationabili causa abrumpas cœptam Horam. 669. 670. Quæ sint causæ rationabiles? 671. Nulla requiritur pro licita separatione Laudum à Matutino. 672. Tunc oportebit. *Pater*, & *Ave* præmittere Laudibus. 673. Unum nocturnum licitè dirimitur ab alio. 674. Et quidem interjectâ totâ nocte. 673. *in App.* Non autem per somnolentiam licitè una pars ab altera. 676.

Qua horâ fuerint olim solitæ recitari preces 7
Cano-

Canonicæ? V 555. & 677. Hodie quivis licitè recitat Matutinum, & Laudes sequentis diei. 678. Et quidem secundùm multos Autores licitè illud inchoas ante horam tertiam pomeridianam. 679 & 680. Et secundùm communem licitè, si suppetat honesta causa, omnes parvas Horas usque ad Nonam inclusivè dicis magno manè. 681. Paulò major exigitur pro licita recitatione Vesperarum ante meridiem. 682. Et refutatur P. Dicastillo volens, id per se licere. 683. Sicut, & Leander absolvens à gravi culpa illum, qui totum hodierni diei Officium differt ad mediam duodecimam nocturnam, prævidens, non absoluturum ante ipsam mediam noctem. 684. An excusandus, qui in locis sordidis, vel eundo ad illa recitat unam Horam? 688. Aut qui orat ita submissâ voce, ut seipsum non audiat? 692.

Quæ observanda illi, qui orat cum socio? V. 691. *& seqq.* Quid si distrahatur, orante socio? 692. Quis in orando situs corporis observandus? 695. Qua linguâ utendum? 697. An licitè, & validè vulgari, quando orat quis Psalmos Pœnitentiales, debitos ex voto, aut pœnitentia Sacramentali? 697. Observanda iis, qui in Choro orant. 698. An necessariò recitanda voce illa, quæ organo decantantur? 704. Aut quæ omittuntur inter thurificandum? 706. Aut inter quærendum Lectiones? 707. De Attentione, Intentione, Mutatione Horarum Canonicarum, vide verba. *Attentio, Intentio, Mutatio.* Quomodo intelligendæ Indulgentiæ concessæ pro defectibus in recitatione officii Canonici? 659.

Causæ excusantes non solventem pensum Canonicum.

8 Quomodo excuset impotentia? V. 709. impotens ad Horas recitandas non tenetur fundere alias preces. *ibid.* Mœstitia quando excuset? 710. Declaratur exemplo Archiducali. *ibid.* Quomodo prævenire teneatur prævidens, defore postea tempus? 711. Et supplere hac horâ id, quod neglexisti priore. 712. Non valens recitare solus, haud teneris quærere socium. 713. Et quandoque nec orare, si sis summè scrupulosus. 714. Declaratur Casu singulari. *ibid.* Aut si dubites, an possis sine gravi incommodo dicere Horas. 715. Aut quando vix convaluisti ex gravi febri. *ibid.* Qualis non est semper quartana. 716. Quid si nequeas orare sine perpetuis distractionibus? 716. Quid si cæcus teneas memoriâ Breviarium? 717. Aut majorem partem? 717. Aut oculis cruciatum, vel jacturam pariat lectio? 714. & 718. An, & quatenus itinerantes teneantur orare? 719. Et an, qui nequit dicere Horas, nisi neglectâ cœnâ, vel Missa sequentis diei, teneatur ad illas? 721. *& seqq.* Refertur hanc in rem Casus singularis. 720.

9 Charitas propria quatenus excuset à recitatione Horarum? V. 727. Et Charitas proximi? 727. *distinctè.* Quatenus dispensatio? 729. & 730. Excommunicatus, aut degradatus non eximitur obligatione Canonica. 731. Secùs de damnato ad triremes. *ibid.* Fas est quandoque ponere causam impedientem aliquoties recitationem. 732. Imò etiam, sed rariùs, causam, quæ perpetuò impediet. *ibid.*

Adstricti Breviario, an necessariò recitent nomine Ecclesiæ? V. 769. & 789. & 792. Et an possint sibi, aut alteri applicare totum fructum? 770. An recitatio Horarum Canonicarum habeat fructum aliquem ex opere operato? 792. 10

Horologium.

Duo diversa horologia, solita bene dirigi, sunt instar duarum opinionum probabilium. IV. 274. Illicitè quoad jejunium accommodas te horologio, quod scis communiter errare 275. Varia de horologiorum erroribus, & licita eorum sequela referuntur ex Caramuele. 283. & *seqq.* Eadem examinantur 292. & *seqq.* Quando est unum horologium in oppido, possum in dubio præsumere, illud incedere citiùs, quàm aliqua alia. 302. illicitè sequar duo horologia dissentientia, quando inde sequitur certa transgressio alicujus exploratî præcepti. III. 209. *juncto.* 206.

Hostia.

Hostia Sacra sumpta sacrilegè mutatur in carnem. III. 1 Adhæret etiam immobiliter patenæ. 446. Deficiente grandiore pro Sacro, quid agendum? 47. Hostia immunda non permittit te consecrari. III. 24. Fractâ quid agendum? 832. An eam, quam pro tua Missa consecrâsti, licitè asserves in alium usum, interim sumens particulam aliam è sacrario? 833. An, si non habeas grandiorem consecratam, quam publicè exponas, licitè non consecratæ grandiori adjungas minorem consecratam? 836. Non est necesse præbere integram infirmo. IV. 164. Et potes dare in aliquo liquore. 164. & 321. Quid agendum, quando integra est evomita? 166. Non est à Laico, sed à Sacerdote deferenda in alium locum. *ibid.* An sumptio Sacræ Hostiæ obsit jejunio? 264. Ablutio deglutita ante Hostiam non officit jejunio. 321. Illicitè detines hostiam idcirco diu, ut gratia augeatur. 322. Ablutio ante hostiam licitè deglutitur, si adsit rationabilis causa. 323. 1

An, si Laicus proximus altari recordetur, se non esse jejunum, possit, aut debeat Sacram Hostiam tamdiu detinere in ore, donec possit deglutiri per modum salivæ? IV. 325. Peccavit graviter Sacerdos, qui clam detulit ad locum extremi supplicii Sacram Hostiã eâ intentione, ut damnatus capitis reperiret asylum in amplexu suo, id est, Sacerdotis 360. *juncto.* 358. Peccavit, & alius Sacerdos, qui Sacram Hostiam detulit ad moribundam puellulam, tantùm ut hæc piè recrearetur conspectu Eucharistiæ. 361. At meritò ostenditur adoranda illi, 2

illi, ad quem fuerat delata cum dubio, an posset eam sumere. 362. Non tamen est præbenda ad osculum. 362. Nec cum ea obequitandum agris. 364. At licitè defertur ad grassans incendium restinguendum. 365. Non peccat mortaliter toties Sacerdos, quoties in mortali tangit Hostiam. 379. Aut eam aliò transfert. *Ibid.* Aut tangit digitis non Canonicis. 381. Aut quando Laicus hærentem palato solvit, immisso in os digito. 381. Hostia non consecrata, an licitè præbeatur volenti indignè communicare? 387. An consecrata laboranti publicâ infamiâ criminis, cujus immunem se esse asserit? 389.

I.

Idololatria.

Idololatriam an committant, qui adorant Hostiam, vel vinum non legitimè consecrata in Missa? III. 99. An ad evitandam idololatriam expediat ordinariè adorare sub conditione hostiam, quæ elevatur? 101.

Jejunium.

Jejunium præmittendum celebrationi, & Communioni

1 Casus notabilis, quo fas est non jejuno sacrificare. III. 409. Quatenus liceat Sacerdoti non jejuno absumere reliquias ex Hostia, vel Calice, 420. Quid si sit integra Hostia? *Ibid.* Quid si dubites, an sint consecratæ? 420. Quid si sint permultæ? 421. Quid si primùm post tuam Missam notes illas reliquias? 422. Quid agendum, quando particula adhæret Calici? 423. An etiam Laicis præbendæ reliquiæ? 423. Quomodo confitebitur, qui non jejunus, & simul oneratus peccato mortali celebravit? 424. §. *Adde.* An in omnibus Casibus, in quibus licet non confesso celebrare, liceat etiam non jejuno? 424. §. *Et.* Animadvertens, se non esse jejunum, potest communiter pergere in Sacro jam cœpto. *Ibid.* §. *Nec.*

2 Jejunium Naturæ quod sit? IV. 259. Quid sit sumere aliquid per modum cibi? 260. Quandonam Ecclesia vetet Communionem ob defectum jejunii? 261. Cibi nomine quid hîc designetur? 262. An ungues, aurum, lignum &c? 263. An fumus tabaci? 264. An, si in os involet musca? 264. An, si in stomachum immittatur aqua per fistulam violenter applicatam gutturi? *Ibid.* An, si teratur folium tabaci? 265. An, si quid per modum salivæ defluat, dum os abluitur? 266. Aut deglutiantur reliquiæ parvæ, vel magnæ è præcedente cœna casu, vel deditâ operâ? 268. Quid si deglutiatur humor inclusus pustulæ ortæ intra os? 268. Non est faciendum discrimen inter parum, & multum. 269. Quid sit trajici per modum salivæ? 270.

3 Quid intelligatur per *mediam* noctem, qua inchoatur jejunium? IV. 274. An, audito primo ictu horologii, liceat deglutire id, quod jam antè erat ingestum? 275. An licitè edatur usque ad ultimum pulsum duodecimæ noctis? 277. & 290. An licitè saccharum liquefactum deglutiatur? 279. Quid si propriè dubites, utrùm sis jejunus? 280. Constitutus in periculo mortis licitè communicat, etsi non jejunus? 307. Ansi ipse ultro adeat illud periculum? 310. Quoties liceat communicare infirmo non jejuno? 315. Laicus non jejunus licitè sumit Eucharistiam, ne deveniat in manus hæreticorum. 324. Sed elicito actu contritionis, si sit in malo statu. 353. An Sacerdos non jejunus licitè sacrificet die solennissimo? 329. An die feriali, solùm ut habeatur Missa Conventualis? 332. An, ut Parochus celebret tertium Sacrum in Natali Domini? 333.

An non jejunus licitè sacrificet pro conficiendo viatico? IV. 334. & 337. Quid agendum ipsi, recordanti sub Sacro, se non esse jejunum? 338.

Jejunium præmittendum auditioni Sacri, & Sacris Ordinibus.

Jejunium naturale non est nunc præmittendum auditioni Missæ. V. 419. & 420. Erat autem olim alicubi præmittendum. 423. Qui nequit interesse rei Sacræ jejuno stomacho, tenetur sumere aliquid cibi. 421. 4

S. Ignatius.

S. Ignatius Lojola accepto Presbyteratu præparat se toto Anno ad primam Missam. III. 486. Quo sensu scribat, non leviter peccare, qui negligunt non lucrifacere Jubilæum. VI. 299. Quo itidem sensu, peccare leviter, qui in retundenda tentatione sese exhibet negligentem? VII. 328. Documentum, quod dedit novis Confessariis? 322. Quid de illo enuntiaverit ejus Confessarius. 795. Initio conversionis fecit Confessionem durantem triduo. 923. An peccâsset Confessarius, si dixisset aliis, cum tantum temporis impendisse Confessioni? 924. An confessio verè facta ejus imagini, tanquam ipsimet Sancto, fuerit Sacramentalis? 822.

Imago ipsius comesta ab equo hunc sanat. III. 380. Ejus Beatificationis, & Canonizationis Bullæ. 696. *in Append. I. lit.* d. & e. An Constantiensis Collegii incolæ licitè celebrare possint bis in Anno ejus festum? 696. *in Append. II. lit.* oo. *ad finem.* Prima ejus honori consecrata Ecclesia est Constantiæ. *Ibid. lit.* bb. Quatenus jam liceat Sacerdotibus Societatis hebdomadatim facere Sacrum & Officium de illo? V. 650. *in Append. 4. lit.* bb. *& seqq.* Quid si quis non fecit die præscripto. *Ibid. lit.* gg. Mulier pia confitetur Imagini S. Ignatii. VII. 822.

Ignorantia.

Datur quandoque ignorantia invincibilis, quòd peccatum mollitiei sit mortale. VII. 315.

315. *& seqq.* At singulariter *num. 553. in Append. 3.* Quid cum tali aget Confessarius? 315. *& num. 553. in Append. 3.*

Ignorantia reservationis an impediat incursum casûs reservati? VII. 300.

Imago.

IMaginibus Sanctorum an liceat uti ad profana? III. 378. An ad medicinam pecorum? 380. Quid agendum vetustis, & deformatis? 380. An sit sacrilegus, qui furatur imagines spectantes vel ad Confraternitatem, vel ad mercatorem? VII. 417.

Impedimentum.

IMpedimenta legitima Sacri audiendi, vide verb. *Missa. num. 12.*

Cur liceat quandoque contrahere cum impedimento dirimente, adeóque invalidè, & non liceat invalidè administrare alia Sacramenta? I. 256.

Imperativus modus.

IMperativi modi significatio non importat per se præceptum. III. 714.

Imperfectiones.

IMperfectio propriè quid sit? *Tract. VII.* 508. Est latiùs patens, quàm culpa, & tamen digna reprehensione. 508. Exempla imperfectionum enumerantur. 504. & 509. Imperfectiones, etsi non sint propriè peccata, possunt tamen aperiri in Confessione. 510. Singulariter, quando aut egisti contra expressum remorsum conscientiæ. 511. Aut non paruisti inspirationi Divinæ. 511. Aut egisti contra hanc, vel illam Regulam tuæ Religionis. 511.

Impudicitia.

IMpudicitiæ macula an impediat Sacram. Communionem? Vide verb. *Eucharistia. n. 8.* Alia vide verb. *Luxuria.* & verb. *Confessarius. n. 7. & 8.*

Incestus.

IN Confessione incestûs non est necessariò exprimendus gradus Cognationis, vel Affinitatis. VII. 546. Non est reservatus, nisi junctus copulæ perfectæ. 406.

Indulgentia.

INdulgentia qualis concedatur pro præparatione ad Missam? III. 865. Indulgentia pro defectibus commissis in Breviario quomodo intelligenda? *Tract. V.* 659 Indulgentia pro Communione Generali quanto accursu colatur in variis locis? *Tract. VII.* 105. Indulgentiæ comparatio liberat onere imperandi, vel persciendi commeritam pœnitentiam. 760. & 761. An Indulgentiæ localis acquisitio exigat aliam præsentiam, quàm ad Missam audiendam *Tr. V.* 184.

Indulgentia S. Francisci Xaverii an transferatur cum festo? *Tract. V.* 655.

Infamia.

AN Hæretici, & horum filii censeantur in Germania infames? Vide verb. *Hæresis.*

Infans.

INfans ne quidem naturalibus legibus tenetur. III. 125. Præbentur ei licitè carnes ante primum septennium. *Ibid.* An æternis suppliciis addicantur mortui sine Baptismo? 117. An verò vivant vitam jucundam? *Ibid.* An, ut infans perveniat ad Baptismum, secanda sit mater, seu jam mortua, seu adhuc vivens? Vide verb. *Sectio.* Infantes recèns nati unde conjiciantur esse, vel non esse in periculo mortis? III. 499. Infantes mortui sine Baptismo revocantur ad aliqualem vitam Bruntruti & aliis locis II. 272. & 273. *& in Appendice.* Infans indicat suum nomen. 519. Infantium tertia pars moritur ante primum septennium. 324. Etiam infantes licitè confirmantur. 765.

Infantes præcocis prudentiæ. IV. 82. 102. 104. *Tract. V.* 309. Vide plura verb. *Baptismus.* verb. *Sepultura.*

Injuria.

INjuria propriè est læsio juris alieni. *Tract. VI.* 49. Differt ab offensa. 30.

Inquisitio.

INquisitio generalis institui potest de criminoso, quando constat, crimen esse patratum. II. 163. *In Append. lit. b.* Et inquiri in socium criminis, quando id solet committi cum socio. *Ibid.*

Intentio.

Intentio generatim & ejus divisio.

INtentio est propositum, seu voluntas faciendi, aut omittendi aliquid. I. 62. & V. 734. Ea est multiplex *Ibid. & seqq.* Et quidem Actualis dicitur, qua quis actu vult facere aliquid, elicito voluntaris actu, tendente in illud, quod facit. I. 62. Intentio Habitualis, prout distinguitur à virtuali, est intentio merè (quoad entitatem) præterita, & non revocata. 62. vel secundùm alios est, qua is, qui actualem antea non habuit, ex cujus vi sequitur operatio (vel receptio) est tamen ita dispositus, utsi ei in mentem veniret, paratus esset ad eliciendam ejusmodi intentionem actualem. 63. vel tertiò intentio Habitualis est habitus, qui est in dormiente, quando de re non cogitat. 63.

Intentio Virtualis propriè quænam sit? I. 64. Confunditur sæpe cum Implicita. *Tract. V.* 734. Ea secundùm Dicastillum est semper à parte rei actualis. I. 65. Intentio Implicita quænam sit? I. 66. & V. 735. Quæ verò Expressa? I. 67. & *Tract. V. n. 735.* Quæ Directa? Quæ Indirecta? I. 69. & *Tract. V. n. 736.* Quæ Absoluta? Quæ Conditionata? I. 70.

Intentio respectu Sacramentorum.

2 INtentio faciendi id, quod facit Ecclesia, quomodo intelligenda? I. 71. *& Tract. II. num. 199.* Intentio habitualis non sufficit ad validam confectionem Sacramenti. I. 75. Excipe Matrimonium. 76.

Intentio sufficiens ad validam applicationem Sacrificii non semper sufficit ad validam confectionem Sacramenti. *Tract. I. num. 79.* Potuit Christus velle, ut intentio habitualis esset æquè efficax, atque actualis. 80. Intentio virtualis sufficit ad Sacramentum conficiendum. I. 81. Esto sit solùm implicita. 84. Quatenus expediat, vel non expediat elicere actualem. 82. & 83. Intentio conferendi sub conditione Sacramentum, si sit de præterito, vel præsenti, valet: non, si de futuro. 87. Solvitur objectio. 88. Quando in Ministro sunt duæ diversæ intentiones, utra prævaleat? II. 205.

3 Intentio ad recipiendum Sacramentum non sufficit, si sit conditionata de futuro. *Tr. I. num. 204.* Vel indirecta. 235. Qualis speciatim requiratur pro validè suscipienda Confirmatione? 242. Vel Ordine? 244. 245. Nulla exigitur pro parvulis rite baptizandis. II. 291. Et in adultis sufficit, & requiritur saltem habituans. 295. Ideóque, qui semel petiit Baptismum, baptizatur validè in somno, nisi habuerit intentionem suscipiendi in vigilia. 296. Et satis est, si semel desiderâsti generatim, adhiberi tibi media salutis necessaria. 298. At non sufficit interpretativa voluntas, seu intentio. 299. Sicut nec omnis illa, qua peteres Baptismum, si scires, esse necessarium. 300. §. *Infer es deinde.* Intentio necessaria non deest omni reluctanti. 302. Deest autem omni propriè, & absolutè invito. 304. *& seqq.*

4 Intentio quæ sufficiat pro consecrandis particulis? III. 85. *& seqq.* Quæ pro principali hostia? 783. An sufficiat, semel in vita seriò dixisse? *Volo semper facere annexa Sacerdotio.* 784. Et an hæc generalis intentio semper extendatur ad particulas? 786. Tempore ipsius consecrationis non est consulta intentio formalis consecrandi. 787. Modus occurrendi scrupulis circa intentionem. 787. Una intentio patrandi multa mala, quandonam non impediat horum multiplicitatem numericam? *VI.* 394. Quando tendens in diversa numero mala non inquinetur peculiariter illâ numerositate? 410. Quando renovata postrevocationem non multiplicet malitiam? 411.

Intentio pro auditione Missæ.

5 INtentio interessendi Missæ tanquam rei sacræ est necessaria ad Missam audiendam. V. 194 Non tamen oportet interesse per modum otantis 197. Nec habere expressam intentionem hujus circumstantiæ. 198. Sicut nec satisfaciendi præcepto Ecclesiæ. 199. Imò intentio non satisfaciendi non obest, quò minùs satisfacias. 201. Etsi quis se absque voto obliget ad aliam Missam audiendam. 203.

Intentio prava juncta intentioni audiendi Missam non officit valori auditionis. V. 208. Secùs, si ad Missam accedas solâ intentione vel irridendi cæremonias sacras. 193. Vel eas addiscendi. 195. vel exspectandi finem Missæ, ut possis interficere Sacerdotem. 195. vel præstolandi tuum amicum. 210. Vel si prorsus invitus detinearis illic per vim injectam. 212. Secùs, si audias solùm, ut pœnam effugias. 211.

Intentio in recitatione Breviarii.

6 ADrite dicendum Breviarium non requiritur actualis intentio orandi. *Tract. V. num. 737.* Quomodo sufficiat habitualis? 738. Adstricti Breviario tenentur illud dicere cum aliqua tandem intentione orandi. 740. *& seqq.* Refertur Dicastillo id negans. 744. Adferuntur argumenta pro illo. 746. *& seqq.* Breviarii magna pars non continet precationem. 748. Sententia Patris Dicastillo non est penitus improbabilis. 751. Opposita tamen est tenenda. 752. Adeóque non sufficit intentio mandandi memoriæ Breviarium. 753. Etsi non pecces, si ideo adhibeas majorem attentionem, ut serves in memoria aliquas sententias pro concione. 755. §. *Ad Confirmationem.*

7 Per intentionem orandi requisitam intelligitur hîc intentio sub disjunctione vel orandi propriè, vel laudandi Deum, vel gratias agendi. *Tract V. num. 756. & seqq.* Partes Breviarii, in quibus narrantur nonnulla, licitè habes instar lectionis spiritualis. 761. Quandonam censearis Deum laudare, dum dicis Breviarium? 762. Nequaquam teneris exercere actus virtutum indicatarum verbis Breviarii. 763. Et proinde nec omnia sunt significativè dicenda. 764. Ideóque refellitur Corònius id exigens. 766. Quænam, & quomodo recitabuntur significativè? 768. An recitantes Breviarium ex instituto Ecclesiæ licitè offerant illud pro se, aut privata persona? 770. *& seqq. distinctè.* Et singulariter, quoad vim satisfaciendi. 776. Et impetrandi. 778. Quale templum intelligatur à Germanis, quando dicunt Officium de Dedicatione Basilicæ Romanæ? 785.

Interpres: Interpretatio.

CONfiteri per interpretem nemo tenetur. *Tr. VI. num. 501.* Nec tenetur quis agere cum periculo mortis interpretem. 505. An obligetur propriè sigillo Confessionis? *VII.* 855.

Interpretatio Legum, & Statutorum desumitur ex procemio. *Tr. V.* 881. Et Rescriptorum ex verbis supplicantis. 650. *in App. V. lit.* p. In Contractibus lata fit interpretatio: in Testamentis latior: in Rescriptis gratiæ latissima. *Ibid. lit.* k.

Joannes.

JOannis nomine cur insigniantur omnes è stemmate Bodmannico? VI. 34.

Jocus.

JOco collatum Sacramentum quomodo valeat, & non valeat? II. 209.

Irregularitas.

In Communi.

AN satellites comitantes reum ad supplicium incurrant irregularitatem? III. 452. *& seqq.* Copiosè ob novum Casum.

An accelerans mortem infantis per Baptismum fiat irregularis? II. 25.

Per curiales in materia Irregularitatis quinam inrelligantur? III. 452.

Iste, & Istic.

HÆc duo demonstrativa aliud significant quàm *Hic*, & *Hìc*. III. 81. Quid ergo propriè significent? *Ibid.*

Jubilæum.

JUbilæi tempore negligens Confessionem an peccet? VI. 299. Non tenetur admittere magnam pœnitentiam Sacramentalem, qui Jubilæum lucratus est. *Tr. VII. 761.*

Judæus.

JUdæi, & Turcæ rei capitis, & conversi ad fidem sintne baptizandi statim post conversionem, an solùm in loco supplicii? II. 269. Casus Judæi dedità operâ submersi statim post Baptismum ex metu susceptum. 286. Cur Judæi, & Turcæ rei capitis, at ante supplicium conversi ad fidem, non soleant in Germania signari Sacro Chrismate? 760.

Judas.

JUdæ nomine cur nemo velit insigniri? II. 346.

Judex sæcularis, & Ecclesiasticus.

ALiquando *licitè* compellit juramento cælibem puerperam ad nominandum patrem prolis illegitimæ. II. 163. *in App. lit.* b.

Ecclesiasticus, & Laicus plectit laborantem festo die. V. 75.

Julius Cæsar.

JUlii Cæsaris mirum ingenium. V. 807. An ei similis licitè simul scribat literas, & recitet Horas Canonicas? 808.

Juramentum.

JUramentum est quædam tortura spiritualis respectu mentis non pessimæ. II. 163. *in Append. lit.* h. Ideòque nequit in causa criminali exigi sine indiciis sufficientibus ad torturam. *Ibid.* Et in eo licitè æquivocatur, quando reus non interrogatur, servatâ juris formâ. *Ibid. lit.* g. An, quando Magistratus sæcularis juramento compellit innuptam puerperam ad edicendum nomen patris, ea licitè utatur amphibologiâ, si ex manifestatione vera imminet ipsi vel solùm levis infamia? *ibid. lit.* f. & g. Vel grande malum? *ibid.* Nulli deponenti contra alterum habenda fides, nisi jurato. *lit.* f.

Juramentum accedendi post absolutionem datam ab inferiore Sedem Apostolicam, quomodo sit intelligendum? VII. 145. *& seqq.* Solitus parvas res firmare falso juramento, at ignorans peccari à se mortaliter, an corrigendus à Confessario? 318.

Jurisconsulti.

JUrisconsulti laudantur ob copiam sapientum Axiomatum. I. 47. Hallucinantur tamen sæpe in materia Sacramentorum. Vide verb. *Canonistæ.*

Jurisdictio.

JUrisdictio in foro interno quomodo acquiratur? VII. 74. Quomodo singulariter error communis tribuat Jurisdictionem? 106. *& seqq.* Declaratur fusè triplici Casu. *n.* 111. & *in Append. lit.* a. & e.

Jurisdictionis voluntariæ actus plerumque licitè exercentur extra proprium territorium. II. 135. Jurisdictionis quasi Episcopalis jura recensentur. VII. 47. Sicut & spectantia ad jurisdictionem Confessarii necessariam, suprà verb. *Confessarius.* Error communis eam tribuit. 107. Actus baptizandi non est propriè actus jurisdictionis. II. 135. Tota jurisdictio Episcopalis est, Sede vacante, penès Capitulum. VII. 56.

Jurisdictio contentiosa, seu ad lites, finitur morte concedentis. VII. 140.

Jurisdictionis quasi-Episcopalis jura recensentur. VII. 47. Jurisdictio Confessario necessaria quæ? 69. Ordinaria, & delegata quæ? 70. Data à jure quæ? 74. *& seqq.* Quæ à consuetudine? 80. *& seqq.* Quæ ab homine? 84. *& seqq.* Regularium mendicantium qualis? 99. Jurisdictionem delegare quis possit? 100.

Jus.

JUris ordo, seu forma, quando servetur à Judice. II. 163. *in App. lit.* g.

Jus positivum cedit naturali? VI. 474. At non semper. 475.

L.

Lampas.

LAmpas debet sub mortali ardere coram Venerabili Sacramento. IV. 363.

Laus.

LAudem hominum quærere quatenus liceat? VII. 952. *in Append. lit.* m. Aut eâ delectari? *Ibid.*

Laymannus.

PLaymannus qui factus surdus? II. 309. Oculus erat ipsi loco auris. *Ibid.* Ejus Theologia commendata Germanis. III. 31. & VI. 576.

Lectio.

LEctio libri profani obstat obligationi audiendi Sacri. V. 245. Non item libri precatorii. 246. Adeóque ne Horarum Canonicarum. 248. Aut precum debitarum ex voto. 250. Secùs, si quis legat etiàm pium librum eâ intentione solâ, ut vel seligat phrases elegantes. 254. Vel mandet memoriæ. 255. Lectio libri hæretici non est tota peccatum. *Tr. VI. 356.* An sit in Germania casus reservatus? VII. 355. Prohibitio librorum hæreticorum quatenus non recepta in Germania? *Ibid. & Tract. III. 607.*

Legatum.

LEgatum quomodo interpretandum? III. 636. *in App. lit.* d. An onus ei annexum sit semper exequendum? *Ibid. lit.* h.

Leopoldus I. Imperator.

LEopoldus I. Imperator impetrat à Sede Apostolica Bullam de Festo Immaculatæ Conceptionis celebrando cum Octava. V. 80. Idem impetrat aliam Bullam pro Octava. SS. Angelorum Custodum. 650. *in Append. V. lit.* e. Explicantur varia dubia circa utramque Bullam, seu Rescriptum Gratiosum. 80. & 650. *in App. V. lit.* f. *& seqq.*

Leopoldus Guilielmus Archidux:

DE Leopoldo Guilielmo Archiduce Vide varia suprà verb. *Archidux.*

Leprosus.

LEprosus licitè celebrat coram leprosis. III. 831.

Lessius.

PAtris Lessii mirus mos circa intentionem directam consecrandi. III. 788. Ejus adhuc infantis Judicium. IV. 102. Facit Sacrum cum aliquo periculo vomitûs. 167. Spatio puorum mensium discit perfectè linguam Græcam. V. 257. Ejus severum judicium de aliquibus helluonibus. 283. Et de principibus viris, fabulantibus sub Sacrificio Missæ. 285.

Lex.

1 LEgi observandæ impedimentum ponere sæpe licet. III. 485. Legibus aliquibus præfiguntur dies certi non ad finiendam, sed ad dilatandam obligationem. IV. 35. Leges dantur de iis, quæ sunt per se, & non de iis, quæ sunt per accidens. V. 811. Lex naturalis, prohibens aliquid propter solum periculum, cessat, cessante periculo etiam in individuo. 812.

2 Peccatur mortaliter etiam semel agendo contra legem humanam, obligantem sub mortali. V. 51. & 893. Contraria opinio Onuphrii est temeraria. 53. Et falsa. 893. Potest tamen aliqua ita ferri, ut non obliget graviter, nisi violatio sequens indicet contemptum. 894. Lex non obligat, quando timetur incommodum ex ejus observatione. 479. Quid si dubitem, an sim hîc & nunc excusatus? 32. *in App. lit.* a. Lex pœnalis non est ob paritatem rationis extendenda ultra proprietatem verborum. 909. Nulla Lex Divina obligat solùm vigesimam partem hominum. VI. 516. *in App. lit.* c. Lex posterior præferenda antiquiori. VII. 636.

Liber.

LIber baptismalis est magnæ autoritatis. II. 590. *& seqq.* Eo probatur plenè, aliquem esse baptizatum. 590. Et qui fuerint patrini. 591. Et quæ origo, quamvis non ita fortiter. 591. Quæ, & quomodo scribenda in illo? II. 592. Libri Hæretici an licitè legantur in Germania? VII. *num.* 355.

Licentia.

LIcentia tacita in rigore, & proprietate verbi, est, quæ inaliquo actu expresso juxta legalem, vel rationabilem interpretationem virtute continetur. VII. 90. Licentia præsumpta propriè dicitur, quæ per conjecturas, vel probabiles rationes creditur futura fuisse, si Superior conveniretur, de præsenti verò nullo modo existit, nec per specialem, nec per generalem voluntatem. 90. Cur licentia, seu voluntas rationabiliter præsumta valeat pro aliquibus actionibus, & non pro aliis? 92. *& sequentibus.* Licentiæ tacitæ simul, & validæ signum singulare adfertur ex Lessio. *num.* 95. Tacita licentia pro excipiendis alienorum Confessionibus quando adsit? VII. *num.* 88. *& 95.*

Licentiatus.

LIcentiatus Theologiæ non est ipso jure approbatus pro Confessionibus audiendis. VII. 49

Litaniæ.

LItaniæ in Rogationibus recitandæ sunt sub mortali. V. 614. An licitè pridie? 615. Singulariter à Sacerdotibus Societatis? *Ibid.* An recitandæ, quando non habetur processio? *Ibid.* Et an repetendæ ab iis, qui interfuere processioni, at non cantaverunt? 616. An sint pars Officii Sabbati Sancti? 707. *in Append. lit.* f.

Locus Sacer vel pius.

LOcus *Sacer* propriè quis? III. 265. *in App. I. lit.* e. Locus *Pius* quis? *lit.* x. Aulæ Gymnasiorum, & Oratoria Confraternitatum, an sint loca sacra, piáve? *lit.* t. An possint alienare res pretiosas? *lit.* y.

In loco esse corporaliter, quid sit? V. 17. & 22. Quid moraliter? 23. Quid corporaliter physicè, & corporaliter moraliter? 24 Loco profano celebrare quando liceat ob necessitatem? III. 240. *& seqq.* Quando Episcopo? 245. & 246. Quando Regularibus? 247. Quando habentibus privile-

vilegium Oratorii privati? 250. *& seqq.* & V. 342. & 349.

Lovanienses.

AN ullus Doctor Lovanienſis docuerit fas eſſe opinionem minùs probabilem præferre probabiliori? VII. 951. *in App. lit.* e.

Lucrum.

AN ſolius lucri cauſa liceat die Feſto vehere vinum? V. 10. An itidem negligere Sacrum? 492.

Ludovicus Granatenſis.

LUdovici Granatenſis factum quoddam excuſatur. *V.* 283. & 284.

Luſor.

LUſoris vnius mira liberalitas. III. 633. §. *Erat.*

Lutherus.

LUtherus docuit, illud omne, ex quo poteſt fieri balneum, eſſe aptam materiam Baptiſmi. II. 15.

Luxurioſus.

1 COncubinarius quomodo curandus? Vide ſuprà verb. *Concubinarius.* Quomodo Novitius Religionis deditus peccato mollitiei? *VII. 536.* Caſus miſerabilis unius. 536. Alius alterius. 537. Quomodo generatim curandum hoc vitium? 548. *& ſequentibus.* Totus mundus eſt plenus mollibus. 548. Id vitium enervat corpus. 553. § . *Miranda.* An ignorantibus eſſe grave crimen, manifeſtanda veritas? 315. Quibus remediis juvandi? 548. An teneantur jejunare? 553. Vide alia verb. *Pollutio.*

2 Quomodo confitebitur, qui ex propoſito peccavit una nocte quater cum aliqua? *VI. 393.* & 397. Aut qui poſt, antéve copulam exercuit tactus impudicos? 398. Aut quæ fuit publica meretrix? 399. Aut qui domi habuit concubinam? 400. Aut qui eodem continuo tempore ſæpius laſcivè tetigit mulierem? 403. Aut qui ſæpius habuit delectationes moroſas? 406. Aut qui commiſit illa turpia peccata, de quibus *num. 383.* & 384. Quid agendum, quando indicati. *num.* 399. & 400. poſtea recordantur numeri diſtinctioris? 402. In confitendis peccatis turpibus ſit quiſque memor pudicorum verborum. 547.

M.

Manus.

MAnuum lotio malè aſſeritur à Cotonio eſſe ſub mortali præcepta ſacrificaturo. III. 828. Quid ſi digiti ſint atramento tincti? 828. Manuum injectio in Clericum quomodo intelligenda? *VII.* 423.

Maria.

MAriæ Deiparæ Confeſſio, ex Alberto Magno. *VI. num. 1.* Mariâ Deipara non fuit propriè confeſſa S. Ioanni Evangeliſtæ, & ab hoc abſoluta. 13. Non fuerunt in ea ulla falſa judicia ſaltem circa res morales. 12. Defendit ipſa Sacerdotem quotidie celebrantem de ipſa. III. 697. In votivis de ea non eſt dicendum ſemper *Gloria.* 722. Nil addendum in *Gloria*, quando fit de ipſa. 732. Nec de ejus Aſſumptione celebrandum extra Octavam. 723. Referuntur verba emphatica Alexandri. VII. In favorem Immaculatæ Conceptionis recèns decorati Octavâ. 81. *& ſeqq.* Infantula baptizanda edixit clarè, *Maria eſt nomen meum.* II. 519.

Maritus.

MAritus tenetur ſaltem aliquoties in anno cuſtodire domum, ut uxor poſſit audire Sacrum. *V.* 494.

Martyr: Martyrium.

1 MArtyrium quid? II. 600. Quæ ejus conditiones. 600. *& ſeqq.* Singulariter quomodo inferendum in odium Chriſti? 603. An ad hoc ſufficiat, ſi occidaris ob actum, quem falſò putas præceptum à Deo? 607. Aut quia recuſas te inebriare? 608. Aut quia ob bonum opus præſtitum vocaris in violentam ſuſpicionem patrati homicidii? 610. Quatenus Martyrii perpeſſio debeat eſſe voluntaria? 612. Aut faciat ex attrito contritum? 617. Martyrii aureola, ſeu laureola quid ſit? 619.

Legens acta Martyrum quid obſervabit? 2 II. 620. An excuſandi per ſe illi Marryres, qui provocaverunt Tyrannos? 623. Aut qui ultro ſe ingeſſerunt in Martyrium? 624. *& ſeqq.* An teneatur quandoque aliquis non declinare Martyrium? 627. Explicatur, & defenditur factum S. Emmerami. 163. *in Append. lit* o. Et S. Emerentianæ. 628. S. Theodorus Martyr incendens templa idolorum non eſt imitandus. 629. Martyribus vitam cur gladius potiùs, quàm alia inſtrumenta, eripere potuit? 633. Quomodo excuſandæ tot ſacræ Virgines, quæ ſe occidiſſe referuntur? 631. Errant, qui dicunt Martyres non canonizari ſolenniter. III. 676. §. *Inquo, propeſinem.*

Mater.

MAter gravida an licitè ſumat pharmacum 1 cum periculo prolis? II. 261. An licitè patiatur ſe vivam ſecari, ut proles viva eximatur ad Baptiſmum? Vide verb. *Sectio*, ubi etiam agitur de ſectione matris mortuæ.

Materfamilias.

MAterfamilias poteſt interdum cuſtodire 2 domum, ut ancillæ faciat copiam audiendi Sacrum. V. 494. Nec peccat graviter, etſi amor proprius ſeſe immiſceat. 495.

Maurilius.

S. Maurilius graviſſimè ſe plectit ob neglectam adminiſtrationem Confirmationis puero moribundo. II. 740.

Me-

Medicus.

MEdico tutò credes dicenti, auditionem Miſſæ tibi obfuturam, etſi ſit ipſe Lutheranus. V. 476. Idem dic de recitatione Breviarii. 715.

Approbatur Medicorum ſententia de ſectione puerperæ. II. 255. *& ſeqq.*

Mendacium.

MEndacio an poſſimus aliquid mereri apud Deum? II. 13. Mendacium in Confeſſione Sacramentali quando ſit mortale? VI. 538. *& ſeqq.* Quando ſolùm veniale? 542. Quo caſu mendacium in Confeſſione commiſſum inquinetur, aut non inquinetur malitiâ ſacrilegii? 544. & 545.

Metaphraſtes.

METaphraſtis autoritas quanta? II. 621.

Metus.

METus, ex quo eſt ſuſceptus Baptiſmus an hunc irritet? II. 288.

Metus gravis mali quatenus permittat celebrare ſine ſacris veſtibus? III. 350.

Miniſter Sacramenti in genere.

1 SOlus homo eſt ordinariè Miniſter Sacramenti. I. 50. Extraordinariè autem Angelus. *Ibid.* Non tamen quivis homo eſt idoneus miniſter. 51. Adminiſtrans ratione Officii, & Ordinis aliquod Sacramentum, debet eſſe in ſtatu gratiæ. 53. Excipe probabiliter miniſtrum Euchariſtiæ. IV. 377. Et illum, qui ob mortis alienæ periculum nequit elicere contritionem. I. 53. Quando teneatur, & quomodo facilè poſſit eam elicere Confeſſarius, & quot peccata committat, abſolvendo in mortali plures? Vide ſuprà verb. *Confeſſarius. num. 5.* Miniſter debet eſſe præditus juriſdictione. I. 58. Sicut & debita intentione. 59. Qua, & quali? Vide verb. *Intentio. num. 2.*

2 Nemo, niſi adſit titulus Voti, aut Beneficii Eccleſiaſtici, tenetur cum periculo vitæ munire Sacramentis illos, qui ſe poſſunt eripere ab interitu æterno. I. 162. Miniſtrans indigno Sacramentum peccat, per ſe loquendo, mortaliter. I. 267. Referuntur hanc in rem verba S. Chryſoſtomi. 268. Ut tamen licitè negetur, non ſufficit probabilis opinio de indignitate. 269. Peccatori occulto non eſt publicè petenti negandum Sacramentum. 271. Publico peccatori, petenti publicè, licitè præbes Sacramentum, ad vitandum mortis periculum. 272. Quid ſi petat Euchariſtiam ad finem Sathanicum? 276. Quid ſi claves ad Tabernaculum. 277. Declaratur facto ingenioſo non neminis. *Ibid.*

3 Miniſter Baptiſmi nequit eſſe patrinus. II. 585. Miniſtro Euchariſtiæ quæ ſint peculiariter obſervanda? *Tr. IV.* 366. *& ſeqq.* Item 395. *& ſeqq.*

Miniſter Sacri.

ESt, per ſe loquendo, ſub mortali adhibendus. III. 392. Satius eſt facere Sacrum ſine ullo miniſtro, quàm adhibere fœminam, niſi pro ſola reſponſione. 394. Et verò crebrò licet ſine omni miniſtro. 395. Quo ſenſu tunc dicatur: *Dominus vobiſcum*? 398. Miniſtrum errantem an corriget celebrans? 399. Quid ſi huic obtingat nimis lentus? 403. Aut emanens in campanili? 404. Quatenus peccet miniſter incurius in ſuo officio? 406. Fallitur Sacrificans, ſi putet, ad ſe non attinere errores miniſtri. 408.

Miſſa.

Miſſa, quatenus eſt Sacrificium.

MIſſa cur dicatur *Sacrificium*? III. 8. & 9. 1 Miſſa *Sicca* quid ſit? 20. & V. 11. Conventualis quæ? III. 699. Parochialis quæ? V. 164. Miſſa unde dicta? III. 22. *Ite, Miſſa eſt*, quid ſignificet? 22. Miſſam *Siccam* facientes pueruli, an reprehendendi? 71. An & vir, qui ſub Sacro, quod audit, legit ex Miſſali omnia, præter verba Conſecrationis? 72. & 73. Miſſa Sacerdotis mali quatenus minùs valeat, quàm boni 111. Non peccas, ſi malis boni, quàm mali Sacerdotis Miſſæ intereſſe. 115. Fructus Miſſæ enumerantur, & explicantur. 120. *& ſeqq.* Ne quidem venialia peccata dimittuntur per illam directè. 123. Nec prodeſt una ſingulis ex aliqua multitudine tantum, quantum uni eorum, ſi pro eo ſolo offerretur. 134. Poteſt per voluntatem Sacrificantis unus Miſſæ fructus ſeparari ab altero. III. 141. Et quidem licitè, quoties non incumbit Sacrificanti obligatio dirigendi Miſſam ad certam intentionem. 144. Declaratur practicè. 145. Quatenus Miſſa proſit ex opere operantis, & opere operato. 146. *& ſeqq.* Exprimuntur illæ partes Miſſæ, quas ſequitur fructus ex opere operantis. 152. Qui ſacrificat ob ſtipendium, illicitè ſeparat fructus ordinarios. 153. Poteſt tamen inferere aliquam collectam pro amico. 154.

Jam certum eſt, peccare Sacerdotem, acci- 2 pientem duplex ſtipendium ab uno, ut ei applicet portionem etiam ſpecialiſſimam. III. 154. *ad finem.* At verò, quando ex ſola obedientia ſacrificas pro aliquo defuncto, licitè facis diviſionem fructuum. 155. Item quando ex voto. 157. Aut quando ex ſola liberalitate promiſiſti alicui Miſſam. 158. Quo ſenſu dicatur quis rectè audire Miſſam pro alio? 160. Explicantur ex Miſſa pro defunctis illa verba; *Libera eas de pœnis Inferni, ne abſorbeat eas Tartarus* Item: *Non pœnas æternas ſuſtineat, &c.* 172. *& 273.* Quatenus licitè ſacrificetur pro Sanctis? 176. Damna, quæ ſequuntur negligendo Miſſæ celebrationem. 487. §. *Adde.* Unius Miſſæ debitæ ex liberalitate, & non celebratæ neglectus non cenſetur inferre magnam jacturam. 488. & 489.

Re-

Referuntur nova Decreta Congregationis
3 circa Missas debitas ex fundatione. III. 518. *& seqq.* Item Declarationes quorundam dubiorum ortorum circa illa Decreta. 528. Sitne melius Missam dicere pro mortuis, an pro vivis? 612. Obligatus ad quotidianam Missam de *Requiem*, non tenetur die Festo parere huic obligationi. 613. Et quidem secundùm nonnullos, etiamsi illud festum sit Simplex. 617. Major devotio dat justam causam mutationis. 620. Funeris elatio dat causam quandoque dicendi die Festo de *Requiem*. 624. Quando licitè loco Funebris facis de occurrente Festo, non est necesse, ut inseras collectam pro defuncto. 625. Nec est consultum, ut collecta pro defunctis Sacro de Duplici inseratur semper ab iis, qui habent jus liberandi animam è Purgatorio. 626. Rectè agunt, qui adhuc viventes curant fieri Sacrificium mortuale pro se, tanquam si jam essent mortui III. 629. Confirmatur duobus exemplis. 633. Missa pro defunctis an prosit Sacrificanti ipsi plus, quàm si is faceret aliam? 634. Quomodo prosit Sacrificanti Missa, etsi non cogitet de illa sibi applicanda? 636 Missa Altaris Privilegiati nequit differri in alium diem. 654. Nequit celebrari in Hebdomada Sancta. 655. Missa propria de aliquo Sancto quando abest, qualis sumenda? III. 688.

Missa Votiva.

4 Missa votiva quæ? III. 699. An necessariò dicenda quælibet eo die, qui signatur in Missali? 701. *& seqq.* Quid si Festo Paschatis fiat Missa de *Requiem*? 705. Quid si quotidie votiva? 705. Aut in Hebdomada Sancta votiva? 705. An peccet mortaliter, qui Missam speciale quid habentem, quod non potest verificari hodie, legit hodie? 705. Quæ causa censeatur esse rationabilis in ordine ad excusandum, qui dixit Missam votivam contra Rubricas? 709. Non valens facere Missam de die Palmarum, qualem faciet? 710. Quæ devotio censeatur esse singularis ad licitè dicendam Missam votivam? 712. Votum, aut juramentum de faciendo votivam non semper obligat. 715. Nec obligatio de qualitate Sacri est mortalis. 716. Valet Statutum faciendi quotidie de B. M. V. 720. Non tamen, ut unus, idémque Sacerdos semper faciat. 721. In Votiva de B. M. Virgine non est semper dicendum Gloria. 722. Missa de Assumptione non est dicenda extra tempus assignatum. 723. Sicut nec de Passione longa, Pentecoste &c. 724. At Ioannes Avila
4 mandavit fieri pro se moribundo Paschalem. 724. Sacro Sanguine labente super linteum, quid agendum? 793. Aut Hostia labente, quò non deberet? 796.

Missæ abruptio.

5 Missam cœptam interrumpere licet ob supervenientem infirmitatem III. 803. Quando, & quomodo continuanda per alium? *ibid. & seqq.* Quid si ipse Sacrificans possit vires restaurare edendo aliquid, an licitè edet? 806. An liceat abrumpere, quando aliunde timetur malum? 807. Declaratur Casu notabili. *Ibid.* An, si abrumpatur ob concionem alterius, licitè deponantur omnes vestes sacræ? 810. An, & quatenus licitè abrumpatur ob Confessionem? IV. 245.

Missæ Cæremoniæ.

Cæremoniæ omnes, an observandæ sub pec- 6
cato? III. 735. Quænam sint Præceptivæ? 735. Contemnendo minimam non peccatur mortaliter. 738. Quid si multas? 740. Quid si quis nequeat celebrare, nisi innitatur altari? 744. & 745. Aut nequeat elevare Hostiam? *Ibid.* Quomodo specialiter erretur contra cæremonias reales? III. 746. Quomodo contra verbales? 747. Aut multiplicando collectas? 748. Vel addendo aliquid? 753. *& seqq.* Aut omittendo aliquid, quando Missa cantatur cum Levitis? 759. vel omittendo *Gloria*, aut *Credo*? 762. Aut aliquid in Canone? 763. Refutatur Cotonius damnans de mortali illum, qui omittit in Missa qualemcunque partem heterogeneam. 763. Defectus unius cæremoniæ an necessariò corrigendus? 777. Et quando? 779. In dubio de omissione quid agendum? 781. Quibus diebus, & qualiter liceat sacrificare? Vide verb. *Sacrificium.*

Missa celebranda est cum *A.B.C.D.* III. 812. 7
Quomodo cum *A.* Ideſt, altè? 813. An, quæ secretò dicenda sunt, possint à privilegiatis dici sola mente? 813. Refutatur Ant. Molina, dicens, rectè facere Sacerdotem, qui communiter impendit Missæ tres horæ quadrantes. 815. At non curandi, qui scandalizantur, quando impenditur dimidia hora. 815.

Missa respectu audientium illam.

Missæ omnine, quid intelligatur, quando 8
disputatur de auditione Missæ? V. 11. Audire Missam quid sit? 12. Auditio vera Missæ exigit præsentiam corporalem, & moralem. 16. Corporalis quæ? 17. & 22. Potest hæc adesse, etsi stes post murum extra Ecclesiam. 18. Maximè si ita socies alios videntes, vel audientes sacrificantem, ut ex signis, & gestis Missæ aliqua colligere possis. 20. Moralis præsentia opposita corporali est, qua quis adest Sacro, ut homo ratione præditus. V. 23. Corporalis subdividitur in corporalem physicè, & corporalem moraliter. 24. Sufficit corporalis moraliter. 25. Hanc multùm juvat esse partem multitudinis audientis Sacrum. 26. Domi existens potest esse, & potest non esse pars multitudinis existentis in templo, in quo fit Sacrum. 27. & 28. Missam eminenter audit, qui Missam dicit. V. 41. & 46. Lex de audiendo Sacro est merè Ecclesiastica. 47. Et huic legi potes satisfacere, faciendo, vel audiendo Confessiones. 258. & 269. Festis diebus quatenus audiendum Sacrum? Vide verbo *Festum.* Etiam semel nagligens die præcepto Missam, peccat mortaliter. 51. Quid si non audiat in Parasceve? 88. & 124. Aut Festo dimidiato? 121. Aut quibusdam diebus non Festis? 123.

Quan-

9 Quando peccetur mortaliter, negligendo aliquam partem Missæ? V. 132. *& seqq.* Quando solùm venialiter, negligendo itidem partem? 135. *& seqq.* An evadat peccatum mortale, qui neglectam notabilem partem compensat legendo domi id, quod neglexit in templo? 137. Qua parte neglecta oporteat, vel non oporteat saltem reliquam audire? 139. *& seqq.* Satisfacit, qui audit sive posteriorem partem unius Sacri, deinde priorem alterius, sive priùs priorem, & postea posteriorem. V. 143. & 145. Non item si simul audiat priorem, & posteriorem duorum. 147. Singulariter si sit obligatus ex voto, aut præcepto Confessarii ad unũ, vel plura Sacra. 148. Secùs, si audiens unum ex jussu Ecclesiæ audias simul alterum voto promissum. 148. *Ad finem.* Corripiendi à Confessario illi, qui venerunt tempestivè quidem ad Missam, at præter ipsorum opinionem. 156. Non est necesse audire Sacrum Festi occurrentis. 159. 160. Adeóque sufficit audire Missam de *Requiem.* 161.

10 Non peccant communiter, qui Missam non audiunt in propriis Parochiis. V. 165. & 166. Hortandi tamen sunt Parochiani, ut illic audiant. 166. Casus, quo singulariter excusantur tales. 182. Missa audiri è propria domo quatenus possit? V. 171. 172. Item ex cœmeterio, vel area? 177. Non est vetitum audire Missam celebrantis in loco profano. 178. Imò teneris illam audire die festo, si nequeas aliam. V. 179. Fovere sub Missa cogitationes malas non inducit circumstantiam Sacrilegam. 240. Missam audiendi præclara praxis. 242. Missam an audiant collectores eleemosynarum? 304. Et qui ambulant in templo sub Missa. 305. & Nobiles puellæ, dum comuntur tempore Missæ? 306. Nequaquam est melius nullam Missam audire, quàm audire in loco profano. 351. Attentio qualis requiratur pro auditione Missæ? Vide suprà verb. *Attentio num. 1.*

Missa audita Fructus: & Pœna neglectæ.

11 Qui fructus Missæ auditæ? V. 526. *& seqq.* Ut per unam Missam à te auditam impetres potiùs hunc effectum, quàm alium, debes determinare Deum. 529. An status gratiæ sit necessarius ad obtinendos fructus auditæ Missæ? 530. Potest quis donare alteri, vel pecuniam accipere pro fructibus Missæ audiendæ à se applicandis alteri. 533. & 534. Non autem pro jam auditæ. 535. Puniti divinitus, qui neglexerant Missam. V. 538. Et ille, qui vendidit fructus Missæ auditæ à se. 536. Nulla pœna est à jure statuta contra negligentes Missam. 540. Quomodo Parochus procedet cum his? *Ibid.* & 541. Quomodo Episcopus? 540. Inducens alium ad Sacrum negligendum potest quandoque excusari. 544. De Missa vide plura infrà verb. *Sacrificium copiosè.*

Missæ omittendæ impedimenta, & causæ.

12 Nominantur Scriptores accuratè tractantes de his causis. V. 430. Et qui singulariter loquuntur de qualitate causarum necessariarum, aut sufficientium ad excusandum neglectum Missæ. 433. *& seqq.* In specie Caramuelis mirum judicium. 440. Nullus eorum adfert causam reciprocam. 441. Probatur illa, quàm adferimus. 442. Non licet ponere impedimentum Missæ ipso die Festo. 444. At licet pridie. 447. Probatur exemplo illius, qui pridie Festi causat sibi, per intemperantiam, invaletudinem impedituram postridie. 425. Et duorum juvenum propridie proficiscentium venationis causa ad locum impediturum ab auditione Sacri. 449. Quid si impedimentum ponatur pridie Festi, sed valde serò? V. 454. Qui non tenetur non ponere impedimentum, nec tenetur auferre antea positum. 455. Et licèt indebitè ponat impedimentum ex se indifferens, non ideo tenebitur in Confessione nominare illud impedimentum. 456. Impotentia quando excuset non audientem Missam? 466.

Excusatur, quicunque timet probabiliter ex 13
auditione Sacri mediocre incommodum corporale, aut temporale. V. 468. Singulariter febri laborans. 469. *Ad finem.* Enumerantur aliqua alia incommoda. 471. Quis debeat esse Judex in dubio, an accessus ad Ecclesiam sit obfuturus valetudini? 474. Stante dubio, poteris manere domi. 477. 478. Distantia ab Ecclesia qualis excuset? V. 485. *& seqq.* Item punctum honoris. 489. Ac fortunarum. 491. Etiam periculum negligendi lucri potest excusare. 492. Sicut & amittendi socium itineris commodum. 496. Titulus charitatis corporalis etiam excusat. 502. Sicut & spiritualis. 503. Adeóque metus dandi alteri scandalum. 504. Et spes majoris spiritualis utilitatis propriæ. V. 514. Et ratio officii, servitiive publici. 507. *& seqq.* Et consuetudo puellarum Nobilium, viduarum. 511. Ac puerperarum. 513. Et sponsorum eo die, quo in Ecclesia fiunt banna. 490. Item quandoque opportunitas audiendi concionem. 515. Et faciendi Confessionem. 516. Vel eam excipiendi. 518. Vel quia Sacerdos est excommunicatus vitandus. 521. Non autem, si sit præcisè concubinarius. *Ibid. & seq.* Impeditus legitimè audire Sacrum, non tenetur alias preces invicem fundere. 523.

Missale.

Missalis defectus ingeniosè suppletus. III. 305. Cujus Missalis ritus sequendus in aliena Ecclesia? 725. Singulariter à Capellano Monialium? 728.

Molitor.

Molitor quatenus non teneatur audire Sacrum? V. 500.

Monachus Monasterium.

Monasterium non tenetur de culpa sui Monachi. VII. 564.

Monialis.

Monialium Capellano quoties liceat ingredi Clausuram ob ministrationem Eu-

charistiæ? IV. 190. An Moniales teneantur sub mortali recitare Horas Canonicas? V. 569. Eæ nequeunt inducere consuetudinem, obligantem sub mortali. 570. Earum Confessarius quomodo se geret cum iis, confitentibus, se omisisse Breviarium? 571. Aut cum volentibus transire ad illas? 632. Aut cum Virginibus Liberorum Parthenonum easdem Horas negligentibus? 633. An Moniales Breviarium recitent nomine Ecclesiæ? 791. Tenentur singulis mensibus confiteri. VI. 316. *& seq.* At probabiliter solùm sub veniali. 322. earum Confessarius debet esse approbatus. VII. 64. Si nequeant induci, ut confiteantur Sacerdoti sui Ordinis, poterit Episcopus nominare alium. 658.

Monstrum.

MOnstra an baptizanda? II. 274. *& seqq. Vbi recensentur varia genera monstrorum.* Quando est minimum dubium, an monstrum præditum sit anima humana, debet baptizari. 281.

Moribundus.

MOribundis consultum est, ut toties communicent, quoties possunt. IV. 186. Quoties eis non jejunis id liceat? 189. & 315. Quo die damnatis capite? 204. Quoties iisdem? 207. Judex tenetur dare spatium sufficiens pro Communione. 202.

Mors.

MOrtis evadendæ causa illicitè proteris infantem, non baptizatum, positum in via, per quam solam potes evadere mortem. II. 261. Mortis articulus quid sit? IV. 182. Differt à periculo. 182. Confunditur tamen cum hoc. VII. 126. Periculum mortis remotum quid sit? IV. 183. Mortem accersiverunt sibi multi Sancti. II. 631. & IV. 400. Casus anceps, an nonnulli Nobiles fuerint in vero periculo mortis, & proinde obligati munire se Sacramentis ultimis? VII. 35. Et alius similis de Monasterio Agaunensi. VI. 252. *in Append. lit.* a. In hoc articulo quilibet Sacerdos potest eligi pro absolutione. VII. 131. Quinam in specie censeantur esse in articulo mortis? 126. 127. & 128. An, & quatenus licitè absolvatur moribundus cum, aut sine signis contritionis? Vide sup. verb. *Absolutio num. 5.*

Mulier.

ESt mas occasionatus. II. 338. Pluréque mulieres nascuntur, quàm viri. *Ibid.* & plures convertuntur in mares, quàm hi in fœminas. *Ibid.* Sitne in dubio præsumendum pro sexu muliebri? *Ibid.* Nequeunt inducere consuetudinem. V. 570.

Musicus.

MUsici vocales possunt canendo implere legem de Sacro audiendo, etsi sint valde soliciti, ne errent. V. 298. & 299. Idem dic de ludentibus organo, cheli, tuba. 301. Peccant fortè non plus, quàm venialiter hi, si tunc volvunt animo cogitationes profanas, fortè mortaliter. 303.

Mutatio Breviarii.

REferuntur quinque sententiæ circa licitam, & illicitam mutationem unius officii Canonici in aliud. V. 858. *& seqq.* Omnes excepta una, agnoscunt in mutatione voluntariam malitiam ex genere suo mortalem. 858. Referuntur autores damnantes de mortali omnem talem mutationem. 859. Iis autem malè junguntur quidam alii. 859. Referuntur & damnantes de mortali omnem nisi parvitas materiæ excuset. 860 Item è diverso absolventes sine expressa exceptione à mortali omnem mutationem. 861. Nec potest prudenter dubitari, quin septemdecim celebres Scriptores ita scripserint. 862. Sintque hi, & alii intelligendi (spectatis eorum verbis, & rationibus) de mutatione in inæquale qualecunque Officium, & pro lubitu. 863. Quarta sententia agnoscit culpam mortalem in mutatione pro lubitu; secùs, si non pro lubitu, sed rarò fiat. 864. & 865. Quinta agnoscit eam culpam in illo omni, & solo, qui mutat Officium vel in notabili quantitate, vel in defraudationem cultûs Divini. 866. Omnes illæ opiniones (saltem si ex Tertia excipias Officium Paschatis, & Pentecostes) sunt probabiles. 868. Probabilior autem illa, quæ agnoscit illam mutationem esse ex suo genere mortalem, id est, posse evadere in mortalem. 869.

Ante Bullam Pii V. Nulla Lex scripta vetuit 2
omnibus penso Canonico adscriptis mutationem unius Officii in aliud. V. 872. Producuntur, & explicantur Canones in speciem vetantes mutationem. 873. *& seqq.* Probabile est, usque ad tempora S. Pii V. viguisse consuetudinem faciendi mutationem sine gravi causa. 876. Hodiéque incertum est, an S. Pius V. revera illam inhibuerit. 877. Producuntur, & ponderantur verba, quibus videatur interdixisse. 877. 878. *& seqq.* Ostenditur esse probabile, quòd Pius V. Per voculas: *Formula*: *Modus*: *Ratio.* Non intellexerit distributionem dierum. 879. *& seqq.*

Probabilissimum est, obligationem non mu- 3
tandi, si qua est, sub mortali, provenire non tam à jure scripto, quàm non scripto. V. 883. Est verò probabilius, peccari mortaliter, mutando ad libitum, & semper, quàm non peccari. 884. Denique nostra sententia est, reipsa peccari mortaliter, mutando quasi perpetuò; solùm venialiter, mutando rarò. 885. Probatur hæc opinio. 885. *& seqq.* Proponuntur, & solvuntur rationes in contrarium. 890. *& seqq.* Singulariter illa, quòd si mutatio pro lubitu sit vetita, vetita quoque sit ea, quæ fit rarò. 891. Et illa, quòd omittens aliquid notabile ex Matutino Dominicali, peccet mortaliter. 895. Quid si in die Palmarum recitet quis Officium de Ascensione? 897.

Ratio, cur non admittamus mutationem 4
alterius in Paschale, & Pentecostes. V. 898. Non est probabilis opinio Garamuelis oppositæ,

ta. 899. *juncto præced.* Et est recenter damnata ab Alexandro VII. 909. Respondetur ad ejus rationes. 903. *& seqq.* An repugnaret censuræ Alexandri, qui Officium Paschale recitaret quocunque die extra Dominicam Palmarum, quam ipse solam expressit? 909. & 910. Exprimuntur quindecim causæ permittentes Officii mutationem 911. *& seqq.* An, si nequeas recitare longum Officium, tenearis dicere, si possis Paschale? 912. & 913. Qui per inadvertentiam recitavit unum Officium pro alio, an tenebitur repetere? 911. Casus singularis, quo Confessarius licitè imperat pœnitenti mutationem longioris in brevius. V. 916.

Mutus.

MUtus simul & surdus an baptizandus? II. 309. Quid si sit simul cæcus? 311. Quomodo mutus teneatur confiteri? VII. 476. An per scripturam? 477. Tenetur confiteri illi, qui meliùs intelligit ejus nutus, quàm alius. *Ibidem.* Tenetur confiteri tempore præcepti. *Ibid.* An communicare? Vide verb. *Surdus.*

N.

Natura.

NAtura semper nititur ad perfectiora. II. 338. Res quælibet facilè ad naturam suam revertitur. *Tract. II.* 338.

Necessarium.

NEcessarium dicitur respectu subjecti, & objecti, seu finis. II. 111. Aliud est Necessarium necessitate *Præcepti* solius, aliud Necessarium necessitate *Medii*. 110. Divisio in hæc duo membra non fuit antiquis usitata. 110. Duas conditiones requirit Necessarium necessitate medii. 112. Rectè dividitur in Necessarium strictè, seu absolutè, itémque in Necessarium latè, seu ex suppositione. 114. Ejus definitio. 115. Omne Necessarium necessitate medii est etiam Necessarium necessitate præcepti. 113. Necessaria necessitate medii Sacramenta sunt ordinariè solus Baptismus, & Pœnitentia. 119.

Necessitas.

NEcessitas spiritualis extrema quæ sit? I. 113. & II. 216. & VII. 27. Gravis quæ? I. 114. *& Tract. VII.* 27. Unde conjiciet prudenter Parochus, hunc, aut illum versari in hac, aut illa necessitate? VII. 28. Declaratur casu practico. 29. Quisque tenetur vitam exponere pro proximo versante in extrema necessitate spirituali. II. 224. Et quidem Parochus, si probabiliter speret, suam operam profuturam. 236. At alius solùm, quando scit profuturam. *Ibid.* Tenetur & Parochus etiam pro gravi necessitate sui parochiani vitam exponere. I. 114.

Negligentia.

NEgligentia crassa an semper habeatur pro actu verè voluntario? *Tract. V.* 840. *prope finem.* Negligentia in reprimendis motibus carnalibus, an sit ex se mortale peccatum? *Tract. VII.* 329. §. *Et.*

Ne mystæ.

NEomystæ an teneantur sub culpa facere Missas præscriptas ab Ordinatore? III. 713. Et singulariter, non tenentur eas dicere Festo Duplici. 713.

Nobilis.

ILlud genus, seu stemma dicitur *Nobile*, quod per aliquot generationes non exercuit artem mechanicam, aut mercaturam. III. 261. Et tales sunt passim in Helvetia Nobiles. *Ibid.*

Nomen.

NOmen profani hominis non illicitè imponitur alicui in Baptismo. II. 335. Sicut nec Sancti è veteri Testamento. 336. In dubio, utrùm infans sit mas, an fœmina, rectiùs imponetur nomen viri, sed tale, ut possit facilè mutari in fœmineum. 338. Nomen mutare cuilibet est fas. 340. Patrinis litigantibus de nomine, dirimet litem Parochus. 342. Qui etiam poterit supplere, quando obstetrix privatim baptizans oblita est imponere. 342.

An ex pulchro, aut turpi nomine possit sumi præsumptio aliqua de moribus? II. 343. Expedit imponere pulchrum nomen. 344. Et singulariter Sancti, cujus intercessione quis conceptus. 345 Potest etiam sortitione imponi nomen. 347. *Nominalia* quæ olim dicta? 349. Non teneris nomen tuum indicare tuo Confessario. VII. 257. Refertur exemplum hanc in rem. 256. Confessarius rarò prudenter petit nomen viri gravis, sæpe autem plebeji. 257.

Notorium.

NOtorium est idem, quod publicè notum. VII. 398. Estque notorium notorietate facti, juris, aut famæ. *Ibid.* Opponitur Occulto. Vide verb. *Occultum.*

Novitius Religionis.

NOvitius deditus crimini mollitiei an teneatur sponte petere dimissionem aut parere Confessario imperanti, ut petat? VII. 536. Potest validè confiteri Sacerdoti sæculari æquè, ac si non esset Novitius, & per eum absolvi reservatis in Ordine. 666.

Novitius non tenetur, per se loquendo, servare Regulas sui Ordinis. VII. 321.

Nugnus.

DIdacus Nugnus peracerbus in Suarezium. I. 144. *& seqq.* Est nimius in censurandis sententiis alienis. 156. *ad finem.* Nec parcit ipsi Sancto Thomæ. VI. 378.

Numerus.

NUmerus mortalium non est tam exactè quærendus ex confitente multa, quàm pauca. VII. 337. Et cavenda nimietas in eo exquirendo. 590. Et sæpe sufficiet, si pœnitens explicet solùm suum statum. 589. & 590. Nec est numerus exquirendus tam solicitè, quàm species. VI. 443. Numerus objectorum, circa quæ

peccâsti unico actu, non est necessariò exprimendus in Confessione. VI. 408. & *Tract. VII. num. 571.*

Nuntius Apostolicus.

INtelligitur nomine Episcopi in materia de approbatione Confessarii danda ab Episcopo. VII. 56.

O.

Obligatio.

OBligationi potest satisfieri etiam sine intentione satisfaciendi. VII. 771.

Obstetrix.

OBstetrices sunt examinandæ à Parocho. II. 165. & 109. Non autem à Magistratu Civili. 582. § *Ex.* Tenentur sub mortali condiscere necessaria ad Baptismum. 167. Et in Diœcesi Leodiensi, & Trevirensi jurare, se procuraturas salutem prolis, & puerperæ. 167. Obstetrices sunt obnoxiæ variis erroribus. 165. & 180. Rebaptizandi omnes ab iis baptizati, si ita ferat mos Diœcesanus. 171. & 172. Quòd si sit Hæretica, adest novus titulus rebaptizandi. 172. Defenduntur Constantienses Diœcesani, & alii rebaptizantes omnes baptizatos ab obstetricibus. 173. Abstrahendo à particularibus Statutis, & consuetudinibus rebaptizandi sunt ferè omnes, non tamen omnino omnes baptizati ab obstetricibus, & aliis laicis. 177. *& seqq.* Quid si obstetrix contestetur, se usam hac materiâ, hac formâ, &c. An necessariò credet Parochus? 182. Obstetrix, quæ malè baptizavit, tenetur etiam cum vitæ periculo emendare defectum. 210. & 219. Obstetrici-túrne aliquando licitè, aut necessariò vir? 195. Multiplices errores & nequitiæ obstetricum indicantur. II. 192. 685. 662. 680. 712. Non est eis statim credendum, quando dicunt, fœtum in utero esse jam mortuum. 258. §. *Resp. 2.*

Occultum.

OCcultum in jure est idem, quod non notorium. VII. 398. Notorium autem dicitur tripliciter. Suprà verb. *Notorium.*

Quid si deductum ad judicium, at non sit probarum intra terminum à jure præscriptum? VII. 375.

Occasio proxima, & remota peccandi.

OCcasionem remotam peccandi non tenemur fugere, aut deserere, sed proximam. VII. 525. Proximæ sunt eæ circumstantiæ, loci, temporis, rerum, personarum, in quibus constitutus certò moraliter laberis in peccatum. 525. Non tamen, in quibus est solùm probabile, te lapsurum. 526. Qui constitutus decies in talibus circumstantiis succubuit tentationi solùm bis, vel ter, non censebitur adire occasionem proximam, si rursum illas adeat. 527. Est ob gravem causam licitum, non solùm permanere in occasione proxima, sed etiam hanc quandoque adire. 529. Indicatur una aut altera ejusmodi causa. 530. & 532. Indicantur, & aliqua genera personarum constitutarum in talibus occasionibus. 531. Proposito emendationis, ad Confessionis valorem, necessariò jungi debet propositum deserendi occasiones proximas. VI. 202. & VII. 525.

Offensa.

OFfensa Dei propriè est ejusdem irritatio, exasperatio. VI. 30. Ea est probabiliter sufficiens motivum perfectæ contritionis. VI. 100. *& seqq. fusè.* Quomodo tractabit Confessarius ægrum, dicentem solummodo: *Domine Deus doleo ex toto corde, quòd te Deum meum tam indignè offenderim? 106.* Quid apprehendant Christiani ita loquentes? 105.

Offensus ab aliquo, quomodo teneatur se erga illum gerere? VII. 224. Quomodo Confessarius erga illum, qui non vult ignoscere? VI. 199. An accidet ad ejus pedes? 200.

Offerre.

OFferre, quando refertur ad Sacrificium, quid propriè significet? III. 6.

Officium.

OFficium B. Virginis quinam teneantur recitare? V. 606. Item Defunctorum? 606. An die secundo Novembris sub mortali omnes alligati Breviario? 614. An licitè illa duo persolvas linguâ vulgari, quando sunt injuncta à Confessario? *Tr. V.* 697.

Oleum.

OLeum Chrismatis an licitè præbeatur laicis uti volentibus ad morbos pellendos? II. 190.

Opinio.

OPinio tutior de valore Sacramenti est sequenda Ministro. I. 98. At non necessariò illa, quæ agit de sola honestate. 100. Ostenditur, contra Stephanum à Sancto Paulo, doctrinam, de mitiore opinione plerumque sequenda Confessario, non esse damnatam ab Alexand. VII. 102. *in Append. lit. f & seqq.* Periculum grave facit, ut formido præponderet opinioni. II. *num. 441. §. Ita.* Opinio Communis omnium non est deserenda ob argumentum repulsum ab aliis gravibus viris. V. 191. Non licet tunc sequi opinionem probabilem, quando inde sequeretur elusio præcepti indubitati. 663. Quænam opinio sit certò probabilis? 831. Quæ certò non probabilis? 893. Quæ probabilis practicè juxta Arauxum? II. 163. *in Append. lit.* n. Opinio probabilis non tribuit certò, sed tantùm probabiliter jurisdictionem. VII. 114. An, & quatenus teneatur Confessarius sequi opinionem probabilem pœnitentis? VII. 178. *& seqq.* An etiam tunc, quando pœnitens dicit: *Detraxi alteri honorem, sed non graviter: imprecatus sum alteri malum, sed non grave? &c. 182.* Quo sensu dicatur, Confessarium posse communiter supponere, quòd pœnitens judicaverit de objecto, circa quod operabatur eo modo, quo debebat? 183.

Opus.

OPus operatum, & opus operantis quomodo intelligantur? III. 146. Cur ita nuncupentur? 148. Declaratur variis actionibus. 149. & 150.

Oracula vivæ vocis.

ORaculum vivæ vocis quid sit? VII. 668. Data alicui Ordini incipiunt esse Bullata, quando sunt data alicui Communitati, cujus omnia privilegia, & facultates data, & danda confirmavit Papa per aliquam Bullam. 668.

Oratio.

ORationis nomen accipitur generalissimè, generaliter, & specialiter. V. 733. Seu latissimè, latè, & strictè. 733. Strictè est petitio rerum decentium à Deo. V. 822. Et vocalis manet etiam in illo, qui cogitat de piis rebus, etsi non pertinentibus ad verba orationis. 823. Quo sensu dicatur esse elevatio mentis ad Deum? 828. Facta cum distractionibus non est hypocrisis. 835. An impetratoria? 835. Orare possum tripliciter pro alio. 769. Orationis vocalis essentia consistit cum distractionibus, etiam voluntariis. 821. *& seqq. fusè.* Vide plura verb. *Preces.*

Oratorium.

ORatorium privatum quod sit? III. 251. Explicantur ejus facultates. 252. *& seqq.* Communis formula exhibetur. V. 347. Edisseruntur singulæ clausulæ. V. 361. *& seqq.* Verè non licet, *per se loquendo*, nisi unam de die Missam in eo celebrare. 348. Sicuti tamen variis de causis est licitum facere Sacrum in loco profano, ita, & ob easdem causas licitum facere Sacrum bis de die in Oratorio. 349. Adeóque Episcopus potest quandoque dare facultatem erigendi plura altaria in eodem Oratorio. 349. Teneris audire Sacrum in tali Oratorio, si nequeas alibi. 352. Non tamen teneris pretio, aut precibus inducere, qui in tui gratiam illic celebret. 350.

Non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, qui extra personas in Brevi Apostolico nominatas adsunt rei sacræ in Oratorio. V. 356. Et consequenter nec Domini jubentes fieri sibi Sacrum diebus, quos excipit breve. 357. Aliud censendum de Oratoriis Episcoporum, & Regularium, utpote non ita restrictis. 358. Potest Dominus, deserto domicilio, in quo habebat Oratorium, curare aliud erigi in loco, ad quem migrat. 361. Et absente Domino, potest familia constituere, qui faciat rem Divinam. 370. Explicatur clausula omissa in quibusdam mendosis exemplaribus Brevium. 372.

Ordo.

AD validè suscipiendum Ordinem sufficit voluntas implicita. I. *num* 245. Declaratur exemplo. *Ibid.* Constituti in majoribus ordinibus sunt adstricti officio Canonico. V. 559. & 560.

Organum. Organœdus.

ORganœdus potest pulsando organum satisfacere obligationi Sacri audiendi. V. 301. Nec tenetur ea ex Breviario repetere, quæ organo repræsentavit. 704. An illi qui tantùm audierunt sonum organorum? 705.

Osculum.

OSculum Sacræ Hostiæ præbitum an vacet per se gravi culpa? III. 327. & IV. 362.

P.

Pacisci.

PAcisci de stipendio Missæ non est ex se malum. III. 561.

Palla.

PAlla, ex qua materia debeat esse? III. 314. Est per se mortale celebrare sine illa. 316. & 318. Ea deficiente, potest adhiberi corporale. 317. Vel ipsa Bursa, seu Theca. 318. Declaratur novo Casu. 315.

Pallium.

PAllium altaris est ipsum Antipendium. *Tr. III. 290.*

Papa.

EJus amorem spectare debet Episcopus. III. 663.

Parasceve.

QUatenus sit fas sacrificare in Parasceve? Vide verb. *Sacrificium. n. 4.* Non oportet interesse Officio illius diei, etsi tunc occurrat Festum. V. 89. At verò oportet adesse Missæ, si tunc celebretur de Festo. 90.

Parens.

PArentibus invitis, licitè baptizatur adultus filius. II. 314. Non autem destitutus usu rationis. 315. Nisi sit *in* periculo mortis. 316. Aut nisi ipsi parentes sint Servi Principis Christiani. 318. Vel alteruter baptizatus. 319. Nec obest, licèt tutores se opponant Baptismo sui clientis, quia Princeps potest derogare eorum Juri. II. 321. Obest autem, si parentibus acatholicis sint restituendi post Baptismum filii. 323. Nisi peculiaris ratio suffragetur tali Baptismo. 324. Sicut & excusantur PP. Franciscani baptizantes ad instantiam parentum filios Turcarum, infessos à malo genio. 325. Parentum nomine non intelliguntur in odiosis Vitricus, aut Noverca. VII. 420.

Parochus.

Parochus respectu Sacramentorum cum periculo mortis.

PArochi obligatio circa Sacramentorum administrationem generatim. I. 104. & 105. Tenetur administrare etiam extra tempus præcepti. 107. Et tempore præcepti etiam cum periculo vitæ propriæ. 113. Esto parochianus ver-

versetur solùm in probabili periculo damnationis æternæ. 114. Ideóque graviter peccat si tempore pestis resignet Beneficium. II. 234. Aut fugiat. *Tr. I. 116.* Quo tamen tempore uti debet discretione, ne se conjiciat in periculum, ministrando Sacramenta non necessaria, 117. Et potest substituere alium idoneum. 121. & II. 234. Petere etiam à Magistratu civili necessarias medicinas. 122. Regulæ, seu antidota, quibus se muniat. IV. 395. *& seqq.* Ministrabit Sacramenta etiam illis, qui priùs repudiaverant. I. 125. Eo latitante, vel aufugiente conferat Episcopus alteri Beneficium Parochiale. 127. Vnctionem extremam an teneatur conferre cum periculo mortis? I. 152. *& seq.* Quid aget, hoste invadente suum pagum? & occidente obvios quosque? 165. Singulariter, si tunc existat in statu peccati mortalis? 167. Aut timeat, ne incidat in periculum Apostasiæ? 167. Quid rursum aget, sciens unum è Parochianis reum capitis detineri in carcere hæretico? I. 184. Declaratur Casu pathetico. VII. *n.* 29. Parochi negligentia in periculo mortis alienæ qua pœnâ mulctanda? I. 187.

Parochus respectu Baptismi.

2 IPse est ordinarius Minister hujus Sacramenti intra fines suæ Parochiæ. II. 130. Et quidem, licèt sit solùm Diaconus. 138. Suas vices demandare potest Diacono. 136. Quid si dissimulet, quando alienus tingit spectantes ad ipsius Parochiam? 132. An licitè adigat innuptam matrem, ut edat nomen patris sui infantis? 160. & *in Append.* Quomodo referet in librum baptizatorum nomen illius, quem talis mater dicit esse patrem? II. 163. Sit accuratus in consignandis patrinis, & matrinis. 587. Ac cæteris circumstantiis Baptismi administrati. *Ibid.* Adeóque ipsâmet hora nativitatis. 589. Ejus liber Baptismalis quantæ sit authoritatis! 590. Peccat mortaliter, si non inscribat inscribenda. II. 588. Suspenditur, si per ejus negligentiam extinguatur infans non baptizatus. 249. Industria, quam suadebit usurpandam circa sectionem puerperæ. 258. §. *Resp. 3. & num. 260.* Quomodo se geret circa partus monstrosos. II. 282. Quomodo circa Nobiles, ubi plures volunt esse patrini? 526. *& seqq.* Quomodo scribet nomina plurium patrinorum? 593. Et mittentium procuratorem? 594. Vide plura suprà verb. *Baptismus. num. 7. & seqq. & ibidem num. 13.* Ubi traduntur. XIII. Aphorismi pro Ministro Baptismi.

Parochus respectu celebrationis Eucharistiæ, & non audientium Sacrum die Festo.

3 PArochus non tenetur quotidie facere Sacrum III. 490. Nec tenetur pro ovibus offerre Missam toties, quoties tenetur ad eam faciendam. 493. Sed solùm aliquoties. 493. Nec licitè accipit stipendium pro Sacro, quod tenetur facere festis diebus. 493. Licitè autem servat partem pinguis stipendii, constituens alium pro altera parte. 572 Quî se geret, quando offeretur ipsi, aliunde jam obligato celebrare, stipendium pro aliqua Missa? 598. Quid si nequeat satisfacere petitioni omnium? 599. Vide plura verbo *Missa. n. 2.* Verbo *Sacrificium n. 3.* & verb. *Stipendium.*

Parochus illicitè arcet ingressu Ecclesiæ illum, qui neglexit Communionem Paschalem. IV. 49. Caret jurisdictione pro foro exteriori. *Ibid.* Quoties teneatur ministrare Eucharistiam petentibus? 390. & 426. Quas Regulas observabit circa administrationem tempore mortis imminentis ex morbo contagioso? Vide verb. *Eucharistiæ Minister*, & IV. 395. *& seqq.* Licitè dat Diacono licentiam ministrandi solenniter in necessitate Eucharistiam. IV. 435.

Quid aget Parochus, videns aliquos suorum egredi è templo, nondum finita liturgia? 4
V. 150. An minabitur privationem Sacræ Communionis? 151. Non exibit è templo ad eos, qui foris garriunt. 154. Quandonam censeatur contemni ratione concionum? 169. Quomodo corriget solitos negligere Missam festis diebus? V. 540. & 541. Eos non excommunicabit, nisi consuetudo id permittat. 542. An adversùs aurigantes festo die imitabitur exemplum alicujus prævidi Parochi? 7. & 8. Quantum restituet, quando omisit preces Canonicas? 585. & 586.

Parochus respectu Sacramenti Pœnitentiæ.

COnfessiones suorum audiet, quoties ii te- 5
nebuntur confiteri. VII. 27. Adeóq; quando ii existunt in extrema necessitate. 27. Quandonam scire possit, hunc, aut illum versari in necessitate extrema? 28. & 30. Declaratur exemplo. 29. Quomodo se geret, quando erit periculum, ne excipiendo Confessionem peste afflati, ipse quoque afflatur? 31. Audiet suos, etiam extra tempus præcepti confiteri volentes. 32. Quomodo se geret cum parochiano, ideo non confitente tempore Paschali, quòd dicat, se non esse conscium gravis delicti. IV. 228. *& seqq.* Non debet esse difficilis in danda parochianis facultate faciendi Confessionem Paschalem apud alium. VI. 297. Approbatus esse definit Parochus, quamprimum definit esse Parochus. VII. 45. Certò nequit jam confiteri, nisi approbato. 46. *ad finem.* Unus Parochus potest ab alio assumi ad Confessiones suorum excipiendas. 45. Quivis itidem Parochus licitè audit Confessiones vagorum, & peregrinorum existentium in ejus Parochia. 82. Quomodo præsumpta licentia audiendi alienos, vigens inter vicinos Parochos, intelligenda sit? 95. *& seqq.* Ea non expirat morte concedentium. 142. Sicut nec ea, quam Parochus concessit Cooperatori. 141. Non convenit, ut Parochus habens Cooperatorem reservet sibi aliquos Casus. VII. 362. Absolvit ipse suos in necessitate à Casibus Papalibus, quando nequit adiri Papa, nec Episcopus. 369. Et ab Episcopalibus, quando Episcopus nequit conveniri per ipsummet pœnitentem. *Ibid.*

Parochus respectu aliorum.

PArochus caret jurisdictione in foro exterio- 1
re. V. 8. Adeóque jure excommunicandi. 542.

Partus.

PArtui facilitando, an liceat dicere: *Et verbum Caro factum est?* II. 189. Aut adhibere Chrisma Baptismale? 190. An liceat in desperato partu secare matrem vivam? Vide verbo *Sectio.*

Pascha.

PAschatis nomine quid intelligatur in præcepto annuæ Communionis? IV. 32. An etiam Festum Annuntiationis præcedens immediatè Dominicam Palmarum? 33. Qui nequit communicare in Paschate, tenetur mox supplere. 34. At non tenetur prævenire, prævidens defore occasionem in Paschate. 39. An repetenda Communio, si Paschalis fuit Sacrilega? 44. Paschalem Communionem omittens qua pœna puniatur? 49. Paschale Officium Canonicum cur sit tam breve? V. 913. Cur specialiter illicita alterius in illud mutatio. 904. *& seqq.*

Patrini Baptismi, & Confirmationis.

PAtrini necessitas in Baptismo solenni. II. 522. Nulla in non solenni. 523. Nequeunt esse duo unius sexûs. 526. Dexteritas in repellendis superfluis. 527. Unus unam, una unum suscipere potest. 531. An filius possit esse patrinus matris? 532. Quando plures suscipiunt è sacro fonte; quis ex illis evadat patrinus. 536. In patrino requiritur intentio. 537. Qualis tactus? 538. *& seqq.* Quid si patrinus accipiat non immediatè ex manu baptizantis? 539. & 544. Quid si per procuratorem? 546. Quid si quis nomine alterius ignorantis teneat? 549. Patrini plures rogantur in Bohemia stipis gratia. 551. Baptizans etiam in necessitate sit Patrinus. 554.

Qualitates patrinorum. II. 555. *& seqq.* singulariter an patrinus debeat esse adultior suo filiastro? 555. Et an Catholicus possit filium Hæretici levare? 565. An quis proprium filium? 566. & uxor, ac maritus simul alienum. 570. Obligatio patrini quæ? 572. An etiam alendi filiolum? 574. An possit saltem per procuratorem esse patrinus, simul, & baptista. 585. Quando parentes non mittunt filios ad rem Divinam, patrini debent monere filiastros. V. 316. Patrinus esse recusans punitur divinitus. II. 586. *in Append.*

Patronus Ecclesiæ, & Capellarum.

PAtronus, & Titularis differunt. V. 623. *In App. lit.* a. Patronus quomodo eligendus? III. 679. *in Append. 2. lit.* pp. Patroni Capellarum sitarum extra Ecclesiam, an licitè, aut necessario colantur annuatim Missa, & Officio? *Ibid. lit.* cc. *&* ff. *& seqq.* A quibus? *Ibid. lit.* hh. *& seqq.* Quid si autem illi sint etiam Patroni, vel Ecclesiæ ipsius, vel Ordinis? *Ibid. lit.* oo. Quid si eæ Capellæ sint sitæ intra ipsammet Ecclesiam? *Ibid. lit.* rr. *& seqq.* Quid si sint extra Ecclesiam, sed ei tamen unitæ? *Ibid. lit.* rr. & ff. An Regulares licitè celebrent Octavam Patroni urbis, in qua habitant. V. 628. An occurrente Patrono loci cum Patrono Monasterii, cedat hic priori? *Ibid.*

Paulus.

BEati Pauli Michi quædam peculiaria. I. 176. *& seqq.* & II. 267. Commemoratio S. Pauli Apostoli an cedat translationi SS. Apost. Petri & Pauli? 695. *In Append. 3. lit.* h. 3.

Pauper: Paupertas.

PAuperibus, aut piis locis non sunt necessario danda ea, quæ amissa ab aliquo reperisti. VII. 223.

Peccatum.

Peccatum Originale, & mortale generatim.

PEccatum Originale non est objectum doloris, seu contritionis. II. 638. Nequit extra Sacramentum, & Martyrium deleri, nisi per actum perfectæ contritionis. *Ibid.* Periculosum est determinare, aliquid esse peccatum mortale. III. 325. Est de ratione veri peccati libertas actualis. VI. 349. Et ideo non omnes effectus malæ voluntatis, etsi intenti, vocari debent propriè peccata. 349. Aut necessariò subjici Clavibus. 350. Declaratur variis instantiis, nominatim pollutionis nocturnæ, ortæ ex culpa diurna. 352. Et lectionis libri prohibiti. 356. Et hominis veneno interempti. 352. Non est censendus peccâsse mortaliter, qui apprehendit solam genericam malitiam peccati. VII. 458. Tametsi peccatum in genere possit esse sufficiens materia absolutionis. 229. & VI. 360. 1

Unum mortale nequit dimitti sine alio. VI. 69. An, qui peccavit mortaliter, debeat coram Deo confiteri, se peccâsse mortaliter? 82. Peccatum aliquod detestans ob malitiam illi insitam, detestatur simul omnia infecta illa eadem malitia. 70. Peccata manifestata in Confessione valida, sed informi, non sunt necessariò iterum confitenda. 179. Quatenus autem sint de cætero confitenda omnia mortalia? Vide verbo *Confessio. n. 5. & seqq.* Fas est inducere in minus peccatum illum, qui est paratus facere majus. V. 544. Et singulariter illum, qui negligendo Missam, patrabit minus peccatum, quàm si maneat domi. 544. Et parato inferre pergrave malum, rectè suades, ut inferat aliquod minus inclusum in illo majori. 546. Peccati circumstantia quid sit? VI. 367. Quot sint ejusmodi circumstantiæ? 369. Qui non agit graviter contra finem Legis, non peccat graviter. VII. 885. 2

Peccatores grandes subito justificati. *Tr.* VI. 74.

Peccatum mortale dubium.

3 DIcitur dubium, quia propriè dubitas, vel an commiseris, vel, si commisisti, an commiseris cum perfecto consensu, vel an, quòd certò commisisti, sis confessus? *Tract. VII.* 208. Teneris certò in hoc tertio casu confiteri. 209. Ferè certò etiam in secundo. 210. Non tamen omnino certò. 214. Probabilissimè in primo. 210. & 214. Si videlicet in hisce Casibus & propriè dubites. 210. Et dubites ob rationem non futilem. 212. Et denique dubites, consideratis omnibus principiis intrinsecis, & extrinsecis. 213. Indicantur aliqua principia, opportuna ad tollendum dubium. 213. 224. 269. *& Tract. VI. num.* 435. Declarantur ista Casu proposito. 428. Exposito. 436. & 437. Peccatum priùs dubium, & confessum, ut dubium, debes postea confiteri, ut certum, si comperias esse certum. 441. Non tamen necessariò ante Communionem, si ante eam contritus es de illo. *Tract. IV.* 214. Sicut nec certum est, quòd peccatum mortale manens dubium impediat illam. 223. *seqq.*

Peccatum veniale.

4 NOn habens nisi venialia confitenda, non tenetur habere propositum non peccandi mortaliter. VI. 216. Debet tamen habere propositum non relabendi. *Ibid.* At non distinctum à dolore. 217. Certè non tam firmum, quàm non relabendi in mortale. 217. Et solitus committere frequenter hoc, aut illud, satisfacit proponendo minuere illam frequentiam. 219. Et qui consuevit mentiri tum sine causa, tum ex causa, satisfaciet proponendo, quòd nolit amplius mentiri sine causa. 224. Obstricto venialibus simul, & mortalibus consultum est, ut eliciat de venialibus dolorem diversum à dolore de mortalibus. 225. Peccati venialis fœditas demonstrata S. Catharinæ Genuensi. *Tr. VI.* 227.

5 Non remittitur veniale sine mortali peccatori, qui est utroque fœdatus. VI. 229. Remittitur autem tum per actum perfectæ contritionis, perfective amoris Divini. 230. Tum per attritionem, dolendo, quòd per illud sis meritus purgatorium. 231. Tum per illos omnes, & solos bonos actus, in quibus involvitur, vel formalis, vel virtualis displicentia peccati. 232. Enumerantur actus continentes formalem, & virtualem displicentiam peccati venialis. 233. & 234. Solvitur gravis difficultas, an, posito, quòd attritio sufficiat ad deletionem peccati venialis, non sequatur, peccatum veniale nunquam remitti per Sacramentum Pœnitentiæ? 235. & 236. Quomodo veniale remittatur per Sacramentalia? 239. Et per alia Sacramenta? 242. Fœditas peccati venialis & malа inde provenientia graphicè proponuntur ab Anselmo Bisling. 227. & 245.

Venialium Confessionem nequit præcipere Ecclesia. VI. 281. & 323. Omni veniali peccato offendimus graviter Deum. 299. Cur? *Ibid.* Venialia tamen non impediunt Communionis valorem. IV. 215. Et sæpe nec eam reddunt illicitam, etsi cognita. 217. Peccati venialis reatum, statutum à Lege humana impedit quælibet honesta causa. III. 296. 297. & *Tract. V.* 915. An votum factum de confitendis venialibus obliget sub mortali? VI. 306. & 307.

Peregrinus.

PEregrinorum quilibet (intelligendo hoc nomine etiam Viatores, & vagos,) tenetur in loco ubi existit, audire Sacrum in festo communi toti Ecclesiæ. *Tract. V.* 376. Nisi ob diversitatem Calendarii jam audierit in patria. 377. Et etiam tunc probabiliter tenetur, quando festum est commune soli ipsius Patriæ, & illi, in quo versatur, loco. 379. Secùs, si sit proprium solius loci, in quo versatur ut peregrinus. 381. Nisi cogitet illic morari per majorem Anni partem. 383. Non peccat non audiendo, si dies sit festivus in sua sola patria. 384. Aut in tota quidem Ecclesia, seu Diœcesi, at non in loco peregrinationis. 385. Excipe Catholicos versantes in urbibus hæreticis. *Tract. V.* 386. Si futurus es extra tuam urbem eo tempore, quo in tua fiet ultimum Sacrum, non teneberis audire in alio loco, in quo non est festum. 390. Esto dedita opera exieris è tua urbe. *ibid.* Peregrino petenti tenetur Parochus, in cujus Parochia ipse tunc versatur, præbere Sacramenta necessaria. I. 134. Possunt Peregrinus & Viator eligere locum Baptismi, ubi volunt. II. 133.

Periculum.

PEriculum mortis non est à Parocho subeundum pro ovibus, si verè dubitet, an sua opera sit futura proficua. II. 236. A non Parocho, nisi sit moraliter certus. *ibid.* Periculum, ne tu labaris in peccatum mortale occasione ministrandi Sacramenti, non eximit te ab obligatione. II. 237.

Perpetuò.

PErpetuò accipitur pro *Semper*. III. 479.

Pestis.

PEste afflatus graviter peccat confitens ignoranti, esse afflatum. I. 120. Pestis tempore, quid aget Magistratus sæcularis? 122. Quid Ecclesiasticus? 123. Quid Parochus? Vide suprà verbo *Parochus*. Casus peste sine Sacramentis mortui in vindictam negligentiæ. I. 126. Peste grassante, quid aget Episcopus? Vide verb. *Episcopus*. Quid Prælatus Regularis? Vide *Regularis*, *n.* 1. Quid Canonici? Vide verb. *Canonici*. Singulariter Sacramentum Baptismi tenetur tempore pestis ministrare in sua Parochia existentibus Parochus. II. 231. Nisi immineat ipsi singulare periculum contagionis, junctum periculo negligendi multos alios peccatores. 232. Illustre exemplum offerentis se ad Sacrum ministerium pestiferorum. *Tr VI.* 112. Peste extinctus in tali ministerio an fiat ex attrito contritus? 114.

Petrus.

PEtri Apostoli prima concio continebat quinque doctrinas de Pœnitentia. VI. 17. & 18. P. Petro Canisio piè invocato, enititur puer peramasculum. II. 331. Litigatur de ejus nomine imponendo infanti. *Ibid.*

Petrus Forerius in cœnum infilit cum Venerabili, ne tangat mulierem. IV. 212. *in App. lit.* c. Duas integras horas detinet in Confessionali Episcopum expectante toto populo. VII. 560. *in Append. lit.* c. Quantus vir fuerit? *Ibid. lit.* d.

Piscis.

PIscis morte sua designat mortem unius è Monasterio Agaunensi. VI. 252. *in App. lit.* a. An teneantur omnes Religiosi parare se tunc ad mortem? *Ibid. lit.* b.

B. Pius V.

NOn licebat cuivis sacerdoti legere Sacrum de eo ante Canonizationem. III. 676. Ejus paterna pietas in Societatem Jesu. VI. 294. & VII. 796. Puritas Angelica. VII. 796. Exorat à Deo Victoriam ad Echinadas. VI. 480.

Plerique. Plerumque.

VOculæ *Plerique*, *Plerumque* quid significent in Jure Canonico? I. 102. *in Append. lit.* i. & o.

Pœna.

POena intelligitur aliquando sub nomine pœnitentiæ. VI. 22 Quandoque nomine Pœnæ intelligitur censura, atque Irregularitas. VII. 640. & 641. Judex inferior per se nequit minuere pœnam à Lege statutam. VII. 844. Hodie tamen potest ex causa eam minuere, vel etiam augere. 845.

Pœnitentia.

Pœnitentia generatim.

1 POenitentiæ nomen septem significat. VI. 21. Singulariter verò detestationem, & tristitiam ortam ob opus peccaminosum. 22. Et propter tria præcipua motiva. 25. Declarata per novem magis particularia. 26. Et consistit pœnitentia peccatori necessaria ad salutem formaliter, vel in Divinæ offensæ compensatione, obligationéque per satisfactiones. 27. Vel in conservatione, seu voluntate conservandi jus Dei illæsum, reparandique læsum. 28. Aut denique in intentione vitandi offensionem, aut eam, si fortè contigit, omnimodo tollendi. 29. Tenetur quivis, lethalis culpæ reus, agere pœnitentiam ante mortem. 138. Quandonam? Vide suprà verb. *Contritio num.* 3. Alia spectantia ad pœnitentiam, vide eodem verbo *Contritio*, & verbo *Attritio*.

Pœnitentiæ Sacramentum.

2 POenitentiæ Sacramentum est, in quo Sacerdotalis absolutio à peccatis, quæ detestatus, ritéque quis confessus est, impenditur. VI. 4. Ejus quasi materia sunt Contritio: Confessio: Satisfactio. 5. Materia remota sunt peccata actualia, ut detestanda. 7. Non autem Originale. 9. Contritio latè sumpta, & Confessio sunt partes essentiales: Satisfactio solùm integralis. 10. Adeóque voluntas suscipiendi hoc Sacramentum non sufficit sine vero dolore. 11. Nomen Pœnitentiæ significantur septem. 21. Hic autem significat detestationem peccati contra Decem. amissi cum animo non relabendi. VI. 23 Requiruntur actus præcedentes, aut comitantes Pœnitentiam 23. Et novem motiva Pœnitentiæ, seu doloris. 26. Pœnitentiæ objectum quodnam propriè sit? 27. *& seq.* Pœnitentiæ Sacramentum potest esse validum, & informe. 177. Ejus forma essentialis. VII. 148.

Pœnitentia Sacramentalis.

3 QUid sit Pœnitentia Sacramentalis? *Tract. VII. num.* 741. An Confessarius teneatur sub mortali injungere aliquam? 742. Qualia opera injungat? 748. *& seqq.* Singulariter quomodo debita ex voto, aut aliunde? 749. Et qualia pauperibus? 750. Quomodo pro defunctis? 751. An quandoque possit tota pœnitentia injungi per modum consilii? 753. Quanta vis illorum verborum: *Quidquid boni feceris, vel mali sustinueris?* 754. An propter eorum prolationem possit minui pœnitentia? 755. An dari sub conditione? *Ibid.* Pœnitentia injuncta à Confessario debet sub mortali perfici. 765. At non omnis. *Ibid.* Pœnitentia non est necessariò imponenda ante absolutionem. 756. An semper necessariò medicinalis? 757.

4 Ob octo causas potest minui pœnitentia. *Tract. VII. num.* 758. *& seqq.* Singulariter quando pœnitens videtur non perfecturus debitam. 758. Aut minuendo adducitur ad sæpius confitendum. *Ibid.* Aut is consequetur Indulgentias. 760. *& seqq.* Aut Confessarius protulit illa verba: *Quidquid bonifeceris.* 755. Tunc enim omnia bona opera, quæ postea faciet in statu gratiæ, erunt satisfactoria ex opere operato. 754.

Pœnitens tenetur quandoque solùm sub veniali perficere pœnitentiam. VII. 765. Et peccat quandoque mortaliter nimium differendo. 766. Si distulit ultra tempus præscriptum, an teneatur supplere? 767. Non licet eam perficere per alium. 768. Nec validè substituis aliam illi, cujus injunctæ es oblitus. 769. Non est in tuo arbitrio admittere, aut respuere. 764. At satisfacis, si perficias præscriptum opus, esto tunc non cogites satisfacere. 771. Vel illud ipsum sit etiam præscriptum in statutis tuæ Confraternitatis. 772. Secùs, si ex voto tenearis. 772, 773.

Illicitè commutas pœnitentiam tibi injunctam. VII. 774. Licitè alius Confessarius. 775. Sed non extra Confessionem. 776. S. Franciscus Xaverius agit cruentam pœnitentiam pro suo pœnitente 763. §. *Octava.*

Pœnitentiarius.

POenitentiarius Diœcesanus an validè subdeleget alteri potestatem absolvendi à Casibus Episcopalibus? VII. 101. & 102. Constantiæ non absolvit à notoriis, nisi ex speciali commissione. 403.

Pollutio.

AN pollutis de nocte, suadenda sit matutina Communio? IV. 341. *& seqq.* Mirus circa hoc eventus. 340. Pollutionis voluntariæ crimen quo supplicio plectendum? VII. 553. *in App. lit.* a. An qui eam procuravit, sufficienter confiteatur dicendo: *Habui initium grave pollutionis? ibid. lit.* b. Vel: *Habui gravem delectationem morosam? ibid.* Casus desperati morientis in hoc vitio, *ibid. in App. 3. lit.* b. Et in culpabiliter ignorantis esse crimen lethale. *ibid. lit.* d. Plura de hoc vide verb. *Luxuriosus. num. 1.*

Possessor.

POssessoris conditio quatenus sit melior in dubio? Vide verb. *Dubium. 2.*

Præceptum.

PRæcepta particularia sunt interpretanda instar generalium. VII. 772. Vide plura verb. *Lex.*

Præpositus.

P. Joannes Præpositus latè defenditur adversus censuram Caspensis. IV. 248. *& seqq.*

Præscriptio.

PRæscriptio contra Minorem, & Ecclesiam requirit plus 100. Annis. III. 265. *in App. lit* t. *&* u. Non currit tempore belli. II. 516. An patrocinatur Capellanis facientibus Sacra pauciora, quàm teneantur ex vi fundationis? III. 514. An vice versa obsit, si faciant plura, quàm teneantur? 516.

Præsumptio: Præsumere.

1 PRæsumptio de moribus sumpta ex nomine alicujus est superstitiosa. II. 344. Nisi sit impositum ex eventu. *ibid.* Præsumptio, quòd ex fidelibus natus, & inter Christianos fideliter conversatus, sit baptizatus, est habenda pro certa. 383. Præsumitur interdum delictum in favorem piæ causæ. II. 386. Præsumptione fori externi communiter statur in interno II. *num.* 163. *in App. lit.* m. Non omnino tamen semper. *ibid.* & VII. 214. Præsumere debet posterior Confessarius, priorem esse rectè functum officio. VII. 323. Potest omnino Confessarius persæpe niti præsumptionibus, etiam quando posset habere aliundè certitudinem. VII. 338.

Preces: Precatoria verba.

PReces, dum induuntur sacræ vestes, an sub peccato dicendæ? III. 387. Quid si in Sacro aliquæ recitentur præter præscriptas? 753. Ac singulariter post: *Domine non sum dignus?* 756. Præscriptæ in Missali pro Defunctis prosunt hisce magis, quàm aliæ. 617. An injunctæ à Confessario sint necessariò recitandæ sine voluntariis distractionibus? V. 836. Sítne melius non recitare verba precatoria, quàm recitare cum perpetuis involuntariis distractionibus? V. 716. Aut quàm legere per modum recreationis? *ibid.* Pluravide verb. *Oratio.*

Presbyterium. Presbyteratus.

PResbyterium, seu Presbyteratus, vide verb. *Sacerdotium.*

Princeps.

PRincipum nomine quinam intelligantur in privilegiis? II. 492. Principis Confessario quæ sint singulariter notanda? VII. 554 & *seqq.* Princeps præsumitur accommodare se precibus supplicantis. V. 650. *in App. V. lit.* p.

Privilegium.

PRivilegiũ concessum Monasterio non amittitur per nonusum, aut renuntiationem Abbatis: III. 270. Aliud est habilitativum, aliud potestativum. V. *num.* 712. *in App.* Non est ob paritatem solùm extendendum ultra proprietatem. VII. 103. Adfertur limitatio. 104. Privilegium non extinguitur morte concedentis. VII. 140. Privilegium gratiæ factæ, quomodo differat à privilegio gratiæ faciendæ? VII. 142. Quomodo intelligenda clausula: *Dummodo privilegium non adversetur Concilio Tridentino? VII. 424 in App. lit.* u.

Promissio.

PRomissio liberalis est in favorem promittentis benignè interpretanda. III. 158. Promissis standum. III. 580. *ad finem.*

Propositum.

PRopositi mutatio facta de re per se non obligante graviter, non est mortaliter mala. V. 670. Casus imperfecti propositi. VI. 181. Plures Confessiones sunt sacrilegæ ex defectu veri propositi, quàm integritatis. 182. Propositum serium emendationis est de essentia Sacramenti pœnitentiæ. 184. Ideóque improbandi Thomistæ, asserentes, sufficere veilcitatem. 185. *& seqq.* Ejus prima conditio est, ut sit firmum. 188. Unde cognoscenda illa firmitas? *Ib.* Altera conditio, ut sit universale. 193. Tertia, ut nullius mali metu velit quis imposterum peccare mortaliter. 194. Non autem est necessarium, ut pœnitens descendat ad specialia mala. 195. Et communiter debet Confessarius abstinere ab expressione specialium malorum eligendorum præ peccato. 195. & 196. Quid si pœnitens dicat, se dubitare, utrum non esset potiùs peccaturus, quàm perpessurus hoc, aut illud malum? 197. Quid aget Confessarius cum nolentibus ignoscere inimico? 199. Debet idem propositum, *per se loquendo*, esse expressum, & formale. 203. Promissio, quam nonnulli pœnitentes faciunt de vita emendanda, non est communiter votum. 209. Difficillimus Casus circa carentes proposito. 210. De proposito vitandi venialia, vide verb. *Peccatum. num. 4.*

Psalmi.

QUando injunguntur pro pœnitentia Sacramentali, licitè recitantur linguâ vulgari. V. 697. Refutatur quædam de his doctrina peregrina Germanis. *Ibid.*

Pubertas.

PUbertati proximus, quis dicatur? II. 278. §. *Accedit præterea.* Ante hanc proximitatem nemo est afficiendus extremo supplicio. *ibid.*

Pueri.

PUer reus bestialitatis nequit affici morte. II. 278. §. *Hactenus.* Et reus Sodomiæ quomodo puniendus? *ibid. §. Quamvis.*

Pueris qua ætate permittenda Communio? IV. 84. *& seqq.* Et singulariter in morte? 92. Est facienda distinctio inter pueros, & puellas. 94. Tempore Jubilæi quid agendum circa Communionem? 105. Litem de puerorum discretione quis dirimet? 107. Puerorum præcox prudentia. 102. & 104. *& Tr. V. num.* 308. Pueri seriùs sapiunt, quàm puellæ. IV. 125. Plerique nequeunt peccare mortaliter ante Octavum annum ætatis exactum. 118. Imò Germani non ante annum nonum. 125. Unde dignoscatur, utrùm puer sit doli capax? 127. & 128. obligantur sub venialibus legibus humanis, quando possunt peccare venialiter: sub mortali, quando mortaliter. 129.

Certa ætas pro obligandis pueris ad sacrum audiendum nequit statui. V. 310. Quid de Germanis pueris? 312. & 313. Quid de præcoci prudentia præditis? 314. Qua ætate sint à parentibus ad Sacrum audiendum mittendi? 315. Inquieti debent retineri domi. 318. Qua ætate confiteri teneantur? VI. 268. Quomodo Confessarius tractabit illos, de quorum discretione dubitat? VII. 443. *& seqq.* Singulariter circa eliciendum actum fidei necessarium? 455. & 456. Sítne difficilius excipere Confessiones puerorum, quàm adolescentum? VII. 444. An liceat audire eos, aliis audientibus? 863. & 864.

Purificatorium.

NOn benedicitur necessariò. III. 314. Potest ejus loco accipi mundum strophiolum. *ibid.* Et absque hoc, & illo celebrari in necessitate. *Ibid.*

Q.

Quamprimum.

PArticula *Quamprimum* quid significet jure Tridentini? III. 437. Quid jure antiquo? 441.

R.

Ratihabitio.

RAtihabitio quando retrotrahatur? III. 550. Quid sit? VII. 91.

Rebaptizans: Rebaptizatio.

REbaptizando temere rite baptizatum incurritur Irregularitas. II. 353. Et similiter grave peccatum, quando non rebaptizatur is, qui scitur non fuisse verè baptizatus. 354. Imò, & quando rationabiliter dubitatur. 356. Adeóque omnes, sub quorum cura est is, de cujus dubitatur Baptismo, tenentur sub mortali procurare maturam rebaptizationem. 358. Referuntur Canones loquentes de rebaptizatione. 360. 361. & 363. Tunc adest rationabile dubium, quando adsunt quædam indicia ad suspicandum, puerum esse baptizatum, non tamen sufficientia ad ferendum definitivum judicium. 364. Imò rebaptizandus est is, de cujus Baptismo dubitatur prudenter, ex quocunque capite, & undecunque oriatur ambiguitas. 368. Adeóque, quando vel Testis Baptismi non sufficit ad gignendam moralem certitudinem. 370. Vel adsunt in utramque partem rationes probabiles. 371. Seu facti, seu juris dubium occurrat. 373. Vel unus, altérve autor probabiliter neget, valere talem Baptismum. 375. Si tamen unus, altérve autor probabiliter neget, esse, omnibus spectatis, necessariò repetendum Baptismum, hoc aut illo modo collatum, poterit quis in praxi sequi ejus sententiam. 376. & 377.

2 Rebaptizare etiam sub conditione, attamen sine rationabili dubio de valore, est grave peccatum. II. 378. Diuturnæ, & graves infestationes Dæmonis aliquando præbent causam rebaptizandi. 384. Non omnes omnino baptizati ab hæreticis sunt rebaptizandi. 389.

3 Rebaptizandi sunt tamen tales, nisi constet satis prudenter, nullum errorem circa materiam, & formam irrepsisse. II. 393. Adeóque rebaptizandi Angli, & Hollandi, seu Batavi. 392. Et quidni omnes Calvinistæ, atq; Zwingliani licitè rebaptizentur? 392.

4 Rebaptizandi sunt omnes expositi sine schedа attestante, esse baptizatos. II. 397. Et 400. Esto sint apparenter ejus ætatis, in qua solent omnes esse baptizati. 401. Generatim rebaptizandi plerique omnes, quos mulier, aut vir laicus baptizavit. 177.

5 Quandonam rebaptizatio debeat fieri; cum, aut sine conditione? II. 403. Cum qua dispositione rebaptizandi? 404. Fieri potest quovis loco honesto. 405. Sine patrinis. 406. Sine repetitione cæremoniarum jam adhibitarum. 407. At cum suppletione omissarum. 409. Conditio, sub qua quis rebaptizatur, qualis sit? 410. Sufficit in repetitione privata baptismi, si conditio exprimatur solâ mente. 411. Rebaptizans, & se rebaptizari permittens cum certitudine de priori Baptismo, plectitur capite. 413.

6 Rebaptizandi ferè omnes, quos constat fuisse à venefica baptizatos. II. 402. & 683. Non tamen omnes omnino. 688. Quid si dubitetur, an, quæ baptizavit, fuerit venefica? 697.

7 An, si constet, esse in aliqua civitate unum indeterminatum, qui falsò putet, esse se rite baptizatum, teneantur omnes Cives illius loci petere iterationem Baptismi? & Clerici iterationem Ordinum? II. 699. Quid si in eo loco sint tolùm viginti homines? *ibid.* Quid si unus ex illis velit fieri Sacerdos? 700.

8 An rebaptizandus puer, qui repertus est inter ursos, educatus ab iis? II. 701. An alius natus in exercitu, at ignorans, an sit baptizatus? 703. An illi, quos obstetrix baptizavit, repetendo ad singulas personas Divinas particulas: *In nomine*? 712 An, & illi, quos alia tinxit cum trina repetitione Deitatis? 719. An & illi jam adulti, quos obstetrix baptizârat in ea Diœcesi, in qua solent omnes infantes rebaptizari, quos abluit obstetrix? 722 *& seqq.* Modus tales adultos disponendi ad secundum Baptismum. 724. & 728. An, ut tales rebaptizentur, oporteat habere consensum Episcopi? 729. An rebaptizandus, quem digitis in urceolum immissis baptizâsti, efformando iis supra caput in aëre crucem, at ignorans, an aqua sit in caput delapsa? 733. An & ille jam sexennis, quem puella sedecennis baptizavit, jam dubitans, an dixerit: *Ego te baptizo*? 736.

Recidivus.

REcidivi nomine intelligitur aliud respectu hæresis, aliud respectu Religiosi, aliud respectu recidivi communiter dicti. VII. 517. & 518. Confessarius non debet esse difficilis in absolvendis istis. 519. Debet tamen aliquando negare iis absolutionem. 520. In dubio quid agendum ipsis? 523. Unde cognoscet, recidivum pœnitentem esse in proxima occasione relapsûs? 527. Quanti damni periculum permittet recidivo retinere concubinam cum periculo proximo relabendi? 530. & 532. Quid si post sæpe violatam promissionem dimittendi concubinam denique juret, se dimissurum statim post Confessionem? 534. Quæ remedia prosint recidivis? 535. An egressus e Novitiatu Religioso imperandus identidem relabenti in peccatum mollitiei? VII. 536. *& seqq.* Nomen recidivi quomodo accipiatur quandoque in Societate? VII. 697.

Regularis.

Regulares cum respectu ad varia.

1 REgularis Sacerdos, an teneatur parère Episcopo demandanti in necessitate administrationem Sacramenti? I. 130. Regularis Prælatus tenetur in necessitate ministrare Sacramenta suis subditis, I. 137. & 139. Nec potest fugere tempore pestis, 158. Potest autem præcipere suis, ut ministrent Sacramenta in necessitate. 158. Regularis tenetur quandoque mutare vestem, ut possit succurrere versanti in periculo salutis. I. 182.

Regularis sciens, se non esse ritè baptizatum, potest petere dimissionem. II. 459. An teneatur votis? 461. An, si rebaptizatus velit manere in Religione, teneatur repetere Noviciatum? 463 An possit esse patrinus Baptismalis? 555. *& seqq.* Singulariter si sit ex Ordine S. Francisci? 558. Potest esse patrinus Confirmationis. 783.

Quatenus Regulares se se licitè aut illicitè accommodare possint, aut debeant Clero sæculari in observatione legum communium utriquestatui? VII. 577. *in App. lit. a. & seqq.*

Regulares possunt sacrificare hodiéque in 2
suis cellis. III. 247. At non ubicunque. 248. & 249. Extra Monasterium existentes, dicere Officium suæ Ecclesiæ præditæ insigni Reliquiâ. 683. Habentes privilegium recitandi de Venerabili, aut conceptione, an tempore Adventûs, & Quadragesimæ fruantur illo? 689. Tenentur ii celebrare de Festo Patroni Diœcesani; at non de aliis Diœcesanis. 692. *& seqq. & Tr. V. num. 79. & seqq.* Et possent Semiduplicia, si vellent Superiores. III. 692. & V. 85. Quomodo communicent inter se circa Festa propria? III. 696 *ante Appendices.* & VII. 103. Quatenus licitè se circa non observationem legum Papalium accommodent mori Cleri sæcularis, apud quem degunt? V. 101. *ad finem.* VII. 577. *in App.*

Regulares non delinquunt, præbendo ipso die Paschatis Communionem adventantibus. IV. 78. Et tenentur ad moribundum deferre Viaticum, deficiente alio 371. Et possunt etiam Paschalem Communionem præbere iis quibus injustè negat Parochus. 369.

Regulares, saltem non exempti, tenentur 3
Sacrum audire in Festis ab Episcopo indictis. V. 77. Et etiam exempti, eorúmque famuli tunc abstinere à labore servili. *ibid.* Explicatur, quo pacto servandus proprius ipsorum ritus in Festis Diœcesanis? 79. Et an teneantur observare Festa omnia Diœcesana? 85. & 627. In eorum Ecclesiis licitè auditur Missa Festis diebus. 183. Regulares defenduntur adversùs mordacem censuram Marchantii. 170. Regularis, qui injusto damno alium affecit, quomodo compensabit? VII. 564. Quando censeantur non recepisse hanc, aut illam legem Pontificiam. 577. *in App.* Etiam non Mendicantes communicant in privilegiis. 66. *in App. lit.* a. & e.

Regulares cum respectu ad Horas Canonicas.

QUo jure teneantur ad Horas Canonicas? 4
V. 568. An sub mortali? 569. Et qua formâ? 597. Singulariter quando peregrinantur. 605. & 635. An teneantur orare de omnibus sanctis Diœcesanis? 627. Singulariter quid de Semiduplicibus? 85. An Festum Patroni Diœcesani cum Octava? 628. Quid quando Festum secundarii Patroni Diœcesani occurrit cum titulari propriæ Regularium Ecclesiæ. 628. Ex sola licentia celebrant cum Octava Dedicationem Ecclesiæ Cathedralis III. 696. *in App. 3. lit.*

lit. o. 3 *in fine.* Sæcularis apud Regulares habitans quatenus recitet è Breviario istorum? V. 636. Et an Regulares Mendicantes licitè solâ mente orent ea, quæ in Breviario jubentur dici submissâ voce? 689. Quot necessarii ad faciendum chorum? 701. Quatenus Prælatus Regularis dispensetquoad Horas Canonicas? 730. Et singulariter ex vi privilegii concessi à Leone Decimo? 730. Ac nominatim, quando Breviarium non est integre dictum? 730. An subsistat nunc privilegium Regularium de Officiis longioribus, ut possint breviora dicere, quando erunt occupati? 914.

Regulares cum respectu ad Sacramentum Pœnitentiæ.

5 REgulares Mendicantes licitè excipiunt Confessiones Paschales. V. 292. *& seqq.* Tenentur sub ingressum Religionis confiteri generaliter. 315. Refertur Casus faciens in hanc rem. 313. Nigri Monachi tenentur singulis mensibus confiteri. 316. Et multi Religiosi Ordines in fine anni facere Confessionem annuam. 319. Decretum de Novitiorum confessione generali non obligat sub mortali. 320. Et generatim Novitii non tenentur observare Leges Ordinis sui. 321. Decretum de nigris Monachis vix obligat sub mortali. 322.

6 Superiorum Regularium Vicarii quandonam censeantur pollere potestate absolvendi à casibus reservatis? VII. 713. *& seqq.* Omnis usus Confessionis, quem Superiores Regulares adhibent ad externam gubernationem, est illicitus. VII. 880. Quatenus Regulares absolvant à Casibus Papalibus, & Episcopalibus? Vid. verb. *Confessarius, num. 12.* An Præfecti Ecclesiæ sæculari incurrant casus & pœnas Episcopales? 424. *in App lit. e. & seqq.* Non tenentur legibus Episcopalibus. *ibid. lit.* e. An Regulares qualitercunque peccantes possint directè puniri ab Episcopo? *ibid. lit.* k, *& seqq.*

Reliquiæ.

REliquia insignis quæ dicatur? III. 683. Quæ certitudo requiratur ad ejus approbationem? 683. Etiam minima pars corporis alicujus Sancti potest quandoque accenseri Reliquiis insignibus. 683. Potest quidem ab Ordinario institui Festum unum de omnibus simul Reliquiis unius Ecclesiæ, at officium debet esse approbatum à Sede Apostolica. 686. Etsi autem eæ Reliquiæ sint permultæ, & insignes, non tamen idcirco permittitur plus, quàm Duplex per annum. 686. Reliquiæ non insignes an, & quatenus colendæ Officio? 696. *in App. 4. lit.* b. Referuntur nonnulla specialia de Reliquiis Monacensibus. *ibid. & seq.* Quando possit Episcopus facere potestatem colendi reliquias non insignes? *ibid. lit.* d. An reliquia spectans ad aliquem privatum possit honorari Officio Canonico? *Ib. lit.* f. Quid si habeatur in Ecclesia alienasolùm instar depositi? *ibid.* Alia de Reliquiis, *lit.* g, *&* h. A quo Episcopo approbandæ? *ibid. lit.* g.

Renovatio.

REpetitio formulæ Sacramentalis quando illicita? I. 48. *& Tr. II. 379.* Nominatim Absolutionis? VII. 171. & 226.

Residentia.

REsidentia beneficiati quid propriè sit? V. 602. *in App. lit.* h. Pernoctatio in loco beneficii est pars necessaria residentiæ. *ibid. lit.* f. Quot horarum distantiam à loco beneficii permittant DD? *ibid. lit.* g. Quid si Parochus habeat, qui eo absente invigilent gregi? *ibid. lit.* h.

Restitutio.

REstitutio gravis damni illati, injustè quidem attamen sine culpa coram Deo mortali, non est necessariò facienda. VII. 221. Nec facienda à Confessario etiam culpabiliter non commonefaciente pœnitentem de debita restitutione. 564.

Reus.

REus criminis, soliti patrari cum socio potest interrogari de socio. II. 163. *in App. lit.* b. Non tenetur candidè respondere, si interrogetur, non servatâ formâ juris? *ibid. lit.* g Quando censeatur non servari? *ibid.* Reis damnatis ad mortem, quo die communicandum? IV. 204. Quoties? 207. Judex tenetur dare spatium. 202.

Rosarium.

ROsarii perpetui Congregatio est summè proficua. VII. 740. Rosarium injunctum à Confessario potes recitare alternatim cum socio. V. 694. Et licitè separatim unam decadem ab altera. 675.

Rota Romana.

ROta Romana quæ? III. 609. Decisiones ejus quantæ autoritatis? 609. Quæ causæ tractentur coram illa? *ibid.*

Rubrica.

RUbrica propriè quid sit? III. 736. Rubricarum aliæ sunt Præceptivæ: aliæ Directivæ. 735. Quæ Præceptivæ? *ibid.* Non est semper mortale, agere etiam scienter contra Præceptivas. *ibid.* Imò nec semper, quando ex contemptu. 738. Nec est verum, quòd tunc solùm contra eas peccetur mortaliter, quando ex contemptu negliguntur. 739. Indicantur in specie aliquæ, quarum transgressio continet culpam, vel mortalem; vel venialem; vel nullam. 701. 740. 741. 742. Rubricæ Breviarii sunt præferendæ Tabellis. V. 658. *in App. lit.* c. Declaratur vero Casu. *ibid. lit.* a.

Ex Rubrica (id est, Titulo Legis) desumendus est intellectus Legis. VII. 732.

S.

Sabbatum Sanctum.

AN eo die liceat cuivis facere Sacrum, & quale? III. 222, & 224. Quid si in eum diem inci-

dat festum fori? 223. Quid observatum Anno 1660? *ibid.* Unde incipiendum in illo Sacro? 224.

Sacerdos.

1 SAcerdos quilibet tenetur tempore necessitatis administrare Sacramenta. I. 128. Ideóque quilibet, cujus negligentiâ moritur quis sine Confessione, peccat mortaliter. 140. Dubius de suo Baptismo quid agat? II. 435. Curabit etiam se reordinari. 438. At quid si excepit Confessiones multorum? II. 439. Et an teneatur in tali Casu sigillo Sacramentali. 440. Sacerdotum incontinentia Superiore sæculo. 592. §. *Ita.* Potest Sacerdos ex gravissima causa ingredi Religionem, occultato suo Presbyteratu. III. 484. Potest, & primo anno Sacerdotii toto non sacrificare, ut se præparet ad primitias. 486. Debet sacrificare die festo, si non habeat copiam alterius Sacri. III. 387. & *Tr. V. num.* 40. Si sit in peccato mortali, tenetur etiam cum aliquali molestia quærere priùs Confessarium. V. 44. Si nequeat habere, omittet Sacrificium. 44 Et sine dubio satisfacit Sacerdos præcepto de audiendo Sacro, si ipse celebret. 46.

2 Sacerdos Constantiensis Diœcesis, an committat duplex peccatum mortale, si non confiteatur tempore Paschali, quo facit Sacrum in mortali. VI. 286. Sacerdotis *proprii* nomine quid intelligatur in Cap. *Omnis utriusque.* 290.

Sacramentalia.

SAcramentalia unde dicta. I. 14. & VI. 241. Quæ sint illa? 239. An, & quomodo peccata venialia remittantur per ea? 240. Non remittuntur quoad pœnam. 244.

Sacramentum.

1 SAcramentum quid sit? I. 4. Solus Christus instituit Sacramenta. I. 5. Eorum materiam quomodo mutare possit Ecclesia? 6. Christus non determinavit quoad ultimam speciem Physicam. I. 7. & II. 7.

Sacramenta sunt signa, non solùm speculativa, sed etiam practica. I. 9. Quomodo dicantur moraliter causare gratiam? 10. Quomodo ex opere operato? 12. Sacramentis cur non annumerandi Exorcismi, & alia Sacramentalia? I. 14.

2 Sacramenta *Vivorum*, & *Mortuorum*, quæ dicantur? I. 15. 16. Quotumnam susceptioni sit præmittenda Confessio, vel Contritio? 18. Sacramentorum diversitas quoad necessitatem recipiendi. 20. Omnia constant materiâ, formâ, intentione ministri. 22. & II. 4. Quo sensu dicat Augustinus? *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum? II. 5.*

3 Sacramenti materia proxima, & remota quæ? II. 6. Mutatio materiæ facta per admixtionem sæpe efficit invalidam. 8. Sicut & mutatio formæ tunc officit, quando reddit sensum substantialiter alium ab eo, quem intendit Christus. II. 75. Potest autem seu validè, seu invalidè fieri formæ mutatio octo modis. 76. Est tamen ex suo genere crimen mortale Sacrilegii, facere mutationem. 78. Sicut & uti formâ dubiâ. 79.

Probabilius quidem est, nihil obesse valori Sacramenti, licèt tota forma pronuntietur immediatè ante, vel post totam materiam proximam; peccat tamen mortaliter ita pronuntians. I. 26. & II. 81. Tenetúrque repetere Sacramentum ita collatum. I. 28. & II. 81. Declaratur duobus casibus, quomodo Sacramentalis forma debeat, aut non debeat coëxistere materiæ proximæ. I. 31. & 33. Declaratur & ratione 35. Sicut & quatenus una pars formæ debeat non separari ab alia? 38. Singulariter per sternutationem, aut tussim. 39. & 43. Traduntur duæ Regulæ circa unius partis formulæ separationem ab alia. I. 41 & 42. Resolvitúrque Casus notabilis de eadem re. 43. 4

Syncopatio, & balbuties in prolatione formulæ quatenus obsit valori? II. 95. Et interruptio formulæ? II. 97.

Peccatur, per se loquendo, repetendo absq; necessitate partem formulæ Sacramentalis. I. 48. Et maximè, si tota forma repetatur. II. 378. Esto sub conditione. *ibid.* Applicatur hæc doctrina facientibus repetitionem formulæ Consecrativæ, & Absolutionis. 379. & VII. 171. Sacramenti defectus substantialis non supplebitur à Deo. I. 96. 5

Subjectum Sacramenti quale debeat esse generatim. I. 224. & *seqq.* Nulli planè invito confertur ullum Sacramentum. I. 226. Imò nulli adulto, nisi sit positivè volens. 229. Declaratur subtili Casu. 232. Voluntas indirecta non sufficit ad valorem. 235. At sufficit illa, quæ includitur in sola præcisè attritione. 236. Esto talis attritus priùs dixerit, se potiùs moriturum, quàm passurum se e. g. baptizari. 238. 6

Non omnia Sacramenta dicuntur propriè posse suscipi invalidè. I. 249.

Nefas est, fictè conferrre ullum Sacramentum. I. 255. Quid si joco? II. 200.

Attentio non est necessaria suscepturo Sacramentum. I. 257. Quatenus peccet distractus tunc voluntariè? 259.

Peccat, per se loquendo, recipiens Sacramentum ab indigno. I. 260. Non tamen semper. 264. Quid si vidisti paulò antè peccantem graviter? 265. 7

Sacramentorum effectus generalis est gratia sanctificans. I. 279. Particularis est singulorum Sacramentorum. I. 280. An, recedente fictione, sequatur effectus Sacramentalis? 283. An pro ratione dispositionis augeatur effectus Sacramenti? 286. An Sacramentum possit esse validum, & informe? 294. Sacramenti Minister. Vide verb. *Minister.* Sacramentalis intentio. Vide verb. *Intentio.*

An quando in Missa de Venerabili Sacramento nominatur Sacramentum, oporteat inclinare caput? III. 731. *in App. lit.* e.

Sacra Res.

SAcra res facit non sacras Papa suâ solâ voluntate. III. 337. An, quando fuerunt profanatæ, fiant rursum sacræ per solum usum? 364. 365. & 366. Tactus earum quibus licitus? Vide verb. *Tactus.*

Sacrificium.

Sacrificium, & Sacrificans generatim.

1 QUid sit propriè Sacrificium? III. 5. & 9. Est actus excellentissimus inter morales virtutes 7. Sacrificium Missæ in quo consistat essentialiter? 14. & 17. Officium Parasceves non est Sacrificium. 15. Sacrificium Missæ est idem specie, quod obtulit Christus, seu in ultima Cœna. 18. Seu etiam in Cruce. 19. Hujus Sacrificii Hostia est Christus, & Panis. 21. Cur appelletur *Missa*? 22. Sacrificare sine alterutra specie est illicitum, etiam in extrema necessitate. 48. Sacrum facere posse, non est propriè privilegium. V. 42.

2 Solus Sacerdos validè sacrificat, propriè loquendo. III. 98. Tametsi Christus sit principalis Sacrificans. 103. Et probabiliter offerat Patri omnia sacrificia, dum actu peraguntur. 103. aliique mortales præter Sacerdotem possint aliquo modo sacrificare. 104. & *seqq.* Sacrificans quandonam debeat facere applicationem Sacri? III. 161. Si obliviscatur; quisnam fiet particeps? 163. Quid si tibi donet Sacrum, quod post decem annos faciet? 166. Quid si applicet illi, cui Deus vult applicari? 169. Quid si illi, qui sibi intulit manus violentas? 170. Sitne Deo gratius, sacrificare pro mortuis, quàm pro vivis? 612.

Quoties; & quando sacrificandum?

3 LEo Papa, & S. Udalricus sacrificabant sæpe de die. III. 182. & 183. At jam id non licet. 184. Excipe Festum Natalis Domini. 185. Quo tamen ne Parochus quidem tenetur jure communi sacrificare, nisi semel. 186. Quid si præsit duabus Parochiis, in quarum una sit usus Calendarii novi, in altera veteris? 187. & 188. Aut in utraque novi; an faciet sexies Sacrum? 187. & 189. An aliis diebus Festis, aut etiam profanis duo? 189. An unius Parochiæ Pastor licitè celebret bis in die Dedicationis? 189. Necessitas conficiendi viatici, an tribuat jus celebrandi sæpius? 190, & 191. & 193. Et an participatio privilegii alieni? 194.

Qua horâ liceat celebrare? III. 197. Singulariter in Germania? 198. Aut in necessitate conficiendi Viatici? 200. Aut tempore pomeridiano? 201. Aut quando horologium enormiter errat? 204. An sit fas accomodare se jam uni, jam alteri horologio? 206. & *seqq.*

4 Die Parasceves non licet sacrificare, etsi in eum incidat Festum. 213. At licet secundùm nonnullos ad conficiendum Viaticum. 213. An ut habeatur major pro sepulchro Christi Hostia? 214 An ut habeatur pro ipsomet Officio Parasceves? 216.

Die Jovis Sacro est cuivis fas celebrare. III. 219 Est & in Sabbato Sancto. 221. Et quando in unum ex illis duobus diebus incidit Festum fori, debent in urbibus fieri plura Sacra. 223. Qualia verò? 224. Refertur praxis diversorum locorum. 225. An transferenda potiùs Festa, quæ incidunt in illos dies? 226. Praxis diversorum Episcopatuum. 227. & 228 Modus peculiaris Constantiensis circa translationem Festorum, incidentium in vindemiam. 230. & *seqq.*

Ubi, & cum quibus vestibus sacrificandum?

5 HOdie licet sacrificare in mari Indico. III. 238. Non autem generatim in quovis loco honesto. 239. Referuntur casus, quibus est fas celebrare extra Ecclesiam. 240. & *IV. num.* 28. Episcopi jam nequeunt generatim dare licentiam celebrandi quovis loco. III. 242. Sacrificare sine omni veste sacra quo casu liceat? Vide verb. *Vestes*, an tecto capite? III. 383. An innitendo baculo? 385. An quandoque sine omni ministro? 394.

Sacrificandi obligatio.

6 QUivis Sacerdos tenetur quot annis aliquoties sacrificare. III. 482. An licitè suscipiat Sacrum, in quo nequeat unquam celebrare? 484. Peccat mortaliter non sacrificans, cùm teneretur ex justitia. 488. Venialiter, si ex vi solius promissionis liberalis. 488. Mortaliter, qui die Festo nec facit, nec audit Sacrum. 487. Quoties teneatur celebrare ille Capellanus, qui vi fundationis obligatur ad Missam *perpetuam?* 475. Obligatio sacrificandi in designato altari est per se mortalis. III. 575. Non tamen infert onus compensandi, si fuit celebratum in alio. 576. Nisi fuisset designatum altare privilegiatum. 576. At quid si nequeas in designato; teneberisne in alio? 577. Quid si jussus celebrare in aliquo indebitamente altari privilegiato, celebres in alio, habens numisma præditum Indulgentiis plenariis. 579. Quoties teneatur Parochus sacrificare? Vide verb. *Parochus. num.* 3. Et quoties, & ad quam intentionem Capellanus? Vide verbo. *Capellanus.* Alia de Sacrificio, vide verb. *Missa.*

Sanctus.

OMnes sancti descripti in Martyrologio sunt verè Canonizati. III. 672. Consequenter potest quivis Sacerdos facere Missam de quovis tali. 673. At non de quolibet Beatificato. 676. & 677. Sancti Naturales qui dicantur? 680. Quo Officio colendi? 682. Sanctus quilibet, assumptus in Patronum etiam secundarium Ecclesiæ propriæ, debet coli Officio Duplici. 685. Idem Sanctus non debet sub eodem titulo coli Duplici Festo. 687. Quid si sit

Titu-

Titularis Ecclesiæ, & simul habeantur ejus Reliquiæ? *ibid.* & 696. *in App. 4. lit.* h. *circa medium.*

Satisfactio.

SAtisfactio est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ. VI. 10. An; & quomodo revera teneamur in hac vita satisfacere Deo pro nostris peccatis? 43.

Scholaris.

SCholaribus quis generatim ministret Sacramenta? I. 135. Quis speciatim Communionem Paschalem? IV. 75. & 77.

Scrupuli: Scrupulosi.

SCrupulosè dubitans de suo Baptismo, an rebaptizandus II. 446. & 458. Scrupulis via aperienda non est. V. 162. Scrupulosus circa Horas Canonicas sanatus à S. Ignatio. 619. Alter similiter ab alio. 714. Quamdiu scrupuloso non constat evidenter, quòd mutârit propositum recitandi devotè Breviarium, vel volens, & advertens inhæserit alienis cogitationibus, credere potest, se satisfeciſſe Deo. V. 844. Alia Regula generalis pro scrupulosis. *ibid.* Scrupuli juncti magnis anxietatibus annumerandi sunt magnis malis. 714. §. *Jam.* Scrupuli nomen accipitur tribus modis. VII. 496. Scrupulorum origines proponuntur. 497. *Remissivè.* Tria specialia remedia contra scrupulos proponuntur. *num. 498 & seqq. Remissivè.* Alia. 503. Confessarius graviter peccat, dicens suum pœnitentem esse valde scrupulosum. VII. 793.

Sectio Matris gravidæ.

SEctio illius adhuc viventis visa est Autori illicita, etsi facta consentiente matre, & in certo periculo, ne infans extinguatur sine Baptismo. II. 254. At mutavit sententiam, quando subest probabilis spes baptizandi, salvâ matre, vivum infantem. 255. & *seqq.* Probatur singulariter instantiâ unius matris, è qua sectâ, & vivâ exempti vivi quinque filii. *ibid.* At sine controversia est secanda mortua mater, si probabile sit, prolem adhuc vivere. 258. & 260. Satiúsque est, secare frustra centum mortuas matres, quàm semel negligere sectionem, quando fuisset profutura proli. 258. Maritus tenetur facere tunc expensas in Chirurgos. *Ibid.* §. *Resp. 3.* Et Chirurgi gratis id præstare inopibus. *ibid.* Et singulariter in primo casu. *ibid.* Recensetur unus felix eventus sectionis post mortem matris factæ. II. 260. Proponuntur & industriæ tunc observandæ. *ibid.* & 57. Non est facilè fides adhibenda obstetrici asserenti, prolem jam esse mortuam. 258. Vix ultra horam à morte matris vivit ille fœtus. 259. Unde dignoscetur, veréne jam mortua sit mater? *ibid.*

Semper.

PArticula *Semper* quid designet in Decreto Congregationis, statuentis, ut Collecta pro Defunctis inseratur *Semper*? III. 590.

Sepultura.

SEpeliendi loco Sacro Catechúmeni. II. 640. Et baptizati dubio Baptismo. 653. Declaratur Casu lepido. 654. Sepulturâ Lutheranorum non profanatur Ecclesia in Germania. VII. 410. An infantium non baptizatorum? III. 265 *in App. lit.* i. & k. An sepeliendus, qui se suspendit? 171. An excommunicatus, quem Confessarius testatur resipuisse? VII. 914.

Sigillum.

Sigilli Sacramentalis essentia, & objectum.

ADfertur duplex illius descriptio. VII. 781. Quid generatim cadat sub illud? 782. An illud peccatum, quod laicus, fingens se Sacerdotem, audivit? 783. Aut quod detexisti laico, ratus, eum etsi laicum posse tamen in hoc, aut illo casu absolverè: 783. Nequaquam necesse est ad obligationem sigilli ut peccatum detegatur Sacerdoti prædito verâ jurisdictione; at necesse est, ut peccatum, seu verum, seu existimatum aperiatur in ordine ad absolutionem. 784. Quid pronuntiandum de duobus hæreticis Prædicantibus, revelantibus ea, quæ ipsis commissa erant in secreto, velut animarum curatoribus? 778. 779. & 785. 1

Sigillum Sacramentale oritur ex omni, & sola Confessione Sacramentali. VII. 787. Quæ autem sit Sacramentalis, decisum est. *eodem Tract.* VII. 11. Omnia, quæ pœnitens manifestat Sacerdoti verò, vel existimato, saltem confusè in ordine ab absolutionem, animo se accusandi, cadunt sub sigillum, nisi aliunde sint nota. 788. Quid sit dicere, saltem confusè, in ordine ab absolutionem? VII. 12. Omne illud cadit sub sigillum, cujus in sola Confessione Sacramentali cogniti revelatio possit Confessionem meritò reddere gravem, & odiosam. 789. Declarantur duæ Regulæ generales octodecim particularibus decisionibus. *num. 790. & seqq.* Singulariter illis: An frangat sigillum, qui revelat peccatum complicis? 794. Vel quosdam naturales defectus pœnitentis? 792. & 793. Vel peccatum illius, qui fuit objectum peccati? 794. Vel innocentiam pœnitentis? 796. Vel id, quod ipsi Confessario fuit concreditum sub hac forma verborum: *Dico hoc Reverentiæ Vestræ sub sigillo Confessionis?* 797. Vel quod ab eo cognitum per Confessionem sacrilegam, & invalidam? 848. 2

Sigillum frangendi modi varii.

FRangitur generatim sigillum, quando res aliqua cadens sub sigillum ita manifestatur (absque expressa licentia pœnitentis) verbo, aut alio signo, ut quispiam prudenti opinione, vel suspicione possit assequi, quisnam in individuo rem illam patrârit. VII. 799. Adeóque etiam indirectè revelans frangit sigillum. 801. Quid sit indirectè revelare? *Ibid.* Declaratur mul- 3

multis, & etiam raris instantiis, casibúsque veris à *num.* 801. ad 830. Pia simplicitas mulieris confessæ imagini S. Ignatii. 822. An licitè in hac Confessione loquaris de peccatis auditis in alia? 825. Aut statim post absolutionem de manifestatis tunc? 828.

Sigilli revelatio ex consensu pœnitentis.

4 POres extra Confessionem loqui cum pœnitente de peccatis in ea auditis, si det seu intra, seu extra Confessionem tibi facultatem expressam loquendi de iis. VII. 830. & 832. Sigillum est institutum in gratiam pœnitentis. 832. Censetúrque facultatem dare expressam, quando ipse incipit loqui de confessis. 831. & 834. Datam in ipsa Confessione revocabit ipse pro lubitu; non verò datam extra Confessionem. 833. Et quamvis sit tibi confessus per interpretem, non ideo tamen licitè loqueris cum interprete de auditis. 835. Est autem revelatio sigilli absque expressa facultate pœnitentis peccatum mortale, etsi de re minima. 936. Et licèt foret omnino necessaria ad conservationem Reipublicæ. 837. Ideo erravit fœdè quidam hostis Jesuitarum. 839. Quomodo ergo se geret Confessarius ab aliquo interrogatus de auditis? 840. *& seqq.*

Qua pœna puniendus violator sigilli? VII. 842. An arbitrariâ? 845. Confessarius revelans sigillum tenetur probabiliter probare, se facere ex voluntate pœnitentis 846. At est nefas absque facultate pœnitentis examinare talem Confessarium. 847. An teneatur Confessarius sigillo, si dubitet, an hoc, aut illud audierit in sola Confessione? 848.

Sigillo quæ personæ obligentur.

5 AN Confessarius, cui nihil tale cogitanti, aut etiam audire nolenti subitò dicis: *Accuso me de hoc, aut illo peccato: Absolve me.* VII. 849. An alii præter Confessarium obligentur propriè Religione sigilli? 850. Certum est, aliquas personas ultra Confessarium secreto seu naturali, seu Sacramentali arctissimè obligari. 850. At dubium, an ita arctè, ut in nullo casu licitè revelent? *Ibid.* Sententiæ de obligatione sigilli severiores præferendæ sunt lenioribus. 853. Ideóque dicendi sunt obligari sigillo Sacramentali tum laicus, qui finxit se Sacerdotem. 853. Tum numerò 778. Producti prædicantes. 853. Tum milites numero 1. Descripti. 854. Tum interpres, & qui legit chartam, in qua scripta peccata. 855. & 856. Qui proinde peccat mortaliter, etsi legat solùm venialia. 857. Et quidem licèt legat in fragmentis, in quæ scissa est illa charta. 858. Tum illi, quibus Confessarius inique revelavit secretum. 860. Tum alii, de quibus *num.* 859. 860. 861. 863. Explicatur, quomodo excusari possint, qui audiunt plures parvos pueros confitentes, audientibus aliis. 864.

Sigilli usus.

6 REfertur difficilis Casus de aliquo non satis cauto, quem Confessarius consuluerat ex pœnitentis voluntare. VII. 865. Ille Casus resolvitur. 888. & 889. Ipse quoque Confessarius illicitè, intra ipsam etiam Confessionem, utitur notitiâ Confessionis cum molestia pœnitentis. 870. Adeóque si petat convitiis pœnitentem. 871. Secùs, si sine ulla revelatione utatur ad actiones non adferentes pœnitenti molestiam. 872. Non est generatim verum, quòd Confessarius quisq; teneatur se in omnibus gerere perinde, ac si nullam unquam Confessionem excepisset. 874. Sicut nec ex rebus in Confessione auditis tenetur ad aliquid, ad quod non teneretur, si non audisset ullam Confessionem. 875. Applicatur hæc doctrina concionatoribus. VII. 877. & 878. Quid si per talem usum reveletur solùm indirectè secretum? 879. Aut Superiores Religiosi utantur ad externam gubernationem? 880. Aut per usum reddatur Confessio odiosa, id est, molestior? 881. Aut alius à Confessario utatur? 883. Aut tantùm in re parva illicitè adhibeatur? 887.

Responsiones ad hasce quæstiones tam affirmativæ, quàm negativæ declarantur viginti quatuor Corollariis VII. à *num. 888.* ad finem Tractatûs, nominatim quatenus Consiliarium, de quo fuit Casus *num. 865.* propositus, tangunt. 888. Et Confessarium, qui loquentem de infamatis ob aliquod parvum vitium, interrogavit, quid diceretur de quodam, Leofrido, quem ex Confessione ejus noverat esse affinem eidem culpæ. 920. 921. Et illum, qui ex Confessione alterius sciens, Cajum esse carceri mancipatum, hoc ipsum pandit alteri. 922. Et illum, qui de suo pœnitente dicit, illius Confessionem decem horas tenuisse 923. Et ipsummet Autorem hujus libri, utpote qui multa scripsit, cognita ex sola Confessione. 952. Reliqua sunt adeò breviter proposita in ipso contexru, ut non sit operæ pretium eadem huc transferre. 7

Sinnichius.

SInnichius calumniator Probabilistarum docuit ipse idem, quod hi. VII. 591. *in Append. lit.* e. Eo jure vocandus *Laqueo*, & *Tortor.* Quo Probabilistas appellat *Laxones. Ibid.* Eodem quoque verè *Improbabilista*, quo per sarcasmum alios vocat *Probabilistas*, convictus de plurimis impostur is. *Ibid lit.* e.

Societas Jesu.

Societatis specialia circa Missam, Communionem, & Breviarium.

SOcietatis Sacerdotes sacrificantes ex obedientia pro defunctis, aut in gratiarum actionem, non tenentur totum Sacrum applicare his intentionibus. III. 156. Possunt facere intentionem hodie pro tota vita valituram. 167. 8

2 Cur Societatis JEsu Sacerdotes non ſoleant permittere Communionem quotidianam? *Tr. IV. num. 59. & ſeqq.* Societas eſt paſſa perſecutionem ob introductam frequentiorem Communionem. 61. Societatis Sacerdotes an peccent, ſi ſuos pœnitentes non moneant, ut Communionem Paſchalem obeant in propria Parochia? 70. Præbet Societas in Epiſcopatu Brixinenſi licitè Communionem Paſchalem quibuſlibet. 81.

3 Satisfaciunt præcepto Eccleſiæ, qui ad Litanias præſcriptas certis diebus reſpondent, dum ante ſomnum recitantur more conſueto. *Tract. V.* 615. Sæculares, qui in Seminariis Societatis educantur, licitè dicunt Officia Canonica de Sanctis Societatis. 636. Sicut & illi, qui apud nos obeunt Exercitia Spiritualia. 637. Qui quidem obtinent Indulgentiam plenariam. 637. Non utimur Privilegio Leonis X. De dicendis ſolâ mente iis, quæ jubentur in Breviario dici ſubmiſſâ voce. 689. At utimur dato à Julio. III. Reſpectu infirmorum. 730. Non verò alio Leonino, de Officiis longioribus dicendis, quando non ſumus occupati, dicendis autem minoribus, quando occupati. 914.

Societatis ſpecialia circa Sacramentum Pœnitentiæ.

4 QUo Privilegio excipiamus Confeſſiones etiam Paſchales? *Tr. VI.* 294. Notabilis circa hanc rem Caſus. 292. Societatis mos circa Confeſſiones ſuorum generales, & alias. 318. & 319. Poſſumus in noſtris magnis Feſtivitatibus accerſere Sacerdotes etiam ſæculares, qui ſæculares abſolvant à caſibus reſervatis. *Tract. VII. num. 105.* Quæ dicantur noſtræ Feſtivitates? 104. *ultra medium.* In Societate non reſervantur peccata, niſi manifeſtè mortalia. *Tract. VII. num. 357.*

5 Nobis eſt vetitum docere hanc propoſitionem: *Moribundus, etſi nullum ſignum det, aut dederit contritionis, adeò ut Sacerdos neſciat, nec prudenter putare poſſit, præceſſiſſe aliquam viſibilem Confeſſionem, abſolvi poteſt. Tr. VII. n.* 602. At non eſt idcirco nobis vetita praxis illius doctrinæ. 605. & 606. Sicuti neque vetat, quò minùs abſolvamus eos, qui non habent firmum propoſitum abſtinendi à quærenda parva voluptate carnali. 607. PP. Capucini, qui gaudent privilegio abſolvendi quoſcunque ſæculares & Regulares, nequeunt hoc uti, reſpectu noſtrorum hominum, niſi noſtri Superiores conſentiant. 660. Vide ſuprà verb. *Capucini.*

6 Cùm ſumus itinerantes, poſſumus confiteri extraneo, ſi deſit Sacerdos è Societate. *Tr. VII. num. 648. ad finem.* Et dum facimus Exercitia Spiritualia extra ordinarium domicilium, poſſumus abſolvi à reſervatis, ſed cum onere. 655. Cuinam confiteamur, quando in itinere divertimus ad aliquod Collegium? 656. Et ſingulariter noſtri Superiores? 656. Quid ſi maneamus per menſem in uno Collegio? 657. Quid ſi incidat tempus Jubilæi? 660. Noſtri Superiores nequeunt deligere ſibi proprios Confeſſarios. 664. Etſi poſſint deſignare Sacerdotem, etiam ſæcularem, qui omnes ſuos ſubditos audiat. 664. Et quando mediatus Superior non aſſignavit pro duobus ordinariis Confeſſariis tertium, immediatus deſignabit. 665. Non tamen neceſſariò ſtatim ſufficiet uni è duobus ordinariis abſentibus alium. 665. Bulla Innocentii de conſtituendis duobus ordinariis, eſt ſtrictè interpretanda. *n.* 665.

7 Plura peccata reſervantur in Societate, quàm Clemens VIII. Permiſerit aliis Regularibus. *Tract. VII.* 684. Videlicet quidquid eſt contra votum Caſtitatis, quod in actum externum prodeat. 685. Explicatur hoc Statutum. 685. Explicatur, quo ſenſu prohibeamur docere, non eſſe reſervatam ſeminationem diſcordiarum, niſi ſequatur effectus. 687. & 689. Item docere, eum, qui à reſervato peccato cognito eſt in aliqua neceſſitate indirectè abſolutus, non teneri ſe deinceps Superiori ſiſtere, &c. 688. & 690. An teneamur Sacramentaliter confiteri Superiori ea, à quibus fuimus directè in itinere abſoluti? 692. Noſtri ordinarii Confeſſarii non poſſunt nos abſolvere à Caſibus Pontificiis, eſto poſſint ipſos ſæculares. 694. Quomodo intelligenda peculiaris facultas abſolvendi à reſervatis, *præterquam recidivos? 695. & ſeqq.*

8 Ordinarii noſtri Confeſſarii poſſunt erga nos uti votorum diſpenſationibus, & commutationibus, ſicut erga extraneos. *Tract. VII. n.* 698. Et abſolvere ab excommunicationibus ſtatutis in Ordinationibus Generalibus. 698. Et abſolvere in alio Collegio illum, qui ſpectat adhuc ad idem Collegium, ad quod ipſe Confeſſarius. 698. Nequeunt tamen diſpenſare in Irregularitatibus, aut legibus communibus Eccleſiæ. *Ibid.* Quomodo practicè ſe geret Confeſſarius noſtrorum erga illum, qui venit ad ipſum rogaturus, ut Confeſſarius ipſe petat à Superiore facultatem abſolvendi ſe à reſervato? 700. & 701. Et ſingulariter, quando eſt unus è Caſibus, pro quorum abſolutione deberet ipſi Superiori nominari ipſe pœnitens, & ſe ſiſtere. 701. & 702. Et quomodo loquetur cum Superiore, ne hic ullo modo intelligat, quis ſit reus? 703. & 727. In parvis domiciliis noſtris poteſt ordinarius Confeſſarius integrè abſolvere à reſervatis, ſi intra menſem non ſit adfuturus mediatus Superior. 704. Superior tenetur ſtare judicio Confeſſarii circa compulſionem ad ſe ſiſtendum ipſi Superiori. *Tract. VII.* 707. Non ſupponitur autem dare ipſimet Confeſſario facultatem faciendi ſe abſolvi à caſu, quem ipſemet incurrit, quando ipſe Confeſſarius non dicit ſuo Rectori plus, quàm hæc verba: *Eſt in Collegio aliquis indigens facultate Reverentiæ Veſtræ pro abſolutione.* 712.

9 Quandonam Vice-Rectores poſſint abſolvere à reſervatis, vel dare facultatem? VII. 713. 714. 715. Et nominatim Pater Miniſter? 714. 715. Caſu novo declaratur. 716. *& ſeqq.* Non debent noſtri Superiores eſſe difficiles in concedenda facultate in reſervata. 721. & 723. Quandonam teneatur ſub mortali dare? 721. Sufficit apud nos, ſi Confeſſarius dicat Superiori: *Peto poteſtatem abſolvendi aliquem à reſervatis, quæ neque Religioni, neque alteri, aut ipſimet pœnitenti ſunt allatura damnum.* 726. Attendat autem ipſe Confeſſarius ad circumſtantias temporis, & alias, quæ arcebunt, vel promovebunt periculum indirectæ manifeſtationis. 728 Solvitur nova hæc quæſtio: *Quid faciet Confeſſarius noſtrorum, ſi pœnitens nolit ſe manifeſtare Superiori in caſibus, in quibus jubemur nos manifeſtare? 730. & ſeqq.* Ordinatio jubens illam manifeſtationem, quomodo intelligenda? VII. 732. & 733. Et quomodo Superior, & Confeſſarius ſimul conferre debeant de modo tractandi illum, qui non vult ullo modo nominari? 707. 730. 737. Proponitur grave dubium. 738. Poteſt utique evenire caſus, in quo Lex naturalis obliget pœnitentem ad ſe ſiſtendum Superiori. 734. & 722. Etiam directè abſoluti tenemur quandoque nos ſiſtere (mediatè) Superiori pro alia directa abſolutione. 691. Quomodo intelligendum quoddam noſtri Patris Generalis Claudii Decretum de uſu notitiæ Confeſſionis? VII. 876. Superiores, ad quos defertur caſus reſervatus, non poſſunt adhibere remedium, niſi ſalvo ſigillo. 724. & 859.

Societatis Perſonarum facta quædam ſingularia.

10 QUid Societatis Jeſu Sacerdos egerit, hoſte barbaro invadente ſuos Neophytos? *Tr.* I. 174. Quid alius cum Ethnico, qui rapiebatur ad ſupplicium? 176. Et alius cum infante Ethnici moribundo? II. 243. Et rurſum alius? 273. *In Append. 2.* Quid tres alii tempore peſtilitatis? IV. 3. 3. & 421. & VI. 112. Quid S. Franciſcus Xaverius cum graviſſimo peccatore? VII. 763.

Solicitantes ad turpia.

BIllæ de Confeſſariis ſolicitantibus ad Venerem non ſunt receptæ in Germania. VII. 576. Refertur Compendium illarum Bullarum. 578. 579. Et quoddam novum Decretum Alexand. VII. 580.

Solvere.

DIfferentes ſolutionem cenſuum non ſunt ſtatim damnandi peccati mortalis. VII. 561. Sicut nec differentes ſolutionem aliorum debitorum, quando ex dilatione non oritur damnum creditori. 563. An teneatur iterum ſolvere is, qui miſit ſolutionem per tabellarium, qui non repræſentavit? 221.

Somnus: Somnolentia.

SOmnus interjectus inter diverſos actus malos aliquando impedit, aliquando non impedit moralem etiam unitatem. VI. 394. Quatenus ſomnolentia impediat valorem moralem aliquarum actionum? Vide ſuprà verb. *Dormiens*, & ſingulariter lege id, quod de ſomnolentia, obrepente tempore Officii Canonici, refertur ex Sanchez. V. 676.

Sponſus.

SPonſus injens in mortali Matrimonium, committit duplex ſacrilegium. I. 55.

Sponſalia.

INhabilis eſt ad Sponſalia, qui non eſt certus de valore ſui Baptiſmi II. 445.

B. Staniſlaus.

BEati Staniſlai Koſtkæ publicus cultus quatenus ſit ampliatus à Clemente X. III. 696. *In Append. 1. lit.* b. & x. Solvitur difficile dubium circa unam clauſulam illius Bullæ. *Ibid. lit.* ſ. & t. Ejus calumniator horrendè punitus. *Ibid. lit.* x. *prope finem.*

Statuo. Statutum.

STatuendi verbum non indicat per ſe rigidum præceptum. V. 874. Statuta Synodalia Diœceſis Conſtantienſis, & Brixinenſis commendantur. IV. 403. Plurima è Conſtantienſibus explicata indicantur ſuprà verb. *Conſtantienſis Stylus.*

Sternutatio.

STernutationis duo miri Caſus. III. 857. & IV. 169.

An periculum talis ſternutationis impediat Miſſam, aut Communionem? IV. 170.

Stipendium Miſſæ.

1 AN poſſit Miſſæ ſtipendium peti majus in die Feſto, quàm non feſto? III. 509. An peculiare pro fructu Miſſæ ex opere operantis? 510. Aut majus pro Miſſa in Altari privilegiato. 511. Aut pro applicatione portionis ſpecialiſſimæ? 512. Aut pro onere ſacrificandi in peculiari altari? 556. Non eſt Simonia, petere ſtipendium pro Miſſa. 559. Aut paciſci de illo. 560.

2 Juſtum ſtipendium Miſſæ quod ſit? III. 562. Datur diverſum in diverſis locis. 563. Et non ſemper majus, quando creſcit pretium aliarum rerum. 565. Non teneris totum Sacrum applicare non danti juſtum ſtipendium. 566. Et exigis licitè totum, etiam ſi dives ſis. 569. At illicitè ſervas partem magni ſtipendii, conſtituendo alium Sacerdotem pro alia parte. 570. Excipe, niſi ſis Parochus, aut Capellanus. 572.

3 Hæres juſſus à Teſtatore dare 100. Aureos pro 200. Miſſis, non ſatisfacit ſuæ obligationi, dando ſolùm 80. Etiam illi, qui eſt paratus facere illa, 200. Sacra, pro 80. florenis. 572. Caſus multùm dubius de accipiente duplex ſtipendium pro uno Sacro. 600.

Suarez.

SUarez defenditur adverſùs Nugnum. I. 147. *& ſeqq.* Adverſùs Caramuelem ſuſpicantem, illum fuiſſe ſolitum quotidie recitare Officium Paſchale. V. 901. Horam quotidianæ medi-

meditationis pluris fecit, quàm omnem ſuam ſcientiam. *ibid.*

Subdiaconatus. Subdiaconus.

QUatenus Subdiaconus ſit adſtrictus Horis Canonicis? Vide verb. *Horæ Canonicæ, n. 2.* An ſtatim primo die? *Ibid.*

Superſtitio.

SUperſtitio ſitne in dubio præſumenda potiùs, quàm miraculum? II. 273. *in Append. lit. c. ad finem.*

Surdus.

SUrdus an præbenda Euchariſtia? IV. 139. Quid ſi quis ſit ſurdus, mutus, & cæcus? 141. Quid ſi ſurdus, & mutus ſolùm? 144. & 145. *in App. accuratè.* Surdus ſolùm tenetur audire Sacrum. V. 29. Item ſurdus, & mutus ſimul. *ibid.* At non, ſi ſit ſimul cæcus. 30. Eſto hos defectus contraxerit in virili ætate. 31. Surdi, & ſurdaſtri quatenus teneantur confiteri? VII. 471.

Quatuor exempla mutorum & ſurdorum ſimul, à nativitate. IV. 132. 143. *& in App. lit. c. lit. e. lit. h. & lit. f.*

Suſpenſio.

SUſpenſio ab officio, & beneficio quomodo differant? VII. 195.

Symbolum S. Athanaſii.

AN recitandum infra Octavam, ubi Trinitas eſt Titularis Eccleſiæ. V. 623. *in Append.*

T.

Tabacum.

TAbacum terendo dentibus non frangitur jejunium naturale. IV. 265.

Tactus.

TActus rerum ſacrarum, quando hæ continent Corpus, aut Sanguinem Chriſti, etſi fiat à non Subdiacono, probabiliter non eſt mortale. III. 326. Et probabiliùs non peccat Sacerdos mortaliter, quoties in peccato mortali tangit mediatè, vel immediatè Sacram Hoſtiam. IV. 379. Quando illæ res Sacræ non continent Corpus Chriſti, tanguntur innoxiè à Miniſtris. III. 328. Aut ſoiùm Tonſurato. *ibid.* Innoxiè & à Laicis quoque tum Sacræ Reliquiæ, tum res illæ ſacræ, quæ non tetigerunt immediatè Corpus Chriſti. 328. Ut calix conſecratus quidem, at nondum abhibitus ad Sacrificium. 331. Et corporale lotum, ſed nondum uſurpatum in Sacro. *ibid.* Quid de tactu pedis calicis, aut patenæ ex qua parte non tangit Corpus Chriſti? *ibid.* Quid de immediato tactu Agnorum Dei? 331. Et Aquæ Baptiſmalis? II. 41. *prope finem.*

Teſtamentum.

TEſtamentaria clauſula: *Si ſine liberis deceſſero, volo, ut hoc prædium cedat meæ Parochiæ*, verificatur, ſi naſcatur filius poſthumus ſemeſtris, qui mox decedat. II. 341. Teſtamenta accipiunt interpretationem à conſuetudine. III. 636. *in App. lit. d.*

Teſtis.

TEſtis deponens pro Baptiſmo debet eſſe certiſſimus. II. 367. Deponens contra Baptiſmum præferendus eſt deponenti pro Baptiſmo. 386. Et deponens pro cauſa favorabili, deponenti contra illam. *ibid.* Eſt Baptizandus ille ſenſu captus Judæus, quem petiiſſe Baptiſmum teſtatur Teſtis etiam peregrinus, etſi dubitetur de hujus veritate. 386. Teſti ſuſpecto de Religione non creditur aſſerenti, aliquem eſſe baptizatum. 389.

Teſtimonium matris adulteræ jurantis, Titium eſſe patrem, non facit ſemiplenam probationem. II. 163. *in App. lit. i.*

S. Thomas.

SI nunc viveret, ſcriberet pro immaculata Conceptione clariùs, quàm ſcripſerit V. *num.* 84. Negavit S. Thomas, quantitatem furti mortalis eſſe neceſſariò confitendam. VI. 376. & 378. Et tamen Nugnus ſcribit, hanc ſententiam eſſe ſtultam. 378. Senſus S. Thomæ de peccatore recipiente ſe ad ſomnum V. 516.

SS. Trinitas.

AN Sacrum votivum de SS. Trinitate ſit licitum in feſtis duplicibus? III. 731. *in App. lit. c.* An tunc cum *Gloria? lit. d.* An inclinandum caput, quoties in tali Miſſa nominatur Trinitas? *lit. o.* An ubi Feſtum Trinitatis celebratur cum Octava, oporteat quotidie dicere Symbolum Athanaſianum ad Primam? V. 623. *in App.*

Tutor.

TUtorum juri poteſt derogare Princeps. II. 321. Et nominatim, quando ſe opponunt Baptiſmo ſui Clientis. *Ibid.*

V.

Vagi.

TEnetur vagis petentibus adminiſtrare Sacramenta quilibet Parochus Parochiæ, in qua morantur. I. 134.

Velleitas.

VElleitas eſt actus conditionalis voluntatis verſans circa objectum vel impoſſibile, vel poſſibile quidem, at non obtinendum, niſi per media moleſta. VI. 186. Non ſufficit ad valorem Confeſſionis. *ibid.*

Veneficæ.

VEneficarum Baptiſmus an meritò in dubium ſit revocandus? II. 683. Earum multæ baptizârunt in nomine Cacodæmonis. 680. 682. Eſt earum ſumma malitia. 685. Quid ſi in tortura negârunt, fuiſſe quemquam à ſe malè baptizatum? 687. An exhumandi è terra Sacra ii, qui erant in ea conditi, priuſquam reſciretur, fuiſſe à Venefica malè baptizatos? 698. Vide alia verb. *Rebaptizans. num. 6.*

Verba.

VErba Conſecrationis an ſint pronuntianda ſignificativè? III. 93. An etiam omnia illa, quæ in Miſſa ſignificant aliquos actus virtutum? 823. *& ſeqq.* Et illa, quæ in Breviario? V. 764. *& ſeqq.* Contra Cotonium.

Veſtes.

SIne aliqua è veſtibus ſacris celebrare, eſt per ſe mortale. III. 347. Excipe cingulum. 348. Si orſus es Sacrum ſine ſtola, non teneris, animadverſo errore, illam induere cum ſcandalo multorum. 345. *junct. num.* 341. Satis crebrò licet celebrare ſine una è veſtibus ſacris; rariſſimè ſine omnibus. 349. *& ſeqq.* Ponitur notabilis Caſus, quo licet ſine omnibus. 338. & 350. alii, quibus licet ſine una, vel altera. 352 Præſertim ſine cingulo. 353. Veſtes illæ à quo benedicantur? III. 357. An aliarum Eccleſiarum à Privilegiatis? 359. An conſuetudine poſſit acquiri jus eas benedicendi? 362. An ſi feciſti Sacrum cum veſte non benedicta, incipiat hoc ipſo illa eſſe ſatis benedicta? 365. Quomodo amittant benedictionem. 367. An una mutari poſſit in alteram? 369. Sacriſtæ peccant mortaliter circa immunditiem veſtium. 381. Color non neceſſariò reſpondet Feſto. 382. Nec preces in iis induendis præſcriptas teneris ſub mortali recitare. 387. Uti veſtibus ſacris ad profanam Comœdiam gravis culpa. 389. Apoſtoli primitus in veſtitu vulgari, deinde in peculiari ſacrificabant. 356. Vide plura verb. *Alba*: verb. *Benedictio*: verb. *Cingulum.*

Veſtis mulieris, in quam lapſa eſt Sacra Hoſtia, an lavanda? III. 799.

Viaticum.

VIaticum quid ſignificet? IV. 180. Quid ſit communicare *per modum Viatici?* 181. An liceat pro Viatico conficiendo uti pane ſiligineo, vel hordeaceo? III. 32. 33. & 34. An celebrare bis de die? 193. An poſt ſumptum cibum? 419.

Vicarius generatim.

VIcarius totius officii alieni poteſt partem officii ſubdelegare alteri, non tamen totum. VII. 100. Secùs de Vicario Parochiæ conſtituto ab Epiſcopo. *Ibid.* Quid de Vicariis Superiorum Regularium, aut Vicecuratis conſtitutis à Parocho? *Ibid. in App. lit. e.* Quandonam cenſeatur totum officium eſſe ipſis commiſſum? III. 358. & VII. 713. & 715. An Vicarii Regularium Mendicantium poſſint benedicere veſtes ſacras? III. 358. An dare poteſtatem abſolvendi à reſervatis? VII. 713. *& ſeqq.* Vicarium Parochi quis conſtituat? VII. 145. *in Append. I. lit. a. & ſeqq.*

Vicarius Epiſcopi.

HAbet in Germania ampliorem poteſtatem, quàm alibi. V. 714. Diſpenſat nominatim circa recitationem Breviarii pro parvo tempore. V. 714. Intelligitur nomine Epiſcopi, quando agitur de approbatione pro Confeſſionibus. VII. 56.

Vigilia.

VIgilia S. Mathiæ incidens in feriam tertiam Bacchanalium videtur tranſferenda. V. 111. *& ſeqq.* Quo pacto eam tranſtulerint varii Epiſcopi? 113. Quid ſi illa Vigilia incidat in feriam ſecundam? 118. Sublato quoad forum Feſto, an vigilia ſit ſublata? 120.

Vindicta.

VIndictæ cupidi difficulter emendantur. VI. 110. 181. *& ſeq.* & 201. Exemplum nolentis ignoſcere, etiam in agone. 181 *& ſeq.* Quomodo tales reducendi ad frugem? 199. Exemplum omittentis Confeſſionem, & Communionem Paſchalem, eò quòd nollet ignoſcere alteri. 264.

Vinum.

VInum ne congelaſcat, an licitè imponatur Calici filex? III. 65. *in App. lit. a.* & d. Valde notabilis Caſus circa dubium de vino pro Sacrificio. III. 765. Quando vini defectus notatur primùm, dum ſumitur calix, debet deglutiri id, quod jam eſt ſumptum ore. 769. Nec idcirco impeditur altera Conſecratio, niſi fortè velis facere Sacrum omnino aliud, ut in Natali Chriſti. 769. Quid agendum, quando ſuppletur defectus vini? 770. An neceſſariò conſecranda alia Hoſtia? 771. Quid agendum, ſi vinum non ſit in Templo aut in ſacriſtia? *Ibid.* An, ſi primùm, poſtquam rediiſti in ſacriſtiam, certus fias, te conſecrâſſe aquam, tenearis ſupplere illic defectum? III. 773. Quid in tali Caſu factum Ingolſtadii? 775. Si tam parum vini pro Sacrificio adſit, ut non ſufficiat Conſecrationi ſimul, & purificationi calicis, non teneris idcirco omittere Sacrum 852. *ad finem.*

Potes, ſi velis, aut ſolo vino, aut ſola aqua abluere digitos, & calicem. III. 853. Quid ſi abſtemius nequeat ſumere, niſi ſolum vinum conſecratum? 854. An ſit fas pro Conſecratione infundere vinum in calicem non abſterſum? 850. Quàm parum Sacri Sanguinis fuerit infuſum in calicem, qui olim præbebatur Laicis? 851. Peccatur, ſi pro purificatione calicis ſumatur extra neceſſitatem ſola aqua. 852. De mixtione aquæ cum vino pro Sacrificio, vide ſuprà verb. *Aqua.*

Virginitas.

VIrginitatis violatæ circumſtantia ſatis exprimitur in Confeſſione, confitendo ſimpliciter fornicationem. VII. 546.

Viſitatio Diœceſana.

QUanti hanc fecerit ſapientiſſimus Forerius? VII. 560. *in App.*

Vomitus.

VOmitui obnoxius an licitè communicet? IV. 161. In dubio de vomitu quid liceat? 163. Quid si vomitus prævideatur secuturus horulâ post Communionem? 165. Quando revomitur integra Sacra Hostia, quid agendum? 166. Non est, per se loquendo, tollenda, sumendáque à Laico, sed à Sacerdote. *Ibid.* An quoties licet Laico communicare cum periculo vomitus, toties liceat Sacerdoti sacrificare cum tali periculo? IV. 168.

Votum.

VOtum propriè est promissio facta Deo. VI. 302. Voto promissam Missam non audiens peccat mortaliter. V. 52. Voto obligatus ad opus bonum perficiendum, si perficiendo illud expressè dicat, se nolle per id satisfacere voto, tenetur illud opus repetere. V. 206. Voto promissæ preces an sint sub mortali recitandæ sine voluntariis distractionibus? V. 836.

Votum de re indifferente ut sic non obligat. VI. 303. Neque editum ob finem indifferentem, quando hic est finis materiæ per votum promissæ. *Ibid.* Attamen si finis indifferens non afficiat rem promissam, impletá conditione obligat. *Ibid.* Ideóque adolescens, qui vovit Confessionem, si promoveatur ad superiorem scholam, promotus tenebitur voto. 302. *& seqq.* Et quidem sub mortali. 305. Sicut & sub mortali votum confitendi venialia, saltem, si talis Confessio accidat difficilis. 306. *& sequentibus.*

Votum de re aliqua editum obligat, per se loquendo, nec plus, nec minus, quàm Ecclesiastica Lex lata, aut ferenda de eadem re. VI. 310. Omnes transgressiones voti sunt ejusdem speciei. 574. Votum Castitatis Religiosæ quomodo reservetur? VII. 677.

Usura.

USura est lucrum ex mutuo vi mutui. VII. 565. Explicatur ad praxin hæc definitio. 566. Deducuntur ex hac explicatione responsa ad varios Casus usuræ, præsertim palliatæ. 567. *& seqq.* Quomodo emendanda? 570. *in Append.*

Uxor.

UT uxor possit interesse rei Divinæ, tenetur maritus quandoque custodire domum dicesto, si nemo alius adsit. V. 494. Et hæc licitè quandoque manet domi, ut faciat ancillæ commoditatem vacandi Christianæ pietati? *Ibid.* Eadem licitè negligit Missam, quando imminent rixæ cum marito. 506. Aut est parandum prandium, vel convivium. *Ibid.*



SYLLABUS POTIORUM ERRATORUM.

Fol.	Num. &c.	Lin.	Menda.	Emenda.
11	82	17	alta	alia
30	183	8	ad	ab
33	290	3	collatinnem	collationem
35	Summ.	52	alitù	aliis
46	Summ.	17	lachryme	lachrymæ
54	66	pen.	irrefragibili	irrefragabili
71	Lit. c.	7	nomina realium	nominare alium
81	201	9	baptizare	baptizari
86	237	1	nequaquam	nequeam
95	Col. 1.	7	Buntrutum	Bruntrutum
115	381	5	in favorem	*adde*: animæ, adeóque rebaptizationis, quàm in favorem.
140	526	10	Barioſa	Barboſa
141	536	9	juxta Sanchez	juxta Suarez, omnes contrahunt juxta Sanchez.
158	Lit. d.	17	quòd	quàm
180	779	2	vitam	virtam
179	§. Resp.	2	der	per
Ibid.	eod.	eâd.	deliquere	delinquere
201	103	4	oblatione	oblationem
231	Col. 1.	12	observandum	observandam
233	Lit. q.	13	pertinet	*adde*: refectio Ecclesiæ, ad illum quoque pertinet
253	411	ult.	probro	probo
256	Col. 1.	17	morte	mortem
292	Col. 2.	8	febricola	febricula
293	§. Agnoſ.	4	ergo	erga
295	Lit. e.	4	cdibus	cladibus
Ibid.	Lit. e.	5	ceſ um	cenſum
297	640	7	omnicus	omnibus
307	Lit. e.	23	nuncupari	nuncupavi
325	Lit. f.	4	non votiva	*dele* non
327	744	pen.	evelatione	elevatione
338	823	2	ultiſſimam	utiliſſimam
353	60	7	ſacram	*adde* menſam
363	139	2	loqula	loquela
372	175	13	illa	*dele.*
401	377	13	cætera	cætera
439	161	3	requirem	requiem
468	361	2	Panormitanum	Panormitanam
469	372	31	ſaperiùs	ſuperiùs
486	App.	6	quæat	queat
512	Lit. b.	5	Prima	Dominica
524	Lit. ee.	ult.	accmmoodare	accommodare
527	Lit. l.	27	faciena	facienda
535	661	*antep.*	reviarii	Breviarii
Ibid.	eod.	eâd.	Brecitare	recitare
557	§. Ita	30	Lendium	Leodium
580	847	2	alia	aliqua
630	209	2	S. Thom. Sanchez	P. Thom. Sanch.
685	46	ult.	in	ab
690	63	5	producta	productæ
Ibid.	64	5	qui ſunt	qui non ſunt
694	86	20	ab initio,	*adde*: atqui in ſecundo ex duobus illis caſibus abſuit ab initio
695	94	8	ut	at
727	263	ult.	ſcribens	ſcribentis
730	278	4	perfunctiorum	perfunctorium
794	Lit. a.	15	decerent	docerent
801	Lit. b.	14	pertinent	pertinet
803	Lit. q.	7	inſinuatos	inſinuatas
812	Summ.	18	718	723
Ibid.	eod.	21	722	727
Ibid.	eod.	23	625	730
815	645	pen.	Partes	Partes
816	§. *Atquid*	1	*adde in margine.*	650
817	657	9	rerum	reum
818	664	4	poteſt	poſt
824	716	1	a *in margine*	*dele.*
Ibid.	In eod.	§. *Reſp.* b	*in marg.*	717
Ibid.	In eod.	§. *Secund.* c	*in marg.*	718
Ibid.	In eod.	§. *Nihilo.* d	*in marg.*	719

Reliqua benignus Lector facilè corriget.

FINIS.